PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA : ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR : CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENERUNT MILLE ET TRECENTIS FRANCIS SEXAGINTA ET DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR.

PATROLOGIÆ TOMUS CXCIII.

VEN. GERHOHUS PRÆPOSITUS REICHERSPERGENSIS. GARNERUS CANONICUS S. VICTORIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1854

Digitized by Google

~~19½-50~~
C550.1



1878 – 1879.
Water Guard

674
A3-1879
1-38

Digitized by Google

SÆCULUM XII

VEN. GERHOHI

PRÆPOSITI REICHERSPERGENSIS

R. P. GARNERI

CANONICI SANCTI VICTORIS PARISIENSIS

OPERA OMNIA

ACCURANTE J.-P. MIGNE

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

TOMUS PRIMUS

VENEUNT 2 VOLUMINA 16 FRANCIS GALLICIS

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM
SEU PETIT-MONTROUGE

1854

Digitized by Google

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CXCIII CONTINENTUR.

R. P. GARNERUS CANONICUS REGULARIS S. VICTORIS PARISIENSIS.

Gregorianum. *Col.* 9

VEN. GERHOHUS REICHERSPERGENSIS PRÆPOSITUS.

Epistolæ. 489
Commentariam in psalmos. 619

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google

ANNO DOMINI MCLXVI

R. P. GARNERI

CANONICI REGULARIS ET SUPERIORIS S. VICTORIS PARISIENSIS

GREGORIANUM

Hoc est allegoricæ omnium pene rerum in Bibliis contentarum Explanationes promptæ ex universis D. Gregorii papæ scriptis, pernecessariæ verbi divini præconibus et interpretibus, recens auctæ notis Gregorianorum scriptorum

STUDIO

F. JOANNIS PICARDI

CANONICI REGULARIS S. VICTORIS PARISIENSIS.

(Parisiis, apud Carolum Sevestre, via Jacobea e regione Maturinorum, in-12, cum privilegio regis, anno 1608.)

—

EPISTOLA NUNCUPATORIA.

Reverendo in Christo Patri et domino D. Dionysio de COULOMP, *S. Victoris Parisiensis summo priori vicario dignissimo S.*

Intermortuam avorum memoriam renovare, vitamque ab iis acceptam quadantenus, et pro virili reddere, nemo, nisi Carnabas, Ptolomeus Philopator, Agyrti, cæteraque hujusmodi parricidarum impiorum fex, non asserverit divinæ pietatis esse. Quidni pietatis divinæ? Etenim, si vota, sacrificia, supplicationes, obsecrationes, universaque ad Dei optimi maximi cultum facientia, vocemus divina : quantulum quoque honoris habitum parentibus nec inique divino decorabis titulo : cum et D. Gregorio Theologo (1), *pater sit Deus quispiam mortalis et creatus a Deo immortali et increato, liberique eum Dei vice habere debeant. Mitto præclara in hanc rem elogia ethnicorum* (2), *ut verba splendido illustrem exemplo. Scytharum gentem agresti fuisse immanitate efferatam, vetus adagium,* « *Malus Scytha,* » *testatur;* (3) *ferreum tamen inhumanumque pectus, aurea quædam in proavos humanitas sic obsederat, ut Dario Persarum regi, muliebres quotidianasque eorum fugas et conflictus detrectationem exprobranti per caduceatorem responderit animose rex Indathyrsus inter cætera :* « *Sunt paterna sepulcra; quæ age, dum inveneritis, tentate labefactare; et tunc intelligetis, pugnaturi vobiscum simus pro sepulturis necne : prius autem (nisi nos ratio traxerit) tecum prælium non conferemus.* » *Sanctum equidem summeque laudandum barbari principis responsum et consilium, qui voluit auspicari certamen a religiosa propugnatione bustorum avitorum, quasi templorum divinis sacratorum numinibus, sapienter prospiciens exitum belli, secundo Marte finiendum, cui religio in parentes, classicum cecinisset. At quanto animi corporibus, tanto honorarii eorum tumuli, nempe libri cælestibus conferti documentis præstant lapideis vel marmoreis sarcophagis nihil præter cineres ut plurimum habentibus. Illi enim licet exsangues, nunquam tamen viviradicum instar marcescunt : sed latenti quadam, vivacique divini eloquii gratia, religiosis cordibus aut vitam reducunt cælestem, aut producunt. Quidquid igitur studii, benevolentiæ humanitatisque exhibemus sepulcris paterna servantibus ossa, nec libris videtur denegandum. Unde Ricardus Aungervileus, Anglus, a solo natali dictus Buriensis, Dunelmensium in Anglia pontifex, insigni in sacra volumina theologicaque scripta religione et affectu quam reverenter modesteque tractanda sint, in suo philobiblo his omnino verbis commonet clericos :* « *Non solum Deo præstamus obsequium, novorum librorum præparando volumina; sed et sacratæ pietatis exercemus officium, si eosdem nunc illæse tractemus, nunc locis idoneis redditos illibatæ custodiæ commendemus, ut gaudeant puritate, dum habentur in manibus; et quiescant secure, dum in suis cubilibus reconduntur. Nimirum post vestes et vascula corpori dedicata Dominico, sacri libri merentur honestius tractari : quibus toties irrogatur injuria, quoties eos quis præsumit attingere manu fœda.* » *Idem in antecedente rubrica, ut eruditi de re libraria bene mereri certatim gestiant, titulum posuit :* « *Quam sit meritorium novos libros scribere, et veteres renovare.* » *Et comprimis hac ratione suasit.* « *Verum, quia quod servit mortalibus, per prolapsum temporis, mortalitatis dispendium patitur, necesse est vetustate labefacta volumina innovatis successoribus instaurari, ut perpetuitas, quæ naturæ repugnat individui,*

(1) Ad Vitalianum.
(2) Aristot. 8, *Ethic.*, c. 13 et 9, c. 2; Plato. II *De legib.*, et aliorum.
(3) Ex Hero. Melpom.

Digitized by Google

concedatur privilegio speciei. Sicut enim librorum corpora ex commistione contrariorum compacta, suæ compositionis continuum sentiunt detrimentum, sic per prudentiam clericorum debet reperiri remedium, per quod liber sacer solvens naturæ debitum, hæreditarium obtineat substitutum, et simile semen fratri mortuo suscitetur, verificeturque statim illud Ecclesiastici XXX : « *Mortuus est pater illius, et quasi non est mortuus; similem enim sibi reliquit post se.* » *Hæc Ricardus post* 250 *annos, in commendandam librariæ supellectilis curam. Quamquidem a te (reverende Pater) Garnero nostro impensam, meritissimo commemorabunt, honorificeque commendabunt posteri : ut, qui supra quadringentos vixerit annos, denuoque in sæculi proxime finiti principio tenuem quemdam visus sit, duxisse spiritum, editionis languidulæ operula : nunc, tuo permissu, istiusque vividioris typographiæ aura, secunda pene spiret anima. Hinc palam est, quod ad te longe jucundior redeat et gratior, quam Virbius Hippolytus Androgeusque Minois filius ad Æsculapium : si tamen, (ut Naso vere cecinit) non*

Exit in immensum fecunda licentia vatum,
Obligat historica nec sua verba fide.

Illos siquidem mortuos brevique morituros restituit vitæ mortali, aut, (ut nostri Adami refricem scite dictum,) morti vitali (4). *Garnerus autem tua facultate reductus est ad lucem ne cimmeriis quidem tenebris obnubilandam. Verum enimvero, vel si hæc abesset causa, Garnerus tibi non adesset non acceptissimus. Cui etenim perplacet D. Gregorius papa, qui displiceant lectiores spirantioresque ejus flores, per hos sexdecim Garneri libellos, ceu areolas circinati et dispositi? Te autem Gregorio familiarissime uti, testatur ipsemet in tuis, iisque accuratis capitularibus concionibus subinde productus, una cum sanctis Patribus tum prioris, tum ætatis intermediæ, ita ut non abs re quis te animatam eorum dixerit bibliothecam, ab eo facunde fecundeque ad instar docti scribæ evangelici profers de thesauro tuo nova et vetera* (*Matth.* XIII). *Sed et quod D. Hieronymus lugens in suo prædicavit Nepotiano (de more enim inter sermones epulares varias priscorum theologorum sententias proferens, asserebat hanc Tertulliano, istam Minutio, illam Cypriano, etc.). Ut eodem jure, sic necessario eidem, quin præstantiori, tibi vertatur laudi, si quis oculatior et oculatius, dicendi modum, tempus, locum, et quibus dicas norit, composueritque. Pene me præterierat, nec tamen prætereunda Garneri tibi nuncupati causa, scilicet onus inferius illo, quod nunc invida quidem, et invita debiliori natura, infracto tamen sustines animo. Quam vero gravis sit adducta causa, demonstrat veterum collatio. Nam Ælius Lampridius Augustos Commodum, Antoninum Heliogabalum, Alexandrum Severum; Ælius Spartianus Adrianum, Ælium Verum, Didium Julianum, Severum, Pescennium, Nigrum; Julius Capitolinus, Antoninum Pium, Verum, Maximinos duos obtulere Augustis, probe gnari serenis legenda oculis, ab iis, quibus offerebant propter eamdem, quam ipsi gerebant, imperii Romani majestatem. Taceo scriptores ecclesiasticos et biographos innumeros, ne in sole meridiano ridicule videar gracilem accendere stipulam. Supremo tandem nec ignobili nomine Garnerus sibi tuam conciliaturus est paternam gratiam, quod persæpe magni pendamus illustria proavorum monimenta, quin et tantilla ab iisdem relicta, utpote quæ nobis peroptatam reddant eorum vicem, miserrimamque solentur orbitatem. Sed vero, si quid felicissime, longe profecto felicius germaniusque præstant libri, feliciores, vivaciores germanioresque parentum liberi : cum formosiorem, præstantioremque eorum partem, divinam scilicet animam ingeniumque nobile referant.* « *Nec enim liberi solo vultu patrissant.* » *His igitur de causis Garnerum tua potestate in suo Gregoriano redivivum, et ad te redeuntem suscipe, R. P. ex ejus manibus, qui est tuus in Christo filius obsequentissimus, tuorumque canonicorum postremus.*

F. Joannes Picardus.

(4) In prosa Octavæ Nativitatis Christi.

CANDIDO LECTORIS.

Quid huic accessisset editioni decessissetve, frustra te monendum arbitrabar. At, cum deprehendissem prioris editionis perrara esse exemplaria, animum manumque verti. Imprimis ergo scias id operis antea excusum mendosissime, adeo ut sæpiuscule ne duos quidem versus puros fuisset legere, tibi nunc emaculatius reddi. Sed nec difficeor in hanc aliquot, quamvis leviusculas irrepsisse mendas, partim incogitantia, partim creberrimis lituris; ad quas in singulos versus suffundendas adegerunt me priscorum scribarum notæ annos ferme quinquaginta retentæ a prioribus calcographis, posterioribus autem. Platonicis obscuriores numeris. Insuper charta plerisque in locis infirmior, atramentique impotentior, quod parce fuerat infusum, vitiosa prodigalitate diffundebat in vicinorum characterum oblitterationem. Quæ quidem universa in contextu et ora libri conglobata, multæ fuerunt operæ ipsis operis. Recentem dico accessionem. In qua primas tenet notatio locorum ex divinis codicibus promptorum : ad quos comperiendos, diversas Bibliorum tralationes oportuit consulere, ita tamen ut nec consultior redirem, cum in signatis locis non offenderem eadem penitus quæ apud D. Gregorium legebam. Interdum enim vocula, aut simplex verbi compositi ponebatur loco. Cumque religiosius religioso huic negotio vacarem, non parum negotii fecit mihi varietas interpretationum, quibus D. Gregorium fuisse usum non semel adverti. Qua de causa, ut sedatiori mente legeres, si quæ sententia divina ab editione vulgata nonnihil discrepans proferretur, designavi apud Septuaginta, Augustinum, Cassiodorumque ita haberi.

Præter hæc adjeci, in quo totius operis versabatur cardo, scilicet adnotationes (quarum nonnullæ ab oculis operariorum alio respectantium, tibi abiere et mihi) librorum, homiliarum epistolarumque Gregorianarum, ex quibus quasi vernantibus flosculis et ramis Garnerus noster mysticum suum compegit topiarium. Quod quidem ægre tandem, sed confeci. Confeci, inquam, et aliquando tam ægre, ut in horas, et codicem et stylum jamjam ablegaturus essem ad extremam residum classem, ni succurrisset iniquum fore tam diuturni laboris jacturam, ob morosiorem unius et alterius sententiæ inventionem. Quapropter,

Digitized by Google

si inter hos emotæ fermeque præcipitatæ mentis æstus aliquotfariam cæspitarim, lector, humanæ maxime conscius imbecillitatis faciliorem quæso des veniam.

Inter signandas Gregorii sententias, cum editione Nivelliana fuissem usus, posteaque comperissem a prioribus dissidere ob mutatas sectiones in libris Job, illam primo, istam secundo expressi numero. In quibus præterea illud tibi venit observandum, ne, si in designato loco, sententiam aliquoties mutilam vel intercisam repereris, me statim de falsitate vel oscitantia appelles. Garnerus enim plerumque non pauca missa fecit consulto, quia vel ad enodandam propositæ dictionis ambiguitatem nihil aut parum conducerent. Adde quod plusquam semel mutarit orationis Gregorianæ ordinem, ita ut prima posterius, posteriora prius sumpserit. Quæ si aliquoties occursarint, marginale scholium prænonebit.

In notandis capitulorum Biblicorum versiculis secutus sum editionem Lovaniensem anni 1572. Eorumdem versiculorum non infrequentem prætermissionem dabis operario aliud in mente operanti; cætera, si lubet, et illi et mihi. Nihil enim humani profiteor a me alienum. De hujus vero Gregorianæ Anthologiæ, fructu et suavitate dicam post secundam præfationis partem. Antequam illud te pervelim exoratum, ne, instar Polycratis matrem, me patris laborem insigniori exornasse titulo causeris; quod dixerim ejus opus esse cœlestium voluminum studiosis pernecessarium, ac ecclesiasticis. Neque enim meum, sed Sixti Senensis, naris alioqui emunctissimæ est judicium. Bene vale, hunceque sacrarum copiarum thesaurum profunde in majorem Dei scientiarum Domini (ut Anna prophetissa I Reg. II canit) gloriam, laudem et honorem.

ELOGIUM DE HUJUS OPERIS PRÆSTANTIA ET UTILITATE.

Ex libro quarto *Bibliothecæ sanctæ* Sixti Senensis.

Garnerus (sic enim v. c.) *cœnobii Victorini apud Parisios subprior, vir vitæ sanctimonia, et pia eruditione clarus, collegit digessitque decentissimo ordine ex omnibus scriptis D. Gregorii papæ libros sexdecim de allegoricis typis nominum ac rerum omnium in sacris litteris contentarum, quos Enucleamenta Bibliæ inscripsit. Opus sane dignum, quod a studiosis divinæ Scripturæ obviis excipiatur ulnis. Ejus initium est : « Deus aliquando in sacra Scriptura. » Claruit sub Ruperto Bavaro Romanorum rege, anno Domini* 1400.

Hactenus Sixtus. Ex cujus testimonio hæc expungere veritatis studium coegit. Primo quod vocet Garnerum Parisiensem, cum tamen in prima editione nihil adverterit quod id affirmet, vel conjectandi fiduciam præbeat vel ansam, nisi forsan quod appelletur, subprior S. Victoris Parisiensis. At quam frigida sit hæc conjectura, ex hoc uno, ut cætera perstringam, elicitur, quod D. Bernardus sit patria Claræ-vallensis, quia cœnobium Claræ-vallense administrarit.

Titulum *Enuclamenta Bibliæ*, deposui, reposito eo quem Garneri autographum præferebat.

Claruisse anno 1400 divinans scripsit non affirmans, nempe quod cerneret volumen evulgatum anno 1518, et quidem aliena vigilantia. Calculus autem meus ducentis et aliquot excedit annis. Nam in continuo canonicorum nostrorum laterculo incipiente ab anno 1300 deductoque ad nostra tempora nullus hujus nominis et honoris occurrit. Baleus in centuria tertia *Scriptorum Angliæ* recenset Nigellum Wierekerium monachum et præcentorem Cantuariensis Ecclesiæ illustrem anno Christi 1200 delibasse ex Garneri viridario lib. I Florum his incipientem verbis : *Sublimitas supernarum potestatum.* Quod quidem reperies lib. I, cap. 3, in Gregoriano Garneri nostri.

Absalon noster canonicus (nam Arnoldus Wion sui *Ligni vitæ*, pag, 883, Benedictinis inique commiscuit, ut alias fusius, si Dominus voluerit, effundemus), tandemque abbas canonicorum Sprenckeirs bacensium in diœcesi Treverensi, Wierekerii coætaneus, edidit Breviarium ejusdem Garneri serie alphabetica quod exstat ms. in nostra Bibliotheca. Cum igitur quadringentos post annos duo illi scriptores reliquerint posteritati epitomen Garneri, liquet eum sub undecimi sæculi auroram protulisse in solem hancce vigiliam suam.

F. JOANNIS PICARDI PRÆFATIO.

Nescio an sanctorum Patrum quempiam tot scriptores transtulerint, breviarint et deflorarint, quot D. Gregorium papam. Translatorum autem princeps fuit Anastasius, patriarcha Antiochenus, qui Gregorio adhuc spirante, ejus *Pastorale* Græcis auribus dedit. Quam ob causam lib. x. Registri, epist. 22, modeste conquerens ita scribit ad Joannem Ravennæ hypodiaconum : *Quia dilectissimæ memoriæ Anatholius diaconus quærenti ac jubenti Romano imperatori librum* Regulæ Pastoralis *dedit, ægre suscepi. Quem sanctissimus frater et coepiscopus meus Anastasius Antiochenus in Græcam linguam transtulit. Et sicut mihi scriptum est, ei valde placuit; sed mihi valde displicuit, ut qui meliora habent, in minimis occupentur.*

Annum redemptionis humanæ circiter octingentesimum septuagesimum Ælfredus Westsaxonum rex tum probus, tum eruditus *idem Pastorale* in Anglicam vertit linguam; aliquando (ut ipsemet testatur in proloquio, quod videbis in calce Vitæ ejusdem ab Assero Syreburnensi episcopo scriptæ) *verbum de verbo exprimens, interdum autem sensum ex sensu, sicuti egomet didiceram a Peigmundo archiepiscopo meo et Assero antistite meo; nec non a Grimbaldo et Joanne mihi a sacris. A quibus posteaq. am librum ita didicissem, ut penitus perciperem quemad-*

Digitized by Google

modum ad ejus intelligentiam pervenire possem, in Anglicum sermonem eum converti, et ad unamquamque episcopii sedem in regno meo unum misi, superque singulos libros aureum stylum qui est quinquaginta mancussarum. Et ego præcipio in nomine Dei, ne quis de libris hunc stylum tollat, neque librum de templo, cum sit incertum, quandiu futuri sint tales eruditi præsules quales nunc (honos Deo) ubique sunt. Magnificum equidem vereque regium Ælfredi opus, munus et decretum. Beatam tunc Angliam prædicare licebat, cujus rex philosopharetur. Ejus autem versionis ante quingentos prope annos meminit Guillelmus Sommerset, monachus et bibliothecarius cœnobii Malmesburiensis, l. IV *De gestis regum Anglorum*, cap. 4, sub finem.

Annos abhinc trecentos plus minusve eumdem Gallice loquentem Gallia nostra cœpit audire. Bibliotheca nostra ejus versionis exemplar ms. servat. sed interpretis desideratur nomen.

Veniamus ad *Dialogos* totidem linguis dissonos. Etenim Zacharias papa centum et quadraginta post Gregorii obitum annis, dedit Græcis legendos, ut auctores sunt Joan. Diaconus l. IV. Vitæ ejusdem, cap. 75; Odo Cluniacensis florens anno Christi 920, in sermone de S. Benedicto; Sigibertus Chronici sui anno 742.

Anglicos fuisse factos a Verefrico præsule Wigornensi, rege Ælfredo imperante prodiderunt Asserus Syreburnensis, ejusdem Ælfredi sacerdos, Florentius Wigorniensis et Ingulpsius abbas Croylandensis in Chron. Guillel. Sommerset supra. Rogerus Hovedenus priori parte *Annal. Anglicorum;* Matthæus Parkerus in *Antiquitat. Ecclesiæ Britannicæ*. Solus Baleus nostri ævi scriptor defert Ælfredo cent. 2, sui *Catalog. Scripto. Britan.* Gallico sermone donatos fuisse nec non quadraginta ejusdem Gregorii homilias evangelicas, duo codices calamo exarati fide jubent universis nostram bibliothecam lustraturis.

Hæc autem, maximeque de *Dialogis* Gregorianis notasse operæ pretium duximus, quod Garnerus noster ab iis carpserit nonnulla quæ alioqui vacillarent nisi eanam eorum fidem confirmaremus, et commentitia quorumdam conjectorum refelleremus. Sunt enim qui de auctore, alii qui de rebus ab auctore narratis dubitant. Huldrichus Coccius in sua epistola nuncupatoria ejusdem Gregorii, Basileæ evulgati anno 1511, his verbis et ratiunculis dubitans scribit. *De* Dialogis, *in quibus Patrum Italiæ miracula recenset, vix habeo quid pronuntiem, nisi quod Gregorii esse dubitem, adeo genio et serie, et orationis gravitate, et industria distant a reliquis ejus scriptis.* Dubietatem certe, si germen fuerit simplicis ignorantiæ, nemo non tolerabit. Sin vero hæsitationis fucatæ, nemo non damnabit. Huldrichum posteriori laborasse palam est ex indice ab ipsomet composito, in quo signat Gregorium habuisse socium Petrum Diaconum. Ita enim scribit in proloquio suorum *Dialogorum. Ibi itaque cum afflictus valde et din tacitus sederem, dilectissimus filius meus Petrus diaconus adfuit; qui mihi a primævo juventutis flore in amicitiis familiariter obstrictus est, atque ad sacri verbi indagationem socius.* Præterea in eodem indice docet lectorem perplacuisse Gregorio seniorum congressum. At Gregorius lib. I *Dialog.*, c. 10, ita fatetur: *Quidam namque ad me deductus est senex puuper: atque, ut mihi senum collocutio esse semper amabilis solet, studiose hunc unde esset, inquisivi.* Huldrichus igitur si habebat suspectos Gregorii *Dialogos*, cur ex illis hæc selegit et in indicem collegit. Parva sunt, inquies; fateor, et flocci facerem, nisi ex parvis etiam uberrimi fontes errorum scaturiissent aliquando. Verum hisce missis ad graviora descendo. In illa sua epistola nuncupatoria testatur se totum opus D. Gregorii sic legisse, ut doctrinæ illius quamdam synopsin exhibeat lectori. Si igitur legerit, ubi erant ejus oculi, cum in *Dialogis* occurrerunt hæc testimonia ad illum clamitantia *Dialogos* esse alicujus papæ Romani? Cap. 8, l. I, illud reperitur: *Eodem quoque tempore venerandus vir Anastasius (cujus superius memoriam feci) sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui, Deo auctore servio, notarius fuit.* Lib. III, cap. 3: *Agapitus hujus Romanæ Ecclesiæ pontifex, cui, Deo dispensante deservio, ad Justinianum*, etc. Rursus cap. 8: *Constantius Aquinæ civitatis episcopus fuit, qui nuper prædecessoris mei tempore beatæ memoriæ Joannis papæ defunctus est.* Libri IV, cap. 30: *Julianus hujus Romanæ Ecclesiæ, cui Deo auctore deservio, secundus defensor*, etc. Iterum cap. 40: *Pascasius hujus apostolicæ sedis diaconus*, etc. Tandem ex his etiam Tyresiæ apparet quemdam paparum Romanorum *Dialogos* θαυματογράφους composuisse. Gregorium vero esse genuinum auctorem non obscure patet ex l. II, c. 31, eorumdem, ubi dicit Leandrum Ispalitanum episcopum dudum sibi in amicitiis familiariter fuisse junctum. Et cap. 32 ibidem addit: *Eo quoque tempore* (id est Justiniani Augusti temporibus, ut in principio capitis signat) *quo pro explendis responsis Ecclesiæ ad principem transmissus sum.* Iterumque cap. 36: *Dum jussione pontificis mei in Constantinopolitanæ urbis palatio responsis ecclesiasticis deservirem.* Legationem simul et amicitiam habitam Gregor. refricat Leandro, sic proloquens in lib. Job: *Dudum te frater beatissime, in Constantinopolitana urbe cognoscens, cum me illic sedis apostolicæ responsa constringerent, et te illuc injuncta pro causis fidei, regis Wisigothorum Legatio perduxisset*, etc. Eo autem tempore et principe et episcopo, legationem Constantinopoli quemquam obiisse Romanæ Ecclesiæ nomine præter D. Gregorium si quis asseveret, alterum necessario comminiscetur de cerebro suo.

At, ne quis veritatis amantior locupletius desideret testimonium, duabus obsignatis tabellis contendam rursus cum Huldricho. Prior quidem elicitur ex ejusdem verbis ad finem circiter suæ epistolæ: *Homiliæ Evangeliorum quadraginta, quæ Dominicis diebus populo prælèguntur, continent non solum litteræ, verum et optimarum rerum observationes cum seriis piisque adhortationibus*, etc. Cum igitur extra omnem posuit aleam Gregorianas homilias, *Dialogos* simul exemit, et nobis redemit. Libri siquidem IV historias cap. 14, 15, 16, 19, 27, 37, recensitas Gregorius affirmat se in homiliaribus ad populum concionibus retulisse. Primam quidem cap. 14 denarratam, videlicet servuli paralytici repetit homil. 15; secundam Romulæ et Redemptæ cap. 15, homil, 40; tertiam amitæ suæ Tarsillæ c. 16, homil. 38, fusius; quartam Stephani abbatis cap. 19, prolixius homil. 35. Quintam Theophanii comitis cap. 27, amplius homil. 36; Theodori pueri cap. 37, homil. 19 et 38. Est enim eadem prorsus historia: quam cum recitaret homil. 19, adjecit eum quidem ex mortis limine, non morbi doloribus revocatum. Homil. vero 38 dicit ante biennium post dira diuturnaque morbi cruciamenta decessisse. His connectam septimam et octavam: quas etsi Gregorius non dicat percensuisse in homiliis, eadem tamen verba, personæ loca, cæteraque historiæ lumina perspicue demonstrant esse ejusdem scriptoris. Septima igitur est de Chrysaorio, alias *Chrysorio* (tam varie scribitur) cap. 38, repetita homil. 12. Octava et postrema de Cassio Narniensi stricte quidem cap. 56, sed latissime descripta hom. 37.

Altera adversus Huldrichum tabella obsignata petitur ex epistolis quas Gregorio tribuit. Epist. enim 50, l. II, inter cætera Gregorius Maximiano Syracusano mandat: *Fratres mei qui mecum vivunt omnimodo me compellunt aliqua de miraculis Patrum quæ in Italia facta audivimus, sub brevitate scribere. Ad quam rem solatio vestræ charitatis vehementer indigeo, ut ea quæ vobis in memoriam redeunt, quæque cognovisse vos contigit, mihi breviter indicetis. De*

Digitized by Google

domno enim Nonnoso abbate, qui juxta domnum Anastasium de Pentumis fuit, aliqua retulisse te memini, quæ oblivioni mandavi. Et hoc igitur, et si qua sunt talia, tuis peto epistolis imprimi et mihi sub celeritate transmitti.

Hocce suo Gregorius scripto palam dicit se parturire dialogos, quos Huldrichus genitos velut spurios abdicat. Maximianus Syracusanus rescriptis suis de Nonnoso, Anastasio, et cæteris lib. I, c. 7, 8, et lib. III, c. 36, l. IV, cap. 32, insertis latentem Huldrici detegit malitiam, vel crassissimam ignorantiam.

Huic tandem concertationi dent bravium Paterius, D. Gregorii discipulus, et Faustus, D. Benedicti alumnus, Gregorii plane contemporaneus. Ille etenim suadente eodem Gregorio cudit delineatam sacræ Scripturæ expositionem, suorumque scriptorum excerptis quasi centonibus concretam. In qua, ut obiter vidi, *Dialogos* Gregorianos profert, nempe 17, in Matth. 70, in Lucam 33, in Joannem 12, B in I ad Corinth. Faustus autem in Vita S. Mauri.

Apage igitur, Huldriche, calculum reducito, tibique recedenti dubitatores, aut magis cachinnones succedunto. Illi enim miracula in Gregorii *Dialogis* perscripta habent loco gerrarum Sicularum et fabellarum. Si objicias illibatos viri mores, rejiciunt ni*miam* simplicitatem et credulitatem. Bella responsio, quasi vero universam ethices Christianæ institutionem applane non didicisset, ut columbinæ simplicitatis et Arcadicæ stoliditatis eum latuerit discrimen. Mauricio imperatori hanc exprobranti, quid re ponderit Gregor. hic legant adductum ex l. IV, epist. 31 : *In serenissimis jussionibus suis dominorum pietas, dum me de quibusdam redarguere studuit, parcendo, minime pepercit. Nam in eis urbanæ simplicitatis vocabulo, me fatuum appellat : in Scriptura enim sacra cum in bona intelligentia ponitur simplicitas, sæpe prudentiæ, aut rectitudini sociatur. Unde etiam de beato Job scriptum est : « Erat vir* C *simplex et rectus; » et beatus Paulus apostolus admonet, dicens : « Estote simplices in malo, et prudentes in bono. » Et per semetipsam Veritas admonet, dicens : « Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. » Esse valde inutile judicans, si aut simplicitati prudentia, aut prudentiæ simplicitas desit.* Quam igitur fuerit prudens, quamque prudenti simplicitate cumulatus, nemo non videt; saltem quæ a probato fidelique historico exigas, in illo est reperire, scilicet diligentissimum veritatis studium, ingeniumque universo eoque peculiari affectu exutum ; nam quod ad diligentiam fidemque historiæ conducit, nihil diligentius fideliusque narrari potest quam quod in nostra provincia, nostro ævo, vel nobis aliisve cernentibus evenerit. Isthæc autem minutula quantum fulciant Dialogica Gregorii scripta, imprimis liber secundus fidem facit nihil aliud complectens, quam quæ quatuor Benedicti discipuli retulerunt. In reliquis tribus, tantum legis D vel Romæ, vel in cœnobio Gregorii patrata, aut si quæ paucula externa commiscentur, exposuerunt oculati testes pluris quam auriti non tantum decem, ut placet comico, sed mille. Qua fide et sedulitate, quid certius, quid accuratius et conditius exiget lector nauseantissimus? Ut igitur imposterum æquiori pensct lance cuncta istis *Dialogis* inserta, caveat laqueum ab auctore indicatum l. II in Job hæcque verba enarrante : *Nunquid faciem ejus accipitis et pro Deo,* etc. *Stulti,* inquit, *cum prudentium facta conspiciunt, hæc eis omnia reprehensibilia esse videntur, suæque imperitiæ atque infirmitatis obliti, tanto attentius de alienis judicant, quanto sua profundius ignorant.* Equidem perbelle Gregorius. Ut enim scelerati nihil nisi non reprehensione tantum, sed et publica dignum animadversione vel meditantur vel perpetrant, sic nihil a viris sanctis gestum queunt legere tam integrum, tam solidum tamque intemeratum, cui non infigant genuinum : quantoque impia eorum vita dissidet, tanto et judicium. Quapropter, cum sola mirentur et sapiant terrestria, fit ut quidquid divinam illustret potentiam, cœlumque suspiciat, superbo despiciant animo. Utinam ad nos pervenissent Alfrici (qui et Aluricius dictus est) Cantuariensis archiepiscopi quatuor libri in totidem Gregor. *Dialogos* circa octavum et nongentesimum reparationis humanæ annum perscripti. Hinc abunde hauriremus quæ ad exhauriendas Gregorio mastygum iberas nænias large essent. Hic tamen abstinendum, ne in præfatione non præfari, sed plane fari coarguamur. Istiusmodi enim eaque sancta et gravis controversia velitatione tam levi nequaquam disceptatur, asperiori validiorique digna certamine. Dabit forte aliquando Deus Opt. Max. quod hic præmeditare et prospicere contigit in serio procinctu viriliter præstare. Quamobrem a molestissimo benigni lectoris præcavens tædio, unum atque alterum jungam, umbilicum appositurus. Majoribus nostris tanto fuere in pretio hi *Dialogi*, ut singularia sitiendæ parandæque sanctimoniæ incitamenta hinc sumerent, et solidissima sustentandæ fidei fulcra D. Uldaricus Augustæ in Germania præsul, vitæ innocentia, litteris, et genere pernobilis, sic esuriebat plusquam ambrosianam vel nectaream horum voluminum pertractationem, ut plerumque convivis suis (inquit Berno Augiensis cap. 21 Vitæ ejusdem) manducantibus et bibentibus jejunus maneret. Erat enim ei cibus aut dulcis Psalmorum suavitas, aut sacrarum lectionum assiduitas : inter quas maxime delectabatur audire ex IV lib. S. Gregorii, qualiter multi e corporibus exempti, in spiritu rapiebantur. Non repeto ex iisdem libris petita ab Haymone Halberstatensi (qui claruit anno 830) et citata l. III *De varietate librorum*, cap. 9 et 10. Concilium Maguntiaci habitum (non quidem sub Carolo Magno, Christi anno 813, vel Arnulpho imperatore, anno 888) *Dialogorum* Gregorianorum salubri doctum lectione, præmonuit cap. 5, de fœditate gravitateque incesti cum lustrica filia perpetrati, in hanc sententiam. *Quam detestabile et exsecrabile scelus sit unicuique Christiano filiolam suam stuprare, testatur sanctus Gregorius papa in* Dialogis *suis, ubi refert quemdam hominem polluisse filiolam suam. Et quia neglexit pœnitentiam agere, subito miserabili morbo correptus exspiravit; et sepultum, non solum corpus sed etiam omne sepulcrum ignis invisibilis consumpsit.* Historiam vero summatim relatam Gregorius integram denarrat lib. IV *Dialog.*, cap. 32. Porro in vetusto Pœnitentiali, prætitulato, *Corrector et medicus*, offendi superius concilii Maguntiacensis testimonium, cum altero, cujus hoc erat summarium : *Quod pœnitentia possit abolere peccata, etiamsi in ultimo vitæ spiritu pœniteat.* Igitur vel hi duo canones desiderantur in supradictis Maguntiacensibus conciliis, aut certe illud a me productum necessario diversum est, quin potius intermedium. Accessit Triburiensis concilii anno 895 habiti canon 17, ni rudem calamum pervertisset polita cardinalis Baronii manus, qui in notis ad X Kal. Jan. Martyrologii Romani tot graves canosque producit auctores, ut Melchioris. Cani Gregoriomastygis non canum, sed plane puerile dictum judiciumque esse constet. Ad impugnandos Catholicæ religionis adversarios capitales, hinc velut ex instructissimo armamentario tela deprompsit Jonas Aurelianensis antistes respondens calumniis Claudii Taurinensis iconomachi, proferensque historiam Judæi, qui, licet infidelis, Christianorum tamen exemplo, adversus horrenda nocturnaque dæmonum spectra sese impenetrabili crucis armavit pectorali, Lanfrancus Cantuariensis, Algerus Cluniacensis, Guitmundus Aversanus, ut oblatrantis Berengarii blasphemas hiantesque fauces præfocarent, confectam Gregorianorum *Dialogorum* verbis offam injecere; ille quidem in lib. *De sacram. altaris*, hic l. III itidem *De sacram. altar.* Tertius Algerus l. I *De sacram.*, cap. 12, et l. II, c. 1, allegant au-

Digitized by Google

ctoritates ex l. IV *Dialog.*, cap. 59. In hanc quidem rem complura non infructuose possent aggeri, ni fructuosa, cum affluunt, plerumque infructuosa fierent, reluctareturque mei propositi ratio. Breviatores igitur Spartana succingamus brevitate.

Odo, Cluniaci protocœnobiarcha, intra unius voluminis angustias conclusit summam XXXV librorum in Job, anno ferme 920, ut Trithem. in catalogo scriptor eccles., et Sixtus Sen. l. IV. *Biblioth. sanctæ* prodiderunt.

Rupertus abbas Tuitiensis decem libris perstrinxit ad annum 1114 eadem Moralia, ut ipsemet testatur in epistola nuncupatoria sui operis *De divinis officiis* inquiens: *Commentariolum in Job librorum decem, abbreviatum ex abundantia sensuum atque dictorum B. Gregorii*, etc. Adalberus, natione Anglus, professione monachus Spaldingensis cœnobii congregationis Cluniacensis (auctore Baleo centuria 2 *Scriptor. Britan.*), officio levita, composuit ex splendidioribus *Moralium* sententiis l. IV, continuata tamen in illis numerorum nota, nuncupavitque *Speculum*, ut ipsemet testis est in epistola liminari ad Hairmannum presbyterum scribens. *Interea* hoc opusculum, ob respirandi gratiam lectoris, in quatuor *decrevi distinguere libros: Et quia ibidem humani generis vita multimoda varietate depingitur, ejus libuit vocabulum appellare* SPECULUM. Floruit hic scriptor sub annum 1160. Exemplar illius operis quiescit in pluteis nostræ bibliothecæ.

Alulfus Tornacensis, monachus Benedictinus, digessit Collectanea in totius Novi Testamenti enucleationem ex scriptis D. Gregor., quæ vidi excusa Lutetiæ anno 1515, in 4. Claruit anno 1200.

Anonymus quispiam haud multo post Alulfum decerpsit triginta quinque libellos ex integris triginta quinque in Job, efflagitante nescio quo venerabili Patre, quem sic præfatur: *Poposcisti, Pater venerabilis et amabilis valde, qui dignitatis gratia et excellentia sanctitatis jubere potius quam poscere debuisti, quatenus aliquas ad ædificationem interioris hominis multifarie fusas auctoritates ex Bibliis a sanctis Patribus productas in lumen, vestræ charitatis instinctu, in unum contrahere meditarer*, etc. Istam autem lucubrationem appellavit *Promptuarium utriusque hominis*, et quidem a simili; nam ut ibidem scribit *quemadmodum in promptuario ea, quæ corpori sunt necessaria, præparata, ita hoc in codice quæcunque necessaria sunt non solum homini exteriori, quantum ad mores, verum etiam homini interiori quantum ad virtutes, mente sollicita præparantur.* Alulfo illum subdidi, quoniam de eo mentionem facit in proloquio, et codicis apud nos scripti canities palam ostendit fuisse Alulfo proximum. Anonymum alterum huic anonymo subnectam. Solet enim non esse ingrata cognominum virorum societas; sed et quia eo delapsa est oratio, ut seriis ludicra permisceam, quod Robertus Montensis continuator Sigiberti scripsit ad annum 1175 exscribam: *Et ut appareat multitudo eorum qui interfuerunt* (loquitur de primo curiæ concessu et splendido convivio ad quod Henricus secundus Angliæ rex accersierat universos optimates ditionis Normannicæ et Britannicæ) *cum Wilhelmus de Sancto Joanne procurator Normanniæ, et Wilhelmus filius Hamonis senescallus Britanniæ comederent in quadam camera, prohibuerunt ne quis miles comederet, qui non vocaretur Willehlmus; et ejectis aliis de camera remanserunt centum et decem milites, qui omnes vocabantur Wilhelmi, exceptis aliis plurimis ejusdem nominis qui comederunt in aula cum rege.* Posterior igitur anonymus noster in triginta quoque libros curtissimos contraxit latissimam Gregorianorum *Moralium* commentationem, cujus hoc excerpsi initium ex nostro codice membraneo. *In sidone figuratur stabilitas in lege positorum, in mari vita gentilium.*

Simon Afflighemensis monachus (quod cœnobii in Afflighemio, solitudine Brabantinæ toparchiæ, finitima Flandriæ cœpisse anno 1083 auctor est Meyer in *Chron. Fland.*) eadem Gregoriana ethica collegit in decem libros trecentesimum abhinc annum. Porro his compendiis lector id tantum expiscatur compendii quod longiusculum opus breviuscule percurrat, et quidem citra fastidium, et quod damnosius opiner, ordinatam certi argumenti pertractationem, ita ut esurientis animæ famem non compescat.

Odoros tandem æternumque virides anthologorum flores odoremur, suavibusque eorum coloribus defectos reficiamus oculos.

Paterius S. R. E. notarius Gregoriique discipulus, de quo Beda (neque enim sum nactus antiquiorem) in præfat. l. VII ad Cantica cant. *Audivi quod Paterius, beati papæ Gregorii discipulus, de tota Scriptura sancta, quæque ille per partes in suis operibus explanavit collecta in unum volumen redegerit.* Si consulamus amplissimos indices locorum sacræ Scripturæ passim explanatorum rejectosque ad calcem Gregorii, non parva superest sylva quæ ad reliquos Veteris Instrumenti libros, scilicet Ecclesiastem, Ecclesiasticum, Sapientiam, Prophetas, Machabæos uberrimam subministret materiam. Præterquam quod in Novo Testamento, secunda et tertia, Joannis Judæque Epistolæ sint intactæ. Quapropter existimarim Bedæ dictum συντεκδοχιχῶς accipiendum.

Hedericus Italus, monachus cœnobii S. Gregorii papæ, circiter annum 840 concinnavit ex scriptis B. Gregor. in Job. *Sententiarum* l. I, ut scribit Arnoldus Wion l. II. *Ligni vitæ*, cap. 68. D. Isidorum Hispalensem episcopum ex *Moralibus* decerpsisse III libros *Sent.* Vasæus in *Chron.* refert.

Taius (sic enim V. C. non *Taio*, vel *Tagio*, ut impressorum quamplurimi), cognomento Samuel, Cæsar augustæ episcopus reliquit posteris *Sententiarum* l. V ex D. Gregorii monimentis, pauculis D. Augustini admistis, selectarum quos obtulit. Quirico præsuli Toletano eorumdem exactori, ut constat ex hac prima dedicatoriæ epistolæ periodo: *Memor vestræ benignissimæ petitionis, nostræque devotissimæ promissionis, hujus textum libelli compertis sententiarum titulis prænotatum, vestræ sanctitati malui dirigendum.* Quando autem id operis cuderit, extra rem non esse fore autumavi, si aperirem ejusdem verbis, cum et volumen insignis notæ, perpaucorum forulos obsideat: *Taius igitur*, ait Quirico in epist. antecedente: *Optime novit beatitudo vestra tempus illud, quo tortuosus anguis ore pestifero, in quorumdam mentibus virulenta seminum suorum sparserat zizania: fraudulentaque deceptione, a tramite recti itineris gressum semoverat mentium perditarum. In quo quidam homo pestifer atque insani capitis froia tyrannidem sumens, adsumptis sceleris sui perversis fautoribus adversus orthodoxum, magnumque Dei cultorem Reccesuinthum principem, fraudulentia prætendens molimina, superbo adnisu Christianam debellaturus aggreditur patriam. Hujus itaque sceleris causa gens effera Wasconum Pyrenæis montibus promota, diversis vastationibus Iberiæ patriam populando grassatur. Heu, proh dolor! Dicendi studium calamitatis intercipit magnitudo. Sed tandem veniendum est ad id quod formidat oratio. Innoxius quippe sanguis effunditur: alii ungulis, nonnulli missilibus, plerique diversis jaculis sauciantur, innumerabilis multitudo captivorum abducitur, immensa spolia subtrahuntur: templis Dei infaustum bellum infertur, sacra altaria destruuntur, plerique ex clericatus officio ensibus obtruncantur, atque inhumata canibus avibusque exponuntur multorum cadavera occisorum*, etc. Sub hanc igitur funestam cladem, Taius extenuandi mœroris gratia congessit *Sententiarum* libros quinque, ut paulo post indicat, et quidem circiter annum 652. Hic est Taius, qui ultimo Chindasuindi Hispaniæ regis anno, et Christi 649, Romam profectus est ad perquirendos *Mo-*

Digitized by Google

ralium Gregorianorum libros, et divinitus tandem repertos retulit in Hispaniam ut constat tum ex narratione mirabili præfixa Operibus D. Gregorii, tum ex fine concil. Tolet. VII, in qua narratione cum signanter dicatur Taium fuisse æque Augustini ac Gregorii studiosum, haud abs re suas collectas dictis utriusque composuit, quarum hoc legi principium : *Solus Deus in semetipso incommutabilis est*, etc.

Beda Venerabilis (qui excessit anno 732 post Cantica cant. sex libris proprioque illustrata lumine, septimum et octavum juxta Trithem. computationem (nam codices impressi unicum habent) sententiosis Gregorii dictis compegit. Joannes Stucanpton, Bedæ popularis, Vintoniensis, reliquit posteris sententias ex Gregorianis Ethicis promptas, serie digestas litteraria, numeris unoque libro contextas; quarum hoc principium ponit centuriator Anglus *Abstinentia. Solus in illicitis*, Typographis Frobenianis Gregorium excudentibus anno 1551 sex libros *moralibus* Gregorii sermonibus conflatos obtulit bibliotheca S. Leonardi, quia ipsissima erant Gregorii verba, Huldricus Coccius affirmat se non temere omisisse. Scilicet ea de causa fuerant omittendi. Horti quoque pensiles, *silvæ*, *viridaria*, fruteta, roseta, saliceta, cæteræque *locorum* amœnitates suo carerent pretio, quod constent iisdem plane rebus, sed aliunde asportatis. Doctis quoque nec satis laudatis veteribus florilegis, vel minimam nepotes gratiam mente persolverent. quod verbatim collectas selectasque eruditorum sententias in varias distribuerint classes, nobisque reliquerint : sane adeo potens est ordinis genius, ut rebus, etiam inconcinnis ornatam pariat concinnitatem.

Inter anthologos postremas tenet Hubertus Sculteputæus canonicus regularis Ecclesiæ Bethlehem dictæ ad muros Lovanienses; qui ex universis Gregorii viridariis selegit, plexuit, serieque distinxit litteraria suaveolentem sententiarum fasciculum, dum intra Lovanium receptus, ad vitandam hæreticorum furentium et ubique Belgii grassantium rabiem, cogeretur supersedere ab opere, quod inchoarat, de Divinæ et humanæ naturæ vera cognitione. Illi autem flores prodierunt una cum ipso Gregorio excuso Lutetiæ sumptibus Nivellii.

Universis autem breviatoribus et anthologis quam longe Garnerus noster antecellat, vel hinc potissime liquet quod magnorum operum epitomata hoc sint ingenio saporeque condita, ut quod tuo sapiat palato, desipiat meo, vixque compendium proferatur alicujus dispendii liberum.

Super hæc, manifestavimus, Gregorii contractores, unicum ejus attigere opus, Garnerus, omnia. Verum demus eos cuncta pervolasse : sunt tamen ingratiora eorum spicilegia, quod aptis et commodatis locis minime reposuerint, sed absque ullo ordine (quem memoriæ situs et scientiarum solem merito vocaveris) lapidum instar, vel glebarum coacervarint : et certe licet composite curarint, nemo tamen ibit inficias Garnerum etiam palmarium illis præripuisse, quod studium stylumque collimarit ad litterarum divinarum splendidiorem quamdam lucem facilioremque intelligentiam capescendam. Quæ quidem divinæ litteræ quo sunt obscuriores, eo præclarior labor ad discutiendam earum caliginem insumptus. Garnerus igitur tam venuste sua disposuit, ut jurares alteram lectoribus addi mentem. Omnium enim propemodum rerum in Bibliis comprehensarum mystica enodaturus significata, commodissimum duxit initium ab earumdem conditore Deo optimo maximo; cui et suos cœlestes subjungit spiritus, hisque proxime cœlestem machinam, et singulas orbium mobilium lampades, moxque passiones aeris multiplices et infinito mutabiliores fabulosis Prothee, Prometheo, Vertumno, vel Empusa; quas quidem, nec non et cætera, quia præpositus capitum index lecturientibus exhibet, sileo.

Dum aliquando mutuos sererem sermones cum quopiam insigni theologo de hujus operis evulgatione, summariumque exposuissem, respondit Joannem Benedictum, Parisiensem, theologum præstantissimum, id laboriosius et latius antevertisse; ut qui non rerum tantum et nominum, sed et verborum perplexa notasset in concordantiis Biblicis. Ad quem ego : Ingenue fateor Joannis Benedicti vigilias esse summe perfectas ingenio, multaque elaboratas industria, verum non omnes his posse celerius juvari cum alius alio hebetioris sit ingenii tardiorisque judicii, ita ut tardius laboriosiusque excogitet, et excogitata morosius expromat. Imo frequenter contingit ut recte quis sentiat, sed quæ sentit, polite, expedite et copiose nequeat eloqui. Nihil moror : possit quispiam permulta, eaque præclara, celeri fingere cogitatione, verumtamen nemo, nisi effrons, dixerit hæcce tanti facienda, quanti cœlestia D. Gregorii, quin magis Spiritus sancti effata ore Gregorii reddita. Nam Petrus, ejus diaconus et interlocutor dialogicus apud Joan. Diaconum l. IV Vitæ ejusdem, cap. 69, testatum reliquit se frequenter Spiritum sanctum vidisse super caput D. Gregorii disserentis. Hinc est, ait idem Joan. eodem cap., quod consuetudinaliter Spiritus sanctus in specie columbæ super Gregorii scribentis caput depingitur. Tandem ut verbulo respondeam meo theologo : non diffiteor omnes posse legere mysticas acceptiones, non tamen posse reddere tam expedite, luculenter et copiose, quam hic noster Garnerus ex ore Gregorii. Equidem in propatulo est concionatores si in unius dictionis mysteriis enudandis aliquantulum moræ facere velint, habituros cumulate, quod eloquantur pro una concione ad frugiferam auditorum eruditionem.

Anthologis tandem etsi locum cedamus aliquem, haud tamen Garnero superiorem. Licet enim quibusdam, tempore, saltem operositate et industria non vincitur, cum ex eo possint uberiores fructus colligi, et ordinatior disciplina perdisci.

Digitized by Google

R. P. GARNERI

CANONICI REGULARIS S. VICTORIS PARISIENSIS

GREGORIANI

LIBER PRIMUS.

1 CAPUT PRIMUM.

DE DEO.

(4*) Deus aliquando in sacra Scriptura nuncupative, aliquando vero essentialiter dicitur. Nuncupative enim dicitur, sicut scriptum est : *Ecce constitui te deum Pharaonis* (*Exod.* VII, 1). Et sicut Moyses ait : *Si quis hoc, vel illud fecerit, applica illum ad deos* (*Exod.* XXII, 8); videlicet ad sacerdotes. Qui rursum dicit : *Diis non detrahes* (*ibid.* 28), id est sacerdotibus. Et sicut Psalmista ait : *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat* (*Psal.* LXXXI, 1). Essentialiter autem Deus dicitur, sicut ad Moysen dicitur : *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob* (*Exod.* III, 6). Unde Paulus apostolus, volens nuncupativum Dei nomen ab essentiali discernere, de Redemptore nostro locutus est, dicens : *Quorum patres sunt et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* IX, 5). Qui enim nuncupative dicitur, Deus inter omnia; qui vero essentialiter, Deus super omnia est; quia et electus quisque vel in exemplo justitiæ prærogando positus dici deus potest, sed inter omnia, quoniam nuncupative Deus ; Christus autem Deus est super omnia, quia naturaliter Deus.

2 CAPUT II.

DE ANGELIS.

(5) Novem esse angelorum ordines testante sacro eloquio didicimus, angelos videlicet, archangelos, virtutes, potestates, principatus, dominationes, thronos, cherubim atque seraphim. Esse namque angelos et archangelos, pene omnes sacri eloquii paginæ testantur. Cherubim vero atque seraphim sæpe, ut notum est, libri prophetarum loquuntur. Quatuor quoque ordinum nomina Paulus apostolus ad Ephesios enumerat, dicens : *Super omnem principatum, et potestatem, et virtutem et dominationem* (*Ephes.* I, 21). Qui rursus ad Colossenses scribens, ait : *Sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates* (*Coloss.* I, 16). Dominationes vero, principatus ac potestates, jam ad Ephesios loquens descripserat; sed ea quoque Colossensibus dicturus, præmisit thronos de quibus necdum fuerat Ephesiis locutus. Dum ergo illis quatuor, quæ ad Ephesios dixit, id est principatibus, potestatibus, virtutibus atque dominationibus conjunguntur throni, quinque sunt ordines qui specialiter exprimuntur. Quibus dum angeli et archangeli, cherubim atque seraphim adjuncta sunt, procul dubio novem esse angelorum ordines inveniuntur. Unde et ipsi angelo, qui primus est conditus, per prophetam dicitur : *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti* (*Ezech.* XXVIII, 12). Ubi notandum quod non ad similitudinem Dei factus, sed signaculum similitudinis dicitur, ut quo in eo subtilior est natura, eo in illo imago Dei similius insinuetur expressa. Quo in loco mox subditur. *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardius, topazius et jaspis, chrysolithus, onyx et berillus, sapphyrus, carbunculus, et smaragdus* (*ibid.* 13). Ecce novem dixit nomina lapidum, quæ profecto novem sunt ordines angelorum. Quibus nimirum ordinibus ille primus angelus ideo ornatus et opertus exstitit, quod, dum cunctis agminibus angelorum prælatus est ex eorum comparatione clarior fuit. Sciendum 3 autem quod angelorum vocabulum nomen est officii non naturæ. Græca etenim lingua angeli *nuntii;* archangeli vero, *summi nuntii* vocantur. Nam sancti illi cœlestis patriæ spiritus semper quidem sunt spiritus; sed semper vocari angeli nequaquam possunt. Quia tunc solum sunt angeli, cum per eos aliqua nuntiantur. Unde etiam per Psalmistam dicitur : *Qui facit angelos suos spiritus* (*Psal.* CIII, 4). Ac si patenter dicat : Qui eos, quos semper habet spiritus, etiam cum voluerit, angelos facit. Ii autem qui minima nuntiant angeli; qui vero summa annuntiant, archangeli vocantur. Hinc est enim quod ad Mariam virginem non quilibet angelus; sed Gabriel archangelus mittitur (*Luc.* I, 26). Ad hoc quippe ministerium summum angelum ve-

(4*) Ex hom. 8 in Ezech. I.

(5) Hom. 34 in Evang.

Digitized by Google

nire dignum fuerat, quod summum omnium nuntiabat.

Qui idcirco etiam privatis nominibus censentur, ut signetur per vocabula etiam in operatione quid valeant. Neque enim in illa sancta civitate quam de visione omnipotentis Dei plena scientia perficit, idcirco propria nomina sortiuntur, ne eorum personæ sine nominibus sciri non possint; sed, cum ad nos aliquid ministraturi veniunt, apud nos etiam nomen a ministeriis trahunt. Michael namque, *quis ut Deus?* Gabriel autem *fortitudo Dei*, Raphael vero dicitur *medicina Dei*.

Et quoties miræ virtutis aliquid agitur, Michael mitti perhibetur, ut ex ipso actu et nomine detur intelligi quod nullus potest facere quod facere prævalet Deus. Unde et ille antiquus hostis qui esse Deo per superbiam similis concupivit, dicens : *In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum : sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis; ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo* (*Isa.* XIV, 13). Dum in fine mundi in sua virtute relinquitur, extremo supplicio perimendus cum Michaele archangelo prælaturus esse perhibetur, sicut per Joannem dicitur : *Factum est prælium cum Michaele archangelo* (*Apoc.* XII, 7), ut qui se ad Dei similitudinem superbus extulerat, per Michaelem peremptus discat quia ad Dei similitudinem per superbiam nullus exsurgat. Ad Mariam quoque Gabriel mittitur, qui *Dei fortitudo* nominatur. Illum quippe nuntiare veniebat, qui ad debellandas aerias potestates humilis apparere dignatus est. De quo per Psalmistam dicitur : *Tollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio* (*Psal.* XXIII, 7, 8). Et rursum : *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ* (*ibid.* 10). Per Dei ergo fortitudinem nuntiandus erat qui virtutum Dominus et potens in prælio ad debellandas potestates veniebat. Raphael quoque interpretatur, ut diximus, *medicina Dei*, qui videlicet dum Tobiæ oculos quasi per officium curationis tetigit, cæcitatis ejus tenebras tersit (*Tob.* XII, 13).

Qui ergo ad curandum mittitur, dignus videlicet fuit ut Dei medicina vocaretur. Virtutes vero vocantur illi nimirum spiritus, per quos signa et miracula frequentius fiunt. Potestates etiam vocantur hi qui hoc cæteris potentius in suo ordine perceperunt, ut eorum ditioni virtutes adversæ subjectæ sint, quorum potestate refrenantur, ne corda hominum tantum tentare prævaleant, quantum volunt. Principatus etiam vocantur, qui ipsis quoque bonis angelorum spiritibus præsunt, qui subjectis aliis, dum quæque sunt agenda disponunt, eis ad explenda divina ministeria principantur. Dominationes autem vocantur, qui etiam potestates principatuum dissimilitudine alta transcendunt. Nam principari est inter reliquos priorem existere; dominari vero est etiam subjectos quosque possidere.

Ea ergo angelorum agmina quæ mira potentia præeminent, pro eo quod eis cætera ad obediendum subjecta sunt, dominationes vocantur. Throni quoque illa agmina sunt vocata quibus ad exercendum judicium semper Deus omnipotens præsidet; quia enim thronos Latino eloquio *sedes* dicimus, throni Dei dicti sunt ii qui tanta divinitatis gratia replentur, ut in eis Dominus sedeat, et per eos sua judicia discernat. Unde et per Psalmistam dicitur : *Sedes super thronum; qui judicas æquitatem* (*Psal.* IX, 7, 5). Cherubim quoque *plenitudo scientiæ* dicitur. Et sublimiora illa agmina idcirco cherubim vocata sunt, quod tanto perfectiori plena sunt scientia, quanto claritatem Dei vicinius contemplantur, ut secundum creaturæ modum eo plene omnia sciant, quo visioni Conditoris sui per meritum dignitatis appropinquant. Seraphim etiam vocantur illa sanctorum spirituum agmina, quæ ex singulari propinquitate Conditoris sui incomparabili ardent amore. Seraphim namque *ardentes* vel *incendentes* vocantur quæ, quod ita Deo conjuncta sunt, ut inter hæc et Deum nulli alii spiritus intersint, tanto magis ardent quanto hæc vicinius vident. Quorum profecto flamma amor est, quod quo subtilius claritatem divinitatis ejus aspiciunt, eo validius in ejus amore flammescunt. Quia autem superna illa civitas ex angelis et hominibus constat; quam tantum credimus humanum genus ascendere, quantos illic contigit electos angelos remansisse, sicut scriptum est : *Statuit terminos gentium secundum numerum angelorum Dei* (6) (*Deut.* XXVI, 8, juxta LXX), quod, inquam, tanta illuc ascensura creditur multitudo hominum, quanta multitudo remansit angelorum; superest ut ipsi quoque homines qui ad cœlestem patriam redeunt, ex eis agminibus aliquid illuc revertentes imitentur.

Distinctæ namque conversationes hominum singulorum agminum ordinibus congruunt, et in eorum sortem per conversationis similitudinem deputantur. Nam sunt plerique, qui parva capiunt, sed tamen hæc eadem parva pie annuntiare fratribus non desistunt. Isti itaque in angelorum numerum currunt. Et sunt nonnulli qui divinæ largitatis munere refecti secretorum cœlestium summa, et capere prævalent et nuntiare. Quo ergo isti nisi inter archangelorum numerum deputantur? Et sunt alii qui mira faciunt, signa valenter operantur. Quo igitur isti nisi ad supernarum virtutum sortem et numerum currunt? Et sunt nonnulli qui etiam de obsessis corporibus malignos spiritus fugant, eosque virtute orationis vi acceptæ potestatis ejiciunt. Quo itaque isti meritum suum, nisi inter potestatum cœlestium numerum, sortiuntur? Et sunt nonnulli qui acceptis virtutibus et electorum hominum merita transcendunt; cumque et bonis meliores sunt, electis quoque fratribus principantur. Quo ergo

(6) Ibi Plantiniana editio habet constituit, pro statuit, etsi Græcum verbum refragari videatur.

Digitized by Google

isti sortem suam, nisi inter principatuum numerum, acceperunt? Et sunt nonnulli, qui sic in semetipsis cunctis vitiis, omnibus desideriis dominantur, ut ipso jure munditiæ inter homines vocentur. Unde et ad Moysen **6** dicitur : *Ecce constitui te deum Pharaonis* (*Exod.* VII, 1). Quo ergo isti nisi inter numeros dominationum currunt? Et sunt nonnulli, qui, dum sibimetipsis vigilanti cura dominantur, dum se sollicita intentione discutiunt, divino timori semper inhærentes, hæc in munere virtutis accipiunt, ut judicare et alios possint. Quorum profecto mentibus, dum divina contemplatio semper præsto est, in iis velut in throno Dominus præsidens, aliorum facta examinat, et cuncta mirabiliter de sua sede dispensat. Quid ergo isti nisi throni sui Conditoris sunt? ut quid nisi ad supernarum sedium numeros ascribuntur? Per quos dum sancta Ecclesia regitur, plerumque de quibusdam suis infirmis actibus etiam electi judicantur. Et sunt nonnulli, qui tanta Dei ac proximi dilectione pleni sunt, ut cherubim jure nominentur. Quia enim, ut præfati sumus, cherubim *plenitudo scientiæ* dicitur, et Paulo dicente : *Didicimus quia plenitudo legis est charitas* (*Rom.* XIII, 10), omnes qui Dei et proximi charitate cæteris amplius pleni sunt, meritorum suorum sortem inter cherubim numeros perceperunt. Et sunt nonnulli, qui supernæ contemplationis facibus accensi, in solo Conditoris sui desiderio anhelant, nil jam in hoc mundo cupiunt, solo æternitatis amore pascuntur, terrena quæque abjiciunt, cuncta temporalia mente transcendunt, amant et ardent, atque in ipso suo ardore requiescunt. Amando ardent, loquendo et alios accendunt, et quos verbo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciunt. Quid ergo istos nisi seraphim dixerim, quorum cor in ignem conversum lucet et urit, quia et mentium oculos ad superna illuminant, et compungendo in fletibus vitiorum rubiginem purgant? Qui ergo ita ad amorem Conditoris sui inflammati sunt, nonnisi inter seraphim numerum sortem suæ vocationis acceperunt.

7 *Sciendum præterea est quod in Scriptura sacra angelorum vocabulo aliquando ipse Dominus Jesus Christus designatur, aliquando præcursor ipsius Joannes, aliquando prædicatores sancti, aliquando sanctæ Ecclesiæ prælati, aliquando Ecclesiæ sacerdotes.*

(7) Per angelum quippe intelligitur Christus sicut in libro beati Job, cum de afflictione generis humani loqueretur Eliu, intulit dicens : *Si fuerit pro eo angelus loquens unum de similibus, ut annuntiet hominis æquitatem, miserebitur ejus* (*Job* XXXIII, 23). Quis enim iste est angelus, nisi ille qui per prophetam dicitur magni consilii Angelus? (*Isa.* IX, 5, juxta LXX.) Quia enim Græca lingua evangelizare dicitur *denuntiare*, semetipsum annuntians Dominus Angelus vocatur. Et bene ait : *Si fuerit pro eo angelus loquens*, quia sicut ait Apostolus : *Et interpellat pro nobis* (*Rom.* VIII, 26). Sed quid pro nobis loquatur, audiamus *unum de similibus*. Mos medicinæ est, ut aliquando similibus, aliquando contraria contrariis curet. Nam sæpe calida calidis, frigida frigidis; sæpe autem calida frigidis, frigida calidis curare consuevit. Veniens ergo ad nos desuper medicus noster, tantisque nos inveniens laboribus pressos, quiddam nobis simile, et quiddam contrarium apposuit. Ad homines quippe homo venit, sed ad peccatores justus : Concordavit nobis veritate naturæ, sed discordavit a nobis vigore justitiæ. Vitiosus enim homo corrigi non poterat, nisi per Deum. Videri autem debuit qui corrigebat, ut præbendo imitationis formam ante actæ malitiæ mutaret vitam, sed videri ab homine non poterat Deus. Homo ergo factus est, ut videri potuisset. Justus igitur atque invisibilis Dominus apparuit similis nobis homo visibilis, ut dum videretur ex simili curaret ex justo; et dum veritate generis concordaret conditioni, virtute artis **8** obviaret ægritudini.

Quia ergo in carne veniens Dominus non culpam nostram ex vitio, non pœnam ex necessitate suscepit; nulla enim labe peccati pollutus, reatus nostri teneri conditione non potuit : atque ideo mortem nostram omni necessitate calcata, cum voluit, sponte suscepit, recte dicitur quod pro tanto homine, iste Angelus *unum de similibus* loquitur, quia nec ita natus, ut reliqui, nec ita mortuus, nec ita suscitatus. Non enim est operante coitu, sed superveniente Spiritu sancto conceptus. Natus autem materna viscera et fecunda exhibuit, et incorrupta servavit. Rursum nos omnes, cum nolumus, morimur, quia ad solvendum pœnæ debitum culpæ nostræ conditione coarctamur. Ille autem, quia nulli admistus est culpæ, nulli ex necessitate succubuit pœnæ, quia culpam nostram dominando subdidit, pœnam nostram miserando suscepit, sicut ipse ait : *Potestatem habeo ponendi animam meam : et potestatem habeo iterum sumendi eam* (*Joan.* X, 18). Qui etiam præmisit : *Nemo tollet eam a me, sed ego pono eam a meipso* (*ibid.*). Rursum non ut reliqui suscitatus est, quia nostra resurrectio in sæculi finem dilata est; illius vero die tertio celebrata. Et nos quidem per illum resurgemus; nam ipse per se. Neque enim qui Deus erat sicut nos ab alio, ut resuscitari potuisset, indigebat. In eo ergo ejus resurrectio distat a nostra, quod non per nosmetipsos resurgimus sicut ipse. Pro eo enim quod simpliciter homines sumus, superiori adjutorio, ut resurgere valeamus indigemus. Ille autem ejusdem resuscitationis vim cum Patre et sancto Spiritu Deus exhibuit : quam tamen solus in humanitate suscepit. Quia igitur Dominus vere natus, vere mortuus, vere resuscitatus, in omnibus tamen distat a nobis magnitudine potentiæ, sed sola concordat nobis veritate naturæ : unde bene dicitur quod pro nobis iste Angelus *unum de similibus* lo-

(7) Ex lib. XXIV in Job, c. II.

Digitized by Google

quitur. Cum enim in cunctis operationibus suis immensa nos virtute transcendat, in uno tamen a nobis, id est in formæ veritate non discrepet, per hoc pro nobis Patri loquitur : per quod semetipsum nobis similem ostendit. Loqui quippe ejus, vel interpellare, est seipsum pro hominibus hominem demonstrare.

9 (8) Per angelum quoque spiritualiter Joannes præcursor et baptista Domini designatur, sicut ipse Dominus in Evangelio de ipso Joanne turbis loquens testatur dicens : *Quid existis videre in deserto ? Prophetam ? Etiam dico vobis plusquam prophetam. Hic est enim de quo scriptum est : Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam qui præparabit viam tuam ante te* (*Matth.* XI; 7; *Luc.* VII, 25; *Malach.* III, 1). Quod enim Græce angelus, hic Latine *nuntius* dicitur. Recte ergo qui nuntiare supernum judicem venerat, angelus vocatur, ut dignitatem servet in nomine, quam explet in operatione.

(9) Rursum angelorum nomine sancti prædicatores exprimuntur, sicut in libro beati Job cum Dominus de antiqui hostis damnatione loqueretur, addidit dicens : *Cum sublatus fuerit, timebunt angeli, et territi purgabuntur* (*Job* XLI, 16). Quid enim hic per angelos, nisi in extremo tempore supernæ patriæ nuntios accipere debemus? Qui, cum sublatus fuerit diabolus, timebunt, quia, adveniente districto Judice, tanto hinc pondere terroris excutitur, ut sanctorum et prædicatorum fortitudo turbetur. Cum enim sublatus fuerit, timebunt angeli, quia cum judicii turbine rapitur, ii, qui in corporibus reperiri potuerint, immenso terrore concussi etiam supernæ patriæ nuntii contremiscunt. Quamvis enim jam fortes atque perfecti sint, adhuc tamen quia in carne sunt positi, in tanti terroris turbine non possunt nulla formidine concuti. Sed, cum Leviathan iste rapitur, cumque omnia in ejus interitu elementa quatiuntur, prædicatores sanctos quos, ut diximus, adhuc in suis corporibus illud tempus invenerit, spes de regni propinquitate lætificat, carnis infirmitas de iræ ostensione perturbat. Erit ergo in eis aliquo modo tremor lætus, et timor securus, quia et cœlesti regno remunerari se certi sunt, et per tanti turbinis metum, pro carnis infirmitate contremiscunt. Quomodo ergo tunc iniquorum conscientia concutitur, quando etiam justorum vita turbatur? Hi qui oderunt adventum judicis, quid facient, si terrorem tanti judicii, etiam qui diligunt, expavescunt? Sed **10** quia in sanctis prædicatoribus hic pavore excoquitur, si qua in eis esse potuit rubigo vitiorum, postquam dicitur : *Cum sublatus fuerit, timebunt angeli;* apte mox subdidit · *Et territi purgabuntur* (*ibid.*). Hinc iterum Paulus ait : *Magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria* (*I Tim.* III, 16). Qui enim dispensationis mysterium postquam apparuisse angelis dixit, prædicatum esse gentibus subdidit, profecto angelorum nomine prædicatores sanctos, id est veritatis nuntios designavit. Iterum quoque angelorum nomine Ecclesiarum prælati designantur. Unde in Apocalysi sua Joannes septem Ecclsiis scribens, angelis Ecclesiarum loquitur, id est prælatis populorum. Hinc propheta ait : *Et angeli pacis amare flebunt* (*Ezech.* XXXII, 7).

(10) Omnes quoque qui sacerdotii nomine censentur, angeli vocantur, propheta Malachia testante qui ait : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus* (11) *Domini exercituum est* (*Malach.* II, 7). Sed et unusquisque si, in quantum sufficit, in quantum gratiam supernæ aspirationis accepit, a pravitate proximum revocat, si exhortari ad bene operandum curat; si æternum regnum vel supplicium erranti denuntiat, cum verba sanctæ annuntiationis impendit, profecto angelus exstitit.

11 CAPUT III.

De cœlo.

In Scriptura sacra cœlorum nomine aliquando ordo supernarum potestatum designatur, aliquando sancta Ecclesia, aliquando anima cujuslibet recti, aliquando cœleste judicium, aliquando divinum eloquium, aliquando sublimis vita sanctorum, aliquando Judaici populi sacerdotium, vel Pharisæi vel legis doctores, aliquando cœlestis vita. Quando autem plurali numero ponitur, aliquando intelliguntur angelici spiritus, aliquando spiritualiter sancti apostoli, aliquando quilibet prædicatores justi, aliquando perfecti quilibet homines.

(12) Cœli quippe nomine, sublimitas supernarum potestatum intelligitur, sicut ad beatum Job sub increpatione Eliu loquitur, dicens : *Suspice cœlum et intuere, contemplare æthera, quod altior te sit* (*Job* XXXV, 5). Quæ verba quamvis beato Job scienti majora, nequaquam dici debuerint, vera tamen sunt quæ dicuntur. In cœlo enim, vel æthere supernas possumus potestates accipere divinis semper obtutibus inhærentes. (13) Hoc ergo dicens considerare nos admonet, ut cum angelicos spiritus longe adhuc a nobis distare conspicimus, ipsi Creatori atque dominatori spirituum quanto discamus inferius agnoscamus. Ipsi siquidem **12** angeli spiritus Creatoris nostri potentiam plene contemplari non possunt; de quibus tamen certum est quia nobis eo ipso altiores sunt quo lapsi in infimis non sunt, ut videlicet colligamus quanto Deo inferiores existimus; qui etiam creaturis sublimibus, sed longe illo inferioribus subjacemus. Dicit ergo : *Suscipe cœlum, et intuere, contemplare æthera quod altior te sit.* Ac si diceret : Vide quantum a divina celsitudine separaris, a cujus potentia etiam illæ potesta-

(8) Hom. 6 in Evang. Matth. XI, 7; et Luc. VII, 25 et 27.
(9) Ex lib. XXXIV in Job c. VII, XIV.
(10) Hom. 6, in Evang.; l. V in Job, c. XXVIII.
(11) D. Gregor. per angelos posse intelligi sanctos doctores scribit.
(12) Ex lib. XVI in Job, c. VIII.
(13) Hæc sunt in medio capitis.

Digitized by Google

tes humilitate contremiscunt, quæ te immensa sublimitate transcendunt. Et quanto ipso summo inferior es, qui inferiorem te etiam inferioribus deprehendis?

(14) Rursum cœli nomine Ecclesia designatur sicut in Apocalypsi de diabolo sub draconis specie per Joannem dicitur : *Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram* (*Apoc.* XII, 4). Cœlum quippe est Ecclesia quæ in hac nocte vitæ præsentis, dum in se innumeras sanctorum virtutes continet, radiantibus desuper sideribus fulget. Sed draconis cauda in terram stellas dejicit, quia illa Satanæ extremitas per audaciam assumpti hominis erecta, quosdam quos velut electos Dei in Ecclesia invenit, obtinendo reprobos ostendit. Stellas itaque de cœlo in terram cadere est relicta nonnullos spe cœlestium illo duce ad ambitum gloriæ sæcularis inhiare. Hinc iterum per eumdem Joannem dicitur : *Factum est silentium in cœlo quasi dimidia hora* (*Apoc.* VIII, 1). (15) Cœlum quippe Ecclesia electorum vocatur, quæ, dum ad æterna sublimia per sublevationem contemplationis intendit, surgentes ab infimis cogitationum tumultus premit, atque intra se Deo quoddam silentium facit. Quod quidem silentium contemplationis, quia in hac vita non potest esse perfectum, factum dimidia hora dicitur. Nolenti quippe animo, dum cogitationum tumultuosi strepitus se ingerunt, etiam jam sublimibus intendentem, rursum ad respicienda terrena cordis oculum violenter trahunt. *Corpus enim*, sicut scriptum est, *quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15). Bene ergo hoc silentium non integra, sed dimidia **13** hora describitur, quia hic contemplatio nequaquam perficitur, quamvis ardenter inchoetur.

(16) Iterum cœli nomine anima justi accipitur, sicut scriptum est : *Cœlum mihi sedes est* (*Isa.* VII, 49). Alibi quippe scriptum est : *Anima justi sedes est sapientiæ*. Testante ante Paulo : *Scimus Christum Dei virtutem et Dei sapientiam* (*I Cor.* I, 24). Quia ergo sapientia est Deus, si Dei sedes est cœlum, et anima justi sedes est sapientiæ, cœlum utique est anima justi.

(17) Cœli quoque nomine cœleste judicium intelligitur, sicut in libro beati Job, Domino ipsum interrogante, scriptum est : *Nunquid nosti ordinem cœli, et pones rationem in terra?* (*Job* XXXVIII, 33.) Ordinem quippe cœli nosse est supernarum dispositionum occultas prædestinationes videre. Rationem ejus in terra ponere est ante humana corda talium secretorum causas aperire ; rationem videlicet cœli in terra ponere est supernorum judiciorum mysteria vel considerando discutere, ut loquendo manifestare. Quod utique facere in hac vita possumus, nullus potest. Ut enim a parvis ad majora veniamus, quis intelligat quæ esse ratio secretorum potest, quia sæpe vir rectus a judicio non solum non judicatus, sed etiam punitus redeat, et iniquus ejus adversarius, non solum non punitus, sed et victor abscedat? Quis intelligat cur vivit alius insidians morsibus proximorum, et moritur alius qui profuturus esset vitæ multorum ; alius culmina potestatis assequitur, qui non nisi lædere studet ; alius tantummodo læsos defendere concupiscit, et tamen ipse oppressus jacet ; alius vacare appetit, et innumeris negotiis implicatur ; alius negotiis implicari desiderat et coactus vacat ; alius male inchoans, usque ad vitæ suæ terminum ad pejora protrahitur ; alius bene incipiens, per longitudinem temporum proficit ad augmenta meritorum ; alius celsitudinem bene vivendi appetere et vult et valet ; alius nec vult, nec valet ; alius vult et non valet ; alius valet et non vult? Quis ergo ista judiciorum cœlestium secreta discutiat? Quis intelligat discretam lancem æquitatis occultæ? Ad cognoscendos **14** quippe judiciorum secretorum sinus nullus ascendit. Dicatur ergo homini ut se nescire cognoscat ; nescientem vero se cognoscat ut timeat, timeat ut humilietur, humilietur ne præsumat in se, non præsumat in se ut Conditoris sui auxilium requirat, et qui in se fidens mortuus est, auctoris sui audjutorium appetens vivat. Audiat itaque vir rectus jam quidem se sciens, sed adhuc quæ supra se sunt nesciens : *Nunquid nosti ordinem cœli, et pones rationem ejus in terra*, id est nunquid occultos ordines judiciorum cœlestium comprehendis, aut aperire humanis auribus sufficis? Beatus igitur Job de judiciorum incomprehensibilium investigatione requiritur, ac si aperte ei diceretur : Cuncta quæ pateris, tanto tolerare patientius debes, quanto secretorum cœlestium ignarus, cur hoc pateris nescis.

(18) Rursum cœli nomine divinum eloquium designatur, sicut in Psalmo scriptum est : *Extendens cœlum sicut pellem, qui tegis aquis superiora ejus* (*Psal.* CIII, 3). Quid enim cœli nomine nisi sacra Scriptura signatur de qua nobis et sol sapientiæ, et luna scientiæ et ex antiquis Patribus stellæ exemplorum lucent. Quod sicut pellis extenditur, quia per scriptores suos carnis lingua formatum, ante oculos nostros et per verba doctorum displicatur. Quid vero aquarum nomine, nisi sanctissimi angelorum signantur chori? De quibus scriptum est : *Et aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini* (*Dan.* III, 79 ; *Psal.* CXLVIII, 4). Hujus ergo cœli superiora Dominus aquis tegit, quia alta sacri eloquii, id est ea quæ de natura divinitatis, vel de æternis gaudiis narrat, nobis adhuc nescientibus solis angelis in secreto sunt cognita. Cœlum ergo hoc et coram nobis extenditur, et tamen aquis ejus superiora conteguntur, quia et quædam sacri eloquii jam nobis per apertionem spiritus patent, et

(14) Ex c. XII, lib. XXXII in Job, 113.
(15) Ex lib. X in Job, c. XII, 124.
(16) Ex c. XV, l. XXIX in Job, 20 ; et Hom. 38 in Evang.
(17) Ex l. XXIX in Job, c. XVIII, 32.
(18) Hom. 9 in Ezech.

Digitized by Google

quædam, quæ solis angelis possunt esse manifesta, nobis adhuc servantur occulta (19). Hinc est quod beatum Job Dominus interrogat, dicens : *Et gelu de cœlo quis genuit?* (*Job* xxxviii, 29.) Quid enim gelu nisi torpor perfidiæ exprimitur? Cœlum vero sacrum eloquium intelligitur, quod nobis diem intelligentiæ aperiens sole nos justitiæ illustrat, **15** quod, dum nos vitæ præsentis nox continet, stellis nobis mandatorum fulget.

(20) Cœli quoque nomine sublimis sanctorum vita intelligitur, sicut scriptum est : *Ascende cœlum, et loquar* (*Deut.* xxiii, 2, juxta LXX). Non enim insensibili, sed rationabili creaturæ loquebatur. De hoc iterum in Job interrogante Domino scriptum est : *Et gelu de cœlo quis genuit?* (*Job* xxxviii, 29.) Quid enim in gelu nisi frigida et perfidiæ torpore constricta accipimus corda Judæorum? Quid vero hic aliud cœlum, nisi sublimis debet intelligi vita sanctorum? Cœlum fuit Abraham, cœlum Isaac, cœlum Jacob. Sed quia persecutores Domini pontifices *Judæorum* perfidiæ torpore frigidi de illorum Patrum progenie processerunt, quasi de cœlo gelu exiit, quia de sublimi prole sanctorum processit frigida plebs infidelium. Cum enim de Abraham natus est Caiphas, quid aliud nisi gelu de cœlo processit? Quod tamen gelu ideirco Dominus genuisse dicit, quia Judæos, quos naturaliter ipse bonos condidit, justo judicio per eorum malitiam frigidos a se exire permisit. (21) Dominus enim auctor est naturæ, non culpæ. Genuit ergo creando naturaliter, quos iniquos permisit vivere tolerando patienter.

Iterum, cœli nomine Judaici populi sacerdotes, vel Pharisæi, seu legis doctores exprimuntur, sicut in libro beati Job scriptum est : *Ignis Dei descendit de cœlo, et tactas oves puerosque consumpsit* (*Job* i, 16). Omnes qui prædicationis officium in Synagoga tenuerunt cœlum recte appellati sunt, quia nimirum sapere cœlestia credebantur. Unde et Moyses, cum sacerdotes ac populum ad verba suæ admonitionis excitaret, ait : *Attende, cœlum, et loquar, et audiat terra verba oris mei* (*Deut.* xxxii, 1, juxta LXX). Per cœlum videlicet significans præpositorum ordinem, per terram vero subditam plebem. Hoc igitur loco cœlum sacerdotes, vel Pharisæos, vel legis doctores non inconvenienter accipimus, quia ante oculos hominum, dum cœlestibus officiis inservirent, quasi desuper lucere videbantur. Sed quia summopere in Redemptoris nostri adversitate commoti sunt, quasi ignis **16** de cœlo ceccidit, dum ad decipiendum imperitum populum ab his etiam qui vera docere putabantur, flamma invidiæ exarsit. Quid autem in ovibus atque in pueris, nisi innocentes quosque, sed tamen adhuc infirmos, accipimus? Qui dum adversitatem Pharisæorum ac principum tolerare timuerunt, infidelitatis concrematione consumpti sunt. Dicatur ergo : *Ignis Dei descendit de cœlo et tactas oves puerosque consumpsit*, id est a propositorum cordibus flamma invidiæ corruit, quidquid boni in plebibus oriebatur incendit.

(22) Cœli nomine cœlestis vita designatur, sicut in libro beati Job de hypocrita dicitur : *Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur* (*Job* x, 6). Superbia hypocritæ usque ad cœlum ascendere dicitur, quando ejus elatio cœlestem agere vitam videtur. Cujus etiam caput quasi nubes tangit, quando principalis pars, videlicet intellectus ejus sanctorum præcendentium coæquari meritis creditur. Sed quasi sterquilinum in fine perdetur, quia in morte dum ad tormenta ducitur, stercoribus vitiorum plenus a malignis spiritibus conculcatur. Gaudia etenim vitæ præsentis quæ injusti æstimant magna bona justi stercora deputant. Unde scriptum est : *De stercore boum lapidabitur piger* (*Eccli.* xxii, 2). Is enim qui sequi Dominum noluerit, ab amore æternæ vitæ pigrescit. Et quoties rerum temporalium damno percutitur, ex his nimium affligitur, quæ justi viri velut stercora contemnunt. Qui ergo ex terrenorum percussione atteritur, quid aliquid quam de boum stercore lapidatur? Et recte hypocrita sterquilinio similis esse dicitur, quia, dum temporalem gloriam appetit, modo per cogitationem apud semetipsum tumet, modo eamdem gloriam aliis invidet, et etiam alios veraciter habente irridet. Quot ergo vitiis plenus est, quasi tot stercoribus in conspectu æterni judicis illius pectus fetet. Dicatur ergo : *Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit; quasi sterquilinium in fine perdetur.* Quia si cœlestem vitam agere se simulat, **17** et si intellectum suum esse similem veris prædicatoribus ostentat, quasi sterquilinium tamen in fine perdetur, quia mens illius pro vitiorum fetore damnabitur.

(23) Cœlorum autem nomine angeli designantur, sicut ad beatum Job ab Eliu per irrisionem dicitur : *Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt* (*Job* xxxvii, 18). Quid enim per cœlos, nisi hi qui in cœlestibus sunt conditi, angelici spiritus designantur? De quibus bene dicitur, *qui solidissimi quasi ære fusi sunt.* Natura namque æris est rubigine difficile consumi. Et virtutes angelicæ, quæ in divino amore fixæ perstiterunt, lapsis superbientibus angelis, hoc in mun.e retributionis acceperunt, ut nulla jam rubigine subripientis culpæ mordeantur, ut in contemplatione Conditoris sine felicitatis fine permaneant, et in hoc quod sunt conditæ, æterna stabilitate subsistant.

(19) Ex c. xv, lib. xxix in Job, post medium, 124.

(20) Ib., paulo post principium.

(21) Ex l. ii, c. xix, in Job, 125.

(22) Ex l. xxv in Job, c. iii.

(23) Ex l. xxvii in Job, c. xxiv.

Digitized by Google

(24) Cœlorum quoque nomine sancti specialiter apostoli designantur, sicut in Psalmo scriptum est : *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum* (*Psal.* xviii, 1). Unde iterum in Job scriptum est : *Spiritus ejus ornavit cœlos* (*Job.* xxvi, 13). Tunc namque apostolos spiritus ejus ornavit, cum replevit. Quod Luca referente didicimus, qui ait : *Factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis ; seditque supra singulos eorum. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis* (*Act.* ii, 2 et 3). Ex eo ergo acceperunt ornamenta virtutis, quos immensa ante possederat fœditas timoris. Scimus enim quod ille apostolorum, id est cœlorum primus, ante acceptam hujus Spiritus gratiam, quoties mori timuit, vitam negavit (*Matth.* xxvi, 69, 70). Qui non pœnis, non afflictionibus, non terribili potestate cujusquam, sed unius mancipii sola est interrogatione prostratus (*Luc.* xxii, 35). Et quidem mancipium, ne sexus firmior terribile demonstraret, ancilla est inquirente tentatus : et rursus, ut talis sexus infirmitas **18** etiam officii sui delectione vilesceret, non ab ancilla tantum, sed ab ancilla ostiaria requisitus (*Joan.* xviii, 17). Ecce quam vilis est ad tentandum persona requisita, ut aperte proderetur quanta eum timoris infirmitas possideret qui nec ante vocem ostiariæ ancillæ subsisteret. Sed jam hic paulo ante timidus, qualis post adventum Spiritus exstiterit, quanta Dominum auctoritate contra sacerdotes ac principes prædicaverit, Luca testante didicimus. Ille namque paulo ante timidus, jam linguis loquitur, coruscat miraculis, infidelitatem sacerdotum ac principum libera voce increpat, ad prædicandum Jesum exemplum auctoritatemque cæteris præstat, ne in nomine Jesu loqui debeat verberibus prohibetur, nec tamen compescitur (*Act.* iv, etc.). Sancti enim Spiritus virtute solidatus hujus mundi altitudines, libertatis calce deprimebat, ut in imo esset cernere quidquid contra Creatoris gratiam altum tumeret. Hæc sunt ornamenta cœlorum, hæc sunt dona Spiritus quæ diversis manifestari virtutibus solent. De his etiam cœlis in Psalmo dictum est : *Verbo Domini cœli firmati sunt* (*Psal.* xxxii, 6). De his quoque ornamentis Spiritus subditur : *Et spiritu oris ejus, omnis virtus eorum* (*ibid.*). Bene itaque dicitur, *spiritus ejus ornavit cœlos*, quia prædicatores sancti, nisi promissa Paracliti dona perciperent, nullo fortitudinis decore claruissent.

(25) Cœlorum nomine quilibet sancti doctores designantur, sicut in Psalmo scribitur : *Domine, inclina cœlos tuos, et descende* (*Psal.* cxliii, 5). Quid enim in cœlis, nisi sanctos prædicatores accipimus? Cum enim inclinantur cœli, Dominus descendit, quia cum eum in prædicatione sua sancti doctores attrahunt, divinitatis notitias nostris cordibus infundunt. Nequaquam quippe ad nos Deus descenderet, si prædicatores ejus in contemplationis rigore inflexibiles permanerent. (26) Si enim ea nobis prædicare vellent quæ capiunt, cum superna contemplatione debriantur, et non magis scientiam suam quodam moderamine et sobrietate temperarent ; adhuc angusto intelligentiæ sinu illa superni fontis fluenta quis caperet? Incurvantur ergo cœli, ut descendat Dominus, et nos in novæ fidei luce nascamur.

19 (27) Cœlorum quoque nomine perfectorum mentes designantur. Unde Eliu beato Job cum irrisione dicit : *Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt?* (*Job* xxxvii, 18.) Possunt namque per cœlos electorum mentes exprimi, a cunctis terrenis contagiis intimo amore suspensæ : quæ, quamvis corpore degant in infimis, tamen iam corde inhærent summis, et veraciter dicunt : *Nostra conversatio in cœlis est.* (*Philipp.* iii, 20). Qui solidissimi ut ære fusi sunt, quia ab integritate cœptæ fortitudinis nulla mutabilitatis rubigine consumuntur.

CAPUT IV.

DE FIRMAMENTO.

In Scriptura sacra firmamenti nomine aliquando Redemptor noster, aliquando confirmatio angelicæ naturæ post ruinam malorum designatur.

(28) Firmamenti nomine Redemptor noster designatur, sicut per Ezechielem dicitur : *Et similitudo super caput animalium firmamenti, quasi aspectus cristalli horribilis. Et extenti super capita eorum desuper* (*Ezech.* i, 22). Quid enim per firmamentum, nisi per figuram noster Redemptor intelligitur verus Deus super omnia, et factus inter omnia homo perfectus, in quo nostra natura apud Patrem confirmata est? De quo et per Psalmistam prophetando dicitur : *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, et super filium hominis quem confirmasti tibi* (*Psal.* lxxix, 18). Humana etenim natura priusquam a Creatore omnium susciperetur, terra erat ; nam firmamentum non erat. Peccatori quippe homini dictum est : *Terra es, et in terram ibis* (29) (*Gen.* iii, 19, juxta LXX). Ait postquam assumpta est ab auctore omnium, atque in cœlis sublevata et super angelos ducta, firmamentum facta est, quæ terra fuit. Sed terra firmamentum quod **20** aspicitur, cujus habeat similitudinem subinfertur, cum dicitur, *quasi aspectus crystalli horribilis.* Crystallum ex aqua congelascit, et robustum fit. Scimus vero quanta sit aquæ mobilitas. Corpus autem Redemptoris nostri, quia usque ad

(24) Ex l. xvii in Job, c. xix.
(25) Conjunge ejusdem Greg. explanationem ad iv psal. pœnit. 13. Ex c. x, l. xxx in Job.
(26) Hæc sunt ante versiculi notati explicationem.
(27) Ex. l. xxvii in Job, c. xxiv, circa medium.
(28) Ex. hom. 7 in Ezech.
(29) Ibi vulgo legitur, *redibis.*

Digitized by Google

mortem passionibus subjacuit, aquæ simile juxta aliquid fuit, quia nascendo, crescendo, lacessendo, esuriendo, sitiendo, moriendo usque ad passionem suam per momenta temporum mobiliter decurrit. Cujus cursum Propheta intuens ait : *Exsultavit ut gigas ad currendam viam* etc. (*Psal.* XVIII, 6.) Sed quia per resurrectionis suæ gloriam, ex ipsa sua corruptione, in incorruptionis virtute convaluit, quasi crystalli more ex aqua duruit, ut in illo et hæc eadem natura esset, et ipsa jam, quæ fuerat, corruptionis mutabilitas non esset. Aqua igitur in crystallum versa est, quando corruptionis etiam infirmitas per resurrectionem suam ad incorruptionis est firmitatem mutata.

CAPUT V.

DE SOLE.

In Scriptura sacra cum figurate sol ponitur, aliquando Dominus intelligitur, aliquando persecutio, aliquando de re qualibet manifestæ visionis ostensio, aliquando intelligentia sapientium, aliquando fulgor boni operis vel fervor amoris Dei, aliquando lumen veritatis, aliquando prædicatorum claritas, aliquando tentationis ardor.

(30) Solis nomine Dominus significatur, sicut per prophetam dicitur : *Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo* (*Habac.* III, 11, juxta LXX). Elevato enim sole in ordine suo, luna statuitur, quia, ascendente ad cœlos Domino, sancta protinus Ecclesia in prædicationis auctoritate roboratur.

21 Rursum solis nomine, persecutio intelligitur, sicut in Evangelio Veritas dicit, quod nata sine radicibus semina orto sole aruerunt (*Matth.* VIII), quia videlicet verba vitæ in corde terrenorum hominum, temporali momento virentia, superveniente persecutionis ardore siccantur.

Solis nomine, manifestæ visionis ostensio designatur, sicut Propheta Dominum cunctorum oculis apparentem denuntiat, dicens : *In sole posuit tabernaculum suum* (*Psal.* XVIII, 6.). Ac si diceret, humanitatis assumptæ sacramentum in lumine manifeste visionis ostendit. Et sicut eidem prophetæ divina voce per Nathan dicitur : *Tu fecisti in abscondito, ego vero faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, et in conspectu solis* (*II Reg.* XII, 12). Quid enim per conspectum solis, nisi cognitionem insinuat manifestæ visionis? Iterum solis nomine sapientium intellectus exprimitur, sicut in Apocalypsi scriptum est : *Quartus angelus effudit phialam suam in solem, et datum est illi æstu afficere homines et igni* (*Apoc.* XVI, 8). Phialam videlicet in solem effundere est persecutionis supplicia viris sapientiæ splendore fulgentibus irrogare. Et datum est illi ut afficeret homines æstu et igni, quia, dum sapientes viri cruciatibus victi, male agendi errore tanguntur, illorum exemplo persuasi infirmi quique temporalibus desideriis inardescunt. Ruinæ namque fortium argumenta præstant perditionibus infirmorum.

(31) Rursus solis nomine claritas boni operis designatur, sicut per beatum Job dicitur : *Si vidi solem, cum fulgeret* (*Job* XXXI, 26). Sol quippe in fulgore est bonum opus in manifestatione. Scriptum quippe est : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* V, 16). Et rursum : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes.* (*Luc.* XII, 35). Quod enim hoc loco fulgenti sole, hoc in Evangelio lucerna ardente designatur. Bonum namque opus, cum in medio perfidorum lucet, lucerna ardet in nocte; cum vero in Ecclesia resplendet, sol fulget in die. Bonum opus, si adhuc tale est quod soli mali mirentur, lucerna videlicet **22** in nocte est; si autem ita proficit, ut mirari a bonis ac perfectioribus possit, nimirum sol est in die. Bonum opus cum per activam vitam corporis lucet, quasi lucernæ more lumen ex testa resplendet. Cum vero per solam virtutem mentis in contemplatione attollitur, quasi more solis de cœlo veniens lux videtur, *si vidi solem, cum fulgeret.* (32) Ac si aperte diceret : Opus meum, etiam cum aliis exemplorum lucem tribueret, ad præsumptionis gloriam non accendi, quia dum eo extolli timui, ab intuendo eo oculos averti.

(33) Solis nomine lumen veritatis accipitur. Sic Sapientiæ libro perhibetur quod impii in extremo die indicii cognita sua damnatione dicturi sunt : *Erravimus a via veritatis, et lumen justitiæ non luxit nobis, et sol non ortus est nobis* (*Sap.* V, 6). Ac si aperte dicant : Interni nobis luminis radius non refulsit. Unde et Psalmista de malignis spiritibus loquens subdit dicens : *Ortus est sol, et congregati sunt in cubilibus suis*, etc. (*Psal.* CIII, 22). (34) Quia videlicet veritatis lumine per carnem apparente fidelium mentibus dæmones excussi, quasi ad cubilia sua sunt reversi, dum sola infidelium corda tenuerunt.

(25) Rursus solis nomine, prædicatorum claritas designatur, sicut per beatum Job dicitur : *Qui præcipit soli, et non oritur, et stellas claudit quasi sub signaculo* (*Job* IX, 7). Quid enim solis nomine, nisi claritas prædicatorum accipitur? Unde et per Joannem dicitur : *Factus est sol niger, ut saccus cilicinus* (*Apoc.* 6, 12). In extremo quippe tempore sol quasi cilicinus saccus ostendetur, quia fulgens vita prædicantium ante reproborum oculos, aspera et despecta monstratur. Qui stellarum quoque claritate figurantur, quia cum recta peccatoribus prædicant, tenebras nostræ noctis illustrant. Unde et subtractis prædicatoribus per prophetam dicitur : *Prohibitæ sunt stellæ pluviarum* (*Jer.* III, 3). Quia vero sol per diem fulget, et stellæ obscuritates no-

(30) Ex hom. 29 in Evang.
(31) Ex lib. XXII, in Job, c. IV.
(32) Ex cap. V lib. in Job, citati longe post principium.
(33) Ex lib. XXIV, in Job, cap. XII.
(34) Ex lib. XXVII in Job, c. XVIV.
(35) Ex lib. IX in Job, c. III.

Digitized by Google

tis irradiant, et plerumque in sacro eloquio diei appellatione, æterna patria, noctis autem nomine præsens vita signatur, prædicatores sancti, ut sol nostris oculis fiunt, cum conceptionem [*al.* contemplationem] nobis veræ lucis aperiunt, et velut, stellæ in tenebris lucent, **23** cum per activam vitam pro futuris nostris necessitatibus terrena disponuntur. Quasi in die ut sol coruscant, cum ad contemplandam internæ claritatis patriam, mentis nostræ aciem sublevant, et quasi stellæ in nocte resplendent, quia, et cum terrena agunt, offensurum jamjam que nostris operis pedem exemplo suæ rectitudinis dirigunt. Sed, quia expulsis prædicatoribus, non fuit qui plebi Judaicæ in perfidiæ suæ nocte remanenti resplenderet, vel claritatem conceptionis [*al.* contemplationis] ostenderet, vel activæ vitæ lumen aperiret; Veritas quippe, quæ hanc repulsam deseruit, subtracto prædicationis lumine, merito suæ pravitatis excæcavit; recte dicitur: *Qui præcipit soli, et non oritur; et stellas claudit quasi sub signaculo.* Oriri quippe ei solem noluit, a qua prædicantium animum divertit. Et quasi sub signaculo stellas claudit, quia, dum prædicatores suos per silentium intra semetipsos retinuit, cæcis iniquorum sensibus cœleste lumen abscondit.

(36) Solis nomine tentationis ardor designatur, sicut per Moysen dicitur : *Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somno, egredietur extra castra, et non revertetur priusquam ad vesperam lavetur aqua; et post solis occasum regredietur in castra* (*Deut.* XXIII, 10, 11). Nocturnum quippe somnium est tentatio occulta, cum tenebrosa cogitatione turpe aliquid corde concipitur, quod tamen cordis vel corporis opere non expletur. Sed somnio nocturno pollutus, egredi extra castra præcipitur quia videlicet dignum est, ut qui immunda cogitatione polluitur, indignum se cunctorum fidelium societatibus arbitretur culpæ suæ meritum ante oculos ponat, et ex bonorum se æstimatione despiciat. Pollutum ergo extra castra exire est turpi impugnatione laborantem sese ex continentium comparatione despicere. Quid ad vesperam lavatur aqua, cum defectum suum conspiciens, ad pœnitentiæ lamenta convertitur, ut cineribus abluat omne quod in animo occulta inquinatio accusat. Sed post occasum solis ad castra redeat, quia defervescente tentationis ardore necesse est ut iterum fiduciam erga bonorum societatem sumat. Post aquæ quippe lavationem, occumbente sole ad castra revertitur : **24** qui post pœnitentiæ lamenta, frigescente flamma cogitationis illicitæ, ad fidelium merita præsumenda reparatur, ut jam se a cæteris longe esse non æstimet qui mundum se per obitum intimi ardoris gaudet.

CAPUT VI.

DE LUNA.

In Scriptura sacra lunæ nomine aliquando sancta Ecclesia, aliquando fama boni operis, aliquando stultorum mobilitas, aliquando mutabilitas temporalitatis designantur.

(37) Lunæ nomine sancta Ecclesia exprimitur, sicut per beatum Habacuc dicitur : *Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo* (*Habac.* III, 11, juxta LXX). Elevato enim sole, in ordine suo luna statuitur, quia ascendente ad cœlos Domino, sancta protinus Ecclesia in prædicationis auctoritate roboratur. Psalmista quoque sanctam Ecclesiam conspiciens in perpetua perfectione mansuram sub appellatione lunæ descripsit dicens : *Luna perfecta in æternum* (*Psal.* LXXXVIII, 38). Quam, quia ad resurrectionis spem Dominica resurrectio roborat, recte subjungitur : *Testis in cœlo fidelis* (*ibid.*).

(38) Rursum lunæ nomine fama boni operis intelligitur, sicut per beatum Job dicitur : *Si vidi solem, cum fulgeret, et lunam incedentem clare* (*Job* XXXI, 26). Per solem quippe fulgentem fulgor boni operis; per lunam vero, opinio bonæ operationis intelligitur. Post præmissum ergo solem, apte quoque incedentem clare lunam subdidit, quia videlicet post opus bonum fama laudabilis sequitur, per quam celebre nomen in hac præsentis vitæ nocte possidetur. Si enim verum est quod quidam **25** putant, lunam illustrationem per occultum circulum a radio solis accipere, ut possit lucem nocturnis cursibus exhibere, ab hujus significationis ordine hæc quoque suspicio non abhorret. Fama quippe a bono opere vires accipit et favoris gratiam quasi claritatem luminis aspergit. Est aliud in luna, quod per similitudinem bonam spargenti famæ conveniat : lux namque ejus etiam in tenebrarum tempore iter ambulantibus ostendit; quia et dum de aliena vita, lux quæ illius opinione clara cognoscitur ostenditur, huic quasi pergenti in itinere exempli lumen præbetur. Sed nonnunquam opus quod ab aliena opinione sumitur, minus mundo desiderio in animo formatur. Nam infirmæ mentes, cum bona de aliis audiunt, aliquando se ad operationem rectam, non amore virtutis, sed dilectione laudis accendunt. Et profecto liquet quod sicut natura solis est ut quæque attigerit accendat et siccet, ita lunaris ignis est proprium ut quidquid contigerit, exurat quidem, sed exurendo humidum reddat. Ad vitam igitur bonam alios per amorem Dei affectus recti operis, alios vero amor laudis inflammat. Sed, cum recti operis affectu accendimur, quasi per ignem solis a vitiorum humore siccamur. Eum vero quem ad opus bonum laudis amor provocat, concupita fama quasi luna attingit, quia videlicet ejus animum et accendit et resolvit. Accendit scilicet ad exercitium operis, resolvit vero ad concupiscentiam favoris. Plerumque tamen ad exercenda bona opera aliena nos utiliter exempla persuadent. Et cum mente humili opinionis alienæ bona suscipimus, nostra vel ad melius bona perducimus, vel ad bonum mala permutamus. Cumque

(36) Ex lib. X in Job, cap. XXXI.
(37) Ex lib. XVII in Job, cap. X.
(38) Ex lib. XXII in Job, cap. V.

Digitized by Google

nos de vita proximi, famæ splendor irradiat, mens nostra, ut prædiximus, quæ ad obtinendum virtutis iter se dirigit, quasi in lunæ lumen gressus ponit. Sed sicut ex aliena opinione proficimus, sic plerumque, si laudibus famæ nostræ incendimur, a virtute vacuamur; quia dum delectatur animus in hoc quod de se extrinsecus haberi considerat, illud oblivisci tur ad quod introrsus anhelabat. Sed quia sanctum virum nec fama laudabilis extulit, clare incedentem luna minime accendit.

26 (39) Lunæ nomine stultorum inconstantia designatur, sicut per Salomonem dicitur : *Sapiens ut sol permanet, stultus ut luna mutatur* (*Eccli.* xxvii, 12).

(40) Iterum lunæ nomine mutabilitas temporalitatis designatur, sicut Joannes in Apocalypsi ait : *Mulier, amicta sole et luna sub pedibus ejus* (*Apoc.* xii, 1). In sole enim illustratio veritatis, in luna autem, quæ menstruis suppletionibus deficit, mutabilitas temporalitatis accipitur. Sancta autem Ecclesia, *quia superni* luminis splendore protegitur, quasi *sole* vestitur. Quia vero cuncta temporalia despicit, *lunam* sub pedibus premit.

CAPUT VII.

DE STELLIS.

In Scriptura sacra, cum stella singulari numero ponitur, Christus intelligitur. Cum vero plurali numero ponitur, aliquando specialiter prophetæ antiqui, vel apostoli sancti prædicatores, aliquando quorumlibet sanctorum justitia quæ in hujus vitæ tenebris lucet, aliquando vero hypocritarum fictio demonstratur, qui bona quæ faciunt ad percipiendas laudes hominibus ostendunt.

Stellæ nomine Christus designatur, Joanne attestante, a quo stella splendida et matutina vocatur. Vivus namque apparens post mortem matutina nobis stella factus est, quia dum in semetipso exemplum nobis resurrectionis præbuit, quæ lux sequatur indicavit.

(41) Stellarum quoque nomine vel prophetæ vel apostoli designantur, sicut in libro beati Job de Domino **27** dicitur : *Qui aufert stellas pluviæ, et effundit imbres ad instar gurgitum* (*Job* xxxvi, 27). Duo quippe in hac vita sunt genera justorum : Unum videlicet bene viventium, sed nulla docentium; aliud vero recte viventium, et eadem recta docentium, sicut et in cœli facie aliæ stellæ prodeunt, quas nullæ pluviæ subsequuntur; aliæ prodeunt, quæ arentem terram magnis imbribus infundunt. Igitur quoties in sancta Ecclesia recte quidam vivunt, sed tamen prædicare eamdem rectitudinem nesciunt, stellæ quidem sunt, sed in siccitate aeris natæ, quia per exemplum bene vivendi lucem cæteris præbent, sed prædicationis verbum pluere nesciunt. Cum vero in ea quidam et recte vivunt, et aliis eamdem rectitudinem verbis prædicationis influunt, quasi ad proferendas pluvias in cœlum stellæ producuntur, quæ sic vitæ suæ meritis luceant ut in prædicationis sermone pluant. Annon in hoc cœlo astrum pluviæ Moses excitavit, qui dum de supernis emicuit, corda peccantium quasi in arentem inferius terram sanctæ exhortationis pluvia ad ubertatem germinis infudit? Annon Isaias astrum pluviæ ostensus est, qui in eo quod lucem veritatis prævidens tenuit, siccitatem infidelium prophetando annuntians irrigavit? Annon Jeremias et prophetæ cæteri velut in cœlo positi astra pluviæ fuerunt, qui in prædicationis culmine erecti, dum pravitatem peccantium libere increpare ausi sunt, quasi verborum guttas obcæcationis humanæ pulverem rigando presserunt, quorum videlicet animas ab hac corruptibili carne susceptas, quia ex præsenti vita superna judicia auferunt, quasi a cœli facie. Stellæ pluviæ subtrahuntur, et ad occultum astra redeunt, dum peractis suis cursibus sanctorum animæ in thesauris dispositionis intimæ reconduntur. Sed quia terra aresceret, si subductis stellis pluviæ superna funditus fluenta cessarent, recte dicitur : *Qui aufert stellas pluviæ, et effundit imbrem ad instar gurgitum.* Nam cum prophetas abstulit, eorum vice Dominus apostolos misit qui in similitudine gurgitum pluerent, postquam, subductis antiquis Patribus, exteriora legis prædicamenta tacuissent. Stellas ergo pluviæ abscondit, et ad instar gurgitum imbres fudit, quia, **28** dum prædicatores legis ad secreta et intima retulit, per dicta sequentium ulterior vis prædicationis emanavit.

(42) Rursum stellarum nomine quorumlibet bene viventium animæ designantur, sicut in libro beati Job scriptum est : *Ecce luna non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus* (*Job* xxv, 5). Quid enim per lunam nisi cuncta simul Ecclesia? Quid per stellas, nisi singulorum bene viventium animæ disignantur, qui inter pravorum hominum conversationes, dum magnis virtutibus eminent, quasi in tenebris noctis lucent? Unde per Paulum quoque discipulis dicitur : *Inter quos lucetis tanquam luminaria in mundo* (*Philipp.* ii, 15). Et iterum : *Stella enim ab stella differt in claritate* (*I Cor.* xv, 41). Luna ergo non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus, quia nec sancta Ecclesia virtute propria tot miraculis emicat, nisi hanc prævenientis gratiæ dona perfundant; nec singulorum bene viventium mentes a peccatorum miraculis mundæ sunt, si remota pietate judicentur quia apud districti judicis oculos sua unumquemque corruptibilitas inquinat, nisi hæc quotidie gratia parcentis tergat.

(43) Item stellarum nomine hypocritarum fictio designatur, sicut per Joannem de diabolo dicitur : *Misit draco caudam, et traxit tertiam partem stel-*

(39) Ex lib. xxxiv in Job, cap xii.
(40) Ex lib. xxxiv in Job, cap xii.
(41) Ex lib. xxvii in Job, cap. v.
(42) Ex lib. xvii in Job, cap. x.
(43) Ex lib. xxxii in Job, cap. xii, circa medium.

Digitized by Google

larum cœli, et misit eas in terra (*Apoc.* XII, 4). Cœlum quippe est Ecclesia, quæ in hac nocte vitæ præsentis, dum in se innumeras sanctorum virtutes continet, quas radiantibus desuper sideribus fulget. Sed draconis cauda in terram stellas dejicit, quia Satanæ extremitas, per audaciam assumpti hominis erecta, quosdam, quos velut electos Dei in Ecclesia invenit, obtinendo reprobos ostendit. Stellas itaque de cœlo in terram cadere est, relicta nonnullos spe cœlestium, illo duce ad ambitum gloriæ sæcularis inhiare. Hinc Daniel sub Antiochi specie de hac draconis cauda loquitur dicens : *Dejecit de fortitudine, et de stellis, et conculcavit eas* (*Dan.* VIII, 10). De fortitudine quippe et de stellis dejicit, cum nonnullos, et virtute operis robustos, et luce justitiæ resplendentes frangit.

29 CAPUT VIII.

DE LUCIFERO.

In Scriptura sacra Luciferi nomine, aliquando unigenitus Dei, vel sermo divinus, aliquando justi vita intelligitur.

(44) Luciferi nomine Unigenitus Dei designatur, sicut beatus Job de ipsius incarnatione requirit, dicens : *Nunquid produces Luciferum in tempore suo, et vesperum super filios terræ consurgere facies?* (*Job* XXXVIII, 32.) Quid enim Luciferum intelligimus nisi Unigenitum Dei ? Pater quippe in suo tempore Luciferum produxit, quia sicut scriptum est : *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret* (*Gal.* IV, 4). Qui natus ex Virgine velut Lucifer, inter tenebras nostræ noctis apparuit, quia, fugata obscuritate peccati, æternum nobis mane nuntiavit. Luciferum se innotuit, quia diluculo ex morte surrexit, et fulgore sui luminis, mortalitatis nostræ tetram caliginem tersit.

(45) Potest autem Luciferi nomine sermo divinus designari. Unus enim atque idem sermo Dei est in ore prædicantis. Quem dum isti gaudendo audiunt, illi vero invidendo, claritatem Luciferi sibi in vesperi tenebras vertunt. Dum isti humiliter vocem sanctæ prædicationis accipiunt, quasi ad stellæ lucem, oculos cordis aperiunt. Dum vero illi bene dicenti invident, et non salutis causam, sed elationis gloriam quærunt, prorumpente iniquitatis suæ vespere, in somnum mortis oculos claudunt. Per occultum ergo judicium is, qui electo est Lucifer, reprobo auditori fit vesper, quia exhortatione sancta qua boni ad vitam redeunt, pravi deterius in culpa moriuntur. Unde bene per Paulum dicitur : *Christi bonus odor sumus Deo in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt* (*II Cor.* II, 15, 16) : aliis quidem odor mortis **30** in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam. Verbum itaque suum auditoribus esse Luciferum simul et vesperum vidit, per quod et alios ab iniquitate suscitari, et contra alios sopiri in iniquitate conspexit.

(46) Iterum Luciferi nomine justi vita intelligitur, sicut in libro beati Job dicitur : *Et cum te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer* (*Job* XI, 17). Et recte Lucifero justi vita comparatur. Solem quippe præcurrens Lucifer nuntiat. Et quid nobis sanctorum innocentia nisi sequentis judicis claritatem clamat ? In eorum namque admiratione conspicimus quid de majestate veri luminis æstimemus. Necdum Redemptoris nostri patientiam videmus, sed tantum virtutem illius in electorum suorum moribus admiramur. Quia ergo bonorum vita in consideratione sua oculis nostris vim veritatis objicit, quasi clarus ad nos Lucifer ante solem venit. Dicat ergo Sophar tentato homini, etiam quasi desperanti dicat : *Et cum te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer* (47). Sæpe namque tot tentamenta nos obsident, ut ipsa nos eorum numerositas pene ad lapsum desperationis inclinet. Unde plerumque mens in tædium vertitur, vix ipsa virtutis suæ damna considerat, et tota dolens quasi jam et a sensu doloris aliena frangitur, et numerare non valet, quanto cogitationum tumultu vastatur. Rituram se per momenta conspicit, eique, ne arma repugnationis arripiat, gravius mœror ipse contradicit. Circumductos quolibet oculos obscuritas obsidet, et cum visum tenebræ semper impediant, mens tamen nil aliud quam tenebras videt. Sed apud misericordem judicem sæpe hæc ipsa quæ adnisum quoque orationis aggravat, pro nobis subtilius justitia exorat. Nam mœroris nostri caliginem Conditor conspicit, et subtracti luminis radios refundit, ita ut erecta protinus per dona mens vigeat quam paulo ante decertantia vitia superbiæ calce deprimebant. Mox corporis pondus discutit, atque ad contemplationis lumen post perturbationis suæ tenebras erumpit. Mox in gaudium profectus attollitur ; et quæ prius inter tentamenta cadere ex desperatione cogebatur, sine cogitationis certamine præsentia despicit, **31** sine dubitationis obstaculo de ventura retributione confidit. Justus ergo cum se consumptum putaverit, ut Lucifer oritur, quia mox ut tenebrescere tentationum caligine cœperit, ad lucem gratiæ reformatur, et in se ipse monstrat diem justitiæ, qui casurus paulo ante timuit noctem culpæ.

CAPUT IX.

DE PLEIADIBUS.

In Scriptura sacra Pleiadum nomine sancti omnes, vel Novum Testamentum designatur

(48) Pleiadum nomine sancti designantur : unde beatum Job Dominus requirit, dicens : *Nunquid conjungere valebis micantes stellas Pleiades ?* (*Job* XXXVIII 31.) Pleiades stellæ ἀπὸ τοῦ πλέωτου, id est *a plenitudine*, 20.

(44) Ex l. XXIX in Job, cap. V, 17.
(45) Ex eod. l. X, cap. II.
(46) Ex l. X in Job, cap. XII, longe post princi-
(47) Hæc sunt ante prædicta.
(48) Ex l. XXIX in Job, cap. XVI, XXVII, XXVIII.

Digitized by Google

ralitate vocatæ sunt, ita autem vicinæ sibi et divisæ sunt conditæ, ut et simul sint et conjungi nequaquam possint, quatenus vicinitate quadam conjunctæ sint, sed tactu disjunctæ. Quid ergo micantes Pleiades, quæ et septem sunt, aliud quam sanctos omnes denuntiant : qui inter præsentis vitæ tenebras Spiritus septiformis gratiæ nos lumine illustrant, qui, ab ipsa mundi origine usque ad ejus terminum diversis temporibus ad prophetandum missi, juxta aliquid sibi conjuncti sunt, juxta aliquid non conjuncti sunt? Stellæ enim Pleiades, sicut supra dictum vicinitate est, sibi conjunctæ sunt et tactu disjunctæ, simul quidem sitæ sunt, et tamen lucis suæ radios divisim fundunt. Ita sancti homines, aliis atque aliis ad prædicandum temporibus apparentes, et disjuncti sunt per visionem suæ imaginis, et conjuncti per visionem mentis. Simul micant, quia unum prædicant, sed non semetipsos tangunt, quia in diversis temporibus patiuntur. Quam diversis temporibus Abel, Isaias et Joannes apparuerunt! divisi quidem fuerunt tempore, sed non prædicatione. Nam Abel Redemptoris nostri passionem significans **32** agnum in sacrificio obtulit de cujus passione Isaias ait : *Sicut agnus coram tondente se, obmutescet et non aperiet os suum* (*Isa.* LIII, 7). De quo Joannes quoque ait : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I, 29), Ecce divisis quidem temporibus missi, et tamen concorditer de Redemptoris nostri innocentia sentientes, eumdem agnum Joannes ostendendo, Isaias providendo, Abel offerendo locutus est ; et quem Joannes in ostentione, quem Isaias in locutione, hunc Abel significando in manibus tenuit. Quia vero quomodo Pleiades stellæ de Redemptoris humanitate sibi concinant diximus : nunc quomodo in ostendenda unitate Trinitatis concorditer luceant, demonstremus. Diversis quippe temporibus huic mundo David, Isaias, et Paulus apparuit, sed tamen nullus eorum, alteri diversum sentit, quia etsi semetipsos non noverant facie, unum tamen didicerant ex divina cognitione.

David quippe ut auctorem omnium Deum in Trinitate ostenderet, dixit : *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus* (*Psal* LXVI, 7, 8); ac ne tertio Deum nominans, tres Deos dixisse putaretur, illico unitatem ejusdem Trinitatis insinuans addidit : *Et metuant eum omnes fines terræ* (*ibid.*). Qui enim non eos, sed eum subdidit, unum, tria quæ dixerat, intimavit. Isaias quoque cum laudem de unitate Trinitatis aperiret, seraphin voces exprimens ait : *Sanctus, sanctus, sanctus* (*Isa.* VI, 3). Ac ne tertio Deum nominans unitatem divinæ substantiæ scindere videretur, adjunxit : *Dominus Deus Sabaoth* (*ibid.*). Quia ergo non Domini Dii, sed Dominus Deus addit, unum existere, quod tertio sanctum vocaverat indicavit. Paulus quoque, ut operationem sanctæ Trinitatis ostenderet, ait : *Ex ipso, per ipsum et in ipso sunt omnia* (*Rom.* XI, 36). Atque ut unitatem ejusdem Trinitatis ostenderet protinus addidit : *Ipsi gloria in sæcula* (*ibid.*). Qui ergo non ipsis, sed ipsi subdidit, unum naturaliter, tria secundum personas innotuit, quod superius ipsum dixit. Quasi ergo et uno loco Pleiades sitæ sunt, quia de Deo concorditer sentiunt, et tamen semetipsas non tangunt, quia, sicut dictum est, per hujus mundi temporis diversa patiuntur. Quod quia solius divinæ virtutis est et disjunctis temporibus missos in fidei prædicatione conjungere, **33** et dissimilibus virtutibus prædictos, fulgore intentionis unire recte dicitur : *Nunquid conjungere valebis micantes stellas Pleiades*, ac si dicat : Ut ego qui unus omnia impleo, atque in unitatis sensu, electorum mentes implendo conjungo.

(49) Pleiadum quoque nomine potest Testamenti Novi gratia designari. Ipsæ quippe stellæ Pleiades, sicut et superius diximus, septem sunt. Tanto ergo Testamenti Novi gratiam apertius indicant, quanto cuncti liquido cernimus quod per illud fideles suos Spiritus sanctus septiformis muneris lumine illustrat. Redemptor autem noster in carne veniens, Pleiades junxit, quia operationes septiformis Spiritus simul in se, et cunctas et manentes habuit. De quo per Isaiam dicitur : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet et super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis. Et replebit eum Spiritus timore Domini* (*Isa.* XI, 1, 2). De quo Zacharias ait : *Super lapidem unum septem oculi sunt* (*Zach.* III, 9). Atque iterum : *Et in candelabro aureo lucernæ septem* (*Zach.* IV, 2). Nullus vero hominum operationes sancti Spiritus simul omnes habuit, nisi solus Mediator Dei et hominum, cujus est isdem Spiritus, qui de Patre ante sæcula procedit. Bene ergo dicitur : *Super lapidem unum septem oculi sunt*, huic enim lapidi septem oculos habere est, simul omnem virtutum Spiritus septiformis gratiæ in operatione retinere. Alius namque prophetiam, alius scientiam, alius virtutes, alius genera linguarum, alius interpretationem sermonum (*I Cor.* XII, 8, 11), juxta distributionem sancti Spiritus accepit; ad habenda vero cuncta ejusdem Spiritus munera nemo pertingit. At vero Conditor noster infirma nostra suscipiens, quia per divinitatis suæ potentiam simul se habere omnes sancti Spiritus virtutes edocuit, micantes Pleiades procul dubio jungit. Audiat itaque beatus Job : *Nunquid conjungere valebis micantes stellas Pleiades?* Ac si aperte diceretur : Habere quælibet lumina quarumdam virtutum potes ; sed nunquid exercere simul omnes operationes sancti Spiritus sufficis? Me ergo **34** conjungentem Pleiades in cunctis virtutibus contemplare, et tu de paucis ab elatione compescere.

(49) Ex lib. et capite citatis, longe post medium.

Digitized by Google

CAPUT X.

DE ARCTURO.

In Scriptura sacra, Arcturi nomine aliquando tota simul Ecclesia, aliquando vetus lex designatur.

(50) Arcturi nomine tota simul Ecclesia intelligitur : unde beatum Job Dominus interrogat dicens: *Nunquid conjungere valebis micantes stellas Peiades, aut gyrum Arcturi poteris dissipare?* (*Job* xxxviii, 3.) Arcturus quippe ita nocturna tempora illustrat, ut in cœli axe positus per diversa se vertat, nec tamen occidat. Neque enim extra currens volvitur, sed in loco situs in cunctis mundi partibus nequaquam casurus inclinatur. In Arcturo ergo qui per gyrum suum nocturna spatia non occasurus illustrat, nequaquam particulatim edita vita sanctorum, sed tota simul Ecclesia designatur, quæ fatigationes quaslibet patitur, nec tamen ad defectum proprii status inclinatur. Gyrum laborum tolerat, sed tamen ad occasum cur temporibus non festinat. Neque enim ad ima poli Arcturus nocturno tempore ducitur; sed dum ipse volvitur nox finitur, quia nimirum dum sancta Ecclesia innumeris tribulationibus quatitur, præsentis vitæ umbra terminatur. Eaque stante nox præterit, quia illa in sua incolumitate perdurante mortalitatis hujus vita percurrit. Est autem in Arcturo quod considerantius possumus intueri. In septem quippe stellis volvitur, et modo quidem tres ad summa elevat, atque ad ima quatuor inclinat, modo quatuor superius erigit, et tres inferius premit. Sancta quoque Ecclesia cum modo in fidelibus Trinitatis notitiam, modo autem fidelibus virtutes quatuor, id est prudentiam, fortitudinem, temperantiam, justitiam prædicat, quasi rotatu prædicationis **35** status sui speciem quodammodo immutat. Nam cum quibusdam de operibus suis gloriantibus confidentiam proprii laboris evacuat, et fidem Trinitatis exaltat, quid aliud facit, nisi tres stellas Arcturus elevat, quatuor inclinat? Et dum quosdam bona opera non habentes de sola fide præsumere prohibet, sed operari enixius quæ præcepta sunt, jubet quid aliud Arcturus facit nisi quatuor stellas erigit, tres deponit? Videamus quod tres elevet, quatuor deponat. Ecce per Paulum contra fidem de operibus superbientibus dicit : *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Dominum. Quid etiam Scriptura dicit? Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam* (*Rom.* iv, 2; *Genes.* xv, 6). Videamus quomodo quatuor elevet, tres deponat. Ecce per Jacobum de fide contra opera superbientibus dicit : *Sicut corpus sine spiritu emortuum est, ita et fides sine operibus mortua est* (*Jac.* ii, 26). Arcturus itaque volvitur, quia sancta Ecclesia juxta auditorum suorum mentes in diverso latere prædicationis arte versatur. Arcturus volvitur, quia sancta Ecclesia in noctis hujus tribulationibus rotatur. Sed hunc Arcturi gyrum quandoque Dominus dissipat, quia labores Ecclesiæ ad requiem permutat. Tunc et Pleiades plenius jungit, cum gyrum Arcturi destruit, quia tunc nimirum sancti omnes etiam sibi visionis specie copulantur, quando in fine mundi sancta Ecclesia ab his quos nunc sustinet laboribus solvitur. Dicat ergo : *Nunquid conjungere valebis micantes stellas Pleiades, aut gyrum Arcturi poteris dissipare.* Subaudis, ut ego, qui tunc sanctorum vitam etiam per speciem unio, cum gyrum universalis Ecclesiæ corporaliter solvo. Et quis hominum solius divinæ hoc esse virtutis ignorat? Sed ut cognoscat homo quid ipse sit, memoretur assidue quid solus Dominus possit.

(51) Potest quoque Arcturi nomine vetus lex intelligi. Arcturus quippe ex parte aquilonis surgit. Quacunque autem se per gyrum Arcturus verterit, Pleiades ostendit. Et cum lux diei jam vicina efficitur, stellarum ejus ordo distenditur. Non immerito ergo per Arcturum, qua plaga frigoris surgit, **36** lex designatur. Quasi enim ab aquilone lex veneratur, quæ tanta subditos rigiditatis asperitate terebat. Nam cum pro culpis suis alios perciperet lapidibus obrui, alios gladii morte multari, plaga torpens, et velut a sole charitatis aliena præceptorum suorum plus premebat ex frigore quam ex calore nutriebat. Nec mirum quod per Arcturi septem stellas Testamentum Vetus exprimitur, quia et in veneratione legis dies septimus exstitit venerabilis, et per hebdomadam integram constituti sacrificii vota tendebantur. Quaqua autem se Arcturus vertit, Pleiades, quæ Testamentum Novum significant, ostendit, quia per omne quod Testamentum Vetus loquitur Testamenti Novi opera nuntiantur. Sub textu enim litteræ tegit mysterium prophetiæ. Et quasi inclinat se Arcturus et demonstrat, quia, dum ad spiritalem intellectum flectitur, significata per illud lux gratiæ septiformis aperitur. Et appropinquante diei luce stellarum ejus ordo ostenditur, quia postquam per semetipsam nobis veritas innotuit, ab obsequiis carnalibus litteræ præcepta laxavit.

CAPUT XI.

DE AERE.

In Scriptura sacra, aeris nomine, sæcularium mentium mobilitas designatur, sicut ab Eliu dicitur.

(52) Subito cogitur aer in nubes. Aer quippe ipsa sua tenuitate spargitur, ut nulla firmitate solidetur (*Job* xxxvii, 21). Nubes autem tanto firmiores sunt quanto densiores. Quid ergo per aerem nisi mentes sæcularium designantur, quæ innumeris hujus vitæ desideriis deditæ huc illucque more aeris fluidæ disperguntur? Sed aer in nubes cogitur, cum fluxæ mentes superni respectus gratia virtutis soliditate roborantur, ut intra in sinum cordis recta **37** sentiendo se colligant, et in vanis cogitationibus non liquescant.

(50) Ex lib. ix, cap. xvi, 27.
(51) Ex lib. et cap. citatis, post medium.
(52) Ex lib. xxvii in Job, cap. 25.

Digitized by Google

CAPUT XII.

DE NUBIBUS.

In Scriptura sacra, nubium nomine aliquando humanitas Christi designatur, aliquando caligo ignorantiæ, aliquando sancti prophetæ, aliquando quilibet doctores sancti, aliquando quilibet justi, aliquando mobiles quique, aliquando soliditas mentium, aliquando temporalia bona, aliquando cor superbum.

(53) Nubis nomine caro Redemptoris accipitur sicut per Psalmistam de ipso dicitur: *Qui ponit nubem ascensum suum* (*Psal.* CIII, 3). Nubem quippe ascensum suum Dominus posuit, quia is qui divinitate ubique est, carne ad cœlestia ascendit.

(54) Nubis nomine caligo ignorantiæ designatur. Unde prophetæ Ezechiel Judæorum crudelitatem contra Dominum prospiciens, ait: *Et vidi et ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone, et nubes magna* (*Ezech.* I, 4). Quid enim aquilonis nomine nisi diabolus intelligitur, et quid ventus turbinis nisi ipsius tentatio accipitur? Bene autem maligni spiritus immissio ventus turbinis appellatur. Turbo quippe ædificium quod tangit concutiendo subruit. Et omnis antiqui hostis tentatio, quæ agitur in mente ventus est turbinis, quia hanc concutiendo per desideria a statu suæ rectitudinis evellit. Ventus ergo turbinis ab aquilone venit, cum vitam Judaici populi malignus spiritus in tentatione concussit, ubi et recte additur: *Et nubes magna.* **38** Quia quanto plus quisque exarsit in crudelitate, tanto amplius obcæcari metuit ignorantiæ suæ caligine. Redemptorem quippe humani generis quem in lege ac prophetis intelligentes exspectaverant, videntes negabant. Unde actum est ut eorum mens magna ignorantiæ suæ nube tegeretur, ne hunc post inquirentes agnoscerent, quem prius et denuntiare poterant, et amare renuebant. Nam cum modo ejus virtutes et miracula, modo autem passiones aspicerent in infidelium cordibus, nubes magna ab aquilone venerat, quia ex peccati sui frigore propter infirmitatem passionis illius et inter signa caligabant.

(55) Iterum nubium nomine sancti prophetæ designantur, sic per Psalmistam dicitur: *Tenebrosa aqua in nubibus aeris* (*Psal.* XVII, 14), id est occulta est scientia in prophetis, qui ante adventum Domini, dum occultis sacramentis gravidi mysteria immensa gestarent, intuentium oculis, eorum intelligentia caligabat.

(56) Iterum nubium nomine sancti apostoli designantur, sicut per Isaiam de ipsis Dominus dicit: *Mandabo nubibus, ne pluant super eam imbrem* (*Isa.* V, 6).

(57) Nubium nomine prædicatores sancti designantur, sicut ab Eliu dicitur: *Frumentum desiderat nubes* (*Job* XXXVII, 11). Quid enim electi quique sunt, nisi frumenta Dei cœlestibus horreis recondenda? Sed frumentum, quousque ad perfectionem fructuum veniat, nubium pluvias exspectat ut crescat, quia bonorum mens prædicantium verbis infunditur, ne ab humore charitatis desideriorum carnalium sole siccetur. Hoc frumentum supernus agricola in mundo surgere, et nubes desiderare conspexerat cum dicebat: *Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate autem dominum messis ut mittat operarios in messem suam* (*Matth.* VII, 37). Qui igitur hic frumentum, illic messis; qui vero hic nubes, illic operarii vocantur. Quia nimirum prædicatores sancti et nubes sunt et operarii. Nubes videlicet per doctrinam, operarii per vitam. Nubes, quæ verbis influunt; operarii, quæ non desinunt agere quod loquuntur. Unde et subditur: *Et* **39** *nubes spargunt lumen suum* (*Job* XXXVII, 11). Nubes enim lumen suum spargere est prædicatores sanctos, exempla vitæ et loquendo et agendo dilatare.

(58) Rursum nubium nomine quilibet justi designantur. Sic per Isaiam dicitur: *Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas?* (*Isa.* LX, 7, 8.) Justi namque ut nubes volare dicti sunt, quia a terrenis contagiis sublevantur. Et quasi columbæ ad fenestras sunt, quia per sensus corporis exteriora quæque non respiciunt intentione rapacitatis, eosque foras non rapit concupiscentia carnalis.

(59) Nubium nomine mobiles quique exprimuntur, sic per Salomonem dicitur: *Qui observat ventum non seminat, et qui considerat nubes nunquam metet* (*Eccl.* XI, 4). Venti quippe nomine malignus spiritus designatur qui mentem tentationibus impellit. Nubium vero appellatione peccatores exprimuntur, quos toties huc illucque diabolus impellit et revocat, quoties tentationes ejus in eorum cordibus suggestionum flatibus alternat. (60) *Qui observat ventum non seminat, et qui considerat nubes nunquam metet*, quia is qui tentationes maligni spiritus metuens, et iniquorum lapsus conspiciens, semetipsum desperat, neque nunc exercetur in boni semine operis, neque post reficitur de munere justæ retributionis.

(61) Nubium nomine, soliditas mentium accipitur: sicut per Eliu dicitur: *Subito aer cogitur in nubes* (*Job* XXXVII, 21). Aer quippe ipsa sua tenuitate aspergitur, ut nulla firmitate solidetur. Nubes autem tanto firmiores sunt, quanto densiores (62). Quid ergo per aerem nisi mentes sæculariuin designantur, quæ innumeris hujus vitæ desideriis deditæ huc illucque more aeris fluidæ

(53) Ex homil. 8 in Ezech.
(54) Ex hom. 21 in Ezech. disperse.
(55) Ex lib. XXVII, in Job, cap. V.
(56) Ibidem.
(57) Ex lib. XXVII, in Job., cap. XIX, 22.
(58) Ex lib. XXI in Job, cap. II.
(59) Ex lib. XXVII in Job, cap. V.
(60) Eodem quidem sensu, sed non iisdem omnino verbis impressa legunt exemplaria.
(61) Ex lib. XXVII in Job, cap. XXV.
(62) Hæc in cap. 11 supra dixit.

Digitized by Google

disperguntur? Quid per nubes nisi mentis soliditas intelligitur? Aer autem in nubes cogitur, cum fluxæ mentes per superni respectus gratiam virtutis soliditate roborantur, ut intra signum cordis recta sentiendo se colligant, et in vanis cogitationibus non liquescant. **40** Aer Petrus fuerat, cum per terrena desideria sparsus eum quasi aura transiens pro vita carnis cura piscationis agitabat. Aer et omnes apostoli exstiterant, qui jam per legem alta didicerant, sed necdum per fidem firma sapiebant. Subito autem aer in nubes coactus est, quia per respectum supernæ gratiæ fluxa corda piscantium in soliditatem versa sunt prædicatorum, ut eorum infirmæ cogitationes fortia sentiendo densescerent, ac amore nubium aquas scientiæ caperent, et subterjacentem terram verbis prædicationis irrigarent, peracto ministerio, ad cœli secreta recurrerent, atque ad æternam requiem finito labore pervenirent.

(63) Nubium nomine temporalia bona designantur, sicut per beatum Job dicitur: *Velut nubes pertransiit salus mea* (*Job* xxx, 15). Nubes quippe in alto eminet, sed hanc ad cursum flatus impellit. Sic nimirum, sic sunt temporalia iniquorum bona. Velut in alto quidem per honoris celsitudinem erigere videntur; sed ad cursum vitæ quotidie quasi quibusdam mortalitatis suæ flatibus impelluntur. Salus ergo ut nubes transit, quia perversorum gloria, quæ alta est, fixa non est.

(64) Nubium nomine corda superborum designantur, sicut per beatum Job dicitur: *Sicut consumitur nubes et pertransit, sic qui descendit ad inferos non ascendit* (*Job* vii, 6). Nubes quippe ad altiora suspenditur, sed densata a vento impellitur ut currat; calore autem solis dissipatur, ut evanescat. Sic nimirum corda fiunt hominum, quia per acceptæ rationis ingenium ad alta emigrant, impulsa autem maligni spiritus flatu, pravis desideriorum motibus huc illucque pertrahuntur. Sed districto respectu superni judicis, quasi solis calore liquefiunt, et semel locis penalibus tradita ad operationis usum ultra non redeunt. Vir igitur sanctus, elationis incursum defectumque humani generis exprimens, dicat: *Sicut consumitur nubes, et pertransit, sic qui descendit ad inferos non ascendet.* Ac si aperte dicat: In altum currendo deficit qui superbiendo ad interitum tendit. Quem si semel culpa ad pœnam **41** pertrahit, misericordia ulterius ad veniam non reducit.

CAPUT XIII.

DE VENTIS.

In Scriptura sacra, cum ventus singulari numero ponitur, aliquando diabolus, aliquando tentatio diaboli, aliquando prosperitas transitoria, aliquando superbia, aliquando res quælibet transitoria, aliquando concussio districti judicis designatur. Cum vero pluraliter venti dicuntur, animæ sanctorum intelliguntur.

(65) Venti nomine malignus spiritus designatur sicut de damnatione impii per beatum Job dicitur: *Tollet eum ventus urens* (*Job* xxvii, 21). Quis enim hoc loco ventus urens, nisi malignus spiritus vocatur, qui desideriorum flammas in corde excitat ut ad æternitatem suppliciorum trahat? Perversum ergo quilibet ventus urens tollere dicitur, quia insidiator malignus spiritus qui viventem quemque accendit ad vitia, morientem trahit ad tormenta. Ab hujus urentis venti adustione uniuscujusque electi mens temperatur, quando in ea vitiorum fervor exstinguitur, et desideriorum carnalium flamma frigescit. Unde et sancta Ecclesia in Sponsi sui laudibus læta clamat: *Sub umbra illius quem desiderabam sedi* (*Cant.* ii, 2), impium autem tollit ventus urens, quia videlicet malignus spiritus, eum quem nunc succenderit igne perversæ concupiscentiæ, rapit postmodum ad flammas gehennæ.

(66) **42** Venti nomine tentatio malignorum spirituum designatur, sicut ad beatum Job de filiorum ejus morte dicitur: *Filiis tuis et filiabus vescentibus et bibentibus vinum in domo fratris tui primogeniti, repente ventus vehemens irruit a regione deserti, et concussit quatuor angulos domus. Qui corruens oppressit liberos tuos, et mortui sunt* (*Job* i, 18,19). Regio deserti, immundorum est spirituum multitudo derelicta, quæ dum Conditoris sui beatitudinem deseruit, quasi manum cultoris amisit. Ab hac autem ventus vehemens venit, et domum subruit, quia ab immundis spiritibus fortis tentatio subripit, et a tranquillitatis suæ statu conscientiam evertit. In quatuor vero angulis domus subsistit, quia nimirum solidum mentis nostræ ædificium prudentia, temperantia, fortitudo, justitia sustinet. In quatuor angulis domus consistit, quia in his quatuor virtutibus tota boni operis structura consurgit. Unde et quatuor paradisi flumina terram irrigant, quia dum iis quatuor virtutibus cor infunditur ab omni desideriorum carnalium æstu temperatur. Sed nonnunquam dum ignavia menti subrepit, prudentia frigescit; nam cum fessa torpet ventura non providet. Nonnunquam dum nonnulla menti delectatio surrepit, temperantia nostra marcessit. In quantum enim ad delectationem præsentium ducimur, in tantum minus ab illicitis temperamur. Nonnunquam se timor cordi insinuat, et vires nostræ fortitudinis turbat: et eo minores contra adversa existimus, quo quædam perdere immoderatius dilecta formidamus. Nonnunquam vero amor suus se menti ingerit, eamque latenti motu a rectitudine justitiæ divertit, et quo se totam auctori reddere negligit, eo in se justitiæ juri contradicit. Ventus ergo vehemens quatuor angulos domus concutit, dum fortis tentatio occultis motibus quatuor virtutes quatit. Et quasi quassatis angulis domus obruitur, dum pulsatis virtutibus conscientia turbatur. Intra hos autem quatuor domus angulos filii convivantur, quia intra arcana mentis, quæ principaliter his quatuor vir-

(63) Ex lib. xx in Job, cap. xx, 22.
(64) Ex lib. viii in Job, cap. x, 114.
(65) Ex lib. xviii in Job, cap. xii, post medium.
(66) Ex lib. ii in Job., cap. xxvi, in initio, 36.

Digitized by Google

tutibus ad summæ rectitudinis culmen erigitur, virtutes cæteræ quasi quædam cordis soboles se invicem pascunt. Donum quippe spiritus, 43 quod in subjecta mente, ante alia, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam, format eamdem mentem ut contra singula quæque tentamenta eruditat, in septem mox virtutibus temperat, ut contra stultitiam sapientiam, contra hebetudinem intellectum, contra præcipitationem consilium, contra timorem fortitudinem, contra ignorantiam scientiam, contra superbiam det timorem.

Sed nonnunquam dum mens nostra tanti muneris plenitudine atque ubertate fulcitur, si continuo in his securitate perfruitur, a quo sibi hæc sint oblivisciur, seque a se habere putat quod nunquam sibi abesse considerat. Unde fit ut aliquando se hæc eadem gratia utiliter subtrahat, et præsumenti menti quantum in se infirmetur, ostendat. Tunc enim vere cognoscimus bona nostra, unde sint, quando hæc *quasi amittendo* sentimus quæ a nobis servari non *possunt*. Ad hoc itaque intimandæ humilitatis magisterium, fit plerumque ut irruente tentationis articulo, tanta stultitia sapientiam nostram feriat, ut turbata mens, qualiter malis imminentibus obviet, vel contra tentationem quomodo se præparet ignoret. Sed hac ipsa stultitia cor prudenter eruditur : quæ unde ad momentum desipit, eo post verius, quo et humilius sapit, et sapientia, unde quasi amittitur, inde certius possidetur. Aliquando dum sublimia *intelligendo* in elatione se animus erigit, in rebus imis et vilibus, gravi hebetudine pigrescit, ut repente sibi etiam ima clausa videat qui pernix summa penetrabat. Sed hæc ipsa hebetudo intellectum nobis, dum subtrahit, servat, quia dum ad momentum cor humiliat, verius ad sublimia intelligenda confirmat. Aliquando dum cuncta nos agere consilii gravitate gaudemus, pulsante causæ emergentis articulo præcipitatione subita rapimur, et qui nos semper disposite vixisse credidimus repente intima *confusione* vastamur. Sed tamen ejusdem confusionis eruditione discimus, ne nostris viribus consilia nostra tribuamus, et tanto maturius ad gravitatem restringimur, quanto ad hanc quasi amissam redimus. Aliquando dum mens adversa fortiter contemnit, subortis adversitatis eventibus hanc metus vehemens 44 percutit. Sed per hunc concussa discit cui tribuat quod in quibusdam fortiter stetit, ei tanto post validius fortitudinem retinet, quanto hanc repente irruente formidine sibi jam quasi elapsam videt. Aliquando dum magna nos scire gaudemus, repentinæ ignorantiæ cæcitate torpescimus. Sed quo ignorantia mentis oculus ad momentum clauditur, eo post ad scientiam verius aperitur, ut nimirum flagello suæ cæcitatis eruditus scire ipsum a quo habeat sciat. Aliquando dum religiose cuncta disponimus, dum pietatis viscera plene nos habere gratulamur, quadam mentis duritia irruente A percutimur. Sed quasi obdurati cognoscimus cui pietatis habitæ dona tribuamus, et pietas verius velut exstincta recipitur, dum quasi amissa et amplius amatur. Aliquando dum subjectum se divinæ formidini animus gaudet, repente superbia temperante rigescit; sed tamen valde mox timens, quia non timet, ad humilitatem iterum se festinus inflectit, et tanto hanc solidius recipit, quanto ejus virtutis pondus quasi amittendo pensavit.

Eversa igitur domo moriuntur filii : quia turbata in tentatione conscientia ad utilitatem propriæ cognitionis rapiuntur in momento temporis, obruuntur genitæ in corde virtutes. Qui profecto filii intus per spiritum vivunt, dum exterius carne moriuntur, quia videlicet et virtutes nostræ tentationis tempore, B etsi in momento turbatæ ab status sui incolumitate deficiunt, per intentionis tamen perseverantiam integræ in mentis radice subsistunt. Cum quibus etiam tres sorores occumbunt, quia in corde nonnunquam per flagella turbatur charitas, per formidinem concutitur spes, per quæstiones pulsatur fides. Sæpe enim quasi a Conditoris amore torpescimus, dum ultra quam nobis congruere credimus, flagello fatigamur. Sæpe dum plusquam necesse est mens formidat, fiduciam sibimet spei debilitat. Sæpe dum immensis quæstionibus animus tenditur, perturbata fides, quasi defectura fatigatur. Sed tamen vivunt filiæ quæ domo concussa moriuntur, quia etsi intra conscientia spem, C fidem, charitatem occumbere perturbatio ipsa 45 renuntiat, has tamen ante Dei oculos vivas perseverantia rectæ intentionis servat. Unde et puer qui hoc nuntiat, solus evadit, quia mentis discretio etiam inter tentamenta incolumis permanet. Agitque puer, ut Job filios flendo recipiat, dum discretione nuntiante dolens animus vires quas quasi amittere cœperat, plenitudo conservat. Mira autem hoc nobiscum agitur dispensatione, ut mens nostra culpæ nunquam pulsatione feriatur. Nam esse se magnarum virium homo crederet, si nullum unquam earumdem virium defectum intra mentis arcana sentiret. Sed dum tentatione irruente quatitur, et quasi ultra quam sufficit fatigatur, ei contra hostis sui insidias munimen humilitatis ostenditur, et unde se pertimescit enerviter cadere, inde accipitur fortiter D stare.

(67) Venti nomine prosperitas transitoria ostenditur, sicut per beatum Job dicitur : *Elevasti me, et quasi super ventum ponens elisisti me valide* (*Job* xxx, 22). Quid enim per ventum nisi transeuntis vitæ prosperitas designatur? Sed quia præsentis vitæ gloria, quasi in alto cernitur, et nulla stabilitate solidatur, elevatus velut super ventum ponitur, qui prosperitate transitoria lætatur, quando ad hoc solum hunc fugitivæ felicitatis aura sublevat, ut repente deterius in infimis sternat. Quia enim sancta Ecclesia, quæ per beatum Job designatur,

(67) Ex lib. xx in Job, cap. xxiv, in initio, 25.

Digitized by Google

cunctis in honore est, infirmi quique in ea qui transitoriis successibus lætantur, quo nisi super ventum positi videntur elevati? Quia subsequenti persecutionis tempore dum prosperitatis aura pertransit, eorum protinus elevatio corruit, et repente cadentes discunt, quia elevati prius in vento sederunt (68). Quæ videlicet verba etiam beati Job personæ specialiter congruunt, non ad id quod erat, sed ad id quod esse videbatur. Neque enim mentem illius prosperitas fugitiva elevaverat, quam inter tot rerum affluentias miro semper virtutis pondere **48** premebat. Sed juxta hoc quod exterius videri potuit, qui in suis humilis, in alienis oculis elevatus fuit, quasi super ventum positus, elisus est valide, quia rebus exterioribus fultus unde æstimabatur surgere, inde videbatur cecidisse. Quem videlicet casum sanctus vir in mente non pertulit, quia nulla adversitas dejicit quem prosperitas nulla corrumpit. Qui enim veritati inhæret, vanitati nullo modo succumbit. Quia dum forti pede cogitationis intus intentionem fixerat, omne quod foris mutabiliter agitur, ad arcem mentis minime pertingit.

(69) Venti nomine superbiæ tumor intelligitur sicut de malitiosis hominibus per prophetam dicitur : *Traxerunt ventum quasi dracones* (*Jer.* XIV, 6). Quid enim draconum nomine nisi malitiosi homines designantur? Venti vero nomine superbiæ inflatio intelligitur. Perversi ergo ventum quasi dracones trahunt, cum per malitiosa superbia inflantur.

(70) Venti nomine quælibet res transitoria designatur, sicut a beato Job sub persona infirmorum dicitur : *Abstulisti quasi ventus desiderium meum* (*Job* XXX, 15). Quid venti nomine nisi res transitoria accipitur? Ventus ergo desiderium tollit, cum res quælibet transitoria æternitatis appetitum destruit (71). Fidelis se pati denuntiat, quod eos quos diligit pati dolet. Qui despectis supernis promissionibus terrena desiderant; et si quando in eorum mente aliquid de appetitu æternitatis oritur, suborta citius transitoria delectatione dissipatur.

(72) Venti nomine concussio extremi judicii intelligitur, sicut propheta Ezechiele testante didicimus, qui ejusdem judicii terrorem contemplans, ait : *Et vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone* (*Ezech.* I, 4). Venti namque nomine perturbatio ultimi judicii; aquilonis vero nomine peccatorum frigiditas designatur. Ventus ergo turbinis ab aquilone venit, quia **47** nimirum causa peccatorum exigit ut districti judicii concussio omnia simul elementa perturbet.

(73) Velocitate ac sublimitate ventorum solent animæ sanctorum signari, sicut per Psalmistam de Deo dicitur : *Qui ambulat super pennas ventorum* (*Psal.* CIII, 3), id est qui transgreditur virtutes animarum. Hinc iterum a beato Job dicitur : *Qui fecit ventis pondus* (*Job* XXVIII, 25). Ventis namque Dominus pondus fecit, quia, dum superna sapientia replet animas, eas maturitate indita graves reddit, non illa gravitate qua dicitur : *Filii hominum usquequo gravi corde?* (*Psal.* IV, 3.) Aliud namque est gravem esse per consilium, aliud per peccatum. Aliud est gravem esse per constantiam, aliud per culpam. Ista enim gravitas pondus habet oneris, illa virtutis. Pondus ergo accipiunt animæ, ut ab intentione Dei, non jam levi motu dissiliant, sed in eum fixa constantiæ gravitate consistant. Adhuc ille populus leviter movebatur, de quo per prophetam dicitur : *Abiit vagus in viam cordis sui* (*Isa.* LVII, 17, 18). Viam ejus vidi, et dimisi eum. Grave autem consilium cordis omnem inconstantiam vagationis expellit. Et quoniam sunt animæ quæ levi motu, nunc ista, nunc illa desiderent, omnipotens Deus, quia ipsas leves fluctuationes mentium non leviter pensat, vagationem cordis relinquendo dijudicat. Sed cum per gratiam respicit, vagam mentem in consilii stabilitatem figit. Recte ergo nunc dicitur qui fecit ventis pondus, quia cum leves motus animi misericorditer dignatur aspicere, hunc protinus ad constantiæ maturitatem format. Vel certe ventis pondus facere est concessam hic electis de virtutibus gloriam permista infirmitate temperare.

48 CAPUT XIV.

DE AUSTRO.

In Scriptura sacra austri nomine aliquando Spiritus sanctus, aliquando Judæa, aliquando vita remissa, aliquando quilibet fervens spiritu designatur.

(74) Austri nomine Spiritus sanctus intelligitur, sicut in Canticis canticorum dicitur : *Surge, aquilo; et veni, auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius* (*Cant.* IV, 16). Per aquilonem quippe malignus spiritus intelligitur. Per austrum vero, qui nimirum calidus ventus est, non immerito Spiritus sanctus designatur, quo quisque dum tangitur, ab iniquitatis suæ torpore liberatur. Aquilo autem jubetur ut surgat, ut nimirum is qui mortalium corda restringit, adversarius spiritus fugiat. Auster venit et hortum perflat, ut ejus aromata defluant, quia per adventum sancti Spiritus dum mens hominum repletur, ex ea mox opinio virtutum aspergitur, ut jure jam sanctorum lingua quasi hortus austro perflatus dicat : *Christi bonus odor sumus Deo* (*II Cor.* II, 15).

(68) Al. *in ventum se dederunt*. Sic accep. Greg. impressa.
(69) Ex lib. XX in Job, cap. XXIX, 28.
(70) Ex lib. X in Job, cap. XX, 22.
(71) Hæc sunt in explicatione verborum : *Redactus sum in nihilum* (*Job* XXX, 15).
(72) Simile quid habet Greg. sub finem hom. 18, in Ezech.
(73) Ex lib. XIX in Job, cap. IV, in initio.
(74) Ex lib. XXVII in Job, cap. XXIII, 24. Et lib. IX, cap. XV, 16 eodem sensu pene, sed aliis verbis idem scribitur.

Digitized by Google

(75) Austri nomine Judæa intelligitur sicut per Isaiam de gentium conversione loquens Dominus dicit : *Dicam aquiloni : Da; et austro : Noli prohibere* (*Isa.* XLIII, VI). Sicut enim per aquilonem gentilitas, sic per austrum Judæa signatur, quæ quasi meridiano sole incaluit, quia Redemptore in carne apparente fervorem fidei prima suscepit. Aquiloni ergo dicitur, da, cum offerte Deo suæ fidei munera gentilitas imperatur (76). Et quia conversis ad fidem gentibus primum Judæa contradixit, et ad præmiorum retributionem cœlestium designabatur suscipere eos qui dudum fuerant cultores idolorum : unde et post conversionem gentium Petro 49 dicitur : *Quare introisti ad viros præputium habentes et comedisti cum eis* (*Act.* XI, 4). Ideo austro jubetur ne prohibeat, quia Hebræis in fide consistentibus præcipitur ne vitam gentium repellendo condemnent.

(77) Austri nomine vita remissa designatur, sicut Job dicitur : *Considerate semitas Theman, itinera Saba, et exspectate paulisper* (*Job* VI, 19). Theman quippe *auster*, Saba autem *rete* interpretatur. Quid ergo per austrum, qui afflata torporibus membra dissolvit, nisi fluxa vivendi remissio? quid per rete nisi actionis obligatio demonstratur? Qui enim dissoluta mente ea quæ terrena sunt appetunt, nec gressu libero ad Deum pergunt, ipsi se suis inordinatis conatibus ligant. Cumque fluxis cogitationis suæ actibus implicantur, quasi remansuros in retis vinculis pedes ponunt. Sicut enim quidam ad devictas jam culpas per aperta quædam et non devicta retrahuntur, ita nonnulli ad ea quæ reliquerant redeunt, per quædam quæ vel honestatis nomine vel laudis honore palliantur. Nam sunt plerique qui jam aliena non appetunt, atque ab hujus mundi jurgiis inchoato quietis amore dividuntur, eruditi sacris eloquiis sitiunt, vacare supernis contemplationibus concupiscunt : nec tamen perfecti animi libertate terrarum familiarium deserunt, cui sæpe dum licite serviunt, etiam cum illicitis hujus mundi jurgiis implicantur. Cumque terrenas res studiose tueri desiderant, cordis requiem deserunt quam quærebant; et cum substantia fugiens continua provisione protegitur, conceptus in animo divinæ scientiæ sermo dissipatur, quia juxta veritatis sententiam, obortum semen spinæ opprimunt cum verbum Dei a memoria importunæ terrenarum rerum sollicitudines expellunt (*Matth.* XIII, 7; *Luc.* VIII, 14). Dissolutis itaque gressibus in rete ambulant qui dum mundum perfecte non deserunt, semetipsos gradiendo obligant ne gradiantur. Et sunt nonnulli, qui non solum aliena non appetunt, verum etiam cuncta quæ possident in mundo derelinquunt, semetipsos abjiciunt, nullam præsentis vitæ gloriam quærunt, ab hujus mundi se actionibus separant, et pene quidquid prosperitatis arriserit, calcant; sed tamen adhuc vinculo carnalis cognationis 50 obligati, dum amori propinquitatis indiscrete deserviunt, ad ea sæpe per affectum cognationum redeunt quæ jam proprio despectu subegerunt. Cumque plusquam necesse est carnis propinquos diligunt, retracti exterius a cordis parente dividuntur. Nam sæpe quosdam vidimus, quantum ad proprium studium spectat, jam præsentis vitæ desideria non habere et mundum opere et professione reliquisse; sed tamen pro inordinatis affectibus propinquorum prætoria irrumpere, terrenarum rerum jurgiis vacare, libertatem intimæ quietis relinquere, et mundi in se studia jam dudum destructa reparare.

Quo itaque isti nisi in rete ambulant, quos a præsenti sæculo inchoata jam vitæ perfectio solverat, sed inordinatus amor terrenæ cognationis ligat? Qui enim districto studio et non dissolutis gressibus æternæ promissionis præmium sequuntur, sicut semetipsos pro divino amore despiciunt, sic cuncta quibus se sentiunt præpediti postponunt; et cum pro Deo necesse est, ut quibus valent inserviant, pro Deo privata obsequia etiam propinquis negant. Sed indiscretæ mentes hanc vivendi regulam nesciunt, et quo vias Dei dissolute appetunt, eo ad mundi itinera stulte replicantur. Recte ergo vir sanctus post Theman semitas, Saba itinera memorat, quia quos auster reprobi temporis solverit, hos nimirum rete implicationis tenet. Bene autem pravorum facta describens considerare hæc admonet nos, quia perversa agendo diligimus, sed hæc visa in aliis dijudicamus, et quæ in nobis minus dijudicanda credimus, quam sint turpia in aliorum actione cognoscimus : sicque fit ut ad semetipsam redeat mens, et agere quod reprehendit erubescat, et quasi a speculo fœda facies displicet, dum mens a vita simili in se ipsa quod adversetur videt. Ait ergo : *Considerate semitas Theman, itinera Saba, et exspectate paulisper.* Ac si aperte diceret : Damna alieni temporis attendite, et tunc spem de æternis firmius sumitis, si recto cordis oculo quod in aliis displiceat videtis.

Bene autem dicitur : *Exspectate paulisper.* Sæpe enim dum vitæ præsentis brevitas quasi diu perseveratura diligitur, ab æterna spe animus frangitur, et 51 delectatus præsentibus, desperationis caligine reverberatur. Cumque longum putarit quod ad vivendi sibi spatium restat : repente vitam deserens æterna invenit quæ vitare jam nequeat. Recte itaque dicitur exspectare paulisper, quia immensum est quod sine termino sequitur, et parum quidquid finitur. Longum quippe nobis videri non debet quod cursu sui temporis tendit ut non sit.

(78) Austri nomine quilibet fervens spiritu designatur, sicut per Ezechielem dicitur : *Et eduxit me ad viam australem, et ecce porta quæ respiciebat ad austrum* (*Ezech.* XL, 24). Sicut aquilonis frigore peccatores, sic per australem jam ferventes spiritu designantur, qui calore sancti Spiritus accensi, ve-

(75) Ex lib. XXVII in Job, cap. 26.
(76) Hom. 18, in Ezechiel.
(77) Ex lib. VII in Job, cap. XIV, in principio, 17.
(78) Ex Hom. 19, in Ezech.

Digitized by Google

lat in meridiana luce virtutibus excrescunt. Notandum vero quia in spirituali ædificio alter aditus ad orientem, alius ad aquilonem, atque alius ad austrum patet. Per orientem quippe inchoantes, per aquilonem lapsi, per austrum ferventes spiritu designantur. Porta ergo ad orientem est fides, quia per ipsam lux vera nascitur in mente. Porta ad aquilonem est spes, quia unusquisque in peccatis positus, si de venia desperavit, funditus perit. Unde necesse est ut qui per suam iniquitatem exstinctus est, per spem misericordiæ reviviscat. Porta vero ad meridiem est charitas, quia igne amoris ardet. In meridiana enim parte sol in altum ducitur, quia per charitatem lumen fidei in Dei et proximi dilectione sublevatur. Patet ergo porta ad orientem, ut hi qui sacramenta fidei bene inchoaverunt, et in nullam postmodum vitiorum profunditatem demersi sunt, ad gaudia secreta perveniant. Patet porta ad aquilonem, ut hi qui post inchoationem caloris et luminis peccatorum suorum frigore et obscuritate dilapsi sunt, per compunctionem pœnitentiæ ad veniam redeant, et quæ sit internæ retributionis vera lætitia cognoscant. Patet porta ad meridiem, ut hi qui sanctis desideriis in virtutibus fervent, spirituali intellectu quotidie interni gaudii mysteria penetrent. Inter **52** hæc autem quæri potest cur quatuor mundi partes sint, cur in hoc ædificio non quatuor, sed tres portæ esse memorantur. Quod recte quærendum fuerat, si propheta non spirituale, sed corporale ædificium, vidisset; sancta enim Ecclesia, id est speciale ædificium ut ad secreta gaudia pertingat, tres solummodo portas habet, videlicet fidem, spem et charitatem. Tribus igitur tantum portis ad interius atrium tenditur; quia per fidem, spem atque charitatem ad gaudia secreta pervenitur.

CAPUT XV.

DE AQUILONE.

In Scriptura sacra aquilonis nomine aliquando malignus spiritus, aliquando gentilitas, aliquando peccatorum frigiditas designatur.

(79) Aquilonis nomine malignus spiritus intelligitur, sicut beatus Job de Domino et eodem diabolo loquens, dicit : *Qui extendit aquilonem super vacuum* (*Job* xxvi, 7), pro eo namque quod ventus aquilo constringit in frigore, non incongrue aquilonis nomine torpor maligni spiritus designatur. Quod Isaias quoque testatur, qui dixisse diabolum denuntiat, dicens : *Sedebo in monte testamenti in latere aquilonis* (*Isa.* xiv, 13). Malignus enim spiritus montem testamenti tenuit, quia Judaicum populum qui legem acceperat sibi per perfidiam subjugavit. Quando enim corda doctorum tenet, monti testamenti diabolus præsidet ; qui etiam in lateribus aquilonis sedet, quia mentes hominum frigidas possidet. Bene ergo superextendi diabolus dicitur, quia illa corda possidet quæ divini amoris gratia non replentur.

(80) Aquilonis nomine gentilitas designatur, sicut in libro beati Job ab Heliu dicitur : *Ab aquilone aurum veniet* (*Job* xxxvii, 22). Quid enim per aquilonem nisi peccati frigore constricta gentilitas designatur? Quid vero auri nomine nisi animæ fideles exprimuntur? Unde per Jeremiam de quibusdam a bono tepescentibus dicitur : *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus* (*Thren.* iv, 1). Aurum quippe obscuratum doluit, quia in quibusdam claritatem innocentiæ versam in culpæ nigredinem vidit. Ab aquilone ergo aurum venire dicitur, quia per respectum gratiæ Redemptoris a gentilitate dudum perfidiæ torpore frigida in sancta Ecclesia pretiosa Deo vita fidelium multiplicatur. Ab aquilone etenim aurum venit, cum ab ipsis idolorum cultoribus vera in Domino fides clarescit.

(81) Aquilonis nomine peccatorum frigiditas designatur, sicut Ezechiel propheta ultimum judicium ad feriendum peccatores agendum conspiciens ait : *Et vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone* (*Ezech.* i, 4). Quid enim ventus turbinis aliud accipitur, nisi perturbatio judicii? Quid vero aquilonis nomine nisi peccatorum frigiditas intelligitur? Ventus autem turbinis ab aquilone venit, quia nimirum causa peccatorum exigit ut districti judicii concussio omnia simul elementa perturbet. Terror enim perturbationis ultimæ inde venire dicitur unde generatur. Nam quia ad feriendas frigidas peccatorum mentes judicium perturbationis ultimæ agitur, recte ab aquilone ventus turbinis venire perhibetur. Quæ videlicet concussio apte ventus turbinis esse dicitur, quia in illo die cunctorum, qui esse in carne mortali inventi fuerint, in pavore nimio corda commovebuntur.

54 CAPUT XVI.

DE FULGURE.

In Scriptura sacra fulguris vel fulminis nomine aliquando exsecratio superni timoris, aliquando miracula sanctorum, aliquando extremi judicii sententiæ signantur.

(82) Fulguris nomine excitatio divini terroris intelligitur, sicut per Ezechielem dicitur : *Et hæc erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, et de igne fulgur egrediens* (*Ezech.* i, 13). Ignis enim nomine sanctus Spiritus signari solet. De quo in Evangelio Dominus dicit : *Ignem veni mittere in terram. Et quid volo nisi ut accendatur?* (*Luc.* xii, 49.) Cum enim carnalis mens Spiritum sanctum accipit, spiritali amore succensa malum plangit quod fecit. Et terra ardet, quando accusante se conscientia cor peccatoris uritur, atque in dolore pœnitentiæ crematur. Fulguris vero nomine terror divinus designatur. Sanctus ergo Spiritus in medio animalium splendor ignis, et de igne fulgur egrediens discur-

(79) Ex lib. xvii in Job, cap. xiv; et maxime hom. Ezech.

(80) Ex lib. xxvii in Job, cap. xxvi.

(81) Ex hom. ii, in Ezech. i, in exposit. horum verborum : *Et in medio ejus similitudo quatuor animalium.*

(82) Ex hom. v, in Ezech.

Digitized by Google

rere dicitur, quia universam Ecclesiam replens, in electorum cordibus ex seipso flammas amoris projicit; ut corusci more per terrorem feriat, et ad amorem suum corda torpentia accendat. (83) Splendor ignis, et de igne fulgur egrediens inter pennata animalia discurrit, quia Spiritus sanctus simul singulis atque omnibus præsto fit, et incendit quos contigerit, et illuminat quos incendit, ut post frigus pristinum accensi ardeant, et per ignem amoris quem acceperint, flammas exemplorum reddant. Fulgur quippe de hoc igne egrediens torpentes mentes percutit, eas percutiendo excitat et inflammat, ut post amorem illius ardentes pariter et lucentes currant.

55 (84) Fulgurum nomine miracula sanctorum designantur, sicut ad beatum Job a Domino dicitur: *Nunquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi: Adsumus?* (*Job* xxxviii, 35.) Quid enim per fulgura, nisi sanctorum prædicatorum miracula exprimuntur? Fulgura quippe ex nubibus exeunt, sicut mira opera ex sanctis prædicatoribus ostenduntur: qui idcirco nubes vocari solent, quia et coruscant miraculis et pluunt verbis. Et quia humana corda, postquam per prædicationem mota non fuerint, istis miraculorum fulgoribus conturbantur, propheta attestante didicimus, qui ait: *Fulgura multiplicabis, et conturbabis eos* (*Psal.* xvii, 15). (85) Ac si diceret: Dum verba prædicationis tuæ non audiunt, per prædicantium miracula conturbantur. Dicitur ergo ad beatum Job: *Nunquid mittes fulgura, et ibunt: et revertentia dicent tibi: Adsumus?* Subaudis, ut mihi. Vadunt enim fulgura, cum prædicatores miraculis coruscant, et superna revertentia auditorum corda transfigunt. Revertentia vero dicunt: Adsumus, cum non sibi, sed Dei viribus tribuunt quidquid se fortiter egisse cognoscunt. Quid est enim Deo dicere, adsumus? Quoddam namque in hoc verbo declaratur obsequium. Revertentes itaque prædicatores sanctos dicere, adsumus, est illi laudem tribuere gratiæ a quo se accepisse sentiunt victoriam pugnæ, ne sibi tribuant quod operantur. Et ire quidem fulgura operando possunt, sed reverti superbiendo non possunt. Videamus fulgur vadens. Claudo cuidam ait Petrus: *Argentum et aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Jesu Christi Nazareni surge et ambula. Et apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum, et protinus consolidatæ sunt bases ejus, et plantæ, et exsiliens stetit et ambulabat* (*Act.* iii, 6, 7). Sed cum de hoc facto Judæorum turba fuisset commota, videamus nunc fulgur rediens quod ait: *Viri Israelitæ, quid admiramini in hoc, aut nos quid intuemini quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus patrum nostrorum glorificavit puerum suum Jesum* (*ibid.*, 12; 13), et paulo post: *Cujus nos testes sumus, et in fide nominis ejus hunc quem* **56** *videtis et nostis, confirmavit nomen ejus, et fides quæ per eum est dedit, integram sanitatem istam, in conspectu omnium vestrum* (*ibid.*, 15, 16). Id ergo fulgur cum Petrus miraculum facit redit, cum non sibi tribuit quod facit. Vadunt itaque fulgura, cum prædicatores sancti mira opera ostendunt, sed revertendo dicunt, adsumus, cum in eo quod faciunt ad potentiam auctoris recurrunt.

(86) Fulminum nomine tremendæ extremi judicii sententiæ exprimuntur, sicut ad beatum Job de diaboli damnatione Dominus loquens, ait: Mittet contra eum fulmina, et ad locum alium non ferentur (*Job* xli, 14). Quid enim fulminum appellatione, nisi tremendæ illæ extremi judicii sententiæ designantur? Quæ idcirco fulmina vocantur, quia nimirum eos quos feriunt, in perpetuum incendunt; fulmen namque super diabolum venire Paulus aspexerat, cum dicebat: *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui* (*II Thess.* ii, 8). Hæc autem quæ in eum mittentur fulmina, ad locum alium non ferentur, quia justis gaudentibus solis tunc reprobos feriunt. Nam post trituram vitæ præsentis, in qua nunc triticum sub paleis gemit, ita illo extremi judicii ventilabro inter triticum palcasque discernitur, ut nec in tritici horreum palcæ transeant, nec in palearum ignem horrei grana delabantur. Illa ergo fulmina locum alium nequaquam tangunt, quia videlicet igne suo non grana, sed paleas incendunt.

57 CAPUT XVII.

DE TONITRUO.

In Scriptura sacra tonitrui nomine aliquando incarnatus Dominus Jesus Christus, aliquando prædicatio superni terroris accipitur.

(87) Tonitrui nomine incarnatus Dominus intelligitur, qui ex antiquorum Patrum conveniente prophetia ad notitiam nostram quasi ex nubium concursione, prolatus est, qui inter nos visibiliter apparens, ea quæ super nos erant terribiliter sonuit. Unde et ipsi sancti apostoli de ejus gratia generati, Boanerges, id est filii tonitrui sunt vocati.

(88) Tonitrui nomine prædicatio superni terroris accipitur, undo beatum Job Dominus interrogat dicens: *Quis dedit vehementissimo imbri cursum, et viam sonantis tonitrui* (*Job* xxxviii, 25). Imber enim vehementissimus est vis immensa prædicationis. Tonitrui vero via, prædicatio superni terroris accipitur. Quem terrorem dum percipiunt humana corda, quatiuntur. Sed quia quilibet prædicator verba auribus dare potest, corda vero aperire non potest; et nisi per internam gratiam solus omnipotens Deus prædicantium verbis ad corda audientium invisibili-

(83) Hæc habentur paulo post superiora.
(84) Ex lib. xxx in Job, cap. xxi.,
(85) Hunc locum omnes versiones legunt, v. 15, in præsenti perfecti, persona tertia.

(86) Ex lib. xxxiv in Job. cap. v, 13.
(87) Ex lib. in Job, xxix, cap. xiii, 15, post medium.
(88) Ex loco nunc signato.

Digitized by Google

ter aditum præstet, incassum prædicatio aure audientis percipitur, quæ pervenire ad intima surdo corde prohibetur. Se Dominus vehementissimo imbri cursum et viam sonantis tonitrui dare asserit, qui cum prædicationis verba tribuit, per terrorem corda compungit. Hanc viam Paulus prædicator egregius, dum superna mysteria terribiliter intonaret, se a se habere non posse conspiciens discipulos admonebat, dicens . *Orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium verbi ad loquendum mysterium Christi* (*Col.* IV, 3). **58** Qui ergo loquebatur mysteria, sed in corde audientium eisdem mysteriis a Domino aperiri ostium precabatur, habebat jam quidem tonitruum, sed dari ei desuper viam quærebat. Hanc viam rursum quis daret intimabat, dicens : *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus* (*I Cor.* III, 7).

CAPUT XVIII.

DE NIVE.

In Scriptura sacra nivis nomine aliquando candor vitæ cœlestis, aliquando frigida corda pravorum, aliquando sublimia corda sanctorum, aliquando animadversio superni judicii designantur.

(89) Nivis nomine candor vitæ cœlestis designatur, sicut per Jeremiam de Nazaræis dicitur : *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores* (*Thren.* IV). Quid enim Nazaræorum nomine, nisi abstinentium et continentium vita designatur, quæ nive et lacte candidior dicitur ? Nix enim ex aqua congelascit quæ desuper venit. Lac autem ex carne exprimitur, quæ in inferioribus nutritur. Quid ergo per nivem, nisi candor vitæ cœlestis; quid per lac nisi temporalis dispensationis administratio demonstratur ? Et quia plerumque continentes viri in Ecclesia tam mira opera faciunt, ut ab eis multi, qui cœlestem vitam tenuerunt, multi qui terrena bene dispensaverunt, superari videantur, et candidiores nive et nitidiores lacte referuntur. Qui etiam quia per fervorem spiritus, antiquorum ac fortium Patrum nonnunquam vincere vitam videntur, recte adjungitur : *Rubicundiores ebore antiquo.* Dum enim ruboris nomen imprimitur, sancti desiderii flamma signatur. Ebur vero esse os magnorum animalium non ignoramus. **59** Ebore itaque antiquo rubicundiores sunt, quia sæpe ante humanos oculos nonnullis præcedentibus Patribus studii ferventioris existunt. De quibus ut totum simul ostendatur, adjungitur: *Sapphiro pulchriores.* Ætherei quippe coloris est sapphirus. Et quia præcedentes multos, atque ad superna tendentes, per cœlestem conversationem videntur vincere, narrantur sapphiro pulchriores exstitisse.

Nivis vel grandinis nomine, frigida pravorum corda designantur, sicut ad beatum Job Domino interrogante dicitur : *Nunquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti, quæ paravi in tempus hostis et in diem pugnæ et belli ?* (*Job* XXXVIII, 22). Quid enim aliud in nive, vel grandine, nisi frigida ac dura intelligenda sunt corda pravorum ? Sicut enim fervore charitas, sic solet in sacro eloquio, frigore malitia designari. Scriptum namque est : *Sicut frigidam facit cisterna aquam, sic facit animam malitia sua* (*Jer.* VI, 7). Et rursum : *Abundabit iniquitas, et refrigescet charitas multorum* (*Matth.* XXIV, 12). In frigore ergo nivis, vel in duritia grandinis, quid accipi aptius potest quam vita pravorum, quæ et per torporem frigescit, et per duritiæ malitiam percutit? Quorum tamen vitam Dominus tolerat, quia eos ad justorum suorum probationem servat. Unde apte subjunxit : *Quæ præparavi in tempus hostis et in diem pugnæ et belli*, ut cum adversarius noster diabolus tentare nos nititur, eorum moribus, quasi suis contra nos armis utatur. Per ipsos quippe nos sæviens cruciat, sed nesciens purgat. Peccatis namque nostris ipsi flagellum fiunt, de quorum tali vita dum percutimur, ab æterna morte liberamur. Unde agitur ut electorum vitæ proficiat etiam perdita vita reproborum, et utilitati nostræ, dum illorum perditio militat, mira dispensatione fiat, quatenus electis Dei non pereat etiam omne quod perit.

(90) Nivis nomine sublimia corda sanctorum designantur, sicut per Eliu dicitur : *Qui præcipit nivi ut descendat in terram* (*Job* XXXVII, 6). Quia Psalmista ait : *Lavabis me, et super nivem dealbabor* (*Ps.* L). Quid hoc loco per **60** nivem, nisi per lucem justitiæ candida accipimus corda sanctorum? Aquæ autem ductæ in superioribus constipantur, ut nives fiant. Sed cum hæ ipsæ nives ad terram veniunt, in aquarum iterum liquorem vertuntur. Aquæ igitur sunt prædicatorum mentes, quæ dum ad contemplanda superna se erigunt, altiori intellectu solidantur. Cumque in summa consideratione rapiuntur, virtutem confirmationis accipiunt. Sed quia in terris adhuc fraterna dilectione retinentur, semetipsas ab alto intellectu modificant : et infirmis humiliter prædicantes, more nivium, corda arentium liquatæ rigant. Nives ergo ad terram de cœlestibus veniunt, cum sublimia corda sanctorum, quæ jam solida contemplatione pascuntur, pro fraterna charitate ad humilia prædicationis verba descendunt. Sicut enim nix terram, cum jacet, operit; cum vero liquatur, rigat ; ita sanctorum virtus per firmitatem suam apud Deum vitam peccatorum protegit, et per condescensionem suam quasi liquefacta arentem terram, ut fructus proferat, infundit. Et quia aqua prius ab inferioribus trahitur, ut post a superioribus sparsa reddatur, sancti quique etiam cum in virtutis arce consistunt, unde elevati sunt, considerant, ne alienæ infirmitatis abjecta contemnant. Quasi ergo aquæ ad terras, de quibus sublevatæ sunt redeunt, dum condescendentes, justi peccatoribus, reminisci non desinunt quod fuerunt. Certe aqua terris adhuc

(89) Ex lib. XXXII in Job, cap. XVII, post medium, 23

(90) Ex lib. XXVII in Job, cap. XIV, 17.

Digitized by Google

Paulus fuerat, cum legem carnaliter sapiebat. Sed A ductus ad cœlestia, in nivem versus est, quia quod prius infirmum sapuit, ad soliditatem veræ intelligentiæ commutavit; et tamen condescendens fratribus, quasi nix ima repetiit, quia post virtutum culmina, quam fuerit indignus agnoscit dicens : *Qui prius fui blasphemus et persecutor, et contumeliosus; sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate* (*I Tim.* I, 13, 14). Ecce quam clementer suæ imbecillitatis reminiscitur, ut aliorum æquanimiter infirma patiatur. Quasi enim ad terram, de qua sumpta fuerat, post cœlum aqua rediit, dum suæ tanta contemplationis arcana peccatorem se Paulus meminit, ut prodesse humiliter peccatoribus possit.

Videamus itaque aqua hæc in nivis **61** soliditatem vertenda, qualiter trahatur, ad summa, ait : *Sive mente excedimus Deo* (*II Cor.* V, 13). Videamus qualiter ad ima nix redeat, ut dum liquatur, infundat. Ait : *Sive sobrii sumus vobis* (*ibid.*) Videamus *qua manu* ducitur, ut et jacens elevari valeat, et sublevatus revocari. Ait : *Charitas Christi urget nos* (*ibidem.*, 14). Quia igitur charitas Christi, quæ sanctorum mentes ad superna sublevat, eas pio moderamine, pro fraterna dilectione, etiam ad humilitatem condescensionis format, recte dicitur : *Qui præcipit nivi ut descendat in terram.*

(91) Nivis nomine, animadversio superni judicii exprimitur, sicut per beatum Job dicitur : *Qui timent pruinam, irruet super eos nix* (*Job* VI, 16). Quid enim per pruinam nisi temporalis adversitas, quid per nivem nisi de supernis veniens æterna tribulatio signatur ? Pruina quippe inferius gelascit, nix autem de superioribus ruit. Et sæpe nonnulli, dum temporalia adversa pertimescunt, districtionem æternæ animadversionis se objiciunt. De quibus bene per Psalmistam dicitur : *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor* (*Psal.* XIII, 5). Iste namque veritatem jam libere defendere appetit ; sed tamen in ipso suo appetitu trepidus indignationem potestatis humanæ pertimescit. Cumque in terra hominem contra veritatem pavet, ejusdem veritatis iram cœlitus sustinet. Ille peccatorum suorum conscius, ea quæ possidet indigentibus jam largiri desiderat ; sed tamen ne datis rebus egeat ipse formidat. Cumque carnis subsidia reservando trepidus præparat ab alimentis misericordiæ animam necat; et cum pati in terra inopiam metuit, æternam abundantiam sibi supernæ refectionis abscidit. Recte ergo dicitur : *Qui timent pruinam, irruet super eos nix*, quia qui conculcanda in infimis metuunt, a summis metuenda patiuntur ; et cum transire nolunt quod calcare potuerant, indicium de supernis excipiunt quod tolerare nequaquam possunt.

62 CAPUT XIX.

DE GRANDINE.

B *In Scriptura sacra, grandinis nomine aliquando intelligitur sanctorum increpatio, aliquando dura et frigida corda pravorum.*

(92) Grandinis nomine sanctorum increpatio designatur, sicut per Psalmistam dicitur : *Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando et carbones ignis* (*Psal.* XVII, 13). Præ fulgore enim nubes transeunt, quia prædicatores sancti universa mundi spatia miraculorum claritate præcurrunt. Qui etiam grando et carbones ignis vocati sunt, quia et per correptionem feriunt, et per flammam charitatis accendunt. Ipsa quippe libera sanctorum increpatio natura grandinis convenienter exprimitur. Grando enim veniens percutit, liquata rigat. C Sancti autem viri corda audientium, et terentes feriunt, et blandientes infundunt. Nam quemadmodum feriant, idem Psalmista testatur dicens : *Virtutem terribilium tuorum dicent, magnitudinem tuam narrabunt* (*Psal.* CXLIV, 6). Et quemadmodum blandientes rigent, secutus adjunxit : *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt et justitia tua exsultabunt* (*ibid.*, 7).

Grandinis quoque nomine, dura et frigida corda pravorum designantur, sicut in præcedenti capitulo declarat quod de nive posuimus : *Nunquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti ?* (*Job* XXXVIII, 22.)

---

63 INCIPIT LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

DE AVIBUS.

In Scriptura sacra avium vel volucrum nomine, quando singulari numero ponuntur, aliquando Redemptor noster designatur, aliquando diabolus, aliquando mens humana; quando autem pluraliter ponuntur, aliquando designantur aeriæ potestates, aliquando mentes spiritualium virorum, aliquando superborum, aliquando leves cogitationes.

(93) Avis nomine Redemptor noster designatur,

D sicut in Job Judaico populo dicitur : *Semitam ignoravit avis* (*Job* XXVIII, 7). Quis enim hoc loco avis nomine, nisi ille signatur qui corpus carneum quod assumpsit, ascendendo ad æthera libravit? Cujus semitas perfidus Judæorum populus ignoravit, quia humilitatis ejus vias quibus nos ad alta sublevavit, considerare noluit.

64 (94) Avis nomine, diabolus designatur, sicut de ipso per Dominum ad beatum Job dicitur : *Nunquid*

(91) Ex l. VII in Job, cap. X, 113.
(92) Ex. l. XXIX in Job, cap. X.
(93) Ex l. XVIII in Job, cap. IV 19, paulo ante finem.
(94) Hæc disperse ex l. XXXIII in Job, cap. XIV.

Digitized by Google

illudes ei quasi avi (*Job* XL, 24). Avis siquidem A dictus est humani generis adversarius propter subtilis naturæ levitatem. Avis est, quia de naturæ suæ subtilitate superbe extollitur. Avis est, quia nonnunquam per indomitam superbiam se etiam lucis angelum simulat. Cui, quasi avi Dominus illusit, dum ei in passione unigeniti Filii sui ostendit escam carnis, sed laqueum abscondit divinitatis (95). Vidit enim quod ore perciperet, sed non quod vidit guttur teneret. Unde quasi avis illusus divinitatis ejus laqueum pertulit, dum humanitatis ejus escam momordit.

(96) Avis nomine mens humana accipitur, sicut in lib. beati Job scriptum est : *Homo ad laborem nascitur, et avis ad volatum* (*Job* v, 7). Quid enim hominis nomine nisi exterior noster homo, id est B caro, et quid avis appellatione, nisi interior homo, id est mens, signatur? Homo ergo ad laborem nascitur, et avis ad volatum : quia in eo quod caro flagellis afficitur, mens ad appetenda altiora sublevatur, Paulo attestante, qui ait : *Et licet is qui foris est noster homo corrumpitur : tamen, is qui intus est renovatur de die in diem* (*II Cor.* IV, 16) (97). Homo ergo ad laborem nascitur, et avis ad volatum : quia inde mens ad summa evolat, unde caro in infimis durius laborat.

(98) Volucrum nomine aeriæ potestates designantur bonorum studiis adversæ : sicut Veritatis ore in Evangelio dicitur quoniam semen quod secus viam cecidit, venerunt volucres et comederunt C illud (*Matth.* XIII, 4; *Marc.* IV, 4), quia nimirum maligni spiritus humanas mentes obsidentes, dum cogitationes noxias ingerunt, verbum vitæ a memoria evellunt. Hinc rursum cuidam diviti superba sapienti dicitur : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet* (*Matth.* VIII, 20; *Luc.* IX, 58). Vulpes valde fraudulenta sunt animalia, quæ in fossis vel specubus absconduntur. Cumque apparuerint, nunquam rectis itineribus sed tortuosis anfractibus currunt. Volucres vero, ut novimus, alto volatu se in aera sublevant. Nomine ergo vulpium dolosa atque **65** fraudulenta, nomine autem volucrum hæc eadem superba dæmonia designantur, ac si dicat : Fraudulenta et elata dæmonia in corde nostro, id D est in cogitatione superbiæ inveniunt habitationem suam ; Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet, id est humilitas mea requiem in superba mente vestra non invenit.

(99) Volucrum nomine mentes spiritualium designantur, sicut in Evangelio Dominus cum similitudinem regni cœlestis ex grano sinapis denuntiaret, dixit : *Cui simile est regnum Dei, et cui simile æstimabo illud ? Simile est grano sinapis quod accepto homo misit in hortum suum et crevit ; et factum est in arborem magnam, et volucres cœli requieverunt in ramis ejus* (*Luc.* XIII, 18, 19). Ipse est granum sinapis, qui in horti sepultura plantatus arbor magna surrexit. Granum namque fuit cum moreretur, arbor cum resurgeret. Granum per humilitatem carnis, arbor per potentiam majestatis. Granum, quia *vidimus eum et non erat aspectus* (*Isa.* LIII, 2) ; arbor autem : quia *speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV). Hujus arboris rami sancti prædicatores sunt. Et videamus quam late tendantur. Quid de eis dicitur ? *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII). In istis ramis volucres requiescunt, quia sanctæ animæ, quæ quibusdam virtutum pennis a terrena cogitatione se sublevant, in eorum dictis atque consolationibus ab hujus vitæ fatigatione respirant.

(100) Volucrum nomine superborum mentes designantur, sicut in libro beati Job ab Eliu dicitur : *Qui docet nos super jumenta terræ, et super volucres cœli erudit nos* (*Job* III, 11). Jumenta terræ sunt qui usu vitæ carnalis ima appetunt. Volucres cœli sunt, qui superbæ curiositatis studio sublimia perscrutantur. Illi vivendo se deponunt infra quam sunt ; isti inquirendo se elevant ultra quam possunt. Illos in infimis voluptas dejicit carnis, istos quasi in superioribus erigit libido curiositatis. Illis per sacra eloquia dicitur : *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus* (*Psal.* XXXI, 9) ; istorum superbus labor increpatur, cum dicitur : *Altiora te ne* **66** *quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris* (*Eccli.* III, 12). Illis dicitur : *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam quæ est idolorum servitus* (*Coloss.* III, 15). Istis dicitur : *Nemo vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam* (*Coloss.* II, 8). Docet ergo nos Deus super jumenta terræ, et super volucres cœli erudit nos, quia dum hoc quod sumus agnoscimus, nec carnis nos infirmitas dejicit, nec superbiæ spiritus elevat. Nec defluendo imis subjicimur, nec superbiendo de sublimibus inflamur. Qui enim labitur carne, jumentorum appetitu prosternitur ; qui vero extollitur mente, more volucrum, quasi levitatis penna sublevatur.

(101) Avium nomine cogitationes designantur. Unde Abraham cum ad occasum solis sacrificium offerret, insistentes aves pertulit, quas studiose ne oblatum sacrificium raperent abegit (*Gen.* XV, 11). Quid enim per aves, nisi perversas cogitationes accipimus? Sæpe enim etiam corda justorum subortæ cogitationes polluunt, terrenarum rerum delectationes tangunt, sed dum citius manu sanctæ

(95) Hæc habentur sub finem cap.
(96) Ex lib. IX in Job, cap. VII. Potius juxta D. Gregorii sensa quam verba.
(97) Sunt hæc translata ex notato Greg. loco, ad verbum.
(98) Ex lib. XIX in Job, cap. I.
(99) Ex loco supra notato.
(100) Ex l. XXVI in Job, cap. XIII, 11.
(101) Ex l. XVI in Job, cap. XIX, 20.

Digitized by Google

districtionis abiguntur, festine agitur ne cordis faciem caligo operiat, quæ hanc jam ex illicita delectatione tangebat. Nam sæpe in ipso orationis sacrificio importunæ se cogitationes ingerunt, quæ hoc rapere, vel maculare valeant, quod in nobis flentes immolamus. Sed nos cum in ara cordis sacrificium Deo offerimus, exemplo Abrahæ hoc ab immundis volucribus custodiamus, ne maligni spiritus et perversæ cogitationes rapiant quod mens nostra offerre se Deo utiliter sperat.

67 CAPUT II.

DE AQUILA.

In Scriptura sacra aquilæ nomine aliquando maligni spiritus, aliquando præsentis sæculi potestates, aliquando vero spiritualiter Joannes Evangelista vel incarnatus Dominus, aliquando dignitas humanæ conditionis, aliquando subtilis sanctorum intelligentia, aliquando electorum animæ designantur.

(102) Aquilarum nomine maligni spiritus exprimuntur, Jeremia attestante qui ait : *Velociores fuerunt aquilis cœli persecutores nostri* (*Thren.* IV, 19). Persecutores enim nostri aquilis cœli velociores sunt, cum tanta contra nos maligni spiritus faciunt ut ipsas etiam aerias potestates inventionibus malitiæ præire videantur.

(103) Aquilæ vocabulo potestas figuratur terrena sicut per Ezechielem dicitur : *Aquila grandis, magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis et varietate, venit ad Libanum, et tulit medullam cedri, et summitatem frondium ejus evulsit* (*Ezech.* XVII, 3, 4). Qua videlicet aquila, quis alius quam Nabuchodonosor rex Babyloniæ designatur ? Qui pro immensitate exercitus, magnarum alarum ; pro diuturnitate temporum, longo membrorum ductu ; pro multis vero divitiis, plena plumis ; pro innumera autem terrenæ gloriæ compositione, plena varietate describitur ? Qui venit ad Libanum, et tulit medullam cedri, et summitatem frondium ejus evulsit, quia Judææ celsitudinem petens, nobilitatem regni ejus, quasi cedri medullam abstulit. Et dum tenerrimam regum prolem a regni sui **68** culmine captivando sustulit, quasi summitatem frondium ejus evulsit.

Aquilæ nomine, spiritaliter Joannes Evangelista, vel incarnatus Dominus exprimitur. Unde Ezechiel dum sub animalium specie evangelistas quatuor se vidisse describeret, in eis sibi hominis, leonis, bovis, et aquilæ faciem apparuisse testatur (*Ezech.* I, 14, 10), quartum procul dubio animal Joannem per aquilam significans, qui volando terram deseruit, quia per subtilem intelligentiam interna mysteria verbis vivendo penetravit. Cui nimirum propheticæ sententiæ ipse quoque Joannes in revelatione sua de semetipso non dissonat, dicens : *Animal primum, simile leoni ; secundum animal, simile vitulo ; tertium animal, habens quasi faciem hominis, et quartum animal simile aquilæ volanti* (*Apoc.* IV, 7). Et quamvis singula ad unumquemque evangelistam recte conveniant, dum alius humanæ nativitatis ordinem, alius per mundi sacrificii mactationem quasi vituli mortem, alius potestatis fortitudinem quasi leonis clamorem insinuat, alius nativitatem Verbi intuens, quasi ortum solis aquila aspectat, possunt tamen hæc quatuor animalia, ipsum suum caput, cujus sunt membra signare. Ipse namque et homo est, quia naturam nostram veraciter suscepit ; et vitulus, quia pro nobis patienter occubuit ; et leo, quia per divinitatis suæ fortitudinem susceptæ mortis vinculum rupit ; et ad extremum aquila, quia ad cœlum de quo venerat rediit. Homo ergo nascendo, vitulus moriendo, leo resurgendo, aquila ad cœlos ascendendo vocatus est.

Aquilæ nomine dignitas humanæ conditionis exprimitur, sicut per beatum Job dicitur : *Dies mei pertransierunt sicut aquila volans ad escam* (*Job* IX, 25). Aquila etenim alto valde volatu suspenditur, et annisu præpeti ad æthera libratur, sed per appetitum ventris terras expetit, seseque a sublimibus repente deorsum fundit. Sic, sic humanum genus in parente primo ad ima de sublimibus corruit. Quod nimirum conditionis suæ dignitate in rationis celsitudine, quasi in aeris libertate suspenderat : sed quia, contra præceptum, cibum **69** vetitum contigit, per ventris concupiscentiam ad terras venit, et quasi post volatum carnibus pascitur, quia illa liberæ contemplationis inspiracula perdidit et deorsum corporeis voluptatibus lætatur. Sicut ergo aquila volans ad escam dies nostri velociter transeunt, quia quo ima petimus, eo subsistere in vita prohibemur.

(104) Aquilæ nomine, subtilis sanctorum intelligentia designatur, sicut ad beatum Job a Domino sub interrogatione dicitur : *Nunquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum sibi ?* (*Job* XXXIX, 30.) Quid enim per aquilam nisi subtilis sanctorum intelligentia, et sublimis eorum contemplatio figuratur? Cunctarum quippe avium visum acies aquilæ superat, ita ut solis radius fixos in se oculos ejus nulla lucis suæ coruscatione reverberans claudat. Ad præceptum autem Dei elevatur aquila, dum jussionibus divinis obtemperans in supernis suspenditur fidelium vita. Quæ et in arduis nidum ponere dicitur, quia desideria terrena despiciens spe jam de cœlestibus nutritur. In arduis nidum ponit, quia habitationem mentis suæ in abjecta et infima conversatione non construit. Interrogat ergo Dominus beatum Job, dicens : *Nunquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum ?* Ac si diceret. Ut ad meum, qui quod exterius præcipio, hoc intrinsecus gratia occultæ largitatis inspiro.

(105) Aquilarum nomine, electorum animæ intelliguntur, sicut de egredientibus fidelium animabus in Evangelio Veritas testatur, dicens : *Ubicunque*

(102) Ex l. XXXI in Job, c. XIX, 33.
(103) Ex superioribus comment. in Job.
(104) Ibidem 1, 2, 3, dist.
(105) Ex l. XXX in Job, cap. XXII, 37.

Digitized by Google

fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ (*Matth.* xxiv, 28; *Luc.* xvi, 37). Ac si aperte dicat. Qui cœlesti sede incarnatus Redemptor vester præsideo, electorum quoque animas, cum carne solvero, ad cœlestia sublevabo.

70 CAPUT III.

DE COLUMBA.

In Scriptura sacra columbæ nomine aliquando mansuetudo Domini intelligitur, aliquando Christus totus, id est caput cum corpore, aliquando Spiritus sanctus, aliquando sancta Ecclesia.

(106) Columbæ nomine, mansuetudo Domini intelligitur, sicut per prophetam dicitur : *Deserta facta est terra a facie iræ columbæ, et a facie iræ furoris Domini* (*Jer.* xxvi, 38). Quod iram columbæ prædixerat hoc furorem Domini subjunxit. Columba namque valde simplex est animal. Et quia in Deo nulla furoris inæqualitas serpit, furorem Domini, iram columbæ nominavit. Ut enim divinæ districtionis vim in Deo imperturbabilem demonstraret, et iram dixit, et columbæ. Ac si apertius diceret : Districtum judicium inconcussus exerit, qui permanens mansuetus punit. Unde et in extremo judicio in semetipso incommutabilis manens nulla vicissitudine ac mutabilitate variatur, sed tamen electis ac reprobis nequaquam sub specie ejusdem incommutabilitatis ostenditur, quia tranquillus justis, et iratus parebit injustis. Teste enim conscientia, intra semetipsos deferuntur, unde et eorum mentes æque unum respiciant, sed non æqualiter modificentur, quia et istis eum benignum ostendit, anteacta justitia, et illis terribilem culpa. Hoc itaque loco furor Domini non perturbatio divinæ substantiæ, sed super peccatores male sibi conscios examinatio justa vindictæ. Quamvis enim eum tranquillum in judicio videant, quia tamen feriendos se ab illo non dubitant, cum suis moribus perturbatum putant. **71** Hoc nimirum quotidie in usu vitæ præsentis agitur, ut de qualitate venturi judicis mortalium corda deceantur. Nam cum duo ad judicium pergunt, alius innocentiæ sibi conscius, alius culpæ, ante prolatam sententiam adhuc tacentem judicem utrique sustinent; et tamen culpæ debitor gravem contra se iram hoc ipsum judicis silentium suspicatur. Quam iram sibi non denuntiat perturbatio judicis, sed recordatio pravitatis. Quia etsi adhuc foris reum sententia non clamat, intus jam graviter conscientia accusat. At contra justitiæ amicus decernentis vultum conspicit, sed intus de testimonio bonæ recordationis hilarescit, et quo apud se quod métuat non habet omne quo apud semetipsum est blandum videt.

CAPUT IV.

DE TURTURE.

(107) Columnæ nomine, Christus totus, id est caput cum corpore suo, quod est Ecclesia, designatur. Unde per legem turturi vel columbæ in fi-

(106) Ex l. xxxii in Job, cap. vii, 6, paulo post initium.

gura nostri sacrificii secari guttur, et non penitus abscindi jubetur (*Levit.* i, 16), ita ut post mortem caput corpori inhæreat. Quis enim caput nostrum est, nisi Redemptor generis humani? De quo scriptum est : *Ipsum caput dedit supra Ecclesiam, quæ est corpus ipsius* (*Ephes.* i, 22). Quem cum Judæi persequerentur, nomen ejus delere de terra conati sunt. Cumque eum crucifixum et sepultum viderent, hunc se ab amore omnium divisisse crediderunt. Sed caput columbæ vel turturis et incisum est, et tamen a suo corpore divisum non est, qui ex eo quod Mediator Dei et hominum, id est caput omnium nostrum, et veræ mundationis hostia pro nobis mortem pertulit, omnes nos sibi verius in ipsa sua morte conjunxit. Et per hoc quod se nostris oculis visibiliter subtraxit, nostris se mentibus invisibiliter radicavit. Post sectionem igitur caput turturis vel columbæ suo corpori inhæret, quia Christum ab Ecclesia, nec mors interveniens dividit. Persecutores igitur peregerunt hoc quod perniciose moliti sunt, **72** intulerunt mortem, ut ab eo abscinderent fidelium devotionem; sed inde fides crevit, unde se hanc infidelium crudelitas, exstinguere credidit. Cumque se æstimant, ejus miracula persequendo abscindere, hoc nimirum compulsi sunt nesciendo dilatare. Caput ergo columbæ vel turturis incisum inhæsit corpori, quia pro nobis quidem Redemptor noster passus est, sed a nobis per passionem separatus non est.

Columbæ nomine Spiritus sanctus designatur, sicut per Matthæum evangelistam dicitur : *Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem, sicut columbam, et manentem super se* (*Matth.* iii, 16). Unde et ipse Joannes Baptista ait : *Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo et mansit super eum* (*Joan.* i, 32). Bene autem spiritus reconciliator, in columba, quæ multum simplex est avis, apparuit, ut suæ et videlicet naturæ simplicitatem per hujus speciem animalis ostenderet; spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum (*Sap.* i, 3), et eum in quem descendit mansuetum, mitemque, ac misericordiæ supernæ præconem ministrumque doceret mundo esse futurum : simul et omnes qui sua gratia essent renovandi simplices ac mundi cordes admoneret ingredi, juxta quod scriptum est : *Sentite de Domino in bonitate et simplicitate cordis; quærite illum, quoniam in malivolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis* (*Sap.* i, 1). Bene ergo super Dominum Spiritus sanctus in columba apparuit, qui non veniebat ut peccata jam per zelum percuteret, sed adhuc per mansuetudinem toleraret. Quis enim ejus justitiam ferret, si priusquam nos per mansuetudinem colligeret, culpas nostras per zelum rectitudinis examinare voluisset? homo ergo pro hominibus factus, mitem se hominibus præbuit; noluit peccatores ferire, sed colligere. Prius voluit

(107) Ex l. vi in Job, c. xii, longius ante finem, 13.

Digitized by Google

mansuete corrigere, ut haberet quos post mundum in judicio salvaret.

73 Columbæ nomine sancta Ecclesia sive quælibet electa anima designatur, sicut eidem vel Ecclesiæ vel animæ veri luminis diem quasi tempus vernale præstolanti per sponsi vocem dicitur: *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni; jam enim hiems transiit, imber abiit, et recessit, flores apparuerunt in terra nostra.* Sive enim sancta Ecclesia, sive unaquæque electa anima, cœlesti sponso est amica per amorem, columba per spiritum, formosa per morum pulchritudinem. Quæ cum jam de corruptione carnis educitur, ei procul dubio hiems transiit, quia præsentis vitæ torpor abscedit. Imber quoque abiit, et recedit, quia cum ad contemplandum in sua substantia omnipotentem Deum educitur, jam verborum guttæ necessariæ non erunt, ut pluvia debeat prædicationis infundi: nam quod minus audire potuit, amplius videbit. Tunc apparent flores in terra, quia cum de æternæ beatitudinis vita quædam suavitatis primordia prægustare anima cœperit, quasi jam in floribus odorata exit. Quo postquam egressa fuerit, in fructu uberius habebit.

CAPUT V.

DE GALLO.

In Scriptura sacra galli nomine sanctus prædicator designatur.

Galli nomine prædicator sanctus designatur, sicut per Salomonem dicitur: *Tria quæ bene gradiuntur, et quartum quod incedit feliciter. Leo fortissimus bestiarum ad nullum pavebit occursum. Gallus succinctus lumbos et aries; nec est rex qui resistat ei* (*Prov.* xxx, 29, 30). Hinc beatum Job Dominus interrogat, dicens: *Quis posuit in visceribus hominis sapientiam, vel quis dedit gallo intelligentiam?* (*Job* xxxviii, 36.) Sapientia quippe divinitus inspirata in visceribus hominis ponitur, quia nimirum quantum ad electorum numerum spectat, non in solis **74** vocibus, sed etiam sensibus datur, ut juxta quod loquitur lingua, vivat conscientia, et lux ejus tanto clarius resplendeat in superficie, quanto verius inardescit in corde. Magni autem laboris est hoc quod additur: *Quis dedit gallo intelligentiam*, subtiliori adhuc expositione discutere.

Qui namque hoc loco alii, nisi prædicatores sancti designantur, qui inter tenebras vitæ præsentis student venturam lucem prædicando quasi cantando nuntiare? Dicunt enim: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit* (*Rom.* xiii, 12). Qui vocibus suis somnum nostri corporis excutiunt clamantes: *Hora est jam nos de somno surgere* (*ibid.*, 11). Et rursum: *Evigilate, justi, et nolite peccare* (*I Cor.* xv, 34). Intelligentia autem doctorum tanto esse subtilior debet, quanto se ad penetranda invisibilia exercet, quanto nihil materiale discutit, quanto et per vocem corporis loquens omne quod est corporis transit. Quæ tamen profecto nullatenus summis congrueret, nisi eam cantanti gallo, id est, prædicanti doctori ipse summorum conditor ministraret. Intelligentiam quoque gallus accipit, ut prius nocturni temporis horas discutiat, et tunc demum vocem excitationis emittat, quia videlicet sanctus quisque prædicator prius in auditoribus suis qualitatem vitæ considerat, et tunc demum ad erudiendum congruam vocem prædicationis format. Quasi enim horas noctis discernere est peccatorum merita dijudicare. Quasi horas noctis discernere est actionum tenebras apta increpationis voce corripere.

Gallo itaque intelligentia desuper tribuitur, quia doctori veritatis, discretionis virtus, ut noverit quibus, quid, quando, vel quomodo inferat divinitus ministratur. Non enim una eademque cunctis exhortatio convenit, quia nec cunctos par morum qualitas astringit. Sæpe quippe aliis officiunt quæ aliis prosunt. Nam et plerumque herbæ quæ hæc animalia reficiunt, alia occidunt. Et levis sibilus equos mitigat, catulos instigat. Et medicamentum quod hunc morbum imminuit, alteri vires jungit. Et panis, qui vitam fortium roborat, parvulorum necat. Pro qualitate audientium formari debet sermo doctorum, ut ad sua singulis **75** congruat, et tamen a communis ædificationis arte nunquam recedat. Quid enim sunt intentæ mentes auditorum, nisi quasi quædam in cithara tentationes strictæ [*al.* stratæ] chordarum? Quas tangendi artifex, ut non semetipsis dissimile canticum faciat, dissimiliter pulsat. Et idcirco chordæ consonam modulationem reddunt, quia uno quidem plectro, sed non uno impulsu feriuntur. Unde et doctor quisque, ut in una cunctos virtute charitatis ædificet, ex una doctrina, non una eademque exhortatione tangere corda audientium debet.

(108) Habemus vero aliud, quod de hujus galli intelligentia considerare debeamus. quia profundioribus horis noctis valentiores ac productiores edere cantus solet; cum vero matutinum jam tempus appropinquat, leviores et minutiores omnimodo voces format. In quibus galli hujus intelligentia, quid nobis insinuat considerata prædicatorum discretio demonstrat, qui cum iniquis adhuc mentibus prædicant, altis et magnis vocibus æterni judicis terrores intimant, quia videlicet quasi in profundæ noctis tenebris clamant. Cum vero jam auditorum suorum cordibus veritatis lucem adesse cognoscunt, clamoris sui magnitudinem in levitatem dulcem vertunt, et non tam illa quæ sunt de pœnis terribilia, quam ea quæ sunt blanda de præmiis proferunt. Qui etiam tunc minutis vocibus cantant, quia propinquante mane subtilia quæque de mysteriis prædicant, ut sequaces sui eo minutiora quæque cœlestibus audiant, quo luci veritatis appropinquant, et quos dormientes longus galli clamor excitaverat, vigilantes succisior delectet, qua-

(108) Circa medium capitis IV hæc leguntur.

Digitized by Google

tenus correcto cuilibet cognoscere de regno subtiliter dulcia libeat, qui prius de judicio adversa formidabat.

(109) Est adhuc aliud in gallo solerter intuendum, quia cum jam edere cantus parat, prius alas excutit, et semetipsum feriens vigilantiorem reddit. Quod patenter cernimus, si sanctorum prædicatorum vitam vigilanter videamus. Ipsi quippe cum verba prædicationis movent, prius se in sanctis actionibus exercent : ne in semetipsis torpentes opere, **76** alios excitent voce ; sed ante, se per sublimia facta excutiunt, et tunc ad bene agendum alios sollicitos reddunt. Prius cogitationum alis semetipsos feriunt, quia quidquid in se inutiliter torpet sollicita investigatione deprehendunt, districta animadversione corrigunt. Prius sua punire fletibus curant, et tunc quæ aliorum sunt punienda denuntiant. Prius ergo alis insonant quam cantus emittant, quia antequam verba exhortationis proferant, omne quod locuturi sunt operibus clamant. Et cum perfecte in semetipsis vigilant, tunc dormientes alios ad vigilias vocant. Sed unde hæc tanta doctori intelligentia, ut et sibi perfecte vigilet, et dormientes ad vigilias sub quibusdam clamoris profectibus vocet, ut et peccatorum tenebras prius caute discutiat, et discrete postmodum lucem prædicationis ostendat, ut singulis juxta modum et tempora congruat, et simul omnibus quæ illos sequantur ostendat. Unde ad tanta et tam subtiliter tenditur ; nisi intrinsecus ab eo a quo est conditus, doceatur ? Quia ergo laus tantæ intelligentiæ, non prædicatoris virtus est, sed auctoris, recte per eumdem auctorem dicitur. *Quis dedit gallo intelligentiam ?* ac si diceret, nisi ego, qui doctorum mentes, quas mire ex nihilo condidi, ad intelligenda quæ occulta sunt mirabilius instruxi.

77 CAPUT VI.

DE GALLINA.

In Scriptura sacra gallinæ nomine aliquando sapientia Dei denotatur.

Gallinæ nomine sapientia Dei designatur, sicut per ipsam in Evangelio dicitur : *Jerusalem, Jerusalem quæ occidis prophetas, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas et noluisti ?* (*Matth.* xxiii, 37.) Non est injuriosum nomen gallinæ. Attendite cæteras aves. Multæ aves ante nos fetant, calefaciunt pullos suos : nulla sic avis infirmatur cum pullis quomodo gallina. Hirundines, anseres, et ciconias videmus extra nidos suos, nec cognoscimus utrum fetus habeant. At vero gallinam cognoscimus in infirmitate vocis, et in relaxatione plumarum. Tota mutatur affectu pullorum ; quia infirmi sunt, infirmam se facit. Quia ergo et nos infirmi eramus, infirmam se fecit sapientia Dei, quia ut scribitur : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis* (*Joan.* i, 14), ut sub alis ejus speremus.

78 CAPUT VII.

DE CORVO.

In Scriptura sacra corvi nomine aliquando gentilitas intelligitur, aliquando plebs Judaica, aliquando quilibet prædicator.

(110) Corvi nomine gentilitas intelligitur : Unde ad beatum Job Domino interrogante dicitur : *Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus ad Dominum clamant vagantes, eo quod non habeant cibos ?* (*Job* xxxviii, 41.) Quid enim corvi pullorumque ejus nomine, nisi peccatis nigra designatur gentilitas ? De qua per Prophetam dicitur : *Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum* (*Psal.* cxlvi, 9). Jumenta quippe escam accipiunt, dum sacræ Scripturæ pabulo mentes dudum brutæ satiantur. Pullis vero corvorum, filiis scilicet gentium esca datur, cum eorum desiderium nostra conversatione reficitur. Iste corvus esca fuit, dum ipsum sancta Ecclesia quæreret ; sed nunc escam accipit, quia ipse ad conversationem alios exquirit. Cujus videlicet pulli, id est prædicatores ex eo editi, non in se præsumunt, sed in viribus Redemptoris sui. Unde bene dicitur : *Quando pulli ejus ad Dominum clamant.* Nihil enim sua virtute posse se sciunt, et quamvis animarum lucra piis votis esuriant, ab illo tamen, qui cuncta intrinsecus operatur, hæc fieri exoptant. Vera enim fide comprehendunt : *Neque qui plantat est aliquid neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (*I Cor.* iii, 7).

Quod vero dictum est, *vagantes eo quod non habeant cibos*, in hac vagatione nihil aliud quam æstuantium prædicatorum vota signantur, qui dum in Ecclesiæ sinum recipere populos ambiunt, magno ardore succensi, nunc ad hos, nunc ad illos colligendos desiderium mittunt. Quasi quædam quippe vagatio est ipsa **79** cogitationis æstuatio. Et velut ad loca varia mutatis nutibus transeunt, dum pro adunandis animabus in modos innumeros, in partes diversas esuriente mente discurrunt.

Potest corvi nomine nigra per infidelitatis meritum plebs Judaica designari. Nam pulli ejus ad Dominum clamare referuntur, ut eidem corvo a Domino esca præparetur, quia nimirum sancti apostoli plebis Israeliticæ carne generati, dum pro gente sua preces ad Dominum fundunt, quasi pulli corvorum eum, de quo carnaliter editi sunt, spirituali intelligentia parentem populum paraverunt. Igitur dum pulli ejus clamant, esca corvo præparatur, quia dum apostoli exorant, plebs dudum perfida ad cognitionem fidei ducitur, et ex prædicatione filiorum quasi ex pullorum voce satiatur. Illud tamen in hoc versu debemus solerter intueri, quod huic corvo dicitur esca primum pullis clamantibus, et postmodum vagantibus præparari. Clamantibus namque pullis corvo esca præparata est, cum prædicantibus apo-

(109) Hæc sub finem capitis.

(110) Ex lib. xxx in Job, cap. xviii, in principio 12.

Digitized by Google

stolis verbum Dei Judæa audiens, modo in tribus millibus, modo in quinque millibus spirituali est intelligentia satiata. Sed cum per reproborum multitudinem, crudelitatem suam contra prædicantes exerceret, et quasi pullorum vitam necaret, iidem pulli in universa mundi parte sunt dispersi. Unde et eisdem carnalibus patribus spirituali prædicationi resistentibus dicunt : *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei ; sed quia repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes* (*Act.* XIII, 46), scientes profecto quod postquam gentilitas crederet, etiam Judæa ad fidem veniret. Unde scriptum est : *Donec plenitudo gentium introiret, et sic omnis Israel salvus fieret* (*Rom.* II, 25, 26). Quia igitur summopere sancti apostoli et studuerunt prius audientibus prædicare, et postmodum resistentibus exempla conversæ gentilitatis ostendere, quasi esurientes pulli huic corvo escam suam et prius clamando, et postmodum vagando quæsierunt. *Unde enim* vagantur pulli, inde escam corvus *invenit*, quia dum per laborem prædicantium conversam ad Dominum gentilitatem **80** Judaicus populus respicit, ad extremum quandoque stultitiam suæ erubescit infidelitatis : et tunc Scripturæ sacræ sententias intelligit, cum priusquam sibi eas gentibus innotuisse cognoscit, atque expleta vagatione pullorum, ad percipienda sacra eloquia os cordis aperit, quia, peractis in mundum cursibus apostolorum, ea sero spiritualiter percipit, a quibus diu perfidia se stringente jejunavit. Quæ quia omnia solius divinæ potentiæ virtus operatur, recte dicitur : *Quis præparavit corvo escam suam, quando pulli ejus ad Dominum clamant vagantes, eo quod non habeant cibos ?* subaudi, nisi ego, qui infidelem populum filiis suis exhortantibus tolero, et prædicantibus parco, atque ad alia vagantibus convertendum in fine sustineo.

(111) Est adhuc aliud, quod de corvo moraliter possit intelligi. Editis namque pullis, ut fertur, escam plenam præbere dissimulat, priusquam plumescendo nigrescant. Eosque inedia affici patitur, quousque in illis per pennarum nigredinem sua similitudo videatur. Qui huc illuc que vagantur, in nido et ciborum expetunt aperto ore subsidium. At cum nigrescere cœperint, tanto eis præbendo alimenta ardentius requirit, quanto illos alere diutius distulit. Corvus profecto est doctus quique prædicator, qui magna voce clamat, dum peccatorum suorum memoriam atque cognitionem infirmitatis propriæ quasi quamdam coloris nigredinem portat. Cui quidem nascuntur in fide discipuli, sed fortasse adhuc considerare infirmitatem propriam nesciunt, fortasse a peccatis præteritis memoriam avertunt, et per hoc eam quam assumi oportet, contra hujus mundi gloriam, humilitatis nigredinem non ostendunt. Hi velut ad accipiendas escas os aperiunt, cum doceri de secretis sublimibus quærunt. Sed eis doctor suus alimenta prædicamentorum sublimium tanto minus tribuit, quanto illos peccata præterita minus digne deflere cognoscit. Exspectat quippe atque admonet, ut a nitore vitæ præsentis prius per pœnitentiæ lamenta nigrescant, et tunc demum congrua prædicationis subtilissime nutrimenta percipiant. Corvus in pullis ora inhiantia **81** respicit, sed ante in eis pennarum nigredine indui corpus quærit. Sic et discretus doctor interna mysteria eorum sensibus non ministrat, quos adhuc ab hoc sæculo nequaquam se abjecisse considerat.

Quanto igitur discipuli exterius per cultum vitæ præsentis minus quasi nigrescunt, tanto per cibum verbi interius minus replentur. Et quo se a corporali gloria non evacuant, eo a spirituali refectione jejunant. Si vero in confessione vitæ præteritæ lamenti sui gemitus velut nigrescentes plumas proferunt, illico in contemplationem doctor ad escam de sublimibus deferendam quasi pullorum refectionem cogitans corvus volat. Qui eis hiantibus in ore cibum revocat, dum ex ea intelligentia quam cœperit, esurientibus discipulis alimenta vitæ loquendo subministrat. Quos tanto ardentius de supernis reficit, quanto verius a mundi nitore nigrescere pœnitentiæ lamentatione cognoscit. Pulli autem dum nigro se pennarum colore vestiunt, de se etiam volatum promittunt, quia quo magis discipuli abjecta de se sentiunt, quo magis sese despicientes affligunt, eo amplius spem provectus sui in altiora pollicentur. Unde et curat doctor festinantius alere, quos jam per quædam indicia providet posse et aliis prodesse. Hinc enim Timotheum Paulus admonet velut plumescentes pullos sollicitius nutrire, dum dicit : *Quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere* (*II Tim.* II, 2). Quæ doctrinæ discretio dum caute a prædicatore custoditur, ei divinitus largior copia prædicationis datur. Dum enim per charitatem compati afflictis discipulis novit, dum per discretionem congruum doctrinæ tempus intelligit, ipse non solum pro se, sed etiam pro eis, quibus laboris sui studia impendit, majora intelligentiæ munera percipit. Unde hic aperte dicitur : *Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus ad diem clamant, vagantes eo quod non habeant cibos ?* Cum enim pulli ut satientur clamant, corvo esca præparatur, quia dum verbum Dei boni auditores esuriunt, pro reficiendis eis majora doctoribus intelligentiæ dona tribuuntur.

82 (112) Corvorum nomine sancti prædicatores designantur, sicut per Salomonem dicitur : *Oculum qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ, effodiant illum corvi de torrentibus* (*Prov.* XXX, 17). Perversi quique dum divina judicia reprehendunt subsannant Patrem. Et quilibet hæretici dum sanctæ Ecclesiæ prædicationem, fecunditatem illius deridendo, contemnunt, quid aliud quam partum

(111) Ex lib. XXX in Job, cap. VIII.
(112) Ex lib. XVIII in Job, cap. XIX, aliquando post principium XVIII.

Digitized by Google

matris despiciunt? Quam non immerito eorum quoque matrem dicimus, quia de ipsa exeunt, qui contra eam loquuntur, Joanne attestante qui ait : *A nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum* (*I Joan.* I, 19). Corvi vero de torrentibus veniunt, cum prædicatores viri ad defensionem sanctæ Ecclesiæ a sacrorum librorum fluentis procedunt. Qui recte etiam corvi vocati sunt, quia nequaquam de justitiæ luce superbiunt, sed per humilitatis gratiam, peccatorum in se nigredinem confitentur. Unde etiam ab electorum Ecclesia dicitur : *Nigra sum, sed formosa* (*Cant.* I, 5). Et Joannes ait : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus* (*Joan.* I, 8). Qui videlicet corvi subsannantis oculum effodiunt, quia pravorum ac pertinacium hominum intentionem vincunt.

CAPUT VIII.

DE STRUTHIONE.

In Scriptura sacra struthionis nomine aliquando quilibet hypocrita, aliquando Synagoga, aliquando gentilitas, aliquando hypocrisis designatur.

(113) Struthionis nomine hypocrita designatur, sicut voce Dominica ad beatum Job dicitur : *Penna struthionis similis est pennæ herodii et accipitris* (*Job* XXXIX). Quis herodium et accipitrem nesciat aves reliquas, quanta volatus sui velocitate **83** transcendant? Struthio vero pennæ eorum similitudinem habet, sed volatus eorum celeritatem non habet. A terra quippe elevari non valet, et alas quasi ad volatum speciotenus erigit, sed tamen nunquam se a terra volando suspendit. Ita nimirum sunt omnes hypocritæ, qui, dum bonorum vitam simulant, imitationem sanctæ conversationis habent, sed veritatem sanctæ actionis non habent. Habent quippe volandi pennas per speciem, sed in terra repunt per actionem, quia alas per figuram sanctitatis extendunt, sed causarum sæcularium pondere prægravati nullatenus a terra sublevantur. Unde et speciem Pharisæorum reprobans Dominus quasi struthionis pennam redarguit, quæ in opere aliud exercuit, et in colore aliud ostendit dicens : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ foris quidem apparent hominibus speciosa, intus autem sunt plena ossibus mortuorum. Ita et vos apparetis hominibus justi, interius autem pleni estis avaritia et iniquitate*(*Matth.* XXIII, 27). Ac si diceret : Sublevare vos videtur species pennæ sed in infimis vos deprimit pondus vitæ. De quo pondere per Prophetam dicitur : *Filii hominum, usquequo gravi corde?* (*Psal.* IV, 3.) Habemus adhuc quod in consideratione struthionis hujus de accipitre et herodio attentius perpendamus. Accipitris quippe et herodii parva sunt corpora, sed pennis densioribus fulta : et idcirco cum celeritate transvolant quia in eis parum est quod aggravat, multum quod levat. At contra struthio raris pennis induitur, et immani corpore gravatur, ut et si volare appetat, ipsa pennarum paucitas molem tanti corporis in aera non suspendat. Bene in herodio et accipitre electorum persona signatur, qui quandiu in hac vita sunt, sine quantulocunque culpæ contagio esse non possunt. Sed cum eis parum quid inest quod deprimit, multa virtus bonæ actionis suppetit, quæ illos in superna sustollit. At contra hypocrita, etsi facit pauca quæ elevent, perpetrat multa quæ gravent. Neque enim nulla bona agit hypocrita, sed quibus ea ipse deprimat multa perversa committit. **84** Paucæ ergo pennæ et corpus struthionis non sublevant, quia parvum bonum hypocritæ multitudo pravæ actionis gravat. Hæc quoque ipsa struthionis penna ad pennas herodii et accipitris similitudinem coloris habet, virtutis vero similitudinem non habet. Illorum namque conclusæ et firmiores sunt, et volatu aerem premere virtute suæ soliditatis possunt. At contra struthionis pennæ dissolutæ eo volatum sumere nequeunt, quo ab ipso quem premere debuerant aere transcenduntur. Quid ergo in his aspicimus, nisi quod electorum virtutes solidæ volant, ut ventos humani favoris premant? Hypocritarum vero actio, quamlibet recta videatur, volare non sufficit, quia videlicet fluxæ virtutis pennam humanæ laudis aura pertransit. Sed ecce cum unum eumdemque bonorum malorumque habitum cernimus, cum ipsam in electis ac reprobis professionis speciem videmus, unde intelligentiæ nostræ suppetat, ut electos a reprobis, et a falsis veros comprehendendo discernat. Quod tamen citius agnoscimus, si intemerata in memoriam Præceptoris nostri verba signamus, quia ait : *Ex fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII, 20).

(114) Potest autem struthionis nomine Synagoga designari, quæ alas legis habuit, sed corde in infimis repens nunquam se a terra sublevavit. Per herodium vero et accipitrem antiqui Patres exprimuntur, qui ad ea, quæ intelligendo potuerunt perspicere, valuerunt etiam vivendo volare. Penna igitur struthionis similis est pennæ herodii et accipitris, quia Synagogæ vox priorum doctrinam loquendo tenuit, sed vivendo nescivit. Unde ejusdem Synagogæ populos de Pharisæis ac Scribis Veritas admonet dicens : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi : omnia quæ dicunt vobis facite; secundum opera vero eorum nolite facere* (*Matth.* XXIII, 2).

(115) Struthionis nomine gentilitas designatur, sicut conversurum se eam Dominus pollicetur, cum per prophetam diceret : *Glorificabit me bestia agri, dracones et struthiones* (*Isa.* XLIII, 20). Bestia namque agri, id est, dracones et struthiones Dominum glorificant, cum fidem quæ **85** in illo est, ea quæ in hoc mundo dudum membrum diaboli fuerat, deserit.

(113) Ex lib. XXXI in Job, cap. V, 6.

(114) Ex lib. XXXI in Job, c. X, medium circiter.

(115) Ex lib. XXXI in Job, cap. V, 6.

Digitized by Google

rat, gentilitas exaltat. Quam et propter malitiam draconum nomine exprobrat, et propter hypocrisim vocabulo struthionum vocat. Quasi enim pennas accepit gentilitas, sed volare non potuit quæ et naturam rationis habuit, et actionem rationis ignoravit.

(116) Struthionum nomine ipsa hypocrisis designatur. Unde bene contra perversam mentem sub Judææ specie per Isaiam dicitur : *Erit cubile draconum, et pascua struthionum* (*Isa.* XXXIV, 30). Quid namque per dracones, nisi malitia, et quid struthionum nomine, nisi hypocrisis designatur ? Struthio quippe speciem volandi habet, sed usum volandi non habet, quia hypocrisis cunctis intuentibus imaginem de se sanctitatis insinuat, sed tenere vitam sanctitatis ignorat. In perversa igitur mente draco cubat, et struthio pascitur, quia latens malitia callide tegitur, et intuentium oculis simulatio bonitatis antefertur.

CAPUT IX.

DE ACCIPITRE.

In Scriptura sacra accipitris nomine aliquando sanctus quilibet intelligitur.

Accipitris nomine sanctus quilibet designatur. Unde beatus Job Dominica voce interrogatur, cum dicitur : *Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum ?* (*Job* XXXIX, 26.) Quia per annos singulos pennam veterem accipiter nova nascente projiciat, ac sine intermissione plumescat, pene nullus ignorat. Non autem hic illud plumæ tempus dicitur quo in nido vestitur, quia tunc nimirum adhuc videlicet pullus ad austrum alas expandere non valet, sed illa annua pluma describitur, quæ laxata vetere **86** penna renovatur. Et quidem domesticis accipitribus quo melius plumescere debeant, munita ac tepentia loca requiruntur. Agrestibus vero moris est, ut flante austro alas expandant, quatenus eorum membra ad laxandum pennam veterem venti tepore concalescant. Cum vero ventus deest alis contra radium solis expansis atque percussis, tepentem sibi auram faciunt. Sicque apertis poris vel veteres exsiliunt, vel novæ succrescunt. Quid est ergo accipitrem in austro plumescere, nisi quod unusquisque sanctorum tactus flatu sancti Spiritus concalescit, et usum vetustæ conversationis abjiciens, novi hominis formam sumit ? Quod Paulus admonet dicens : *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis et induentes novum* (*Coloss.* III, 9). Et rursum : *Licet is qui foris est noster homo corrumpitur, tamen is qui intus est, renovatur de die in diem* (*II Cor.* IV, 16). Vetustam autem pennam projicere est inveterata studia dolosæ actionis amittere ; et novam pennam sumere est mitem ac simplicem bene vivendo sensum tenere. Penna namque veteris conversationis gravat, et pluma novæ immutationis sublevat, ut ad volatum tanto leviorem, quanto noviorem reddat. Et bene accipiter expandit alas suas ad austrum. Alas quippe nostras ad austrum expandere est, per adventum sancti Spiritus nostras confitendo cogitationes aperire ut jam non libeat defendendo nos tegere, sed accusando publicare. Tunc ergo accipiter plumescit, cum alas suas ad austrum expanderit, quia tunc se unusquisque virtutum pennis induit, cum sancto Spiritui cogitationes suas confitendo substernit. Qui enim vetera fatendo non detegit, novæ vitæ opera minime producit ; qui nescit lugere quod gravat, non valet proferre quod sublevat. Ipsa namque compunctionis vis poros cordis aperit et plumas virtutum fundit. Cumque se studiose mens de pigra vetustate redarguit, alacri novitate juvenescit. Dicatur ergo beato Job : *Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter expandens alas suas ad austrum ?* Id est, nunquid cuilibet electo tu intelligentiam contulisti, ut flante Spiritu sancto cogitationum alas expandat, quatenus pondera vetustæ conversationis abjiciat, et virtutum **87** plumas in usum novi volatus sumat ? Ut hinc videlicet colligat, quia vigilantiam sensus in semetipso ex se non habet qui hanc ex se conferre aliis nequaquam valet.

CAPUT X.

DE HERODIO.

In Scriptura sacra herodii nomine electorum persona intelligitur.

Herodii nomine vel accipitris electorum persona intelligitur. Unde ad beatum Job a Domino dicitur : *Penna struthionis similis est pennæ herodii et accipitris* (*Job* XXXIX, 13). Accipitris quippe et herodii parva sunt corpora, sed pennis densioribus fulta. Idcirco cum celeritate transvolant, quia eis parum inest quod gravat, multum quod levat. Bene ergo in herodio et accipitre electorum persona signatur ; quia, quandiu in hac vita sunt, sine quantulocunque culpæ contagio esse non possunt. Sed cum eis parum quid inest quod deprimit, multa virtus bonæ actionis suppetit, quæ illos in superna sustollit. Herodii namque et accipitris pennæ conclusæ firmiores sunt, et ideo volatu aerem premere virtute suæ soliditatis possunt : sic et electorum virtutes solidæ volant, ut ventos humani favoris premant.

88 CAPUT XI.

DE MILVO.

In Scriptura sacra milvi nomine diabolus intelligitur.

Milvi nomine diabolus designatur : quod Zacharia propheta testante cognoscimus, qui visionem suam describens ait : *Et levavi oculos meos, et vidi : Et ecce duæ mulieres egredientes, et spiritus in alis earum, et habebant alas quasi alas milvi* (*Zach.* V, 9). Quid enim in duabus mulieribus accipimus, nisi duo principalia vitia, superbiam videlicet, et vanam gloriam, quæ impietati absque ulla dubitatione conjunctæ sunt. Quæ et in alis suis spiritum ha-

(116) Ex lib. VII in Job, cap. XII, longius ante finem.

Digitized by Google

bere narrantur, quia in actibus suis Satanæ voluntati deserviunt. Ipsum quippe propheta spiritum appellat, quo Salomon ait: *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris* (*Eccle.* x, 4). Et de quo in Evangelio Dominus dicit: *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida et inaquosa* (*Matth.* xii, 43). Spiritus ergo in alis earum est, quia superbia et inanis gloria per omne quod agunt Satanæ voluntati famulantur. *Et habebant alas quasi alas milvi.* Milvus semper naturæ studet insidiari pullorum. Istæ ergo mulieres alas habent quasi alas milvi, quia actiones earum diabolo procul dubio sunt similes, qui insidiatur semper vitæ parvulorum.

CAPUT XII.

DE PASSERE.

In Scriptura sacra passeris nomine Christus intelligitur.

Passeris nomine Christus intelligitur, sicut per Psalmistam dicitur: *Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum suum ubi reponat pullos suos* (*Psal.* lxxxiii, 4). Quis enim alius per passerem nisi Redemptor noster, et quid per turturem nisi sancta Ecclesia exprimitur? Jam autem passer sibi invenit domum, quia æternum cœli habitaculum Redemptor noster intravit. Et turtur invenit nidum, quia sancta Ecclesia amore Conditoris affecta, crebris gemitibus utitur; et velut nidum sibi, id est pacatissimam fidei quietem construit, in qua crescentes filios quasi plumescentes pullos, quousque ad superiora evolent, charitatis gremio calefactos fovet.

CAPUT XIII.

DE VULTURE.

In Scriptura sacra vulturis nomine Christus intelligitur.

Vulturis nomine Redemptor noster intelligitur, sicut per beatum Job de Judæorum populo dicitur: *Semitam ignoravit avis, nec intuitus est oculos vulturis* (*Job* xxviii). Quis enim hoc loco avis nomine nisi ille signatur, qui corpus carneum quod assumpsit, ascendendo ad æthera libravit? Qui apte quoque etiam vulturis appellatione exprimitur. Vultur quippe dum volat, si jacens cadaver conspicit, ad esum se cadaveris deponit. Et plerumque sic in morte capitur, dum ad mortuum animal de summis venit. Recte ergo **90** Mediator Dei et hominum, Redemptor noster, vulturis appellatione signatur, qui manens in altitudine divinitatis suæ, quasi quodam volatu sublimi cadaver mortalitatis nostræ conspexit in infimis, et sese de cœlestibus ad ima submisit. Fieri quippe propter nos homo dignatus est. Et dum mortuum animal petiit, mortem apud nos qui apud se erat immortalitas invenit. Sed hujus vulturis oculus, fuit ipsa intentio nostræ resurrectionis, quia ipse ad triduum mortuus ab æterna nos morte liberavit. Ille ergo perfidus Judæorum populus mortalem vidit, sed quomodo morte sua, mortem nostram destrueret, minime attendit. Conspexit quidem vulturem, sed oculos vulturis non aspexit: qui dum humilitatis ejus vias, et quibus nos ad alta sublevavit, considerare noluit, semitam avis ignoravit. Neque enim pensare studuit quod ejus nos humilitas levaret ad cœlestia et mortis ejus intentio reformaret ad vitam. *Semitam igitur ignoravit avis, nec intuitus est oculos vulturis*, quia etsi vidit eum quem in morte tenuit, videre noluit quanta vitæ nostræ gloria de ejus morte sequeretur.

CAPUT XIV.

DE MUSCA.

In sacra Scriptura muscarum nomine insolentes curæ designantur.

Muscarum nomine insolentes curæ desideriorum carnalium designantur, sicut scriptum est: *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti* (*Eccle.* x, 1), quia nimirum superfluæ cogitationes, quæ assidue in animo carnalia cogitante et nascuntur et deficiunt, eam suavitatem qua unusquisque intrinsecus per spiritum unctus est, perdunt, quoniam integritate ejus perfrui non permittuntur. Hinc est quod Ægyptus multitudine muscarum percussa legitur. Quo contra Israeliticus populus custodiam Sabbati accepit in munere (*Exod.* viii, 24). Quid enim in hac vita laboriosius quam terrenis desideriis æstuare? Aut quid hic **91** quietius quam hujus sæculi nihil appetere? Populus ergo qui Deum sequitur, accepit Sabbatum, id est requiem mentis, ut nullo in hac vita desideriorum carnalium appetitu fatigetur. Ægyptus vero, quæ hujus mundi speciem tenet, muscis percutitur. Musca enim nimis insolens et inquietum est animal, in qua quid aliud quam insolentes curæ desideriorum carnalium designantur? Ægyptus ergo muscis percutitur, quia eorum corda qui terrenam vitam diligunt, desideriorum suorum inquietudinibus feriuntur, turbis cogitationum carnalium ad ima depressa sunt, ut ad quietis intimæ desiderium non leventur. Unde cum mira ope pietatis ad cor veritas venit, prius ab eo cogitationum carnalium æstus ejicit, et post in eo virtutum dona disponit. Quod bene nobis sacri Evangelii historia innuit, in qua dum ad resuscitandam filiam invitatus Dominus duceretur, protinus additur: *Et cum ejecta esset turba, intravit et tenuit manum puellæ, et surrexit puella* (*Matth.* ix, 25). Foras ergo turba ejicitur, ut puella suscitetur, quia si non prius a secretioribus cordis expellitur importuna sæcularium multitudo curarum, anima, quæ intrinsecus jacet, mortua non resurgit. Nam dum se per innumeras terrenorum desideriorum cogitationes spargit, ad considerationem sui nullatenus colligit.

Digitized by Google

92 INCIPIT LIBER TERTIUS

CAPUT PRIMUM.

DE JUMENTIS.

In Scriptura sacra jumentorum nomine, aliquando sancta Ecclesia, vel fidelis anima, aliquando quilibet sub disciplina positus, aliquando carnales homines, aliquando mentes dudum brutæ, sed conversæ, aliquando sæculi implicamenta, aliquando sensu tardiores intelliguntur.

(117) Jumenti nomine sancta Ecclesia, vel fidelis anima designatur. Unde Redemptor noster in jumento sedens Jerusalem tendit. Salvator enim noster jumento sedens Jerusalem tendit, cum sanctæ Ecclesiæ universaliter præsidet, eamque in supernæ pacis desiderium accendit. Jumento etiam sedens Jerusalem tendit, quando uniuscujusque fidelis animam regens, videlicet jumentum suum, ad pacis intimæ visionem ducit.

(118) **93** Jumenti nomine quilibet sub disciplina positus designatur, sicut per Psalmistam dicitur : *Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum* (*Psal.* LXXII, 23). Quamvis insensatis homo longe sit melior, hoc tamen plerumque homini non licet quod brutis animalibus non licet. Quæ enim ad aliud servantur, motus eorum procul dubio nequaquam sub disciplina restringuntur. Homo autem quia ad sequentem vitam ducitur, necesse est profecto ut in cunctis suis motibus sub disciplinæ dispositione religetur, et quasi domesticum animal loris vinctum serviat, atque æternis dispositionibus restrictum vivat. Qui vero implere cuncta quæ desiderat per effrenatam libertatem quærit, quid aliud quam agresti animali esse similis concupiscit, ut disciplinæ hunc lora non teneant, sed audenter vagus per silvam desideriorum currat? Sæpe autem divina miseratio, quos prodire in effrenationem illicitæ libertatis conspicit, objectione prosperæ adversitatis frangit, quatenus elisi discant quam reproba erectione tumuerant, ut jam flagelli experimentis edomiti, quasi jumenta domestica præceptorum loris mentis colla subjiciant, et vitæ præsentis itinere ad nutum præsidentis pergant. Quibus bene loris ligatum se noverat, qui dicebat : *Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum.* Unde et sævus ille persecutor, ab agro perfidæ voluptatis ad domum fidei deductus, rectoris sui calcaribus punctus audiebat : *Durum est tibi contra stimulum calcitrare* (*Act.* IX, 6).

Jumentorum nomine carnales homines designantur, sicut per prophetam dicitur : *Computruerunt jumenta in stercore suo* (*Joel.* I, 17). Jumenta quippe in stercore suo computrescere est carnales homines fetore luxuriæ vitam finire.

(117) Ex hom. 17 in Ezech.
(118) Ex l. X in Job, cap. X, 15.

(119) Jumentorum nomine mentes dudum brutæ designantur, sicut per prophetam dicitur : *Qui dat jumentis escam ipsorum : et pullis corvorum invocantibus eum* (*Psal.* CXLVI, 95). Jumenta quippe escam accipiunt, dum sacræ Scripturæ pabulo mentes dudum brutæ satiantur.

94 Jumentorum quoque nomine sæculi implicamenta designantur. Unde apud Moysen filii Ruben et Gad, et dimidia tribus Manasse multa pecora et jumenta possidentes dum extra Jordanem ea quæ viderant campestria concupiscunt, dixerunt : *Terra quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israel regionis uberrimæ est ad pastum animalium, et nos servi tui habemus jumenta plurima : precamurque si invenimus gratiam coram te, ut des nobis famulis tuis eam in possessionem, nec facias nos transire Jordanem* (*Num.* XXXII, 4, 5). Qui igitur jumenta plurima possident, Jordanem transire refugiunt, quia quos multa mundi implicamenta occupant, habitationem cœlestis patriæ non requirunt.

Jumentorum nomine sensu tardiores intelliguntur, sicut beatus Job dicit : *Interroga jumenta, et docebunt te; volatilia cœli, et indicabunt tibi; loquere terræ et respondebit tibi, et narrabunt pisces maris* (*Job* XII, 7, 8). Quid per jumenta, nisi sensu tardiores? quid per cœli volatilia, nisi summa atque sublimia sapientes intelligere debemus? De jumentis namque, id est sensu pigrioribus scriptum est : *Animalia tua habitabunt in ea* (*Psal.* LXVII, 11). Et quia sublimia sapientes in verbis nostri Redemptoris evolant, scriptum est : *Ita ut volucres cœli veniant, et habitent in ramis ejus* (*Matth.* XIII, 32). Quid vero per terram, nisi terrena sapientes accipimus? Unde et primo homini cœlestia deserenti dictum est. *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19, juxta LXX). Quid per pisces maris, nisi curiosos hujus sæculi debemus accipere? de quibus Psalmista ait : *Pisces maris, qui perambulant semitas maris* (*Psal.* VIII, 9). Qui in magnis rerum inquisitionibus, quasi in abditis fluctibus latent. Quid autem cuncta hæc inquisita doceant, adjungit dicens : *Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit?* (*Job* XII, 9.) Ac si aperte dicat : Sive sensu tardiores, seu sublimia sapientes, sive terrenis actibus deditos, seu hujus mundi occupatos inquisitionibus requiras, cuncta hæc Creatorem omnium Deum fatentur, et de potestate ejus concorditer sentiunt, quamvis sub ea non concorditer vivant. Quod enim justus quisque etiam vivendo loquitur, hoc injustus plerumque de Deo vel sola voce compellitur fateri; fitque ut mali, auctori **95** omnium, cujus operibus resistunt, attestatione famulentur, quia quem impugnare mori-

(119) Ex l. XXX in Job, c. VIII, 12.

Digitized by Google

nus ausi sunt, Creatorem omnium negare non possunt.

CAPUT II.

DE EQUO.

In Scriptura sacra equi nomine aliquando lubrica vita pravorum, aliquando dignitas temporalis, aliquando hoc ipsum præsens sæculum, aliquando præparatio rectæ intentionis, aliquando quilibet sanctus prædicator, aliquando electorum corpora designantur.

Equi nomine lubrica pravorum vita signatur, sicut scriptum est : *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus* (*Psal.* XXXI, 9). Et sicut per prophetam alium dicitur : *Equi amatores et emissarii facti sunt, unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat* (*Jer.* V, 8).

Equi nomine dignitas temporalis accipitur, Salomone attestante, qui ait : *Vidi servos in equis, et principes ambulantes quasi servos super terram* (*Eccle.* X, 7). Omnis quippe qui peccat, servus est peccati (*Joan.* VIII, 34). Et servi in equis sunt, dum peccatores præsentis vitæ dignitatibus efferuntur. Principes vero quasi servi ambulant, cum multos dignitate virtutum plenos nullus honor erigit, sed summa hic adversitas velut indignos deorsum premit. Hinc rursum dicitur : *Dormitaverunt qui ascenderunt equos* (*Psal.* LXXV, 7). Id est in mortem animæ mentis oculos a veritatis luce clauserunt, in præsentis vitæ honore confisi sunt.

Equi nomine hoc ipsum præsens sæculum designatur, sicut Jacob dicitur : *Fiat Dan coluber in* **96** *via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro* (*Gen.* XLIX, 17). Quo in testimonio quid equus significet, melius ostendemus, si et ea, quæ circumstant, paulo subtilius exponamus. Nonnulli enim de tribu Dan venire Antichristum ferunt, pro eo quod hoc loco Dan et coluber asseritur. Unde non immerito Israeliticus populus dum terras in castrorum partitionem susciperet, primus Dan ad aquilonem castra metatus est (*Num.* II, 25), signans eum, qui in corde suo dixerat : *Sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo* (*Isai.* XIV, 13). De quo et per prophetam dicitur : *A Dan auditus est fremitus equorum ejus* (*Jer.* VIII, 16). Qui non solum coluber, sed etiam cerastes. Cerasta enim Græce cornua dicuntur, serpensque hic cornutus esse perhibetur, per quem digne Antichristi adventus asseritur, quia contra fidelium vitam cum morsu pestiferæ prædicationis armatur etiam cornibus potestatis. Quis autem nesciat semitam angustiorem esse quam viam? Fit ergo Dan coluber in via, quia in præsentis vitæ latitudine eos ambulare provocat, quibus quasi parendo blanditur. Sed in via mordet, quia eos, quibus libertatem tribuit, erroris sui veneno consumit. Fit cerastes in semita, quia quos fideles reperit, et sese ad præcepti cœlestis angusta itinera constringentes non solum nequitia callidæ persuasionis impetit, sed etiam terrore potestatis premit; et in persecutionis angore post beneficia fictæ dulcedinis exercet cornua potestatis. Quo in loco equus hunc mundum insinuat, qui per elationem suam in censu labentium temporum spumat. Et quia Antichristus extrema mundi apprehendere nititur, cerastes iste equi ungulas mordere perhibetur. Ungulas quippe equi mordere est extrema sæculi feriendo contingere. *Ut cadat ascensor ejus retro.* Ascensor equi est, quisquis extollitur in dignitatibus mundi. Qui retro cadere dicitur, et non in faciem : sicut Paulus cecidisse memoratur (*Act.* IX, 4). In faciem enim cadere est in hac vita, suas unumquemque culpas agnoscere, easque pœnitendo deflere. Retro vero quo non videtur cadere est ex hac vita repente decidere, et ad quæ supplicia ducatur ignorare. Et quia Judæa erroris **97** sui laqueis capta pro Christo Antichristum exspectat, bene Jacob eodem loco repente in electorum voce conversus est dicens : *Salutare tuum exspectabo, Domine* (*Gen.* XLIX, 18). Id est non sicut infideles Antichristum, sed eum, qui in redemptionem nostram venturus est, verum credendo fideliter Christum.

Equi nomine præparatio rectæ intentionis accipitur, sicut scriptum est : *Equus paratur in diem belli, sed Dominus salutem tribuit* (*Prov.* XXI, 31). Quia contra tentationem quidem se animus præparat, sed nisi adjuvetur desuper salubriter non certat.

Equi nomine sanctus quilibet prædicator accipitur, propheta attestante qui ait : *Misisti in mare equos tuos turbantes aquas multas* (*Isa.* XVIII, 2). Quietæ quippe aquæ jacuerunt, quia humanæ mentes sub vitiorum suorum torpore sopitæ sunt. Sed equis Dei mare turbatum est, quia, missis sanctis prædicatoribus, omne cor, quod pestifera securitate torpuit, impulsu salutiferi timoris expavit.

Equorum nomine electorum corpora designantur, unde et Joannes apostolus in Apocalypsi Dominum contemplatus ait : *Et exercitus, qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis* (*Apoc.* XIX, 14) (120). Multitudinem quippe sanctorum, quæ in hoc martyrii bello sudaverat, recte exercitum vocat. Qui idcirco in equis albis sedere referuntur, quia nimirum eorum corpora et luce justitiæ, et castimoniæ candore claruerunt.

98 CAPUT III.

DE ASINO.

In sacra Scriptura asinorum nomine aliquando stultorum pigritia, aliquando luxuria, aliquando simplicitas gentilium, aliquando quælibet fidelis anima, vel sancta Ecclesia, aliquando is qui aliorum necessitates sustentat, aliquando mala vita, aliquando caro nostra designatur.

(121) Asinorum nomine stultorum pigritia figuratur, sicut per Moysem dicitur : *Non arabis in bove et asino* (*Deut.* XXII, 10). Ac si diceret : Fatuos sapien-

(120) Ex l. XXXI in Job, c. IX, 12.

(121) Ex l. I, in Job, c. VI.

Digitized by Google

tibus in prædicatione non socies, ne per eum qui implere rem non valet et illi qui prævalet obsistas.

(122) Item asinorum appellatione immoderata petulantium luxuria exprimitur, propheta teste qui ait : *Quorum carnes sunt, ut carnes asinorum* (*Ezech.* XXIII, 20).

(123) Asinorum nomine simplicitas gentilium designatur. Unde Jerusalem tendens Dominus, asellum sedisse perhibetur (*Matth.* XXI, 7). Quid est enim sedendo asinum Jerusalem venire, nisi gentilitatis simplicia corda possidendo, ea ad visionem pacis regendo, et præsidendo perducere? Unde rursum scriptum est : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui* (*Isa.* I, 2, 3). Quis enim bos nisi Judaicus populus exstitit, cujus cervicem jugum legis attrivit? Et quis asinus nisi gentilis populus fuit, quem quilibet seductor reperit, quasi brutum animal, et nulla ratione renitens, quo voluit errore substravit? Bos ergo possessorem suum, et asinus **99** præsepe domini cognovit; quia et Hebraicus populus Deum quem colebat, sed ignorabat reperit : et gentilitas legis pabulum quod non habebat, accepit.

Potest quoque per asinum quælibet fidelis anima, vel sancta universalis Ecclesia designari. Unde Redemptor noster in asello sedens tendit Jerusalem.

(124) Asini nomine is qui aliorum necessitates sustentat, designatur, sicut per beatum Job de hæreticis dicitur : *Asinum pupillorum abegerunt* (*Job* XXIV, 3). Quid enim per pupillos accipimus, nisi electos Dei in mentis teneritudine positos, qui magna fidei gratia nutriuntur, et patris sui jam pro se mortui faciem necdum vident? Et sunt plerique in Ecclesia qui quosdam conspiciunt cœlestia appetere, terrena omnia despectui habere; et quamvis ipsi in hujus mundi laboribus insudent, eos tamen quos ad cœlestia anhelare conspiciunt, de rebus quas in hoc mundo possident hujus vitæ adjutorium ferunt. Et quamvis ipsi agere spiritalia nequeant, ad summa tamen tendentibus subsidia ministrant. Portare enim asinus onera hominum solet. Quasi ergo quidam asinus electorum est qui terrenis rebus deserviens deportat onera usibus hominum. Et sæpe cum hæretici quemlibet talem a sanctæ Ecclesiæ gremio avertunt, quasi pupillorum asinum abigunt, quia cum ad perfidiam suam pertrahunt, a ministerio bonorum repellunt.

(125) Asini nomine mala vita designantur, sicut per Moysen dicitur : *Primogenita asini mutabis ove* (*Exod.* XIII, 13). Per asinum quippe immunditia, per ovem vero innocentia designatur. Asini ergo primogenita ove mutare est immundæ vitæ primordia in innocentiæ simplicitatem convertere, ut postquam illa peccator egit, quæ uti immunda Dominus respuit, ea jam agendo proferat quæ Dei sacrificio imponat.

(126) Asini nomine caro nostra designatur, sicut in libro Judicum dicitur : *Axa, filia Caleb, sedens super asinum suspiravit. Cui dixit pater ejus : Quid habes?* **100** *At illa respondit : Da mihi benedictionem quia terram arentem dedisti mihi, junge et irriguam. Dedit ei pater irriguum superius, et irriguum inferius* (*Jud.* I, 13-15). Quid per asinum nisi corpus nostrum accipimus? Axa autem super asinum sedet, cum irrationabilibus carnis suæ motibus jam anima præsidet. Quæ suspirans a patre terram irriguam petit, quia a Creatore nostro cum magno gemitu quærenda est lacrymarum gratia. Sunt namque nonnulli qui jam in dono perceperunt libere pro justitia eloqui, oppressos tueri, indigentibus possessa tribuere, ardorem fidei habere; sed habere lacrymarum gratiam non habent. Ili nimirum terram australem et arentem habent; sed adhuc irrigua indigent, quia in bonis operibus positi, quibus magni atque ferventes sunt, oportet ut aut timore supplicii, aut amore regni cœlestis mala etiam quæ antea perpetraverunt, deplorent. Sed quia duo sunt compunctionis genera, quia Deum videlicet sitiens anima prius timore compungitur, post amore, dedit ei Pater suus irriguum superius et irriguum inferius. Irriguum quippe superius accipit anima, cum sese in lacrymis, regni cœlestis desiderio affligit; irriguum vero inferius accipit, cum inferni supplicia flendo pertimescit. Et prius quidem ei inferius, ac post irriguum superius datur. Sed quia compunctio amoris dignitate præeminet, necesse fuit ut prius irriguum superius, et post irriguum inferius commemorari debuisset. Duo autem, ut dixi, compunctionis genera sunt : quia prius timore anima compungitur, post amore. Prius enim sese in lacrymis afficit, quia dum malorum suorum recolit, pro his perpeti supplicia æterna pertimescit. At vero cum longa mœroris anxietate fuerit formido consumpta, quædam jam de præsumptione veniæ securitas nascitur, et in amore cœlestium gaudiorum animus inflammatur; et qui prius timebat ne duceretur ad supplicium, postmodum flere amarissime incipit quia differtur a regno. Sicque fit ut perfecta compunctio formidinis tradat animum compunctioni dilectionis

101 CAPUT IV.

DE ASINA.

In Scriptura sacra asinarum nomine aliquando quilibet simpliciter viventes, aliquando motus cordis lascivientes, aliquando simplices cordis cogitationes, aliquando caro nostra designatur.

(127) Asinarum appellatione quilibet simpliciter viventes et alienis oneribus portandis dediti accipiuntur, unde scriptum est : *Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos* (*Job* I, 14). Quid enim

(122) Ex l. I, in Job, c. 6, post medium.
(125) Ibid.
(124) Lib. ex l. XVI in Job, c. XXI, 22.
(125) Ex l. XXVII in Job, c. II, 15.
(126) Ex lib. III Dialog. c 34.
(127) Ex l. II in Job, c. XVII.

Digitized by Google

aliud per figuram boves quam bene operantes, et quid asinas quam quosdam simpliciter viventes accipimus? Qui dum in subtiliori intellectu currere non valent, quod quasi pigrius ambulant, eo fraterna onera mansuetius portant. Quæ bene juxta boves pasci referuntur, quia mentes simplicium etiam cum alta capere non possunt, eo magis vicinæ sunt, quo et fraterna bona sua per charitatem credunt. Cumque invidere alienis sensibus nesciunt, quasi in pastu se minime dividunt. Simul ergo se asinæ cum bobus reficiunt, quia prudentibus conjuncti tardiores, eorum intelligentia pascuntur.

(128) Asinarum nomine motus cordis lascivientes designantur, sicut de beato Job dicitur : *Quod in possessione quingentas asinas habuerit* (*Job* I, 3). Asinas quippe possidemus, cum lascivientes cordis motus restringimus : et quidquid in nobis carnale exsurgere appetit, spiritali cordis dominatu refrenamus.

(129) Asinarum quoque nomine simplices cordis cogitationes accipimus juxta illud : *Boves arabant et asinæ pascebantur juxta eos; et irruerunt Sabæi* **102** *tuleruntque omnia* (*Job* I, 14, 15). Quid enim pascentes asinas nisi simplices motus cordis intelligimus? quos dum studiose a duplicitatis errore compescimus, quasi in campo liberæ puritatis enutrimus. Sed ecce dum hoc agimus, hostis noster pascentes asinas subtrahit, quia plerumque dum motus cordis simplices videt, subtilia inventionum acumina ostendit, ut, dum laus de subtilitate quæritur, puritatis simplicitas amittatur. Et si usque ad opus pravum pertrahere non valet, tentando tamen bonorum cogitationibus subrepens nocet, ut, cum turbare bona mentis agnoscitur, ea quasi funditus abstulisse videatur.

Asinæ nomine caro nostra designatur, unde scriptum est quia, cum Balaam ad maledicendum pergeret, ab asina cui insidebat corripitur. Balaam namque pervenire ad propositum tendit; sed ejus votum animal cui præsidet præpedit. Prohibitione quippe immorata asina angelum videt, quem humana mens non videt, quia plerumque caro per molestias tarda flagello suo menti Deum indicat, quem mens ipsa carni præsidens non videbat : ita ut anxietatem spiritus proficere in hoc mundo cupientis, velut iter tendentis impediat, donec ei invisibilem qui sibi obviat innotescat. Unde et bene Petrus dicit : *Correptionem habuit suæ vesaniæ subjugale mutum animal hominis voce loquens prophetæ prohibuit insipientiam* (*II Petr.* II. 16). Insanus quippe homo a subjugali muto corripitur, quando mens elata humilitatis bonum quod tenere debeat ab afflicta carne memoratur.Considerandum est ergo quanta salus cordis sit molestia corporalis, quæ ad cognitionem sui mentem, et quam plerumque salus abjicit, infirmitatis memoria reformat, ut animus, qui extra se in elationem ducitur, ex percussa quam sustinet carne memoretur. Sed hujus correptionis donum idcirco Balaam non obtinuit, quia ad maledicendum pergens vocem, non mentem mutavit.

103 CAPUT V

DE CAMELO.

In Scriptura sacra camelorum nomine aliquando ipse Dominus, aliquando gentilis populus, aliquando Samaritanorum vita, aliquando terrenarum rerum dispositiones, aliquando distortæ et tumidæ cogitationes.

Cameli nomine Dominus designatur, sicut ab eodem Domino Judæis adversantibus dicitur : *Liquantes culicem, camelum glutientes* (*Matth.* XXIII, 24). Culex namque susurrando vulnerat, camelus autem sponte se ad suscipienda onera inclinat. Liquaverunt ergo Judæi culicem, quia seditiosum latronem dimitti petierunt. Camelum vero glutiverunt, quia eum qui ad suscipienda nostræ mortalitatis onera sponte descenderat, exstinguere clamando conati sunt.

(130) Cameli nomine gentilitas designatur. Unde et Rebecca ad Isaac veniens dorso cameli deducitur (*Gen.* XXIV, 64) : quia ad Christum ex gentilitate Ecclesia properans in tortis vitiosisque vitæ veteris conversationibus invenitur. (131) Quæ Isaac viso descendit, quia, Domino cognito, vitia sua gentilitas deseruit, et ab erectione celsitudinis ima humilitatis petiit. Quæ et verecundata pallio velatur (*ibid.*, 55), quia et coram illo ex anteacta vita confunditur. Unde et per Paulum eisdem gentibus dicitur : *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* (*Rom.* VI, 21.)

(132) Potest etiam per camelos, qui commune sunt animal, Samaritanorum vita signari. Cameli namque **104** ruminant, sed nequaquam ungulam findunt. Samaritani quoque quasi ruminant, quia ex parte legis verba recipiunt, et quasi ungulam non findunt, quia pro parte contemnunt : Qui etiam grave onus in dorso mentis tolerant, quia id omne quod faciunt, sine spe æternitatis elaborant : fidem quippe resurrectionis nesciunt. Et quid esse gravius atque onustius potest quam afflictionem prætereuntis sæculi perpeti et nequaquam ad revelationem mentis gaudia remunerationis sperare!

(133) Possunt quoque non inconvenienter per camelos, qui ungulam nequaquam findunt, sed tamen ruminant, terrenarum rerum bonæ dispensationes intelligi : quæ quia aliquid habent sæculi, et aliquid Dei, per commune eas necesse est animal designari. Neque enim terrena dispensatio, quamvis æternæ utilitati serviat, sine perturbatione mentis valet exhiberi. Quia igitur per hanc et ad præsens mens confunditur, et in perpetuum merces paratur, quasi commune animal et aliquid de lege

(128) Ex l. in Job, c. XIII, 30.
(129) Ex l. II in Job, c. XXIV, 33, in medio.
(130) Ibidem.
(131) Lib. XXXV in Job, c. XI, id repetit.
(132) Job, loco citato.
(133) Ex lib. I in Job, cap. XIII, 29.

Digitized by Google

habet, et aliquid non habet. Ungulam quippe non findit, quia non se penitus anima ab omni terreno opere disjungit; sed tamen ruminat, quia bene dispensando temporalia per certitudinis fiduciam cœlestia sperat. Terrenæ igitur dispensationes, quasi camelorum more, capite legi concordant, pede discrepant, quia et cœli sunt quæ juste viventes appetunt, et hujus mundi sunt ea in quibus opere versantur.

Possunt etiam per camelos tortuosum videlicet animal distortæ et tumidæ cogitationes intelligi. Unde bene beatus Job camelos in possessione habuisse perhibetur (*Job* I, 3). Camelos quippe possidemus, si quod altum sapimus humiliter deponamus. Camelos procul dubio possidemus, cum cogitationes nostras ad infirmitatis fraternæ compassionem flectimus, et vicissim onera nostra portantes alienæ infirmitati compati condescendendo noverimus.

105 CAPUT VI.

DE ANIMALIBUS.

In Scriptura sacra animalium nomine aliquando sancti evangelistæ, aliquando justi, aliquando simplices in sancta Ecclesia, aliquando cogitationes aliquantulum a terra suspensæ, aliquando irrationabiles animæ motus.

(134) Animalium nomine sancti evangelistæ designantur, sicut per Ezechielem dicitur : *Et in medio ejus similitudo quatuor animalium* (*Ezech.* I, 5). Quid enim per quatuor animalia, nisi quatuor evangelistæ signatur?

(135) Animalium nomine justi designantur, sicut per Ezechielem dicitur : *Et audivi vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram* (*Ezech.* III, 13). Quid namque alas animalium, nisi virtutes debemus sentire sanctorum? Qui dum terrena despiciunt ad cœlestia volando sublevantur. Sed volantia animalia, alis suis se vicissim feriunt, quia sanctorum mentes in eo quod superna appetunt, consideratis invicem alternis virtutibus excitantur. Ala enim sua me percutit, qui exemplo sanctitatis propriæ me ad melius accendit. Et ala mea vicinum animal ferio, si aliquando opus bonum quod imitetur ostendo.

(136) Animalium nomine simplices in sancta Ecclesia designantur, sicut de eadem sancta Ecclesia per Psalmistam dicitur : *Animalia tua habitabunt in ea* (*Psal.* LXVII, 11), quia videlicet simplicem quique in sancta habet Ecclesia.

106 (137) Animalium nomine cogitationes aliquantulum a terra suspensæ, sed adhuc terrenæ mercedis præmia requirentes designantur, sicut per Ezechielem dicitur : *Et ingressus vidi : Et ecce omnis similitudo reptilium et animalium abominatio* (*Ezech.* VIII, 10). In reptilibus quippe cogitationes omnino terrenæ signantur; in animalibus vero jam quidem aliquantulum a terra suspensæ, sed adhuc terrenæ mercedis præmia requirentes. Nam reptilia toto ex corpore terræ inhærent; animalia autem ventre a terra suspensa sunt; appetitu tamen gulæ ad terram semper inclinantur. Reptilia itaque sunt inter parietem, quando cogitationes volvuntur in mente quæ a terrenis desideriis nunquam levantur. Animalia quoque sunt intra parietem, quando et si quæ jam justa, si qua honesta cogitantur, appetendis tamen lucris temporalibus honoribusque deserviunt; et per semetipsa quidem quasi a terra suspensa sunt, sed adhuc per ambitum quasi gulæ desiderium sese ad ima submittunt.

(138) Animalium nomine irrationabiles animæ motus designantur : *Unde filii Ruben et Gad et dimidia tribus Manasse introductis filiis Israel in terram repromissionis ad campestria redeunt* (*Num.* XXXI, 33), quia ab altis cacuminibus montium quasi ab spe cœlestium delabuntur, ut extra promissionis terram bruta animalia nutriant, quia ad pascendos variis desideriis irrationabiles animæ motus elaborant : quia æternæ lucis quanta sit claritas nesciunt qui transitoriis occupationibus excæcantur, et, dum de terrenis rebus superbiunt, cœlestis sui luminis aditum claudunt.

107 CAPUT VII.

DE BOVE.

In sacra Scriptura bovis nomine aliquando Judaicus populus, aliquando luxuriosorum dementia, aliquando labor prædicatoris, aliquando sapiens, aliquando doctorum mansuetudo, aliquando diabolus, aliquando bona operatio designantur.

Bovis nomine Judaicus populus designatur, sicut per prophetam dicitur : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini* (*Isa.* I, 3). Require in capitulo De asino c. 3, supra.

(139) Quod autem bovis nomine per comparationem luxuriosorum dementia designetur, Salomon indicat, qui cum male suadentis mulieris petulantiam præmisisset, adjunxit : *Statimque sequitur eam quasi bos ductus ad victimam* (*Prov.* VII, 22).

(140) Bovis nomine labor prædicationis exprimitur, sicut legis verba testantur, quibus dicitur : *Non alligabis os bovi trituranti* (*I Tim.* V, 18). Ac si aperte diceret : Prædicatorem verbi ab stipendiorum suorum perceptione non prohibeas.

Rursum bovis nomine sapiens quilibet designatur, sicut scriptum est : *Non junges bovem et asinum* (*Deut.* XXV, 4), id est sapientem cum stulto in prædicatione non sociabis.

Boum nomine doctorum mansuetudo designatur, sicut scriptum est. Quia in vasis templi inter coronas et plectas boves, et leones ac cherubin exsculpta sunt (*Deut.* XXII, 10). Coronæ quippe signum sunt victoriæ. Plectæ **108** autem concordiæ unanimitatem signant. Cherubin vero *plenitudo scientiæ*. Per boves quoque mansuetudo, per leones vero se-

(134) Ex hom. 2 in Ezech., post medium.
(135) Ex l. XXIV in Job, c. VI, post medium.
(136) Ex l. XXXV in Job, c. XI.
(137) Ex l. XXVI in Job, c. V.
(138) Ex l. XXVII in Job, c. VII, medium circiter.
(139) Ex lib. XXXV in Job, c. II.
(140) Ex lib. et cap. super.

Digitized by Google

veritas accipitur. Sacerdotes ergo atque doctores inter coronas et plectas, id est inter fortitudinem boni operis, quo ad victoriam currunt, et charitatis concordiam, qua a se vicissim non discrepant, per boves, et leones atque cherubim designati sunt, quia in plenitudine scientiæ quam habent necesse est ut et boum mansuetudinem teneant, et fervorem leonum, quatenus in disciplina, quam prædicant, et ex sancto zelo accensi sunt, et ex paterna dulcedine tranquilli.

Bovis nomine diabolus designatur, sicut per Isaiam dicitur : *Leo sicut bos comedet paleas* (*Isa.* XI, 7); et sicut de eodem voce Dominica ad beatum Job dicitur : *Fenum sicut bos comedet* (*Job* XL, 10). Quid enim leonis nomine nisi diabolus, quid palearum vel feni nomine, nisi carnalium vita signatur? Sed quid est quod in comestione palearum vel feni diabolus non equo, sed bovi comparatur? Hoc autem citius agnoscimus, si in utrisque animalibus quæ sit nutrimentorum distantia perpendamus. Equi namque fenum quamlibet sordidum comedunt, aquam vero non nisi mundam bibunt. Boves autem aquam quamlibet sordidam bibunt, sed feno non nisi mundo vescuntur. Quid est ergo quod bovi, qui mundo pabulo vescitur, diabolus comparatur, nisi hoc quod de ipso per prophetam alium dicitur : *Esca ejus electa* (141) (*Habac.* I, 16, juxt. LXX). Neque enim eos se gaudet rapere, quos protervis, ac sordidis actionibus implicatos in imis secum voluntarie respicit jacere. Fenum ergo sicut bos comedere appetit, quia suggestionis suæ dente conterere mundam spiritalium vitam quærit.

(142) Bovis nomine bona operatio designatur, sicut per Moysem dicitur : *Non arabis in primogenito bovis* (*Deut.* XV, 15). Quid enim per primogenitum bovis, nisi bonam operationem accipimus? Primogenitum autem bovis intelligimus in infirma ætate primi nostri temporis bonam operationem : in quo tamen arandum non est, quia cum prima sint nostra adolescentiæ vel juventutis **109** tempora, adhuc nobis a prædicatione cessandum est, ut vomer linguæ nostræ proscindere non audeat terram cordis alieni, quoad usque enim infirmi sumus, continere nos intra nosmetipsos debemus, ne, dum tenera bona citius ostendimus, amittamus, quia et arbusta plantata, si prius in terra radicata non fuerint, manu tacta citius arescunt, at si semel radicem fixerint, manus tangit, et tamen nihil officit, venti impellunt, nec tamen impellentes lædunt. Et constructi parietes, si impelluntur, eruuntur, nisi prius a suo fuerint humore siccati. Mens itaque quousque humore pravitatis suæ non fuerit perfecte exsiccata, alienæ linguæ manu tangi non debet, ne, priusquam plene percipiat, perdat soliditatem suam, ne impulsa ruat, ne velut arbustum sine radicibus, dum plusquam valet tolerare concutitur, flatibus arescat. Ad exemplum ergo non sunt ostendenda, nisi quæ firma sunt. Prius enim convalescere debet mens, atque ad utilitatem proximorum postmodum demonstrari, cum jam nec per laudem elata corruat, nec per vituperationem percussa contabescat. Nam et si Timotheo dicitur : *Præcipe hæc et doce, nemo adolescentiam tuam contemnat* (*I Tim.* IV, 11, 12), sciendum est quia ei adolescentia in annis, non in moribus fuit, quamvis in sacro eloquio nonnunquam adolescentia juventus vocatur. Unde scriptum est : *Lætare, juvenis, in adolescentia tua* (*Ezech.* II, 9).

CAPUT VIII.

DE VACCA.

In Scriptura sacra cum vacca singulari numero ponitur, aliquando infirmitas incarnationis Dominicæ, aliquando caro nostra accipitur. Cum vero pluraliter vaccæ dicuntur, mentes intelliguntur fidelium.

110 Vaccæ nomine infirmitas incarnationis Dominicæ designatur, sicut Moysi a Domino dicitur : *Præcipe filiis Israel ut adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in qua nulla sit macula, nec portaverit jugum. Tradesque eam Eleazaro sacerdoti. Qui eductam extra castra immolabit in conspectu Domini, et intinget digitum in sanguine ejus, aspergens contra fores tabernaculi septem vicibus; comburetque eam, cunctis videntibus; tam pellem quam carnem ejus, ac sanguinem ac fimum flammæ tradetis* (*Num.* XIX 2-5). Quid per vaccam, nisi assumpta ad sacrificium infirmitas incarnationis Dominicæ figuratur? De quo scriptum est *quia et ipse mortuus* (143) *est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei?* (*II Cor.* XIII, 4.) Bene autem vacca hæc etiam rufa dicitur, quia videlicet ejus humanitas rubra per cruorem passionis fuit. Unde et in Canticis canticorum a sponsa describitur dicente : *Dilectus meus candidus et rubicundus* (*Cant.* V, 10); candidus videlicet ex divinitate, rubicundus ex sanguine; candidus per justitiam vitæ, rubicundus ex cruore passionis.

Ætatis integræ in qua non sit macula. Ætas humanitatis Domini integra est, omnis ejus operatio perfecta. In qua videlicet humanitate macula non fuit, quia et veraciter de eo scriptum est : *Quia peccatum non fecit, nec inventus dolus in ore ejus* (*I Petr.* II, 22). Bene autem subditur, *nec portavit jugum.* Scriptum quippe est : *Omnis qui peccat servus est peccati* (*Joan.* VIII, 35). Quia Dominus nulli peccato succubuit, jugum minime portavit. Sequitur : *Tradesque eam Eleazaro sacerdoti : qui eductam extra castra immolabit in conspectu Domini.* Quid est quod hæc vacca ad immolandum traditur sacerdoti, nisi quod incarnatus Dominus, qui pro redemptione nostra sacrificium semetipsum fecit, in Judaici populi manibus datur? Qui etiam extra castra immolatus est in conspectu Domini, quia videlicet extra portam passus est. Unde et dicit Paulus :

(141) Ibi vulgat. edit. habet *cibus ejus electus.*
(142) Ex homil. 2 in Ezech., haud procul ab initio.

(143) Ibi nostra edit. pro *mortuus* legit *crucifixus*

Digitized by Google

Exeamus ad eum extra castra improperium ejus portantes. Jesus enim ut sanctificaret per sanguinem suum populum, extra portam passus est. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus (*Hebr.* XIII, 13). Idcirco enim extra portam passus est, ut a conversatione nos vitæ **111** præsentis, quasi a civitate foras duceret, et a terrena inhabitatione cor nostrum evellere persuaderet. Bene autem dicitur *immolabit in conspectu Domini*. Redemptor enim noster in conspectu omnium quasi exstinctus est, sed in conspectu Patris immolatus, quia quod ante oculos hominum pœna, hoc ante oculos Patris sacrificium fuit. *Et intinget digitum in sanguine ejus.* Quid per digitum nisi discretio nostræ operationis accipitur? In sanguine vero vaccæ digitum intingere est in passione incarnationis Dominicæ nostra opera consecrare, ut passionem ejus quem cognoscimus imitemur, sicut scriptum est: *Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus* (*I Petr.* II, 2). Eleazar autem et immolat, et in sanguine ejus digitum intingit, quia videlicet plebs Judaica ex reproborum parte humilitatem Domini usque ad passionem persecuta est; ex electorum vero parte operationem humilitas ejus imitata est: *Et asperget contra fores tabernaculi.* Quid hoc loco tabernaculum, nisi tota simul Synagoga accipitur? Qui ergo tinxerit in sanguine ejus digitum, eumdem sanguinem contra fores tabernaculi aspergat, id est quisquis passionis ejus vias imitatur, Synagogæ non cadenti et resistenti per exempla bona, per operationem rectam signum bene vivendi præbeat. Contra fores enim tabernaculi vaccæ sanguinem aspergere est resistenti plebi Judaicæ per prædicationem rectam et per sancta opera passionis ejus exempla monstrare. Bene autem dicitur ut digitus ejus in sanguine septem vicibus intingatur et aspergatur. In septenario enim numero perfectio accipitur. Unde et septem diebus universum tempus impletur, et sanctus spiritus septiformis vocatur. Septem vero vicibus in sanguine digitum intingere est per perfectam operationem ministerium passionis ejus imitari. Et septem vicibus contra Synagogam aspergere est perfecta prædicatione sacramenta incarnationis ac passionis ejus infidelibus denuntiare:

Comburetque eam cunctis videntibus extra castra: tam pellem ac carnes ejus, quam sanguinem et fimum flammæ tradetis. Quid per carnem et pellem, quid per sanguinem et fimum vaccæ, nisi carnalia sacrificia in Testamento Veteri habita, quæ infirmitatem **112** Domini denuntiabant, figurantur? Quæ omnia postmodum a Patribus specialiter intellecta juxta exterius ministerium, stercora sunt vocata. Unde Paulus cum de sacrificiis carnalibus loqueretur dixit: *Propter quem omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora* (*Philipp.* III, 8). Quæ flammæ traduntur, quia quamvis carnaliter prius exhibita postmodum per Spiritum sanctum intelligentiæ igne consumpta sunt. Possumus tamen in eadem vacca, id est in ipsa infirmitate incarnationis Dominicæ carnem, pellem ac sanguinem et fimum singula ejus opera accipere. Quid enim per carnem et pellem, nisi exterior operatio designatur? Quid per sanguinem, nisi subtilis internaque virtus exteriora acta vivificans? Quid per fimum, nisi lassitudo, sitis, esuries, et timor mortis et quæque ex humilitate suscepta pati voluit, designantur? Quod enim ex defectu nostræ mortalitatis habuit, quasi in eo abjiciendum fuit. Quæ tamen omnia quæ ex nostra infirmitate suscepit, quia pro nostra redemptione exhibuit, igne concremanda sunt, id est juxta virtutem sancti Spiritus intelligenda, ut quæque ab eo corporaliter gesta sunt, per incorporeum ejus divinitatis spiritum disposita sentiantur.

Potest quoque per vaccam caro nostra signari. Vaccam ergo mactamus, cum carnem a lascivia suæ voluptatis exstinguimus. Sed quia carnis maceratio sine fide, spe et charitate inutilis reputatur, dum vacca in sacrificio mactatur, cum hyssopo lignoque cedrino ac cocco bis tincto offerri præcipitur. Quid enim per hyssopum, nisi fides? quid per lignum cedrinum, nisi spes? et quid per coccum, nisi charitas designatur? Hyssopus quippe interna nostra mundare consuevit. Et per Petrum dicitur: *Fide mundans corda eorum* (*Act.* XV, 9). Lignum quoque cedrinum nulla putredine deficit, quia spem cœlestium terminus non consumit. Unde et per Petrum dicitur: *Regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam et immarcessibilem* (*I Petr.* I, 9). Coccus autem rubeo colore flammescit, quia quem implet charitas, etiam incendit. Unde in Evangelio **113** Veritas dicit: *Ignem veni mittere in terram* (*Luc.* XII, 49). Sed bis tinctus coccus offerri præcipitur, ut videlicet ante interni judicis oculos charitas nostra Dei et proximi dilectione coloretur, quatenus conversa mens nec sic pro amore Dei quietem diligat ut curam proximi utilitate neque postponat, nec sic pro amore proximi occupationi serviat ut quietem funditus deserens ignem in se superni amoris exstinguat. Vaccam ergo cum hyssopo, lignoque cedrino ac cocco offerimus, dum cum maceratione carnis sacrificium fidei, spei et charitatis adolemus. Quisquis igitur semetipsum Deo jam sacrificium obtulit, si perfecta desiderat, curet necesse est ut non solum se ad operationis latitudinem, verum etiam ad culmina contemplationis extendat.

(144) Vaccarum nomine mentes fidelium designantur. Unde cum de terra Philisthim arca Domini ad terram Israel rediret, plaustro superimposita est, et vaccæ plaustro subjunctæ sunt. Quæ fetæ fuisse memorantur, quarum vitulos clausérunt domi. *Ibant autem indirectum vaccæ per viam quæ ducit*

(144) Ex hom. 37 in Evang., longius ab initio.

Digitized by Google

Bethsamis; uno itinere gradiebantur, pergentes et mugientes; et non declinabant neque ad dexteram neque ad sinistram (*I Reg.* VI, 7). Quid enim vaccæ, nisi fideles quosque in Ecclesia designant? Qui cum sancti eloquii præcepta conservant, quasi super impositam Domini arcam portant. De quibus hoc est etiam notandum quod fetæ fuisse memorantur, quia sunt plerique qui in via Dei intrinsecus positi foris carnalibus affectibus ligantur. Sed non declinant a recto itinere, qui arcam Dei portant in mente. Ecce autem vaccæ Bethsamis pergunt. Bethsamis quippe *domus* interpretatur. Et Propheta ait : Vobis autem, qui timetis Dominum, orietur sol justitiæ. Si igitur ad æterni solis habitationem tendimus, dignum profecto est ut de Dei itinere pro carnalibus affectibus non declinemus. Tota enim mente pensandum est quod vaccæ Dei plaustro suppositæ pergunt et gemunt; dant ab intimis mugitus, et tamen de Dei itinere non detorquent gressus. Amorem quidem per compassionem sentiunt, sed colla posterius non deflectunt. Sic nimirum, sic prædicatores **114** Dei, sic fideles quique esse intra sanctam Ecclesiam debent, ut et compatiantur proximis per charitatem, et tamen de via Dei non exorbitent per compassionem. Arcam quippe plaustro superpositam Bethsamis pergere est cum superna scientia ad internæ lucis habitaculum propinquare. Sed tunc vere Bethsamis tendimus, cum viam rectitudinis gradientes ad vicina erroris latera nec pro affectu pignorum declinamus. Sic namque, sic necesse est ut incedere debeant qui sacræ legis jugo supposili, jam per internam scientiam Dei arcam portant. Per hoc quod propinquorum necessitatibus condolent, accepto rectitudinis itinere non declinent. Quorum nimirum gratia mentem nostram tenere debet, sed deflectere non debet, ne hæc eadem mens, aut si affectu non tangitur, dura sit; aut plus tacta, si inflectitur, remissa.

CAPUT IX.

DE VITULA.

(145) Vitulæ nomine mens carnalis designatur quod bene sub Ephraim specie Osee propheta describit qui ait : *Ephraim vitula docta diligere triturum* (*Ose.* x, 11). Vitula enim trituræ laboribus assueta relaxata plerumque ad eumdem laboris usum etiam non compulsa revertitur. Ita pravorum mens hujus mundi servitiis dedita, et rerum temporalium fatigationibus assueta, etiam si sibi libere vacare liceat, subesse tamen terrenis sudoribus festinat, et usu miseræ conversationis trituram laboris quærit, ut a jugo mundanæ servitutis cessare non libeat, etiam si licet. Quod videlicet jugum Dominus a discipulorum cordibus solvebat, cum diceret : *Attendite vobis ne graventur corda vestra crapula et ebrietate* (*Luc.* XXI, 34) : illico adjunxit *et curis hujus vitæ, et superveniat in vos repentina dies illa* (*ibid.*). Et rursum : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos; et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde* (*Matth* XI, 29). Quid est enim Domino mitem se in magisterio atque humilem dicere, nisi relictis exercendæ elationis **115** difficultatibus, plana quædam bene vivendi itinera demonstrare? Sed quia pravorum mentes plus per aspera elationis quam per blanda humilitatis ac mansuetudinis delectantur, esse sub sentibus delicias putant. Dura enim pro amore sæculi quasi quædam mollia ac delectabilia ferre parati sunt, dum in hac vita rerum culmina apprehendere conantur. Cessationem Dominus a mundi laboribus imperat, sanctæ quietis dulcedinem persuadet; et tamen vesana iniquorum mens plus se assequi aspera carnaliter quam spiritaliter gaudet. Plus acerbitate fatigationis quam quietis dulcedine pascitur.

CAPUT X.

DE TAURO.

In Scriptura sacra taurorum nomine aliquando intelliguntur Patres Veteris Testamenti, aliquando superbi.

(146) Taurorum nomine Patres Veteris Testamenti designantur, sicut in Evangelio a Domino dicitur : *Ecce prandium meum paravi; tauri mei et altilia occisa sunt, et omnia parata, venite ad nuptias* (*Matth.* XXII, 4). Quid in tauris vel altilibus, nisi Novi ac Veteris Testamenti Patres accipimus? Altilia enim saginata dicimus. Ab eo enim quod est alere, altilia quasi alitilia vocamus. Cum vero in lege scriptum sit : *Diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum* (*Matth.* V, 43), accepta tunc justis licentia fuerat, ut Dei suosque adversarios quanta possent virtute comprimerent, eosque jure gladii ferirent. Quod in Novo, procul dubio, Testamento compescitur cum per semetipsam Veritas prædicat, dicens : *Diligite inimicos vestros, bene facite his qui oderunt vos* (*ibid.*, 44). Quid ergo per tauros nisi Patres Testamenti Veteris significantur? Nam dum ex permissione legis acceperant quatenus adversarios suos odii retributione percuterent, ut ita dicam, quid aliud quam tauri erant, qui inimicos suos **116** virtutis corporeæ cornu feriebant? Quid vero per altilia, nisi Patres Testamenti Novi figurantur? qui dum gratiam pinguedinis internæ percipiunt, a desideriis terrenis innitentes ad sublimia contemplationis suæ pennis sublevantur. In imo quippe cogitationem ponere, quid aliud quam quædam ariditas mentis est? Qui autem intellectu cœlestium jam per sancta desideria de supernis delectationis intimæ cibo pascuntur, quasi largiori alimento pinguescunt. Hac enim pinguedine saginari Psalmista concupivit, qui dicebat : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea* (*Psal.* LXII, 6). Quia igitur prædicatores Dominicæ Incarnationis missi, persecutionem ab infidelibus, et prius prophetæ et postmodum sancti apostoli pertulerunt, invitatis et ve-

(145) Ex lib. XX in Job, cap. 16, ante medium.

(146) Hom. 38 in Evang.

Digitized by Google

nire nolentibus dicitur : *Tauri mei et altilia occisa sunt, et omnia parata sunt.* Ac si apertius dicatur : Patrum præcedentium mortes accipite, et remedia vitæ nostræ cogitate.

(147) Taurorum nomine cervix superbiæ designatur, sicut amicis beati Job a Domino dicitur : *Sumite vobis septem tauros, et septem arietes, et ite ad servum meum Job, et offeret holocaustum pro vobis* (*Job* XLII, 8). Per tauros cervix superbiæ, per arietes vero ducatus exprimitur, qui ab hæreticis persuasis plebibus, quasi seductis gregibus agitur. De hæreticis namque superbientibus dicitur, qui infirmorum mentes male suadendo corrumpunt : *Consilium taurorum, inter vaccas populorum* (*Psal.* LXVII, 31). Et quia sequentes se populos velut greges trahunt, arietes aliquando nominantur; greges scilicet arietes ducunt. Unde per increpationem Jeremias ait : *Principes tui velut arietes* (*Thren.* I, 6). Quia igitur hæretici, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, superbiam elationis deserere, et nequaquam jam quasi sequentes greges populorum cuneos ad interitum ducunt, amici beati Job offerre tauros et arietes jubentur. Tauros enim et arietes in sacrificio offerre est superbum ducatum in conversionis humilitate mactare, ut edomita cervice superbiæ discant obediendo sequi qui dudum præire conabantur. Recte quoque **117** hæc eorum superbia septem sacrificiis expiatur, quia hæretici ad Ecclesiam revertentes per humilitatis hostiam, dona Spiritus gratiæ septiformis accipiunt, ut qui elationis suæ vetustate tabuerant, novitate gratiæ reformentur. Dicatur igitur : *Sumite vobis septem tauros et septem arietes, et ite ad servum meum Job, et offeret holocaustum pro vobis.* Ac si hæreticis redeuntibus aperte diceretur. Universali vos Ecclesiæ per humilitatem pœnitentiæ jungite, atque eam qua per vosmetipsos digni non estis veniam ejus a me precibus obtinete, qui cum per hanc veraciter sapere discitis, prioris apud me vestræ sapientiæ stultitiam deletis.

CAPUT XI.

DE VITULO.

In Scriptura sacra vituli nomine aliquando Christus vel Lucas evangelista, aliquando sanctus prædicator intelligitur.

Vituli nomine Christus vel Lucas evangelista designatur, sicut per Joannem evangelistam in Apocalypsi de quatuor animalibus dicitur : *Animal primum simile leoni, secundum animal simile vitulo, tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilæ volanti* (*Apoc.* IV, 7). Ubi quamvis singula ad unumquemque evangelistam recte conveniant, dum alius humanæ nativitatis ordinem, alius per mundi sacrificii mactationem quasi vituli mortem, alius potestatis fortitudinem quasi leonis clamorem insinuat, alius nativitatem Verbi intuens quasi ortum solem aquila aspectat, possent tamen hæc quatuor animalia ipsum suum caput, cujus sunt membra, signare. Ipse namque et homo est, quia naturam nostram veraciter suscepit; et vitulus, quia pro nobis patienter occubuit; et leo, quia per divinitatis fortitudinem susceptæ **118** mortis vinculum rupit; et ad extremum aquila, quia ad cœlum de quo venerat rediit. Homo ergo nascendo, vitulus moriendo, leo resurgendo, aquila ad cœlos ascendendo vocatus est.

(148) Vituli nomine sanctus prædicator designatur, sicut per Ezechielem dicitur : *Planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli* (*Ezech.* I, 7). In sanctis quippe prædicatoribus planta pedis est ut planta vituli, scilicet mature incedens, et fortis et divisa. Quia unusquisque prædicator et venerationem habet in maturitate, et fortitudinem in opere, et divisionem ungulæ in discretione. Non enim facile prædicatio ejus accipitur, si levis in moribus esse videatur. Et nulla erit maturitatis ostensio, si contra adversa omnia non affuerit operis fortitudo. Virtutis autem meritum, ipsa fortitudo operis amittit, si discretio in intellectu non fuerit.

CAPUT XII

DE CANIBUS.

In Scriptura sacra canum nomine aliquando sancti prædicatores, aliquando adulatores, alias hæretici, alias Judæi, aliquando gentiles intelliguntur.

(149) Canum nomine sancti prædicatores designantur, sicut in Evangelio scriptum est : *Sed et canes veniebant et lingebant ulcera ejus* (*Luc.* XVI, 21). Quid enim per canes nisi prædicatores intelligimus? Canum etenim lingua vulnus dum lingit, curat : quia et doctores sancti dum in confessione peccati nostri nos instruunt, quasi vulnus mentis nostræ per linguam tangunt. Et quia nos loquendo a peccatis eripiunt, quasi tangendo vulnera ad salutem reducunt. Quia enim canum nomine prædicatorum **119** lingua signatur, bene per Psalmistam Domino dicitur : *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso* (*Psal.* LXVII, 24). Ex Judæis quippe infidelibus sancti prædicatores electi sunt, qui assertione veritatis, contra fures latronesque venientes magnos pro Domino, ut ita dicam, latratus dederunt. Quomodo contra de quorumdam reprobatione dicitur : *Canes muti non valentes latrare* (*Isa.* LVI, 10). Quia igitur prædicatores sancti peccata damnant, confessionem vero peccatorum approbant, dicentes : *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini* (*Jac.* V, 16), ulcera Lazari canes lingunt : sancti etenim doctores, dum gentilium confessiones accipiunt, mentium vulnera saluti restituunt. Unde et Lazarus interpretatur *adjutus*, quia ipsi hunc ad ereptionem juvant qui ejus vulnera per linguæ correptionem curant.

Potest autem per linctionem canum, lata adulantium lingua signari. Adulantibus etenim vulnera

(147) Ex lib. XXXV in Job, c. 7.
(148) Ex hom. 3 in Ezech.
(149) Ex hom. 40 in Evang.

Digitized by Google

nostra lingere est, quod plerumque solent, etiam ipsa mala quæ in nobis reprehendimus improbo favore laudare.

Canum nomine hæretici designantur, sicut scriptum est : *Sicut canis revertitur ad vomitum suum, sic stultus ad stultitiam suam* (*Prov.* XXVI, 11).

Canum nomine Judæi Dominum persequentes designantur, sicut a Domino per Psalmistam dicitur, *Circumdederunt me canes multi* (*Psal.* XXI, 17).

Canum nomine gentiles designantur, sicut in Evangelio Dominus mulieri Chananææ dicit . *Non est bonum sumere panem, et mittere canibus* (*Matth.* XV, 26). Ac si diceret : Non est bonum ut doctrinæ panis a filiis, id est Judæis qui ab initio Dominum coluerunt et adoraverunt, subtrahatur et vobis gentibus, quæ multis spurcitiis et idolis deservistis, detur.

120 CAPUT XIII.

DE ARIETIBUS.

In Scriptura sacra arietum nomine aliquando sacerdotes, aliquando rationales spiritus, aliquando ducatus sequentium populorum designantur.

Arietis nomine primus intra Ecclesiam ordo sacerdotum designatur, sicut per Salomonem dicitur : *Tria sunt quæ bene gradiuntur, et quartum, quod incedit feliciter. Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum, gallus succinctus lumbos, et aries; nec est rex qui resistat ei.* Ipse quippe hoc loco ponitur leo, de quo scriptum est : *Vicit leo de triba Juda.* Qui fortissimus esse perhibetur, quia in hoc ipso quod infirmum est Dei fortius est hominibus (*I Cor.* I, 25). *Qui ad nullius pavet occursum.* Dicit enim : *Venit princeps hujus mundi et in me non habet quidquam* (*Joan.* XIV, 30). *Gallus succinctus lumbos*, id est, prædicatores sancti inter hujus tenebras noctis verum mane nuntiantes. Qui succincti lumbos sunt, quia a membris suis luxuriæ fluxa restringunt. In lumbis quippe luxuria est. Unde et eis a Domino dicitur : *Sint lumbi vestri præcincti* (*Luc.* XII, 35). *Et aries. Nec est rex qui resistat ei.* Quem alium hoc loco arietem accipimus nisi primum intra Ecclesiam ordinem sacerdotum? De quibus scriptum est : *Afferte Domino filios arietum* (*Psal.* XXVIII, 1). Qui per exempla sua gradientem populum quasi subsequentem ovium gregem trahunt. Quibus spiritaliter recteque viventibus nullus rex sufficit omnino resistere, quia quilibet persecutor obviet, intentionem eorum non valet præpedire. Sciunt enim ad eum quem desiderant et anxie currere et moriendo pervenire. Ponitur ergo primus leo, secundus gallus, tertius aries. Apparuit enim Christus, deinde prædicatores sancti apostoli, et tunc demum spirituales **121** Patres Ecclesiarum præpositi, videlicet duces gregum, quia doctores sequentium populorum. Sed quia post hoc Antichristus apparebit, hoc illi quartum subdens dicit : *Et qui stultus apparuit, postquam elevatus est in sublime. Si enim intellexisset, ori suo imposuisset manum* (*Prov.* XXX, 32). Ipse quippe in sublime elevabitur, cum Deum se esse mentietur. Sed elevatus in sublime stultus apparebit, quia in ipsa elevatione, per adventum veri judicis deficiet. Qui si intellexisset, ori suo imposuisset manum, id est, si supplicium suum cum superbire exorsus est prævidisset, bene aliquando conditus in tantam jactationem superbiæ non fuisset elatus. De quo nequaquam moveat, quod superius dictum est : *Quartum quod incedit feliciter.* Tria quippe bene incedere dixit, et quartum feliciter. Non enim omne quod feliciter bene ; neque in hac vita omne quod bene, incedit feliciter. Nam leo, gallus et aries bene incedunt, sed non hic feliciter, quia persecutionum bella patiuntur. Quartum vero feliciter, et non bene incedit, quia in fallacia sua Antichristus graditur, sed juxta breve tempus vitæ præsentis ipsa illi fallacia prosperatur, sicut de eo sub Antiochi specie per Danielem dictum est : *Robur datum est ei contra juge sacrificium propter peccata, et prosternetur veritas in terra, et faciet et prosperabitur* (*Dan.* VIII, 12). Quod ergo Salomon ait, incedit feliciter, hoc Daniel dicit, prosperabitur.

Arietum nomine rationabiles spiritus designantur, sicut per Moysem dicitur : *Tollens Jacob virgas populeas virides et amygdalinas, et ex platanis, ex parte decorticavit eas. Detractisque corticibus in his quæ spoliatæ fuerant, candor apparuit. Illæ vero quæ integræ erant, virides permanserunt, atque in hunc modum color effectus est varius. Igitur quando ascendebant oves, ponebat eas in canalibus aquarum, ante oculos arietum et ovium ut in earum contemplatione conciperent* (*Gen.* XXX, 37-38). Quid est enim virgas virides amygdalinas et ex platanis ante oculos gregum ponere, nisi per Scripturæ sacræ seriem antiquorum Patrum vitas atque sententiam in exemplum populis præbere? Quæ nimirum, quia juxta rationis examen rectæ sunt, virgæ nominantur. Quibus ex parte corticem **122** subtrahit ut in his, quæ exspoliantur, candor intimus appareat, et ex parte corticem servat, ut, sicut fuerant exterius in viriditate permaneant. Variusque virgarum color efficitur, dum cortex ex parte subtrahitur, et ex parte retinetur. Ante considerationis enim nostræ oculos præcedentium Patrum sententiæ, quasi virgæ variæ ponuntur, in quibus, dum plerumque intellectum litteræ fugimus, quasi corticem subtrahimus ; et, dum plerumque intellectum litteræ sequimur, quasi corticem reservamus ; dumque ab ipsis cortex litteræ subducitur, allegoriæ candor interior demonstratur ; et dum cortex relinquitur, exterioris intelligentiæ virentia demonstrantur exempla. Quas bene Jacob in aquæ canalibus posuit, quia et Redemptor noster in libris sacræ scientiæ, quibus nos intrinsecus infundimus fixit. Has aspicientes arietes cum ovibus coeunt, quia rationabiles nostri spiritus, dum in earum intentione defixi sunt, singulis quibusque actionibus permiscentur ut tales fetus operum procreent, qualia exempla præcedentium in vocibus præceptorum vident. Et

Digitized by Google

diversum colorem proles boni operis habet quia et nonnunquam subtracto litteræ cortice, actus interna considerat, et reservato nonnunquam historiæ tegmine se in exterioribus formal.

Arietum nomine ducatus sequentium populorum designatur. Unde ad amicos beati Job a Domino dicitur : *Sumite vobis septem tauros et septem arietes, et ite ad servum meum; et offeret holocaustum pro vobis* (*Job* XLII, 8). Quære in capitulo De tauro.

123 CAPUT XIV.

DE OVIBUS.

In Scriptura sacra cum singulariter ovis ponitur, Christi patientia intelligitur; cum vero pluraliter oves dicuntur, aliquando fideles ex Judæis accipiuntur, aliquando cogitationum innocentia, aliquando simplices quique.

(150) Ovium nomine fideles ex Judæis designantur, sicut de beato Job in figura dicitur : *Et fuit possessio ejus septem millia ovium et tria millia camelorum* (*Job* I, 3). Quid enim septem millibus ovium, nisi perfectam quorumdam Judæorum innocentiam exprimit, qui ad perfectionis gratiam ex legis pascuis venit? Quid vero in tribus millibus camelorum, nisi ad plenitudinem fidei veniens tota gentilium vitiositas designatur? Sicut per oves Hebræos a pascuis legis ad fidem venientes accipimus, sic nil obstat ut per camelos tortos moribus atque onustos idolorum cultibus gentilium populos sentiamus. Quia enim a semetipsis sibi invenerunt Deos quos colerent, quasi a semetipsis eis onus in dorso excreverat quod portarent. Sed quia in carne Dominus apparens, et Hebræorum populum perfectionis gratia implevit, et gentium quosdam ad cognitionem fidei mira opera ostentendo produxit, dicatur recte de umbra, quæ veritatem exprimeret, quod et septem millia ovium et tria millia camelorum possideret.

Possunt autem per oves moraliter cogitationum innocentia, per camelos distortæ cogitationes designari. Servata quippe veritate historiæ, imitari 124 spiritaliter possumus quod carnaliter audimus. Ovium enim septem millia possidemus, cum cogitationes innocuas perfecta cordis munditia inter nosmetipsos inquisito veritatis pabulo pascimus. Eruntque nobis in possessionem etiam tria millia camelorum, si omne quod in nobis altum ac tortuosum est rationi fidei subdimus, et sub cognitione Trinitatis sponte in appetitu humilitatis inclinamus. Camelos quippe possidemus, si quod altum sapimus humiliter deponamus. Camelos possidemus, cum cogitationes nostras ad infirmitatis fraternæ compassionem flectimus, et vicissim onera nostra portantes, alienæ infirmitati compati condescendendo noverimus.

(151) Ovium nomine, simplices quique et innocentes designantur, sicut per Psalmistam Patri de Filio dicitur : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora campi* (*Psal.* VIII, 8). Hinc iterum per eumdem Psalmistam dicitur : *Nos autem populus ejus et oves pascuæ ejus* (*Psal.* LXXVIII, 13). Neque enim qui servare innocentiam negligunt, illa internæ pascuæ refectione satiantur.

CAPUT XV.

DE AGNA.

(152) Agnæ nomine activa vita designatur, sicut per Moysen de eo qui juramentum protulit, ut vel male quid, vel bene faceret, atque hoc ipsum oblivione transcendit, dicitur : *Offerat agnam de gregibus sive capram* (*Levit.* V, 6). Juramentum namque proferre est voto nos divinæ servitutis alligare. Et cum bona opera promittimus, bene nos facere spondemus. Cum vero abstinentiam cruciatumque carnis nostræ voverimus, male ad præsens nos nobis facere juramus. Sed quia nullus in hac vita ita perfectus est ut quamlibet Deo devotus sit, inter ipsa quantulumcunque pia vota non peccet, pro peccato agna offerri de gregibus sive capra præcipitur. Quid enim per agnam nisi activæ vitæ innocentia? quid per capram, quæ in summis extremisque rupibus pendens pascitur, nisi contemplativa 125 vita signatur? Qui ergo se conspicit promissa ac proposita non implesse, ad sacrificium Dei studiosius sese debet, vel innocentia boni operis, vel sublimi pastu contemplationis accingere. Et bene agna de gregibus, capra vero offerri de gregibus non jubetur, quia activa vita multorum est contemplativa paucorum. Et cum hæc agimus quæ multos agere atque egisse conspicimus, quasi agnam de gregibus damus.

CAPUT XVI.

DE BESTIIS.

In Scriptura sacra cum singulariter bestia ponitur, aliquando diabolus, aliquando turba prædicatorum Antichristi, aliquando mens irrationabilis; cum vero pluraliter, aliquando dæmones, aliquando motus carnis designantur.

(153) Bestiæ nomine antiquus hostis accipitur qui deceptionem primi hominis sævus impetiit, et integritatem vitæ illius male suadendo laniavit. Contra quem prophetæ vocibus de sancta electorum Ecclesia in antiquum statum restauranda præmittitur : *Et mala bestia non transibit per eam* (*Isa.* XXXV, 9). Hinc iterum in libro beati Job scriptum est : *Ingredietur bestia latibulum suum, et in antro suo morabitur* (*Job* XXXVII, 8). Cum enim in fine mundi illum hominem damnatum qui Antichristus vocatur, invaserit, quid aliud quam latibulum suum ingreditur, ut in antro proprio demoretur? Vas quippe illud diaboli antrum ac latibulum bestiæ est, ut insidians hominibus viam hujus vitæ carpentibus, in illo et per signa lateat, et per malitiam occidat.

(154) Bestiæ nomine turba prædicatorum Antichristi designatur. Unde simulationis ipsorum malitiam 126 Joannes in Apocalypsi brevi descriptione

(150) Ex lib. I in Job, c. VI.
(151) Ex lib. XXXV in Job, c. XI.
(152) Ex lib. XXXII in Job, c. IV.
(153) Ex lib. XXVII in Job, c. XVII, 18.
(154) Ex lib. XXXIII in Job, c. XXVI.

Digitized by Google

comprehendens dicit: *Vidi aliam bestiam ascendentem de terra, habentem cornua duo similia agni, et loquebatur ut draco* (*Apoc.* XIII, 11). Priorem quippe bestiam, id est Antichristum superiore jam descriptione narraverat; post quem etiam hæc alia bestia ascendisse dicitur, quia post eum multitudo prædicatorum illius ex terrena potestate gloriatur. De terra quippe ascendere est terrena gloria superbire. Quæ habet duo cornua similia agni, quia per hypocrisim sanctitatis, eam quam in se veraciter Dominus habuit singularem sibi inesse et sapientiam mentitur et vitam. Sed quia sub agni specie auditoribus reprobis serpentinum virus infundit, recte illic subditur: *Et loquebatur ut draco.* Ista enim bestia, id est prædicantium multitudo, si aperte ut draco loqueretur, agno similis non appareret; sed assumit speciem agni, ut draconis exerceat operationem.

(155) Bestiæ nomine mens irrationabilis designatur, sicut per Moysen dicitur: *Bestia, si tetigerit montem, lapidabitur* (*Exod.* XIX, 12). Mons quippe est altitudo contemplationis; bestia vero, mens irrationabilis. Bestia ergo montem tangit, cum mens irrationabilibus desideriis subdita, ad contemplationis alta se erigit. Sed lapidibus percutitur, quia summa non sustinens ipsis superni ponderis ictibus necatur.

Bestiarum nomine dæmones signantur, sicut Job dicit ex ore Domini: *Omnes bestiæ agri ludent ibi* (*Job* XL, 15). Quid enim per bestias, nisi immundi spiritus? Et quid per agrum, nisi præsens sæculum designatur? Agri autem bestiæ ibi, id est in herbis montium ludunt, quia projecta de superioribus in hoc mundo dæmonia pravis superborum operibus delectantur. Bestiæ in herbis ludunt, cum reprobi spiritus humana corda ad illicitas cogitationes pertrahunt. An non immundis spiritibus ludere est mentes hominum ad Dei imaginem conditas modo ficta promissione decipere, modo vacuis terroribus irridere, modo eis transitoria **127** gaudia quasi mansura imprimere, modo mansuras pœnas, quasi transitorias levigare?

(156) Bestiarum nomine motus carnis designantur, sicut beatus Job dicit: *Et bestiæ terræ pacificæ erunt tibi* (*Job* V, 23). Quid enim per bestias, nisi motus carnis intelliguntur, quæ, dum mentem nostram irrationabilia suadendo lacessunt, contra nos bestialiter insurgunt? Sed cum cor divina lex deprimit, etiam carnis incentiva detumescunt, ut et si tentando submurmurant, nequaquam tamen usque ad effectum operum quasi ad aperti morsus rabiem exsurgunt. Quis enim in hac adhuc corruptibili carne positus has terræ bestias plene edomat, cum ille ad tertium cœlum raptus egregius prædicator dicat: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati quæ est in membris meis?* (*Rom.* VII, 23.) Sed aliud est has bestias in campo operis sævientes aspicere, aliud intra cordis caveam frementes tenere. Redactæ namque intra claustrum continentiæ, et si adhuc tentando rugiunt, usque ad morsum tamen, ut diximus, actionis illicitæ non excedunt. Pacificæ itaque sunt terræ bestiæ, quia motus carnis etsi per desideria palpitent, aperta nos tamen contra dictione operis non impugnant. Pacem ergo nobis terræ bestiæ faciunt, quia motus carnis, dum nos tentando lacescunt, ad amorem quietis intimæ impellunt.

128 CAPUT XVII.

DE LEONE.

In Scriptura sacra cum leo singulari numero ponitur, aliquando Christus intelligitur, aliquando Marcus evangelista, aliquando diabolus, aliquando cujuslibet justi securitas, aliquando Antichristus, aliquando quilibet raptor; cum vero pluraliter leones dicuntur, aliquando doctorum severitas, aliquando dæmones signantur.

Leonis nomine Christus intelligitur, sicut scriptum est: *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum* (*Prov.* XXX, 36). Qui jure fortissimus bestiarum dicitur, quia in hoc ipso quod infirmum est Dei, fortius est hominibus (*I Cor.* I, 25). Qui ad nullius pavet occursum; dicit enim: *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam* (*Joan.* XIV, 30). Sed alibi dicitur: *Vicit leo de tribu Juda* (*Apoc.* V, 5).

(157) Leonis nomine Marcus evangelista designatur, unde Ezechiel propheta, cum sanctos evangelistas sub figura quatuor animalium describeret, ait: *Similitudo vultus eorum facies hominis, et facies leonis a dextris ipsorum quatuor; facies autem bovis a sinistris ipsorum quatuor, et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor* (*Ezech.* I, 20). Quod enim hæc quatuor pennata animalia quatuor evangelistas designent, ipsa uniuscujusque libri evangelici exordia testantur. Nam quia ab humana generatione cœpit, jure per hominem Matthæus; quia per clamorem in deserto, recte per leonem Marcus; quia **129** a sacrificio exorsus est bene per vitulum Lucas; quia vero a divinitate Verbi cœpit, digne per aquilam significatur Joannes, qui dicit: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Qui dum in ipsa divinitatis substantia intendit, quasi more aquilæ oculos in solem fixit.

(158) Leonis nomine diabolus designatur, sicut per primum Ecclesiæ pastorem fidelibus dicitur: *Adversarius noster diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret* (*I Petr.* V, 8). Hinc iterum per Isaiam dicitur: *Leo sicut bos comedet paleas* (*Isa.* XI, 7).

Leonis nomine justi viri securitas designatur, sicut per Salomonem dicitur: *Justus quasi leo confidens absque terrore erit* (*Prov.* XXVIII, 1). In occur-

(155) Ex lib. VI in Job, c. XVII.
(156) Ex lib. VI in Job, XVI.
(157) Ex hom. 4 in Ezech., in principio.
(158) Ex hom. 19 in Ezech.

Digitized by Google

sum quippe bestiarum idcirco leo non trepidat, quia prævalere se omnibus non ignorat. Unde justi viri securitas recte leoni comparatur, qui contra se cum quoslibet insurgere conspicit, ad mentis suæ confidentiam redit. Et scit quia cunctos adversantes superat, quia illum solum diligit quem invitus nullomodo amittat. Quisquis enim exteriora quæ nolenti subtrahuntur, appetit, sua se sponte extraneo timori substernit. Infracta autem virtus est concupiscentia vitæ æternæ, terrenæ contemptus, quia et in alto mens ponitur, cum a rebus infimis, spei suæ judicio sublevatur, atque cunctis adversantibus tanto minus attingitur, quanto in supernis sita tutius munitur.

(159) Leonis nomine Antichristus exprimitur per Psalmistam dicentem : *Insidiatur in occulto sicut leo in cubili suo* (*Psal.* IX, 9). Recte etenim Antichristus et leo insidians dicitur, insidians per miraculorum speciem, leo per fortitudinem sæcularem. Ad apertam namque potentiam suffecisset ut leo esset, etiamsi insidians non fuisset. Rursum ad occultas versutias suffecisset ut insidians subriperet, etiamsi leo non esset. Sed quia hic antiquus hostis in cunctis suis viribus effrenatur, sævire per utraque permittitur, ut contra electos in certamine et fraude et virtute laxetur : virtute per potentiam **130** fraude per signa. Non enim tunc sola potestate erigitur, sed etiam signorum ostensione fulcitur. Ut enim eos qui aperte iniqui sunt pertrahat, sæcularem potentiam ostentat. Ut autem viros justos fallat, signis sanctitatem simulat. Illis enim suadet elationem magnitudinis, istos decipit opinione sanctitatis.

(160) Leonis nomine quilibet raptor designatur, sicut de infidèlium conversione per Isaiam promittitur qui ait : *Vitulus, et leo et ovis simul morabuntur* (*Isa.* XI, 6). Quid enim per vitulum, nisi is qui se per cordis contritionem Deo immolat? quid per leonem, nisi is qui alios cruciat? et quid per ovem, nisi simplex et innocens designatur? Sed etiam vitulus, et leo et ovis simul commorantur, quia is qui per contritum cor ad quotidianum Deo sacrificium se præparat, et alius qui tanquam leo ex crudelitate sæviebat, et alter qui velut ovis innocentiæ suæ simplicitate perdurat, in caulis sanctæ Ecclesiæ convenerunt.

(161) Leonis nomine doctorum severitas accipitur. Unde scriptum est quia in vasis templi inter coronas et plectas, boves et leones cherubim exsculpta sunt, et subter boves et leones lora dependentia. Coronæ quippe signum victoriæ, plectæ autem concordiæ unanimitatem signant. Cherubim vero *plenitudo scientiæ* dicuntur. Sacerdotes autem atque doctores inter coronas et plectas (*III Reg.* VII, 29), id est inter fortitudinem boni operis, quo ad victoriam currunt, et charitatis concordiam, quia se vicissim non discrepant, per boves et leones atque cherubim designati sunt, quia in plenitudine scientiæ, quam habent, necesse est ut et boum mansuetudinem teneant et fervorem leonum, quatenus in disciplina quam prædicant et ex sancto zelo accensi sint, et ex paterna dulcedine tranquilli. Quibus subter se lora dependeant, ut disciplinæ suæ retinacula, quibus ipsi ligati sunt, etiam subjectis suis sollicite impendant. Subter eos lora dependere est custodiæ vincula subditis tenere. Quæ tunc recte servantur, cum nec boum mansuetudo in zeli fervore **131** amittitur, nec leonum terror in mansuetudine declinatur. Tanta quippe debet esse discretio, ut nec disciplina nimia, nec misericordia sit remissa, ne si inordinate culpa dimittitur, is qui est culpabilis in reatu gravius astringatur; et rursum si culpa immoderate retinetur, tanto qui corrigitur deterior fiat, quanto erga se nil ex benignitatis gratia agi considerat. Exhibenda itaque pravis est asperitas in ostensione, charitas in mente, ut et dura ostensio delinquentem coerceat, et charitatis custodia mercedem mansuetudinis non amittat. Ecce hoc est magisterium disciplinæ, ut culpis doctor et discrete noverit parcere, et pie resecare.

(162) Leonum nomine eminentioris potestatis dæmones designantur, sicut in Psalmo scriptum est : *Posuisti tenebras et facta est nox ; in ipsa pertransierunt omnes bestiæ silvæ, catuli leonum rugientes, ut rapiant et quærant a Deo escam sibi* (*Psal.* CIII, 20). Tenebras quippe Dominus ponit, cum peccatis judicia rependens, lumen suæ intelligentiæ subtrahit. Et nox efficitur, quia pravorum mentes ignorantiæ suæ erroribus cæcantur. In qua omnes bestiæ silvæ pertranseunt, dum maligni spiritus sub opacitate fraudis latentes in reproborum corda pravitates suas explendo percurrunt. In qua et catuli leonum rugiunt, quia nequissimarum, sed tamen eminentium potestatum ministri spiritus importunis tentationibus insurgunt. Qui tamen a Deo escam expetunt, quia nimirum capere animas nequeunt, nisi justo judicio prævalere divinitus permittantur.

132 CAPUT XVIII.

DE LEÆNA.

In sacra Scriptura leænæ nomine aliquando sancta Ecclesia, aliquando Babylonia, aliquando mens humana designatur.

(163) Leænæ nomine pro eo quod contra adversa audax est, Ecclesia designatur, sicut per beatum Job de Judææ reprobatione dicitur : *Non calcaverunt eam filii institorum, nec pertransiit per eam leæna* (*Job* XXVIII, 8). Institores negotiatores dicimus, quod eo exercendo operi insistunt. Omnes ergo qui fidelium mores instituunt, spiritale negotium gerunt, ut cum prædicationem suis auditoribus præbent, ab eis fidem et opera recta percipiant, sicut de sancta Ecclesia scriptum est : *Sindonem fecit et vendidit* (*Prov.* XXXI, 24). De qua paulo post illic dicitur : *Vidit quod bona est negotiatio ejus* (*ibid.*, 18). Quid ergo institores, nisi prophetæ sancti vocati sunt, qui Sy-

(159) Ex lib XXXII in Job, c. XIV.
(160) Ex hom. 16 in Ezech.
(161) Ex hom. 21 in Ezech.
(162) Ex lib. XXVII in Job, c. XVII, 19.
(163) Ex l. XVIII in Job, c. XX.

Digitized by Google

nagogæ mores ad fidem instruere prophetando curaverunt? Quorum nimirum filii sancti apostoli nuncupantur, qui ut Deum hominem crederent, ad eamdem fidem ex eorum sunt prædicatione generati. De quibus Ecclesiæ per Psalmistam dicitur : *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii; constitues eos principes super omnem terram* (*Psal.* XLIV, 17). Sed quia repulsi apostoli a Synagogæ finibus sunt egressi, recte nunc dicitur : *Non calcaverunt eam filii institorum.* Calcarent quippe eam institorum filii, si prædicatores sancti ejusdem Synagogæ vitia calce virtutis premerent. Si autem institores eosdem Ecclesiæ prædicatores accipimus, institorum filios, pastores et doctores, qui apostolorum vitam secuti sunt, nil obstat intelligi. Qui Synagogam minime calcaverunt, quia dum eorum Patres, id est apostoli, ab illa repulsi sunt, ipsi quoque ab ejus vocatione cessaverunt, per quam videlicet **133** Synagogam leæna non pertransiit, quia sancta Ecclesia collectioni gentium dedita nequaquam se ad illum Judææ populum diutius occupavit. Recte autem Ecclesia leæna nuncupatur, quia male viventes in vitiis ore sanctæ prædicationis interficit. Unde et ipsi primo pastori, quasi hujus leænæ ori, dicitur : *Macta* (164) *et manduca* (*Act.* X, 13). Quod mactatur a vita occiditur. Id vero quod comeditur, in comedentis corpore commutatur. Macta ergo et manduca dicitur, id est a peccato, eos in quo vivunt interfice, et a seipsis illos in tua membra converte. Et quia hæc Ecclesia corpus est Domini, ipse etiam Dominus Jacob voce leo vocatur ex se; leæna vocatur ex corpore, dum ei sub Judæ specie dicitur : *Ad prædam, fili mi, ascendisti, requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna* (*Gen.* XLIX, 9). Quis suscitabit eum? Hæc igitur leæna nequaquam dicitur, quia per Judæam transivit; sed non pertransivit. Apostolis quippe prædicantibus prius ex illa tria millia, postmodum quinque millia crediderunt. Ecclesia itaque per Synagogam transiit, sed non pertransiit, quia ex illa ad finem paucos rapuit; sed tamen illum populum a perfidia funditus non exstinxit.

(165) Leænæ nomine Babylonia designatur, sicut per Eliphat sub Hebræorum figura adversus beatum Job dicitur : *Rugitus leonis, et vox leænæ et dentes catulorum leonum contriti sunt* (*Job* IV, 10). Leonis quippe nomine antiquus hostis intelligitur; leænæ vero nomine hujus mundi civitas, id est Babylonia exprimitur, quæ contra vitam innocentium immanitate crudelitatis effrenatur. Quæ antiquo hosti quasi sævissimo leoni sociata perversæ persuasionis ejus semina concipit, et reprobos ex se filios ad similitudinem illius quasi crudeles catulos gignit. Catuli autem leonum sunt quilibet reprobi ad iniquam vitam malignorum spirituum errore generati. Qui et simul omnes universam mundi civitatem quam prædiximus Babyloniam faciunt, et tamen iidem singuli Babyloniæ filii quasi non leæna, sed leænæ catuli vocantur. Sicut enim Sion tota simul Ecclesia dicitur, filii autem Sion sanctorum quique singuli memorantur, ita et filii Babyloniæ singuli **134** quique reproborum, et eadem Babylonia simul omnes reprobi vocantur. Sed sancti viri, quandiu in hac vita sunt, semetipsos sollicita circumspectione custodiunt, ne leo circumiens insidiando subripiat, id est antiquus hostis sub aliqua imagine virtutis occidat. Ne leænæ vox auribus obstrepat, id est ne Babylonis gloria sensum ab amore patriæ cœlestis avertat, ne catulorum dentes mordeant, id est ne reproborum persuasio in corde convalescat. At contra hæretici, quasi de sanctitate secuti sunt, quia vitæ suæ meritis cuncta se superasse suspicantur. Unde recte nunc dicitur : *Rugitus leonis, et vox leænæ : dentes catulorum leonum contriti sunt.* Ac si aperte diceretur : Nos ideo nullis flagellis atterimur, quia virtutem antiqui hostis, et cupiditatem terrenæ gloriæ, et persuasiones reproborum omnium vitæ meritis calcando superamus.

Leænæ nomine mens humana designatur, sicut per beatum Job dicitur : *Et propter superbiam, quasi leænam capies me* (*Job* X, 16). Superna dispensatio idcirco nos tota sui intentione servientes, carnis nostræ permittit impugnationibus concuti, ne mens nostra in superbiam præsumptione suæ securitatis audeat elevari, ut dum pulsata trepidat, in solo auctoris adjutorio spei pedem robustius ponat. Unde bene dicitur : *Et propter superbiam, quasi leænam capies me* (166). Leæna quippe cum escam catulis requirit, inhianter in foveam captionis ruit. Sicut enim ex quibusdam regionibus fertur, fit in ejus itinere fovea, in quam pecus deponitur, ut illuc se ejus appetitu projicere leæna provocetur : quæ angusta simul et alta præparatur, ut in eam ambiendo ruere valeat, sed hanc saliendo nullomodo evadat. Alia quoque fovea, quæ priori cohæreat, effoditur : quæ tamen ei in qua pecus est, extremæ partis apertione conjungitur. In qua nimirum cavea ponitur, ut leæna corruens, quia desuper terroribus urgetur, cum quasi in secretiori parte foveæ occultare se appetit, caveam volens intret. Cujus jam sævitia minime pertimescitur, quia clausa in caveam levatur. Quæ enim sua sponte in foveam corruit, ad superiores partes **135** circumsepta vectibus redit. Sic, sic nimirum humana mens capta est, quæ in libertate arbitrii condita, dum nutrire desideria carnis appetiit, quasi leæna catulis escam quæsivit, atque in deceptionis suæ foveam cecidit : quæ suadente hoste ad cibum prohibitum manum tetendit. Sed in fovea protinus caveam invenit, quia sponte ad mortem veniens corruptionis suæ mox carcerem pertulit, atque ad auras liberas gratia interveniente perducitur. Sed cum multa agere conatur, et non valet, ejusdem corruptionis suæ obstaculis quasi caveæ vectibus ligatur. Jam quidem eam in qua ceciderat damnationis foveam, evasit, quia secuturæ

(164) Ibi vulgo pro *macta*, legitur *occide*.
(165) Ex lib. V in Job, c. XVI.
(166) Ex lib. IX in Job, c. XXXIII.

Digitized by Google

mortis supplicium manu Redemptoris adjuta, ad veniam redeundo superavit. Sed tamen coarctata caveam tolerat, quia supernæ quoque disciplinæ nexibus cingitur, ne per carnis desideria vagetur. Quæ ergo sponte sua in fovam cecidit, ad auras liberas clausa redit, quia et per libertatem arbitrii in culpam corruit; et tamen a suis motibus Conditoris gratia coactam nolentemque restringit. Post foveam itaque caveam patitur, quæ erecta ex æterno supplicio a pravæ voluntatis motibus sub cœlestis artificis dispensatione religatur. Recte ergo dicitur: *Et propter superbiam quasi leænam capies me*, quia et liber homo per cibum sibi mortem intulit, et reductus ad veniam, sub disciplina melius clausus vivit. Quasi leæna ergo propter superbiam captus est, quia nunc inde eum disciplina suæ corruptionis deprimit, unde transgressionem præcepti non timens audacter in foveam saltum dedit.

Sed si parum per obtutum mentis a culpa primi parentis avertimus, nos adhuc quotidie ut leæna capi per vitium elationis invenimus. Sæpe namque homo acceptis virtutibus in audaciam suæ præsumptionis erigitur, sed mira dispensatione pietatis, ante ejus oculos res quælibet, in qua corruat ordinatur. Dumque per culpam aliquid appetit, quid aliud quam prædam in fovea concupiscit? Sua sponte inhians cadit, sed suis viribus surgere non valet. Qui cum se nil ex se esse considerat, discit procul dubio cujus adjutorium requirat. Quem tamen superna miseratio captu quasi **136** a fovea evehit, quia hunc infirmitate cognita ad veniam reducit. Leænæ itaque more propter superbiam ad superiores partes in cavea remeat qui, de virtute cum extollitur, lapsus ad desideria in humilitate religatur. Quia enim prius propria præsumptione perierat mira pietate agitur, ut infirmitatis suæ jam notitia clausus vivat. Quod quia sanctus vir crebro hominibus accidere conspicit, nostri in se periculi vocem sumit ut cum nos ejus fletus agnoscimus, quæ in nobis sunt flenda discamus.

CAPUT XIX.

DE TIGRIDE.

In Scriptura sacra tigridis nomine aliquando quilibet hypocrita, aliquando diabolus designatur.

(167) Tigridis nomine hypocrita quilibet designatur. Unde Eliphas beatum Job tanquam maculis simulationis varium arguens dicit: *Tigris periit, eo quod non haberet prædam* (*Job* IV, 11). Quem namque nomine tigridis, nisi beatum Job nota varietatis signat, vel aspersum maculis simulationis? Omnis namque simulator in eo quod videri rectus appetit, mundum se per omnia ostendit, quia dum virtutes quasdam per hypocrisim assumit, et occulte semetipsum vitiis subjicit, quædam latentia vitia repente in faciem erumpunt, et superductæ simulationis quasi visionis corium ex admistione sua varium ostendunt, ut plerumque mirum sit cur homo, qui tantis virtutibus pollere cernitur, etiam tam reprobis actibus inquinetur. Sic nimirum omnis hypocrita tigris est, quia dum mundus color dissimulatione ducitur, vitiorum nigredine interrumpente variatur. Sæpe enim dum de castitatis munditia extollitur, sorde avaritiæ fœdatur. Sæpe dum de virtute largitatis speciosus ostenditur, luxuriæ maculis inquinatur. Sæpe dum castitatis atque largitatis **137** decore vestitur, velut ex zelo justitiæ crudelitatis atrocitate fuscatur. Sæpe largitate, castitate, pietate ex pulchra visione induitur, sed interfusa obscuritate superbiæ notatur. Sicque fit ut intermistis vitiis dum mundam in se speciem hypocrita non ostendit, quasi unum colorem tigris habere nequaquam possit. Quæ videlicet tigris rapit prædam, cum humani sibi favoris usurpat gloriam. Qui enim rapta laude extollitur, quasi præda satiatur. Bene autem hypocritarum laus præda dicitur. Præda quippe est, cum aliena violenter auferuntur. Omnis autem hypocrita, quia vitam justitiæ simulans justorum sibi laudem arripit, alienum profecto est quod tollit. Eliphas itaque, qui beatum Job incolumitatis suæ tempore laudanda egisse cognovit percussione subsequente hoc illum tenuisse per hypocrisim credidit, dicens: *Tigris periit, eo quod non haberet prædam*. Ac si aperte dicat. Varietas tuæ simulationis exstincta est, quia et adulatio laudis ablata, et jam tua hypocrisis prædam non habet, quia percussa divinitus humanis favoribus caret.

(168) Potest autem tigridis nomine diabolus designari. Unde Eliphas sub persona hæreticorum de sanctitate vitæ elatus dicit: *Tigris periit, eo quod non haberet prædam*. Satan quippe propter multiformis astutiæ varietatem non incongrue tigris vocatur. Modo namque se, sicut est perditus, humanis sensibus objicit, modo quasi angelum lucis ostendit, modo stultorum mentes blandiens persuadet, modo ad culpam terrendo pertrahit modo suadere vitia aperte nititur modo in suis suggestionibus sub virtutis spem palliatur. Quia ergo tanta varietate res peragitur jure diabolus tigris vocatur. Hæretici namque quia de sanctitatis præsumptione superbiunt quasi exsultantes dicunt: *Tigris periit, eo quod non haberet prædam*. Ac si aperte dicant: Vetustissimus adversarius in nobis prædam non habet, quia, quantum ad nostra studia, jam victus jacet.

138 CAPUT XX.

DE PARDO.

(169) Pardi nomine peccatorum maculis varius designatur, sicut per Isaiam de convertendis peccatoribus dicitur: *Pardus hœdo accubabit* (*Isa.* II, 6). Quid enim per pardum, nisi peccatis variis aspersum? et quid per hœdum, nisi eum, qui se peccatorem humiliter cognoscit, accipimus? Pardus autem cum hœdo accubat, cum is qui peccatorum suorum maculis varius fuit, cum eo qui se despicit et peccatorem fatetur, humiliare consentit.

(167) Ex lib. V in Job, c. VI, 16.
(168) Ex c. XVII ejusd. l.
(169) Ex hom. 16 in Ezech. longiuscule a principio.

Digitized by Google

CAPUT XXI.

DE LUPO.

In Scriptura sacra lupi nomine aliquando raptor quilibet, aliquando diabolus intelligitur.

(170) Lupi nomine raptor quilibet designatur, sicut per Isaiam dicitur : *Habitabit lupus cum agno* (*Isa.* xi, 6). Quid enim per lupum nisi rapinis inhiantem, et quid per agnum nisi mitem quemlibet intelligimus ? *Lupus autem cum agno habitat*, quia per sanctæ charitatis viscera ii qui in sæculo raptores fuerunt, cum mansuetis ac mitibus in pace conquiescunt. Hinc in Evangelio scriptum est. *Mercenarius autem et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves et fugit* (*Joan.* x, 12). (171) Mercenarius et non pastor vocatur qui non pro amore intimo oves Dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. Mercenarius quippe est qui locum quidem pastoris tenet, sed animarum lucra non quærit ; terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibus curis pascitur, impensa sibi ab hominibus reverentia lætatur. Istæ sunt enim mercedes mercenarii, ut pro eo ipso quod in regimine laborat : **139** hic quod quærit inveniat et ab hæreditate gregis in posterum alienus existat. Utrum vero pastor sit an mercenarius, cognosci veraciter non potest, si occasio necessitatis deest. Tranquillitatis enim tempore, plerumque ad gregis custodiam, sicut vetus pastor, sic et mercenarius stat. Sed lupus veniens indicat quo quisque animo super gregis custodiam stabat. Lupus etenim super oves venit, cum quilibet injustus et raptor fideles quosque atque humiles opprimit. Sed is qui pastor esse videbatur, none rat ; reliquit oves et fugit, quia dum sibi ab eo periculum metuit, resistere ejus injustitiæ non præsumit. Fugit autem non mutando locum, sed subtrahendo solatium. Fugit, quia injustitiam vidit et tacuit. Fugit, quia se sub silentio abscondit. Quibus bene per prophetam dicitur : *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis vos murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini* (*Ezech.* xiii, 5). Ex adverso quippe ascendere est quibuslibet potestatibus prave agentibus rationis libera voce contraire. Et in die Domini pro domo Israël in prælio stamus ac murum opponimus, si fideles innocentes contra perversorum injustitiam ex justitiæ auctoritate vindicamus. Quod quia mercenarius non facit, cum venientem lupum viderit fugit.

(172) Est autem alius lupus qui sine cessatione quotidie non corpora, sed mentes dilaniat, malignus videlicet spiritus, qui caulas fidelium insidiando circuit, et mortem animarum quærit. De quo lupo dicitur : *Et lupus rapit, et dispergit oves* (*Joan.* x, 12). Lupus venit, et mercenarius fugit, quia malignus spiritus mentes fidelium in tentatione dilaniat, et is qui locum pastoris tenet, curam sollicitudinis non habet. Animæ pereunt, et ipse de terrenis commodis lætatur. Lupus rapit et dispergit oves, cum alium ad luxuriam pertrahit, alium ad avaritiam attendit, alium in superbiam erigit, alium per iracundiam dividit ; hunc invidia stimulat, illum fallacia supplantat. Quasi ergo gregem lupus dissipat, cum fidelium populum diabolus per tentationes necat. Sed contra hoc mercenarius nullo zelo accenditur, nullo fervore dilectionis excitatur, **140** quia dum sola exteriora commoda requirit, interiora gregis damna negligenter patitur. Unde et mox adjungitur : *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus* (*ibid.*, 13). Sola ergo causa est, ut mercenarius fugiat, quia mercenarius est. Ac si aperte diceretur : Stare in periculo ovium non potest, qui in eo quod ovibus præest, non oves diligit, sed lucrum terrenum quærit. Dum enim honorem amplectitur, dum temporalibus commodis lætatur, opponere se contra periculum trepidat, ne hoc quod diligit amittat.

CAPUT XXII.

DE ONAGRO.

In Scriptura sacra cum onager singulari numero ponitur, aliquando justus quilibet solitarius, aliquando incarnatus Dominus, aliquando is qui cuncta quæ agit considerat, aliquando gentilis populus, aliquando is qui in campo fidei positus nullius officii loris ligatur ; cum vero pluraliter onagri dicuntur, aliquando hæretici exprimuntur, aliquando Judæi.

(173) Onagri nomine solitarius quilibet designatur, sicut Dominica voce ad beatum Job dicitur : *Quis dimisit onagrum liberum, et vincula ejus quis solvit ?* (*Job* xxxix, 8.) Onager enim qui in solitudine commoratur, non incongrue eorum vitam significat qui remoti a turbis popularibus conversantur. Qui apte etiam liber dicitur, quia magna est servitus sæcularium negotiorum, quibus mens vehementer atteritur, quamvis in eis sponte desudetur. **141** Cujus servitutis conditione carere est in mundo jam nihil concupiscere. Quasi enim quodam jugo servitutis premunt prospera dum appetuntur, premunt adversa dum formidantur. At si quis semel a dominatione desideriorum temporalium colla mentis excusserit, quadam etiam in hac vita libertate perfruitur ; dum nullo desiderio felicitatis afficitur, nullo adversitatis terrore coarctatur. Hoc grave jugum servitutis Dominus vidit sæcularium cervicibus impressum, cum diceret : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris : Jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* xi, 28, 29). Asperum quippe jugum et duræ, sicut diximus, servitutis est pondus subesse temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle stare in non stantibus, appetere quidem transeuntia, sed cum transeuntibus nolle transire.

(170) Ex ead. hom.
(171) Ex hom. 14 in Evang.
(172) Ex eadem hom.
(173) Ex l. xxx in Job, c. xii.

Digitized by Google

Dum enim contra votum cuncta fugiunt qui prius mentem ex desiderio adeptionis afflixerant, post ex pavore amissionis premunt. Liber ergo dimittitur, qui calcatis terrenis desideriis ab appetitione rerum temporalium securitate mentis exoneratur. Solvuntur vero uniuscujusque vincula, dum divino adjutorio interna desideriorum carnalium retinacula disrumpuntur. Cum enim pia intentio ad conversionem vocat, sed adhuc ab hac intentione carnis infirmitas revocat, quasi quibusdam vinculis, anima ligata præpeditur. Multos enim sæpe videmus vitam quidem sanctæ conversationis appetere, sed ne hanc assequi valeant, modo irruentes casus, modo futura adversa formidare. Qui incerta mala dum quasi cauti prospiciunt, in peccatorum suorum vinculis incauti retinentur. Multa namque ante oculos ponunt, quæ si eis in conversatione eveniant, subsistere, se non posse formidant. De quibus bene Salomon ait : *Iter pigrorum quasi sepes spinarum* (*Prov.* xv, 19). Nam cum viam Dei appetunt, eos velut spinæ obstantium sepium, sic formidinum suarum oppositæ suspiciones pungunt. Quod quia electos impedire non solet, bene illic secutus adjunxit : *Via justorum absque offendiculo* (*ibid.*). Justi quippe in conversatione sua **142** quodlibet eis adversitatis obviaverit, non impinguunt, quia temporalis adversitatis obstacula æternæ spei et internæ contemplationis saltu transcendunt. Ait ergo : *Quis dimisit onagrum liberum, et vincula ejus quis solvit ?* Subaudis, nisi ego. Solvit itaque Dominus onagri vincula, quando ab electi uniuscujusque animo infirmarum cogitationum nodos rumpit, et protinus dissipat omne quod illeclam mentem ligabat.

(174) Potest autem onagri nomine incarnatus Dominus designari. Nec indignum quis judicet per tale animal incarnatum Dominum posse figurari, dum constat omnibus quod per significationem quamdam in Scriptura sacra et vermis et scarabæus ponatur, sicut scriptum est : *Ego autem sum vermis, et non homo* (*Psal.* xxi, 47). Et sicut apud LXX Interpretes per Prophetam dicitur : *Scarabæus de ligno clamavit.* Cum ergo tam abjectis et vilibus rebus figuratur, quid de illo contumeliose dicitur de quo constat proprie nihil dici ? Vocatur etenim Agnus, sed propter innocentiam. Vocatur leo, sed propter potentiam. Aliquando etiam serpenti comparatur, sed propter mortem vel sapientiam. Atque ideo per hæc omnia dici figuraliter potest, quia de his omnibus aliquid credi essentialiter non potest. Si enim unum horum quodlibet essentialiter existeret, alterum jam dici non posset. Nam si Agnus proprie diceretur, leo jam dici non posset. Si leo proprie diceretur, per serpentem signari non posset. Sed hæc omnia in illo dicimus, tanto latius in figura, quanto longius ab essentia. Potest ergo onager incarnatum Dominum designare. Agreste quippe est animal onager, et quia incarnatus Dominus gentilitati magis quam Judææ profuit, animale corpus assumens quasi non in domum, sed potius in agrum venit. De quo agro gentilitatis per Psalmistam dicitur : *Species* (175) *agri mecum est* (*Psal.* xlix, 11). Incarnatus itaque Dominus, qui in forma Dei æqualis est Patri, in forma servi minor est Patre, qua minor est etiam seipso. Dicatur ergo a Patre de filio secundum formam servi : *Quis dimisit onagrum liberum et vincula ejus quis solvit ?* (*Job* xxxix, 8.) *Omnis quippe qui peccat, servus est peccati* (*Joan.* viii, 34). Et quia incarnatus Dominus nostræ particeps **143** factus est naturæ, non culpæ, liber dimissus dicitur, quia sub peccati dominio non tenetur. De quo alias scriptum est : *Inter mortuos liber* (*Psal.* lxxxvii, 5). Dimissus dicitur ; quia naturam nostram suscipiens, iniquitatis jugo nullo modo tenetur. Quem quamvis macula nostræ culpæ non attigit, passio tamen nostræ mortalitatis astrinxit. Unde et post gratiam liber dimissus dicitur, recte de illo adjungitur : *Et vincula ejus quis solvit ?* Vincula quippe ejus tunc soluta sunt, cum infirmitates passionis illius in resurrectionis sunt gloriam commutatæ. De quibus vinculis Petrus apostolus attestatur dicens : *Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eis* (*Act.* ii, 24).

(176) Onagri nomine is qui cuncta quæ desiderat agit designatur, sicut de vano viro per Sophar dicitur : *Et quasi pullum onagri, liberum senatum putat* (*Job* xi, 12). Per pullum quippe onagri omne agrestium genus exprimitur, quod naturæ dimissum motibus, loris dominantium non tenetur. Onagri namque sunt in libertate, et ire quo appetunt, et quiescere cum lassantur. Et quamvis insensatis animalibus homo longe sit melior, hoc tamen plerumque homini non licet quod brutis animalibus licet. Quæ enim ad aliud minime servantur, eorum motus procul dubio nequaquam sub disciplina restringitur. Homo autem quia ad sequentem vitam ducitur, necesse est profecto ut in cunctis suis motibus sub disciplinæ dispositione et quasi domesticum animal loris vinctum serviat, atque æternis dispositionibus vivat. Qui ergo implere cuncta quæ desiderat per effrenatam libertatem quærit, quid aliud quam pullo onagri esse similis concupiscit, ut disciplinæ hunc lora non teneant, sed audenter vagus per silvam desideriorum currat ?

(177) Onagri nomine gentilis populus designatur, sicut per beatum Job dicitur : *Nunquid rugiet onager cum habuerit herbam aut mugiet bos cum ante præsepe plenum steterit?* (*Job* vi, 5.) Quid namque per onagrum, id est agrestem asinum, nisi gentilis populus designatur. Quem ficus natura extra sta-

(174) Ex l. xxx, in Job, c. xv, non ita longe a principio.

(175) Ibi nostra edit. habet *pulchritudo*. Cassiodor. autem in Psalterio legit ut Gregor.

(176) Ex l. x, in Job, c. xv.

(177) Ex lib. vii, in Job, c. iv.

Digitized by Google

bula disciplinæ edidit, ita vagus **144** in voluptatum suarum campo permansit. Quid enim per bovem, nisi plebs Judaica figuratur? quæ jugo dominationis superuæ supposita, ad spem proselytos colligens, per corda quæ valuit, vomerem legis traxit. Sed beati Job vita attestante cognoscimus, ut exspectasse Redemptoris adventum multos etiam ex gentibus credamus. Et nascente Domino, Simeone in spiritu in templum veniente didicimus, quanto desiderio ex plebe Israelitica, sancti viri incarnationis ejus mysterium videre cupierunt. Unde et per eumdem Redemptorem discipulis dicitur : *Dico vobis quod multi reges, et prophetæ et justi voluerunt videre quæ videtis, et non viderunt* (*Luc.* x, 24). Herba ergo onagri et fenum bovis est, hæc ipsa Mediatoris incarnatio, per quam simul gentilitas et Judæa satiatur. Quia etenim per prophetam dicitur : *Omnis caro fenum* (*Isa.* xl, 6), universitatis Conditor ex nostra substantia carnem sumens, fenum fieri voluit, ne nostra in perpetuum fenum caro remaneret. Tunc ergo onager herbam invenit, cum gentilis populus gratiam divinæ incarnationis accepit. Tunc bos vacuum præsepe non habuit, cum plebi Judaicæ, ejus carnem lex exhibuit, quem diu exspectanti prophetavit. Unde et natus Dominus in præsepe ponitur, ut videlicet signaretur, quia sancta animalia, quæ jejuna diu apud legem inventa sunt, incarnationis ejus feno satiarentur. Præsepe enim natus implevit, qui cibum semetipsum mentibus mortalium præbuit dicens : *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo* (*Joan.* vi, 56). Sed quia diu et gentilium electorum vota dilata sunt, et ex Hebraico populo sancti quique longo tempore redemptionem suam exspectando gemuerunt, bene beatus Job prophetæ mysteria narrans, ex utraque natione, causas afflictionis insinuavit dicens : *Nunquid rugiet onager cum habuerit herbam, aut mugiet bos, cum ante præsepe plenum steterit?* Ac si aperte dicat : Idcirco gentilitas gemit, quia eam nec lum Redemptoris sui gratia reficit; atque ideo Judæa mugitus dilatat, quia legem tenens, sed legis auctorem non videns, stans ante præsepe jejunat.

145 (178) Possunt autem onagri nomine designari hi qui in campo fidei positi nullius officii loris ligantur. Bovis quoque significatio illos exprimit, quos intra sanctam Ecclesiam ad prædicationis officium suscepti ordinis jugum premit. Herba vero onagri et pabulum bovis est necessaria refectio populi fidelis. Alii namque more bovis intra Ecclesiam suscepti officii loris tenentur ; alii more onagri sacri ordinis stabula nesciunt, et campo propriæ voluntatis degunt. Sed cum quis ex vita sæculari visionis internæ desiderio æstuat, cum refectionis intimæ pabulum concupiscit, cum jejunum se in peregrinationis hujus cæcitate considerans quibus valet fictibus reficit, quasi non inveniens herbam onager rugit. Alius quoque necessitatem suscepti ordinis tolerans in labore prædicationis exsudat, et per æternam jam contemplationem refici appetit. Sed quia Redemptoris sui speciem nondum conspicit, quasi bos ad præsepe vacuum ligatus gemit. Quia enim longe ab interna sapientia positi, æternæ viriditatis hæreditatem non cernimus, velut bruta animalia, a desiderata herba jejunamus. De qua nimirum herba dicitur : *Per me si quis introierit salvabitur, et ingredietur et egredietur, et pascua inveniet* (*Joan.* x, 9).

(178*) Onagrorum nomine hæreticus quilibet designatur, sicut scriptum est : *Alii quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum* (*Job* xxiv, 10). Sunt nonnulli hæretici, qui populis admisceri refugiunt, sed secessum vitæ secretioris petunt. Qui plerumque eos quos inveniunt eo amplius peste suæ persuasionis inficiunt, quo quasi ex vitæ meritis reverentiores videntur. De quibus nunc dicitur : *Alii quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum.* Onager enim agrestis est asinus. Et recte in hoc loco onagris comparantur hæretici, quia in suis voluptatibus dimissi a vinculo sunt rationis fidei alieni. Unde scriptum est : *Onager assuetus in solitudine in desiderio animæ suæ attraxit ventum oris sui* (*Jer.* ii, 24). Onager quippe in solitudine assuetus est, quia, dum cordis sui disciplinæ virtutem excolit, ibi habitat, ubi fructus non est. Qui in desiderio animæ suæ ventum oris sui attrahit, quia ea quæ ex desiderio scientiæ in mente **146** conspicit, inflare prævalent, non ædificare. Contra quos dicitur : *Scientia inflat, charitas ædificat* (*I Cor.* viii, 2). Unde hic quoque congrue infertur : *Egrediuntur ad opus suum.* Non enim Dei, sed opus suum peragunt, dum non recta dogmata, sed propria desideria sequuntur. Scriptum quippe est : *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat* (*Psal.* c. 6). Qui ergo non in via immaculata ambulat, sibi magis quam Domino ministrat.

(179) Onagrorum nomine Judæi designantur, sicut per Jeremiam dicitur : *Onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventos quasi dracones. Defecerunt oculi eorum, quia non erat herba* (*Jer.* xiv, 6). Quid enim per onagros vel dracones nisi superbi ac nequissimi Judæi designantur? Ipsi quippe onagri pro meritis elationis, ipsi dracones pro virulenta cogitatione vocati sunt. Qui steterunt in rupibus, quia non Deo, sed in summis potestatibus hujus mundi confisi sunt, dicentes : *Non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan.* xix, 15). Traxerunt ventos, quasi dracones, quia spiritu elationis inflati superbia malitiosa tumuerunt. Defecerunt oculi eorum, quia scilicet spes eorum ab eo quod intendebat corruit, quia temporalia diligens, præstolari æterna neglexit; et terrena, ideo quia Deo præposuit, amisit. Dixerunt enim : *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Et venient Romani, et tollent nostrum locum et gen-*

(178) Ex ejusdem lib. cap. vi.
(178*) Ex principio cap. xxxii, lib. xvi in Job.
(179) Ex lib. xxix, in Job, c. xviii

Digitized by Google

tem (*Joan.* XI, 48). Timuerunt ne locum non occiso Domino perderent, et tamen occiso perdiderunt. Sed cur ista miseris evenerint, subdat, *Quia non erat herba*, id est quia eorum cordibus defuit æternitatis scientia, et nullo eos refecit pabulo viriditatis internæ doctrina.

CAPUT XXIII.

DE ONOCENTAURO.

(180) Onocentaurorum nomine lubrici et elati designantur, sicut contra perversam mentem sub Judææ specie per Isaiam dicitur : *Ecce cubile draconum et pascuæ struthionum, et dæmonia onocentauris occurrent* (*Isa.* XXXIV, 13). Quid enim per dracones, nisi malitia, et quid per struthiones **147** nisi hypocrisis designatur? In perversa igitur mente draco cubat et pascitur; quia et latens malitia callide tegitur, et intuentium oculis simulatio bonitatis antefertur. Quid vero onocentaurorum nomine, nisi lubrici figurantur et elati? Græco quippe eloquio ὄνος asinus dicitur; et asini appellatione luxuria signatur Propheta attestante, qui ait : *Ut carnes asinorum carnes eorum* (*Ezech.* XXIII, 20). Tauri autem vocabulo cervix superbiæ demonstratur, sicut voce Dominica de Judæis superbientibus per Psalmistam dicitur : *Tauri pingues obsederunt me* (*Psal.* XXI, 13). Onocentauri ergo sunt qui subjecti luxuriæ vitiis, inde cervicem erigunt, unde humiliari debuerunt. Qui carnis suæ voluptatibus servientes, expulsa longe verecundia non solum se amittere rectitudinem non dolent, sed adhuc etiam de opere confusionis gaudent. Onocentauris autem dæmonia occurrunt, quia maligni spiritus, valde eis ad votum deserviunt, quos de his gaudere conspiciunt, quæ flere debuerunt.

CAPUT XXIV.

DE RHINOCEROTE.

In Scriptura sacra rhinocerotis nomine aliquando potens in hoc sæculo, aliquando superbus Judaicus populus intelligitur.

(181) Rhinocerotis nomine potentes hujus sæculi designantur, sicut voce Dominica ad beatum Job dicitur : *Nunquid volet rhinoceros servire tibi?* (*Job* XXXII, 12.) Rhinoceros enim indomitæ omnino naturæ est, ita ut si quando captus fuerit, teneri nullatenus possit. (182) Impatiens quippe, ut fertur, illico moritur. Ejus vero nomen Latina lingua interpretatum sonat *in nare cornu*. Et quid aliud in nare, nisi fatuitas, quid in cornu nisi elatio designatur? Quid ergo in rhinocerote hoc, nisi potentes hujus sæculi designantur, vel ipsæ in eo summæ principatuum potestates, qui typo fatuæ jactationis **148** elati, dum falsis exterius inflantur honoribus, veris miseriis interius inanescunt? Quibus bene dicitur : *Quid superbis, terra et cinis?* (*Eccli.* X, 9.) In ipsis vero initiis nascentis Ecclesiæ, dum contra illam divitum se potestas extolleret, atque in ejus necem immensitate tantæ crudelitatis anhelaret, dum tot cruciatibus anxia, tot persecutionibus pressa succumberet, quis tunc credere potuit quod illa erecta et aspera sibi colla superborum subjiceret, et jugo sancti timoris edomita mitibus fidei loris ligarentur? Diu quippe in exordiis suis rhinocerotis hujus cornu ventilata et quasi funditus interi menda percussa est. Sed divina gratia dispensante, et illa moriendo vivificata convaluit, et cornu suum rhinoceros iste feriendo lassatus inclinavit : quodque impossibile hominibus fuit, Deo difficile non fuit; qui potestates hujus mundi rigidas, non verbis, sed miraculis fregit. Ecce enim quotidie rhinocerotes servire agnoscimus, dum potentes hujus mundi, qui viribus suis fatua dudum fuerant elatione confusi, Deo subditos jam videmus. Quasi de quodam indomito rhinocerote, Dominus loquebatur, cum diceret: Dives difficile intrabit in regnum cœlorum (*Matth.* XIX, 23). Cui cum responsum esset; *Quis poterit salvus fieri?* (*Ibid.*, 25.) Illico adjunxit : *Apud homines impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt* (*ibid.*, 26). Ac si diceret : Rhinoceros iste humanis viribus mansuescere non potest, sed tamen divinis subdi miraculis potest. (183) Unde hic quoque apte beato Job sanctæ Ecclesiæ typum tenenti dicitur. *Nunquid volet rhinoceros servire tibi?* Subauditur, ut mihi, qui eum quidem prædicamentis hominum diu resistere pertuli; sed tamen cum repente volui, miraculis stravi. Ac si apertius dicat : Nunquid hi qui fatua elatione superbiunt, sine meis adjutoriis tuæ prædicationi subduntur? Per quem itaque prævalcas considera, et in omne quod prævaleas, sensum elationis inclina.

(184) Potest autem rhinocerotis nomine superbus Judaicus populus designari. Rhinoceros enim qui et monoceros in Græcis exemplaribus nominatur, tantæ esse fortitudinis dicitur, ut nulla venantium virtute capiatur. (185) Sed sicut hi asserunt, qui describendis animalium **149** naturis laboriosa investigatione sudaverunt, virgo ei puella proponitur, quæ venienti sinum aperit; in quo ille omni ferocitate postposita caput deponit. Sicque ab eis, a quibus capi quæritur, repente velut enervis invenitur. Buxei quoque coloris esse describitur. Qui etiam cum elephantis quando certamen aggreditur, eo cornu quod in nare singulariter gestat, ventrem adversantium ferire perhibetur, ut cum ea quæ molliora sunt vulnerat, impugnantes se facile sternat. (186) Potest ergo per rhinocerotem, vel certe monocerotem, scilicet unicornem ille populus intelligi,

(180) Ex lib. VII, in Job, c. 12, ante finem.
(181) Ex lib. XXXI in Job. c. 1.
(182) Munsterus tamen lib. V Cosmographiæ notat fuisse ex India vivum unum adductum anno 1513 ad Emmanuelem Portugalliæ reg. eumdemque, anno 1515, exhibuisse monomachiam elephanti cum rhinocerote in urbe Ulissipona.
(183) Ex cap. II, lib. super.
(184) Ex lib. XXXI in Job, c. XI.
(185) Philesius et alii recentiores id scribunt.
(186) Rhinocerotem et monocerotem esse diversa animalia, et ipsa notatio et Scaliger exercit. 205; Gesnerusque l. I, De quadrupedibus in littera ostendunt.

Digitized by Google

qui dum de accepta lege non opera, sed solam inter homines elationem sumpsit, quasi inter cæteras bestias cornu singulare gestavit. Unde passionem suam Dominus, Propheta canente, pronuntians, ait : *Libera me de ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam* (*Psal.* XXI, 22). Tot quippe in illa gente unicornes vel certe rhinocerotes exstiterunt, quot contra prædicamenta veritatis, de legis operibus singulari et fatua elatione confisi sunt. Beato igitur Job sanctæ Ecclesiæ typum tenenti dicitur : *Nunquid volet rhinoceros servire tibi?* Ac si apertius dicatur: Nunquid illum populum quem superbire in nece fidelium, stulta sua elatione consideras, sub jure tuæ prædicationis inclinas? subaudis, ut ego qui et me illum singulari cornu extolli conspicio, et tamen mihi cum voluero, p otinus subdo.

CAPUT XXV.

DE BEHEMOTH.

(187) Behemoth nomine diabolus designatur, sicut voce Domini ad beatum Job dicitur : *Ecce Behemoth quem feci tecum* (*Job* XL, 10). Quem namque sub Behemoth nomine nisi antiquum hostem insinuat? Qui quidem Behemoth interpretatur latine *animal*. Cujus dum inferius malitia subditur, patenter persona monstratur. Sed cum de Deo scriptum sit quia fecit omnia simul (*Eccli.* XVIII, 1), cur hoc animal, cum homine fecisse se indicat, dum cuncta, quia simul fecerit, constat? **150** Rursumque quærendum est quomodo simul Deus cuncta condidit, dum Moyses ex dierum mutatione variante distincte creata describit? Quod tamen citius agnoscimus, si ipsas causas originum subtiliter indagamus. Rerum quippe substantia simul creata est, sed simul species formata non est. Et quod simul exstitit per substantiam materiæ non simul apparuit per speciem formæ. (188) Sed quia simul omnia per substantiam creata dicimus quæ prodire alia ex aliis invenimus, quo pacto cum beato Job Behemoth factus asseritur cum neque una sit substantia angeli et hominis, neque homo ex angelo, neque angelus ex homine proferatur? Si vero propter hoc factus Behemoth cum beato Job dicitur. quod creatura omnis ab auctore, qui in actione sua nequaquam temporis protelatione distenditur, simul condita non dubitatur, cur de Behemoth spiritualiter dicitur, quod habetur commune cum creaturis omnibus generaliter. Sed si rerum causas subtili discussione pensamus, simul factum angelum hominemque cognoscimus : simul videlicet non unitate temporis, sed cognitione rationis. Simul per acceptam imaginem sapientiæ, sed non simul per conjunctam substantiam formæ. Scriptum namque est de homine: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26). Et per Ezechielem ad Satan dicitur : *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore in deliciis paradisi Dei fuisti* (*Ezech.* XXVIII, 12). In cuncta igitur creatura homo et angelus simul conditus exstitit, quia ab omni natura irrationabili distinctus processit. Quia ergo in cuncta conditione rerum, nullum rationale animal nisi angelus et homo est, quidquid ratione uti non potest cum homine factum non est. Dicatur itaque de homine, dicatur de angelo, qui et si potentiam sublimitatis perdidit, subtilitatem tamen naturæ rationalis minime amisit: *Ecce Behemoth, quem feci tecum*, ut dum homo eum, qui in ratione secum factus est perisse considerat, vicinum sibi casum superbiæ ex ipsa proximi sui perditione pertimescat.

(187) Ex lib. XXXII in Job, c. X.

(188) Hæc ab antecedentibus disjuncta sunt interpositis aliis.

151 CAPUT XXVI.

DE SERPENTE.

(189) Serpentis nomine diabolus designatur, sicut per Isaiam dicitur : *Super Leviathan serpentem vectem, et super Leviathan serpentem tortuosum in terram* (*Isa.* XXVI, 1). Leviathan quippe interpretatus dicitur additamentum eorum. Quorum scilicet nisi hominum? Recte autem additamentum eorum dicitur, quia postquam primam culpam suggestione intulit, hanc quotidie augere gravioribus persuasionibus non desistit. Vel certe per exprobrationem Leviathan vocatus est, id est additamentum hominum. Eos namque in paradiso immortales reperit, sed divinitatem immortalibus promittendo, quasi eis aliquid ultra quam erant se addere spopondit. Sed dum blande non habita se daturum perhibuit, callide et habita subtraxit. Leviathan itaque iste in eo quod se addere homini spopondit, tortuosis ad cum sinibus irrepsit, quia dum falso impossibilia promittit, vere et possibilia sustulit. Quærendum vero nobis est cur quem serpentem dixerat, tortuosumque illico subjungens interposuit, *vectem* : nisi forte quod in serpentis fortitudine fluxa mollities, in vecte autem est duritiæ rigiditas. Ut ergo hunc et durum signaret et mollem, et vestem nominat et serpentem. Durus quippe est per malitiam, mollis per blandimentum. Vectis ergo dicitur, quia usque ad necem percutit ; serpens autem, quia semper insidias molliter infundit.

(189) Ex lib. IV in Job, cap. XIII.

152 CAPUT XXVII.

DE DRACONE.

In Scriptura sacra draconum nomine aliquando Antichristus, aliquando malitia, aliquando antiquus hostis, aliquando nequissimi Judæorum principes, aliquando dæmones, aliquando aperte mali vel gentiles designantur.

(190) Draconum nomine Antichristus designatur, sicut per Joannem in Apocalypsi dicitur : *Misit draco caudam, et traxit tertiam partem stellarum* (*Apoc.* XII, 3). Quid namque draconis nomine nisi Antichristus, quid in cauda ejus, nisi extrema ipsius persuasio intelligitur? Quid vero stellarum nomine, nisi hypocritarum fictio demonstratur, qui bona quæ faciunt ad percipiendas laudes homini-

(190) Id partim ex lib. IV, c. XIV ; et lib. XXXII, c. XII, p. num. 38. Patherii diac. in Apoc.

Digitized by Google

bus ostendunt? Draconis ergo cauda, stellarum pars in terram trahitur, quia extrema persuasione Antichristi quidam qui videntur lucere rapientur. Stellas namque in terram trahere est eos qui videntur studio vitæ cœlestis inhærere, ex amore terreno iniquitate aperti erroris involvere.

(191) Draconis nomine malitia designatur, sicut contra perversam mentem sub Judææ specie per Isaiam dicitur : *Erit cubile draconum et pascua struthionum* (*Isa.* XXIV, 13). Quid namque per dracones, nisi malitia? quid vero struthionum nomine nisi hypocrisis designatur? Struthio quippe speciem volandi habet, sed usum volandi non habet : et quia hypocrisis cunctis intuentibus imaginem de se sanctitatis insinuat, sed tenere vitam sanctitatis ignorat. In perversa igitur **153** mente draco cubat, et struthio pascitur : quia et latens malitia callide tegitur, et intuentium oculis simulatio bonitatis antefertur.

(192) Draconis nomine antiquus hostis designatur, sicut per Joannem in Apocalypsi dicitur : *Vidi angelum descendentem de cœlo habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua, et apprehendit draconem serpentem antiquum qui est diabolus, et Satan, et ligavit eum per annos mille, et misit eum in abyssum* (*Apoc.* XX, 1). Quem tamen in mundi fine ad apertiora certamina revocat, et totum contra nos in suis viribus relaxat. Unde illic rursum scriptum est : *Cum completi fuerint mille anni, solvetur Satanas* (*Apoc.* XX, 7).

Draconum nomine nequissimi Judæorum principes signat Jeremias dicens : *Onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones* (*Jer.* XIV, 6).

(193) Draconum nomine dæmones designantur per prophetam. *In cubilibus in quibus dracones prius habitabant, orietur viror calami, et junci* (*Isa.* XXXV, 7). Quid enim per calamum nisi prædicatores? quid per juncum, qui juxta aquæ semper humorem nascitur, nisi pusilli ac teneri auditores sacri eloquii designantur? Quid per dracones nisi dæmonum malitia exprimitur? In draconum ergo cubilibus viror calami et junci orietur, quia in eis populis, quos antiqui hostis malitia possidebat, et doctorum scientia, et auditorum obedientia coacervatur.

(194) Draconum nomine aperte mali vel gentiles designantur : sicut per prophetam Dominus de eorum conversione pollicendo dicit : *Glorificabit me bestia agri, dracones et struthiones* (*Isa.* XLIII, 20). Quid enim in draconum nomine, nisi in aperto malitiosæ mentes exprimuntur, quæ per terram semper in infimis cogitationibus repunt? Quid vero per struthionum nomen, nisi hi qui se bonos simulant designantur? Qui sanctitatis vitam quasi volatus pennam per speciem retinent, sed per opera non exercent. Glorificari itaque Dominus **154** a dracone vel struthione asserit, quia et aperte malos, et ficte bonos, plerumque ad sua obsequia ex intima cogitatione convertit. Vel certe agri bestia Dominum, id est dracones struthionesque glorificant, cum fidem quæ in illo est, ea quæ in hoc mundo dudum membrum diaboli fuerat gentilitas exaltat. Quam et propter malitiam draconum nomine exprobrat, et propter hypocrisim, vocabulo struthionum notat. Quasi enim pennas accepit gentilitas, sed volare non potuit, quæ naturam rationis ignoravit.

CAPUT XXVIII.

DE COLUBRO.

In Scriptura sacra colubri nomine aliquando diabolus, aliquando Antichristus intelligitur.

(195) Colubri nomine Antichristus signatur per beatum Job dicentem : *Et obstetricante manu ejus eductus est coluber tortuosus* (*Job* XXVI, 13). Quis enim colubri nomine appellatur nisi hostis antiquus, lubricus et tortuosus : qui decipiendo homini, colubri ore locutus est? de quo et per prophetam dicitur : *Leviathan serpentem tortuosum* (*Isa.* XXVII, 1). Qui idcirco loqui serpentis ore permissus est, ut ex ipso vase ejus cognosceret homo qualis esset qui intus habitaret. Serpens autem non solum est tortuosus, sed etiam lubricus. Quia autem in veritatis rectitudine non stetit, tortuosum animal intravit; quia vero suggestioni ejus si primo non resistitur, repente totus ad interna cordis, dum non sentitur illabitur, verba ad hominem per animal lubricum fecit. Cavernæ autem hujus colubri corda fuerant iniquorum. Quæ quia ad pravitatem propriam traxit, quasi in eorum habitatione requievit. Sed obstetricante manu Domini, tortuosus coluber de propriis cavernis expulsus est, quia dum nobis divina gratia medetur, is qui nos tenuerat **155** antiquus a nobis hostis ejicitur, sicut incarnata Veritas dicit : *Nunc princeps hujus mundi ejicitur foras* (*Joan.* XII, 31). Unde jam nunc omnes sanctos non tenendo possidet, sed tentando persequitur. Nam quia non in eis intrinsecus regnat, contra eos pugnat extrinsecus; et quia intus dominium perdidit, bella mollitur foras; ille enim cum de carnalibus hominum cordibus eum expulit qui propter homines ad incarnationem venit, dumque corda infidelium tenuit, quasi manum ad latibulum serpentis misit. Bene igitur obstetricante manu Domini tortuosus coluber in cavernis quas tenuerat habitare perhibetur; nam victus a fidelium cordibus exiit, qui super hæc antea sceptro perfidiæ regnavit.

(196) Colubri nomine Antichristus designantur, sicut Jacob voce dicitur : *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retr* (*Gen.* XLIX, 17). Require in capitulo de equo.

(191) Ex lib. VII in Job, c. XII.
(192) Ex lib. IV in Job, c. XIII.
(193) Ex lib. XXIX in Job, c. XIV, ante finem.
(194) Ex lib. XXXI in Job, c. V.
(195) Ex lib. XVII in Job, c. XVIII
(196) Supra, c. II, hujus libri.

Digitized by Google

CAPUT XXIX.

DE REGULO.

In Scriptura sacra cum regulus singulari numero ponitur, aliquando diabolus, aliquando Antichristus intelligitur; cum vero pluraliter reguli dicuntur, dæmones signantur.

(197) Reguli nomine diabolus designatur, sicut per prophetam dicitur : *Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis; et in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebunt, neque occident in universo sancto monte meo* (*Isa.* xi 8). Quem namque infantem ab ubere vel cum ablactatus fuerit, nisi Dominum appellat? Quid vero foramine aspidis, cavernis reguli, nisi corda signavit iniquorum? Et antiquus hostis dum **156** totum se in eorum consensum contulit, quasi in foramine proprio tortuosus sinus astutiæ colligendo glomeravit. Quem et aspidis appellat nomine occulte sævientem et reguli aperte ferientem. Manum ergo suam Dominus in foramine reguli, atque aspidis misit, quando iniquorum corda divina potestate tenuit, et comprehensum exinde aspidem, vel regulum, id est captivum diabolum traxit, ut in monte sancto ejus, qui est Ecclesia electis fidelibus non noceret.

(198) Reguli nomine Antichristus designatur, sicut de pravis quibusdam scriptum est : *Ova aspidum ruperunt, et telas araneæ texuerunt. Qui comederit de ovis eorum morietur; et quod confotum est, erumpet in regulum* (*Isa.* lix, 5). Ova quippe aspidum pravis hominibus rumpere est malignorum spirituum consilia quæ in eorum cordibus latent, perversis operibus aperire. Telas quoque araneæ texere est pro hujus mundi concupiscentia temporalia quælibet operari : quæ dum nulla stabilitate solidata sunt, ea procul dubio ventus vitæ mortalis rapit. Bene autem additur : *Qui comederit de ovis eorum morietur*, quia qui immundorum spirituum consilia respicit, vitam in se animæ occidit. *Et quod confotum est, erumpet in regulum*, quia consilium maligni spiritus quod corde tegitur ad plenam iniquitatem nutritur, regulus namque serpentum rex dicitur. Quis vero reproborum caput est, nisi Antichristus? Quod ergo confotum est erumpet in regulum, quia is qui in se nutrienda aspidis consilia receperit, membrum iniqui capitis factus, in corpus Antichristi accrescit.

(199) Regulorum nomine dæmones designantur. Unde et bene irascens peccatis præcedentibus, de his quos in manu antiqui hostis deserit per prophetam Dominus dicit : *Immittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio* (*Jer.* viii, 17). Ac si diceret : Justo judicio talibus immundis spiritibus tradam, qui a vobis excuti exhortatione prædicantium quasi incantantium sermone non valeant.

157 CAPUT XXX.

DE VIPERA.

In Scriptura sacra cum vipera singulari numero ponitur, aliquando subita et violenta diaboli tentatio intelligitur, aliquando per contrarium lenis et diuturna ejusdem tentatio; cum vero pluraliter viperæ dicuntur, pravi homines exprimuntur.

(200) Viperæ nomine violenta vel lenis et diuturna tentatio diaboli designatur, sicut per beatum Job de hypocrita dicitur. *Caput aspidum suget, et occidet eum lingua viperæ* (*Job* xx, 16). Aspis parvus est serpens, vipera vero prolixioris est corporis. Et aspides ova gignunt, atque ex ovis eorum filii procreantur. Viperæ autem cum conceperint, filii earum in ventre sæviunt (201. Qui ruptis lateribus matrum, ex earum ventre procedunt. Unde et vipera eo quod vi pariat, nominantur. Vipera itaque sic nascitur, ut violenter exeat, et cum matris suæ exstinctione producatur. Quid ergo per aspides parvos, nisi latentes suggestiones immundorum spirituum figurantur, qui cordibus hominum parva prius persuasione subrepunt? Quid vero per linguam viperæ, nisi violenta diaboli tentatio designatur? Prius enim leniter subripit, postmodum vero etiam violenter (202). Caput itaque aspidum sugit hypocrita, quia initium suggestionis occultæ parvum prius in corde nascitur, sed occidit cum lingua viperæ, quia postmodum capta mens, veneno violentæ tentationis necatur. Primum subtilibus consiliis, ad cor hominis immundi spiritus loquuntur, qui dum leniter persuadent quasi venenum aspidum fundunt. Unde scriptum est : **158** *Ova aspidum ruperunt, et telas araneæ texuerunt. Qui comederit de ovis eorum morietur, et quod confotum est erumpet in regulum* (*Isa.* lix, 5). De hoc ita hypocrita dicitur : *Caput aspidum suget, et occidet eum lingua viperæ*, quia cum iniquam suggestionem antiqui hostis libenter suscipit, violentis se post modum ejus tentationibus devictus tradet. Unde et in paradiso quoque stanti homini verba blandæ persuasionis intulit, sed quem semel rapuit ad consensum, jam nunc etiam renitentem trahit et corruptionis suæ delectationibus devictum pene violenter interficit.

(203) Sed fortasse hæc ipsa intelligere etiam per contrariam interpretationem valemus. Nam quia veneno suo aspis concite, vipera autem tardius occidit, per aspidem violenta et subita, per viperam lenis et diuturna tentatio designatur. Unde et illi mors in suctione capitis, viperæ autem in lingua esse perhibetur, quia repentina tentatio sæpe inopinatam mentem mox, ut surgit, interficit; longa vero tentatio, quia prava diutius persuadendo suggerit, velut ex lingua vipera occidit.

(204) Viperarum nomine, pravi homines designantur, sicut per Joannem Baptistam Judæis dici-

(197) Ex lib. xvii, in Job, c. xx
(198) Ex lib. xv, in Job, c. ix.
(199) Ex lib. xxxiv, in Job. c. x.
(200) Ex lib. xv, in Job, c. vii.
(201) Vide Arist. lib. v, De hist. animal., cap. 34; Plin. lib. x, cap. 62.
(202) Ex cap. viii.
(203) Ex iisdem, lib., et c. viii.
(204) Ex hom. 20 in Evang.

Digitized by Google

tur : *Genimina viperarum, quis vobis ostendit fugere a ventura ira?* (*Luc.* III, 7.) Ventura enim ira est animadversio ultionis extremæ, quam tunc fugere peccator non valet, qui nunc ad pœnitentiæ lamenta non recurrit. Et notandum quod malæ soboles, malorum parentum actiones imitantes genimina viperarum vocantur, quia per hoc quod bonis invident, eosque persequuntur, quod quibusdam mala retribuunt, quod læsiones proximis exquirunt, quoniam in his omnibus priorum suorum carnalium vias sequuntur, quasi venenati filii de venenatis parentibus nati sunt.

159 CAPUT XXXI.

DE ASPIDE.

In Scriptura sacra aspidis nomine aliquando diabolus, aliquando is qui audire verbum Dei dedignatur, aliquando blanda et latens suggestio intelligitur.

Aspidis nomine diabolus designatur, sicut propheta dicit. *Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, et in caverna reguli* (*Isa.* XI, 8). Require in capite De regulo.

Aspidis nomine, significaturis qui audire verbum Dei dedignatur, sicut per Psalmistam dicitur : *Furor illis secundum similitudinem serpentis. Sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium* (*Psal.* LVII, 5). Aspis cum conceperit pati incantatorem marsum qui eam quibusdam carminibus propriis evocat, sicut sunt multa etiam magica, audite quid faciat. Amando tenebras suas, quibus se involuta occultare dicitur, cum exire voluerit, recusans tamen audire illas voces, quibus se cogi sentit, allidit unam aurem terræ, et de cauda obturat alteram : atque ita illas voces, quantum potest, evitans, non exit ad incantantem. Huic similes dixit spiritus Dei, quosdam non audientes verbum Dei non solum non facientes sed omnino ne faciant : audire volentes. An forte quæremus aliquid in eo quod dicitur aspis ita aures claudere, ut unam earum premat in terram, alteram cauda oppiletur? Quid sibi vult hoc? In cauda itaque posteriora intelliguntur. Ergo in præterita jam tergum oportet ponere, ut in ea quæ nobis promittuntur intendamus. Ergo nec ex præsenti delectari debemus, hoc enim monet Apostolus dicens : *Quem ergo fructum habuistis in quibus nunc erubescitis?* (*Rom.* VI, 21.) Revocat ad se recordantes cum delectatione **160** a præteritis, et cum quadam concupiscentia fruendi, ne redeamus corde in Egyptum. Quid de præsentibus quomodo jubet etiam ipsa contemni. *Non recipientibus, inquit, quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna* (*II Cor.* IV, 18). Igitur de præsenti vita dicit : *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Obliviscere ergo præterita quibus male vixisti, contemne præsentia quibus temporaliter vivis, ne te alligando præsentia non permittant pervenire ad futura. Si enim præsens vita te delectat, aurem in terra posuisti. Si tuis præteritis, et jam retro labentibus delectaris, aurem de cauda obturasti. Debes ergo ire in lucem, exire de tenebris, ut jam in luce ambulans et exsultans dicas quæ retro sunt oblitus, in ea quæ ante sunt extentus : Non dixit, quæ retro oblitus, et ex præsentibus delectatus, cum dixit, quæ retro oblitus non obturavit aurem de cauda. Cum dixit in ea quæ ante sunt extentus, is et præsentibus non obsurduit, aurem in terra non posuit.

Aspidum nomine latentes et blandæ suggestiones, vel fortes et subitæ immundorum spirituum tentationes designantur, sicut a beato Job de hypocrita dicitur : *Caput aspidum suget* (*Job* XX, 16). Require in capitulo de vipera.

CAPUT XXXII.

DE REPTILIBUS.

(205) Reptilium nomine cogitationes terrenæ designantur, sicut per Ezechielem prophetam dicitur? *Et ingressus vidi, et ecce omnis similitudo reptilium et animalium abominatio* (*Ezech.* VIII, 1). In reptilibus quippe cogitationes omnino terrenæ signantur ; in animalibus vero, jam quidem aliquantulum a terra suspensæ, sed adhuc terrenæ mercedis præmia requirentes. Nam reptilia quidem toto corpore terræ inhærent, animalia autem ventre a terra suspensa sunt, appetitu tamen gulæ ad terram semper inclinantur. Reptilia itaque sunt intra **161** parietem, quando cogitationes volvuntur in mente, quæ a terrenis desideriis nunquam levantur. Animalia quoque sunt intra parietem, quando et si qua jam justa, si qua honesta cogitantur, appetendis tamen lucris temporalibus honoribusque deserviunt, ut per semetipsa quidem jam quasi a terra suspensa sint, sed adhuc per ambitum, quasi per gulæ desiderium sese ad ima submittunt.

CAPUT XXXIII.

DE VERMIBUS.

In Scriptura sacra cum vermis singulari numero ponitur, aliquando Christus, aliquando hominis progenies intelligitur ; cum vero pluraliter vermes dicuntur, aliquando cogitationes inquietæ, aliquando curæ carnales exprimuntur

(206) Vermis nomine Christus designatur, sicut per Psalmistam dicitur : *Ego autem sum vermis, et non homo* (*Psal.* XXI, 7). (207) Vermis nomine caro designatur, sicut per beatum Job, de luxurioso quolibet dicitur : *Dulcedo illius, vermis* (*Job* XXIV, 20). In quibus verbis luxuriosi cujuslibet et carnis voluptatibus dediti, quanta sit cæcitas demonstratur, cum dicitur : *Dulcedo illius vermis.* Quid namque caro nisi putredo ac vermis est? Et quisquis carnalibus desideriis anhelat, quid aliud quam vermem amat. Quæ enim carnis sit substantia, testantur sepulcra. Quis parentum, quis amicorum fidelium quamlibet dilecti sui tangere scaturientem vermibus **162** carnem potest? Caro itaque cum

(205) Ex lib. XXVI in Job., c. V.
(206) Ex lib. XXX in Job, c. XV.
(207) Ex lib. XV in Job, c. XXIV, 20.

Digitized by Google

concupiscitur, pensetur quid sit exanimis, et intelligitur quid amatur. Nil quippe sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet, quam unusquisque hoc quod vivum diligit, quale sit mortuum penset. Considerata etenim corruptione carnali, citius cognoscitur, quia cum illicite caro concupiscitur, tabes amatur. Bene ergo de luxuriosi mente dicitur, *Dulcedo illius vermis*, quia is qui in desiderio carnalis corruptionis exæstuat, ad fetorem putredinis anhelat.

(208) Vermis nomine hominis progenies designatur sicut in libro beati Job per Baldad dicitur : *Ecce luna non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus. Quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis!* (*Job* xxv, 5.) Quid enim per lunam, nisi cuncta simul Ecclesia, quid per stellas, nisi singulorum bene viventium animæ designantur? Luna ergo non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus, quia nec sancta Ecclesia virtute propria, tot miraculis emicat, nisi hanc prevenientis gratiæ dona perfundant; nec singulorum bene viventium mentes a peccatorum maculis mundæ sunt, si remota pietate judicentur, quia apud districti judicis oculos sua unumquemque corruptibilitas inquinat, nisi hunc quotidie gratia parcentis tergat. Electorum quippe mens prodire ad libertatem justitiæ nititur, sed adhuc compede infirmitatis tenetur, et culpas quidem subigere perfecte desiderat, sed quousque corruptione carnis astringitur, ejus vinculis, etiam cum non vult, ligatur. Hinc itaque colligat, quanto peccatorum pondere pressi sunt, qui contra hæc decertare negligunt, si plene culpam nec illi superant qui contra hanc utiliter pugnant. Unde et postquam dictum est, *ecce luna non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus*, protinus subditur, *quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis?* Ac si aperte diceretur : Si ipsi quoque esse sine contagio non valent, qui inter vitæ præsentis tenebras virtutibus lucent, quanto reatu **163** iniquitatis obstricti sunt, qui adhuc carnaliter vivunt? Si a peccato liberi esse nequeunt qui jam in cœlestibus desideriis conversantur, quæ peccatorum pondera tolerant qui carnis suæ voluptatibus dediti adhuc putredinis jugum portant? Hinc Petrus ait : *Si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt?* (*I Pet.* iv, 18.) Notandum vero in sermone suo quantum Baldath ordinem conditionis nostræ tenuit et nativitatis, qui hominem non vermem sed putredinem, filium vero hominis vermem vocat. Primus namque humani generis parens, homo, non filius hominis. Ex quo quisquis prodiit, non solum homo, sed filius quoque hominis fuit. Sicut ergo ex homine filius hominis, ita ex putredine nascitur vermis. Unde recte homo putredo, filius vero hominis vermis vocatur. Primus quippe homo putredo, non vermis, quia etsi per mortem putruit, non tamen ex putredine per nativitatem venit. Qui autem filius est hominis, vermis dicitur, quia jam ex mortalium corporum corruptione propagatur.

(209) Vermium nomine cogitationes inquietæ designantur, sicut per beatum Job dicitur : *Putredini dixi : Pater meus es, mater mea, et soror mea vermibus* (*Job* xvii, 14). Quid est quod dixit, *putredini, pater meus es*, nisi quod omnis homo ab origine jam vitiata descendit? Unde et additur, *mater mea, et soror mea vermibus*, quia videlicet ab ipsa putredine et cum ipsa in hunc mundum venimus. Quantum ad materiam quippe corruptibilis carnis, mater nostra et soror vermes sunt, quia et de putredine processimus, et cum putredine venimus quam portamus. Quod si intelligi spiritualiter potest, et mater natura, et consuetudo non immerito soror vocatur, quia ab illa cum ista sumus. Quæ videlicet mater et soror vermes sunt, quia ex natura corruptibili et consuetudine perversa cogimur, ut quasi quibusdam vermibus sic inquietis cogitationibus in mente fatigemur. Carnis enim natura vitiata et consuetudo perversa, innumeras curas in corde infirmitatis nostræ generant, bene mater et soror vermes **164** vocantur. Mordent animum curæ, dum inquietant. Non enim cessant justi viri vel sollicite cogitare et pertractare quid agant, vel provide inspicere quo post præsentem vitam ducendi sint.

(210) Vermium nomine curæ carnales designantur, sicut per beatum Job dicitur : *Iste moritur robustus et sanus, dives et felix. Viscera ejus plena sunt adipe, et medullis ossa illius irrigantur. Alius vero moritur in amaritudine animæ suæ absque ullis opibus. Et tamen simul dormient in pulvere, et vermes operient eos* (*Job* xxi, 23, 24). Hoc si quis forsitan accipere per allegoriam velit, explere breviter possumus. Dicitur namque de iniquo divite : *Viscera ejus plena sunt adipe.* Sicut ex abundanti cibo adeps, ita ex abundantia rerum superbiæ nascitur, quæ impinguat mentem divitis dum elevatur animus superbientis. Superbia quippe cordis quasi quædam pinguedo est crassitudinis. Unde quia plerique ex abundantia peccata perpetrant, per Prophetam dicitur : *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum* (*Psal.* lxxii, 7). Amatores autem hujus sæculi quasi ossa habent, quia in hoc mundo fortitudinem dignitatum possident. Sed si in exteriori dignitate desint terrenæ domesticæ divitiæ, quantum ad judicium suum ossa quidem habent, sed medullas in ossibus non habent. Quia ergo sic iste amator hujus sæculi exteriore potestate fulcitur ut etiam interiori et terrena domus abundantia saginetur, dicitur. *Et medullis ossa illius irrigantur.* Vel certe ossa sunt hujus divitis pravæ et duræ consuetudines; medullæ vero in ossibus sunt ipsa desideria male vivendi, qui neque ex pravitatis satisfactione satiantur. Quæ medullæ quasi ossa irrigant, cum

(208) Ex lib. xvii in Job, c. ix.
(209) Ex lib. xiii in Job, c. xvii.
(210) Ex lib. xv, c. xxxiii in Job xxv.

Digitized by Google

prava desideria perversas consuetudines suas in voluptatem delectatione conservant (211). Et sunt nonnulli qui in hoc mundo divitias non habent, sed habere concupiscunt. Elati esse appetunt, quamvis in hoc mundo quod cupiunt obtinere non possunt. Etenim cum nullis rebus vel honoribus fulti sint, per mala tamen desideria in conspectu interni judicis reos conscientia addicit. Talis etenim quisque **165** plerumque ideo affligitur, quia ditescere ac superbire non prævalet. De quo et subditur : *Alius vero moritur in amaritudine animæ absque ullis operibus.* Ecce unde dives superbo corde inaniter gaudet, inde pauper alius superbo corde inanis affligitur. Bene autem de utrisque dicitur : *Et tamen simul in pulvere dormient et vermes operient eos.* In pulvere enim dormire, est in terrenis desideriis oculos claudere mentis. Unde unicuique peccanti in sua culpa dormienti dicitur : *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus* (*Ephes.* v, 14). Vermes vero, qui de carne nascuntur, eos simul operient, quia sive divitis, sive pauperis superbientis animum curæ carnales premunt. In rebus enim terrenis, pauper et dives reprobus, quamvis non pari prosperitate fulciantur, pari tamen anxietate turbantur, quia quod ille jam cum metu habet, iste jam cum anxietate appetit. Sed quia habere non valet et dolet dicatur, *simul in pulvere dormient, et vermes operient eos*, quia et si non simul rebus temporalibus sublevantur, simul tamen in cura rerum temporalium mentis torpore sopiuntur. Simulque eos vermes operiunt, quia vel istum ut concupita habeat, vel illum ne habita amittat carnales cogitationes premunt.

CAPUT XXXIV.

DE TINEA.

In Scriptura sacra tineæ nomine aliquando carnis tentatio, aliquando hæretica pravitas intelligitur.

(212) Tineæ nomine carnis tentatio designatur, sicut in persona tentati hominis per beatum Job dicitur : *Qui quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum quod comeditur a tinea* (*Job* XIII, 28). Homo enim quasi putredo consumitur, **166** dum carnis suæ corruptione conteritur. Cui quia immunda tentatio non aliunde, sed de semetipso nascitur, more tineæ carnem tentatio, quasi vestem de qua exit, consumit. In semetipso quippe homo habet unde tentetur. Quasi ergo tinea vestem consumit quæ ex veste eadem processit. Sciendum quoque quod tinea sine sonitu perforat vestimentum : et plerumque cogitatio ita transfigit mentem, ut mens ipsa non sentiat, nisi postquam fuerit ejus aculeo transfixa. Bene ergo dicitur quod homo tanquam vestimentum a tinea consumitur, quia nonnunquam tentationum nostrarum vulnera non agnoscimus, nisi postquam ab eis confossi in mente fuerimus.

(213) Tineæ nomine hæretica pravitas designatur, sicut per beatum Job de hæretico quolibet dicitur : *Ædificavit sicut tinea domum suam, et sicut custos fecit umbraculum* (*Job* XXVII, 18). Tinea sibi domum corrumpendo ædificat. Nec meliori potuit comparatione hæreticus demonstrari, qui locum suæ perfidiæ non nisi in mentibus quas corruperit facit. Qui etiam sequaces suos ab æterno igne et liberos. Spondet quippe eis refrigerium quietis æternæ. Sed verba ejus soliditatem non habent, quia plenitudine veritatis carent. Unde subjungitur : *Et sicut custos fecit umbraculum.* Umbraculum namque custodis nullo fundamento solidatur, sed tempore mox transeunte destruitur. Et promissa ab hæreticis requies cum tempore destruitur, quia post hanc vitam nullatenus invenitur.

167 CAPUT XXXV.

DE ERUCA.

(214) Erucæ nomine luxuria designatur, sicut Joel propheta dicit : *Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo* (*Joel.* I, 4). Sæpe mens misera, quid jam transierit in se peccati, videt ; sed ubi adhuc retineatur, non videt. Gaudet de quibusdam vitiis, quia eis jam subjecta non sit, et præcavere ac gemere negligit, quia eorum vice successerunt alia quibus fortasse nequius succumbit. Sicque fit ut, dum alia vitia transeunt et semper alia succedunt, a diabolo cor reproborum sine intermissione teneatur. Bene ergo dicitur : *Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo.* Quid enim per erucam, quæ toto in terram corpore repit, nisi luxuria designatur, quæ cor quod tenet ita polluit ut in superioris munditiæ surgere amorem nequeat. Quid per locustam, quæ saltibus evolat, nisi inanis gloria exprimitur quæ se vanis præsumptionibus exaltat ? Quid per bruchum, cujus pene totum corpus in ventre colligitur, nisi edendi ingluvies figuratur ? Quid per rubiginem, quæ dum tangit incendit, nisi ira innuitur ? *Residuum* ergo *erucæ locusta comedit*, quia sæpe cum luxuriæ vitium a mente recesserit, inanis gloria accedit. Nam quia jam per amorem carnis non sternitur, quasi sancta ex castitate gloriatur. *Et residuum locustæ comedit bruchus*, quia sæpe cum inani gloriæ, quæ quasi ex sanctitate veniebat resistitur, vel ventri, vel quibuslibet ambitionis desideriis immoderatius indulgetur. Mens enim Dei nescia tanto atrocius ad quemlibet ambitum ducitur, quanto nullo vel humanæ laudis amore refrenatur. *Residuum* vero *bruchi rubigo consumit*, quia dum ventris ingluvies per abstinentiam restringitur, iræ impatientia acrius dominatur. Quæ more rubiginis, quasi exurendo messem comedit, quia virtutum **168** fructus impatientiæ flamma tabescit. Dum ergo vitiis vitia succedunt, agrum mentis alia pestis devorat, dum alia relinquit. Bene autem illic subditur : *Expergiscimini, ebrii, et flete* (*Joel.* I, 5). Ebrii quippe vocati sunt, qui hujus mundi amore

(211) Ex c. XXXIV, l. *sup.*
(212) Ex l. XI in Job., c. XXV.
(213) Ex l. XVIII in Job, c. XI, sub finem.
(214) Ex l. XXXIII in Job, cap. XXVII, ad medium.

Digitized by Google

confusi, mala non sentiunt, quæ patiuntur. Quid est ergo dicere : *Expergiscimini, ebrii, et flete,* nisi somnum vestræ insensibilitatis excutite, et in devastatione cordis, tot sibi succedentibus vitiorum pestibus, vigilantibus lamentis obviate.

169 INCIPIT LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

DE HOMINE.

In Scriptura sacra hominis nomine quando singulari numero ponitur, aliquando Deus Pater, aliquando Verbum incarnatum, aliquando Judaicus populus, aliquando sensus rationis, aliquando diabolus, aliquando caro intelligitur, aliquando per naturam ponitur, aliquando per culpam, aliquando per infirmitatem ; cum vero plurali numero ponitur, spirituales viri, aliquando carnales quilibet accipiuntur

(215) Hominis nomine Deus Pater accipitur, sicut in Evangelio dicitur : *Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo* (*Matth.* XXII, 2). Quis enim alius est homo iste rex, regis filii pater, nisi ille cui Psalmista ait : *Deus judicium tuum regi da : Et justitiam tuam filio regis* (*Psal.* LXXI, 1). *Qui fecit nuptias filio suo.* Tunc enim Deus Pater Deo Filio nuptias fecit, quando hunc in utero Virginis humanæ naturæ conjunxit, quando Deum ante sæcula fieri voluit **170** hominem in fine sæculorum. Vel, ut apertius atque securius dicatur, in hoc Deus Pater regi Filio nuptias fecit, quo ei per Incarnationis mysterium sanctam Ecclesiam sociavit. Uterus autem genitricis Virginis, hujus sponsi thalamus fuit. Unde dicit Psalmista : *In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo* (*Psal.* XVIII, 6). Tanquam sponsus quippe de thalamo suo processit, qui ad conjungendam sibi Ecclesiam incarnatus Deus de incorrupto utero Virginis exivit.

(216) Hominis nomine Verbum incarnatum intelligitur, sicut per prophetam dicitur : *Et homo est, et quis cognoscet illum ?* Unde etiam in Evangelio scriptum est : *Homo quidam peregre proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua* (*Matth.* XXV). Quis enim iste est homo qui peregre proficiscitur, nisi Redemptor noster, qui in ea carne quam assumpserat abiit in cœlum ? Carnis enim locus proprie terra est ; quæ quasi peregrina ducitur, cum per Redemptorem nostrum in cœlo collocatur.

(217) Hominis nomine Judaicus populus designatur, sicut in Evangelio de divite epulone notanter Lucas dicit : *Homo quidam erat dives qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus* (*Luc.* XVI). Quem namque dives iste, qui induebatur purpura et bysso et epulabatur quotidie splendide, nisi Judaicum populum signat, qui cultum vitæ exterius habuit, qui acceptæ legis deliciis, ad nitorem usus est, non ad utilitatem ? Quem vero Lazarus ulceribus plenus, nisi gentilem populum figuraliter exprimit ? Qui dum conversus ad Dominum peccata confiteri non erubuit, huic vulnus in cute fuit. Sed Lazarus vulneratus cupiebat saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat ; quia gentilem quemque ad cognitionem legis admittere superbus ille populus despiciebat. Qui dum doctrinam legis non ad charitatem habuit, sed ad elationem, quasi de acceptis opibus tumuit. Et quia et verba defluebant de scientia, quasi micæ cadebant de mensa.

171 (218) Hominis nomine sensus rationis intelligitur, sicut ad beatum Job a Domino dicitur : *Quis dedit vehementissimo imbri cursum, et viam sonantis tonitrui ut plueret super terram absque homine in deserto, ubi nullus mortalium commoratur, ut impleret inviam et desolatam, et produceret herbas virentes ?* (*Job* XXVIII, 25-27.) Sunt enim plerique ad verba Dei valde insensibiles, qui fidei quidem nomine censentur, verba vitæ auribus audiunt, sed ea transire usque ad interna cordis minime permittunt. Hi aliud quam deserta terra sunt ? Quæ scilicet terra hominem non habet, quia eorum mens sensu rationis caret. Et nullus mortalium in hac terra commoratur, quia et si quando in eorum conscientia rationabilium sensuum cogitationes veniunt, non persistunt. Prava enim desideria in eorum cordibus sedem inveniunt, recta vero si quando venerint, ac si impellantur, decurrunt. Sed cum misericors Deus imbri suo cursum et sonanti tonitruo viam, id est prædicationi, libertatem dare dignatur, compuncti per internam gratiam verbis vitæ aures cordis aperiunt, et impletur terra invia, quia dum præbet auditum verbo, cumulatur mysterio. Et producit herbas virentes, quia per gratiam compunctionis infusa prædicationis verba non solum libenter recipit ; sed etiam ubertim reddit ut quod audire non poterat, jam loqui concupiscat, et quæ non audiendo etiam intrinsecus aruerat, jam loquendo quæ sancta sunt, viriditate sua quoslibet esurientes pascat.

(219) Hominis nomine diabolus designatur, sicut in Evangelio dicitur : *Inimicus homo hoc fecit* (*Matth.*

(215) Ex hom. 38 in Evang.
(216) Ex hom. 9 in Evang.
(217) Ex hom. 11 in Evang.

(218) Ex l. XXIX, in Job, cap. XIV, ante finem.
(219) Ex lib. XIII in Job, c. XII.

Digitized by Google

xiii, 28). Ita quippe unum corpus sunt diabolus, et omnes iniqui, ut plerumque nomine capitis censeatur corpus, et plerumque nomine corporis appelletur caput. Nam capitis nomine censetur corpus, cum de perverso homine dicitur : *Ex vobis unus diabolus est* (*Joan.* vi, 70). Et rursum nomine corporis appellatur caput, cum de ipso apostata hoc, quod jam prædiximus dicitur : *Inimicus homo hoc fecit.*

(220) Hominis nomine caro designatur, sicut in libro beati Job dicitur : *Homo ad laborem nascitur, et avis* **172** *ad volatum* (*Job* v, 7). Ad laborem quippe homo nascitur, quia nimirum is qui accepta est præditus ratione, considerat quod valde sibi sit impossibile, ut hæc peregrinationis suæ tempora sine labore evadat. Unde bene Paulus, cum tribulationes suas discipulis annuntiaret adjunxit : *Ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus* (*I Thess.* iii, 5). Sed in eo quod caro flagellis afficitur, mens ad appetenda altiora sublevatur, Paulo attestante, qui ait : *Et licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem. Homo ergo ad laborem nascitur, et avis ad volatum* (*II Cor.* iv, 16), quia inde mens ad summa evolat, unde caro in infimis durius laborat.

(221) Homo per naturam ponitur, sicut scriptum est : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* i). Homo per culpam dicitur, sicut scriptum est : *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes : Vos autem sicut homines moriemini* (*Psal.* lxxxi). Ac si aperte dicat : sicut delinquentes obibitis : Unde et Paulus ait : *Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis ?* (*I Cor.* iii). Ac si dicat : Qui discordes mentes ducitis, nonne adhuc ex reprehensibili humanitate peccatis ?

Homo per infirmitatem dicitur, sicut scriptum est : *Maledictus, qui spem suam ponit in homine* (*Jer.* xvii, 5). Ac si dicat in infirmitate.

Hominum nomine spirituales viri designantur, sicut per prophetam quibusdam Dominus dicit : *Vos autem greges pascuæ meæ homines estis* (*Ezech.* xxxiv). Quia illos nimirum Dominus pascit quos voluptas carnis inimicorum non more afficit.

(222) Hominum quoque nomine, carnalia sapientes designantur, sicut ait Apostolus : *Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis* (*I Cor.* iii, 3.) Et paulo post subjicit dicens : *Nonne homines estis ?* (*Ibid.*, 4.)

173 CAPUT II.

DE VIRO.

In Scriptura sacra cum singulari numero vir dicitur, aliquando Christus, aliquando angelus, aliquando quilibet perfectus, aliquando hostis antiquus intelligitur. Cum vero pluraliter ponuntur viri, aliquando perfecti viri, aliquando sex ætates sæculi designantur.

(223) Viri nomine Christus intelligitur, sicut de ipso per Ezechielem dicitur : *Vir quoque unus de medio eorum vestitus lineis et atramentarium scriptoris, ad renes ejus* (*Ezech.* ix). Quid enim per virum nisi mediator Dei et hominum homo Christus Jesus intelligitur ? Qui quoniam de sacerdotali tribu juxta carnem parentes habere dignatus est, vestitus lineis venire perhibetur. Vel certe, quia linum de terra, non autem sicut lana de corruptibili carne nascitur, qui indumentum sui corporis ex matre Virgine, non autem ex corruptione commistionis sumpsit, profecto ad nos vestitus lineis venit. Et quoniam ipse Deus postquam nobis mortuus est, et resurrexit, et ascendit in cœlum, tunc Testamentum Novum per apostolos scripsit, vir iste, atramentarium ad renes habuit. In renibus namque posterior corporis pars est. Quia ergo scripturam Testamenti Novi, postquam discessit, condidit, atramentarium quasi a tergo portavit.

(224) Rursum, aliquando angelus dicitur Daniele propheta testante, qui ait : *Ecce vir Gabriel* (*Dan.* ix, 21). Viri nomine quilibet perfectus designatur, sicut ad beatum Job a Domino dicitur : *Accinge sicut vir lumbos tuos* (*Job* xxxviii, 3). **174** (225) Virum namque Scriptura sacra vocare consuevit, qui nimirum vias Domini fortibus et non dissolutis gressibus sequitur. Unde per Psalmistam dicitur : *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum* (*Psal.* xxvi, 14). Lumbos vero accingere, est, vel in opere luxuriam, vel in cogitatione, laudis appetitum refrenare. Delectatio namque carnis in lumbis est. Unde et sanctis prædicatoribus dicitur : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes* (*Luc.* xii, 35). Per lumbos enim luxuria ; per lucernas autem, bonorum operum claritas designatur. Jubentur ergo lumbos accingere, et lucernas tenere. Ac si aperte audiant : Prius in vobismetipsis luxuriam restringite, et tunc de vobis aliis bonorum operum exempla monstrate. Sed cum beatum Job tanta præditum castitate noverimus, cur ei post tot flagella dicitur : *Accinge sicut vir lumbos tuos.* Ut qui prius luxuriam corruptionis vicerat, nunc luxuriam restringat elationis, ne de patientia vel castitate superbiens tanto pejus intus ante Dei oculos luxuriosus existeret, quanto magis ante oculos hominum et patiens et castus appareret. Unde et per Moysen dicitur : *Concidite præputia cordis vestri* (*Deut.* x, 16), id est postquam luxuriam a carne exstinxistis, etiam superflua cogitationum resecate.

(226) Viri nomine antiquus hostis designatur, sicut Jeremias, cum prædicationem suam cerneret audientium difficultate præpediri, maledicens dixit : *Maledictus vir qui annuntiavit patri meo dicens :*

(220) Ex l. vi in Job, c. vii.
(221) Ex l. iv in Job, c. xv.
(222) Ex l. xviii in Job, c. xlii.
(223) Ex l. xxii in Job, c. xiii.
(224) Ex l. xxvii in Job, c. ii.
(225) Ex l. xxviii in Job, c. iv.
(226) Ex l. iv in Job, c. ii, in princip. et med.

Digitized by Google

Natus est tibi puer masculus (*Jer.* xx, 15). Quid est quod a propheta maledictionis sententiam vir ille accepit, qui nativitatem illius patri nuntiavit ? Hoc nimirum tanto intrinsecus majori mysterio plenum est, quanto extrinsecus humana ratione vacuum. Nam si quid exterius rationabile fortasse sonuisset, nequaquam nos ad studium interioris intellectus accenderet. Eo ergo plenius nobis aliquid intus innuit, quo foris rationabile nil ostendit. Si enim ex matris suæ utero in mundo propheta affligendus prodiit, nativitatis ejus nuntius quid deliquit ? Quid ergo in prophetæ persona fluctuantis, nisi per pœnæ meritum veniens humani generis mutabilitas designatur ? Et quid per patrem **175** ipsius, nisi de quo nascimur, mundus exprimitur ? Et quis est ille vir, qui nativitatem nostram patri annuntiat, nisi antiquus hostis ? Qui cum in cogitatione nos fluctuare considerat, malorum mentes, qui ex auctoritate hujus mundi præeminent, ad persuasionem nostræ deceptionis instigat. Cumque nos agere infirma perspexerit, ea quasi fortia favoribus extollit, et quasi natos masculos loquitur, cum corruptores veri, per mendacium nos exstitisse gratulatur. Patri ergo masculum natum denuntiat, quando huic mundo, eum quem persuaserit, factum innocentiæ corruptorem demonstrat. Nam cum cuilibet peccanti, ac superbienti dicitur : Fecisti sicut vir : quid aliud quam natus masculus in mundo perhibetur ? Jure itaque vir, qui masculum natum nuntiat, maledicitur, quia ipso ejus nuntio reprobum gaudium nostri operis indicatur.

(227) Virorum nomine perfecti viri exprimuntur, sicut in Proverbiis Sapientia loquitur dicens : *O viri, ad vos clamito* (*Prov.* viii, 5). Ac si aperte diceret. Ego non feminis, sed viris loquor, ii qui fluxa mente sunt, mea verba percipere nequaquam possunt. Hinc iterum ad beatum Job ab Eliu dicitur : *Memento quod ignores opus ejus de quo cecinerunt viri* (*Job* xxxvi, 24). De Domino namque canunt viri, cum ejus nobis potentiam, vel superni spiritus, vel perfecti quique doctores innotescunt. Sed tamen opus ejus ignorant, quia nimirum judicia illius, ipsi etiam qui hunc prædicant, impenetrata venerantur. Et sciunt ergo quem prædicant, et tamen ejus opera ignorant, quia cognoscunt per gratiam eum a quo facti sunt : sed ejus judicia comprehendere nequeunt, quæ ab illo etiam super ipsos fiunt. Quod enim omnipotens Deus perspicue in sua actione non cernitur, Psalmista testatur dicens. *Qui posuit tenebras latibulum suum* (*Ps.* xvii, 12). Et rursum : *Judicia tua abyssus multa* (*Ps.* xxxv, 7). Atque iterum : *Abyssus sicut pallium amictus ejus* (*Ps.* ciii, 2). Unde bene etiam per Salomonem dicitur. *Sicut ignoras quæ sit via spiritus, et qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantium, sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium* (*Eccle.* xi, 5). Dicat ergo : *Memento quod ignores opus ejus* **176** *de quo cecinerunt viri.* Ac si aperte dicat : De quo fortes quique locuti sunt, ejus opera tuæ mentis oculis absconduntur, quia mensuram tuæ notitiæ, eo ipso quo humanitate circumscriberis transeunt.

(228) Virorum nomine ætates sex sæculi designantur, sicut per Ezechielem prophetam dicitur : *Ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respiciebat ad aquilonem : et uniuscujusque vas interitus in manu ejus* (*Ezech.* ix, 2). Quid enim aliud in sex viris venientibus nisi sex ætates humani generis designantur ? Qui de via portæ superioris veniunt, quia a conditione paradisi sicut ab ingressu mundi ac superioribus generationibus evolvuntur : Quæ porta, ad aquilonem respicit, quia videlicet mens humani generis vitiis aperta, nisi calorem charitatis desereus, torporem mentis appeteret : ad hanc mortalitatis latitudinem non exisset. Et uniuscujusque vas interitus in manu ejus, quia unaquæque generatio singulis quibusque ætatibus evoluta, ante Redemptoris adventum sua operatione habuit, unde pœnam damnationis sumpsit.

CAPUT III.

DE MULIERE.

In Scriptura sacra cum mulier singulariter ponitur, aliquando sapientia Dei, aliquando impietas designatur, aliquando etiam pro sexu ponitur, aliquando pro infirmitate ; cum vero pluraliter dicuntur mulieres, aliquando mentes carnalium, aliquando vitia designantur.

(229) Mulieris nomine sapientia Dei intelligitur, sicut in Evangelio dicitur : *Aut quæ mulier habens drachmas decem, etsi perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, et everrit domum* **177** *et quærit diligenter donec inveniat illam ?* (*Luc.* xv, 8.) Quid enim per mulierem, nisi ille Dei virtus et Dei sapientia Christus intelligitur ? Quid per drachmam nisi humana natura designatur ? Quia enim imago exprimitur in drachma, recte per drachmam homo qui ad similitudinem Dei factus fuerat intelligitur. Mulier autem drachmam perdidit, quando homo peccando a similitudine sui conditoris recessit. Sed accendit mulier lucernam, quia Dei sapientia apparuit in humanitate. Lucerna quippe lumen in testa est. Lumen vero in testa est divinitas in carne, de qua videlicet testa sui corporis dicit ipsa Sapientia : *Exaruit velut testa virtus mea* (*Psal.* xxi, 6). Quia enim testa in igne solidatur, ejus virtus sicut testa aruit, quia assumptam carnem ad resurrectionis gloriam, ex passionis tribulatione roboravit. Accensa autem lucerna everrit domum, quia mox ut ejus divinitas, per carnem claruit, omnis se nostra conscientia concussit. Domus namque everritur, cum consideratione reatus sui humana conscientia perturbatur. Eversa autem domo invenitur drachma, quia cum perturbatur

(227) Ex l. xxvii, in Job, c. ii.
(228) Ex l. xxii, in Job, c. xiii, ante finem.
(229) Ex hom. 34 in Evang.

Digitized by Google

conscientia hominis, reparatur in homine similitudo conditoris.

(230) Mulieris nomine impietas designatur, sicut in Zacharia scriptum est : *Leva oculos tuos, et vide. Quid est hoc quod egreditur ? Et dixi : Quidnam est ? Et dixit : Hæc est amphora egrediens, Et dixit : Hæc est oculus eorum in universa terra. Et ecce talentum plumbi portabatur. Et ecce mulier una sedens in medio amphoræ, et dixit : Hæc est impietas. Et projecit eam in medio amphoræ, et misit massam plumbi in os ejus* (*Zach.* v, 5-8). Volens Deus ostendere prophetæ humanum genus, ex qua ab eo maxime culpa delebatur per imaginem amphoræ *quasi* patens os avaritiæ designavit. Avaritia quippe velut amphora est, quæ os cordis in ambitu apertum tenet : Multos autem obtusi sensus homines esse cernimus : et tamen eos in malis actibus astutos videmus, propheta testante qui ait : *Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt* (*Jer.* iv, 22). Hi itaque sensu torpent, sed in iis quæ appetunt, avaritiæ stimulis excitantur. Et qui ad bona videnda cæci sunt, excitantibus præmiis, ad peragenda **178** mala vigilantes fiunt : Unde recte de hac eadem avaritia dicitur : *Hæc est eorum oculus in universa terra. Et ecce talentum plumbi portabatur.* Quid est talentum plumbi, nisi ex eadem avaritia pondus peccati ? *Et ecce mulier una sedens in medio amphoræ.* Quam mulierem ne fortasse quæ esset dubitare possemus illico angelus innotuit dicens : *Hæc est impietas.* Et projecit eam in medio amphoræ. Impietas in medio amphoræ projicitur, quia nimirum in avaritia semper impietas tenetur. *Et misit massam plumbi in os ejus.* Massa plumbi in os mulieris mittitur, quia scilicet impietas avaritiæ, peccati sui pondere gravatur. Si enim ad ea quæ deorsum sunt non ambiret, erga Deum ac proximum, impia nequaquam existeret.

Mulier pro sexu ponitur, sicut scriptum est : *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege* (*Gal.* iv, 4).

Mulier pro infirmitate ponitur, sicut per quemdam sapientem dicitur : *Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier* ? (*Eccli.* xlii, 6.) Vir etenim, fortis quilibet et discretus vocatur. Mulier vero, mens infirma vel indiscreta accipitur. Et sæpe contingit, ut etiam discretus quilibet subito labatur in culpa, atque indiscretus alius et infirmus bonam exhibeat operationem. Sed is qui indiscretus et infirmus est, nonnunquam de eo quod bene egerit, amplius elevatur, atque gravius in culpam cadit. Discretus vero quilibet etiam ex eo quod male se egisse intelligit, ad districtionis regulam, arctius se reducit, et inde altius ad justitiam proficit, unde ad tempus a justitia cecidisse videbatur. Qua in re recte dicitur : *Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier*, quia nonnunquam etiam culpa fortium occasio virtutis sit, et virtus infirmorum occasio peccati.

Mulieres dicuntur mentes carnalium. Unde beatus Job male suadenti conjugi respondit dicens : *Quasi una ex stultis mulieribus locuta es* (*Job* ii, 10). Quid enim in mulieribus nisi carnales intelligimus ? Quia enim electis dicitur : *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum* (*Psal.* xxx, 25), **179** mentes carnalium, quæ fluxa Deo intentione deserviunt, non immerito mulieres vocantur.

Mulierum nomine nonnunquam vitia designantur. Unde Zacharias propheta, de avaritia sub applicatione amphoræ loquens, adjecit : *Et levavi oculos meos, et vidi : et ecce duæ mulieres egredientes, et spiritus in alis earum. Et habebant alas quasi alas milvi, et levaverunt eam inter terram et cœlum* (*Zach.* v, 9). Quid enim aliud in his duabus mulieribus accipimus, nisi duo principalia vitia, superbiam videlicet et inanem gloriam, quæ impietati absque ulla dubitatione conjuncta sunt ? *Et levaverunt eam inter terram et cœlum* (231). Superbia quippe et vana gloria habent hoc proprium, ut eum quem infecerint, in cogitatione sua super cæteros homines extollant. Et modo per ambitum rerum, et modo per desiderium dignitatum quem semel captum tenuerunt, quasi in honoris altitudinem elevent. Qui autem inter cœlum et terram est, ima deserit, et superiora minime pertingit. Levant ergo istæ mulieres amphoram inter cœlum et terram, quia superbia et inanis gloria mentem per avaritiam honoris captam ita levant, ut quoslibet proximos despicientes, quasi ima deserant et alta gloriantes petant. Sed tales quique dum superbiunt, et eos mente transeunt cum quibus sunt, et superioribus civibus minime junguntur. Bene ergo amphora levata, inter cœlum et terram dicitur, quia avari quique per superbiam, atque inanem gloriam et proximos intra se despiciunt, et superiora, quæ ultra ipsos sunt, nullatenus apprehendunt. Inter terram itaque et cœlum feruntur, quia nec æqualitatem fraternitatis in infimis per charitatem tenent, nec ad summa pertingere sese extollendo prævalent.

180 CAPUT IV.

DE UXORE.

In Scriptura sacra uxoris nomine aliquando bona operatio, aliquando carnalis cogitatio designatur.

Uxoris nomine bona operatio intelligitur, sicut per Moysem dicitur : *Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi, in septimo egredietur liber gratis. Cum quali veste intraverit, cum tali exeat. Si habens uxorem, et uxor egrediatur simul* (*Exod.* xxi, 2, 3). Require in capitulo De senario numero.

Uxoris nomine carnalis cogitatio designatur, sicut in libro beati Job legitur : *Dixit autem illi uxor sua : Adhuc tu permanes in simplicitate tua. Benedic Domino et morere* (*Job.* ii, 9). Sciendum est quia in prosperis

(230) Ex l. xiv, in Job, c. xxvi.

(231) Ex l. xiv in Job, c. xxvi.

Digitized by Google

plerumque importuna tentatione mens tangitur, et tamen aliquando adversa exterius patimur, et intus tentationis impulsu fatigamur, ut et carnem flagella crucient; et tamen mentem carnalis suggestio inundet. Unde post tot beati Job vulnera, adhuc subjuncta sunt male suadentis uxoris verba. Uxor quippe male suadens est, carnalis cogitatio mentem lacessens. Sæpe etenim ut diximus, et foris flagellis atterrimur, et intus carnali suggestione fatigamur. Hinc est enim quod Jeremias deplorat, dicens : *Foris interficit gladius, et domi mors similis est* (*Thren.* I, 20). Foris enim interficit gladius, cum nos exterius feriens vindicta configit. Sed domi mors similis est, quia et flagella quidem sustinet, et tamen intus conscientia, a tentationis sordibus munda non est, hinc David ait : *Fiant tanquam pulvis ante faciem venti, et angelus Domini coarctans eos* (*Psal.* XXXIV, 5). Qui enim in corde suo aura tentationis rapitur, quasi ante faciem venti pulvis elevatur. Et cum inter hæc divina districtio percutit, quid aliud quam angelus **181** Domini affligit? Sed hæc aliter aguntur in reprobis, aliter in electis. Illorum namque corda ita tentantur, ut consentiant; istorum vero tentationes quidem suscipiunt, sed repugnant. Illorum mentes delectabiliter capiuntur, et si ad tempus quod malè suggeritur, displicet; sed postmodum per deliberationem libet. Isti vero sic tentationum jacula excipiunt, ut semper resistendo fatigentur : et si quando usque ad delectationem tentata mens rapitur, ipsam tamen citius subreptionem suæ delectationis erubescunt, et forti censura redarguunt quidquid intra se exsurgere carnale deprehendunt. Unde et bene mox subditur : *Quasi una ex stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?* (*Job.* II, 10.) Dignum quippe est ut sancta mens spirituali correptione comprimat quidquid apud se carnale insolenter immurmurat, ne caro aut loquens aspera ad impatientiam pertrahat, aut loquens blanda ad libidinis fluxa dissolvat. Censura igitur virilis, illicitæ cogitationis suggestionem redarguens, dissolutam deprimat turpitudinis mollitiem dicens : *Quasi una ex stultis mulieribus locuta es.* Et rursum consideratio munerum, cogitationis asperæ impatientiam refrænet dicens : *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?*

A Psalmista attestante, qui ait : *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo* (*Psal.* XVIII, 6). Quæ recte vidua nuncupatur, quia ejus vir pro ea mortem pertulit, et nunc in cœli penetralibus ab ejus oculis occultus quasi in parte alterius regionis vivit. Iniquus ergo sterilem pascit, et viduæ benefacere negligit, quia carnis desideriis serviens curam animæ vitamque contemnit. Tota namque intentione omnique studio cogitat quomodo sine ullis necessitatibus caro moritura subsistat, et curare animæ vitam negligit, quæ vel in morte, vel in beatitudine procul dubio in perpetuum vivit. Recte autem cum diceretur : *Pavit sterilem*, protinus adjungitur : *Et quæ non parit.* Quasdam namque ex sacra historia feminas novimus steriles exstitisse, sed tamen in B tempore extremo peperisse. Caro autem non solum sterilis, sed etiam quæ non parit dicitur, quia sub sensu bonas cogitationes gignere, nec in ultimis valet. A vigore enim jam proprio deficit, et tamen adhuc transitoria concupiscere non desistit. Jamque a pristino robore lassata, pene ab ipso quem diligit mundo repellitur, et tamen adhuc adnisu improbo obtinere temporalia conatur. Agere jam perversa non sufficit, sed tamen cogitare vel quæ non agit, nequaquam desistit. Recte ergo non solum sterilis, sed etiam non pariens dicitur, quia, suo sensu, ut diximus, ad bonæ cogitationis prolem, nec cum infirmata fuerit, fetatur.

Viduæ nomine sancta Ecclesia designatur. Unde C et hoc ipsum de hæreticis intelligi potest. Unusquisque enim prædicator erroris, dum plebem extra unitatem Ecclesiæ positam docet, profecto sterilem, et eam quæ parere non valet pascit, quia et ei usum sui laboris impendit, quæ spirituales fructus nequaquam reddit. Bene autem viduæ non facit, quia videlicet sanctæ universali Ecclesiæ, cujus vir adversa mortis pertulit, vivere ac deservire contemnit. Viduæ enim benefacere est in ejus quæ mortui viri sui **183** amore conteritur, consolatione laborare. Unde et Psalmistæ voce hæc eadem vidua, videlicet sancta Ecclesia queritur, dicens : *Consolantem me quæsivi et non inveni* (*Nahum.* III, 7). Tunc solum quippe consolantem invenit, cum ex ea morte quam vir ejus pertulit, multos intra semetipsam surgere ad D vitam cernit.

Viduarum nomine plebes hæretica pravitate intelligimus : sicut item per beatum Job de hæretico dicitur : *Et viduæ illius non plorabunt* (*Job.* XXVII, 15). Quas enim hæretici viduas accepimus, nisi subjectas plebes, morte illius feliciter destitutas? Sæpe namque dum prædicator erroris, ad æterna supplicia rapitur; subjectæ plebes illius, ad cognitionis veræ gratiam revertuntur. His enim plebibus perversus prædicator quasi maritus præfuit, quia male ejus conjunctus inhæserat corruptor mentis. Nequaquam ergo viduæ vel destitutæ plorant, quia morte pravi doctoris viam veritatis inveniunt, ex cujus interitu affligi posse videbantur. Vel certe non plorant viduæ, quia in suo errore remanentes dum

CAPUT V.

DE VIDUA.

In Scriptura sacra viduæ nomine aliquando anima, aliquando sancta Ecclesia, aliquando plebs hæretica pravitate infecta intelligitur.

Viduæ nomine anima intelligitur, sicut de iniquo quolibet per beatum Job dicitur : *Pavit sterilem, et quæ non parit; et viduæ bene non fecit* (*Job.* XXIV, 21). Quæ enim hoc loco sterilis, nisi caro nuncupatur? Quæ dum **182** sola præsentia appetit, bona gignere cogitationis nescit. Quæ autem vidua nuncupatur, nisi anima? Quam quia sibi conditor conjungere voluit, ad thalamum uteri virginalis venit,

Digitized by Google

sanctum fuisse æstimant prædicatorem suum, spe falsa, ne lugeant consolantur.

CAPUT VI.

DE INFANTE.

Infantis nomine Dominus intelligitur, sicut per prophetam dicitur : *Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis* (*Isa.* xi, 8). Require in capitulo De regulo, l. iii, c. 29.

Infantis nomine, quilibet regeneratus, vel noviter conversus designatur : sicut quibusdam conversis per Petrum dicitur : *Sicut modo geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem* (*1 Petr.* ii, 2).

184 CAPUT VII.

DE PUERIS.

In Scriptura sacra puerorum nomine aliquando hi qui cœlestibus mandatis inserviunt, aliquando teneritudo adhuc inchoantium, aliquando innocentes quique, sed adhuc infirmi, aliquando circumspectiones mentis designantur.

Puerorum nomine hi qui cœlestibus mandatis inserviunt designantur, sicut per beatum Job dicitur ex persona Ecclesiæ in afflictione positæ : *Quando erat Omnipotens mecum, et in circuitu meo pueri mei* (*Job.* xxix, 5). Pueri scilicet vocantur, qui cœlestibus mandatis inserviunt. Unde per prophetam Dominus dicit : *Ecce ego et pueri mei quos mihi dedit Deus* (*Isa.* viii, 18). Et rursum in Evangelio Dominus dicit : *Pueri, numquid pulmentarium habetis?* (*Joan.*, xxi, 5.) Nunc ergo in circuitu Ecclesiæ sunt pueri, quia in cunctis fere gentibus reperiuntur, qui cœlestia mandata custodiunt, et spiritualis doctrinæ regulis obsequuntur. Qui profecto tunc ad obsequium pueri deerunt, quando pravi, qui reperti fuerint, spiritualia ejus mandata contemnunt.

Puerorum nomine teneritudo adhuc inchoantium designatur, sicut ad beatum Job per nuntium dicitur : *Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos, et irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, et pueros percusserunt gladio, et evasi ego solus, ut nuntiarem tibi* (*Job.* i, 14, 15). Quid enim aliud per figuram boves quam bene operantes? quid aliud per asinas quam quosdam simpliciter viventes accipimus? Quæ bene juxta boves pasci referuntur, quia mentes simplicium etiam cum alta capere non possunt, eo magna vicinæ sunt, quo et fraterna **185** bona sua per charitatem credunt : Cumque invidere alienis sensibus nesciunt, quasi in pastu se minime dividunt. Simul ergo asinæ cum bobus reficiuntur, quia prudentibus conjuncti tardiores eorum intelligentia pascuntur. Sabæi autem *captivantes* interpretantur. Et qui alii captivantium nomine, nisi immundi spiritus designantur, qui cunctos quos sibi subjiciunt in infidelitatem captivos ducunt? Qui et pueros gladio feriunt, quia eos tentationis suæ jaculis graviter vulnerant, quos necdum juvenilis constantia liberos servat. Qui bene quidem bona incipiunt, sed in ipsa adhuc inchoationis suæ teneritudine, captivitantibus immundis spiritibus substernuntur. Hos gladio hostis percutit, quia æternitatis desperatione transfigit. Quid est autem quod nuntius venit, qui diceret : *Evasi ego solus?* (232) Quis est iste nuntius, qui aliis pereuntibus solus evadit, nisi propheticus sermo, qui dum fiunt mala omnia quæ prædixit, quasi sanus ad Dominum solus rediit? Dum enim vera dixisse de perditorum casu cognoscitur, quasi inter mortuos vixisse monstratur. Hinc est quod ad Rebeccam in Isaac conjugio deducendam puer mittitur, quia videlicet ad desponsandam Ecclesiam Domino interposita prophetia famulatur. Sabæis ergo irruentibus, solus puer, qui nuntiaret evadit, quia malignis spiritibus infirmorum mentes in captivitatem ducentibus, sententia prophetiæ convaluit, quæ eamdem captivitatem prænuntians dicit : *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam* (*Isa.* v, 13). Prophetia ergo quasi salvatur, dum captivitas quam prædixit ostenditur.

Puerorum nomine innocentes quique, sed adhuc infirmi designantur, sicut item ad beatum Job dicitur : *Ignis Dei descendit de cœlo, et tactas oves, puerosque consumpsit; et effugi ego solus ut nuntiarem tibi* (*Job.* i, 16). Require in capitulo De igne, lib. ii, cap. 1).

Puerorum nomine, circumspectiones mentis designantur. Unde et hoc ipsum moraliter intelligi potest. Quid enim per oves, nisi cogitationum innocentia? **186** quid per pueros, nisi bonorum cordium munditia designatur? Cœlum vero aerem dici, paulo ante docuimus. Unde et aves cœli nominamus. Et scimus quod immundi spiritus, qui de cœlo æthereo lapsi sunt, in hujus cœli terræque medio vagantur. Qui tanto magis corda hominum ascendere ad cœlestia invident, quanto se a cœlestibus per elationis suæ immunditiam projectos vident. Quia ergo ab aeris potestatibus contra cogitationum nostrarum munditiam flamma livoris irruit, de cœlo ignis ad oves venit. Sæpe enim mundas cogitationes mentis nostræ, ardore libidinis accendunt, et quasi oves concremant, dum castos motus animi, luxuriæ tentatione perturbant. Qui ignis Dei dicitur, quia etsi non faciente, tamen permittente Deo generatur. Et quia impulsu subito ipsas nonnunquam circumspectiones mentis obruunt, quasi custodes pueros gladio occidunt. Sed tamen unus incolumis fugit, dum omne quod mens patitur, perseverans discretio subtiliter respicit; solaque mortem gladii evadit, quia etiam perturbatis cogitationibus discretio non succumbit, ut damna sua animo renuntiet, et quasi Dominum ad lamentum vocet.

CAPUT VIII.

DE REGE.

In Scriptura sacra regis nomine cum singulariter ponitur, aliquando Deus pater, aliquando Redemptor

(232) Ex c. xviii, l. super.

Digitized by Google

noster Christus, aliquando antiquus hostis designatur; cum pluraliter reges ponuntur, aliquando angelici spiritus, aliquando sancti apostoli, vel quilibet sancti prædicatores, aliquando sancti viri intelliguntur.

187 Regis nomine Deus Pater intelligitur sicut in Evangelio dicitur : *Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo* (*Matth.* XXII, 2). Require in capitulo De homine.

Regis nomine mediator Dei et hominum homo Christus Jesus designatur, sicut per Psalmistam Deo Patri de Filio dicitur : *Deus judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis* (*Psal.* LXXI, 1). Hinc per beatum Job ex persona ejusdem Redemptoris nostri dicitur : *Cumque sederem quasi rex, circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator* (*Job* XXIX, 25). Quasi enim rex Dominus sedet in corde, quia circumstrepentes regit animorum motus in nostra cogitatione. In mente namque quam inhabitat, dum torpentia excitat, inquieta frenat, frigida accendit, accensa moderat, emollit rigida, fluxa restringit : ex ipsa hac diversitate cogitationum, quasi quidam illum exercitus circumstat. Sive certe *quasi rex sedet circumstante exercitu*, quia præsidentem illum mentibus electorum circumstat turba virtutum. Qui etiam mœrentium consolator est ea promissione, qua dicit : *Beati qui lugent nunc, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V, 5). Et rursum : *Videbo vos, et gaudebit cor vestrum; et gaudium vestrum nemo tollet a vobis* (*Joan.* XVI, 22).

Regis nomine antiquus hostis designatur, sicut de ipso sub Leviathan nomine ad beatum Job voce Domini dicitur : *Omne sublime videt, et ipse rex est super omnes filios superbiæ* (*Job* XLI, 25). Omne enim sublime videt, id est cunctos infra se positos quasi de sublimi respicit, et quia dum per intentionem contra auctores nititur, æstimare sibi quemlibet similem dedignatur. Et notandum quod malignus spiritus, qui per corpoream bestiam designatur, sublime videre describitur, quia videlicet cordis superbia, cum exterius usque ad corpus extenditur, prius per oculos indicatur. Ipsi quippe per fastum tumoris inflati, quasi ex sublimi respiciunt, et quo se deprimunt, altius extollunt. Nisi enim superbia per oculos quasi per quasdam fenestras **188** se ostenderet, nequaquam Psalmista Deo dixisset : *Populum humilem salvum facies, et oculos superborum humiliabis* (*Psal.* XVII, 28). Nisi se superbia per oculos funderet, Salomon quoque de Judeæ elatione non diceret : *Generatio, cujus excelsi sunt oculi, et palpebræ ejus in alta subrectæ* (*Prov.* XXX, 13). Quia ergo per corporeum animal antiquus hostis signatur, et superbia usque ad corpus prodiens, apertius oculis principatur, quasi de sublimi omnes videre describitur. Sequitur : *Et ipse est rex super omnes filios superbiæ.* Ut antiquus hostis in tanta mala caderet, sola se superbia perculit. Neque enim per tot vitiorum ramos aresceret, nisi per hanc prius in radice putruisset. Scriptum namque est : *Initium omnis peccati superbia* (*Eccli.* X, 14). Per hanc enim ipse succubuit, per hanc sequentem hominem stravit. Eo etenim telo salutem nostræ immortalitatis impetiit, quo vitam suæ beatitudinis exstinxit. Sed idcirco hanc fini suæ locutionis Dominus inseruit, ut cum post omnia mala antiqui hostis superbiam diceret, quid esset malis omnibus deterius indicaret. Quamvis etiam per hoc quod omnino postponitur, vitiorum radix esse monstratur, sicut enim inferius radix tegitur, sed ab illa rami extrinsecus expanduntur, ita superbia intrinsecus celat, sed ab illa protinus aperta vitia pullulant. Nulla quippe mala ad publicum prodirent, nisi hæc mentem in occulto constringeret : hæc est, quæ antiqui hostis sensum, sicut ollam fervescere facit. Unde et humanas mentes quodam fervore insaniæ concutit, sed per aperta opera, qualiter concussi animum evertat, ostendit. Intus namque prius ebullit in elatione quod postmodum foris spumat in opere.

Regum nomine angelici spiritus designantur, sicut per beatum Job dicitur : *Nunc enim dormiens silerem, et somno meo requiescerem cum regibus, et consulibus terræ* (*Job* III, 13). (233) Ad hoc in paradiso homo positus fuerat, ut si se ad conditoris sui obedientiam vinculis charitatis constringeret, ad cœlestem angelorum patriam, quandoque sine carnis morte transiret. Sic namque immortalis est conditus, ut tamen si peccaret, mori posset; et sic mortalis est conditus, ut si non peccaret, **189** etiam non mori posset; atque ex merito liberi arbitrii, beatitudinem illius regionis attingeret, in qua vel peccare, vel mori non posset. Ubi igitur post redemptionis tempus, carnis morte interposita, electi transeunt, illuc procul dubio parentes primi, si in conditionis suæ statu perstitissent, etiam sine morte corporum transferri potuissent. Dormiens ergo simul et somno suo homo requiesceret, dum ad æternæ patriæ requiem ductus quasi secessum quemdam a clamore hoc infirmitatis humanæ inveniret. Post peccatum namque quasi clamans vigilat, qui contentionem carnis propriæ repugnans portat. Hoc quietis silentium jam homo conditus habuit, cum contra hostem suum, liberum voluntatis arbitrium accepit. Cui quia sponte sua succubuit, mox de se quod contra se perstreperet, invenit; mox in certamine, infirmitatis tumultus reperit, et quamvis in pacis silentio ab auctore fuerat conditus, hosti tamen sponte substratus clamores de pugna toleravit. Ipsa enim carnis suggestio quasi quidam clamor est contra quietem mentis : quam ante transgressionem homo non sensit, quia nimirum, quod de infirmitate posset tolerare, non habuit. Postquam vero se sponte hosti subdidit, astrictus culpæ suæ vinculis, in quibusdam etiam ei nolens

(233) Ex l. IV in Job, c. XXV.

Digitized by Google

servit, et clamores in mente patitur, cum caro spiritui reluctatur. An non clamores intrinsecus audiebat, qui pravæ contra se legis verba tolerabat dicens : *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis* (*Rom.* VII). Contempletur ergo sanctus in quanta cordis pace requiesceret, si serpentis verba suscipere homo noluisset, et dicat : *Nunc enim dormiens siterem, et somno meo requiescerem*, id est intra secretum mentis ad conditoris contemplationem secederem, nisi me extra me tentationum tumultibus, consensus primæ culpæ prodidisset. Hujus autem quietis gaudiis, cum quibus etiam sociis perfrueretur adjungit dicens : *Cum regibus et consulibus terræ* (234). Rebus insensibilibus discimus, quid de sensibilibus et intelligibilibus sentiamus. Terra namque aere fecundatur, aer autem ex cœli qualitate disponitur. Sic jumentis **190** homines, hominibus angeli, archangeli vero angelis præsunt. Nam quod jumentis homines præsint, et usu cernimus, et Psalmistæ verbis docemur, qui ait : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora campi* (*Psal.* VIII, 8). Quod vero angeli hominibus præsint, per prophetam testatur angelus dicens : *Princeps regni Persarum restitit mihi* (*Dan.* X, 13). Quod vero angeli a superiorum angelorum potestatibus dispensantur, Zacharias propheta perhibet, qui ait : *Ecce angelus qui loquebatur in me, egrediebatur ; et angelus alius egrediebatur in occursum ejus, et dixit ad eum : Curre et loquere ad puerum istum, dicens : Absque muro habitabitur Jerusalem* (*Zach.* II, 3). Si enim in ipsis officiis sanctorum spirituum nequaquam potestates summæ minimas disponerent, nullo modo hoc, quod homini diceret, angelus ab angelo cognovisset. Quia igitur cunctorum conditor, omnia per semetipsum tenet, et tamen ad distinguendum pulchræ universitatis ordinem, alia aliis dispensantibus regit, non immerito reges, angelorum spiritus accipimus, qui quo auctori omnium familiarius serviunt, eo subjecta potentius regunt. Cum regibus ergo dormiret, quia nimirum cum angelis homo quiesceret, si persuasoris linguam sequi noluisset. Qui bene etiam consules vocantur, quia spirituali reipublicæ consulunt, dum nos sibi ad regnum socios jungunt. Bene consules vocantur, quia dum ipsis nuntiantibus voluntatem conditoris agnoscimus, in eis procul dubio consultum ab hac angustia nostræ tribulationis invenimus.

Regum quoque nomine, possunt non inconvenienter sancti apostoli, et quilibet sancti prædicatores in his verbis intelligi. Quia enim beatus Job sancto æternitatis spiritu impletur; et fuisse, vel futurum esse æternitas non habet, cui nimirum nec præterita transeunt, nec futura veniunt, quia cuncta per præsens videt, potest futuros prædicatores Ecclesiæ, in præsentia spiritus contemplari, qui postquam de corporibus exeunt, nequaquam per morarum spatia, sicut antiqui Patres, a cœlestis patriæ perceptione differuntur. Mox quippe ut a carnis colligatione transeunt, **191** in cœlesti sede requiescunt, Paulo attestante, qui ait : *Scimus quoniam si terrestris nostra domus hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis* (*II Cor.* V, 1). Prius autem quam Redemptor noster morte sua humani generis pœnam solveret, eos etiam qui cœlestis patriæ viam secuti sunt, post egressum carnis inferni claustra tenuerunt, non ut pœna quasi peccatores plecteret, sed ut eos in locis remotioribus quiescentes, quia nondum intercessio Mediatoris advenerat, ab ingressu regni, reatus primæ culpæ prohiberet.

Unde juxta ejusdem Redemptoris nostri testimonium dives qui apud inferos torquetur, in sinu Abrahæ Lazarum requiescere contemplatur (*Luc.* XVI, 23). Qui profecto si adhuc in imis non essent, hos ille in tormentis positus non videret. Unde et idem Redemptor noster pro culpæ nostræ debito occumbens, inferna penetrat, ut suos, qui ei inhæserant, ad cœlestia reducat. Sed quo nunc homo redemptus ascendit, illuc profecto si peccare noluisset, etiam sine redemptione pertingeret. Consideret ergo vir sanctus quia, si non peccasset, illuc etiam non redemptus ascenderet ad quod prædicatores sanctos post redemptionem necesse est cum magno labore pervenire, et cum quibus jam nunc quiesceret, insinuet dicens : *Cum regibus et consulibus terræ.* Reges quippe sunt sancti prædicatores Ecclesiæ, qui et commissos sibi recte disponere, et sua bene regere corpora sciunt, quia, dum desideriorum motus in se temperant, super subjectis cogitationibus lege virtutis regnant. Qui bene etiam terræ consules vocantur. Reges enim sunt, quia sibimetipsis præsident : terræ autem consules sunt, quia exstinctis peccatoribus, vitæ consultum præbent ; reges sunt, quia semetipsos regere sciunt ; terræ sunt consules quia terrenas mentes per exhortationis suæ consilium ad cœlestia pertrahunt. An terræ consul non erat qui dicebat : *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do* (*I Cor.* VII, 25). Et rursum : *Beatior erit, si sic permanserit secundum meum consilium* (*ibid.*, 40).

Regum nomine quilibet sancti viri designantur, sicut in libro beati Job per Eliu de Domino dicitur : **192** *Non aufert a justo oculos suos, et reges in solio collocat in perpetuum, et illic eriguntur.* (*Job* XXXVI, 7). Abstulisse enim a justis oculos suos fortasse Dominus creditur, quia injustorum crudelitatibus hic sine vindicta lacerantur. Sed famulos suos tunc magister respicit, cum injuste eos nequitia persequentis affligit. Videns enim quid hic humiliter tolerent, nimirum jam prævidet quid illic

(234) Ex c. XXVI, l. sup.

Digitized by Google

eis misericorditer recompenset. Non ergo aufert a justo oculos suos. Ecce iste humiliter ingemiscit, ille superbit et nequiter floret. Iste cor conterit, ille se de gloria iniquitatis extollit. Horum ergo quis divinis obtutibus longe est, qui injustitiam pertulit, an qui eam patienti irrogavit ? qui supernam gratiam inter mœroris tenebras tenuit, an qui inter exteriora gaudia lumen justitiæ intus amisit ? Bene autem sancti viri Scripturæ sacræ testimonio reges vocantur, quia prælati cunctis motibus carnis, modo luxuriæ appetitum frenant, modo æstum avaritiæ temperant, modo gloriam elationis inclinant, modo suggestiones livoris obruunt, modo ignem furoris exstingunt. Reges ergo sunt, quia tentationum suarum motibus, non consentiendo succumbere, sed regendo præesse noverunt. Quia igitur ab hac potestate regiminis, ad potestatem transeunt retributionis, dicatur recte : *Reges in solio collocat in perpetuum.* Semetipsos enim regendo, ad tempus fatigati sunt, sed in regni erectionis æternæ solio in perpetuum collocantur. Et eo illic accipiant alios digne judicare, quo hic nesciunt sibimetipsis nequiter parcere. Hinc enim alias dicitur : *Donec justitia convertatur in judicium* (*Psal.* xcxiii). Paulus namque de se suisque consortibus dicit : *Ut nos efficeremur justitia Dei in ipso* (*II Cor.* v, 21). Justitia ergo in judicium convertitur : quia hi qui nunc juste, atque irreprehensibiliter vivunt, tunc judicandi potentiam nanciscuntur. Hinc Laodiceæ Ecclesiæ Dominus dicit : *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus* (*Apoc.* iii, 21). Dicatur ergo : *Reges in solio collocat in perpetuum.* Apte autem, in perpetuum subdit, aperte quid dicat, insinuat. Si enim de terreni regni solio diceret, nullatenus *in perpetuum* subdidisset, quia quique illud arripiunt, profecto non in eo in perpetuum, sed temporaliter collocantur.

193 CAPUT IX.

DE CONSULIBUS.

Consulum nomine angelici spiritus, vel sancti prædicatores designantur, sicut per beatum Job dicitur : *Nunc enim dormiens silerem*, etc. (*Job* iii, 13.) Require supra in capite De regibus.

CAPUT X.

DE DUCIBUS.

In Scriptura sacra ducum nomine aliquando errorum auctores, alias principalia vitia designantur.

Ducum nomine errorum auctores designantur, sicut per beatum Job ex persona Ecclesiæ dicitur : *Vocem suam cohibebant duces, et lingua eorum gutturi suo adhærebat* (*Job* xxix, 10). Qui enim hoc loco alii duces intelligi possunt, nisi hæretici pravitatis auctores ? Sed in tempore pacis Ecclesiæ vocem suam cohibent duces, quia nimirum hi qui post se errantes populos trahere ad se conantur, ne loqui nunc perversa audeant et auctoritatum frenantur pondere et virtute rationis. Quorum lingua suo gutturi adhæret, quia etsi perversa loqui libera voce non audent, intus tamen apud se contegunt cuncta quæ contra veram fidem proponere falsa moliuntur.

Ducum nomine principalia vitia designantur, sicut voce Dominica ad beatum Job de sancto viro sub equi appellatione dicitur : *Procul odoratur bellum, exhortationem ducum, et ululatum exercitus* (*Job* xxxix, 25). Bellum namque procul odorari est ex causis præcedentibus **194** quæ vitiorum pugnæ subsequantur agnoscere. Quia enim odore res non visa cognoscitur, bellum quoque procul odorari est, sicut flatu narium, sic provisu cogitationum nequitias latentes indagare. De quo odoratu Dominus recte in Ecclesiæ suæ laudibus dicit : *Nasus tuus sicut turris quæ est in Libano* (*Cant.* vii, 4). Per nasum quippe odores fetoresque discernimus. Et quid per nasum nisi provida sanctorum discretio designatur ? Turris vero speculationis in altum ponitur ut hostis veniens longe videatur. Recte ergo nasus Ecclesiæ turri in Libano similis dicitur, quia sanctorum provida discussio, dum sollicite circumquaque conspicit in altum posita, prius quam veniat culpa, deprehendit : Eamque quo vigilanter prænotat, eo fortiter declinat. Hinc Habacuc ait : *Super custodiam meam stabo* (*Habac.* ii, 1). Hinc uniuscujusque electi animam admonet dicens : *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines* (*Jer.* xxxi, 21). Speculam quippe sibi statuere est ventura vitiorum certamina ex alta consideratione prænoscere. Sibique electi mens amaritudines ponit, quando et virtutum pace constituta, dum mala insidiantia conspicit, secura quiescere non consentit. Primo autem ne mala quælibet, secundo vero loco considerat ne bona incaute faciat. Et postquam prava subegerit, ipsa etiam sibi subjicere recta contendit, ne si meutis dominium transeat, in elationis culpam vertantur. Quia enim plerumque ex bonis per incuriæ vitium mala nascuntur, vigilanti studio contemplatur, quomodo ex doctrina arrogantia, ex justitia crudelitas, ex pietate remissio, ex zelo ira, ex mansuetudine torpor oriatur. Cumque bona hæc agit, quod hi contra se hostes, per hæc exsurgere valeant, conspicit. Nam cum adipiscendis doctrinæ studiis elaborat, mentem sollicite contra certamen arrogantiæ præparat. Cum culpas delinquentium juste ulcisci desiderat, sagacissime evitat, ne modum justitiæ crudelitas vindictæ transcendat. Cum pietate servare se nititur, solerter prospicit, ne qua disciplinæ dissolutione vincatur. Cum se recti zeli stimulis excitat, summopere prævidet ne plusquam necesse est, iræ se flamma succendat. Cum magna mansuetudinis tranquillitate se temperat, vigilanter observat ne torpore frigescat.

195 Quia ergo spiritualis militis cogitatione omne vitium, priusquam subrepere possit, aspicitur, recte de equo Dei dicitur : *Procul odoratur bellum.* Perpendit etiam quæ turba iniquitatum proruat, si multa ad se ingredi, vel pauca permittat. Unde sequitur : *Exhortationem ducum et ululatum exercitus.* Tentantia quippe vitia, quæ invisibili contra nos

Digitized by Google

prælio regnanti super se superbiæ militant, alia more ducum præeunt, alia more exercitus subsequuntur. Neque enim culpæ omnes pari accessu cor occupant. Sed dum majores et paucæ neglectam mentem prævenjunt, minores et innumeræ ad illam se catervatim fundunt. Ipsa namque vitiorum regina superbia, cum devictum plene cor ceperit, mox illud septem principalibus vitiis, quasi quibusdam suis ducibus devastandum tradit. Quos videlicet duces exercitus sequitur, quia ex eis procul dubio importunæ vitiorum multitudines oriuntur. Quod melius ostendimus, si ipsos duces, atque exercitum specialiter, ut possumus, enumerando proferamus. Radix quippe cuncti mali est superbia. De qua Scriptura testante dicitur : *Initium omnis peccati est superbia* (*Eccli.* x, 14). Primæ autem ejus soboles septem nimirum principalia vitia de hac virulenta radice proferuntur, scilicet inanis gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvies, luxuria. Nam quia his septem superbiæ vitiis, nos captos doluit, idcirco Redemptor noster ad spirituale liberationis prælium, Spiritu septiformis gratiæ plenus venit. Sed habent contra nos, hæc singula exercitum suum.

De inani namque gloria, inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinaciæ, discordiæ, et novitatum præsumptiones oriuntur.

De invidia, odium, susurratio, detractio, exsultatio in adversis proximi, afflictio autem in prosperis nascitur.

De ira, rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemiæ proferuntur.

De tristitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis erga illicita nascitur.

De avaritia, proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, **196** violentiæ, et contra misericordiam obdurationes cordis oriuntur.

De ventris ingluvie, inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagatur.

De luxuria, cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror autem vel desperatio futuri generatur.

Quia ergo septem principalia vitia tantam de se vitiorum multitudinem proferunt : cum ad cor veniunt quasi subsequentis exercitus catervas trahunt.

Ex quibus videlicet septem quinque spiritalia, duoque carnalia sunt. Sed unum quodque eorum tanta sibi cognatione jungitur, ut non nisi unum de altero proferatur.

Prima namque superbiæ soboles inanis est gloria, quæ dum oppressam mentem corrumpit, mox invidiam gignit. Quia nimirum dum vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc alius adipisci valeat, tabescit. Invidia quoque iram generat, quia quanto interno livoris vulnere animus sauciatur, tanto etiam mansuetudo tranquillitatis amittitur. Et quia quasi dolens membrum tangitur, idcirco oppositæ actionis manus velut gravius pressa sentitur.

Ex ira quoque tristitia oritur, quia turbata mens, quo inordinate se concutit, eo addicendo confundit; et cum dulcedinem tranquillitatis amiserit, nihil hanc nisi ex perturbatione subsequens mœror pascit.

Tristitia quoque ad avaritiam derivatur, quia dum confusum cor, bonum lætitiæ in semetipso intus amiserit, unde consolari foris debeat, quærit. Et tanto magis exteriora bona adipisci desiderat, quanto gaudium non habet, ad quod intrinsecus recurrat.

Post hæc vero duo carnalia vitia, id est ventris ingluvies et luxuria supersunt. Sed cunctis liquet, quod de ventris ingluvies luxuria nascitur, dum ipsa distributione membrorum ventri genitalia subnexa videantur. Unde dum unum inordinate reficitur, aliud procul dubio ad contumelias excitatur. Bene autem duces exhortari dicti sunt, exercitus ululare, quia prima **197** vitia deceptæ mentis quasi sub quadam ratione se inserunt; sed innumera quæ sequuntur, dum hanc ad omnem insaniam pertrahunt, quasi bestiali clamore confundunt.

Inanis namque gloria devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cum dicit : Debes majora appetere, ut quo potestate valueris multos excedere, eo etiam valeas pluribus prodesse.

Invidia quoque devictum cor quasi ex ratione solet exhortari cum dicit : In quo, illo vel illo minor es? Cur ergo æqualiter, vel superior non es? Quanta vales quæ ipsi non valent? Non ergo sibi aut superiores esse, aut etiam æquales debent.

Ira etiam devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cum dicit : Quæ erga te aguntur, æquanimiter ferri non possunt : imo hæc patienter tolerare peccatum est, quia si non eis cum magna exasperatione resistitur, contra te deinceps sine mensura cumulantur.

Tristitia quoque devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cum dicit : Quid habes unde gaudeas, cum tanta mala de proximis portas? Perpendo cum quo mœrore omnes intuendi sunt, qui in tanto contra te amaritudinis felle revertuntur.

Avaritia quoque devictum animum quasi ex ratione solet exhortari, cum dicit : Valde sine culpa est, quod quædam habenda concupiscis, quia non multiplicari appetis, sed egere pertimescis, et quod male alius retinet, ipse melius expendis.

Ventris quoque ingluvies devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cum dicit : Ad esum Deus munda omnia condidit; et qui satiari cibo respuit, quid aliud quam muneri concesso contradicit?

Luxuria vero devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cum dicit : Cur te in voluptate tua non dilatas : cum quid te sequatur, ignoras? Acceptum tempus in desideriis perdere non debes, quia quam citius pertranseat, nescis. Si enim misceri Deus hominem in voluptate coitus nollet, in ipso humani generis exordio masculum et feminam non fecisset.

Digitized by Google

Hæc est ducum exhortatio, quæ, dum incaute ad
198 secretum cordis admittitur, familiarius iniqua persuadet. Quam videlicet exercitus ululans sequitur, quia infelix anima, semel principalibus vitiis capta, dum multiplicatis iniquitatibus in insaniam vertitur, feriali jam immanitate vastatur. Sed miles Dei quia solerter prævidere vitiorum certamina nititur, bellum procul odoratur, quia mala præeuntia, quid menti persuadere valeant, cogitatione sollicita respicit, exhortationem ducum, naris sagacitate deprehendit, et quia longe præsciendo, subsequentium iniquitatum confusionem conspicit, quasi ululatum exercitus odorando cognoscit.

CAPUT XI.

DE PRINCIPIBUS.

(235) Principum nomine, hi qui magno consilii judicio, suis cogitationibus principantur, designantur, sicut per beatum Job de Domino dicitur : *Effundit despectionem super principes, et eos qui oppressi fuerant relevat* (*Job.* XII, 21). Principes etenim non immerito vocantur, qui magno consilii judicio suis semper cogitationibus principantur, omnesque stultos motus potestate sapientiæ comprimunt. Sed sæpe contingit ut in occulto animus de ipsa sapientia in elationis fastum sublevetur, et sub eis vitiis corruat de quibus se victorem fuisse gaudebat. Recte ergo dicitur : *Effundit despectionem super principes.* Sed quia nonnunquam hi, qui in vitiis latere videntur, ad pœnitentiæ lamentum currunt, seque contra culpas, quibus subjacebant erigunt, apte subjungitur. *Et eos, qui oppressi fuerant, relevat.* Nonnulli enim superno illustrati munere aspiciunt in quanta peccatorum turpitudine jacent, factorum maculas lacrymis lavant, et sub se postmodum carnis suæ motus deprimunt, a quibus ante premebantur. Quod nimirum magna omnipotentis Dei dispensatione agitur, ut videlicet in hac vita habeantur incerta, et nullus ex habita castitate superbiat, quia effundit despectionem super principes, et nullus ex vitiorum suorum depressione desperet, quia eos, qui oppressi fuerant, relevat.

199 (236) Principum nomine hæreticæ pravitatis auctores designantur, sicut per beatum Job ex persona Ecclesiæ dicitur : *Principes cessabant loqui, et digitum supponebant ori suo* (*Job* XXIX, 9). Qui enim hoc loco alii principes intelliguntur, nisi hæreticæ pravitatis auctores? De quibus per Psalmistam dicitur : *Effusa est contemptio super principes, et errare fecit eos invio et non in via* (*Psal.* CVI, 40). Ipsi dum dispensationem Dei perverse interpretari non metuunt, profecto plebes subditas, non in eam viam quæ Christus est, sed in invium trahunt. Super quos recte quoque effusa contemptio dicitur quia sibi vicissim allegationibus contradicunt (237). Sancta ergo Ecclesia, ultima tribulatione deprehensa, prioris auctoritatis suæ reminiscens dicat : *Principes cessabant loqui, et digitum superponebant ori suo.* Ac si aperte dicat : Cum prædicare mihi voce publica licuit, omnis qui veritati meæ non fuit subjectus, expavit. Illo namque tempore cum sancta Ecclesia adversitate premitur, pravis quibusque prædicatoribus licentia locutionis datur.

---

200 INCIPIT LIBER QUINTUS.

CAPUT PRIMUM.

DE SPIRITU.

In Scriptura sacra spiritus nomine, aliquando anima, aliquando effectus spiritalis, aliquando superbiæ tumor, aliquando interna cogitatio, aliquando ventus intelligitur.

(238) Spiritus nomine anima designatur, sicut de ipso capite nostro scriptum est : *Inclinato capite tradidit spiritum* (*Joan.* XIX, 30). Si enim aliud spiritum, quam animam Evangelista diceret, exeunte utique spiritu anima mansisset. Pars nominis effectus spiritus intelligitur, sicut per Psalmistam de Domino dicitur : *Qui facis angelos tuos spiritus et ministros* (*Hebr.* I, 7). Angeli quippe, id est nuntii in sacro eloquio nonnunquam prædicatores vocantur, sicut per prophetam dicitur : *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* (*Malach.* II, 7). Omnipotens ergo Deus angelos suos spirituales facit, quia prædicatores suos spirituales efficit.

201 Spiritus nomine superbia designatur, sicut per Psalmistam de humiliatione elatorum Domino dicitur : *Auferes spiritum eorum et deficient et in pulverem suum revertentur* (*Psal.* CIII, 29). Quis enim eorum spiritus, nisi spiritus superbiæ nominatur? Tollatur ergo spiritus eorum, ut deficiant, id est subducto superbiæ spiritu nihil se de se esse cognoscant, et revertantur in pulverem, id est humilientur ex infirma conditione.

Spiritus nomine inferna cogitatio designatur, sicut ab Eliu de homine dicitur : *Si direxerit ad eum cor suum, spiritum illius et statum ad se trahit* (*Job* XXXIV, 14). Curvum cor est, cum ima appetit, dirigitur, cum ad superna sublevatur. Si ergo homo cor suum ad Dominum dirigit, spiritum et flatum illius Dominus ad se trahit. Spiritum videlicet pro

(235) Ex l. XI in Job, c. X.
(236) Ex l. XIX, in Job, cap. XI, post med.
(237) Hujus sent. exempla Greg. habet ibidem.
(238) Ex l. XI, in Job c. III.

Digitized by Google

internis cogitationibus, flatum vero qui per corpus trahitur, pro externis actionibus ponit. Deum ergo spiritum hominis et flatum ad se trahere, est ad conversionem sui desiderii interiora nostra et exteriora commutare, ut nihil jam exterius menti libeat; nihil caro inferius vel si appetit, adipisci conetur. Sed omne quod homo est, ad eum videlicet a quo est, et interius desiderando ferveat et exterius se edomando constringat.

CAPUT II.

DE ANIMA.

In Scriptura sacra animæ nomine aliquando id quod charius amatur, alias mentis intentio intelligitur.

Anima pro eo, quod charius amatur, ponitur, sicut voce Dominica ad Satan pro Redemptore nostro sub beati Job nomine dicitur : *Ecce in manu tua est, verum tamen animam illius serva* (*Job* II, 6). Quid enim aliud per animam Christi, nisi electorum vitam quam chare diligit accipimus? Quia enim, cum recte diligimus, **202** nihil in rebus conditis anima nostra charius amamus; et sicut animam nostram eos diligere dicimus, quibus amoris nostri exprimere pondus conamur, non incongrue per Christi animam electorum vita signatur. Cum ergo ad feriendam Redemptoris carnem Satan permittitur, ab anima separatur, quia cum corpus ad passionem accipitur, electos ejus a jure suæ potestatis amittit. Cumque illius caro per crucem moritur, horum mens contra tentamenta solidatur. Dicatur ergo : *Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva.* Ac si aperte audiat : Licentiam contra corpus ejus accipe, et ab electis ejus quos apud se ante sæcula præsciens possidet, jus pravæ dominationis perde.

Animæ nomine mentis intentio intelligitur, sicut per beatum Job dicitur : *Quamobrem elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea?* (*Job* VII, 15). Quid autem per animam nisi mentis intentio, quid per ossa nisi carnis fortitudo designatur? Omne autem quod suspenditur, procul dubio ab imis elevatur. Anima ergo suspendium eligit ut ossa moriantur, quia, dum mentis intentio ad alta se sublevat, omnem in se fortitudinem vitæ exterioris necat. Sancti enim viri certissime sciunt, quia habere in hac vita requiem nequaquam possunt. Et idcirco suspendium eligunt, quia nimirum terrena desideria deserentes ad alta animum tollunt. Suspensi autem mortem suis ossibus inferunt, quia amore supernæ patriæ in virtutum studiis accincti hoc, quod fortes prius in mundo fuerunt vinculo humilitatis insequuntur.

CAPUT III.

DE CORPORE.

Corporis nomine quælibet nostra actio designatur, sicut in Evangelio veritatis voce dicitur : *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* (*Matth.* VI, 22). Quid enim per oculum exprimitur, **203** nisi opus suum præveniens cordis intentio, quæ priusquam se in actione exerceat, hoc jam quod appetit, contemplatur. Et quid appellatione corporis designatur, nisi unaquæque actio, quæ intentionem suam, quasi intuentem oculum sequitur? Lucerna ergo corporis est oculus, quia per bonæ intentionis radium merita illustrantur actionis. *Et si oculus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit,* quia si recte intendimus per simplicitatem cogitationum, bonum opus efficitur, etiam si minus esse videatur. *Et si oculus nequam fuerit, tenebrosum erit,* quia cum perversa intentione quid vel rectum agitur, et si splendere coram hominibus cernitur, apud examen interni judicis obscuratur. Ubi recte subjungitur : *Vide ergo ne lumen quod in te est tenebræ sint. Si lumen quod in te est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* (*ibid.*, 23). Quia si hoc quod bene agere nos credimus, ex mala intentione fuscamus, quanta ipsa mala sunt quæ mala esse etiam cum agimus non ignoramus? Et si ibi nil cernimus, ubi quasi discretionis lumen tenemus, qua cæcitate in illa offendimus quæ sine discretione perpetramus? Vigilanti igitur cura per cuncta opera intentio nobis nostra pensanda est, ut nil temporale in his quæ agit appetat, sed totam se in soliditate æternitatis figat, ne si extra fundamentum actionis nostræ fabrica ponitur, terra debiscente solvatur : et eo fiat pravum quod in opere sequatur, quod non ex recta cogitationis intentione generatur.

CAPUT IV.

DE CAPITE.

In Scriptura sacra capitis nomine aliquando summa sacerdotii Judaici, aliquando principalis pars hominis, aliquando rei cujuslibet initium designatur.

204 Capitis nomine summa sacerdotii Judaici exprimitur, sicut de Redemptore nostro sub beati Job nomine dicitur : *Et tonso capite corruens in terram adoravit* (*Job.* I). Quid enim per capillos, nisi sacramentorum subtilitas ? quid per caput nisi summa sacerdotii Judaici designatur ? Unde ad Ezechielem prophetam dicitur : *Tu, fili hominis, sume tibi gladium acutum, radentem capillos, et assumes eum et duces super caput tuum et barbam* (*Ezech.* V). In quo videlicet prophetæ facto judicium Redemptoris exprimitur, qui in carne apparens caput rasit, quia a Judaico sacerdotio præceptorum suorum sacramenta abstulit. Barbam rasit, quia regnum Israeliticum deserens, decorem virtutis ejus amputavit. Quid vero hoc loco per terram, nisi peccatrix gentilitas designatur? Nam cum justam Judæa se crederet, constat quam reproba de gentilitate sentiret, Paulo attestante. *Nos natura Judæi, et non ex gentibus peccatores* (*Gal.* II, 15). Mediator igitur noster quasi detonso capite in terram corruit, quia Judæam deserens, dum sacramenta sua ab ejus sacerdotio abstulit, ab notitiam gentium venit. Capillos enim a capite rasit, quia sacramenta legis ab illo primo suo sacerdotio sustulit. In terram corruit, quia salvandis sese peccatoribus dedit. Dumque eos qui sibi

Digitized by Google

justi videbantur, deseruit, eos qui se injustos esse noverant et fatebantur assumpsit. Hinc et ipse in Evangelio dicit : *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant* (*Joan.* IX, 39). Hinc et columna nubis quæ in eremo populum præibat splendore ignis non in die, sed nocte radiabat (*Exod.* XIII, 21), quia videlicet Redemptor noster suæ conversationis exemplo ducatum sequentibus præstans, de justitia sua confidentibus nulla luce claruit; peccatorum vero suorum tenebras cognoscentibus igne sui amoris infulsit. Nec quod corruere Job dicitur, dignum mens hoc significatione Redemptoris arbitretur. Scriptum namque est : *Verbum misit Dominus in Jacob et cecidit in Israel* (*Isa.* IX, 8). Jacob quippe *supplantator*, Israel vero *vir videns Dominum* dicitur. Et quid per Jacob nisi Judaicus populus? quid per Israel nisi gentilis populus designatur? Quia quem **205** Jacob per carnis mortem supplantare studuit, hunc nimirum per oculos fidei gentilitas Deum vidit. Ad Jacob ergo missum Verbum in Israel cecidit, quia quem ad se venientem Judaicus respuit populus, hunc repente confitens populus gentilis invenit. De sancto quoque Spiritu in Actibus apostolorum scriptum est. *Cecidit super eos spiritus Domini* (*Act.* X, 44). Idcirco autem vel Verbum Dei, vel Spiritus in Scriptura sacra cadere dicitur, ut inopinatus ejus adventus exprimatur. Quod enim ruit vel cadit, ad ima repente venit. Mediatori ergo in terram quasi corruissse, est in nullis signis præcedentibus inopinate ad gentes venisse. Bene autem dicitur, quod corruens adoravit, quia dum ipse humilitatem carnis suscepit, in se credentibus vota humilitatis infudit. Fecit enim quod fieri docuit sicut de ejus spiritu dicitur : *Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* VIII, 26). Neque enim petit quia æqualis est, sed postulare dicitur, quia nimirum quos repleverit, postulantes facit quamvis hoc et in semetipso Redemptor noster ostendit, qui Patrem et dum passioni propinquaret exoravit. Quid enim mirum si in forma servi exorando se Patri subdidit, in qua etiam manus peccantium usque ad mortis extrema toleravit?

Capitis nomine principalis pars hominis, id est mens designatur, sicut per Psalmistam dicitur : *Impinguasti in oleo caput meum* (*Psal.* XXII, 5). Ac si aperte diceretur : Arentem in suis cogitationibus mentem meam charitatis unctione rigasti. Unde et aliis dicitur : *Oleum de capite tuo non deficiat* (*Eccle.* IX, 8). Oleum quippe in capite est charitas in mente. A capite autem oleum deficit, cum charitas a mente discedit. Nec immerito per caput mens designatur, quia sicut capite reguntur membra, ita cogitationes mente disponuntur.

Capitis nomine rei cujuslibet vitium designatur, sicut per prophetam Jeremiam sub Judææ specie de unaquaque anima laqueo miseræ intentionis capta dicitur : *Facti sunt hostes ejus in capite* (*Thren.* I, 5). Sciendum est quod bona nostra tribus modis antiquus hostis insequitur, **206** ut videlicet hoc quod rectum coram hominibus agitur, in æterni judicis conspectu vitietur. Aliquando namque in bono opere intentionem polluit, ut omne quod in actione sequitur, eo purum mundumque non exeat quo hoc ab origine turbat. Aliquando vero intentionem boni operis vitiare non prævalet, sed in ipsa actione quasi in itinere laqueos opponit, ut cum propositum mentis securior quisque egreditur, subjuncto latenter vitio quasi ex insidiis perimatur. Aliquando vero nec intentionem vitiat nec in itinere supplantat, sed opus bonum in fine illaqueat. Quantoque vel a domo cordis vel ab itinere operis longius recessisse se simulat, tanto decipiendum bonæ actionis terminum astutius exspectat; et quo incautum quemque quasi recedendo securum reddidit, eo illum nonnunquam repentino vulnere durius insanabiliusque transfigit. Intentionem quippe in bono opere polluit, quia, cum facilia ad decipiendum corda hominum conspicit, eorum desideriis auram transitorii favoris apponit, ut in his quæ recta faciunt, ad appetenda ima tortitudine intentionis inclinentur.

Unde sub Judææ specie de unaquaque anima laqueo miseræ intentionis capta per Jeremiam dicitur : *Facti sunt hostes ejus in capite*. Ac si aperte diceretur : Cum bonum opus non bona intentione sumitur, hinc adversantes spiritus ab ipso cogitationis exordio principantur, tantoque eam plenius possident, quanto et per initium dominantes tenent. Cum vero intentionem vitiare non prævalent, in via positos laqueos tegunt, ut in eo quod bene agitur, cor exaltans se ex latere ad vitium derivetur, quatenus quod inchoans aliter proposuerat, in actione longe aliter quam cœperat percurrat. Sæpe enim bono operi dum laus humana obviat, mentem operantis immutat, quæ quamvis quæsita non fuerat, tamen oblata delectat. Cujus delectatione cum mens bene operantis resolvitur, ab omni intentionis intimæ vigore dissipatur. Sæpe se bene inchoatæ nostræ justitiæ ex latere, ira subjungit, et dum zelo rectitudinis immoderatius mentem turbat, cunctam quietis intimæ salutem saucíat. Sæpe gravitatem cordis quasi subjuncta ex latere **207** tristitia sequitur, atque omne opus quod mens bona intentione inchoat, hæc velamine mœroris obumbrat. Quæ et onnunquam tanto tardius repellitur, quanto et pressæ menti quasi securior famulatur. Sæpe se bono operi lætitia immoderata subjungit; cumque plus mentem, quam decet hilarescere exigit, ab actione bona omne pondus gravitatis repellit. Quia enim bene in inchoantibus subesse in itinere laqueos Psalmista conspexerat, recte prophetico plenus spiritu dicebat : *In via hac qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi* (*Psal.* CXLI, 4). Cum vero antiquus hostis neque in exordio intentionis ferit, neque in itinere actionis intercipit, duriores in fine laqueos tendit. Quem tanto nequius obsidet, quanto solum sibi remansisse ad decipiendum videt. Hos

Digitized by Google

namque fini suo oppositos laqueos Propheta conspexerat, cum dicebat : *Ipsi calcaneum meum observabant* (*Psal.* LV, 7). Quia enim in calcaneo finis est corporis, quid per hunc nisi terminus actionis signatur ? Sive ergo maligni spiritus, sive pravi quique homines illorum superbiæ sequaces calcaneum observant, cum actionis finem vitiare desiderant. Unde et eidem serpenti dicitur : *Ipsa tuum observabit caput, et tu ejus calcaneum* [239] (*Gen.* III, 15). Caput quippe serpentis observare est vitia suggestionis ejus aspicere, et manu sollicitæ considerationis a cordis aditu funditus exstirpare. Qui tamen cum ab initio deprehenditur, percutere calcaneum molitur, quia etsi prima suggestione non percutit, decipere in fine tendit. Si autem semel cor in intentione corrumpitur, sequentis actionis medietas et terminus ab hoste callido secure possidetur, quoniam totam sibi arborem fructus ferre conspicit, quam veneni dente in radice vitiavit. Summa ergo cura vigilandum est, ne bonis operibus serviens mens reproba intentione polluatur.

208 CAPUT V.

DE CERVICE.

In Scriptura sacra cervicis nomine aliquando libertatis erectio, aliquando superbia designatur.

Cervicis nomine libertatis erectio designatur, sicut per beatum Job in persona Ecclesiæ dicitur : *Tenuit cervicem meam, confregit me et posuit sibi quasi in signum* (*Job.* XVI, 13). Sicut in malis cervix superbiam, sic in bonis libertatis erectionem significat. Unde nonnunquam ipsa quoque superbia pro erectionis auctoritate ponitur, sicut per prophetam Dominus sanctæ Ecclesiæ pollicens dicit : *Ponam te in superbiam sæculorum* (*Isai.* LX, 15). Et quia persecutionis tempore infirmi quidam vera quæ sentiunt prædicare libere non præsumunt, recte de hoc hoste dicitur : *Tenuit cervicem meam, confregit me.* Fortasse autem hi cervicis appellatione signati sunt, qui pacis ejus tempore plusquam decet eriguntur, et sub occasione defendendæ rectitudinis vitio deserviunt elationis. Qui persecutionis tempore idcirco plus adversa sentiunt, quia de prosperis extolluntur. De quibus bene dixit : *Tenuit cervicem meam, confregit me*, id est elationem in infirmis habui, districtione suæ percussionis inclinavit. *Et posuit sibi quasi in signum.* Constat nimirum quia idcirco signum ponitur ut sagittarum emissione feriatur. Fidelis itaque populus in signum hosti suo est positus, quia eum semper suis ictibus impetit, cum suis persecutionibus affligit. Qui enim in hac vita, assidua mala tolerat, velut in signum positus ictus suscipit ferientis. Unde et prædicator egregius cum persecutionum mala toleraret, atque sub persecutione adversariorum gemeret, teneram discipulorum mentem de suis afflictionibus consolans ait : *Ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus* (*I Thess.* III, 3). Ac si eis aperte dicat : Quid in hoc tempore vulnera nostra 209 miramini, qui si æterna gaudia quærimus, huc ad hoc venimus, ut feriamur ?

(240) Cervicis nomine superbia designatur, sicut per beatum Job pravis quibuslibet dicitur : *Et redigentur in lutum cervices vestræ* (*Job* XIII, 12). Sicut per oculum visus, sic per cervicem solet superbia designari. Cervix itaque in lutum redigitur, cum superbus quisque humiliatur in morte, et elata caro tabescit in putredine. Intueamur enim qualia in sepulcris jaceant divitum cadavera, quæ illa in extincta carne sit imago mortis, quæ tabes corruptionis. Et certe ipsi erant, qui extollebantur honoribus, habitis rebus tumebant, despiciebant cæteros, et quasi solos se esse gaudebant. Et dum non perpenderent quo tendebant, nesciebant quid erant. Sed in lutum cervix redacta est, quia despecti jacent in putredine, qui tumebant in vanitate. In lutum cervix redigitur, quia quantum carnis potentia valeat tabes corruptionis probat.

CAPUT VI.

DE VERTICE.

In Scriptura sacra verticis nomine aliquando Christus, aliquando fides intelligitur.

(241) Verticis nomine Christus, caput videlicet sanctæ Ecclesiæ designatur, sicut in beati Job passione, in figura ejusdem Redemptoris nostri dicitur : *Egressus igitur Satan a facie Domini percussit Job vulnere pessimo a planta pedis usque ad verticem* (*Job* II, 7). Quid enim Ecclesiæ vertex, nisi Redemptor noster intelligitur ? Quid per plantam pedis, nisi primus sanctus Abel accipitur ? Nullus autem in hac vita electorum venit, qui non antiqui hostis adversa sustinuit. Membra autem Redemptoris nostri exstiterunt, et qui ab 210 ipso mundi exordio dum pie vivunt, crudelia passi sunt. An non hujus membrum Abel se esse perhibuit, qui ejus mortem, de quo scriptum est : *Sicut agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum* (*Isa.* LIII, 7), non solum placens in sacrificio sed etiam moriens tacendo designavit ? Ab ipso itaque mundi exordio Redemptoris nostri corpus expugnare conatus est. A planta ergo pedis usque ad verticem vulnus intulit, quia prius ab hominibus inchoans, usque ad ipsum caput Ecclesiæ sæviendo pervenit.

(242) Verticis nomine fides designatur, sicut ad Judæam per Jeremiam dicitur : *Filii quoque Memphεos et Taphneos constupraverunt te usque ad verticem* (*Jer.* II, 16). Quid enim in vertice aliud quam fidei sublimitas intelligitur ? Nonnulli quippe fidem medullitus tenent, sed vivere fideliter nullatenus curant. Insequuntur enim moribus quod credulitate venerantur. Quibus divino judicio sæpe contingit

(239) Ambr. lib. *De fuga sæculi* cap. 7 ; Chrysost. hom. super illud : *Inimicitias ponam inter te et mulierem* ; Cypr. lib. I adversus Judæos, c. II, ita legeret si pro *ipsa* non haberet *ipse*.

(240) Ex l. II in Job, c. XIV.
(241) Ex l. III in Job, c. XI, post med.
(242) Ex l. XXV in Job, c. ante med.

Digitized by Google

ut per hoc quod nequiter vivunt, et illud perdunt quod salubriter credunt. Incessanter namque se pravis actionibus polluunt, et super hoc vindictam justi judicii retribui posse diffidunt. Et sæpe cum bene vivere negligunt, etiam persequente nullo usque ad perfidiam dilabuntur. Nam qui imminere districtum judicium non credunt qui inulte se peccare suspicantur, quo pacto vel esse vel dici fideles possunt? Fidem quippe perdidisse est incorrectis operibus malis digna reddi posse supplicia non credere. Quia ergo fidei opera servare contemnunt, et fidem perdunt quam tenere videbantur, bene ergo talibus sub Judææ specie per prophetam dicitur, *Filii Mempheos et Taphneos constupraverunt te usque ad verticem.* Usque ad verticem quippe constuprari est post malæ operationis usum etiam ipsam fidei sublimitatem corrumpi. Cum enim nequissimi spiritus uniuscujusque animam in pravis volvunt, sed integritatem fidei vitiare non possunt, quasi adhuc inferiora membra polluunt, sed ad verticem non pertingunt. Quisquis autem in fide corrumpitur, jam usque ad verticem constupratur. Malignus enim spiritus quasi ab inferioribus membris, usque ad summa **211** pertingit, quando activam vitam polluens castam fidei celsitudinem diffidentiæ morbo corrumpit.

CAPUT VII.

DE CAPILLIS.

In Scriptura sacra capillorum nomine aliquando defluentes animi cogitationes, aliquando superabundans terrena substantia intelligitur.

(243) Capillorum nomen animi cogitationes designat, sicut de sancto viro dicitur: *Et tonso capite corruens in terram adoravit* (*Job.* I). Quid enim moraliter per capillos nisi defluentes animi cogitationes accipimus? Unde et alias sponsæ dicitur: *Sicut vitta coccinea labia tua sponsa, et eloquium tuum dulce* (*Cant.* IV, 3). Vitta quippe crines capitis astringit. Labia ergo sponsæ, sicut vitta sunt, quia exhortatione sanctæ Ecclesiæ, cunctæ in auditorum mentibus diffusæ cogitationes ligantur, ne remissæ defluant, ne sese per illicita spargant, ne sparsæ cordis oculos deprimant, sed quasi ad unam se intentionem colligant, dum vitta eas sanctæ prædicationis ligat. Quam recte et coccineam asserit, quia sanctorum prædicatio solo charitatis ardore flammescit. Quid vero per caput, nisi quæ principale cujusque actionis est, mens ipsa signatur? Caput ergo detondere est cogitationes superfluas a mente resecare. *Et tonso capite in terram corruit*, quia, repressis præsumptionis suæ cogitationibus, quam in semetipso infirmus sit humiliter agnoscit.

Et notandum quod in terram corruens adoravit. Ille enim veram Deo orationem exhibet, qui semetipsum, quia pulvis sit humiliter videt qui nihil sibi virtutis tribuit, qui bona quæ agit esse de misericordia Conditoris agnoscit.

(243) Ex l. II, in Job, c. XXVII, post med.

Capillorum nomine superabundans terrena substantia designatur, sicut in Evangelio de Maria **212** Magdalene scriptum est: *Stans retro secus pedes Domini, lacrymis cœpit rigare pedes ejus et capillis suis tergebat* (244). Quid namque pedes Domini, nisi ultima ejus membra accipimus? Lacrymis ergo mulier pedes Domini rigat, quod nos quoque veraciter agimus, si quibuslibet ultimis membris Domini per compassionis affectum inclinemus, si sanctis ejus in tribulatione compatimur, si eorum tristitiam nostram putamus. Capillis mulier pedes quos rigavit tersit. Capilli autem superfluunt corpori. Et quid abundans terrena substantia, nisi capillorum speciem tenet? Quæ dum ad usum necessitatis superfluit, etiam abscissa non sentit. Capillis ergo pedes Domini tergimus, quando sanctis ejus, quibus et ex charitate compatimur, etiam ex his quæ nobis superfluunt miseremur, quatenus sic mens per compassionem doleat, ut etiam larga manus affectum doloris ostendat. Rigat namque lacrymis Redemptoris pedes, sed capillis suis non tergit, qui utcunque proximorum dolori compatitur, sed cum eis ex his quæ sibi superfluunt non miseretur. Plorat, et non tergit, qui verba quasi doloris tribuit; sed non ministrando quæ desunt vim doloris minime abscindit.

CAPUT VIII.

DE CINCINNO.

(245) Cincinni nomine collectio cogitationum designatur sicut per Ezechielem prophetam dicitur: *Et emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, et elevavit me spiritus inter terram et cœlum, et adduxit me in Jerusalem in visione Domini juxta ostium interius quod respiciebat ad aquilonem ubi erat statutum idolum zeli ad provocandam æmulationem* (*Ezech.* VIII, 3). Justorum mens, quia per custodiam disciplinæ a cunctorum visibilium fluxo appetitu constringitur, collecta apud semetipsam intrinsecus integratur, qualisque Deo, vel proximo esse debeat plene conspicit, quia nihil suum exterius derelinquit: Et quanto exterioribus abstracta compescitur, tanto aucta in intimis inflammatur. Et quo magis ardet, eo ad comprehendenda **213** vitia amplius lucet. Hinc est quod sancti viri dum se intra semetipsos colligunt, mira ac penetrabili acie occulta etiam aliena delicta deprehendunt. Unde bene nunc per Ezechielem dicitur: *Emissa similitudo manus apprehendit me.*

CAPUT IX.

DE PILIS.

(246) Pili superfluas humanæ corruptionis, vel vitæ veteris cogitationes designant, sicut Eliphas dicit: *Cum spiritus me præsente*] *transiret inhorruerunt pili carnis meæ* (*Job.* IV, 15). Nobis præsentibus transit spiritus, quando invisibilia cognoscimus, et tamen hæc non solide, sed raptim

(245) Ex lib. XXXI, in Job cap. VII, post med.
(246) Ex lib. V in Job, c. XXIII.

Digitized by Google

videmus. Neque enim in suavitate contemplationis intimæ, diu mens figitur, quia ad semetipsam immensitate luminis reverberata revocatur. Cumque internam dulcedinem degustat, amore æstuat, ire super semetipsam nititur; sed ad infirmitatis suæ tenebras, fracta relabitur, et magna virtute proficiens, videt quia videre non possit hoc quod ardenter diligit; nec tam ardenter diligeret, nisi aliquatenus videret. Non ergo stat, sed transit spiritus; quia supernam lucem nostra nobis contemplatio, et inhiantibus aperit, et mox infirmantibus abscondit. Et quia in hac vita quantalibet quis virtute profecerit, adhuc tamen corruptionis suæ stimulum sentit. *Corpus* quippe *quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15). Recte subditur : *Inhorruerunt pili carnis meæ* (247). Pili etenim carnis sunt quælibet superflua humanæ corruptionis. Pili carnis dicuntur vitæ veteris cogitationes, quas sic a mente abscindimus, ut de amissione earum nullo dolore fatigemur. Unde bene per Moysen dicitur : *Levitæ radant omnes pilos carnis suæ* (*Num.* VIII, 7). Levita quippe *assumptus* vocatur. Oportet ergo levitas omnes pilos carnis suæ radere, quia is, qui in obsequiis divinis assumitur, debet ante Dei oculos a cunctis carnis cogitationibus mundus apparere, ne illicitas cogitationes mens proferat, et pulchram animæ speciem, quasi pilis fruticantibus deformem reddat. Sed quantalibet, ut **214** diximus, quempiam virtus sanctæ conversationis evexerit, adhuc tamen ei de vetustate nascitur quod toleretur. Unde et ipsi Levitarum pili præcepti sunt radi, et non evelli. Rasis etenim pilis in carne radices remanent, et crescunt iterum ut recidantur. Quia magno quidem studio superfluæ cogitationes amputandæ sunt, sed tamen amputari funditus nequaquam possunt. Semper enim caro superflua generat, quæ semper spiritus ferro sollicitudinis recidat. Sed hæc in nobis tunc subtilius cognoscimus, cum speculationibus alta penetramus. Unde recte nunc dicitur : *Cum spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.* Humana etenim mens, cum contemplationis arce sublevatur, tanto semetipsam durius de superfluis cruciat, quanto nimis subtile conspicit esse quod amat. Et cum pulchrum hoc quod intuetur, super se appetit districte judicat quidquid in se prius infirmum tranquille tolerabat. Transeunte ergo spiritu pertimescunt, quia ante compunctionis vim cogitationes superfluæ fugiunt, ut nil fluxum, nil jam remissum libeat, quia afflictam mentem etiam contra semetipsam visitationis intimæ severitas inflammat. Cumque hoc quod in corde illicitum nascitur, continua districtione resecatur, fit plerumque ut vegetata mens, paulo altius radio suæ speculationis inhæreat, et pene figat spiritum qui transibat. Nec tamen ipsa hæc contemplationis mora divinitatis plene vim aperit, quia ejus immensitas humanas vires auctas sublevatasque transcendit.

(247) Ex cap. XXIV.
(248) Ex lib. XIII in Job, cap. IX.

215 CAPUT X.

DE OCULO.

In Scriptura sacra cum oculus singulari numero ponitur, aliquando cordis intentio, aliquando is qui docendo illuminat, aliquando contemplativa, vel activa vita, aliquando perfecta Dei cognitio; cum vero pluraliter oculi dicuntur, aliquando pravi consiliarii, aliquando spes, aliquando pravi prælati, aliquando hi qui in sancta Ecclesia lumen veritatis habent, aliquando operationes sancti Spiritus designantur.

(248) Oculi nomine cordis intentio designatur, sicut per beatum Job dicitur : *Verbosi amici mei, ad Dominum stillat oculus meus* (*Job.* XVI). Sæpe contingit ut ipsa quoque in nobis bona opera, ab incautis hominibus reprehendantur. Sed qui testem in cœlo habet, reprehensiones hominum metuere non debet. Unde bene nunc dicitur : *Verbosi amici mei, ad Dominum stillat oculus meus.* Quid enim per oculum, nisi cordis intentio designatur? Unde et in Evangelio scriptum est : *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit* (*Matth.* VI, 22). Quia videlicet cum bona intentione quid agitur, ejus intentionis actio apud Dominum minime fuscatur. Cum ergo amici verbosi sunt, id est cum et ipsi derogant qui in ide sociantur ad Dominum, necesse est ut oculus stillet, quatenus nostra intentio tota in amoris intimi compunctione defluat, et tanto subtilius se ad **216** interiora erigat, quanto per exteriora opprobria repulsa, intus redire cogitur, ne foris evanescat.

(249) Oculi nomine is qui docendo illuminat designatur, sicut per beatum Job de sancta Ecclesia dicitur. *Oculus fui cæco et pes claudo* (*Job* XXIX, 15). Cæcus quippe est qui adhuc quo pergat non videt. Claudus autem est qui non potest ire, quo videt. Sancta itaque Ecclesia oculus est cæco, quia per verbum lucet; ipsa pes est claudo, quia per adjutorium continet; cæcos vero prædicando illuminat, claudos vero opitulando sustentat. Crebro namque peccatum aut ignorantia, aut infirmitate perpetratur, ut vel nesciat homo quid velle debeat, vel non omne quod voluerit possit. Quo contra per Psalmistam recte dicitur : *Dominus illuminatio mea et salus mea* (*Psal.* XXVI, 1). Quia enim Dominus et scientiam et virtutem præbet et contra ignorantiam illuminatio, et contra infirmitatem salus vocatur. Hinc etiam de iniquis dicitur per eumdem : *Fiat via illorum tenebræ et lubricum* (*Ps.* XXXVI), ut scilicet per tenebras, quo ire debent non videant : qui etsi recta viderent, in eis tamen per lubricum stare non possent. Isti itaque per lubricum inter bona claudicant, illi per tenebras quæ bona sequuntur ignorant.

(250) Oculi dextri nomine contemplativa vita, sinistri vero activa vita signatur. Unde in Evangelio dicitur : *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et projice abs te. Bonum est tibi uno oculo in*

(249) Ex lib. XIX, cap. IV, post med.
(250) Ex lib. VI, in Job, c. XVII.

Digitized by Google

vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis (*Matth.* v, 29). Sciendum namque magnopere est quia valde inter se sunt diversæ conspirationes animorum. Nonnulli namque hominum ita otiosæ mentis sunt, ut si eos labor occupationis excipiat, in ipsa operis inchoatione succumbant; et nonnulli ita inquieti sunt, ut si actionem laboris non habuerint, gravius laborent. Quia tanto deteriores cordis tumultus tolerant, quanto eis licentius ad cogitationes vacat. Unde necesse est ut nec quieta mens ad exercitationem immoderati operis, nec inquieta ad studium contemplationis angustet. Sæpe enim qui Deum contemplari quieti poterant, occupationibus pressi ceciderunt; et sæpe, qui occupati bene humanis usibus viverent, gladio **217** suæ quietis exstincti sunt. Hinc namque est quod nonnulli inquieti spiritus dum plus exquirunt contemplando, quam capiunt, usque ad perversa dogmata erumpunt: et dum veritatis discipuli humiliter negligunt, magistri errorum fiunt. Quibus recte hoc quod præfati sumus, per semetipsam veritas dicit: *Si oculus tuus dexter scandalizat te; erue eum, et projice abs te. Bonum est tibi uno oculo in vitam intrare quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Duæ quippe vitæ, activa videlicet et contemplativa dum conservantur in mente quasi duo oculi habentur in facie. Dexter namque oculus contemplativa vita est, sinister activa. Sed sunt nonnulli, ut diximus, qui discrete intueri summa et spiritualia nequaquam possunt, et tamen alta contemplationis assumunt: adque idcirco in perfidiæ foveam, intellectu pravi erroris delabuntur. Hos itaque vita contemplativa ultra vires assumpta, cogit a veritate cadere, quos in statu suæ rectitudinis humiliter poterat sola activa custodire. Bene ergo eis dicitur: *Si oculus tuus dexter scandalizat te.* etc. Ac si aperte dicat: Cum ad contemplativam vitam idonea discretione non sufficis, solam secutus activam tene. Cumque in hoc quod pro magno eligis, deficis, eo contentus esto quod pro minimo attendis, ut si per contemplativam vitam a veritatis cognitione compelleris cadere, regnum cœlorum per solam activam valeas saltem luscus intrare.

(251) Oculus Dei perfecta ejus cognitio intelligitur sicut de eo propheta ad Israelitas dicit: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei* (*Zach.* II, 8). Constat nimirum quod natura sua oculum Deus non habeat. Sed quia nos per oculum cernimus, Deus eo quod omnia videt, oculum habere perhibetur.

(252) Oculorum nomine pravi consiliarii designantur, sicut de hoste antiquo, voce Dominica dicitur: *Oculi ejus ut palpebræ diluculi* (*Job* XLI, 9). Per oculos quippe qui inhærentes capiti utilitati visionis serviunt, non immerito consiliarii Antichristi designantur, qui dum perversis machinationibus quæ qualiter agenda sunt, prævident, malignis ejus operariis quasi ostensum pedibus **218** iter præbent. Qui recte palpebris diluculi comparantur; palpebris namque diluculi extremas noctis horas accipimus, in quibus quasi nox oculos aperit, dum venturæ lucis jam initia ostendit. Prudentes igitur sæculi malitiæ Antichristi perversis consiliis inhærentes, quasi palpebræ sunt diluculi, quia fidei quam in Christo inveniunt, quasi erroris noctem asserunt, et venerationem Antichristi verum esse pollicentur. Spondent enim se tenebras repellere et veritatis lucem signis clarescentibus nuntiare, quia nec persuadere quæ volunt, possunt, nisi exhibere se meliora fateantur. Unde serpens ipse in paradiso primis hominibus loquens, in eo quod se melius aliquid providere simulavit, quasi palpebras aperuit, quando in innocentibus mentibus humanitatis ignorantiam reprehendit et scientiam divinitatis promisit. Quasi ignorantiæ enim tenebras repellèbat et æternæ scientiæ divinum mane nuntiabat, dicens: *Aperientur oculi vestri, et eritis sicut Dii, scientes bonum et malum* (*Gen.* III, 5). Ita in illo tunc damnato homine veniens, ejus oculi palpebris diluculi comparantur, quia sapientes illius simplicitatem veræ fidei quasi transactæ noctis tenebras respiciunt, et ejus signa mendacia quasi exsurgentes solis radios ostendunt.

Oculorum nomine spes designatur, sicut per Jeremiam dicitur: *Onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventos quasi dracones; defecerunt oculi eorum, quia non erat herba* (*Jer.* XIV, 6). Require in capite De onagro, lib. III, cap. 22.

(253) Oculorum nomine pravi prælati designantur, sicut per Psalmistam de pravis doctoribus, prænuntiantis studio, non autem maledicentis dicitur voto: *Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva* (*Psal.* LXVIII, 24). Oculi quippe sunt qui in ipsa honoris summa facie positi, providendi itineris officium susceperunt. Quibus nimirum, qui subsequenter inhærent, dorsa nominantur. Obscuratis ergo oculis dorsum flectitur, quia cum lumen scientiæ perdunt, profecto ad portanda peccatorum onera curvantur qui sequuntur. Ait ergo: *Obscurentur oculi eorum ne videant,* **219** *et dorsum eorum semper incurva.* Ac si dicat: Qui humanæ vitæ actionibus quasi prævidendis itineribus præsunt, veritatis lucem non habeant, ut qui sequuntur subditi, iniquitatum suarum oneribus incurvati, omnem statum rectitudinis amittant. Quod factum procul dubio in Judæa novimus, cum in ipso Redemptoris nostri adventu Pharisæorum turba atque sacerdotum a vero lumine oculos clausit, et per præpositorum exempla gradiens in infidelitatis tenebris populus erravit.

(254) Oculorum nomine elatio superbiæ designatur, sicut per Eliphas dicitur: *Qui humiliatus fue-*

(251) Ex lib. XXXII, in Job, c. VI.
(252) Ex lib. XXXIII in Job. c. XX.
(253) Ex lib. XXV in Job, c. XVI.
(254) Ex l. XVI in Job, c. X, 11.

Digitized by Google

vit erit in gloria, et qui inclinaverit oculos suos, ipse salvabitur (*Job* XXII, 29). Quæ nimirum sententia a Veritatis ore non discrepat, quæ ait : *Omnis qui se exaltat, humiliabitur : et qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* XIV). Unde et per Salomonem dicitur : *Antequam conteratur, exaltatur cor hominis ; et antequam glorietur, humiliatur* (*Prov.* XVIII). Recte autem dicitur, *qui inclinaverit oculos suos, ipse salvabitur*, quia, quantum per membrorum ministerium deprehendi potest, prima superbiæ extensio esse in oculis solet. Hinc enim scriptum est : *Oculos superborum humiliabis* (*Psal.* XVII, 12). Hinc de ipso superbientium capite dicitur : *Omne sublime videt* (*Job* XLI, 25). Hinc de illa quæ ei per infidelitatem adhæsit, scriptum est : *Generatio cujus excelsi sunt oculi, et palpebræ ejus in altum subrectæ* (*Prov.* XXX, 13). Oculos ergo inclinare est nullum respiciendo despicere, sed se minorem atque imparem cunctis, quos aspicit æstimare. Salvabitur itaque qui oculos inclinat, quia qui falsum superbiæ verticem deserit, veritatis altitudinem ascendit.

(255) Oculorum nomine hi qui in sancta Ecclesia lumen veritatis habent designantur, sicut voce electi membri sui, scilicet beati Job, eadem sancta Ecclesia conqueritur dicens : *Caligavit ad indignationem oculus meus, et membra mea quasi in nihilum redacta sunt* (*Job* XVII, 7). Ad indignationem namque oculus caligat, quando ipsi quoque, qui in Dominico corpore, id est in Ecclesia, lumen veritatis habent ; dum se diutius a pravis despici ac dedignari conspiciunt, de occulti **220** judicii admiratione turbantur, et secretum Dei penetrare nequeunt, cur prævalere perversi contra bonos permittantur. Quis etenim non obstupescat, cum Herodiadis filiæ saltatus apud regem temulentum obtinet, ut caput amici sponsi, prophetæ et plusquam prophetæ ante ora convivantium deferatur ? Sed cum isti ad indignationem caligant, infirmi plerumque usque ad infirmitatem corruunt. Unde et subditur : *Et membra mea quasi in nihilum redacta sunt*. Membrorum quippe nomine teneritudo infirmorum exprimitur. Qui dum perversos prospiciunt florere justosque cruciari, ad hoc nonnunquam perveniunt, ut se bona inchoasse pœniteant, atque ita ad agenda mala citius accedunt : ac si eorum vitæ nocuerit bonum quod inchoaverunt.

(256) Oculorum nomine operationes sancti Spiritus designantur, sicut per Zachariam prophetam de Redemptore nostro sub figura lapidis dicitur : *Super lapidem unum septem oculi sunt* (*Zach.* III, 9). Quid enim per oculos nisi sancti Spiritus dona signantur? Require in capitulo de Pleiadibus.

CAPUT XI.

DE PALPEBRIS.

In Scriptura sacra palpebrarum nomine aliquando prælati Ecclesiæ, aliquando prudentes hujus sæculi, aliquando divina judicia designantur.

(257) Palpebrarum nomine prælati signantur, sicut per beatum Job in persona Ecclesiæ dicitur : *Palpebræ meæ caligaverunt* (*Job* XVI, 17). Palpebræ enim recte appellati sunt, qui ad providenda pedum itinera vigilant. Sed cum occulta Dei judicia præpositi vigilantes **221** intelligunt, palpebræ sanctæ Ecclesiæ caligant.

Palpebrarum nomine prudentes sæculi perversis Antichristi consiliis inhærentes designantur, sicut de diabolo voce Dominica ab beatum Job dicitur : *Oculi ejus, ut palpebræ diluculi* (*Job* XLI, 9). Require in capite præcedenti.

(258) Palpebrarum nomine divina judicia designantur, sicut per Psalmistam de Domino dicitur : *Palpebræ ejus interrogant filios hominum* (*Psal.* X, 5). Tribus quippe modis nos Conditor interrogare consuevit, cum aut flagelli nos dictrictione percutit, et quanta nobis insit vel desit patientia ostendit ; aut quædam, quæ nolumus præcipit, et nostram nobis obedientiam vel inobedientiam patefacit ; aut aliqua nobis occulta aperit, et aliqua abscondit, et mensuram nobis nostræ humilitatis innotescit. Flagello namque interrogat, cum mentem sibi bene per tranquillitatem subditam afflictionibus pulsat : sicut beatus Job et laudatur attestatione judicis, et tamen ictibus concidit percussoris, ut ejus patientia tanto verius clarescceret, quanto inquisita durius fuisset. Præcipiendo autem dura nos Dominus interrogat, sicut Abraham terram suam jubetur egredi, et pergere quo nesciebat, in montem unicum filium ducere, et quem ad consolationem senii acceperat immolare. Cui nimirum ad interrogationem bene respondenti, id est ad jussionem bene obedienti, dicitur : *Nunc cognovi quod timeas Dominum* (*Gen.* XXII, 12), vel, sicut scriptum est : *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligatis eum* (*Deut.* XIII, 3). Tentare quippe Dei est magnis nos jussionibus interrogare. Scire quoque ejus est nostram obedientiam nosse nos facere. Aperiendo autem nobis quædam, atque claudendo, nos interrogat sicut per hoc Psalmistæ testimonium quod supra posuimus declaratur : *Palpebræ ejus interrogant filios hominum* ; palpebris quippe apertis cernimus, clausis nihil videmus. Quid ergo per palpebras Dei, nisi ejus judicia accipimus ? Quæ juxta aliquid claduntur hominibus, et juxta aliquid reserantur, ut homines, **222** qui se nesciunt, sibimetipsis innotescant, quatenus dum quædam intelligendo comprehendunt, quædam vero cognoscere omnino non possunt, eorum corda se latenter inquirant, si illos divina judicia vel clausa sti-

(255) Ex l. XIII in Job, c. XIII, 18.
(256) Lib. I, c. IX.
(257) Ex l. XIII in Job, c. VII.
(258) Ex l. XXVIII in Job, c. V.

Digitized by Google

mulant, vel aperta non inflant. Hac enim Paulus interrogatione probatus est, qui post perceptam internam sapientiam, post aperta claustra paradisi, post ascensum cœli tertii, post supernæ locutionis mysteria dicit : *Ego me non arbitror comprehendisse* (*Philip.* III, 13). Et rursum : *Ego sum minimus, qui non sum dignus vocari apostolus* (*1 Cor.* XV, 9). Et rursum : *Non quia sufficicientes sumus cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est* (*II Cor.* III, 5). Apertis ergo palpebris Dei interrogatus Paulus recte respondit, qui superna secreta attigit, et tamen in humilitate cordis sublimiter stetit. Qui rursum, cum secreta Dei judicia de repulsione Judæorum, et vocatione gentium discuteret, atque ad ea pervenire non posset, quasi clausis Dei palpebris interrogatus est. Sed rectum valde responsum reddidit, qui Deo se in ipsa ignorantia scienter, inclinavit dicens : *O altitudo sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* (*Rom.* XI, 33.) Ecce enim absconsis mysteriis, quasi clausis palpebris inquisitus, placita ac recta respondit, qui secreti aditum pulsans, quia per cognitionem intromitti ad interiora non valuit, per confessionem ante januas stetit humilis, et quod intus comprehendere non potuit, foris timendo laudavit.

CAPUT XII.

DE NASO.

(259) Nasi nomine discretio designatur, sicut voce Dominica in laudibus Ecclesiæ dicitur : *Nasus tuus sicut turris, quæ est in Libano* (*Cant.* VII, 4). Require in c. De ducibus.

223 CAPUT XIII.

DE NARIBUS

In Scriptura sacra narium nomine aliquando exhalantes insidiæ, atque instigatio antiqui hostis, aliquando præscientia designatur.

(260) Narium nomine exhalantes insidiæ atque instigatio antiqui hostis accipitur, sicut voce Dominica ad beatum Job de diabolo dicitur : *De naribus ejus procedit fumus* (*Job* XLI, 11). Oculorum quippe acies fumo sauciatur. Fumus ergo de naribus ejus procedere dicitur, quia de miraculorum ejus insidiis ad momentum caliginosa dubietas etiam in electorum cordibus generatur. De leviathan naribus fumus exit, quia ex ejus prodigiis mendacibus, etiam bonarum mentium oculos trepidationis caligo confundit. Tunc namque in electorum cordibus, conspectis terribilibus signis, obscura cogitatio conglobatur. Unde Veritatis ore per Evangelium dicitur : *Surgent pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna, et prodigia ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* (*Matth.* XXIV, 24). Qua in re valde quærendum est quomodo aut hi qui electi sunt, induci in errorem possunt, aut cur, si fieri poterit, quasi ex dubietate subditur, cum quid faciendum sit Dominus omnia præsciens præstolatur. Sed, quia electorum cor trepida cogitatione concutitur, et tamen eorum constantia non movetur, una hac sententia Dominus utrumque complexus est dicens : *Ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Quasi enim jam errare est in cogitatione titubare. Sed protinus *si fieri potest* subjungitur, quia proculdubio fieri non potest ut in errore plene electi capiantur. Hinc ergo pensare compellimur per hoc quod de naribus ejus fumus procedere **224** dicitur, etiam priusquam apertus appareat, quid quotidie in humanis cordibus fumo pestiferæ exhalationis operatur. Quia enim sicut superius diximus, fumo oculorum acies infirmatur, non immerito de ejus naribus procedere fumus asseritur, cujus noxiis inspirationibus prava in humanis cordibus cogitatio nascitur, per quam acies mentis obtunditur, ne lux videatur. Quasi enim flatu narium caliginem emittit qui in reproborum cordibus insidiarum suarum aspirationibus ex amore vitæ temporaliter æstum congerit multiplicium cogitationum. Et velut fumi globos multiplicat qui inanissimas vitæ præsentis curas in terrenorum hominum mente coacervat. Iste fumus ex ejus naribus prodiens, aliquando ad tempus etiam electorum oculos tangit. Hunc namque fumum intrinsecus patiebatur Propheta cum diceret : *Turbatus est ira oculus meus* (*Psal.* VI, 8). Hujus inundatione preinebatur dicens : *Cor meum conturbatum est in me et lumen oculorum meorum non est mecum* (*Psal.* XXXVII). *In sudibus perforabit nares ejus* (*Job* XL, 19). (261) Quid enim aliud sudes, id est pallos accipimus, qui videlicet exacuuntur ut figantur, nisi acuta sanctorum consilia? Quæ hujus Behemoth nares perforant, dum sagacissimas ejus insidias et vigilando circumspiciunt, et superando transfigunt. Per nares vero odor trahitur, et ducto flatu hoc agitur, ut res etiam quæ longe est posita, cognoscatur. Naribus vero Behemoth callidæ ejus insidiæ designantur, per quas sagacissime nititur et occulta cordis nostri bona cognoscere, et hæc pessima persuasione dissipare. In sudibus itaque Dominus nares antiqui hostis perforat, quia callidas ejus insidias acutis sanctorum sensibus penetrans enervat.

(262) Narium quoque nomine præscientia designatur, sicut per prophetam dicitur : *Quiescite ab homine, cujus spiritus est in naribus ejus, quia excelsus reputatus est ipse* (*Isa.* II, 22). Sæpe enim quæ non vidimus, odore comprehendimus, ita ut nonnullæ res etiam cum longe jaceant fragrantia nobis suæ qualitatis innotescant; dumque per nares spiritum ducimus, plerumque et invisa præscimus. Redemptoris ergo nostri spiritus **225** esse in ejus naribus dicitur, ubi videlicet scientiam il-

(259) Supra l. IV, c. X.
(260) Ex l. XXXIII, in Job. c. XXVII.
(261) Ex l. su. c. VIII.
(262) Ex lib. III, in Job, XXI.

Digitized by Google

fius esse in præscientia designetur, quia quæcunque se in natura humanitatis innotuit scire, hæc nimirum ante sæcula ex divinitate præscivit. Qui unde spiritum in naribus habuerit mox propheta subjungit, dicens : *Quia excelsus reputatus est ipse* (*Isa. id.*). Ac si diceret : In inferioribus ventura desuper præscivit, quia ad ima de cœlestibus venit. Sancti etiam viri, quia ab illo audita crediderunt, ipsi quoque jam ventura præsciunt; dumque ejus fideliter præceptis inserviunt, adventum illius spe certa præstolantur.

CAPUT XIV.

DE ORE.

Scriptura sacra oris nomine aliquando cordis cogitatio, aliquando locutio, aliquando prædicator sanctus, aliquando Unigenitus Dei, aliquando prædicatores Antichristi, aliquando doctorum scientia, aliquando suggestiones antiqui hostis designantur.

(263) Oris nomine cordis cogitatio designatur, sicut per Sophar de hypocrita dicitur : *Cum dulce fuerit in ore ejus malum, abscondit illud sub lingua sua* (*Job* xx, 12). In ore hypocritæ malum dulce est, quia ei est iniquitas suavis in mente. Os quippe cordis cogitatio est, de qua scriptum est : *Labia dolosa in corde et corde locuta sunt mala* (*Psal.* xi, 3). Sed hoc malum quod in ore hypocritæ est, sub lingua ejus absconditur, quia asperitas malitiæ, quæ latet in mente, sub tegmine blandæ locutionis operitur. Malum namque in lingua esset, et non sub lingua, si loquens hypocrita malitiam suæ pravitatis aperiret. Sed, sicut plerique justorum, cum quosdam agere perverse **226** aspiciunt, qui duris sunt increpationibus feriendi in lingua asperitatem sumunt, sed sub lingua mentis suæ benignitatem contegunt. Unde sanctæ Ecclesiæ Sponsi voce dicitur : *Mel et lac sub lingua tua* (*Cant.* 4, 11). Qui enim mentis suæ dulcedinem aperire infirmis nolunt, sed loquentes quadam eos asperitate feriunt, emittunt quædam blanda et dulcia quibus contristata mens in eis possit ex benignitate refoveri. Ita perversi quique non in lingua, sed sub lingua habent, qui sermonibus dulcia prætendunt, et cogitationibus perversa moliuntur. Hinc est enim quod Joab Amasæ mentum dextera tenuit; sed sinistram ad gladium latenter mittens, ejus viscera effudit. Dextera quippe mentum tenere est quasi ex benignitate blandiri. Sed sinistram ad gladium mittit, qui latenter ex malitia percutit. Hinc de ipso quoque capite eorum scriptum est : *Sub lingua ejus labor et dolor* (*Psal.* ix, juxta Hebr.). Qui non aperte mala quæ cogitat ostendit, laborem et dolorem eorum quorum mortem appetit, non in lingua exerit, sed sub lingua premit.

(264) Oris nomine locutio designatur, sicut per beatum Job dicitur : *Manum tuam ponam super os meum* (*Job* xxxix, 34). Usu enim sacri eloquii in manu operatio, in ore locutio solet intelligi. Manum ergo super os ponere est virtute boni operis culpas tegere incautæ locutionis. Quis enim inveniri potest qui quamlibet perfectus sit, de otioso tamen sermone non peccet, Jacobo attestante, qui ait : *Nolite plures magistri fieri. In multis enim offendimus omnes?* (*Jac.* iii, 1, 2.) Et rursum : *Linguam nullus hominum domare potest* (*Ibid.*, 8). Cujus culpas redarguens per semetipsam Veritas dicit : *Dico autem vobis quia omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii* (*Matth.* xii, 36). Sed sancti viri ante oculos Domini student culpas linguæ tegere meritis vitæ, student pondere bonorum operum premere immoderata verborum. Unde et in sancta Ecclesia manus super os ponitur, dum in electis ejus quotidie otiosæ locutionis vitium virtute bonæ actionis operitur : sicut scriptum est : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* xxxi, 1). Sed rursum, cum scriptum sit : **227** *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus* (*Hebr.* vi). Quomodo tegi possunt, quæ ejus oculis, cui cuncta nuda sunt, abscondi nequaquam possunt? Sed quia hoc quod tegimus, inferius ponimus, atque hoc unde tegimus nimirum superducimus, ut quod est subterpositum tegamus, tegere peccata dicimur quæ quasi subter ponimus dum abdicamus. Eisque aliud superducimus, dum bonæ actionis opus ad hoc post eligimus, ut præferamus. Qui ergo opera mala deserit, et bona posterius facit, per hoc quod addit transactam nequitiam tegit ut boni operis merita superducat.

(265) Oris nomine prædicator sanctus designatur, sicut per prophetam Dominus dicit : *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris* (*Jer.*, xvii, 19). Sciendum magnopere est quia tantum unaquæque anima fit pretiosior ante oculos Dei, quanto pro amore veritatis fuerit despectior ante oculos suos. Hinc ad Saul dicitur : *Nonne, cum parvulus esses in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israel?* (*I Reg.* xv, 17.) Ac si aperte diceret : Magnus mihi fuisti, quia despectus tibi es, factus es despectus mihi. Unde per prophetam dicitur : *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes* (*Isa.* v, 21). Tanto ergo fit quisque vilior Deo quanto pretiosior sibi; tanto pretiosior Deo, quanto propter eum vilior sibi, quia *humilia respicit, et alta a longe cognoscit* (*Psal.* cxxxvii, 6). Bene ergo dicitur : *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* Vilis quippe Deo est mundus præsens, pretiosa est ei anima humana. Quia ergo pretiosum a vili separatur, quasi os Domini vocatur, quia per eum Dominus sua verba exerit, qui ab amore sæculi, loquendo quæ potest humanam animam evellit.

(266) Oris nomine Unigenitus Dei designatur, sicut per Eliu dicitur : *Audiet auditionem in terrore vocis ejus, et sonum de ore illius* (*Job* xxxvii, 2).

(263) Ex l. xv, in Job, c. v, ante finem.
(264) Ex l. xxxii, in c. ii.
(265) Ex l. xviii in Job, c. xx.
(266) Ex l. xxvii in Job, cap. x, 13.

Digitized by Google

Mos sacri eloquii est, ut cum audiri aliquid per auditum insinuat, audiri eumdem auditum dicat, sicut Habacuch ait : *Domine, audivi auditum tuum, et timui* (*Habac.* III, 2). Unde hic quoque dicitur : *Audiet auditionem in terrore vocis ejus.* Ore Dei potest unigenitus designari Filius, qui, sicut brachium ejus **228** dicitur, quia per eum cuncta operatur de quo Joannes dicit : *Et omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I, 3), ita etiam os ejus dicitur. Hinc est enim quod propheta ait : *Os Domini locutum est hæc* (*Psal.* LVIII, 14). Per quem nobis omnia loquitur, ac si oris nomine patenter diceretur verbum. Sicut nos quoque pro verbis dicere linguam solemus, ut cum Græcam, vel Latinam linguam dicimus, Latina vel Græca lingua verba monstremus. Os ergo Domini non immerito ipsum accipimus. Unde et ei sponsa in Canticis canticorum dicit : *Osculetur me osculo oris sui* (*Cant.* I, 1). Ac si dicat : Tangat me dulcedine præsentiæ unigeniti Filii Redemptoris mei. Per sonum vero oris potest ejusdem Dei Domini Spiritus sanctus designari. Unde et alias in ejusdem spiritus significatione scriptum est : *Factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis* (*Act.* II, 2). Sonus ergo de ore Domini procedit, cum substantialis ei Spiritus ad nos per Filium veniens, surditatem nostræ insensibilitatis rumpit, sicut de eodem sono incircumscripto atque incorporeo os Domini loquitur, dicens : *De meo accipiet, et annuntiabit vobis* (*Joan.* XVI, 14). Potest ergo per terrorem vocis, vis fortitudinis ; et per sonum oris, dulcedo consolationis intelligi, quia quos Spiritus sanctus replet, prius eos de terrena actione terrificat, et postmodum spe cœlestium consolatur, ut tanto post confidendo de primis gaudeant, quanto prius sola supplicia conspiciendo metuebant. Hinc est enim quod de Unigeniti spiritu, quasi de hoc oris sono Paulus dicat : *Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in timore. Sed accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus : Abba Pater* (*Rom.* VIII, 15). Hinc per semetipsam Veritas dicit : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt* (*Joan.* XX, 23). Ecce conversorum terror vertitur in potestatem, quia, dum mala sua pœnitendo puniunt, usque ad exercendum judicium ascendunt, ut hic in Deo posse accipiant, quæ prius de Deo ipsi metuebant. Judices quippe fiunt, qui supernum judicium perfecte timuerunt, et aliena jam incipiunt peccata dimittere, qui prius formidaverunt ne retinerentur sua.

229 (267) Oris nomine prædicatores Antichristi designantur, sicut voce Dominica de ipsa ad beatum Job dicitur : *De ore ejus lampades procedunt* (*Job* XLI). Sicut qui provident, oculi, sic qui prædicant, os vocantur. Sed de hoc ore lampades exeunt, quia mentes audientium ad amorem perfidiæ accendunt. Et unde quasi per sapientiam lucent, inde procul dubio per nequitiam concremant.

(267) Ex l. XXIII in Job, c. XXVI.

Oris nomine doctorum scientia designatur, sicut de prædicatoribus Antichristi sub equorum nomine, in Apocalypsi dicitur : *Potestas equorum in ore, et in caudis erat eorum* (*Apoc.* IX, 19). In ore namque doctorum scientia, in cauda vero sæcularium potentia figuratur. Per caudam quippe, quæ retro est, hujus sæculi postponenda temporalitas designatur. De qua Paulus apostolus dicit : *Unum autem quæ retro sunt oblitus, ad ea, quæ ante sunt extentus* (*Philipp.* III, 13). Retro enim omne quod transit : ante vero, omne quod veniens permanet. Istis ergo equis, id est nequissimis prædicatoribus ubique carnali impulsu currentibus, in ore et in cauda potestas est, quia ipsi perversa suadendo prædicant, sed temporalibus potestatibus fulti, per ea quæ retro sunt, exaltant.

Oris nomine suggestiones antiqui hostis designantur, sicut de ipso ad beatum Job voce Dominica dicitur : *In medium oris ejus quis intrabit?* (*Job* XLI, 4.) In medium oris ejus intrare est calliditatis ejus verba penetrare, ut nequaquam penset quod resonant, sed quo intendant. Bonum namque videtur promittere ; sed ad perditum finem trahunt. Intrare Adam in medium oris ejus voluit, quando intentionem persuasionis illius caute pensare neglexit. Divinitatem quippe se per illum accipere credidit, et immortalitatis gratiam amisit : et unde ab intellectu verborum ejus incaute exterius stetit, inde se ori illius devorandum funditus præbuit. Quia ergo antiquus hostis fidelium mentes corrumpere aliquando ostensione sua, aliquando suggestione conatur (agit enim modo opere, modo persuasione) recte dicitur : *Et in medium oris ejus quis intrabit?* Subaudis nisi ego qui per discretas **230** electorum mentes suggestionum ejus verba discutio, et non ita hæc esse, ut sonuerint, manifesto.

CAPUT XV.

DE LINGUA.

In Scriptura sacra linguæ nomine aliquando aperta locutio, aliquando falsitatis doctrina, aliquando Spiritus sanctus designatur.

(268) Linguæ nomine aperta locutio designatur, sicut per beatum Job amicis suis dicitur : *Loquentes id quod justum est judicate : et non invenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit* (*Job* VI). Is namque qui loquitur, dum de verbis suis auctoris sententiam exspectat, quasi ejus judicio supponitur a quo auditur. Qui igitur in dictis suis reprobari metuit, ipse prius debet examinare quod dicit, quatenus inter cor et linguam æquus districtusque arbiter sedeat, subtiliter pensans si recta verba cor afferat, quæ utiliter suscipiens in auditorum judicium lingua perducat. Beatus igitur Job contra amicos agens, sed contra hæreticos nostra denuntians, præcipitationem loquentium deprehendat, atque ad eorum mentem verba recolat dicens : *Loquentes id quod justum est, judicate.* Ac si aperte diceret : Si in eo quod ad nos

(268) Ex l. VIII in Job, c. II.

Digitized by Google

per egressum locutionis exitis, reprehendi non vultis, intus justitiæ libram tenete, ut tanto foris quod dicitur, ex veritatis pondere placeat, quanto hoc interius trutina discretionis pensat.

Et non invenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit. Ac si apertius diceret : Si subtilius vestra perpenditis, verius aliena pensatis; et cum rectum cœperit esse quod dicitis, justum cognoscetis quod auditis; nequaquam quippe mea vobis lingua stultitiam resonat, si a vestra conscientia **231** non procedat. Si sancta Ecclesia studet prius assertiones hostium falsas ostendere, et tunc prædicamenta veritatis aperire, quia, cum recta se tenere æstimant, recta quæ audiunt, contumaciter impugnant. Ante ergo necesse est ut errorem suum hæretici sentiant, ne auditæ veritati contradicant; quia, etsi camporum sentes, si arator vomeris scissione non eruit, terra accepta semina in segetem non producit, et cum putredinem medicus vulneris apertione non ejicit, nequaquam in loco putredinis sana caro coalescit. Prius ergo perversa destruens, dicat : *Loquentes id quod justum est judicate.* Post autem recta insinuans, subjungit : *Et non invenietis in lingua mea iniquitatem.* Solent autem hæretici alia aperte dicere, alia in occultis tenere. Per linguam aperta locutio, per fauces vero, occulta tractatio designatur. Sanctæ ergo Ecclesiæ nec in lingua iniquitas, nec in faucibus stultitia, resonat, quia ea, quæ per publicam locutionem prædicat, etiam per intimam fidem servat; nec in aperto aliud docet, sed quod sentit loquendo docet, et quod loquitur vivendo custodit, ac de sapientiæ supernæ convivio, quidquid per linguam prædicat, emanat; per fauces tacitæ exspectationis degustat.

(268*) Linguæ nomine, falsitatis doctrina designatur, sicut voce Dominica ad beatum Job dicitur sub nomine leviathan : *Et fune ligabis linguam ejus* (*Job* XL, 20). Scriptura enim sacra fune aliquando dimensionum sortes, aliquando peccata, aliquando autem fidem designare consuevit. Nam propter hæreditarias divisionum sortes dicitur : *Funes ceciderunt in præclaris, et hæreditas præclara est mihi* (*Psal.* XV, 6). Funes quippe in præclaris cadunt, dum per humilitatem vitæ, sortes nos melioris patriæ excipiunt. Rursum, quia fune peccata signantur, per prophetam dicitur : *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis* (*Isa.* V, 18). Iniquitas namque in funiculis vanitatis trahitur dum per augmentum culpa protelatur. Unde et per Psalmistam dicitur : *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* (*Psal.* CXVIII, 61). Quia enim funis addendo torquetur, ut crescat, non immerito peccatum in fune figuratur, quod perverso corde sæpe, dum defenditur, **232** multiplicatur. Rursum fune fides exprimitur, Salomone attestante, qui ait : *Funiculus triplex difficile rumpitur* (*Eccle.* IV, 12), quia fides, videlicet quæ de cognitione Trinitatis ab ore prædicantium texitur, fortis in electis permanet, in solo reproborum corde dissipatur. Hoc itaque loco funis nomine, sive peccatum, sive fidem nil obstat intelligi. Incarnatus etenim Dominus noster fune leviathan linguam ligavit, qui in similitudine carnis peccati apparuit, et omnia errorum ejus prædicamenta damnavit. Unde Paulo testante dicitur : *Et de peccato damnavit peccatum* (*Rom.* VIII, 3). Fune ergo linguam ligavit, qui per similitudinem carnis peccati, ab electorum suorum cordibus cuncta ejus facile argumenta destruxit. Ecce enim apparente in carne Domino leviatham lingua ligata est, quia veritate ejus cognita, illæ falsitatis doctrinæ tacuerunt. Cuncta jam erroris doctrina conticuit, quia leviatham linguam Dominus incarnationis suæ fune constrinxit.

(269) Linguæ nomine Spiritus sanctus designatur, sicut in Actibus apostolorum legitur, quia idem Spiritus sanctus super discipulos in igneis linguis descendit (*Act.* II, 3). Bene namque in igne apparuit Spiritus, quia ab omni corde quod replet, torporem frigoris excutit, et in desiderium suæ æternitatis hoc accendit. In igneis autem linguis monstratus est, quia idem Spiritus coæternus est Filio, et habet cognationem maximam lingua cum verbo. Verbum quippe Patris est Filius : et quia una est spiritus substantia, idem Spiritus monstrari debuit in lingua. Vel certe quia per linguam procedit verbum, in linguis apparuit Spiritus, quia quisquis Spiritu sancto tangitur, Dei Verbum, id est unigenitum Filium confitetur. Et negare Dei Verbum non valet, quia jam sancti Spiritus linguam habet. Vel certe in linguis igneis apparuit Spiritus sanctus, quia quos repleverit, ardentes pariter, et loquentes facit. Linguas namque igneas doctores habent, quia, dum Deum amandum prædicant, corda audientium inflammant. Nam otiosus sermo doctoris est, si præbere non valet incentivum amoris.

233 CAPUT XVI.

DE DENTIBUS.

(269*) Dentium nomine sancti apostoli designantur, sicut per beatum Job in persona nostri Redemptoris dicitur : *Derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos* (*Job* XIX, 20). Quid enim per labia, nisi locutio? quid per dentes, nisi sancti apostoli figurantur? Ipsi quippe in Ecclesiæ corpore sunt positi, ut vitam carnalium correptione mordeant, eamque a suæ pertinaciæ duritia confringant. Unde et primo apostolorum quasi denti in ejus corpore posito dicitur : *Macta et manduca* (*Act.* X). Sed, quia passionis Christi tempore isti dentes præ timore mortis amiserunt fiduciam roboris, amiserunt fiduciam omnimodæ operationis, ita ut duo ex illis ambulantes post ejus mortem ad resurrectionem, in via loquerentur et dicerent : *Nos sperabamus quia ipse esset redempturus Israel* (*Luc*, XXIV, 21); recte nunc dicitur : *Et derelicta sunt tantummodo labia mea circa dentes meos.* Con-

(268*) Ex l. XXXIII in Job, c. IX.
(269) Ex hom. XXX in Evang.
(269*) Ex l. XIV in Job. cap, XXIII, XXIV.

Digitized by Google

fabulabantur quippe adhuc de illo, sed jam in illum minime credebant. Tantummodo ergo labia circa dentes ejus remanserant, quia virtutem bonæ operationis amiserant, et sola de illo confabulationis verba retinebant. Perdiderunt morsum correptionis, et habebant motum locutionis. Labia itaque tantummodo circa dentes relicta sunt, quia adhuc quidem confabulari noverant, sed prædicare jam eum, aut mordere infidelium vitia formidabant.

(270) Dentium nomine, generaliter sancti prædicatores designantur, sicut sanctæ Ecclesiæ sparsæ de ipsis dicitur: *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro* (*Cant.* IV, 2). Quid enim dentes Ecclesiæ, nisi prædicatores sanctos accipimus, qui prædicationibus suis peccantium duritiam conterunt? Qui non immerito detonsis ac lotis ovibus comparantur, quia innocuam vitam sumentes in lavacro baptismatis, conversationis pristinæ vellera vetusta posuerunt.

234 (270*) Dentium nomine interni sensus designantur, sicut per beatum Job dicitur: *Quare lacero carnes meas dentibus meis et animam meam porto in manibus meis?* (*Job.* XIII.) Per dentes etenim cibus frangitur, ut glutiatur. Unde non immerito in dentibus internos sensus accipimus, qui singula, quæ cogitant, quasi mandunt et comminuunt, atque ad ventrem memoriæ transmittunt. De quibus propheta Jeremias queritur dicens: *Fregit ad numerum dentes meos* (*Thren.* III, 16). Dentes namque ad numerum franguntur, quia juxta mensuram uniuscujusque peccati, intelligentiæ cæcitas generatur in sensibus, et secundum quod quisque egit exterius, in eo obstupescit quod de internis atque invisibilibus intelligere potuit. Unde et recte scriptum est: *Omnis homo qui comederit uvam acerbam, obstupescent dentes illius* (*Hier.* XXXI, 29). Quid autem uva acerba nisi peccatum est? Uva quippe acerba est fructus ante tempus. Quisquis autem præsentis vitæ delectationibus satiari desiderat, ante tempus comedere festinat. Qui igitur uvam acerbam comedit, dentes ejus obstupescunt, quia, qui præsentis mundi delectatione pascitur, interni ejus sensus ligantur, ut jam spiritualia mandere, id est intelligere nequeant, quia unde in exterioribus delectati sunt, inde in intimis obstupescunt. Et, dum peccato anima pascitur, panem justitiæ edere non valet, quia ligati dentes ex peccati consuetudine, justum quod intus sapit, edere nequaquam possunt. *Quare lacero carnes meas dentibus meis.* Ac si patenter dicat: Cum internis sensibus carnalia, si qua fuerint in me facta, discutio, si meis spectatoribus prodesse non possum? Vere et apte subditur: *Et animam meam porto in manibus meis.* Animam in manibus portare est intentionem cordis in operatione ostendere. Habent namque justi hoc proprium, ut per omne quod dicunt, aut omne quod agunt, non solum profectum suum, sed et proximorum ædificationem quærant. Et aliquando in quibusdam semetipsos dijudicant, ut pigros auditores ad considerandos semetipsos revocent. Aliquando bona opera ostendunt, ut spectatores eorum erubescant non imitari quod vident. Scriptum namque est: *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem* **235** *vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* V, 16). Qui igitur intentionem suam per opera insinuat, animam suam in manibus portat. Sed, cum justus quisque nec se dijudicando, nec bona opera ostendendo utilitati proximorum proficit, per hoc quod egerit, ad verba doloris redit. Unde recte nunc dicitur: *Quare lacero carnes meas dentibus meis*, etc., id est cur me vel districte coram hominibus dijudico, vel quid appetam in operibus ostendo, si utilitati proximorum nec mala dijudicando, nec bona ostendendo proficio?

(271) Dentium nomine aperti persecutores bonorum designantur, sicut per beatum Job dicitur: *Collegit furorem suum in me, et comminans mihi infremuit contra me dentibus: hostis meus terribilibus oculis me intuitus est* (*Job* XVI, 10). Quid aliud omnes iniqui, quam membra sunt diaboli? Ipse itaque per eos agit quidquid in eorum cordibus ut agere debeant immittit. Habet autem nunc diabolus contra Ecclesiam furorem, sed sparsus ejus furor est, quia occultas tentationes per singulos movet. Cum vero contra eam in aperta persecutione prorumpit, furorem suum in eam colligit, quia in afflictione illius tota se intentione constringit. Membra autem ejus hoc pacis tempore idcirco contra electos collectum furorem non habent, quia malitiam suam minus se sentiunt posse implere, quam volunt. Cum vero sibi suppetere licentiam pravitatis aspexerint, tanto hanc audacius feriunt, quanto et contra illam ex unanimitate glomerantur. Recte itaque nunc dicitur: *Collegit furorem suum in me.* Cujus adhuc furor, ut latius exponatur, dicitur: *Et comminans mihi fremuit contra me dentibus suis.* De quo et subditur: *Hostis meus terribilibus oculis me intuitus est.* Ille quippe antiquus hostis Ecclesiæ contra hanc dentibus fremuit, eamque terribilibus oculis intuetur, quia per alios crudelia exercet, et per alios quæ exerceat, providet. Dentes namque hujus hostis sunt bonorum persecutores atque carnifices, qui ejus membra laniant, dum electos illius suis persecutionibus affligunt. Oculi vero hujus hostes sunt, qui contra eam provident mala quæ faciant, suisque consiliis persecutorum ejus **236** crudelitates inflammant. Antiquus ergo ejus adversarius fremit contra eam dentibus suis, dum per crudeles reprobos in ea insequitur vitam bonorum. Intuetur hanc terribilibus oculis, quia pravorum consiliis non cessat mala exquirere, in quibus hanc semper deterius affligat.

(271*) Dentium nomine pravæ suggestiones designantur, sicut per Eliphas hæretici gloriantes di-

(270) Ex l. II in Job, c. XV, XVIII.
(270*) Ex lib., etc. super

(271) Ex lib. XIII in Job, c. V, 6.
(271*) Lib. III, c. XVIII.

Digitized by Google

cunt : *Rugitus leonis, et vox leænæ, et dentes catulorum leonum contriti sunt* (*Job* IV, 10). Require in capit. De leæna.

(272) Dentium nomine, pravi prædicatores designantur, sicut voce Dominica ad beatum Job de Antichristo dicitur : *Per gyrum dentium ejus formido* (*Job* XLI). Perversi etenim prædicatores dentes sunt, quia eos, quos in errorem capiunt, a veritatis soliditate confringunt. Sicut enim sanctæ Ecclesiæ dentes accipimus eos, qui prædicationibus suis peccantium duritiam conterunt, unde ei per Salomonem dicitur : *Dentes tui sicut grex tonsarum ascendentium de lavacro* (*Cant.* IV, 2). Itaque dentibus Antichristi errorum magistri figurantur, qui reproborum vitam mordendo dilaniant, et eos a veritatis integritate subductos, in sacrificio falsitatis maciant. Quorum quidem prædicatio facile despici ab auditoribus poterat, sed hanc ante humana judicia adjunctus et potestatum sæcularium terror exaltat. Recte ergo dicitur : *Per gyrum dentium ejus formido;* id est prædicatores Antichristi perversæ hujus sæculi potestates protegunt. Nam quos illi appetunt loquendo seducere, multi potentium student sæviendo terrere. Per gyrum ergo dentium, ejus formido est : ac si aperte diceretur : Idcirco perversi prædicatores aliquos suadentes conterunt, quia sunt circa ipsos alii, qui infirmorum mentes terrentes affligunt.

(272*) Dentium nomine, aperta jam culpæ perpetratio designatur, sicut per beatum Job in figura Ecclesiæ dicitur : *Conterebam quondam molas iniqui, et dentibus illius auferebam prædam* (*Job* XXIX, 17). Quis namque iniquus dici potest verius quam diabolus? Cujus molas conterimus quoties, **237** disserendo contra ejus insidias, occulta illius machinamenta monstramus, ac sic de ejus dentibus prædam tollimus, quia mentem, quam jam ad peccatum frangendo momorderat, ad salutem vitæ convertendo revocamus. Per molas quippe occultæ ejus insidiæ, per dentes vero, aperta jam culpæ perpetratio demonstratur. De quibus nimirum molis et dentibus per Psalmistam scribitur : *Deus conteret dentes eorum, in ore ipsorum molas leonum confringet Dominus* (*Psal.* LVII). Sed sanctus vir ante se asserit molas conterere, ut post de dentibus potuisset prædam auferre, quia tunc veraciter prædam de ejus dentibus tollimus, cum prius molas illius conterere scimus. Prius enim necesse est occulta consiliorum machinamenta prodere, ut auditoris nostri animam valeamus postmodum ab aperto lapsu revocare.

CAPUT XVII.

DE SALIVA.

In Scriptura sacra salivæ nomine aliquando sapor contemplationis, aliquando sapientia intelligitur.

(273) Salivæ nomine, intimæ contemplationis sapor designatur, sicut per beatum Job dicitur : *Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me ut glutiam salivam meam* (*Job* VII, 19). Saliva in os ex capite delabitur, ab ore vero ad ventrem delabitur cum glutitur. Quid itaque est caput nostrum, nisi divinitas per quam essendi principium sumimus, ut creatura simus, Paulo attestante, qui ait : *Caput viri Christus : caput autem Christi Deus est* (*I Cor.* XI, 3). Quid autem venter noster est, nisi mens quæ, dum cibum suum supernum, videlicet intellectum suscipit, refecta procul dubio omnium membra actionum regit? Nisi enim sacra eloquia mentem nomine ventris exprimerent, Salomon utique non dixisset : *Lucerna Domini, spiraculum hominis, quæ investigat omnia secreta ventris* (*Prov.* XX, 27). Quia nimirum **238** dum nos gratia superni respectus illuminat, cuncta etiam mentis nostræ nobis absconsa manifestat. Quid ergo salivæ nomine nisi sapor intimæ contemplationis accipitur, quæ ad os a capite defluit, quia de claritate Conditoris adhuc in hac vita nos positos vix gustus revelationis tangit? Unde et Redemptor veniens salivam luto miscuit, et cæci nati oculos reparavit (*Joan.* IX), quia superna gratia carnalem cogitationem nostram per admistionem suæ contemplationis irradiat, et ab originali cæcitate hominem ad intellectum reformat. Nam, quia a paradisi gaudiis expulsum, in hoc jam exsilio natura edidit, quasi a nativitate homo sine oculis processit. Sed, sicut sanctus vir insinuat, hæc saliva ad os quidem labitur, ut vero usque ad ventrem perveniat non glutitur, quia divinitatis contemplatio sensum tangit, sed plene mentem non reficit, quoniam perfecte alius conspicere non valet, quod adhuc, quia caligo corruptionis præpedit, raptim videt. Ecce enim electorum mens jam terrena desideria subjicit, jam cuncta quæ considerat præterire transcendit, jam ab exteriorum delectatione suspenditur, et quæ sunt bona invisibilia rimatur. Atque hoc agens plerumque in dulcedinem supernæ contemplationis rapitur, jamque de intimis aliquid quasi per caliginem conspicit, et ardenti desiderio interesse spiritualibus angelorum mysteriis conatur, gustu incircumscripti luminis pascitur, et ultra se erecta ad semetipsam relabi dedignatur. Sed, quia adhuc corpus quod corrumpitur aggravat animam (*Sap.* IX, 15), inhærere diu luci non valet, quam raptim videt. Ipsa quippe carnis infirmitas transcendentem se animam retrahit, atque ad cogitanda ima atque necessaria suspirantem reducit. Saliva ergo ex capite defluens os tangit, sed ad ventrem minime pervenit, quia liquore supernæ contemplationis jam quidem intellectus noster infunditur, sed nequaquam mens plene satiatur. In ore enim gustus est, in ventre satietas. Salivam itaque glutire non possumus, quia supernæ claritatis dulcedine satiari non permittimur, quod adhuc extremitate gustamus. Sed, quia hoc ipsum, quod utcunque jam super nos co-

(272) Ex lib. III, in Job, c. XXIII.
(272*) Ex lib. IX, c. XV, 24.
(273) Ex lib. VIII in Job, c. XVIII.

Digitized by Google

gnoscimus, ex pietate parcentis est; quod vero hoc **239** percipere perfecte non possumus, adhuc ex pœna vetustæ damnationis recte nunc dicitur : *Usquequo non parcis mihi nec dimittis me ut glutiam salivam meam?* Ac si aperte diceretur : Tunc homini plene parcis, cum hominem ad perfectionem tuæ contemplationis admiseris, ut claritatem tuam raptus interius videat, et eum carnis suæ corruptio exterius non repellat. Tunc permittas ut salivam glutiam, cum me sapore tuæ claritatis usque ad abundantiam satietatis infuderis, ut nequaquam jam per indigentiam gustu oris esuriam, sed in te solidatus irrigato mentis ventre subsistam.

(274) Salivæ nomine sapientia designatur, sicut in Evangelio legitur : *Quia Dominus expuens tetigit linguam muti, et statim solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur recte* (*Marc.* VII, 35). Quid enim est quod expuens linguam ejus tetigit, nisi quod saliva nobis est ex ore Redemptoris, accepta sapientia in eloquio divino? Saliva quippe ex capite defluit in ore. Ea ergo sapientia quæ ipse est, dum lingua nostra tangitur, mox ad prædicationis verba formatur.

CAPUT XVIII.

DE MAXILLIS.

(275) Maxillarum nomine, prædicatores sancti designantur, sicut sub Judææ specie per Jeremiam dicitur : *Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus* (*Thren.* I, 2). In adversitate quippe Ecclesiæ illi amplius plangunt, qui vitam carnalium confringere prædicando noverunt. Per ipsos namque sancta Ecclesia iniquos a vitiis conterit, et quasi glutiens in sua membra convertit. Unde ipsi quoque primo pastori velut maxillæ Ecclesiæ dicitur : *Macta et manduca* (*Act.* X, 13). Hinc est etiam quod Samson et maxillam asini tenuit, et hostes peremit (*Judic.* XV), quia Redemptor noster simplicitatem, atque patientiam prædicantium suæ manu virtutis tenens, a vitiis suis carnales interfecit. Et maxilla in terram postmodum aquas fudit, quia data morti prædicatorum corpora, magna populis monstravere miracula. **240** Unde beati membri sui Job voce sancta Ecclesia conqueritur dicens : *Percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis* (*Job* XVI). Maxillam namque Ecclesiæ perversi feriunt, cum bonos prædicatores insequuntur : et, quia tunc reprobi grande aliquid fecisse se æstimant, cum vitam prædicatorum necant, post percussionem maxillæ apte subjungitur : *Saturati sunt pœnis meis.* Illa quippe eos pœna saliat, quæ mentem Ecclesiæ præcipue castigat.

CAPUT XIX.

DE GENIS.

(276) Genarum nomine spiritales Patres designantur, sicut sanctæ Ecclesiæ in Canticis canticorum dicitur : *Sicut cortex mali punici genæ tuæ absque occultis tuis* (*Cant.* VI, 6). Genæ quippe sanctæ Ecclesiæ sunt spirituales Patres, qui nunc in ea miraculis coruscant, et velut in ejus facie venerabiles apparent. Cum enim videmus multos mira agere, ventura prophetare, mundum perfecte relinquere, cœlestibus desideriis ardere, sicut cortex mali punici, sanctæ Ecclesiæ genæ rubent. Sed quid est istud omne quod miramur in illius rei comparatione de qua scriptum est : *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se* (*Isai.* LXIV, 4). Bene ergo cum miraretur genas Ecclesiæ, subdidit, *absque occultis tuis*, ac si aperte diceret : Ea quidem quæ in te non latent, magna sunt; sed illa valde ineffabilia quæ latent.

241 CAPUT XX.

DE FACIE.

In Scriptura sacra faciei nomine aliquando mens, aliquando mentis intentio, aliquando quilibet Ecclesiæ prælatus, aliquando cognitio diaboli, aliquando rei præsentia, aliquando animadversionis ultio designatur.

Faciei nomine mens designatur, sicut per Sophar dicitur : *Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris a te, et non manserit in tabernaculo tuo injustitia, tunc elevare poteris faciem tuam absque macula, et eris stabilis, et non timebis* (*Job* XI, 14, 15). Omne peccatum aut sola cogitatione committitur, aut cogitatione simul et opere perpetratur. Iniquitas ergo in manu est, culpa in opere; injustitia vero in tabernaculo, iniquitas in mente. Mens quippe nostra non incongrue vocatur, in qua apud nosmetipsos abscondimur, cum foris in opere non videmur. Sophar itaque, quia justi viri amicus est, novit quid dicat; sed, quia justum increpat hæreticorum tenens speciem, proferre recte etiam quæ novit ignorat. Sed nos, calcantes hoc quod ab eo tumide dicitur, pensemus verba ejus quam vera sint, si recte dicerentur. Prius enim a manu iniquitatem subtrahi, et post a tabernaculo monet injustitiam abscindi, quia quisquis jam prava a se opera exterius resecat, necesse profecto est ut ad semetipsum rediens, solerter sese in mentis intentione discernat, ne culpa quam in actione non habet, adhuc in cogitatione perduret. Unde bene etiam per Salomonem dicitur : *Præpara foris opus tuum, et diligenter exerce agrum tuum, ut postea ædifices domum tuam* (*Prov.* XXIV, 27). **242** Quid namque est præparato opere agrum diligenter exterius exercere, nisi evulsis et eradicatis iniquitatis sentibus actionem nostram ad frugem retributionis excolere? Et quid est post agri exercitium, ad ædificium domus redire, nisi quod plerumque ex bonis operibus discimus quantam vitæ munditiam in cogitatione construamus? Pene namque cuncta bona opera ex cogitatione prodeunt. Sed sunt et nonnulla cogitationis acumina, quæ ex operatione nascuntur. Nam, sicut ab anima opus summitur, ita rursus ab opere animus eruditur. Mens quippe divini amoris exordia capiens imperat bona

(274) Ex hom. 10 in Ezech.
(275) Ex lib. XIII in Job, c. 6.
(276) Ex hom. 16 in Ezech.

Digitized by Google

quæ fiunt. Sed, postquam fieri imperata cœperint, ipsis suis exercitata actionibus discit, cum imperare bona inchoaverat, quantum minus videbat. Foris ergo ager excolitur, ut domus postmodum construatur, quia plerumque ab exteriori opere summus quantam subtilitatem rectitudinis in corde teneamus. Quem bene Sophar servare ordinem studuit, cum prius auferri iniquitatem a manibus, et post a tabernaculo injustitiam dixit, quia nequaquam plene animus in cogitatione erigitur, quando adhuc ab eo extrinsecus in opere erratur. Quæ si perfecte duo hæc tergimus, ad Dominum statim sine macula faciem levamus. Tunc enim sine macula faciem ad Dominum levamus, cum nec nos prohibita mala committimus, nec ea, quæ in nobis commissa sunt, ex proprio zelo retinemus. Gravi namque mens nostra orationis suæ tempore confusione deprimitur, si hanc aut sua adhuc operatio inquinat, aut alienæ malitiæ servatus dolor accusat. Quæ duo quisque dum terserit, ad ea quæ subnexa sunt, protinus liber exsurgit : *Et eris stabilis, et non timebis*, quia nimirum tanto minus ad judicem trepidat, quanto animus in bonis actibus solidius stat. Timorem quippe superat, qui stabilitatem servat, quia, dum sollicitius studet peragere quod Conditor imperat, securus etiam cogitat quod terribiliter intentat.

(277) Faciei nomine, mentis intentio designatur, sicut beatus Job de iniquo quolibet dicit : *Operuit faciem ejus crassitudo* (*Job* xv, 27). Visus quippe in facie est, in qua et prima **243** corporis et honorabilior est pars. Non ergo immerito mentis intentio per faciem designatur, quam quolibet vertimus illuc videmus. Faciem ergo crassitudo operit, cum desiderata terrenarum rerum abundantia oculos mentis premit : et hoc quod in eis esse honorabile debuit, ante Dei oculos fœdat quia curis multiplicibus aggravat. Habent enim hoc potentes et iniqui proprium, ut fallacibus divitiis occupati veras Dei opes negligant : et quanto minus, quod verum est inquiritur, tanto amplius falsis divitiis extolluntur. Cura etenim multiplex terrenarum rerum, quia occupat, excæcat.

(278) Faciei nomine, sanctus quilibet Ecclesiæ prælatus designatur, sicut per beatum Job in persona Ecclesiæ dicitur : *Facies intumuit a fletu* (*Job* xvi, 17). Infirma membra sua, sancta Ecclesia, cum a peccatis retrahit, atque ad pœnitentiæ remedium ducit : hæc procul dubio fletibus adjuvat, ut ad recipiendam auctoris sui gratiam convalescant. Et per fortes plangit quod non fecit, quod tamen in membris suis debilibus quasi ipsa fecit. Unde bene nunc dicitur : *Facies mea intumuit a fletu* (279). Facies quippe sanctæ Ecclesiæ sunt hi qui in locis regiminum positi apparent primi, ut ex eorum specie sit honor fidelis populi, etiam si quid in corpore latet deforme. Qui nimirum prælati plebibus plangunt culpas infirmantium, seque sic de alienis lapsibus ac de propriis affligunt.

(280) Faciei nomine notitia designatur, sicut per Ezechielem, de quatuor evangelistis sub figura quatuor animalium dicitur : *Quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni* (*Ezech.* i, 6). Quid namque per faciem, nisi notitia? et quid per pennas, nisi volatus exprimitur? Per faciem quippe unusquisque cognoscitur. Per pennam vero in altum avium corpora sublevantur. Facies itaque ad fidem pertinet, penna ad contemplationem. Per fidem namque ab omnipotenti Deo cognoscimur, sicut ipse de suis ovibus dicit : *Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ* (*Joan.* x, 11). Qui rursus ait : *Ego scio quos elegerim* (*Joan.* xiii, 18). Per contemplationem vero, quasi **244** super nosmetipsos tollimur, quasi in aera levamur. Quatuor ergo facies uni sunt quia si requiras quid Matthæus de Incarnatione Domini sentiat, hoc nimirum sentit quod Marcus, Lucas et Joannes. Si quæras quid Joannes sentiat, hoc procul dubio quod Lucas, Marcus et Matthæus. Si quæras quid Marcus, hoc quod Matthæus, Joannes et Lucas. Si quæras quid Lucas, hoc quod Joannes, Matthæus et Marcus sentit. Quatuor facies uni sunt, quia notitia fidei, qua cognoscuntur a Deo, ipsa est in uno quæ est simul in quatuor. Quidquid enim in uno inveneris, in omnibus simul quatuor recognosces. *Et quatuor pennæ uni :* quia omnipotentis Dei Filium Dominum nostrum Jesum Christum, simul omnes concorditer prædicant : et ad divinitatem ejus mentis oculos levantes, penna contemplationis volant. Evangelistarum ergo facies ad humanitatem Domini pertinet, penna ad divinitatem, quia in eo, quem corporeum aspiciunt, quasi facies intendunt. Sed, dum hunc esse incircumscriptum atque incorporeum ex divinitate annuntiant, per contemplationis pennam quasi in aera levantur. Quia itaque una fides Incarnationis ejus in omnibus, et par contemplatio divinitatis ejus in singulis, recte nunc dicitur : *Quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni.*

(281) Faciei nomine cogitatio Dei intelligitur, sicut per Eliu de redempto homine dicitur : *Et videbit faciem ejus in jubilo* (*Job* xxxiii, 26). Superius dixerat quomodo Deus innotescendo affloit, nunc vero dicitur quomodo dum innotescit, exhilarat. Aliter enim quisque compungitur, cum interna intuens, malorum suorum pavore terretur ; aliter vero compungitur cum gaudia superna conspiciens spe quadam et securitate roboratur. Illa compunctio afficientes ac tristes, hæc vero lætas lacrymas movet. Jubilum namque dicitur, quando ineffabile gaudium mente concipitur, quod nec abscondi possit, nec sermonibus aperiri ; et tamen quibusdam motibus proditur, quamvis nullis proprietatibus exprimatur.

(277) Ex c. 22 in Job.
(278) Ex fine c. 6, l. xiii in Job.
(279) Ex c. 1. sup.
(280) Ex hom. iii in Ezech.
(281) Ex l. xxiv in Job c. v.

Digitized by Google

Urde David propheta intuens electorum animas tantum gaudium mente concipere, quantum non valent aperire, ait : *Beatus populus* **245** *qui scit jubilationem* (*Psal.* VII). Non enim ait, qui loquitur, sed qui scit : quia sciri quidem jubilatio intellectu potest, sed dictu exprimi non potest. Sentitur quippe per illam quod ultra sensum est. Et cum, vix ad hoc contemplandum sufficiat conscientia sentientis, quomodo ad hoc exprimendum sufficiet lingua dicentis ? Quia ergo cordibus nostris lux se veritatis insinuans modo districtam justitiam prætendendo contristat, modo interna gaudia aperiendo lætificat ; post tentationum amaritudines, post tribulationum luctus apte subjungitur : *Videbit faciem ejus in jubilo.* Menti enim nostræ de consideratione cæcitatis suæ prius ignis tribulationis immittitur, ut omnis vitiorum ærugo concremetur ; et tunc mundatis oculis cordis illa lætitia patriæ cœlestis aperitur, ut prius purgemus lugendo quod fecimus, et postmodum manifestius contemplemur per gaudia quod quærimus, prius a mentis acie, exsurgente tristitia interposita malorum caligo detergitur, et tunc resplendente raptim coruscatione circumscripti luminis illustratur. Visione igitur hac per contemplationem facta, facies Dei dicitur. Quia enim per faciem quemlibet agnoscimus, non immerito cognitionem Dei, faciem ejus vocamus. Unde Jacob postquam cum angelo luctatus est ait : *Vidi Dominum facie ad faciem* (*Gen.* XXXII, 30). Ac si diceret : Cognovi Dominum, quia me cognoscere ipse dignatus est. Quam cognitionem plenissime fieri Paulus in fine testatur dicens : *Tunc cognoscam, sicut et cognitus sum* (*I Cor.* XIII, 12). Quia ergo post laborum certamina, post tentationum fluctus sæpe in excessu anima suspenditur, ut cognitionem divinæ præsentiæ contempletur, quam tamen præsentiam et sentire possit, et explere non possit, recte post tot labores de hoc tentato homine dicitur : *Videbis faciem ejus in jubilo.*

(282) Faciei nomine cognitio diaboli intelligitur, sicut de eo voce Dominica ad beatum Job dicitur : *Faciem ejus præcedit egestas* (*Job* XLI, 13). Per faciem quippe notitia designari solet, unde scriptum est : *Facies mea præcedet te* (*Exod.* XXXIII, 14) id est, notitia ducatum præbebit. Sciendum vero est quod egestas in sacro eloquio, aliter electorum ponitur, **246** atque aliter reproborum. Egestas namque electorum est cum veræ divitiæ cœlestis patriæ ad eorum animum redeunt, et in hoc ærumnoso præsentis vitæ exsilio positi pauperes se esse meminerunt. Illas quippe divitias sine cessatione suspirant, de quibus Paulus dicit : *Ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis* (*Ephes.* I, 18). Et quia adhuc eas nequaquam conspiciunt studiose, interim in ærumna istius paupertatis gemunt. Hanc procul dubio Jeremias inspexerat, cum dicebat : *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus* (*Thren.* III, 1). Virga quippe indignationis Dei est percussio districtionis. Quam indignationem tunc homo pertulit, cum ex paradiso pulsus veras interni gaudii divitias amisit. Sed, quia electi quique incessanter conspiciunt, quod in præsentis vitæ penuriam ab illa potestatis ingenitæ facultate ceciderunt, bene dicitur : *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus.* Nunc hanc paupertatem reprobi considerare nesciunt, quia, dum sequuntur ea quæ conspiciunt, cogitare invisibilia negligunt, quæ perdiderunt. Unde et egestas eorum proprie dicitur, quia, dum replentur vitiis, virtutum divitiis vacuantur. Quibus sæpe evenit ut per elationis dementiam sublevati, dum nequaquam ruinæ suæ damna considerant, esse se etiam a bonis actibus inopes non agnoscant. Unde voce Domini angelo prædicanti Laodiceæ dicitur : *Dicis quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo, et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus et nudus* (*Apoc.* III, 17). Quasi divitem se asserit, qui per arrogantiam sanctitatis extollitur, sed pauper, et cæcus, et nudus arguitur. Pauper utique, quia virtutum divitias non habet ; cæcus, quia nec paupertatem quam patitur, videt ; nudus, quia primam stolam perdidit. Sed pejus, quia nec se perdidisse cognoscit. Quia ergo, ut diximus, egestas reproborum est defraudatio meritorum, recte de leviathan dicitur : *Faciem ejus præcedit egestas.* Nemo quippe cognitioni ejus jungitur, nisi prius virtutum divitiis denudetur. Prius enim bonas cogitationes subtrahit, et tunc eis apteriorem notitiam suæ iniquitatis infundit.

247 (283) Faciei nomine rei præsentia designatur, sicut per beatum Job in persona Ecclesiæ de iniquis dicitur : *Abominantur me, et longe fugiunt a me ; faciem meam conspuere non verentur* (*Job* XXX, 10). Longe namque a sancta Ecclesia fugiunt omnes iniqui, non passibus gressuum, sed qualitatibus morum. Longe fiunt non loco, sed merito, dum crescente superbia aperta eam exprobratione contemnunt ; faciem autem ejus conspuere est non tantum in absentia bonis detrahere, sed unumquemque justum etiam in præsentia confutare. Quos dum pravi aperte irridendo despiciunt, in eorum contumeliis fluxa verba quasi defluentes salivas emittunt.

(284) Faciei nomine animadversionis ultio designatur, sicut per beatum Job Domino dicitur : *Duo tantum ne facias mihi et tunc a facie tua non abscondar : manum tuam longe fac a me, et formido tua non me terreat* (*Job* XIII, 20). Quid enim hoc loco Dei faciem nisi animadversionem accipere debemus, in quo dum peccata respicit, punit ? A qua videlicet nullus etiam justus absconditur, si duo quæ postulat, non amoveantur. De quibus subditur : *Manum tuam longe fac a me, et formido tua non me terreat.* In quibus videlicet duobus, quid aliud per

(282) Ex l. XXXIV in Job, c. XXXII.
(283) Ex c. XVII, l. XX, in Job 119.
(284) Ex c. XX in Job, l. XI.

Digitized by Google

prophetæ vocem quam tempus gratiæ et redemptionis inquirit? Lex namque sub percussione ultionis, populum tenuit, ut quisquis sub illa peccaret, protinus morte puniretur. Nec plebs Israelitica ex amore Domino, sed timore serviebat. Nunquam vero impleri justitia per timorem potest; quia, juxta Joannis vocem : *Perfecta charitas foras mittit timorem* (*I Joan.* IV, 18). Paulus quoque adoptionis filios consolatur dicens : *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba, Pater* (*Rom.* VIII, 15). Ex voce igitur generis humani, legalis percussionis duritiam transire concupiscens, atque a formidine pervenire ad dilectionem appetens, quæ duo a se omnipotens Deus longe faciat, exorat dicens : *Manum tuam longe fac a me, et formido tua non me terreat*, id est percussionis duritiam remove a me, **248** formidinis pondus tolle, sed irradiante gratia dilectionis, spiritum securitatis infunde.

CAPUT XXI.

DE BARBA.

In Scriptura sacra barbæ nomine aliquando decor virtutis, aliquando fiduciæ propriæ virtutis intelligitur.

(285) Barbæ nomine decor virtutis designatur. Unde ad Ezechielem prophetam dicitur : *Tu, fili hominis, sume tibi gladium acutum radentem pilos, et assumes eum, et duces eum super caput tuum et barbam* (*Ezech.* V, 1). In quo videlicet prophetæ facto judicium Redemptoris exprimitur, qui in carne apparens caput rasit, quia a Judaico sacerdotio præceptorum suorum sacramenta abstulit; barbam rasit, quia regnum Israeliticum deserens decorem virtutis amputavit.

Barbæ nomine fiducia propriæ virtutis designatur, sicut Jeremias qui, dum gesta foris referre studuit, quæ intus apud nosmetipsos gererentur indicavit, dicens : *Venerunt octoginta viri de Sichem et de Silo, et de Samaria, rasi barba, et scissis vestibus, squalentes, munera et thus habebant in manu, ut offerrent in domo Domini. Egressus autem Ismael filius Nathaniæ in occursum eorum de Malpha, incedens et plorans ibat. Cumque occurrisset eis, dixit ad eos : Venite ad Godoliam filium Aicham. Qui, cum venissent ad medium civitatis, interfecit eos* (*Jer.* XLI, 5, etc.). Barbam quippe radit qui sibi de propriis viribus fiduciam subtrahit. Vestes scindunt qui sibimetipsis in exterioris decoris laceratione non parcunt. Oblatum in domo Domini thus et munera veniunt qui exhibere se in sacrificio orationem cum operibus pollicentur. Sed tamen si se in ipsa sanctæ devotionis via caute circumspicere nesciunt, Ismael Nathaniæ **249** filius in occursum eorum venit, quia nimirum quilibet malignus spiritus prioris sui Satanæ videlicet exemplo in superbiæ errore generatus, se ad laqueum deceptionis oppo-

(285) Ex c. XX, l. II in Job, 28.

A nit. De quo et bene dicitur : *Incedens et plorans ibat*, quia ut devotas mentes interimere feriendo prævaleat, semetipsum quasi sub velamine virtutis occultat, et, dum concordare se vere lugentibus similat, ad cordis intima secreto admissus, hoc quod intus de virtute latet occidit. Qui plerumque se spondet ad altiora provehere. Unde et dixisse perhibetur : *Venite ad Godoliam filium Aicham.* Atque, dum majora promittit, etiam minima subtrahit. Unde recte dictum est : *Qui cum venissent ad medium civitatis, interfecit eos.* Viros ergo ad offerenda Deo munera venientes in medio civitatis interfecit, quia divinis deditæ operibus mentes, nisi magna se circumspectione custodiant, subripiente hoste dum devotionis hostiam portant, in ipso itinere
B perdunt vitam.

CAPUT XXII

DE COLLO.

In Scriptura sacra colli nomine aliquando sacrum eloquium, aliquando elationis ostensio designatur.

(286) Colli nomine sacrum eloquium designatur, sicut Sponsi voce ad sponsam dicitur : *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium* (*Cant.* IV, 4). In collo enim guttur, in gutture vox est. Quid ergo per collum sanctæ Ecclesiæ, nisi sacra eloquia designantur? In qua dum mille clypei dependere memorantur, per hunc perfectum
C numerum numerus universus ostenditur, quia universa nostra munitio in sacro eloquio continetur. Ibi **250** quippe sunt præcepta Dei, ibi exempla justorum. In collo ergo Ecclesiæ, id est in sacri eloquii prædicatione, quod pro sua munitione et altitudine, turri David similis dicitur, *mille clypei dependent*, quia quot illic præcepta, tot etiam pectoris nostri munimina. Si enim pugnare contra spiritualia nequitiæ volumus, in collo Ecclesiæ, id est in divino eloquio protectoris arma inquiramus, ut ex discretione præcepti contra vitia sumatur virtus adjutorii. Ecce enim contra aerias potestates festinamus fortes existere, in hac turri armaturam nostræ mentis invenimus, ut inde præcepta Con-
D ditoris sumamus exempla præcedentium, per quæ contra adversarios nostros inexpugnabiliter armemur. Dum enim quamlibet virtutem subire appetis, et hanc illic a Patribus jam impletam vides, ibi armaturam tuam invenis, per quam contra spiritualia bella muniaris. Dependent quippe in ea clypei, si quis pugnare appetit, assumat, et ex ea virtute pectus muniat, et verborum jacula emittat.

Et notandum quia cum propugnaculis ædificata dicitur. Hoc quippe agunt propugnacula, quod clypei : quia utraque pugnantem muniunt. Sed inter utraque distat : quia clypeos pro nostro munimine utcunque volumus, movemus : propugnaculo autem

(286) Ex hom. 13 in Ezech.

Digitized by Google

defendi possumus, sed hæc movere non possumus. Clypeus in manu tenetur, propugnaculum non tenetur. Quid ergo inter propugnacula et clypeos distat, nisi quod in sacro eloquio, Patrum præcedentium et miracula legimus, et virtutes bonorum operum audimus? Ibi namque cognoscimus quod alius potuit mare dividere, alius solem figere, alius mortuum suscitare, alius paralyticum verbo erigere, verbo suo ægros curare, alius per suam sententiam infirmantium febribus obviare. Qui tamen omnes et patientiæ longanimitate mites, et zelo rectitudinis ferventes fuerunt, verbi prædicatione divites simul et misericordia largi. Hi itaque quam vera de Deo dixerint, testantur miracula, quia talia per illum non facerent, nisi de Deo vera narrarent. Et quam pii, quam humiles, quam benigni exstiterint, eorum testantur operationes. Si igitur de fide tentamur, quam ex eorum **251** prædicatione concepimus, loquentium miracula conspiciamus, et in fide quam ab eis accepimus confirmamur. Quid ergo eorum miracula, nisi nostra sunt propugnacula? Quia et muniri per illa possumus, et tamen hæc in manu nostri arbitrii non tenemus. Nam talia facere non valemus. Clypeus ergo in manu est, et defendit, quia virtus patientiæ, virtus misericordiæ præcedente nos gratia, et in potestate est arbitrii, et a periculo protegit adversitatis. Turris itaque nostra cum propugnaculis ædificata est, in qua mille clypei dependent, quia Scriptura sacra sub miraculi Patrum a jaculo adversitatis abscondimur, et conversationis sanctæ munimina etiam in manu boni operis tenemus.

(287) Colli nomine elationis ostensio designatur, sicut voce Dominica de diabolo sub nomine leviathan dicitur : *In collo ejus morabitur fortitudo* (*Job* XLI, 13). Quid enim collo leviathan istius nisi elationis ostensio designatur, qua contra Dominum se erigens cum simulatione sanctitatis, etiam tumore peccati extollitur? Quia enim per collum superbia exprimitur, Isaias propheta testatur, qui Jerusalem filias redarguit dicens : *Ambulaverunt extento collo* (*Isa.* III, 18). In collo ergo leviathan istius fortitudo demorari perhibetur, quia elationi illius etiam subjuncta potentia suffragatur.

CAPUT XXIII.

DE HUMERO.

(288) Humeri nomine socialis vitæ conjunctio designatur. Unde beatus Job vitæ suæ celsitudinem narrans, maledicti sibi sententiam protinus subjicit, si qua eorum quæ dixerat, opera non implevit, dicens : *Humerus meus a junctura sua cadat, et brachium meum cum suis ossibus conteratur* (*Job* XXXI, 22). Liquet profecto quod brachium corpori per humerum jungitur. Sicut ergo per brachium bona operatio, ita per humerum socialis vitæ conjunctio designatur. Unde propheta quoque sanctos **252** universalis Ecclesiæ populos Deo concorditer servituros videns, ait : *Et servient ei humero uno* (*Sophon.* III, 9). In eo quod beatus Job dicit : *Si levavi manum meam super pupillum, cum viderem me in porta superiorem* (*Job* XXXI, 21). Miram virtutem patientiæ servasse se asserit, qui gravari se a personis minimis nec contra hoc quod sibi juste competere poterat declinavit. Quod tamen, si minime fecerit adjungit : *Humerus meus a junctura sua cadat*, quia nimirum, qui patientiam servare contemnit, socialem vitam citius per impatientiam deserit. A qua junctura etenim humerus cadit, cum adversitatis aliquid ferre animus non valens fraternam concordiam relinquit. Et brachium meum cum suis ossibus conteratur, quia nimirum cuncta nostra operatio, cum quibuslibet videatur esse connexa virtutibus, solvitur, nisi per charitatis vinculum patientia conservetur. Sua enim bona perdet, qui aliena mala renuit perpeti. Fervore quippe iracundi spiritus læsus quisque a dilectione resilit, et cum se exterius gravari non tolerat, intus se per amissum lumen charitatis obscurat, nec videt jam quo tendat pedem boni operis, qui oculum perdidit dilectionis. Sed sancti viri humerus a jactura sua non cadit, quia videlicet ejus dilectio a socialis vitæ concordia per patientiam non recedit : ejusque brachium minime frangitur, quia omnis ejus operatio in conjunctione humeri, id est in charitatis connexione custoditur.

Humeri nomine operatio designatur, sicut menti reprobæ sub Babylonis specie per prophetam exprobrando dicitur : *Denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, revela crura, transi flumina* (*Isa.* XLVII, 2). Require l. 7, c. 5, ante finem.

253 CAPUT XXIV.

DE BRACHIO.

In Scriptura sacra brachii nomine aliquando unigenitus Dei Filius, aliquando Antichristus, aliquando operatio designatur.

Brachii nomine unigenitus Dei Filius designatur, sicut voce Dominica ad beatum Job dicitur : *Si habes brachium sicut Deus, et si voce simili tonas?* (*Job* XL, 4.) Cum Deus longe dissimiles in se similitudines trahat solerter, intuendum est quod quædam talia aliquando dicantur in Deo propter effectum operis, aliquando autem ad ejus judicandam substantiam. Nam, cum in Deo oculi, alæ et capulæ nominantur, effectus quidam operationis ostenditur. Cum vero manus, brachium, dextera, vel vox in Deo dicitur, per hæc vocabula consubstantialis ei Filius demonstratur. Ipse quippe est et manus et dextera : de cujus ascensione Pater per Moysen loquitur dicens : *Tollam in cœlum manum meam, et jurabo per dexteram meam* (*Deut.* XXXII) (289). Ipse est brachium, de quo propheta ait : *Et brachium Domini, cui revelatum est?* (*Isa.* LIII, 1.) Ipse est vox, quia eum Pater gignendo dixit : *Filius meus es tu : Ego hodie genui te* (*Psal.* II, 7). Et de quo scriptum est : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Per quod Verbum

(287) Ex c. II, lib. XXXIV in Job.
(288) Ex c. XVI, lib. XXI in Job.
(289) Sed nulla versionum quæ exstant, sic omnino habet.

Digitized by Google

fecisse Patrem omnia David asserit dicens : *Dixit et facta sunt* (*Psal.* CXLVIII, 5). Deum ergo brachium habere est operantem Filium gignere; voce tonare est consubstantialem sibi Filium mundo terribiliter demonstrare. Beato ergo Job dum dicit Dominus : *Si habes brachium sicut Deus, et si voce simili tonas*, mira dispensatione pietatis eum, dum increpat, exaltat, quia eum, quem sua comparatione superat, superiorem cunctis demonstrat.

254 Brachii nomine Antichristus designatur sicut voce Dominica de ejus destructione ad beatum Job dicitur : *Et brachium excelsum confringitur* (*Job* XXXVIII, 15). Quid namque aliud excelsum brachium accipitur, nisi superba Antichristi celsitudo, quæ super reprobas mentes hominum fastu gloriæ sæcularis erigitur, ita ut homo peccator, et tamen æstimari homo despiciens, Deum se super hominem mentiatur. Unde Paulus apostolus dicit : *Ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus* (*II Thes.* II, 4). Cujus ut tumorem plenius ostenderet præmisit : *Qui adversatur, et extollitur super omne quod dicitur Deus aut quod colitur* (*ibid.*). Deus enim dici aliquando et homo potest, juxta quod ad Moysen dicitur : *Ecce constitui te Deum Pharonis* (*Exod.* VII, 1). Deus vero coli purus homo non potest. Quia vero se Antichristus et super sanctos quosque homines, et super ipsius potentiam Divinitatis extollit, per exactum sibi nomen gloriæ et hoc quod colitur Deus, transire conatur. Quia aut hæc ejus superbia districti Judicis erit adventu ferienda sicut scriptum est : *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui* (*II Thes.* II, 8). Recte nunc dicitur : *Et brachium excelsum confringitur.*

Brachii nomine operatio designatur, sicut per beatum Job enumeratis virtutibus suis dicitur : *Humerus meus a junctura sua cadat, et brachium meum cum suis ossibus conteratur* (*Job* XXXI, 22). Et sicut per ipsum iterum de iniquo dicitur : *Devoret pulchritudinem cutis ejus, et sumat brachia illius primogenita mors* (*Job* XVIII, 13). Pulchritudo namque cutis est gloria temporalis, quæ dum foris concupiscitur, quasi species in cute retinetur. Brachiorum vero nomine non incongrue opera designantur. Quia corporale opus brachiis agitur. Quid autem mors, nisi peccatum est quod ab interiore vita animam occidit? Unde scriptum est : *Beatus et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima* (*Apoc.* XX, 6). Quia ille post in carne feliciter resurget, qui in hac vita positus a mentis suæ morte resurrexerit. Si igitur peccatum mors, non incongrue primogenita superbia valet intelligi, quia scriptum est : *Initium omnis peccati superbia* (*Eccli.* X, 15). **255** Pulchritudinem igitur cutis ejus, et brachia illius primogenita mors devorat, quia iniqui gloriam, vel operationem superbia supplantat.

CAPUT XXV.

DE CUBITO.

Cubiti nomine operatio designatur, sicut per Ezechielem prophetam dicitur (*Ezech.* XL), qui pro mensura civitatis in monte absconditæ in manu viri calamum sex cubitorum et palmi se vidisse testatur (290). In monte quippe electorum Ecclesia sita est, quia fundata in infimis desideriis non est. Quid autem per cubitum, nisi operatio? quid per senarium numerum, nisi perfectio operationis ostenditur? Quia, et sexto die cuncta opera Dominus explesse memoratur. Quid vero super sex cubita palmus insinuat, nisi contemplationis vim, quæ jam initia æternæ et septimæ requiei demonstrat? Quia enim æternorum contemplatio hic minime perficitur, mensura septimi cubiti non expletur. Electorum itaque Ecclesia, quia cuncta quæ operanda sunt, perficit in sex cubitis, in monte civitas posita ostenditur. Quia vero hic adhuc sola initia contemplationis inspicit, de septimo cubito non nisi palmum tangit.

CAPUT XXVI.

DE MANIBUS.

In Scriptura sacra manus nomine aliquando unigenitus Dei Filius, aliquando activa vita, aliquando potestas, aliquando operatio, aliquando fortitudo, aliquando severa legis districtio intelligitur.

Manus nomine unigenitus Dei Filius designatur, sicut per Moysen de ejus ascensione Pater **256** loquitur dicens : *Tollam in cœlum manum meam et jurabo per dexteram meam* (291.)

(292) Manus nomine activa vita designatur, sicut per Ezechielem de sanctis animalibus dicitur : *Et manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus* (*Ezech.* I). Possunt hoc loco quatuor partes mundi accipi, scilicet oriens, occidens, meridies et septentrio, quia sanctorum prædicatio auctore Deo in cunctis mundi partibus est egressa. Possumus etiam per quatuor partes quatuor principales virtutes accipere, ex quibus reliquæ virtutes oriuntur, videlicet prudentiam, fortitudinem, justitiam, temperantiam. Quas nimirum virtutes tunc veraciter accipimus, cum earum ordinem custodimus. Prima quippe prudentia, secunda fortitudo, tertia justitia, quarta temperantia est. Quid enim prodesse poterit prudentia, si fortitudo desit? Scire etenim cuiquam quod non poterit facere, pœna magis quam virtus. Sed, si prudenter intelligit quid agat, et fortiter agit quod intellexit, jam procul dubio justus est; sed ejus justitiam temperantia sequi debet, quia plerumque justitia, si modum non habet, in crudelitatem cadit. Ipsa ergo justitia vere justitia est, quæ se temperantiæ freno moderatur, ut in zelo quo quisque fervet, sit etiam temperans, ne, si plus ferveat, perdat justitiam cujus servare moderamina ignorat. Duæ autem sunt sanctorum prædicatorum

(290) Ex lib. XXX in Job, cap. XII.
(291) Hujus significationis causam habes c. XXV, sup. Deut. XXXII.
(292) Ex hom. 3 in Ezech. longe post princip.

Digitized by Google

vitæ, activa scilicet et contemplativa. Sed activa prior est tempore, quam contemplativa, quia ex bono opere tenditur ad contemplationem. Contemplativa autem major est merito quam activa, quia hæc in usu præsentis operis laborat, illa vero sapore intimo venturam jam requiem degustat. Quid itaque per manus nisi activa vita? et quid per pennas nisi contemplativa vita signatur? Manus ergo hominis sub pennis eorum est, id est virtus operis sub volatu contemplationis. Quod bene in Evangelio duæ illæ mulieres designant, Martha scilicet et Maria. *Martha enim satagebat circa frequens ministerium; Maria autem sedebat ad pedes Domini, et verba ejus audiebat* (*Luc.* x). Erat ergo una intenta operi, altera contemplationi : una activæ serviebat per **257** exterius ministerium, altera contemplativæ per suspensionem cordis in Verbum. Et quamvis activa bona sit, melior est tamen contemplativa, quia ista cum mortali vita plenius excrescit. Unde dicitur : *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* (*ibid.* 43). Quia igitur activa major est merito quam contemplativa, recte nunc dicitur : *Manus hominis sub pennis eorum* (*Ezech.* I, 8). Nam, etsi per activam boni aliquid agimus, ad cœleste tamen desiderium per contemplativam volamus. Unde et apud Moysem activa servitus, contemplativa autem libertas vocatur (*Exod.* XXI). Et cum utraque vita ex dono sit gratiæ, quandiu tamen inter proximos vivimus, una nobis in necessitate est, altera in voluntate. Quis enim cognoscens Dominum, ad regnum ejus ingreditur, nisi prius verbum bene operetur? Sine contemplativa vita ergo intrare possunt ad cœlestem patriam, qui bona, quæ possunt operari, non negligunt. Sine activa vero intrare non possunt, si negligunt bona operari quæ possunt. Illa ergo in necessitate est, hæc in voluntate. Illa in servitute, ista in libertate. De qua per Paulum dicitur : *Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei* (*Rom.* VIII, 21). Tunc enim in nobis vera libertas erit, cum ad gloriam filiorum Dei adoptio nostra pervenit.

(293) Manus nomine potestas designatur, sicut per beatum Job de Domino dicitur : *In cujus manu anima omnis viventis, et spiritus universæ carnis hominis* (*Job* XII, 10). Per manum quippe potestas exprimitur; per animam vero omnis viventis, ipsa corporis vita signatur : et per universæ carnis hominis spiritum effectus intelligentiæ spiritalis exprimitur. Anima igitur omnis viventis et spiritus universæ carnis hominis, in ejus potestate est a quo est, ut ipse provideat qualiter sit, qui præstitit esse quod non fuit.

(294) Manus nomine operatio designatur, sicut per beatum Job dicitur : *Manum meum ponam super os meum* (*Job* XXXIX, 34). Usu namque sacri eloquii, in manu operatio ; in ore, locutio solet intelligi. Manum ergo super os ponere est virtute boni operis culpas tegere **258** incautæ locutionis. Beatus igitur Job sanctæ Ecclesiæ typum tenens et in verbis suis sua allegans, nostra designans, dicat ex se, dicat ex nobis : *Manum meam ponam super os meum*, id est, hoc quod districto Judici de sermone meo in me displicuisse considero, ante ejus oculos sub velamine recti operis abscondo. Unde iterum ab eodem Job dicitur : *Si lotus fuero quasi aquis nivis, et fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me* (*Job* IX, 30). (295) Aquæ etenim nivis sunt lamenta humilitatis. Quæ profecto humilitas, quia ante districti Judicis oculos cæteris virtutibus præeminet, quasi per magni meriti colorem candet. Per manus autem, quid aliud quam opera designantur? Unde quibusdam per prophetam dicitur : *Manus vestræ plenæ sunt sanguine* (*Isa* I, 15), id est opere crudelitatis. Notandum vero quod vir sanctus non ait : *Fulserunt mundissimæ manus meæ*, sed *velut mundissimæ manus meæ*, quia, quousque pœna corruptionis astringimur, quamlibet rectis operibus insudemus, veram munditiam nequaquam apprehendimus, sed imitamur. Unde apte subjungitur : *Tamen sordibus intingues me*. Deus nos intinguere sordibus dicitur, intinctos sordibus monstrare, quia, quanto ad illum verius per bona opera surgimus, tanto subtilius vitæ nostræ sordes agnoscimus, quibus ab ejus munditia discordamus. Ait ergo : *Si lotus fuero quasi aquis nivis*, etc. Ac si apertius dicat : Quamvis lamentis supernæ compunctionis infundar, quamvis per studia rectæ operationis exercear, in tua tamen munditia video quia mundus non sum.

(296) Manus nomine fortitudo designatur, sicut per beatum Job dicitur : *Nunc quoque in amaritudine est sermo meus, et manus plagæ meæ aggravata est super gemitum meum* (*Job* XXIII, 2). More suo beatus Job planioribus verbis inchoat, sed dicta sua, alta mysterii prosecutione consummat. Mederi quippe dolor afflicti ex amicorum consolatione deluerat, sed, quia consolatio ad blandimenta fallaciæ erupit, afflicti dolor inhorruit. Quia enim Eliphas spondere converso meliora non timuit, quasi ex noxio medicamine vulnus crevit. **259** Unde recte dicitur : *Nunc quoque in amaritudine est sermo meus, et manus plagæ meæ aggravata est super me*, quia videlicet inordinatæ consolationis intentio, percussionem quam minuere debuit multiplicavit. In quibus nimirum verbis per typum sanctæ Ecclesiæ etiam fidelium dolor exprimitur, qui eo amplius gemunt quo malos blandiri conspiciunt, qui juxta Pauli vocem : *Per dulces sermones, et benedictiones seducunt corda innocentium* (*Rom.* XVI, 18). Quæ etiam verba ad considerandam subtilius mentem fidelium recte referuntur, qui esse sine amaritudine nesciunt, etiam si in hoc mundo prosperari videantur. Quibus cum adversitas evenit, eum, quem in-

(293) Ex cap. III lib. XI in Job.
(294) Ex lib. XXXII in Job cap. II.
(295) Ex lib IX in Job, c. XIX, 28.
(296) Ex cap. XI, lib. XVI in Job 12.

Digitized by Google

venit, ingeminat dolorem. Unde recte dicitur : Nunc quoque ut aperte monstretur, quia electorum mens sine amaritudine etiam in prosperitate non fuerit. Bene autem dicitur : *Et manus plagæ meæ aggravata super gemitum meum.* Manus quippe plagæ est fortitudo percussionis. Primum namque percussionem suam electi considerant, quia a Conditoris sui visione divisi sunt, quia nequaquam illuminationis intimæ claritate perfruuntur, sed in præsentis vitæ exsilio quasi in cæcitatis loco relegati gemunt. Semper ergo in hac manu plagæ gemitum suum habent. Sed, cum adhuc et adversa in hac vita accidunt, manus plagæ eorum etiam super gemitum gravatur. Erat enim plagæ gemitus, etiam cum præsenti vitæ adversa deessent, sed amaritudo primæ percussionis ex tentatione crescit adversitatis. Dicat ergo : *Et manus plagæ meæ aggravata est super gemitum meum.* Quia justum quemque in hac vita adversitas non lætum percussit, sed in eo dolorem vulneris multiplicavit.

(297-298) Manuum nomine severa legis districtio designatur, sicut in ipsa lege scriptum est : *Manus autem Moysi erant graves. Sumentes igitur lapidem posuerunt subter, in quo sedebat. Aaron autem et Hur, sustentabant manus ejus* (*Exod.* XVII, 12). Moyses quippe sedit in lapide, cum lex requievit in Ecclesia. Sed hæc eadem lex manus graves habuit, quia peccantes quosque non misericorditer pertulit, sed severa districtione percussit. Sed temperavit nobis districtionem legis misericordia Redemptoris. **260** In illa quippe scriptum est : *Si quis hoc vel illud fecerit, morte moriatur. Si quis hoc vel illud fecerit, lapidibus obruatur* (299). Apparuit autem Conditor noster in carne, confessioni peccatorum non pœnam, sed vitam promittit. Inflexit ergo ad misericordiam duritiam legis, quia, quos juste ille damnat, ipse misericorditer liberat. Unde bene scriptum est : *Aaron et Hur sustentabant manus Moysi.* Aaron namque *mons fortitudinis*, Hur autem *ignis* interpretatur. Quem itaque iste mons fortitudinis signat, nisi Redemptorem nostrum, de quo per prophetam dicitur : *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium?* Aut quis per ignem, nisi Spiritus sanctus figuratur, de quo idem Redemptor dicit : *Ignem veni mittere in terram?* (*Luc.* XII, 49.) Aaron ergo et Hur graves manus Moysi sustinent, atque sustentando leviores reddunt, quia mediator Dei et hominum cum igne sancti Spiritus veniens legis mandata gravia, quæ dum carnaliter tenerentur, portari non poterant, tolerabiliora nobis per specialem intelligentiam ostendit. Quasi enim manus Moysi leves reddidit : quia pondus mandatorum legis ad virtutem confessionis retorsit.

(297-298) Ex hom. 34, in Evang.
(299) Generatim Greg. dicit rigorem legis antiquæ enucleatum *c.* XXI *Exod.* et alibi.

CAPUT XXVII

DE DEXTERA.

In Scriptura sacra dexteræ nomine aliquando vita perpetua, aliquando electi, aliquando id quod pro magno habetur.

(300) Dexteræ nomine vita perpetua designatur, sicut in Evangelio : *Et introeuntes in monumentum, viderunt juvenem sedentem a dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt* (*Marc* XVI, 5). Quid namque per sinistram, nisi vita præsens? quid vero per dexteram, nisi vita perpetua signatur? Unde **261** scriptum est : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* (*Cant.* II). Quia igitur Redemptor noster jam præsentis vitæ corruptionem transierat, recte angelus qui nuntiare ejus perennem vitam venerat, in dextera sedebat.

(301) Dexteræ nomine electi designantur, sicut in Evangelio jubente Domino dicitur : *Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis* (*Joan* XXI, 6). Bis in sancto Evangelio legitur, quia Dominus jussit, ut ad piscandum retia mitterentur, ante passionem videlicet et post resurrectionem. Sed, priusquam Redemptor noster pateretur et resurgeret, mitti quidem rete ad piscandum jubet; sed utrum in dexteram, aut in sinistram mitti debuisset, non jubet. Post resurrectionem vero discipulis apparens, mitti in dexteram rete jubet. In illa piscatione tanti pisces capti sunt, ut retia rumperentur; in ista autem et multi capti sunt, et retia rupta non sunt. Quis vero nesciat bonos dextera, et malos sinistra figurari? Illa ergo piscatio in qua specialiter, in quam partem mitti debeat, non jubetur, præsentem Ecclesiam designavit, quia bonos simul ac malos colligit; nec eligit quos trahat, quia et quos eligere possit ignorat. Hæc autem piscatio post Domini resurrectionem facta, in solam dexteram missa est, quia ad videndam claritatis ejus gloriam sola electorum Ecclesia pertingit, quæ de sinistro opere nihil habebit. In illa piscatione præ multitudine piscium rumpitur rete, quia nunc ad confessionem fidei etiam cum electis reprobi tanti intrant, ut ipsam quoque Ecclesiam hæresibus scindant. In ista vero piscatione et multi pisces, et magni capiuntur, et rete non rumpitur, quia sancta electorum Ecclesia in auctoris sui pace requiescens nullis jam dissensionibus dilaniatur.

(302) Dexteræ nomine id quod pro magno habetur designatur, quod Zacharias apte insinuat, dicens : *Et ostendit mihi Jesum sacerdotem magnum, stantem coram angelo Domini : et Satan stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei* (*Zach.* III, 1). Qui, ut patentius hoc quod præmisit ostenderet, secutus adjunxit : *Et dixit Dominus ad Satan* : **262** *Increpet Dominus in te Satan; et increpet Dominus in te qui elegit Jerusalem. Nunquid non est iste torris ereptus*

(300) Ex hom. 21, in Evang.
(301) Ex hom. XXIV, in Evang. post princip.
(302) Ex c. XVIII, l. XX, in Job, 20.

Digitized by Google

de igne. *Et Jesus indutus erat vestibus sordidis* (*Zach.* III). Sordidis enim vestibus Jesus indutus dicitur, quia quamvis alienus ab omni peccato, tamen in similitudinem venit carnis peccati. Cui venienti Satan a dextris stetit. Ipso enim locutionis usu pro dextro habere dicimur, quod pro magno pensamus; pro sinistro vero, id quod despicimus : pro magno autem Dominus Judaicum populum et pro nihilo gentes habere videbatur. Sed, postquam incarnatus apparuit, gentilitas, quæ pro sinistro habita fuerat, credidit; Judaicus vero populus ad perfidiam declinavit. Satan ergo illi a dextris stetit, quia illum ei populum rapuit, qui dudum dilectus fuit. Sed, quia ipse Judaicus populus modo perditus, in fine est, quandoque creditурus, propheta testante, qui ait : *Reliquiæ salvæ fient* [al. *convertentur*] (*Isa.* x, 21). Satan a dextris suis Dominus removit dicens : *Increpet Dominus in te Satan.* Et ejusdem populi liberationem indicans subdidit : *Qui elegit Jerusalem.* Qui nimirum populus, quia ad gehennæ incendia perfidia duce defluebat; sed, dum ad fidem reducitur, ab eodem æterni ignis incendio liberatur, statim de eo illic subditur : *Nunquid non iste est torris eruptus de igne?* (*Zach.* III, 2.) Item, quia per dexteram id quod pro magno habetur, intelligitur, in libro Judicum aperte demonstratur, dum hi, qui cum Gedeone ad bellum prodeunt, tubas in dextera et in sinistra lagenas tenuerunt (*Judic.* VII, 20). (303) In quo nimirum prælio, sanctorum martyrum patiens victoria, et victrix patientia designatur. Tales namque secum dux noster ad prædicationis prælium duxit, qui despecta salute corporum hostes suos moriendo prosternerent, corumque gladios non armis et gladiis, sed patientia superarent. Armati enim venerunt sub duce suo ad prælium martyres nostri, sed tubis, sed lagenis, sed lampadibus. Designatur autem in tubis clamor prædicationis, in lampadibus claritas miraculorum, in lagenis fragilitas corporum. Sonuerunt namque tubis dum prædicant, confregerunt lagenas dum solvenda in passione sua corpora hostilibus gladiis supponunt, resplenduerunt lampadibus dum post solutionem **263** corporum miraculis coruscaverunt. Intuendum autem quia in dextera tubas, in sinistra vero lagenas tenuerunt. Pro dextera enim habere dicimur quidquid pro magno pensamus; pro sinistro vero quod pro nihilo ducimus. Bene ergo scriptum est, quod in dextera tubas, et lagenas in sinistra tenuerunt; quia Christi martyres pro magno habent prædicationis gratiam, corporum vero utilitatem pro minimo. Quisquis enim plus facit utilitatem corporis quam gratiam prædicationis, in sinistra tubam, atque in dextera lagenam tenet.

CAPUT XXVIII.

DE LÆVA.

(304) Lævæ nomine reprobi designantur, sicut per Isaiam sanctæ Ecclesiæ dicitur : *Ad dexteram et ad lævam dilataberis, et gentes semen tuum hæreditabunt* [*Isa.* LIII] (305). In tanta quippe multitudine gentium ad dexteram Ecclesia extenditur, dum quosdam justificandos suscipit. Ad lævam quoque dilatatur, dum ad se quosdam etiam in iniquitate permansuros admittit.

(306) Lævæ nomine vitæ præsentis prosperitas designatur, sicut voce electorum dicit Ecclesia in Canticis canticorum : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* (*Cant.* II, 6). Quid enim per lævam, nisi prosperitas præsens, et quid per dexteram nisi beatitudo signatur? Læva ergo Dei prosperitatem videlicet vitæ præsentis quasi sub capite posuit, quam intentione summi amoris premit. Dextera vero Dei eam amplectitur, quia sub æterna ejus beatitudine tota devotione continetur.

264 CAPUT XXIX.

DE SINISTRA.

Sinistræ vero nomine gloria vitæ præsentis designatur, sicut in Evangelio voce Veritatis dicitur : *Cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera* (*Matth.* VI, 2), id est piæ dispensationi nequaquam se gloria vitæ præsentis admisceat, sed opus rectitudinis appetitio ignoret favoris.

CAPUT XXX.

DE DIGITIS.

In Scriptura sacra digiti nomine aliquando Spiritus sanctus, aliquando dona ejusdem sancti Spiritus, aliquando discretio intelligitur.

(307) Digiti nomine Spiritus sanctus designatur, sicut in Evangelio a Domino, cum ejecisset dæmonium, dicitur : *Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei* (*Luc.* XI, 19). Qua de re per alium evangelistam dixisse describitur : *Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmones, pervenit in vos regnum Dei* (*Matth.* XII, 28). Ex quo utroque loco colligitur, quia digitus Dei, Spiritus sanctus vocatur.

(308) Digitorum nomine dona sancti Spiritus designantur, sicut Marcus evangelista confirmat, cum factum Domini miraculum narrat dicens : *Adducunt ei surdum et mutum, et deprecabantur eum, ut imponat illi manum* (*Marc.* VII, 32). Cujus ordinem curationis insinuat subdens : *Misit digitos suos in auriculas, et exspuens tetigit linguam ejus et suspiciens in cœlum ingemuit, et ait illi : Ephpheta ; quod est, adaperire. Et statim apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur recte* (*ibid.*, 33-35). Quid est enim quod creator omnium Deus, **265** cum surdum et mutum sanare voluisset, in aures illius digitos suos misit, et exspuens linguam ejus tetigit? Quid per digitos Redemptoris nisi dona sancti Spiritus designantur? Digitos ergo in auriculam mittere est per dona san-

(303) Ex c. XVII, l. XXX in Job, 33.
(304) Ex III, p. Pastor., c. 27.
(305) Ex c. VIII, lib. XXVIII, in Job, XI.
(306) Ex III, part. Pastor., c. 27.
(307) Ex hom. X, in Ez. ante med.
(308) Ex hom. sup. Evang.

Digitized by Google

cti Spiritus mentem surdi ad obediendum aperire. Quid vero est quod exspuens linguam tetigit? Quid per salivam nisi sapientia designatur? Saliva namque nobis ex ore Redemptoris accepta sapientia in eloquio divino. Saliva quippe ex capite defluit in ore. Ea ergo sapientia, quæ ipse est, dum lingua nostra tangitur, mox ad prædicationis verbum formatur. Qui suspiciens in cœlum ingemuit, non quod necessarium gemitum haberet, qui dabat quod postulabat; sed nos ad eum gemere, qui cœlo præsidet, docuit; ut et aures nostræ per donum spiritus aperiri, et lingua per salivam oris, id est per scientiam divinæ locutionis solvi debeat, ad verba prædicationis. Cui mox *ephpheta*, id est *adaperire* dicitur: *Et statim apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus.* Qua in re notandum est quia propter clausas aures dictum est *adaperire*. Sed cum aures cordis ad obediendum apertæ fuerint, ex subsequenti procul dubio etiam linguæ ejus solvitur vinculum; ut bona quæ ipse fecerit, et facienda aliis loquatur. Unde et bene additur: *Et loquebatur recte.* Ille enim recte loquitur, qui prius obediendo fecerit, quæ loquendo admonet esse facienda.

(309) Digiti nomine discretio designatur, sicut per beatum Job amicis suis se arguentibus dicitur: *Attendite me, et obstupescite, superponite digitum ori vestro* (*Job* XXI, 5). Idem considerate, quæ egi, et admiramini in hac percussione quam patior. *Et supponite digitum ori vestro.* Ac si aperte dicat: Scientes bona quæ egi, et considerantes mala quæ patior, vosmet etiam a verborum culpa compescite, atque in meis percussionibus nostra damna formidate. Vel certe, quia digitis quæque discernimus, non incongrue per digitum discretio designatur. Unde et per Psalmistam dicitur: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium et digitos meos ad bellum* (*Psal.* CXLIII, 1). Per manus, videlicet operationem, per **266** digitos vero discretionem signans. Digitus ergo ori supponitur cum per discretionem lingua refrenatur, ne per hoc quod loquitur, in stultitiæ culpam labatur. Ait ergo: *Superponite digitum ori vestro*, id est locutioni vestræ, discretionis virtutem adjungite, ut per hæc quæ recta contra hypocritam dicitis, quibus sint dicenda videatis.

CAPUT XXXI.

DE DORSO.

(310) Dorsi nomine subjecti designantur, sicut per Psalmistam de pravis doctoribus, prænuntiantis studio, non autem maledicentis dicitur voto: *Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva* (*Psal.* LXVIII, 24). Oculi quippe sunt, qui in ipsa honoris summi facie positi, providendi itineris officium susceperunt. Quibus nimirum, qui subsequuntur inhærentes, dorsa nominantur. Obscuratis ergo oculis dorsum flectitur, quia cum lumen scientiæ perdunt qui præeunt, profecto ad portanda peccatorum onera curvantur qui sequuntur. Ait ergo: *Obscurentur oculi eorum ne videant et dorsum eorum semper incurva.* Ac si dicat: Qui humanæ vitæ actionibus quasi prævidendis itineribus præsunt, veritatis lucem non habeant, ut et qui sequuntur subditi, iniquitatum suarum oneribus incurvati omnem statum rectitudinis amittant. Quod factum procul dubio in Judæa novimus, cum in ipso Redemptoris nostri adventu, Pharisæorum turba atque sacerdotum a vero lumine oculos clausit, et præpositorum exempla gradiens in infidelitatis tenebris populus erravit.

267 CAPUT XXXII.

DE PELLE.

In Scriptura sacra pellis nomine, aliquando Scriptura sacra, aliquando stulti quilibet, vel subditi mali, vel specialiter feminæ illæ quæ Domino adhærentes exterioribus ministeriis intendebant, aliquando carnis motus, aliquando grossæ hominum mentes intelliguntur.

(311) Pellis nomine Scriptura sacra designatur, sicut per Psalmistam dicitur: *Extendens cœlum sicut pellem, qui tegis aquis superiora ejus* (*Psal.* CIII, 2). Quid enim cœli nomine, nisi Scriptura sacra designatur, de qua nobis et sol sapientiæ et luna scientiæ, et ex antiquis patribus stellæ exemplorum atque virtutum lucent? Quod sicut pellis extenditur, quia per scriptores suos, carnis lingua formatum, ante oculos nostros et per verba doctorum exponendo displicatur. Quid vero aquarum nomine, nisi sanctissimi angelorum signantur chori? De quibus scriptum est: *Et aquæ quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini* (*Psal.* CXLVIII, 4). Hujus autem cœli superiora Dominus aquis tegit, quia alta sacri eloquii, id est quæ de natura divinitatis vel de æternis gaudiis narrat nobis adhuc nescientibus, solis angelis in secreto sunt cognita. Cœlum ergo et coram nobis extenditur, et tamen in aquis superiora ejus conteguntur, quia et quædam sacri eloquii jam nobis per apertionem spiritus patent, et quædam, quæ solis angelis possunt esse manifesta, nobis adhuc servantur. De quibus tamen occultis jam partem per spiritalem intelligentiam sentimus, jam pignus Spiritus sancti accepimus, qui hoc nondum plene cognovimus, et tamen medullitus amamus, et in multis spiritualibus **268** sensibus, quos jam cognovimus, veritatis pabulo pascimur.

(312) Pellis nomine stulti quilibet, vel mali subditi designantur, sicut voce Dominica ad beatum Job, de infidelium conversione dicitur: *Nunquid implebis sagenas pelle ejus, aut gurgustium piscium capite illius?* (*Job* XL, 26.) Quid namque per sagenas vel per gurgustium piscium nisi Ecclesiæ fidelium, quæ unam Ecclesiam Catholicam faciunt, designantur? Unde et in Evangelio scriptum est: *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti* (*Matth.* XIII, 47). Regnum

(309) Ex c. XXII, lib. XV in Job, 17.
(310) Ex Pastor., I par., c. 1, et cap. 16, in Job, l. XXV, 23.
(311) Ex hom. 9 in Ezech.
(312) Ex c. XVII l. XXXIII in Job, 22.

Digitized by Google

cœlorum scilicet vocatur Ecclesia, cujus dum mores Dominus ad superna sublevat, jam hæc ipsa in Domino per cœlestem conversationem regnat. Quæ etiam recte sagenæ in mare missæ comparatur, ex omni genere piscium congreganti, quia missa in hoc gentilitatis sæculum nullum respuit, sed malos cum bonis, superbos cum humilibus, iracundos cum mitibus, et fatuos cum sapientibus capit. In pelle vero leviathan istius, stultos ejus corporis, in capite autem prudentes accipimus. Vel certe pelle, quæ est exterius, subditi ad hæc extrema servientes, capite autem præpositi designantur. Et bene Dominus servato ordine has sagenas vel gurgustium piscium, id est Ecclesiam suam, et vota fidelium prius se pelle ejus, et post capite asserit, impleturum, quia prius elegit infirma, ut post confunderet fortia. Elegit quippe stultos mundi ut confunderet sapientes. Prius namque collegit indoctos, postmodum philosophos. Et non per oratores, docuit piscatores ; sed mira potentia per piscatores subegit oratores. Dicat ergo : *Nunquid implebis sagenas pelle ejus, aut gurgustium piscium capite illius ?* Subaudi, ut ego, qui intra Ecclesiam fidelium, prius quasi pellem diaboli, extremos atque infirmos colligo, et postmodum caput illius, id est prudentes mihi adversarios subdo.

(313) Pellis nomine sanctæ illæ feminæ, quæ Domino adhærentes exterioribus ministeriis ad subsidia corporis serviebant designantur, sicut per beatum Job in **269** persona Domini dicitur : *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum* (*Job* XIX, 20). In osse quippe fortitudo, in carnibus vero infirmitas corporis designatur. Quia igitur Christus et Ecclesia una persona est, quid per os, nisi ipse Dominus figuratur ? Quid per carnem nisi discipuli, qui passionis tempore infirma ejus sapuerunt ? Per pellem vero, quæ exterior carne manet in corpore, quid nisi illæ sanctæ feminæ figurantur ; quæ ad præparanda subsidia corporis, exterioribus Domino ministeriis serviebant ? Nam cum ejus discipuli, quamvis necdum firmi veritatis fidem populis prædicarent, ossi suo inhærebant carnes. Et cum sanctæ mulieres, ea quæ necessaria erant, exteriora præpararent, quasi pellis, exterius manebant in corpore. Sed cum ad crucis horam ventum est, ejus discipulos, gravis ex persecutione Judæorum timor invasit ; fugerunt singuli, mulieres autem adhæserunt. Quasi ergo consumpta carne, os Domini pelli suæ adhæsit, quia fortitudo ejus, passionis tempore fugientibus discipulis juxta se mulieres invenit. Stetit quidem aliquandiu Petrus ; sed tamen post territus negavit. Stetit et Joannes cui ipso crucis tempore dictum est : *Ecce mater tua* (*Joan.* XIX, 27), sed perseverare minime potuit, quia de ipso quoque scriptum est : *Quod adolescens quidam sequebatur illum amictus sindone super nudo, et tenuerunt eum. At ille relicta sindone, nudus profugit ab eis* (*Marc.* XIV, 51, 52). Qui etsi post, ut verba sui Redemptoris audiret, ad horam crucis rediit, prius tamen territus fugit. Mulieres autem non solum non timuisse, neque fugisse ; sed etiam usque ad sepulcrum stetisse memorantur. Dicat ergo : *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum.* Hoc est hi qui meæ fortitudini propinquius inhærere debuerunt, passionis meæ tempore timore consumpti sunt, et eas, quas ad exteriora ministeria posui, in passione mea sine formidine inhærere mihi fideliter inveni.

(314) Pellis nomine, carnis motus designatur, sicut per beatum Job dicitur : *Pelle et carnibus vestisti me, ossibus et nervis compegisti me* (*Job* X, 11). Pelle quippe et carnibus interior homo vestitur, quia in eo quod ad superna erigitur, carnalium motuum obsidione vallatur. **270** Sed tendentem ad justitiam nequaquam in tentatione conditor deserit, quia per infusionem gratiæ etiam peccantem prævenit. Sed sublevatam mentem et ad bella exterius laxat, et interius roborat. Unde bene dicitur : *Ossibus et nervis compegisti me.* Carnibus et pelle vestimur, sed ossibus et nervis compingimur, quia etsi tentatione foris irruente concutimur, intus tamen nos conditoris manus roborat, ne frangamur. Carnis itaque nos motibus humiliat ad dona, sed per ossa virtutum roborat contra tentamenta. Ait ergo : *Pelle et carnibus vestisti me, ossibus et nervis compegisti me.* Ac si aperte dicat : Foras me ad probationem deseris, sed tamen intus, ne peream, virtutibus astringendo custodis.

(315) Pellium nomine, grossæ hominum mentes designantur, sicut ad Moysen divina voce præcipitur. *Ut ad protegendum tabernaculum vela cilicina, et pelles extenderet* (*Exod.* XXV, 9). Quia enim potestas regiminis ministrari non potest sine studio curæ temporalis, aliquando omnipotens Deus mira dispensatione pietatis, ut teneræ spiritualium mentes a terrena cura disjunctæ sint, onus regiminis duris ac laboriosis cordibus injungit, ut tanto illæ ab hoc mundo securius lateant, quanto hæc in terrenis sollicitudinibus libenter elaborant. In exhibitione quippe suscepti oneris pro ipsis quoque utilitatibus subditorum viæ duræ sunt mundanæ servitutis. Et sæpe, ut dictum est, omnipotens Deus quos tenere diligit, eos sollicite ab externis actionibus abscondit. Nam et plerumque paterfamilias ad eum laborem servos dirigit, a quo subtiles filios suspendit, ut inde filii sine vexatione decori sint. Unde servi in pulvere fœdantur. Quod quam recte in Ecclesia divinitus agitur, ipsa tabernaculi constructione signatur. Ad Moysen quippe divina voce præcipitur, ut ad tegenda interius Sancta sanctorum ex bysso, cocco atque hyacintho vela texantur, jussumque ut ad protegendum tabernaculum velamina cilicina et pelles extenderet ; quæ nimirum pluvias vel ventos, vel

(313) Ex c. XXIII, l. XIV in Job.
(314) Ex c. XXIX, l. X in Job, med. circ. 37.
(315) Ex c. XVI, l. XXVI in Job, 22.

Digitized by Google

pulverem tolerarent. Quid igitur per pelles et cilicia, quibus tabernaculum tegitur, nisi grossas hominum **271** mentes accipimus, quæ aliquando in Ecclesia occulto Dei judicio, quamvis duræ sint, præferuntur? Quæ quia servire curis temporalibus non timent, oportet tentationum ventos, et pluvias de hujus mundi contrarietatibus portent. Quid vero per hyacinthum, coccum, byssumque signatur, nisi sanctorum vita tenera, sed clara; quæ dum caute in tabernaculo sub ciliciis, et pellibus absconditur, sua integra pulchritudo servatur? Ut enim in interiore tabernaculi byssus fulgeat, coccus coruscet, hyacinthus cæruleo colore resplendeat, desuper pelles, et cilicia, imbres, ventos et pulverem portant. Qui igitur magnis virtutibus in sanctæ Ecclesiæ sinu proficiunt, præpositorum suorum vitam despicere non debent, cum vacare eos rebus exterioribus vident, quia hoc quod ipsi securi intima penetrant, ex illorum adjumento est, qui contra procellas hujus sæculi exterius laborant. Quam enim candoris sui gratiam retineret, si byssum pluvia tangeret? Aut quid fulgoris, atque claritatis, coccus vel hyacinthus ostenderet, si hæc susceptus pulvis fedaret? Sit ergo desuper textura cilicii foris ad pulverem, sit interius color hyacinthinus aptus ad decorem. Ornent Ecclesiam qui solis rebus spiritalibus vacant, tegant Ecclesiam, quos et labor rerum corporalium non gravat. Nequaquam ergo contra rectorem suum exteriora agentem murmuret is qui intra sanctam Ecclesiam jam spiritualiter fulget. Si enim tu secure interius ut coccus rutilas, cilicium, quo protegeris, cur accusas?

CAPUT XXXIII.

DE CUTE.

In Scriptura sacra cutis nomine aliquando mollities infirmitatis, aliquando peccatum carnis, aliquando is qui exteriori curæ deservit intelligitur.

272 (316) Cutis nomine mollities infirmitatis designatur, sicut per Jeremiam dicitur: *Candidiores Nazarei ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. Denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis. Adhæsit cutis eorum ossibus, aruit et facta est quasi lignum* (*Thren.* IV, 7, 8). Require hujus capitis expositionem in capite De nive.

(317) Sed plerumque, dum virtutum copia etiam plusquam expedit prosperatur, in quamdam sui fiduciam mens abducitur, et decepta præsumptione propria, repente peccato surripiente fuscatur. Unde recte subjungitur: *Denigrata est super carbones facies eorum.* Nigri enim post candorem fiunt, qui amissa Dei justitia cum de se præsumunt, in ea etiam quæ non intelligunt, peccata dilabuntur. Et quia post amoris ignem ad frigus corporis veniunt, exstinctis carbonibus, ex comparatione præferuntur. Nonnunquam dum timorem Dei per sui fiduciam deserunt, etiam frigidos mentibus frigidiores fiunt. De quibus recte subjungitur: *Non sunt cogniti in plateis.* Platea quippe sermonis Græci ratione pro latitudine dicitur. Quid vero humanæ animæ angustius quam voluntates proprias frangere? De qua fractione Veritas dicit: *Intrate per angustam portam* (*Matth.* VII, 13). Quid autem latius quam nullis propriis voluntatibus reluctari, et quaqua versum impulsus arbitrii duxerit; se sine retractione diffundere? Qui ergo per fiduciam sanctitatis postposito meliorum judicio se sequuntur, quasi per plateas pergunt. Sed non sunt cogniti in plateis, quia de vita sua aliud ostenderant, quando frangendo voluntates proprias angusto se calle retinebant. Et bene additur: *Adhæsit cutis eorum ossibus.* Quid in osse nisi duritia fortitudinis, et quid in cute nisi mollities exprimitur infirmitatis? Cutis ergo eorum adhærere ossibus dicitur, quia ab eis prava sentientibus infirmitas vitii, duritia virtutis putatur. Infirma enim sunt, quæ faciunt, sed elationis fiducia decepti, fortibus ea suspicionibus jungunt. Et quo de se magna sentiunt, eo de sua nequitia emendari contemnunt. Unde et recte adjungitur: *Aruit et facta est quasi lignum.* Culpa quippe eorum **273** tanto insensibilior redditur, quanto apud eos etiam laudabilis habetur. Quam recte aridam asserit: quia nulla sui cogitatione viridescit.

(318) Cutis nomine peccatum carnis designatur, sicut per beatum Job in persona pœnitentis dicitur: *Saccum consui super cutem meam, et operui cinere carnem meam* (*Job* XVI, 16). Quid in sacco et cinere, nisi pœnitentia? et quid in cute et carne, nisi peccatum carnis debet intelligi? Cum ergo quidam post lapsum carnis ad pœnitentiam redeunt, quasi saccus super cutem consuitur et cinere caro operitur, quia culpa carnis per pœnitentiam tegitur, ne in districti judicis examine ad ultionem videatur.

(319) Cutis nomine is qui in sanctæ Ecclesiæ corpore exteriori curæ deservit, designatur, sicut per beatum Job dicitur: *Cutis mea aruit, et contracta est* (*Job* VII, 5). In sanctæ quippe Ecclesiæ corpore hi qui solis exterioribus curis inserviunt, congrue cutis vocantur. Quæ nimirum cutis arescendo contrahitur, quia mentes carnalium, dum præsentia diligunt, et quasi juxta posita concupiscunt, ad futura tendi per longanimitatem nolunt. Qui dum internæ spei pinguedinem negligunt, ut attrahantur, arefiunt; quia si eorum corda desperatio non siccaret, nequaquam æstus hæc pusillanimitatis attraheret. Hanc namque attractionem Psalmista formidaverat, cum siccitatem mentis metuens dicebat: *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea* (*Psal.* LXII, 6). Adeps quippe pinguedinis animam replet, cum hanc contra præsentium desideriorum æstum, supernæ spei infusio refovet. Cutis ergo arescens attrahitur, cum cor rebus exterioribus deditum,

(316) Lib. I, c. XVIII.
(317) Ex c. XVII, lib. XXXII, in Job, 23, ante fin.
(318) Ex c. VI, lib. XIII, in Job.
(319) Ex c. VI, lib. VIII, in Job, 11.

Digitized by Google

atque ex desperatione siccatum, in auctoris sui amorem non tenditur, sed semetipso, ut ita dixerim, rugosa cogitatione replicatur. Pensandum vero est quod carnales mentes idcirco præsentia diligunt, quia vita carnis quam fugitiva sit, minime perpendunt. Nam si velocitatem transitus ejus aspicerent, hanc etiam prosperantem minime amarent.

274 CAPUT XXXIV.

DE CARNE.

In Scriptura sacra cum caro singulariter ponitur, aliquando natura humana intelligitur, aliquando cordis sensibilitas, aliquando vita carnalis, aliquando delectatio carnalis, aliquando carnalitas, aliquando operis infirmitas, aliquando ponitur juxta naturam, aliquando juxta culpam; cum vero pluraliter carnes dicuntur, aliquando reprobi, aliquando discipuli Domini, aliquando pœnæ carnis vel vitia, aliquando motus carnis intelliguntur.

(320) Carnis nomine natura humana designatur, sicut per Eliu dicitur : *Consumpta est caro a suppliciis, revertatur ad dies adolescentiæ suæ* (*Job* XXXIII, 25). In illo quippe primo homine a Domino recedente, repulsi a paradisi gaudiis in hanc mortalis vitæ ærumnam cecidimus; et quam gravem culpam serpentis persuasione commisimus, pœna nostræ ultionis sentimus. Huc enim lapsi nihil extra Dominum, nisi quo affligeremur, invenimus. Et quia per oculorum visum carnem secuti sumus, de ipsa carne quam præceptis Dei præposuimus, flagellamur. In ipsa quippe quotidie gemitum, in ipsa cruciatum, in ipsa interitum patimur, ut hoc nobis mira dispositione Dominus in pœnam verteret, per quod fecimus culpam; nec aliunde esset interim censura supplicii, nisi unde fuerat **275** causa peccati, ut ejus carnis amaritudine homo erudiretur ad vitam, cujus oblectatione superbiæ pervenit ad mortem. Quia ergo innumeris humanum genus carnalis vitæ suppliciis premebatur, sed, Redemptore nostro veniente, et vitia corruptionis nostræ et tormenta deleta sunt, dicatur de hoc redempto homine : *Consumpta est caro ejus a suppliciis, revertatur ad dies adolescentiæ suæ.* Ac si diceret : Mortalitatis suæ pœna in quamdam vetustatis senectutem dejectus revertatur ad dies adolescentiæ suæ, id est prioris vitæ integritate renovetur, ut non eo maneat, quo lapsus est, sed ad hoc redemptus redeat, ad quod percipiendum conditus fuit.

(321) Carnis nomine cordis sensibilitas designatur, sicut quibusdam Dominus per Prophetam dicit : *Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum* (*Ezech.* XXXVI, 26). Cor quippe lapideum tollit Dominus, cum a nobis superbiæ duritiam subtrahit; et cor carneum tribuit, cum eamdem protinus nostram duritiam ad sensibilitatem vertit.

(322) Carnis nomine vita carnalis designatur, sicut per beatum Job dicitur : *Induta est caro mea putredine et sordibus pulveris* (*Job* VII, 5). Soliditatem quippe ingenitam voluntarie homo deseruit, et sese in voraginem corruptionis mersit; unde nunc vel per immunda opera labitur, vel per cogitationes illicitas fœdatur. Ut enim ita dixerim, culpæ suæ pœnaliter subdita ipsa jam natura nostra, facta est extra naturam, et remissa, usque ad perversa opera ducitur; restricta autem perversorum operum importuna cogitatione fuscatur. Per expletionem ergo actionis illicitæ carnem putredo afficit, per levitatem vero cogitationis improbæ, quasi ante oculos pulvis surgit. Consentiendo vitiis, putredine atterimur, vitiorum vero imagines in corde tolerando, sordibus pulveris fœdamur. Ait ergo : *Induta est caro mea putredine et sordibus pulveris.* Ac si aperte diceret : Carnalem vitam, quam patior, aut tabes lubricæ operationis polluit, aut ex vitiorum memoria caligo miseræ cogitationis premit.

276 (323) Carnis nomine delectatio carnalis designatur, sicut de tentato homine per Eliu dicitur : *Tabescet caro illius, et ossa quæ tecta fuerant, nudabuntur* (*Job* XXXIII, 21). Idcirco moderamine occultæ dispensationis ita tentari permittimur, ut qui ex divino munere in virtute proficimus, etiam quid sumus ex propria infirmitate memoremur. Et qui ex perceptione muneris, opera virtutis inferimus, ex infirmitatis nostræ memoria sacrificium humilitatis offeramus. Aliquando autem post profectum virium non solum tentant vitia, sed etiam flagella castigant. Cum enim tentamur vitiis, pia dispensatione nobiscum agitur, ne de virtutibus, quibus proficimus, extollamur. Cum vero flagellis atterimur, malis increpantibus admonemur, ne mundo blandiente seducamur. Vitia dum nos tentant, proficientes in nobis virtutes humiliant; flagella dum tentant, surgentes in corde hujus mundi voluptates eradicant. Per tentantia vitia discimus quid de nobis simus; per ferientia flagella cognoscimus quid de hoc mundo fugiamus. Per illa restringimur, ne intrinsecus extollamur; per ista comprimimur, ne quid extrinsecus appetamus. In hac ergo vita dum sumus, et flagellis atteri et aliquando vitiis tentari necesse est. Sive enim in laboribus flagellorum, sive in certamine vitiorum non solum nobis nostra infirmitas innotescit, sed etiam in quanta virtute profecerimus, agnoscimus (324). Nemo quippe vires suas in pace cognoscit. Si enim bella desunt, virtutum experimenta non prodeunt. Improvidus miles est qui fortem se in pace gloriatur. Quia ergo sæpe virium merita per flagellorum adversa patefiunt, apte Eliu manifestat dicens : *Tabescet caro illius, et ossa quæ tecta fuerant, nudabuntur.* Cum enim flagellis prementibus omnis exterior voluptas atteritur, internæ fortitudinis ossa nudantur. Quid autem hoc loco carnis nomine, nisi ipsa delectatio carnalis accipitur? Vel quid per ossa, nisi virtutes animæ desi-

(320) Ex c. III, lib. XXIV.
(321) Ex c. X, l. X in Job, 15.
(322) Ex c. VI, l. VIII, in Job, post med.
(323) Ex fine cap. XVII, l. XXIII in Job, 27.
(324) Ex c. XVIII.

Digitized by Google

gnantur? Tabescit ergo caro et ossa nudantur, quia dum flagellis arguentibus carnalis delectatio extenuatur, ea quæ dudum quasi sub carne latuerant, virtutum fortia patefiunt. Nemo **277** quippe quantum profecerit, nisi inter adversa agnoscit. Cum enim adsunt prospera, cerni virium documenta non possunt.

(325) Carnis nomine carnalitas designatur, sicut per eumdem ab Eliu dicitur : *Si direxerit ad Dominum cor suum, spiritum illius ad se trahit, et flatum. Deficiet omnis caro simul, et homo in pulverem revertetur* (*Job* XXXIV, 15). Curvum cor est, cum ima appetit, dirigitur, cum ad superna elevatur. Si ergo homo cor suum ad Dominum dirigit, spiritum et flatum illius Dominus ad se trahit. Spiritum videlicet pro internis cogitationibus, flatum vero qui per corpus trahitur, pro externis actionibus ponit. Deo ergo spiritum hominis et flatum ad se trahere est ad conversionem sui desiderium, et interiora nostra et exteriora commutare, ut nihil jam menti exterius libeat, nihil caro inferius, vel si appetit, adipisci conetur; sed omne, quod homo est, ad eum videlicet a quo est, et interius desiderando ferveat, et exterius se edomando constringat. Unde et apte subjungitur : *Deficiet omnis caro simul : et homo in cinerem revertetur.* (326) Simul enim caro deficit, quando jam nullis suis motibus servit, quia præsidens spiritus cuncta ejus fluxa restringit, et quodam districtionis suæ gladio, omne quod in illa male vivebat, interficit. Hoc nimirum disciplinæ gladio semetipsum Jeremias interfecerat, cum dicebat : *Postquam convertisti me, egi pœnitentiam, et postquam ostendisti mihi percussi femur meum* (*Jer.* XXXI, 19). Quid enim in femore nisi voluptas carnis accipitur? Et quid est quod ait : *Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum*, nisi quod postquam superna spiritualiter vidit, omne quod inferius in se carnaliter vivebat, exstinxit, ut quanto magis summa patescerent, tanto amplius ima quæ tenuerat non liberent? Nam quanto incipit quisque superius vivere, tanto inchoat inferius interire. Juxta affectum namque carnalis operationis, omnis caro Pauli simul interierat, cum dicebat : *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Gal.* II, 20). Bene etiam hoc loco Eliu subdidit : *Et homo in cinerem revertetur.* In peccato enim quisque positus, mortalitatis suæ obliviscitur, et terram **278** se esse non meminit, dum adhuc per superbiam inflatur. Post conversionis vero gratiam, cum humilitatis spiritu tangitur, quid se esse aliud quam cinerem recordatur? Jam in cinerem David reversus fuerat, cum dicebat : *Memento* [al. *recordatus est*], *Domine, quoniam pulvis sumus* (*Psal.* CII, 14). Abraham in cinerem reversus fuerat, dicens : *Loquar ad Dominum meum, cum sim cinis et pulvis* (*Gen.* XVIII, 27).

(327) Carnis nomine, infirmitas operis designatur, sicut per beatum Job dicitur : *Et ego quando recordatus fuero, pertimesco; et concutit carnem meam tremor* (*Job.* XXI, 6). Quia beatus Job actuum suorum oblitus non fuerat, extrema ejus locutio ostendit. Qua ex re hoc quod ab eo nunc amicis dicitur : *Et ego quando recordatus fuero, pertimesco, et concutit carnem meam tremor;* constat nimirum quod per irrisionem dicatur. Ac si aperte diceretur : Si me aliquid hypocritæ meminero habuisse, in pœnitentiæ mox fletu contremisco. Carnem vero suam, si recordatus fuerit, tremore perhibet concuti, id est infirmitatem operis, ultionis pavore fatigari.

(328) Caro juxta naturam dicitur, sicut scriptum est : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea* (*Gen.* II, 23). Caro autem juxta culpam ponitur, ubi scriptum est : *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt* (*Gen.* VI, 3). Et Psalmista ait : *Memoratus est, quia caro sunt, spiritus vadens et non rediens* (*Psal.* LXXVII, 39). Unde et discipulus Paulus dicebat : *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu* (*Rom.* VIII, 9). Neque enim in carne non erant, quibus Epistolas transmittebat. Sed quia passiones carnalium desideriorum vicerant, jam liberi per virtutem spiritus in carne non erant. Quod ergo idem Paulus dicit : *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt* (*I Cor.* XV, 50), carnem procul dubio secundum culpam vult intelligi, non secundum naturam. Unde et mox, quia carnem secundum culpam diceret, ostendit subdens : *Neque corruptio incorruptelam possidebit* (*ibid.*). In illa ergo cœlestis regni gloria caro secundum naturam erit, sed secundum passionum desideria non erit, quia devicto mortis aculeo in æterna incorruptione regnabit.

(329) **279** Carnium nomine reprobi designantur, sicut voce Dominica de diabolo ad beatum Job dicitur : *Membra carnium ejus, cohærentia sibi* (*Job* XLI, 14). Carnes enim diaboli sunt omnes reprobi, qui ad intellectum spiritualis patriæ per desiderium non assurgunt. Membra vero sunt carnium hi, qui eisdem perverse agentibus et sese ad iniquitatem præcedentibus conjunguntur, sicut econtra per Paulum de Dominico corpore dicitur : *Vos estis corpus Christi, et membra de membro.* Aliud quippe est membrum corporis, aliud membrum membri. Membrum quippe corporis est pars ad totum, membrum vero membri est particula ad partem; membrum namque membri est digitus ad manum, manus ad brachium; membrum vero corporis totum hoc simul ad corpus universum. Si ergo in spirituali Dominico corpore membra de membro dicimus, eos qui in ejus Ecclesia ab aliis reguntur, ita in illa diaboli reproba congregatione membra sunt carnium, qui iniquo opere quibusdam se nequioribus conjunguntur. Sed quia malignus hostis sibi in

(325) Ex c. XI, l. XXXIV in Job, 26.
(326) Ex cap. XII.
(327) Ex cap. XXII, lib. XV in Job, 18.
(328) Ex lib. XIV in Job, cap. XXIX, 31.
(329) Ex c. IV, l. XXXIV in Job.

Digitized by Google

perverso opere a primis usque ad extremos concordat, divinus sermo in eo membra carnium sibimet cohærentia memorat.

Carnium nomine discipuli Domini designantur, sicut per beatum Job in persona ejusdem Domini dicitur : *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum.* Require supra, capite 32. De pellibus.

(330) Carnium nomine pœnæ carnis vel vitia designantur, sicut per beatum Job amicis suis dicitur : *Quare persequimini me sicut Deus, et carnibus meis saturamini?* (*Job* XIX.) Non abhorreta locutione pietatis quod a Deo se perhibet persequi. Est namque persecutor bonus, sicut de semetipso ore prophetico Dominus dicit : *Detrahentem occulte adversus proximum suum, hunc persequebar* (*Psal.* C, 5). Cum vero sanctus quisque flagellari permittitur, scit quod persecutionem contra commissa vitia ex interna dispensatione patiatur. Crudeles autem persecutorum mentes, cum potestatem feriendi **280** appetunt, contra bonorum vitam non studio purgationis, sed livoris facibus accenduntur. Et quidem hoc faciunt, quod Deus omnipotens fieri permittit; sed dum una causa, per hos etiam cum Deo agitur, non tamen voluntas una in eadem causa servatur. Quia cum amando omnipotens Deus purgationem exhibet, injustorum pravitas sæviendo malitiam exercet. Quod ergo dicitur : *Quare persequimini sicut Deus?* ad exteriorem hanc percussionem retulit, non ad intimam intentionem, quia etsi agunt exterius quod Deus agi disposuit, non tamen hoc quod Deus in sua actione appetunt, ut boni ex afflictione purgentur. Bene autem subditur : *Et carnibus meis saturamini.* Quorum mens proximorum pœnas esurit, saturari procul dubio alienis carnibus quærit. Sciendum quoque est quod hi etiam qui alienæ vitæ detractione pascuntur, alienis carnibus procul dubio saturantur. Unde per Salomonem dicitur : *Noli esse in convivio potatorum, neque comedas cum eis qui carnes ad vescendum conferunt* (*Prov.* XXIII, 20). Carnes quippe ad vescendum conferre, est in collocutione derogationis vicissim proximorum vitia dicere. De quorum pœna mox illic subditur : *Quia vacantes potibus, et dantes symbolum consumentur : et vestietur pannis dormitatio* (*Prov.* XXIII, 21). Potibus quippe vacant, qui de opprobrio alienæ vitæ se debriant. Symbolum vero dare est, sicut unusquisque solet pro parte sua cibos ad vescendum, ita in confabulatione detractionis verba conferre. Sed vacantes potibus, et dantes symbolum consumentur, quia sicut scriptum est, *omnis detractor eradicabitur* (*Prov.* XXIV, 9). Vestietur autem pannis dormitatio, quia despectum et inopem a cunctis bonis operibus mors sua invenit, quem hic ad alienæ vitæ exquirenda crimina detractionis suæ languor occupavit.

Carnium nomine motus carnis designantur, sicut per beatum Job dicitur : *Pelle et carnibus vestisti me, ossibus et nervis compegisti me* (*Job* X, 11). Require in cap. De pelle.

281 CAPUT XXXV.

DE SANGUINE.

In Scriptura sacra sanguinis nomine aliquando passio Christi, aliquando carnalis intellectus, aliquando peccatum, aliquando cruentæ mentis malitia intelligitur.

(331) Sanguinis nomine, passio Christi designatur, sicut voce Domini, ad beatum Job de sancto prædicatore sub figura aquilæ dicitur : *Pulli ejus lambent sanguinem* (*Job* XXXIX, 30). Ac si aperte diceretur : Ipsa quidem aquila divinitatis contemplatione pascitur, sed quia auditores ejus divinitatis percipere arcana nequaquam possunt, crucifixi Domini cruore satiantur. Sanguinem namque lambere est passionis Dominicæ infirma venerari. Hinc est quod Paulus, qui ad tertii cœli secreta volaverat, discipulis dicebat : *Non judicavi me scire aliud inter vos nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum* (*I Cor.* II, 2). Ac si aperte aquila diceret : Ego quidem escam meam, divinitatis ejus potentiam de longe prospicio, sed vobis adhuc parvulis incarnationis ejus tantummodo lambendum sanguinem trado. Nam qui per prædicationem suam tacita divinitatis celsitudine, infirmos auditores de solo cruore crucis edocuit, quid aliud quam sanguinem pullis præbuit?

(332) Sanguinis nomine carnalis intellectus designatur, sicut per Salomonem dicitur : *Qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum; et qui vehementer emulget, elicit sanguinem* (*Prov.* XXX, 33). Ubera quippe fortiter premimus, cum verba sacri eloquii subtili intellectu pensamus. Qua pressione, dum lac quærimus butyrum invenimus, quia dum nutriri vel tenui intellectu **282** quærimus, ubertate internæ pinguedinis ungimur. Quod tamen nec nimie, nec semper agendum est, ne dum lac quæritur ab uberibus, lac sanguis sequatur. Plerumque etenim quidam, dum verba sacri eloquii, plusquam debent, discutiunt, in carnalem intellectum cadunt. Sanguinem quippe elicit qui vehementer emulget, quia carnale efficitur hoc quod discussione sentitur.

(333) Sanguinis nomine peccatum designatur, sicut per prophetam dicitur : *Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit* (*Ose.* IV, 2). Solet enim sanguinis nomine signari peccatum, sicut is qui a peccatis liberari desiderat, per pœnitentiam clamat : *Libera me de sanguinibus* (*Psal.* L, 16). Sanguis ergo sanguinem tangit, quum culpa culpam cumulaverit. Unde per beatum Job dicitur : *Conscidit me vulnere super vulnus* (*Job* XVI, 15). In infirmis namque sancta Ecclesia vulnere super vulnus consciditur, quando peccatum peccato additur,

(330) Ex c. XXIV, l. XIV in Job.
(331) Ex c. XXI, l. XXXI in Job, 36.
(332) Ex c. I, l. XXI in Job.
(333) Ex c. VI, l. XIII in Job.

Digitized by Google

ut culpa vehementius exaggeretur. Quem enim avaritia pertrahit ad rapinam, rapina ducit ad fallaciam, vel perpetrata culpa ex falsitate etiam defendatur : quid iste nisi vulnere super vulnus sciditur?

(334) Sanguinis nomine malitia cruentæ mentis designatur, sicut per prophetam de justi persecutore dicitur : *Sanguis ejus in medio ejus. Super limpidissimam petram effudit illum : Non effudit illum super terram, ut possit operiri pulvere* (*Ezech.* XXIV, 7). Per terram videlicet et pulverem, peccatores; per petram vero limpidissimam, justum signans, qui gravibus peccatorum contagiis non exasperatur. Sanguis ergo super limpidissimam petram effunditur, quando malitia cruentæ mentis in afflictione justæ animæ grassatur.

283 CAPUT XXXVI.

DE ADIPE.

(335) Adipis nomine superbia designatur, sicut per beatum Job de superbo divite dicitur : *Viscera ejus plena sunt adipe* (*Job* XXI, 24). Sicut enim ex abundanti cibo adeps, ita ex abundantia rerum superbia nascitur, quæ impinguat mentem divitis, cum elevatur animus superbientis. Superbia quippe cordis quasi quædam pinguedo est crassitudinis. Unde quia plerique ex abundantia peccata patrant per Prophetam dicitur : *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum* (*Psal.* VII, 7)

CAPUT XXXVII.

DE PINGUEDINE.

(336) Pinguedinis nomine terrenarum rerum abundantia designatur, sicut per Eliphas Themanitem de impio quolibet dicitur : *Pingui cervice armatus est. Operuit faciem ejus crassitudo* (*Job* XV, 27). Pinguis enim cervix est opulenta superbia, affluentibus videlicet rebus quasi multis carnibus fulta. Potens igitur iniquus pingui cervice contra Dominum armatur, quia rebus temporalibus tumens contra præcepta veritatis, quasi de magnitudine carnis erigitur. Quid enim paupertas nisi quædam macies, et quid rerum abundantia, nisi pinguedo vitæ præsentis? Pingui ergo cervice se contra Dominum erigit, qui temporalem abundantiam in superbiam assumit. Habent enim potentes et iniqui proprium, ut fallacibus divitiis occupati, veras Dei opes negligant. Et quanto minus quod verum est inquirunt, tanto amplius falsis divitiis extolluntur. Cura etenim multiplex terrenarum rerum, quia occupat excæcat. Unde apte subjungitur : *Operuit faciem ejus crassitudo.* Visus quippe in facie est, in qua et prima honorabilior corporis pars est. Non ergo immerito mentis intentio per faciem designatur, quam quolibet vertimus illuc **284** videmus. Faciem ergo crassitudo operit, quia desiderata rerum terrenarum abundantia oculos mentis premit, et hoc quod in eis honorabile esse debuit, ante oculos Dei fœdat, quia curis multiplicibus aggravat.

CAPUT XXXVIII.

DE ARVINA.

(337) Arvinæ nomine, potentia terrena designatur, sicut per eumdem Eliphas dicitur : *De lateribus ejus arvina dependet* (*Job* XV, 27). Sunt nonnulli qui patronis majoribus adjuncti superbiunt, et de eorum potentia contra inopes extolluntur. De quibus bene dicitur : *Et de lateribus ejus arvina dependet*, quia enim arvina pinguedo carnis est, et latera dicere divitum solemus hos quos eis conjunctos cernimus, arvina de iniquorum lateribus dependet, quia quisquis potenti et iniquo adhæret, ipse quoque de ejus potentia velut ex pinguedine rerum tumet, ut patroni perversi iniquitatem sequens non timeat Deum, et quos valet, et quantum valet, pauperes affligat, de gloria temporali cor elevet. Cum ergo talis est qui iniquo potenti adhæret, de ejus latere profecto arvina dependet.

285 CAPUT XXXIX.

DE OSSIBUS.

In Scriptura sacra cum os singulariter ponitur, aliquando Christus, aliquando fortis quilibet in sanctæ Ecclesiæ corpore intelligitur ; cum vero pluraliter ossa dicuntur, aliquando virtutes, aliquando nequiores in corpore Antichristi, aliquando duritia fortitudinis, aliquando carnis fortitudo, aliquando fortitudo sæcularium dignitatum.

Ossis nomine Christus designatur, sicut per Job dicitur in persona Christi : *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum* (*Job* XIX, 20). Require in cap. De pellibus, supra cap. 32

(338) Ossis nomine fortis quilibet in sanctæ Ecclesiæ corpore, qui infirmos portat, designatur, sicut per beatum Job in persona Ecclesiæ dicitur : *Nocte os meum perforatur doloribus, et qui me comedunt, non dormiunt* (*Job* XXX, 17). Si allegoriæ mysterium perscrutamur, quid per ossa nisi fortis quisque in sanctæ Ecclesiæ corpore designatur, qui quasi suo robore membra continet, dum mores infirmantium stabiliter portat? Sed cum tribulationis ultimæ contra eum fervor excreverit, in nocte os illius perforatur doloribus, quia nonnunquam tormentis victi, etiam ipsi ad perfidiam defluunt, qui ad fidem alios tenere videbantur : Ait ergo : *Nocte os meum perforatur doloribus.* Ac si aperte dicat : Tribulationis tenebris pressi afflictione tenebantur, ut ipsi qui in me habebant vigorem fortitudinis, **286** quasi jam quoddam habent foramen timoris. Bene autem dicitur : *Et qui me comedunt, non dormiunt*, quia maligni spiritus, qui carnales quosque de Ecclesia consumunt, tanto magis quiescere a tentatione nesciunt, quanto nullo carnis pondere gravantur.

(339) Ossium nomine virtutes designantur, sicut per Psalmistam de sanctis martyribus dicitur : *Dominus custodit omnia ossa eorum, unum ex eis non conteretur* (*Psal.* XXXII, 21). Quod utique non de

(334) Ex c. XIX, l. XV in Job, 15.
(335) Ex c. XXXIII, l. XV in Job, 25.
(336) Ex c. XXII, l. XII in Job.
(337) Ex c. V, l. sup.
(338) Ex lib. XX in Job, cap. XXI, XXII.
(339) Ex lib. XXIII in Job, cap. XVI.

Digitized by Google

ossibus corporis, sed de viribus dicitur mentis. Nam certe novimus quod et multorum martyrum corporaliter ossa confracta sunt, et persecutores Domini, latronis illius cui dictum est: *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 43), sicut latronis alterius in cruce crura fregerunt. Item quia ossa virtutes intelligantur, per Eliu manifestatur, cum per eum de Domino dicitur: *Increpat quoque per dolorem in lectulo, et omnia ossa ejus marcescere facit* (*Job* XXXIII, 19). Quid enim per lectum, nisi requies temporalis accipitur? Sed quia in hac vita omnis nostra quam præparamus requies perturbatur, recte dicitur: *Increpat quoque per dolorem in lectulo*, id est in præsentis vitæ requie, vel tentationis nos stimulis vel flagelli afflictione conturbat. Nam sæpe humanus animus quamlibet brevi tempore sine tentatione in bonis studiis fuerit, mox de eisdem studiis in quibus quiescendo se exercet; de ipsis virtutibus, quibus multiplicari nititur, dum proficere se sentit, inde elevatur. Unde pro rectoris nostri moderamine impulsu tentationis efficitur, ut in eo ipsa provectus sui elatio comprimatur. Quapropter postquam dixit: *Increpat quoque per dolorem in lectulo;* aperte subjunxit: *Et omnia ossa ejus marcescere facit*, quia cum in ea requie quam nobis in hoc sæculo præparamus flagello tentationis afficimur, qui fortasse de virtutibus nostris inflari potuimus, cognito infirmitatis nostræ tædio extenuamur. Cum enim, sicut cupimus, ad Deum proficimus, si profectum nostrum tentatio nulla pulsaret, alicujus nos fortitudinis esset crederemus. Sed quia nobiscum superna dispensatione agitur ut infirmitatis nostræ, quia proficientes obliviscimur tentari recolamus; et in profectu nostro quid **287** de divino munere, et in tentatione cognoscamus, quid de propriis viribus sumus. Quæ nos profecto tentatio ad plenum raperet, nisi protectio superna servaret. Sed pulsat, nec frangit; pellit, nec movet; quatit, nec dejicit, ut nostra infirmitate sentiamus esse quod quatimur, et de divino munere quod stamus. Et quia sæpe anima alicujus boni sibi conscia, cum virtutes suas ad memoriam revocat, quadam delectatione pascitur et quasi gratulatione propriæ plenitudinis impinguatur, benedicitur quod tentatione pulsante marcescunt ossa, quia dum propria infirmitas tentatione interrogante cognoscitur, omnis illa nostrarum virium videlicet pinguis viridisque gratulatio subito anxietatis mœrore siccatur. Et qui nos alicujus esse momenti bona nostra pensando credidimus, pulsati paulo amplius perituros nos jamjamque formidamus. Tunc omne bonorum nostrorum gaudium vertitur in pavorem pœnarum. Tunc iniquos nos esse deprehendimus qui sanctos paulo ante credebamus. Tabescit mens, stupent oculi, omne quod prius prosperum arridebat evanescit. Lux ipsa fastidio est, et solæ se in animo tenebræ mœroris infundunt.

(340) Ossium nomine nequiores Antichristi, et callidiores servi signantur, sicut voce Dominica ad beatum Job de ipsis dicitur: *Ossa ejus videlicet fistulæ æris* (*Job* XL, 13). In corpore ossa sunt, quæ continent membra, et quæ continentur. Habet ergo carnes Antichristus, habet et ossa: quia et iniqui sunt alii, qui tamen ab aliis in errore retinentur, et nequiores alii in errore alios retinent. Quid itaque aliud ossa Antichristi quam quoslibet in corpore ejus valentiores accipimus? In quorum corde iniquitas dum vehementer induruit, per eos tota ejus corporis compago subsistit. Multi namque in hoc mundo divites videntur, qui dum rebus operibusque subnixi sunt quasi ex fortitudine solidantur. Sed largiendo hæc ipsa quibus stulti sunt, ad alios ad suum errorem trahunt. Modo nonnullos ut pravi fiant donis illiciunt; modo nonnullos ut pravi permaneant, muneribus astringunt. Quid itaque isti nisi Antichristi ossa sunt, qui dum malos continendo **288** multiplicant, in cujus corpore carnes portant? Hi nonnunquam decipiendis auditoribus exhibent linguæ dulcedines, quia et spinæ proferunt flores, et apparet quidem in eis quod oleat, sed latet quod pungat. Amaris dulcia, noxiis blanda permiscent, humiliter substernuntur, et per sermonem de se insinuant quod per exhibitionem negant. Unde et recte ossa illius æreis fistulis comparantur, quia nimirum more metalli insensibilis, sonum bene loquendi habent, sed sensum bene vivendi non habent. Hoc namque quasi humiliter loquendo asserunt quod elate vivendo contemnunt. Unde bene per Paulum dicitur: *Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens* (*I Cor.* XIII, 1). Bona quippe loquens, sed per amorem eadem bona non sequens, velut æs aut cymbalum sonitum reddit, quia ipse sentit verba quæ ipse non facit.

(341) Ossium nomine, duritia fortitudinis designatur, sicut per Jeremiam de quibusdam, de viribus suis nimirum præsumentibus dicitur: *Adhæsit cutis eorum ossibus* (*Thren.* IV, 8). Quid enim in ossibus, nisi duritia fortitudinis, et quid in cute nisi mollities exprimitur infirmitatis? Cutis ergo eorum adhærere ossibus dicitur, quia ab eis prava sentientibus infirmitas vitii, duritia virtutis putatur; infirma enim sunt quæ faciunt, sed elationis fiducia decepti fortibus ea suspicionibus jungunt. Et quo de se magna sentiunt, eo de sua nequitia emendari contemnunt.

(342) Ossium nomine carnis fortitudo designatur, sicut per beatum Job dicitur: *Elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea* (*Job* VII, 15). Quid per animam nisi mentis intentio? quid per ossa, nisi carnis fortitudo signatur? Omne autem quod suspenditur, procul dubio ab imis elevatur. Anima ergo suspendium eligit ut ossa moriantur, quia dum mentis intentio ad alta se sublevat, omnem in se fortitudinem vitæ exterioris necat. Sancti enim viri certis-

(340) Ex lib. XXXII in Job, c. XIV.
(341) Ex lib. XXXII in Job, cap. XVII.
(342) Ex lib. VIII in Job, cap. XIV.

Digitized by Google

sime sciunt quia habere in hac vita requiem non possunt, et idcirco suspendium eligunt; quia nimirum terrena desideria deserentes **289** ad alta animum tollunt. Suspensi autem mortem suis ossibus inferunt, quia amore supernæ patriæ in virtutum studiis accincti hi qui fortes prius in mundo fuerant, vinculo humilitatis insequuntur.

Ossium nomine fortitudo sæcularium dignitatum designatur, sicut per beatum Job de superbo divite dicitur: *Viscera ejus plena sunt adipe, et medullis ossa illius irrigantur* (*Job* XXI, 24). Sicut enim ex abundanti cibo adeps, ita ex abundantia rerum superbia nascitur quæ impinguat mentem divitis, dum elevatur animus superbientis. Superbia quippe cordis quasi quædam pinguedo est crassitudinis. Unde iis, qui ex abundantia peccata perpetrant, Propheta dicit: *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum* (*Psal.* LXXII, 7). Amatores autem hujus sæculi quasi ossa habent, quando in hoc mundo fortitudinem dignitatum possident. Sed si in exteriori dignitate desint terrenæ et domesticæ divitiæ quantum ad judicium suum, ossa quidem habent, sed medullas in ossibus non habent. Quia ergo sic iste amator hujus sæculi exteriori potestate fulcitur, ut etiam interiori terrenæ domus abundantia saginetur, dicitur: et medullis ossa illius irrigantur. Vel certe ossa sunt hujus pravi divitis, pravæ et duræ consuetudines: Medullæ vero in ossibus, sunt ipsa desideria male vivendi, quæ neque ex pravitatis satisfactione satiantur. Quam medullæ quasi ossa irrigant, cum prava desideria perversas consuetudines suas in voluptatum delectatione conservant.

CAPUT XL.

DE CARTILAGINE.

In Scriptura sacra cartilaginis nomine, aliquando inferiores in corpore Antichristi, aliquando simulatio intelligitur.

(343) Cartilaginis nomine inferiores in corpore Antichristi, qui quales non sunt, videri appetunt, **290** designantur, sicut in voce Dominica ad beatum Job dicitur: *Cartilago ejus quasi laminæ ferreæ.* Cartilago ossis quidem speciem habet, sed ossis fortitudinem non habet. Et sunt nonnulli in Antichristi corpore non honoribus clari, non divitiis fulti, non virtutum specie decorati, non scientia calliditatis periti, sed tamen videri, quales non sunt, ambiunt; et idcirco contra bonorum vitam nequiores fiunt. Bene ergo cartilago ejus laminis ferreis comparatur, quia hi qui Antichristo debiliores sunt, ad perpetranda mala nequiores existunt. Ferro quippe cætera metalla conciduntur; et cartilago Antichristi ferro similis dicitur quia hi qui in ejus corpore ad ostensionem virtutum non sufficiunt, contra neces infidelium acrius accenduntur. Quia enim cum eo se facere signa et prodigia non posse considerant, fideles se illi per crudelitatem probant. Et pro eo quod innocentium corda corrumpere persuadendo non possunt, multiplicius cæteris bonorum corpora se exstinguere gloriantur. Bene ergo dicitur: *cartilago ejus ut laminæ ferreæ*, quia in ejus corpore quo infirmius quisque credidit, eo nequius incidit. Qui recte non ferro tantummodo, sed laminis ferreis comparantur, quia dum se circumquaque incredulitate dilatare ambiunt, quasi in ferri se laminas extendunt.

(344) Cartilaginis nomine simulatio potest designari. Cartilago namque ossis ostendit speciem, sed ossis non habet infirmitatem. Et sunt nonnulla vitia quæ ostendunt in se rectitudinis speciem, sed ex pravitatis prodeunt infirmitate. Hostis enim nostri malitia tanta arte se palliat, ut plerumque ante deceptæ mentis oculos culpas virtutes fingat, ut inde quisque quasi exspectet præmia, unde æterna dignus est invenire tormenta.

Plerumque enim in ulciscendis vitiis crudelitas agitur, et justitia putatur, atque immoderata ira intus zeli meritum creditur: et cum a distortis moribus peccantes dirigi caute debeant, violenta inflexione franguntur.

Plerumque dissoluta remissio, quasi mansuetudo **291** ac pietas habetur; et dum, plusquam decet, delinquentibus temporaliter parcitur, ad æterna supplicia crudeliter reservatur. Nonnunquam effusio, mesericordia creditur; et dum male servare culpa sit, pejus spargi quod acceptum est, non timetur.

Nonnunquam tenacia, parcitas putatur; et cum grave sit vitium non tribuere, virtus creditur accepta retinere.

Sæpe malorum pertinacia, constantia dicitur; et dum mens a pravitate sua flecti non patitur, quasi ex recti defensione gloriatur.

Sæpe inconstantia quasi tractabilitas habetur, et quo quisque fidem integram nulli servat, eo se amicum omnibus æstimat. Aliquando timor incompetens humilitas creditur; et cum temporali formidine pressus quisque a defensione veritatis tacet, arbitratis quod juxta Dei ordinem hominem se potioribus exhibeat.

Aliquando vocis superbia, veri libertas æstimatur; et cum per elationem veritate contradicitur, loquendi procacitas veritatis defensio putatur.

Plerumque pigritia quasi continentia quietis attenditur, et cum gravis culpæ sit recta studiose non agere, magnæ virtutis meritum creditur a prava tantum actione cessare.

Plerumque inquietudo spiritus, vigilans sollicitudo nominatur, et cum quietem quisque non tolerat, agendo quæ appetit, virtutis debitæ implere se exercitium putat.

Quia error cum virtus creditur, difficilius emendatur, recte dicitur: *Cartilago ejus quasi laminæ ferreæ* (*Job* XL, 3). Diabolus enim, quo sub prætextu boni calliditatem suam fraudulentius exhibet, eo in culpa mentem durius tenet. Hinc est quod nonnun-

(343) Ex fine cap. XIV, lib. XXXII, in Job.

(344) Ex ejusdem lib. c. XVII, paulo post med.

Digitized by Google

quam hi qui quasi viam sanctitatis appetunt, in errorem lapsi, tardius emendantur. Rectum quippe æstimant esse quod agitur, et sicut excolendæ virtuti, sic vitio perseverantiam jungunt. Rectum æstimant esse quod agunt, et idcirco suo judicio enixius serviunt.

292 CAPUT XLI.

DE MEDULLIS

In Scriptura sacra medullarum nomine aliquando nobilitas regia, aliquando subtilitas ingenii, aliquando divitiæ, aliquando intentiones cordis intelliguntur.

Medullæ nomine nobilitas regia designatur, sicut per Ezechielem prophetam de Nabuchodonosor dicitur: *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis et varietate venit ad Libanum, et tulit medullam cedri et summitatem frondium ejus evulsit* (*Ezech.* XVII, 4). Vide titulum De aquila, lib. II, c. 2.

Medullæ quoque nomine subtilitas ingenii potest non inconvenienter designari: *Ossa quippe medullæ irrigando confirmant* (*Job* XXI, 24). Per ossa autem, fraudulenta diaboli consilia intelliguntur. Quia sicut in ossibus positio corporis, roburque consistit, ita in fraudulentis diaboli consiliis, tota se ejus malitia erigit; et sicut ossa quia irrigant medullæ confortant, ita ejus consilia per spiritualis naturæ potentiam infusa ingenii subtilitas consilium roborant.

Medullarum nomine divitiæ designantur, sicut per beatum Job de pravo divite dicitur: *Medullis ossa illius irrigantur* (*Job* XXI, 24). Consule lib. III, c. 33.

(345) Medullarum nomine intentiones cordis designantur: unde prædicator egregius cum loquens subtiliter diceret: *Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertigens usque ad divisionem animæ ac spiritus* (*Hebr.* IV, 12), illico adjunxit: *Compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum* **293** *cordis* (*ibid.*). Distinguit enim sermo Dei compages et medullas: quia discernit cogitationes, et intentiones cordis. Per compages quoque ossibus ossa junguntur. Et sæpe dum quid recta cogitatione agimus, sed subito in laudis amorem declinamus, atque hoc pro laude facimus, quod facere prius, pro veritate cœperamus: quia cogitationes cogitationibus adjunguntur, quasi quædam compages fiunt. Sed habent ossa, quæ in compage juncta sunt, etiam medullas. Quod prædicator sanctus apertius intulit, cum subjungit: *Discretor cogitationum, et intentionum cordis.* Compages enim, nostræ cogitationes sunt: medullæ autem intentiones. Et sæpe aliud cogitamus, atque aliud est, quod per cogitationem intendimus. Nam si quis proposito nummorum præmio, pupilli vel viduæ causam defendit, et fortasse ecclesiam ingrediens in suis precibus Deo dicat: Tu vides quia causam pupilli et viduæ defendo, iste procul dubio quod cogitat, scit: sed quod intendit ejus cogitatio, ignorat. Aliud quippe cogitat, atque alio intendit. Non enim defensionem pupilli, vel viduæ, sed mercedem nummorum quærit. Nam tollere temporale præmium, et non pupillum ac viduam intendit defendere. Sermo itaque Dei discretor est cogitationum et intentionum cordis: quia non aspicit quid apud temetipsum cogitas, sed per medullam compagis, id est per intentionem cogitationis quid accipere requiris. Restat ergo ut doctor cum loquitur sollicite attendat, ne aut mala intentione loqui inchoet: aut cum bene cœperit, seductus favoribus in appetitum alium declinet. Sic enim cogitationi bonæ cogitatio sinistra subjungitur, ut vix ipse qui easdem cogitationes generat, animus cognoscat.

294 CAPUT XLII.

DE NERVIS.

(346) Nervi nomine, sententia fortis districtionis designatur, sicut per beatum Job Domino dicitur: *Posuisti in nervo pedem meum: et observasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti* (*Job* XIII, 27). In nervo autem Deus pedem hominis posuit, quia pravitatem illius forti districtionis suæ sententia ligavit. Cujus omnes semitas observat, quia subtiliter singula quæque dijudicat. Semita etenim angustior solet esse quam via. Quia autem vias, actiones, non immerito semitas ipsas, actionum cogitationes accipimus. Deus itaque omnes semitas observat, quia in singulis quibusque actionibus nostris etiam cogitationes pensat. Et vestigia pedum considerat, quia intentiones nostrorum operum quam recte ponantur, examinat, ne et hoc, quod bonum agitur, non recto desiderio agatur.

CAPUT XLIII.

DE PECTORE.

In Scriptura sacra pectoris nomine aliquando cogitatio luxuriæ, aliquando cor intelligitur.

(347) Pectoris nomine cogitatio luxuriæ designatur, sicut voce Dominica serpenti dicitur: *Pectore et ventre repes* (348) (*Gen.* III, 14). Malum namque luxuriæ, aut cogitatione perpetratur, aut opere. Callidus namque adversarius noster, cum ab effectu operis expellitur, secreta polluere cogitationis molitur. Bene ergo a Domino serpenti dicitur: *Pectore et ventre repes.* Serpens videlicet ventre repit, quando hostis lubricus per humana membra, sibimet subdita usque ad expletionem **295** operis luxuriam exercet. Serpens autem repit pectore, quando eos, quos in opere luxuriæ non valet, polluit in cogitatione. Alius itaque luxuriam jam perpetrat actione, huic serpens repit ex ventre. Alius autem perpetrandam versat in mente, huic sibi serpens repit ex pectore. Sed quia per cogitationem ad opera implenda pervenitur, recte serpens prius pectore, et postmodum repere ventre describitur.

(349) Pectoris nomine, cor designatur. Unde divina voce præcipitur ut in Aaron pectore rationale

(345) Ex hom. XXI in Ezech. post medium.
(346) Ex c. XXV, l. XI, in Job.
(347) Ex c. II, lib. XXI, in Job, ante finem.
(348) Sed nostra et omnes edit. aliter habent.
(349) Ex II part. Pastor., c. 1.

Digitized by Google

judicii vittis ligantibus imprimatur, quatenus sacerdotalis cor nequaquam cogitationes fluxæ possideant, sed ratio sola constringat, ne indiscretum quid vel inutile cogitet, qui ad exemplum aliis constitutus, ex gravitate vitæ semper debet ostendere, quantam in pectore rationem portet.

CAPUT XLIV.

DE UBERIBUS.

In Scriptura sacra uberum nomine aliquando Judæi et gentiles designantur, aliquando verba sacri eloquii, aliquando argumenta cassæ spei, aliquando sancti prædicatores intelliguntur.

(350) Uberum nomine Judæi et gentiles designantur, sicut Ecclesiæ in Canticis dicitur : *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli qui pascuntur in liliis donec aspiret dies, et inclinentur umbræ* (*Cant.* IV, 5). Quid enim sunt duo ubera, nisi ex Judæa et gentilitate veniens uterque populus, in sanctæ Ecclesiæ corpore per intentionem sapientiæ, arcano est cordis infixus? Ex quo populo, hi qui electi sunt, idcirco capreæ hinnulis **296** comparantur, quia per humilitatem quidem se peccatores intelligunt, sed eis per charitatem currentibus, si qua obstacula de impedimento temporalitatis obviant, transeunt, et datis contemplationis saltibus, ad superna conscendunt. Qui, ut hæc agant, præcedentium sanctorum exempla conspiciunt : Unde et in liliis pasci referuntur. Quid enim per lilia nisi illorum vita declaratur, qui veraciter dicunt : *Christi bonus odor sumus Deo* (*II Cor.* II). Electi ergo, ut assequi summa prævaleant, conspecta odorifera et candida justorum vita satiantur. Jam quidem videre Dominum sitiunt, jam de ejus contemplatione satiari charitatis æstibus inardescunt. Sed quia in hac vita positi nondum valent, per præcedentium interim patrum exempla pascuntur. Unde et apte illic tempus de ipso liliorum pastu diffinitur, cum dicitur : *Donec aspiret dies, et inclinentur umbræ.* Tandiu quidem refici justorum exemplis indigemus, donec peccantis mortalitatis umbras æterno die aspirante transeamus. Cum autem hujus temporalitatis umbra transacta hac mortalitate fuerit inclinata, quia ipsius diei internum lumen cernimus, nequaquam jam appetimus, ut ad amorem ejus per aliorum exempla flagremus. Nunc autem, quia nondum eum intueri possumus, summopere necesse est ut eorum qui illum perfecte secuti sunt conspectis actionibus incitemur.

Uberum nomine verba sacri eloquii designantur, sicut per Salomonem dicitur : *Qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum. Et qui vehementer emulget, elicit sanguinem* (*Prov.* XXX, 33). Require in capit. De sanguine, supra, cap. 35.

(351) Uberum nomine argumenta cassæ spei, vel fiduciæ, sive miseræ fomenta desperationis designantur, sicut per beatum Job ex persona humani generis, vel cujuslibet pœnitentis dicitur : *Quare non in vulva mortuus sum? egressus ex utero non statim perii? Cur exceptus genibus? Cur lactatus uberibus?* (*Job* III, 12.) Quatuor modis peccatum perpetratur in corde, quatuor consummatur in opere. In corde namque suggestione, **297** delectatione, consensu, et defensionis audacia per elationem perpetratur. Fit enim suggestio per adversarium, delectatio per carnem, consensus per spiritum, defensionis audacia per elationem. Culpa enim quæ terrere debuit, mentem extollit et dejiciendo elevat ; sed gravius elevando supplantat. Unde et illam primi hominis rectitudinem antiquus hostis his quatuor ictibus fregit. Nam serpens suasit, Eva delectata est, Adam consensit. Qui etiam requisitus confiteri culpam per audaciam noluit. Hoc vero in humano genere quotidie agitur quod actum in primo parente nostri generis non ignoratur. Serpens suasit quia occultus hostis mala cordibus hominum latenter suggerit. Eva delectata est, quia carnalis sensus ad verba serpentis mox se delectationi substernit. Consensum vero Adam mulieri præpositus præbuit quia dum caro in delectationem rapitur, etiam a sua rectitudine spiritus infirmatus inclinatur. Et requisitus Adam confiteri noluit culpam, quia videlicet spiritus, quo peccando a veritate disjungitur, eo in ruinæ suæ audacia nequius obduratur. Eisdem etiam quatuor modis peccatum consummatur in opere. Prius namque latens culpa agitur, postmodum vero ante oculos hominum sine confusione reatus aperitur ; dehinc et in consuetudinem ducitur. Ad extremum vero vel falsæ spei seductionibus, vel obstinatione miseræ desperationis enutritur.

Hos itaque peccati modos qui vel in corde latenter fiunt, vel patenter in opere perpetrantur, beatus Job considerat, et humanum genus in quot peccatorum gradibus sit lapsum, deplorat dicens : *Quare non in vulva mortuus sum ? egressus ex utero non statim perii ? Cur exceptus genibus ?* Prima enim vulva conceptionis fuit lingua malæ suggestionis. Sed peccator in vulva moreretur, si moriturum se homo in ipsa suggestione cognosceret. Qui tamen ex utero egressus est, quia postquam eum in peccato suggerens lingua concepit, mox etiam foras delectatio rapuit. Post egressionem vero exceptus est genibus, quia cum ad delectationem carnis prodiit, nimirum culpam per consensionem spiritus subjectis cunctis sensibus, quasi suppositis genibus consummavit. Sed **298** genibus exceptus etiam uberibus est lactatus. In consensu enim culpæ additis spiritus sensibus multa cassæ fiduciæ argumenta subsecuta sunt, quæ natam in peccato animam virulento lacte nutrierunt ; et ne aspera mortis supplicia metueret, hanc blandis excusationibus foverunt. Unde et primus homo post culpam audacior exstitit dicens : *Mulier quam dedisti mihi sociam ivsa mihi dedit de ligno, et comedi* (*Gen.*

(350) Ex c. VI, lib. XXIV in Job, 10.

(351) Ex c. XXV, l. IV, in Job, 27.

Digitized by Google

III, 12). Qui quidem per timorem semetipsum absconsurus fugerat; sed tamen requisitus innotuit quantum etiam timens timebat. Cum enim ex peccato præsens pœna metuitur, et amissa Dei facies non amatur, timor ex timore est, non ex humilitate. Superbit quippe, qui peccatum si liceat non puniri, non deserit. Sed his sicut dictum est modis quatuor culpa, ut in corde agitur, etiam in opere perpetratur. Ait enim : *Quare non in vulva mortuus sum ?* Vulva quippe est peccantis hominis culpa latens quæ occulte peccatorem concipit, et reatum suum adhuc in tenebris abscondit. *Egressus ex utero non statim perii ?* A vulva de utero exitur, cum peccator, quæ in occulto commiserit, hæc etiam in aperto committere non erubescit. Quasi enim ab occultationis suæ vulva processerant, de quibus propheta dicebat : *Et peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt* (*Isa.* III, 9). *Cur exceptus genibus ?* Nimirum peccator, cum jam de iniquitate sua non confunditur, in iniquitate eadem etiam adminiculis pessimæ consuetudinis roboratur. Quasi enim genibus peccator fovetur, ut crescat, dum culpa consuetudinibus firmatur ut vigeat. *Cur lactatus uberibus ?* Quia dum prodire culpa in usum cœperit, nimirum se vel falsa spe divinæ misericordiæ, vel aperta miseria desperationis pascit, ut eo nequaquam ad correctionem redeat, quo vel factorem suum pium sibi simulat, vel hoc quod fecit inordinate formidat. Beatus igitur vir humani generis lapsus aspicit, et quibus præcipitiis mersum sit in foveam iniquitatis, intendit dicens : *Quare non in vulva mortuus sum ?* Id est in ipsa occulta perpetratione peccati, cur a carnis vita mortificare me nolui ? *Et egressus ex utero non statim perii ?* Id est postquam ad apertam iniquitatem exii, cur me tunc saltem perditum non cognovi ? **299** Perisset quippe in suo judicio, si se perditum cognovisset. *Cur exceptus genibus ?* Id est etiam post apertam culpam, cur me adhuc in illa etiam consuetudo suscepit, ut valentiorem ad nequitias redderet, et pravis me usibus sustinens foveret ? *Cur lactatus uberibus ?* Id est postquam in culpæ consuetudinem veni, cur me ad atrociorem nequitiam, vel falsæ spei fiducia, vel lacte miseræ desperationis enutrivi ?

(352) Uberum nomine sancti prædicatores designantur, sicut in Canticis canticorum sponso de ipsis dicitur : *Meliora sunt ubera tua vino* (*Cant.* I, 1). Ista enim sunt ubera, quæ in arca Dominici pectoris fixa, lacte nos potant : quia ipsi arcanis summæ contemplationis inhærentes, subtili nos prædicatione nutriunt.

CAPUT XLV.

DE MAMMIS.

(353) Mammarum nomine erroris prædicatio designatur, sicut testatur qui pravorum prædicatorum sub Antichristo licentiam locutionis long ante intuens ait : *Sed et lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos* (*Thren.* IV, 3). Quid namque lamias nisi hæreticos appellat, humanam quidem faciem, sed belluina per impietatem corda gestantes ? Quia ergo illo tempore, vel quando sancta Ecclesia adversitate premitur, pravis quibusque prædicatoribus licentia locutionis datur, bene dicitur : *Lamiæ mammas nudaverunt*, quia errorem suum pravi prædicatores libere prædicant. Tunc catulos lactant, quia male sequaces parvulorum animas, dum perversa insinuant, ad impietatem nutriendo confirmant.

300 CAPUT XLVI.

DE COSTIS.

(354) Costarum nomine animi sensus designantur, sicut in libro beati Job per Eliphaz de iniquo dicitur : *Attenuetur fame robur ejus, et inedia invadat costas illius* (*Job* XVIII, 12). Scripturæ sacræ more optare videtur, quod prævidet futurum, scilicet non maledicentis animo, sed prædicentis. Omnis itaque homo qui ex anima et carne consistit, quasi ex robore et infirmitate compositus est. Ex ea enim parte, qua spiritus rationalis est conditus non incongrue dicitur robustus ; ex ea vero, qua carnalis est, infirmus est. Robur ergo hominis est anima rationalis, quæ impugnantibus vitiis resistere per rationem valet, hujus autem iniqui robur fame attenuatur, quia ejus anima, nulla interni cibi refectione pascitur. De qua scilicet fame Deus per prophetam loquitur : *Immittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei.* Bene autem subditur : *Inedia invadat costas illius.* Costæ enim uniuscujusque sunt sensus animæ, qui latentes cogitationes muniunt. Inedia igitur invadit costas, quando omni spirituali refectione subtracta sensus mentis deficiunt, et cogitationes suas regere, vel tueri non possunt. Inedia invadit iniqui costas, quia fames interna sensus mentis extenuat, ut cogitationes suas nullatenus regat. Nam dum sensus mentis obtusi fuerint, cogitationes ad exteriora prodeunt, et quasi costis infirmantibus ea, quæ in occulto sana latere poterant, foras viscera funduntur. Unde fit ut, cogitationibus exterius sparsis, exterioris gloriæ specie deceptus appetat animus, nihilque diligat, nisi quod pulchrum foris viderit.

301 CAPUT XLVII.

DE UTERO.

(355) Uteri nomine secretus gratiæ Dei sinus designatur, sicut voce Dominica ad beatum Job sub interrogatione dicitur : *De cujus utero egressa est glacies* (*Job* XXXVIII, 29). Quid enim in utero, nisi sinus gratiæ accipitur ? Quid in glacie nisi frigida, et perfidiæ torpore constricta intelligimus corda Judæorum ? Qui quondam per acceptionem legis, per custodiam mandatorum, per ministeria prophetiæ sic intra sinum gratiæ quasi intra uterum

(352) Ex c. x, l. XXX, in Job, 22.
(353) Ex c. II, lib. XIX, in Job, 15.
(354) Ex c. VII, l. XIV, in Job.
(355) Ex c. XV, l. XXIX, in Job, 20.

Digitized by Google

Creatoris habebantur. Sed quia veniente Domino constricti frigore perfidiæ fervorem fidei et charitatis amiserunt, a secreto gratia Dei sinu projecti, quasi glacies de utero Creatoris egressi sunt. Quasi enim glacies de Dei utero egreditur, quando hi qui intus incaluerant ex virtutum dono, frigescunt. (356) Mentes namque hominum omnipotens Deus dum in suo timore format, quasi concipit; easque ad apertas virtutes dum provehit, gignit. Sed si de acceptis virtutibus extolluntur, relinquit. Et sæpe quosdam cognovimus malorum suorum consideratione compungi, divini terroris pavore fervescere, et per pavoris exordia usque ad summa virtutum pervenire; sed dum de eisdem virtutibus, quas accipiunt, extolluntur; inanis gloriæ laqueo astricti, ad antiquum torporem redeunt. Et inde exteriorem gloriam torpentes appetunt, unde ad interna diligenda ardentius flagrare debuerunt. Dumque iste signis, ille scientia, iste prophetia, ille magnis operibus pollet, atque per hæc dona placere hominibus appetunt, omne quod prius intimum caluerat, exteriorem laudem diligentes in torporem vertunt. Quasi ergo glacies, de utero egreditur, dum post donorum beneficia a visceribus supernæ pietatis separantur.

(357) Uteri nomine, Dei consilium intelligitur, ut testatur ipse, qui per beatum Job loquitur dicens: *Et orabam filios uteri mei* (*Job* XIX, 17). In Deo, qui forma non **302** circumscribitur, membra corporis, id est manus, oculus, uterus ita nominantur, ut ex membrorum vocabulis effectus ejus potentiæ designetur. Oculos quippe habere dicitur, quia cuncta videt; manus quippe habere describitur, quia cuncta operatur; in utero autem proles concipitur quæ in hac vita profertur. Quid ergo uterum Dei nisi ejus consilium debemus accipere, in quo ante sæcula per prædestinationem concepti sumus, ita ut creati per sæcula perducamur? Dominus ergo qui manet ante sæcula, uteri sui filios oravit, quia eos, quos potenter per divinitatem condidit, incarnatus veniens humiliter rogavit.

(358) Uteri nomine, mens designatur, sicut per Eliphaz de hypocrita dicitur: *Concepit dolorem, et peperit iniquitatem; et uterus etiam præparat dolos* (*Job* XV, 35). Mens hypocritæ dolorem concipit, cum perversa cogitat; iniquitatem parit, cum explere cœperit, quod cogitavit; invidendo dolorem concipit, derogando iniquitatem parit: gravis quippe est iniquitas, quando is qui perversus est, ostendere alios perversos molitur, ut inde ipse, quasi sanctus appareat, quod alios sanctos non esse docuerit. Uteri vero nomine recte mens accipitur, quia sicut proles in utero concipitur, sic cogitatio in mente generatur, et sicut in ventre cibi, ita continentur in mente cogitationes. Uterus itaque hypocritæ præparat dolos, quia tanto super majorem malitiam contra proximos in mente concipit, quanto solus præ omnibus videri innocentior quærit. Mens namque hypocritæ nunquam vacat a malitiæ cogitatione. Nam sive terrena quæque, seu laudem appetat, hæc aliis invidet, quæ sibi retribui anhelat. Et tanto cæteros ostendere perversos molitur, quanto videri sanctior hominibus appetit, ut ex eo quod alii despicabiles fiunt, ipse reverentior semper appareat. Unde fit ut de opinione proximi ante humana judicia linguæ suæ laqueos prætendat, ut eorum quibus placere appetit, solus æstimationem capiat.

303 CAPUT XLVIII.

DE VENTRE.

In Scriptura sacra ventris nomine aliquando mens, aliquando avaritia, aliquando opus luxuriæ, aliquando infirmitas nostra intelligitur.

(359) Ventris nomine mens designatur, sicut voce Dominica ad Ezechielem dicitur: *Fili hominis, venter tuus comedet, et viscera tua replebuntur volumine isto, quod ego do tibi* (*Ezech.* III, 3). Quid enim ventris nomine, nisi mens accipitur? Unde et per Jeremiam dicitur: *Ventrem meum, ventrem meum doleo* (*Jer.* IV, 19). Quod, quia de spirituali, et non de corporeo ventre dixerat, adjunxit: *Sensus cordis mei conturbati sunt* (*ibid.*). Neque enim ad salutem populi pertinebat, si propheta ventrem corporeum se dolere prædicaret. Sed ventrem doluit, qui mentis afflictionem sensit. Sed cur exemplum prophetæ proferimus, cum testimonium Domini apertius habeamus? Et necesse est ut cum per semetipsam veritas loquitur, propheta taceat, quia lucerna claritatem non habet in sole. Ait enim: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII, 38). Quia de mente fidelium sanctæ prædicationis verba defluunt, quasi de ventre credentium aquæ vivæ flumina decurrunt. Ventris autem viscera quid sunt aliud nisi mentis interna, id est recta intentio, sanctum desiderium, humilis ad Dominum, pia ad proximum voluntas? Unde recte nunc dicitur: *Venter tuus comedit, et viscera tua replebuntur*; quia cum mens nostra pabulum veritatis accipit, interna nostra non jam vacua remanent, sed alimento vitæ satiata. Multi autem legunt, et ab ipsa lectione jejuni sunt. Multi vocem prædicationis audiunt, sed post vocem vacui recedunt. Quorum etsi venter comedit, viscera non replentur, quia etsi mente intellectum sacri **304** verbi percipiunt, obliviscendo et non servando quæ audierint, hæc in cordis visceribus non reponuntur. Hinc est quod per prophetam alium quosdam Dominus increpat dicens: *Ponite corda vestra super vias vestras. Seminastis multum, et intulistis parum. Comedistis, et non estis satiati. Bibistis, et non estis inebriati* (*Agg.* I, 6). Multum quippe cordi seminat, sed parum infert, qui de mandatis cœlestibus vel legendo, vel etiam audiendo multa cognoscit; sed negligenter operando pauca fructificat. Comedit, et non satiatur, qui

(356) Hæ sunt circiter medium.
(357) Hæc ex c. XXII, l. XIV in Job.
(358) Ex c. XXV lib. in Job, 28.
(359) Ex hom. 10 in Ez., longiuscule a principio.

Digitized by Google

verba Dei audiens, lucra vel gloriam sæculi concupiscit. Et bene non satiari dicitur, quia aliud mandit, et aliud esurit; bibit, et non inebriatur, qui ad vocem prædicationis aurem inclinat, sed mentem non mutat. Solet enim per ebrietatem bibentium sensus mutari. Qui ergo ad cognoscendum Dei verbum devotus est, sed ea quæ sunt hujus sæculi adipisci desiderat, bibit, et inebriatus non est. Si enim inebriatus esset, procul dubio mentem mutasset, ut jam terrena non quæreret, jam vana et transitoria quæ amaverit non amaret. De electis namque per Psalmistam dicitur : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ* (*Psal.* xxxv, 9), quia tanto omnipotentis Dei amore repleti sunt, ut mutata mente sibimetipsis extranei esse videantur implentes quod scriptum est : *Qui vult post me venire, abneget semetipsum* (*Matth.* xvi, 24). Semetipsum namque abnegat, qui mutatur ad meliora, et incipit esse, quod non erat, et desinit esse quod erat.

(360) Ventris nomine avaritia designatur, sicut in libro beati Job per Sophar de iniquo dicitur : *Confringens nudavit pauperis domum : Rapuit, et non ædificavit eam, nec est satiatus venter ejus* (*Job* xx, 19). Domum pauperis confringit, et nudat, qui eum quem per potentiam conterit, exspoliare quoque per avaritiam non erubescit. Rapit eam, et non ædificat. Ac si aperte diceretur : Qui hanc ædificare debuit insuper rapit. Venturus in judicium Dominus dicturus est reprobis : *Esurivi, et non dedistis mihi potum. Hospes eram, et non collegistis me*, etc. (*Matth.* xxv, 41.) Ex culpa subjungitur : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*ibid.*). Si igitur tanta pœna multatur, qui non dedisse **305** convincitur, qua pœna feriendus est, qui redarguitur abstulisse. Rapuit ergo, non ædificavit eam, quia non solum de suo nihil tribuit, sed etiam quod erat alienum tulit. Bene autem subditur : *Nec est satiatus venter ejus.* Venter quippe iniqui avaritia est, quia in ipsa colligitur quidquid perverso desiderio glutitur. Liquet vero quia avaritia desideratis rebus non exstinguitur, sed augetur. Nam more ignis cum ligna quæ consumat acceperit, excrescit; et unde videtur ad momentum flamma comprimi, inde paulo post cernitur dilatari.

Ventris nomine opus luxuriæ designatur, sicut serpenti voce Dominica dicitur : *Pectore et ventre repes* (*Gen.* iii, 14, juxta LXX). Require in capite supra 43, De pectore.

(361) Ventris nomine infirmitas nostra designatur sicut sponsæ voce Canticis canticorum dicitur : *Dilectus meus misit manum suam per foramen et venter meus intremuit ad tactum ejus* (*Cant.* iii, 4). Dilectus meus etenim manum per foramen mittit, quando virtute sua Dominus animum nostrum per subtilem intellectum pulsat. Et venter in tactu illius contremiscit, quia infirmitas nostra, per hoc quod in cœlestis gaudii intellectu frangitur, ipsa sua exsultatione turbatur. Et sit in mente pavor cum lætitia, quia etsi jam sentit quid de cœlesti gaudio diligat, adhuc tamen metuit, ne non pereat, quod vix tenuiter sentit.

CAPUT XLIX.

DE INTESTINIS.

(362) Intestinorum nomine occulta et mystica Dei mandata designantur, sicut per Moysen de agni comestione dicitur : *Caput cum pedibus, et intestinis vorabitis* (*Exod.* xii, 9). Quid enim per agnum nisi Redemptor? Redemptor noster est Deus videlicet ante sæcula, et homo in fine sæculorum. Caput ergo agni vorare est divinitatem illius fide percipere. Pedes vero agni vorare est vestigia humilitatis amando, et imitando perquirere. **306** Quid vero sunt ejus intestina, nisi verborum ejus occulta et mystica mandata? Quæ tunc voramus, cum verba vitæ cum aviditate sumimus.

CAPUT L.

DE VISCERIBUS.

(363) Viscerum nomine hi qui spiritualibus sacramentis in Ecclesia deserviunt designantur, sicut per beatum Job ex persona Ecclesiæ dicitur : *Et effudit in terram viscera mea* (*Job* xvi, 14). Quid enim aliud sanctæ Ecclesiæ viscera debemus accipere, nisi eorum mentes, qui ejus quædam in se mysteria continent, qui ad intima sacramenta deserviunt? Sed antiquus adversarius, cum fideles quosdam, qui interioribus sacramentis deservire videbantur, ad sæcularia negotia pertrahit, ejus procul dubio viscera in terram fundit, quia illos in rebus infimis conculcat, qui prius in occultis et spiritualibus latebant.

CAPUT LI.

DE UMBILICO.

(364) Umbilici nomine luxuria designatur, sicut propheta testatur, qui sub specie feminæ prostitutæ Judææ, petulantiam increpans ait : *In die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus* (*Ezech.* xvi, 4). In die quippe ortus umbilicum præcidere est conversionis tempore carnis luxuriam resecare. Quia enim difficile est male inchoata corrigere, et semel formata deformiter in melius reformare, de ortu suo Judæa reprehenditur, quæ dum Judæo nata est, imprecisum umbilicum retinuit, quia fluxa luxuriæ non abscidit. Hinc iterum voce Dominica ad beatum Job de diabolo dicitur : *Fortitudo ejus in lumbis ejus, et virtus ejus in umbilico ventris ejus* (*Job* xl, 11). Seminaria quippe coitus viris in lumbis esse, inesse autem feminis in umbilico perhibetur. Quia igitur potestate diaboli utriusque generis sexus valde **307** ex luxuriæ infirmitate substernitur; fortitudo ejus in lumbis contra masculos, et

(360) Ex c. xii, lib. xv, in Job.
(361) Ex hom. 19, in Ezech., med. circiter.
(362) Ex hom. 22, in Evang.
(363) Ex l. xiii, in Job, c. vi, 10.
(364) Ex c. xi, l. xxxii, in Job.

Digitized by Google

virtus illius, contra feminas in umbilico esse perhibetur.

CAPUT LII.

DE LUMBIS.

In Scriptura sacra lumborum nomine aliquando propago mortalitatis, aliquando luxuria, aliquando laudis appetitus intelligitur.

(365) Lumborum nomine propago mortalitatis designatur, sicut per Ezechielem de Redemptore nostro dicitur : *Velut aspectum ignis intrinsecus ejus per circuitum, a lumbis ejus et desuper; et a lumbis ejus usque deorsum vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu* (*Ezech.* I, 27). Quid est enim quod mediator Dei et hominum homo Christus Jesus a lumbis, et desuper aspectum ignis intrinsecus per circuitum habere describitur, et a lumbis et deorsum speciem ignis splendentis per circuitum? Investigandum namque quare a lumbis, et desuper ignem intrinsecus, nec tamen splendentem ignem habere narratur; a lumbis vero, et deorsum habere ignis speciem dicitur, non tamen hunc habere intrinsecus memoratur, quia splendentem et in circuitu hunc habere describitur. Quid enim lumborum nomine, nisi propago mortalitatis exprimitur? Propter quod etiam et Levi dicitur quia adhuc in lumbis patris erat, cum Melchisedech occurrit Abrahæ : De lumbis vero Abrahæ Virgo Maria exiit, in cujus utero unigenitus Patris per Spiritum sanctum incarnari dignatus est. Ex qua incarnatione universo innotuit mundo Deus sicut per Psalmistam dicitur : *Accingere gladio tuo circa femur tuum, potentissime* (*Psal.* XLIV, 4). Gladium etenim circa femur potentissimus sumpsit, quia sermo ejus prædicationis illius ex ipsius incarnatione convaluit. Quid **308** vero iste ignis designat nisi ardorem sancti Spiritus, qui corda quæ repleverit, incendit? De quo ipsa Veritas dicit : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* Quid est ergo quod in hoc aspectu hominis, qui prophetæ apparuit, a lumbis superius, intrinsecus per circuitum ignis ardet; a lumbis vero inferius non ignis intrinsecus, sed in circuitu resplendet, nisi quod ante incarnationem Unigeniti, Redemptoris nostri, sola intra se Judæa ardorem amoris ejus habuit, post incarnationem vero illius in circuitu ejus ignis resplenduit, quia in universo mundo gentibus claritatem sancti Spiritus effudit? Prius ergo intrinsecus ignis erat, sed splendor non erat, quia Spiritus sanctus in multis quidem partibus Judæam replebat, sed ad notitiam gentium nondum ejus lumen emicuerat. A lumbis vero ejus, et deorsum ignis in circuitu splendet, quia postquam de Virgine carnem sumpsit, in humano genere longe lateque sancti Spiritus dona dilatavit. Et notandum quod ignis iste a lumbis superius per circuitum esse describitur, non extrinsecus, sed intrinsecus, quia amoris flamma, sicut dictum est, in electis atque spiritalibus viris ubique in suis finibus Judæam replevit. Nec tamen exibat extrinsecus, quia sese in multitudinem gentium non dilatabat. Quæ ardoris flamma visa est postmodum in circuitu splendere, quia per mundi cardines in universis gentibus omnipotentis Dei amor cœpit excrescere. Erat ergo prius ignis intrinsecus, cum Jacob diceret : *Salutare tuum exspectabo, Domine* (*Gen.* XLIX, 8). Quod enim salutare dicimus Latine, verbo Hebraico Jesus dicitur. In quo verbo beati Jacob mens ostenditur, quomodo Jesu desiderio ardebat, quem se moriens exspectare perhibebat. Ardebat ignis, cum Moyses diceret : *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum, ut videam te* (*Exod.* XXXIV, 9). Ardebat ignis in mente, cum David diceret : *Sitivit anima mea ad Deum vivum. Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei mei?* (*Psal.* XLI, 3.) Qui incarnationem Verbi desiderans, ait : *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis* (*Psal.* LXXXIV, 8). Ardebat ignis cum Simeon de corruptione vitæ præsentis exire desiderans, audivit *non prius se visurum mortem, nisi* **309** *videret christum Domini* (*Luc.* II, 26). Sed ecce jam ignis iste quasi sub lumbis exterius resplendet, quia universa gentilitas incarnati Dei est amore succensa. Et quia ejus membra sunt electi angeli in cœlo, ejus membra sunt conversi homines in terra. Unus homo est qui, et super lumbos ardet intrinsecus, et sub lumbis inferius ignis sui splendorem in circuitu emittit, quia et angelos ad amorem suum per divinitatem tenuit, et homines ad sancti ardoris sui desiderium ex humanitate revocavit.

(366) Lumborum nomine luxuria designatur, sicut per beatum Job ex persona Ecclesiæ sanctæ dicitur : *Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos* (*Job* XVI, 14). Sancta quippe Ecclesia lanceis ab hoste suo circumdatur, quando in membris suis ab impugnatore callido tentationum jaculis impetitur. Bene autem lanceis circumdari dicitur, quia antiquus hostis tentationis suæ vulnere ab omni parte nos impetit. Et quia omne peccatum hostis quidem callidus suadet, sed nos ejus suasionibus consentiendo perpetramus, aperte subjungitur : *Convulneravit lumbos meos.* In lumbis quippe luxuria est : Cum ergo antiquus hostis fidelem populum ad luxuriam pertrahit, hunc procul dubio in lumbis ferit. Ubi quoque notandum est quod non ait : *Vulneravit;* sed *convulneravit lumbos meos.* Sicut enim loqui aliquando unius est, colloqui duorum vel fortasse multorum, sic antiquus hostis nos ad culpam sine nostra voluntate non rapit; nequaquam lumbos nostros vulnerare, sed convulnerare dicitur, quia hoc quod nobis ille male suggerit, nos sequentes ex voluntate propria implemus : et quasi cum ipso nos pariter vulneramus, quia ad perpetrandum malum ex libero simul arbitrio ducimur.

Lumborum nomine laudis appetitus designatur,

(365) Ex hom. 8, in Ezech. longe post med.

(366) Ex l. XIII, in Job, c. VI in medio, 19.

Digitized by Google

sicut ad beatum Job dicitur : *Accinge sicut vir lumbos tuos* (*Job* XXXVIII, 3), consule lib. IV, cap. 2, supra.

310 CAPUT LIII.

DE RENIBUS.

(367) Renum nomine voluptas carnis designatur, sicut per Moysen de commestione agni dicitur : *Renes vestros accingetis* (*Exod.* XII, 11). Quid enim in renibus nisi delectatio carnis accipitur? Unde et Psalmista postulat dicens : *Ure renes meos* (*Psal.* XXV, 2). Si enim voluptatem libidinis in renibus esse nesciret, eos uri minime petisset. Qui igitur Pascha comedit, habere renes accinctos debet, ut qui solemnitatem resurrectionis atque incorruptionis agit, corruptioni jam per vitia nulla subjaceat, voluptates edomet, carnem a luxuria restringat. Neque enim cognovit, quæ sit solemnitas incorruptionis qui adhuc per incontinentiam corruptioni subjacet.

CAPUT LIV.

DE FEMORE.

(368) Femoris nomine voluptas carnis designatur, sicut per Jeremiam prophetam dicitur : *Postquam convertisti me, egi pœnitentiam ; et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum* (*Jer.* XXXI, 19). Quid enim in femore nisi voluptas carnis accipitur? Et quid est quod ait, *postquam ostendisti mihi percussi femur meum*, nisi quod postquam superna spiritualiter vidit, omne quod inferius in se carnaliter vivebat, exstinxit, ut quanto magis summa patescerent, tanto amplius ima, quæ tenuerat, non liberent? Nam quanto incipit quisque superius vivere, tanto et inchoat inferius interire. Juxta affectum namque carnalis operationis omnis caro simul Pauli interierat, cum dicebat : *Vivo jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Gal.* II, 20). Hinc per Salomonem dicitur : *Uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos* (*Cant.* I, 8) (369). Nocturni quippe timores sunt insidiæ tentationis occultæ. Ensis autem super femur est custodia **311** vigilans, carnis illecebram premens. Ne ergo nocturnus timor, id est occulta et repentina tentatio subrepat, semper necesse est ut femur nostrum superpositus custodiæ ensis premat. Hinc est enim quod angelus cum quo Jacob luctabatur nervum femoris ejus tenuit, eumque marcescere statim fecit. Designat autem angelus Domini et Jacob, qui cum angelo contendit, uniuscujusque perfecti viri et in contemplatione positi animam. Quæ videlicet anima contemplari Dominum nititur, velut in quodam certamine posita modo quasi exsuperat, quia intelligendo et sentiendo de incircumscripto lumine aliud degustat : modo succumbit, quia et degustando iterum deficit. Quasi ergo vincitur angelus, quando intellectu intimo apprehenditur Deus. Sed notandum quod idem victus angelus nervum femoris Jacob tenuit, eumque marcescere statim fecit, atque ab eo Jacob tempore uno claudicavit pede, quia scilicet omnipotens Deus, cum jam per desiderium et intellectum cognoscitur, omnem in nobis voluptatem carnis arefacit. Et qui prius quasi duobus pedibus innitentes, et Deum videbamur quærere et sæculum tenere, post agnitionem suavitatis Dei unus in nobis pes sanus remanet, et alius claudicat, quia necesse est ut debilitato amore sæculi convalescat ad amorem Dei. Si ergo tenemus angelum, uno claudicamus pede, quia dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur procul dubio fortitudo carnis. Omnis quippe qui uno pede claudicat, soli illi pedi innititur, quem sanum habet, quia, et cui desiderium terrenum jam arefactum fuerit, in solo pede amoris tota virtute se sustinet. Et in ipso stat, quia pedem amoris sæculi, quem ponere in terra consueverat, jam a terra suspensum portat.

Femoris nomine propagatio carnis designatur, sicut de Domino dicitur : *Habebat in vestimento, et in femore suo scriptum, Rex regum, et Dominus dominantium* (*Apoc.* XIX, 16). Quid enim vestimentum ejus est, nisi corpus quod assumpsit ex Virgine? Nec tamen aliud ejus vestimentum est atque aliud ipse. Nam nostrum quoque **312** vestimentum caro dicitur, sed tamen ipsi nos sumus caro qua vestimur. Per femur vero propagatio carnis intelligitur. Quia ergo per propaginem generis humani, sicut generationum ordines Matthæo vel Luca narrantibus describuntur (*Matth.* I ; *Luc.* III), in hunc mundum venit ex Virgine, et per incarnationis suæ mysterium, quia rex esset et Dominus cunctis gentibus indicavit, in vestimento et in femore scriptum habuit, *Rex regum et Dominus dominantium*. Unde enim in mundo innotuit, ibi selectionis scientiam infixit.

CAPUT LV.

DE GENIBUS.

In Scriptura sacra genuum nomine aliquandó opera designantur, aliquando sensus spiritus.

(370) Genuum nomine opera designantur, sicut per Paulum quibusdam dissolute viventibus dicitur : *Remissas manus, et dissoluta genua erigite ; et gressus rectos facite pedibus vestris* (*Hebr.* XII, 12). Hinc iterum Gedeoni divina admonitione præceptum est ut ad fluvium veniens omnes quos flexis genibus aquas haurire conspiceret a bellorum conflictu removeret. Ducti ergo sunt ad fluvium, ut aquas biberent, et qui aquas flexis genibus hauserunt, a bellica intentione remoti sunt (*Judic.* VII). Gedeon namque ad prælium veniens Redemptoris nostri signat adventum. De quo scriptum est : *Tollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio* (*Psal.*

(367) Ex hom. 22 in Evang. post med.
(368) Ex l. XXIV in Job, c. XII.
(369) Ex l. XX, in Job, c. V.
(370) Ex c. XVII, l. XXX in Job.

Digitized by Google

xxiii, 9). Gedeon namque interpretatur *circuiens in utero*, Dominus enim noster per majestatis potentiam, omnia circumplectitur, et tamen per dispensationis gratiam, intra uterum Virginis humanitatem sumens venit. Quis est ergo circuiens in utero, nisi omnipotens Deus sua dispensatione nos redimens, divinitate cuncta complectens, **313** et humanitatem intra uterum sumens? In quo utero incarnatus est, et clausus non est, quia intra uterum fuit per infirmitatis substantiam, et extra mundum per potentiam majestatis. Madian vero interpretatur *de judicio*. Ut enim hostes ejus repellendi destruendique essent, non de vitio repellentis, sed de judicio juste judicantis fuit. Et idcirco de judicio vocantur, quia alieni a gratia Redemptoris justæ damnationis meritum etiam in vocabulo nominis trahunt. Contra hos Gedeon pergit ad prælium. Aquis namque doctrina sapientiæ, stante autem genu recta operatio designatur. Qui ergo dum aquas bibunt, genu flexisse perhibentur, a bellorum certamine prohibiti recesserunt, quia cum illis Christus contra hostes fidei pergit ad prælium, qui cum doctrinæ fluenta hauriunt, rectitudinem operum non inflectunt. Omnes quippe tunc bibisse aquas, sed non omnes recto genu stetisse narrati sunt. Reprobatique sunt, qui genua dum aquas biberent, inflexerunt, quia attestante Paulo : *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur* (*Rom.* ii, 13). Hi igitur Christo duce ad bellum prodeunt qui hoc quod ore annuntiant, opere ostendunt; qui fluenta doctrinæ spiritualiter hauriunt, nec tamen in pravis operibus carnaliter inflectuntur, quia sicut scriptum est : *Non est speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccli.* xv, 9).

Genuum nomine sensus spiritus, vel peccandi consuetudines designantur, sicut beatus Job in persona pœnitentis convertitur dicens : *Quare non in vulva mortuus sum : egressus ex utero non statim perii? Cur exceptus genibus?* (*Job* iii, 12.) Relege cap. 4 supra.

314 CAPUT LVI.

DE PEDIBUS.

In Scriptura sacra cum pes singulariter ponitur, aliquando is qui opitulando sustentat, aliquando sancti apostoli, aliquando is qui ad injuncta currit, designatur; cum vero pluraliter pedes dicuntur, aliquando extrema sanctæ Ecclesiæ membra, aliquando sancti prædicatores, vel infirmorum operum ministri, aliquando gressus actuum, aliquando vestigia Christi, aliquando duo amores, Dei videlicet et sæculi, aliquando cogitationes intelliguntur.

Pedis nomine, is qui opitulando sustentat, designatur : sicut per beatum Job dicitur : *Oculus fui cæco, et pes claudo* (*Job* xxix, 15). Require in cap. De oculo, supra cap. 10.

(371) Pedis nomine sancti apostoli designantur, sicut per beatum Job dicitur : *Lapidem caliginis et umbram mortis dividit torrens a populo peregrinante, eos, quos oblitus est pes egentis hominis, et invios* (*Job* xxviii, 3). Quis enim hoc loco alius accipitur egens homo, nisi ille de quo per Paulum dicitur : *Qui propter nos egenus factus est cum dives esset* (*II Cor.* viii, 9). Cujus videlicet egentis hominis pedes sancti apostoli fuerunt, per quorum præsentiam gentilitatem circumiens mundum perambulavit universum. De quibus per Prophetam : *Et inambulabo in eis* (*Levit.* xxvi, 12). **315** An pes ejus non erat, qui in compedibus tentus dicebat : *Pro quo legatione fungor in catena* (*Ephes.* vi, 20). Sed eorum qui umbra mortis et lapis caliginis exstiterunt, pes hominis egentis oblitus est, quia in ipso initio nascentis Ecclesiæ dum sancti apostoli cœlorum regnum Judææ prædicare voluissent, videntes quod in eis nihil omnino proficerent, ad prædicandum gentibus defluxerunt, sicut ipsi in suis Actibus dicunt : *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei : sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes* (*Act.* xiii, 46). De quibus per Psalmistam dicitur : *Transferentur montes in cor maris* (*Psal.* xlv, 3). Quia repulsi a Judæa apostoli in hoc gentilitatis salum translati sunt. Qui sunt ergo qui immensa duritia pro obscuritate cordis quasi quidam lapis caliginis, et umbra mortis, a peregrinante sanctorum populo dividuntur, nisi hi quos oblitus est pes egentis hominis, id est quos prædicatores Domini videlicet per humilitatem pauperis pro superbiæ suæ tumore reliquerunt, eorumque omnino obliti sunt, dum prædicationis suæ semina ad solam fructificationem gentium transtulerunt? Quos recte quoque et invios vocat : quia dum infidelitate sua obdurati sunt, verbis vitæ ad cor viam præbere noluerunt.

(372) Pedis nomine is, qui ad injuncta currit, designatur, sicut per Paulum dicitur : *Corpus membrum unum non est, sed multum. Si dixerit pes, quoniam non sum manus, non sum de corpore, non ideo non est de corpore. Et si dixerit auris, quoniam non sum oculus, non sum de corpore : non ideo non est de corpore. Si totum corpus oculus, ubi est auditus? Si totum auditus : ubi odoratus?* (*I Cor.* xii, 14-17.) Et paulo post : *Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum vero corpus* (*ibid.* xix, 20). Quid enim sancta Ecclesia, nisi superni sui capitis corpus est? In qua alius alta videndo, oculus; alius recta operando, manus; alius ad injuncta currendo, pes; alius præceptorum vocem intelligendo, auris; alius malorum fetorem bonorumque fragrantiam discernendo, naris est. Qui corporalium more membrorum dum vicissim sibi accepta officia impendunt, unum de semetipsis omnibus corpus reddunt. Et cum diversa in charitate **316** peragunt, diversum esse perhibent, ubi continentur. Si autem unum quid omnes agerent, corpus utique quod ex multis

(371) Ex l. xviii in Job, c. xix, longiuscule a principio.

(372) Ex l. xxx in Job, c. vi.

Digitized by Google

continetur, non essent : quia videlicet multipliciter compactum non existeret, si hoc concors membrorum diversitas non teneret.

(373) Pedum nomine extrema sanctæ Ecclesiæ membra designantur, sicut per beatum Job sancta Ecclesia de infirmorum subversione conqueritur dicens : *Pedes meos subverterunt, et oppresserunt quasi fluctibus, semitis suis* (*Job* xxx, 12). Quid enim per pedes Ecclesiæ, nisi extrema illius membra signantur? Quæ dum ad opera terrena deserviunt, tanto celerius ab adversariis falli possunt, quanto sublimia minus intelligunt. Hos itaque pedes adversarii subvertunt, quia videlicet extrema Ecclesiæ membra ad sui dogmatis errorem trahunt, subversi autem pedes viam tenere nequeunt, quia infirmi quique persecutorum suorum vel promissionibus persuasi, vel minis territi, vel cruciatibus fracti, ab itinere recto deviantur. Bene autem adversariorum semita fluctibus comparatur, cum dicitur : *Et oppresserunt quasi fluctibus semitis suis :* Quia scilicet vita pravorum insolenti inquietudine molesta, ad obruendam, ut ita dixerim, navem cordis quasi tempestas illabitur. De qua videlicet tempestate per Salomonem dicitur : *Quasi tempestas transiens non erit impius* (*Prov.* x, 25). Cumque infirmus quisque perversos florere conspicit, hunc in perversitatis pelagus, unda miseræ imitationis mergit.

(374) Pedum nomine vel sancti prædicatores, vel inferiorum operum ministri designantur, sicut per beatum Job dicitur : *Quando lavabam pedes meos butyro* (*Job* xxix, 6). Quia Christum et Ecclesiam unam esse personam crebro jam diximus, illum videlicet hujus corporis caput, hanc autem illius capitis corpus : aliter hæc verba juxta vocem capitis accipi, atque aliter juxta vocem corporis debent. Quos ergo pedes Domini nisi prædicatores accipimus? De quibus dicit : *Et inambulabo in eis* (*II Cor.* vi, 16). Butyro ergo pedes lavantur, quia prædicatores sancti bonorum operum pinguedine replentur. **317** Etenim vix ipsa prædicatio sine aliquo transitur admisso. Nam quilibet prædicans, aut ad quantulamcunque indignationem trahitur, si contemnitur; aut ad quantulamcunque gloriam, si ab audientibus veneratur. Unde et apostolis pedes loti sunt, ut a quolibet parvo contagio in ipsa prædicatione contracto quasi quodam in itinere collecto pulvere mundarentur. Et beatus Jacobus dicit : *Nolite plures magistri fieri fratres mei* (*Jac.* iii, 1). Et paulo post : *In multis enim offendimus omnes* (*ibid.*, 2). Pedes ergo lavantur butyro, quia pinguedine boni operis infunditur, atque mundatur pulvis collectus de gloria prædicationis. Si autem sentire ista ex voce solius corporis debemus, nimirum pedes Ecclesiæ sunt inferiorum operum ministri. Qui dum ad usus necessarios ea quæ sunt exterius exercent, per extremum ministerium velut pedes terræ inhærent. Sed debent hi qui præsunt, qui doctrinæ studio invigilant, solerti cura occupatorum corda requirere, eisque eam quam vocando percipiunt crebræ admonitionis voce infusionem pinguedinis ministrare. Nam quia in uno corpore invicem pro se membra sollicita sunt, sicut illorum ministeriis nostra fulciuntur, ita necesse est ut nostris studiis illorum interiora repleantur. Quando igitur sancti doctores quibusdam ad extrema ministeria deditis unctionem Dominicæ Incarnationis prædicant, butyro eloquii pedes lavant. Solent etiam pedes ipsa itineris asperitate lacerari. Unde et omnino difficile est in terrenis actionibus hujus vitæ iter agere, et nulla ex labore itineris vulnera sustinere. Cum ergo vigilantes præpositi auditores suos curis exterioribus intentos ad cor revocant, ut quæ inter ipsa licita opera admiserunt, mala cognoscant, et quæ cognoverint defleant, pedes butyro lavant, quia eorum vulneribus pœnitentiæ unguenta subministrant.

(375) Pedum nomine gressus actuum designantur, sicut per Ezechielem de sanctis animalibus dicitur : *Pedes eorum pedes recti* (*Ezech.* i, 7). Quid enim per pedes, nisi gressus actuum designantur? Quatuor ergo animalium pedes Christi esse describuntur, quia sanctorum evangelistarum **318** atque omnium perfectorum opera ad sequendam iniquitatem non sunt retorta; hi autem pedes rectos non habent qui ad mala mundi quæ reliquerunt, reflectuntur. De quibus scriptum est : *Canis reversus ad vomitum suum, et sus lota in volutabro luti* (*II Petr.* ii, 22). Dolebat de quibusdam doctor egregius quod pedum rectitudinem retro retorserant, quibus per increpationem dicebat : *Quomodo convertimini iterum, ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis? Dies observatis, et annos et tempora, et timeo ne forte sine causa laboraverim in vobis* (*Gal.* iv, 9). Qui alios admonet dicens : *Remissas manus, et dissoluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris* (*Hebr.* xii, 12).

(376) Pedum nomine vestigia Christi designantur, sicut de muliere illa peccatrice in Evangelio dicitur quod retro secus pedes Domini stetit (*Luc.* vii, 38). Contra pedes enim Domini stamus cum in peccatis positi, ejus itineribus renitimur. Sed si ad veram pœnitentiam post peccata convertimur, jam retro secus pedes Domini stamus, quia ejus vestigia sequimur quem impugnabamus.

Pedum nomine duo amores, Dei scilicet amor et sæculi designantur, sicut sacra historia testatur, quæ beatum Jacob cum Evangelio luctatum narrat : qui et nervum femoris ejus tenuit, eumque statim marcescere fecit, atque ab eo Jacob tempore uno claudicavit pede? (*Gen.* xxxii.) Quasi enim duo pedes sunt amor Dei et amor sæculi : et quasi duobus pedibus innitimur, cum Deum videmur quærere, et sæculum tenere. Sed omnipotens Deus, cum jam per desiderium et intellectum cognoscitur omnem in nobis voluptatem carnis arefacit, et sic post agni-

(373) Ex c. xix, lib. xx in Job, 21.
(374) Ex l. xix in Job, c. x.
(375) Ex hom. 3 in Ezech.
(376) In medio hom. 38 in Evang.

Digitized by Google

tionem suavitatis ejus unus in nobis pes sanus remanet, et alius claudicat, quia necesse est ut debilitato amore sæculi convalescamus ad amorem Dei. Si ergo tenemus angelum, uno claudicamus pede, quia dum arescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur procul dubio fortitudo carnis. Omnis quippe qui uno pede claudicat, soli pedi innititur quem sanum habet, quia cum terrenum desiderium **319** jam arefactum fuerit, in solo pede amoris Dei tota virtute se sustinet, et in ipso stat, quia pedem amoris sæculi, quem ponere in terra consueverat jam a terra suspensum portat.

(377) Pedum nomine cogitationes designantur, sicut in Evangelio legitur, quod sanctis apostolis post prædicationem Dominus pedes lavit (*Joan.* XIII). Per pedes enim cogitationes accipiuntur, quia plerumque et in bono opere peccati pulvis contrahitur, et inde inquinantur vestigia loquentium, unde audientium corda mundantur. Recte Dominus apostolis post prædicationem pedes lavit, ne quo peccati contagio ex ipsa prædicationis gratia mens in occulto polluëretur, ne sibi quæ ageret tribueret, ne sibi tribuendo quæ agebat amitteret. Nam sæpe nonnulli dum exhortationis verba faciunt, quamlibet tenuiter sese intrinsecus, quia per eos prædicationis gratia derivatur, extollunt. Cumque verbo aliena opera diluunt, quasi ex bono itinere pulverem malæ cogitationis sumunt. Quid ergo fuit post prædicationem pedes discipulorum lavare, nisi post prædicationis gloriam cogitationum pulverem tergere, gressusque cordis ab interna elatione mundare?

CAPUT LVII.

DE TALO.

(378) Talorum nomine prima boni operis vestigia designantur, sicut Ezechiel figurata narratione denuntiat, qui de eo viro quem in excelso monte videt narrat, dicens: *Mensus est cubitis mille; et traduxit me per aquam usque ad talos. Rursusque mensus est mille, et traduxit me usque ad genua, et mensus est mille, et traduxit me per aquas usque ad renes; et mensus est mille, et traduxit me per torrentem, quem non potui pertransire, quoniam intumuerant aquæ profundæ torrentis, qui non potest transvadari* (*Ezech.* XLVII). Quid namque millenario numero, nisi collati muneris plenitudo signatur? Vir itaque, qui apparuit, mille cubitis metitur, et propheta per **320** aquas usque ad talos ducitur, quia Redemptor noster cum nobis ad se conversis boni exordii plenitudinem tribuit, dono spiritalis sapientiæ prima nostri operis vestigia infundit. Aquam quippe usque ad talos venire est jam nos per acceptam sapientiam desideratæ rectitudinis vestigia tenere. Qui rursum mille metitur, et propheta usque ad genua per aquam ducitur, quia cum boni operis plenitudo tribuitur ad hoc usque nostra sapientia augetur, ut in pravis jam actibus minime flectatur. Hinc namque per Paulum dicitur: *Remissas manus, et dissoluta genua erigite: et gressus rectos facite* (*Hebr.* XII, 12). Aqua ergo usque ad genu pervenit, cum nos percepta sapientia perfecte ad boni operis rectitudinem stringit. Qui iterum metitur mille, et propheta usque ad renes per aquam ducitur, quia videlicet tunc in nobis plenitudo operis excrescit, quando in nobis percepta sapientia omnem, quantum possibile est, delectationem carnis exstinxit. Nisi enim delectatio carnis esset in renibus Psalmista non diceret: *Ure renes meos et cor meum* (*Psal.* XXV, 2). Aqua usque ad renes venit, cum dulcedo sapientiæ etiam incentiva carnis interimit, ut ea quæ urere mentem poterant, dilectionis incendia frigescant. Qui adhuc mensus est mille, torrentem videlicet quem propheta pertransire non potuit, de quo etiam dicit. *Quoniam intumuerant aquæ profundæ torrentis, qui non potest transvadari.* Percepta namque perfectione operis ad contemplationem pervenitur. In qua scilicet contemplatione dum mens in altum ducitur: sublevata videt in Deo quia non potest penetrare quod videt, et quasi tangit aquam torrentis quam pertransire non potest, quia et intuetur spectando quæ libeat, et tamen hoc ipsum perfecte non valet intueri quodlibet. Propheta ergo ad aquam, quandoque pervenit, quam non pertransit, quia ad contemplationem sapientiæ cum ad extremum ducimur ipsa ejus immensitas, quæ ex se hominem sublevat, ad se, humano animo plenam agnitionem, negat, ut hanc et tangendo amet, et nequaquam pertranseundo penetret.

(379) Tali nomine vitæ terminus designatur: unde Joseph qui inter fratres usque ad finem justus perseverasse **321** describitur, solus talarem tunicam habuisse perhibetur (*Gen.* XXXVII, 3). Nam quid est talaris tunica, nisi actio consummata? Quasi enim protensa tunica talum corporis tegit, cum bona actio ante Dei oculos usque ad vitæ nos terminum regit.

CAPUT LVIII.

DE CALCANEO.

Calcanei nomine finis actionis nostræ designatur, sicut per Psalmistam dicitur: *Ipsi calcaneum observabunt* (*Psal.* LV, 7). Relege cap. 4, supra.

CAPUT LIX.

DE PLANTA.

In Scriptura sacra plantæ nomine aliquando primus justus, id est Abel, aliquando actio vitæ, aliquando finis vitæ intelligitur.

(380) Plantæ nomine primus justus, id est Abel designatur, sicut de beato Job in persona Domini dicitur: *Egressus Satan a facie Domini percussit Job ulcere pessimo, a planta pedis usque ad verticem* (*Job.* II, 7). Nullus in hanc vitam electorum venit, qui non hujus adversa sustinuit, membra autem

(377) Hæc ex principio cap. XIX in Job, quæ etiam retulit rapsodiæ suæ in Joannem, cap. XXXI, sed in codicibus Gregor. qui exstant, non habetur sententia tam integra.

(378) Ex cap. XIV, l. XXII, in Job, post medium 22.
(379) Ex c. XLII, l. I in Job.
(380) Ex c. II, l. III in Job, post med.

Digitized by Google

nostri Redemptoris exstiterunt, etiam qui ab ipso mundi exordio dum pie vivunt, crudelia passi sunt. An non hujus membrum Abel esse perhibuit, qui ejus mortem, de quo scriptum est: *Sicut agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum* (*Isa.* LIII, 7), non solum placens in sacrificio, sed etiam moriens tacendo significavit? Ab ipso itaque mundi exordio Redemptoris nostri corpus expugnare conatus est. A planta ergo pedis usque ad verticem vulnus intulit, quia prius ab hominibus inchoans usque ad ipsum caput Ecclesiæ sæviendo pervenit.

322 (381) Plantæ nomine actio vitæ designatur, sicut de sanctis animalibus, per Ezechielem dicitur: *Planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli* (*Ezech.* I, 7). Quia enim prædicatores sancti boum nomine designentur, docet apostolus sanctus Paulus legis testimonium exponens: *Non alligabis os bovi trituranti* (*I Tim.* V, 18). In sanctis ergo prædicatoribus, planta pedis, est planta vituli scilicet mature incedens, fortis et divisa, quia unusquisque prædicator sanctus, et veneratiohem habet in maturitate, et fortitudinem in opere, et in divisione ungulæ discretionem. Non enim facile ejus prædicatio accipitur, si levis in moribus esse videatur, et nulla erit maturitatis ostensio, si contra adversa omnia non adfuerit operis fortitudo. Virtutis autem meritum ipsa fortitudo operis admittit, si discreta in intellectu non fuerit.

(382) Plantæ nomine finis vitæ designatur, sicut de iniquo per Baldath dicitur: *Tenebitur planta ejus laqueo* (*Job.* XVIII, 9). Nam cum perversa mens in peccatum se venisse conspicit, quadam cogitationis superficie evadere peccati laqueos quærit. Sed vel terrores, vel opprobria hominum timens, eligit in æternum mori, quam ad temporis aliquid adversitatis perpeti. Unde totam se vitiis inserit, quibus jam semel se obligatam sentit. Cujus ergo usque ad finem vita in culpa constringitur, ejus planta laqueo tenetur.

CAPUT LX.

DE UNGUE.

(383) Unguis nomine, finis rei cujuslibet designatur sicut per prophetam dicitur: *Peccatum Judæ scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino* (*Jer.* XVII, 1). In ungue quippe finis est corporis. Ita vero lapis fortis est adamas, ut ferro non valeat secari. Per stylum autem ferreum fortis sententia, et per unguem adamantinum signatur finis æternus. Peccatum ergo Judæ stylo ferreo in ungue adamantino scriptum dicitur, quia culpa Judæorum, per fortem Dei sententiam in fine servatur infinito.

323 CAPUT LXI.

DE UNGULA.

(384) Ungulæ nomine virtutum perfectionem designat, sicut voce Dominica, ad beatum Job de sancto prædicatore, sub equi nomine dicitur: *Terram ungula fodit. Solet in equi ungula laboris fortitudo cognosci* (*Job.* XXXIX). Quid ergo per ungulam, nisi in prædicatore sancto, virtutum perfectio demonstratur? Terram ergo ungula fodit, cum de corde audientium exemplo suorum operum terrenas cogitationes ejicit. Ungula terram fodit, quia auditorum corda a sæcularibus curis evacuat, cum doctor bonus contemni sæculum opere ostentat. Videamus Paulum terram cordis audientium, qua ostensæ virtutis ungula fodiat. Ipse discipulis dicit: *Hæc cogitate, quæ et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me: Hæc agite, et Deus pacis erit vobiscum* (*Phil.* IV): Et rursum: *Imitatores mei estote, sicut et ego Jesu Christi* (*I Cor.* XI). Qui igitur exemplo sui operis alios corrigit, nimirum ungula terram fodit. Qui etiam districta carnem domat abstinentia, terram fodit ungula.

INCIPIT LIBER SEXTUS.

324 CAPUT PRIMUM.

DE TERRA.

In Scriptura sacra terræ nomine, aliquando soliditas patriæ cœlestis intelligitur, aliquando sancta Ecclesia, aliquando Synagoga, aliquando gentilitas, aliquando anima justi, aliquando anima peccatrix, aliquando caro, aliquando humana anima, aliquando peccator quilibet, aliquando subjecta plebs, aliquando humanitas Christi, aliquando infernus, aliquando Christi caro, aliquando hi qui terrenis actibus occupati sunt, aliquando terrena actio.

385) Terræ nomine soliditas patriæ cœlestis accipitur, sicut per Psalmistam dicitur: *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Psal* XXVI, 13): Et rursus: *Portio mea in terra viventium* (*Psal.* CXLI, 6). Hinc iterum in libro beati Job, de reprobo quolibet scriptum est: *Non ditabitur, nec perseverabit substantia ejus, nec mittet in terra radicem suam* (*Job* XV, 29). Ille virtutibus ditatur, **325** cujus mentem inhabitat omnipotens Deus. Sed quia superbi cogitatio ab auctoris suæ gratia non inhabitatur, profecto per hoc virtutibus non ditatur. Propter hoc quod interius est vanis dicitur: *Non ditabitur.* Propter hoc vero quod transitorium foris tumet, recte subjungitur: *Non perseverabit substantia ejus;* ac si aperte dicatur: Hoc quod habere videtur exterius,

(381) Ex hom. 3 in Ezech.
(382) Ex l. XIV in Job, c. 1, 5.
(383) Ex l. XIV c. XV, 26.
(384) Ex c. XIII, l. XXXI in Job.
(385) Ex lib. XII in Job, cap. XXII.

Digitized by Google

transit, et illud, quod transire non poterat, interius non habet. Unde apte subditur : *Nec mittet in terra radicem suam.* Quid enim per terram nisi vitæ æternæ retributionem accipimus? Radix vero cogitatio intelligitur. Superbus ergo in terra radicem suam non mittit, quia nunquam ad æternæ vitæ desiderium cordis sui cogitationem plantat.

(386) Terræ nomine sancta Ecclesia designatur, sicut scriptum est : *Germinet terra herbam virentem et facientem semen : et lignum fructiferum, faciens fructum juxta genus suum* (*Gen.* I). Quod sic veraciter est factum, ut significans faciendum. Per terram quippe figuratur Ecclesia, quæ et verbi pabulo nos reficit, et patrocinii umbraculo custodit. Quæ et loquendo pascit, et opitulando protegit, ut non solum herbam refectionis proferat, sed etiam cum fructu operis arborem protectionis. Hinc item in libro beati Job de Domino dicitur : *Qui extendit aquilonem super vacuum : qui apprehendit terram super nihilum* (*Job* XXVI). Aquilonis enim nomine diabolus appellari solet, qui ut torporis frigore gentium corda constringeret, dixit : *Testamenti in latere aquilonis* (*Isa.* XIV) (387). Qui super vacuum extenditur, quia illa corda possidet, quæ divini amoris gratia non replentur. Sed tamen omnipotenti Domino suppetit, etiam vasa diaboli, cunctis virtutibus vacua, suæ gratiæ munere implere, et in eis divini timoris soliditatem ponere, quos nulla conspicit rectitudinis actione roborari. Unde et apte subditur : *Et appendit terram super nihilum.* Quid enim terræ nomine, nisi sancta Ecclesia designatur, quæ dum verba prædicationis suscipit, fructum boni operis reddit? De qua per Moysem dicitur : *Audiat terra verba oris mei, exspectetur sicut pluvia eloquium meum* (*Deut.* XXXII). Et quid per nihilum nisi gentiles **326** populi designantur? De quibus per prophetam dicitur : *Omnes gentes velut nihilum, et inane reputatæ sunt* (*Isai* XL, 17). In eo ergo nihilo terra suspenditur, quod prius vacuum ab aquilone tenebatur, quia illa corda gentilium repleta sunt charitate Dei, quæ pressa prius fuerant torpore diaboli.

(388) Terræ nomine Synagoga intelligitur, sicut in libro beati Job scriptum est : *Terra de qua oriebatur panis in loco suo, igne subversa est* (*Job* XXVIII, 5). Quid enim terræ nomine nisi Judæa accipitur : Hæc terra, id est Judæa panem dare consueverat, quæ legis verba proferebat. Quam videlicet legem, quia intelligere jam reprobi atque explanare non poterant, propheta Jeremias in lamentationibus deplorat dicens : *Parvuli petierunt panem, et qui frangeret eis non erat* (*Thren.* IV, 4). Sed hæc terra in loco suo igne subversa est, quia fidelium signa conspiciens invidiæ face se concremavit. Quia enim de superbia semper invidia nasci solet, in loco suo igne periit : quæ idcirco arsit invidia, quia superbiam non reliquit. Terra ergo quæ prius panem habuit, post igne subversa est, quoniam Synagoga quæ mandata Dei per legem protulit, nascentem Ecclesiam persequens, invidiæ se face consumpsit. An non evigilationis suæ facibus ardebat, cum Redemptoris nostri signa conspiciens, per quosdam suos diceret : *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* (*Joan.* XI, 47.) Vel certe : *Videtis quia non proficimus, ecce totus mundus post eum vadit* (*Joan.* XII, 19). Videbant unde converti debuerant, atque inde perversiores fiebant. Quærebant exstinguere quem videbat mortuos vivificare. In ore tenebant legem, sed legis persequebantur auctorem. *Terra* ergo, *de qua oriebatur panis, in loco suo igne subversa est,* quia Judæa in semetipsa prius habuit legem, quæ reficeret, et post invidiam qua se concremaret.

(389) Terræ nomine gentilitas designatur, sicut in libro beati Job interrogante Domino dicitur : *Quis dedit vehementissimo imbri cursum, et viam sonantis tonitrui, ut plueret super terram absque homine in deserto, ubi nullus hominum commoratur : ut impleret inviam et desolatam,* **327** *et produceret herbas virentes* (*Job* XXXVIII, 25-27). Quid enim est imber vehementissimus, nisi vis immensa prædicationis? Vehemens imber est, cum prædicatores sancti credere gaudia æterna suadent. Imber vero vehementissimus cum propter spem rem deseri, cuncta visibilia propter invisibilia contemni, et propter audita gaudia, præsentis sæculi pœnas, cruciatusque tolerari admonent. Quid vero per tonituum nisi prædicatio superni terroris accipitur? Quem terrorem dum percipiunt, humana corda quatiuntur. Sed quia quilibet prædicator verba dare auribus potest, corda vero aperire non potest, se Dominus et imbris cursum, et viam sonantis tonitrui dare asserit, qui cum prædicationis verba tribuit, per terrorem corda compungit. Accepta vero via, quid iste imber ac tonitruus agat, subditur : *Ut plueret super terram absque homine in deserto.* Quid namque terram nisi gentilitatem accipimus? (390) Quæ dum nullum cultum Divinitatis tenuit, nullamque in se speciem boni operis ostendit, videlicet desertum fuit. In qua quia legislator non fuit, et qui rationabiliter Deum quæreret non fuit, quasi hominum nullus fuit, et sicut solis bestiis occupata, vacua a mortalibus exstitit. Super terram autem in deserto pluere, est verbum Dei gentilitati prædicare. De hac deserti terra alias dicitur : *Posuit in deserto viam* (*Isai.* XLIII, 19). De hac prædicatione gentilitati concessa Psalmista testatur, dicens : *Posuit flumina in deserto* (*Psal.* CVI, 33). Dedit ergo Dominus vehementissimo imbri cursum et viam sonantis tonitrui, ut super terram in deserto plueret, et impleret inviam et desolatam, et produceret herbas virentes, id est exteriori prædicationi internam aspirationem contulit, ut corda

(386) Ex l. XIX in Job, c. XII.
(387) Ex l. XVII in Job, c. XIII.
(388) Ex l. XVIII in Job, c. XIX
(389) Ex l. XXIX in Job, c. XIII 16.
(390) Ex cap. XIV.

Digitized by Google

gentilium arentia virescerent, clausa patescerent, A insania complerentur, infecunda germinarent.

(391) Terræ nomine anima justi accipitur, sicut in beato Job Domino ipsum interrogante scriptum est : *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ?* (*Job* xxxviii, 4.) Quid per terram nisi anima justi intelligitur? Si enim peccatoris animus pulvis est, quia in superficie attolitur, et tentationis aura raptatur. Unde scriptum est : *Non* **328** *sic impii non sic : sed tanquam pulvis, quem proficit ventus a facie terræ* (*Psal.* i, 4). Nil terra animam justi intelligi obstat, de qua scriptum est : *Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam, opportunam illis a quibus colitur accipit benedictionem* (*Hebr.* vi, 7). Sed hujus terræ fundamentum est fides. Hujus terræ fundamentum jacitur, B quando in occultis cordis prima soliditatis causa, divinus timor inspiratur. Iste nec dum credit æterna quæ audit; hujc cum fides datur, ad ædificium subsequentis operis jam fundamentum ponitur. Ille æterna jam credit, nec tamen metuit, venturi judicii terrorem despicit, peccatis se carnis et spiritus audenter involvit. Hic, cum repente futurorum timor infunditur, ut bonæ vitæ surgat ædificium, jam fundamenta construuntur. Posito itaque prosperæ formidinis fundamento, cum virtutum fabrica in altum ducitur, necesse est ut unusquisque proficiens vires suas caute metiatur, ut, cum divina constructione magnus esse jam cœperit, semetipsum respiciat sine cessatione quod fuit, quatenus atten- C dens humiliter quod per meritum inventus est, nequaquam sibi arroget quod per gratiam factus est. Unde et nunc beatus Job per supernam vocem ad semetipsum reducitur, et ne de virtutibus gloriari audeat, de anteacta vita memoratur, eique dicitur : *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ?* Ac si justificato peccatori aperte veritas dicat : Virtutes a me acceptas tibi non tribuas. Noli contra me de meo munere extolli. Recole ubi te inveni, quando meo timore te solidavi.

(392) Terræ nomine anima peccatrix designatur, unde in Evangelio Dominus dicit : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat?* (*Luc* xii, 49.) Ignis quippe nomine Spiritus sanctus figurari D solet : terræ vero nomine, peccatoris anima intelligitur. Ignem ergo Dominus venit mittere in terram, ut accendatur, quia nisi ab igne veritatis calorem susciperet, nunquam in amorem Dei corda peccatorum arderent. Sed cum mens carnalis Spiritum sanctum accepit, spiritali amore succensa malum plangit, quod fecit; et terra ardet, quando accusante se conscientia cor peccatoris **329** uritur, atque in dolore pœnitentiæ crematur.

(393) Terræ nomine caro designatur, sicut Dominus ad beatum Job loquens et fortem prædicatorem sub equi figura describens dicit : *Terram ungula fodit* (*Job* xxxix, 21). Vide caput li, lib. v.

Terræ nomine cogitatio terrena exprimitur in eodem Job loco; terram enim ungula fodit, cum prædicator quisque forti inquisitione terrenas in se cogitationes discutit.

(394) Terræ nomine anima humana designatur, sicut in lib. Job de sapientia dicitur : *Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium* (*Job* xxviii, 13). Quam namque sapientiam vir sanctus contemplatur, nisi eam de qua Paulus dicit : *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam?* (*I Cor.* i, 24). De qua per Salomonem scriptum est : *Sapientia ædificavit sibi domum* (*Prov.* ix, 1); et de qua Psalmista ait : *Omnia in sapientia fecisti* (*Psal.* cm, 24). Hujus nimirum sapientiæ homo pretium nescit : quia nihil æstimatione illius dignum invenit. Non autem hoc pretium sapientiæ esse dicitur, et nesciri; sed idcirco nesciri, quia deest, eo scilicet loquendi genere, quo in angustiis quisque deprehensus, cum remedium subventionis non invenit, fateri solet, quia quid faciat, nescit. Hujus ergo sapientiæ pretium nescire, est digni operis meritum, quo illam percipiat, non invenire. Ad hoc namque pretium damus, ut ejus vice, rem quam petimus, possidere debeamus. Quid autem nos dedimus, ut hanc sapientiam quæ Christus est accipere mereremur? Gratia quippe redempti sumus. Illa namque sola opera male vivendo dedimus, quibus si justa retributio servaretur, non Christus, sed supplicia redderentur. Quia ergo veniente sapientia impii inventi sumus, quid boni operis dedimus, quo accipere eamdem sapientiam mereremur? Hujus itaque sapientiæ homo pretium nescit, quia quisquis a brutis animalibus rationis intellectu discretus est, quoniam, suis meritis non sit salvatus intelligit, nihil se dedisse boni operis, ut ad fidem veniret, agnoscit. Quasi enim ad percipiendam sapientiam pretium **330** dare, est cognoscendum Deum actionis suæ mercede prævenire. Non esse hujus sapientiæ pretium cognoverat, qui dicebat : *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* (*Rom.* xi, 9.) Hinc iterum scriptum est : *Gratia salvi facti estis per fidem : et hoc non ex vobis, sed donum est : non ex operibus, ut ne quis glorietur* (*Ephes.* ii, 9). Hinc iterum dicit : *Gratia Dei sum, id quod sum* (*I Cor.* xv, 10). Quia ergo nihil boni operis dedimus, quo hanc sapientiam accipere mereremur, dicatur recte : *Nescit homo pretium ejus* (*Job* xxviii, 13) (395). Quoniam quisquis jam ratione utitur, tanto altius sub hujus sapientiæ intellectu se despicit, quanto ejusdem sapientiæ verius interna cognoscit, ut indignum se ad hanc pervenisse videat, per quam gratuito agitur, ut dignus fiat. De qua bene mox subditur : *Non invenitur in terra suaviter viventium* (396). Quid enim hoc in loco terræ signatur nomine, nisi anima humana?

(391) Ex l. xxx in Job, c. vi, 9.
(392) Ex hom. 5 in Ezech.
(393) Ex l. xxxi, in Job, c. xiii.
(394) Ex l. xviii, in Job, c. xxii, ante med.
(395) Hæc ex fine c. xxiii, dicti l. in Job.
(396) Ex c. xxiv, ibid.

Digitized by Google

De qua per Psalmistam dicitur : *Anima mea sicut terra sine aqua tibi* (*Psal.* CXLII, 6). Hæc autem sapientia inveniri in terra suaviter viventium, non valet : quia quisquis adhuc hujus vitæ voluptatibus pascitur, ab æternæ sapientiæ intellectu separatur. Inveniri itaque sapientia atque prudentia in eorum terra non potest qui suaviter vivunt : quia tanto verius stulti sunt, quanto majora perdentes in minimis lætantur (397). Inveniri sapientia in terra suaviter viventium non potest : quia qui in hoc mundo vivunt suaviter, ita adhuc stulti sunt, ut hoc ipsum quoque nesciat, unde ceciderunt.

(398) Terræ nomine peccator quilibet designatur, sicut in libro beati Job de sancto prædicatore dicitur : *Fervens et fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem* (*Job* XXXIX, 24). Quid namque terra nisi peccator vocatur? Primo namque homini peccanti dictum est : *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 14; *juxt.* LXX). Tuba vero, quæ discrimen belli denuntiat, quid est aliud quam vox sæcularium potestatum : quæ contempta resistentibus mortis certamen parat? Tubæ namque clangunt, cum hujus sæculi potestates loqui sanctos terribiliter prohibent. Sed quia prædicator sanctus zelo sancti Spiritus inflammatus, vel inter supplicia positus, quoslibet peccatores ad se trahere non desistit : fervens procul dubio terram sorbet : **331** quia vero persecutorum minas minime formidat, clangore tubæ sonare non reputat. Hæc a principibus sacerdotum tuba sonuerat, cum flagellatos apostolos de Deo loqui prohibebant, sicut scriptum est : *Denuntiaverunt ne loquerentur in nomine Jesu* (*Act.* IV, 18). Sed videamus quomodo equum Dei clangor tubæ non terreat. Ait Petrus : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (*Act.* V, 29). Quid aliis quoque persequentibus dicit? *Non enim possumus quæ audivimus, et etiam vidimus, non loqui* (*Act.* II, 20). Equus ergo clangorem tubæ non metuit, quia prædicator egregius, despectis potestatibus sæculi, nullos minarum sonitus pertimescit.

(399) Terræ nomine subjecta plebs et familia designatur. Unde beatus Job dicit : *Si adversum me terra mea clamat* (*Job* III, 38). Omnis qui privato jure domesticam familiam regit, et pro utilitate communi fidelibus plebibus præest in hoc quod jura regiminis in commissis sibi fidelibus possidet, quid aliud quam terram incolendam tenet? Ad hoc quippe divina dispensatione cæteris unusquisque præponitur, ut subjectorum animus quasi substrata terra prædicationis illius semine fecundetur. Sed terra contra possessorem clamat, si contra eum, qui sibi præest, aliquid injustum et privata domus et sancta Ecclesia murmurat. Clamare quippe terram, est contra regentis injustitiam rationabiliter subditos dolere.

(400) Terræ nomine humanitas Christi designatur, unde ad Israel dicitur : *Altare de terra facietis mihi* (*Exod.* XX). Altare enim de terra Deo facere, est in incarnatione Domini sperare. Tunc quippe a Deo nostrum munus accipitur, quando in hoc altari, id est super Dominicæ incarnationis fidem nostra humilitas posuerit quidquid operatur. In altari ergo de terra oblatum munus ponimus, si actus nostros Dominicæ incarnationis fide solidamus.

(401) Terræ nomine infernus intelligitur. Unde beatus Job deprecatur dicens : *Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum antequam vadam, et non revertar* **332** *ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine* (*Job* X, 21). Quid enim terræ tenebrosæ nomine nisi tetra Tartari claustra signantur? Quæ æternæ mortis caligo operit, quia damnatos quosque in perpetuum a vitæ luce disjungit. Nec immerito infernus terra dicitur, quia quicunque ab eo capti fuerint, stabiliter tenentur. Scriptum quippe est : *Generatio præterit, et generatio advenit : terra vero in æternum stat* (*Eccle.* I, 4). Recte igitur inferni claustra, tenebrosa terra nominantur, quia quos puniendos accipiunt, nequaquam transitoria vel phantastica imaginatione cruciant : Sed ultione solita perpetuæ damnationi servant. Jure ergo infernus terra nominatur, quia susceptos stabiliter tenet. Sanctus autem vir, sive sua, sive humani generis voce dimitti se postulat, antequam vadat, non quia ad terram tenebrosam, qui culpam deflet, iturus est; sed quia ad hanc procul dubio, qui plangere negligit, vadit : sicut debitori suo creditor dicit : Solve debitum priusquam pro debito constringaris. Qui tamen non constringitur, si quod debet solvere, non moratur. Unde recte subditur : *Non revertar*. Quia nequaquam ultra misericordia parcentis liberat, quos semel in locis pœnalibus justitia judicantis damnat. Quæ adhuc loca subtilius describuntur, cum dicitur : *Terram miseriæ et tenebrarum*. Miseria ad dolorem pertinet, tenebræ ad cæcitatem. Ea ergo quæ a conspectu districti Judicis expulsos tenet, miseriæ et tenebrarum terra perhibetur, quia foris dolor cruciat, quos divisos a vero lumine intus cæcitas obscurat.

(402) Terræ nomine caro Christi intelligitur, sicut per beatum Job dicitur : *Terra data est in manus impii, vultum judicum ejus operit* (*Job* IX, 21). Quid terræ nomine nisi Redemptoris nostri caro exprimitur? Quid appellatione impii nisi diabolus designatur? Hujus impii manus fuerunt, qui in Redemptoris nostri morte grassati sunt. Terra itaque data est in manus impii, quia antiquus hostis Redemptoris mentem per se tentando corrumpere non valuit, sed ejus carnem per suos satellites ad triduum permissus exstinxit, et dispensationem supernæ pietatis nesciens, ex hac ipsa permissione **333** ser-

(397) Ex fine cap.
(398) Ex l. XXXI, in Job, c. XV, post medium, 25.
(399) Ex l. XXII, in Job cap. XV.
(400) Ex l. III, in Job, c. XV.
(401) Ex l. IX, in Job, c. XXX.
(402) Ex l. IX, in Job, c. XV, 21.

Digitized by Google

vivit. Tribus enim Redemptorem nostrum tentationibus pulsans cor Dei tentare non valuit. Sed cum Judæ mentem ad mortem ejus excitavit, eumque ei cohortem atque a pontificibus et Pharisæis ministros tradidit, nimirum iste impius manus ad terram tetendit, hujus autem terræ judices, sacerdotes et principes Pilatus atque illusores milites fuerunt. Iste itaque impius vultum judicum ejus operuit, quia corda persequentium ne auctorem suum cognoscerent, malitiæ nubilo velavit. Unde per Paulum dicitur : *Usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen est expositum super cor eorum* (*II Cor.* III, 15). Qui rursum ait : *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* II, 8). Vultus ergo judicum opertus expertus : quia mens persequentium, eum quem carne tenere potuit, Deum nec per miraculum agnovit.

(403) Terræ nomine, hi qui terrenis actibus occupati eleemosynarum et lacrymarum ope ad æternam vitam perveniunt, designantur, sicut per Psalmistam dicitur, *cum venire ad judicium Dominus nuntiaretur, advocavit cœlos sursum, et terram, ut discernat populum suum* (*Psal.* XLIX, 4). Cœlos quippe sursum advocat, cum hi, qui sua omnia relinquentes conversationem cœlestis vitæ tenuerunt, ad consedendum in judicio vocantur, atque cum eo judices veniunt. Terra etiam sursum vocatur, cum hi qui in terrenis actibus obligati fuerant, in eis tamen plus cœlestia quam terrena lucra quæsierunt, quibus dicitur : *Hospes eram, et collegistis me : Nudus, et operuistis me* (*Matth.* XXV, 35). Hinc iterum in libro beati Job de hypocritæ cujuslibet sive spiritualiter Antichristi damnatione scriptum est : *Revelabunt cœli iniquitatem ejus, et terra consurget adversus eum* (*Job* XX, 27) (404). Quid enim per cœlos, nisi justos? et quid per terram accipimus, nisi eos qui in terrenis actibus occupati, plus cœlestia quam terrena lucra requirunt? Hypocritæ itaque hujus cœli iniquitatem revelant, atque adversus eum terra consurgit : dum et hi, qui cum Deo judices veniunt, et hi qui per judicium liberantur, pravitatis ejus testes exigunt. Nihil ergo de his quæ egit in tempore damnationis absconditur, et si quidem acta illius modo **334** hominibus per duplicitatem multa celantur, sed in damnationis die quidquid in eo intrinsecus latebat, ostendetur.

(405) Terræ nomine terrena actio designatur : Unde ad unamquamque mentem sub nomine filiæ Babylonis per prophetam dicitur : *Descende, sede in pulvere filia Babylonis, sede in terra.* Cum enim pulvis semper terra sit, non tamen terra semper pulvis est. Quid enim per pulverem nisi cogitationes debemus accipere, quæ dum importune ac silenter in mente volvuntur [*al.* evolant], ejus oculos excæcant? Et quid per terram, nisi terrena cogitatio designatur? Sed quia reproborum mens ad prava cogitanda dejicitur, et postmodum ad facienda, recte filiæ Babylonis qui a terrenæ rectitudinis judicio descendit, per ferientem sententiam dicitur, ut prius in pulvere, et postea in terra sedeat, quia nisi se in cogitatione prosterneret, in malo opere non inhæsisset.

CAPUT II.

DE HUMO.

(406) Humi nomine electorum mens designatur, sicut per Isaiam dicitur : *Super humum populi mei, spinæ et vepres ascendent, quanto magis super omnes domos gaudii civitatis exsultantis?* (*Isa.* XXXII, 13.) Humum quippe populi sui, Dominus electorum suorum omnium mentem vocat. Domus vero gaudii civitatis exsultantis, est mens pravorum, quem, dum ventura supplicia conspicere negligit, in carnis voluptate se deserens inaniter hilarescit. Ait ergo : *Super humum populi mei, spinæ et vepres ascendent*, etc. Ac si aperte dicat : Si illorum mentem vitia deprimunt, qui se pro cœlestis patriæ desiderio affligunt, quibus culpis substrati sunt, qui sine ulla formidine se in carni voluptate derelinquunt?

335 CAPUT III.

DE GLEBIS.

In Scriptura sacra glebarum nomine aliquando collectiones singulorum in Judæa, aliquando per charitatem uniti, vel diversi ordines electorum in Ecclesia designantur.

(407) Glebarum nomine collectiones singulorum ordinum in Judæa designantur, sicut per beatum Job de Judæa dicitur : *Glebæ illius aurum* (*Job* XXVIII, 6). Quid enim per glebas nisi collectiones singulorum ordinum ac multitudines designantur? Glebæ namque ex humore et pulvere constringuntur. Omnes ergo qui rore gratiæ infusi ex mortis debito se pulverem esse veraci cognitione confessi sunt, dum vitæ virtute clarescerent, quasi aureæ glebæ in illa jacuerunt. Glebas hæc terra, id est Judæa, habuit in prophetis, glebas in doctoribus, glebas in patribus antiquis, qui magna se infusione gratiæ in professionis et operis unanimitate tenuerunt. Dicat ergo : *Glebæ illius aurum*, quia in ea multitudo spiritualium tanto majore virtute claruit, quanto se in Deum ac proximum majore unanimitate constringit.

(408) Glebarum nomine per charitatem uniti designantur. Unde Dominus beatum Job interrogat dicens : *Quando fundabatur pulvis in terra, et glebæ compingebantur?* (*Job* XXXVIII, 38.) Glebæ quippe ex humore coagulantur et pulvere. In hac itaque terra, id est Ecclesia glebæ compactæ sunt, quia vocati peccatores, et per sancti Spiritus gratiam infusi, in collectione sunt charitatis uniti.

Istæ glebæ compactæ sunt, quando populi, qui prius quasi dispersione pulveris diversa sentiebant, **336** postmodum sancti Spiritus gratia accepta in illa pacatissima unanimitatis concordia convene-

(403) Ex lib. XV, in Job, c. XIX.
(404) Hæc sequentia carptim ex principio medio.
(405) Ex lib. XIV, in Job, c. IX.
(406) Ex lib. XVII, in Job, c. X, 9.
(407) Ex lib. XVIII in Job, c. XIX, ante finem.
(408) Ex lib. XXX, in Job, c. VI.

Digitized by Google

runt, ut cum essent tria millia, vel rursum quique millia Scriptura teste diceretur : *Quia erat eis cor unum et anima una* (*Act.* IV, 32). Has glebas ex uno quidem pulvere, sed quasi diversa mole distinctas quotidie Dominus in terra compingit, quia servata unitate sacramenti, juxta varietatem virorum atque linguarum fideles in Ecclesia populos colligit. Has glebas jam tunc Dominus designavit quando ad esum panis et piscium quinquagenos discumbere vel centenos jussit (*Matth.* XIV).

(409) Possunt autem per glebas, si in Ecclesia diversitatem meritorum attendimus, distincti ordines fidelium designari. Nam dum alius est ordo prædicantium, alius audientium, alius atque alius subditorum, alius conjugum, alius continentium, alius pœnitentium, alius virginum, quasi ex una terra est diversa glebarum forma distincta, dum in una fide, in una charitate disparia demonstrantur bene operantium merita (410). Sed hæ glebæ nequaquam concretæ ex pulvere surgerent, nisi aquam prius pulvis acciperet, et concepto se humore solidaret, quia nisi peccatores, sancti Spiritus gratia infunderet, constrictos eos ad fidei opera charitatis unitas non teneret.

CAPUT IV.

DE SULCIS

(411) Sulcorum nomine designantur vomere linguæ bene exculti, sicut per beatum Job dicitur : *Si adversum me terra mea clamat, et cum ea sulci ejus deflent* (*Job* XXXI, 38). Omnis enim qui vel privato jure domesticam familiam regit, vel pro utilitate communi fidelibus pluribus præest, in hoc quo jura regiminis in commissis sibi fidelibus possidet, quid aliud quam terram colendam tenet? Ad hoc quippe divina dispensatione cæteris unusquisque præponitur, ut subjectorum animus quasi substantia terra prædicationis semine fecundetur. Terra autem **337** nullis operibus exculta plerumque ad usum hominum aliquod alimentum profert. Exarata vero fruges ad satietatem parit. Ita sunt nonnulli qui nullo locutionis, nullo exhortationis vomere proscissi quædam dona quamvis minima, tamen ex semetipsis proferunt, quasi terra necdum exarata. Sunt vero nonnulli ad audiendum semper atque retinendum sanctis prædicationibus intenti, a priore mentis duritia, quasi quodam linguæ vomere scissi semina exhortationis accipiunt, et fruges boni operis per sulcos voluntariæ afflictionis reddunt. Sæpe vero contigit ut hi qui præsunt, injusta aliqua faciant fitque, ut ipsi subjectis noceant, qui prodesse debuerant. Quæ dum rudes quique conspiciunt, commoti contra rectorem murmurant, nec tamen valde proximis per compassionem dolent. Cum vero hi, qui jam aratro lectionis attriti sunt, atque ad frugem boni operis exculti, gravari vel in minimis innocentes aspiciunt, per compassionem protinus ad lamenta vertuntur, quia velut sua plangunt ea quæ proximi injuste patiuntur. Perfecti namque cum semper de spiritualibus moneantur tanto sciunt de corporalibus alienis damnis ingemiscere, quanto jam edocti sunt non dolere de suis. Omnis ergo, qui præest, si perversa in subditis exercet, contra hunc, et terra clamat, et sulci deflent, quia contra ejus injustitiam rudes quidem populi in murmurationis vocibus erumpunt, sed perfecti quique pro parvo ejus opere sese in fletibus affligunt : quodque imperiti clamant et dolent, hoc probatioris vitæ subjecti deflent et tacent.

338 CAPUT V.

DE PULVERE.

In Scriptura sacra pulveris nomine aliquando terrena intelligentia, aliquando terrenum negotium vel desiderium, aliquando subtilis operum nostrorum retractatio, aliquando peccatorum inconstantia, aliquando caligo terrenæ cogitationis, aliquando infirmitas humanæ conditionis designatur.

(412) Pulveris nomine terrena intelligentia designatur sicut de amicis beati Job scriptum est : *Quia venientes ad eum sparserunt pulverem super capita sua* (*Job* II, 12). Amici namque beati Job, et si bona intentione ad eum convenerint; hæreticorum tamen vel idcirco speciem tenent, quia ad culpam indiscrete loquendo dilabuntur. Unde et illis a beato Job dicitur : *Disputare cum Deo cupio, prius vos ostendens fabricatores mendacii, et cultores perversorum dogmatum* (*Job.* XIII, 3) (413). Hæretici autem quia sanctam Ecclesiam sua docere desiderant, ad eam quasi consolantes appropinquant. Quid vero per pulverem nisi terrena intelligentia? Quid per caput nisi hoc quod nostrum principale est mens videlicet designatur? Quid per cœlum, nisi præceptum supernæ locutionis exprimitur? Pulverem ergo super caput in cœlum spargere, est sæculari intellectu mentem corrumpere, et de verbis cœlestibus terrena sentire. Divina autem verba plus discutiunt plerumque quam capiunt. Super capita igitur pulverem spargunt quia in præceptis Dei per terrenam intelligentiam ultra suarum mentium vires enituntur.

339 (414) Pulveris nomine terrenum negotium, vel desiderium designatur, sicut de superbis ad beatum Job a Domino dicitur : *Absconde eos in pulvere simul, et facies eorum demerge in foveam* (*Job* XL). Ac si dicat, ut ego : Superbos enim atque impios justo judicio Dominus in pulvere abscondit : quia eorum corda ipsis, quæ despecto amore creatoris eligunt, opprimi terrenis negotiis permittit. Unde et illorum vitam cum in extremo discutit, tanquam sibi absconditam non agnoscit dicens : *Nescio qui estis* (*Luc.* XIII). Vita pravorum sub pulvere absconditur, quia abjectis et infimis desideriis gravatur. Quisquis etiam adhuc, ea quæ mundi

(409) Ex lib. et c. citatis.
(410) Hæc ex fine cap.
(411) Ex lib. XXII, in Job, c. XV.
(412) Hæc ex fine c. XII, l. III, in Job, 17.
(413) Ex cap. XIV, ibid.
(414) Ex l. XXXII, in Job, cap. VII, p. st med.

Digitized by Google

sunt, appetit : quasi ante faciem veri luminis non apparet, quia nimirum sub pulvere terrenæ cogitationis latet.

(415) Pulveris nomine subtilis operum nostrorum retractatio designatur. Unde ad Moysem dicitur : *Sume tibi aromata stacten, et onycha, galbanum boni odoris, et thus lucidissimum ; æqualis ponderis erunt omnia, faciesque thymiama compositum opere unguentarii mistum diligenter et purum. Cumque in tenuissimum pulverem universa concuderis, pones ex eo coram tabernaculo testimonii* (*Exod.* xxx, 30). Thymiama ex aromatibus compositum facimus, cum in altari boni operis virtutum multiplicitate redolemus. Quod mistum et purum sit, quia quanto virtus virtuti jungitur, tanto incensum boni operis sincerius exhibetur. In tenuissimum ergo pulverem aromata universa conterimus, cum bona nostra quasi in pila, cordis occulta discussione tundimus : et si veraciter bona sint, subtiliter retractamus. Aromata ergo in pulverem redigere, est virtutes recogitando tractare, et usque ad subtilitatem occulti examinis revocare. Et notandum quod de eodem publice dicitur : *Pones ex eo coram testimonii tabernaculi*, quia tunc nimirum bona nostra veraciter in conspectu judicis placent, cum hæc mens subtilius recogitando conterit, et quasi de aromatibus pulverem reddit, ne grossum durumque sit bonum quod agitur, ne si hoc arcta retractatione animus non comminuat, odorem de se subtilius non aspergat.

340 (416) Pulveris nomine peccatoris inconstantia designatur, sicut ad beatum Job a Domino dicitur : *Quando fundabatur pulvis in terra* (*Job* xxxviii, 4). Quid enim in pulvere nisi peccatores accipimus, qui nullo rationis pondere solidati cujuslibet tentationis flatu rapiuntur, de quibus scriptum est : *Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ* (*Psal.* i, 4). Pulvis autem in terra fundatus est, cum peccatores vocati in Ecclesia traditæ fidei sunt ratione solidati, ut qui prius inconstantia mobiles tentationis aura levabantur, immobiles postmodum contra tentamenta consisterent, et Deo perseveranter inhærentes fixum bene vivendi pondus tenerent.

(417) Pulveris nomine caligo terrenæ cogitationis exprimitur, sicut per beatum Job dicitur : *Induta est caro mea putredine, et sordibus pulveris* (*Job.* vii, 5). Quia enim soliditatem ingenitam voluntarie homo deseruit et sese voragine corruptionis mersit justo nunc vel pro immunda opera laudatur. Ut enim ita dixerim culpæ suæ pœnaliter subdita ipsa jam natura nostra facta est extra naturam ; et remissa usque ad perversa opera ducitur; restricta autem operum perversorum importunitate fuscatur, explicatione ergo actionis illicitæ carnem putredo afficit : levitatem vero cogitationis improbæ quasi ante oculos pulvis surgit consentiendo vitiis, putredine atterimur, vitiorum vero imagines in corde tolerando sordibus pulveris sedamur. Ait ergo : *Induta est caro mea putredine, et sordibus pulveris.* Ac si aperte diceret : Carnalem vitam quam patior, aut tabes lubricæ operationis polluit aut ex vitiorum memoria caligo miseræ cogitationis præmit. Quod tamen si ex voce Ecclesiæ universalis accipimus, aliquando hanc procul dubio carnis putredine, aliquando autem gravari sordibus pulveris invenimus. Multi quippe in ea sunt, qui dum amori carnis inserviunt, fetore luxuriæ computrescunt. Et sunt nonnulli qui a voluptate carnis se abstinent, sed tamen tota mente in terrenis actibus jacent. Dicat ergo sancta Ecclesia unius membri sui vocibus, dicat **341** quid de utroque genere tolerat hominum. Induta est. *Caro mea putredine et sordibus pulveris.* Ac si aperte insinuet dicens : Sunt plerique, qui mihi per fidem membra sunt, sed tamen sana vel munda per actionem non sunt quia aut viri turpibus desideriis ad corruptionis putredinem defluunt, aut terrenis actibus dediti pulvere terrenæ cupiditatis consperguntur : In illis enim quos lubricos tolero, carnem, videlicet putrescentem gemo : in istis autem quos terrena quærentes patior, quid aliud quam fœdata pulvere membra porto ?

(418) Pulveris nomine infirmitas humanæ conditionis designatur. Sicut per prophetam dicitur : *Memento* (419), *Domine, quoniam pulvis sumus.* Abraham quoque ait : *Loquar ad Dominum meum cum sim pulvis et cinis* (*Psal.* cii, 14). Et si viventem carnem nondum in terra mors solverat, hoc tamen apud se erant, quod se futuros absque dubitatione prævidebant. Hinc alias dicitur : *Auferes spiritum eorum et deficient, et in pulverem suum revertentur* (*Psal.* civ, 29). Quid enim eorum spiritus, nisi spiritus superbiæ nominatur. Tollatur ergo spiritus eorum, ut deficiant, id est subducto spiritu superbiæ nihil se de se esse cognoscant : et revertantur in pulverem, id est humilientur ex infirma conditione. In peccato namque quisque positus mortalitatis suæ obliviscitur, dum adhuc per superbiam inflatur. Post conversionis gratiam, cum humilitatis spiritu tangitur, quid se esse aliud quam pulverem recordatur ?

342 CAPUT VI.

DE MONTE.

(420) *In Scriptura sacra cum mons singulari numero ponitur, aliquando incarnatus Dominus, aliquando sancta Ecclesia, aliquando apostata angelus, aliquando hæreticus quilibet, aliquando Judaicus populus, aliquando altitudo bonæ vitæ, aliquando mens sancta, aliquando altitudo contemplationis intelligitur ; cum vero pluraliter montes dicuntur,*

(415) Ex l. I in Job, c. xix, sub fin., 39.
(416) Ex l. xxx in Job, c. vi, 10.
(417) Ex l. viii in Job, c. vi, post medium, 11.
(418) Ex l. xxiv in Job, c. xii, 27.

(419) Ibi pro *memento* habemus *recordatus est.*
(420) Hæc designatio varia significans est pene eadem in principio lib. xxxiii in Job, cap. i.

Digitized by Google

aliquando sancti apostoli, aliquando ecclesiasticarum potestatum tumor, aliquando altæ contemplationes, aliquando virtutes angelorum, aliquando altæ sive sacræ Scripturæ, aliquando antiqui Patres intelliguntur.

(421) Montis nomine incarnatus Dominus intelligitur, sicut per Ezechielem dicitur : *Et dimisit me super montem excelsum nimis* (*Ezech.* XL, 2). Quem enim significat mons excelsus nisi mediatorem Dei et hominum Christum Jesum ? Et de terra quidem, sed ultra terram est : quia caro ejusdem Redemptoris nostri de imis habet materiam, sed in summis præeminet ex potestate. Quem minus erat, ut excelsum diceret, nisi adderet nimis : quia non solum homo, sed ejusdem humanitatis conceptione, quæ ab eo assumpta est Deus et homo : non solum homo super homines, sed homo etiam super angelos factus. Mons ergo iste excelsus **343** est, et nimis ; quia et si de terra est per substantiam humanitatis, incomprehensibilis tamen est, ex altitudine Divinitatis. Hinc est quod eumdem Dominum cum Isaias propheta prospiceret in carne esse venturum prophetiæ spiritu sublevatus ait : *Et erit novissimis diebus præparatus mons domus Domini in verticem montium* (*Isai.* II, 2). Domus enim Domini Israeliticus populus fuit. Mons itaque domus Domini ille appellatus est, qui in Israelitico populo incarnari dignatus est. Fuerunt autem in eodem populo sancti viri, qui montes jure vocarentur, quia per vitæ meritum ad cœlestia propinquaverunt. Sed incarnatus Unigenitus istis montibus æqualis fuit, quia naturam vitam merita omnium ex sua divinitate transcendit. Unde et recte mons super verticem montium dicitur, quia excelsus ex divinitate sua inventus est etiam super cacumina sanctorum, ut hi qui multum in Deo profecerant ejus vestigia vix potuissent tangere ex vertice cogitationis. Qui ergo apud Isaiam mons super verticem montium dicitur, ipse apud Ezechielem mons excelsus nimis perhibetur.

(422) Montis nomine sancta Ecclesia designatur, sicut scriptum est : *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion* (*Psal.* CXXIV, 1). Sion namque *speculum* dicitur, per quam secundum speculationem contemplans Dominum Ecclesia figuratur.

(423) Montis nomine testamentum Dei exprimitur, sicut Habacuc ait : *Dominus a Libano veniet, et sanctus de monte umbroso et condenso.* Qui enim venturum se per Testamenti sui paginas spopondit quasi vime venit, unde velut sub promissione se tenuit. Quod videlicet Testamentum bene mons umbrosus et condensus dicitur, quia spissis allegoriarum obscuritatibus opacatur.

(424) Montis nomine apostata angelus designatur, sicut sub Babylonis regis specie de antiquo hoste prædicatoribus dicitur : *Super montem caliginosum levate signum* (*Isa.* XIII, 2). Prædicatores quippe sancti super caliginosum **344** montem signum elevant, quando contra Satanæ superbiam, quæ sæpe sub nebula simulationis absconditur veritatem crucis exaltant.

(425) Montis nomine hæreticus quilibet exprimitur, sicut ex voce Ecclesiæ Psalmista ait : *In Domino confido quomodo dicitis animæ meæ ! Transmigra in montem sicut passer* (*Psal.* X, 2). Cum enim fideli animæ unitate derelicta, intumenti doctrina confidere hæretici prædicatoris dicitur, quasi deserto Domino in montem transmigrare suadetur.

Montis nomine Judaicus populus designatur, sicut Isaias propheta testatur, qui dixisse diabolum denuntiat dicens : *Sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis* (*Isa.* XIV, 13). Repete cap. XV, lib. I, distinct. 1.

(426) Montis nomine altitudo bonæ vitæ designatur, sicut per Isaiam prædicatori dicitur : *Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion* (*Isa.* XL, 9). Quid etiam montis nomine nisi alta vita intelligitur? Super montem igitur excelsum, qui evangelizat ascendere jubetur, ut videlicet, qui prædicationis locum suspicit, ad altitudinem bonæ ascendat actionis. Ad excelsa transeat, et eorum qui sibi commissi sunt opera transcendat quatenus subjectorum vitam tanto subtilius videat, quanto terrenis et rebus, quas despicit animum non supponit. Hinc est quod Ezechiel, qui ad prædicandum mittitur, speculator a Domino nominatur : *Fili hominis, speculatorem te dedi domui Israel* (*Ezech.* III, 17). Cui enim aliena cura committitur, speculator vocatur : ut in mentis altitudine sedeat, atque vocabulum nominis ex virtute actionis trahit. Non enim est speculator qui in imo est. Speculator quippe semper in altitudine stat, ut quidquid venturum est longe prospiciat. Et quisquis populi speculator ponitur, in altum debet stare per vitam, ut possit prodesse per providentiam.

Montis nomine mens sancta accipitur, sicut per beatum Job dicitur : *Mons cadens defluit* (*Job* XIV, 18). Unum **345** in mente etiam justi hominis per repentinum eventum agit quatenus sic subito tentetur ut hunc inopinato proventu concutiat, et prosternat casumque suum non nisi postquam ceciderit, videat. Mons cadens defluit, cum justo Dei judicio tentatio ejus menti qui in alta stare cernitur, repente dominari permittitur : Et saxum transfertur de loco suo, cum mens fortis, cujus locus justitia fuerat, impulsu subito transfertur ad culpam.

(427) Montis nomine altitudo contemplationis designatur quod bene legis acceptione : signatur cum dicitur : *Quia Moyses ascendit et Dominus in montem descendit* (*Exod.* XIX, 14). Mons quippe est ipsa nostra contemplatio in quam nos ascendimus ut ad ea quæ ultra infirmitatem nostram sunt videnda,

(421) Ex hom. 13 in Ezech.
(422) Ex l. XXXIII in Job, cap. 1
(423) Ex eodem lib. et cap.
(424) Ex l. XXXIII, in Job, c. 1.
(425) Ex eodem lib.
(426) Ex hom. 11 in Ezech. post principium.
(427) Ex lib. V in Job, cap. XXVI.

Digitized by Google

sublevemur. Sed in hanc Dominus descendit, quia nobis multum proficientibus parum de se aliquid sensibus nostris aperit. Contemplatoribus autem suis in hac adhuc vita positis nequaquam se divinitas, sicut est insinuat, sed lippientibus mentis nostræ oculis claritatem suam tenuiter demonstrat. Si tamen dici in illo, vel parum, vel aliquid potest quia unus semper et idem permanens, intelligi pariter non potest, et tamen a suis fidelibus participari dicitur, cum in ejus substantia pars nullatenus admittatur.

(428) Montium nomine sancti apostoli designantur, sicut per Psalmistam dicitur : *Transferentur montes in cor maris* (*Psal.* XLV, 3). In corde enim maris montes translati sunt, cum prædicatores apostoli a Judææ perfidia repulsi ad intellectum gentium venerunt. Unde ipsi in suis Actibus dicunt : *Vobis oportebat primum loqui regnum Dei, sed quia repulistis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes* (*Act.* XIII, 26). De his montibus in libro beati Job dicitur : *Qui transtulit montes, et nescierunt* (*Job* IX, 5). Hi quos subvertit in furore suo. Electi quippe prædicatores æternæ patriæ non immerito montes vocantur : quia per vitæ suæ celsitudinem, ima terrarum deserunt, et cœlo propinqui fiunt : Sed montes veritas transtulit, cum prædicatores sanctos a Judææ **346** obduratione subtraxit. Sed hanc eamdem translationem montium hi ipsi nescierunt, qui in Domini furore subversi sunt : quia cum de suis finibus Hebræi apostolos pellerent, lucrum se fecisse arbitrati sunt, quia prædicationis lumen amiserunt. Ex gentibus quippe justa mentis animadversione percussit, tanto intelligentiæ errore excæcati sunt, ut quod lumen perderent hoc gaudium esse putarent.

(429) Montium nomine sæcularium potestatum timor exprimitur. De quibus Psalmista ait : *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini* (*Psal.* XCVI, 5). Quia multi qui prius alta rigiditate tumuerunt, Deo in carne apparente magno sunt per pœnitentiam timore liquefacti, vel sicut idem Propheta iterum dicit : *Ascendunt montes, et descendunt campi* (*Psal.* CIII, 8). Plerique enim persecutores Domini superbi contra eum veniunt, sed ab eo humiles revertuntur : quia montes ascendunt per tumorem potentiæ, sed campi descendunt plani videlicet facti per cognitionem culpæ.

(430) Montium nomine altæ contemplationes designantur, sicut de quolibet secretam vitam diligente sub onagri specie nomine beati Job scriptum est. *Circumspicit montes pascuæ suæ* (*Job* XXXIX, 8). Montes namque pascuæ sunt, altæ contemplationes internæ refectionis. Sancti enim viri quanto magis A se exterius despiciendo dejiciunt, tanto amplius interius revelationum contemplatione pascuntur. Unde scriptum est : *Ascensus in corde suo disposuit in valle lacrymarum* (*Psal.* LXXXIII, 7). Quia quos exterius in fletu continet convallis humilitatis, eos interius sublevat ascensus contemplationis.

(431) Possunt etiam montes pascuæ sublimes intelligi virtutes angelorum : quæ idcirco hic nos ministrando et adjuvando reficiunt, quia illic interno contemplationis rore pinguescunt. Quæ quia largiente Domino in omni nos certamine protegunt, recte circumspici dicuntur. Undique enim nobis adesse circumspicimus, quorum defensione contra adversarios ex omni latere munimur.

347 (432) Montium nomine altæ sententiæ sacræ Scripturæ intelliguntur. De quibus per Psalmistam dicitur : *Montes excelsi cervis* (*Psal.* CIII, 18). Quia videlicet ii qui jam dare contemplationis saltus noverunt altos sententiarum divinarum vertices quasi cacumina montium ascendunt. Ad quæ profecto cacumina, quia infirmi pervenire non valent, recte subditur : *Petra refugium herinaciis* (*ibid.*), quia nimirum invalidos non sublimiter intelligentia exercet, sed sola Christo fides humiliter continet.

(433) Montium nomine antiqui Patres designantur, sicut per Psalmistam Domino dicitur : *Illuminas tu mirabiliter a montibus æternis* (*Psal.* LXXV, 5). Quid enim montes nisi peccatores præcedentes accipimus ? Qui enim orientem solem contemplari non valet, irradiatos montes aspicit, et quia sol ortus sit deprehendit. Ex æternis ergo montibus nos Dominus illuminat, quia per admiratam vitam Patrum præcedentium radio nos suæ claritatis illustrat.

CAPUT VII.

DE COLLIBUS.

(434) Collium nomine, cum comparatione vallis ponuntur, superbi designantur sicut in Evangelio per Joannem dicitur : *Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur* (*Luc.* III, 5). Quid enim vallium nomine nisi humiles, quid montium et collium nomine nisi superbi intelliguntur ? In adventu igitur Redemptoris nostri valles impleti, montes vero et colles humiliati sunt : quia juxta ejus vocem : *Omnis qui se exaltat humiliabitur ; qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* XIV, 11). Vallis enim impleta crescit, mons autem et collis humiliatus decrescit : quia nimirum in fide mediatoris Dei et hominum hominis Christi Jesu et gentilitas plenitudinem gratiæ accepit et Judæa per errorem perfidiæ hoc unde tumebat perdidit.

348 CAPUT VIII.

DE AGRO.

In Scriptura sacra agri nomine, aliquando gentili-

(428) Ex l. XVIII in Job, c. XIX, et l. IX, c. II post medium.
(429) Ex l. XXXIII in Job, c. I.
(430) Ex l. XXX in Job, c. XV.
(431) Ex eodem lib. et cap. sed juxta veterem divisionem est c. XXVIII.
(432) Ex l. XXX in Job, c. XV.
(433) Ex l. XXVII in Job, c. V, 6.
(434) Ex hom. 20 in Evang.

Digitized by Google

tas, aliquando præsens sæculum, aliquando corpus nostrum, aliquando Scriptura sacra, aliquando universa Ecclesia designatur.

Agri nomine gentilitas designatur, sicut in Psalmo sub persona Domini scriptum est : *Species agri mecum est* (*Psal.* XLIX). Quia incarnatus enim Dominus gentilitati magis quam Judææ profuit ; animale corpus assumens quasi non in domum, sed potius in agrum venit.

(435) Agri nomine præsens sæculum designatur, sicut Dominus per Evangelium testatur, qui ait : *Ager autem est mundus.*

(436) Agri nomine corpus nostrum designatur, sicut per Salomonem dicitur : *Diligenter exerce agrum tuum, ut postea ædifices domum tuam* (*Prov.* XXIV, 27). Quid enim per agrum nisi corpus accipitur ? Ille ergo bene domum mentis ædificat, qui prius agrum corporis a spinis vitiorum purgat, ne si desideriorum sentes in carnis agro proficiant intus tota virtutum fabrica fame boni crescente destruatur.

(437) Agri nomine Scriptura sacra designatur, sicut per beatum Job de hæreticis dicitur : *Agrum non suum demetunt* (*Job* XXIV, 6). Quid enim per agrum nisi Scripturæ sacræ latitudo signatur ? Agrum ergo non suum hæretici demetunt, quia ex Scriptura sacra sententias longe a suis sensibus diversas tollunt.

(438) **349** Potest quoque agri nomine universa Ecclesia designari quam perversi prædicatores demetunt, quia Creatoris nostri gratiam persequentes, dum quosdam de illa qui recti videbantur rapiunt, quid aliud quam spicas vel botros animarum tollunt.

CAPUT IX.

DE CAMPO.

In Scriptura sacra camporum nomine, aliquando gentilitas, aliquando a tumore superbiæ humiliati intelliguntur.

(439) Campi nomine gentilitas designatur sicut ad Ezechielem prophetam a Domino dicitur : *Surgens egredere in campum, et ibi loquar tecum* (*Ezech.* III, 22). Quid est hoc quod prius Dominus in medio Israelitarum locutus ad prophetam suum fuerat, et tamen postmodum dicitur, egredere in campum, et ibi loquar tecum nisi quod prophetiæ suæ gratia et prius Judææ infundam, et hanc postmodum dignatus est in latitudine gentium demonstrare ? Neque enim immerito per campum gentilitas designatur, quæ longe lateque, id est in universo mundo distenditur.

Ubi et subditur : *Et surgens egressus sum in campum, et ecce gloria Dei stabat quasi in gloria quam vidi juxta flumen Chobar.* In campo propheta gloriam Dei vidit, quam juxta flumen Chobar in medio Israelitarum viderat, quia ipsa ejus majestas gentibus apparuit, quæ prius se electis in Judaico populo revelante Spiritu declaravit.

350 CAPUT X.

DE VALLIBUS.

In Scriptura sacra vallium nomine, aliquando humiles, aliquando humilia dicta Patrum, aliquando terrena ista, aliquando ima pœnarum loca intelliguntur.

Vallium nomine humiles designantur, sicut in Evangelio per Joannem dicitur : *Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur* (*Luc.* III, 5). Unde supra, cap. 7, De collibus.

(440) Convallium nomine humilia dicta Patrum designantur, sicut per beatum Job de hæreticis dicitur : *Qui de convallibus ista rapientes, cum singula reperissent, ad ea cum clamore currebant* (*Job* XXX, 5). Convalles namque sunt humilia dicta Patrum. Hæretici ergo si quando in sacro eloquio quædam quasi prudenter inveniunt, quæ dum non intelligunt pro suis esse assertionibus suspicantur, mox miseris auditoribus suis, quorum non animas sed substantias appetunt, hæc vociferantes aspergunt. De convallibus illa siquidem rapiunt : quia hæc de humilibus dictis Patrum superbo spiritu colligunt. Quæ dum pro suis se partibus invenisse gloriantur, ad ea cum clamoribus currunt, quia videlicet omne quod sentiunt, appetitu laudis ad aures hominum diffamare conantur.

(441) Possunt etiam per convalles terrena ista infima designari : hi enim qui sublima montium, id est fortia acta sanctorum, contemplari nesciunt : semper in infimis quasi in convallibus conversantur. Et dum quodlibet lucri vel parvi stipendii inveniunt, cum clamore currunt : quia hoc abstrahere etiam jurgando **351** moliuntur. In convalle enim repertis singulis cum clamore currere est subortis causarum occasionibus etiam pro parva stipe litigare. Plerumque autem quem sanctum bona actio ostendit, oborta terreni commodi occasio examinat. Videas namque nonnullos jam sublimia agere, jam in abstinentiæ, jam in doctrinæ opere patrum præcedentium exempla sectari : sed cum repente præsentis vitæ lucrum, quasi fructum, convallis invenerunt, ad hoc cum clamore currunt, quasi disrupta ad illud superductæ sanctitatis tranquillitate prosiliunt.

(442) Convallium nomine ima pœnarum loca designantur, sicut per beatum Job de iniquis dicitur : *Fratres mei prætierierunt me, sicut torrens qui transit raptim in convallibus* (*Job* VI, 15). Sæpe reprobi eamdem fidem, qua vivimus, retinent, eadem fidei sacramenta percipiunt ejusdem religionis unitate continentur, sed tamen compassionis viscera nesciunt. Charitatis vim qua in Deum et proximum

(435) Ex l. XXXIII in Job, c. XII.
(436) Non ipsissimis verbis sed eodem prorsus sensu hæc dicit Greg. l. X in Job, c. II, 16.
(437) Ex l. XVI in Job, c. XXII, 25.
(438) Ex lib., etc. proximis.
(439) Ex hom. 12 in Ezech. statim in initio.
(440) Ex lib. XX in Job, c. XII, 13.
(441) Ex l. sup., c. XV, post nic 14.
(442) Ex l. VII, in Job, c. X.

Digitized by Google

flagramus, non agnoscunt. Recte ergo isti, ei fratres et prætereuntes vocantur, quia ex uno nobiscum matris gremio per fidem prodeunt sed in uno charitatis studio erga Deum et proximum non figuntur. Quia autem in hac vita, quam totis desideriis appetunt, diu stare nequaquam possunt, bene dicitur : sicut torrens raptim ad convalles transeunt. Nam quot dies ætatis accipiunt, quasi tot quotidie gressibus ad finem tendunt (443). Augeri sibi optant tempora, sed quia concessa subsistere nequeunt, quot augmenta vivendi percipiunt diu vivendi spatia quotidie perdunt. Momenta ergo temporum, quo sequuntur, fugiunt, quo accipiunt, amittunt. Raptim itaque ad convalles transeunt, quia in longum quidem voluptatum desideria pro pertrahunt, sed ad inferni claustra repente perducuntur. Quia etenim hoc tempus quod qualibet longævitate extensum est, si fine clauditur, longum non est : ex fine miseri colligunt breve fuisse quod amittendo tenuerunt. Unde bene per Salomonem dicitur : *Si multis annis vixerit homo, et his omnibus lætus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, et dierum multorum qui, cum venerint, vanitatis* **352** *arguuntur præterita* (*Eccle.* xi, 8). Stulta etenim mens cum malum repente invenerit, quia nequaquam præteriit, æternitatem ejus tolerando intelligit quia quod præterire potuit, vanum fuit.

CAPUT XI.

DE PLATEA.

In Scriptura sacra plateæ nomine aliquando auctoritatis latitudo, aliquando libertas propriæ voluntatis, aliquando latitudo vitæ præsentis.

(444) Plateæ nomine latitudo intelligitur, sicut per beatum Job ex persona sanctæ Ecclesiæ dicitur : *Quando procedebam ad portam civitatis, et in platea ponebatur cathedra mihi* (*Job* xxix, 7). Quid enim per portam civitatis nisi bona quæque actio designatur, per quam anima ad conventum regni cœlestis ingreditur ? Quid vero per cathedram nisi magisterii auctoritas intelligitur? Græca autem voce, platea pro latitudine dicitur. Hunc ergo sancta Ecclesia ad civitatis portam procedit, quia ut aditum cœlestis regni percipiat, in sanctis se actionibus exerit. Cui in platea paratur cathedra quia in magnæ auctoritatis latitudine, sui magisterii exhibet libertatem. Qui enim, recta quæ sentit, publica voce prædicat, quasi in platea super cathedram sedet, cum nullum de sua prædicatione metuit, nullius pressus terroribus se sub silentio abscondit.

Plateæ nomine libertas propriæ voluntatis intelligitur, sicut de quibusdam miræ abstinentiæ, et continentiæ ad pravitatem reversus per Jeremiam dicitur. *Non sunt cogniti in plateis* (*Thren.* iv, 8). Vide cap. 33, lib. v, distinct. 1, in medio.

(445) **353** Platearum nomine latitudo vitæ præsentis designatur, sicut per Jeremiam dicitur : *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum* (*Thren.* iv. 1). Quid namque auro quod cæteris metallis præeminet nisi excellentia sanctitatis ? Quid colore optimo nisi cunctis amabilis reverentia religionis exprimitur? Quid sanctuarii lapidibus nisi sacrorum ordinum personæ signantur? Quid platearum nomine nisi præsentis vitæ latitudo figuratur? Et enim Græco eloquio πλάτος *latitudo* dicitur, profecto a latitudine plateæ sunt vocatæ. Aurum igitur obscuratur, cum terrenis actibus sanctitatis vita polluitur. Color optimus commutatur, cum quorumdam qui degere religiose credebantur, æstimatio anteacta minuitur. Nam cum quilibet post sanctitatis habitum terrenis se actibus inserit, quasi colore permutato, ante humanos oculos ejus reverentia despecta pallescit. Sanctuarii quoque lapides, in plateas disperguntur, cum causarum sæcularium foras lata itinera expetunt, hi, qui ad ornamentum Ecclesiæ internis mysteriis, quasi in secretis sanctuarii vacare debuerunt. Ad hoc quippe sanctuarii lapides fiebant, ut intra Sancta sanctorum in vestimento summi sacerdotis apparerent. Cum vero ministri religionis a subditis honorem Redemptoris sui ex merito vitæ exigunt, sanctuarii lapides in ornamento pontificis non sunt. Qui nimirum sanctuarii lapides dispersi per plateas jacent, cum personæ sacrorum ordinum voluptatum suarum latitudini deditæ terrenis negotiis inhærent. Et notandum quod non hos dispersos in plateis, sed in capite platearum dicit, quia et cum terrena agunt, summi videri appetunt. ut lata itinera teneant ex voluptate delectationis, et tamen sicut in platearum sint capite, ex honore sanctitatis.

354 CAPUT XII.

DE VIA.

In Scriptura sacra cum via singulari numero ponitur, aliquando Christus, aliquando transitus humanitatis ipsius Christi, aliquando specialis adventus ejus, ad cor nostrum, aliquando tunc rectitudinis, aliquando latitudo propriæ libertatis conversatio; cum vero viæ pluraliter dicuntur, aliquando actiones nostræ, aliquando actiones Dei, aliquando vivendi exprimuntur.

(446) Viæ nomine Christus intelligitur, sicut voce Dominica ad beatum Job dicitur sub interrogatione: *Per quam viam spargitur lux?* (*Job.* xxxviii, 24.) Ipse quippe est via, qui ait : *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan.* xiv, 6). Lux vero fulgor prædicationis accipitur. Per hanc ergo viam lux spargitur, quia per Redemptoris nostri præsentiam cuncta gentilitas illustratur. Spargitur autem convenienter dixit, quia per apostolorum voces non angustata aut coarctata, sed late fulgens lux prædicationis emicuit.

(447) Viæ nomine transitus humanitatis Christi intelligitur, sicut de sapientia per beatum Job dici-

(443) Hæc sunt ante finem cap.
(444) Ex l. xix in Job. c. xi.
(445) Ex ii part. Pastor., c.7.
(446) Ex l. xxix in Job, c. xii.
(447) Ex l. xix in Job, c. iii, 2.

Digitized by Google

citur : *Deus intelligit viam ejus, et ipse novit locum* A *ejus* (*Job.* XXVIII, 23). Coæterna enim Deo sapientia, aliter habet viam, atque aliter locum : locum vero, si quis intelligat, non localem. Nam teneri corporaliter non potest Deus **355** sed, sicut dictum est, locus intelligitur, non localis. Locus enim sapientiæ, Pater est. Locus Patris, Sapientia, sicut ipsa Sapientia attestante dicitur : *Ego in Patre et Pater in me* (*Joan.* XIV). Aliter ergo sapientia habet viam, atque aliter locum. Viam enim habet per humanitatis transitum, locum vero per statum divinitatis. Inde namque non transit, unde æterna est, sed unde transit unde propter nos apparuit temporalis. Sic quippe in Evangelio scriptum est quia egrediens ab Jericho Dominus transibat ; duo autem cæci sedentes juxta viam clamaverunt dicentes : B *Domine, miserere nostri, fili David* (*Matth.* XX, 30). Ad quorum vocem, sicut illic scriptum est, Stetit Jesus, et lumen reddidit (*ibid.*). Quid est autem transeundo audire, stando lumen restituere, nisi quod nobis per humanitatem suam misertus est, qui per divinitatis potentiam, a nobis mentis nostræ tenebras exclusit ? Qui enim propter nos natus et passus est, qui resurrexit et ascendit in cœlum, quasi transit Jesus, quia hoc nimirum actio temporalis est. Sed stans eos tetigit et illuminavit, quia non sicut illa dispensatio spiritalis, ita ubi æternitas transit quæ in se manens innovat omnia. Stare enim Dei est incommutabili cogitatione mutabilia cuncta disponere. Qui ergo voces petentium audivit transiens, stans lumen reddidit, quia et si propter C nos temporalia pertulit, inde tamen nobis lucem tribuit, unde habere mutabilitatis transitum nescit. Quia igitur quando per carnem appareret hominibus, incertum fuit, recte nunc dicitur : *Deus intelligit viam ejus, et ipse novit locum illius.*

(448) Quamvis et hoc aliter intelligi potest ; nam via ejus non inconvenienter accipitur, hoc ipsum quod venit ad cor, seseque nobis intrinsecus infundit. Locus vero ejus fit ad cor quod veniens permanet de hac quippe via illius dicitur : *Vox clamantis in deserto : Parate viam Domino* (*Matth.* III, 3), id est in corde vestro venienti sapientiæ aditum reserate, sicut et alias dicitur : *Iter facite ei qui ascendit super occasum* (*Psal.* LXVII, 5). Super occasum D quippe fuit ascendere ipsam mortem quam pertulerat resurgendo superasse ; ait ergo ei qui ascendit super **356** occasum : *Iter facite*, id est resurgenti Domino in vestris cordibus per fidem viam præbete, hinc Joanni per Spiritum dicitur : *Præibis ante faciem Domini parare vias ejus* (*Luc.* I, 76). Quisquis enim prædicando a sordibus vitiorum corda emundat audientium, venienti sapientiæ viam præparat habet ergo viam ista sapientia habet locum ; viam quæ venit locum quo manet. *Si quis, inquit, diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV). Sed quando venit quæ ubique est, venire sapientiæ est per illuminationem mentis nostræ, judicare præsentiam majestatis suæ, et quia hominibus incertum vel in cujus cor veniat, vel in quo postquam venerit permanendo requiescat, recte nunc dicitur : *Deus intelligit viam ejus, et ipse novit locum illius*, quia solius divinæ visionis est cernere, vel quibus modis intellectus sapientiæ ad cor hominis veniat, vel cujus mens intellectum vitæ quem perceperit, mortiferis cogitationibus non amittat.

(449) Viæ nomine iter rectitudinis intelligitur, sicut per beatum Job dicitur : *Si declinaverit gressus meus de via !* (*Job.* XXXI, 7.) Quid est via ubi iter rectitudinis ? toties autem de via gressus declinat quoties cogitatio nostra iter rectitudinis per consensam relinquit erroris, quasi enim tot gressus extra viam ponimus, quot perversis desideriis a cœlestis vitæ delectatione separamur.

Viæ nomine latitudo propriæ libertatis designatur sicut voce Veritatis in Evangelio dicitur : *Intrate per angustam portam, quia lata porta, et spaciosa est via, quæ ducit ad perditionem : et multi sunt qui intrant per eam* (*Matth.* VII, 13). Hinc per Jacob dicitur : *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro* (*Gen.* XLIX, 17). Lege lib. III, cap. 2, dist. 3.

Viæ nomine sancta conversatio intelligitur, sicut iterum voce Veritatis in Evangelio dicitur : *Quam angusta porta et arcta via est quæ ducit ad vitam ! et pauci sunt qui inveniunt eam* (*Matth.* VII, 14).

357 (450) Viarum nomine actiones nostræ designantur sicut per Job de divino dicitur : *Nonne ipse considerat vias meas, et cunctos gressus dinumerat ?* (*Job* XXI, 4.) Quid enim viarum nomine nisi actiones denuntiat ? hinc per Jeremiam dicitur : *Bonas facite vias vestras, et studia vestra* (*Jer.* VII). Quid vero gressuum appellatione, nisi vel mentium, vel provectus accepimus meritorum ? quibus gressibus veritas nos ad se vocat dicens : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis* (*Matth.* XI, 28). Ad se quippe nos Dominus venire præcipit nimirum non gressibus corporis, sed profectibus cordis : ipse namque ait : *Veniet hora quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem* (*Joan.* IV, 21). Et paulo post : *Veri adoratores adorabunt in spiritu et veritate ; nam et Pater tales quærit qui adorent eum* (*ibid.*, 23). In corde vero gressus esse insinuat, quando et ut veniamus vocat, et tamen motu corporis nequaquam ad alias nos transire denuntiat ; sic autem Dominus uniuscujusque considerat vias, sic numerat gressus, ut ne minutissimæ quidem cogitationes ejus judicio ac verba tenuissima quæ apud nos usu viluerunt, indiscussa remaneant, hinc etenim dicit : *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio ; qui dixerit fratri suo, raca, reus erit consilio : qui dixerit fatue, reus erit gehennæ* (*Matth.* V, 22). Raca quippe in He-

(448) Ex eod. lib. et cap.
(449) Ex l. XXI in Job, c. V, 17.
(450) Lib. XX in Job, c. IV, 5.

Digitized by Google

bræo eloquio vox interjectionis est, quæ quidem animum irascentis ostendit, nec tamen plene verbum iracundiæ exprimit. Prius ergo ira reprehenditur sine voce, postmodum vero ira cum voce, sed necdum pleno verbo formata; ad extremum vero cum dicitur fatuus ira redargnitur, quæ cum excessu vocis expletur. Et notandum quod ira perhibet reum esse judicio in voce iræ, quæ est raca, reum consilio in verbo quod est fatuus reum gehennæ ignis. Per gradus enim culpæ currit ordo sententiæ : quia in judicio adhuc causa discutitur. In consilio autem jam causæ sententia definitur. In gehenna vero ignis, ea quæ egreditur de consilio sententia expletur. Quia igitur humanorum actuum Dominus subtili examine gressus enumerat, ira sine voce, judicio, ira in voce, consilio. Ira vero in voce atque sermone gehennæ ignis mancipatur : hanc subtilitatem considerationis **358** propheta aspexerat, cum dicebat : *Fortissimus, magne, potens, Dominus exercituum nomen tibi; magnus consilio, et incomprehensibilis cogitatu, cujus oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam, ut reddas unicuique secundum vias suas, et secundum fructum adinventionum manuum ejus* (*Jer.* XXXII, 19, 20).

(451) Viarum Dei nomine actiones ejus intelliguntur, sicut ipsius voce ad beatum Job dicitur : *Ipse est principium viarum Dei* (*Job* XL, 14). Quid enim vias Domini nisi actiones ejus accipimus? de quibus ipse Dominus iterum per prophetam dicit : *Non enim sunt viæ meæ sicut viæ vestræ* (*Isa.* LV, 8). Et principium viarum Dei diabolus dicitur, quia nimirum cum cuncta creans ageret hunc primum condidit, quem reliquis angelis eminentiorem fecit, ideirco ergo ad tam multa fortiter, sufficit, quia in natura rerum hunc creando per substantiam Conditor primum fecit.

(452) Viarum Dei nomine vivendi ordines intelliguntur sicut in libro beati Job, de perversis et superbis per Eliam dicitur : *Qui quasi de industria recesserunt a Deo, et omnes vias ejus intelligere noluerunt* (*Job* XXXIV, 27). Sciendum quippe est quod peccatum tribus modis admittitur. Nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur. Et gravius quidem infirmitate quam ignorantia sed multo gravius studio quam infirmitate peccatur. Ignorantia Paulus peccaverat, cum dicebatur : *Qui prius fui blasphemus, et persecutor et contumeliosus : sed minam consecutus sum, quia ignorans feci incredulitate* (*I Tim.* I, 13). Petrus vero infirmitate peccavit, quando in eo omne robur fidei, quam Domino perhibuit, una vox puellæ concussit, et Deum quem corde tenuit, voce denegavit. Sed quia infirmitatis culpa vel ignorantiæ eo facilius tegitur, quo non studio perpetratur, Paulus quæ ignoravit, sciendo correxit, et Petrus montem et quasi arescentem jam radicem fidei lacrymis rigando solidavit.

Ex industria vero peccaverunt hi de quibus ipse per se magister dicebat : *Si non venissem, et locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non* **359** *habent de peccato suo* (*Joan.* XV). Et paulo post : *Et viderunt et oderunt me et Patrem meum* (*ibid.*). Aliud est enim bona non facere, aliud bonorum odisse doctorem, sicut aliud est præcipitatione, aliud deliberatione peccare. Sæpe enim præcipitatione committitur quod tamen consilio et deliberatione damnatur. Ex infirmitate enim plurimum solet accidere amare bonum, sed implere non posse. Ex studio vero peccare est bonum nec facere nec amare. Sicut non unquam gravius est peccatum diligere quam perpetrare; ita nequius est odisse justitiam quam non fecisse. Sunt ergo nonnulli in Ecclesia, qui non solum bona non faciunt, sed etiam persequuntur, et quæ ipsi facere negligunt, etiam in aliis detestantur. Horum peccatum non ex infirmitate, vel ignorantia, sed solo studio perpetratur, quia videlicet, si vellent implere bona, nec tamen possent, ea quæ in se negligunt, saltem in aliis amarent. Si enim ea ipsi vel solo voto appeterent, facta ab aliis non odissent. Sed quia bona eadem audiendo cognoscunt, vivendo despiciunt, animadvertendo persequuntur, recte dicitur : *Qui ex industria a Deo recesserunt.* Unde apte subjungitur : *Et omnes vias ejus intelligere noluerunt.* Non enim ait infirmitate non intelligunt, sed *intelligere noluerunt* : qui sæpe quæ facere despiciunt, etiam scire contemnunt. Etenim scriptum est : *Servus sciens voluntatem domini, et faciens digna plagis vapulabit paucis. Et servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens juxta eam, plagis vapulabit multis* (*Luc.* XII, 48); impunitatem peccandi æstimat remedium nesciendi. Qui nimirum sola superbiæ caligine tenebrescunt, atque ideo non discernunt, quia aliud est nescisse, aliud scire noluisse. Nescire enim ignorantia est, scire noluisse superbia. Et tanto magis excusationem habere non possunt, quia nesciunt, quanto magis eis etiam nolentibus opponitur quod cognoscant.

360 CAPUT XIII.

DE SEMITA.

In Scriptura sacra cum semita singulari numero ponitur, aliquando intentio Dominicæ incarnationis, aliquando operatio, aliquando angustia vitæ regularis intelligitur; dum vero pluraliter semitæ dicuntur, aliquando arctiora Domini præcepta, aliquando subtiles sanctorum doctorum prædicationes, aliquando cogitationes designantur.

Semitæ nomine humilitas seu intentio Dominicæ incarnationis intelligitur, sicut per beatum Job de perfido Judæorum populo dicitur : *Semitam ignoravit avis* (*Job* XXVIII). Vide cap. I, lib. 2, distinct. I.

(453) Semitæ nomine operatio intelligitur, sicut voce Dominica de Antichristo ad beatum Job dicitur : *Post eum lucebit semita.* Post Antichristus quippe semita. Lucere dicitur, quia quaqua trans-

(451) Lib. XXXII, in Job, c. XVIII, 24.
(452) Ex lib. XXV in Job, cap. XI, 16.
(453) Ex lib. XXXIV in Job, c. XV, 41.

Digitized by Google

sit, admirationem nimiam ex miraculorum suorum claritate dereliquit, et sive per se, seu per ministros suos quolibet prodeat, mendacibus signis coruscat. Unde in Evangelio Veritas dicit : *Surgent pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* (*Matth.* XXIV, 24). Semita igitur post Antichristum lucet, quia quorum corda penetrat eorum opera prodigiis illustrat ut nimirum tanto altius eorum merces in erroris tenebris teneat, quanto per eos foris quasi potentius lucem de miraculis ostentat.

361 Semitæ nomine angustia vitæ regularis intelligitur, sicut per Jacob in filiorum suorum benedictione dicitur : *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita* (*Gen.* XLIX). Vide cap. 2, lib. II, distinct. 3.

Semitarum nomine arctiora præcepta Domini intelliguntur sicut per Psalmistam Domino dicitur : *Vias tuas, Domine, demonstra mihi et semitas tuas edoce me* (*Psal.* XXIV, 4). Per vias enim communia quam et leviora præcepta quibus ad Dominum itur, designantur. Per semitas vero quæ strictiores sunt quæ viæ et rectius ducunt arctiora et graviora Dei præcepta exprimuntur et bene dicitur : Viæ demonstrentur, et semitæ edoceantur quæ in cognoscendis communibus præceptis quæ ampla sunt, ut viæ non est multum laborandum, sed in cognoscendis et tenendis strictioribus mandatis quæ stricta sunt et occulta sicut semitæ maxima est adhibenda diligentia doctrinæ.

(454) Semitarum nomine subtiles sanctorum doctorum prædicationes intelliguntur, sicut voce Dominica ad beatum Job dicitur : *Nunquid nosti semitas nubium magnas, et perfectas scientias?* (*Job* XXXVII, 16.) Nubes quippe sunt sancti prædicatores. Habent istæ nubes semitas subtilissimas, scilicet sanctæ prædicationis vias. *Angusta quippe porta est, quæ ducit ad vitam* (*Matth.* VII, 14). Eos ergo sancti prædicatores per semitas astringunt qui ab intentionis eorum tramite per lata mundi desideria vagando non exeunt. Arcta etenim bene vivendi censura non est ampla via, sed semita in qua prædicator quisque studiose constringitur : quæ sub præceptoris custodia sollicite coangustatur. An non quasi quædam angustia est itineris in hoc mundo vivere, sed de hujus mundi concupiscentia nihil habere, aliena non appetere, propria non tenere, laudes mundi despicere, despicientes honorare, adulantes despicere, despectum sequi, et pro Deo opprobria amare et gloriam fugere, mala nocentium ex corde dimittere et erga eos dilectionis gratiam immobilem in corde retinere? Quæ videlicet omnia semitæ sunt, sed magnæ **362** quæ quanto in præsenti vita pro ipsa vivendi custodia angustæ sunt, tanto amplius in æterna retributione dilatantur. Unde et bene subditur perfecta scientia : perfecta quippe scientia est cuncta hæc sollicite agere, et de suis meritis scire nihil esse. Unde et ipsæ nubes de hac perfecta scientia docentur, cum eis voce Veritatis dicitur : *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Inutiles servi sumus* (*Luc* XVII, 10). Perfecta scientia est scire omnia, et tamen juxta quemdam modum scientiæ se esse nescire; quia etsi jam Dei præcepta novimus, etsi jam virtutem verborum illius sollicita consideratione ponderamus, etsi jam quæ intellexisse nos credimus, agimus adhuc tamen acta eadem, quæ districtione examinis sint discutienda, nescimus. Necdum Dei faciem cernimus, necdum occulta ejus consilia videmus.

Semitarum nomine cogitationes designantur, sicut per beatum Job Domino dicitur : *Posuisti in nervo pedem meum et observasti omnes semitas meas* (*Job* XIII, 29). Vide cap. 42, lib. V

(455) Gressuum nomine operationes, vel cogitationum motus designantur, sicut per Eliu de Domino dicitur : *Oculi ejus super vias hominum, et omnes gressus eorum considerat* (*Job* XXXIV, 21). Sæpe evenit, ut dum peccatores superna clementia exspectat, in majorem cæcitatem cordis prosiliant, unde scriptum est : *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit; tu autem secundum duritiam tuam et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei* (*Rom.* II, 5). Et ecce dum violentus quisque quod valuerit rapit, dum invalidos opprimit et dum diu omne quod nequiter concupiscit exercet, quia non subito percutitur, sed ejus in finem pœna differtur, nequissima ejus actio a Deo videri non creditur. Sed non ita esse testatur nunc Eliu qui dicit : *Oculi ejus super vias hominum et omnes gressus eorum considerat.* Tunc nequaquam considerare credebat quando pravus quilibet omne malum quod poterat inulte perpetrabat, æstimabatur Deus justa acta non cernere, quia differebat juste damnare **363** et magna ejus patientia quasi quædam negligentia putabatur. Iniquus quoque ipse toties se in peccatis suis non videri adeo credidit, quoties inulte peccavit, cui per quemdam sapientem dicitur : *Ne dicas, peccavi, et quid accidit mihi triste?* (*Eccle.* V, 3.) Emendare non vult nequitiam, pro qua dignam non pertulit pœnam. Qui quo pie exspectatus est, eo est ad peccandum nequiter instigatus, et patientiam supernæ longanimitatis despiciens, unde corrigere culpam suam debuit inde cumulavit, sicut per eumdem Job dicitur : *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ; et ille abutitur eo in superbiam* (*Job* XXIV, 23). Sæpe etiam quia pœnam, quam meretur, repente non suscipit, hoc Deo non æstimat displicere quod facit. Dat itaque nunc ut ad quamlibet blasphemiam præsumendo prorumpat, voluptatum suarum nequitias impleat, aliena rapiat, innocentem oppressione satietur, et quia necdum percutitur, vias suas a Domino aut non videri æstimet, aut (quod pejus est) approbari. Veniet profecto, veniet æterna et repentina percussio, et tunc

454) Ex l. XXVII in Job c. XXII.

(455) Ex l. XXVIII in Job c. III.

Digitized by Google

cognoscet a Deo cuncta conspici, quando se improviso exitu viderit pro cunctorum retributione damnari. Tunc in pœna sua oculos aperiet, quos diu tenuit clausos in culpa. Tunc considerasse omnia verum judicem sentit et quando malorum suorum meritum jam evadere sentiendo non possit. Iniquus igitur qui diu exspectatus est, idcirco est repente sublatus, quia *oculi Domini super vias hominum, et omnes gressus eorum considerat.* Ac si diceret : Quia ea quæ diu patienter conspicit, quandoque inulta non deserit. Nam ecce subito violentum rapit et mala ejus quæ exspectando protulit, animadvertendo resecavit. Nemo igitur dicat humana facta Dominum non cognoscere, cum iniquum quempiam iniquitates suas libere prospicit cumulare. Subito enim tollitur, qui diu toleratur. Gressus vero hominum vocat vel singulas operationes quibus innitimur, vel alternantes motus intimæ cogitationis, quibus quasi passibus vel longe à Domino recedimus, vel pie Domino propinquamus. Ad Deum enim quasi tot gressibus mens accedit, quot bonis motibus proficit, et rursum, tot gressibus longe fit quot malis cogitationibus decrescit.

364 CAPUT XV.

DE INVIO.

(456) Invia dicitur gentilitas, sicut voce Dominica ad beatum Job dicitur : *Quis dedit vehementissimo imbri cursum, ut impleret inviam et desolatam, et produceret herbas virentes?* (*Job* xxxviii, 27.) Invia namque dudum gentilitas fuit ad quam via Dei verbo non patuit. Redemptore quippe nostro veniente, sic accepit vocationem gratiæ ut non in ea prius fuerit via prophetiæ. Qui desolata etiam recte vocata est vel ratione, videlicet consilium, vel operis fructu destituta. *Dedit* ergo Dominus *vehementissimo imbri cursum, ut impleret inviam et desolatam et produceret herbas virentes*, id est, exteriori prædicationi internam aspirationem contulit, ut corda gentilium inania implerentur, infecunda germinarent.

(457) Potest etiam quælibet fidelium mens invia dici, quæ et verba vitæ audiat, ea tamen transire usque ad interna cordis minime permittat. Prava enim desideria in corde tali sedem inveniunt, recta vero si quando invenerint, ac impellantur, decurrunt. Sed cum misericors Deus imbri suo cursum dare dignatur, compuncti per internam gratiam verbis vitæ aures cordis aperiunt; et impletur terra invia, quæ dum præbet aditum verbo, cumulatur mysterio. Et producit herbas virentes : quia per gratiam compunctionis infusa prædicationis verba non solum libenter recipit ; sed etiam ubertim fundit, ut quod audire non poterat, jam loqui concupiscat, et quæ nos audiendo etiam intrinsecus aruerat, jam loquendo quæ sancta sunt, viriditate sua quoslibet esurientes pascat.

(456) Ex l. xxix in Job c. xiv.
(457) Ex fine c. 2, l. super.
(458) Ex hom. 7 in Evang.

365 CAPUT XVI.

DE DESERTO.

In Scriptura sacra cum desertum singulariter ponitur, aliquando Judæa, gentilitas, aliquando cœlum, aliquando cor infidelium, vel multitudo immundorum spirituum designatur; cum vero deserta dicuntur, hæreticorum dogmata designantur.

(458) Deserti nomine Judæa intelligitur, sicut per Joannem Baptistam dicitur : *Ego vox clamantis in deserto* (*Luc.* iii, 4). Scimus quia unigenitus Dei Filius Verbum Patris vocatur, Joanne evangelista attestante, qui ait : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* i, 1). Et ex ipsa nostra locutione cognoscimus quia vox prius sonat verbum postmodum possit audiri. Joannes ergo vocem esse se asserit, quia verbum præcedit. Adventum itaque Dominicum percurrens vox dicitur, quia per ejus ministerium Patris Verbum ab hominibus auditur. Qui etiam in deserto clamat, quia derelictæ ac destitutæ Judææ solatium Redemptoris annuntiat.

Deserti nomine gentilitas designatur, sicut voce Dominica ad beatum Job dicitur : *Quis dedit vehementissimo imbri cursum, et viam sonanti tonitrui ut plueret super terram absque homine in deserto* (*Job* xxxviii, 25). Vide cap. 1 hujus lib., dist. 4.

(459) Deserti nomine cœlum intelligitur, sicut evangelica voce Veritatis dicitur : *Quis ex vobis homo qui habeat centum oves, et si perdiderit unam ex illis, nonne* **366** *dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam quæ perierat* (*Luc.* xv, 4). Ecce mira pietatis dispensatione similitudinem Veritas dedit quam et in se ipse homo recognosceret, tamen hæc specialiter ad ipsum auctorem hominum pertineret. Quia enim centenarius perfectus est numerus, ipse centum oves habuit, cum sanctorum angelorum substantiam et hominum possedit. Sed ovis una tunc periit, quando peccando homo pascua vitæ reliquit. Dimisit autem nonaginta novem oves in deserto, quia illos summos angelorum choros reliquit in cœlo. Cur autem cœlum desertum vocatur, nisi quod desertum dicitur derelictum. Tunc enim cœlum homo deseruit, cum peccavit. In deserto autem nonaginta novem oves remanserant; quando in terra Dominus unam quærebat quia rationalia creaturæ numerus angelorum videlicet et hominum, quæ ad videndum Dominum, condita fuerat, pereunte homine erat imminutus. Et ut perfecta summa ovium redintegraretur in cœlo, homo perditus quærebatur in terra. Nam quod hic evangelista dicit in deserto, alius dicit in montibus (*Matth.* xviii, 12), ut significet in excelsis, quia nimirum oves, quæ non pericrant, in sublimibus stabant.

(460) Deserti nomine vel cor fidelium, vel multitudo immundorum spirituum designatur, sicut ad beatum Job de filiorum suorum ac filiarum morte per nuntium dicitur : *Filiis tuis, et filiabus vescen-*

(459) Ex hom. 34 in Evang
(460) Ex l. ii in Job c. xx.

Digitized by Google

tibus et bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti : repente ventus vehemens irruit a regione deserti, et concussit quatuor angulos domus quæ corruens oppressit liberos tuos : et mortui sunt (*Job* I, 18, 19), et effugi ego solus ut nuntiarem tibi. Per Job quippe Redemptorem nostrum, per filios et filias ejus prædicatores apostolos ac plebes subditas sentimus. Qui in domo fratris sui primogeniti convivare referuntur : quia in habitatione adhuc Judaici populi sacræ prædicationis deliciis vescebantur. Religio deserti est cor infidelium, quod dum Creator deserit, nullus inhabitator colit. Ventus autem vehemens, quid aliud quam tentatio fortis accipitur? Ventus ergo vehemens a regione irruit : quia in **367** passione Redemptoris nostri contra fideles ejus fortis tentatio a cordibus Judæorum venit.

(461) Deserti nomine potest derelicta immundorum spirituum multitudo convenienter intelligi a qua ventus venit, et domum concutit, quia ab eis tentatio prodiit, et persecutorum corda commovit. Sed hæc domus in qua convivabantur filii in quatuor angulis stabat. Tres enim regentium ordines in Synagoga cognovimus, sacerdotum scilicet, scribarum atque seniorum populi. Quibus si Pharisæos jungimus, quatuor in hac domo angulos invenimus. A regione igitur deserti ventus venit et quatuor domus angulos concutit : quia ab immundis spiritibus tentatio irruit, et mentes quatuor ordinum in malitiam persecutionis excitavit. Quæ domus corruens oppressit liberos : quia dum Judæa in crudelitatem Dominicæ persecutionis cadit, apostolorum fidem desperationis formidine obruit.

Desertorum nomine hæreticorum dogmata, vel vitæ temporalis commoda intelliguntur : sicut per beatum Job de ipsorum hæreticorum sequacibus quibuslibet, mundi amatoribus, dicitur : *In desertis habitant torrentium* (*Job* XXX, 6). Vide lib. VII, cap. 8, dist. 6.

CAPUT XVII.

DE SOLITUDINE.

In Scriptura sacra solitudinis nomine, aliquando secreta quies mentis, aliquando gentilitas, aliquando separatio ab Ecclesia designatur.

(462) Solitudinis nomine secreta quies mentis intelligitur, sicut ad beatum Job voce Dominica de solitario viro, sub onagri figura dicitur : *Cui dedi in solitudine domum, et tabernacula* **368** *in terra salsuginis* (*Job* XXXIX, 6). Hoc loco solitudinem debemus intelligere corporis, aut solitudinem cordis? Sed quid prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis? Qui enim corpore remotus vivit, sed tumultibus conversationis humanæ terrenorum desideriorum cogitationi se inserit, non est in solitudine. Si vero prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, et tamen nullos curarum sæcularium tumultus in corde patiatur, non est in urbe. Itaque bene conversantibus primum solitudo mentis tribuitur ut exsurgentem intrinsecus strepitum terrenorum desideriorum premant, ut ebullientes ab infimis curas cordis per superni gratiam restringant amoris omnesque motus importune se offerentium levium cogitationum, quasi quasdam circumvolantes muscas ab oculis mentis abigant manu gravitatis, et quoddam sibi cum Domino intra se secretum quærant, ubi cum illo exteriore cessante strepitu per interna desideria silenter loquatur. De hoc secreto cordis alias dicitur : *Factum est silentium in cœlo quasi dimidia hora* (*Apoc.* VIII, 1). Quære in capite De cœlo.

(463) Sciendum vero nobis est, quia nequaquam culmen contemplationis attingimus, si non ab exterioris curæ oppressione cessemus. Nequaquam nosmetipsos intuemur, ut sciamus aliud in nobis rationale esse, quod regit ; aliud animale quod regitur, nisi ad secretum hujus silentii recurrentes omni exterius perturbatione sopiamur. Quod silentium nostrum bene etiam Adam dormiens figuravit, de cujus latere mox mulier processit : Quia quisquis ad interiora intelligenda rapitur a rebus visibilibus oculos claudit, et tunc in se ipso vel quæ præesse viriliter debeant, vel quæ subesse possunt infirma distinguit, ut aliud in illo sit quod regere valeat tanquam vir, aliud tanquam femina quod regatur. In hoc itaque silentio cordis dum per contemplationem interius vigilamus, exterius quasi obdormiscimus. Quia ergo remoti viri, id est a desideriis carnalibus alieni, hoc silentium mentis inhabitant, huic onagro Dominus in solitudine domum dedit, ut turba desideriorum temporalium non prematur. De hac iterum solitudine per beatum Job dicitur : *Qui ædificant sibi solitudines* (*Job* III, 14). **368** *bis* (464) Solitudines quippe ædificare, est a secreto cordis terrenorum desideriorum tumultus expellere : et una intentione æternæ patriæ in amore intimæ quietis anhelare. Annon cunctos a se cogitationum tumultus expulerat qui dicebat : *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ* (*Psal.* XXVI, 4). Frequentia quippe terrenorum desideriorum fugerat et ad magnam videlicet solitudinem semetipsum contulerat, ubi et tutius nihil extraneum conspiceret, quo incompetens nihil amaret. Hinc iterum dicit : *Elongavi fugiens, et mansi in solitudine* (*Psal.* LIV, 8). Fugiens quippe elongat qui a turba desideriorum temporalium in altam Dei contemplationem se sublevat. Manet in solitudine, qui perseverat in remota mentis intentione.

(465) Solitudinis nomine gentilitas designatur. Unde et hoc quod in persona solitarii supra posuimus, videlicet, cui dedi in solitudine domum, et tabernacula ejus in terra salsuginis etiam in persona nostri Redemptoris potest intelligi. In gentilitate enim in qua patriarcha non fuit, propheta non fuit, quia ad intelligendum Deum, qui ratione uteretur

(461) Ex iisdem lib. et cap.
(462) Ex l. XXX in Job c. XII, XXIII, XXIV
(463) Lib. I, c. 3, dist. 2.
(464) Ex l. IV in Job c. XXVIII.
(465) Ex l. XXX in Job, c. XV, 30.

Digitized by Google

non fuit, homo pene non fuit. De hac solitudine per Isaiam dicitur : *Lætabitur deserta et invia exsultabit solitudo, et florebit quasi lilium* (*Isa.* xxxv, 1). Et rursum de Ecclesia dicitur : *Ponet desertum ejus quasi delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Domini* (*Isa.* li, 3). Terra vero salsuginis hæc eadem solitudo repetita est, quæ priusquam veram Dei sapientiam cognosceret, salsuginem protulerat : quia nullam viriditatem boni intellectus proferens perversa sapiebat. Domum ergo in solitudine, tabernaculum in terra salsuginis accepit Dominus : quia incarnatus pro hominibus derelicta gentilitatis corda possedit. Unde ei Patris voce per Psalmistam dicitur : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* ii, 8). Qui juxta hoc quod Deus est, cum Patre dat omnia : juxta vero hoc quod homo est, a Patre accipit omnia, sicut scriptum est : *Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est* (*Joan.* v, 27). Et rursum scriptum est : *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus* (*Joan.* xiii, 3), **369** vel sicut ipse dicit : *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet* (*Joan.* vi).

(466) Solitudinis nomine separatio ab Ecclesia intelligitur, sicut per beatum Job de hæreticis dicitur : *Qui rodebant in solitudine, squalentes calamitate et miseria* (*Job* xxx, 3). Rodi quippe solet quod comedi non potest. Hæretici autem, quia Scripturam sacram intelligere sua virtute moliuntur, eam procul dubio apprehendere nequaquam possunt. Quam dum non intelligunt, quasi non edunt. Et quia superna gratia non adjuti hanc edere nequeunt, quasi quibusdam illam nisibus rodunt. Exterius quippe illam contrectant cum quiddam conantur, sed non ad ejus interiora perveniunt. Qui quia ab universalis Ecclesiæ societate disjuncti sunt, non quolibet rodere, sed in solitudine memorantur. Ad quam nimirum solitudinem, quia prædicatores falsi sequentes suos traherent, longe ante Veritas præmonuit dicens : *Si dixerint vobis, ecce in deserto est, nolite exire* (*Matth.* xxiv, 26). Qui recte perhibentur calamitate et miseria squalidi, quia et morum sunt pernicie et sensuum pravitate despecti.

CAPUT XVIII.

DE AGGERE.

(467) Aggeris nomine moles tentationum designantur, sicut ad Ezechielem dicitur : *Fili hominis, sume tibi laterem, et pones eum coram te, et describes in eo civitatem Jerusalem, et ordinabis adversus eam obsidionem et ædificabis munitiones, et comportabis aggerem et dabis contra eum castra, et pones arietes in gyro* (*Ezech.* iv, 1, 2). Ubi nobis prius inquirendum est, cum Ezechiel propheta quoties sublimia conspicit, vel quoties agere aliqua mystica jubetur, prius filius hominis appellatur. Sæpe enim sublevatur ad cœlestia, et occultis ac invisibilibus rebus ejus mens pascitur. Necesse est ergo ut inter occulta quæ penetrat, filius hominis vocetur ut semper agnoscat quod est, et nunquam extollatur de his ad quæ ducitur. Quid est enim prophetæ ad spiritualia sublevato semper *fili hominis* **369** *bis* dicere, nisi eum infirmitatis propriæ memorem facere? Ut conscius conditionis infirmæ elevari in cognitione non debeat de magnitudine contemplationis suæ. Quia ergo idem propheta typum prædicantium vel doctorum tenet, recte ei nunc dicitur : *Sume tibi laterem, et pone eum coram te.* Omnis enim doctor cum terrenum quempiam auditorem ad cœlestis verbi doctrinam suscipit, laterem assumit. Cui dum loqui cœperit quæ sit retributio cœlestis patriæ, quæ visio pacis supernæ, civitatem Jerusalem describit in latere. Quem coram se ponit cum intenta mente qualitatem audientis considerat, id est profectum, vel defectum conspicit, et juxta ejusdem intelligentiam, prædicationis suæ verba moderatur ut describi in audientis mente civitas Jerusalem, id est *visio pacis* possit. Dicatur ergo : *Sume tibi laterem*, id est proximi cor tenerum, *pones eum coram te*, scilicet ut vitam atque intellectum illius intenta mente custodias, *et describes in eo civitatem Jerusalem*, ut ei quæ sint superna gaudia de visione supernæ pacis innotescas. Quasi enim jam Jerusalem descripta est in latere, cum terrena mens cœperit quæ sint illa internæ pacis gaudia vera cognoscere, et ad conspiciendam gloriam patriæ cœlestis anhelare. Quasi internæ pacis visio describitur, quando mens quæ terrena prius sapuerat per amorem, jam ad contemplandam gloriam regni cœlestis elevatur. Sed mox ut animus amare cœlestia cœperit, mox ut ad visionem pacis intimæ tota se intentione collegerit, antiquus ille adversarius, qui de cœlo lapsus est, invidet, et insidiari amplius incipit, et acriores, quam consueverat tentationes admovet, ita ut plerumque sic resistentem animam tentet, sicut ante nunquam tentaverat, quando possidebat. Unde scriptum est : *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* ii, 1). Unde et dæmoniacus qui a Domino sanatur ab exeunte dæmone discerpitur, sicut scriptum est : *Et clamans, et multum discerpens eum exiit ab eo* (*Marc.* v, 5). Quid est enim quod obsessum hominem antiquus hostis quem possessum non discerpserat, deserens discerpsit, nisi quod plerumque, dum de corde expellitur, acriores in **370** eo tentationes generat quam prius excitaverat quando hoc quietus possidebat. Unde Israelitæ quoque ad Moysen et Aaron dicunt : *Videatur Dominus, et judicet quia fetere fecistis odorem nostrum coram Pharaone et servis ejus, et præbuistis ei gladium ut occideret nos* (*Exod.* v, 21). In Moysen enim et Aaron lex et prophetæ figurati sunt. Et sæpe apud se animus infirmus quasi contra sacra eloquia murmurat, quia postquam verba cœlestia audire, et sequi cœ-

(466) Ex l. xx in Job c. xi.

(467) Ex hom. 12 in Ezech.

Digitized by Google

perit, regis Ægyptii adversitas, id est maligni spiritus tentatio excrescit. Debet ergo vigilanter doctor proficienti animæ quæ illam sequatur tentationes innotescere, ut cautam se valeat contra maligni spiritus insidias præparare. Unde bene nunc post descriptam civitatem Jerusalem in latere dicitur : *Et ordinabis adversus eam obsidionem, et ædificabis munitiones et comportabis aggerem.* In qua enim jam visio pacis describitur, ei necesse est ut tentationum bella nantientur. Nam ut valeat ad illa pacis gaudia æterna pertingere, hanc hic procul dubio oportet tribulationum tentamenta multa sustinere. De qua bene dicitur : *Ordinabis adversus eam obsidionem.* Prædicatores quippe contra erudiendam animam obsidionem ordinant, cum præmovendo indicant quibus se modis vitia virtutibus opponant, quomodo luxuria castitatem feriat, qualiter ira tranquillitatem animi perturbet, quantum inepta lætitia vigorem mentis resolvat, qualiter multiloquium munitionem cordis destruat, quomodo invidia charitatem interficiat, quemadmodum superbia arcem humilitatis effodiat, qualiter fallacia cum veritatem in sermone corruperit, hanc etiam in cogitatione corrumpat, ut qui verum dicere noluit quod intellexit, jam nec intelligat quod dicere valeat. Ordinatur ergo a prædicatore obsidio, cum per sanctæ admonitionis verba singulis quibus virtutibus, quæ vel quibus modis vitia insidientur ostenditur.

Adhuc quoque subditur : *Et comportabis aggerem.* Quo enim mens desiderare cœlestia cœperit, eo in illam maligni spiritus tentationibus suis terrenas amplius cogitationes exaggerant. Propheta autem aggerem comportat, cum prædicator sanctus bonis mentibus qualiter **371** terrena desideria subripere solent, denuntiat : *Et dabis contra eam castra, et pones arietes in gyro.* Quasi dat prædicator contra animam castra quando malignorum spirituum contra eam collectas atque adunatas insidias indicat, ut aliquando non solummodo ex uno, sed ex conjunctis vitiis tentent. Nam sunt quædam vitia quasi per quamdam sibi cognationem propinqua, sicut dissolutio spiritus, appetitus gulæ et immunditia luxuriæ ; sicut multiloquium, fallacia et perjurium. Ex dissolutione quippe spiritus meus ad ingluviem ventris rapitur, et dum cibis venter extenditur, ad luxuriam caro trahitur superbiendo captiva. Et rursum ex multiloquio fallacia generatur, quia valde difficile est ut qui multa loquitur, non etiam mentiatur. Et sæpe mendacium perjurio tegitur, ut ante humana judicia veletur. Superbia quoque esse sine invidia et inani gloria non esse potest. Superbus etenim quisque honorem quem ipse ambit, aliis invidet, et cum hunc fortasse obtinuerit, in elationem temporalis gloriæ attollitur, atque quod alios conspicit minime percipere potuisse, hoc se per inanem gloriam gaudet præ cæteris habere. Sciendum quoque quia nonnulla vitia ad mentem non simul veniunt, sed supponuntur, ut unum alteri in tentatione succedat. Et aliud contra faciem venit, aliud vero in tentatione se ex latere subjicit : quatenus, dum alteri resistitur, ab altero mens decepta capiatur. Ipsa enim quæ superius diximus vitia plerumque se alia pro aliis furtive supponunt, sicut nonnunquam, dum iram vincere in nobismetipsis conamur, plusquam necesse est lenitas mentem occupat ut asperitatem peccantibus quam oportet minime proponat. Sæpe vero dum nobis inesse incauta lenitas displicet, zelus se in fervorem trahit, atque extra patientiæ limitem animum captivum rapit. Quia ergo permista vitia atque adunata contra mentem veniunt, recte in prædicatoris ore contra descriptam Jerusalem castra proponuntur ; quia aliquando singula hinc inde sensum feriunt, in gyro arietes ordinantur. Ponit ergo prædicator arietes in gyro dum caute denuntiat quam blande luxuria percutit, quam aspere impatientia occidit, **372** quam laboriose avaritia accendit, interimit, quam tumide superbia exstinguit. In gyro arietes ponere est prædicando ostendere qui undique soleant animam mucrones vitiorum ferire.

CAPUT XIX.

DE FOVEA.

In Scriptura sacra foveæ nomine aliquando terrenarum rerum abjectio, vel barathrum inferni, aliquando latebra defensionis intelliguntur.

(468) Foveæ nomine vel terrenarum rerum abjectio vel barathrum inferni designatur, sicut voce Dominica ad beatum Job de superbis dicitur : *Absconde eos pulvere simul et facies eorum demerge in foveam* (*Job* XL, 8). Hunc pravarum cogitationum pulverem oppressa mens tolerat quem ventus nequissimæ tentationis apportat. Hinc est enim quod de unaquaque anima terrenis desideriis aggravata sub Ephraim specie per prophetam dicitur : *Cur factus est Ephraim subcinericius panis qui non reversatur?* (*Ose.* VII, 8.) Apte autem subjungitur : *Simul et facies eorum demerge in foveam.* Ac si dicat : ut ego. Justo namque judicio superborum facies Dominus in foveam mergit, quia intentionem cordis eorum se ultra homines erigentem inferius dejicit. Ima enim respicit, cujus facies foveam attendit, et bene de superbis dicitur quod eorum facies in foveam demerguntur, quia ima petunt, dum superbiendo altiora appetunt, et quo magis extollendo se erigunt, eo magis ruendo inferius tendunt. Terrenam quippe gloriam quærunt, et infima sunt quæ prospiciunt, dum superbiendo alta sectantur. Recte ergo eorum facies in foveam mergi perhibentur, quia sequentes infima, ad inferni barathrum tendunt. **373** Justo enim judicio agitur, ut quos hic voluntaria aversio excæcat, illic ab intuitu veri luminis digna supplicii fovea abscondat.

(469) Foveæ nomine latebræ defensionis desi-

(468) Ex l. XXXII in Job c. VII remotius a fine.

(469) Ex l. XXXIII in Job XIX, 32.

Digitized by Google

guantur, sicut, per Prophetam contra Judæam dicitur : *Ibi cubavit lamia, et invenit sibi requiem, ibi habuit foveam ericius* (*Isa.* XXXIV, 11).

CAPUT XX.

DE FOSSA.

(470) Fossæ nomine humilitas designatur, sicut ad Isaiam voce Dominica dicitur : *Ingredere in petram, abscondere in fossa humo, a facie timoris Domini, et gloria majestatis ejus* (*Isa.* II, 20). Petram quippe ingredimur cum in cordis nostri duritiam penetramus, atque a facie timoris Domini fossa humo abscondimur, si terrenas cogitationes egerentes ab ira districti judicis in humilitate nostræ mentis celamur. Quo enim plus terra fodiendo projicitur, eo pavimentum semper inferius demonstratur : unde et nos si a nobis studiosius terrenas cogitationes ejicimus, quo apud nosmetipsos abscondamur, humilius invenimus. Ecce enim quia divini judicii dies imminet, quasi ipsa jam timoris ejus facies apparet tantoque magis necesse est ut unusquisque illum terribilius timeat, quanto jam gloria majestatis ejus appropinquat. Quid ergo agendum est, quove fugiendum ? Quomodo enim quis latere potest eum, qui ubique est ? Sed ecce peccatum ingredi, fossa humo occultari præcipimur, ut videlicet cordis nostri duritiam disrumpentes, eo iram invisibilem declinemus, quo ab amore rerum visibilium apud nosmetipsos in corde subtrahimur : ut cum pravæ cogitationis terra ejicitur, mens apud semetipsam tanto tutius quanto et humilius abscondatur.

(471) Fossæ nomine patientia designatur. Unde apud Ezechielem esse in altari fossa dicitur : *Ut in ea superposita* **374** *holocausta serventur* (*Ezech.* XLIII, 27). Si enim in altari fossa non esset, omne quod in eo sacrificium reperiret, superveniens aura dispergeret. Quid vero accipimus altare Dei, nisi animam justi ? Quæ quot bona egerit, tot super se ante Dei oculos sacrificia imponit. Quid autem est altaris fossa, nisi bonorum patientia ? Quæ dum mentem ad adversa toleranda humiliat, quasi more foveæ, hanc in imo positam demonstrat. Fossa ergo in altari fiat, ne superpositum sacrificium aura dispergat, id est electorum mens patientiam custodiat, ne commota vento impatientiæ etiam hoc quod bene operata est, amittat. Bene autem unius cubiti hæc eadem fossa esse memoratur, quia nimirum, si patientia non deseritur, unitatis mensura servatur. Unde et Paulus ait : *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Gal.* VI, 2). Lex quippe Christi est unitatis charitas quam scli perficiunt, qui nec cum gravantur excedunt.

CAPUT XXI.

DE CAVERNA.

Cavernæ nomine cor pravum intelligitur, sicut per prophetam de Redemptore nostro dicitur : *Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, et in caverna reguli qui ablactatus fuerit manum suam mittet.* Vide cap. 29, lib. III, dist. 1.

CAPUT XXII.

DE ANTRO.

In Scriptura sacra antri nomine, aliquando cogitatio, vel cor bonorum designatur.

(472) Antri nomine cor pravum intelligitur : sicut per Eliu de diabolo dicitur : *Ingreditur bestia* **375** *latibulum suum, et in antro suo morabitur* (*Job.* XXXVII, 8). Quis alius nomine bestiæ nisi diabolus accipitur ? Quia omnium reproborum corda nunc priusquam apertus appareat, possidet, eaque per occultam malitiam quasi proprium antrum tenet atque ad omne quod nocere bonis appetit, in eorum obscuris mentibus abscondit. An Judæorum persequentium corda antrum hujus bestiæ non fuerunt in quorum diu consiliis latuit ; sed repente vocibus erupit clamantium : *Crucifige, crucifige* (*Luc.* XXIII, 21). Et quia ad lacerationem mentis pertingere non potuit tentando, in Redemptoris nostri mortem carnis anhelavit.

(473) Antrorum vel specuum nomine cogitationes seu corda bonorum intelliguntur, sicut voce Dominica ad Job de apostolis dicitur : *Nunquid capies leænæ prædam, aut animam catulorum ejus implebis quando cubant in antris, et in specubus insidiantur ?* (*Job* XXXVIII, 39.)

CAPUT XXIII.

DE LUTO.

In Scriptura sacra luti nomine aliquando Judæa, aliquando infirmitas conditionis nostræ, aliquando terrenarum rerum multiplicitas, aliquando doctrina sordidum sapiens, aliquando desiderii carnalis illecebra, aliquando mens Spiritus sancti gratia perfusa designatur.

(474) Luti nomine Judæa intelligitur, sicut voce Dominica de ipsa ad Job dicitur : *Restituetur ut lutum signaculum, et stabit sicut vestimentum* (*Job.* XXXVIII, 14). Quid enim aliud Dominus plebem Israeliticam reperit, **376** nisi lutum, quantum obsequiis gentium deditam in Ægypto servientem lateribus invenit. Quam dum tot miraculis ad terram repromissionis duxit, dum perductam cognitionis suæ scientia replevit, dum tot arcana secretorum per prophetam contulit, quid eam aliud quam servandi mysterii signaculum fecit : ipsa quoque in divina prophetia clausum continuit quidquid severitas in fine revelavit. Sed dum post tot divina secreta, post tot percepta miracula in Redemptoris sui adventu plus terram quam veritatem dilexit, per sacerdotes dicens : *Si dimittamus eum sic, omnes credent in eum : et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem* (*Joan.* XI, 48). Quasi ad eos quos in Egypto reliquerat, lateres rediit, et quæ facta jam Dei signaculum fuerat, ad hoc se iterum quod deseruerat inflexit, lutumque se post

(470) Ex l. XXXI in Job cap. XIII, 22.
(471) Ex III part. Pastor., admonit. 10.
(472) Ex l. XVII in Job c. XVII 3.
(473) Ex l. XXX in Job c. XI.
(474) Ex l. XXIX in Job cap. III.

Digitized by Google

signaculum in oculis Veritatis exhibuit, cum per impietatis malitiam accepti verbi mysteria perdidit, et sola terrena sapere quæ inquinant elegit. Ubi apte subjungitur : *Et stabit sicut vestimentum.* Impolita namque et grossiora vestimenta etiam cum induta fuerint, quia induentis membris bene applicata non hærent, stare referuntur. Judæa ergo circa veritatis notitiam cum servire videtur, sicut vestimentum sterit, quia per exteriora mandata servire se Deo ostendit, sed adhærere ei per charitatis intelligentiam noluit; et dum solam in præceptis Dei litteram tenuit, et nequaquam se per spiritum sensibus intimis junxit, quasi ei qui se induerat, non adhæsit.

(475) Luti nomine infirmitas conditionis nostræ designatur. Unde et hoc, quod jam exposuimus, aliter intelligi potest. Hominem quippe Dominus, quia ad similitudinem suam condidit, quasi quoddam potentiæ suæ fecit signaculum.

Quod tamen ut lutum restituetur, quia licet æterna supplicia, per conversionem fugiat, in ultionem tamen perpetratæ superbiæ carnis morte damnatur. Ex luto quippe homo conditus, et mentis accepta ratione, similitudine divinæ imaginis decoratus, elatione cordis intumescens, quam de infimis formatus esset, oblitus est. Unde mira Conditoris justitia actum **377** est, ut quia per consensum intumuit quem rationalem accepit, rursus terra per mortem fieret quam esse se considerare humiliter noluit : et quia peccando Dei similitudinem perdidit, moriendo vero ad limi sui materiam rediit, recte nunc dicitur : *Restituetur ut lutum signaculum.* Et quia de corpore, cum spiritus vocatur, quodam quasi luto suæ carnis exuitur, apte de eodem subjungitur : *Et stabit sicut vestimentum.* Lutum namque nostrum sicut vestimentum stare, est usque ad resurrectionis tempus inane exutumque perdurare. Hanc conditionis nostræ infirmitarem beatus Job pietati judicis objiciens supplicat; cum dicit : *Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me* (*Job.* x, 9) (476). Angelorum quippe spiritus idcirco irremissibiliter peccaverunt, quia tanto robustius stare poterant quanto eos carnis admistio non tenebat. Homo vero post culpam veniam meruit, quia per corpus carnale, aliquid quo semetipso minor esset accepit. Unde et apud respectum judicis argumentum pietatis est hæc eadem infirmitas carnis, sicut per Psalmistam dicitur : *Ipse autem est misericors et propitius fiet peccatis eorum, et multiplicavit, ut averteret iram suam et non accendit omnem iram suam et recordatus est quia caro sunt* (*Psal.* LXXVII, 39). Ut lutum ergo factus est homo, quia de limo est ad conditionem assumptus. Lutum quippe fit, cum se aqua terræ conspergit. Sicut lutum itaque conditus est homo, quia quasi aqua infundit pulverem, cum anima rigat carnem. Quod sanctus vir bene pietati Judicis objicit, cum postulans dicit : *Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me.* Ac si aperte dicat : Infirmitatem carnis considera, et reatum iniquitatis laxa. Ubi apte quoque mors ejusdem carnis adingitur [*f.* attingitur], cum protinus subinfertur : *Et in pulverem deduces me.* Ac si patenter postulet, dicens : Memento, quæso, quod per carnem a terra venio, et per ejus interitum ad terram tendo. Materiam itaque originis et pœnam finis aspice, et culpam citius transeuntis dele.

(477) Luti nomine terrenarum rerum multiplicitas designatur, sicut per Habacuc prophetam dicitur : *Væ ei qui multiplicat non sua ! usquequo aggravat contra se* **378** *densum lutum ?* (*Habac.* II, 6.) Denso enim luto se aggravat, qui per avaritiam terrena multiplicans, peccati sui oppressione se coangustat.

(478) Luti nomine doctrina sordidum sapiens signatur, sicut per eumdem prophetam Domino dicitur : *Viam fecisti in mari equis tuis in luto aquarum multarum* (*Habac.* III, 15). Ac si diceret : Aperuisti iter prædicatoribus tuis inter doctrinas hujus sæculi sordida et terrena sapientes.

(479) Luti quoque nomine desiderii carnalis illecebra designatur, sicut Psalmista deprecans ait : *Eripe me de luto, ut non infigar.* (*Psal.* LXVIII, 15). Luto quippe inhærere est sordidis desideriis concupiscentiæ carnalis inquinari

(480) Luti nomine potest etiam significari mens superfusa spiritus divini gratia, quia quod de exteriori homine explicatum est, hic de interiori valet intelligi : *Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me* (*Job* x, 9). Sicut lutum quippe homo noster interior existit, quia sancti Spiritus gratia terrenæ menti infunditur, ut ad intellectum Conditoris sui erigatur. Humana namque cogitatio, quæ peccati sui sterilitate aruit, per vim Spiritus sancti, quasi irrigata terra, viridescit, sed sæpe dum perceptis doni superni virtutibus sine corruptione utimur, ad privatam fiduciam usu continuæ prosperitatis elevamur. Unde fit plurimum ut idem, qui sublevaverat, parumper spiritus deserat, quatenus ipsum sibi hominem ostendat : quod sanctus vir exprimit cum subjungit : *Et in pulverem reduces me.* Quia enim per substractionem spiritus, mens aliquantulum in tentatione deseritur, quasi ab humore pristino terra siccatur, ut infirmitatem suam derelictus sentiat, et sine infusione supernæ gratiæ, quantum homo aruit, agnoscat. Qui apte quoque ad pulverem reduci dicitur, quia dimissus sibi cujuslibet tentationis aura rapitur.

379 CAPUT XXXIV.

DE STERCORE.

In Scriptura sacra stercoris nomine aliquando res transitoria designatur, aliquando fetor luxuriæ, aliquando peccatum quodlibet.

Stercoris nomine rem transitoriam designat Sa

(475) Ex l. XXIX in Job c. VI, in fine, 5.
(476) Ex l. XLIX in Job c. XXVIII, 36.
(477) Ex l. XXXIV in Job. c. XIII, 9.
(478) Ex eod. lib. et cap.
(479) Ex eod. lib. et cap.
(480) Ex l. IX in Job cap. XXIX, 37.

Digitized by Google

lomon dicens : *De stercore boum lapidabitur piger* (*Eccli.* XXII, 2). Vide lib. I, c. 3, dist. 8.

Stercoris nomine fetor luxuriæ intelligitur apud Joelem. Vide l. III, c. 1, dist. 3.

(481) Peccatum quodlibet per stercus significat evangelista ubi cultor vineæ domino suo, qui arborem fici plantatam in vinea habebat, et fructum in ea non inveniens, dixit ei ut succideret illam, respondisse dicitur : *Domine, dimitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam et mittam in cophinum stercoris* (*Luc.* XIII, 8). Arbor namque anima uniuscujusque intelligitur. Unusquisque autem juxta modum suum in quantum locum vitæ præsentis tenet, si fructum bonæ operationis non exhibet, velut infructuosa arbor terram occupat, quia in eo loco in quo ipse est, et aliis operandi occasionem negat. Terram quippe occupat, qui mentes alienas gravat : terram occupat qui, locum quem tenet, in bonis operibus non exercet. Sed tamen nostrum est pro talibus deprecari. Unde et cultor vineæ dicit : *Domine, dimitte illam et hoc anno et fodiam circa illam.* Quid est enim circa ficulneam fodere, nisi infructuosam mentem increpare ? Omnis quippe fossa in imo est, et nimirum increpatio, dum mentem sibi demonstrat, humiliat. Quoties ergo de peccato suo aliquando corripimus, quasi ex culturæ debito circa infructuosam arborem **380** fodimus. Post fossionem vero quid dicat, audiamus : *Et mittam cophinum stercoris.* Quid est enim cophinus stercoris, nisi memoria peccatorum ? Peccata etenim carnis stercora vocantur. Nos itaque quoties carnalem mentem de suis peccatis increpamus, quoties ad ejus memoriam vitia ante acta reducimus, quasi infructuosæ arbori cophinum stercoris versamus ut malorum quæ egit recolat, et ad compunctionis gratiam quasi de stercore pinguescat. Ex fetore igitur ad fructum reviviscit arbor, quia de consideratione peccati ad bona se opera resuscitat animus.

INCIPIT LIBER SEPTIMUS.

381 CAPUT PRIMUM.

DE AQUA.

In Scriptura sacra aquarum nomine aliquando sancti Spiritus infusio designatur, aliquando sancta scientia, aliquando prava scientia, aliquando tribulationes, aliquando populi, aliquando bonorum mentes fidei prædicamenta sequentium, aliquando sanctissimi angelorum chori, aliquando cruciatus infernalis inopiæ, aliquando dudum mollia corda Judæorum, aliquando sacræ Scripturæ historia, aliquando scientia, aliquando fluxa locutio, aliquando lubrica pravorum corda, aliquando infidelitas vel frigora torpentium actionum, aliquando mœroris undæ, aliquando lamenta humilitatis vel compunctio cœlestis.

(482) Aquæ nomine sancti Spiritus infusio designatur sicut in Evangelio dicitur : *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent sicut aquæ vivæ* (*Joan.* VII, 38). Ubi autem evangelista secutus adjunxit : *Hæc autem dixit de Spiritu sancto quoniam acepturi erant credentes in eum* (*ibid.*, 39). Rursus per aquam sancta scientia designatur, **382** sicut dicitur : *Aqua sapientiæ salutaris potabit eos* (*Eccli.* XV, 3). Per aquam quoque prava scientia appellari solet, sicut apud Salomonem mulier, quæ typum hæreseos tenet, callidis suasionibus blanditur, dicens : *Aquæ furtivæ dulciores sunt* (*Prov.* IX, 17).

(483) Aquarum nomine nonnunquam solent tribulationes intelligi, sicut per Psalmistam dicitur : *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam* (*Psal.* LXVIII, 2).

(484) Aquarum nomine populi designantur, sicut per Joannem : *Aquæ vero sunt populi* (*Apoc.* XVII, 15). Idcirco autem aquis populi designantur, quia et invita sonum habet ex tumultu carnis et quotidie defluit ex decursu mortalitatis.

(485) Aquarum nomine non solum fluxus currentium populorum, sed etiam bonorum mentes fidei prædicamenta sequentium designantur, sicut propheta ait : *Beati qui seminatis super omnes aquas* (*Isa.* XXXII, 20). Et per Psalmistam dicitur : *Vox Domini super aquas* (*Psal.* XXVIII, 35). Et Job dicit de sanctis : *Aquas appendit in mensura* (*Job* XXVIII, 25) (486). Quia videlicet sancti ipsi qui, suo levante spiritu, ad summa rapiuntur quandiu in hac vita sunt, ne aliqua elatione superbiant, quibusdam tentationibus reprimuntur : ut nequaquam tantum proficere valeant, quantum volunt : sed ne extollantur superbia, fit in eis ipsarum quædam mensura virtutum (487). Ad ima quippe trahit caro, ne extollat spiritus : et ad summa trahit spiritus, ne prosternat caro. Spiritus levat, ne jaceamus in infimis : caro aggravat, ne extollamur ex summis. Si, non levante spiritu, nos caro tentaret, perfectione proculdubio tentationis suæ in ima dejiceret.

Aquarum nomine sanctissimi designantur angelorum chori, sicut per Psalmistam dicitur : *Extendens cœlum sicut pellem, qui tegis aquis superiora ejus* (*Psal.* CIII, 2). Vide lib. I, cap. 3, dist. 5

(488) Aquæ nomine cruciatus infernalis inopiæ

(481) Ex hom. 31 in Evang.
(482) Ex l. XIX in Job c. 4.
(483) Ex eodem c. II, et t. su.
(484) Ibidem.
(485) Ex fine, c. IV, lib. super.
(486) Ex c. V, lib. sup. in Job.
(487) Hæc sunt in medio c.
(488) Ex lib. XVIII in Job c. 12,

Digitized by Google

exprimitur, sicut in Job de damnatione iniqui divitis **383** dicitur : *Apprehendet eum quasi aqua inopia* (*Job* xxvii, 20). Non immerito enim aquæ illa tunc inopia comparatur, quia in inferno cruciat, qui susceptos in profundis absorbens solet lacus nomine designari. Unde per prophetam quoque humani generis voce dicitur : *Lapsa est in lacum vita mea* (*Thren.* iii, 53). Ereptorum vero exsultatione cantatur : *Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me. Abstraxisti ab inferis animam meam, salvasti me a descendentibus in lacum* (*Psal.* xxix, 3,4).

(489) Aquarum nomine dudum mollia corda Judæorum designantur, sicut per Job scriptum est : *In similitudinem lapidis aquæ durantur* (*Job* xxxviii, 30). In lapide enim gentilium duritia designatur. Ipsi quippe lapides coluerunt, et de eis per Prophetam dictum est : *Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis* (*Psal.* cxiii, 8). Unde Joannes Judæos aspiciens se de stemmate generationis extollere, et gentiles prævidens ad Abrahæ prolem fidei cognitionem transire ait : *Ne velitis dicere inter vos : Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ* (*Matth.* iii, 9). Lapides itaque, duros perfidia gentiles vocans, per aquas vero mollia prius signantur corda Judæorum. Quia ergo primum Judæa Deo credidit, gentilitate omni in perfidiæ suæ obstinatione remanente : postmodum vero ad fidem gentilium corda mollita sunt, et Judæorum infidelitas obdurata, bene dictum est : *In similitudinem lapidis aquæ durantur.* Ac si diceret : Illa mollia et penetrabilia fide corda Judæorum, in insensibilitatem vertuntur gentium. Cum enim misericors Deus gentes traxit, iratus Judæam repulit. Actumque est ut sicut dudum ad percipiendam fidem gentilitas fuerat obdurata, ita postmodum ad fidem gentilitate suscepta Judææ populus perfidiæ torpore duresceret.

(490) Aquæ nomine sacræ Scripturæ historia designatur. Unde in Evangelio scriptum est, quod jussit Dominus impleri hydrias aqua, quam protinus vertit in vinum (*Joan.* ii, 7). Quid enim per hydrias nisi corda nostra : Quid per aquam nisi sacræ lectionis historia designantur? **384** Qui autem mutare aquam in vinum potuit, etiam vacuas hydrias valuit vino statim replere. Sed implere aqua hydrias jubet, quia prius per sacræ lectionis historiam corda nostra replenda sunt. Et aqua nobis in vinum vertitur, quando ipsa historia per allegoriæ mysterium in spiritalem nobis intelligentiam commutatur.

(491) Aquæ nomine scientia intelligitur, sicut Salomon, ait : *Aqua profunda, verba ex ore viri, et torrens redundans fons sapientiæ* (*Prov.* xviii, 4). Aqua signari scientiam David propheta testatur dicens : *Tenebrosa aqua in nubibus aeris* (*Psal.* xvii, 12); id est, occulta scientia in prophetis. Aqua signari scientiam Job noverat, qui de Domino dicebat : *Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum* (*Job* xxvi, 8). Quid enim hoc loco aquam nisi scientiam appellat? nubium vero nomine quid aliud quam prædicatores sancti, id est apostoli, designat, qui per mundi partes circumquaque transmissi, et verbis noverant pluere, et miraculis coruscare? (492) Aqua autem ligatur in nubibus, quia prædicatorum scientia infirmorum mentibus loquens, quantum sentire valet, docere prohibetur. Nam si scientiam, ut hauriebant corde, ita ore funderent, immensitate ejus auditores suos opprimerent potius quam rigarent. Unde religata intrinsecus scientia, ut non pariter deorsum erumperet, auditores suos distillatione verborum nutriens, nubes illa loquebatur dicens : *Non potui loqui vobis quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus tanquam parvulis lac potum dedi vobis, non escam.* (*I Cor.* iii, 2). Quis enim ferre potuisset, si raptus ad tertium cœlum, raptus in paradisum arcana verba audiens quæ loqui hominibus non liceret, tam immensos scientiæ sinus aperiret? Aut cujus non virtutem auditoris opprimeret, si ea quæ intrinsecus haurire poterat, in quantum lingua carnis sufficeret, extrinsecus inundans aquæ hujus immensitas emanasset? Sed ut auditores rudes, non inundatione scientiæ, sed moderata prædicationis distillatione foveantur, ligat Deus aquas in nubibus, ut non erumpant pariter deorsum; quia doctorum prædicationem temperat, ut auditorum infirmitas doctorum rore nutrita convalescat.

385 (493) Aquæ nomine fluxa locutio designatur, sicut per Salomonem dicitur : *Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum* (*Prov.* xvii, 14). Aquam quippe dimittere, est linguam in fluxum eloquii relaxare. Quo contra et in bonam partem Salomon asserit dicens : *Aqua profunda ex ore viri* (*Prov.* xviii, 4). Qui ergo emittit aquam, caput est jurgiorum, quia qui linguam non refrenat, concordiam dissipat. Quibusdam enim ruinæ suæ gradibus mens desidiosa in foveæ lapsus impellitur. Nam dum otiosa cavere verba negligimus, ad noxia pervenimus, ut prius loqui aliena libeat, et postmodum detractionibus eorum vitam, de quibus loquitur, lingua mordeat, quandoque autem usque ad apertas contumelias erumpat. Hinc irarum seminantur stimuli, oriuntur rixæ, accenduntur faces odiorum, pax tota exstinguitur cordium. Unde e diverso scriptum est : *Qui imponit stulto silentium, iram mitigat* (*Prov.* xxvi, 10).

(494) Aquarum nomine lubrica pravorum desideria designantur, sicut per Psalmistam dicitur : *Statuit aquas quasi in utre* (*Psal.* lxxvii, 13). Aquæ

(489) Ex l. xxix in Job cap. xv, longiuscule a principio.
(490) Ex hom. 6 in viii Ezech.
(491) Ex l. xviii in Job c. 14.
(492) Hæc sunt in medio cap.
(493) Ex li. vii in Job c. xviii.
(494) Ex lib. viii in Job c. xi, ad finem, 16.

Digitized by Google

quippe in utre sunt, cum carnalium mentium tumida insanaque desideria ad peragenda mala quæ appetunt, impossibilitatis suæ angustia gravantur. Sæpe enim melioribus mali dominari concupiscunt, sed tamen eis divino judicio cuncta mirabiliter disponente subtracta sunt. Nocere bonis elati tamen desiderant, et subjecti ab eis solatia sperant. Aquæ ergo in utre sunt, cum lubrica pravorum desideria, quia operis effectum non inveniunt sub carnali deprimuntur.

(495) Aquarum nomine vel infidelitas, vel frigora torpentium actionum designantur, sicut in beato Job, de perverso quolibet scriptum est: *Ad nimium calorem transeat, ab aquis nivium* (*Job* XXIV, 19). Idcirco iniquitas frigori comparatur, quia peccantis mentem torpore constringit. Unde scriptum est: *Sicut frigidam facit cisterna aquam, sic frigidam facit animam malitia sua* (*Jer.* VI, 7). Quo contra charitas calor est, quia videlicet mente accendit quam replet. De quo calore scriptum est: **386** *Abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum* (*Matth.* XXIV, 12). Bene ergo de perverso quolibet, prophetantis duntaxat sententia non optantis dicitur: *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium.* Ac si aperte diceretur: Qui humiliter sub disciplinæ vinculis non restringitur, ab infidelitate sua, vel a perversi operis frigore per immoderatam sapientiam in errorem labitur. Unde bene quoque egregius prædicator discipulorum suorum cordibus hunc exquisitæ sapientiæ nimium calorem devitans ait: *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (*Rom.* XII, 3). Ne fortasse nimius calor interimeret quos prius aquæ nivium, id est infidelitas, vel torpentium actionum frigora morituros tenebant.

(496) Aquarum nomine mœroris undæ designantur, sicut per beatum Job dicitur: *Et quasi inundantes aquæ, sic rugitus meus* (*Job* III, 24). Aquæ cum inundant, cum impetu veniunt, et crescentibus multipliciter voluminibus intumescunt. Electi ergo dum mentis suæ oculis divina judicia opponunt, dum de occulta super se sententia trepidant, dum se ad Deum pervenire posse confidunt, sed tamen ne non perveniant metuunt; dum præteritorum suorum recolunt quæ deflent; dum quæ sibi adhuc futura sunt, quia nesciunt pertimescunt: quasi quædam in eis aquarum more volumina colliguntur quæ in mœroris rugitus, quasi in subjecta littora defluunt. Vir igitur sanctus vidit quanta sint in lamentis pœnitentiæ volumina cogitationum; atque ipsas mœroris undas inundantes aquas vocavit dicens: *Et quasi inundantes aquæ, sic rugitus mei.*

(497) Aquarum nomine lamenta humilitatis, vel compunctio cœlestis designatur, sicut per beatum Job dicitur: *Si lotus fuero quasi aquis nivis, et fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me, et abominabuntur me vestimenta mea* (*Job* IX, 30). Aquæ etenim nivis, sunt lamenta humilitatis. Quæ profecto humilitas, qui ante districti judicis oculos cæteris virtutibus præeminet, quasi per magni meriti colorem candet. Sunt namque nonnulli qui lamenta habent, sed humilitatem non habent, quia afflicti plangunt; sed tamen **387** in fletibus ipsis vel contra proximorum vitam superbiunt, vel contra ordinationem Conditoris eriguntur. Illi nimirum aquas habent, sed nivis aquas non habent et mundi esse nequeunt: quia humilitatis fletibus minime lavantur. Aquis autem nivis se laveverat, qui confidenter dicebat: *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies* (*Psal.* L, 19). Qui enim lamentis affliguntur, sed murmurando rebelles sunt, mentem quidem conterunt, sed humiliari contemnunt. Quamvis aquæ nivis et aliter intelligi possint. Aqua enim fontis et fluminis ex terra oritur, aqua vero nivis ex aere proruit. Et sunt nonnulli qui per orationum lamenta se cruciant, sed tamen totis lamentorum laboribus ad sola terrena desideria exsudant; compunguntur in precibus, sed felicitatis transitoriæ gaudia exquirunt.

Hos itaque nivis aqua non abluit, quia eorum desiderium ab imis venit. Quasi enim ex terræ aqua perfusi sunt, qui pro terrenis bonis in precibus compunguntur. Qui vero idcirco plorant, quia præmia æterna desiderant, aqua nivis hos diluit: quia cœlestis compunctio infundit. Nam cum perennem patriam per lamenta appetunt, ejusque accensi desideriis plangunt, a summis accipiunt unde mundentur. Per manus autem quid aliud quam opera designantur? Notandum vero quod vir sanctus non ait: *Fulserint* mundissimæ *manus meæ*, sed *velut mundissimæ manus meæ*, quia quousque pœna corruptionis astringimur, quamlibet rectis operibus insudemus, veram munditiam nequaquam apprehendimus, sed imitamur. Unde et apte subjungitur: *Tamen sordibus intinges me.* Deus nos intinguere sordibus dicitur, intinctos sordibus demonstrare, quia quanto ad illum verius per bona opera surgimus, tanto subtilius vitæ nostræ sordes agnoscimus, quibus ab ejus munditia discordamus. Ait ergo: *Si lotus fuero, quasi aquis nivis*, etc. Ac si apertius dicat: Quamvis lamentis supernæ compunctionis infundar, quamvis per studia rectæ operationis exercear, in tua tamen munditia video, quia mundus non sum.

388 CAPUT II.

DE ABYSSO.

In Scriptura sacra abyssi nomine aliquando infernus, aliquando mens desperata, aliquando incomprehensibilitas divinorum judiciorum, aliquando profunditas astutiæ diaboli, aliquando corda pravorum, aliquando rationis humanæ judicium designatur.

(498) Abyssi nomine infernus designatur, sicut Dominus Job interrogans dicit: *Nunquid ingressus es in profundum maris et in novissimis abyssi deambulasti?* (*Job* XXXVIII, 16.) Si mare more divini eloquii sæculum debet intelligi, nihil prohibet pro-

(495) Ex l. XVI in Job c. XVII, 30.
(496) Ex l. V in Job c. VII.
(497) Ex l. IX in Job c. XIX.
(498) Ex l. XXIX in Job c. VII.

Digitized by Google

fundi maris, inferni claustra sentiri. Quod profundum maris Dominus petiit, cum inferni novissima, electorum suorum animas erepturus, intravit. Unde et per prophetam dicitur : *Posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati* (*Isa.* LI, 10). Hoc namque profundum maris ante Redemptoris adventum non via, sed carcer fuit, quia in se etiam bonorum animas, quamvis non in locis pœnalibus, clausit. Quia tamen profundum Dominus viam posuit, quia illuc veniens electos suos a claustris inferni ad cœlestia transire concessit. Unde et aperte illic subditur : *Ut transirent liberati.* Quod vero profundum maris dixerat, hoc verbis aliis replicans, abyssi novissimum vocat. Quia sicut aquarum abyssus nulla nostra visione comprehenditur, ita occulta inferni nullo a nobis cogitationis sensu penetrantur. Qui enim hinc subtrahitur cernimus, sed quæ illos juxta meritum retributio suppliciorum maneat, non videmus. Dicit ergo : *Nunquid ingressus es profundum maris*, etc. Ac **389** si dicat, ut ego qui non solum mare, id est sæculum per assumptam humanitatem, carnem et animam petii, sed etiam per eam sponte in morte positus usque ad ultima inferni descendi. Vigilanti vero cura pensandum est quod in novissimis abyssi deambulasse se perhibet. Deambulare quippe non constricti, sed liberi est. Quem enim vincula astringunt, ejus nihilominus gressus impediunt. Quia igitur Dominus nulla peccati vincula pertulit in inferno, deambulavit. Liber quippe ad ligatos venit. Unde scriptum est : *Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber* (*Psal.* LXXXVII, 6). In novissimis ergo abyssi Domino deambulare, est in loco damnationis nil suæ retentionis invenire, attestante Petro qui ait : *Solutis doloribus inferni juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo* (*Act.* II, 24).

(499) Potest quoque per abyssum mens desperata intelligi, ut patet ex Job : *Nunquid ingressus es profundum maris* (*Job* XXXVIII, 16). Mare quippe mens est humana cujus profunda Deus ingreditur, quando per cognitionem suam ad lamenta pœnitentiæ ab intimis cogitationibus perturbatur, quando prioris vitæ nequitias ad memoriam reducit, et fluctuantem in confessione sua animum concutit. Profundum maris Deus penetrat, quando etiam desperata corda permutat. Ipse enim mare intrat, quando cor sæculare humiliat; profundum maris ingreditur, quando visitare mentes etiam sceleribus pressas non dedignatur. Unde et recte percunctando subjungitur : *Et in novissimis abyssi deambulasti.* Quid enim est abyssus nisi mens scelerata, quæ dum semetipsam comprehendere non valet, sese in omne quod est, velut obscura abyssus latet? In novissimis ergo abyssi Deo deambulare, est etiam nequissimorum hominum corda convertere, et desperatas mentes visionis suæ vestigiis tangendo mirabiliter reforma-

(499) Ex ejusdem l. c. VIII, 7.
(500) Ex l. XXXIV in Job c. XVI.
(501) Ex l. XXIX in Job c. XV.

re. Cum enim post immensa scelera unusquisque compungitur, quid aliud quam in novissimis abyssi Deus deambulans videtur?

(500) Abyssi nomine incomprehensibilitas divinorum judiciorum exprimitur, sicut Dominus diabolo **390** loquens testatur dicens : *Æstimabit abyssum quasi senescentem* (*Job* XLI, 33). Quod æterna, et incomprehensibilia Dei judicia abyssi soleant nomine designari Psalmista testatur, dicens : *Judicia tua abyssus multa* (*Psal.* XXXV, 7). Senectus vero aliquando pro finis propinquitate ponitur. Unde ait Apostolus : *Quod antiquatur et senescit, prope interitum est* (*Hebr.* VIII, 13). Diabolus itaque æstimat abyssum quasi senescentem, quia reproborum corda sic infatuat ut suspicionem eis de venturo judicio quod quasi finiatur infundat. Abyssum namque senescere æstimat, qui terminari quandoque in suppliciis supernam animum adversionem [animadversionem] putat. Igitur antiquus persuasor in membris suis, id est, iniquorum, futuras pœnas quasi certo fine determinat, ut eorum culpas sine termino correctionis extendat, et eo magis hic peccata non finiant, quo illic æstiment peccatorum supplicia finienda.

(501) Abyssi nomine profunditas astutiæ diaboli designatur, sicut de eo ad beatum Job a Domino dicitur : *Et superficies abyssi constringitur* (*Job* XXXVIII, 30). Quid enim in abysso nisi incomprehensibilem antiqui hostis astutiam intelligere debemus? Superficies autem abyssi constringitur, quia fraudulentæ ejus insidiæ a seductis hominibus deprehendi non possunt. Aliud quippe intrinsecus latet, atque aliud extrinsecus ostendit; transfigurat enim se in angelum lucis, et callida deceptionis arte plurimum proponit laudabilia, ut ad illicita pertrahat. Abyssi ergo superficies constringitur, quia dum quasi bona persuasionis ejus species velut solida desuper glacies ostenditur, in profundum latens ejus malitia non videtur.

(502) Abyssi nomine corda pravorum designantur, sicut per beatum Job de sapientia dicitur : *Abyssus dicit : Non est in me* (*Job* XXVIII, 14). Quid enim hoc loco abyssum nisi corda pravorum hominum vocat, quæ et per lapsum fluida et per duplicitatis sunt caliginem tenebrosa? Qui nimirum abyssus non esse in se sapientiam hanc profitetur, quia iniqua mens dum esse sapiens carnaliter appetit, stultam se ad spiritalia ostendit. Nam **391** quia, testante Paulo, *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum* (*I Cor.* III, 19). Tanto quisquis amplius intus stultus fit, quanto conatur exterius sapiens videri.

(503) Abyssi nomine rationis humanæ judicium designatur, Psalmista dicente : *Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum* (*Psal.* XLI, 8). Abysso namque abyssum invocare, est de judicio ad judicium pervenire. Creator quippe omnipotens a cunctis insensibilibus irrationabilibusque distin-

(502) Ex l. XVIII in Job c. XXV.
(503) Ex l. XXVII in Job c. XVI.

Digitized by Google

etiam rationalem creaturam hominem condidit, quatenus quod egerit, ignorare non possit. Naturæ enim lege scire compellitur, seu pravum seu rectum sit, quod operatur. Nam ad judicium pro actione cur venit, si non potuit scire quod egit? Et ipsi ergo qui præceptis Dominicis erudiri contemnunt, utrum bona an mala sint, quæ faciunt, sciunt. Nam si bona se facere nesciunt, cur de aliquibus factis in ostentatione gloriantur? Rursus si mala se agere ignorant, cur in eisdem factis alienos oculos declinant? Ipsi enim sibi testes sunt quia sciunt malum esse quod agunt, quod videri ab aliis verentur. Si enim veraciter malum esse non crederent, nequaquam hoc ab aliis videri formidarent, unde bene et per quemdam Sapientem dicitur : *Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis. Et dum de facto suo conscientiam pulsans timor redarguit, ipsa sibi testimonium perhibet damnabile esse quod agit* (*Sap.* XVII, 10, 11). Quis contra per Joannem dicitur : *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus apud Dominum* (*I Joan.* III, 21). Fugiant ergo iniqui humanos oculos, semetipsos certe fugere non possunt. Etenim malum quod faciunt noverunt, habent testem conscientiam, habent judicem rationem suam. In peccato igitur quod committunt, prius contra se judicium suæ rationis inveniunt; et post ad districtionem etiam Judicis perducuntur. Bene ergo dicitur : *Abyssus abyssum invocat*, quia dum mira ordine dispositionis occultæ malum non permittitur nescire quod agitur et suo se jam judicio peccator in conscientia condemnat : et post condemnationem propriam ad æterni Judicis sententiam properat. Abysso itaque abyssum invocare est de judicio ad judicium pervenire.

392 CAPUT III.

DE MARI.

In Scriptura sacra maris nomine, aliquando præsens sæculum, aliquando gentilitas, aliquando sæcularium hominum amara inquietudo, aliquando divinum eloquium, aliquando cor nostrum intelligitur.

(504) Maris nomine præsens sæculum designatur, sicut scriptum est : *Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet* (*Job* XXXVI, 30). Nubes extendit Dominus, cum ministris suis viam prædicationis aperiens eos in mundi latitudinem circumquaque diffundit. Tentorium ab itinere poni solet. Et cum prædicatores sancti in mundo mittuntur, iter Deo faciunt. Unde per Psalmistam dicitur : *Iter facite ei qui ascendit super occasum* (*Psal.* LXVII, 5). In hoc autem itinere tentorium Dei sunt, hæc eadem corda sanctorum, quibus quasi in via quiescendo tegitur, dum per hæc ad mentes hominum veniens agit quæ disposuit, et non videtur. Et recte nubes istæ, id est prædicatores tentorium Dei dicuntur, quia ad nos Deus per gratiam veniens intra prædicatorum suorum mentes operitur. Sed eisdem sanctis prædicatoribus nequaquam ad persuadendum verba sufficiunt, nisi etiam miracula addantur. Unde cum dictum sit : *Si voluerit extendere nubes*, etc., recte subjungitur, *et fulgurare lumine suo.* Quid enim sentire fulgura nisi miracula debemus? de quibus per Psalmistam dicitur : *Fulgura multiplicabis, et conturbabis eos* (*Psal.* XVII, 15). Per has autem nubes lumine suo Dominus desuper fulgurat, quia per prædicatores sanctos insensibilitatis nostræ tenebras et miraculis illustrat. Cum ergo nubes istæ verbis pluunt, **393** cumque miraculis vim coruscæ lucis aperiunt, extremos etiam mundi terminos in divino amore convertunt : unde recte subditur : *Cardines quoque maris operiet* (505). Quid enim aliud maris nomine quam præsens sæculum designatur, in quo corda hominum terrena quærentium diversis cogitationum fluctibus intumescunt : qui elatione superbiæ incitati, dum alterna intentione se impetunt : quasi adversante se unda collidunt? (506) Et quid aliud cardines maris quam extremos mundi fines accipimus? Dicatur ergo : *Si voluerit extendere nubes*, etc. Ac si diceret : Si sanctos suos in ministerio prædicationis extendit, eorumque verba miraculis adjuvat, totius mundi limites ad fidem vocat. Quod faciendum quidem Eliu vocibus audivimus : sed auctore Deo jam factum cernimus. Omnipotens enim Deus coruscantibus nubibus cardines maris operuit, quia emicantibus prædicatorum miraculis ad fidem etiam terminos mundi perduxit. Ecce pene jam cunctarum gentium corda penetravit. Ecce in una fide Orientis limites Occidentisque conjunxit.

(507) Maris nomine gentilitas designatur, sicut in psalmo scriptum est : *Transferentur montes in cor maris* (*Psal.* XLV, 3.) Quid enim aliud per montes nisi sanctos apostolos, quid per mare nisi gentilitatem accipimus? Sed quia in ipso initio sanctæ Ecclesiæ nascentis, dum sancti apostoli cœlorum regnum Judææ prædicare voluissent, videntes quod eis nihil proficeret, ad prædicandum gentibus defluxerunt, sicut ipsi in suis Actibus dicunt : *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quia vos repulistis illud; et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes* (*Act.* XIII, 46). Hinc iterum per Isaiam dicitur : *Erubesce Sidon, ait mare;* Sidone quippe figuratur stabilitas in lege positorum, in mari autem vita gentilium. *Erubesce ergo, Sidon, ait mare* (*Isa.* XXIII, 4), quia ex vita gentilium redarguitur vita sub lege positorum sæcularium, confunditur actio religiosorum ; dum illi etiam promittendo non servant quæ in præceptis audiunt, et isti vivendo custodiunt, in quibus nequaquam mandatis legalibus astringuntur.

394 (508) Maris nomine sæcularium hominum

(504) Ex l. XXVII in Job c. VI, 7, 8.
(505) Ex l. XVII in Job c. XVIII.
(506) Ex l. XXVII supra.
(507) Ex l. XVIII in Job c. XIX.
(508) Ex l. XVIII in Job c. XXV.

Digitized by Google

amara inquietudo intelligitur, unde cum beatus Job locum sapientiæ quæreret, et hanc in mentibus huic mundo deditis inveniri non posse conspiceret, ait: *Et mare loquitur: Non est mecum* (*Job* XXVIII, 14). Quid enim maris nomine nisi mentium sæcularium inquietudo signatur? Dum se vicissim inimicitiis impetunt quasi adversantes se undæ collidunt. Recte etenim mare vita sæcularium dicitur, quia dum procellosis actionum motibus concitatur, ab æternæ sapientiæ quiete ac stabilitate disjungitur. Quo contra bene per prophetam dicitur: (509) *Super quem requiescet spiritus meus nisi super humilem, et quietum et trementem sermones meos?* (*Isa.* LXVI, 7.) A terrenis autem mentibus tanto longius fugit spiritus, quanto apud has requiem non invenit. Hinc est quod de quibusdam per Psalmistam dicitur: *Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt* (*Psal.* XIII, 3). A qua nimirum contritione perturbationis nos Dominus revocat dicens: *Venite ad me, omnes qui laboratis, et oneratis estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI, 28). Quid enim in hac vita laborosius quam terrenis desideriis æstuare? Aut quid hic quietius quam hujus sæculi nihil appetere! In his itaque inquietudinum fluctibus habitare sapientiam non posse beatus Job cognoscens ait: *Et mare loquitur: non est mecum.*

(510) Maris nomine divinum eloquium designatur, sicut ab Ezechiele dicitur: *Et aspectus roturum, et opus earum quasi visio maris* (*Ezech.* I, 16). Quid enim rotarum nomine nisi Scripturam sacram accipimus, quæ ex omni parte ad auditorum mentes volvitur, et nullo erroris angulo a prædicationis suæ via retinetur. Ex omni parte volvitur, quia inter adversa et prospera et recte, et humiliter incedit. Circulus quippe præceptorum ejus modo sursum, modo deorsum est, quia quæ perfectioribus ejus spiritaliter dicuntur, infirmis juxta litteram congruunt; et ipsa quæ parvuli juxta litteram intelligunt, docti viri per spiritalem intelligentiam **395** in altum ducunt. Rota ergo quasi per terram trahitur, quia parvulis Scriptura sacra humili sermone concordat, et magnis tamen spiritalia infundens quasi circulum in altum levat, et inde sursum erigitur. Dicat ergo: *Et aspectus rotarum et opus earum quasi visio maris.* Recte etenim sacra eloquia visioni maris similia narrantur: quia in eis magna sunt volumina sententiarum, et cumuli sensuum. (511) Nec immerito mari similis Scriptura sacra dicitur, quia firmantur in ea sententiæ locutionis sacramento baptismatis; vel certe considerandum est, quia navibus in mari navigamus cum ad desideratas terras tendimus. Nobis autem quid est in desiderio nisi illa terra de qua scriptum est: *Portio mea in terra viventium?* (*Psal.* CXLI, 6.) Ligno autem, ut dixi, evehitur qui mare transit, et scimus quia Scriptura sacra lignum crucis per legem nobis prænuntiat, cum dicit: *Maledictus omnis qui pendet in ligno* (*Deut.* XXI, 23). Quod de Redemptore nostro Paulus attestatur dicens: *Factus pro nobis maledictum* (*Gal.* III, 13). Per prophetas quoque lignum adnuntiatur, cum dicitur: (512) *Dominus regnavit a ligno* (*Psal.* XCV, 10). Et rursum: *Mittamus lignum in panem ejus* (*Jer.* XI, 19). Per Evangelium vero lignum crucis aperte ostenditur, ubi ipsa passio Domini quæ prophetata est, declaratur; per Apostolum autem hæc eadem crux etiam in verbis et operibus tenetur, cum Paulus dicit: *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Gal.* VI, 14). Et rursum: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi!* (*Ibid.*) Nobis ergo qui ad æternam patriam tendimus, Scriptura sacra mare est quæ crucem annuntiat, quia nos ad terram viventium ligno portat. Nisi autem mari Scripturam sacram similem cerneret propheta, minime dixisset: *Repleta est terra scientia Domini sicut aquæ maris operientes* (*Isa.* XI, 9).

(513) Maris nomine cor nostrum intelligitur. Unde ad beatum Job Dominus loquitur dicens: *Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat, quasi de vulva procedens.* Quid enim est mare nisi cor nostrum furore turbidum, rixis amarum, elatione superbum, fraude malitiæ obscurum? Quid mare quantum sæviat attendit, quisquis in se occultas cogitationum tentationes intelligit. **396** Ecce enim jam perversa reliquimus, jam desideriis rectis inhæremus, jam prava opera foras abscidimus; sed tamen latenter justus ea cum qua huc venimus, vitæ veteris procella fatigamur. Quam nisi respectu judicii, æterni pavore tormenti, immensi timoris claustra constringerent, cuncta in nobis penitus superædificati operis fundamenta corruissent. Si enim quod per suggestionem sævit intrinsecus, per deliberationem foras erumperet, vitæ nostræ fabrica funditus eversa jacuisset. In iniquitate namque concepti, et in delicto editi per inscitæ corruptionis molestias pugnam cum huc deferimus, quam cum labore vincamus. Unde recte dicitur: *Quando erumpebat quasi de vulva procedens.* Vulva enim pravæ cogitationis adolescentia est. De qua per Moysem Dominus dicit: *Sensus enim et cogitatio humani cordis prona est in malum ab adolescentia sua* (*Gen.* VIII, 21). Corruptionis namque malum quod unusquisque nostrum ab ortu desideriorum carnalium sumpsit in provectu ætatis exercet. Et nisi hoc citius divinæ formidinis manus reprimat, omne conditæ naturæ bonum repente culpa in profundum vorat. Cum ergo Veritas dicat: *Quis conclusit ostiis mare*, etc., nemo sibi cogitationum suarum victoriam tribuat, quia nisi ab ipso cogitationis primordio, cordis fluctus divina gratia retine-

(509) Isa. LXVI, 2 juxta LXX, quamvis paulo aliter et Græci et Latini codices habeant.
(510) Ex initio hom. 6 in Ezech.
(511) Paulo ante med. ho. su.
(512) Sic Tertul. Judæo. et lib. III contra Mar. Just. in Dialog. cum Tryp.
(513) Ex l. XXVIII in Job c. ult. in medio, 18.

Digitized by Google

ret, tentationum procellis mare sæviens terram procul dubio humanæ mentis obruisset, ut falsis fluctibus perfusa aresceret, id est perniciosis carnis voluptatibus delectata deperiret. Beatus ergo Job ne sibi tribuat quod contra procellas cordis fortiter stat, voce divina audit : *Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens ?* Ac si aperte diceretur : Incassum te exterius in bonis operibus pensas, si non me interius qui in te tentationis undas compesco, consideras. Ut enim tu fluctus ferre possis in opere, meæ virtutis est qui fluctus frango tentationis in corde.

397 CAPUT IV.

DE FLUVIO.

In Scriptura sacra fluviorum nomine, aliquando ignis extremi judicii, aliquando decursio humani generis, aliquando falsorum fidelium fluxus, aliquando dicta antiquorum Patrum, aliquando maligni spiritus doctrina, aliquando cursus mutabilitatis, aliquando vita præsens intelligitur.

Fluvii nomine ignis judicii designatur, sicut propheta superni Judicis adventum contemplans testatur, dicens : *Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus* (*Daniel.* VII, 20) : fluvio videlicet igneo et rapido, illum, qui a conspectu tremendi judicis per ultimum examen egrediens, atque electos et reprobos divisurus, ignem designans.

(514) Fluvii nomine decursio humani generis designatur, sicut Dominus de diabolo, sub Behemoth specie loquens ad beatum Job dicit : *Absorbebit fluvium, et non mirabitur ; et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus* (*Job* XL, 18). Quid enim hoc loco per fluvii nomen nisi humani generis decursio designatur ? quæ velut a fontis sui origine nascendo surgit, sed quasi ad ima defluens moriendo pertransit. Qui autem signantur appellatione Jordanis, nisi hi qui jam imbuti sunt sacramento baptismatis ? Quia enim Redemptor noster in hoc flumine baptizari dignatus est, ejus nomine debent baptizati omnes exprimi ; in quo hoc ipsum contigit sacramentum baptismatis inchoari. Quia igitur diabolus a mundi origine exortum (vix paucis electis evadentibus) humanum genus in ima 398 defluens usque ad Redemptoris tempus, quasi quemdam in se fluvium traxit, bene nunc dicitur : *Absorbebit fluvium et non mirabitur.* Quia vero et post Mediatoris adventum quosdam qui recte vivere negligunt, etiam fideles rapit, recte subjungitur : *Et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus.* Ac si aperte diceretur : Ante Redemptorem mundi mundum non miratus absorbuit, sed quod est acrius, post Redemptoris adventum quosdam qui baptismatis sacramento signati sunt, deglutire se posse confidit.

(515) Possunt autem per fluvium designari hi, quos per Jordanem diximus exprimi. Qui enim fidem veritatis agnoverunt, sed vivere fideliter negligunt, recte fluvius dici possunt, quia videlicet deorsum fluunt. Jordanis vero Hebræo vocabulo *descensio eorum* dicitur. Et sunt nonnulli qui vias veritatis appetentes semetipsos abjiciunt, atque a vitæ veteris clatione descendunt. Cumque æterna capiunt, valde se ab hoc mundo alienos reddunt, dum non solum aliena appetunt, sed etiam sua derelinquunt et non solum gloriam in eo non quærunt, sed hanc cum se obtulerit calcant. Hinc est enim quod voce Veritatis dicitur : *Qui vult post me venire abneget semetipsum* (*Luc.* IX, 23). Semetipsum enim abnegat qui calcato typo superbiæ ante Dei oculos esse se a se alienum demonstrat. Sed antiquus hostis pro magno hoc non habet, cum sub jure suæ tyrannidis terrena quærentes tenet. Propheta quippe attestante cognovimus *Quia esca ejus electa* (*Habac.* I, juxta LXX). Neque enim mirum deputat si eos absorbeat, quos superbia erigit, avaritia tabefacit, voluptas dilatat, malitia angustat, ira inflammat, discordia separat, invidia exulcerat, luxuria inquinans necat. Absorbebit ergo fluvium, et non mirabitur, quia pro magno non æstimat cum eos devorat qui per ipsa vitæ studia deorsum currunt. Sed illos magnopere rapere nititur, quos despectis terrenis studiis jungi jam cœlestibus contemplatur. Unde absorpto fluvio, recte subjungitur : *Et habet fiduciam quod influat Jordanis ejus*, quia illos insidiando rapere nititur, quos pro amore supernæ patriæ a præsentis vitæ gloria semetipsos dejicere 399 agnoscit. Nonnulli quippe mundum deserunt, et bonorum transeuntium vana derelinquunt, et ima humilitatis appetentes humanæ conversationis morem bene vivendo transcendunt atque in tanta studiorum arte proficiunt, ut signorum jam virtutes operentur. Sed quia semetipsos circumspiciendo tegere negligunt, inanis gloriæ telo percussi pejus de alto ruunt. Hinc est quod æternus Judex qui occulta cordis examinat, ejusdem ruinæ casum pronuntians intentat cum dicit : *Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in tuo nomine dæmonia ejecimus, et in tuo nomine virtutes multas fecimus ? Et tunc confitebor illis quia nunquam novi vos : Discedite a me, qui operamini iniquitatem, nescio qui estis* (*Matth.* VII, 22, 23). Antiquus ergo hostis habet fiduciam quia in os ejus et Jordanis influat, quia nonnunquam callidi- tatis suæ insidiis eos etiam qui jam electi putantur necat.

(516) Fluviorum nomine dicta antiquorum Patrum designantur, sicut per beatum Job dicitur : *Profunda fluviorum est scrutatus, et abscondita produxit in luces* (*Job* XXVIII, 11). Quid namque hic aliud fluvii nisi dicta antiquorum Patrum nuncupantur ? Quis enim pensare sufficiat quam vehemens fluvius dum legem conderet, ex ore Moysi erupit ? Quam vehemens fluvius ex David corde defluxit ? Quanta Salomonis ore atque omnium prophetarum fluminum fluenta manarunt. Sed horum fluviorum Judæa speciem tenuit, dum litteræ superficiem ser-

(514) Ex l. XXXIII in Job c. VII.
(515) Ex eod. cap. et l. sup. in medio.
(516) Ex lib. XVIII in Job cap. XXI.

Digitized by Google

vans, eorum profunda nescivit. Nos vero qui venientem in Domino in eis interna spiritualia quærimus, eorum profunda rimamur. Quod ipse Dominus facere dicitur, quia id nos agere, ipso donante, prævalemus. Per nos ergo qui non litteram quæ occidit, sed spiritum qui vivificat, sequimur profunda fluviorum Dominus scrutatur, et abscondita producit in lucem, quia dicta legis quæ caliginosa nimis historia obscurat, nunc expositio spiritualis illuminat. Unde et loquens in parabolis per Evangelium Veritas discipulis præcepit dicens : *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; et quod in aure auditis prædicate super tecta* (*Matth.* x, 27). Apte namque dicta exponentium fecerunt nobis **400** esse jam conspicuas sententias antiquorum Patrum. Unde Isaias propheta plana sanctæ Ecclesiæ expositionis verba conspiciens, et non allegoriarum tenebris obscura exclamavit, dicens: *Locus fluviorum rivi latissimi et patentes* (*Isa.* xxxiii, 21). Testamenti enim veteris dicta quasi angusti et clausi rivi fuerant, qui immensas scientiæ suæ sententias collectione obscurissima constringebant. At contra doctrina sanctæ Ecclesiæ rivi lati et patentes sunt, quia ejus dicta, et invenientibus multa sunt, et quærentibus plana. Ait ergo : *Profunda fluviorum scrutatus est, et abscondita produxit in lucem.* Quia dum suis expositoribus intelligentiæ spiritum infundit, antiquas prophetarum obscuritates aperuit. Et hoc jam sancta Ecclesia per spiritum agnoscit, quod Synagoga prius per litteram intelligere omnino non valuit. *Unde et Moyses cum populo loqueretur, faciem velabat* (*Exod.* xxxiv, 35), ut videlicet designaret quod ille Judæorum populus legis verba cognosceret, sed ejusdem claritatem legis omnimodo non videret. Unde Paulus dicit : *Usque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen est positum super cor eorum* (*II Cor.* iii, 15).

(517) Fluviorum nomine maligni spiritus doctrina designatur, sicut Propheta per doctrinam Christi, doctrinam diaboli destrui considerans ad Dominum loquitur dicens : *Tum dirupisti fontes et torrentes, tu siccasti fluvios Ethan* (*Psal.* lxxiii, 15). Ethan quippe interpretatur *fortis*, nisi de quo per Evangelium Veritas dicit : *Nemo potest vasa fortis, ingressus domum ejus diripere, nisi prius fortem alliget* (*Marc.* iii, 27). Fontes autem et torrentes Dominus dirupit, dum in apostolorum suorum cordibus fluenta veritatis aperuit. De quibus rursum per prophetam alium dicitur : *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* (*Isa.* xii, 3). Ad eorum quippe doctrinam scientes pergimus, et veritate plenas cordium lagunculas reportamus. Sed emanantibus suis fontibus Ethan fluvios Dominus noster exsiccavit, dum doctrinam fortis, et maligni spiritus ostenso radio suæ veritatis arefecit.

(518) Fluviorum nomine cursus mutabilitatis intelligitur, sicut in libro beati Job de iniquis dicitur :

A **401** *Fluvius subvertit fundamentum eorum* (*Job* xxii, 16). Iniqui, dum transire corde ad æterna negligunt, et cuncta præsentia fugitiva esse non intuentur, mentem in amore vitæ præsentis fingunt [*f.* figunt], et quasi longæ habitationis in ea sibi fundamentum construunt, quia in terrenis rebus per desiderium solidantur. *Sic primus in terra Cain civitatem construxisse describitur* (*Gen.* iv, 17), quia videlicet peregrinus a summis fundamentum in imis posuit qui stationem cordis in terrena delectatione collocavit. Unde in ejus stirpe Enoch qui *dedicatio* interpretatur, primus nascitur ; in electorum vero progenie Enoch septimus fuisse memoratur, quia videlicet reprobi et in hac vita quæ ante semetipsos ædificando dedicant ; electi vero ædificationis
B suæ dedicationem in fine temporis, id est in septimo tempore exspectant. Videas namque plurimos temporalia sola cogitare, ambiendis rebus inhiare nihil post hanc vitam requirere. Quid itaque isti nisi in prima generatione dedicant ? Et videas electos nil præsentis gloriæ quærere, libenter inopiam sustinere, mala mundi æquanimiter perpeti ut possint in fine coronari. Electi quippe Enoch in septima generatione nascitur, quia sui dedicationem gaudii in extremæ retributionis gloria electi requirunt. Sed quia quotidiano temporis lapsu ipsa præsentis vitæ mortalitas decurrit, atque reproborum dedicationem eosdem reprobos subtrahendo destruit : recte de iniquis dicitur : *Fluvius subvertit fundamentum eorum*, quia videlicet cursus
C mortalitatis statum in eis subruit perversæ constructionis.

(519) Fluvii nomine vita præsens designatur, sicut in libro beati Job dicitur : *Quomodo si recedant aquæ de mari, et fluvius vacuefactus arescat : sic homo, cum dormierit, non resurget* (*Job* xiv, 11). Mare est mens hominis, et quasi fluctus maris sunt cogitationes mentis : quæ aliquando ira tumescunt, per gratiam tranquillæ fiunt per amaritudinem cum odio defluunt. Sed cum aquæ maris resedunt homo moritur, quia juxta Psalmistæ vocem : *In illa die peribit omnis cogitatio eorum* (*Psal.* cxv, 4). Et rursum : *De moriente scriptum est, Amor quoque simul et odium peribunt* (*Eccle.* ix, 6). Arescit ergo fluvius
D vacuefactus, quia subducta anima vacuum **402** remanet corpus. Quasi enim alicujus fluminis vacuus alveus est corpus exanime. Qua in re vigilanter intuendum est, quod vita præsens videlicet quousque anima moritur, in corpore, mari comparatur et fluvio. Aqua enim maris est amara, fluminis dulcis. Et quia hic viventes modo quibusdam amaritudinibus afficimur, modo a dulcedine tranquilli ac mites invenimur, præsentis vitæ decursus comparatione exprimitur maris, et fluminis. Sed in his durum valde videtur esse quod subditur : *Sic homo cum dormierit non resurget* (*ibid.*). Quomodo enim dicitur non resurget, cum scriptum sit: *Omnes qui-*

(517) Ex lib. xxxiii in Job cap. ix, post medium.
(518) Ex lib. xv in Job cap. 5.
(519) Ex lib. xii in Job cap. iv ante finem.

Digitized by Google

dem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Sed subjuncta sententia indicat quæ discretio in præmissa lateat. Nam subditur : *Donec atteratur cœlum, non evigilabit* (*Job* XIV, 12). Liquet enim quod non resurget, sed donec atteratur cœlum, quia nisi hujus mundi finis advenerit, humanum genus a somno mortis ad vitam, non evigilabit. Non ergo, quia omnino non resurgat ; sed quia ante contritionem cœli humanum genus minime surgat, insinuat.

CAPUT V.

DE FLUMINE.

In Scriptura sacra fluminum nomine aliquando Spiritus sanctus, aliquando sancti prædicatores, aliquando actiones hujus sæculi, aliquando dona Spiritus sancti intelliguntur.

(520) Fluminis nomine, Spiritus sanctus designatur, sicut in libro Job de hypocrita dicitur : *Non videat rivulos fluminis* (*Job* XX, 17). Quid enim per flumen nisi Spiritus sanctus accipitur ? Rivuli autem fluminis, sunt dona Spiritus sancti. Rivulus fluminis est charitas ; rivulus fluminis est fides ; rivulus fluminis est spes. Sed quoniam omnis hypocrita nec proximum diligit, **403**, cum transitoriam mundi gloriam quærit, rivulos fluminis non videt, quia irrigatione non infunditur charitatis. Hypocrita dum præsentia lucra quærit, munera futura despicit ; et fidem non habens, rivum fluminis mente non videt, quia fides est rerum, sed argumentum non apparentium (*Hebr.* XI, 1). Et dum retinet hypocrita quæ videntur specie, negligit eorum quæ non videntur. Rivulum ergo fluminis per desiderium non videt, quia solis visibilibus intendit. Scriptum quippe est : *Quod videt quis, quid sperat* (*Rom.* VIII, 24). Rivulos ergo fluminis vidisset, si a præsentis vitæ gloria oculos clauderet eosque ad cœlestis patriæ amorem aperiret.

(521) Fluminum nomine sancti prædicatores designantur, sicut per Salomonem dicitur : *Ad locum de quo exeunt flumina, revertuntur ut iterum fluant.* (*Eccle.* I, 7).

(522) Fluminum nomine actiones hujus sæculi designantur, sicut menti reprobæ sub Babylonis specie per prophetam exprobrando dicitur : *Denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, revela crura, transi flumina* (*Isa.* XLVII, 2). Nonnunquam qui quietus alicujus meriti esse creditur, positus in qualibet actione denudatur. Unde bene subditur : *Denuda turpitudinem tuam.* In administratione quippe operis turpitudo denudatur, dum vilis mens abjectaque in ostentatione actionis cognoscitur : quæ quieta prius putabatur. Mens humerum discooperit, quando opus suum, quod ignorabatur, ostendit. Crura revelat, quia quibus desideriorum passibus, lucris mundi inhiet, manifestat flumina etiam transit, quia actiones hujus sæculi quæ quotidie ad terminum defluunt, indesinenter appetit, dumque alias relinquit, alia assequitur, quasi semper de flumine ad flumen tendit.

(523) Fluminum nomine dona sancti Spiritus designantur : sicut in Evangelio Dominus dicit : *Qui credit in me*, ut dicit Scriptura, *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII, 38) : ubi evangelista subjungit dicens : *Hæc autem de Spiritu dixit quem accepturi erant credentes in eum* (*ibid.*, 39).

404 CAPUT VI.

DE RIVIS.

In Scriptura sacra rivorum nomine aliquando sancti prædicatores, aliquando evangelistarum libri, aliquando expositorum sanctæ Ecclesiæ explanationes, aliquando fluenta prædicationis designantur.

(524) Rivorum nomine sancti prædicatores exprimuntur, sicut de sancta Ecclesia per Psalmistam dicitur : *Rivos ejus inebrians, multiplica generationes ejus : in stillicidiis ejus lætabitur cum exoritur* (525). Rivi quippe Ecclesiæ sancti prædicatores sunt, qui terram nostri cordis infindunt. Sed cum inebriantur rivi, generationes Ecclesiæ multiplicantur, quia cum uberiorem gratiam Spiritus prædicatores accipiunt, fidelium numerus augetur. Quæ sancta Ecclesia in suis stillicidiis lætatur. In stillicidio etenim aqua de tecto in terram vadit, quæ de cœlo ceciderat in tectum. Tectum vero sanctæ Ecclesiæ sancti prædicatores sunt, qui nos intercedendo et admonitionibus muniendo protegunt. Sed quia illorum cor divinitus in prædicatione infunditur, quasi de cœlo aqua venit in tectis ; quia nos vero eorum verbis irrigamur, quasi aqua de tecto in terram cadit. Sancta ergo Ecclesia dum exoritur, in stillicidiis suis lætatur, quia cum in fide et bonis operibus nascitur, ea quæ accepit dona, considerat et in verbis prædicantium exsultat.

(526) Rivorum nomine evangelistarum libri intelliguntur, unde sub typo sanctæ Ecclesiæ Job loquitur dicens : *Et petra fundebat mihi rivos olei* (*Job* XXIX). Etenim petræ nomine Christum accipit prædicator egregius ; fatetur dicens : *Petra autem Christus* (*I Cor.* X, 4). Quem videlicet **405** petra nunc ad usus Ecclesiæ olei rivos fundit, quia in ea loquens Dominus prædicamenta unctionis intimæ emanat. De hac petra olim rivus exiit : liber Matth., liber Marci, liber Lucæ, liber Joannis et in diversis hujus mundi partibus, quot prædicamenta edidit, tot petra hæc per ora apostolorum omnium rivos fundit. Toties adhuc de petra hac olei rivus funditur, quoties a Spiritu sancto ungendis mentibus auditorum ea quæ in libris veteribus de Christo dicta sunt, explanantur. Qui et rivi vocantur olei,

(520) Ex l. XV, in Job c. X.
(521) Ex l. XXX in Job c. II.
(522) Ex l. VI in Job c. II, post med.
(523) Ex l. XIX in Job c. IV

(524) Ex hom. X in Ezech., longe post medium.
(525) Psalm. LXIV : Aug. et Cassiod. legunt in Psalt.
(526) Ex l. XIX in Job c. 11, I Cor. X.

Digitized by Google

quia decurrunt et unguut. In quibus quisquis ungitur, quisquis tingitur interius impinguatur.'

Rivorum nomine expositorum sanctæ Ecclesiæ explanationes designantur. Unde Isaias propheta plana sancta Ecclesiæ expositionis verba conspiciens, et non allegoriarum tenebris obscura, exclamavit dicens: *Locus fluviorum rivi latissimi et patentes* (*Isa.* xxxiii, 21). Vide supra c. 4, dist. 4.

(527) Rivorum nomine fluenta prædicationis designantur, sicut per Job de Domino dicitur: *In petris rivos excidit.* Quid enim per petras nisi dura gentilium corda accipimus? Quid per rivos nisi fluvios prædicationis intelligimus? In petris ergo Dominus rivos excidit, quia in duris gentilium cordibus fluvios prædicationis aperuit, sicut per Prophetam quoque de irriganda dicitur ariditate gentilium: *Posuit desertum in stagnum aquarum, et terram sine aqua in exitus aquarum* (*Psal.* cvi, 35). Atque in Evangelio Dominus promisit dicens: *Qui credit in me*, sicut dicit Scriptura, *flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus* (*Joan.* vii, 38). Quod promissum tunc audivimus, etiam nunc impletum videmus. Ecce enim in sanctis prædicatoribus, et non ex Judæa progenitis per cunctam Ecclesiam in toto orbe diffusam fluenta cœlestium mandatorum ubertim manant ex ore gentilium. In petris itaque rivos excidit, quia ex duris cordibus fluvius sanctæ prædicationis emanavit.

406 CAPUT VII.

DE TORRENTE.

In Scriptura sacra torrens cum in singulari numero ponitur, aliquando ignis extremi judicii, aliquando mortalis vitæ cursus, aliquando inundatio sancti Spiritus, aliquando hi qui transitoria diligunt, designantur; cum vero pluraliter torrentes dicuntur, aliquando fluenta sacrorum librorum, aliquando inventores perversorum dogmatum, aliquando prædicatores sancti intelliguntur.

(528) Torrentis nomine ignis extremi judicii designatur, sicut per beatum Job dicitur: *Lapidem quoque caliginis et umbram mortis dividit torrens a populo peregrinante* (*Job* xxviii).

(529) Torrentis nomine mortalis vitæ cursus exprimitur, sicut ad beatum Job de diabolo loquens Dominus testatur dicens: *Circumdabunt eum salices torrentis* (*Job* xl, 17). Quid enim per salices infructuosas arbores, nisi sterilitas reproborum signatur? Unde voce prædicantium contra Babyloniam Psalmista loquitur dicens: *In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra* (*Psal.* cxxxvi, 2). Babylonis quippe medio inesse salices describuntur, quia nimirum infructuosi quippe, atque ab amore patriæ cœlestis alieni, totis visceribus cordis in hac sæculari confusione radicantur. Unde et prædicatores sancti in istis salicibus non exercent organa, sed suspendunt, quia cum infructuosas ac reprobas mentes 407 aspiciunt, vim prædicationis suæ non exhibent, sed potius lugentes silent. Quid vero per torrentem nisi hujus mortalis vitæ cursus exprimitur? De quo rursum per Prophetam loquentem de Redemptore nostro dicitur: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput* (*Psal.* cix, 7). Redemptor quippe noster mortalis vitæ pœnam in quodam transitu attigit, et idcirco diu eidem morti, cui sponte succubuit, non inhæsit. Unde die tertia hoc quod moriendo posuerat, resurgendo, caput relevavit. Quid est ergo quod de diabolo dicitur: *circumdabunt eum salices torrentis*, nisi quod amatores vitæ mortalis a bonis actibus, quasi a fructibus alieni tanto illi arctius inhærent, quanto eos largius delectatio transitoriæ voluptatis infundit? Hos enim quasi in radicibus torrens rigat, dum in suis cogitationibus amor vitæ carnalis inebriat. Qui scilicet more salicum fructus non ferunt, sed in foliis viridescunt, quia in ea quæ gravia ad dicendum non sunt, aliquando honestatis verba proferunt, sed nullum vitæ pondus ex bonis operibus ostendunt. Bene ergo dicitur, *circumdabunt eum salices torrentis*, quia infructuosi quique, dum amori vitæ temporalis inserviunt, antiquo hosti perversis moribus familiarius obsequuntur.

(530) Torrentis nomine inundatio sancti Spiritus designatur, sicut in libro beati Job, de hypocrita dicitur: *Non videat rivulos fluminis, torrentis mellis et butyri* (*Job* xx, 17). Fluminis enim nomine Spiritus sanctus intelligitur. Torrentis quoque nomine ejusdem sancti Spiritus inundatio designatur, quæ in contemplantis animo, exuberanti infusione colligitur, cum mens plusquam intelligere sufficit, repletur. Et sciendum est quia cum nos Spiritus sancti gratia infundit, melle nos pariter et butyro replet: mel enim desuper cadit, butyrum vero ex animalium lacte tollitur. Mel itaque ex aere, butyrum vero ex carne est. Summi autem Patris Unigenitus, cum sit Deus super omnia, homo est factus inter omnia. Qui cum nos dulcedine divinitatis suæ et mysterio Incarnationis replevit, melle nos pariter et butyro satiavit. Quia ergo spiritus 408 Christi mentem quam repleverit et divinitatis ejus dulcedine Incarnationis fide lætificat, isti rivuli torrentis fluminis mellis simul et butyri esse memorantur, quia et de cognitione Dei alta mentem suavitate reficiunt, et de Incarnationis gratia charismatis hanc mysterio perungunt. Sed istos rivulos hypocrita non videt, quia exterioribus favoribus fusus, dum solis visibilibus intendit, quæ sunt dona Spiritus per amorem non attendit.

Torrentis nomine hi qui transitoria diligunt, designantur, sicut Job conquerendo loquitur dicens: *Fratres mei præterierunt me sicut torrens, qui raptim transit in convallibus.* Relege cap. 10, lib. vi, dist. 4.

Torrentis nomine fluenta sacrorum librorum designantur Salomone dicente: *Oculum qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ, effodiant*

(527) Ex l. xviii in Job, c. xx, post med.
(528) Ex. l. xviii in Job, c. xviii, in fine 17.
(529) Ex l. xxxiii in Job, c. vi.
(530) Ex l. xv in Job, c. x.

Digitized by Google

illum corvi de torrentibus. Repete cap. 7, lib. II, dist. 4.

(531) Torrentium nomine inventores perversorum dogmatum designantur, sicut Job de ipsorum sequacibus loquens, ait : *In desertis habitant torrentium* (*Job* XXX, 6). Torrentes dicimus rivos, qui ab aquis hiemalibus colliguntur, qui etiam cæteris temporibus arescunt. Jure itaque inventores perversorum dogmatum torrentes vocantur, quia a colore charitatis frigidi quasi in torpore temporis hiemalis excrescunt. Qui non perpetua plenitudine profluunt, sed Catholicorum allegationibus quasi æstibus solis exsiccantur. Et quidem inventores perversorum dogmatum contra Ecclesiam exorti fervore jam veritatis exstincti sunt ; sed tamen eorum discipuli, quæ illi docuerunt, tenere ac defendere, non desistunt. Hi ergo qui illorum sequuntur errores, et in desertis habitant torrentium, id est in eorum prædicatione confidunt, quorum eloquia Catholicorum jam responsione atque ratiocinatione siccata sunt.

(532) Possunt quoque per torrentes prædicatores sancti intelligi, qui, dum in præsenti vita divinis nobis **409** eloquiis influunt, aquarum multitudine, quasi in hieme colliguntur. Qui et æstivo sole adveniente se subtrahunt, quia, cum æternæ patriæ lux emicuerit, prædicare cessabunt. Horum autem torrentium deserta sunt vitæ temporalis commoda. Ea namque deserunt, et ad lucra se cœlestia adipiscenda convertunt. Cuncta autem hæc torrens ille reliquerat qui dicebat : *Propter quem omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora* (*Philip.* III, 8). Sed quia pravorum mentes ea in hac vita adipisci appetunt quæ despicientes justi derelinquunt in desertis torrentium habitare referuntur. Illa enim quæ sanctis indigna sunt ipsi percipere pro magno concupiscunt.

CAPUT VIII.

DE FONTE.

(533) Fontis nomine Redemptor noster designatur, sicut per prophetam dicitur : *In die illa erit fons patens domui David, habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ* (*Zach.* XIII, 1). Quid enim fontis nomine nisi Redemptor noster accipitur? fons autem occultus est Unigenitus Patris invisibilis Deus : fons patens est idem Deus incarnatus. Qui fons patens recte domus David dicitur, quia ex David genere noster ad nos Redemptor processit. Jerusalem vero *visio pacis* interpretatur. Hi autem Jerusalem habitant, qui in visione pacis intimæ mentem figunt. Peccator vero et menstruata est, vel is qui delinquit in opere, vel mens quæ labitur in prava cogitatione. Menstruata namque ista pollutio est, quæ et aliena carne non tangitur, et sua carne inquinatur. Sic itaque, sic omnis anima quæ, etsi malum opus non agit, polluta tamen cogitatione sordescit. Unde etiam per alium prophetam sub Judeæ specie de anima immundis desideriis occupata dicitur : *Omnes qui quærunt eam, non deficient, in menstruis ejus invenient eam* (*Jerem.* II, 24). Maligni quippe spiritus quærentes non deficiunt, cum inferre perditionem cupiunt et nulla rectitudinis bonæ cogitationis repelluntur, atque in menstruis suis animam inveniunt quando in **410** pollutis cogitationibus positam facile ad perversam operationem trahunt. Dicatur ergo : In die illa erit fons patens domus David, etc. Quia apertus jam nobis est fons misericordiæ, Redemptor noster qui in domo David incarnari dignatus est : ut peccatorem lavet, a perverso opere et menstruatam mentem diluat, ab immunda cogitatione. Patet ergo fons, curramus, cum lacrymis lavemur hoc fonte pietatis : In hoc fonte ipse quoque David lotus est cum rediit ad lamenta pœnitentiæ, post maculas gravis culpæ. In hoc fonte misericordiæ lota est Maria Magdalene, quæ prius famosa peccatrix, postmodum lavit lacrymis maculas corrigendo mores. In hoc fonte omnibus aperto, lavit Petrus quod negaverat, quia flevit amare. In hoc fonte misericordiæ, in fine suo lotus est latro, qui semetipsum in morte reprehendens, a culpa ablutus est confessione veritatis.

(534) Fontium nomine dona gratiæ spiritalis designantur, sicut per Psalmistam de Domino dicitur : *Emittis fontes in convallibus* (*Psal.* CIII, 6). Quid namque per fontes nisi spiritalia dona : quid per convalles nisi humiles, accipimus? Omnipotens autem Deus emittit fontes in convallibus, quia dona spiritalis gratiæ humilibus præstat.

Fontium nomine fluenta veritatis designantur, sicut per Psalmistam Domino dicitur : *Tu dirupisti fontes et torrentes, tu siccasti fluvios Ethan* (*Psal.* LXXIII, 15). Vide cap. 4 supra, dist. 5.

411 CAPUT IX.

DE PUTEO.

In Scriptura sacra puteus cum singulari numero ponitur, aliquando peccati profunditas, aliquando vitæ præsentis profunditas designatur ; cum vero pluraliter ponitur, aliquando Scripturæ sacræ libri, aliquando profunda cordium nostrorum intelliguntur.

(535) Putei nomine peccati profunditas designatur. Unde David sub specie peccantium exorat, dicens : *Non me demergat tempestas aquæ neque absorbebat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum* (*Psal.* LXVIII, 3). Quod enim mali operis iniquitas a boni stabilitate commovit, quasi tempestas aquæ rapuit. Sed si ad hæc longa consuetudine non prævaluit, non demersit. Omnis autem qui viam vitæ deserens in peccatorum tenebras se dejicit, semetipsum quasi in puteum vel in foveam mergit. Sed si ad hæc longa consuetudo non de-

(531) Ex l. XX in Job, c. XIII, in principio.
(532) Ex l. sup., c. XIII, 14.
(533) Ex hom. 20 in Ezech. ante finem.
(534) Ex hom. 20 in Evang.
(535) Ex l. XXVI in Job, cap. XXIV in princip.

Digitized by Google

primit, nequaquam os suum puteus coangustavit. Si vero diutina perpetratione etiam in consuetudine iniquitatis opprimitur, ne ad superiora possit extrahere, quasi angusto ore putei coarctatur. Tanto ergo facilius aggreditur, quanto minore consuetudine constringitur.

(536) Putei nomine vitæ præsentis profunditas designatur, de quo quia divinis a montibus et præcedentium exemplis adjuti liberamur, bene per Jeremiam : *Prophetam in puteum missum signatum est, qui, ut levetur ex puteo, funes ad eum et panni veteres deponuntur* (*Jerem.* XXVIII, 11, 12). Quid enim puteo nisi hujus vitæ profundum signatur? Quid funibus nisi præcepta Dominica figurantur? **412** Quæ quia nos in mala operatione positos et convincunt, et eripiunt, quasi ligant et trahunt, coarctant et levant. Quid vero per pannos veteres nisi antiquorum patrum exempla intelliguntur? Ne autem his funibus, id est, præceptis Dominicis ligatus quis dum trahitur, incidatur, simul etiam panni veteres deponuntur; quia, ne præcepta divina nos terreant, antiquorum nos exempla confortant, et ex eorum comparatione facere nos posse præsumimus quod ex nostra imbecillitate formidamus.

(536*) Puteorum nomine Scripturæ sacræ libri designantur, sicut ex Isaac opere cognoscimus, qui puteos fodisse legitur. Quos tamen puteos Allophyli terræ congerie replebant. Quid enim per puteos nisi sacræ Scripturæ libros accipimus? Puteos quippe fodimus, cum Scripturæ sacræ abditis sensibus alta penetramus. Quos tamen occulte replent Allophyli, quando nobis ad alta tendentibus immundi spiritus terrenas cogitationes ingerunt, et quasi inventam divinæ scientiæ aquam tollunt. Sæpe namque cum eloquiis sacris intendimus, malignorum spirituum insidias gravius toleramus, quia menti nostræ cogitationum terrenarum pulverem spargunt, ut intentionis nostræ oculos a luce intimæ visionis obscurent. Quod nimirum Psalmista pertulerat, cum dicebat : *Declinate a me maligni, et scrutabor mandata Dei mei* (*Psal.* CXVIII, 9) : videlicet patenter insinuans, quia mandata Dei perscrutari non poterat cum malignorum spirituum insidias in mente tolerabat.

(537) Possunt vero per puteos profunda cordium nostrorum intelligi. Unde bene Isaac apud alienam gentem puteos fodisse describitur. Quo videlicet exemplo discimus, ut in hac peregrinationis ærumna positi cogitationum nostrarum profunda penetremus : et quousque nobis veræ intelligentiæ aqua respondeat, nequaquam nostræ inquisitionis manus ab exhaurienda cordis terra torpescat. Quos tamen puteos Allophyli insidiantes replesse dicuntur, quia nimirum immundi spiritus cum nos studiose cor fodere **413** conspiciunt congestas nobis tentationum cogitationes ingerunt : unde semper mens evacuanda est, incessanterque fodienda ne si indiscussa relinquitur usque ad tumorem perversorum operum, cogitationum super nos terra cumuletur. Quamvis enim semper intento mentis oculo in supernis evigilemus, quamvis cuncta quæ in imo præterfluunt pede rigidi contemptus calcemus, ex corruptione tamen terrenæ carnis cui adhuc implicati sumus, plerumque cogitationum pulverem in corde patimur. Cumque foris aliis ad appetenda cœlestia persuademus, nosmetipsos semper intrinsecus subtili inquisitione discutere debemus : ne qua immorante diu in nobis infima cogitatione polluamur.

CAPUT X.

DE LACO.

In Scriptura sacra laci nomine, aliquando peccatum, aliquando infernus designatur.

(538) Laci nomine peccatum designatur, unde propheta Jeremias dum quædam in iniquitatis longa consuetudine obrutam fuisse considerat, in lamentis suis sub ejus specie semetipsum deplorat, dicens : *Lapsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapides super me* (*Thren.* III, 53). Quid enim laci nomine nisi iniquitas, et quid lapidis nomine nisi dura iniquitatis consuetudo signatur? In lacum autem vita labitur, cum labe iniquitatis inquinatur. Lapis vero superponitur cum etiam dura consuetudine mentis peccato devoratur ut etsi velit exsurgere jam utcunque non possit; quia moles desuper malæ consuetudinis premitur.

(539) Laci nomine infernus designatur, sicut propheta testatur qui de quibusdam ignorantibus ait : Portaverunt ignorantiam suam cum his qui descendunt **414** in lacum. Infernus quippe non immerito lacus dicitur, quia hos quos semel cœperit, semper fluctuantes et trepidos tormentis circumfluentibus absorbet.

CAPUT XI.

DE PROFUNDO.

(540) Profundi nomine profunditas cogitationum designatur, sicut in libro beati Job a Domino de ultima diaboli sævitia dicit : *Fervescere faciet quasi ollam profundum mare* (*Job* XLI, 2). Quid enim per mare nisi vita sæcularium, et quid per profundum nisi altæ et abditæ eorum cogitationes exprimuntur? Quid profundum mare diabolus facit quasi ollam fervescere, quia nimirum constat quod persecutionis extremæ tempore contra electorum vitam studeat animos reproborum per flammam crudelitatis excitare. Tunc profundum mare quasi olla fervescet, cum corda dilectorum sæculi valido ardore succendet : et quæ hoc pacis tempore intra suam malitiam clausa latuerunt, tunc in æstum immanissimæ persecutionis ebulliunt, ac per abruptam crudelitatis apertæ licentiam, ea quæ diu presserant odia antiqui livoris exhalant.

(536) Ex l. XXVIII in Job, c. VII.
(536*) Ex l. XVI in Job, c. III, 9.
(537) Ex l. XXXI in Job, c. XIII, 22.
(538) Ex l. XVI in Job, c. XXIV, 30, 31.
(539) Ex l. IX in Job, c. XXXVIII.
(540) Ex l. XXXIV in Job, cap. XIV, 10.

Digitized by Google

Profundi nomine infernus designatur, sicut per prophetam Domino dicitur : *Posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati* (*Isai.* LI, 10). Vide cap. 2 supra, dist. 1.

CAPUT XII.

DE GURGITIBUS.

(541) Gurgitum nomine multiplex expositorum sanctæ Ecclesiæ prædicatio designatur, sicut per Eliu de Domino dicitur : *Qui aufert stillas pluviæ, et effundit imbres ad instar gurgitum* (*Job* XXXV, 27). Possunt quippe per stellas pluviæ sancti apostoli designari de quibus Judææ reprobatæ per Jeremiam dicitur : *Prohibitæ* **415** *sunt stillæ pluviarum de cœlo, et serotinus imber non fuit* (*Jer.* III, 3).

CAPUT XIII.

DE STILLICIDIIS.

Stillicidiorum nomine verba prædicantium designantur. Vide supra cap. 6, dist. 1.

CAPUT XIV.

DE CANALIBUS.

Canalium nomine libri divini designantur, sicut per Moysen dicitur : *Tollens Jacob virgas populeas virides, et amygdalinas, et ex platanis ex parte decorticavit, eas detractisque corticibus in his quæ spoliata fuerant, candor apparuit : illa vero quæ integra erant virida permanserunt, atque in hunc modum color effectus est varius ; ubi et subditur : Posuitque eas in canalibus in quibus effundebatur aqua, ut cum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas et aspectu earum conciperent. Factumque est ut in ipso calore coitus oves intuerentur virgas, et parerent maculosa et varia et diverso colore respersa.* Lege c. 13, dist. 2, l. III.

CAPUT XV.

DE FLUCTIBUS.

In Scriptura sacra fluctuum nomine, aliquando tumultus tentationum, aliquando semitæ pravorum intelliguntur.

(542) Fluctuum nomine tumultus tentationum designatur ; unde cum Dominus de pravorum sævitia sub appellatione maris ad beatum Job loqueretur, subdidit dicens : *Circumdedi illud terminis meis, et posui vectem et ostia, et dixi : Hucusque venies, et hic confringes tumentes fluctus tuos* (*Job* XXXVIII, 10). Si enim per mare **416** cor nostrum accipimus, bene per fluctus tentationes et vitiorum strepitus accipere possumus. Terminis ergo suis Dominus hoc mare circumdat : quia cor nostrum adhuc corruptionis suæ molestia, et cura turbulentum, sub mensura contemplationis humiliat : ut licet plus appetat, ultra tamen quam sibi conceditur non ascendat. Vel certe hoc mare terminis suis Dominus circumdat, quia cor nostrum tentationibus tumidum, occultis donorum distributionibus mitigat : modo agens, ne pravorum suggestione ad delectationem veniat, modo ne pravorum delectatio usque ad consensum prorumpat. Qui ergo illicitos motus cordis respicit, et in quibusdam eos usque ad consensum venire prohibet, in quibusdam vero illos etiam a delectatione restringit : nimirum furenti mari terminum ponit, ut nequaquam in opere exeat, sed intra sinum mentis tentationum submurmurans se unda collidat. Et quia tunc valenter restringitur, cum ei dilectione Dei, atque inspiratis virtutibus obviatur, recte subjungitur : *Et posui vectem, et ostia, et dixi : Hucusque, venies et non procedes amplius* (*Job* XXXVIII, 11), etc.

Quid enim moraliter aliter per ostia, nisi virtutes : quid per vectem, nisi robur charitatis accipimus? Hæc itaque ostia scilicet virtutes operationum mare sæviens dissipat, nisi eas ex occulto mentis opposita charitas astringat. Facile enim omne virtutum bonum tentatione cordis irruente destruitur nisi ab intimis fixa charitate solidetur. Unde et Paulus in suis prædicationibus, dum quædam virtutum ostia maris tentationibus opponeret, illico eisdem ostiis quasi robur adjunxit dicens : *Super omnia autem charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis* (*Coloss.* III, 14). Perfectionis enim vinculum charitas dicitur, quia omne bonum quod agitur, nimirum per illam ne pereat, ligatur, a tentatione namque citius quodlibet opus evellitur, si solutum a vinculo charitatis invenitur. Si autem mens Dei ac proximi dilectione constringitur, cum tentationum motus quælibet ei injusta suggesserint, obicem illis dilectio opponit, et pravæ persuasionis undas virtutum ostiis et vecte intimi amoris frangit. Bene, ergo dicitur : *Posui vectem, et ostia, et dixi*, etc. (*Job* XXXVIII, 10). **417** Quia dum electus quisque et tentatur vitiis, et tamen facere male suggesta renititur, quasi mare clausum tenetur. Quod etsi intus tumultuosis cogitationum fluctibus mentem percutit, statuta tamen bene vivendi littora non excedit. Quod mare quidem in tumores se erigit, sed dum fixa cordis deliberatione illiditur, fractum redit.

Fluctuum nomine semitæ pravorum designantur, sicut per beatum Job in persona Ecclesiæ dicitur : *Pedes meos subverterunt et oppresserunt quasi fluctibus semitis suis* (*Job* XXX, 12). Vide lib. V, cap. 56, dist. 9.

(541) Ex l. XXVII in Job, cap. V.

(542) Ex l. XXVIII in Job, cap. IX, sparsim XIX.

418 INCIPIT LIBER OCTAVUS.

CAPUT PRIMUM.

DE AURO.

In Scriptura sacra auri nomine, aliquando divinitatis claritas, aliquando splendor supernæ civitatis, aliquando charitas, aliquando nitor gloriæ temporalis, aliquando splendor sanctitatis, ali-

Digitized by Google

quando ingenium, aliquando sensus bene operantis, aliquando anima fidelis designatur.

(543) Auri nomine ipsa intima divinitatis claritas designatur, sicut in Canticorum Canticis species sponsi describitur : *Caput ejus aurum optimum* (*Cant.* v, 17). Quia enim caput Christi Deus, nil vero est in metallis auro fulgentius, sponsi caput aurum dicitur: quia ejus humanitas ex divinitatis suæ nobis claritate principatur.

(544) Auri nomine splendor supernæ civitatis accipitur, sicut hanc Joannes se vidisse testatur dicens: **419** *Ipsa civitas aurum mundum, similis vitro mundo* (*Apoc.* xxi, 18). Quia enim sancti omnes summa in ea beatitudinis claritate fulgebunt, instructa civitas auro dicitur. Et quia ipsa eorum claritas vicissim sibi in alternis cordibus patet, et cum unius cujusque vultus accenditur, simul et conscientia penetratur: hoc ipsum aurum idcirco vitro mundo simile esse dicitur. Ibi quippe uniuscujusque mentem ab alterius oculis, membrorum corpulentia non abscondet, sed patebit animus; patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia. Sicque unusquisque tunc erit conspicabilis alteri, sicut nunc esse non potest conspicabilis sibi. Bene itaque civitas illa superna ex auro constat, simili vitro quia per aurum clara et per vitrum perspicua dignoscitur.

(545) Auri nomine charitas designatur. Sicut angelum quem sibi loqui Joannes aspexit, ad mamillas zona aurea cinctum vidit: quia nimirum supernorum civium pectora dum pœnali jam nequaquam timori subjecta sunt atque a se vicissim nulla scissione solvuntur, ex sola se charitate constringunt. Zonam quippe auream circa mamillas habere, est cunctos mutabilium cogitationum motus per solius jam amoris vincula restringere.

(546) Auri nomine nitor gloriæ temporalis exprimitur, sicut per prophetam dicitur: *Calix aureus Babylon* (*Jerem.* li, 7). Quid enim Babylonis nomine, nisi hujus mundi gloria designatur? Quæ calix aureus dicitur: quæ dum pulchra esse temporalia ostentat, stultas mentes in sui concupiscentia debriat, ut speciosa temporalia appetant, et invisibilia pulchra contemnant. Hoc aureo calice prima sponte sua Eva debriata est, de qua historia veritatis dicit: quia cum vetitum lignum conspiceret, vidit quod esset pulchrum visu, aspectuque delectabile, et comedit. Aureus ergo Babylon calix est, quia dum visum exterioris pulchritudinis ostendit, sensum internæ rectitudinis subtrahit.

Auri nomine splendor sanctitatis accipitur, sicut Judaicum populum ab splendore justitiæ ad **420** nequitiæ tenebras commutatum Jeremias deplorat dicens: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* (*Thren.* i, 1.) Vide lib. vi, cap. 11, dist. 3.

(543) Ex l. xxxiv in Job, c. xiii in initio 8.
(544) Ex l. xviii in Job, c. xxvii, 31.
(545) Ex l. xxxiv in Job c. xiii initio 10.

(547) Auri nomine ingenium designatur, sicut per beatum Job dicitur: *Si putavi aurum robur meum* (*Job* xxxi, 24). Quid enim aurum accipimus, nisi præclari intellectus ingenium? Nec abhorret a rationis ordine quod aurum dicimus ingenium designare: quia sicut in ornamento aurum supponitur, ut gemmarum desuper ordo disponatur: ita clara sanctorum ingenia divinis muneribus humiliter substernuntur, et distincta super se gratiarum dona percipiunt. Sancti autem viri robur suum aurum non deputant: quia quantolibet ingenio fulgeant nihil se esse ex suis viribus pensant. Et cum sentire omnia valenter possunt, prius intelligere semetipsos cupiunt, quatenus lumen ingenii more solis prius illustret locum in quo oritur, postmodum cætera ad quæ procedendo dilatatur: ne si cognoscentes alia semetipsos nesciant, ibi solis radius ubi oritur tenebrescat. Ingenii itaque virtutem ad cognoscendam infirmitatem propriam dirigunt, atque ex infirmitatis suæ melius cognitione convalescunt. Aurum ergo non robur creditur, si in accepto ingenio fiducia non habetur.

(548) Auri nomine sensus bene operantis designatur, sicut per Salomonem dicitur: *Sicut probatur in conflatorio argentum, et in fornace aurum: ita probatur homo ore laudantis* (*Prov.* xxvii, 21). Argentum quippe vel aurum, si reprobum est igne consumitur: si vero probum, igne declaratur. Sic nimirum est et sensus operantis. Nam qualis sit in eo quod laudatur, ostenditur. Si enim se auditis suis laudibus extollit, quid iste aliud quam reprobum argentum, vel aurum fuit, quem videlicet fornax linguæ consumpsit? Si autem favores suos audiens, ad superni judicii considerationem redeat, ac ne de his apud occultum arbitrum gravetur, metuit, quasi ex purgationis igne ad magnitudinem claritatis excrescere: et unde incendium trepidationis sustinuit, inde clarius fulget.

421 Auri nomine anima fidelis accipitur, sicut in libro beati Job ab Heliu dicitur: *Ab Aquilone aurum venit* (*Job* xxxvii, 22). Vide lib. i, cap. 15, dist. 2.

CAPUT II.

DE OBRYZO.

In Scriptura sacra obryzi nomine, aliquando angelica natura, aliquando mens perfecta designatur.

Obryzi nomine angelica accipitur natura, sicut per beatum Job, cum sapientiæ pretium requireret, dicitur: *Non dabitur aurum obryzum pro ea* (*Job* xxviii, 15). Quid nempe per aurum obryzum nisi sancti angeli designantur? Qui recte et aurum vocantur, et obryzum: aurum, quia fulgent claritate justitiæ; obryzum, quia nullum unquam habuerunt contagium culpæ. Homines vero justi quandiu in hac carne corruptibili mortaliter vivunt, aurum quidem esse possunt, obryzum omnino esse non

(546) Ex ejusdem l. proximi c.
(547) Ex l. xxii in Job, cap. ii, post med.
(548) Ex l. xxii in Job, c. v, post medium 19.

Digitized by Google

possunt, quia *corpus quod corrumpitur aggravat animam et terrena inhabitatio deprimit sensum, multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15). Nam quamvis in hac vita ex magna justitiæ claritate resplendeant, nequaquam tamen ad purum peccatorum sordibus carent Joanne apostolo attestante qui dicit : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, et veritas non est in nobis* (*Jac.* I, 8) : affirmante Jacobo qui astruit dicens : *In multis enim offendimus omnes* (*Jac.* III, 2). Propheta etiam deprecante, qui ait : *Non intres in judicium cum servo tuo : quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Job* XXXI, 15). Aurum ergo obryzum illi nuncupantur, qui in ea in qua conditi sunt innocentia perdurantes, et fulgent charitate justitiæ, et nullis vel minimis maculantur sordibus culpæ. Sed quia pro hac sapientia nullus angelorum redemptor humani generis mittendus fuit, ne quis spem in his quos in adjutorio hominum sæpius apparuisse didicimus, **422** angelis poneret, dictum est : Non dabitur aurum obryzum pro ea. Ac si aperte diceretur : Per semetipsam sapientia manifestabitur ut humanum genus a culpa redimatur. Nullus vice ejus angelus mittitur, quia per Creatorem necesse est ut creatura liberetur. Unde et in Evangelio Dominus dicit : *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis.*

Obryzi nomine mentis pulchritudo designatur ; unde a beato Job dicitur : *Si putavi aurum robur meum, et obryzo dixi, fiducia mea* (*Job* XXXI, 24). Quid enim aurum nisi præclari intellectus ingenium accipimus ? Quid obryzum nisi mentem humanam, quæ dum igne amoris excoquitur, semper in se servat claritatem pulchritudinis quotidiana innovatione fervoris. Nescit enim mens per torporem veterascere, quæ studet per desiderium semper inchoare. Hinc namque per Paulum dicitur : *Renovamini spiritu mentis vestræ* (*Ephes.* IV, 32). Hinc Psalmista qui ad perfectionis jam culmen pervenerat, quasi inchoans dicebat : *Dixi, nunc cœpi* (*Psal.* LXXVI, 11). Quia videlicet si lassescere ab inchoatis bonis nolumus, valde necesse est ut inchoare nos quotidie credamus. Dicat ergo : Si putavi aurum robur meum, et obryzo dixi, fiducia mea. Ac si aperte fateatur dicens : Nec ea quæ veraciter intellexi, meo ingenio tribui, nec menti propriæ si qua me egisse bona contigit, hæc principaliter deputavi.

CAPUT III.

DE TALENTIS.

(549) Talentorum nomine dona gratiæ designantur, sicut in Evangelio dicitur : *Homo quidam peregre proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum : Unicuique secundum propriam virtutem, et profectus est statim* (*Matth.* XXV, 14).

(549) Ex hom. in Evang.
(550) Ex l. XXII Job, XXIII, 16.
(551) Ex hom. 9 in Evang. in medium citer.
(552) Ex sup. lib. in Job.

A Quis enim iste homo est nisi Redemptor noster, qui in carne quam assumpsit, abiit in cœlum ? Carnis namque locus proprie terra est, quæ quasi ad peregrina ducitur, dum per Redemptorem nostrum in cœlo collocatur. Sed **423** iste homo peregre proficiscens servis bona sua tradidit : quia fidelibus suis spiritualia dona concessit. Et uni quidem quinque talenta, alii duo, alii vero commisit unum. Quinque etenim sunt corporis sensus, videlicet visus, auditus, gustus, odoratus et tactus. Quinque igitur talentis donum quinque sensuum, id est exteriorum scientia exprimitur ; duobus vero intellectus et operatio ; unius autem talenti nomine intellectus tantummodo designatur.

CAPUT IV.

DE PECUNIA.

B (550) Pecuniæ nomine doctrinæ sanctæ ministerium designatur, sicut per beatum Job dicitur : *Si fructus terræ meæ comedi absque pecunia* (*Job* XXXI, 39). Terræ enim nomine vel privata domus, vel sancta Ecclesia intelligitur. Fructus ergo terræ absque pecunia comedere, est ex Ecclesia sumptus quidem accipere : sed eidem Ecclesiæ prædicationis pretium non præbere. De qua videlicet prædicationis pecunia auctoris voce dicitur : *Oportuit te committere pecuniam meam nummulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum erat, cum usura* (*Matth.* XXV, 17). (551) Pecuniam namque nummulariis dare est eis scientiam prædicationis impendere, qui hanc valeant et operibus exercere. In usura quippe C pecunia etiam non data recipitur. Cum enim hoc redditur, quod acceptum fuerat etiam illud super impenditur, quod acceptum non est. De accepta ergo verbi pecunia usuram solvit, qui ex eo quod audivit, etiam alia studet intelligere quæ non audivit, quatenus alia ex aliis colligens etiam illa discat ex semetipso agere, quæ necdum ex prædicatoris ore didicit. (552) Terræ igitur fructus absque pecunia comedit, qui ecclesiastica commoda ad usum corporis percipit, sed exhortationis ministerium non impendit. Quid adhuc nos pastores dicimus, qui adventum judicis præcurrentes, officium prædicationis suscipimus, sed alimenta ecclesiastica muti manducamus ? Exigimus quod nostro debetur corD pori, sed non impendimus, quod subjectorum debetur cordi. Ecce vir sanctus tot in hoc sæculo pignoribus **424** astrictus inter innumeras occupationes liber ad studium prædicationis fuit. Qui fructus terræ nunquam sine pecunia comedit, quia nimirum subditis verbum bonæ admonitionis reddidit, a quibus fructus corporeæ servitutis accepit.

Sequitur ; Et animam agricolarum ejus afflixi. Agricolæ quippe hujus terræ sunt hi qui minori loco positi, quo valent zelo, quanto possunt opere, ad eruditionem sanctæ Ecclesiæ in prædicationis gratia cooperantur. Quos videlicet agricolas, hoc

Digitized by Google

est non affligere, eorum laboribus non invidere : ne rector Ecclesiæ dum sibi soli jus prædicationis vindicat, etiam aliis recte prædicantibus invidia se mordente contradicat. Pia etenim pastorum mens, quia non propriam gloriam sed auctoris quærit, ab omnibus vult adjuvari. Fidelis namque prædicator optat si fieri valeat, ut veritatem quam solus loqui non sufficit, ora cunctorum sonent. Unde cum Josue duobus in castris remanentibus vellet obsistere, recte per Moysen dicitur : *Quid æmularis pro me? Quis tribuat ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus spiritum suum* (*Num.* XI, 29). Prophetare quippe omnes voluit, qui bonum, quod habuit, aliis non invidit.

CAPUT V.

DE THESAURO.

Thesauri nomine cœleste desiderium designatur, sicut in Evangelio voce veritatis dicitur : *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet et emit agrum illum* (*Matth.* XIII, 44). (553) Thesaurus namque cœleste est desiderium. Ager vero in quo thesaurus absconditur est disciplina studii cœlestis. Quem profecto agrum venditis omnibus comparat, qui voluptatibus carnis renuntians, cuncta sua terrena desideria per disciplinæ cœlestis custodiam calcat : ut nil jam quod caro blanditur libeat, nihil quod carnalem vitam trucidat, spiritus perhorrescat. Qua in re hoc quoque notandum 425 est, quod inventus thesaurus absconditur, ut servetur : quia studium cœlestis desiderii a malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc et ab humanis laudibus non abscondit. In præsenti etenim vita, quasi in via sumus, qua ad patriam pergimus. Maligni autem spiritus inter nostrum quasi quidam latrunculi obsident. Deprædari ergo desiderat, qui thesaurum publice portat in via. Hoc autem dico, non ut proximi nostri opera nostra non videant, cum scriptum sit : *Videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui est in cœlis* (*Matth.* V, 16). Sed ut per hoc agimus, laudes exterius non quæramus. Sic autem sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto : ut de bono opere proximis præbeamus exemplum, et tamen per intentionem qua soli Deo placere quærimus, semper optemus secretum.

CAPUT VI.

DE DIVITIIS.

(554) Divitiarum nomine consiliorum acumina designantur, sicut per beatum Job dicitur : *Si lætatus sum super multis divitiis, est quia plurima reperit manus mea* (*Job* XXXI, 25). Quid enim multas divitias appellatas per significationem credimus, nisi abundantia acumina consiliorum? Quæ quærentis manus invenit, cum hæc cogitatio tractantis gignit; has quippe Salomon sapientiæ divitias contemplatus ait : *Corona sapientium divitiæ eorum* (*Prov.* XIV, 24). Qui quia divitias non metalla terrena, sed prudentiam nominat, illico per contrarietatem subdit : fatuitas stultorum imprudentia. Si enim coronam sapientium terrenas divitias diceret, procul dubio fatuitatem stultorum paupertatem potius quam imprudentiam fateretur. Sed dum fatuitatem stultorum imprudentiam subdidit, sapientium divitias, quia prudentiam dixerit, indicavit. Multas itaque apud nos divitias reperimus, cum dona abundantis intelligentiæ sacra eloquia investigando percipimus, atque in his plura, nec tamen sibimet diversa sentimus. Non est autem secura lætitia, in divinis paginis vel fortia 426 vel multa cognoscere, sed cognita custodire. Nam qui bene intelligit, quid intelligendo operari debeat agnoscit. Quanto enim intellectus latius extenditur, tanto ad explenda opera enixius ligatur. Unde et in Evangelio dicitur : *Cui multum datum est, multum quæretur ab eo; et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo* (*Luc.* XII, 48). Deputemus ergo intelligentiam datam quasi pecuniam mutuam, quia quo plus nobis creditur ex benignitate, eo quoque debitores amplius tenemur in opere. Quia igitur justi viri in his quæ vigilanter intelligunt, secura lætitia non extolluntur, dicatur recte : Si lætatus sum super multis divitiis meis, etc. Ac si aperte diceretur : Nequaquam me in eo locupletem ex justitia credidi quo recta quæ agere debui etiam multa cognovi : nec intelligentia cor extuli, quia illud consideratio debitæ operationis pressit.

(555) Divitiarum nomine divina eloquia designantur, sicut de Judaico populo, vel quolibet stulto, ingenioso per Eliphas dicitur : *Et bibent sitientes divitias ejus* (*Job* V, 5). Judaici namque populi divitias sitientes bibunt quia fluentis sacræ locutionis, quæ in superbiæ ostentatione possederat, conversæ gentilium mentes irrigantur. Aliter : Sæpe stultus habet interni fontis liquorem, sed non bibit : quia ingenium quidem intelligentiæ accipit, sed tamen veritatis sententias cognoscere legendo contemnit (556). Scit quia intelligere studendo prævaleat, sed ab omni doctrinæ studio fastidiosus cessat. Divitiæ quoque mentis, sunt verba sacræ locutionis : sed has divitias stultus oculis aspicit, et in ornamenti sui usum minime assumit, quia verba legis audiens magna quidem esse considerat, sed ad comprehendenda hæc nullo studio amoris elaborat. At contra alius sitim habet, ingenium non habet. Amor ergo ad meditandum hunc pertrahit, sensus hebetudo contradicit et sæpe hoc in divinæ legis eruditione quandoque studendo intelligit, quod per negligentiam ingeniosus nescit; hujus ergo stulti divitias sitientes bibunt, dum præcepta Dei quæ ingeniosi fastidientes nesciunt, hebetes amantes assequuntur.

(553) Ex hom. 11 in Evang.
(554) Ex l. XXII in Job, c. III, 4.
(555) Ex l. VI in Job, c. III.
(556) Ex c. V, lib. sup. IV.

Digitized by Google

CAPUT VII.

DE ARGENTO.

In Scriptura sacra argenti nomine, aliquando divinum eloquium, aliquando divini eloquii scriptores designantur.

(557) Argenti nomine divinum eloquium designatur, sicut per Psalmistam dicitur : *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum* (*Psal.* XI, 7). Bene eloquia Domini argentum igne examinatum dicuntur, quia sermo Dei si in corde figitur, tribulationibus probatur. Sed quia nonnulli eloquium Domini non interius per exhibitionem, sed exterius per ostensionem habere concupiscunt, bene per prophetam dicitur : *Disperierunt omnes involuti argento* (*Soph.* I, 11). Illi nimirum, qui eloquia Dei non interiori refectione se replent, sed exteriori ostensione se vestiunt. Unde Judæis solam litteram servantibus per Prophetam dicitur : *Quare appenditis argentum, et non in panibus* (*Isai.* LV, 2) (558) : Ac si diceret : Pensatis sacra eloquia, sed non in refectione : quia dum solum speciem litteræ custoditis de spirituali intelligentia pinguedinem internæ refectionis amittitis.

(559) Argenti nomine divini eloquii scriptores designantur, sicut cum beatus Job sapientiæ pretium requireret, ait : *Non appendetur argentum in commutatione ejus.* Quia enim argento sæpe eloquia divina signantur, possunt argenti vocabulo etiam ejusdem eloquii scriptores intelligi, quorum vita inter turbas hominum resplenduit luce virtutum. Sed quia lex peccata indicare potuit, non auferre : non quisquam veterum patrum, non legislator Moyses humani generis redemptor exstitit. Argentum ergo in commutatione hujus sapientiæ non appenditur : quia quilibet sancti esse potuerunt in comparatione unigeniti filii **428** nullius meriti esse pensantur. Qui nisi hujus sapientiæ servos se cognoscerent, sancti nullatenus fuissent. Ad hoc quippe illi missi sunt, ut in cordibus hominum viam huic sapientiæ prædicando præparent, neque ut pro ea, sed per eam subjectos populos regant. Quia enim certum erat quod per accessum temporum deficientis sæculi languores excrescerent, actum est ut æterna Dei sapientia in fine sæculorum per semetipsam veniret ad grandem hunc et nimiæ infirmitatis ægrotum, id est, per totum mundum jacens languidum genus humanum : ut transmissis prius prædicatoribus, quasi quibusdam viatoribus tanto post modum major fieret potentia medici, quanto magis morbus crevisset ægroti. Quia vero nullus vitæ ejus ad salvandos nos mittitur, recte dicitur, nec appendetur argentum in commutatione ejus : quia vita justorum prædicantium quantalibet sanctitatis luce polleat, dventum nobis supernæ sapientiæ per suam præentiam non commutat.

(557) Ex l. IV in Job c. XXVIII, ante finem 35, 36 ; et l. XVIII, c. XI.
(558) Ex l. XXIII, in Job, c. XVII.

CAPUT VIII.

DE ELECTRO.

(560) Electri nomine Redemptor noster designatur, sicut per Ezechielem de ipso dicitur. *De medio ejus quasi species electri, hoc est, de medio ignis* (*Ezech.* I, 4). Ignis quippe hoc nomine ardor persecutionis intelligitur, quo Judæa contra auctorem suum exarsit. Quid vero electri specie nisi Christus Jesus mediator Dei et hominum designatur ? Electrum quippe ex auro et argento est. In electro dum aurum argentumque miscetur, argentum ad claritatem crescit, aurum vero a suo fulgore pallescit. Illud ad claritatem proficit, hoc claritate temperatur. Quia igitur in unigenito Dei Filio natura divinitatis unita est natura nostra, in qua adunatione humanitas in majestatis gloriam crevit, divinitas vero a sui fulgoris potentia humanis se oculis temperavit, per hoc, quod humana natura clarior facta est, quasi per aurum crevit argentum. Et quia divinitas a fulgore suo nostris aspectibus est temperata, quasi aurum nobis palluit **429** per argentum. Illa enim natura immutabilis, quæ in se manens innovat omnia, si ita ut est, nobis apparere voluisset, fulgore suo nos incenderet potius quam renovaret. Sed claritatem suæ magnitudinis temperavit nostris oculis Deus, ut dum nobis ejus claritas temperatur, etiam nostra infirmitas per ejus similitudinem in ejus luce claresceret, et per acceptam gratiam, ut ita dicam, suæ habitudinis colorem mutaret. Quasi electrum ergo in igne est Deus factus homo in persecutione. Iguis namque malitiæ qui a Judæorum cordibus arsit in persecutione, priusquam sanctos apostolos sæviendo affligeret, in ipso se exercuit auctore ac Redemptore generis humani.

CAPUT IX.

DE FERRO.

In Scriptura sacra ferri nomine, aliquando conversorum soliditas, aliquando fortitudo, aliquando prædicationis jaculum, aliquando is, qui nocendi malitiam non deserit, designatur.

(561) Ferri nomine conversorum soliditas designatur, sicut beatus Job testatur dicens : *Ferrum de terra tollitur* (*Job* XXVIII, 2). Occulto consilio suo omnipotens Deus quosdam ab exordiis suis innocentes custodiens usque ad virtutum summa provehit, ut ætate crescente simul in eis proficiat et annorum numerositas, et celsitudo meritorum. Alios vero in exordiis suis deserens, scaturientibus vitiis ire per abrupta permittit. Plerumque tamen etiam eos respicit, et ad sequendum se sancti amoris igne succendit : atque inolitas in eorum cordibus prurigines vitiorum vertit in fervorem virtutum : et eo magis ignescunt ad desiderium requirendæ pietatis Dei, quo magis erubescunt memoriam iniquitatis suæ. Sicut **430** sæpe contingit ut in pu-

(559) Ex l. XVIII in Job, c. XXVIII, 15.
(560) Ex hom. 2 in Ezech. paulo post med.
(561) Ex l. XVIII in Job, c. XV.

Digitized by Google

gnæ certamine miles ante ducis sui oculos constitutus hostili virtuti turpiter cedat, et enerviter præbens terga feriatur : Qui tamen hoc ipsum quod turpiter cessit erubescens, ante ducis sui oculos majores ex ipsa verecundia vires sumit : tantaque post fortia exercet, quantis et præsentem gloriam virtutis peragat, et præteritæ ignominia debilitatis tergat. Sic ergo nonnunquam quidam in Dei servitio ex anteacta acrius debilitate roborantur, eosque ad custodienda mandata et futurorum trahit desiderium et impellit memoria præteritorum : ut hinc ad ventura amor provocet, illinc de præteritis memoria instiget. Quod tamen adversarii Ecclesiæ dum summis præditos virtutibus vident, eisque in præsenti vita unde derogent quia invenire nequaquam possunt, accusare illos de præteritis moliuntur sicut Moysen nostrum Manichæus impetit in quo sequentium virtutum gratiam transacti homicidii conatur culpa fœdare. In quo non attendit postmodum quam patiens ad sustinendum, sed prius quam præceps ad feriendum fuerit. Talibus ergo adversariis Job subtilissima consideratione obvians ait : Ferrum de terra tollitur, ut scilicet qui infirmus prius despectusque fuerat per terrena negotia, fortis postmodum factus est, ad cœlestia prædicamenta.

(562) Ferri nomine fortitudo designatur, sicut ad Ezechielem a Domino dicitur : *Et tu sume tibi sartaginem ferream, et pones eam murum ferreum inter te et civitatem* (*Ezech.* IV, 3). Per sartaginem namque frixura, per ferrum vero fortitudo signatur. Quid autem ita magistri atque doctoris mentem quam zelus Domini frigat et excruciat? Et quidem Paulus hujus sartaginis incendebatur frixura, cum diceret : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Et quis scandalizatur et ego non uror?* (*II Cor.* XI, 29.) Et quia quisquis zelo Dei contra peccantes accenditur, forti in perpetuum custodia munitur ne ex neglecta prædicationis et regiminis cura damnetur recte dicitur : Pones eam murum ferreum inter te et civitatem. **431** Sartago enim ferrea et murus ferreus inter prophetam et civitatem ponitur : quia cum nunc fortem zelum doctores exhibent, eumdem postmodum zelum inter se et auditores suos fortem munitionem tenent ; ne tunc ad vindictam destituti sint si nunc fuerint in corruptione dissoluti. Hanc sartaginem propheta idem ut inter se et auditores suos murum sumeret, audiebat, cum ei divina vox præmitteret, dicens : *Si tu annuntiaveris impio et ille non fuerit conversus ab impietate sua, et a via impia : Ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti* (*Ezech.* III, 19). Hanc sartaginem inter se et discipulos murum Paulus posuerat cum dicebat : *Mundus sum a sanguine omnium vestrum* (*Act.* XX, 26). Non enim subterfugi quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis. Nunc ergo doctores necesse est, ut appetant zeli ardoribus frangi, ne cogantur post de corpore negligentiæ igne gehennæ cruciari. Sed aliud est quod injustis et subditis, aliud quod justis et non subditis debemus. Ad illorum nos correptionem atque custodiam reddendarum rationum debet timor accendere, ad istorum vero venerationem ipsa considerata æquitas inclinare. Sed arrogantes viri, quia hujus formam discretionis ignorant, justis et non subditis exhibent quod a bonis prædicatoribus fieri injustis et subditis vident.

(563) Ferri nomine prædicationis jaculum designatur. Unde Dominus de diaboli violentia per antichristum acturus cum loquens ad Job dicit : *Reputabit ut paleas ferrum, et quasi lignum putridum æs* (*Job* XLI, 18). Ferrum namque acuitur ut adversarius vulneretur. Æs autem rubigine pene nulla consumitur. Ferro ergo prædicationis jaculum, ære autem longanimitatis constantia designatur. Unde et sub Aser specie de sancta Ecclesia per Moysen dicitur : *Ferrum et æs calceamentum ejus* (*Deut.* XXXIII, 25). Calceamentum quippe in Scriptura sacra munimen prædicationis accipitur, sicut scriptum est : *Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis* (*Ephes.* VI, 18). Quia ergo per ferrum exprimitur virtus, et æs calceamentum ejus dicitur, dum prædicatio illius acumine simul et constantia munitur. Per ferrum enim mala adversantia **432** penetrat, per æs autem bona quæ proposuit, longanimiter servat. Cujus profecto illic perseverantium apertius insinuat subdens : Sicut dies juventutis ejus, ita erit et senectus illius. Sed diabolus cum antichristum in exercitationem suæ iniquitatis assumpserit, et ferrum velut paleas, et æs velut lignum putridum reputabit, quia nisi divina gratia protegat, et prædicantium vires velut paleas nequitiæ suæ igne consumet, et patientium constantiam quasi lignum putridum in pulverem rediget. Et acumen igitur ferri, et æris fortitudo deficit : dum per violentiam virtutis illius, et prædicationis sensus obtunditur, et patientiæ longanimitas dissipatur.

(564) Ferri nomine is qui nocendi malitiam non deserit designatur : sicut captivo Israelitico populo numero tamen ab iniquitate converso Dominus exprobrat dicens : *Versa est mihi domus Israel in scoriam : omnes isti æs, et stannum, et ferrum, et plumbum in medio fornacis* (*Ezech.* XXII, 18). Ac si aperte dicat : Purgare eos per ignem tribulationis volui, et argentum illos vel aurum fieri quæsivi ; sed in fornace mihi in æs, stannum, ferrum et plumbum versi sunt, quia non ad virtutem, sed ad vitia etiam in tribulatione proruperunt. Æs quippe dum percutitur amplius metallis cæteris sonitum reddit. Qui igitur in percussione positus erumpit ad sonitum murmurationis, in æs versus est in medio fornacis. Stannum vero cum ex arte componitur, in argenti speciem mittitur. Qui vero simu-

(562) Ex l. XXVI in Job, c. XII.
(563) Ex l. XXXIV in Job, c. VIII, 5.
(564) Ex III part. Past. c. XIV.

Digitized by Google

lationis vitio non caret in tribulatione, stannum factus est in fornace. Ferro autem utitur, qui vitæ proximi insidiatur; Ferrum itaque in fornace est, qui nocendi malitiam non amittit in tribulatione. Plumbum quoque cæteris metallis est gravius. In fornace ergo plumbum invenitur, qui sic peccati sui pondere premitur, ut etiam in tribulatione positus a terrenis desideriis non levetur.

433 CAPUT X.

DE ÆRE.

In Scriptura sacra æris nomine, aliquando Christus intelligitur, aliquando vera fortitudo, aliquando constantia longanimitatis, aliquando sonora prædicantium vox, aliquando obscura patrum veteris testamenti prædicatio, aliquando dicitur et insensibile pravorum cor, aliquando is, qui in flagello positus murmurat, designatur.

Æris nomine Christus intelligitur, sicut per Ezechielem de ipso dicitur : *Et ecce vir, cujus erat species quasi species æris* (*Ezech.* XL, 3). Quis enim viri nomine nisi mediator Dei et hominum homo Christus Jesus intelligitur? Sed quærendum est cur de hoc viro dicitur, cujus erat species, quasi species æris. Cuncti autem novimus metallum æris valde esse durabile, atque omnimodo sonorum. Quid est ergo quod aspectus mediatoris Dei et hominum speciei comparatur æris, nisi hoc quod aperte novimus, quia unigenitus Dei Filius formam servi accipiens, fragilitatem carnis humanæ, per resurrectionis suæ gloriam, vertit in æternitatem, quia in eo jam caro facta sine fine durabilis. *Nam surgens a mortuis, jam non moritur, et mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI, 4). Quid est autem quod ipsa ejus incarnatio sonoro metallo comparatur, nisi quod per eamdem assumptionem humanitatis nostræ insonuit omnibus gloria majestatis suæ? Qui quasi aspectum æris habet ex corpore, quia Deus mundo innotuit ex carne. Dicatur ergo : Aspectus ejus, quasi **434** species æris : quia prædicatio ejus quasi quidam sonitus ex ære est.

(564*) Æris nomine vera fortitudo intelligitur, sicut per beatum Job dicitur : *Et lapis calore solutus in æs vertitur* (*Job* XXVIII, 2). Quid enim per lapidem nisi cor durum est, quid per æs nisi vera fortitudo designatur? Tunc autem lapis calore solvitur, cum cor durum atque a divini amoris igne frigidum eodem divini amoris igne tangitur, et in fervore spiritus liquatur, ut ad sequentem vitam desideriorum æstu ardeat quam prius audiens insensibilis manebat. Ex quo ardore scilicet emollitur ad amorem et roboratur ad operationem, ut sicut prius durus fuerat in amore sæculi, ita se postmodum fortem exerat in amore Dei, et quod antea audire renuebat jam et credere et prædicare incipiat. Lapis ergo calore solutus in æs vertitur, quia dura mens superni amoris igne liquefacta ad veram fortitudinem commutatur : ut peccator qui prius insensibilis exstiterat, postmodum et per auctoritatem fortis, et per prædicationem sonorus fiat. Quod bene per Isaiam dicitur : *Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem* (*Isai.* XL, 31). Fortitudinem quippe mutamus, cum conversi tanta virtute præsens sæculum fugimus quanta hic ante quærebamus.

Æris nomine constantia longanimitatis designatur sicut Domini voce didicimus ad beatum Job de diaboli malitia sic loquentis : *Reputabit ut paleas ferrum et quasi lignum putridum æs* (*Job* XLI, 18). Lege cap. 9, dist. 3, supra.

Æris nomine sonora prædicantium vox designatur, sicut de ipsis sub specie animalium per Ezechielem dicitur : *Et scintillæ quasi aspectus æris candentis* (*Ezech.* I, 7) (565). Æris metallum valde sonorum est : et recte voces prædicantium æri comparantur, quia *in omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII, 7). Bene autem æs candens dicitur, quia vita prædicantium sonat et ardet. Ardet enim desiderio, sonat verbo. Æs ergo candens, est prædicatio accensa. **435** Sed de candente ære scintillæ prodeunt, quia de eorum exhortationibus verba flammantia ad aures audientium procedunt. Recte autem prædicatorum verba scintillæ appellata sunt, quia eos quos in corde tetigerint, incendunt. Considerandum quoque est quod scintillæ subtiles valde, et tenues sunt quia, cum prædicatores sancti de cœlesti patria loquuntur, non tantum valent aperire verbo, quantum possunt ardere desiderio. Ex eorum lingua quasi quædam ad nos scintillæ veniunt, quia de cœlesti patria in eorum voce vix tenue aliquid cognoscitur, quod tamen ab eis non tenuiter crematur. Neque enim cœlestem gloriam aut tamen videre sufficiunt aut quantum est : aut tantum loqui prævalent, quantum vident. Candens ergo æs scintillas projicit : quando vix tenuiter prædicator loqui sufficit hoc unde ipse fortiter ignescit.

(566) Æris nomine obscura Patrum veteris testamenti prædicatio designatur : *Unde in constructione tabernaculi ut columnæ argenteæ interius starent, paxilli ærei figi per circuitum exterius jussi sunt in quibus religatum tabernaculum teneretur* (*Exod.* XXXVIII, 31). Columnæ itaque argenteæ interius paxilli vero ærei in circuitu figuntur, atque in ipsis funes ligati sunt, ut fixum tabernaculum maneret, quia videlicet, ut sancti apostoli in luce sermonis sui solidi starent et totum tabernaculum, id est sancta Ecclesia, in fidei integritate consisteret, tanquam paxilli ærei patres Veteris Testamenti ac prophetæ exterius fixi sunt qui verborum suorum funibus prædicatorum mentes in soliditate stringerent. Extra ergo paxilli sunt, quia ante tempus hujus sanctæ Ecclesiæ fuerunt, sed tamen eos ligant qui in ipsa sunt, quia ventura cœlestia mysteria prædicant, hæc postquam ostensa sunt, credibilia omnibus fecerunt. Ut ergo intus columnæ immobiles stent, foris paxilli funes continent, quia ut sancti apostoli perfecte Incarna-

(564*) Ex l. XVIII in Job, c. XVII.
(565) Ex hom. III in Ezech, post initium.
(566) Ex hom. 15 in Ezech. post med,

Digitized by Google

tionis Dominicæ mysterium crederent illorum prædicatio obtinuit, qui hoc priusquam fieret et videre et prædicere potuerunt. Nec immerito columnæ argenteæ, paxilli vero ærei facti sunt, quia, **436** quod clare jam apostoli prædicant, hoc prophetæ sub intellectu mystico obscure locuti sunt. Recte ergo per æris metallum signati sunt, qui clari in suis prædicationibus non fuerunt. Sancti vero apostoli, quia Redemptoris nostri mysterium luce prædicationis habuerunt, argenteis columnis expressi sunt. Et notandum quod argentum sonat et lucet, æs vero sonat et non lucet, quia prædicatores Novi Testamenti aperte locuti sunt quæ etiam monstrare potuerunt, prædicatores vero Veteris Testamenti, quia per allegoriarum umbras de cœlesti mysterio obscura dicta protulerunt, quasi sine luce sonitum dederunt.

(567) Æris nomine durum et insensibile cor pravorum per Job dicitur : *Nec fortitudo lapidum, fortitudo mea, nec caro mea ænea est* (*Job* VI, 12). Quid enim hoc loco ære ac lapidibus nisi insensibilium hominum corda signantur? Qui sæpe et supernos ictus accipiunt, et tamen nulla disciplinæ percussione mollescunt. Quo contra electis per prophetam pollicente Domino dicitur : *Tollam a vobis cor lapideum et dabo vobis cor carneum* (*Ezech.* XI, 19). Paulus quoque ait : *Si linguis hominum loquar, et angelorum charitatem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens* (I *Cor.* XIII, 1). Scimus autem quoniam percussi lapides clarum sonum reddere nequeunt, æs vero cum percutitur, canorus valde sonus ex ejus percussione formatur. Quod quia ut lapis vita caret, sensum in sonitu non habet. Et sunt nonnulli qui lapidibus similes, ita ad pietatis præcepta duruerunt, ut cum eos percussio supernæ animadversionis examinat, nequaquam sonitum humilis confessionis reddant. Quidam vero a metallo æris in nullo discrepantes, cum flagella supernæ percussionis accipiunt, piæ confessionis sonitum emittunt; sed quia humilitatis voces ex corde non proferunt, ad statum salutis reducti nesciunt quod promiserunt. Illi ergo more lapidum percussi nec voces habent, isti autem in nullo æris imitationem fugiunt qui in percussione positi bona quæ non sentiunt loquuntur. Illi venerationem ferientis et verbera denegant; isti pollicentes quod non implent sine vita clamant. Vir igitur sanctus reproborum duritiam **437** inter verbera fugiens clamat : Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est ; ac si aperte fateatur dicens : Reproborum similitudinem sub disciplinæ verbere fugio, quia nec more lapidum ita obdurui, ut sub percussionis stimulo a ministerio confessionis resono, et sensum vocis ignoro. Sed quia, ad percussionem reprobi debiliter fortes sunt, electi autem valenter infirmi : beatus Job, dum fortem se per insaniam non esse asserit, fortem se per statum salutis innotescit.

(567) Ex l. VII in Job, c. IX, 10.
(567*) Ex l. XIV in Job, cap. XXV, XXVI.

Æris nomine is qui in flagello positus murmurat designatur, sicut in captivo Israelitico populo, nec tamen ab iniquitate converso Dominus exprobrat, dicens : *Versa est mihi domus Israel in scoriam* (*Ezech.*, XXII, 18). Omnes isti æs, et stannum, et ferrum, et plumbum in medio fornacis. Vide supra cap. 9, dist. 4.

CAPUT XI.

DE PLUMBO.

In Scriptura sacra plumbi nomine, aliquando Judæa, aliquando peccatum avaritiæ, aliquando quilibet peccatorum pondere pressus designatur.

(567*) Plumbi nomine Judæa designatur, unde per beatum Job dicitur : *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? Quis mihi det ut exarentur in libro stylo ferreo, et plumbi lamina vel celte sculpantur in silice* (*Job* XIX, 24). Cuncta quæ pertulit beatus Job, quia forti Patrum sententia doctus gravis ille Judææ populus agnovit, stylo ferreo, et plumbi lamina scripta sunt. Quia vero hæc etiam dura gentilium corda cognoverunt quid ea sculpta in silice videmus? Et notandum quia in plumbo quod scribitur ipsa metalli **438** mollitie citius deletur. In silice vero tardius quidem valent litteræ imprimi, sed difficilius deleri. Non ergo immerito per plumbi laminam Judæa exprimitur, quæ præcepta Dei et sine labore percepit, et cum celeritate perdidit. Recte quoque per silicem gentilitas figuratur, quæ verba sacri eloquii vix custodienda suscipere potuit, sed fortiter suscepta servavit. Per stylum vero ferreum quid aliud quam fortis Dei sententia designatur? Unde et per prophetam dicitur : *Peccatum Judæ scriptum est stylo ferreo, in ungue adamantino* (*Jerem.* XVII, 1).

(568) Per plumbum quoque cujus natura gravis est ponderis, peccatum avaritiæ designatur : quia mentem quam infecerit ita gravem reddit, ut ad appetenda sublimia attolli nequaquam possit, hinc enim in Zacharia scriptum est : *Leva oculos tuos, et vide, quid est hoc quod egreditur*, etc. (*Zach.* V, 5).

Plumbi nomine quilibet peccatorum pondere pressus designatur : sicut in captivo Israelitico populo, nec tamen ab iniquitate converso Dominus exprobrat, dicens : *Versa est mihi domus Israel in scoriam* (*Ezech.* XXII, 18). Omnes isti æs et sunt, et ferrum, et plumbum in medio fornacis. Vide supra cap. 9, dist. 4.

CAPUT XII.

DE STANNO.

Stannum designat simulatorem sanctitatis. Vide ibidem.

439 CAPUT XIII.

DE ARMIS.

In Scriptura sacra armorum nomine, aliquando sanctorum miracula, aliquando humana patrocinia, aliquando fraudes diaboli, aliquando necessitates

(568) Ex h XIV in Job, c. XXVI, XXVII.

Digitized by Google

vitæ præsentis, aliquando membra corporis nostri designantur.

(569) Armorum nomine sanctorum miracula designantur, sicut scriptum est : *In lumine jacula tua ibunt in splendore fulgoris armorum tuorum* (*Habac.* III, 4). Jacula quippe Dei in lumine ire, est verba ejus aperta veritate resonare. Sed quia sæpe homines verba vitæ, etiam intellecta despiciunt, adjunguntur etiam miracula. Unde illic subdidit : *In splendore fulgoris armorum tuorum* (570). Fulgor quippe armorum est claritas miraculorum. Armis namque nos tuemur, jaculis adversa destruimus. Arma ergo cum jaculis, sunt miracula cum prædicamentis. Sancti enim prædicatores verbis suis, quasi quibusdam jaculis adversarios feriunt : armis vero, id est miraculis, semetipsos tuentur, ut et quantum sint audiendi sonent per impetum jaculorum, et quantum sint reverendi clarescunt per arma miraculorum.

(571) Armorum nomine humana patrocinia designantur, sicut per Psalmistam dicitur : *Arcum conteret, et confringet arma et scuta comburet igni* (*Psal.* XLV, 10). Arcum namque conterit Dominus, cum cuncta occulta insidiantium machinamenta dissolvit. Arma confringit, cum ea quæ contra se erecta fuerant patrocinia humana comminuit. Scuta igni comburit, cum peccantium mentes obstinata se duritia defendentes **440** ad pœnitentiæ et confessionis ardorem sancti Spiritus calore succendit.

(572) Armorum nomine fraudes diaboli innumeræ designantur, sicut voce Dominica didicimus, qui de sancto prædicatore sub equi nomine loquens ait : *Terram ungula fodit, exsultat audacter, in occursum pergit armatis* (*Job* XXXIX, 24). Terram namque ungula fodere, est districta abstinentia carnem domare. Quo autem plus caro premitur, eo de cœlesti spe animus securius lætatur. Unde effossa terra apte subnectitur, exsultat audacter. Qui enim valenter reprimit, quod impugnat audacter de his exsultat, quæ in æterna pace desiderat, tantoque melius ad superna appetenda componitur, quanto ab illicitis arctius corpus edomatur. Quia vero quisque in ipso belli certamine positus tanto facilius fraudem hostium conspicit, quanto et districtius corpus proprium, quasi quemdam hostium adjutorem premit, recte post contritionem corporis lætitiam cordis subjungit : In occursum pergit armatis. Hostes quippe armati sunt immundi spiritus, innumeris contra nos fraudibus accincti. Qui cum suadere nobis iniqua nequeunt, ea sub virtutum specie nostris obtutibus opponunt, et quasi sub quædam arma se contegunt, ne in sua malitia a nobis nudi videantur. Quibus hostibus armatis in occursum pergimus, quando eorum insidias longe prævidemus. Effossa igitur terra armatis hostibus in occursum pergere, est edomita immundorum spirituum mirabiliter explorare. Effossa terra armatis hostibus in occursum pergere, est, devicta carnali nequitia contra spiritalia certamen subire. Nam qui adhuc secum enerviter pugnat, frustra contra se bella extra posita suscitat. Qui enim semetipsum carnalibus subjugat, quomodo spiritalibus vitiis resultat ? Aut quomodo de labore externi certaminis triumphare appetit, qui apud semetipsum domestico libidinis bello succumbit ? Vel certe armatis hostibus, in occursum pergimus, quando per exhortationis studium eorum insidias, et in alieno corde prævenimus. Quasi enim ex loco, in quo fuimus, ad locum alium obviam hostibus **441** pergimus, quando nostra cura ordinate postposita accessum immundorum spirituum a proximi mente prohibemus.

(573) Armorum nomine necessitates vitæ præsentis designantur, sicut per Job de avaro dicitur : *Fugiet arma ferrea et irruet in arcum æreum* (*Job* XX, 24). Quid enim sunt arma ferrea, nisi necessitates vitæ presentis, quæ dure vitam inopis premunt, etiam insequuntur.

Armorum nomine membra corporis nostri intelliguntur, sicut de reproborum damnatione per prophetam dicitur : *Descenderunt in infernum cum armis suis* (*Ezech.* XXXII, 27). Arma quippe peccantium sunt membra corporis, quibus perversa desideria, quæ concipiunt, exsequuntur. Unde recte per Paulum dicitur : *Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato* (*Rom.* VI, 13). Cum armis ergo ad infernum descendere, est cum ipsis quoque membris, quibus desideria voluptatis expleverunt, æterni judicii tormenta tolerare ut tunc eos undique dolor absorbeat, qui nunc suis delectationibus subditi undique contra justitiam juste judicantis pugnant.

CAPUT XIV.

DE JACULO.

(574) Jaculorum nomine verba sanctorum designantur, sicut scriptum est. *In lumine jacula tua ibunt in splendore fulgoris armorum tuorum* (*Habac.* III, 4). Jacula enim Domini sunt verba sanctorum, quæ corda peccantium feriunt. Sed ista jacula habent arma. Scitis, fratres, quia prælialores viri jacula mittunt, armis vero muniuntur. Dum ergo verbis addunt miracula, quasi armis se muniunt ne ipsi feriantur. In lumine jacula tua ibunt, quia in aperto exeunt verba Dei. Sed quia comitari debent sententias doctorum, facta miraculorum, recte subjungitur : In splendore fulgoris armorum tuorum. Quia dum addunt eis arma **442** miraculorum, mentes persequentium fulgurant, ut eos persequi non præsumant.

(569) Juxta lxx et Hier. ubi pro *fulgore* est *coruscatio*.
(570) Ex l. XXX in Job, c. II, 3.
(571) Ex l. XXXIII in Job, c. XXIV.
(572) Ex l. XXXI in Job, c. XVII, 28, 29.
(573) Ex l. XV in Job, c. XIV.
(574) Ex hom. 5 in Ezech. sub finem.

Digitized by Google

CAPUT XV.

DE SCUTO.

In Scriptura sacra scuti nomine, aliquando protectio divina, aliquando humana repugnatio intelligitur.

(575) Scuti nomine protectio divina designatur, ubi dicitur : *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos* (*Psal.* v, 13). Scuto quippe nos Dominus coronare perhibetur, quia quos protegens adjuvat, remunerans coronat.

Scuti nomine humana repugnatio designatur, sicut per Psalmistam dicitur: *Ibi confregit cornua, arcum, scutum, gladium et bellum* (*Psal.* LXXV, 4). (576) In cornibus quippe elatio superborum, in arcu vero insidiæ longe ferientium, in scuto autem obstinati duritia defensionum, in gladio vicina percussio, in bello autem ipsa contra Deum mentis motio designatur. (577) Quod nimirum totum in sancta Ecclesia confringitur, dum mentes Deo resistentium superposito jugo humilitatis edomantur. Hinc rursus per eumdem Prophetam dicitur : *Arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet ignis* (*Psal.* XLV, 10). Hinc rursum Dominica voce ad beatum Job de diaboli corpore dicitur: *Corpus ejus quasi scuta fusilia. Durum quippe, sed cum labitur fragile solet esse, vas omne quod fusile est* (*Job* XLI, 6). Scuta ergo si sint fusilia in suscipienda sagittarum percussione robusta sunt, sed casu fragilia. Ictu quippe ferientium minime penetrantur, sed suo se lapsu per fragmenta dissolvunt. Corpus ergo Leviathan, id est omnes iniqui, qui per obstinationem duri sunt, sed per vitam fragiles, scutis fusilibus comparantur. Cum enim verba prædicationis audiunt, **443** nulla correctionis jacula se penetrare permittunt, quia in omni peccato quod faciunt, scutum superbæ defensionis opponunt. Nam cum quis talium de reatu suæ iniquitatis arguitur, non mox cogitat quomodo culpam corrigat, sed quid in adjutorio suæ defensionis opponat. Nulla igitur veritatis sagitta penetrantur, quia verba sanctæ correctionis in scuto excipit superbæ defensionis. Bene ergo dicitur : Corpus ejus quasi scuta fusilia, quia omnes iniqui ne ad se corripientium verba perveniant quasi contra adversantium jacula scuta defensionum parant.

CAPUT XVI.

DE CLYPEO.

Clypeorum nomine virtutum munitio designatur, sicut in Canticis sponsi voce ad sponsam dicitur : *Sicut turris David collum tuum quæ ædificata est cum propugnaculis. Mille clypei dependent ex ea omnis armatura fortium* (*Cant.* IV, 4). Relege lib. v, cap. 22, dist. 1.

(578) Clypei nomine diaboli repugnatio designatur, sicut voce Dominica ad beatum Job de sancto prædicatore sub equi nomine dicitur: *Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta et clypeus* (*Job* XXXIX, 26). Pharetra namque contra equum sonitum reddit, cum contra prædicatorem sanctum occulta pravorum machinatio consilium suum quod fraudulenter operit, fraudulentius innotescit, ut præmissis minis, quasi ex sonitu pharetra terreat, cum prædicator Dei apertas contumelias velut cominus ferientia jacula non formidat. Cum vero eisdem minime terretur, mox persecutionum crudelitas ad supplicia manifesta perducitur. Unde bene postquam dictum est, super ipsum sonabit pharetra, illico additur: *Vibravit hasta.* Contra prædicatorem Dei, post pharetræ sonitum hasta vibratur, quando post terrores exhibitos e vicino jam feriens aperta pœna producitur, prædicatores autem sancti, cum pro defensione fidei supplicia subeunt, ad **444** eamdem fidem quos valent rapere et inter verbera non desistunt; et cum patienter vulnera suscipiunt, prudenter contra corda infidelium sagittas prædicationis reddunt. Unde nonnunquam agitur, ut ipsi qui in persecutione sæviunt non tam doleant quod prædicatores non emolliunt quam quod per ejus verba alios amittunt. Quia igitur cum feriendo non superant, ne fortasse et alii qui illum audiunt se derelinquant, mox contra loquentis verba scutum responsionis parant. Unde cum diceret: Vibrabit hasta, recte subjungitur : et clypeus. Persecutor enim sæviens, postquam prædicatoris corpus supplicio percutit, auditorum cor, quasi clypeo verbis suæ disputationis munit. Vir igitur sanctus ut feriri debeat, hasta vibratur; sed, ne audiri possit, clypeus opponitur. Dicatur ergo: *Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta et clypeus.* Contra æquum quippe Dei, quia pravorum consilia perstrepunt, pharetra sonat, quia aperta pœna exquiritur hasta vibratur, quia vero ei etiam in disputatione resistitur, clypeus antefertur.

CAPUT XVII.

DE GLADIO.

In Scriptura sacra gladii nomine, aliquando verbum Dei, aliquando futuri judicii sententia, aliquando pœna æternæ damnationis, aliquando vicina percussio, aliquando tribulatio temporalis, aliquando ira vel persuasio maligni spiritus, aliquando blanda iniquorum persuasio designatur.

445 (579) Gladii nomine verbum Dei designatur, sicut per Paulum dicitur : *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei* (*Ephes.* VI, 17). Hinc Salomon dum fortes spiritalis pugnæ describeret bellatores ait : *Omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi* (*Cant.* III, 8). Quid enim per gladium nisi verbum Dei figuratur? Salomon autem non ait : omnes habentes gladios sed tenentes : quia videlicet verbum Dei non est mirabile solummodo scire, sed facere. Habet quippe, sed non tenet gladium, qui divinum quidem eloquium novit; sed secundum illud vivere negligit. Et doctus esse ad bella jam non valet qui spiritalem

(575) Ex l. XXXIII in Job, c. XXIV, 29.
(576) Pro *cornua* vulgo legitur, *potentias.*
(577) Ex l. et c. sup.
(578) Ex l. XXXI in Job, cap. XV, 26.
(579) Ex l. XIX in Job, c. XVI, 28, 29.

Digitized by Google

hunc et gladium minime exercet. Nam resistere tentationibus omnino non sufficit, qui hunc verbi Dei tenere gladium male vivendo postponit.

(580) Gladii nomine futuri judicii sententia designatur, sicut de hæreticorum sequacibus dicitur : *Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt* (*Job* XXVII, 14). Filii hæreticorum sequaces sunt ipsorum, qui dum erroribus ipsorum consentiunt; quasi ex eorum prædicatione generantur. Sed multiplicati in gladio erunt : quia quamvis modo immensa multitudine in perdita libertate succrescunt, venturi tamen judicii sententia feriuntur. Unde et per Moysen Dominus dicit : *Gladius meus devorabit carnes* (*Deut.* XXXII, 42). Dei enim gladius carnes devorabit, quia in extremo judicio ejus sententia eos qui carnaliter sapiunt, occidet.

(581) Gladii nomine æternæ damnationis pœna designatur, sicut per Heliu de liberato homine dicitur : *Eruens animam ejus de corruptione : et vitam illius ut non transeat in gladium* (*Job* XXXIII, 18). Omnis quippe peccator ex hac corruptione vitiorum illuc ad gladium compellitur transire pœnarum, ut unde hic inique delectatus est, inde illic juste crucietur. Dominus autem quem salvare disponit, prius a corruptione, et post modum a gladio liberat, quia nimirum illius vitam illic eripit ab ultione supplicii, cujus hic mentem subtrahit a delectatione peccati. Neque enim illic **446** habet quod formidare debeat de gladio sententiæ quem hic post emendationem suam pollutio non corruperit culpæ. Bene ergo dicitur : Eruens animam ejus de corruptione, et vitam illius ubi non transeat gladius. De corruptione namque ad gladium transire, est post peracta vitia ad colenda supplicia pervenire.

(582) Gladii nomine vicina percussio designatur, sicut per Psalmistam dicitur : *Ibi confregit cornua arcuum, scutum, gladium, et bellum* (*Psal.* LXXV, 4).

(583) Gladii nomine tribulatio temporalis designatur, sicut Mariæ de secuturis tribulationibus dicitur : *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius* (*Luc.* II, 35).

(584) Gladii nomine ira vel persuasio maligni hostis exprimitur. Sicut per Psalmistam dicitur : *Qui liberasti David servum tuum de gladio maligno* (*Psal.* CXLIII, 10). Benignus quippe est sanctæ prædicationis gladius, quo percutimur, ut a culpa moriamur. Malignus vero est diabolicæ persuasionis gladius quo male quisque percutitur ut a vita rectitudinis exstinguatur.

(585) Gladii nomine blanda iniquorum persuasio designatur, sicut per Eliphaz dicitur : *Porro salvum facit de gladio oris eorum, et de manu violenta pauperem* (*Job* V, 15). Pauper quippe est quisquis apud semetipsum elatus non est. Unde et per Evangelium Veritas dicit : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V, 3). Duobus autem modis ad culpam unusquisque pertrahitur. Aut enim delectatione ducitur, aut terrore superatur. Gladius namque oris est iniquitas persuasionis; manus autem violenta, est adversitas potestatis. Sed quia veraciter humilis, qui hoc loco pauper vocatur, quo nulla hujus mundi prospera appetit, eo audenter etiam adversa contemnunt dicitur : *Salvum faciet*, etc. Ac si aperte diceretur : Sic in se Deus mentes humilium solidat, ut eas ad perpetrandam nequitiam nec blandimenta persuasionum pertrahant, nec dolores suppliciorum frangant.

447 CAPUT XVIII.

DE ARCU.

In Scriptura sacra, arcus nomine, aliquando dies extremi judicii designatur, aliquando supernum judicium, aliquando pravorum insidiæ, aliquando Scriptura sacra, aliquando Spiritus sanctus.

(586) Arcus nomine dies extremi judicii designatur, sicut dicitur : *Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis. Dedisti metuentibus te significationem ut fugiant a facie arcus* (*Psal.* LIX, 3). In arcu enim quanto longe trahitur chorda, tanto de eo districtior exit sagitta. Sic nimirum, extremi dies judicii, quanto longior differtur ut veniat, tanto, cum venerit, de illo districtior sententia procedet. Idcirco autem diversis nunc cladibus percutimur, ut his correcti paratiores tunc inveniri valeamus. Unde illic præmissum est : Ostendisti populo tuo dura, flagella videlicet sæculi quæ secuturum gravius judicii diem præcurrunt. *Potasti nos vino compunctionis.* Ut terrena gaudia in lacrymas verterentur. *Dedisti ergo, ait, metuentibus te significationem ut fugiant a facie arcus.* (*Psal.* LIX, 6). Ac si diceret : Hoc tempus misericordiæ est, illud tempus judicii erit. Per ista ergo hujus temporis flagella significas, quomodo tunc percussurus es, quando non parcens judicas qui sic districte modo percutis, quando parcis.

(587) Arcus nomine supernum judicium designatur, sicut per beatum Job de perverso quolibet dicitur : *Fugiet arma ferrea, et irruet in arcum æreum* (*Job* XX, 22).

(588) Arcus nomine pravorum insidiæ designantur, sicut per Psalmistam dicitur : *Intenderunt arcum rem amaram* (*Psal.* LXIII, 4). Hinc iterum per eumdem Psalmistam **448** dicitur : *Ibi confregit cornua arcum, scutum, gladium, et bellum* (*Psal.* LXXV, 4). Et rursum : *Arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni* (*Psal.* XLV, 10).

(589) Arcus nomine Scriptura sacra designatur, sicut per Psalmistam dicitur : *Arcum suum tetendit et paravit illum, et in eo paravit vasa mortis, sagittas*

(580) Ex l. XVIII in Job, c. VII.
(581) Ex l. XXIII in Job, c. XIV, 22.
(582) Ex l. XXXIII in Job, c. XXIV.
(583) Ex l. XXXIV in Job, c. VIII, 4.
(584) Ubi in editione vulgata, est *redemisti.*
(585) Ex l. VI in Job, cap. XIII, 16.
(586) Ex l. XIX in Job, c. XVI, 28.
(587) Ex l. XV in Job, c. XIV, 12.
(588) Ex l. XV in Job, c. XVI, 28.
(589) Ex l. XIX in Job, c. XVI, 28.

Digitized by Google

suas ardentibus effecit (*Psal.* VII, 13). Quid enim per arcum nisi Scriptura sacra signatur? Ipse quippe arcus est Ecclesiæ ipsa arcus est Domini, de quo ad corda hominum sicut ferientes sagittæ, sic terrentes sententiæ veniunt. Arcum autem suum Dominus tetendit, quia cunctis peccatoribus per Scripturam sacram minas exhibuit. In quo scilicet arcu vasa mortis præparat, quia secundum eloquii sui sententiam eos, qui nunc corrigi negligunt, reprobos damnat. In quo etiam sagittas suas ardentibus efficit, quia ad eos quos per terrorem corrigit, accensas verborum sententias emittit.

(590) Arcus nomine Spiritus sanctus designatur, sicut per Ezechielem de visione ignis dicitur : *Velut aspectus arcus cum fuerit in nube in die pluviæ* (*Ezech.* XIX, 28). Arcum omnipotens Deus inter se atque homines in signo posuit, ut ultra mundum diluvio non deleret dicens : *Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum fœderis inter me et terram. Cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus : et recordabor fœderis mei vobiscum* (*Genes.* IX, 13). Unde et in arcu eodem color aquæ et ignis simul ostenditur, quia ex parte est cæruleus, et ex parte rubicundus : ut utriusque judicii, testis sit, unius videlicet faciendi, et alterius facti; sed jam non ulterius faciendi, quia mundus quidem judicii igne cremabitur, sed aqua jam diluvii non deletur. Quid est autem quod splendentem ignem a lumbis hominis throno præsidentis, sicut ait : Velut aspectus arcus, cum fuerit in nube in die pluviæ, propheta conspexit? Quia enim per ignem ardor sancti Spiritus designatur, quæ similitudo est arcus et spiritus ut ignis qui apparuit, quasi aspectus arcus apparuisse diceretur. Sed si ipsi quam prædiximus visioni arcus, intendimus : quomodo arcus spiritum significet videmus. In arcu quippe, **449** sicut præfatus sum, aqua et ignis apparet. Et post mediatoris adventum eo virtus Spiritus sancti in humano genere claruit : quo electos Dei, et aqua baptismatis lavit, et igne divini amoris incendit. Quasi enim admisto colore aqua simul et ignis quidam arcus in nube ad probationem ponitur, cum Veritas dicit : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* (*Joan.* III, 5). Qui arcus in nube est in die pluviæ, quia in Dominica Incarnatione et in effusione prædicationis ostenditur : ut ad veniam corda credentium Domino parcente revocentur. Nubem enim Redemptoris carnem non inconvenienter accipimus. De qua per Psalmistam dicitur : *Qui ponit nubem ascensum suum* (*Psal.* XCVIII, 7). Nubem quippe ascensum suum Dominus posuit, quia is qui divinitate ubique est, carne ad cœlestia ascendit

CAPUT XIX.

DE PHARETRA.

In Scriptura sacra pharetræ nomine, aliquando occultum Dei consilium, aliquando pravorum machinatio intelligitur.

(591) Pharetræ nomine occultum Dei consilium designatur, sicut per beatum Job dicitur sub persona Ecclesiæ : *Pharetram suam aperuit et afflixit me* (*Job* XXX, 11). Quid enim per pharetram nisi occultum Dei justumque consilium designatur. Sicut in pharetra sagittæ, sic in occulto Dei consilio latent sententiæ. Quasi autem ex pharetra sagitta educitur, quando ex occulto Dei consilio aperta sententia jaculatur. Ait ergo : Pharetram suam aperuit, et afflixit me, id est occultum suum detexit et publica me percussione vulneravit.

(592) Pharetræ nomine pravorum machinatio designatur, sicut per Psalmistam dicitur : *Paraverunt sagittas* **450** *suas in pharetra; ut sagittent in obscuro rectos corde* (*Psal.* X, 2). Iniqui enim cum dolos quos bonis excogitant, secretis machinationibus occultant, quasi in pharetra sagittas parant. Et in hac præsentis vitæ caligine velut in obscuro rectos corde feriunt; quia malitiosa eorum jacula et sentiri per vulnus possunt, et tamen venientia deprehendi non possunt.

CAPUT XX.

DE SAGITTIS.

In Scriptura sacra sagittarum nomine, aliquando sacri eloquii sententiæ, aliquando prædicationis verba, aliquando animadversionis percussio, aliquando doli pravorum designantur.

Sagittarum nomine sacri eloquii sententiæ designantur, sicut per Psalmistam dicitur : *Arcum suum tetendit et paravit illum et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* Relege cap. 18 supra, dist. 4.

(593) Sagittarum nomine prædicationis verba designantur, sicut venienti Redemptori dicitur : *Sagittæ tuæ acutæ potentissime populi sub te cadent in corda* (*Psal.* XLIV, 16). Prædicationis autem eloquia non immerito sagittis comparantur, quia in eo quod vitia feriunt male viventium, corda transfigunt. De his sagittis iterum per eumdem Psalmistam dicitur : *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum* (*Psal.* LXIII, 8). Quia scilicet verba humilium penetraverunt corda superborum.

(594) Sagittarum nomine animadversionis percussio designatur, sicut Joas regi per Eliseum dicitur : *Jace sagittam. Quo jaciente ait : Percuties Syriam donec consumas eum* (*I V Reg.* XIII, 17). Hinc per beatum Job dicitur : *Verba mea* **451** *dolore sunt plena; quia sagittæ Domini in me sunt quarum indignatio ebibit spiritum meum* (*Job* LXVII, 4). (595) Vir namque sanctus quia peregrinationis suæ ærumnam respicit, quia sub percussionibus Dominicæ animadversionis ingemiscit, dicit : Verba mea dolore sunt plena, etc. Ac si aperte dicat : Ego in exsilii mei damnatione non gaudeo, sed sub judicio positus doleo, quia

(590) Ex hom. 8, in Ezech.
(591) Ex l. XX in Job, c. XVII, 19.
(592) Ex l. XXXI in Job, c. XIV, 25.
(593) Ex l. VII in Job, c. II.
(594) Ex l. XXXIV in Job, c. X, 5.
(595) Ex l. VII in Job, c. II, 5.

Digitized by Google

vim percussionis agnosco : plerique autem sunt quos tormenta cruciant, sed non emendant. Quo contra apte subjungitur : Quarum indignatio ebibit spiritum meum : Quid enim est spiritus hominis nisi spiritus elationis ? Sagittæ autem Domini spiritum hominis ebibunt, cum supernæ animadversionis sententiæ afflictam mentem ab elatione compescunt. Sagittæ Domini spiritum hominis ebibunt, quia intentum exterioribus introrsus trahunt. Epotatus David spiritu fuerat cum dicebat : *In deficiendo ex me spiritum meum tu cognovisti semitas meas* (*Psal.* LXXVI, 20). Et rursum : *Negavi consolari animam meam, memor fui Dei, et delectatus sum, exercitatus sum et defecit paulisper spiritus meus* (*ibid.*, 3). Sagittarum ergo indignatio ebibit spiritum justi, quia supernæ sententiæ electos quos in peccatis inveniunt, dum vulnerant immutant, ut duritiam suam transfixa mens deserat, atque ex salutifero vulnere sanguis confessionis currat.

Sagittarum nomine doli pravorum designantur. Vide supra cap. 19, dist. 1.

CAPUT XXI.

DE HASTA.

In Scriptura sacra hastæ nomine, aliquando aperte sæviens pravorum persecutio, aliquando prædicationis jaculum designatur.

Hastæ nomine aperte sæviens pravorum persecutio designatur, sicut de sancto prædicatione sub equi nomine Dominica voce dicitur : Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit **452** hasta et clypeus. Relege cap. 16, dist. 2 supra.

(596) Hastæ nomine prædicationis jaculum designatur, sicut voce Dominica de diaboli potenti nequitia sub figura Leviathan ad beatum Job dicitur : *Cum apprehendit eum gladius subsistere non poterit neque hasta, neque thorax* (*Job* XLI, 17). Gladius namque est antiqui hostis ille tunc damnatus homo in usum ministerii ejus assumptus, ipsum quippe per malitiam et infirmorum corda transfigit, hunc autem Leviathan iste gladius apprehendit, cum eum suus damnatus homo suscepit. Quid autem per hastam nisi prædicationis jaculum ; quid per thoracem nisi fortitudo patientiæ designatur ? Per hastam quippe adversarium percutimus, thorace vero ab adversario munimur ; per hastam vulnera inferimus, per thoracem tegimur, ne vulneremur. Leviathan ergo iste quia per assumptum reprobum hominem iram omnimodo crudelitatis effrena, apprehendi gladio dicitur. Nam per ostensionem immensæ tunc fortitudinis exhibet quidquid nequiter potest. Sed neque hasta neque thorax subsistere poterit, quia in Antichristo veniens malignus hostis tantæ virtutis apparebit, ut si supernum adjutorium desit, et prædicantium acumen obtundat, et longanimitatem patientium destruat. Nisi enim justorum vita superna gratia solidetur, non subsistit hasta, quia prædicatorum virtus frangitur ; non substitit thorax, quia constantium patientia disrupta penetratur.

CAPUT XXII.

DE LANCEA.

(597) Lanceæarum nomine tentationum jacula designantur, sicut per Job sancta Ecclesia conqueritur dicens : *Circumdedit me lanceis suis* (*Job* XVI, 14). Sancta namque Ecclesia lanceis ab hoste suo circumdatur, quando in membris suis ab impugnatore calido tentationum jaculis impetitur. Bene autem circumdari lanceis dicitur, quia **453** antiquus hostis tentationis suæ vulnere nos impetit. Sæpe enim dum gula restringitur, ut libido subigatur, inanis gloriæ aculeus mentem pulsat. Si autem corpus abstinentiæ afflictione non atteratur, contra mentem libidinis flamma se excitat. Sæpe dum servare parcimoniam nitimur, ad tenaciam labimur. Et sæpe dum possessa effuse tribuimus, ad avaritiam ducimur ; quia rursum colligere quærimus quod tribuamus. Dum ergo antiqui jacula hostis ubique nos impetunt, recte nunc dicitur : Circumdedit me lanceis suis.

CAPUT XXIII.

DE THORACE.

Thoracis nomine patientiæ longanimitas designatur, sicut Dominica voce de diaboli potentia quam per antichristum ostensurus est dicitur. *Cum apprehendit eum gladius, subsistere non poterit neque hasta neque thorax* (*Job* LXI, 17). Consule cap. De hasta, dist. 2.

CAPUT XXIV.

DE FERRAMENTIS.

(598) Ferramentorum nomine minora Domini flagella designantur, sicut de ædificatione templi Salomonis dicitur : *Malleus, et securis, et omne ferramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur* (*III Reg.* VI, 7). Quid enim domus illa nisi sanctam Ecclesiam, quam in cœlestibus Dominus inhabitat, figurabat ? Ad cujus ædificationem electorum animæ quasi quidam expoliti lapides deferuntur. Qui cum ædificantur, in cœlis nulli ictus audiuntur : quia in æterna patria omnes jam percussionum strepitus conticescunt. Nequaquam ibi malleus percutit, quia nulla animadversio affligit. Nequaquam securis incidit, quia receptos interius nulla foras severitatis sententia projicit. Nequaquam ferramenta perstrepunt, quia nec quælibet minima ultra jam flagella sentiuntur.

454 CAPUT XXV.

DE SECURI.

In Scriptura sacra securis nomine, aliquando Redemptor noster, aliquando donum intellectus, aliquando districtæ animadversionis sententia, aliquando increpatio designatur.

(599) Securis nomine Redemptor noster designatur, sicut per Joannem Baptistam dicitur : *Jam securis ad radicem arboris posita est. Omnis enim*

(596) Ex l. XXXIV in Job, c. VIII, 4, 5.
(597) Ex l. XIII in Job, c. VI, 9.
(598) Ex l. XXXIV in Job, c. X, 7.
(599) Ex hom. 20 in Evang. Matth. III.

Digitized by Google

arbor non faciens fructum bonum excidetur et in ignem mittetur (*Matth.* III, 10). Arbor hujus mundi est genus humanum : securis vero est Redemptor noster, qui valut ex manubrio et ferro tenetur ex humanitate, sed incidit ex Divinitate. Quæ videlicet securis ad radicem arboris posita est : quia etsi per patientiam exspectat, videt enim quid factura est. Omnis tamen arbor non faciens fructum bonum excidetur et in ignem mittetur, quia unusquisque perversus paratam citius gehennæ concremationem invenit, qui hic fructum boni operis facere contemnit.

(600) Securis nomine donum intellectus designatur, sicut in Regum volumine legitur. *Quia cum prophetarum filii in Jordane ligna cæderent, uni eorum securis ex manubrio in profundum lapsa disparuit* (*IV Reg.* VI, 1). Ferrum quippe in manubrio, est donum intellectus in corde. Ligna vero per hoc cædere, est prave agentes increpare. Quod nonnunquam dum fluxe agitur, dum lapsus vanæ gloriæ in accepta eadem scientia non vitatur, ferrum in aqua perditur : quia ex dissoluto opere intelligentia fatuatur.

Securis nomine districtæ animadversionis sententia designatur, sicut de ædificatione templi Salomonis **455** dicitur : Domus autem cum ædificaretur de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est : et malleus et securis et omnia ferramenta non sunt audita in domo cum ædificaretur. Require in capitulo De ferramentis.

Securis nomine increpatio designatur, sicut per A Moysen Dominus præcipit dicens : *Si quis abierit cum amico simpliciter in silvam ad ligna cædenda, et securis fugerit manum, ferrumque lapsum de manubrio amicum ejus percusserit et occiderit : hic ad unam supradictarum urbium fugiat : et vivat : ne forte proximus ejus cujus effusus est sanguis doloris stimulo persequatur et apprehendat eum et percutiat animam ejus* (*Deut.* XIX, 5). Ad silvam quippe cum amico imus, quoties cum quolibet proximo ad intuenda nostra delicta convertimur ; et simpliciter ligna succidimus, cum delinquentium vitia pia intentione reseramus. Sed securis manum fugit, cum sese increpatio plusquam necesse et in asperitatem pertrahit, ferrumque de manubrio prosilit, cum de correptione sermo durior excedit, et amicum B percutiens occidit, quia auditoren sua prolata contumelia a spiritu dilectionis interficit. Correpti namque mens repente ad odium proruit, si hanc immoderata increpatione plus quam debuit addidit. Sed is qui incaute ligna percutit, et amicum exstinguit, ad tres necesse est urbes fugiat, ut in una earum defensus vivat, quia pœnitentiæ lamenta conversus, in unitate sacramenti sub fide, spe et charitate absconditur : reus perpetrati homicidii non tenetur cumque exstincti proximus, et cum invenerit, non occidit. Quæ cum districtus judex venerit, qui se nobis per naturæ nostræ consortium junxit ab eo procul dubio vindictam de culpæ reatu non expetit, quam sub ejus venia fides, spes, charitas abscondit. C Citius ergo culpa dimittitur quæ nequaque malitiæ studio perpetratur.

INCIPIT LIBER NONUS.

456 CAPUT PRIMUM.

DE LIGNIS.

In Scriptura sacra cum lignum in singulari numero ponitur, aliquando incarnata Dei sapientia designatur, aliquando crux Domini, aliquando mentis insensibilitas, aliquando cor elatum, aliquando justus, aliquando injustus, aliquando anima humana. Cum pluraliter ligna dicuntur, aliquando exempla patrum, aliquando fortes patrum mentes intelliguntur.

(601) Nomine ligni incarnata Dei sapientia designatur, sicut de ea scriptum est : *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam* (*Proverb.* III, 18). Et sicut ipse Dominus ait : *Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet ?* (*Luc.* XXIII, 31.) Unde et per Psalmistam dicitur : *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum* (*Psal.* I, 3). Decursus quippe aquarum sunt quotidiani transitus deficientium populorum. Lignum ergo secus decursus aquarum est qui, fructum et protectionem sui nobis obumbraculi proferens, apparuit Creator in carne ut **457** humanum genus per resurrectionem robustum figeret, quod per defectum quotidie ibat in mortem.

(602) Ligno crux Domini figuratur, sicut per le- D gem dicitur : *Maledictus omnis qui pendet in ligno* (*Deut.* XXI, 23). Quod de Redemptore nostro Paulus attestatus est dicens : *Factus pro nobis maledictum* (*Galat.* III, 31). Et rursus scriptum est : *Mittamus lignum in panem ejus* (*Jer.* XI, 19). Lignum quippe in panem mittere, est Dominico corpori crucem adhibere.

(603) Ligni nomine mentis insensibilitas designatur, sicut per Jeremiam de quibusdam de abstinentia sua nimirum præsumentibus dicitur : *Adhæsit cutis eorum ossibus* (*Thren.* IV, 8). Require in capitulo De ossibus, lib. V, cap. 39, dist. 5.

(600) Ex lib. XXII, in Job cap. IV, 5.
(601) Ex l. XII in Job c. IV, 3 ; et lib. XIX, cap. XVI, 27.
(602) Ex hom. 6 in Ezech.
603) Ex lib. XII in Job cap. IV, 3.

Digitized by Google

Ligni nomine cor elatum intelligitur. Unde cum filii prophetarum in Jordane ligna cæderent, et uni eorum securis ex manubrio in profundum laberetur, mox Elisæus veniens lignum deorsum misit et ferrum in superficiem attollit. Require in capitulo De securi, lib. VIII, cap. 25, dist. 2.

(604) Ligni nomine justus designatur, sicut per beatum Job dicitur : *Lignum habet spem : si præcisum fuerit, rursum virescit : et rami ejus pullulant* (*Job* XIV, 7). Hoc enim loco cum lignum præfertur homini, quid homo nisi carnalis quisque accipitur? Et quid ligni nomine nisi justi uniuscujusque vita figuratur? Lignum ergo habet spem, si præcisum fuerit : rursum virescit, quia, cum in morte passionis pro veritate justus afficitur, in æternæ vitæ viriditate recuperatur; et qui hic virebat per fidem, illic virescet per speciem. Et rami ejus pullulant, quia plerumque ex passione justi fideles quique ad amorem cœlestis patriæ multiplicantur et viriditatem vitæ spiritualis accipiunt, dum hic pro Deo fortiter egisse gratulantur.

Ligni nomine vir injustus exprimitur, sicut per Prophetam Dominus dicit : *Ergo Dominus humiliavit lignum sublime, et exaltavit lignum humile* (*Ezech.* XVII, 24). Quia **458** juxta ejusdem Veritatis vocem : *omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* XIV, 11). Salomon quoque ait : *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem in quocunque loco ceciderit, ibi erit* (*Eccle.* XI, 3). In die etenim mortis suæ justus ad austrum cadit, peccator ad aquilonem : quia et justus per fervorem spiritus ad gaudia ducitur, et peccator cum apostata angelo qui dixit : *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis* (*Isa.* XIV, 13) in frigido corde suo reprobatur.

(605) Potest vero in hoc testimonio ligni nomine, indefinite anima humana intelligi. Si lignum ceciderit ad austrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit; humani namque casus tempore sive sanctus, sive malignus spiritus egredientem claustra carnis animam acceperit in æternum secum sine ulla permutatione retinebit : ut nec exaltata ad supplicium proruat, nec mersa æternis suppliciis ultra ad remedium ereptionis ascendat.

(606) Lignorum nomine exempla patrum, seu sententiæ sacræ Scripturæ designantur : sicut a Domino ad Moysen dicitur : *Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subjiciens mane ligna per singulos dies* (*Lev.* IV). Altare quippe Dei est cor nostrum in quo jubetur ignis semper ardere, quia necesse est ex illo ad Dominum charitatis flammam indesinenter accendere. Cui per singulos dies sacerdos ligna subjiciat ne exstinguatur. Omnis enim Christi fide perditus membrum utique summi sacerdotis effectus est, sicut cunctis fidelibus Petrus apostolus dicit : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium* (*I Petr.* II, 9). Et sicut Joannes apostolus dicit : *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes* (*Apoc.* V, 9). Sacerdos ergo in altari ignem nutriens quotidie ligna subjiciat, id est fidelis quisque ne in eo charitatis flamma deficiat, in corde suo tam exempla præcedentium quam Scripturæ sacræ testimoniis congerere non desistat. Nam quasi quædam fomenta igni dare, est in excitatione charitatis, vel exempla patrum vel præcepta Dominica ministrare. Quia enim interna novitas nostra ipsa quotidie hujus vitæ conversatione veteresci, ignis iste lignis adhibitis nutriendus est, ut, dum per usum se nostræ venustatis **459** extenuat, per Scripturæ testimonia et patrum exempla reviviscat. Et bene illic præcipitur ut mane ligna per singulos dies congerantur. Hæc quippe non fiunt, nisi cum nox cæcitatis exstinguit vel certe, quæ mane prima pars est diei postpositis cogitationibus vitæ præsentis, hoc primo loco quisque fidelium cogitet, ut quod in se jamjamque quasi deficit, quibus valet nisibus studium charitatis inflammet. Ignis enim iste in altari Domini, id est in corde nostro citius exstinguitur, nisi solerter adhibitis exemplis patrum et Dominicis testimoniis repa - retur.

(607) Lignorum nomine fortes patrum mentes intelligitur : *Unde et Salomon de lignis Libani ferculum fecisse dicitur* (*Cant.* III, 9). Libani quippe ligna cedrina valde imputribilia sunt. Ferculum itaque pacifici regis nostri sancta Ecclesia est quæ de fortibus patribus, id est imputribilibus mentibus est constructa. Quæ recte ferculum dicitur, quia ipsa fert quotidie animas ad æternum convivium Conditoris sui.

(608) Lignorum nomine opera designantur, sicut per Moysen dicitur : *Quando ingressi fueritis terram quam ego daturus sum vobis, et plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum* (*Lev.* XIX, 23). Poma quæ germinant immunda erunt vobis, nec edetis ex eis. Ligna quippe pomifera sunt opera virtutibus fecunda. Præputia itaque lignorum auferimus, cum de ipsa inchoationis infirmitate suspecti, primordia nostrorum operum non approbamus. Sæpe namque novæ conversationis primordia adhuc ex carnali sunt vita commista, et idcirco innotescere citius non debent, ne, cum laudantur bona quæ placent, deceptus laude sua animus deprehendere in eis nequeat mala quæ latent. Poma autem quæ germinant immunda ducimus nostrisque esibus non aptamus, quia, cum primordia boni laudantur operis, dignum est ut hoc animum non pascat operantis, ne, dum accepta laus suaviter carpitur, fructus operis intempestive comedatur. Qui ergo inchoatæ virtutis ab humano ore laudem receperit, qua plantati ligni ante tempus pomum comedit.

(604) Ex lib. XII in Job c. IV, 3.
(605) Ex lib. in Job cap. XIII.
(606) Ex lib. XXV in Job cap. VII.
(607) Ex hom. 15 in Ezech. paulo ante med.
(608) Ex lib. VIII in Job cap. XXIV, 35.

Digitized by Google

460 CAPUT II.

DE ARBORE.

In Scriptura sacra cum arbor in singulari numero ponitur, aliquando Christus, aliquando humanum genus intelligitur : cum vero pluraliter arbores dicuntur, aliquando sacri codices, aliquando hi qui sublimia appetunt, designantur.

(609) Arboris nomine Christus designatur, sicut in Evangelio ab ipso Domino dicitur : *Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, et crevit; et factum est in arborem magnam et volucres cœli requieverunt in ramis ejus* (*Matth.* XIII, 31 ; *Luc.* XIII, 3). Ipse quippe est granum sinapis qui in horti sepultura plantatus arbor magna surrexit.

Arboris nomine universum genus humanum designatur, sicut per Joannem Baptistam dicitur : *Jam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur* (*Matth.* III, 10). Require in capitulo De securi, lib. VIII, cap. 25, dist. 1.

(610) Arborum nomine sacri codices designantur, sicut de hæreticis per beatum Job dicitur : *Et mandebant herbas et arborem cortices* (*Job* XXX, 4). Hæretici ergo quia elationis suæ obice repulsi, id est sacro eloquio, magna et intima percipere nequeunt, sed in illo tenera quædam et exteriora, cognoscunt herbas, et arborum cortices percipere dicuntur. Qui ergo scire appetunt ea ex quibus docti nequaquam sint, sed esse videantur, dum in sacris voluminibus vim charitatis erga 461 Deum ac proximum medullitus non exquirunt, quasi herba vel cortice pascuntur, quia vel ima sunt, vel exteriora quæ mentes superbientium nutriunt. Vel certe herbas mandere est de Scriptura sacra minima præcepta servare, majora contemnere. Quos bene Veritas increpat dicens : *Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentam et anetum et cyminum, et relinquitis quæ graviora sunt legis* (*Matth.* XXIII, 23). Qui arborum quoque cortices comedunt : quæ sunt nonnulli, qui sacris voluminibus solam litteræ superficiem venerantur, nec quidquam de spirituali intellectu custodiunt, cum nihil in verbis Dei amplius nisi hoc quod exterius audierint esse suspicantur.

(611) Possunt quoque per arbores hi, qui sublimia appetunt designari, per herbas vero terrena adhuc bene inchoantium vita intelligi. Bene ergo de pravis hominibus qui invident alios hoc esse quod non sunt, et dolent alios adipisci quod ipsi nequeunt, dicitur : *quia mandebant herbas, et arborum cortices* : nam si qua forte in aliorum actibus oriri bona conspiciunt, mox ea manu pestiferæ exprobrationis evellunt. Nam cum recta incipientes aspiciunt, aut irridendo quasi consulendo contradicunt. Cum vero etiam quosdam pensant ad summa A perficere quæ eorum profectus funditus dissipare nequeunt, a quibusdam illos suis operibus divertunt. Herbas itaque eis et arborum cortices mandere, est vel studia bene inchoantium, vel operationes quorumdam jam more arborum ad superiora tendentium pestiferis persuasionibus quasi quibusdam malitiæ suæ dentibus dissipare. Herbas mandunt reprobi, cum infirmorum initia irridendo consumunt. Arborum quoque cortices mandunt, cum manu perversi consilii a vita recte credentium tegmen bonorum operum subtrahunt. Hos autem in quibusdam actibus velut arbores exspoliant, illos vero velut herbas (quæ despicientes trahunt) quasi quæ calcant comedunt.

462 CAPUT III. B

DE CEDRO.

In Scriptura sacra cedri nomine, aliquando celsitudo gloriæ cœlestis, aliquando spes, aliquando Judææ regnum, aliquando is qui in amore Dei solidatus corrumpi non potest, aliquando cœlestium virtutum celsitudo, aliquando superba pravorum potentia designatur.

(612) Cedri nomine celsitudo gloriæ cœlestis exprimitur, sicut Propheta testatur dicens : *Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur* (*Psal.* XCI, 13).

Cedri nomine spes intelligitur. Unde apud Moysen dum in sacrificio vacca mactatur, offerri cum hyssopo ligno cedrino et cocco bis tincto præcipitur. Require in capitulo De vacca, lib. II, c. 8, dist. 2. C

Cedri nomine Judææ regnum designatur, sicut per Prophetam dicitur : *Aquila grandis magnarum alarum longo membrorum ductu plena plumis et varietate venit ad Libanum et tulit medullam cedri et summitatem foliorum ejus evulsit* (*Ezech.* XVII, 3). Require in cap. De aquila, lib. II, cap. 2, dist. 2.

(613) Cedri nomine is qui in amore Dei solidatus corrumpi non potest designatur, sicut per Isaiæ vocem Dominus derelictæ gentilitati, id est sanctæ Ecclesiæ spiritualium merita virtutum tanquam deserto arbusta promittens dicit : *Dabo in solitudine cedrum et spinam* (*Isa.* XLI, 19). Cedrum, quia magni odoris est atque imputribilis naturæ, jure accipimus in promissione. De spina vero, cum peccanti homini dictum sit : *Terra* 463 *tua spinas et tribulos germinabit tibi* (*Gen.* III, 18), quid mirum si sanctæ Ecclesiæ illud promittitur, quod peccanti homini pro pœna multiplicatur? Sed cedri nomine significantur hi qui virtutes et signa exhibent in sua operatione. Qui dicere cum Paulo valent : *Christi bonus odor sumus Deo* (*II Cor.* II, 15). Quorum corda ita interno amore solidata sunt, ut ea jam terreni amoris putredo nulla corrumpat. Per spinam vero signati sunt doctrinæ spiritalis viri qui, dum de peccatis ac virtutibus disserunt, et modo æterna supplicia minantur modo cœlestis regni gaudia promit- D

(609) Ex lib. XIX in Job cap. 1.
(610) Ex lib. XX in Job c. XI, 9.
(611) Ex lib. X, cap. sup.
(612) Ex lib. XXXII in Job c. XII.
(613) Ex hom. 20 in Evang.

Digitized by Google

tum, cor audientium pungunt, sicque mentem dolore compunctionis perforant, ut ab eorum oculis quasi quidam sanguis animæ lacrymæ decurrant. Ad hoc autem cedrus in Ecclesia ponitur, ut quisquis a proximo odorem virtutum spiritualium trahit, ipse quoque terrenæ vitæ delectatione non torpeat; sed ad bonorum cœlestium desideria ignescat. Ad hoc spina ponitur, ut qui prædicationis ejus verbo compunctus fuerit: ipse quoque ex illo discat corda sequentium prædicationis verbo compungere.

(614) Cedrorum nomine cœlestium virtutum celsitudo designatur: unde cum apostatæ angeli eminentiam Propheta conspiceret, dicitur: *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei* (*Ezech.* xxxi, 8). Qui namque accipi in cedris possunt nisi illa virtutum cœlestium proceræ celsitudinis agmina in æternæ lætitiæ viriditate plantata? Quamvis excelsa sint condita, huic tamen nec prælata sunt nec æquata.

(615) Cedri nomine superba pravorum potentia designatur, sicut per Psalmistam dicitur: *Vox Domini confringentis cedros* (*Psal.* xxviii, 2).

464 CAPUT IV.

DE PALMA.

In Scriptura sacra palmæ nomine, aliquando justus quilibet, aliquando sancta Ecclesia designatur.

(616) Palmæ nomine justus quilibet designatur, sicut dicitur: *Justus ut palma florebit* (*Psal.* xci, 13).

Palmæ nomine sancta Ecclesia designatur, sicut per beatum Job ex persona sanctæ Ecclesiæ dicitur: *Et sicut palma multiplicabo dies* (*Job* xxix, 18). Palma enim tarde proficit; sed diu in viriditate consistit. Cum multis autem difficultatibus sancta Ecclesia ad fidei statum venit, et pro collectione plurimorum in ejusdem fidei gloria diutius stare concupiscit. Sicut palma ergo multiplicare dies credidit, quæ emergente subitæ tentationis articulo pacis suæ gratiam et tarde fidelibus adeptam, et citius ab infidelibus interceptam dolet. Nec immerito justorum vita palmæ comparatur, quia scilicet palma inferius tactu aspera est, et quasi aridis corticibus obvoluta, superius vero et visu et fructu pulchra. Inferius corticum suorum involutionibus angustatur, sed superius altitudine pulchræ viriditatis expanditur. Sic quippe est electorum vita despecta in inferioribus, superius pulchra. In imo ista quasi multis corticibus involvitur, dum innumeris tribulationibus angustatur; in summo autem illa quasi pulchræ viriditatis foliis amplitudine retributionis expanditur. Dicat ergo: Et multiplicabo dies. Quasi enim palma multiplicasse dies credidit: quæ mentes fidelium ad extremum usque robustiores exsurgere putabat. Cum enim multorum corda persecutionibus cœperint lassata mollescere, dolet jam in se quasi ad debilitatem tendere, quos mirabatur fortia proposuisse.

(614) Ex l. xxxii in Job c. xviii.
(615) Ex l. xxxii in Job c. xii.
(616) Ex l. xix in Job c. xvi, 26, 25.

465 CAPUT V.

DE ABIETE.

In Scriptura sacra abietis nomine, aliquando contemplator quilibet sanctus, aliquando ipsa contemplatio, aliquando cœlestes virtutes intelliguntur.

Abietis nomine contemplator designatur sicut per Isaiam dicitur: *Ponam in deserto abietem* (*Isa.* xli, 19). Quid namque per abietem quæ valde crescendo ad aeris alta sustollitur nisi hi designati sunt, qui intra sanctam Ecclesiam adhuc in terrenis coporibus positi jam cœlestia contemplantur? Et quamvis nascendo de terra exierunt, contemplando tamen jam juxta ætherea verticem mentis extollunt.

(617) Abietis nomine contemplatio exprimitur, sicut per Isaiam promittente Domino dicitur: *Pro saliunca ascendet abies, et pro urtica crescet myrtus* (*Isa.* lv, 13). Pro saliunca namque ascendit abies, dum in sanctorum corde pro abjectione terrenæ cogitationis altitudo supernæ contemplationis oritur. Urtica vero igneæ omnino naturæ est myrtum, vero temperativæ ferunt esse virtutis. Pro urtica igitur crescit myrtus, cum justorum mentes a prurigine et ardore vitiorum ad castitatis temperiem tranquillitatemque perveniunt, dum jam terrena non appetunt, dum flammas carnis desideriis cœlestibus exstinguunt.

Abietum nomine cœlestes virtutes designantur, sicut per Prophetam de apostata angelo dicitur: *Cedri non fuerunt altiores illa in paradiso Dei* (*Ezech.* xxxi, 8). Abietes non adæquaverunt summitatem ejus. Qui autem accipi in cedris vel abietibus possunt. Require in **466** cap. De cedro, supra dist. 5.

CAPUT VI.

DE AMYGDALO.

(618) Amygdali nomine primitiva Ecclesia designatur, sicut per Salomonem dicitur: *Florebit amygdalum, et impinguabitur locusta, dissipabitur capparis. Amygdalum quippe florem prius cunctis arboribus ostendit* (*Eccle.* xii, 5). Et quid in flore amygdali, nisi sanctæ Ecclesiæ primordia designantur: quæ in prædicatoribus suis primitivos virtutis flores aperuit et ad inferenda poma bonorum operum, venturos sanctos quasi arbusta sequentia prævenit. In qua mox locusta impinguata est, quia sicca gentilitatis sterilitas pinguedine est gratiæ cœlestis infusa. Capparis vero dissipatur, quia cum gratiam fidei vocata gentilitas attigit, Judæa in sua sterilitate remanens bene vivendi ordinem amisit.

CAPUT VII.

DE SALICIBUS.

In Scriptura sacra salicis nomine, aliquando pro viriditate boni, aliquando pro sterilitate reprobi intelligitur.

(619) Infructuosæ quidem sunt arbores salices, sed tamen tantæ viriditatis ut arescere, vel abscissæ radicitus et projectæ vix possint. Nisi electorum vitam per constantiam suæ viriditatis salices expri-

(617) Ex lib. xviii in Job cap. xii.
(618) Ex lib. xxi in Job cap. xii, 20.
(619) Ex lib. xxxiii, in Job cap. vi.

Digitized by Google

merent, nequaquam de sanctæ Ecclesiæ filiis Propheta dixisset : *Germinabunt inter herbas, sicut salices juxta prætérfluentes aquas* (*Isa.* XLIV, 4). Sanctæ enim Ecclesiæ filii inter herbas sicut salices germinant, dum inter arescentem vitam carnalium hominum et multiplici numerositate, et perpetua **467** mentis viriditate perdurant. Qui bene juxta prætérfluentes aquas germinare prohibentur, quia unusquisque eorum ubertatem ad fructum percipit ex doctrina sacri eloquii, quæ temporaliter percutit.

Rursum nisi per sterilitatem salicum vita peccantium signaretur, nequaquam ex voce prædicantium contra Babylonem Psalmista dixisset : *In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra* (*Psal.* CXXVI, 2). Require in capitul. De torrentibus, lib. VII, cap. 7, dist. 2.

CAPUT VIII.

DE PLATANIS.

(620) Platanorum nomine virtutes cœlestes designantur. Unde cum apostatæ angeli eminentiam conspiceret Propheta dixit : *Cedri non fuerunt altiores illo, in paradiso Dei : abietes non adæquaverunt summitatem ejus : platani fuerunt æqui frondibus illius. Omne lignum paradisi non est assimilatum illi, quoniam speciosum fecit eum in multis condensisque frondibus* (*Ezech.* XXXI, 8). Qui enim accipi in cedris, vel abietibus et platanis possunt nisi illa virtutum cœlestium proceræ celsitudinis agmina in æternæ lætitiæ viriditate plantata? Quæ quamvis excelsa sint condita, huic tamen nec prælata sunt, nec æquata. Qui speciosus factus esse in multis condensisque frondibus dicitur, quia prælatum cæteris legionibus tanta illum species pulchriorem reddidit, quanta et supposita angelorum multitudo decoravit. Ista arbor in paradiso Dei tot quasi condensas frondes habuit quot sub se positas supernorum spirituum legiones attendit. Qui et idcirco peccans sine venia damnatus est, quia magnus sine comparatione fuerat creatus.

CAPUT IX.

DE OLIVA.

(621) Olivæ nomine misericordes intelliguntur, sicut per Isaiæ vocem promittente Domino dicitur : *Dabo in solitudine cedrum et spinam et myrtum,* **468** *et lignum olivæ* (*Isa.* XLI, 19). Quos enim per olivam nisi misericordes accipimus? Quia et Græce ἔλεος misericordia vocatur, et quasi olivæ liquor ante omnipotentis Dei oculos, misericordiæ fructus lucet. Ad hoc autem oliva in Ecclesia ponitur, ut qui alienæ misericordiæ opera cognoscit, discat quemadmodum debeat indigenti proximo et ipse misereri.

CAPUT X.

DE ULMO.

(622) Ulmi nomine sæcularis mens exprimitur, sicut per Isaiam Dominus sanctæ Ecclesiæ promittit dicens : *Ponam in deserto abietem, ulmum et buxum simul* (*Isa.* XLI, 19). Quid enim per ulmum nisi sæcularium mentes expressæ sunt : quæ, dum terrenis adhuc curis inserviunt, nullum virtutum spiritualium fructum ferunt. Sed etsi fructum proprium ulmus non habet, portare tamen vitem cum fructu solet. Quia et sæculares viri intra sanctam Ecclesiam, quamvis virtutum spiritualium dona non habeant, dum tamen sanctos viros donis spiritalibus plenos sua largitate sustentant, quid aliud quam vitem cum botris portant? Ad hoc autem ulmus in Ecclesia ponitur, ut quisquis intuetur eum qui habere virtutum spiritualium fructum non valet; sed tamen eos qui spiritualibus donis pleni sunt sustentat, quanta valet largitate inserviat, et cœlestium bonorum botros quos gignendo non valet, sustentando ferat.

CAPUT XI.

DE BUXO.

(623) Buxi nomine is qui ex ætatis infirmitate bona opera non valet ferre, sed tamen parentum fidelium fidem tenet, exprimitur, sicut per Isaiam Dominus dicit : *Ponam in deserto abietem, ulmum et* **469** *buxum simul* (*Isa.* XLI, 19). Buxus quos alios designat, quæ in altum non proficit, et quamvis fructum non habeat, viriditatem tamen habet, nisi eos qui intra sanctam Ecclesiam, etsi adhuc ex ætatis infirmitate bona opera ferre non valeant; sed tamen parentum fidelium credulitatem sequentes fidem perpetuæ viriditatis tenentur? Ad hoc enim in Ecclesia buxus ponitur, ut qui habere multos adhuc in infirmitate positos verę fidei viriditatem considerat, etiam, esse ipse infidelis erubescat.

CAPUT XII.

DE SYCOMORO.

(624) Sycomori nomine mundi stultitia designatur : unde Evangelicæ historiæ verba testantur, quia *Zachæus cum videre Dominum præ turba non posset, sycomori arborem ascendit, ut transeuntem eum cerneret* (*Luc.* XIX, 4). Sycomorus quippe ficus fatua dicitur. Et quid per sycomorum nisi mundi stultitiam accipimus? Pusillus itaque Zachæus sycomorum subiit, et Deum vidit, quia qui mundi stultitiam humiliter eligunt, ipsi Dei sapientiam subtiliter contemplantur. Pusillanimitatem namque nostram ad videndum Dominum turba præpedit, quia infirmitatem humanæ mentis, ne lucem veritatis intendat, curarum sæcularium tumultus premit. Sed prudenter sycomorum ascendimus si provide quæ divinitus præcipitur stultitiam tenemus. Quid enim in hoc mundo stultius quam amissa non quærere, possessa rapientibus laxare, nullam pro acceptis injuriis injuriam reddere, imo adjunctis aliis patientiam præbere? Quasi enim sy-

(620) Ex l. XXXII in Job c. XVIII.
(621) Ex hom. 20 in Evang. post med.
(622) Ex hom. sup.
(623) Ex hom. proxima.
(624) Ex l. XXVII in Job c. ult.

Digitized by Google

comorum nos ascendere Dominus præcipit, cum dicit : *Qui aufert quæ tua sunt, ne repetas* (*Luc.* VI, 30). Et rursum : *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi et alteram* (*Matth.* V, 39). Per sycomorum itaque Dominus transiens cernitur, quia per hanc sapientem, stultitiam et si necdum, ut est solide, jam tamen per contemplationis lumen Dei sapientia quasi in transitu videtur. Quam juxta Eliu verba videre nequeunt, qui sibi sapientes videntur, quia ad conspiciendum Dominum in elata cogitationum suarum **470** turba deprehensi, adhuc sycomori arborem non invenerunt. Contemplari enim Dei sapientiam non possunt qui sapientes sibi esse videntur, quia tanto ab ejus luce longe sunt, quanto apud semetipsos humiles non sunt (625). Quia in eorum mentibus dum tumor elationis crescit, aciem contemplationis claudit, et unde se lucere præ cæteris æstimant, inde se lumine veritatis privant. Si igitur veraciter sapientes esse atque ipsam sapientiam contemplari appetimus, stultos nos humiliter cognoscamus. Relinquamus noxiam sapientiam, discamus laudabilem fatuitatem. Hinc quippe scriptum est : *Stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes* (*I Cor.* I, 27). Hinc rursus dicitur : *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens* (*I Cor.* III, 18).

CAPUT XIII.

DE SPINA.

In Scriptura sacra cum spina in singulari numero ponitur, aliquando peccatum intelligitur, aliquando doctrinæ spiritalis vis. Quando vero pluraliter dicuntur spinæ, aliquando vitiorum punctiones, aliquando tentationum aculei, aliquando divitiæ intelliguntur.

(626) Spinæ nomine peccatum intelligitur, sicut Psalmista voce pœnitentis dicit : *Conversus sum in ærumna mea, dum confringitur mihi spina* (*Psal.* XXXI, 4). Spina quippe est omne peccatum, quia dum trahit ad delectationem quasi pungendo lacerat mentem. Ait ergo : *Conversus sum in ærumna mea dum confringitur mihi spina*, quia scilicet mens ad **471** lamentum vertitur, ut peccati punctio pœnitendo frangatur. In translatione alia non confringi, sed configi spina dicitur. Quod videlicet ab eodem sensu non discrepat : quia pœnitentis animus ad luctum ducitur, dum perpetrata culpa in memoria fixa retinetur.

(627) Spinæ nomine punctio ultionis designatur, Unde beatus Job enumeratis bonis suis si hoc non fecerit maledicto se astringens dicit : *Pro frumento oriatur mihi tribulus, et pro hordeo spina* (*Job* XXXI, 40). Ac si aperte dicat : Si injustum quid erga subditos gessi, si exegi debita, et ipse quod debui non impendi : si exercitationem boni operis aliis invidi : pro bonis quæ in æternum reficiunt tribuantur mihi in judicio mala quæ pungunt. Pro frumento quippe tribulus et pro hordeo spina oritur, cum in retributione ultima de qua renumeratio laboris quæritur, punctio doloris invenitur. Et notandum quod sicut a frumento hordeum distat, quamvis utrumque reficiat ; sic a tribulo spina, quamvis sit utrumque quod pungat, quia tribulus mollior, spina vero ad pungendum semper est durior : *Ait ergo pro frumento oriatur mihi tribulus et pro hordeo spina.* Ac si patenter dicat : Egisse quidem magna me bona, et minima nescio. Sed si non ita est, pro bonis magnis, mala minima, et pro bonis minimis mihi respondeant mala majora.

Spinæ nomine doctrinæ spiritualis vir exprimitur, sicut per Isaiam promittente Domino dicitur : *Dabo in solitudine cedrum et spinam* (*Isa.* XLI, 19). Require in cap. De cedro supra, dist. 4.

(628) Spinarum nomine vitiorum punctiones designantur, sicut Dominus de confusa mente sub Babylonis specie loquitur dicens : *Oriuntur in domibus ejus spinæ et urticæ, et paliurus in munitionibus ejus* (*Isa.* XXXIII, 13). Quid namque per urticas nisi cogitationum prurigines : quid vero per spinas nisi vitiorum punctiones accipimus? In domibus igitur Babylonis urticæ et spinæ pullulant : quia in confusione mentis reprobæ, et desideria cogitationum surgunt, quæ exasperent : et operum **472** peccata, quæ pungant. Sed hæc agentes habent etiam nequiores alios defensores suos : unde illic aperte protinus subditur, et paliurus in munitionibus ejus. Paliurus quippe tanta spinarum circumdatione densescit, ut præ asperitate tangi vix possit. Intus igitur spina et urtica nascitur : sed utrumque hoc exterius per paliurum munitur, quia videlicet minores iniqui mala quælibet faciunt : sed ea nequissimi majores tuentur.

Spinarum nomine tentationum aculei exprimuntur, sicut per Isaiam Dominus testatur dicens : *Super humum populi mei spinæ et vepres ascendunt : quanto magis super omnes domos gaudio civitatis exsultantis?* (*Isa.* XXXII, 13.) Vide lib. VI, cap. II, supr.

(629) Spinarum nomine divitiæ intelliguntur, sicut in Evangelio Veritatis voce de semine dicitur : *Et aliud cecidit inter spinas et simul exortæ spinæ suffocaverunt illud* (*Luc.* VIII, 7). Quod exponens ait : *Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, et a sollicitudinibus, et divitiis, et voluptatibus euntes suffocantur et non referunt fructum* (*ibid.*, XIV). Divitiæ etenim spinæ sunt quæ cogitationum suarum punctione mentem lacerant et cum usque ad peccatum pertrahunt quasi inflicto vulnere cruentant. Et notandum quod exponens Dominus dicit, quia sollicitudines, voluptates et divitiæ suffocant. Suffocant enim, quia importunis cogitationibus suis guttur mentis strangulant ; et dum bonum desiderium intrare ad cor non sinunt, quasi aditum flatus

(625) Sequentia hæc in textu Græco. præcedunt antecedent.

(626) Ex l. XX in Job c. XII, et ad hunc versum explanat. in psal. pœnit. confringitur.

(627) Ex lib. XXII in Job cap. XVII.

(628) Ex l. XXXIII in Job c. IV, 5.

(629) Ex hom. 15 in Evang.

Digitized by Google

vitalis necant. Notandum etiam quod duo sunt quæ divitiis jungit, sollicitudines videlicet et voluptates, quia profecto et per curam mentem opprimunt, et per affluentiam resolvunt. Recte etenim contraria possessores suos et afflictos et lubricos faciunt. Sed quia voluptas convenire non potest cum afflictione, alio quidem tempore per custodiæ suæ sollicitudinem affligunt, atque alio per abundantiam ad voluptates emolliunt.

473 CAPUT XIV.

DE FICU.

(630) Fici nomine mens humana designatur : unde sub cujusdam gentis specie antiquorum hostium malitiam signans per Prophetam Veritas dicit : *Posui vineam meam in desertum, ficum meam decorticavit, nudans exspoliavit eam et projecit, albi facti sunt rami ejus* (*Joel.* I, 7). Insidiantibus quippe spiritibus, Dei vinea in deserto ponitur, cum plena fructibus anima humanæ laudis cupiditate dissipantur. Ficum Dei gens ista decorticat, quia seductam mentem in favoris appetitum rapiens, quo hanc ad ostentationem pertrahit, tegmen ei humilitatis tollit, eamque nudans exspoliat, quia quousque in bonis suis absconditur, quasi proprii tegminis cortice vestitur. Cum vero mens hoc quod egerit, videri ab aliis concupiscit quasi exspoliata ficus, eum quo se texerat, corticem amisit. Ubi apte subditur : Albi facti sunt rami ejus, quia ostensa humanis oculis ejus opera candescunt : de sanctitate nomen sumitur, cum recta actio divulgatur. Sed quoniam subducto cortice rami fici hujus arefiunt, solerter intuendum est, quia facta arrogantium humanis oculis ostensa, unde placere appetunt inde siccantur. Mens itaque quæ per jactantiam proditur, decorticata recte ficus vocatur, quia et candida est per hoc quod cernitur, et sic siccitati proxima per hoc quod tegmine corticis nudatur.

Fici nomine humana natura designatur, sicut in Evangelio Veritatis voce dicitur : *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua et venit quærens fructum et non invenit*, etc. (*Luc.* XIII, 6.) Quid enim arbor fici nisi humanam naturam signat ? Quæ bene quidem plantata est sicut ficus, sed in culpam propria sponte lapsa fructum non servat operationis. Ad peccatum quippe ex voluntate corruens, quia fructum obedientiæ ferre noluit statum rectitudinis amisit. Quæ ad Dei similitudinem condita, dum in sua dignitate non perstitit, quod plantata fuerat, servare contempsit.

474 CAPUT XV.

DE VINEA.

In Scriptura sacra vineæ nomine, aliquando sacræ Scripturæ latitudo, aliquando anima bonis operibus fecunda, aliquando vita cujuslibet negligentis, aliquando universa simul Ecclesia designatur.

(631) Vineæ nomine Scripturæ sacræ latitudo designatur, sicut per beatum Job de hæreticis dicitur : *Agrum non suum demetunt et vineam ejus, quæ vi oppresserint, vindemiant* (*Job* XXXIV, 6). Potest enim agri nomine Scripturæ latitudo signari. Quam hæretici non suam demetunt, quia ex ea sententias longe a suis sensibus diversas tollunt. Quæ vineæ quoque appellatione exprimitur, quia per veritatis sententias botros virtutum profert. Cujus vineæ Dominum, id est sacræ Scripturæ conditorem vi opprimunt, quia ejus sensum in verbis sacri eloquii inflectere violenter conantur, qui dicit : *Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis* (*Isa.* XLIII, 24). Et eamdem vineam vindemiant, quia ex ea sententiarum botros pro suæ intelligentiæ intentione coacervant.

Vineæ nomine anima bonis operibus fecunda designatur, sicut sub cujusdam gentis specie malignorum spirituum malitiam signans per Prophetam Dominus dicit : *Posuit vineam meam in deserto* (*Joel.* I, 7). Insidiantibus quippe malignis, spiritibus Dei vinea in deserto ponitur, cum plena fructibus anima humanæ laudis cupiditate dissipatur. Vide cap. 14, dist. 1.

(632) Vineæ nomine vita cujuslibet negligentis designatur, sicut per Salomonem dicitur : *Per agrum* 475 *hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti : et ecce totum repleverant urticæ, operuerant superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa erat* (*Prov.* XXIV, 30). Require in cap. De maceria, lib. XIII, cap. 3, dist. 1.

(633) Vineæ nomine universa simul Ecclesia designatur, sicut in Evangelio Veritatis voce dicitur : *Simile est regnum cœlorum homini patri familias qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam* (*Matth.* XX, 1). Require in cap. De mane, lib. XII, cap. 6, dist. 5.

CAPUT XVI.

DE RADICE.

In Scriptura sacra radicis nomine, aliquando incarnatio Dominica, aliquando sancta prædicatio, aliquando natura humanitatis, aliquando occulta cogitatio intelligitur.

(634) Radicis nomine incarnatio Dominica designatur, sicut per beatum Job ex persona Ecclesiæ dicitur : *Radix mea aperta secus aquas* (*Job* XXIX, 10). Quid enim radix Ecclesiæ nisi ipsa debet incarnatio Redemptoris intelligi? Quæ juxta aquas aperta est, dum Dominus invisibilis per assumptionem humanitatis suæ patuit aspectibus visionis nostræ, Creator quippe, qui in divinitate videri non poterat, assumpsit a nobis unde videretur a nobis. Radix ergo secus aquas aperitur, quia Auctor humani generis per humanitatem suam hominibus demonstratur. Unde recte quoque dicitur : *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum* (*Psal.* I, 3). Unde cap. 1 hujus lib., dist. 1.

(630) Ex l. VIII in Job cap. XXX, 37.
(631) Ex l. XVI in Job c. XXII, post initium XXIII.
(632) Ex l. XX in Job c. XX, 22.
(633) Ex hom. 19 in Evang.
(634) Ex l. XIX in Job c. XVI, in medio XXVII.

Digitized by Google

Radicis nomine sancta prædicatio designatur, sicut per beatum Job de justo sub appellatione ligni dicitur : *Si senuerit in terra radix ejus, et in pulvere* **476** *mortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, et faciet comam, quasi cum primum plantatum est* (*Job* XIV, 9) (635). Quid enim radix justi nisi sancta prædicatio, quia ab ipsa oritur et in ipsa subsistit, et quid terræ vel pulveris nomine nisi peccator accipitur? cui Conditoris voce dicitur : *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19), vel certe, sicut habet nostra translatio, pulvis es, et in pulverem reverteris. Justi igitur radix in terra senescit, quia apud corda pravorum ejus prædicatio despecta, cunctisque viribus effœta creditur. Et in pulvere truncus emoritur, quia inter manus persequentium corpus illius examinatur. Juxta enim Sapientiæ vocem. *Visi sunt oculis insipientium mori, et æstimata est afflictio exitus eorum* (*Sap.* III, 2). Sed iste cujus radix in terra senuit, et in pulvere truncus mortuus est, ad odorem aquæ germinat, quia per afflatum sancti Spiritus in electorum cordibus exemplo sui operis germen virtutis facit. Aquæ etenim appellatione nonnunquam sancti Spiritus irrigatio designari solet, sicut scriptum est : *Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum* (*Joan.* VII, 17). Sequitur : *Et faciet comam, quasi cum primum plantata est* (*Job* XIV, 9). Succiso trunco comam facere, et exstincto corporaliter justo, ipso passionis suæ exemplo multorum corda suscitare, et ex fide recta viriditatem veritatis ostendere. Bene autem dicitur : Quasi cum primum plantata est. Omne quippe quod hic a justis agitur : secunda plantatio est, quia prima videlicet plantatio non in opere justorum, sed in præsentia Conditoris est. Et quia cuncta quæ agunt electi, sicut prius interius conspiciuntur atque disponuntur, ita postmodum exterius perficiuntur, bene dicitur : *Faciet comam quasi cum primum plantatum est*, id est viriditatem suam ostendit in effectu operis, quam prius habuerit in præscientia Conditoris.

(636) Radicis etiam nomine potest ipsa natura humanitatis accipi : unde et hæc quæ præmisimus valent intelligi. Quæ videlicet radix senescit in terra, cum natura carnis deficit in pulverem redacta. Cujus in pulvere truncus emoritur; quia exstinctum corpus a sua specie dissipatur. Sed ad odorem aquæ germinat, quia per adventum sancti Spiritus resurgit; et facit eo **477** et comam, etc. Est quia ad illam speciem redit, ad quam percipiendam creatus fuerat, si in paradiso positus peccare noluisset.

(637) Radicis nomine occulta cogitatio designatur, sicut per Eliphaz de divite iniquo dicitur : *Non habitabitur nec perseverabit substantia ejus, nec mittet in terra radicem suam* (*Job* XV, 29). Quid hic, non habitabitur, dictum est : quibusdam codicibus reperi non ditabitur. Sed sensus non discrepat, a se sermo discordat. Ille enim virtutibus ditatur, cujus mentem inhabitat omnipotens Deus. Sed quia superbi cogitatio ab auctoris sui gratia non inhabitatur, profecto virtutibus non ditatur, propter hoc quod interius est vacuus dicitur non inhabitabitur : propter hoc vero quod transitorium foris tumet, recte subjungitur : *Nec perseverabit substantia ejus.* Ac si aperte dicatur : Hoc quod habere videtur exterius, transit et illud quod transire non poterat interius non habet. Unde et apte subjungitur : *Nec mittet in terram radicem suam.* Quod si de hac terra dictum accipimus, liquet procul dubio quia arbor quæ in terra radicem non habet vel tenuissimis commota flatibus cadit. Et superbus quisque dum contra omnipotentem Dominum roboratur; dum currit adversus eum erecto collo, et impingue cervice contra auctorem erigitur, stare quasi arbor videtur; sed status ejus sine radice est, quia velut ad lenem flatum, sic ad motum occultæ sententiæ vita ejus eruitur. Si vero hoc loco terram æternæ vitæ retributionem accipimus, de qua Propheta ait : *Portio mea in terra viventium* (*Psal.* CXLI, 7). Iniquus iste in terra radicem suam non mittet, quia nunquam ad æternæ vitæ desiderium carnis sui cogitationem plantat. Quod enim radix est arbori, hoc unicuique hominum cogitatio sua est, quia in hoc quod exterius videtur, per illud tenetur quod interius non videtur. Unde et per prophetam dicitur : *Mittet radicem deorsum, et faciet fructum sursum* (*Isa.* XXXVII, 31). Cum enim cogitationem nostram ad compatiendum indigenti proximo tendimus, quasi radicem deorsum mittimus ut retributionis fructum superius faciamus.

478 CAPUT XVII.

DE BACULO.

In Scriptura sacra baculi nomine, aliquando disciplina legis, aliquando consolationis sustentatio, aliquando cura pastoralis intelligitur.

(638) Baculi nomine disciplina legis intelligitur, sicut de Eliseo scriptum est : *Quod cum baculo puerum mittens exstincto filio Sunamitis, illius vitam minime reddit : per semetipsum vero veniens, seque super mortuum sternens atque ejus membra se colligens, et in ore mortui septies aspirans, hunc ad revivam lucem protinus per mysterium compassionis animavit* (*IV Reg.* IV, 30 et seq.). Auctor quippe humani generis Deus quasi mortuum puerum doluit, cum exstinctos nos iniquitatis aculeo miseratus aspexit. Et quia per Moysen terrorem legis protulit, quasi puerum baculum misit. Sed puer cum baculo mortuum suscitare non valuit, quia, Paulo attestante : *Nihil ad perfectum duxit lex* (*Hebr.* VII, 5). Ipse namque per semetipsum veniens, et super cadaver se humiliter sternens ad exæquanda sibi mortua membra se collegit : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in si-*

(635) Ex l. XII in Job c. IV, post initium 3.
(636) Ex iisdem lib. et cap.
(637) Ex l. XII in Job c. XXII, in medio 23.
(638) Ex l. IX in Job c. XXII, 32.

Digitized by Google

militudinem hominum factus et habitu inventus ut homo (*Philipp.* II, 6). Huc illucque deambulat, quia et Judæam juxta et longe positas gentes vocat. Super mortuum septies inspirat, quia et per apertionem divini muneris, gratiæ septiformis spiritum in peccati morte jacentibus tribuit. Moxque vivens erigitur, quia is quem terroris baculus suscitare non potuit, per amoris spiritum puer ad vitam redit.

(639) Baculi nomine consolationis sustentatio designatur, sicut per Psalmistam dicitur : *Virga tua, et* **479** *baculus tuus ipsa me consolata sunt* (*Psal.* XXII, 4) ; virga enim percutimur, et baculo sustentamur. Si ergo est in rectoribus districtio virgæ quæ feriat, sit et consolatio baculi quæ sustentet. Sit itaque amor, sed non emolliens : sit rigor, sed non exasperans. Sit zelus, sed non immoderate sæviens : sit pietas, sed non plusquam expedit parcens.

(640) Baculi nomine cura pastoralis designatur, sicut de comestione agni per Moysen dicitur : *Tenentes baculos in manibus* (*Exod.* XII, 4). Quid lex per baculum nisi pastoralem custodiam designat? Et notandum quod prius præcipimur renes accingere, postmodum baculos tenere : quia illi debent curam pastoralem suscipere qui jam in suo corpore sciunt fluxa luxuriæ domare ; ut cum aliis fortia prædicant, ipsi desideriis mollibus enerviter non succumbant.

CAPUT XVIII.

DE VIRGA.

In Scriptura sacra virgæ nomine, aliquando rectitudo, aliquando percussio, aliquando disciplinæ rigor intelligitur.

(641) Virgæ nomine rectitudo signatur, sicut per Psalmistam Domino dicitur : *Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas confringes eos* (*Psal.* II, 9). Sciendum est quia aliquando nos adversarius, aliquando autem conterit Deus. Et contritione autem adversarii a virtute deficimus, per contritionem vero Domini fracti, a vitiis in virtute roboramur, hanc ergo contritionem Psalmista conspexerat cum dicebat : *Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli conteres eos.* In virga namque Dominus nos conterit, quia dispensationis suæ forti ferrea rectitudine cum nos interius reficit, exterius affligit. Nam **480** quo virtutem carnis humiliat, intentionem spiritus exaltat. Unde et hæc eadem contritio figuli vasi comparatur, sicut et per Paulum dicitur : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus* (*II Cor.* IV). Qui simul contritionem et rigorem exprimens, ait : *Licet is qui foris est noster homo corrumpitur, tamen qui intus est renovatur de die in diem* (*ibid.*, 16).

(642) Virgæ nomine percussio designatur, sicut Redemptori nostro de antiqui hostis dominio gentilitatem liberanti per prophetam Isaiam dicitur : *Jugum oneris ejus, et virgam humeri ejus et sceptrum exactoris ejus superasti sicut in die Madian* (*Isa.* IX, 14). Eripiens quippe gentilitatem Dominus superavit jugum oneris ejus, cum eam adventu suo ab illa dæmoniacæ tyrannidis servitute liberavit. Superavit virgam humeri ejus, cum percussionem illius quæ ex perverso opere graviter deprimebat, ab humano genere Redemptor compescuit. Superavit sceptrum exactoris ejus, cum regnum ejusdem diaboli qui pro pestifera perpetratione vitiorum exigere consueverat, debita tributa pœnarum de fidelium corde destruxit (643). Quis enim intelligi exactor alius nisi diabolus potest, qui semel in paradiso homini male persuadendo culpam intulit, et quotidie ab eo hujus debiti exigit pœnam? quærit.

(644) Virgæ nomine disciplinæ rigor designatur, sicut per Psalmistam Domino dicitur : *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt* (*Psal.* XXII, 4). Miscenda enim est levitas cum severitate, faciendum quoddam ex utraque temperamentum ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, ut neque nimia benignitate solvantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca significat in qua cum tabulis virga simul et manna est, quia cum Scripturæ sacræ scientia in boni rectoris pectore si est virga districtionis, sic et manna dulcedinis.

481 CAPUT XIX.

DE RAMIS.

In Scriptura sacra ramorum nomine, aliquando sancti prædicatores, aliquando opera, aliquando verba sententiæ Patrum designantur.

Ramorum nomine sancti prædicatores intelliguntur, sicut in Evangelio voce Veritatis dicitur : *Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, crevit et factum est in arborem magnam, et volucres cœli requierunt in ramis ejus* (*Luc.* XIII, 19). Require in cap. De volucribus, lib. II.

Ramorum nomine opera designantur, sicut sub cujusdam gentis specie malignorum spirituum malitiam signans per prophetam Dominus dicit : *Posuit vineam meam in deserto, ficum meam decorticavit et projecit, albi facti sunt rami ejus* (*Joel.* I, 7). Require in cap. De ficu, supra, dist. 1.

(645) Ramorum nomine verba vel sententiæ Patrum designantur, sicut in Evangelio Domino asino eunte in Jerusalem dicitur : *Plurima autem turba vestimenta sua sternebant in via : alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via* (*Matth.* XXI, 8). Salvator etenim noster asello sedens, Jerusalem tendit, quando uniuscujusque fidelis animam regens, videlicet jumentum suum ad pacis intimæ visionem ducit. Jumentum etiam sedet cum sanctæ Ecclesiæ universaliter præsidet, eamque in supernæ pacis desiderium accendit. Multi autem vestimenta sua in via sternunt, quia corpora sua per abstinentiam domant, ut ei iter ad mentem parent, et exempla bona sequentibus præbeant. Alii autem ramos vel

(639) Ex l. XX in Job c. VIII, 6.
(640) Ex hom. 22 in Evang. ad finem.
(641) Ex l. VII in Job c. VII.
(642) Ex l. XXX in Job c. XVI, 31.
(643) Ex c. XV lib. sup. fine.
(644) Ex lib. XX in Job c. VIII, 6.
(645) Ex hom. 17 in Ezech.

Digitized by Google

frondea de arboribus cædunt et sternunt **482** in via, quia in doctrina Veritatis verba atque sententias Patrum ex eorum eloquio carpunt, et hæc in via Dei humili prædicatione submittunt. Quod indigni nos quoque et modo facimus. Nam cum Patrum sententias in sermone exhortationis assumimus, frondes de arboribus cædimus, et has in via omnipotentis Dei sternimus.

CAPUT XX.

DE FRONDIBUS.

Frondis nomine cœlestium spirituum legiones intelliguntur, sicut de antiqui hostis primatu per prophetam dicitur : *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei : abietes non adæquaverunt summitatem ejus, platani non fuerunt æqui frondibus illius* (*Ezech.* XXXI, 8). Vide cap. 8, supra.

Frondium nomine Judææ reges designantur per Ezechielem prophetam (*Ezech.* XVII). Lege cap. 2, dist. 2, lib. II.

CAPUT XXI.

DE CORTICE.

In Scriptura sacra corticis nomine, aliquando historiæ sensus, aliquando exteriora Patrum eloquia, aliquando tegmen humilitatis designatur.

Corticis nomine historiæ sensus intelligitur, sicut per Moysen de Jacob dicitur : *Tollens Jacob virgas populeas virides et amygdalinas, et parte decorticavit eas : ex detractisque corticibus in his quæ spoliata fuerant, candor apparuit,* etc. (*Gen.* XXX, 37). Require in capitulo De arietibus lib. III, cap. 13, dist. 2.

483 Corticum nomine exteriora Patrum eloquia vel litteræ superficies vel exteriora bene inchoantium opera designantur, sicut per beatum Job de hæreticis dicitur : *Et mandebant herbas, et arborum cortices* (*Job* XXX, 4). Require in capitulo 2, De herbis, supra, dist. 3.

Corticis nomine tegmen humilitatis designatur. Vide cap. 14, supra, dist. 1.

CAPUT XXII.

DE FOLIO.

Folii nomine mentis levitas intelligitur per beatum Job. Consule lib. IV, cap. ult.

CAPUT XXIII.

DE FLORIBUS.

In Scriptura sacra floris nomine, aliquando mediator Dei et hominum homo Christus Jesus exprimitur, aliquando præsentis vitæ gloria favor humanæ laudis, aliquando animæ bonum inchoantes.

(646) Floris nomine mediator Dei et hominum Christus Jesus exprimitur, sicut per prophetam Isaiam dicitur : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* (*Isa.* XI, 1).

(647) Floris nomine præsentis vitæ gloria designatur, sicut per Isaiam prophetam dicitur : *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus tanquam flos feni* (*Isa.* XL, 6).

Floris nomine favor humanæ laudis designatur sicut per Baldat de hypocrita sub appellatione scirpi vel carecti dicitur : *Nunquid virere potest scirpus absque* **484** *humore aut crescere carectum sine aqua ?* (*Job* VIII, 1.) Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit. Require in cap. De scirpo, infra lib. XIV, cap. 13.

(648) Florum nomine animæ bonum inchoantes designantur, sicut in Canticis canticorum voce sponsæ sponsum valde amantis et desiderantis dicitur : *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo* (*Cant.* II, 5). Mens quippe illa, quæ per amorem sponso invisibili jungitur et ejus desiderio ardet, nulla jam quæ in mundo sunt concupiscit, præsentis vitæ longitudinem pœnam deputat, exire festinet, et amoris amplexu in cœlestis Sponsi visione requiescere. Mens enim talis nullam præsentis vitæ consolationem recipit, sed ad illum quem diligit medullitus suspirat, fervet, anhelat, anxiatur. Vitis eis fit ipsa salus sui corporis, quia transfixa est vulnere amoris, sicut dicit vulnerata charitate ego sum. Mala namque est cordi quæ dolorem hujus vulneris nescit. Cum vero anhelare in cœlesti desiderio et sentire vulnus amoris cœperit sit anima salubrio ex vulnere quæ prius ægrotabat salute. Menti tamen sponsum suum ita fortiter amante de amore vitæ præsentis una solet esse consolatio, si per hoc quod ipsa ab ejus visione differtur aliorum animæ eis verbo proficiant, et ad cœlestem sponsum amoris facibus inardescant. Mœret quidem, quia differri se conspicit, triste est ei omne quod aspicit, quia illum adhuc non videt quem videre concupiscit. Sed est, ut dixi, non prava consolatio si fervens anima differtur, et per eam multa colliguntur ut tarde cum multis videat quæ sola videre citius volebat. Unde bene dicit : *Fulcite me floribus*, etc. Quid namque sunt flores, nisi animæ bonum opus inchoantes et desiderium cœleste redolentes? Quid mala de floribus, nisi bonorum mentes quæ ad fructum pervenerunt, boni operis de initio sanctæ propositionis? Qui ergo amore languet, fulciri quærit floribus, stipari malis, quia, si illum quem desiderat, videre adhuc non permittitur, magna ei est consolatio si aliorum profectibus lætetur. Anima ergo sancta amore languida, floribus malisque fulciatur, ut requiescat in bono opere proximi, adhuc contemplari non valet vultum Dei.

485 CAPUT XXIV.

DE POMIS.

In Scriptura sacra pomorum nomine, aliquando primordia nostrorum operum, aliquando odoriferus Dei adventus designatur.

Pomorum nomine primordia nostrorum operum designantur, sicut per Moysen dicitur : *Quando ingressi fueritis terram quam ego daturus sum vobis, et plantaveritis in ea ligna pomifera ; auferetis præputia eorum* (*Levit.* XIX, 23). Poma quæ germinant,

(646) Ex l. XXIX in Job c. XVI, 30.
(647) Ex l. XIX in Job c. V.
(648) Ex hom. 15 in Ezech.

Digitized by Google

immunda erunt vobis, nec edetis ex eis. Require in capitulo De lignis, supra, cap. 1, dist. 10.

(649) Pomorum nomine odoriferus Dei adventus, sicut per beatum Job ex persona antiquorum patrum adventum Redemptoris desiderantium, vel terræ ex persona totius humani generis dicitur : *Dies mei velociores fuerunt cursore : fugerunt et non viderunt bonum, pertransierunt quasi naves poma portantes* (*Job* IX).

CAPUT XXV.

DE MALIS.

(650) Malorum punicorum nomine fidei unitas designatur, sicut in Exodo legitur : *Ubi in sacerdotis veste justa divinam vocem tintinnabulis mala punica conjunguntur* (*Exod.* XXVIII, 33). Vestimenta etenim sacerdotis, quid aliud quam recta opera debemus accipere? Propheta attestante qui ait : *Sacerdotes tui induantur justitiam* (*Psal.* CXXXI, 9). Vestimentis autem illius tintinnabula inhærent, ut vitæ viam cum longe sonitu ipsa quoque opera sacerdotis clament. Quid vero per mala punica, nisi fidei unitas designatur? Nam sicut in malo punico uno exterius cortice multa interius **486** grana muniuntur, sic innumeros sanctæ Ecclesiæ populos unitas fidei contegit, quos intus diversitas meritorum tenet. Cum igitur rector ad loquendum se præparat, sub quanto cautelæ studio loquatur attendat, ne, si inordinate ad loquendum rapitur, erroris vulnera corda audientium feriantur, et, cum fortasse sapiens videri desiderat, unitatis compagem insipienter abscindat : hinc namque Veritas admonens dicit : *Habete sal in vobis, et pacem habete inter vos* (*Marc.* IX, 49). Per sal quippe verbi sapientia designatur. Qui ergo loqui sapienter nititur, magnopere metuat ne ejus eloquio audientium unitas confundatur. Unde Paulus ait : *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (*Rom.* XII, 3). Ne rector incautus ad loquendum proruat, hoc quod jam præmisimus per semetipsam Veritas discipulis clamat : *Habete sal in vobis et pacem habete inter vos :* ac si figurate per habitum sacerdotis dicat : *Mala punica tintinnabulis jungite* (*Exod.* XXVIII, 35), ut per omne quod dicitis unitatem fidei cauta observatione teneatis.

INCIPIT LIBER DECIMUS.

487 CAPUT PRIMUM

DE PETRA.

In Scriptura sacra cum petra singulariter ponitur, aliquando Christus, aliquando soliditas fidei, aliquando duritia torporis intelligitur. Cum vero pluraliter petræ dicuntur, aliquando sublimes cœli potestates, aliquando dura corda gentilium designantur.

Petræ nomine Christus designatur, sicut Apostolus testatur dicens : *Petra autem erat Christus* (*I Cor.* X, 4). Vide lib. VII, cap. 6, dist. 2.

(651) Petræ nomine soliditas fidei intelligitur. Unde in Moysen Dominus dicit : *Est locus apud me, et stabis supra petram* (*Exod.* XXXIII, 21). Et paulo post : *Tollam manum meam, et videbis posteriora mea* (*ibid.*, 23). Etenim ex sola catholica Ecclesia Veritas conspicitur, apud se esse locum Dominus perhibetur de quo videatur. Et in petra Moyses ponitur, ut Dei faciem contempletur, **488** quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit, divinam præsentiam non agnoscit. De qua soliditate iterum in Evangelio dicit : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI, 18).

Petræ nomine duritia torporis accipitur. Unde ad Isaiam Dominus dicit : *Ingredere in petram, abscondere fossa humo a facie timoris Domini, et a gloria majestatis ejus* (*Isa.* II, 10). Require in cap. De fossa, lib. VI, cap. 20, dist. 1.

(652) Petrarum nomine sublimes cœli potestates designantur, sicut sancto viro sub nomine aquillæ ad beatum Job Dominus dicit : *In petris manet* (*Job.* XXXIX, 1). Quid enim per petras virtutum cœlestium potestates intelligimus? illas nimirum quas non jam quasi more arborum huc atque illuc ventus nostræ mutabilitatis inclinat, quia velut petræ in arduis sitæ ab omni motu mutabilitatis alienæ, et ad soliditatem fixæ celsitudinis ipsa quoque cui inhærent duruerunt æternitate. Vir itaque cum terrena despicit, more se aquilæ ad altiora suspendit, et per contemplationis spiritum sublevatus perennem gloriam angelorum præstolatur atque huic mundo hospes, illa appetendo quæ aspicit, jam in sublimibus figitur. Recte ergo dicitur : *In petris manet*, id est intentione cordis inter illas cœlestes virtutes residet quæ et per æternitatis suæ fortitudinem tenta jam soliditate fixæ sunt, ut in nullo culpæ latere mutabilitatis varietate flectantur.

Petrarum nomine dura corda gentilium designantur, sicut per beatum Job de Domino dicitur : *In petris rivos excidit* (*Job* XXVIII, 10). Require cap. De rivis, lib. VI, cap. 6, dist. 4.

489 CAPUT II.

DE LAPIDE.

In Scriptura sacra cum lapis singulariter ponitur, aliquando cordis duritia, aliquando dura cogitatio, aliquando Ecclesia, aliquando dura consuetudo peccati intelligitur. Cum vero pluraliter lapides dicuntur, aliquando virtutes angelicæ, aliquando

(649) Ex l. XVI in Job c. XXVI, 22.
(650) Ex l. I Regist. Epist. c. XXIV.
(651) Ex l. XXXV in Job c. VII, 6.
(652) Ex l. XXXI in Job c. XIX, post med. 35.

Digitized by Google

mentes fortium, aliquando dura corda gentilium, aliquando verba sacræ Scripturæ designantur.

(653) Lapidis nomine cordis duritia designatur sicut per beatum Job dicitur : *Et lapis colore solutus in æs vertitur* (*Job* XXVIII, 2). Require in capitulo De ære, lib. VIII, distinct. 2.

Lapidis nomine dura cogitatio designatur in Evangelio, de Veritatis voce dicente : *Non relinquent in te lapidem, qui non destruatur, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ* (*Luc.* XIX, 44). Civitatis quippe nomine anima intelligitur. Duræ autem cogitationes intelligi lapidum significatione valent. Perversa etenim mens cum perversæ cogitationi adhuc perversorem adjicit, quid aliud quam lapidem super lapidem ponit? Sed in destructa civitate lapis super lapidem non relinquitur, quia, cum ad ultionem suam anima ducitur, omnis ab illa cogitationum suarum constructio dissipatur. Qui cur hoc patiatur, adjungitur : *Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Pravam namque animam omnipotens Deus multis modis visitare consuevit. **490** Nam assidue hanc visitat præcepto, aliquando autem flagello, aliquando vero miraculo, ut ea vera, quæ nesciebat audiat, et tamen adhuc superbiens atque contemnens aut dolore compuncta redeat, aut beneficiis devicta erubescat. Sed quia visitationis suæ tempus minime cognoscit, illis in extremo vitæ inimicis traditur, cum quibus in æterno judicio damnationis perpetuæ societate colligatur.

Lapidis nomine Ecclesia designatur, sicut in lege scriptum est : *Manus autem Moysi erant graves* (*Exod.* XVII, 12). Sumentes igitur lapidem posuerunt subter, in quo sedit. Require in capitulo De manibus, lib. V, cap. 26, distinct. 6.

Lapidis nomine dura consuetudo peccati designatur, unde propheta Jeremias, dum Judæam in iniquitatibus longa consuetudine obrutam fuisse conspiceret, in Lamentis suis sub ejus specie semetipsum deplorat, dicens : *Lapsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapidem super me* (*Thren.* III, 53). Require in capitulo De lacu, lib. VII, cap. 10.

(654) Lapidum nomine virtutes angelicæ designantur, unde propheta antiqui hostis principatus celsitudinem, quam in conditione sua acceperat, et per superbiam suam perdiderat, insinuans dicit : *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum : sardius, topazius et jaspis, chrysolithus, onix et berillus, sapphirus, carbunculus et smaragdus* (*Ezech.* XXVIII, 13). Novem dixit genera lapidum, quia nimirum novem sunt ordines angelorum. Quibus diabolus opertus fuisse scribitur, quia eos quasi vestem ad ornamentum suum habuit : quorum dum claritatem transcenderet ex eorum comparatione clarior fuit. Unde adhuc idem propheta adjungit : *Tu cherub extentus et protegens in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum perfectus ambulasti* (*Ezech.* XXVIII, 14). Cherub quippe plenitudo scientiæ dicitur : et idcirco diabolus Cherub dicitur, quia transcendisse cunctos scientia non dubitatur : quem bene extentum ac protegentem dicit : Omne enim quod extenti protegimus, **491** obumbramus. Et quia comparatione claritatis suæ obumbrasse cæterorum claritatem creditur, ipse opertus et protegens fuisse perhibetur. Reliquos enim quasi obumbrando operuit, qui eorum magnitudinem excellentia majori transcendit. Qui in medio lapidum ignitorum perfectus ambulavit, quia inter angelorum corda charitatis igne succensa clarius gloria conditionis exstitit.

(655) Lapidum nomine mentes fortium designantur sicut per Petrum sanctis dicitur : *Et vos tanquam lapides vivi superædificamini domus spirituales* (*I Petr.* II, 5). Et per prophetam Dominus venienti Ecclesiæ pollicetur dicens : *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris. Et ponam jaspidem propugnacula tua, et portas tuas in lapides sculptos : et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles, et universos filios tuos doctos a Domino* (*Isa.* LIV, 11). Statuit namque in Ecclesia Dominus per ordinem lapides, quia in ea sanctas animas meritorum diversitate distinxit. Fundavit eam in sapphiris, qui scilicet lapides coloris aerei in se similitudinem tenent, quia robur Ecclesiæ in animabus cœlestia appetentibus solidavit. Et quoniam jaspis viridis est coloris, jaspidem propugnacula ejus posuit, quia illi contra adversarios pro sanctæ Ecclesiæ defensione objecti sunt, qui internis desideriis virentes nulla corporis reprobi ariditate marcescunt. Portas vero eis posuit in lapides sculptos. Ii quippe portæ sunt Ecclesiæ per quorum vitam atque doctrinam intrat in eam multitudo credentium. Qui pro eo etiam quod magnis operibus pollent, et id quod loquentes asserunt viventes ostendunt, non puri sed sculpti lapides esse memorantur. In quorum enim vita recta operatio cernitur, quasi in eisdem ipsis exprimitur, quod egerunt. Ubi omnem quoque sanctorum numerum generali collectione concludens subdit : *Omnes terminos tuos in lapides desiderabiles.* Et tanquam si audientes ista peteremus ut hos lapides quos diceret, indicaret, adjunxit : *Universos filios tuos doctos a Domino.*

492 (656) Lapidum nomine dura corda gentilium designantur, sicut per Joannem dicitur : *Potens est Dominus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ* (*Matth.* III, 9). Qui videlicet nomine lapidum corda gentilium designat, dura tunc atque insensibilia per infidelitatem. Et per prophetam Dominus pollicetur dicens : *Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum* (*Ezech.* XI, 19).

(657) Lapidum nomine verba sacræ Scripturæ intelliguntur, sicut per Ezechielem dicitur. Quatuor

(653) Ex hom. 3 in Evang.
(654) Ex l. XXXII in Job c. XVIII, 25.
(655) Ex l. XVIII in Job c. XIX, post med. XX.
(656) Ex lib. et c. sup.
(657) Ex hom. 19 in Ezech.

Digitized by Google

autem mensæ ad holocaustum de lapidibus quadris sunt exstructæ. Quid enim per mensas, nisi corda sanctorum doctorum accipimus, ex quorum doctrina auditorum mentes reficiuntur? Holocaustum vero totum incensum dicitur, et holocaustum offerimus quando omnibus quæ hujus mundi sunt renuntiamus, holocaustum offerimus, quando ad Dominum et opere et cogitatione convertimur. Lapides autem quadri verba sunt Scripturæ sacræ. Lapides quippe quadri ubique stant, in quocunque latere fuerint versi. Sic sunt et verba Scripturæ sacræ ubique stant, quia ex nullo latere reprehensibilia inveniuntur. Nam in omne quod præteritum narrant, in omne quod venturum annuntiant, in omne quod moraliter prædicant, in omne quod spiritualiter sonant, quasi in diverso latere statum habent, quia reprehensionem non habent. Corda itaque sanctorum mensæ Dei ad holocaustum sunt, quia sive in bono opere, seu in sancta cogitatione medullitus accenduntur. Corda sanctorum mensæ Dei ad holocaustum ex quadris lapidibus constructæ sunt, quia dum semper Dei verba cogitant, semetipsos Domino a carnali vita in cogitatione mactant. Unde scriptum est : *Lex Dei ejus in corde ipsius* (*Psal.* XXXVI, 31), et non supplantabuntur gressus ejus. Et unde rursum dicitur : *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi* (*Psal.* CXVIII, 11).

493 CAPUT III.

DE SAPPHIRO.

In Scriptura sacra sapphiri nomine, aliquando angelica natura, aliquando sancti quilibet designantur.

(658) Sapphiri nomine angelicam naturam designat, sicut per Job de pretio sapientiæ dicitur : *Lapidi sardonychum pretiosissimo vel sapphiro* (*Job* XXVIII, 16). Sardonychum vel sapphirum lapides esse pretiosos quis nesciat? Et dum alii pretiosi sint lapides qui longe istos æstimatione magnitudinis antecellant, cur sardonychus vel sapphirus potissimum pretiosus nominatus est, eum uterque lapis sic aliorum lapidum comparatione vilissimus sit? nisi ut eos lapides qui pretiosi describuntur, dum pretiosos non esse cognoscimus, in eorum intelligentia aliud exquiramus. Sardonychus quippe terræ rubræ similitudinem tenet. Sapphirus vero aeriam habet speciem. Possunt ergo in sardonycho per terram homines, in sapphiro autem per aeream visionem angeli designari.

(659) Cum enim terræ rubræ speciem lapis sardonychus habeat, non immerito hominem designat, quia Adam qui primus est conditus, Latino sermone terra rubra nominatur. Quid est ergo quod dicitur : quia hæc sapientia lapidi sardonycho vel sapphiro non confertur, nisi quod is qui est Dei virtus et sapientia, mediator Dei et hominum homo Christus Jesus tanta magnitudine excellat omnia, ut nec in terra primi homines, nec in cœlo angeli comparentur? Unde et per Psalmistam dicitur : *Quis in nubibus æquabitur Deo, aut quis similis erit Deo inter filios Dei* (*Psal.* LXXXVIII, 7).

Sapphiri nomine quilibet sancti cœlestia appetentes designantur, sicut per prophetam Dominus venienti Ecclesiæ pollicetur dicens : *Ecce ego sternam per ordinem lapides, et fundabo te in sapphiris* (*Isa.* LIV, 11). Require in cap. De lapidibus, supra dist. 6.

494 CAPUT IV.

DE JASPIDE.

Jaspidis nomine viror interni desiderii designatur, sicut venienti Ecclesiæ per prophetam Dominus pollicetur dicens : *Ponam jaspidem propugnacula tua et portas tuas in lapidem sculptum* (*Isa.* LIV, 12). Require in cap. De lapidibus, supra, dist. 6.

CAPUT V.

DE TOPAZIO.

(660) Topazii nomine multis virtutibus plenus designatur, sicut de sapientia per Job dicitur : *Non adæquabitur ei topazium de Æthiopia* (*Job* XXVIII, 19). Quid enim Æthiopiam nisi præsentem mundum accipimus : quæ coloris nigredine designat peccatorem populum, et fœditatem meritorum. Aliquando vero Æthiopiæ nomine specialiter gentilitas designari solet infidelitatis prius nigra peccatis. Quam veniente Domino Habacuc propheta vidit timore perterritam, et ait : *Tabernacula Æthiopum expavescent, tabernacula terræ Madian* (*Habac.* III, 7). David quoque propheta videns quod ad Judæam redimendam veniret Dominus : sed ante gentilitas crederet, et postmodum Judæa sequeretur sicut scriptum est : *Donec plenitudo gentium introiret et sic omnis Israel salvus fieret* (*Rom.* XI, 25), dicens : *Æthiopia præveniet manus ejus in Deo* (*Psal.* LXVII, 32). Id est priusquam Judæa credat, salvandam se offert omnipotenti Domino peccatis nigra gentilitas. Topazium vero lapis pretiosus est. Et quia Græca lingua πᾶν, omne dicitur pro eo quod omni colore resplendet, topazium quasi τὸ παντὸς vocatur. Dum vero in Deum conversa gentilitas credidit, ex ea multi sunt ita dono spiritus locupletati, ut quasi multis coloribus, sic multis virtutibus luceant. Sed ne acceptis virtutibus quisquam non extollatur, a sancto viro nunc dicitur : *Non adæquabitur topazium de Æthiopia.* Ac si aperte diceretur : Nullus sanctorum, quibuslibet plenus 495 virtutibus, existat, tamen nigredine mundi collectus, æquari potest ei de quo dictum est : *Quod nascitur ex te, sanctum vocabitur filius Dei* (*Luc.* I, 35).

CAPUT VI.

DE CRYSTALLO.

(661) Crystalli nomine angelicæ fortitudo naturæ designatur, sicut per Ezechielem dicitur : *Et simili-*

(658) Ex l. XVIII in Job c. XXVII, 30.
(659) Joseph., l. I, Ant., cap. 2, Adam *rubrum* interpretatur.
(660) Ex lib. XVIII in Job c. XXVII, post med. XXXV.
(661) Ex hom. 7 in Ezech.

Digitized by Google

tudo super capita animalium, firmamenti quasi aspectus crystalli horribilis et extenti super capita eorum desuper (*Ezech.* I, 22). Possunt firmamenti nomine cœlestes potestates intelligi. Quod firmamentum recte, quasi aspectus crystalli dicitur, quia videlicet forte quidem nimis est, sed ex aqua solidatur. Et natura angelica, quando creata est, liberum arbitrium accepit, utrum vellet in humilitate persistere, et in omnipotentis Dei aspectu permanere, an ad superbiam laberetur, et a beatitudine caderet, per similitudinem aqua fuit. Sed quia cadentibus aliis, sancti angeli in sua beatitudine perstiterunt, atque hoc acceperunt in munere, ut jam cadere omnino non possent, in eis natura sua; quia jam dejici mutabiliter non potest, quasi in magnitudine crystalli durata est. Quod crystallum horribile et extentum super capita animalium dicitur, quia illæ potestates, quæ omnipotentis Dei conspectui assistunt, nobis adhuc in hac corruptione positis terribiles atque pavendæ sunt. Quarum nunc gaudia, quia sensum nostrarum mentium excedunt, super capita animalium esse memorantur. Quis enim in carne corruptibili positus comprehendere valeat quæ sit illa angelorum ineffabilis et sine fine lætitia? Quæ beatitudo, sine defectu vultum Creatoris videre atque in ejus delectatione sine permutatione persistere in ejus delectatione?

496 CAPUT VII.

DE ADAMANTE.

Adamantis nomine æternitas designatur, sicut per prophetam dicitur : *Peccatum Judæ scriptum stylo ferreo in ungue adamantino* (*Jer.* XVII, 1). Require lib. v, cap. 60.

INCIPIT LIBER UNDECIMUS.

497 CAPUT PRIMUM.

DE IGNE.

In Scriptura sacra ignis nomine, aliquando zelus charitatis, aliquando charitas, aliquando Spiritus sanctus, aliquando malitia, aliquando ardor luxuriæ, aliquando æstus avaritiæ, aliquando flamma invidiæ, aliquando compunctionis calor, aliquando ardor gehennæ, aliquando Deus, aliquando ardor passionis designatur.

Ignis nomine zelus charitatis designatur : unde propheta Jeremias, cum sibi prædicationis silentium indixisset dicens : *Non recordabor ejus, neque loquar ultra in nomine illius* (*Jer.* XX, 9), adjunxit : *Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, et defeci ferre non sustinens. Audivi enim contumeliam multorum* (*ibid.*).

498 Ignis nomine charitas designatur, sicut per Moysen dicitur : *Ignis in altari semper ardebit quem nutriet sacerdos subjiciens mane ligna per singulos dies* (*Lev.* VI, 12). Require in cap. De lignis, lib. IX, cap. 1, dist. 8.

(662) Ignis Spiritum sanctum designat sicut in Evangelio voce Veritatis dicitur : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat?* (*Luc.* XII, 49.) Hinc Moyses de agni comestione dicit : *Si quid remanserit, igne comburetis* (*Exod.* XII, 20) (663). Quod ex agno remanet, igne comburimus quando hoc quod mysterio incarnationis ejus intelligere et penetrare non possumus, potestati sancti Spiritus humiliter reservamus, ut non superbe quis audeat, vel contemnere, vel denuntiare quod non intelligit, sed igni hoc tradit, cum Spiritui sancto reservat.

(664) Ignis nomine malitia designatur, sicut per Ezechielem dicitur : *Et vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone, et nubes magna et ignis involvens* (*Ezech.* I, 4). Ignis enim nomine malitia intelligitur, sicut scriptum est : *Et nunc ignis adversarios consumit* (*Hebr.* X, 27), quia cor pessimum ex sua malitia tabescit. Sicut autem ignis amoris mentem erigit, ita ignis malitiæ involvit. Quia et sanctus Spiritus cor quod replet, elevat, et ardor malitiæ ad inferioria semper incurvat. Judæa igitur nube suæ ignorantiæ cæcata, quia mox ad persecutionis nequitiam erupit, igne suo convoluta est, quæ in obligatione se nequitiæ per eamdem ipsam crudelitatem, qua arsit, implicavit. *Ventus autem turbinis ab aquilone veniebat, et nubes magna et ignis involvens*, quia ex corporis sui frigore ad ignorantiæ suæ caliginem perducta usque ad malitiam persecutionis erupit.

(665) Ignis quoque nomine Deus accipitur, sicut scriptum est : *Deus noster ignis consumens est* (*Deut.* IV, 24) (666). Deus quippe ignis consumens dicitur, quia per hunc peccatorum rubigo consumitur. Ignis consumens Deus dicitur, quia ab omni corde quod replet torporem frigoris excutit, et hoc in desiderio suæ æternitatis accendit.

499 Ignis nomine ardorem passionis designat, sicut per Moysen de agni comestione dicitur : *Et edent carnes nocte illa assatas igni* (*Exod.* XII, 8). In nocte quippe agnum comedimus, quia in sacramento modo corpus Dominicum accipimus, quando adhuc in se invicem nostras conscientias non videmus. Quæ tamen cum carnes igni assandæ sunt, quia nimirum dissolvit ignis carnes, quas aqua coxerit, quas vero ignis sine aqua excoquit roborat. Carnes itaque agni nostri ignis excoxit, quia eum ipsa vis passionis illius ad resurrectionem valentiorem reddidit, atque ad incorruptionem roboravit. Epist. ad Hebr.

(662) Vide supra, l. I, c. 16, dist. 1.
(663) Ex hom. 22 in Evang.
(664) Vulg. edit. et Græca et Chrys. hom. 20 in
(665) Ex hom. 30 in Evang.
(666) Ex hom. 22 in Evang.

Digitized by Google

Quia enim ex morte convaluit, videlicet carnes illius ab igne duruerunt. Unde etiam per Psalmistam dicit: *Exaruit velut testa virtus mea* (*Psal.* xxi, 16). Quid namque est testa ante ignem nisi molle lutum? Sed ei ex igne agitur, ut solidetur. Virtus ergo humanitatis Christi velut testa exaruit, quia ab igne passionis ad virtutem incorruptionis crevit.

(667) Ignis nomine ardor luxuriæ designatur sicut per Job dicitur: *Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina* (*Job* xxi, 30). Hoc inter peccatum et crimen distat, quod omne crimen peccatum est, non tamen omne peccatum crimen est. Et in hac quidem vita multi sine crimine, nullus vero esse sine peccato valet. Unde et prædicator egregius cum virum dignum gratia sacerdotali describeret nequaquam dixit: *Si quis sine peccato, sed, si quis sine crimine est* (*Tit.* i, 6). Quis vero sine peccato esse valeat, cum Joannes dicat: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus?* (*I Timoth.* iii, 10.) *Et veritas in nobis est* (*I Joan.* i, 8). In qua videlicet peccatorum et criminum distinctione pensandum est, quia nonnulla peccata animam polluunt, quam crimina exstinguunt. Unde Job crimen luxuriæ diffiniens ait: *Ignis est usque ad perditionem devorans*: quia nimirum reatus facinoris non usque ad inquinationem maculat, sed usque ad perditionem devorat. Et quia quælibet alia fuerint bona opera, si luxuriæ scelus non abluitur, immensitate hujus criminis obruuntur, secutus adjunxit: Et omnia eradicans genimina. Genimina quippe sunt animæ operationes bonæ. Cui tamen si perverso **500** ordine caro dominatur, igne luxuriæ omnia bene prolata concremantur.

Ignis nomine æstus avaritiæ designatur, sicut per Eliphaz dicitur: *Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt* (*Job* xv, 34). Require in cap. De tabernaculo, infra lib. xiii, cap. 7, dist. 3.

Ignis nomine flamma invidiæ designatur, sicut per B. Job dicitur: *Ignis Dei cecidit de cœlo, et tactus oves puerosque consumpsit et ego solus effugi ut nuntiarem tibi* (*Job* i, 16). Require in cap. De cœlo, supra, lib. i, cap 3, dist. 7.

(668) Ignis nomine compunctionis calor designatur, sicut in Judicum libro scriptum est. *Quod cum Jeroboal a paleis frumenta excuteret, angelum vidit ad cujus imperium protinus hædum coxit, quem super petram posuit et jus carnium desuper effudit quæ angelus virga tetigit eaque ignis exiens de petra consumpsit* (*Jud.* vi, 11). Quid est enim frumentum virga cædere nisi rectitudine judicii a vitiorum paleis virtutum grana separare? Sed hæc agentibus angelus apparet, quia tanto magis Dominus interiora nuntiat, quanto se studiosius homines ab exterioribus purgant. Qui occidi hædum præcipit, id est omnem appetitum nostræ carnis immolari, carnesque super petram poni, et jus carnium desuper fundi. Quid namque alium signat petra, nisi eum de quo per Paulum dicitur. *Petra autem erat Christus?* (*I Cor.* x, 4.) Carnes ergo supra petram ponimus, cum corpus nostrum in Christi imitatione cruciamus. Jus etiam carnium desuper fundit, qui in conversatione Christi ipsas etiam carnales cogitationes exinanit. Quasi enim jus ex carne liquidum in petram funditur, quando mens a cogitationum carnalium fluxu vacuatur. Quæ tamen mox angelus virga tangit, quia intentionem nostram nequaquam potestas divini adjutorii deserit. De petra autem ignis exit, et jus carnes consumpsit, quia afflatus a Redemptore spiritus tanta cor nostrum flamma compunctionis concremat ut omne quod in eo illicitum est et operis, et cogitationis exurat.

501 (669) Ignis nomine ardor gehennæ intelligitur, in libro beati Job per Sophar de impii damnatione dicitur: *Devorabit eum ignis, qui non succenditur* (*Job* xx, 26). Miro valde modo paucis verbis expressus est ignis gehennæ. Ignis namque corporeus, ut esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis. Qui cum necesse est ut servetur per congesta ligna procul dubio nutritur, nec valet nisi succensus esse, et nisi refotus subsistere. At contra gehennæ ignis, cum sit incorporeus in semetipso, reprobos corporaliter exurit, nec studio humano succenditur nec lignis nutritur; sed creatus semel durat inexstinguibilis et succensione non indiget, et ardore non caret. Bene ergo de iniquo dicitur: *Devorabit eum ignis qui non succenditur*, quia omnipotentis justitia futurorum præscia, ab ipsa mundi origine gehennæ ignem creavit, qui in pœna reproborum esse semel inciperet; sed ardorem suum etiam sine lignis nunquam finiret. Sciendum ergo est quod omnes reprobi, quia ex anima simul peccaverunt et carne illic in anima pariter et carne cruciantur. Unde et per Psalmistam dicitur: *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui, Dominus intra sua conturbabit eos, devorabit eos ignis* (*Psal.* xx, 10). Clibanus namque intrinsecus ardet, is vero qui ab igne devoratur, ab exteriori incipit parte concremari, ut ergo sacra eloquia ardere et exterius et interius reprobos demonstrarent, eos ab igne devorari, et sicut clibanum poni testantur ut per ignem crucientur in corpore, et per dolorem ardeant in mente.

CAPUT II.

DE FLAMMA.

(670) Flammæ nomine æstus carnalium desideriorum designatur, sicut per Eliphaz de iniquo quolibet dicitur: *Ramos ejus arefaciet flamma* (*Job* xv, 30). Rami namque dicuntur hi qui alteri familiariter adhærent; flamma vero desideriorum carnalium, ardor intelligitur. Ramos **502** ergo ii iqui arefacit flamma, quia exemplo ejus hi, qui ei

(667) Ex l. xxi, in Job cap. ix.
(668) Ex lib. iii in Job cap. xvii, 22.
(669) Ex lib. xv in Job cap xvii, 14.
(670) Ex lib. xii in Job cap. xxii, xxiv disperse.

Digitized by Google

adhærent, terrenis profectibus anhelant, avaritiæ facibus accendantur, desideriorum carnalium ignibus uruntur. Si enim sibi quosdam æternam patriam quærentes adjungeret, ramos in se viridès haberet. Sed quia ipsi quoque, qui ei conjuncti sunt, terrenis desideriis æstuant desideriorum flamma, clientum ejus animos accendit, scilicet ramos ejus arefacit, ut fructum boni operis non ferant, quia ad appetenda infima per nequitiam anhelant.

CAPUT III.

DE SCINTILLA.

In Scriptura sacra scintillarum nomine, aliquando exempla justorum, aliquando verba prædicatorum designantur.

(671) Scintillarum nomine exempla bonorum designantur, sicut de justis per Sapientiam dicitur : *Fulgebunt justi et tamquam scintillæ in arundineto discurrent* (*Sap.* III, 7). Arundinetum namque vitam sæcularium appellat, qui more arundinum per temporalem gloriam foris, quasi ad alta proficiunt, sed intus a soliditate veritatis inanescunt. Justi autem sicut sancti in arundineto discurrent, quia, dum peccatoribus permiscentur, eos exemplorum suorum igne succendunt, atque omne quod nitet in cinerem rediguut, quia pietatis flamma consumpti, dum infirmitatem conditionis suæ conspiciunt, nihil aliud quam favillam se esse cognoscunt, ut a superbiæ suæ duritia resoluti per pœnitentiam cum Psalmista dicant : *Memento, Domine, quoniam pulvis sumus* (*Psal.* CIII, 29).

Scintillarum nomine prædicatorum verba flammantia designantur, sicut per Ezechielem dicitur: **503** *Et scintillæ quasi aspectus æris candentis* (*Ezech.* I, 7). Require in cap. De ære, lib. VIII, cap. 10, dist. 4.

CAPUT IV.

DE FUMO.

In Scriptura sacra fumi nomine, aliquando compunctio, aliquando caliginosa dubietas designatur.

(672) Fumi nomine compunctio designatur, sicut in Canticis canticorum in laudem Sponsæ dicitur : *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi aromatibus myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii?* (*Cant.* III, 6.)

Fumi nomine caliginosa dubietas designatur, sicut Deus Antichristo sub nomine Leviathan voce Dominica dicitur : *De naribus ejus procedit fumus* (*II Reg.* XXII, 9). Require in cap. De naribus, supra lib. V, cap. 13, dist. 1.

CAPUT V.

DE CARBONIBUS.

In Scriptura sacra carbonum nomine, aliquando occulti sancti, aliquando quilibet sancti, aliquando mentes in peccatis frigidæ designantur.

Carbonum nomine specialiter occulti sancti designantur, sicut per Ezechielem dicitur : *Et similitudo animalium aspectus eorum, quasi carbonum ignis ardentium, et quasi lampadarum* (*Ezech.* I, 13). Bene namque aspectus animalium carbonibus ignis ardentibus atque lampadibus comparatur. Quisquis enim carbonem tangit, incenditur, quia qui sancto viro adhæret **504** ex ejus assiduitate visionis, usu locutionis exemplo operis accipit, ut accendatur in amorem veritatis, peccatorum suorum tenebras fugat, in desiderio lucis exardescit, ut jam per verum amorem ardeat, qui prius in iniquitate tantum mortuus quantum frigidus jacebat. Lampades vero lucem suam longius spargunt et cum in alio sint loco, in alio resplendent. Qui enim spiritu prophetiæ, verbo doctrinæ, miraculorum pollet gratia, hujus opinio longe lateque ut lampas lucet. Et quique bona ejus audiunt, quia per hæc ad amorem cœlestium surgunt, in eo quod se per bona opera exhibent, quasi ex lampadis lumine resplendent. Quia ergo sancti viri quosdam juxta se positos quasi tangendo ad amorem patriæ cœlestis accendunt, carbones sunt. Quia vero quibusdam longe positis lucent, eorum itinera, ne in peccati sui tenebras corruant, lampades fiunt. Hoc vero inter carbones et lampades distat, quod carbones ardent quidem, sed ejus loci, in quo jacuerint, tenebras non expellunt. Lampades autem, quia magno flammarum lumine resplendent, diffusas circumquaque tenebras effugant. Qua ex re notandum est quod sunt plerique sanctorum ita simplices et occulti sese quæ in locis minoribus sub magno silentio contegentes, ut vix eorum vita ab aliis possit agnosci. Quid itaque isti nisi carbones sunt? et qui etsi per fervorem spiritus ardorem habent, tamen exempli flammam non habent, nec in alienis cordibus tenebras peccatorum vincunt, quia vitam suam omnino sciri refugiunt. Sibimetipsis quidem accensi sunt, sed aliis in exemplo luminis non sunt. Hi autem qui et exempla virtutum spargunt, et lumen boni operis per vitam et verbum errantibus demonstrant, jure lampades appellantur, quia et per ardorem desiderii et flammam verbi a peccatorum cordibus erroris tenebras repellunt. Qui igitur in occulto bene vivit, sed alieno profectui minime proficit, carbo est. Qui vero in imitatione sanctitatis positus lumen ex se rectitudinis multis demonstratur, lampas est, quia et sibi ardet, et aliis lucet.

505 (673) Carbonum quoque nomine generaliter quilibet sancti intelliguntur, sicut per Psalmistam dicitur : *Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando et carbones ignis* (*Psal.* XVII, 47). Præ fulgore enim nubes transeunt, quia prædicatores sancti universa mundi spatia miraculorum claritate percurrunt. Qui etiam grando et carbones ignis vocati sunt : quia et per correctionem feriunt, et per flammam charitatis accendunt.

Carbonum nomine mentes in peccatis frigidæ designantur, sicut per Jeremiam de Nazaræis dicitur : *Denigrata est super carbones facies eorum et non sunt*

(671) Ex lib. XXXIII in Job cap. III, in med. 4.
(672) Ex lib. I in Job cap. XIX, 39.
(673) Ex l. XXIX in Job cap. XI.

Digitized by Google

cogniti in plateis (*Thren.* IV, 8). Vide horum verborum expositionem lib., v, cap. 33, dist. 1. A

CAPUT VI.

DE PRUNIS.

(674) Prunarum nomine mentes terrena concupiscentia ardentes designantur, sicut ad beatum Job de diabolo voce Dominica dicitur : *Halitus ejus prunas ardere facit* (*Job* XLI, 12). Quid enim prunas nisi succensas in terrenis concupiscentiis reproborum hominum mentes appellat ? Ardent enim cum quodlibet temporale appetunt, quia nimirum urunt desideria, quæ quietum vel integrum esse animum non permittant. Toties igitur antiquus hostis alicujus prunas accendit, quoties ejus occulta suggestio humanas mentes ad delectationes illicitas pertrahit. Alias namque superbiæ, alias invidiæ, alias luxuriæ, B alias avaritiæ facibus inflammat. *Superbiæ quippe faciem menti Evæ supposuit* (*Genes.* III), *cum hanc ad contemnenda verba Dominicæ jussionis instigavit. Invidiæ quoque flamma Cainum succendit* (*Genes.* IV), *cum de accepto fratris sacrificio doluit, et per hoc usque ad fratricidii facinus pervenit; luxuriæ facibus cor Salomonis exussit, quem tanto mulieribus amore subdidit, ut usque ad idolorum venerationem deductus dum carnis delectationem sequitur, Conditoris reverentiæ oblivisceretur* (*III Reg.* XI). *Avaritiæ igne Achab animum, cum eum ad appetendam alienam vineam impatientibus desideriis impulit, et per hoc usque ad reatum homicidii pertraxit* (*III Reg.* XI). Tanto ergo malignis **506** spiritus alicui in prunis fiat, quanto innisu suggestionis occulte humanas mentes ad illicita inflammat. C

CAPUT VII.

DE CINERE.

In Scriptura sacra cineris nomine aliquando cura sæcularis, aliquando pœnitentia designatur.

(675) Cineris nomine cura sæcularis designatur, sicut de qualibet anima terreniş desideriis aggravata sub Ephraim specie per prophetam dicitur : *Cur factus est Ephraim panis subcinericius qui non reversatur* (*Ose.* VII, 8). Ex natura quippe bene condita est nobis intentio quæ surgat in Deum, sed ex conversatione nequiter assueta inest voluntas, quæ præsens premat in sæculum. Panis autem subcinericius est mundior ex ea parte quam inferius occultat, atque ex ea sordidior qua desuper cinerem tolerat. Quisquis ergo intentionem qua Deum debuisset quærere negligit, quasi more panis subcinericii mundiorem partem inferius premit, et cum curas sæculi libenter tolerat, quasi congestum cinerem superius portat. Reversaretur autem panis subcinericius si desideriorum carnalium cinerem repelleret, et intentionem bonam quam in se dudum despiciendo oppresserat, superius ostentaret. Sed reversari tenuit, cum mens amore curarum sæcularium pressa, molem superpositi cineris abjicere negligit ; dumque assurgere in intentionem bonam non appetit, quasi mundiorem faciem subter premit.

Cineris nomine pœnitentia designatur, sicut per Job ex persona pœnitentis dicitur : *Saccum consui super cutem meam, et operui cinere carnem meam.* (*Job* XVI, 16). Require in cap. De cute. lib. v, cap. 24, dist. 2. C

INCIPIT LIBER DUODECIMUS.

507 CAPUT PRIMUM.

DE LUCE.

In Scriptura sacra lucis nomine, aliquando Christus, aliquando claritas æternæ patriæ, aliquando gloria vel prosperitas vitæ præsentis, aliquando cognitio legis, aliquando gaudium inane, aliquando justitia, aliquando claritas prædicationis intelligitur. D

Lucis nomine Christus designatur, sicut ipse in Evangelio dicit : *Ego sum lux mundi* (*Joan.* VI, 12).

Lucis nomine claritas æternæ patriæ designatur, sicut per Job de perversis hominibus dicitur : *Et sic in tenebris quasi in luce ambulant* (*Joan.* III, 19). Tenebræ namque præsentem vitam non inconvenienter exprimunt, in qua alienæ conscientiæ non videntur. Lux vero nostra æterna patria est in qua dum vultus aspicimus, corda in nobis nostra vicissim videmus. Iniqui ergo, quia vitam præsentem jam diligunt, atque hæc exsilii tempora ita complectuntur, ac si jam in patria regnent recte dicitur. Sic in tenebris quasi in luce, quia sic in præsenti cæcitate læti sunt, ac si jam æternæ patriæ luce perfruantur.

508 (676) Lucis nomine gloria vel prosperitas vitæ præsentis designatur, sicut per Baldad dicitur. *Nonne lux impii exstinguetur* (*Job.* XVIII, 9) : habent namque impii in præsenti lucem suam, prosperitatem scilicet vitæ præsentis. Sed lux impii exstinguetur, quia fugitivæ vitæ prosperitas cum ipsa citius vita terminatur. De hac tamen luce voce Dominica ad Job dicitur : *Auferetur ab impiis lux sua* (*Job* XXXVIII, 15). Mors etenim carnis, quæ electos luci suæ restituit, lucem suam reprobis tollit. Lux namque superbientis est gloria vitæ præsentis, qui tunc ei subtrahitur, cum per carnis interitum ad retributionum suarum tenebras vocatur.

(677) Lucis nomine cognitio legis potest intelligi. Quæ quia propter Judæorum superbiam eis ablata est, recte dicitur : *Auferetur ab impiis lux sua* (*Job*

(674) Ex lib. XXXIII in Job c. 28, 40.
(675) Ex lib. XXXII in Job cap. VII, post med. 18.
(676) Ex lib. XIV in Job cap. IV, 3.
(677) Ex lib. XXIX in Job cap. III.

Digitized by Google

xxxviii, 15), quia dum credere veritati renuunt, cognitionem legis in perpetuum amittunt, et dum de accepta lege superbiunt, nimirum de scientiæ suæ gloria cæcantur. Scriptum quippe est: *Obscurentur oculi eorum, ne videant* (*Psal.* lxviii, 24). Rursusque scriptum est: *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava* (*Isa.* vi, 10). Et rursum: *In judicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant: et qui vident, cæci fiant* (*Joan.* ix, 39).

(678) Lucis nomine gaudium inane designatur, sicut per Baldad, de eo qui in temporalibus gaudium suum ponit, dicitur: *Lux obtenebrescet in tabernaculo illius* (*Job* xviii, 6). Tabernaculum namque conscientia dicitur. Sicut autem plerumque tristitiam tenebras dicimus, sic non immerito lucem accipere gaudium debemus. Lux ergo in tabernaculo impii tenebrescit, quia in ejus conscientia qua male inhabitat gaudium, quod de temporalibus rebus fuerat, deficit.

(679) Lucis nomine justitia designatur, sicut voce Dominica ad beatum Job dicitur: *Indica mihi si nosti omnia: in qua via habitet lux, et tenebrarum quis locus sit, ut ducas unumquemque ad terminos suos, et intelligas semitas domus ejus* (*Job* xxxviii, 20). Quid enim lucis nomine nisi justitia accipitur? et quid per tenebras, nisi iniquitas designatur? Unde quibusdam conversis a peccatorum nequitia **509** dicitur: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* v, 9). Beato itaque Job dicitur: *Indica mihi si nosti omnia: in qua via habitet lux, et tenebrarum quis locus sit* (*Job* xxxviii, 4). Ac si dicatur ei: Si plenam te scientiam habere suspicaris, dic, vel in cujus corde ea quæ nunc deest innocentia veniat, vel in cujus corde quæ nunc est malitia perseveret. In qua via habitet lux, id est cujus mentem justitia veniens impleat; et tenebrarum quis locus sit, id est in quo iniquitas cæca perduret, ut ducas unumquemque ad terminos suos, id est ut dijudices vel is qui nunc iniquus cernitur iniquitate vitam finiat, vel is qui justus cernitur extremitatem vitæ suæ cum justitiæ perfectione concludat; et intelligas semitas domus ejus, id est consideres atque discernas vel cui bona actio perseverans mansionem æternam præstet in regno, vel quem usque ad terminum suum actio prava constringens in æternum damnet supplicium. Domus quippe pro mansione ponitur, semita pro actione. Semita igitur ad domum ducit, quia actio ad mansionem pertrahit.

(680) Potest autem lucis nomine claritas prædicationis intelligi. Ipse quippe via est, qui ait: *Ego sum via, veritas, et vita* (*Joan.* xiv, 6). Per hanc ergo viam lux spargitur, quia per ejus præsentiam cuncta gentilitas illustratur. Spargitur autem convenienter dixit, quia per apostolorum voces non angustata atque coarctata, sed late fulgens lux prædicationis emicuit.

(678) Ex lib. xiv in Job cap. iv, 3.
(679) Ex lib. xxix in Job cap. ix.
(680) Ex ejusdem lib. cap. xii.
(681) Ex lib. xxx in Job cap. xvii, sub fine.

CAPUT II.

DE LUCERNA.

In Scriptura sacra lucernæ nomine, aliquando Christus, aliquando claritas prædicationis, aliquando claritas bonorum operum, aliquando Scripturæ sacræ lumen, aliquando gaudium inane designatur.

510 Lucernæ nomine Christus designatur, sicut in Evangelio ab ipso dicitur. Aut quæ mulier habens drachmas decem, et si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam et everrit domum, et quærit diligenter donec inveniat? Require in capite lib. iv. cap. 4, dist. 1.

(681) Lucernæ nomine claritas prædicationis designatur, sicut in Evangelio voce Veritatis de bonis doctoribus dicitur: *Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, scilicet super candelabrum* (*Matth.* v, 15). In modio enim commodum temporale, in lucerna autem lux prædicationis accipitur; lucernam autem sub modio ponere, est propter temporale commodum gratiam prædicationis abscondere: quod nemo utique electorum facit. Et bene additur: scilicet super candelabrum; in candelabro enim status corporis designatur, cui lucerna superponitur, dum corpori cura prædicationis antefertur.

(682) Lucernæ nomine claritas bonorum operum designatur, sicut in Evangelio voce Veritatis sanctis prædicatoribus dicitur: *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes* (*Luc.* xii, 35). Per lumbos luxuria, per lucernam autem bonorum operum claritas designatur. Jubentur ergo lumbos accingere et lucernas tenere, ac si aperte audiant, prius in vobismetipsis luxuriam restringite, et tunc de vobis aliis bonorum operum exempla monstrate. (683) Duo ergo sunt quæ jubentur, et lumbos restringere, et lucernas tenere, ut munditia sit castitatis in corpore, et lumen veritatis in operatione; Redemptori etenim nostro unum sine altero placere nequaquam potest, si aut is qui bona agit, adhuc luxuriæ inquinamenta non descrit; aut is qui castitate præminet, nec dum se per bona opera exercet. Non castitas enim magna est sine bono opere, nec bonum opus est aliquod sine castitate.

(684) Lucernæ nomine Scripturæ sacræ lumen designatur sicut per beatum Job ex persona sanctæ Ecclesiæ in **511** ultima tribulatione positæ dicitur: *Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me? Quando splendebat lucerna ejus super caput meum, et ad lumen ejus ambulabam in tenebris* (*Job* xxix, 2). Tunc quippe videt ex se, persecutione cogente infirmorum multos cadere, quos nunc ut mater intra pacis sinum parvulos fovet, et intra tranquillas fidei cunas continet, quia admisti fortibus ipsa fidei tranquillitate nutriuntur. Tunc vero tales multi casuri sunt, et per viscera charitatis quidquid in damno

(682) Hæc ex lib. xxviii in Job cap. xlvii.
(683) Ex homil. 13. in Evang.
(684) Ex lib. xix in Job cap. viii, 9.

Digitized by Google

parvulorum sustinet, se perpeti anima perfectorum dolet Infirmorum etenim damna ad corda fortium per compassionem transeunt. Unde per Paulum dicitur : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror* (*I Cor.* xi, 29). Tanto enim quisque perfectus est, quanto perfecte sentit dolores alienos. Unde sancta Ecclesia infirmis tunc cadentibus angustata, cum horum reminiscitur temporum, jure dictura est : *Secundum dies quibus Deus custodiebat me.* Bene autem dicitur : *Quando splendebat lucerna ejus super caput meum, et ad lumen ejus ambulabam in tenebris.* Lucernæ enim nomine signatur sacræ lumen Scripturæ. De qua ipse Ecclesiæ pastor dicit : *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec lucescat dies, et lucifer oriatur in cordibus vestris* (*II Pet.* i, 19) : Et Psalmista ait : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine* (*Psal.* cxviii, 105). Quia autem principale nostrum mens est, appellatione capitis mens vocatur : unde Psalmista ait : *Impinguasti in oleo caput meum* (*Psal.* xxii, 5). Ac si aperte dicat : Claritatis pinguedine replesti mentem. Nunc ergo lucerna super caput Ecclesiæ splendet, quia sacra eloquia tenebras nostræ mentis irradiant, ut in hoc caliginoso vitæ præsentis loco, dum verborum Dei lucem percipimus, quæ sint agenda videamus. Nunc ad lumen in tenebris ambulat, quoniam sancta universalis Ecclesia, etsi alienæ occulta cogitationis non penetrat, quia quasi faciem non cognoscit in nocte, ponit tamen gressus boni operis directa lumine supernæ locutionis.

Lucernæ nomine gaudium | in carne designatur, sicut per Baldad de impio dicitur : *Et lucerna quæ* **512** *super eum est, exstinguetur* (*Job* xviii, 5). Ut usu multorum loquar lucerna lumen in testa est : lumen in testa, est gaudium in carne. Lucerna ergo quæ super impium est, exstinguetur, quia cum malorum suorum retributio eum sequitur, in ejus mente gaudium carnale dissipatur. Bene autem de hac lucerna non dicitur quæ apud eum est, sed quæ super eum est, quia iniquorum mentem terrena gaudia possident, sicque eam in voluptatibus absorbent, ut super ipsam sint, non apud ipsam. Justi autem etiam cum prosperitatem vitæ præsentis habent, eam sub semetipsis premere noverunt, ut hoc quod apud se in bonis hilarescunt, gravitatis consilio transeant et virtutis regimine excedant. Lucerna ergo impii quæ super eum est exstinguitur, quia citius ejus gaudium deficit, quod eum totum in hac vita possedit. Et qui nunc male se in voluptatibus dilatat, eum post in suppliciis pœna coangustat.

CAPUT III.

DE AURORA.

(685) Auroræ nomine sancta Ecclesia designatur, sicut per beatum Job de diabolo, vel ejus corpore sub noctis appellatione dicitur : *Exspectet lucem et non videat nec ortum surgentis auroræ* (*Job* v, 9). Lux quippe Christus dicitur sicut ipse : *Ego sum lux mundi* (*Joan.* viii, 12). Nox ergo illa, videlicet tenebrosus hostis in membris suis lucem exspectat, et non videt, quia vel hi qui fidem sine operibus retinent cum pro eadem fide in extremo judicio salvari se posse confidunt, spes eorum frustrabitur, quia hanc male vivendo demoliti sunt, quam confitendo tenuerunt ; vel hi qui pro humana laude in bona actione se exhibent, incassum a veniente Judice retributionem bonorum operum sperant, quia dum hæc in ostentationem faciunt laudis jam præmium ab humano ore receperunt, Veritate attestante, quæ ait : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (*Matth.* vi, 2), ubi et bene subditur. Nec ortum surgentis auroræ. Aurora quippe Ecclesia dicitur, quæ a peccatorum suorum tenebris ad lucem justitiæ permutatur. Unde et hanc sponsus **513** in Canticorum canticis miratur dicens : *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens* (*Cant.* vi, 9). Quasi aurora quippe electorum surgit Ecclesia, quæ pravitatis pristinæ tenebras deserit, et sese in novi luminis fulgorem convertit. In illa igitur luce, quæ in districti Judicis adventu monstratur, corpus damnati hostis ortum surgentis auroræ non videt, quia, dum districtus Judex ad retributionem venerit, iniquus quisquis suorum caligine meritorum pressus quanta claritate sancta Ecclesia in æternum cordis lumen surgat, ignorat. Tunc namque electorum mens in altum rapitur, ut Divinitatis radiis illustretur, et quo ejus respectu perfunditur, eo ultra se gratia coruscante sublevatur. Tunc sancta Ecclesia plene aurora fit, cum mortalitatis atque ignorantiæ suæ tenebras funditus amittit. In judicio ergo adhuc aurora est, sed in regno dies, quia etsi jam cum restauratione corporum videre lumen in judicio inchoat, ejus tamen visum plenius in regno consummat. Ortus itaque auroræ est exordium crescentis Ecclesiæ, quem videre reprobi nequeunt : quia a conspectu districti [Judicis] malorum suorum pondere pressi ad tenebras pertrahuntur. Unde recte per prophetam dicitur : *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei* (*Isa.* xxvi, 10). Hinc est quod de hac aurora per Psalmistam dicitur : *Abscondes eos in abscondito vultus tui, a conturbatione hominum* (*Psal.* xxx, 21). Electus enim quisque in judicio per internum visum in vultu Divinitatis absconditur, dum reproborum foris cæcitas districta animadversione justitiæ repulsa turbatur.

CAPUT IV.

DE DILUCULO.

In Scriptura sacra diluculi nomine aliquando præsens electorum Ecclesia, aliquando cognitio veritatis intelligitur.

514 (686) Diluculi vel auroræ nomine præsens electorum Ecclesia designatur, sicut ad beatum Job voce Dominica dicitur : *Nunquid post ortum tuum*

(685) Ex lib. iv in Job cap. xiii.

(686) Ex lib. xxix in Job cap. ii, 1.

Digitized by Google

præcepisti diluculo, et ostendisti auroræ locum suum (*Job* xxxviii, 12)? Subaudis, ut ego. Ortus quippe Divinitatis ejus ante et post non habet. Cui dum semper esse est per æternitatem, dum omne quod labitur circumscribit, intra semetipsum temporum cursus claudit. Ortus vero humilitatis ejus, quia et cœpit, et desiit : et ante et post habere a tempore accepit. Sed quia, dum ipse umbras nostræ temporalitatis suscepit, lumen nobis suæ æternitatis infudit, recte per hunc ortum quem Creator sibi in tempore condidit, locum suum sibi tempore aurora cognovit. Quia enim diluculum vel aurora a tenebris in lucem vertitur, non immerito diluculi vel auroræ nomine omnis electorum Ecclesia designatur ipsa ; namque dum ab infidelitatis nocte ad fidei lucem ducitur, velut diluculi vel auroræ more in diem post tenebras splendore supernæ charitatis aperitur.

Diluculi nomine cognitio veritatis designatur, sicut per Job Domino de homine dicitur : *Visitas eum diluculo et subito probas illum* (*Job* vii, 18). Quis enim nostrum nesciat quia diluculum dicitur, cum jam nocturna tempora in claritatem lucis mutantur ? Nos itaque noctis tenebris premimur, cum perpetratione iniquitatis obscuramur. Sed nox in lucem vertitur cum corda nostra justitiæ fulgor illuminat, quam cæcitas culpæ deprimebat. Diluculo ergo nos Dominus visitat, quia erroris nostri tenebras luce suæ cognitionis illustrat, contemplationis munere sublevat, in arcem virtutis exaltat. Sed notandum quod Dominus, postquam diluculo visitat, subito hominem probat, quia et accendendo corda nostra ad virtutem provehit, et recedendo concuti tentatione permittit. Si enim post virtutum munera, nulla tentatione concutitur, has se habere animus ex semetipso gloriatur. Ut ergo et firmitatis dona habeat, et infirmitatem suam humiliter agnoscat, **515** per accessum gratiæ ad alta sustollitur, et per secessum quid a semetipso sit, probatur. Quod bene nobis in historia sacræ locutionis innuitur qua Salomon et divinitus accepisse sapientiam, et tamen post acceptam eamdem sapientiam, meretricum statim pulsatus quæstione memoratur. Mox enim ut gratiam tantæ revelationis accepit, certamen turpium mulierum pertulit, quia nimirum sæpe cum mentem nostram concessis virtutibus respectus intimæ largitatis illuminat, hanc protinus etiam lubricæ cogitationes turbant, ut quæ sublevata immenso munere exsultat, etiam tentatione pulsata quid sit, inveniat : *Sic Elias visitatus diluculo sermone cœlos aperuit, et tamen probatus subito, infirmus per deserta fugiens unam mulierem expavit* (*III Reg.* xix). *Sic Paulus ad tertium cœlum ducitur, paradisi penetrans secreta considerat, et tamen ad semetipsum rediens contra carnis bellum laborat, legem aliam in membris sustinet cujus in se rebellione fatigari spiritus legem dolet* (*II Cor.* xii). Diluculo ergo Dominus visitat hominem, sed subito post visitationem probat : quia et collato munere sublevat, et abstracto paululum ipsum sibi hominem demonstrat.

(687) Ex lib. xvi in Job cap. xxv, 127.
(688) Ex lib. viii in Job cap. xxi, 23.

CAPUT V.

DE MANE.

In Scriptura sacra mane nomine adventus Dominicæ incarnationis, aliquando adventus Judicis, aliquando vitæ nostræ exordium, aliquando præsentis vitæ prosperitas, aliquando mundi exordium, aliquando intellectus nostri pueritia intelligitur.

(687) Mane nomine adventus Dominicæ incarnationis designatur, sicut per prophetam dicitur : *Venit mane, et nox* (*Isa.* xxi, 12). Quia nimirum novæ lucis primordia in Redemptoris **516** nostri præsentia fulserunt, et tamen a persecutorum cordibus perfidiæ suæ tenebræ non sunt detersæ.

(688) Mane nomine adventus Judicis designatur, sicut per beatum Job dicitur : *Ecce nunc in pulvere dormio, et si mane me quæsieris, non subsistam* (*Job* vii, 21). Peccanti enim primo homini dicitur : *Pulvis es, et in pulverem reverteris* (*Genes.* iii, 19). Mane autem dicitur, illa tunc manifestatio mentium quæ in adventu judicis apertis cogitationibus quasi post noctis tenebras demonstratur. De quo nimirum mane per Psalmistam dicitur : *Mane astabo tibi, et videbo* (*Psal.* v, 5). Quærere autem Dei est hominem, subtili interrogatione discutere, et districte discutiendo judicare. Beatus igitur Job humanæ dejectionis damna considerans videat quia et præsenti jam pœna premitur, et adhuc de futuris gravius urgetur, et dicat : *Ecce nunc in pulvere dormio, et si mane me quæsieris non subsistam.* Ac si apertius deploret dicens : In præsenti quidem mortem jam carnis patior, et tamen adhuc de venturo judicio graviorem mortem districtionis tuæ sententiam pertimesco.

(689) Mane nomine vitæ nostræ exordium designatur, sicut per Eliphaz, de peccatoribus dicitur : *De mane usque ad vesperam succidentur* (*Job.* iv, 20). A mane namque usque ad vesperam succiditur peccator, dum a vitæ suæ exordio usque ad terminum iniquitatis perpetratione vulneratur. Omni namque tempore reprobi per augmentum malitiæ contra se ictus ingeminant quibus succisi in profundum ruant. De quibus bene per Psalmistam dicitur : *Viri sanguinum, et dolosi non dimidiabunt dies suos* (*Psal.* liv, 26). Dies quippe dimidiare, est tempus vitæ malæ in voluptatibus ductum ad pœnitentiæ lamenta dividere, atque hoc ad bonum usum partiendo reparare. Sed iniqui dies suos nequaquam dimidiant, quia perversam mentem, nec in extremo tempore mutant. Quo contra Paulus admonet dicens : *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt* (*Ephes.* v, 16). Tempus quippe

(689) Ex lib. v in Job cap. xxviii.

Digitized by Google

redimimus, quando anteactam vitam quam lasciviendo perdidimus, flendo reparamus.

(690) **517** Mane nomine vitæ præsentis prosperitas designatur, sicut per beatum Job de perverso quolibet dicitur : *Mane primo consurgit homicida, interficit egenum et pauperem : per noctem vero erit quasi fur* (*Job*, XXIV, 14). Cum homicida in proximorum nece per nocturnum maxime silentium soleat grassari, cur hoc in loco mane primo consurgere ad interficiendum egenum et pauperem dicitur, in nocte vero quasi fur esse perhibetur? Sed ipsis verbis litteræ dum sibi congruunt ad indaganda spiritus secreta revocamur. Mane ergo præsentis vitæ prosperitas signatur, sicut per Salomonem dicitur : *Væ tibi, terra, cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt* (*Eccle.* x, 16). Quia mane primum diei tempus est, et vespere extremum nequaquam reficiendi sumus de hujus vitæ prosperitate quæ prævenit, sed de iis quæ in fine diei, id est in mundi termino sequuntur. Mane ergo comedunt, qui de hujus mundi prosperitatibus extolluntur, et dum præsentia vehementer curant, futura non cogitant. *Omnis autem qui odit fratrem suum*, sicut dicit Scriptura, *homicida est* (*I Joan.* III, 20). Mane itaque primo consurgit homicida, quia in præsentis vitæ gloria perversus quisque erigitur, et illorum vitam deprimit, qui dum sequentem gloriam sitiunt, quasi satiari in vespere exquirunt. Qui ergo contra egenum et pauperem mane homicida est, per noctem quasi fur absconditur, quia perversus quisque qui in prosperitate vitæ præsentis humilium vitam deprimendo interimit, in adversitate ac dejectione positus per iniqua consilia latenter lædit, atque id quod per se explere non valet, adhærendo hujus mundi potentibus exercet.

(691) Mane nomine mundi exordium designatur in Evangelio, voce Veritatis : *Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam* (*Matth.* XX, 1). Quis patris familias similitudinem rectius tenet quam Conditor noster, qui regit quæ condidit, et electos suos sic in hoc mundo possidet quasi subjectos Dominus in domo? Qui habet vineam universam, scilicet Ecclesiam, qui, ab Abel **518** justo usque ad ultimum electum qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit quasi tot palmites misit. Hic itaque Pater familias ad excolendam vineam suam mane, hora tertia, sexta, nona, et undecima operarios conducit : quia a mundi hujus initio usque in finem ad erudiendam plebem fidelium prædicatores congregare non destitit. Mane etenim mundi fuit ab Adam usque ad Noe. Hora vero tertia, a Noe usque ad Abraham. Sexta quoque ab Abraham usque ad Moysen. Nona vero a Moyse usque ad adventum Domini. Undecima vero ab adventu Domini usque ad finem mundi.

(690) Ex lib. XVI in Job cap. XXV.
(691) Ex homil. 19 in Evang.

CAPUT VI,

DE HORA TERTIA, SEXTA, NONA ET UNDECIMA.

(692) Possumus autem in easdem diversitates horarum etiam ad unumquemque hominem per ætatum momenta distinguere. Mane quippe intellectus nostri, pueritia est : hora autem tertia adolescentia intelligi potest, quia quasi sol in altum profecit, dum calor ætatis crescit. Sexta vero juventus est, quia velut in centro sol figitur : dum in ea plenitudo roboris solidatur. Nona autem senectus intelligitur, in qua sol velut ab alto axe descendit, quia ea ætas a calore juventutis defecit. Undecima vero hora est ea ætas quæ decrepita vel veterana dicitur. Unde et Græci valde seniores, non γέροντας, sed πρεσβύτερους appellant, ut plusquam senes esse insinuent, quos provectiores vocant. Quia ergo ad vitam bonam, alius in pueritia, alius in adolescentia, alius in juventute, alius in senectute, alius in decrepita ætate perducitur, quasi diversis horis operarii in vineam vocantur.

519 CAPUT VII.

DE DIE.

In Scriptura sacra diei nomine, aliquando claritas futuræ vitæ, aliquando peccati delectatio, aliquando claritas intellectus, aliquando spiritalis doctor, aliquando claritas conversationis Redemptoris nostri in carne intelligitur. Cum vero pluraliter dies dicuntur, aliquando singulæ electorum animæ, aliquando angelici spiritus, aliquando virtutes, aliquando æternitatis longitudo, aliquando intelligentia designatur.

Diei nomine claritas futuræ vitæ designatur, sicut sponsi voce Ecclesiæ in Canticis canticorum dicitur : *Duo ubera tua sicut hinnuli capreæ gemelli qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies* (*Cant.* x, 3). Require in capitulo de uberibus, lib, v, cap. 44, dist. 1.

(693) Diei nomine peccati delectatio designatur, sicut per beatum Job dicitur : *Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est : Conceptus est homo* (*Job* III, 3). Per diem peccati delectatio intelligitur; per noctem vero cæcitas mentis per quam se homo patitur in culpæ perpetratione prosterni. Optat igitur perire diem, ut omne quod blandiri culpa cernitur, culpa vigore justitiæ interveniente destruatur. Optat etiam perire noctem, ut quod cæcata mens etiam per consensum perpetrat, animadversione pœnitentiæ exstinguat. **520** Sed quærendum nobis est, cur in die homo natus dicitur, in nocte conceptus. Sane homo in die nascitur, sed in nocte concipitur, quia nequaquam ad delectationem peccati rapitur, nisi prius per voluntarias mentis tenebras infirmetur. Ante enim cæcus in mente fit, et postmodum se reprobæ delectationi substernit. Dicat ergo : *Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est : Conceptus est homo.* Pereat delectatio quæ in culpam hominem rapuit, pereat incauta mentis infirmitas quæ usque ad tenebras pravi consensus excæcavit : homo enim dum blan-

(692) Ex homil. prox.
(693) Ex lib. 4, in Job c. XVII.

Digitized by Google

dimenta delectationis incaute non perspicit, etiam in noctem nequissimæ perpetrationis ruit. Solerter ergo vigilandum est, ut cum blandiri culpa inchoat, ad quantum interitum mens trahatur, agnoscat.

(694) Diei nomine claritas intellectus designatur, sicut per beatum Job de filiis suis dicitur : *Et ibant filii ejus, et faciebant convivia per domos : unusquisque in die suo* (*Job* I, 4). Filiorum nomine, sancti apostoli designantur. Filii ergo facturi convivia per domos ibant, cum prædicatores apostoli in diversis mundi regionibus, virtutum epulas audientibus, quasi edentibus ministrabant. Unde et eisdem filiis de esurientibus plebibus dicitur : *Date illis vos manducare* (*Matth.* XIV, 16) : Et rursum : *Dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via* (*Matth.* XV, 32). Id est in prædicatione vestra verbum consolationis accipiant, ne a veritatis pabulo jejuni remanentes, in hujus vitæ labore succumbant. Hinc rursum eisdem filiis dicitur : *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam* (*Joan.* VI, 27). Quæ convivia quomodo exhiberentur, adjungitur, cum subditur, *unusquisque in die suo.* Si ignorantiæ obscuritas sine dubitatione nox cordis est, intellectus non immerito dies vocatur. Unde per Paulum dicitur : *Alius judicat diem inter diem; alius judicat omnem diem* (*Rom.* XIV, 5). Ac si aperte dicat : alius quædam nonnullis intermissis intelligit, alius vero omnia ad intellectum possibilia, ita ut sunt videnda, cognoscit. Unusquisque ergo in die suo convivium exhibet, quia sanctus quisque prædicator juxta mensuram illuminatæ intelligentiæ, mentes audientium epistolis veritatis **521** pascit. In die suo Paulus convivium fecerat, cum dicebat : *Beatiores erunt si sic permanserint secundum meum consilium* (*Cor.* VII, 40). De die suo unumquemque admonebat cogitare, cum diceret : *Unusquisque in suo sensu abundet* (*Rom.* XIV, 5).

Diei nomine spiritalis doctor designatur, sicut per Psalmistam dicitur : *Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam* (*Psal.* XVIII, 3), id est, spiritualis spirituali de pleno profert verbum quod erat Deus in principio apud Deum.

(695) Diei nomine claritas conversationis Redemptoris nostri in carne designatur, sicut de Judæis ipsius persecutoribus Eliphaz dicit : *Per diem incurrent tenebras, et quasi in nocte sic palpabunt in meridie* (*Job.* V, 14). Clare quippe per diem cernitur, per noctem vero acies nostra obscuratur. Persecutores igitur Redemptoris nostri dum divinæ virtutis miracula cernerent et tamen de ejus divinitate dubitarent, in die tenebras passi sunt, quia visum in luce prodiderunt. Per diem itaque incurrunt tenebras, quia in ipsa Veritatis præsentia perfidiæ errore cæcati sunt. Hinc est quod eos ipsa lux admonet dicens : *Ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ comprehendant* (*Joan.* XII, 35). *Hinc est quod de Judæa dicitur : Occidit ei sol, cum adhuc esset dies* (*Jer.* XV). Hinc est quod vocem pœnitentium in se iterum sumpsit propheta dicens : *Impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui* (*Isa.* LIX, 10). Hinc iterum dicit : *Custos quid de nocte, custos quid de nocte?* (*Isa.* XXI, 11). Dixit custos : Venit mane et nox; de nocte etenim venit custos, quia humani generis protector, et manifestus in carne apparuit, et tamen hunc pressa perfidiæ suæ tenebris Judæa minime agnovit. Ubi bene ex voce custodis additur : Venit mane et nox, quia per ejus præsentiam, et nova lux mundo inclaruit, et tamen in corde infidelium vetusta cæcitas remansit. Bene autem dicitur : Quasi in nocte, sic palpabunt in meridie. Hoc quippe palpando exquirimus quod oculis non videmus. Judæi autem aperta ejus miracula viderant, et adhuc eum quasi palpantes inquirebant, cum dicerent : *Quousque animam nostram* **522** *tollis. Si tu es Christus, dic nobis palam* (*Joan.* X, 24). Ecce miraculorum lux ante oculos aderat, et tamen in cordis sui tenebris offerentes adhuc requirendo palpabant.

(696) Dierum nomine singulæ electorum animæ designantur, sicut per beatum Job de nocte in qua conceptus est dicitur : *Non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus* (*Job* III, 6). Annum namque prædicationem supernæ gratiæ non inconvenienter accipimus, quia sicut in anno congestis diebus tempus perficitur, ita in superna gratia virtutum multiplex vita completur. Potest per annum etiam multitudo intelligi redemptorum, quia sicut ex dierum multitudine annus ducitur, ita ex collectione bonorum omnium illa electorum innumerabilis universitas expletur. Hunc namque annum perfecte multitudinis Isaias prædicat dicens : *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, ad annuntiadum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem, ut prædicarem annum placabilem Domini* (*Isa.* LXI, 1) : annus enim placabilis Domini prædicatur, cum futura plebs fidelium veritatis lumine illustranda prædicitur. Quid vero per dies nisi singulæ quæque electorum mentes? Quid per menses nisi multiplicatæ eorum Ecclesiæ quæ unam catholicam faciunt, designantur? *Illa ergo nox non computetur in diebus, nec numeretur in mensibus;* quia antiquus hostis, qui per noctem intelligitur, superbiæ suæ tenebris pressus adventum quidem Salvatoris conspicit, sed nequaquam ad veniam cum electis redit. Hinc enim scriptum est : *Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit* (*Hebr.* II, 16) (697). Idcirco namque Redemptor noster non angelus, sed homo factus est, quia hoc procul dubio fieri debuit quod redemit, ut et perditum angelum non apprehendendo desereret, et hominem in semetipso apprehendendo repararet.

Possunt etiam dies ii qui in æterna luce perma-

(694) Ex lib. I. in Job cap. VII, 20.
(695) Ex lib. VI in Job cap. XIII, 14.
(696) Ex lib. IV in Job cap. XI, 10.
(697) Ex ejusd. lib. cap. XII, 11.

Digitized by Google

nent angelici spiritus, menses autem eorum ordines et dignitates intelligi. Singuli enim quique spiritus, quia lucent, dies sunt : sed quia certis quibusdam dignitatibus **523** distinguuntur, ut alii throni, alii dominationes, alii principatus, alii potestates sint pro hac ipsa distributione agminum, menses vocantur. Sed quia antiquus hostis nequaquam ad meritum lucis, nequaquam ad ordinem supernorum agminum reducitur, nec in mensibus numeratur. Sic quippe illum perpetratæ superbiæ cæcitas aggravat, ut ultra ad illa claritatis intimæ agmina superna non redeat. Nequaquam jam stantibus lucis dignitatibus admiscetur, quia tenebrarum suarum merito semper ad ima deprimitur.

Possunt quoque per dies singulæ virtutes intelligi. Quia ergo quod nos flendo insequimur, nequaquam nobis a venturo Judice hæc objici nobis certe speramus, bene nunc de nocte hac, id est, perpetratione culpæ dicitur. Non computetur in diebus anni nec numeretur in mensibus. Illuminationis etenim nostræ annus tunc perficitur, quando apparente æterno Judice, sanctæ Ecclesiæ peregrinationis suæ vita completur. Tunc laboris sui remunerationem recipit, cum expleto hoc belli tempore ad patriam redit. Unde per Prophetam dicitur : *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ* (*Psal.* LXIV, 12). Quasi enim corona anni benedicitur, cum, finito laboris tempore, virtutum remuneratio confertur. Dies vero hujus anni sunt singulæ virtutes ; menses autem multiplicata facta virtutum. Sed ecce cum per fiduciam mens erigitur, ut speret quod veniente Judice de virtutibus remuneretur, occurrunt ejus memoriæ etiam mala quæ gessit, et valde formidat ne districtus Judex, qui venit ut virtutes remuneret, etiam ea quæ illicite gesta sunt, examinans subtiliter penset, ne cum annum complet, etiam nocte dicat : Non computetur in diebus anni nec numeretur in mensibus. Ac si districtum Judicem exoret, dicens : Cum completo Ecclesiæ sanctæ tempore, extremo te examine manifestas, sic dona quæ contulisti remunera, ut mala quæ commisimus non requiras. Si enim nox illa in dies anni computatur, omne quod egimus ex pravitatis nostræ æstimatione confunditur, et dies virtutum jam non lucent si hos in conspectu tuo annumerata nostræ noctis tenebrosa confusio obscuret

524 (698) Dierum nomine æternitatis longitudo designatur, sicut per beatum Job dicitur : *Ab Omnipotente non sunt abscondita tempora : qui autem noverunt eum, ignorant dies illius* (*Job* XXIV, 17). Quid dies Domini nisi ipsa æternitas designatur ? Quæ nonnisi quam unius diei pronuntiatione exprimitur, sicut scriptum est : *Melior est dies una in atriis tuis super millia* (*Psal.* LXXXIII, 11). Nonnunquam vero pro sua longitudine dierum multorum appellatione designatur de quibus scriptum est : *In sæculum sæculi anni tui* (*Psal.* CI, 29). Nos itaque intra tempora volvimur per hoc quod creatura sumus. Deus autem, quia creator est omnium æternitate sua tempora nostra comprehendit. Ait ergo : *Ab Omnipotente non sunt abscondita tempora*, quia ipse quidem nostra comprehensibiliter conspicit, nos autem ea quæ ejus sunt comprehendere nullatenus valemus. Sed cum natura Dei simplex sit, mirandum valde est, cur dicitur : *Qui noverunt eum, ignorant dies illius.* Neque enim aliud ipse, atque aliud dies ejus sunt. Deus namque hoc est, quod habet : Æternitatem quippe habet, sed ipse est æternitas. Lucem habet, sed lux sua ipse est. Claritatem habet, sed ipse est claritas sua. Quid est itaque dicere : Qui noverunt eum, ignorant dies illius, nisi quia qui cognoscit eum, adhuc nesciunt ? Nam et qui eum jam fide tenent, adhuc per speciem ignorant. Et cum ipse sibi sit æternitas, quem veraciter credimus, qualiter tamen sit ipsa æternitas ignoramus. Dicatur ergo recte : Qui autem noverunt eum, ignorant dies illius, quia etsi jam Deum per fidem novimus, qualiter tamen sit æternitas sine præterito ante sæcula, sine futuro post sæcula, sine mora longa, sine præstolatione perpetua non videmus.

Dierum nomine intelligentia designatur, sicut in libro Job de amicis ejus dicitur : *Sederuntque cum eo septem diebus et septem noctibus* (*Job* II, 13). In die enim, quæ videmus agnoscimus, in nocte autem aut cæcitate nihil cernimus, aut dubietate caligamus. Per diem itaque intelligentia, per noctem vero ignorantia signatur. Septenario autem numero universitatis summa exprimitur. Unde etenim non amplius, quam septem diebus omne hoc tempus **525** transitorium consumatur. Quid est ergo quod amici beati Job consedere septem diebus et septem noctibus referuntur, nisi quod hæretici vel in iis in quibus ignorantiæ tenebras patiuntur, quasi infirmanti sanctæ Ecclesiæ se condescendere simulant, eique sub blandimentorum specie, dolos deceptionis parant ? Et quamvis vel in iis quæ intelligere non possunt elationis typo turgidi, magnos se apud semetipsos existiment, nonnunquam tamen sanctæ Ecclesiæ se specie tenus inclinant, et dum verba molliunt, virus infundunt. In terra ergo consedere est aliquid de imagine humilitatis ostendere, ut, dum humilia exhibeant, persuadeant superba, quæ docent.

CAPUT VIII.

DE VESPERA.

In Scriptura sacra vesperi vel vesperæ nomine, aliquando terminus vitæ vel adversitas, aliquando otii torpor, aliquando adversitas, aliquando peccati tentatio intelligitur.

Vesperæ nomine ejus terminus vitæ, vel adversitas designatur, sicut per Eliphaz de perversis dicitur : *De mane usque ad vesperam succidentur* (*Job*

(698) Ex lib. XVI in Job cap. XXI.

Digitized by Google

xx, 26). Require in cap. De mane, supra, cap. 5, distinct. 3.

(699) Vesperæ nomine otii torpor designatur, sicut Job dicit : *Si dormiero, dico : Quando consurgam ?* (*Job* VII, 4) Et rursum : *Exspectabo vesperam* (*ibid.*, IV, 11). Somno namque torpor otii, surrectione autem exercitatio actionis exprimitur. Vesperæ quoque nomine, quia somno congruit, rursus otii desiderium figuratur. Sancta vero Ecclesia quousque vitam corruptionis ducit, flere mutabilitatis suæ damna non desinit. Ad hoc namque homo conditus fuerat, ut stante mente, in arcem se contemplationis erigeret et nulla hunc corruptio a Conditoris sui amore declinaret. Sed in eo quod ab ingenita standi soliditate voluntatis pedem ad culpam movit : **526** a dilectione Conditoris in semetipsum protinus cecidit. Amorem vero Dei, veram scilicet stationis arcem deserens, nec in se consistere potuit : quia lubricæ mutabilitatis impulsu, infra se per corruptionem corruens etiam a semetipso discessit. Varietatem ergo humanæ mentis exprimens dicat : *Si dormiero, dicam : Quando consurgam?* Et rursum : *Exspectabo vesperam.* Ac si aperte diceret : Nil perceptum menti sufficit, quia ipsum, qui vere sufficere potuit, amisit. In somno namque surrectionem desidero : in resurrectione vesperam exspecto, quia et quietus exercitium actionis appeto, et exercitatus otium quietis quæro.

(700) Potest autem vesperæ nomine adversitas designari, unde et Job verba hæc aliter intelligi possunt. Dormire namque, est in peccatis jacere. Si enim somni appellatione culpa non esset, nequaquam Paulus discipulis diceret : *Evigilate, justi, et nolite peccare* (*I Cor.* XV, 34). Unde auditorem suum admonet dicens : *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus* (*Ephes.* V, 14.) Et rursum : *Hora est jam nos de somno surgere* (*Rom.* XIII, 21). Unde et Salomon peccantem increpat dicens : *Usquequo, piger, dormies?* (*Prov.* VI, 19.) Electus igitur quisque cum peccati somno premitur, ad justitiæ vigilias exsurgere conatur ; sed sæpe cum surrexerit, ipsa se extolli magnitudine virtutum sentit. Unde et tentari se præsentis vitæ adversitatibus post virtutes desiderat, ne pejus ex confidentia virtutum cadat. Si enim servari se melius per tentationem non cognosceret, nequaquam Psalmista diceret : *Proba me, Domine, et tenta me* (*Psal.* XXV, 2). Bene ergo nunc dicitur : *Si dormiero, dicam : Quando consurgam?* Et rursum : *Exspectabo vesperam.* Quia et in peccati somno lumen justitiæ quæritur, et cum virtutum prospera mentem elevat [*f.* elevant], adjutrix adversitas desideratur, ut profecto animus cum virtutum suarum gaudio, plusquam debet, attollitur, per contrarietatem vitæ præsentis edito mœrore solidetur. Unde et nequaquam, formidabo vesperam, dicitur, sed exspectabo. Exspectamus et enim prospera, formidamus adversa. Vir igitur justus vesperam exspectat, quia cum exerceri hac tribulatione necesse est, ipsa ei fit adversitas prospera.

527 (701) Potest etiam vesperæ nomine peccati tentatio designari, quæ sæpe tanto acrius mentem lacessit, quanto et eamdem mentem spiritus ad superna altius evehit. Nequaquam enim sic in hac vita per exercitationem justitiæ peccatum deseritur, ut in eadem justitia inconcusse maneatur, quia, etsi jam a cordis habitaculo culpam rectitudo eliminat, ipsa tamen culpa, quæ repellitur, cogitationis nostræ foribus assidens, ut sibi aperiatur pulsat. Quod Moyses quoque spiritaliter innuit, cum facta corporaliter temporum momenta narravit dicens : *Facta est lux* (*Genes.* I, 3). Atque paulo post subjicit : *Factum est vespere* (*ibid.*, 5). Creator quippe omnium, humanæ culpæ præscius, tunc expressit in tempore, quod nunc versatur in mente. Lux quippe ad vesperum ducitur, quia nimirum lumen rectitudinis umbra sequitur tentationis. Sed quia electorum lux in tentatione non exstinguitur, nequaquam nox sed vespera facta perhibetur, quia nimirum sæpe tentatio in corde electorum lumen justitiæ abscondit, sed non interimit, quasi ad pallorem pertrahit, sed funditus non exstinguit.

Electi ergo post somnum resurrectionem appetunt, post resurrectionem vesperam præstolantur, quia et de peccato ad justitiæ lumen evigilant, et in ipso justitiæ lumine positi semper se contra illecebras tentationis parant. Quas nimirum non timent, sed exspectant, quia utilitati suæ rectitudinis et tentamenta proficere non ignorant.

CAPUT IX.

DE NOCTE.

In Scriptura sacra noctis nomine, aliquando antiquus hostis, aliquando consensus ad culpam, aliquando vita præsens, aliquando obscuritas ignorantiæ, aliquando tristitia designatur.

528 (702) Noctis nomine antiquus hostis designatur, sicut per beatum Job dicitur : *Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est, conceptus est homo* (*Job* III, 3). Et rursum : *Noctem illam tenebrosus turbo possideat* (*ibid.*). Scriptum quippe est : *Deus manifeste veniet, Deus noster et non silebit. Ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida* (*Psal.* XLIX, 4). Tenebrosus ergo turbo hanc noctem possidet, quia apostatam spiritum a conspectu districti Judicis ad æterna supplicia, pavenda illa tempestas rapit. Turbine ergo nox ista possidetur, quia superba ejus cæcitas districta animadversione percutitur.

(703) Potest autem noctis nomine ipse jam consensus ad culpam designari. Sicut enim per diem pravæ delectationis gaudium exprimitur, ita et per

(699) Ex lib. VIII in Job cap. VI, 9.
(700) Ex sup. cap. et lib.
(701) Ex lib. et cap. sup.
(702) Ex lib. IV in Job cap. XI, 10.
(703) Ex lib. IV in Job cap. XVII, 20.

Digitized by Google

noctem non immerito ipse consensus ad culpam intelligitur. Sicut enim minoris culpæ est, cum carnaliter mens in delectationem rapitur, sed tamen delectationi suæ per spiritum reluctatur : ita gravioris et plenæ est nequitiæ ad peccati illecebram non solum delectatione pertrahi, sed etiam consensu familiari. Tanto igitur arctiori manu pœnitentiæ, mens a pollutione tergenda est, quanto se per consensum conspicit sordidius inquinatam. Unde bene nunc dicitur : *Noctem illam tenebrosus turbo possideat.* Quasi enim quidam turbo tempestatis, est concitatus spiritus mœroris. Nam dum peccatum quisque quod fecit, intelligit, dum pravitatis suæ nequitiam subtiliter pensat, mœrore mentem obnubilat, et quasi concusso serenæ lætitiæ aere omnem in se tranquillitatem cordis pœnitentiæ turbine devastat. Nisi enim recognoscentem se animum iste turbo contereret, nequaquam Propheta dixisset : *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis* (*Psal.* XLVII, 8). Tharsis quippe exploratio gaudii dicitur. Sed cum vehemens pœnitentiæ spiritus mentem occupat, omnem in ea explorationem reprehensibilis gaudii perturbat ut nihil et nisi [*f.* nisi quod] flere libeat, nihil nisi quod se terere possit, attendat. Ponit namque ante oculos illinc districtionem **529** justitiæ, hinc meritum culpæ; conspicit quo digna supplicio sit, si parcentis pietas desit, quæ per lamenta præsentia ab æterna eruere pœna consuevit. Spiritus ergo vehemens Tharsis naves conterit, cum vis compunctionis validas mentes nostras huic mundo, quasi mari, deditas salubri terrore confundit. Dicat igitur : *Noctem illam tenebrosus turbo possideat*, id est perpetrationem culpæ non blandimenta securæ quietis foveant, sed pie sæviens mens amaritudo pœnitentiæ irrumpat.

(704) Noctis nomine vita præsens designatur, sicut per prophetam dicitur : *Anima mea desideravit te in nocte* (*Isa.* XXVI, 9); ad videndum namque Deum quadam se premi caligine sentiebat. Bene ergo dicit : *Anima mea desideravit te in nocte.* Ac si diceret : In hac obscuritate vitæ præsentis videre te appeto, sed adhuc infirmitatis meæ nubilo circumscribor.

(705) Noctis nomine obscuritas ignorantiæ designatur, sicut per Eliu beato Job dicitur : *Ne protrahas noctem, ut ascendant populi pro eis* (*Job.* XXVI, 2). Ac si aperte arrogantes dicant : Ignorantiæ tuæ obscuritate non agas, ut in loco fortium numerositatem subroges infirmorum. Populi quippe nomine designantur, qui quasi vulgari consuetudini dediti in cunctis quæ appetunt, passim vivunt. Noctem vero protrahere est, ut pro robustis populi ascendant, si per negligentiam agitur, ut doctorum etiam fortium loca indoctiac debiles sortiantur. Populi pro robustis ascendunt, quando ii qui vivere inique didicerunt pastorum loca percipiunt.

(706) Potest autem noctis nomine tristitia orta ex tentatione signari. Sine magna namque tribulatione non agitur, cum tranquilla mens irruente tentatione quasi repentino hoste turbatur. Ipsa namque tentationis adversitas dum se menti inserit, quasdam in illa tenebras gignit, eamque amaritudinis suæ obscuritate turbat, quæ apud se dudum virtutum dulcedine irradiante claruerat. Bene ergo tentato dicitur. **530** Ne protrahendo noctem, ut ascendant populi pro eis. Nox quippe protrahitur, cum suborta de tentatione tristitia consolatione concita non finitur. Nox protrahitur, quia mœror animi confusis cogitationibus elongatur. Nam dum mens posita in tentatione considerat quod a virtutis suæ pristina soliditate repellitur, superductis mœroribus quasi quibusdam tenebris cæcatur, atque ab omni luce gaudii ejus oculus clauditur, dum sollicita trepidat, ne hoc quod esse dudum cœperat, funditus amittat. Unde et bene dicitur quod in hac nocte populi pro robustis ascendunt, quia videlicet in hoc mœrore tentationis pro robustis motibus cogitationes indignæ et multiplices in corde prosiliunt.

CAPUT X.

DE TENEBRIS.

In Scriptura sacra tenebrarum nomine, aliquando caligo ignorantiæ, aliquando lamenta pœnitentiæ, aliquando occulta Dei judicia, aliquando adversitates, aliquando supplicia æternæ damnationis, aliquando peccatores, aliquando vita præsens, aliquando iniquitas designatur,

(707) Tenebrarum nomine caligo ignorantiæ designatur, sicut per Eliu dicitur : *Non sunt tenebræ, et non est umbræ mortis ut abscondantur ibi, qui operantur iniquitatem* (*Job* XXXIV, 22). Quid enim per tenebras nisi ignorantiam, et quid per umbram mortis, nisi oblivionem studuit designare? De quorumdam quippe ignorantia dicitur : *Tenebris* **531** *obscuratum habentes intellectum* (*Ephes.* IV, 18). Et rursum de oblivione quæ in morte contingit, scriptum est : *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum* (*Psal.* CXLV, 4). Quia ergo per mortem funditus oblivioni traditur, quidquid vivendo cogitatur, quasi quædam umbra mortis oblivio est. Sicut enim agit mors interveniens non esse quod fuit in vita, ita interveniens agit oblivio non esse quod fuit in memoria. Recte itaque ejus umbra dicitur, quia velut de ipsa exprimitur, dum vim illius sopiendo sensus imitatur. Deus autem, quia mala hominum nec cogitata ignorat, nec perpetrata obliviscitur, nisi ab ejus oculis pœnitendo deleantur, congrue dictum est : *Non sunt tenebræ, et non est umbra mortis, ut abscondant eos qui operantur iniquitatem.* Ac si diceret : Idcirco ejus judicio nullus absconditur, quia nullatenus potest autem non videre quod facimus, aut oblivisci quod videt.

(704) Ex lib. XXIII in Job cap. XII, 21.
(705) Ex lib. XXVI in Job cap. XXVIII, 35.
(706) Ex lib. sup, cap. XXVIII, 38.
(707) Ex lib. XXV in Job, c. IV.

Digitized by Google

(708) Tenebrarum nomine lamenta pœnitentiæ designantur, sicut per Job dicitur : *Dies ille vertatur in tenebras* (*Job* III, 4). Dies quippe in tenebras vertitur, cum culpa in ipso delectationis exordio, ad quem perditionis finem rapiat, videtur. In tenebras ergo diem vertimus, cum nosmetipsos districte punientes, ipsa delectationis pravæ blandimenta per districtæ pœnitentiæ lamenta cruciamus, cum flendo insequimur quidquid in corde taciti ex delectatione peccamus. Quia enim fidelis quisque cogitationes in judicio exquiri subtiliter non ignorat, Paulo attestante, qui ait : *Inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium, semetipsum introrsus discutiens* (*Rom.* II, 15) ante judicium vehementer examinat, ut districtus Judex ei jam tranquillus veniat, quo reatum suum quem discutere appetit, jam pro culpa punitum cernit.

(709) Tenebrarum nomine occulta Dei judicia designantur, sicut paulo post subditur : *Obscurent eum tenebræ et umbra mortis* (*Job* III, 5). In luce namque quod videmus agnoscimus, in tenebris vero aut animo nihil cernimus, aut incerto visu caligamus. Occulta ergo judicia quasi quædam oculos nostros tenebræ sunt, **532** quia perscrutari nequaquam possunt. Unde et de Deo scriptum est : *Posuit tenebras latibulum suum* (*Psal.* XVII, 20). Et quia absolvi non meremur, agnoscimus, sed præveniente nos divina gratia per ejus occulta judicia liberamur. Diem igitur tenebræ obscurant, cum flendum nostræ delectationis gaudium ab illo justæ animadversionis radio, incrustabilia ejus judicia misericorditer occultant. Unde et apte subditur ; Et umbra mortis. Umbra enim mortis, mors carnis accipitur, quia sicut vera mors est, qua anima separatur a Deo, ita umbra mortis est, qua caro separatur ab anima. Unde recte voce martyrum dicitur : *Humiliasti nos in loco afflictionis, et cooperuisti nos umbra mortis* (*Psal.* XLIII, 20). Quos enim constat non spiritu, sed sola carne mori, nequaquam se vera morte, sed umbra dicuntur mortis operiri. Quid est ergo quod Job, ad obscurandum diem pravæ delectationis postulat umbram mortis, nisi quod ad delenda peccata ante Dei oculos, Dei et hominum Mediatorem requirit, qui solam pro nobis mortem carnis susciperet, et veram mortem delinquentium per umbram suæ mortis deleret? Ad nos quippe venit, qui in morte spiritus carnisque tenebamur : unam ad nos suam mortem detulit, et duas nostras, quas reperit, solvit. Si enim ipse utramque susciperet, nos a nulla liberaret. Sed unam misericorditer accepit, et juste utrumque damnavit. Simplam suam duplæ nostræ contulit, et duplam nostram moriens subegit. Unde et non immerito uno die in sepulcro et duabus noctibus jacuit, quia videlicet lucem suæ simplæ mortis, tenebris nostræ duplæ mortis adjunxit. Qui ergo solam pro nobis mortem carnis accepit, umbram mortis pertulit, et a Dei oculis culpam quam fecimus abscondit. Dicatur igitur recte : *Obscurent eum tenebræ et umbra mortis.* Ac si aperte diceretur : Ille veniat, qui ut a morte carnis et spiritus eripiat debitores, mortem carnis non debens solvat.

(710) Tenebrarum nomine adversitates designantur, sicut Job de hæreticis dicit : *Perfodiunt in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi* (*Job* XXIV, 16). Quid namque hoc loco domorum nomine nisi conscientiæ designantur **533** in quibus habitamus, cum tractando quid agimus. Unde cuidam sanato dicitur : *Vade in domum tuam ad tuos, et annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit* (*Luc.* VIII). Id est a peccati vitio jam securus ad conscientiam revertere, et in vocem prædicationis excitare. Justi itaque cum in præsenti sæculo clarescunt, eis [is] error, magistri perversa suadere metuunt, sed consilia exquirunt, dejectionem prosperitatis eorum summopere præstolantur, ut in adversitatis tenebris mentes eorum suadendo perfodiant, quibus prospere viventibus perversa loqui minime audebant. Quos mox ut in adversitate viderint, exsurgunt, et non nisi ex peccati merito talia illos perpeti asserunt, quia solam præsentis vitæ gloriam diligentes, flagellum damnationem credunt. In tenebris ergo domos perfodiunt, quia bonorum mentes ex ipsa eorum corrumpere adversitate moliuntur. Bene autem dicitur : Sicut in die condixerant sibi, quia cum justos conspicerent prosperitatis luce claruisse, quoniam loqui non poterant, ad maligna solummodo contra eos consilia vacabant.

(711) Tenebrarum nomine supplicia æternæ damnationis designantur, sicut de Antichristi damnatione dicitur : *Expellet eum de luce in tenebras* (*Job* XVIII, 18). De luce enim ad tenebras ducitur, cum de honore vitæ præsentis ad supplicia æterna damnatur. Hinc de illo qui sine nuptiali veste ad nuptias intraverat, voce Dominica in Evangelio dicitur : *Ligatis pedibus et manibus mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* XXII, 15). Ligantur tunc pedes et manus per districtionem suam, qui modo a pravis operibus ligari noluerunt per meliorationem vitæ, vel certe tunc ligat pœna, quos modo a bonis operibus ligavit culpa. Pedes enim qui visitare ægrum negligunt, manus quæ nihil indigentibus tribuunt, a bono opere jam ex voluntate ligatæ sunt. Qui ergo nunc sponte ligantur in vitio tunc in supplicio. Bene autem dicitur, quod in exteriores tenebras projiciantur. Interiores quippe tenebras dicimus cæcitatem cordis, exteriores vero tenebras æternam noctem damnationis. Tunc ergo damnatus quisque non in interiores, sed in exteriores **534** tenebras mittitur, quia illic invitus projicitur in noctem damnationis, qui hic sponte cecidit in cæcitatem cordis. Ubi fletus quoque et stridor dentium esse perhibe-

(708) Ex lib. IV in Job cap. XV, 17.
(709) Ex lib. sup. cap. XVII, 20.
(710) Ex lib. XVI in Job cap. XXV, 28.
(711) Ex hom. 38 in Evang.

Digitized by Google

tur, ut illic deinceps stridcant qui hic de edacitate gaudebant; illic oculi defleant, qui hic per illicitas concupiscentias versabantur, quatenus singula quæque membra supplicio subjaceant, quæ hic singulis quibusque vitiis subjecta serviebant.

Tenebræ peccatores designant, sicut quibusdam conversis per Paulum dicitur : *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* v, 9). Vide supra cap. 1, dist. 6.

Tenebris vita præsens designatur, sicut voce Dominica ad Job dicitur: *Sic in tenebris quasi in lumine ambulant* (*Job* xxiv, 17). Require in cap. de luce supra dist. 2.

Tenebræ designant iniquitatem, sicut ad Job dicitur : *Indica mihi si nosti omnia, in qua via habitet lux*, etc. (*Job* xxxviii, 18.) Vide supra cap. 1, dist. 6.

CAPUT XI.

DE CALIGINE.

In Scriptura sacra, caligo erroris confusionem et mentis designat.

(712) Caliginis nomine erroris confusio designatur, sicut per beatum Job de antiquo hoste sub figura diei in qua natus est dicitur : *Occupet eum caligo, et involvatur amaritudine* (*Job* iii, 5). Antiquus quippe hostis nequitiæ suæ vinculis astrictus, aliud est quod nunc patitur, aliud quod in fine patietur. Quia enim a lucis intimæ ordine cecidit, nonc semetipsum intrinsecus erroris caligine confundit. Sed post hoc amaritudine involvitur, quia ex merito spontaneæ caliginis æterno gehennæ tormento cruciatur. Dicatur ergo : Is qui serenitatem lucis intimæ perdidit, quid est quod ante extremum supplicium tolerat? Occupet eum caligo : subjungitur etiam quæ illum pœna subsequens etiam sine termino devastat : **535** Involvatur amaritudine. Omne quippe quod involutum est, finem suum quasi nusquam indicat, quia sicut non ostendit quo incipit, ita non detegit quo desistit. Involvi ergo amaritudine antiquus hostis dicitur, quia superbiæ ejus supplicia non solum omnimoda, sed etiam infinita præparantur.

(713) Caliginis quoque nomine potest mentis confusio ex pœnitentia veniens designari. Nullum namque peccatum Dominus inultum relaxat, aut enim nos hoc flendo insequimur, aut ipse judicandum reservat, ut ad emendationem suam semper mens solerter invigilet. In quo ergo sibi quisque misericorditer subveniri desiderat, hic necesse est ut pœnitens tergat. Apte igitur de delectatione peccati dicitur : *Occupet eum caligo.* Quid enim caligine confunditur oculus, ipsa per pœnitentiam mentis nostræ confusio caligo nominatur. Nam sicut caligo nebulosa congerie obscurat diem, ita confusio perturbatis cogitationibus obnubilat mentem. De qua per quemdam dicitur : *Est confusio adducens gloriam* (*Eccle.* iv, 15). Cum enim ad mentem male gesta pœnitendo reducimus, gravi mox mœrore confundimur, perstrepit in animo turba cogitationum, mœror conterit, anxietas devastat, in ærumnam mens vertitur et quasi quodam nubilo caliginis obscuratur. Hæc namque caligo confusionis eorum mentem salubriter oppresserat, quibus Paulus dicebat : *Quem enim fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis* (*Rom.* vi, 21). Hunc ergo peccati diem caligo occupet, id est blandimentum nequitiæ, afflictio pœnitentiæ digno mœrore perturbet. Unde et apte subjungitur : Involvatur amaritudine. Dies enim amaritudine involvitur, cum ad sui cognitionem mente redeunte, peccati blandimenta cruciatus pœnitentiæ sequuntur. Diem amaritudine involvimus, cum pravæ delectationis gaudium quæ supplicia sequantur aspicimus, et asperis hoc fletibus circumdamus. Quia enim hoc quod involvitur, ex latere omnis partis operitur; involvi dies amaritudine optatur, quatenus quæ mala incorrectis imminent, ex omni parte quisque conspiciat, et voluptatis suæ lasciviam tristitiæ lamentis tergat.

536 CAPUT XII.

DE UMBRA.

In Scriptura cum umbra singulariter ponitur, aliquando mentis refrigerium ex superna protectione, aliquando Incarnatio Domini, aliquando torpor frigidæ mentis, aliquando obscuritas allegoriæ, aliquando instabilitas vitæ præsentis, aliquando oblivio designatur, aliquando imitatio diaboli, aliquando perfidus Judæorum populus, aliquando refrigerium quietis æternæ. Cum vero umbræ pluraliter dicuntur, omnes iniqui intelliguntur.

(714) Umbræ nomine mentis refrigerium ex superna protectione designatur, sicut Psalmista ait : *Sub umbra alarum tuarum protege me* (*Psal.* xvi, 8), vel sicut sponsa in Canticis adventum sponsi præstolata prænuntiat dicens : *Sub umbra illius quem desiderabam, sedit* (*Cant.* ii, 3). Ac si dicat : Ab æstu desideriorum carnalium sub adventus illius protectione requievi.

(715) Umbræ vel obumbrationis nomine, Incarnatio Domini designatur : sicut angelicus sermo testatur, qui ad Mariam dicit : *Virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* i, 35), umbra enim formatur a lumine et corpore. Deus autem per divinitatem lumen est qui mediante anima in ejus utero fieri dignatus est per humanitatem corpus. Quia ergo lumen incorporeum in ejus utero **537** fuerat corporandum ei, quæ incorporeum concepit ad corpus, dicitur *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, id est corpus in te humanitatis accipiet incorporeum lumen Divinitatis.

(716) Umbræ nomine recedente charitate torpor frigidæ mentis designatur, sicut de peccante homine scriptum est : quia secutus est umbram. Calorem enim charitatis fugiens, virtutis solem homo deseruit, et sub umbra se interni frigoris abscondit :

(712) Ex lib. iv in Job, cap. 10.
(713) Ex lib. sup. cap. xvii in medio 21.
(714) Ex lib. xxxiii in Job, cap. iii.
(715) Ex lib. xviii in Job, cap. 12 sub finem
(716) Ex lbi. xxxiii in Job cap. iii post initium.

Digitized by Google

unde voce ejusdem Veritatis dicitur : *Abundavit iniquitas et frigescet charitas multorum* (*Matth.* XXIV, 12), unde primus homo post culpam inter arbores paradisi ad auram post meridiem absconsus invenit [invenitur] (*Genes.* III, 8). Quia enim meridianum charitatis calorem perdiderat, jam sub peccati umbra quasi sub frigore auræ torpebat. Hinc ad beatum Job voce Dominica de antiquo hoste dicitur : *Sub umbra dormit* (*Job* XL, 16). Per umbram quippe nequitiæ torpor accipitur, in qua diabolus dormit, quia contra corda charitate calentia sollicitus vigilat, in frigidis autem mentibus securus jacet. Dormire enim in sanctorum cordibus non potest, quia et quando se in eis ad breve momentum collocat, ipse eum desideriorum cœlestium æstus fatigat. Et quasi toties ut recedat pungit, quoties ab eis amore intimo ad æterna suspiratur. Tantæ enim eum voces excitant, quantæ ex illorum mentibus sanctæ cogitationes ad cœlum clamant. Unde fit ut bonarum actionum armis territus, ac suspiriorum spiculis percussus fugiat, et ad corda reproborum frigida rediens, eam quam securus possideat malitiæ umbram quærat.

(717) Umbræ nomine obscuritas allegoriæ designatur, sicut per Habacuc dicitur : *Deus a Libano veniet, et Sanctus de monte umbroso et condenso* (*Habac.* II, 17). Qui enim venturum se per Testamenti sui paginas spopondit, quasi inde venit, unde velut sub promissione se tenuit (718). Quod videlicet Testamentum bene mons umbrosus et condensus dicitur : quia spissis allegoriarum obscuritatibus opacatur.

(719) Umbræ nomine instabilitas vitæ præsentis designatur, sicut per beatum Job de homine dicitur : **538** *Qui quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet* (*Job* XIV, 2). Quasi flos enim egreditur qui nitet in carne, sed conteritur, quia redigitur in putredinem. Quid enim sunt nati homines in mundo nisi quidam flores in campo? Tendamus oculos cordis in hanc latitudinem vitæ præsentis, et ecce quasi tot floribus quot hominibus plenus est. Vita itaque in carne, flos in feno est. Unde bene per Psalmistam dicitur : *Homo sicut fenum dies ejus, et sicut flos agri ita florebit* (*Psal.* CII, 15). Isaias quoque ait : *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus sicut flos agri* (*Isa.* XL, 6). Homo etenim more floris procedit ex occulto, et subito apparet in publico : qui statim ex publico per mortem retrahitur ad occultum. Carnis nos viriditas ostendit, sed ariditas pulveris ab aspectibus retrahit. Quasi flos apparuimus, qui non eramus, quasi flos arescimus qui temporaliter apparebamus. Et quia per momenta homo quotidie compellitur ad mortem, recte adjungitur : *et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet* (*Job* XIV, 2). Sed cum sol quoque cursum suum indesinenter peragat, nunquamque se instabilitate figat, cur cursus vitæ hominis umbræ potius quam soli comparatur, nisi quia amisso amore Conditoris, calorem cordis perdidit, et in solo iniquitatis suæ frigore remansit? Quia nimirum juxta Veritatis vocem : *Abundabit iniquitas, et refrigescet charitas multorum* (*Matth.* XXIV, 12). Qui igitur in amore Dei, calorem cordis non habet, nec tamen vitam quam diligit tenet, scilicet *velut umbra fugit* ; bene autem dicitur, *et nunquam in eodem statu permanet*, quia dum infantia ad pueritiam, pueritia ad adolescentiam, adolescentia adjuventutem, juventus ad senectutem, senectus transit ad mortem cursu vitæ præsentis ipsis suis augmentis ad detrimenta impellitur, et inde semper deficit, unde se proficere in spatium vitæ credit. Fixum etenim statum hic habere non possumus, ubi transituri venimus, atque hoc ipsum vivere nostrum, quotidie a vita transire est.

(720) Umbræ nomine quando cum adjunctione mortis ponitur, oblivio designatur, quia sicut mors hoc quod interficit, agit ut non sit in vita, ita oblivio **539** hoc quod intercipit, agit ut non sit in memoria. Unde recte quia Joannes Hebræorum populo cum cujus obliti fuerant Deum prædicare veniebat, per Zachariam dicitur : *Illuminare iis qui in tenebris et in umbra mortis sedent* (*Luc.* I, 79). In umbra etenim mortis sedere, est a divini amoris notitia in oblivione lassescere.

(721) Umbræ mortis nomine imitatio diaboli designatur. Ipse enim, quia mortem intulit, mors vocatur, Joanne attestante qui ait : *Et nomen illi mors* (*Apoc.* VI, 8). Per umbram igitur mortis antiqui hostis imitatio accipitur, quia sicut umbra juxta qualitatem corporis ducitur, ita actiones iniquorum de specie imitationis ejus exprimitur. Unde recte Isaias cum gentiles populos in antiqui hostis cerneret imitatione defecisse, eosque ad veri solis ortum resurgere, quæ certo futura considerat, quasi ex præteritis narrat dicens : *Sedentibus in tenebris, et umbra mortis, lux orta est eis* (*Isa.* IX, 2).

(722) Per umbram mortis spiritualiter perfidus Judæorum populus designatur, sicut Job de ipsius populi damnatione dicitur : *Lapidem quoque caliginis, et umbra mortis dividit torrens a populo peregrinante* (*Job* XXVIII, 4).

Umbræ nomine quietis æternæ refugium designatur, sicut per beatum Job dicitur : *Sicut servus desiderat umbram, et sicut mercenarius præstolatur finem operis sui, et ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas enumeravi mihi* (*Job*, VII, 2, 3). Require in capitulo de mensibus, infra dist. 2, cap. XIII.

Umbrarum nomine omnes iniqui designantur, sicut voce Dominica ad beatum Job de diaboli imitatoribus dicitur : *Protegunt umbræ umbram ejus* (*Job* XL, 27). Umbræ quippe diaboli sunt omnes imi-

(717) Ubi pro Libano, Hier. legit Theman.
(718) Ex lib. XXXIII in Job cap. I.
(719) Ex lib. II in Job cap. XXVI, post initium.
(720) Ex lib. IV in Job cap. XVII, 20.
(721) Ex lib. et cap. sup.
(722) Vide lib. XVIII in Job cap. XVIII, 17.

Digitized by Google

qui, dum imitationi iniquitatis ejus inserviunt, quasi ejus corpore imaginis speciem trahunt. Sicut autem umbræ diaboli pluraliter sunt omnes reprobi, ita singulariter umbra ejus est unusquisque peccator. Sed dum doctrinæ justorum mali contradicunt, dum ab eis iniquum quemlibet corrigi non permittunt, umbræ diaboli **540** umbram ejus protegunt, quia peccatores quique in quo sibi male sunt conscii in eo et alium peccantem defendunt. Umbræ ergo umbram ejus protegunt, dum nequissimorum facta nequiores perversis patrociniis tuentur.

CAPUT XIII.

DE MENSE.

In Scriptura sacra mensium nomine, aliquando perfectio, aliquando actiones nostræ, aliquando vel multiplicatæ fidelium Ecclesiæ quæ unam catholicam faciunt, vel cœlestium spirituum ordines et dignitates, aliquando collectiones animarum intelliguntur.

(723) Mensis nomine perfectio designatur, sicut per prophetam dicitur. *Et erit mensis ex mense perfectio* (*Isa.* LXVI, 23), videlicet eis ex collectione animarum erit in requie, quibus nunc perfectio fuerit in operatione.

(724) Mensium nomine actiones nostræ designantur, sicut per beatum Job dicitur : *Sicut servus desiderat umbram, et sicut mercenarius præstolatur finem operis sui, sic et ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas enumeravi mihi* (*Job.* VII, 2). Umbram quippe servo desiderare est, post tentationes, æstum sudoremque operis, æterni refrigerii requiem quærere. Hanc namque umbram servus ille desideraverat, qui dicebat : *Sitivit anima mea ad Dominum fontem vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Domini* (*Psal.* XLI, 3). Bene autem qui desiderare umbram dicitur, servus vocatur quia electus quisque quousque infirmitatis conditione constringitur, sub dominantis corruptionis jugo quasi sub æstus anxietate retinetur. **541** Qui nimirum cum a corruptione exutus fuerit, tunc sibimetipsi liber et tranquillus innotescit. Unde etiam recte per Paulum dicitur : *Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei* (*Rom.* VIII, 15). Electos enim nunc pœna corruptionis aggravat, sed tunc incorruptionis gloria exaltat, et quantum ad præsentis necessitatis pondera, nunc in Dei filiis de libertate nihil ostenditur ; tamen ad subsequentis libertatis gloriam tunc in Dei famulis de servitute corruptionis exuta, et dignitate libertatis accepta in filiorum Dei gloriam vertitur, quia unita Deo per spiritum quasi hoc quod creatura est, transisse ac subegisse declaratur. Sed quia adhuc umbram desiderat, servus est, quia quousque æstum tentationum tolerat, jugum miseræ conditionis portat. Mercenarius autem cum facienda opera conspicit, mentem protinus ex longinquitate et pondere laboris addicit ; cum vero lassescentem animum ad considerandum operum præmium revocat, vigorem mox animi ad exercitium laboris reformat, et quod grave perpendit ex opere, leve existimat ex remuneratione. Sic, sic electi quique cum mundi hujus adversa patiuntur, cum inhonestates, contumelias, rerum damna, cruciatus corporis tolerant, esse gravia quibus exercentur pensant, sed cum mentis oculum ad æternæ patriæ considerationem tendunt, ex comparatione præmii quam sit leve quod patiuntur, inveniunt. Quod enim valde importabile ex dolore ostenditur, consideratione provida ex remuneratione levigatur ; hinc est enim quod Paulus semper seipso robustior contra adversa erigitur, quia nimirum finem sui operis sicut mercenarius præstolatur. Grave namque quod sustinet æstimat, sed leve hoc præmii consideratione pensat. Ipse quippe quam sit grave quod patitur, indicat qui in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter se fuisse testatur : Qui *a Judæis quinquies quadragenas una minus* accepit : qui *ter virgis cæsus, semel lapidatus* est, *ter naufragium* passus, *nocte et die in profundo maris* fuit : qui pericula *fluminum, latronum, ex genere, ex gentibus, in civitate, in solitudine, in mari, in falsis fratribus* pertulit : qui *in labore, et ærumna, in jejuniis* **542** *multis, in fame, in siti, in frigore, et nuditate* laboravit : (*II Cor.* XI, 24-30) : qui foris pugnas intus timores sustinuit (*II Cor.* VII, 5) ; qui ultra vires gravatum se asserit dicens : *Supra modum gravati sumus supra virtutem : ita ut tæderet nos etiam vivere* (*II Cor.* I, 8). Sed quomodo remunerationis linteo sudorem tanti laboris tergat, ipse denuntiat dicens : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII, 17). Finem itaque operis quasi mercenarius præstolatur, qui dum profectum remunerationis considerat, vile æstimat quod pene deficiens laborat. Apte autem subditur : Sic et ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas enumeravi mihi. Electi quippe Conditori rerum serviunt, et sæpe rerum inopia coangustantur : per amorem Deo inhærent, et tamen subsidiis vitæ præsentis egent. Qui igitur per actiones suas præsentia non quærunt, a mundi compendiis vacuos menses ducunt ; noctes quoque laboriosas tolerant, quia adversitatum tenebras non solum usque ad inopiam, sed sæpe usque ad corporis cruciatum portant. Despectum namque egestatemque perpeti laboriosum bonis mentibus non est. Sed cum usque ad afflictionem carnis adversitas vertitur, labor procul dubio ex dolore sentitur.

Mensium nomine vel multiplicatæ fidelium Ecclesiæ quæ unam catholicam faciunt, vel cœlestium spirituum ordines, et dignitates designantur, sicut Job de nocte conceptionis suæ dicit : *Non computetur in diebus anni nec numeretur in mensibus* (*Job* III, 6). Require in capite de die, supra cap. 7, dist. 6 et 7.

(725) Mensium nomine collectiones animarum

(723) Ex lib. XIX in Job cap. VIII.
(724) Ex lib. VIII in Job cap. IV, 7.
(725) Ex lib. XIX in Job cap. VIII.

Digitized by Google

designantur, sicut per beatum Job ex persona sanctæ Ecclesiæ in ultimis tribulationibus positæ dicitur : *Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos?* (*Job* XXIX, 2.) Multa enim talia sancta Ecclesia doloribus pressa, dictura est. Tantis quippe illam futurum est tribulationibus angustari, ut hæc tempora cum magno suspirio desideret, quæ nos cum magno dolore toleramus. Dicat ergo, dicat per vocem Job : *Quis mihi tribuat ut sim juxta menses pristinos ?* Quia enim statutus **543** dierum numerus, menses vocantur, quid nomine signat mensium nisi collectiones animarum? Dies quippe dum colliguntur in mensibus, subtrahuntur. Quia et in hoc tempore sancta Ecclesia dum virtutis luce splendentes animas colligit, in intimis abscondit. Reminiscatur ergo perfectionis pristinæ, reducat ad memoriam quanta prædicationis suæ collectis animabus reportabat lucra et angustata tribulationibus dicat : *Quis mihi tribuat ut sim juxta menses pristinos?*

CAPUT XIV.

DE ANNO.

Anni nomine vel prædicatio supernæ gratiæ vel multitudo redemptorum designatur, sicut Job de antiquo hoste sub figura noctis dicit : *Non computetur in diebus anni.* Require in capite de die, supra cap. 7, dist. 6.

CAPUT XV.

DE ORIENTE.

(726) Orientis nomine Redemptor noster designatur, sicut per beatum Job ex persona Ecclesiæ dicitur : *Ad dexteram Orientis calamitates meæ illico surrexerunt* (*Job.* X, 12). Quid enim hoc loco vocabulo dexteræ nisi fidelis populus sanctæ Ecclesiæ designatur? *Unde et venturus judex hædos ad sinistram, agnos ad dexteram ponit* (*Matth.* XXV, 33). Sed cum sanctam Ecclesiam adversitatis tempore ipsi quoque lacessunt qui fideles esse videbantur, procul dubio calamitates ad dexteram surgunt. Ad sinistram quippe calamitates surgerent, si a quibuslibet extra religionem positis et aperte Christum negantibus persecutionis adversa sustineret. Cum vero ab aliquibus quasi fidelibus tentationem cruciamentorum patitur, quasi ad dexteram illi calamitates oriuntur : quia hi qui sub nomine Christi militant, Christi in ea nomen impugnant. Bene autem hæc ipsa dextera Orientis **544** vocatur (*Zach.* VI, 12). De ipso quippe ejus capite scriptum est. *Oriens est nomen ejus* (*ibid*). Nam quia ab Oriente lux surgit recte Oriens dicitur, cujus justitiæ lumine nostræ injustitiæ nox illustratur. Ad Orientis ergo dexteram calamitates surgunt, quia hi quoque ad persecutionem prosiliunt, qui electa membra Redemptoris nostri esse credebantur. Juxta quam videlicet et calamitates recte illico asserit surgere : quia dum non erant extranei qui persequuntur, ab eis repente mala et illico fiunt.

CAPUT XVI.

DE MERIDIE.

(727) Meridiei nomine fervor charitatis designatur, sicut de Adam per Moysen dicitur : *Cum audisset vocem Domini Dei deambulantis in praradiso ad auram post meridiem, abscondit se inter ligna paradisi* (*Gen.* III, 8). Quid est enim quod post peccatum hominis in paradiso Dominus non stat, sed deambulat, nisi quod irruente culpa se a corde hominis motum demonstrat? Quid est quod ad auram post meridiem, nisi quod lux ferventior veritatis abscesserat, et peccatricem animam culpæ suæ frigora constringebant? Increpavit ergo Adam deambulans, ut cæcis mentibus nequitiam suam non solum sermonibus sed etiam rebus aperiret, quatenus peccator homo et per verba quod fecerat audiret, et per deambulationem, amisso æternitatis statu, mutabilitatis suæ inconstantiam cerneret, et per auram fervore charitatis expulso, torporem suum animadverteret et per declinationem solis cognosceret quod ad tenebras propinquaret.

(728) Meridiei nomine fervor carnalium designatur, sicut sponsæ voce in Canticis canticorum sponso dicitur : *Ubi pascas, ubi cubes in meridie?* (*Cant.* I, 7.) Pascitur quippe Dominus cum nostris actibus delectatur. Cubat vero in meridie, cum ex desideriis carnalibus arenti corde reproborum apud electorum suorum pectora refrigerium invenit cogitationis bonæ.

545 CAPUT XVII.

DE ÆSTATE.

In Scriptura sacra æstatis nomine, aliquando regnum cœlorum, aliquando dies judicii designatur.

(729) Æstatis nomine regnum cœlorum designatur, sicut in Evangelio voce Veritatis dicitur, ubi prænominatis signis quæ in fine sæculi futura sunt ponit similitudinem : *Videte ficulneam, et omnes arbores : cum producunt jam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas* (*Luc.* XXI, 29). Ita et vos cum videritis hæc fieri scitote quoniam prope est regnum Dei. Quibus profecto verbis ostenditur, quia fructus mundi ruina est. Ad hoc enim crescit, ut cadat, ad hoc germinat, ut quæque germinavit, cladibus consumat, Aperte ergo demonstratur, quia sicut ex fructu arborum vicina æstas agnoscitur, ita ex ruina mundi prope esse cognoscitur regnum Dei. Bene autem regnum Dei æstati comparatur, quia tunc mœroris nostri nubila transeunt, et vitæ dies æterni solis claritate fulgescunt.

(730) Æstatis nomine dies judicii designatur, sicut per Salomonem dicitur : *Propter frigus piger arare noluit : mendicabit ergo æstate, et non dabitur ei* (*Prov.* XXVII, 4). Qui enim nunc propter pavorem mentis atque torporem bene operari negligit cum sol justi-

(726) Ex lib. XX in Job cap. XVIII, 20, 21.
(727) Ex lib. XXVIII in Job cap. II, 13.
(728) Ex lib. XXX in Job cap. XVIII, 34.
(729) Ex hom. I in Evang.
(730) Ex fine hom. 3 in Ezech.

Digitized by Google

tiæ in judicio velut in æstate claruerit, mendicat vitam, sed non accipit, quia propter illam bona operari contempsit.

CAPUT XVIII.

DE HIEME.

(731) Hiems nomine vita præsens designatur, sicut per Eliu de Domino dicitur : *Qui præcepit nivi, ut descendat in terram* (*Job.* xxxvii, 6). Hiemis pluviis. Hiems **546** quippe est vita præsens in qua nos etsi jam spes ad superna erigit, adhuc tamen mortalitatis nostræ frigidus torpor astringit, quia scriptum est : *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* ix, 15). Habet autem hæc hiems pluvias, rectorum procul dubio prædicationes. De quibus videlicet pluviis per Moysen dicitur : *Exspectetur sicut pluvia eloquium meum, et descendant sicut ros verba mea* (*Deut.* xxxii, 2). Hæ nimirum pluviæ hiemi congruunt, æstate cessabunt, quia, cum nunc carnalium oculis vita cœlestis absconditur necesse est ut sanctorum nobis prædicationibus irrogetur. Cum vero æterni judicii æstus incanduerit, nullus verba prædicantium necessaria tunc habebit. Quia veniente Judice ad cor suum quisque reducitur, ut sancta, jam cum agere non valet, sentiat, et rectum quod sequi debuit ex torpedinis suæ pœna cognoscat. Unde bene per prophetam dicitur : *Congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occisionis* (*Jer.* xii, 3). In die enim occisionis sanctificantur reprobi, quia tunc sancta quæ debuerant agere sentiunt, cum digna pravitatis suæ supplicia jam declinare non possunt. Quia autem prædicationes sanctæ cum vita præsenti, id est pluviæ cum hieme cessabunt, recte exeunti animæ atque ad æterna æstiva properanti Sponsi voce suadentis dicitur : *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. Jam enim hiems transiit, imber abiit, et recessit* (*Cant.* ii, 10). Transeunte quippe hieme imber recedit, quia, cum vita præsens peragitur in qua nos ignorantiæ nubilo, carnis corruptibilis torpor strinxerat, omne ministerium prædicationis cessat. Clarius quippe per nos tunc videbimus hoc quod sanctorum, nunc vocibus obscurius audimus. Præcipit ergo Dominus nivi et hiemis pluviis, ut in terram descendant, dum aspiratione sancti Spiritus pro corrigendis peccatoribus corda sanctorum ad ministerium prædicationis humiliat.

INCIPIT LIBER DECIMUS TERTIUS.

547 CAPUT PRIMUM.

DE CIVITATE.

In Scriptura sacra cum civitas singulariter ponitur, aliquando cœlestis patria, aliquando sancta Ecclesia, aliquando anima humana intelligitur. Cum vero pluraliter civitates dicuntur, aliquando Ecclesiæ fideles, aliquando cogitationes pravorum intelliguntur.

(732) Civitatis nomine cœlestis patria signatur, sicut per Salomonem dicitur : *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit sibi columnas septem, immolavit victimas, miscuit vinum, proposuit mensam, misit ancillas suas ut vocarent ad arcem et mœnia civitatis* (*Prov.* ix, 3). Recte namque domus sapientiæ Ecclesia vocatur. Quæ septem columnas excidit : quia ab amore præsentis sæculi disjunctas ad portandam ejusdem Ecclesiæ fabricam mentes prædicantium erexit. Quæ pro eo quod perfectionis virtute subnixæ sunt, septenario numero signantur. **548** Immolavit victimas : quia vitam prædicantium mactari persecutione permisit. Vinum miscuit, quia divinitatis et humanitatis suæ pariter nobis arcana prædicavit. Mensam quoque proposuit, quia Scripturæ sacræ nobis pabula aperiendo præparavit. Ancillas etiam suas misit, quæ ad arcem nos atque ad civitatis mœnia vocarent : quia prædicatores infirmos abjectosque habere studuit, qui fideles populos ad spiritualis patriæ ædificia superna colligerent.

(733) Civitatis nomine sancta Ecclesia designatur, sicut per Jeremiam prophetam dicitur : *Ædificabitur civitas Domino a turre Hananeel usque ad portam anguli et exibit ultra normam mensuræ* (*Jer.* xxxi, 38). Civitatem quippe esse Domini sanctam Ecclesiam nullus ignorat. Hananeel vero *Dei gratia* interpretatur. In angulo autem duplex paries jungitur. Civitas ergo Domini a turre Hananeel usque ad portam anguli ædificari perhibetur : quia sancta Ecclesia a celsitudine supernæ gratiæ inchoans usque ad ingressum susceptionemque construitur virorumque populorum Judaici videlicet, atque gentilis. Sed quia in ea crescente multitudine etiam reprobi colliguntur, apte subditur : *Et exibit ultra normam mensuræ*, quia usque ad eos quoque extenditur, qui normam justitiæ transeuntes intra mensuræ cœlestis numerum non sunt.

(734) Civitatis nomine anima humana designatur, sicut per prophetam Dominus quæ iratus fecerit, narrans dicit : *Plui super civitatem unam, et super alteram non plui. Pars una compluta est, et pars quæ compluta non est, aruit* (*Amos* iv, 7). Cum sanctæ exhortationis verba alia mens suscipit,

(731) Ex lib. xxvii in Job cap. xiv, 19.
(732) Ex lib. xxxiii in Job cap. xv.
(733) Ex lib. xxv in Job cap. viii, 11.
(734) Ex hom. 10 in Ezech., ante med.

Digitized by Google

alia suscipere recusat : super civitatem unam Dominus pluit, et super alteram non pluit. Cum vero et ipse qui proximos audit, ab aliis se vitiis corrigit, atque ab aliis emendare contemnit, nimirum una eademque civitas, et ex parte compluitur, et ex parte arida remanet, in qua a se prædicationis pluviam repellit. Sunt etenim quidam qui exhortationis verba omnino non audiunt : Hi penitus suscipere pluviam nolunt : et sunt nonnulli qui audiunt, sed hanc medullitus **549** non insequuntur : quia alia in se vitia resecant, sed in aliis graviter perdurant. Sæpe enim quosdam videmus quia per prædicationis verbum a semetipsis avaritiæ æstum repellunt, et non solum jam aliena non rapiunt, sed et propria indigentibus largiuntur, nec tamen iræ stimulos edomant nec patientiæ moderamina per mentis tranquillitatem servant. Et sæpe alii ad exhortationis verbum in semetipsis tanto carnis immunditia vincunt, corpus in castitate custodiunt, nec tamen adhuc animum, sicut debent, proximis inclinant : sed per rigorem superbiæ in cogitatione se elevant : in istis pars una compluta est, quia fructum fecit, et pars quæ compluta non est, aruit, quia exhortationis verbum non plene suscipiens a bono sterilis remansit.

(735) Civitatum nomine Ecclesiæ fideles designantur : sicut per beatum Job de hæreticis dicitur : *De civitatibus fecerunt viros gemere* (*Job* xxiv, 12) Quia civitates a conviventibus populis appellantur, non immerito civitatum nomine veræ sunt fidei Ecclesiæ designatæ quæ in singulis mundi partibus positæ unam catholicam faciunt in qua fideles omnes de Deo recta sentientes concorditer vivunt. Hanc namque in Evangelio Dominus conviventium populorum etiam per locorum distinctionem concordiam designavit : *Cum satiaturus de quinque per turmas vel centenos panibus populum, quinquagenos discumbere præcepit, ut videlicet turba fidelium escam suam et locis disjuncta et moribus conjuncta præcepit* (*Marc.* vi). Jubilæi quippe requies quinquagenarii numeri mysterio continetur, et quinquagenarius bis dicitur, ut ad centenarium perducatur. Quia ergo prius a malo quiescitur opere, ut post anima plenius quiescat in cogitatione, alii quinquageni, alii centeni discumbunt, quoniam sunt nonnulli qui jam a pravis actibus habent requiem operis, et sunt nonnulli qui a perversis cogitationibus habent jam requiem mentis. Hæretici igitur quia perversis sæpe hujus mundi potentibus adhærentes, bonorum socialem vitam atque concordiam persequuntur, recte nunc dicitur : *De civitatibus viros fecerunt gemere.* Quos recte beatus Job memorat **550** viros, quia illos magis hæretici exstinguere ambiunt qui perfectis gressibus per viam Dei non fluxe et enerviter, sed viriliter currunt.

(736) Civitatum quoque nomine congregationes pravorum designantur, sicut per Eliphaz de pravo divite dicitur : *Habitat in civitatibus desolatis, et in domibus desertis quæ in tumulos sunt redactæ* (*Job* xv). Quia enim a conversatione conviventium civitas appellatur, civitates desolatæ sunt ipsi obsequium cunei perversorum, quorum clamoribus perversus laudatur, cum ad prava opera per nequitiam rapitur. Unde scriptum est : *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et qui iniqua gerit, benedicitur* (*Psal.* ix, 17). (737) Domus vero desertæ sunt cogitationes pravæ, quas iniquus iste inhabitat, quia per omne quod agit, iniquorum placere cogitationibus appetit. Quæ civitates desolatæ, et domus desertæ recte nominantur, quia nisi omnipotens Deus talium conversationes cogitationesque præcedentibus eorum culpis relinqueret, ad graviora perpetranda minime pervenirent. Bene autem dicitur : *Quæ in tumulos sunt redactæ.* Ruentia namque domorum atque civitatum ædificia tumulos faciunt, quoniam, dum prari quique confusis actionibus sibimet ad perversa opera junguntur, ostendunt procul dubio, quia de ædificio vitæ ceciderunt.

CAPUT II.

DE MURO.

In Scriptura sacra muri nomine aliquando incarnatus Dominus, aliquando fidei christianæ munimen, aliquando munitio disciplinæ, aliquando impedimentum bene faciendi intelligitur.

551 (738) Muri nomine incarnatus Dominus designatur, sicut de sancta Ecclesia per prophetam dicitur : *Ponetur in ea murus, et antemurale* (*Isa.* xxvi, 1). Ipse enim nobis murus est, qui nos undique custodiendo circumdat. Antemurale autem muri nostri prophetæ omnes fuerunt, qui, priusquam Dominus appareret in carne, ad construendam fidem missi sunt. De hoc muro per Ezechielem iterum dicitur : *Et ecce murus foris secus in circuitu domus undique* (*Ezech.* xl, 5). Ubi notandum quod murus spiritualis ædificii esse forinsecus dicitur. Murus quippe qui ad munitionem construitur, non interius, sed exterius poni solet. Quid ergo necessarium fuit, ut diceretur forinsecus dum nunquam poni murus intrinsecus soleat? quia necesse est ut exterius positus ea quæ intus sunt defendantur [defendat]. Sed in hoc verbo quid aperte nisi Dominica Incarnatio demonstratur? Murus enim nobis intus est Deus : murus vero foris est Deus homo. Unde et per prophetam dicitur : *Existi in salutem populi tui, ut salvos faceres christos tuos* (*Habac.* iii, 13) (739). Iste namque murus, incarnatus videlicet Dominus, murus nobis non esset, si forinsecus non fuisset; quia intus non protegeret, si exterius non appareret. Sed neque hoc negligenter prætereundum, quod idem murus positus dicitur in circuitu domus undique. Domus quippe Dei non solum angeli sancti, de quibus Psalmista ait : *Domine, dilexi decorem domus tuæ et locum tabernaculi gloriæ tuæ* (*Psal.* xxv, 8). (740)

(735) Ex lib. xvi in Job cap. xxiii.
(736) Ex lib. xii in Job cap. xxii.
(737) Ubi Aug. ita legit.
(738) Ex hom. xiv in Ezech.
(739) Juxta LXX vide Hier. in hunc locum.
(740) Sic Hier. Juxta vers. hæbr.

Digitized by Google

(741) Sed etiam nos sumus, quorum mentes inhabitare dignatur. Murus itaque undique in circuitu domus est, quia unigenitus Patris, qui sursum est, firmitas angelorum ipse deorsum factus est redemptio hominum. Illis enim fortitudo ne cadant, nobis adjutorium, ut surgamus post casum.

Muri nomine fidei Christianæ munimen designatur, sicut per Job de pravis persecutoribus fidelium dicitur : *Quasi rupto muro, et aperta janua irruerunt super me* (*Job* xxx, 14). Quasi enim murus rumpitur, cum pravorum persuasionibus fides quæ in Redemptore nostro est, in quorumdam corde dissipatur. Cumque perversis **552** in hac vita potestas tribuitur, quid aliud quam janua erroris aperitur? Quasi ergo rupto muro et aperta janua, super bonos mali irruunt, cum accepta temporaliter potestate perversi ipsa quoque in quorumdam corde destruere munimen fidei conantur.

(741*) Muri quoque nomine potest intelligi munitio disciplinæ. Quasi enim rupto muro hostis ingreditur, cum vel malignorum spirituum, vel pravorum hominum persuasione callida disciplinæ munimina in corde dissipantur.

(742) Muri nomine impedimentum bene faciendi designatur, sicut in psalmo dicitur : *Et in Deo meo transgrediar murum* (*Psal.* xvii, 30). Murus quippe est omne quod itineri nostro objicitur, ne ad eum qui diligitur transeatur. Sed murum transgredimur, cum pro amore supernæ patriæ quæque in hoc mundo fuerint objecta calcamus.

CAPUT III.

DE MACERIA.

In Scriptura sacra maceriæ nomine, aliquando munitio disciplinæ, aliquando difficultas perfectionis intelligitur.

(742*) Maceriæ nomine munitio disciplinæ designatur, sicut per Salomonem dicitur : *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti; et ecce totum repleverant urticæ, operuerant superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa est.* (*Prov.* xxiv, 30.) Per agrum namque hominis pigri atque per vineam viri stulti transire est cujuslibet vitam negligentis inspicere, et ejus opera considerare. Quam urticæ vel spinæ replent, quia in corde negligentium prurientia terrena desideria, et punctiones pullulant vitiorum. Quippe, quia scriptum est : In desideriis est otiosus omnis. Maceria autem **553** lapidum destructa erat, id est disciplina Patrum ab ejus corde dissoluta. Nam quia destructam maceriam lapidum dissolutam esse disciplinam vidit, illic protinus adjunxit : *Quod cum vidissem, posui in corde meo, et exemplo didici disciplinam* (*Prov.* xxiv, 32).

(743) Maceriæ nomine difficultas perfectionis designatur, sicut sub specie uniuscujusque animæ de infirmante Judæa atque in pravis itineribus gradiente per prophetam Dominus dicit : *Ecce ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria, et semitas suas non inveniet. Et sequetur amatores suos, et non apprehendet eos et quæret eos, et non inveniet et dicet : Vadam et revertar ad virum meum priorem : quia mihi bene erat tunc magis quam nunc* (*Ose.* ii, 67). Spinis enim electorum viæ sepiuntur, dum dolorem punctionis inveniunt in hoc quod temporaliter concupiscunt. Et quasi interposita maceria vilis eorum obviat, quorum nimirum desideria perfectionis difficultas impugnat. Horum profecto animæ amatores suos quærunt, et non inveniunt, dum sequendo malignos spiritus nequaquam eas, quas appetunt, hujus sæculi voluptates apprehendunt. Bene autem subditur quod ex ipsa mox difficultate dicat : Vadam et revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc. Prior quippe vir, Dominus est qui castam sibi animam sancti Spiritus interposito amore conjunxit. Quem tunc mens uniuscujusque desiderat, cum multiplices amaritudines velut quasdam spinas invenit in eis delectationibus quas temporaliter concupiscit. Nam dum adversitatibus mundi quem diligit morderi anima cœperit, tunc plenius intelligit, quanto illi cum priori viro melius fuit. Eos ergo quos voluntas prava pervertit, plurimum adversitas corrigit. Unde nimis timendum est, ne sequantur prospera cum desiderantur injusta, quia difficilius malum corrigitur, quod perfectionis etiam prosperitate fulcitur.

554 CAPUT IV.

DE ANTEMURALE.

(743*) Antemuralis nomine prophetæ designantur, sicut de sanctæ Ecclesiæ ædificatione per prophetam dicitur : *Ponetur in ea murus et antemurale* (*Isa.* xxvi, 20). Plurimum enim in sacro eloquio ex protestationis suæ munimen murus dici ipse incarnatus Dominus solet. Ipse enim nobis murus est, qui ad corda nostra pertingere malignorum spirituum incursum vetat. Antemurale autem muri nostri prophetæ omnes fuerunt, qui priusquam Dominus appareret in carne ad construendam fidem prophetando missi sunt. In sancta ergo Ecclesia Dominus nobis murus est, et prophetæ ejus antemurale sunt positi, quia ad nos quos ipse perfecte protegit, etiam prophetarum verba in fidei constructionem venerunt. Unde et bene prius murus, et post antemurale ponitur, quia vocati ex gentibus nisi prius Dominum cognosceremus, prophetarum illius dicta minime suscepissemus.

CAPUT V.

DE TURRE.

Turris nomine circumspectio designatur sicut in Canticis sponsæ a sponso dicitur : *Nasus tuus sicut turris quæ est in Libano* (*Cant.* vii, 1). Require in cap. de Ducibus lib. iv, supra cap, 10, dist. 2.

Turris altitudinem gratiæ designat, sicut per Je-

(741) Sic Hier. juxta vers. Hebra.
(741*) Ex eod. lib. et cap.
(742) Ex l. xxvi in Job, c. x.
(742*) Ex l. xx in Job, cap. xx, 22.
(743) Ex l. xxxiv in Job, c. ii, 1.
(743*) Ex ho. xiv in Ezech.

Digitized by Google

remiam prophetam dicitur : *Ædificabitur civitas Domino a turre Hananeel usque ad portam angeli* (*Jerem.* XXXI, 38). Require in cap. De civita. supra dist. 2.

555 CAPUT VI.

DE DOMO.

In Scriptura sacra domus nomine aliquando cœlestis Ecclesia, aliquando corpus Christi, aliquando conscientia, aliquando cœli habitaculum, aliquando virtutum fabrica.

Domus nomine cœlestis Ecclesia designatur, sicut Salomone templum ædificante aperitur cum dicitur : *Domus autem cum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est. Et malleus, et securis, et omne ferramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur* (*III Reg.* VI, 7). Vide l. VIII, c. 14.

Domus corpus Christi designat, sicut Salomon dicit : *Sapientia ædificavit sibi domum* (*Prov.* IX, 1). Sapientia quippe sibi domum condidit, cum unigenitus Dei Filius in seipso intra uterum virginis, mediante anima, humanum sibi corpus creavit. Sic namque corpus unigeniti domus Dei dicitur, sicut etiam templum vocatur, ita vero ut unus idemque Dei, atque hominis filius ipse sit qui inhabitat ipse, qui habitatur.

(744) Domus nomine conscientia designatur, sicut ad Ezechielem dicitur : *Ingredere et includere in medio domus tuæ* (*Ezech.* III, 24). Quid est quod exire propheta ad campum jubetur nisi quod unusquisque qui prædicat, propter eos quos extra se positos corrigit atque ab iniquitate compescit loquendo, ad campum exit ibique gloriam Domini videt ? Sed quia semper prædicator debet ad mentem recurrere, humilitatem atque munditiam intus custodire, post campum necesse est ut ad domum redeat quatenus in iis quæ dicit qualis etiam ipse sit intra conscientiam agnoscat. **556** Si enim autem hoc quod loquitur minime custodit, aut de iis quæ loquitur temporalem gloriam quærit, loquendo quidem ad campum exit, sed non cogitando semetipsum ad domum redire contemnit. Accepto etenim spiritu in medio domus includimur, quando per ejus gratiam ad discutienda mentis nostræ secreta revocamur, ut apud seipsum in Deo animus requiescat, et non jam per exteriores concupiscentias in appetitu laudis et gloriæ cogitationis mobilitate discurrat. De hac domo cordis cuidam sanato per semetipsam Veritas dicit : *Tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam* (*Marc.* II, 9). Hinc de perfecta anima dicitur : *Considerat semitas domus suæ, panem otiosa non comedit* (Prov. XXXI, 27) (744*). Semitas quippe domus suæ considerat, qui cunctas conscientiæ suæ cogitationes subtiliter investigat : Panem otiosa non comedit, quia hoc quod de sacro eloquio intelligendo percepit, ante æterni judicis oculos exhibendo operibus ostendit.

Domus cœli habitaculum designat, sicut dicitur : *Passer invenit sibi domum* (*Psal.* LXXXIII, 4). Require in cap. De passere, lib. II, cap. 12.

Domus virtutum fabricam designat, sicut Salomon dicit : *Diligenter exerce agrum tuum, ut postea ædifices domum tuam* (*Prov.* XXIV, 27). Require in cap. De agro lib. VI, cap. 8, distinct. 3.

CAPUT VII.

DE TABERNACULO.

In Scriptura sacra tabernaculi nomine, aliquando habitaculum mentis, aliquando corporea habitatio, aliquando cogitationes, aliquando ædificatio terrenæ felicitatis designatur.

557 (745) Tabernaculi nomine habitaculum mentis designatur, sicut per beatum Job in persona Ecclesiæ dicitur : *Quis mihi tribuat, ut sim, sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo* (*Job* XXIX, 4). Sicut uniuscujusque hominis, sic sanctæ Ecclesiæ ætas describitur. Parvula quippe tunc erat cum a nativitate recens verbum vitæ prædicare non poterat. Hinc enim de illa dicitur : *Soror nostra parvula est, et ubera non habet* (*Cant.* VIII, 8). Quia nimirum sancta Ecclesia priusquam proficeret, per incrementa virtutis, infirmis quibusque auditoribus præbere non potuit ubera prædicationis. Adulta vero Ecclesia dicitur, quando verbo Dei copulata sancto repleta Spiritu per prædicationis ministerium in filiorum conceptione fœtatur, quos exhortando parturit, convertendo parit. De hac ejus ætate Domino dicitur : *Adolescentulæ, dilexerunt te* (*Cant.* I, 3). Universæ quippe Ecclesiæ, quæ unam Catholicam faciunt, adolescentulæ vocantur non jam vetustæ per culpam, sed novellæ per gratiam, non senio steriles, sed ætate mentis ad spiritalem congruæ fecunditatem. Tunc ergo cum in diebus Antichristi Ecclesia quasi quodam senio debilitata per prædicationem parere non valet, reminiscitur fecunditatis antiquæ dicens : *Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ quando secreto Dominus erat in tabernaculo meo.* Quid enim hoc loco tabernaculum nisi habitationem mentis accipimus ? Per omne namque quod cogitando agimus, in consilio cordis agitamus. Quisquis autem mandata Dei tacitus cogitat, secreto illi Deus in tabernaculo est. Habitationem etenim cordis sui ante Dei esse oculos viderat, qui dicebat : *Et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper* (*Psal.* XLVIII, 4). Ut ergo demonstret quantum justus profecerit, dicat ex se, dicat ex persona universalis Ecclesiæ : Quando secreto Deus erat in tabernaculo meo.

(745*) Tabernaculi nomine corporea habitatio designatur. Sicut legitur quia Hebraicus populus de Ægypti servitute liberatus, cum loquente Deo co-

(744) Ex hom. 12 in Ezech.
(744*) Ex cap. 1, 25, l. XXXV in Job.

(745) Ex l. XIX in Job, c. IX.
(745*) Ex ho. 13 in Ezech. ante finem.

Digitized by Google

lumnam **558** nubis cerneret, unusquisque in tabernaculi sui foribus stabat et adorabat. Ibi enim stamus, ubi mentis oculos figimus. Unde Elias ait : *Vivit Dominus in conspectu cujus sto* (*III Reg.* XVII, 1). Ibi quippe stabat, ubi cor fixerat. Quid est autem populum columnam nubis aspicere, atque in tabernaculi sui foribus stare, et adorare, nisi quod humana mens cum superiora illa atque cœlestia utcunque in ænigmate conspicit, jam claustra habitationis corporeæ per sublevatam cogitationem exit, atque illum humiliter adorat? Cujus etsi videre substantiam non valet, jam tamen ejus potentiam per illuminationem spiritus miratur. Item quia per tabernaculum corpus intelligitur, docet Job qui de impio loquens ait : *Affligetur relictus in tabernaculo suo* (*Job* XX, 26). (746) Inquit enim : tabernaculum caro est, quia ipsam lætus inhabitat, et si sit possibile, optat ut eam nunquam relinquat. Justi vero quia gaudium suum in spe cœlestium ponunt, eorumque conversatio in cœlis est, cum adhuc in carne sunt, quasi in carne jam non sunt, quia nulla carnis delectatione se pascuntur. Unde et quibusdam dicitur : *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu* (*Rom.* VIII, 1). Neque enim in carne non erant, qui magistri epistolas, exhortationis eloquia suscipiebant ; sed quasi jam non in carne esse, est de amore carnalium nihil habere. At contra iniquus iste qui omne gaudium suum in carnali vita posuit, in tabernaculo carnis habitavit. Quam videlicet carnem cum in resurrectione receperit, cum ea gehennæ ignibus traditus ardebit. Tunc ab ea educi appetit ; tunc ejus tormenta evadere, si valeat quærit ; tunc incipit velle vitare quod amavit. Sed quia eamdem carnem Deo præposuit, judicante Deo agitur ut ex ea amplius in igne crucietur. Hic itaque eam relinquere non vult, et tamen ab ea abstrahitur : illic eam relinquere appetit, et tamen in ea propter supplicia servatur. Ad augmentum itaque tormenti, et hic de corpore nolens educitur, et illic in corpore tenetur invitus. Quia ergo ejus spiritus carnem quam sibi male amando præposuit, evadere in tormento volet et non valet, recte nunc dicitur : *Affligetur relictus in tabernaculo suo.*

559 (746*) Tabernaculorum nomine cogitationes designantur, sicut per Eliphaz dicitur : *Ignis devorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt* (*Job* XV, 34). Sicut enim corpus in tabernaculo, sic mens inhabitat in cogitatione. Sed ignis tabernacula devorat, cum æstus avaritiæ cogitationes devastat. Et fit plurimum, ut hypocrita aurum vel quæque bona temporalia ab hominibus accipere contemnat ; sed quia hæc non accipit, majores ab eis accipere laudes quærat. Et fortasse munus se accepisse non æstimat, quia bona temporalia accipere recusat. Unde sciendum est quia aliquando munus a manu, aliquando ab ore porrigitur. Nam qui nummum tribuit, munus ex manu dedit. Qui autem verbum laudis impendit, munus ab ore protulit. Hypocrita itaque etsi exteriora dona quæ terrenæ forsitan necessitati congruunt, accipere recusat, plus est quod sibi tribui appetit, cum ultra meritum laudati desirans munus ab ore quærit. Quia ergo in ipso laudis appetitu, nimio cor ardore succenditur, dicatur recte : *Ignis devorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt.* Sin vero eorum tabernacula, corpora debemus accipere in quibus illorum animæ habitant, ignis eorum tabernacula devorat, quia qui hic in mente ardent igne avaritiæ, illic etiam in carne cremantur ignibus gehennæ.

(747) Tabernaculi nomine ædificatio terrenæ felicitatis designatur, sicut per Baldad dicitur : *Tabernaculum impiorum non subsistet* (*Job* VIII, 22). Tabernaculum quippe construitur, ut ab æstu corpus et frigore defendatur. Quid itaque hoc loco tabernaculi nomine nisi ædificatio terrenæ felicitatis exprimitur, per quam super se reprobi casura multiplicant, ut se a præsentis vitæ necessitatibus quasi ab æstu et imbribus defendant? Honoribus namque excrescere ambiunt, ne despecti videantur. Terrena aggregando exaggerant, ne inopiæ frigore tabescant. Contemnunt curare quod sequitur et tota intentione satagunt, ne quid in præsentibus desit. Student nomen dilatare ne lateant, etsi cuncta ad desiderium suppetant, munitos **560** se in omnibus et felices putant. Ubi ergo mentis habitationem construunt, ibi procul dubio tabernacula fixerunt. Adversa impatienter perferunt, remisse in prosperis lætantur, sola quæ adsunt cogitant, nec ad affectum cœlestis patriæ ulla recordatione respirant. Gaudent sibi suppetere bona quæ cupiunt, atque ubi carne requiescunt, ibi et mentem exstinguendo sepeliunt, quia sæcularis curæ telo trucidati terrenarum rerum aggerem quem foras exquirendo multiplicant, hunc semper interius per cogitationem portant. At contra justi nec oblata bona, hic pro magno suscipiunt, nec illata mala valde pertimescunt ; sed et cum bonis præsentibus utuntur, ventura mala metuunt, et, dum de malis præsentibus gemunt, bonorum sequentium amore consolantur ; sicque temporali foventur subsidio, sicut viator stabulo utitur, lecto pausat, et recedere festinat, quiescit corpore, sed aliud tendit mente. Bene ergo dicitur : *Tabernaculum impiorum non subsistet*, quia vitæ fugientis amatores dum studiose se in præsentibus construunt, repente ad æterna rapiuntur.

CAPUT VIII.

DE TEMPLO.

In Scriptura sacra templi nomine, aliquando anima justi, aliquando corpus Christi, aliquando fidelis populus intelligitur.

(747*) Templi nomine anima justi designatur, sicut Isaias, cum se Dominum vidisse fateretur, dicit : *Anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum*

(746) Ex lib. XV in Job, c. XVIII, 14.
(746*) Ex l. XII, in Job cap. XXV, 27.

(747) ex l. VIII, in Job, XXXII 41.
(747*) Ex ho. 14, in Ezech. post med.

Digitized by Google

sedentem super solium excelsum et elevatum; protinus adjunxit: *Et ea quæ sub ipso erant, replebant templum* (*Isai.* VI, 1). Quando enim Osias rex superbus ac præsumptor moritur Dominus videtur; quia cum mundi hujus elatio a desiderio mentis occiditur, **561** tunc mens Domini gloriam contemplatur. Et notandum quod Dominus super solium excelsum et elevatum sedet. Quid namque est ejus solium, nisi creatura angelica vel humana, cum per intellectum, quem dedit, præsidet? Quod videlicet solium excelsum, elevatum dicitur, quia et natura humana ad cœlestem gloriam elevata proficit, et creatura angelica dum multis spiritibus cadentibus jam solidata est in cœlo ne cadat, inde etiam elevata est unde confirmata. Templum vero ejus, hoc est quod solium, quia æternus Rex ibi habitat ubi sedet. Nos ergo templum illius sumus, in quorum mentibus habitare dignatur. Sed ea quæ sub ipso erant, replebant templum, quia quidquid de illo modo conspicitur, adhuc non est ipse, sed sub ipso est. *Sic Jacob angelum vidit, et vidisse Deum fatetur;* quia cum ministeria ejus conspicimus, jam multum est quod super nosmetipsos levamur. Notandum vero quod dicitur, *implebant templum*, quoniam etsi angelus apparet, infirmæ tamen menti satisfacit, ut si adhuc majus non potest, jam tamen minus, quod videt, admiretur. Ea ergo, quæ sub eo sunt, replent templum, quia cum mens in contemplatione profecerit, non jam quod ipse, sed id quod sub ipso est contemplatur.

(748) Templi nomine corpus Christi designatur, sicut ipsius Christi voce Judæis dicitur: *Solvite templum hoc, et ego in tribus diebus excitabo illud* (*Joan.* II, 19). Ex qua templi resolutione, id est corporis destructione quantus fructus processerit, *Bene Samson in semetipso dudum figuraliter expressit, qui paucos quidem, dum viveret, interemit, destructo autem templo, hostes innumeros, cum moreretur, occidit* (*Judic.* XVI). Quia nimirum Dominus ab elatione superbiæ paucos cum viveret, plures vero, cum templum sui corporis solveretur, exstinxit, atque electos ex gentibus quos vivendo sustinuit, simul omnes moriendo prostravit. Pauci quippe ex plebe Israelitica ipso prædicante crediderunt, innumeri vero populi gentium, viam vitæ illo moriente secuti sunt. Superbos namque dum adhuc passibilis viveret pertulit, a passibili vero vita mortuus stravit.

562 (748*) Templi nomine fidelis populus designatur, sicut per Ezechielem dicitur: *Et altare ante faciem templi* (*Ezech.* XL, 41). Quid enim est templum nisi fidelis populus, sicut per Paulum apostolum discipulis dicitur: *Templum enim Dei sanctum est quod estis vos* (*I Cor.* III, 17)? Et quid est altare Dei, nisi mens bene viventium? Qui peccatorum suorum memores lacrymis se lavant, carnem per abstinentiam macerant, nullis se mundi hujus actionibus miscent, quæ habent indigentibus tribuunt, et habere quæ non habent non concupiscunt. Recte ergo horum cor altare Dei dicitur, ubi ex mœrore compunctionis ignis ardet et caro consumitur. Nunquid non tales quotidie in sancto hoc fideli populo quasi in templi atrio videmus? Nunquid non nobis eorum vitam ad exemplum propositam indesinenter aspicimus? Altare ergo ante faciem templi est, cum multi in sanctæ Ecclesiæ conspectu sunt positi, qui æterni judicii semetipsos quotidie Deo sacrificium in lamento compunctionis mactant. Qui, ut prædictum est, corporea castigant quatenus hoc quod per magistrum gentium dicitur, impleant: *Ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem* (*Rom.* XII, 1). Hostia quippe occiditur, ut offeratur. Sed hostia vivens est, Domino corpus afflictum. Quod et hostia dicitur, et vivens, quia vivunt in virtutibus, et est a vitiis occisum. Hostia videlicet, quia jam huic mundo a pravis actibus mortuum; vivens autem quia cuncta, quæ prævalet, bona operatur.

563 CAPUT IX.

DE FUNDAMENTO.

In Scriptura sacra cum fundamentum singulariter ponitur, aliquando ipse Dominus, aliquando fideles intelliguntur. Cum vero pluraliter fundamenta dicuntur sancti apostoli designantur.

(749) Fundamenti nomine ipse Dominus designatur, per cujus potentiam divinitatis, infirmitatis nostræ corda solidantur, sicut Paulus ait: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est quod est Christus Jesus* (*I Cor.* III, 11). Ipse quippe fundamentum est fundamentorum, quia et origo est inchoantium, et constantia robustorum.

(749*) Fundamenti nomine fides designatur, sicut per Prophetam dicitur, qui sub Jerusalem specie inimicorum destruentium verba memorat dicens: *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea* (*Psal.* CXXXVI, 7). Inimici namque destruentes usque ad fundamentum Jerusalem exinaniunt, quando perversi spiritus a corde fidelium destructo prius ædificio boni operis, soliditatem quoque exhauriunt religionis. Sicut enim supra fundamentum fabrica, sic super fidem opera construuntur. Usque ad fundamentum ergo exinanivisse, est everso bene vivendi opere etiam robur fidei dissipasse.

(750) Fundamentorum nomine sancti apostoli designantur, sicut voce Dominica ad beatum Job dicitur: *Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ?* (*Job* XXVIII, 4.) Quid enim terræ nomine nisi sancta Ecclesia designatur? Quid vero aliud per fundamenta quam prædicatores accipimus? Quos dum primos Dominus **564** in sancta Ecclesia posuit, tota in eis sequentis fabricæ structura surrexit: *Unde et sacerdos cum tabernaculum ingreditur, duo-*

(748) Ex l. XXIX in Job, c. VII.
(748*) Ex ho. XXII in Ezech.
(749) Ex l. XXVIII, in Job, c. VI, 9.
(749*) Ex. l. XXV, in Job, c. X, 15.
(750) Ex l. XXVIII, in Job, c. VI, 9.

Digitized by Google

decimlapides portare in pectore jubetur (*Exod.* xxviii, 9), quia videlicet semetipsum pro nobis sacrificium offerens pontifex noster, dum fortes in ipso exordio prædicatores exhibuit, duodecim lapides sub capite in prima sui corporis parte portavit. Sancti itaque apostoli et pro prima ostensione ornamenti lapides sunt in pectore, et pro prima soliditate ædificii in solo fundamenta. Unde et David propheta cum sanctam Ecclesiam in sublimibus apostolorum mentibus poni ædificarique conspiceret, dixit : *Fundamenta ejus in montibus sanctis* (*Psal.* lxxxvi, 1). Quia igitur fundamenta nostra sunt hi qui iniquitatum nostrarum pondera portaverunt, ne beatus Job in superbiam de virtutum suarum potentia sublevetur, in ipsa Dominici prima parte sermonis de sanctorum prædicatorum commemoratione discutitur, ut quanto illos admirabiles venire conspiceret, tanto in eorum comparatione de se vilius æstimaret. Quod idcirco a Domino quasi jam præteritum describitur, quia quidquid foris futurum est in opere, intus jam factum est in prædestinatione. Dicitur itaque ei : *Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ?* Ac si aperte diceretur : Virtutem fortium considera, meque eorum ante sæcula auctorem pensa. Ecce eos quos in tempore condidi, mirabiles suspicies, perpende quantum mihi subdi debeas, quem auctorem mirabilium sive temporum esse cognoscis.

CAPUT X.

DE PARIETE.

In Scriptura sacra parietis nomine, aliquando humanitatis natura, aliquando peccati duritia designatur.

(750*) Parietis nomine humanitatis natura designatur, sicut sancta Ecclesia sub sponsæ voce sponsum aperte jam videre desiderans, ait : *En ipse* **565** *stat post parietem nostrum* (*Cant* II, 9) ; qui enim humanis oculis hoc quod de humana natura assumpsit, ostendit, et in seipso invisibilis permansit, in aperto se videre quærentibus quasi post parietem stetit, quia videndum se manifesta majestate non præbuit. Quasi enim post parietem stetit, qui humanitatis naturam quam assumpsit, ostendit, et divinitatis naturam humanis oculis occultavit. Unde illic subditur : *Respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos* (*ibid.*) ; quisquis enim per fenestras vel cancellos respicit, nec totus latet, nec totus videtur, sic nimirum Redemptor noster ante dubitantium oculos factus est, quia si miracula faciens, nil pertulisset ut homo, plane eis apparuisset Deus ; et rursum humana patiens, si nulla fecisset ut Deus, purus putaretur homo. Sed quia et divina fecit, et humana pertulit, quasi per fenestras vel cancellos ad homines prospexit, ut Deus et appareret ex miraculis, et lateret ex passionibus, et homo cerneretur ex passionibus, sed tamen ultra nominem ex miraculis agnosceretur.

(751) Parietis nomine peccati duritia designatur, sicut scriptum est : *Ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum* (*Ezech.* xiii, 10). Quid enim parietis nomine nisi peccati duritia intelligitur? Ædificare ergo parietem, est contra se quempiam obstacula peccati construere. Sed parietem liniunt, qui peccata perpetrantibus adulantur ut quod illi perverse agentes ædificant, isti adulantes quasi nitidum reddunt.

566 CAPUT XI.

DE PORTA.

In Scriptura sacra cum porta singulariter ponitur, aliquando Christus, aliquando prædicator sanctus, aliquando Scripturæ sacræ scientia, aliquando fides, aliquando dies judicii, aliquando actio, aliquando exitus ab hac vita signatur. Cum vero pluraliter portæ dicuntur, aliquando exitus ab hac vita, aliquando sancti doctores, aliquando iniqui doctores, aliquando actiones bonæ seu actiones pravæ, aliquando potestates adversæ, aliquando cogitationes pravæ intelliguntur.

(751*) Portæ nomine Christus designatur, sicut per Eliphaz de filiis Judaici populi, id est pravis ejus sequacibus dicitur : *Et conterentur in porta, et non erit qui eripiat* (*Job* v, 4). Quis enim alius portæ nomine nisi Mediator Dei et hominum debet intelligi ? Qui ait : *Ego sum ostium, per me si quis introierit salvabitur* (*Joan.* x, 9). Filii igitur hujus stulti extra portam proficiunt et in porta conterun-tur, quia pravæ Judæorum soboles ante Mediatoris adventum in legis observatione floruerunt ; sed in ipsa Redemptoris nostri præsentia a Divinitatis obsequio perfidiæ suæ meritis repulsi ceciderunt. Quos nimirum non est qui eripiat, qui scilicet dum ipsum Redemptorem exstinguere persequendo conati sunt, oblatæ sibi remedium ereptionis absconderunt.

567 (752) Potest portæ nomine unusquisque prædicator intelligi : quia quisquis januam regni cœlestis ore suo aperit, porta est : *Unde duodecim portæ vel in Joannis Apocalypsi, vel in extrema Ezechielis prophetæ visione describuntur* (*Apoc.* xxi).

(752*) Potest etiam nomine portæ Scriptura sacra non inconvenienter intelligi, quæ dum nobis intellectum aperit, cœlestis regni januam pandit.

(753) Possumus portæ nomine etiam fidem accipere, quam primam contingimus, ut ad virtutum ædificia intremus.

(753*) Portæ nomine dies judicii designatur sicut superius per Eliphaz dicitur : *Et conterentur in porta, et non erit qui eripiat* (*Job* v, 4). Nam sicut urbis aditus porta dicitur, ita est dies judicii porta regni, quia per eum ab electis omnibus ad cœlestis patriæ gloriam intramus. Filii ergo hujus stulti ante portam elati sunt, sed in porta conterentur, quia amatores hujus sæculi in præsenti vita superbiunt, sed

(750*) Ex ho. 13, in Ezech. post. med.
(751) Ex l. xviii, in Job, c. iv, 13.
(751*) Ex l. vi, in Job, c. ii.
(752) Ex ho. 15, in Ezech. post initium.
(752*) Ibidem.
(753) Ibidem.
(753*) Ex l. vi in Job, c. v.

Digitized by Google

in ipso regni aditu æterna animadversione feriuntur. Bene autem subditur : *Et non erit qui eripiat.* Illos quippe veritas ab æterna adversitate eripuit, quos in temporalibus prosperis per disciplinam premit. Qui autem nunc renuit premi, tunc non valet eripi, quia iniqui eum quem per disciplinam habere negligunt, patrem, afflictionis suæ tempore per adjutorium non inveniunt ereptorem.

Portæ nomine bona actio designatur, sicut per beatum Job in persona Ecclesiæ dicitur : *Quando procedebam ad portam civitatis, et in platea parabant cathedram mihi* (*Job* XXIX, 7). Require in capitulo De platea, lib. VI, cap. 11, dist. 1.

(754) Portæ nomine exitus ab hac vita designatur, sicut per Ezechielem de viro qui ei apparuit dicitur : *Stabat autem in porta* (*Ezech.* XL, 5). Quisquis in porta stat, ex quadam parte intus est, ex quadam parte foris, quia aliud ejus foris aspicitur, aliud intus absconditur. **568** Redemptor itaque noster qui per eumdem virum intelligitur, pro nobis misericorditer incarnatus, ante humanos oculos quasi in porta stetit, quia et per humanitatem visibilis apparuit, et sese invisibilem per divinitatem servavit.

Vir itaque qui apparuit in porta stetit, atque ita locutus est, quia Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus in ipso quoque passionis suæ tempore præcepta vitæ discipulis dedit, ut hi qui in eum credunt, ad portam respiciant et passionem ejus sollicita consideratione pensantes, a suo quoque exitu, cordis oculos non avertant. Nos quoque cum jam claustra carnis despicere, mortalitatis nostræ angustias per immortalitatis desiderium transire, ad supernæ lucis libertatem tendere, ad cœlestis patriæ gaudia anhelare cœperimus, ad portam oculos tenemus, quia dum a sacramentis temporalibus transire ad æterna cupimus, quasi jam præsenti vitæ terga dedimus, et cordis faciem in desiderio nostri exitus habemus. Scriptum quippe est : *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15). Etsi igitur per contemplationem mentem jam extra carnis angustias tendimus; adhuc tamen in sacramentis quæ cognovimus, ipsa carnali angustia, intra portam tenemur. Sæpe namque animus ita in divina contemplatione suspenditur, ut jam se percipere de illa æterna libertate, quam oculus non vidit, nec auris audivit, aliquid per quamdam imaginem lætetur. Sed tamen reverberatus pondere mortalitatis ad ima relabitur, quibusdam pœnæ suæ vinculis ligatus tenetur. Portæ igitur intendit, qui veræ libertatis suæ gaudia conspicit, jamque exire concupiscit.

Portarum nomine sancti doctores designantur, sicut venienti Ecclesiæ per prophetam Dominus pollicetur dicens : *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris : Et ponam jaspidem propugnacula tua, et portas in lapides sculptos* (*Isa.* LIV, 12). Require in capitulo de lapidibus, lib. X, cap. 2, dist. 6.

(754*) Portarum nomine iniqui doctores designantur, sicut voce Dominica ad beatum Job de diabolo **569** sub nomine Leviathan interrogando dicitur : *Portas vultus ejus quis aperiet* (*Job* XLI, 5). Portæ quippe ejus sunt iniqui doctores. Qui idcirco portæ vultus ejus vocati sunt, quia per ipsos quisque ingreditur, ut Leviathan iste, id est diabolus quasi in potestatis suæ principatu videatur. Sicut enim Scriptura sacra sanctos viros portas Sion vocare consuevit, Sion quippe speculatio interpretatur, et non immerito prædicatores sanctos portas Sion dicimus, quia per eorum vitam atque doctrinam abscondita supernæ contemplationis intramus : ita etiam per portas Leviathan istius errorum magistri signantur, quorum dum prædicatio perversa recipitur, miseris auditoribus via perditionis aperitur. Ait ergo : *Portas vultus ejus quis aperiet?* Subaudis, nisi ego qui electis meis magistros errorum sub specie sanctitatis absconditos perspicua cognitione manifesto.

(755) Portarum nomine actiones bonæ seu pravæ designantur sicut per Psalmistam dicitur : *Quiexaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion* (*Psal.* IX, 14). Portæ quippe mortis sunt actiones pravæ, quæ ad interitum trahunt. Quia autem Sion speculatio dicitur, portas Sion actiones bonas accipimus, per quas supernam patriam ingredimur, ut regis nostri gloriam contemplemur.

(755*) Portarum nomine potestates adversæ designantur, sicut voce Dominica sub interrogatione beato Job dicitur : *Nunquid apertæ sunt tibi portæ mortis?* (*Job* XXXVIII, 18.) Portæ quippe mortis sunt potestates adversæ, quas descendens Dominus aperuit, quia earum fortitudinem moriendo superavit.

(756) Possunt autem portarum nomine cogitationes pravæ intelligi, quas Deo pandimus quando eas in pœnitentia flendo confitemur. Quas etiam non confessas intuetur, sed confessas ingreditur. Tunc quippe viam sibi in portis mortis aperit, quando solutis pravis cogitationibus ad nos post confessionem venit. Quæ portæ mortis idcirco vocatæ sunt, quia profecto via ad interitum per iniquas semper cogitationes aperitur.

570 CAPUT XII

DE LIMINE.

In Scriptura sacra liminis nomine aliquando patres testamenti novi, aliquando Scriptura sacra, aliquando unusquisque.

(756*) Liminis nomine Patres Testamenti Novi designantur, sicut per Ezechielem dicitur : *Et mensus est limen portæ juxta vestibulum portæ intrinsecus calamo uno* (*Ezech.* XL, 8). Dum enim limen quod modo describitur, juxta vestibulum portæ intrinsecus esse memoratur, aperte ostenditur, quia limen quod prius scriptum est, extrinsecus fuit. Sed si

(754) Ex ho. 13 in Ezech. post med.
(754*) Ex l. XXXIII in Job, c. XXIII, 29.
(755) Ex l. XIX in Job, c. XI, 13.
(755*) Ex l. XXIX in Job, c. VII, 6.
(756) Ex l. sup. c. VIII.
(756*) Ex ho. 14 in Ezech.

Digitized by Google

porta est Dominus, quod sit limen portæ intrinsecus et quod extrinsecus, requiramus. Per limen etenim portam unusquisque ingreditur : et quæ hæc duo limina nisi Patres testamenti veteris et Patres testamenti novi sunt? Non solum quippe hi, de quibus Dominus incarnari dignatus est, sed omnes testamenti veteris Patres portæ hujus limen fuerunt, quia hi qui eum prædicare et in eo sperare meruerunt, cunctis ad eum venientibus aperuerunt aditum fidei, ut omnis qui crediderit Dominum, jam portam hujus liminis intraret. Sed cur ante limen exterius, et post limen interius dicitur, nisi quia prius testamenti Veteris Patres, et postmodum testamenti novi doctores fuerunt? Recte autem limen exterius testamenti veteris Patres designat, quia per eorum prædicationem opera perversa punita sunt. Per dicta vero novorum Patrum uniuscujusque animus etiam ab illicitis cogitationibus coercetur, dum reatus esse perfectus et in deliberatione cordis ostenditur. Illi quippe a flagitiis, a crudelitatibus, a rapinis auditorum animas prohibere curaverunt. Isti vero dum non solum perversa opera, sed etiam illicita cogitationum resecant, quid **571** nobis aliud nisi limen intrinsecus facti sunt? Unde et ipsa Veritas loquitur dicens : *Audistis quia dictum est antiquis, Non occides : Qui autem occiderit reus erit judicii. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit judicio* (*Matth.* v, 21). Recte quoque exterius limen illos Patres designat, qui ab ipsa incarnatione Redemptoris nostri per intervalla temporum longius constiterunt; et quidem ab Abel passio jam cœpit Ecclesiæ : et una est Ecclesia electorum præcedentium atque sequentium. Sed tamen quia discipulis dicitur : *Multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt* (*Luc.* x, 14), antiquis Patribus quasi foris stetisse, est Redemptoris nostri præsentiam, corporaliter non vidisse. Exterius igitur, sed tamen non divisi a sancta Ecclesia fuerunt, quia mente, opere, prædicatione ista jam fidei sacramenta tenuerunt, istam sanctæ Ecclesiæ celsitudinem conspexerunt, quam nos adhuc præstolando, sed jam habendo conspicimus.

(757) Si vero portam per Scripturam sacram hoc in loco accipimus, ipsa quoque duo limina habet interius et exterius. quia in littera dividitur, et allegoria. Quia enim per litteram ad allegoriam tendimus, quasi a limine quod est exterius ad hoc quod est interius venimus. Et sunt in ea permulta quæ juxta litteram mentem ædificant, ut per hoc quod interius agitur, audientis animus interius trahitur. Ibi quippe invenimus prædicamenta operis, et exempla virtutis : ibi jubetur quid agere etiam corporaliter debemus. Ibi hoc quod ad operandum præcipitur, ut sanctorum ac fortium virorum actione monstratur, ut postquam nos apertiora præcepta atque exempla justorum ad bonam operationem instruunt, tunc ad limen interius, id est intellectum mysticum intimæ contemplationis tendamus, si possumus, pedem mentis. Notandum vero quod limen portæ uno calamo mensuratur. Calamus autem in sex cubitis et palmo tenditur, quia videlicet in sacra Scriptura doctrina perfectæ operationis, et initium supernæ contemplationis invenitur

572 (758) Si vero porta hoc loco unusquisque prædicator accipitur, limen exterius in porta est vita activa, limen autem interius vita contemplativa. Per illam quippe ambulatur in fide, per hanc vero festinatur ad speciem. Illa exterius ducit, ut unusquisque bene vivere debeat : ista interius perducit ut ex bona vita ad gaudia æterna pertingatur.

CAPUT XIII.

DE SUPERLIMINE.

(759) Superliminaris nomine mentis intentio, quæ præeminet actioni, designatur, sicut per Moysen de agni comestione dicitur : *Sumet de sanguine agni, et ponent super utrumque postem, et in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum* (*Exod.* XII, 7). Quis namque sit sanguis agni, non jam audiendo sed bibendo didicimus. Qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. In utroque enim poste agni sanguis est positus, quando sacramentum passionis illius, cum ore ad redemptionem sumitur, ad imitationem quoque intenta mente cogitatur. Nam qui sic Redemptoris sui sanguinem accipit, ut imitari passionem illius, nec dum velit, in uno tamen poste sanguinem posuit, qui etiam superliminaribus domorum ponendus est. Quid enim spiritaliter domos nisi mentes nostras accipimus, in quibus per cogitationem inhabitamus? Cujus domus superliminare, est ipsa intentio quæ præeminet actioni. Qui igitur intentionem cogitationis suæ ad imitationem Dominicæ passionis dirigit, in superliminari domus agni sanguinem ponit; vel certe domus nostræ ipsa sunt corpora, in quibus quousque vivimus habitamus; et in superliminari domus agni sanguinem ponimus, quia crucem passionis illius in fronte portamus.

573 CAPUT XIV.

DE OSTIO.

In Scriptura sacra ostii nomine, cum singulariter ponitur, aliquando Christus, aliquando fides seu visio Dei, aliquando initium cognitionis divinæ, aliquando intellectus, aliquando exitus designatur. Cum vero pluraliter ostia dicuntur, aliquando desideria carnalis concupiscentiæ, aliquando sancti prædicatores, aliquando claustra divini timoris, aliquando virtutes intelliguntur.

Ostii nomine Christus designatur, sicut ipse in Evangelio testatur dicens : *Ego sum ostium, per me si quis introierit salvabitur* (*Joh* x, 1).

Ostii nomine fides seu visio Dei designatur, sicut per Ezechielem de viro qui ei apparuit dicitur : *Et mensus est ostium contra ostium* (*Ezech.* XL, 13).

(757) Ex ho. sup.
(758) Ex fine ho. super.
(759) Ex ho. 22 in Evang. circiter medium.

Digitized by Google

Hoc loco, contra, non ad adversitatem ponitur, sed ad rectitudinem. Ostium enim contra ostium est, cum recto itinere ab exteriori ad interiorem aditum pervenitur. In cognitione vero omnipotentis Dei primum ostium nostrum fides est, secundum vero species illius ad quam per fidem ambulando pervenimus. In hac etenim vita hanc ingredimur, ut ad illam postmodum perducamur : ostium ergo contra ostium est, quia per aditum fidei aperitur aditus visionis Dei.

(760) Ostii nomine initium cognitionis divinæ designatur, sicut sacræ historiæ verbis ostenditur, cum de cognitione Dei propheta Elias edocetur, **574** cui cum transiturum ante eum se Dominus promitteret dicens : *Ecce Dominus transit, spiritus grandis et fortis subvertens montes, conterens petras ante Dominum*, illico adjunxit : *Non in spiritu Dominus. Et post spiritum commotio, non in commotione Dominus. Et post commotionem, ignis, non in igne Dominus. Et post ignem sibilus auræ lenis* (*III Reg.* XIX, 11). Spiritus quippe ante Dominum evertit montes, et petras conterit, quia pavor qui ex adventu ejus irruit, et altitudinem cordis nostri dejicit, et duritiam liquefacit. Sed spiritui commotionis et ignis non inesse Dominus dicitur, esse vero in sibilo auræ tenuis non negatur, quia nimirum mens cum in contemplationis sublimitate suspenditur, quidquid perfecte conspicere prævalet, Deus non est; cum vero subtile aliquid conspicit, hoc est quod de incomprehensibili substantia æternitatis audit; quasi enim sibilum tenuis auræ percipimus, cum saporem incircumscriptæ veritatis contemplatione subita subtiliter degustamus. Tunc ergo verum est quod de Deo cognoscimus, cum plene nos aliquid de illo cognoscere non posse sentimus. Unde bene illic subditur : *Quod cum audisset Elias, operuit vultum suum pallio, et ingressus stetit in ostio speluncæ* (*III Reg.* XIX, 13). Post auræ tenuis sibilum vultum suum propheta pallio operuit, quia in ipsa subtilissima contemplatione veritatis, quanta ignorantia homo contegatur, agnoscit. Vultui namque pallium superducere, est ne altiora mens quærere audeat, hanc ex consideratione propriæ infirmitatis velare, ut nequaquam intelligentiæ oculos ultra se præcipitanter aperiat, sed ad hoc quod apprehendere non valet, reverenter claudat. Qui hæc agens in speluncæ ostio stetisse describitur. Quid namque spelunca nostra est nisi hæc corruptionis habitatio, in qua adhuc ex vetustate retinemur? Sed cum aliquid percipere de cognitione Divinitatis incipimus, quasi jam in speluncæ nostræ ostio stamus. Quia enim pregredi perfecte non possumus, cogitationem tamen veritatis inhiantes, jam aliquid de libertatis aura captamus. In ingressu ergo speluncæ stare, est represso nostræ corruptionis obstaculo ad cognitionem veritatis incipere exire.

575 (761) Ostii nomen intellectum designat, sicut per Ezechielem dicitur : *Et per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum* (*Ezech.* XL, 38). Gazophylacia sunt corda doctorum quæ scientiæ divitias servant. Frontes autem portarum sunt verba atque opera prædicatorum, in quibus eos foris agnoscimus, quales apud se intrinsecus vivant. Est autem ostium per singula gazophylacia in frontibus portarum in quos unusquisque doctoris corde auditoris intellectum aperit in dictis operibus Patrum. Cum enim Petri apostoli prædicationem discutimus, cum Pauli verba perscrutamur, cum Joannis Evangelium investigamus, atque ex eorum verbis auditores nostros ad interiorem intellectum trahimus, quid aliud agimus, nisi ostium in portarum frontibus aperimus? Dicatur ergo : *per singula gazophylacia*. Ostium in frontibus portarum, quia si doctor hoc quod loquitur apostolorum dictis minime confirmat, in frontibus portarum ostium non habet. Et si ostium non habet, dici jam gazophylacium spiritalis ædificii non potest : quem si intellectum non aperit, doctor non est.

Ostii nomine exitus designatur, sicut scriptum est : *Cum egredietur Moyses ad tabernaculum, surgebat universa plebs, aspiciebat terga ejus, et stabat unusquisque in ostio papilionis sui* (*Exod.* XXXIII, 8). Cum enim sanctus quisque prædicator alta de Deo loquitur, supernæ habitationis jam utcunque tabernaculum ingreditur. Cujus prædicationis infirmi quique etsi virtutem plene pensare non possunt, tamen velut terga aspiciunt : quem postrema, quæ prævalent per intellectum sequuntur. Sed in ipsis quoque minimis quæ capere sufficiunt, jam de suis papilionibus quasi exeunt atque in ostiis stant; qui et habitacula carnis relinquere, et ad illa æternæ vitæ gaudia quæ audiunt, progredi conantur (*Isa.* XXVI).

Ostiorum nomine desideria carnalis concupiscentiæ intelliguntur, de quibus per prophetam dicitur : **576** *Intra in cubicula tua, claude ostia tua* (*Isa.* XXVI, 26). Cubicula quippe ingredimur, cum secreta nostræ mentis intramus. Ostia autem claudimus cum desideria illicita coercemus.

(762) Ostiorum nomine sancti prædicatores designantur, sicut voce Dominica ad beatum Job dicitur : *Quis conclusit ostiis mare quando erumpebat quasi de vulva procedens?* (*Job* XXXVIII, 8.) Quid enim mare nisi sæculum, quid vulvam nisi conceptum carnalis cogitationis accipimus? Hoc enim loco vulvæ nomine occulta et malitiosa carnalium cogitatio designatur. Quæ videlicet vulva non ad proferendam prolem concipit substantiam corporis, sed ad explendam nequitiam causam doloris. De hac vulva cordis iniquorum alias dicitur : *Concepit dolorem, et peperit iniquitatem* (*Psal.* VII, 15). Per hanc vulvam pravi quam concipiunt pariunt, cum mala cogitant. Per hanc vulvam, cum mala quæ cogitaverint, operantur. Erumpebat ergo mare quasi de vulva proce-

(760) Ex l. v in Job, c. XXVI.
(761) Ex homil. 20 in Ezech. circiter medium.
(762) Ex lib. XXVIII in Job, cap. 8, 15.

Digitized by Google

dens, cum miseriarum sæcularium fructus de carnali iniquitate concepti, in sanctæ Ecclesiæ interitum sævirent. Sed auctore Deo ostiis hoc mare conclusum est, quia contra tumores persequentium sancti viri quasi quædam ostia opposita sunt, ut eorum miraculis atque reverentia iræ persequentium frangerentur. Humilitatis quippe Dominus terrenis principalibus, per eos sanctam Ecclesiam supra mundi culmen erexit, et sævientes maris impetus erecta ejusdem Ecclesiæ potestate coercuit. (763) Quia enim sancti doctores prædicatione quidem sequentibus aperti sunt, auctoritate autem sua resistentibus clausi non immerito ostia vocantur, id est aperta conversationi humilium, et clausa terroribus superborum. Non immerito ostia vocantur, quia et ingressum regni fidelibus aperiunt, et rursum sese perfidis, ne ingrediantur, opponunt.

Ostiorum nomine claustra divini timoris designantur, sicut per beatum Job dicitur : *Quis concludit ostiis mare?* (*Job* XXXVIII, 8.) Require in cap. De mari, lib. VII, c. 3, d. 5.

Ostiorum nomine virtutes designantur, ut Job insinuat dicens : *Et posui ostia et vectes, et dixi : Huc usque venies et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos* (*Job* XXXVIII, 10, 11). Require in capitulo De fluctibus, lib. VII, cap. 15, dist. 1.

577 CAPUT XV.

DE FENESTRIS.

In Scriptura sacra fenestrarum nomine, aliquando prælati sanctæ Ecclesiæ, aliquando sensus corporis, aliquando mentes contemplativæ designantur.

(764) Fenestrarum nomine prælati sanctæ Ecclesiæ designantur, sicut propheta revelatione ultima templum videns, quæ in eodem templo conspexerit, inter cætera narrat dicens : *Terra usque ad fenestras, et fenestræ clausæ* (*Ezech.* XLI, 16). Paulus quippe apostolus dicit : *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (*1 Cor.* III, 17). In hoc autem templo fenestræ sacerdotes et speculatores sunt qui in populo fideli lumen prædicationis fundunt. Sed cum terra usque ad fenestras est, fenestræ clausæ sunt, quia cum terrena cogitatio in sacerdotum cordibus excrescit, fenestræ lumen non fundunt, quia sacerdotes ab officio prædicationis obmutescunt.

(765) Fenestrarum nomine sensus corporis designantur, sicut per Jeremiam prophetam dicitur : *Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras* (*Jerem.* IX, 21). Cum sit invisibilis anima, nequaquam corporearum rerum delectatione tangitur, nisi quod inhærens corpori, quædam egrediendi foramina ejusdem corporis sensus habet. Visus quippe, auditus, gustus, odoratus et tactus quasi quædam viæ mentis sunt, quibus foras veniat, et eorum quæ extrinsecus sunt substantiam concu-

(765) Ex cap. 9, lib. super 16.
(764) Ex fine homil. 11 in Ezech.

piscat. Per hos etenim corporis sensus quasi per fenestras quasdam, exteriora quæque anima respicit ; respiciens concupiscit. Bene ergo dicitur : *Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras.* Mors quippe per fenestras ascendit, et domos ingreditur, cum per sensus corporis concupiscentia veniens, habitaculum mentis intrat. Quo contra de justis per Isaiam dicitur : *Qui sunt hi qui ut nubes volant : et quasi columbæ ad fenestras ?* (*Isai.* LX, 8.) Vide l. I, c. 12, dist. 6.

578 (766) Fenestrarum nomine mentes contemplativæ designantur, sicut per Ezechielem dicitur : *Et fecit fenestras obliquas in thalamis : et in frontibus eorum quæ erant intra portam undique per circuitum* (*Ezech.* XL, 16). Per thalamos quippe intelliguntur corda Dei amore ferventia. In fenestris autem obliquis pars illa per quam lumen intrat, angusta est ; secundum pars interior quæ lumen suscipit, lata. Quia nimirum mentes contemplantium, quamvis aliquid tenuiter de vero lumine videant in semetipsis, tamen magna amplitudine dilatantur. Quæ videlicet et ipsa quæ aspiciunt capere pauca vix possunt. Exiguum valde est quod de æternitate contemplantes vident, sed ex ipso exiguo laxatur sinus mentium in augmento fervoris et amoris. Et inde apud se amplæ sunt, unde ad severitatis virtutis lumen quasi per angustias admittunt. Quæ magnitudo contemplationis, quia concedi non nisi amantibus potest, in thalamis fenestræ obliquæ esse memorantur, vel in his quæ juxta thalamos non jam extrinsecus, secundum intrinsecus esse dicuntur. Nam de eisdem fenestris subditur : *Et in frontibus eorum quæ erant intra portam undique per circuitum.* Erant enim in thalamis fenestræ, erant et in frontibus eorum, quæ intra portam undique per circuitum fuerant constructæ ; quia qui intus cor habet ipse quoque lumen contemplationis suscipit, hæc paulo inferius. Notandum vero quod intra portam undique per circuitum fenestræ obliquæ esse memorantur. Non enim contemplationis gratia summis datur, et minimis non datur ; secundum sæpe hanc summi, sæpe minimi, sæpe remoti, aliquando eam conjugati percipiunt. Si ergo nullum est fidelium officium, a quo possit gratia contemplationis excludi, quisquis cor intus habet illustrari etiam lumine contemplationis potest : quem intra portam undique per circuitum fenestræ obliquæ constructæ sunt, ut nemo ex hac gratia quasi de singularitate glorietur. Nullus igitur se donum veri luminis æstimet habere privatum, quia in eo quod se habere præcipuum putat, sæpe alter est ditior quem habere apud se boni aliquid non putat.

579 CAPUT XVI.

DE COLUMNIS.

In Scriptura sacra columnarum nomine, aliquando quælibet contra diaboli tentamenta fortis, aliquando

(765) Ex lib. XXI in Job, cap. 2 in initio.
(766) Ex lib. II in Ezech., hom. 17.

Digitized by Google

angelicæ virtutes, aliquando summi Ecclesiæ prædicatores, aliquando evangelistæ designantur.

(767) Columnæ nomine quilibet contra diaboli tentamenta fortis designatur, sicut in Apocalypsi a Domino dicitur : *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei* (*Apoc.* III, 12). Nam quisquis in Dei opere recta intentione firmatur, columna in structura fabricæ spiritalis erigitur : ut in hoc templo, quod est Ecclesia, positus, et utilitati sit, et decori.

(768) Columnarum nomine virtutes, vel summi Ecclesiæ prædicatores designantur, sicut per Job dicitur : *Columnæ cœli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus* (*Job* XXVI, 11). Quid enim aliud columnas quam cœli vel sacrosanctos angelos vel summos Ecclesiæ prædicatores appellat super quos in cœlestibus crescens universa spiritalis fabricæ structura surrexit? Eos quippe columnas cœli Job nominat quos Apostolus columnas Ecclesiæ vocat, dicens : *Petrus et Jacobus, et Joannes qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi* (*Galat.* II, 9). (769) Sed quantalibet scientia excrescat, penetrare non sufficit quo nos Conditor moderamine judiciorum regit. Dicat ergo : *Columnæ cœli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus :* quem in plerisque nec ipsi pertingere ad voluntatis ejus celsitudinem prævalent, qui ejusdem voluntatis præmia denuntiantes vident. Quod sicut superius diximus, de sanctis quoque angelis nil obstat intelligi, quia ipsæ quidem virtutes cœlestium, quæ hunc sine cessatione conspiciunt, in ipsa sua contemplatione contremiscunt. Sed eisdem tremor ne oculis sit, non timoris est, sed admirationis.

580 (770) Columnarum nomine evangelistæ designantur, sicut ad Moysen voce Dominica dicitur : *Facies columnas quatuor, et bases earum vestes argento* (*Exod.* II, 13). In argento enim quid aliud quam claritas divini sermonis accipitur? sicut scriptum est : *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum* (*Psal.* XI, 7). Et quid aliud bases nisi sanctæ Ecclesiæ doctrinæ intelligimus? Bases ergo argento vestitæ quatuor columnas tabernaculi sustinent, quia prædicatores Ecclesiæ divino eloquio decorati, ut cunctis se exemplum præbeant, quatuor evangelistarum dicta et ore et operibus portant.

CAPUT XVII.

DE BASIBUS.

In Scriptura sacra basium nomine, aliquando sanctæ Ecclesiæ doctores, aliquando prophetæ, aliquando intentiones animæ intelliguntur.

(771) Basium nomine sanctæ Ecclesiæ doctores designantur, sicut ad beatum Job voce Dominica de sanctæ Ecclesiæ constructione dicitur : *Super quos bases illius solidatæ sunt* (*Job* XXXVIII, 5). Quid enim aliud per bases, quam sanctæ Ecclesiæ doctores accipimus? In basibus quippe columnæ, in columnis autem totius fabricæ pondus erigitur. Non ergo immerito doctores sancti basium nomine designantur, quia dum recte prædicant et prædicationi suæ vivendo concordant, omne pondus Ecclesiæ fixa morum suorum gravitate sustentant, asperas ab infidelibus tentationes ferunt, et quæ in præceptis Dei velut difficilia a fidelibus formidantur, exemplis operum facilia ostendunt.

Possunt per bases etiam prophetæ signari : qui dum primi aperte de Dominica incarnatione locuti **581** sunt, quasi quasdam bases eos conspicimus a fundamento surgere, et superpositæ fabricæ pondera sustinere. Unde ad Moysen Dominus rursum, cum tabernaculi tabulas erigi præcepit, *Fundi earum bases argenteas jubet* (*Exod.* XXVI, 19). Quid enim per tabulas nisi apostoli extensa in mundum prædicatione dilatati ; quid per bases argenteas, nisi prophetæ signantur? qui super impositas tabulas ipsi firmi ac fusiles sustinent. Apostolorum namque vita, dum eorum prædicatione instruitur, eorum et auctoritate solidatur. Nec immerito bases quibus prophetæ signantur, ut ex argento debeant fundi, præcipitur. Argenti quippe claritas ex usu servatur; sine usu autem in nigredinem vertitur. Prophetarum autem dicta ante Mediatoris adventum, quia in usu spiritalis intelligentiæ non erant, dum conspici præ obscuritate non poterant, quasi nigra remanebant. At postquam Mediator veniens ea ante oculos nostros, incarnationis suæ manu tersit, quidquid lucis in eis latebat, inclaruit, sensusque patrum præcedentium in usum dedit, quia verba rebus exposuit. Sive itaque prophetas seu doctores extremis temporibus subsequentes basium appellatione significet, dicat : *Super quo bases illius solidatæ sunt?* (*Job* XXXVIII, 5.) Subaudis, nisi super me qui cuncta mirabiliter teneo, et bonis exterioribus intus principaliter originem præsto? Qui enim sibi tribuit quod bonus est, solida basis non est : quia dum fundamento non innititur, ipso suo pondere in ima præcipitatur.

(772) Possunt quoque per bases moraliter intentiones animæ designari. Vigilanti namque cura per cuncta opera intentio nobis nostra pensanda est : ut nil temporale in his quæ agit appetat, sed totam se in soliditate æternitatis figat : ne si extra fundamentum, actionis nostræ fabrica ponitur, terra dehiscente solvatur. Unde bene dicitur : *Super quo bases illius solidatæ sunt?* Bases quippe uniuscujusque animæ sunt intentiones suæ. Nam sicut fabrica columnis, columnæ autem basibus innituntur, ita in virtutibus vita nostra, virtutes vero in intima intentione subsistunt. Et quia scriptum est : *Fundamentum aliud nemo potest* **582** *ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* (*I Cor.* III, 11). Tunc bases in fundamento sunt,

(767) Ex lib. VII, in Job, c. XVII, 14.
(768) Loco supradicto.
(769) Hæc post medium sun
(770) Ex l. XXVIII, in Job, c. VI, 9.
(771) Paulo ante prædicta.
(772) Ibidem, ante finem cap

Digitized by Google

cum intentiones nostræ in Christo roborantur. Quia igitur intentiones electæ uniuscujusque animæ spei æternitatis innituntur, recte de anima fideli dicitur : *Super quo bases illius solidatæ sunt ?* Ac si aperte diceret : nisi super me, cui dum justa quæque anima intendit omne quod temporaliter facit, in me procul dubio non temporaliter construit.

CAPUT XVIII.

DE THALAMO.

(773) Thalami nomine vel sancta Ecclesia vel quilibet Deum valde amans anima designatur, sicut per Ezechielem dicitur : *Et mensus est thalamum uno calamo in longum, et uno in latum* (*Ezech.* XL, 7). Consideremus quid agi in thalamo soleat, atque exinde hic quod in sancta Ecclesia agitur colligamus. In thalamo quippe sponsus et sponsa fœderantur, sibique in amore junguntur. Thalamus itaque Dei recte dicitur sive sancta Ecclesia, seu perfecta anima, quæ ita per amorem sponso invisibili jungitur, ut ejus desiderio ardeat, nulla jam quæ in mundo sunt concupiscat, præsentis vitæ longitudinem pœnam deputet, exire festinet et amoris amplexu in cœlestis sponsi visione requiescere. Mens ergo quæ jam talis est, nullam præsentis sæculi consolationem recipit, sed ad illa quæ diligit, medullitus suspirat, fervet, anhelat, anxiatur vilis ei fit ipsa salus sui corporis, quia transfixa est vulnere amoris : unde et in Canticis dicit : *Vulnerata charitate ego sum* (*Cant.* II, 4). Pensemus qualiter thalamus Pauli mens fuerat, qui dicebat : *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* (*Philipp.* I, 1). Omnipotenti Deo in quanto amore se conjunxerat, qui sibi vitam Christum tantummodo, et mori lucrum esse deputabat. Hinc est quod iterum dicit : *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo ; multo enim magis melius* (*ibid.*, 23). Sed ecce, qui dissolvi desiderat, quo amore langueat videamus. Qui interim te differri conspicimus, *Fulciri*, quæso, *floribus*, non requiris ? (*Cant.* II, 5.) Quærit plane. Nam sequitur : *Permanere autem in carne* **583** *necessarium propter vos* (*Philipp.* I, 24), et proficientibus discipulis dicit : *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ ? Nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum ?* (*I Thess.* II, 19.) Hinc est quod idem thalamus uno calamo in longum, et uno in latum dicitur mensus. Longitudo quippe ad longanimitatem exspectationis pertinet, et latitudo ad amplitudinem charitatis. Tantum ergo thalamus habet in longitudine quantum in latitudine habere potuerit, quia mens cœlesti desiderio succensa, quantum amorem habuerit ad colligendum proximum tantum, longanimitatem exhibet ad exspectandum Deum, et patienter portat moras longitudinis, quia se in profectu proximi dilatat amplitudo charitatis. Potest etiam ipsa longitudo longanimitatem patientiæ quæ exhibetur proximo, designare. Et quia latitudo charitatem signat, quæ sinum mentis aperit et amicos simul atque inimicos in amorem recipit : tanta est longitudo charitatis, quanta est latitudo thalami, quia quantum mens lata fuerit per amorem, tantum et longa erit per longanimitatem. Nam tantum quisque portat proximum, quantum amat. Si enim amas, portas ; si desistis amare, desistis tolerare.

(774) Thalami nomine uterum virginis Mariæ designatur, sicut de incarnatione Redemptoris nostri per Psalmistam dicitur : *Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo* (*Psal.* XVIII, 6). Tanquam sponsus quippe Redemptor noster de thalamo suo processit qui ad conjungendam sibi Ecclesiam incarnatus de incorrupto utero virginis exivit.

CAPUT XIX.

DE GAZOPHYLACIIS.

(775) Gazophylaciorum nomine corda doctorum designantur, sicut Ezechiel propheta dicit : *Et eduxit me ad atrium exterius, et ecce gazophylacia, et pavimentum stratum lapide in atrio per circuitum* (*Ezech.* XI, 5). Quia sermone Græco φυλάττειν servare dicitur et gazæ lingua Persica divitiæ vocantur, gazophylacium locus appellari solet, in quo divitiæ servantur.

584 Quid itaque sunt gazophylacia ex initio nisi corda doctorum sapientiæ atque scientiæ divitiis plena, quia juxta Pauli vocem : *Alii datur per spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ in eodem spiritu* (*I Cor.* XII, 8). Sunt enim quidam, qui per donum gratiæ, et ipsa intelligunt quæ exponi a doctoribus non audierunt. Hi nimirum sermonem sapientiæ perceperunt. Et sunt quidam, qui per se ipsos intelligere audita nequeunt; sed ea, quæ in expositoribus legerint, retinent, atque scienter proferunt quæ lecta didicerunt. Unde itaque isti nisi sermone scientiæ pleni sunt ? Quamvis hoc intelligi et aliter possit : quia sapientia ad vitam, scientia vero ad doctrinam pertinet. Qui ergo bene vivit et prudenter prædicat gazophylacium spiritalis ædificii recte nominatur, quia ab ejus ore cœlestes divitiæ dispensantur. His divitiis abundare discipulos idem magister gentium viderat, cum dicebat : *Divites facti estis in omni verbo, et in omni scientia* (*I Cor.* I, 5). (776) Qui ergo has in se veras divitias continent, recte gazophylacia nominantur. *Et habent gazophylacia pavimentum per circuitum*, quia eis adhæret ac subjacet humilitas auditorum. Quod pavimentum recte stratum lapide in atrium dicitur : quia in latitudine charitatis vicissim sibi junctæ sunt fideles animæ. Quæ et lapides appellantur pro fortitudine fidei, et structæ sunt in pavimento in compage humilitatis.

(773) Ex ho. 15 in Ezech. longius ante medium.
(774) Ex ho. 38 in Evang. post princi.
(775) Hom. 18 in Ezech.
(776) Paulo post D. Pauli verba hæc sunt.

Digitized by Google

CAPUT XX.

DE VESTIBULO.

In Scriptura sacra vestibuli nomine, aliquando humilitas, aliquando fides designatur.

Vestibuli nomine humilitas designatur, sicut per Ezechielem de porta quæ respiciebat ad aquilonem, dicitur : *Fenestræ autem ejus, et vestibulum, et sculpturæ erant secundum mensuram portæ quæ respiciebat ad orientem* (*Ezech.* XL, 22). Per orientem **585** namque signantur hi, qui in innocentia post conversionem, qua nati sunt, perstiterunt. Per aquilonem vero hi qui in peccatis lapsi sunt, exprimuntur. Per portam quoque regni cœlestis aditus intelligitur. Per fenestras autem contemplatio, per vestibulum humilitas, per sculpturam bona operatio designatur. Porta ergo ad aquilonem ea omnia habere perhibetur, quæ porta ad orientem, fenestras scilicet contemplationis, vestibulum humilitatis, sculpturas bonæ operationis (777). Omnes namque, qui per hoc quod in conversatione nati sunt, in innocentia perstiterunt portam ad orientem habent, quia eis cœlestis regni aditus patet ex lumine, quod acceperunt. Et omnes qui in peccatis postmodum lapsi, corporis sui frigore sunt depressi, sed per pœnitentiam redeunt ad amorem cœlestis patriæ, et recalescunt, portam ad aquilonem habent, quia etiam eis post peccati frigus regni aditus per misericordiam patet. Ea ergo habere dicitur porta ad aquilonem, quæ habet porta ad orientem, quia et conversi peccatores sic ditantur virtutibus, sicut illi sunt divites qui cadere in peccati pœnitentiam vitaverunt : unde et Psalmistæ voce per Dominum dicitur : *Cinerem sicut panem manducabam* (*Psal.* CI, 10). Quia sic pœnitentes recipit, ut justos. Scriptum quippe est de peccatoribus : *Olim in cilicio, et cinere pœnitentiam egissent* (*Matth.* XI, 21). Cinis ergo sicut panis comeditur, quando auctori suo peccator per pœnitentiam sicut innocens revocatur. Porta igitur ad aquilonem habet fenestras, habet vestibulum, habet et sculpturas, quia, cum peccator ad vitam post culpas reducitur, sæpe lumen contemplationis accipit; atque de ipsa memoria iniquitatis suæ gratiam magnæ humilitatis, bonæ quoque operationis efficaciam, ut omne quod fieri præcipitur, in vita ejus quasi sculptum esse videatur.

(778) Potest quoque per vestibulum fides intelligi : unde bene subditur : *Septem vero gradibus erat ascensus ejus, scilicet portæ et vestibulum ante eam* (*Ezech.* XL, 22). Septem quidem gradibus ad portam ascenditur, quia per sancti spiritus septiformem gratiam aditus nobis regni cœlestis aperitur; vestibulum quoque ante gradus et **586** porta est, quia prius ad fidem venimus, et postmodum per spiritualium donorum cœlestis vitæ aditum intramus. Non virtutibus venitur ad fidem, sed per fidem pertingitur ad virtutes. Cornelius enim centurio, cujus eleemosynæ ante baptismum angelo attestante lau-

(777) Ex ho. 19, in Ezech. longe ab initio.
(778) Ex hom. superiori.

A datæ sunt, non operibus venit ad fidem, sed fide venit ad opera. Nam et ei per angelum dicitur : *Orationes tuæ et eleemosynæ ascenderunt in conspectum Dei* (*Act.* X, 2). Si enim Deum vere et ante baptismum non crediderat, quid orabat? vel quomodo hunc omnipotens Deus exaudierat, si non ab ipso se in bonis perfici petebat? Sciebat igitur creatorem omnium Deum, sed quod omnipotens ejus Filius incarnatus esset ignorabat. Neque poterat bona agere nisi ante credidisset. Scriptum namque est : *Sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* XI, 6). Fidem ergo habuit, cujus orationes et eleemosynæ placere potuerunt. Bona autem actione promeruit, ut Deum perfecte cognosceret, et incarnationis ejus mysterium crederet, quatenus ad sacramentum baptismatis perveniret. Per fidem venit ad opera, sed per opera est solidatus in fide. Vestibulum itaque ante gradus est, quia qui prius credidit, ipse post virtutum gradibus ad portæ aditum ascendit.

CAPUT XXI.

DE ATRIO.

In Scriptura sacra, atrii nomine, aliquando latitudo regni cœlestis, aliquando latitudo vitæ præsentis, aliquando latitudo charitatis, aliquando contemplatio, aliquando latitudo æternæ vitæ designatur.

(779) Atrii nomine latitudo regni cœlestis designatur, sicut per Ezechielem dicitur : *Et porta atrii interioris contra portam aquilonis, et orientalem* (*Ezech.* XL, 19). Per portam quippe aditus, per atrium interius, regni **587** cœlestis secretum; per orientem Judaicus populus, seu quilibet justus; per aquilonem vero gentilis populus seu peccator quilibet pœnitens designatur. Contra quoque hoc loco, non pro adversitate ponitur, sed pro rectitudine. Ita enim porta interioris atrii posita monstrabatur, ut porta aquilonis et orientis perfecto ad eam aditu tenderet. Quid est ergo quod porta interioris atrii recto itinere posita contra portam, aquilonis et orientis ostenditur, nisi hoc quod aperte datur intelligi quia sine Judaico populo et gentili, seu justis et peccatoribus, sed post peccata conversis æque aditus regni cœlestis aperitur? Larga enim est misericordia Creatoris nostri. Et porta interior non solum portam orientis respicit, sed etiam aquilonis, quia non solum iis qui in innocentia permanent; sed etiam peccatoribus peccata sua pœnitendo damnantibus aperiuntur interioris atrii gaudia, ut ineffabilia mysteria patriæ cœlestis agnoscat, agnoscendo sitiant, sitiendo currant, currendo perveniant. Hæc æterni gaudii secreta cognoverat, qui dicebat : *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum? quando veniam et apparebo ante faciem Domini?* (*Psalm.* XLI, 3.)

Atrii nomine latitudo vitæ præsentis designatur, sicut per eumdem Ezechielem dicitur : *Portam quoque quæ respiciebat viam aquilonis atrii exterioris, mensus est tam in longitudine, quam in latitudine*

(779) Ex ho. sup.

Digitized by Google

(*Ezech.* XL, 5). Porta enim viam aquilonis respicit, cum prædicator quisque vitam peccatoris agnoscit, eique interiora vitæ per verbum prædicationis aperit. Quæ porta atrii exterioris dicitur; exterius quippe atrium est vita præsens, in qua omne quod corporaliter agitur, corporaliter etiam videtur. Quæ tam in longitudine, quam in latitudine mensuratur, quia cum ad fidem peccator ducitur, necesse est ut ejus doctor consideret vel quantum in longitudinem spei, vel quantum in latitudinem charitatis ex ejus admonitione proficiat. Qui enim ad Deum convertitur, si adhuc bona vitæ præsentis sperat, longitudinem non habet, quia brevis est vita, in qua spem posuit. Si per terrenarum rerum concupiscentiam, et adhuc proximi odio coangustatur, **588** latitudinem non habet, quia nescit vel transitoria contemnere vel se in proximi amore dilatare. Cum vero conversus quisque æternæ vitæ gaudia longanimiter sperat, proximorum molestias charitate tolerat, et ea quæ non habet concupiscere contemnit: longitudinem, et latitudinem porta habet, quia gloria prædicatoris, est profectus auditoris. Unde quibusdam per magnum prædicatorem dicitur: *Gaudium meum et corona mea* (*Philip.* IV, 1), et rursum: *Ecce nunc vivo, si vos statis in Domino* (*1 Thess.* III, 19). Atque iterum: *Quæ est nostra spes, aut gaudium? Nonne vos ante Dominum?* (*ibid.*) Longitudo ergo et latitudo portæ est, quæ ad aquilonem respicit; quia, cum infidelem quempiam et in peccati sui frigore torpentem prædicator ad fidem convertit, per hoc quod eum in longitudinem spei tendit, et in amplitudinem charitatis dilatat, ejus gloriam facit.

(780) Atrii nomine latitudo charitatis designatur, sicut per eumdem Ezechielem dicitur: *Et fecit frontes per sexaginta cubitos: et ad frontem, atrium portæ undique per circuitum* (*Ezech.* XL, 9). Sæpe jam diximus senario numero perfectionem boni operis designari, non illud sequentes quod conati sunt hujus sæculi sapientes struere, dicentes idcirco senarium numerum esse perfectum, quia suo ordine numeratus perficitur, ut cum unus, duo, tres dicuntur, senarius numerus impleatur; vel quia in tribus partibus dividitur, id est, sexta, tertia et dimidia, videlicet in uno duobus et tribus; sed idcirco senarium numerum esse perfectum, quia sexto die perfecit Deus omnia opera sua. Quoniam vero peccatori homini legem dedit quæ in decem præceptis scripta est, et sex decies ducta in sexagenarium surgunt, recte per sexaginta cubitos bonorum operum perfectio designatur: fecit itaque frontes per sexaginta cubitos. Etenim per sexagenarium numerum perfectio: quid per frontes ædificii, nisi ipsa opera designantur, quæ videntur exterius? Prædicationis enim verbum tribuere, alimenta esurientibus, vestimenta algentibus dare, et pro bono opere adversa tolerare: quid aliud sunt quam frontes ædificii cœlestis? Quia pulchritudo operum exteriorum ornat **589** habitaculum Dei quod adhuc latet intrinsecus. Sed istæ frontes habent atrium undique per circuitum, quia in hoc magna sunt opera si hæc in mente dilatat amplitudo charitatis de charitate, quippe scriptum est: *Latum mandatum tuum nimis* (*Psal.* CXVIII, 25). De hac iterum: *Statuisti in loco spatioso pedes meos* (*Psal.* XXX, 9). (781) Atrium ergo ante frontes ejus in perfectione operis est latitudo dilectionis. Et notandum quod dicitur: undique per circuitum, ut videlicet homo per omne quod agit semper se in charitatis amplitudine dilatet, ne hunc aut timor, aut odium angustent. Si quis ergo de verbo Dei loquitur, et charitatem quam prædicat in mente non servat, ædificii frontem habet, sed atrium ante frontem non habet. Si quis eleemosynam largitur, et per hanc fortasse in corde extollitur, nec ex charitate proximi inopiæ subvenit, sed se elatione tacita extollit, frontem quidem in ædificio ostendit, sed juxta frontem atrium non fecit. Si quis illatas a proximo contumelias tolerat, et mala objecta tacitus portat, magna est patientia quam demonstrat si dolorem in corde non habeat, si lucrari ad tranquillitatem mansuetudinis, etiam ipsum qui male excesserat, quærat. Nam si patientiam exterius adhibens, intus dolorem tenet, nec amat eum quem sustinet: habet quidem frontem in ædificio, sed ante frontem atrium non habet, quia is qui se angustiæ odiorum subdidit, profecto charitatis latitudinem amisit. Patientia enim vera est quæ et ipsum amat quem portat. Nam tolerare, sed odisse non est virtus mansuetudinis sed velamen furoris. Porta quippe nostra est aditus ad regnum: et Dominum ac proximum perfecte amare, jam ad ingressum regni est tendere.

(782) Atrii nomine designatur contemplatio, sicut iterum per eumdem Ezechielem dicitur: *Et mensus est latitudinem a facie portæ inferioris, usque ad frontem atrii interioris extrinsecus centum cubitos ad orientem et aquilonem.* (*Ezech.* XL, 7.) In quibus verbis, si portam accipimus, qua ad cognitionem Domini intramus, porta inferior fides est: atrium vero interius, contemplatio. Habet autem porta inferior latitudinem in facie, quia videlicet **590** fides per charitatis suæ amplitudinem habet ea quæ videtur a proximis operationem. Quam dum fortiter a perfectioribus agi conspicimus, nos qui in bonis actibus angustamur, exempla per eos magnæ operationis accipimus. Et unaquæque sancta actio quasi quædam nobis fit latitudo itineris quæ prius erat angustia difficultatis. Habet quoque atrium interius frontem: quia contemplativa vita per quædam signa desideriorum et gemituum ostendit quantum justus videat quæ tantum amat. Denarius enim numerus per semetipsum multiplicatus in centenarium surgit: unde recte per centenarium magna perfectio designatur. (783) Mensus est ergo vir latitudinem

(780) Ex hom. 17 in Ezech.
(781) Isthæc paulo inferius a super scripta sunt.
(782) Ex ho. 18 in Ezech.

(783) Ante hæc periodi aliquot interponuntur apud Gregor.

Digitized by Google

a facie portæ inferioris usque ad frontem atrii inferioris extrinsecus centum cubitos, quia Redemptor noster quotidie per magistros atque doctores in mensura perfectionis metitur vitam fidelium, vel in specie boni operis per fidem, vel in sanctis desideriis per contemplationem. Multi enim videntur in fide positi magna operari : sed in centum cubitis non mensurantur, quia per ipsa quæ faciunt terrenam gloriam quærunt. Et quidam videntur per abstinentiam cruciari, gemitibus insistere, sed eorum mensura ad centum cubitos non ducitur : quia in his quæ agunt, ab humano judicio favores requirunt. Quis ergo est, qui per centum cubitos mensuratur, nisi is cujus bona operatio recta intentione utitur, ut in eo quod agit non ad terrena lucra appetenda aut ad laudes transitorias reflectatur. Ecce enim misericordiam proximis exhibere, possessa largiri cum celeritate indignanti tribuere latitudo in facie portæ inferioris. Sed si tu dans aliena non appetas, si terrenam gloriam de ipso bono opere non requiras, recte in centenario numero, id est in perfectione mensuraris. Et quia multi in Judæa, plerique vero in gentilitate positi ad hanc perfectionis summam venerunt, recte subjungitur : *ad orientem et ad aquilonem.* Judaicus etenim populus oriens jure dictus est, de cujus carne ille natus est qui Sol justitiæ vocatur. De quo per prophetam dicitur : *Vobis autem, qui timetis Deum, orietur Sol justitiæ* (*Zach.* VI, 12). Per aquilonem vero gentilitas figuratur, quæ diu perfidiæ suæ frigore **591** torpuit et in cujus corde ille regnavit, qui attestante propheta apud semetipsum dixit : *Ponam sedem meam ad aquilonem* (*Isai.* XIV, 23). Quia itaque incarnatus omnipotens Dominus alios perfectos ex Judæa, alios ex gentilitate perfectos intra sanctam Ecclesiam fecit, centum cubitos non solum ad orientem mensus est, sed etiam ad aquilonem. Quamvis per orientem et aquilonem justi et peccatores intelligi possunt.

(784-785) Atriorum nomine latitudo æternæ vitæ signatur apud Psalmistam : *Introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis* (*Psal.* XCIX, 4). Quid enim per portas nisi angustia confessionis, et quid per atria nisi æternæ vitæ amplitudo exprimitur ? Cum enim peccata nostra per lacrymas confitemur, angustæ vitæ portam ingredimur. Sed cum post hæc ad æternam vitam perducimur, portæ nostræ atria confessionum laudibus intramus, quia ibi jam angustia non erit, cum nos lætitia æternæ solemnitatis assumpserit. Propter enim confessionis nostræ angustiam Veritas dicit : *Intrate per angustam portam* (*Matth.* VII, 13) : et cum se Psalmista recipere in latitudine gaudia æterna præsumpserat, dicebat : *Statuisti in loco spatioso pedes meos* (*Psal.* XXX, 9). Ad atria ergo per portas tenditur, quia ad latitudinem solemnitatis pertingitur ab angustia confessionis.

CAPUT XXII.

DE PAVIMENTO.

Pavimenti nomine humilitas auditorum designatur, sicut Ezechiel dicit : *Et eduxit me ad atrium exterius, et ecce gazophylacia, et pavimentum stratum lapide in atrium per circuitum* (*Ezech.* XL, 17). Require in cap. De gazophylacio, supra, 19.

INCIPIT LIBER DECIMUS QUARTUS.

592 CAPUT PRIMUM.

DE HERBIS.

In Scriptura sacra herbæ nomine, aliquando viror gloriæ temporalis, aliquando sustentatio prædicatorum, aliquando bona operatio, aliquando scientia atque doctrina æternæ viriditatis, aliquando dicta Scripturæ planiora, aliquando verba loquentium, aliquando carnales designantur.

(786) Herbæ nomine viror gloriæ temporalis accipitur, sicut per Prophetam dicitur : *Mane sicut herba transeat, mane floreat et pertranseat* (*Psal.* XXXIX, 6). Mane namque sicut herbam florere atque transire, est in prosperitate hujus sæculi, temporalis gloriæ decus velociter arescere.

(787) Herbæ nomine sustentatio prædicatorum signatur, sicut per Prophetam dicitur : *Producit in montibus fenum et herbam servituti hominum* (*Psal.* CLXXIX, 8). In montibus quippe fenum et servituti hominum herba producitur, cum sublimes hujus sæculi ad fidei cognitionem vocati sanctis prædicatoribus in hujus vitæ temere transitoria alimenta largiuntur.

593 Herbæ nomine bona operatio designatur, sicut scriptum est : *Germinet terra herbam virentem* (*Genes.* I, 1). Quia licet in conditione mundi ita historice factum tenemus, terram tamen Ecclesiam figurasse non inconvenienter accipimus : quæ in eo germinavit herbam virentem, in quo ad verbum Dei fecunda minæ opera protulit.

Herbæ nomine scientia, atque doctrina æternæ viriditatis accipitur, sicut per Jeremiam dicitur : *Onagri steterunt in rupibus* (*ibid.* XIV, 6), etc. Require in cap. De onagro. supra lib. III, c. 22, dist. 7.

Herbarum nomine dicta Scripturæ planiora designantur, sicut per beatum Job de hæreticis dicitur. *Et mandebant herbas, et arbores eorum* (XXX, 4). Vide lib. IX, cap. 2, dist. 3.

(784-785) Ex principio ho. 16 in Ezech.
(786) Ex l. XXIX in Job, cap. XIV, 18.
(787) Ex l. et c. sup.

Digitized by Google

(788) Herbæ nomine verba loquentium designantur, sicut scriptum est : *Ventus urens levavit locustas, quæ ascenderunt super universam terram Ægypti, operueruntque universam faciem terræ vastantes omnia* (*Exod.* x, 13). Devorata est igitur herba terræ, et quidquid pomorum in arboribus fuit. Quid enim per segregationem locustæ portendunt quæ plusquam cætera minima animantia humanis frugibus nocent, nisi linguas adulantium ? Qui terrenorum hominum mentes, si quando bona aliqua proferre conspiciunt, hæc immoderatius laudando corrumpunt. Fructus quippe Ægyptiorum est operatio xenodoxorum : quam locustæ exterminant, dum adulantes linguæ ad appetendas laudes transitorias cor prosperantis inclinant. Herbam vero locustæ comedunt, quando adulatores quique verba loquentium favoribus extollunt.

(789) Herbarum nomine carnales designantur, sicut de filiis Ecclesiæ per prophetam dicitur : *Germinabunt inter herbas, sicut salices juxta prætefluentes aquas* (*Isai.* XLIV, 4). Quid enim per herbas nisi carnalium vita signatur ? Sed sanctæ Ecclesiæ filii sicut salices inter herbas germinant, **594** dum inter arescentem vitam carnalium, et multiplici numerositate et perpetua mentis viriditate perdurant. Qui bene juxta prætefluentes aquas germinare prohibentur, quia unusquisque eorum libertatem ad fructum percipit ex doctrina sacri eloquii, quæ temporaliter percurrit.

CAPUT II.

DE LILIO.

In Scriptura sacra liliorum nomine, aliquando candor æternæ patriæ, aliquando bene redolens sanctorum vita intelligitur.

(790) Lilii nomine candor æternæ patriæ designatur : unde ad Moysen a Domino dicitur : *Facies et candelabrum ductile de auro mundissimo. Hastile ejus et calamos et scyphos et sphærulas, ac lilia ex ipso procedentia* (*Exod.* XXV, 11). Quis enim in candelabro nisi Redemptor humani generis designatur, qui in natura humanitatis infulsit lumen Divinitatis, ut mundi candelabrum fieret, quatenus in ejus lumine omnis peccator, in quibus jaceret tenebris, videret ? Qui pro eo quod naturam nostram sine culpa suscepit, candelabrum tabernaculi ex auro purissimo fieri jubetur. Ductile autem feriendo producitur : quia et Redemptor noster, qui ex conceptione et nativitate perfectus Deus et homo exstitit, passionum dolores pertulit, et sic ad resurrectionis gloriam pervenit. Ex auro ergo mundissimo ductile candelabrum fuit, quia et peccatum non habuit, et tamen ejus corpus per passionis contumelias ad immortalitatem profecit. Nam juxta virtutes animæ quibus percussionibus potuisset proficere, omnino non habuit. In membris autem suis, quæ nos sumus, quotidie percussionibus proficit, quia dum nos tundimur et efficimur, ut ejus corpus esse mereamur ipse proficit. Hastile vero ejusdem **595** candelabri ipsa Ecclesia debet intelligi, quæ corpus ejus est : quia inter tot adversa libera stat. Calami autem qui de hastili procedunt prædicatores sunt, qui dulcem sonum in mundo ediderunt, videlicet Canticum novum. Scyphi autem vino repleri solent. Quid ergo mentes auditorum nisi scyphi sunt, quæ sanctis prædicantibus, vino scientiæ replentur ? Sphærula autem, quid est aliud nisi volubilitas prædicationis? Sphæra quippe ex omni parte volvitur. Et prædicatio quæ nec adversitate retineri potest, nec prosperitatibus elevatur sphæra est, et inter adversa fortis, et inter prospera humilis, nec timoris habet angulum nec elationis. In cursu ergo suo figi non valet, quia per cuncta se volubiliter trahit. Ut autem hoc quod exempli causa protulimus exsequamur, bene per calamos scyphos et sphærulas, in candelabro lilia describuntur, quia post eam, quam diximus, prædicationis gratiam atque volubilitatem, illa, virens patria sequitur, quæ animalibus sanctis, id est floribus vernat æternis. Sphærulæ ergo ad laborem pertinent, lilia ad retributionem.

Liliorum nomine bene redolens sanctorum vita designatur : unde sponsi voce, sanctæ Ecclesiæ in Canticis canticorum dicitur : *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ, qui pascuntur in liliis* (*Cant.* IV, 5). Require in capit. De uberibus, supra lib. V, c. 44, dist. 1.

CAPUT III.

DE MYRTO.

In Scriptura sacra myrti nomine, aliquando tranquillæ mentis intentio, aliquando compatientes intelliguntur.

Myrti nomine tranquillæ mentis temperies designatur, sicut per Isaiam promittente Domino dicitur : *Pro saliunca ascendet abies, et pro urtica crescet myrtus* (*ibid.* LV, 13). Require in cap. De abietibus, supra lib. IX, c. 6, dist. 2.

596 (791) Myrti nomine hi designantur qui compatiendo proximorum tribulationes temperant : unde per Isaiam Dominus promittit dicens : *Dabo in solitudine cedrum, et spinam, myrtum, et lignum olivæ* (*Isa.* LXI, 19). Require in capitulo De cedro, et hoc adde : Myrtus temperativæ virtutis est, ita ut dissoluta membra temperando constringat. Quid itaque per myrtum nisi hi signati sunt, qui afflictionibus proximorum compati sciunt, eorumque tribulationem per compassionem temperant ? juxta hoc quod scriptum est : *Gratia autem Deo qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt* (*II Cor.* I) (792). Qui dum afflictis proximis, verbum, vel opem consolationis ferunt eos procul dubio ad statum rectitudinis

(788) Ex l. XXXI in Job, c. XII, 20.
(789) Ex l. XXXIII in Job, c. VI.
(790) Ex ho. 6 in Ezech. longiuscule ab initio.
(791) Supra li. IX, c. 3, dist. 4. Ex hom. 20 in Evang. paulo post medium.
(792) Gregor. autem repetit particulas, *gratia Deo*,

Digitized by Google

perstringunt ne immoderata tribulatione in desperationem solvantur. Ad hoc autem myrtus ponuntur, ut qui in ardore tribulationis ab ore vel opere proximi compatientis temperamentum consolationis acceperit, ipse etiam discat quemadmodum afflictis proximis suæ consolationis temperamentum proferat

CAPUT IV.

DE THURE.

In Scriptura sacra thuris nomine, aliquando hostia amoris, aliquando virtus orationis intelligitur.

(793) Thuris nomine amoris hostia designatur, sicut de Ecclesia in Canticis canticorum dicitur: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii? (Cant. III.)*

(794) Thuris nomine virtus orationis exprimitur: unde in Evangelio: *Tres Magi aurum, thus et myrrham obtulisse referuntur (Matth. II).* Auro namque sapientia designatur, thure autem, quod Deo incenditur, virtus **597** orationis exprimitur, Psalmista attestante, qui ait: *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo (Psal. CXL, 2).* Per myrrham vero carnis nostræ mortificatio figuratur: unde sancta Ecclesia de suis operariis usque ad mortem pro Deo certantibus dicit: *Manus meæ distillaverunt myrrham (Psal. LXVII, 6).* Nato ergo regi aurum offerimus, si in conspectu illius claritate supernæ sapientiæ resplendemus. Thus offerimus, si cogitationes carnis per sancta orationum studia in ara cordis incendimus, ut suave aliquid Deo per cœleste desiderium redolere valeamus. Myrrham offerimus, si carnis vitia mortificamus.

CAPUT V.

DE MYRRHA.

(795) Myrrhæ nomine virtutum suavitas intelligitur, sicut Redemptori nostro venienti Propheta dicit: *Myrrha et gutta, et casia a vestimentis tuis, a gradibus eburneis ex quibus te delectaverunt filiæ regum in honore tuo (Psal. XLIV, 9).* Quid myrrhæ, guttæ et casiæ nomine nisi virtutum suavitas designatur? Quid eburneis gradibus, nisi magna nitens fortitudine proficiscentium ascensus exprimitur? Redemptor igitur veniens myrrha, gutta et casia vestimento utitur, quia electis suis, quibus se misericorditer induit, myrrhæ virtutis fragrantiam aspergit. In quibus iste odor ab eburneis gradibus ducitur, quia in eis virtutum opinio non ostensione simulationis, sed ex veri ac solius operis assensu generatur. Bene autem dicitur, ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo. Sanctæ namque animæ ab antiquis patribus ad cognitionem veritatis editæ Redemptorem suum in honore ejus delectant, quia ex eo quod bene agunt suæ laudi nihil vindicant.

(793) Ex l. I, in Job, c. 19, ante finem 40.
(794) Ex ho. X in Evang. post medium.
(795) Ex lib. XXXV in Job, c. XIII, 23.

CAPUT VI.

DE HYSSOPO.

Hyssopi nomine fides designatur: unde apud Moysen, dum in sacrificio vacca mactatur offerri cum hyssopo lignoque cedrino et cocco **598** præcipitur. Require in capitulo De vacca, lib. III, cap. 8, distinct. 2.

CAPUT VII.

DE NARDO.

(796) Nardi nomine bene redolens electorum vita designatur: unde sancta Ecclesia in electis suis quamdam fragrantiam suavitatis odorata, in canticorum Cantico loquitur dicens: *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum (Cant. I, 12).* Ac si apertius dicat: Quousque meis obtutibus rex apud se in requie secreti cœlestis absconditur, electorum vita miris virtutum odoribus exercetur, ut qui adhuc eum quem appetit, non videt, ardentibus per desiderium flagret. Rege quippe in recubitu suo posito, nardus odorem dat: dum quiescente in sua beatitudine Domino, sanctorum virtus in Ecclesia magnæ nobis gratiam suavitatis administrat.

CAPUT VIII.

DE URTICA.

In Scriptura sacra urticarum nomine, aliquando ardor vitiorum, aliquando pruritus terrenorum desideriorum, aliquando prurigines cogitationum designantur.

Urticæ nomine ardor vitiorum designatur, sicut per Isaiam promittente Domino dicitur: *Pro sentina ascendet abies, et pro urtica crescet myrtus (Isai. LV, 13).* Require in capitulo De abietibus, lib. IX, cap. 6, dist. 2.

Urticarum nomine prurientia desideria terrena designantur, sicut Salomon dicit: *Per agrum hominis pigri*, etc. (*Prov. XXIV.*) Require supra l. XIII, c. 3, dist. 1.

Urticarum nomine cogitationum prurigines signantur, sicut per prophetam Dominus sub **599** Babylonis specie mentem confusam redarguit dicens: *Oriuntur in domibus ejus spinæ et urticæ (Isai. XXXIII, 13).* Repete l. IX, c. 13, dist. 4.

Tribuli nomine punctio doloris designatur: unde beatus Job enumeratis bonis suis si hoc non fecerit, maledicto se astringens dicit: *Pro frumento oriatur mihi tribulus, et pro hordeo spina (Job XXXI, 40).* Require in capitulo De spina ibidem, dist. 2.

CAPUT X.

DE PORRIS VEL CEPIS.

(797) Porrorum vel ceparum nomine difficultas vitæ præsentis designatur, sicut a populo Israelitico dicitur: *In mentem nobis veniunt cucumeres, et pepones, porrique et cepe, et allia (Num. XI, 5).* Pravorum mentes plus per aspera elationis quam per blanda humilitatis ac mansuetudinis ire delectat

(796) Ex li. XXXV in Job, cap. XIII, 22,
(797) Ex lib. XX, in Job, c. XVI.

Digitized by Google

tur. Dura enim præ amore sæculi quasi quædam mollia ac delectabilia ferre parati sunt, dum in hac vita rerum culmina apprehendere conantur. Cessationem Dominus a mundi laboribus imperat, et sanctæ quietis dulcedinem persuadet dicens : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI, 28). Et tamen vesana iniquorum mens plus se assequi aspera carnaliter, quam tenere blanda spiritaliter gaudet ; plus acerbitate fatigationis quam quietis dulcedine pascitur. Quod aperte in semetipso nobis Israeliticus populus ostendit, qui dum refectionem mannæ desuper perciperet, ab Ægypto ollas carnium, pepones, porros cepasque concupivit. Quid enim signatur in manna, nisi esca gratiæ suave sapiens ad refectionem interioris vitæ bene vacantibus desuper data? Et quid per ollas carnium, nisi carnalia opera vitæ tribulationum laboribus quasi ignibus excoquenda? Quid per pepones intelligitur, nisi terrenæ dulcedines? Quid per porros, et cepas exprimitur, quæ plerumque, qui comedunt, lacrymas emittunt, nisi difficultas vitæ præsentis quæ a dilectoribus suis et non sine luctu agitur et tamen cum lacrymis amatur.

600 Manna igitur deserentes, cum peponibus ac carnibus porros cepasque quæsierunt, quia videlicet perversæ mentes dulcia per gratiam quietis dona despiciunt ; et pro carnalibus voluptatibus laboriosa hujus vitæ itinera etiam lacrymis plena concupiscunt. Contemnunt habere ubi spiritualiter gaudeant, et desideranter appetunt, ubi et carnaliter gemant, quia nimirum perverso judicio, perturbata tranquillis, dura lenibus, aspera mitibus, transitoria æternis, suspecta securis anteponunt.

CAPUT XI.

DE CALAMO.

In Scriptura sacra calami nomine aliquando verbi æternitas, aliquando doctorum peritia, aliquando nitor gloriæ temporalis, aliquando scriptores sacri eloquii, aliquando Scriptura sacra intelligitur.

(798) Calami nomine verbi æternitas designatur, sicut voce Patris per Psalmistam dicitur : *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis* (*Psal.* XLIV, 2). Quia enim quod loquimur transit, quod scribimus permanet ; lingua Patris scribæ calamus dicitur, quia ab eo est Verbum illius coæternum, ac sine transitu generatum.

(799) Calami nomine doctorum peritia designatur, sicut voce prophetica desertæ terræ pollicetur, cum dicitur : *In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami et junci* (*Isa.* XXXV, 7). Quid enim per calamum nisi prædicatores? quid per juncum, qui juxta aquæ humorem semper nascitur, nisi pusillos ac teneros auditores sacri eloquii signant? In draconum ergo cubilibus viror calami et junci oritur : quia in eis populis, **601** quos antiqui hostis malitia possidebat, et doctorum scientia et auditorum obedientia coacervatur.

(800) Calami nomine nitor gloriæ temporalis exprimitur, sicut per prophetam de Domino apparente in carne dicitur. *Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non exstinguet* (*Isai.* XLII, 3). Quid enim calami nomine nisi Judaici populi temporale regnum designatur, nitens quidem exterius, sed interius vacuum? Et quia in eodem populo genus jam regale defecerat, et regnum ejus alienigena possidebat, apte hoc idem regnum, quassatum calamum vocat. Quid vero linum nisi ejusdem populi sacerdotium exprimitur ; quod nimirum lineis vestibus utebatur ; quod quia in adventu Domini ardorem charitatis perdiderat, quasi amisso jam igne fidei, non ardens, sed fumigans fuit? Incarnatus autem Dominus calamum quassatum non confregit, et linum fumigans non exstinxit, quia Judææ regnum quod pene destructum jam fuerat, ejusque sacerdotium, quod ignem fidei non tenebat, non potestate judicii percutit, sed cum patientiæ longanimitate toleravit ; hinc iterum voce Dominica de diabolo sub figura Behemoth ad beatum Job dicitur : *Sub umbra dormit, in secreto calami* (*Job* XL, 16) (801). Umbræ quippe nomine, nequitiæ torpor accipitur, in qua iste Behemoth dormit, quia corda charitate calentia sollicitus vigilat, in frigidis autem mentibus securus jacet. Dormire enim in sanctorum cordibus non potest, quia, etsi quando se in eis ad breve momentum collocat, ipse cum desideriorum cœlestium æstus fatigat. Et quasi toties, ut recedat, pungitur, quoties ab eis amore intimo ad æterna suspirat. Tantæ eum voces excitant, quantæ ex illorum mentibus sanctæ cogitationes ad cœlum clamant. Unde fit ut bonarum actionum armis territus ac suspiriorum spiculis percussus fugiat, et ad corda reproborum frigida rediens, eam quam securus possideat, malitiæ umbram quærat. Quæ vero ab illo inveniatur, ostenditur, cum protinus subinfertur : In secreto calami, Quid enim appellatione calami, nisi mentes sæcularium temporali gloriæ deditæ designantur? Qui tanto apud semetipsos intus inanescunt, **602** quanto alti et nitidi exterius ostenduntur, quia, dum ad exteriorem gloriam per superficiem defluunt, nulla intus firmitate solidantur. More quippe calami intus quidem sunt per fatuitatem vacui, sed foris per speciem et ostentationem pulchri.

(802) Calami nomine scriptores sacri eloquii designantur, sicut per Ezechielem de viro qui ei apparuit dicitur : *Et calamus mensuræ in manu ejus* (*Ezech.* XL, 3). De sancta quippe Ecclesia per prophetam alium Dominus pollicetur dicens : *Orietur in ea viror calami et junci* (*Isai.* XXXV, 7) (803). Quod quidem alio in loco exposuisse me memini, ut per calamum doctores, per juncum vero audi-

(798) Ex lib. XXXIII in Job c. III, 4.
(799) Ex lib. et c. sup.
(800) Ex eod. l. et cap. sup.
(801) Hæc leguntur ante præcedentia.
(802) Vide dist. 2, 5.
(803) Ex hom. 13, in Ezech.

Digitized by Google

tores debeant intelligi. Sed quia ad humorem aquæ, et calamus et juncus nasci solet, et ex una eademque aqua utraque proficiunt, et calamus quidem ad scribendum assumitur, cum junco vero scribi non potest : quid in junco vero scribi non potest; quid in junco et calamo accipere debemus, nisi quod una est doctrina veritatis, quæ multos auditores irrigat, sed irrigati alii ad hoc usque proficiunt in verbo Dei, ut etiam scriptores fiant, videlicet tanquam calami? Alii vero verbum vitæ audiunt bonæ spei, et rectorum operum viriditatem tenent, sed tamen ad scribendum proficere nullatenus possunt. Illi quid in aqua Dei, nisi quidam, ut ita dicam, junci sunt, qui quidem virescendo proficiunt, sed litteras exprimere nequaquam possunt. Redemptor igitur noster, quia verba quæ dixit, etiam per doctorum studium scribi largitus est, in manu calamum tenuit. Qui calamus mensuræ dicitur, quia ipsa scriptorum studia sub quadam occulta judicii dispensatione detinentur, ut et aliis legentibus prosint, et aliis legentibus prodesse non possint.

(804) Potest etiam calamo mensuræ Scriptura sacra pro eo intelligi quod quisquis hanc legit in ea semetipsum metitur, vel quantum in spiritali virtute proficit, vel quantum a bonis quæ præcepta sunt, longe disjunctus remansit : quantum jam assurgat ad bona fidei facienda, vel quantum adhuc in pravis actibus prostratus jaceat.

603 CAPUT XII.

DE ARUNDINE.

(805) Arundinis nomine carnalis animus designatur, sicut Judæorum turbis in Joannis laudem a Domino dicitur : *Quid existis videre in desertum? Arundinem vento agitatam?* (*Matth.* xi, 7.) Quod videlicet non asserendo, sed negando intulit. Arundinem quippe, mox ut aura contigerit, in partem alteram flectit. Et quid per arundinem nisi carnalis animus designatur? qui mox ut favore vel detractione tangitur, statim in partem quamlibet inclinatur. Si enim ab humano ore aura favoris flaverit, hilarescit, extollitur, totumque se quasi ad gratiam inflectit. Sed si inde ventus detractionis eruperit, unde laudis aura veniebat : mox hunc quasi in partem alteram ad vim furoris inclinat. Sed arundo vento agitata Joannes non erat, quia hunc nec blandum gratia, nec cujuslibet ira asperum faciebat. Nec prospera hunc erigere, nec adversa noverant inclinare. Arundo ergo vento agitata non erat, quem a status sui rectitudine nulla rerum varietas inflectebat.

Arundinis nomine nitor gloriæ temporalis exprimitur, sicut de justis per sapientiam dicitur : *Fulgebunt justi et tanquam scintillæ in arundineto discurrent* (*Sap.* iii, 7). Require in capitulo de scintillis, lib. ii, c. 3 distinct. 1.

(804) Ex eadem hom. paulo infra.
(805) Ex hom. 6 in Evang.

CAPUT XIII.

DE SCIRPO.

(806) Scirpi nomine hypocrita quilibet designatur, sicut in libro beati Job per Baldad dicitur : *Nunquid virere potest scirpus sine humore, aut carectum crescere sine aqua?* (*Job* viii, 11.) Cui scirpum vel carectum comparet, ipse protinus aperit, cum subjungit. Cum adhuc sit in flore nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit, sic viæ omnium, qui obliviscuntur Dominum, et spes hypocritæ peribit.

604 Scirpi ergo vel carecti nomine, hypocritæ vita signatur quæ speciem quidem viriditatis habet, sed ad humanos usus fructum utilitatis non habet : quæ sterilitate operis arida permanens, solo sanctitatis colore viridescit. Sed neque sine humore scirpus, neque sine aqua carectum proficit, quia hypocritarum vita ad bona opera infusionem quidem superni muneris percipit, sed quia in cunctis quæ agit, exteriores laudes appetit, a fructu perceptæ infusionis inanescit. (807) Scirpus igitur, vel carectum sine aqua non vivit, quia nimirum hypocritæ non nisi ex superno munere viriditatem bonæ operationis accipiunt, sed quia hanc in usum propriæ laudis arripiunt, in aqua quidem virides : sed tamen inanes crescunt. Bene autem subditur : Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu ante omnes herbas arescit. Scirpus in flore, est hypocrita in laude. Acutis vero ungulis surgens carectum manu non carpitur, quia exasperatis per arrogantiam sensibus de pravitate sua hypocrita corripi dedignatur. In flore suo manum carpentis incidit, quia in laude hypocrita positus, si hunc quisquam corripere audeat, asperitate sua protinus vitam corripientes secat. Sanctus namque non esse appetit, sed vocari; et cum fortasse corripitur, quasi opinionis gloria detruncatur. Deprehensum se in pravitate irascitur, loqui sibi redarguentem prohibet, quia velut in occulto vulnere tactus dolet. Recte ergo dicitur, cum adhuc in flore, nec carpatur manu, arescit ante omnes herbas. Juxta carnem quippe et justi herba sunt propheta attestante, qui ait : *Omnis caro fenum* (*Isai.* xl, 6); sed ante omnes herbas arescere scirpus dicitur, quia justis in bono suo permanentibus, a viriditate assumptæ rectitudinis hypocritarum vita siccatur. Arescunt herbæ etiam reliquæ, quia justorum opera cum carnis vita deficiunt; sed herbarum ariditatem scirpus prævenit, quia priusquam de carne hypocrita transeat, ea quæ in se ostenderat virtutum facta derelinquit. Sic viæ omnium, qui obliviscuntur Dominum, et spes hypocritæ peribit. Quid enim in cunctis suis operibus hypocrita sperat, nisi honoris reverentiam, gloriam laudis, a melioribus metui, sanctus ab omnibus vocari? Sed **605** permanere spes hypocritæ non valet, quia æternitatem non quæreus, fugit quod tenet. Nequaquam quippe mentis ejus

(806) Ex l. viii in Job, cap. xxiv, 27.
(807) Hæc sunt paulo post superiora.

Digitized by Google

intentio in illa gloria figitur, quæ sine fine possidetur; sed cum transitoriis favoribus inhiat, perdit percipiendo quod laborat, veritate attestante quæ ait : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (*Matth.* VI, 1).

CAPUT XIV.

DE PALIURO.

Paliuri nomine quilibet in malitia præpotens, et alios in malo defendens, designatur : sicut per prophetam Dominus sub Babylonis specie pravorum turbam, vel quamlibet perversam mentem redarguit, dicens : *Orientur in domibus ejus spinæ, et urticæ, et paliurus in munitionibus ejus* (*Isa.* XXXIV, 13). Require in capitulo de spina, lib. IX, cap. 13, dist. 4.

CAPUT XV.

DE LACTUCIS.

(808) Lactucarum agrestium nomine amaritudo pœnitentiæ designatur, sicut per Moysen de agni comestione dicitur : *Et edent carnes nocte illa assas igni, et azymos panes cum lactucis agrestibus* (*Exod.* XII, 8). (809) Require in capitulo de igne, et hoc adde; sed sola Redemptoris nostri præcepta sacramenta ad veram solemnitatem mentis non sufficiunt, nisi eis quoque et bona opera jungantur. Quid prodest corpus et sanguinem ore percipere, et ei perversis moribus contraire? Unde bene adhuc ad comedendum subditur : *Et azymos panes cum lactucis agrestibus.* Panes quippe sine fermento comedit, qui recta opera sine corruptione vanæ gloriæ exercet, qui mandata misericordiæ sine admistione peccati exhibet, ne perverse diripiat, quod quasi recte dispensat. Hoc quoque peccati fermentum bonæ suæ actioni miscuerant, quibus prophetæ voce per increpationem **606** Dominus dicebat : *Venite ad Bethel, et impie agite* (*Amos* IV, 4). Atque post pauca : *Et sacrificare de fermentato laudem* (*ibid.*, 5). De fermentato namque immolat, qui Deo sacrificium de rapina parat. Lactucæ vero agrestes, valde amaræ sunt. Carnes ergo agni cum lactucis agrestibus sunt edendæ ut cum corpus Redemptoris accipimus, nos pro peccatis in fletibus affligamus, quatenus ipsa amaritudo pœnitentiæ abstergat a mentis stomacho perversæ humorem vitæ.

CAPUT XVI.

DE SINAPI.

Sinapis nomine Christus designatur, sicut in Evangelio ipsius voce Veritatis dicitur : Cui simile est regnum cœlorum, et cui simile æstimabo illud? *Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, et crevit et factum est in arborem magnam, et volucres cœli requieverunt in ramis ejus* (*Luc.* XIII, 19). Require in capitulo de volucribus lib. II, c. 1, dist. 5.

(810) Sinapis nomine fidelis viri fortitudo designatur, sicut in Evangelio voce Veritatis dicitur : A *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti : Transi hinc, et transibit* (*Matth.* XVII, 3; *Luc.* XVII, 5). Granum quippe sinapis, nisi conteratur, nequaquam vis virtutis ejus agnoscitur. Nam non contritum lene est, si vero conteritur inardescit, et quod in se acerrimum latebat, ostendit. Sic unusquisque vir sanctus cum non pulsatur despicabilis ac lenis aspicitur; si qua vero illum tritura persecutionis opprimit, mox omne quod calidum sapit, ostendit, atque in fervorem virtutis vertitur, quidquid in illo ante despicabile infirmumque videbatur, quodque in se per tranquillitatis tempora libens operuerat, exagitatus tribulatione coactus innotescit. Unde bene per Prophetam dicitur; *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et in nocte declaravit* B (*Psal.* XLI 5). Misericordia autem Domini in die mandatur, quia in tranquillo tempore cognoscendo percipitur; in nocte vero declaratur, quia donum quod in tranquillitate sumitur, **607** in tribulationibus manifestatur. Sicut enim unguenta nesciunt nisi commota redolere latius, et sicut aromata fragrantiam suam non nisi cum incenduntur expandunt, ita sancti viri omne quod virtutibus redolent, in tribulationibus innotescunt.

CAPUT XVII.

DE FRUMENTO.

Scriptura sacra cum frumentum singulariter ponitur, aliquando quælibet electa anima, aliquando sacræ doctrinæ eloquium, aliquando viriditas æternæ retributionis vel spiritale opus, quod mentem reficit, aliquando interna sacri eloquii in- C *telligentia intelligitur. Cum vero frumenta pluraliter dicuntur, aliquando virtutes, aliquando prædicationis verba designantur.*

Frumenti nomine quælibet electa anima designatur, sicut in libro Job per Eliu dicitur; *Frumentum desiderat nubes* (*Job* XXVII, 29). Require in capitulo de nubibus, lib. I, cap. 12, dist. 5.

(811) Frumenti nomine sacræ doctrinæ eloquium designatur, sicut per Psalmistam dicitur : *Et convalles abundabunt frumento* (*Psal.* LXIV, 14). Convalles namque frumento abundant, cum corda humilium sacræ doctrinæ eloquio, virtutum gratia replentur, juxta hoc quod alibi per eumdem Psalmistam scriptum est : *Qui emittit fontes in con-* D *vallibus* (*Psal.* CIII, 10). A montibus namque aqua dilabitur, quia superbas mentes veritatis doctrina deserit. Sed fontes in convallibus surgunt, quia mentes humilium verbum prædicationis accipiunt. Jam videmus, jam convalles frumento abundare conspicimus, quia illorum ora pabulo veritatis impleta sunt, **608**, qui mites ac simplices huic mundo despicabiles esse videbantur.

(812) Frumenti nomine perfectio justitiæ intelligitur, sicut in Evangelio Veritas demonstrat dicens : *Sic est regnum cœlorum, quemadmodum si jaciat homo sementem in terra, et dormiat, et exsurgat*

(808) Lib. XI, cap. 1, dist. 6.
(809) Ex hom. 28 in Evang. paulo post medium.
(810) Sic. Aug. et Cassiod. legunt in Psalter.

(811) Ex hom 20. in Evang. paulo post initium.
(812) Ex l. XXII in Job c. XIV, 20.

Digitized by Google

nocte ac die, et semen germinet, et crescat dum nescit ille (*Marc.* IV, 26). Cujus nimirum seminis incrementa denuntians adjungit : *Ultro enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicas, deinde plenum frumentum in spica* (*ibid.*,10). Cujus profectus quoque finem subrogat dicens : *Et cum se produxerit fructus, statim mittit falcem, quia venit tempus messis* (*ibid.*, 26). Ecce Veritatis voce per qualitates frugum distincta sunt incrementa meritorum. Ait enim primum herbam, deinde spicas, deinde plenum frumentum in spica. *Annon herba adhuc fuerat Petrus, cum ancillæ ore, subito unius flatu sermonis inflexus est ; jam quidem per devotionem erat viridis, sed adhuc per infirmitatem tener* (*Matth.* XXVI ; *Luc.* XXII). Plenum vero frumentum in spica inventus est, quando persequentibus principibus resistebat, dicens : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (*Act.* V, 29). Plenum vero frumentum in spica inventus est, quando in tritura persecutionis tot verbera pertulit, et tamen nequaquam palearum more imminutus est, sed granum integrum permansit. Paulisper quippe in una quaque anima, ut ita dicam internæ gratiæ humor exuberat, ut herba in frugem crescat. Nemo ergo quemlibet proximum, cum adhuc herbam videt, de frumento desperet. Ab herbarum quippe foliis, quæ huc illucque molliter defluunt, surgentia frugum grana solidantur. Electus etenim quisque a rudimenti sui prius teneritudine inchoat, et sic postmodum ad robusta paulatim et fortia convalescit.

Frumenti nomine viriditas æternæ retributionis vel spiritale opus quod mentem reficit, intelligitur, sicut per beatum Job enumeratis bonis quæ fecerat, si hoc non fecerit se maledictionis sententia feriendo dicitur : *Pro frumento oriatur mihi tribulus*, etc. (*Job* XXXI, 40). Require in capitulo de tribulo lib. IX, c. 13, dist. 2.

609 (813) Frumenti nomine interna sacri eloquii intelligentia designatur, sicut de his qui verba sacræ legis non recte intelligunt per prophetam Dominus quæritur : *Dedi eis frumentum, vinum, et oleum, et argentum multiplicavi eis et aurum quæ fecerunt Baal*(*Osee* II, 8). Frumentum quippe a Domino accipimus, quando in dictis obscurioribus subducto tegmine litteræ per medullam spiritus legis interna sentimus. Vinum suum Dominus nobis præstat, cum Scripturæ suæ alta prædicatione nos inebriat. Oleum quoque suum nobis tribuit, cum præceptis apertioribus vitam nostram blanda lenitate disponit. Argentum multiplicat, cum nobis luce veritatis plena eloquia subministrat. Auro quoque nos ditat, quando cor nostrum intellectu summi fulgoris irradiat. Quæ cuncta hæretici Baal offerunt, quia apud auditorum suorum corda corrupte omnia intelligendo pervertunt. Et de frumento Dei, vino, atque oleo, argento pariter, et auro Satanæ sacrificium immolant, quia ad errorem discordiæ verba pacis inclinant. Unde admonendi sunt, ut perpendant, quia dum perversa mente de præceptis pacis discordiam faciunt, justo Dei examine ipsi de verbis vitæ moriantur.

Frumentorum nomen virtutes designat. Vide, lib XI, c. 1, dist. 10.

(814) Frumentorum nomine prædicationis verba designantur, sicut Salomon dicit : *Qui abscondit frumenta maledicetur in populis* (*Prov.* XI, 26). Frumenta quippe abscondere est prædicationis sanctæ apud se verba retinere. In populis autem talis quisque maledicetur, quia in solius culpa si silentii pro multorum, quos corrigere potuit, pœna damnatur. Si populos fames attereret, et occulta ipsi frumenta servarent, auctores procul dubio mortis existerent. Qua itaque pœna plectendi sunt considerent, qui cum fame verbi animæ pereant, ipsi panem perceptæ gratiæ non ministrant. Si medicinalis artis minime ignari secandum vulnus cernerent, et tamen secare recusarent, profecto peccatum fraternæ **610** morti ex solo torpore committerent. Quanta ergo culpa involvantur aspiciunt, qui dum cognoscunt vulnera mentium, curare sectione verborum noluerunt. Unde per Prophetam dicitur : *Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine* (*Jerem.* XLVIII, 107). Gladium quippe a sanguine prohibere, est prædicationis verbum a carnalis vitæ interfectione retinere.

CAPUT XVIII.

DE HORDEO.

Hordei nomine littera Veteris Testamenti designatur, sicut in Evangelio dicitur : *Est puer hic unus qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces* (*Joan.* VI, 9). Breviter ut curramus quinque panes intelliguntur quinque libri Moysis. Merito non triticei, sed hordeacei, quia ad Vetus Testamentum pertinent. Novimus autem hordeum ita creatum, ut ad medullam ejus vix perveniatur. Vestitur enim eadem medulla tegmine paleæ, et ipsa palea tenax est et inhærens, ut cum labore exuatur. Talis enim littera est Veteris Testamenti : vestita est tegminibus carnalium sacramentorum, sed si ad ejus medullam perverniatur, pascit et satiat.

Hordei nomine terrenarum rerum dispensatio intelligitur, sicut per beatum Job dinumeratis bonis quæ fecerat, dicitur : *Pro frumento oriatur mihi tribulus, et pro hordeo* (*Job* XXXI, 40). Require in cap. de tribulo lib. IX, cap. 13, distinct. 2.

CAPUT XIX.

DE MESSE.

In Scriptura sacra messis nomine, aliquando Scriptura sacra, aliquando donum rectæ intelligentiæ designatur.

611 (815) Messis nomine Scriptura intelligitur, sicut in libro Job, per Eliphat de Judaico populo dicitur : *Cujus messem famelicus comedet, et ipsum*

(813) Ex. III parte Pastoral. c. 25.
(814) Ex. III parte Past., c. 26.

(815) Ex lib. VI in Job cap. II.

Digitized by Google

rapiet armatus (*Job* v, 5). Judaici namque populi messis fuerat sacri seges eloquii. Quædam namque spicarum grana, sunt verba prophetarum, quæ Judaicus populus habuit, sed non comedit, quia legem quidem verbo tenus tenuit, sed per fatuitatis fastidium ab ejus intellectu jejunavit. Hujus ergo populi messem famelicus comedit, quia nimirum gentilis populus verba legis intelligendo edit, ad quæ plebs Judaica sine intellectu laboravit. Hos famelicos fidei, Dominus prævidit cum diceret : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* v, 6). De his famelicis Anna prophetante dicitur : *Repleti prius pro panibus se locaverunt, et famelici saturati sunt* (*I Reg.* II, 5). Sed quia messem perdidit, recte subjungitur, qualiter ipse etiam periit cum dicitur : *Et ipsum rapiet armatus* (*Job* v, 5). Antiquus namque hostis Judaicum populum armatus rapuit, quia in eo vitam fidei fraudulenter suggestionis jaculis exstinxit, ut unde se Deo inhærere crederet, inde ejus ordini repugnaret. Quod profecto discipulos Veritas præmonet dicens : *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo* (*Joan.* XVI, 2).

(816) Messis quoque nomine potest non solum litera Scripturæ sacræ, verum etiam donum rectæ intelligentiæ accipi : Unde et hic quod prædiximus, moraliter valet non inconvenienter intelligi. Habet namque stultus messem, quando iniquus quisque donum rectæ intelligentiæ accipit : Scripturæ sacræ sententiis docetur, bona loquitur : sed tamen nullo modo hoc quod dicit operatur : verba Dei profert, nec tamen diligit ; laudando exaggerat, vivendo calcat. Quia ergo stultus iste et intelligit, et dicit : sed cum hæc operando non amat, messem habendo jejunat. Quam nimirum famelicus comedit, quia is qui ad Deum sanctis desideriis anhelat, dicit quod audit, agit quod didicerit ; et dum doctoris pravi recta prædicatione reficitur, **612** quid aliud quam stulti fructu satiatur. An non famelicos suos Veritas, ut stulti messem comederent admonebat, cum per desideria sancta flagrantibus, de Pharisæis præceperat dicens : *Quæ dicunt facite, quæ faciunt facere nolite* (*Matth.* XXIII, 3). Ac si aperte diceret : Verbi messem loquendo extollunt, sed hanc male vivendo minime contingunt. Vestram vero famem messis ista reficiat, quia vobis hanc per fatuitatis suæ fastidium servant. Bene autem subditur : *et ipsum rapiet armatus*. Antiquus namque hostis, quasi inermis vincitur, cum mala aperta suggerens humanæ menti bona omnia simul destruere conatur. Sed armatus venit, quando bona alia intacta deserens, latenter alia corrumpit. Nam sæpe quosdam in intellectu non tentat, eisque in sacri eloquii meditatione non obviat, sed tamen eorum vitam in operatione supplantat : qui dum de scientiæ virtute laudantur, nequaquam suorum operum conspiciunt damna, cumque in favore delectationis animus decitur, vitæ suæ vulnera non medetur. Hunc ergo armatus hostis rapit, quem fraude tectus in alia deserens, ex alia parte superavit.

CAPUT XX.

DE FRUGIBUS.

(817) Frugum nomine conversi, vel Judæi, vel gentiles intelliguntur, sicut per Ezechiel dicitur : *Veni ad transmigrationem, ad acervum novarum frugum, ad eos qui habitant juxta flumen Chobar* (*Ezech.* III, 11). Cum causa exigeret ut indicare debuisset, quia ad transmigrationem veniret : quæ dicendi necessitas fuit, ut per fruges locum quoque exprimeret dicens : ad acervum novarum frugum, nisi quia sæpe et per loca causæ signantur. Multi quippe Ezechiele prophetante jam captivitatis anni defluxerant : atque ex iis qui in captivitatem ducti fuerant, plures jam in morte carnis obierant, ad quorum filios loqui propheta veniebat. Unde et ei superius dicitur : *Fili hominis, mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices quæ recesserunt a me. Patres eorum prævaricati sunt, pactum meum usque ad diem hanc, et filii dura cervice* **613** *et indomabili corde sunt, ad quas ego mitto te* (*Ezech.* XI, 6). Ex quibus quia multi fuerant crediturі, atque obedientiam ad fertilitatem boni operis perventuri, acervus frugum vocantur. Quia enim bonæ animæ fruges appellantur, Dei propheta testatur alius dicens : *Sanctus Israel Domino primitiæ frugum ejus, fruges etenim Domini, etiam conversæ ad fidem gentes postmodum factæ sunt* (*Jerem.* II, 1). Sed quia prius Israel Domino credidit, recte hunc propheta frugum ejus primitias appellavit. Quia ergo propheta missus non priori populo, sed filiis ejusdem populi verba intulit, ad acervum frugum novarum venit.

CAPUT XXI.

DE SPICA.

(818) Spica profectum boni operis designat, sicut Veritatis voce dicitur : *Sic est regnum Dei quemadmodum si jactat homo semen in terram et dormiat et exsurgat nocte ac die, et semen germinet et crescat dum nescit ille. Ultro enim terra fructificat, primum herbam, demum spicam, deinde plenum frumenti in spica* (*Marc.* IV, 8). Semen namque homo jactat in terram, cum cordi suo bonam intentionem inserit. Et postquam semen jactaverit dormit, quia jam in spe boni operis quiescit. Nocte vero exsurgit ac die, quia inter adversa et prospera proficit. Et semen germinat, et crescit, dum nescit ille, quia dum adhuc metiri incrementa sua non valet, semel concepta virtus ad profectum ducitur. Et ultro terra fructificat, quia præveniente se gratia mens hominis spontanee ad profectum boni operis assurgit. Sed hæc eadem terra primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum producit in spica. Herbam quippe producere est inchoationis bonæ adhuc teneritudinem habere. Ad spicam vero herba pervenit, cum se virtus animo concepta ad profe-

(816) Ex ejusdem lib. cap. 5, 4.
(817) Ex initio hom. 11. in Ezech.
(818) Ex hom. 13, in Ezech. longius a principio.

Digitized by Google

ctum boni operis pertrahit. Plenum vero frumentum in spica fructificat, quando jam in tantum virtus proficit, ut esse robusti et perfecti operis possit. Cum igitur desideria bona concipimus, semen in terra mittimus. Cum vero operari recta incipimus, herba sumus. Cumque in ejusdem operationis perfectione **614** solidamur, ita plenum frumentum in spica proferimus.

(819) Spicarum nomine Patrum sententiæ designantur, sicut de hæreticis per Job dicitur: *Nudis et incedentibus absque vestitu, et esurientibus tulerunt spicas;* quod ait: *nudis* hoc replicat *absque vestitu* (*Job* XXIV, 7). Sed aliud est nudum esse, aliud nudum incedere. Omnis enim qui nec bona nec mala operatur nudus est et otiosus. Qui autem mala agit, nudus incedit, quia sine velamine boni operis peraliter pravitatis pergit. Sunt vero nonnulli, qui malum suæ nequitiæ cognoscentes, satiari pane justitiæ festinant, percipere sacri eloquii dicta desiderant. Qui quoties Patrum sententias pro ædificandis mentibus suis in cogitationibus versant, quasi de bona segete spicas portant. Hæreticis igitur nudis, et incedentibus absque vestitu, et esurientibus spicas tollunt, quia sive ne quidem otiosi sint, et in nullis se bonis exerceant, seu pariter impudentiæ absque velamine boni operis pergant, etiam si quando jam ad pœnitentiam redire cupiunt, et pabulum verbi concupiscunt, eis esurientibus spicas tollunt, quia in eorum mente perniciosis persuasionibus Patrum sententias destruunt. Nec immerito spicas signare Patrum sententias dicimus, quia, dum sæpe per figurata proferuntur eloquia, ab eis tegmen litteræ quasi aristarum paleas subtrahimus, ut medulla spiritus nos reficiamus.

CAPUT XXII.

DE PALEIS.

(820) Palearum nomine iniqui intelliguntur, sicut Job de ipsorum damnatione dicit: *Erunt sicut paleæ ante faciem venti, et sicut favilla quam turbo dispergit* (*Job* XXI, 8). Iniquus cum in potestate conspicitur, cum valde in oppressionibus ac violentiis effrenatur, ab infirmorum cogitationibus gravis nimium, et quasi in hoc mundo radicatus æstimatur. Sed cum districti judicis sententia venerit, omnes iniqui quasi paleæ ante ventum erunt, quia, ut ita dicam, iræ flatu subito levantur, atque asportantur ad ignem: quos hic in suis quondam **615** præjudiciis quasi duri ponderis superjacentem molem indigentium, lacrymæ movere non poterant, et ad rapientis judicii manum leves sunt, quia per injustitiam proximis graves fuerunt. Et sicut favilla quam turbo dispergit. Ante omnipotentis enim Dei oculos iniqui vita favilla est, quia etsi apparet ad momentum viridis, ab ejus tamen judicio jam consumpta cernitur, quia consumptioni est æternæ deputanda. Hanc favillam turbo dispergit, quia *Deus manifeste veniet, Deus noster et non silebit. Ignis in conspectu ejus exardescet et in circuitu ejus tempestas valida* (*Psal.* XLIX, 2). Hujus enim tempestatis turbine, ab æterni conspectu judicis iniqui rapiuntur; et qui hic mentem perverso desiderio solidaverant, ibi paleæ et favillæ videbuntur, quia eos ad æterna supplicia turbo rapiens asportat

CAPUT XXIII.

DE ARISTIS.

(821) Aristarum nomine reprobi divites intelliguntur sicut de eorum damnatione per Job dicitur: *Et sicut summitates spicarum conterentur* (*Job* XXIV, 24). Spicarum quippe summitates aristæ sunt. Aristæ autem conjunctæ in spica prodeunt; sed crescendo paulisper, a se hirsutæ et rigidæ disjunguntur. Sic nimirum, sic ad hujus mundi gloriam pravi divites surgunt. Naturæ enim sibi communione conjuncti sunt, sed contra se vicissim crescendo dividuntur. Alius quippe alium despicit, et alter in alterum invidiæ facibus ignescit. Qui ergo ex tumore mentis a charitatis unitate se separant, quasi aristarum more contra se rigidi stant. Quid ergo pravos hujus mundi divites dixerim, nisi aristas quasdam generis humani? Qui dum contra se superbiunt, sed bonorum vitam unanimiter affligunt: adversum se quidem divisi sunt, sed tamen concorditer grana deorsum premunt. Nunc igitur aristæ ad alta prosiliunt, grana latent: quia et reproborum potentia eminet, et electorum gloria non apparet. Illi se honorum facibus ostendunt, isti se in humilitate deprimunt. Sed trituræ tempus veniet, quod et aristarum **616** rigiditatem frangat, et solida grana non conterat. Tunc quippe superbia iniquorum comminuitur, cum electorum vita quanta integritate fulgeat declaratur. Quia cum injusti deficiunt, ex hac ipsa aristarum contritione agitur, ut grana appareant, quæ latebant. Cumque aristæ franguntur, granorum candor ostenditur, quia iniquis in supplicia æterna cadentibus, sanctorum justitia, quanta veritate candeat, demonstratur. Unde recte quoque per Joannem dicitur: *Cujus ventilabrum in manu sua est, et permundabit aream suam et triticum quidem recondet in horrea, paleas autem comburet igni inexstinguibili* (*Matth.* III, 12; *Luc.* III, 17). Beatus igitur Job, pravorum elatio, quanta animadversione frangatur aspiciat, eosque aristis pereuntibus comparans dicat: Sicut summitates spicarum conterentur, quia nimirum rigiditas superborum trituræ ultimæ formidine frangitur, quæ nunc electorum vitam despiciens elevatur.

CAPUT XXIV.

DE CULMO.

(822) Culmi nomine hypocrita intelligitur, sicut per prophetam dicitur: *Culmus stans non est in eo,*

(819) Ex lib. XVI in Job cap. XXIII, 28.
(820) Ex lib. XVI in Job cap. XXX, 22

(821) Ex l. XVI in Job c. VI.
(822) Ex l. VIII in Job c. XXV, 29.

Digitized by Google

germen et non faciet farinam : quod etsi fecerit, alieni comedent eam (*Ose.* VIII, 7). Culmus quippe germen non habet cum hypocritæ vita virtutum meritis caret. Farinam culmus non facit, cum is qui in præsenti sæculo proficit, nil subtilitatis intelligit, nullum boni operis fructum reddit ; sed sæpe et cum fecerit, hunc alieni comedunt, quia et cum bona opera hypocritæ ostendunt de his malignorum spirituum vota satiantur. Quia enim per hæc placere Deo non appetunt, nequaquam agri Dominum, sed alienos pascunt.

CAPUT XXV.

DE STIPULA.

(823) Stipulæ nomine humana abjectio intelligitur, sicut per beatum Job dicitur : *Contra folium quod vento rapitur ostendis potentium tuam et stipulam* **617** *siccam persequeris* (*Job* XIII, 15). Quid est enim homo nisi folium, qui videlicet in paradiso ab arbore cecidit? Quid est homo nisi folium, qui tentationis vento rapitur et desideriorum flatibus levatur? Mens quippe humana quot tentationes patitur, quasi tot flatibus movetur. Hanc etenim plurimum ita perturbat; cum recedit ira, succedit inepta lætitia. Luxuriæ stimulis urgetur, æstu avaritiæ longe lateque ad ambienda, quæ terrena sunt tenditur. Aliquando hanc superbia elevat : aliquando vero inordinatus timor in infimis deponit. Quia ergo tot tentationum flatibus elevatur, et ducitur, recte folio homo comparatur. Unde quoque bene per Isaiam dicitur : *Cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos* (*Isa.* LXIV, 6). Quasi ventus quippe nos iniquitas abstulit, quia nullo fixos pondere virtutis in vanam elationem levavit. Bene autem post folium, etiam stipula appellatur homo. Qui enim arbor fuit in conditione, folium a semetipso factus est in tentatione ; sed post stipula apparuit in dejectione. Quia enim de alto cecidit folium, quia vero per carnem terræ proximus fuit, etiam cum stare videbatur, stipula esse memoratur. Sed quia viriditatem intimi amoris perdidit, jam stipula sicca est. Consideret itaque vir sanctus et homo quantæ vilitatis sit, et Deus quantæ districtionis et dicat : *Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, et stipulam siccam persequeris.* Ac si aperte deploret dicens : Cur tanta rectitudine impetis, quem sic infirmum esse in tentatione cognoscis?

INCIPIT LIBER DECIMUS QUINTUS.

618 CAPUT PRIMUM.

DE UNITATE.

In Scriptura sacra unitatis nomine, aliquando bene vivendi initium, aliquando Redemptor humani generis Christus Deus designatur.

(824) Unius nomine bene vivendi initium designatur, sicut per beatum Job dicitur : *Si voluerit homo contendere cum Deo, non poterit respondere ei unum pro mille* (*Job* IX, 3). In Scriptura sacra millenarius numerus pro universitate solet poni. Unde Psalmista ait : *Verbi quod mandavit in mille generationes* (*Psal.* CIV, 8). (825) Cum profecto constet quod ab ipso mundi exordio usque ad Redemptoris adventum, per evangelistam non amplius quam septem et septuaginta propagines numerentur, quid in millenario numero, nisi ad proferendam novam sobolem, perfecta universitas præscitæ generationis exprimitur? Hinc et per Joannem dicitur : *Et regnabunt cum eo mille annis* (*Apoc.* XX, 2), quia videlicet regnum sanctæ Ecclesiæ universitatis perfectione solidatur. Quia vero monas in denarium multiplicatus ducitur, et denarius per semetipsum ductus in centenarium dilatatur, qui rursus per **619** denarium ductus in millenarium tenditur cum ab uno incipimus ut ad millenarium veniamus : quid hoc loco unius appellatione, nisi bene vivendi initium, quid millenarii numeri amplitudine nisi ejusdem bonæ vitæ perfectio designatur? Cum Deo autem contendere, est non ei tribuere, sed sibi gloriam suæ virtutis arrogare. Sed sanctus vir aspiciat, quia qui summa jam dona percepit, si de acceptis extollitur, cuncta quæ acceperat amittit, et dicat : *Si voluerit homo contendere cum Deo, non poterit ei respondere unum pro mille.* Qui enim cum auctore contendit, unum pro mille respondere non sufficit, quia qui se de perfectione erigit, habere se bene vivendi nec initium ostendit. Unum enim pro mille respondere non possumus, quia cum de bonæ vitæ perfectione extollimur, hanc nos nec inchoasse monstramus.

(826) Unius nomine Redemptor noster designatur, sicut per Ezechielem, cum de limine et porta, de margine et tabulis loqueretur, subjungitur : *Et cubitus unus finis utrumque* (*Ezech.* XL. 12). Utrumque autem dicitur, ac si dicatur utrorumque. Per latitudinem quippe liminis et longitudinem portæ, Vetus ac Novum Testamentum diximus designari. Ad extremum vero additur quod *cubitus unus finis* sit utrorumque ; quia videlicet et Testamentum Vetus, unum nobis mediatorem Dei et hominum nuntiavit, et Testamentum Novum eumdem nobis nuntiat in æterna claritate venturum, quem jam

(823) Ex l. II in Job c. XXII, 24.

(824) Hic Garnerus repetiit dictiones *homo* et *Deo*, vice pronominum demonstrativorum quæ sunt apud Job.

(825) Ex l. IX in Job c. II.

(826) De unitate plura vide apud Clicthoneum in lib. De signif. numer., et Odonem abbatem Morimundi, et Federi. Mercll, in poem. De uno.

Digitized by Google

pro nobis cognovimus incarnatum. Cubitus ergo unus utrorumque est : quia et quem lex prædixit, in carne apparuit : et spe, quem nunc Testamentum Novum loquitur in gloria majestatis apparebit. Et tunc utrorumque finis erit, cum visus in deitatis suæ potentia omnia quæ sunt prædicta, compleverit. Scriptum namque est : *Finis legis Christus ad justitiam omni credenti* (*Rom.* x, 4). (827) Finis videlicet, non qui consumit, sed qui perficit. Tunc etenim legem perficit, cum sicut lex prædixerat, incarnatus apparuit. Sed adhuc de ejus judicio multa Novum Testamentum loquitur, adhuc multa de ejus regno narrat, quæ nec dum videmus **620** impleta. Tunc ergo erit et Novi Testamenti finis, cum et quæ de se promisit impleverit. Finietur vero Testamentum Novum, quia perficietur. Nam cum ipse de quo loquitur visus fuerit, ejusdem Testamenti verba cessabunt. Ergo cubitus unus est finis utrorumque, quia unus est ille, qui dixit : *Singulariter sum ego, donec transeam* (*Psal.* CXL. 10). Qui solus cum Patre et Spiritu sancto præsidet in cœlo, sicut passer unicus in ædificio. Qui quemadmodum implevit legem per mysterium Incarnationis et perfectæ humanitatis suæ, ita Testamenti Novi promissa impleturus est per ostensam gloriam claritatis suæ.

CAPUT II.

DE BINARIO.

In Scriptura sacra, binario numero, aliquando duo præcepta charitatis, dilectio Dei videlicet et proximi ; aliquando intellectus et operatio, aliquando perfecti in charitate, aliquando duo compunctionis genera, aliquando duo Testamenta designantur.

Binario numero duo præcepta charitatis, dilectio videlicet Dei et proximi, designantur, sicut per Ezechielem dicitur : *Et mensus est frontem portæ* (828) *duobus cubitis* (*Ezech.* XL, 9). Frons etenim portæ est meritum vitæ præsentis. Sicut enim vestibulum interius superna requies debet intelligi, ita per frontem portæ necesse est qualitatem visibilis vitæ signari. (829) Frons ergo portæ duobus cubitis mensuratur : quia quisquis hic dilectionem Dei ac proximi servare studuerit, ipse ad æternitatis atrium pertingit. Vita igitur nostra, ut duobus cubitis sit mensurata, tenui quotidie per charitatem debet **621** in amorem Dei simul et proximi. Non enim charitas est vera, si minus a duobus cubitis habet. Unde Moyses, cum per colores vestium, electorum virtutes exprimeret in ornamento pontificis bis tinctum coccum jubet adhiberi. (*Exod.* XXVIII, 5). Quid namque per coccum nisi charitas designatur, quæ semper flamma amoris accenditur ? Sed coccus bis tingitur, quando non solum ex amore Dei, sed etiam proximi nostra charitas inflammatur. Nam quisquis sic amat Deum, ut commissi sibi curam relinquat, adhuc in eo coccus semel tinctus est. Et quisquis sic amat proximum, ut minuat desiderium quo flagrare debet in Deum, non est adhuc in eo color tincturæ geminatus. Debemus ergo et amare eos, cum quibus vivimus, et ad illum totis desideriis anhelare in quo veraciter vivamus. (830) Sicque his tinctus in nobis coccus est, si et hic proximos nostros sicut nos diligimus, et ad auctorem omnium cum ipsis quos diligimus festinamus. Si igitur vita nostra de perfecta charitate bis tingitur, frons in nobis portæ duobus cubitis mensuratur. Sive igitur doctor, seu sacrum eloquium, vel certe fides portæ nomine signetur, in mensura utriusque cubiti, charitas non inconvenienter accipit. Quia et ille vera prædicat, qui Dei ac proximi amorem docet, et ipsa est certa scientia, quam charitas ædificat, et fides robusta est, quæ se in delectatione Dei ac proximi exercet.

(831) Binario numero intellectus et operatio designatur, sicut in Evangelio voce Veritatis dicitur : *Homo quidam peregre proficiscens vocavit servos suos et tradidit illis bona sua ; et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum* (*Matth.* XX, 14, 15). Quinque etenim talentis donum, quinque sensuum, id est exteriorum scientiam exprimitur. Duobus vero intellectus et operatio designatur. unius vero talenti nomine intellectus tantummodo designatur.

(832) Binario numero perfecti in charitate, sicut in Evangelio Lucas dicit : *Designavit Dominus et alios septuaginta duos et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus* (*Luc.* X, 1). Dominus **622** et Salvator noster aliquando nos sermonibus, aliquando operibus admonet. Ipsa enim facta ejus præcepta sunt, quia dum aliquid tacitus facit, quid agere debeamus innotescit. Ecce autem binos in prædicationem mittit; quia enim duo sunt præcepta charitatis Dei, videlicet amor et proximi et minus quam inter duos charitas haberi non potest. Nemo enim proprie ad semetipsum charitatem habere dicitur; sed dilectione se in alterum tendit ut esse charitas possit : binos ad prædicandum discipulos Dominus mittit quatenus hic nobis tacitus innuat, quia qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis officium suscipere nullatenus debet.

Binario numero duo compunctionis genera signantur de quibus vide l. III, c. 3, dist. 6

(833) Binario, duo Testamenta designantur, sicut ad Moysen voce Dominica dicitur : *Duos quoque cherubim aureos, et productiles facies ex utraque parte oraculi* (*Exod.* XXVIII, 18). Cherubim unus sit in latere uno et alter in altero : ut utrumque latus propitiatorii tegant expandentes alas, et operientes juncta.

(827) Ex hom. 16 in Ezech., post medium.
(828) Vulg. habet pro dictione *portæ* pronomen *ejus*.
(829) Ex hom. 16 in Ezech, longiuscule ab initio.
(830) Hæc sunt aliquantum a superioribus dis-
(831) Ex hom. 9 in Evang.
(832) Ex hom. 17 in Evang.
(833) Ex hom. 6 in Ezech., paulo post medium.

Digitized by Google

oraculum, respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium. Quid enim per propitiatorium, nisi ipse mediator Dei et hominum signatur, de quo per Paulum dicitur : *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ejus?* (*Rom.* III, 23) Quid vero per duos cherubim qui plenitudo scientiæ dicuntur, nisi utraque testamenta signata sunt? Ex quibus unus ad summitatem unam propitiatorii, alter vero ad summitatem alteram stat, quia quod Testamentum Vetus de Incarnatione nostri Redemptoris cœpit prophetando promittere, hoc Testamentum Novum perfecte narrant expletum. Duo autem cherubim ex auro mundissimo facti sunt, quia utraque Testamenta, pura ac simplici veritate describuntur. Expandunt vero alas et oraculum operiunt, quia nos qui omnipotentis Dei oraculum sumus, a culpis imminentibus Scripturæ sacræ ædificio protegimur. Cujus dum sententias sollicite aspicimus, ab errore ignorantiæ alis velamur. Duo vero cherubim se mutuo respiciunt versis **623** vultibus in propitiatorium, quia utraque testamenta in nullo a se discrepant, et quasi ad semetipsa vicissim faciem tenent, quia dum quod unum promittit, hoc aliud exhibet, dum inter se positum mediatorem Dei et hominum vident.

(834) Facies quippe a semetipsis cherubim averterent, si quod unum testamentum promitteret, aliud negaret. Sed dum concorditer de mediatore Dei et hominum loquuntur, ut vicissim se respiciant, in propitiatorium intendunt. Quia enim Testamentum Vetus designavit, hoc Testamentum Novum exhibuit. Ut enim pauca de multis loquar, quid est quod Adam dormiente, Eva producitur (*Gen.* II), nisi quod moriente Christo Ecclesia formatur? Quid est quod Isaac ad immolandum ducitur, et ligna portat, aræ superponitur et vivit? nisi quod Redemptor noster ad passionem ductus, lignum sibi crucis ipse portavit, et in sacrificio pro nobis ex humanitate est mortuus, ut tamen immortalis maneret ex divinitate.

(835) Quid est quod homicida post mortem summi pontificis absolutus ad terram propriam redit, nisi quod humanum genus quod peccando sibimet ipsi mortem intulit, post mortem veri sacerdotis, videlicet Redemptoris nostri peccatorum suorum vinculis solvitur, et in paradisi possessione reparatur? Bene ergo duo cherubim se mutuo respiciunt versis vultibus in propitiatorium, quia sicut jam diximus, quod Testamentum Vetus promisit, hoc Testamentum Novum exhibuit; et quod illud occulte annuntiat, hoc istud exhibitum aperte clamat. Prophetia igitur Testamenti Novi est Vetus Testamentum, et expositio Testamenti Veteris est Novum Testamentum.

(834) Hæc præcedunt superiora.

(835) Hæc sunt apud Gregor. ante hæc verba Ezech : *per quatuor partes earum ibant*. De binario vide alia c. 2 supra citati operis Clictovei, et Adrian. Turneb. in poem. de Binario.

624 CAPUT III.

DE TERNARIO.

In Scriptura sacra ternarii nomine, aliquando tres speciales intelliguntur virtutes, fides, spes, charitas; aliquando fides sanctæ Trinitatis; aliquando tria peccati genera, operationis videlicet, locutionis, et cogitationis : aliquando tria vitæ præsentis tempora designantur.

(836) Ternarii nomine tres speciales virtutes designantur, sicut de Job dicitur : *Nati sunt ei septem filii, et tres filiæ* (*Job* I, 2). Septem quippe nobis filii nascuntur, cum per conceptionem bonæ cogitationis sancti Spiritus in nobis septem virtutes oriuntur. Hanc namque internam prolem dinumerat, cum Spiritus mentem fecundat dicens : *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini* (*Isa.* XI, 2). Cum ergo per adventum Spiritus sancti sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas ac timor Domini in animo unicuique nostrum gignitur, quasi mansura posteritas in mente propagatur, quæ supernæ nostræ nobilitatis genus eo ad vitam longius servat, quo amori æternitatis sociat. Sed habent in nobis septem filii, tres sorores suas, quia nimirum quidquid virile hi virtutum sensus faciunt, fidei, spei charitatique conjungunt. Neque enim ad denarii perfectionem septem filii pervenirent, nisi in spe, fide et charitate fuerit omne quod agunt.

Ternarii nomine fides sanctæ Trinitatis designatur, sicut per Ezechielem prophetam dicitur : **625** *Porro thalami ad viam orientalem portæ tres hinc, et tres inde* (*Ezech.* XL). (837) Via etenim nobis ipse est qui dixit : *Ego sum via, veritas et vita.* Ipse etiam via est orientalis de quo scriptum est : *Ecce vir Oriens nomen ejus* (*id.* VI, 12). Hi autem qui in sancta Ecclesia frumenti amore Dominum videre sciunt, eique jam per desiderium conjunguntur thalami vocantur. Sed quid est quod dicitur tres hinc, et tres inde. Thalami quippe juxta viam orientalem sunt corda ferventia in amore Dei. Et sive hi, qui electi fuerunt in Veteri Testamento, sive hi qui in Testamento Novo secuti sunt, nimirum constat quia omnes ex amore accensi sunt. Neque enim vere Dominum diligerent, si ejusdem Trinitatis quæ Deus est, gratiam non accepissent. (838) Juxta viam ergo orientalem tres hinc, et tres inde sunt thalami, quia dum inter veteres et novos Patres Dominus incarnari dignatus est, quasi in medio thalamorum via orientalis apparuit, qui thalami ad veram speciem ex Trinitatis sunt cognitione decorati. Sin vero ad virtutes electorum eumdem numerum referamus, tres sunt virtutes, sine quibus is qui operari jam valet, salvari non potest, videlicet fides,

(836) Ex lib. I in Job, c. XII, 28.

(837) De ternario Clicthov. et Guillelmus abbas Albæripæ, ms. in Biblioth. Victo. nonnulla trudunt.

(838) Ex hom. 16 in Ezech., post initium.

Digitized by Google

spes, charitas. Et quia eadem spes, fides, et charitas, in antiquis Patribus quæ in novis doctoribus fuit, juxta viam orientalem tres hinc et tres inde thalami describuntur.

(839) Ternarii nomine tria vitæ peccati genera, operationis videlicet, locutionis et cogitationis, designantur, et nuntius beato Job dixisse perhibetur : *Chaldæi fecerunt tres turmas, et invaserunt camelos, et tulerunt eos ; nec non et pueros percusserunt gladio ; et effugi ego solus, ut nuntiarem tibi* (*Job* I, 17). Per camelos quippe qui mundum aliquid habeat, dum ruminant, et immundum, dum nequaquam ungulam findunt, bonæ rerum temporalium dispensationes intelliguntur. (840) Quasi enim tres turmas contra camelos facere, est terrenarum dispensationum studia modo illicito opere, modo superflua locutione, modo inordinata cogitatione vastare, ut, dum ad ministrandum se mens exterius efficaciter extendere nititur, a sui consideratione separetur ; et eo damna quæ de semetipsa patitur nesciat, **626** quo erga aliena fortiori studio quam decet elaborat. Recta autem mens cum curas dispensationis suscipit, quid sibi, quid proximis debeat, attendit ; et nec per alienæ sollicitudinis immoderationem sua studia negligit, nec per suæ utilitatis vigilantiam aliena postponit. Sed tamen plerumque dum ad utraque mens solerter invigilat, dum magnis erga se et ea quæ sibi commissa sunt circumspectionibus vacat, repentino turbata cujuslibet causæ emergentis articulo, ita in præceps rapitur, ut ab ea subito cunctæ circumspectiones ejus obruantur. Unde et custodes camelorum pueros Chaldæi gladio feriunt, sed tamen unus redit, quia inter hæc discretionis ratio mentis nostræ oculis occurrit et sollicita sibimet anima, quid subito impulsu tentationis intrinsecus amittat intelligit.

(841) Ternarii nomen tria vitæ præsentis tempora videlicet ante legem, sub lege, sub gratia designat, sicut in Evangelio voce Veritatis dicitur : *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, et venit quærens fructum in ea et non invenit. Dixit autem ad cultorem vineæ : Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio* (*Luc.* XIII, 7). Quid enim arbor fici nisi humanam naturam signat? Quæ bene quidem plantata est sicut ficus, sed in culpam propriam sponte lapsa fructum non servat operationis. Ad peccatum quippe ex voluntate corruens, quia fructum obedientiæ ferre noluit, statum rectitudinis amisit. Quæ ad Dei similitudinem condita, dum in sua dignitate non perstitit quod plantata fuerat servare contempsit. Tertio autem Dominus vineæ ad ficulneam venit, quia naturam generis humani, ante legem, sub lege, sub gratia exspectando, admonendo, visitando requisivit. Dixit autem ad cultorem vineæ : *Ecce anni tres sunt ex quo venio fructum quærens in ficulnea hac, et non invenio.* Venit namque ante legem, quia per naturalem intellectum quid unusquisque exemplo sui, qualiter erga proximum agere debuisset innotuit. Venit in lege, quia præcipiendo docuit. Venit post legem per gratiam ; quia pietatis suæ præsentiam exhibendo monstravit. Sed in tribus annis fructum se non invenisse **627** conqueritur, quia quorumdam pravorum mentes nec inspirata lex naturalis corrigit, nec præcepta erudiunt nec incarnationis ejus miracula convertunt.

CAPUT IV.

DE QUATERNARIO.

In Scriptura sacra quaternario numero, aliquando quatuor evangelistæ, aliquando evangelistarum dicta, aliquando principales virtutes, aliquando quatuor Evangelia, aliquando quatuor mundi partes intelliguntur.

(842) Quaternarii nomine quatuor Evangelistæ intelliguntur, sicut per Ezechielem dicitur : *Et in medio ejus similitudo quatuor animalium* (*Ezech.* I, 5) ; et post pauca : *Similitudo autem vultus eorum facies hominis, et facies leonis a dextris ipsorum quatuor* (*ibid.* XLI, 19). Require in capitulo de leone, lib. III, cap. 17, dist. 2.

Quaternarii nomine quatuor Evangelistarum dicta intelliguntur. Require in capitulo de columnis, lib. XII, cap. 16, dist. 3.

Quaternario numero quatuor principales virtutes designantur, ut videre est lib. I, cap. 13, distinct. 2.

(843) Quaternario numero quatuor Evangelia designantur, sicut voce Dominica ad Moysen dicitur : *Facies quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor arcæ angulos : duo circuli sunt in latere uno, et duo in altero. Facies quoque vectes de lignis Sethim, et operies eos auro ; inducesque per circulos qui sunt in arcæ lateribus, ut* **628** *portetur in eis, qui semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis* (*Exod.* XXV, 12-15). (844) Quid namque per arcam, nisi sancta Ecclesia figuratur ? Cui quatuor circuli aurei per quatuor angulos jubentur adjungi, quia in eo quod per quatuor mundi partes dilatata tenditur, procul dubio quatuor sancti Evangelii libris accincta prædicatur. Vectes quoque de lignis Sethim fiunt, qui eisdem ad portandum circulis inserantur, quia fortes perseverantesque doctores, velut imputribilia ligna quærendi sunt, qui instructioni sacrorum librorum semper inhærentes sanctæ Ecclesiæ unitate denuntient, et quasi intromissi circulis arcam portant. Vectibus quippe arcam portare, est bonis doctoribus sanctam Ecclesiam ad rudes infidelium mentes prædicando deducere. Qui auro quoque jubentur operiri, ut cum sermone aliis insonant, ipsi etiam

(839) Ex lib. II in Job c. XXV, 35.
(840) Hæc sunt post superiora periodis aliquot dissita.
(841) Ex hom. 31, in Evang.
(842) De quaternario vide iterum Jodoc. Clicthov. c. 4 de mystica muner. signific. et Guillel. abbat. m Albæripæ.
(843) Gregor. autem ex vers. proximo repetit verbum *facie*.
(844) Ex II part. Pastoral., c. 11.

Digitized by Google

vitæ splendore fulgescant. De quibus apte subditur: *Qui semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis.* Quia nimirum necesse est ut qui ad officium prædicationis excubant, a sacræ lectionis studio nunquam recedant. Ad hoc namque vectes esse in circulis semper jubetur, ut, cum portari arcam opportunitas exigit, de intromittendis vectibus portandi tarditas nulla generetur, quia videlicet, cum spiritale aliquid a subditis pastor inquiritur, ignominiosum valde est, si tunc quærat discere, cum quæstionem debet enodare. Sed circulis vectes semper inhæreant, ut doctores semper in cordibus suis eloquia sacra meditantes, testamenti arcam sine mora elevent, et quidquid necesse est protinus doceant. Unde primus pastor Ecclesiæ pastores cæteros admonet, dicens: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti de ea quæ in nobis est spe* (*I Petr.* III, 15). Ac si aperte dicat: Ut ad portandum arcam nulla mora præpediat, vectes a circulis nunquam recedant.

(845) Quaternario numero quatuor mundi partes, scilicet oriens, occidens, meridies et septentrio intelliguntur.

629 CAPUT V.

DE SENARIO.

In Scriptura sacra senario numero, aliquando perfectio rei, de qua agitur, aliquando activæ vitæ perfectio, aliquando sex sæculi hujus ætates signantur.

(846) Senario numero perfectio rei qua agitur intelligitur: *Unde et beato Job in restitutione rerum amissarum pro tribus millibus camelorum, reddita sunt ei sex millia camelorum* (*Job* XLII, 12). Senarius namque numerus apud sæcularem scientiam idcirco perfectus est, quia primus innumeris completur partibus suis, id est sexta sui parte et tertia et dimidia, quo unum et duo et tria sunt quæ in summam ducta sex fiunt. Nec enim alius ante senarium reperitur, qui suis partibus dum dividit, tota ejus summa compleatur. Sed hoc quod per Scripturæ sacræ celsitudinem transcendimus, ibi senarium, unde perfectus sit invenimus. Senarius quippe numerus in Scriptura sacra perfectus est, quia in mundi origine Dominus ea quæ primo die cœpit, sexto die opera complevit. (847) Millenarius autem numerus in sacro eloquio perfectus dicitur, quia appellatione ejus universitas rei, de qua agitur, designatur. Camelorum vero nomine eos accipimus, qui cæterorum mala transeunt exuberantium tortuosa mole vitiorum. Beatus ergo Job sex millia camelorum recepit, quia sancta Ecclesia plenitudinem operis accepit in eorum conversione, qui ab illa dudum vitiorum suorum feditate perierunt.

Senario numero activæ vitæ perfectio designatur, sicut ad Moysen dicitur: *Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet sibi; in septimo egredietur liber gratis. Cum* **630** *quali veste intraverit, cum tali exeat: Si habens uxorem, et uxor egrediatur simul. Sin autem dominus dederit illi uxorem, et pepererit filios, et filias, mulier et liberi erunt domini sui, ipse vero exibit cum vestitu suo. Quod si dixerit servus: Diligo dominum, et uxorem ac liberos: non egrediar liber, offerat eum dominus diis et applicabitur ad ostium, et postes, perforabitque aurem ejus subula, et erit ei servus in sæcula* (*Exod.* XXI, 2-6). (848) Hebræus *transiens* interpretatur. Et servus Hebræus emittur, quando unusquisque, qui jam ab hoc sæculo mente transit, servitio omnipotentis Dei subditur. Ille etenim vere Deo servire appetit qui ab hoc sæculo transire didicerit: Sic Moyses transit, ut videret visum (*Exod.* III); sic David cum videret *impium exaltatum et elevatum super cedros Libani*, transivit, *et ecce non erat* (*Psal.* XXXVI, 35). Quia iniquorum potentias esse magnum aliquid fortasse credimus, nisi permanens sæculum mente transeamus. Servus vero Hebræus emptus sex annis servire præcipitur, ita ut in septimo liber exeat gratis. Quid enim per senarium numerum nisi activæ vitæ perfectio designatur? Quid enim per septenarium nisi contemplativa exprimitur? Sex ergo annis servit, et septimo egreditur liber, quia per activam vitam quam perfecte exhibuerit, ad contemplativæ vitæ libertatem transit. Et notandum quod gratis liber egreditur, quia hi postquam omnia fecerint dicunt se inutiles servos: eisque procul dubio sicut ipsa activa fuit ex munere, ita erit ex gratia etiam contemplativa. Cum quali veste intraverit cum tali exeat, quia omnino necesse est, ut unusquisque nostrum in hoc quod incipit, perseveret usque ad finem operis, in ea quam inchoavit intentione perduret. Ille quippe ad contemplativam transit, qui in activa vita intentionis suæ vestem ad deteriora non mutaverit. Et sunt nonnulli qui priusquam omnipotentis Dei servitio in sancta conversatione socientur jam bona operari diligunt. Sunt vero alii qui bona opera priusquam ad servitium omnipotentis Dei venerunt, discunt. Qui ergo operationem bonam priusquam ad Dei servitium veniret, habere studuit, Hebræus servus cum uxore est emptus. Et plerumque is qui talis est, potest ad contemplativam vitam **631** transire, et tamen activam vitam non deserere. Unde et illic subditur: *Si habens uxorem et uxor egrediatur simul.* Cum eo enim ad libertatem et uxor egreditur, quando is qui ad contemplationem pervenit, etiam foris actionem boni operis, qua prodesse possit aliis non relinquit. Sin autem Dominus dederit illi uxorem, et peperit ei filios, et filias; mulier et liberi ejus erunt domini sui, ipse vero exibit cum vestitu suo. Servo empto dominus dat uxorem, cum prædicator quisque eum quem juri omnipotentis Dei mancipaverit, bonæ actioni conjungit. Nam et prædicatores, domini vocantur, sicut Eliseo prophetæ de prædicatore suo dicitur: Scis quod dominus tuus tollatur a te (*IV Reg.* II, 5) (849).

(845) Hic auctor lectorem mittebat ad c. 20, l. v, sed nihil occurrit ad rem.
(846) Ex l. XXXV in Job c. XI, in fine 19.
(847) Hæc longius a superioribus sunt.
(848) Ex hom. 3 in Ezech.
(849) In Vulg. arctius oratio hæc offertur.

Digitized by Google

Uxor vero servi emptitii filios et filias parit, quando bona actio fortes, vel teneros fructus generat. Sed mulier quæ a domino data est, eidem domino cum filiis remanet, ipse vero servus exit cum vestitu suo, quia bona actio, vel ejusdem bonæ actionis fructus prædicatoris mercede reputantur. Ipse vero in desiderii sui intentione perdurans, per supernam gratiam ad contemplationem liber egreditur. Quod si dixerit servus; diligo dominum meum, et uxores ac liberos, non egrediar liber. Servus dominum suum diligit, quando prædicatoris verba sollicita mente custodit. Uxorem quoque amans et liberos, liber egredi recusat, quando activam vitam ejusque fructus diligens transire ad contemplativam non vult, quia bona se opera habere in ministerii sui servitute considerans, ad libertatis quietem recusat secedere. Sed offerat eum dominus diis, et applicetur ad ostium et postes, et perforet aurem ejus subula, ut sit ei servus in sæculum. Is enim qui in activa disposuit vita perdurare, a Domino diis offertur, quando a prædicatore suo antiquorum Patrum dictis imbuitur, qui nobis in via omnipotentis Dei sacerdotes fuerunt, atque ad ostium, et postes tabernaculi ducitur, ut de ingressu cœlestis habitaculi alterius aliquid audiat, et tremendi judicii diem subtiliter agnoscat, ne per bona opera, quæ facit, placere hominibus appetat. Sicque auris ejus subula perforatur, dum mens illius timoris Dei subtilitate percutitur, ut verbi Dei acumine **632** transfixa per omne, quod agit, noverit ingressum regni semper attendere et quasi ab ostio et poste tabernaculi perforatam aurem portare. Qui erit ei servus in sæculo, ut esse post sæculum liber possit. In sæculo enim servus est, qui per activam vitam hominibus servire disposuit, ut post præsens sæculum ad libertatem veram valeat pervenire, de qua per Paulum dicitur : *Quia ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei* (*Rom.* VIII, 21). Tunc etenim nobis vera libertas erit, cum ad gloriam filiorum Dei adoptio nostra pervenerit. Nunc vero non solum activa vita in servitute est, sed ipsa quoque contemplatio, quia super nos rapimur, libertatem mentis adhuc perfecte non obtinet, sed imitatur, quia illa quies intima in ænigmate videtur. Ipsa tamen in quantalibet sit comtemplationis angustia, activa vita jam valde est latior atque sublimior, quæ ad quamdam mentis libertatem transit, temporalia non cogitans, sed æterna.

(850) Senario numero sex sæculi hujus ætates designantur, sicut per Ezechielem prophetam dicitur : *Ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respiciebat ad aquilonem et uniuscujusque vas interius in manu ejus* (*Exod.* XXXVI, 25). Repete lib. III, cap. 2, dist. 5.

CAPUT VI.

DE SEPTENARIO.

In Scriptura sacra septenario numero, aliquando summa perfectionis, aliquando secutura requies, aliquando universitas temporalitatis, aliquando sanctæ Ecclesiæ universitas, aliquando plenitudo operationis spiritus septiformis intelligitur, aliquando septem virtutes.

633 (851) Septenario numero perfectionis summa designatur, sicut de beato Job dicitur : *Natique sunt ei septem filii et tres filiæ* (*Job* I, 2). Septenarius quippe numerus apud sapientes hujus sæculi quadam sua habetur ratione perfectus, quia ex primo pari et ex primo impari consummatur : ex primo qui dividi potest, et ex primo qui dividi non potest. Primus enim par quaternarius est, primusque impar ternarius, ex quibus duobus septenarius constat; qui eisdem suis partibus multiplicatus in duodenarium surgit. Nam sive tres per quatuor sive quatuor per tres ducimus, ad duodenarium pervenimus. Sed nos qui superna veritatis prædicamenta percipimus, hæc fixa sententiæ altitudine despiciendo calcamus. Hoc procul dubio inconcussa fide retinentes, quia quos spiritus gratiæ septiformis repleverit, perficit eis non solum Trinitatis notitiam; sed etiam virtutum quatuor, id est prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis, atque justitiæ operationem præbet. Qui in ipsis quoque quos ingreditur, is quodammodo partibus augetur, dum et per Trinitatis notitiam quatuor virtutum actio accipitur; et per operationem virtutum quatuor, usque ad manifestam Trinitatis speciem pervenitur. Et apud nos ergo est septenarius, sed longe dissimiliter, quia plene et nominanter in duodenarium surgit, dum et per fidem opera, et rursum per opera perficit fidem. Sancti quoque apostoli gratia septiformis spiritus implendi duodecim sunt electi, in quatuor enim mundi partibus Trinitatem quæ est Deus innotescere mittebantur. Duodecim ergo sunt electi, ut etiam ex ipsius numerationis causa claresceret quod per quatuor infima, tria summa prædicarent. Sive itaque hac vel alia qualibet ratione, certissime tamen scimus, quod Scriptura sacra septenarium numerum pro perfectione ponere consuevit. Nati sunt ergo beato Job septem filii ad prædicandum, scilicet viriliter incedentes apostoli, qui, dum perfectionis præcepta peragunt, quasi superioris sexus fortitudinem in conversatione tenuerunt.

634 (852) Septenario numero secutura requies æternitatis invenitur, cum dies septimus in requiem Domini sanctificatus vacatur cui jam vespera inesse non dicitur, quia æternæ beatitudinis requies nullo termino coarctatur, hinc est etiam quod lege data dies septimus feriatus esse præcipitur, ut æterna per illum requies designetur. Hinc est quod in annorum

(850) De senario ibidem Clicthov., et Guillel. abb. Albæripæ, c. 4.

(851) Ex lib. XXXV in Job, cap. 7 ante medium, et l. I, c. 6, 12 carptim.

(852) Ex l. XXXV in Job, c. 7, 6.

Digitized by Google

curriculo septenarius numerus septies multiplicatus monade addita ad quinquagenarium ducitur, ut perpetuam beatitudinem signans jubilæi sacratissima requies observetur. Hinc est quod resurgens Dominus et frequenter apparens ultimo jam convivio cum septem discipulis comedisse describitur, quia hi qui illo nunc perfecti sunt, æterna per illum refectione satiantur.

(853) Septenario numero hæc universitas temporalitatis accipitur. Hinc est enim quod per septem dies hoc totum vitæ præsentis tempus evolvitur. Hinc est quod in typo sanctæ Ecclesiæ *quæ omni tempore mundum prædicando circuit, arca Domini tubis clangentibus muros Jericho diebus septem circumacta confregit* (*Josue* VI, 4). Hinc Propheta ait: *Septies in die laudem dixi tibi* (*Psal.* CXVIII, 164). Quod ipse rursum pro toto atque universo suæ deprecationis tempore se dixisse significans ait: *Semper laus ejus in ore meo* (*Psal.* XXXIII, 2). Quod vero per septenarium numerum præsentis vitæ universitas designatur, tunc magis ostenditur cum post eum quoque etiam octonarius subinfertur. Septenarium quippe cum adhuc alius sequitur, ex ipso ejus argumento exprimitur quod finienda temporaliter æternitate concludatur.

Septenario numero sanctæ Ecclesiæ universitas designatur. Unde Joannes in Apocalypsi: *Septem Ecclesiis scribit* (*Apoc.* I, 4); sed per eas quid aliud quam universalem intelligi Ecclesiam voluit? Quæ nimirum universalis Ecclesia ut plena septiformis gratiæ spiritu signaretur, Eliseus super puerum mortuum septies oscitasse describitur (*IV Reg.* IV). Super exstinctum quippe populum Dominus veniens, quasi septies oscitat qui ei dona Spiritus septiformis gratiæ misericorditer aspirat.

635 Septenario numero plenitudino operationis spiritus septiformis intelligitur, sicut per Zachariam prophetam de Redemptore nostro sub figura lapidis dicitur: Super lapidem unum septem oculi sunt. Require in cap. de Pleiadibus, lib. I, c. 9, dist. 2.

(854) Septenario numero septem virtutes intelliguntur, quæ in cordibus fidelium operante Spiritu sancto oriuntur, videlicet sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas ac timor Domini (855). Unde et hoc quod prædiximus de filiis Job potest quoque moraliter, non inconvenienter intelligi, scilicet nati sunt ei septem filii et tres filiæ. Septem quippe nobis filii nascuntur, cum per conceptionem bonæ cogitationis sancti Spiritus septem in nobis virtutes oriuntur. Hanc namque internam prolem propheta dinumerat, cum spiritus mentem fecundat, dicens: *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini* (*Isa.* XI, 2, 3) (856). Cum ergo per adventum Spiritus sancti sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia pietas ac timor Domini in animo uniuscujusque nostrum gignitur, quasi mansura posteritas in mente propagatur, quæ supernæ nostræ nobilitatis genus eo ad vitam longius servat, quo amori æternitatis sociat; sed habent in nobis septem filii tres procul dubio sorores suas, quia quidquid virile hi virtutum sensus faciunt, spei, fidei et charitati conjungunt. Neque enim ad denarii perfectionem septem filii pervenirent, nisi in spe, fide et charitate fuerit omne quod agunt.

CAPUT VII.

DE OCTONARIO.

(857) Octonario numero, dies æterni judicii, et carnis resurrectio designatur, sicut per Ezechielem dicitur: *Et mensus est vestibulum portæ octo cubitis* (*Ezech.* XL, 9). Ac ne hoc vestibulum extra portam esse crederemus, subditur: *vestibulum autem portæ erat intrinsecus.* Quid **636** ergo interius vestibulum, nisi æternæ vitæ latitudo signatur, quæ modo inter angustias vitæ præsentis jam spe mente concipitur? De qua per Psalmistam dicitur: *Intrate portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis confessionum* (*Psal.* XCIX, 1). (858) Cum enim peccata nostra per lacrymas confitemur, angustæ vitæ portam ingredimur. (859) Sed cum post hæc ad æternam vitam perducimur, portæ nostræ atria in confessionum laudibus intramus, quia ibi jam angustia non erit, cum lætitia æternæ solemnitatis nos assumpserit. Propter confessionis nostræ angustiam Veritas dicit: *Intrate per angustam portam* (*Matth.* VII, 13). Et cum se Psalmista recipere in latitudine æterna gaudia præsumpserat, dicebat: *Statuisti in loco spatioso pedes meos* (*Psal.* XXX, 9). Ad atrium ergo per portam tenditur, quia ad latitudinem solemnitatis pertingitur ab angustia confessionis. Illa itaque gaudia, quæ apud David atria, apud Ezechielem vestibulum interius vocantur. Unde et hoc ipsum vestibulum octo cubitis dicitur mensuratum. Ibi enim omnes recipiendi sunt, qui nunc in exercitio operis laborant, et ad æterna gaudia per contemplationis gratiam suspirant. Nec immerito mensura vestibuli in octo cubitis ponitur, quia septem diebus universum tempus evolvitur. Æterna etenim dies quæ expleta septem dierum vicissitudine sequitur, scilicet octava est. Octo itaque cubitis vestibulum mensuratur intrinsecus, quia per lucem quæ post septem dies sequitur latitudo nobis æternitatis aperitur.

CAPUT VIII.

DE NOVENARIO.

(860) Novenario numero novem angelorum or-

(853) Ex eodem lib. et cap.
(854) His si lubet junge Clicthov.
(855) Guill. abb. Albæripæ, c. 8. et Clict. cap. 7 et 8.
(856) Ex lib. I in Job, c. II, 28.
(857) Adde Guill. abb. Albæripæ c. 9 et Clictov., c. 7.
(858) Ex initio homel. 16 in Ezech
(859) Sic autem legit Aug. in Psal
(860) Vide Guill. abba Albæripæ, cap. 10, et Clictov., cap. 8.

Digitized by Google

dines designantur, sicut propheta de antiqui hostis ruina loquens, et conditiones ejus celsitudinem et primatus ejus potentiam insinuans, post alia dicit : *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum ; sardius, topazius, et jaspis, chrysolithus, et onyx, et berillus, sapphirus, et carbunculus, et smaragdus* (*Ezech.* XXVIII, 13). Novem dixit genera lapidum **637** nimirum novem sunt ordines angelorum. Nam cum per ipsa sacra eloquia angeli, archangeli, throni, dominationes, virtutes, principatus, potestates, cherubim atque seraphim aperta narratione memorantur superborum civium ; quantæ sint distinctiones supernorum civium ostenditur (861). Quibus tamen A antiquus hostis opertus fuisse describitur, quia eos quasi vestem ad ornamentum suum habuit, quorum dum claritatem transcenderet, ex eorum comparatione clarior fuit.

CAPUT IX.

DE DENARIO.

(862) Denario numero angelorum et hominum natura designatur, sicut in Evangelio Veritatis voce dicitur : *Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam nonne accendit lucernam, et evertit domum, et quærit diligenter donec inveniat ?* (*Luc.* XV, 8.)

INCIPIT LIBER DECIMUS SEXTUS.

638 CAPUT PRIMUM.

DE VASIS.

In Scriptura sacra cum vas singulariter ponitur, aliquando prædicator sanctus, aliquando indisciplinatus quilibet, aliquando intelligentiæ nostræ capacitas designatur. Cum pluraliter vasa dicuntur, aliquando sancti Patres, aliquando animæ fidelium populorum, aliquando conscientiæ nostræ intelliguntur.

(863) Vasis nomine prædicator sanctus intelligitur sicut in Actibus apostolorum voce Dominica ad Ananiam de Paulo converso dicitur : *Vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel* (*Act.* IX, 15).

Vasis nomine disciplinatus quilibet intelligitur, sicut ad Moysen voce Dominica dicitur : *Vas quod non habebit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit* (*Num.* XIX, 14). **639** (864) Tegmen namque operculi vel ligatura, est censura disciplinæ, qua quisquis non premitur, quasi immundum pollutumque reprobatur. Quasi enim vas sine operculo vel ligatura polluitur, qui per studium ostentationis patens nullo velamine taciturnitatis operitur.

(865) Vasis nomine capacitas intelligentiæ nostræ intelligitur sicut per Moysen in ædificatione tabernaculi dicitur : *Quidquid in cultum et ad vectes necessarium erat viri cum mulieribus præbuerunt, armillas, et inaures, annulos et dextralia. Omne vas aureum in donaria Domini separatum est. Si quis habuit hyacinthum, purpuram, coccumque bis tinctum, byssum, et pilos caprarum* (*Exod.* XXXV, 22). In ornamento quippe tabernaculi viri cum mulieribus dona offerunt, quia in explendo cultu sanctæ Ecclesiæ et fortium facta sublimia, et infirmorum B opera extrema numerantur. Quid autem per armillas quæ lacertos astringunt, nisi præpositorum valide laborantium opera demonstrantur? Et quid per inaures, nisi subditorum obedientia exprimitur? Quid per annulos, nisi signaculum secretorum accipitur? Plerumque enim magistri signant, quod ab auditoribus capi non posse considerant. Et quid per dextralia, nisi primæ operationis ornamenta monstratur? Quid per vas aureum in donaria Domini separatum, nisi Divinitatis intelligentia accipitur? quæ tanto ab inferiorum amore disjungitur, quanto ad sola, quæ æterna sunt amanda sublevatur. Quid per hyacinthum, nisi spes cœlestium? Quid per purpuram, nisi cruor ac tolerantia passionum, amore regni perpetui exhibita intelligitur? Et quid per bis tinctum coccum, nisi charitas demonstratur, quæ perfectione bis tingitur, quia Dei et proximi dilectione decoratur? Quid per byssum, nisi immaculata carnis incorruptio? Et quid per pilos caprarum ex quibus ciliciorum asperitas texitur, nisi dura pœnitentium afflictio designatur? Dum igitur alii per armillas et annulos forte magisterium exercent, alii per inaures et dextralia, devotam obedientiam rectamque operationem exhibent, alii per separatum vas aureum, præclaram subtilioremque **640** Dei intelligentiam tenent : alii per hyacinthum, purpuram et coccum, audita cœlestia sperare, credere, amare non desinunt, etiam quæ adhuc subtiliori intellectu minime cognoscit : Alii per byssum incorruptionem carnis offerunt, alii per pilos caprarum deplorant aspere, quod libenter commiserunt : quasi ex imo et pari obsequio facta fidelium dispar ria procedunt.

(866) Vasorum nomine sancti Patres designantur,

(861) Præter hæc lege Guillel. Albari panum.
(862) Hic lector mittebatur ad lib. IV, sed nihil ad propositum videat; tamen lect. hom. 34 in Evang.
(863) Lib. XII in Job, c. XII, 11, sed Gregor. hic expresse non interpretatur.
(864) Ex l. XXIII in Job, c. V. 9.
(865) Ex l. XXX in Job, c. VI, 10.
(866) Ex l. XVIII in Job, c. XXVII, 23 carptim.

Digitized by Google

sicut per Job de sapientia dicitur : *Non commutabuntur pro ea vasa auri excelsa et eminentia* (*Job* XXVIII, 18). Excelsa quippe et eminentia vasa auri priores Patres fuere ; sed Dei sapientia, ut a carnali nos conversatione redimeret, apparuit in carne, et qui illam veraciter non agnovit, mediatorem Dei et hominum hominem Christum, Jesum esse unum ex prophetis putavit ; quem electorum oculi fide tenuerunt Deum, cum viderent hominem, unde ab eo sanctis discipulis dicitur : *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* (*Matth.* XVI, 28.) Cui cum protinus responderent : *Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis* (*ibid.* VIII, 28), de suo mox sensu requiruntur : *Vos autem quem me esse dicitis* (*ibid.*)? cui protinus Petrus totius Ecclesiæ voce respondens ait : *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*ibid.* XVI, 18). Quia igitur juxta Pauli vocem, *Christum novimus Dei virtutem, et Dei sapientiam* (*I Cor.* I, 24). Petrus pro hac sapientia vasa auri excelsa et eminentia commutare noluit, quia de illa non aliud quam erat intellexit. Magnum quippe vas auri Joannes; magnum vas auri Elias, vel Jeremias exstitit. Sed quisquis eumdem Dominum quemlibet eorum esse crediderit, vas auri excelsum atque eminens pro sapientia commutavit. Ecclesia vero pro hac sapientia vasa auri excelsa et eminentia non commutat, quia Christum Dei Filium non unum esse prophetarum, sed unum prophetarum Dominum credit.

(867) Vasorum nomine designantur fidelium populorum animæ, sicut per Moysen de Levitis dicitur : *Ut ab anno vicesimo quinto tabernaculo serviant, sed a quinquagesimo custodes vasorum fiant* (*Num.* VIII, 11). Quid enim per annum quintum ac vicesimum, in quo flos juventutis **641** oboritur, nisi ipsa contra unumquodque vitium bella signantur? Et quid per quinquagesimum, in quo et jubilæi requies continetur, nisi interna quies edomito bello mentis exprimitur? Quid vero per vasa tabernaculi, nisi fidelium animæ figurantur? Levitæ ergo ab anno vicesimo quinto tabernaculo serviant, et a quinquagesimo custodes vasorum fiant, ut videlicet qui adhuc impugnantium vitiorum certamina per consensum delectationis tolerant, aliorum curam suscipere non præsumant. Cum vero tentationum bella subegerint, quo apud se jam de intima tranquillitate securi sunt, animarum custodiam sortiantur. Sed quis hæc tentationum prælia sibi perfecte subjiciat, cum Paulus dicat : *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ et captivum me ducentem in lege peccati?* (*Rom.* VII, 23.) Sed aliud est bella fortiter perpeti, aliud bellis enerviter expugnari. In istis exercetur virtus ne extolli debeat, in illis omnino exstinguitur, ne subsistat. Qui igitur scit fortiter tentationem ferre certaminis, et cum tentatione concutitur, in alta arce præsidet quietis, quia etiam apud semetipsum sub se ipso esse contentiones vitiorum conspicit, quibus nulla fractus delectatione consentit. De his tunc vasis per prophetam dicitur : *Mundamini qui fertis vasa Domini* (*Isa.* LII, 11). (868) Domini enim vasa ferunt qui proximorum animas ad æterna sacraria perducendas in suæ conversationis fide suscipiunt. Apud semetipsos ergo quantum debeant mundari conspiciant, qui ad æternitatis templum vasa viventia in sinu propriæ sponsionis portant.

(869) Vasorum nomine conscientiæ nostræ designantur, sicut Veritatis voce dicitur : *Simile est regnum cœlorum decem virginibus, quæ, accipientes lampades suas exierunt obviam sponso et sponsæ : Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum, prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus* (*Matth.* XXV, 1-5). Quærendum prius est quid sit regnum cœlorum, aut cur decem virginibus comparetur, quæ etiam virgines prudentes et fatuæ dicantur. Cum enim regnum cœlorum **642** constet, quia reproborum nullus ingreditur, etiam fatuis virginibus cur simile perhibetur? Sed sciendum est quod sæpe in sacro eloquio regnum cœlorum præsentis temporis Ecclesia dicitur, de quo alio loco dicit Dominus : *Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala* (*Matth.* XIII, 11). Neque enim in illo regno beatitudinis, in quo pax summa est, inveniri scandala poterunt quæ colligantur. Quid itaque per hanc sententiam regnum cœlorum nisi præsens Ecclesia intelligitur? In quinque autem corporis sensibus unusquisque subsistit, geminatus vero quinarius denarium perficit. Et quia ex utroque sexu fidelium multitudo colligitur, sancta Ecclesia decem virginibus similis denuntiatur ; in qua quia mali cum bonis, et reprobi cum electis admisti sunt, recte simile virginibus prudentibus et fatuis esse perhibetur. Sunt namque plerique continentes, qui ab exteriori se appetitu custodiunt, et spe ad interiora rapiuntur, carnem macerant, et toto desiderio ab supernam patriam anhelant, æterna præmia expetunt, pro laboribus suis recipere laudes humanas nolunt. Hi nimirum gloriam suam non in ore hominum ponunt; sed intra conscientiam contegunt. Et sunt plerique qui corpus per abstinentiam affligunt; sed de ipsa abstinentia favores humanos expetunt, doctrinæ inserviunt, indigentibus multa largiuntur. Sed fatuæ profecto virgines sunt, quia solam laudis transitoriæ retributionem quærunt. Unde apte dicitur : *Quinque fatuæ non sumpserunt oleum secum, prudentes autem acceperunt oleum secum in vasis suis cum lampadibus.* Per oleum quippe nitor gloriæ designatur. Vascula autem nostra sunt corda, in quibus ferimus cuncta quæ cogitamus. Prudentes ergo oleum in vasis habent, quia nitorem gloriæ intra conscientiam retinent, Paulo attestante, qui ait :

(867) Ex lib. XXIII Job c. VI, 12.
(868) Hæc sunt ex II part. Pastor. c. 2.
(869) Ex hom. 12 in Evang.

Digitized by Google

Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ (*II Cor.* I, 11). Fatuæ autem virgines oleum secum non sumunt, quia gloriam intra conscientiam non habent, dum hanc ab ore proximorum quærunt.

Item vasorum nomine corpora nostra signantur, sicut per Paulum dicitur : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus* (*II Cor.* IV, 7).

643 CAPUT II

DE ARCA.

(870) Arcæ nomine Redemptor noster intelligitur, sicut in lege scriptum est, ubi altare aureum ante arcam fieri præcipitur (*Exod.* XL, 5). Duo quippe altaria in tabernaculo per legem fieri jubentur : unum videlicet exterius, aliud interius; unum in atrio, aliud ante arcam; unum quod ære coopertum est, aliud quod auro vestitur. Atque in altari æreo cremantur carnes, in altari vero aureo incenduntur aromata. Quid est hoc fratres charissimi, quod foris concremantur carnes, intus aromata, nisi hoc quod quotidie videmus, quia duo sunt componctionis genera? quia scilicet alii adhuc per timorem plangunt, alii vero per amorem se in lamentis afficiunt. Alia quippe compunctio est quod per timorem nascitur, alia quod per amorem, quia aliud est suplicia fugere, aliud est præmia desiderare. Multi namque peccatorum suorum memores, dum supplicia æterna pertimescunt, quotidianis se lacrymis affligunt, plangunt mala quæ fecerunt, et incendunt vitia igne compunctionis, quorum adhuc suggestiones in corde patiuntur. Quid isti nisi altare sunt æreum, in quo carnes ardent? quia adhuc ab eis carnalia opera planguntur. Alii autem a carnalibus vitiis liberi, aut longis jam fletibus securi, amoris flamma in compunctionis lacrymis inardescunt, cœlestis patriæ præmia cordis oculis aspiciunt, supernis jam civibus interesse concupiscunt. Dura eis apparet servitus, longitudo peregrinationis suæ : regem in decore suo videre desiderant, et flere quotidie ex ejus amore non cessant. Quid isti, nisi altare sunt aureum in quorum corde aromata incensa sunt, quia virtutes ardent. Bene autem de eodem altari dicitur, quod ante velum arcæ sit positum in Sancta sanctorum? Arca quippe testamenti ipse nobis factus est de quo scriptum esse novimus : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ absconditi* (*Coloss.* II, 3). Arca intra velum est, Redemptor noster in cœlo. Altare vero aureum in quo thymiama incenditur **644** ante velum est quia sanctorum corda cum magnis virtutibus in Dei amore succensa sunt, per sanctum desiderium in illo ardent, quem adhuc revelata facie videre non possunt. Inter arcam quippe et altare velum est, quia hoc quod nos adhuc a visione Dei separat, corruptionis nostræ obstaculum remotum non est. Sed quousque ante velum sumus oportet, ut quasi thymiamatis incensum flamma amoris ardeamus : per compunctionis autem lacrymas nil terrenum, nil transitorium quærere debemus. Solus nobis desiderium perficit, qui fecit omnia. Transeamus per desiderium omnia, ut mente colligamur in unum : non jam timore pœnarum, non memoria vitiorum, sed amoris flamma succensi ardeamus in lacrymis cum odore virtutum.

(871) Arcæ nomine præsens Ecclesia designatur, sicut ad Noe voce Dominica dicitur : *Facies tibi arcam de lignis levigatis : trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo ejus, et triginta cubitorum altitudo. Fenestram in arca facies, et in cubito consummabis summitatem ejus.* (*Genes.* VI, 14-15). Quid enim per arcam nisi sancta Ecclesia figuratur, quæ interius ampla est, superius angusta? Quæ a trecentis et sexaginta ac triginta cubitis ad unum cubitum colligitur quia latitudinem quam sancta Ecclesia in membris suis adhuc infirmantibus habet, paulisper angustata et in altum proficiens ad unum tendit. Ipsa enim ratio exigit, ut credamus quod in illa arcæ latitudine, omnes bestiæ, cuncta quadrupedia, atque reptilia in inferioribus fuerunt, homo atque volatilia nimirum in superioribus. Juxta superiorem etenim partem fenestra fuit in latere, de qua corvum vel columbam dimisit homo, ut si jam diluvii transisset aqua cognosceret; et quia arca eadem in uno fuit cubito consummata, homo et volatilia juxta cubitum fuerunt. Recte itaque per arcam universa Ecclesia designatur, quæ adhuc in multis suis carnalibus lata est, in paucis spiritalibus angusta. Quæ quia ad unum hominem, qui est sive peccatis, colligitur, quasi in uno cubito consummatur; videmus etenim multos intra ejusdem Ecclesiæ **645** sinum in superbiam erigi, in carnis voluptate dissolvi, acquirendis terrenis rebus inhiare, imperante avaritia mare transire, deservire iracundiæ, jurgiis vacare, proximos, quos prævalent, lædere. Sed quia eos adhuc sancta Ecclesia tolerat ut convertat, quasi in arcæ latitudine deorsum bestiæ morantur. Videmus alios jam aliena non quærere, illatas injurias æquanimiter portare, rebus propriis esse contentos, humiliter vivere, sed quia isti jam pauci sunt angustatur arca. Alios autem conspicimus etiam possessa relinquere, nullum terrenis rebus studium dare, inimicos diligere, carnem a cunctis voluptatibus domare, motus omnes sub rationis judicio premere, per cœleste desiderium contemplationis penna sublevari. Sed quia tales quique valde rari sunt, in arca juxta cubitum ducuntur, ubi homines et volatilia continentur. Quæratur tamen si quis esse valeat sine peccato, et nullus invenitur. Quis itaque homo sine peccato est, nisi ille qui in peccato natus est; in imo ergo cubito consummatur arca, quia unus est auctor, et Redemptor sanctæ Ecclesiæ sine peccato ad quem omnes proficiunt qui se esse peccatores noverunt.

(870) Ex homel. ult. in Ezech., ante finem.

(871) Ex hom. 16, in Ezech., post. med.

Digitized by Google

CAPUT III.

DE CALICE.

(872 73) Calicis nomine dolor passionis intelligi tur, sicut in Evangelio filiis Zebedæi Dominica voce dicitur : *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum ?* (*Matth.* xx, 22; *Marc.* x, 39.) Duo quippe sunt martyrii genera, unum in mente, aliud in mente simul et actione. Mori namque a persequente martyrium in aperto opere est : Ferre vero contumelias, odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione. Nam quia duo sunt martyrii genera, unum in occulto opere, aliud in publico, testatur Veritas quæ filios Zebedæi, sicut prædiximus requirit dicens : *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Cui cum protinus responderent : Possumus, illico Dominus respondit, dicens : *Calicem quidem meum bibetis* (*Matth.* xx, 23). Quid enim per calicem nisi dolorem **646** passionis accipimus : De quo et alias dicit : *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (*Matth.* xxvi, 38). Et Zebedæi filii, id est Jacobus et Joannes, non uterque per martyrium occubuit; et tamen quod uterque calicem biberet, audivit; Joannes namque nequaquam per martyrium vitam finivit, sed tamen martyr exstitit, quia passionem quam non suscepit in corpore, servavit in mente. Et nos ergo hoc exemplo sine ferro esse martyres possumus, si patientiam in animo veraciter custodimus.

CAPU T IV.

DE LAMPADE.

In Scriptura sacra lampadis nomine, aliquando Christus, aliquando sancti illi qui et sibi per fervorem spiritus ardent, et aliis per boni operis exemplum lucent, aliquando opera nostra designantur.

(874) Lampadis nomine, mediator Dei et hominum homo Christus Jesus intelligitur, sicut per Job dicitur : *Deridetur justi simplicitas, lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum* (*Job* xii, 4). Ipse enim nobis lampas veraciter exstitit, qui pro redemptione nostra in cruce moriens, tenebrosis nostris mentibus lucem per lignum fudit. Hac nos lampade Joannes illuminari conspexerat, cum dicebat : *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* i, 9). Quam tamen apud cogitationes divitum contemptam videt, cum paulo post subjungit : *In propria venit, et sui eum non receperunt* (*ibid.*, 11). Hujus lampadis flammas Herodes explorare voluit, cum miracula videre concupivit, sicut scriptum est : *Erat enim ex multo tempore cupiens videre eum, eo quod audisset multa de illo, et sperabat signum* **647** *aliquod ab illo videre fieri* (*Luc.* xxiii, 8). Sed lampas hæc ante ejus oculos nullo radio lucis emicuit, quia ei, qui se non pie sed curiose quæsierat, nil de se mirabile ostendit. Inquisitus quippe Redemptor tacuit, exspectatus miracula exhibere contempsit, seseque apud se in occultis retinens, eos quos ad exteriora A comperit ingratos, foras reliquit, magis eligens aperte a superbientibus despici, quam a non credentibus vacua voce laudari. Unde et protinus lampas ista contempta est, sicut illic subditur : *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, et illusit indutum veste alba* (*ibid.*, 11). Sed contempta lampas, quæ in terra irrisiones tolerat, de cœlo lucidius per judicium coruscat; unde hic apte subditur: *Parata ad tempus statutum.* De quo videlicet tempore Psalmista dicit : *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo* (*Psal.* lxxiv, 3). Hinc in Evangelio per semetipsum Veritas denuntiat dicens : *Tempus meum nondum venit* (*Joan.* vii, 6). Hinc Petrus ait : *Quem oportet cœlum suscipere usque ad tempus restitutionis* (*Act.* iii, 21). Lampas ergo quæ nunc contemnitur ad statutum tempus ventura præparatur, quia ipse peccata in die ultima judicat, qui nunc peccantium irrisiones portat, et tanto tunc durius districtionem exerit, quanto nunc vocandis peccatoribus suam lenius patientiam sternit. Qui enim diu convertendos exspectat, non conversos sine retractatione cruciat. Quod per prophetam scilicet breviter insinuat, dicens : *Tacui, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar* (*Isa.* xlii, 14). Parturiens enim cum dolore ejicit, hoc quod in intimis tempore longo gestavit. Qui ergo semper siluit, sicut parturiens loquitur, quia venturus judex, qui sine ultione diu facta hominum pertulit, quandoque cum fervore examinis, quasi cum dolore mentis quantæ animadversionis sententiam intus servaverit, ostendit. Nemo igitur hanc lampadem, cum latet despiciat, ne contemptores suos, cum de cœlo fulserit, exurat. Cui nunc non ardet ad veniam, tunc procul dubio ardebit ad pœnam.

Lampadum nomine, cum in comparatione carbonum ponuntur, sancti illi designantur qui et sibi per fervorem spiritus ardent, et aliis per boni **648** exempli flammam lucent. Vide lib. ii, cap. 5, dist. 2.

(875) Lampadarum nomine opera nostra designantur, sicut in Evangelio Veritatis voce dicitur : *Simile est regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso et sponsæ* (*Matth.* xxv, 1). Et post pauca : *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ et ornaverunt lampades* (*ibid.*, 7). (876) Require in cap. De vasis, et hoc add.: Notandum vero quod omnes lampades habent, sed omnes oleum non habent, quia plerumque bona in se opera cum electis et reprobi ostendunt. Sed soli ad sponsum veniunt cum oleo, qui de his quæ foris egerunt intus gloriam quærunt. Unde per Psalmistam de sancta electorum Ecclesia dicitur : *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus* (*Psal.* xliv, 14). Veniente autem sponso omnes virgines surgunt, quia electi et reprobi a somno suæ mortis excitantur. Lampades ornant, quia sua secum opera numerant, pro quibus æternam recipere beatitudinem exspectant;

(872-73) Ex hom. 35 in Ev. post medium, etc. l. iii Dial., c. 26.

(874) Ex fine lib. x in Job.

(875) Supra cap. 1, dist. 6.

(876) Ex hom. 12 in Evang.

Digitized by Google

sed lampades fatuarum virginum exstinguuntur, quia earum opera, quæ clara hominibus foris apparuerant, in adventu judicis intus obscurantur, et a Deo retributionem non inveniunt, quia pro eis receperunt ab hominibus laudes quas amaverunt.

CAPUT V.

DE PHIALIS.

(877) Phialarum nomine, cum in comparatione cyathorum ponuntur, larga prædicatio intelligitur : Unde in tabernaculo, jubente Domino, et phialæ et cyathi facti sunt (*Exod.* xxv, 29). Per tabernaculum namque sancta Ecclesia designatur : per phialas vero exuberans, per cyathos parva atque angusta scientia intelligitur. Alius doctrina veritatis plenus audientium mentes inebriat (878). Per hoc ergo quod dicit, profecto phialam porrigit. Alius explanare, quæ sentit, non valet; sed quia hoc utcunque denuntiat, profecto per cyathum gustum præbet. In Dei ergo tabernaculo, id est in sancta Ecclesia, et phialæ præparentur et cyathi, quia videlicet in doctrina sacri eloquii non solum **649** sunt exhibenda magna et arcana quæ deebriant, sed etiam parva ac subtilia quæ quasi per gustum notitiam præstant. Qui ergo per doctrinam sapientiæ ministrare phialis minime potest, in quantum pro divina largitate sufficit, proximis suis boni verbi cyathos dare debet. In quantum se profecisse sentit, etiam alios trahat in via Dei, habere socios desideret, si ad Deum tendit, curet ne ad eum solus veniat. Hinc enim scriptum est : *Qui audit dicat : Veni* (*Apoc.* xxii, 17), ut qui jam in corde vocem superni amoris accepit, foras etiam proximis vocem exhortationis reddat. Et fortasse panem, ut indigenti eleemosynam porrigat, non habet ; sed majus est quod tribuere valeat qui linguam habet. Plus est enim verbi pabulo victuram in perpetuum mentem reficere, quam ventrem morituræ carnis terreno pane satiare.

Phiala persecutionis quoque supplicium signat sicut in Apocalypsi scriptum est : *Et quartus angelus effudit phialam suam in solem, et datum est illi æstu afficere homines et igni* (*Apoc.* xvi, 1). Phialam namque in solem effundere, est persecutionis supplicia viris sapientiæ splendore fulgentibus irrogare. Et datum est illi ut afficeret homines æstu et igni, quia dum sapientes viri cruciatibus victi male agendi errore tanguntur, illorum exemplo persuasi infirmi quippe temporalibus desideriis inardescunt. Ruinæ namque fortium augmenta præstant perditionibus infirmorum.

CAPUT VI.

DE OLLIS.

In Scriptura sacra cum olla singulariter ponitur, aliquando Synagoga, aliquando quodlibet cor carnale intelligitur : cum vero pluraliter ollæ dicuntur, aliquando carnalia opera designantur.

650 (879) Ollæ nomine synagoga specialiter designatur, sicut per Jeremiam prophetam dicitur : *Ollam succensam ego video, et faciem ejus a facie aquilonis* (*Jerem.* i, 13). Judæorum quippe mens in persecutione sæviens, atque in credulitate malitiæ undas cogitationis volvens, quid aliud quam olla succensa fuit ? Cujus facies a facie aquilonis. Aquilonis enim nomine malignus spiritus designatur. Facies ergo ollæ recte a facie aquilonis esse dicitur, quia si se Judæa adverso spiritui per torporem mentis non subderet, contra bonos in tanta malitia non exarsisset.

(880) Ollæ quoque nomine generaliter quodlibet cor carnale intelligitur, unde et hoc quod specialiter de Synagoga diximus, de quolibet perverso accipi potest : *Ollam scilicet succensam ego video, et faciem ejus a facie aquilonis* (*Jer.* i, 13). Olla enim succensa, est cor humanum sæcularium curarum ardoribus, desideriorumque anxietatibus fervens. Ab aquilonis vero facie cordis humani olla succenditur, cum per instigationem adversarii spiritus illicitis desideriis inflammatur. Ille namque qui ait : *Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis* (*Isa.* xiv, 13), mentem quam semel ceperit, malignis persuasionis suæ flatibus quasi suppositis ignibus accendit, quatenus non contenta præsentibus indesinenter per desideria æstuet, ut alia contemnenda appetat, alia adepta contemnat, ut modo suis compendiis inhiet, modo alienis commodis etiam cum proprio detrimento contradicat, modo carnis illecebris satisfaciat, modo quasi in quodam culmine per cogitationis superbiam rapta, carnali cura postposita, totam se in typo elationis attollat. Quia ergo cor per varia desideria abducitur, quod instigatione maligni spiritus inflammatur, recte succensæ et ferventi ollæ simile esse perhibetur, quia per tot se fervores afflata ejus tentationibus conscientia erigit, per quot intra se cogitationes intumescit.

Ollarum nomine carnalia opera designantur, sicut de Israelitico populo legitur, quod dum refectionem **651** mannæ desuper perciperet, ab Ægypto ollas carnium, pepones et cepas concupivit. Require in cap. de porris vel cepis, lib. xiv, cap. 10.

CAPUT VII.

DE AMPHORA.

Amphoræ nomine avaritiam designat, sicut in Zacharia propheta scriptum est : *Leva oculos tuos, et vide quid est hoc quod egreditur. Et dixi : Quidnam est ? Et dixit : Hæc est amphora egrediens* (*Zach.* v, 5, 6). Vide lib. iv, cap. 3, dist. 2.

CAPUT VIII.

DE UTRE.

(881) Utris nomine carnalis cordis cogitatio designatur, sicut per Psalmistam de Domino dicitur : *Congregans sicut in utre aquas maris* (*Psal.* xxxii, 7). Uter quippe est carnalis cordis cogitatio. Per aquas vero maris amaritudo intelligitur perversæ

(877) Ex hom. 6 in Evang., post medium.
(878) Exstat hæc sent. lib. xx in Job, c. ii.
(879) Ex medio hom. 2 in Ezech.
(880) Ex lib. xviii in Job, cap. xii, 11; et lib. xxxiii cap. xxvii, 40 post medium.
(881) Ex lib. xix in Job, cap. vii, 8.

Digitized by Google

mentis. Nunc ergo aquæ maris in utre congregatæ sunt, cum amaritudo perversæ mentis non erumpit exterius in vocem pravæ libertatis. Tunc enim sicut per Joannem dicitur, *draco in abyssum clausus tenetur* (*Apoc.* x, 2), quia diabolica malitia in pravorum subdolis cordibus occultatur. Sed, sicut illic scriptum est : *Educetur draco de puteo abyssi* (*ibid.* IX, 2), quia qui modo præ timore tegitur, tunc contra sanctam Ecclesiam publice de iniquorum cordibus omne serpentium virus aperturus est. Nunc enim abscondit se sub blandiente lingua sæviens conscientia, et malitia calliditatis quasi quodam se tegit abysso simulationis. Veniet profecto tempus, quando contra sanctam Ecclesiam perversi carnales aperta voce prædicent, quod nunc occulta cogitatione moliuntur. Extremi quippe temporis persecutione crescente apertas hæreticorum voces tolerare compellitur, cum motus cordis sui, quos nunc intra cogitationum sinus contegunt, tunc in voce manifesti erroris aperiunt. De **652** hoc iterum utre per eumdem Psalmistam alibi dicitur : *Statuit aquas quasi in utre* (*Psal.* LXXVII, 13). Require in cap. de aquis. Utrum nomine etiam electorum corda signantur, sicut in Evangelio dicitur : *Vinum novum in utres novos* (*Matth.* IX, 17).

CAPUT IX.

DE LAGENA.

Lagenarum nomine corpora nostra designantur, sicut in bello Gedeonis significatur : *Cujus socii cum lagenis, et lampadibus, et tubis ad bellum processerunt.* Vide lib. V, cap. 27, dist. 3.

ANNO DOMINI MCLXIX

VEN. GERHOHUS

PRÆPOSITUS REICHERSPERGENSIS

DISSERTATIO PRÆVIA

DE VITA ET SCRIPTIS GERHOHI

(D. Bernardus Pezius, Proleg. ad Comment. Gerhohi in Psalmos, *Thesaur. Anecdot.*, tom. V, Aug. Vindel. 1728.)

AD REVERENDISSIMUM, PERILLUSTREM AC AMPLISSIMUM

D. D. HERCULANUM

Celeberrimæ ac florentissimæ in Bajoaria canonicæ Reicherspergensis, ordinis Canon. Regul. S. Augustini præpositum vigilantissimum, etc., etc., sacræ antiquitatis et bonarum litterarum amantissimum.

—

Novem præterpropter anni sunt, reverendissime, perillustris ac amplissime præsul, cum a me litteris confidenter appellatus, lectissimos octo membraneos codices, quibus luculenta, et viris eruditis hactenus perdite desiderata sanctissimi juxta ac doctissimi sex fere abhinc sæculis antecessoris tui Gerhohi opera inedita continebantur, singulari benignitate humanitateque transmissos meæ fidei et diligentiæ committere haudquaquam dedignatus es. Quos quidem mox ut vidimus (ecquis enim tantum triumphum cum quam plurimis rerum gnaris non illico communicet?) non potuimus non e vestigio adeo sapientem, in sacratiores Musas facilem liberalemque præsulem prolixis in cœlum laudibus ferre, eumque toti orbi litterario effuse gratulari, ut qui nobiliora pretiosioraque veteris litteraturæ monumenta et arcaniora insignis bibliothecæ suæ cimelia luci publicæ et usui communi exponenda tam prompte ac alacriter cederet,

Digitized by Google

contra quam non paucis in more positum est, qui, ut meliores veterum scriptorum reliquias maximo Ecclesiæ commodo studiosorum hominum manibus vel tantisper indulgeant, ne Pericleis quidem clamoribus et servilibus precibus sese inflecti patiuntur.

Porro ut exspectationi tuæ, reverendissime fautor, quam primum satisfacerem, cum ego eo tempore edendis aliis vehementer intentus ac obrutus essem, statim amicos circumspexi, qui si non ad omnia simul his voluminibus conclusa Gerhohi opuscula, saltem ad princeps illius in psalmos opus exscribendum typisque evulgandum sese fortiter accingerent. Nec mihi diu laborandum fuit. Namque pulcherrimam hanc provinciam illico vir ex celebri ordine Servorum B. Mariæ V. doctissimus A. R. P. Felix Maria Wurtenberger, conventus Bellicollensis seu Schonbuchlensis non ita procul Mellicio tum dignissimus prior, sibi strenue depoposcit, eamque tanto studio et contentione, etiam in afflicta valetudine administravit, ut intra biennii fere spatium universum hoc opus exarando, castigando, illustrando typisque accommodando confecerit. Ac prodiisset ejus unius opera jam tum splendidus hic Gerhohi Commentarius, nisi optimæ egregii viri voluntati morositas hominum et varietas malignitasque temporum intercessissent. Quæ etiam incommoda in causa fuerunt, cur, cum postea a me longius ille disjunctus decumanos suos labores mihi ex integro recensendos et in lucem emittendos sponte sua cessisset, tot annos intra privata scrinia premendi fuerint, exspectantes scilicet cœlum paulo serenius et tempora bonis litteris faventiora. Quæ cum bene fortunante Deo nunc illuxisse videantur, en adest, amplissime præsul, nova facie novaque luce Gerhohus tuus longiores tenebras dedignatur, in theatrum, quo dudum dignissimus erat, provolat; et, quod ornamentorum maximum est, in augustissimo nomine Cæsarum maximi et sapientissimi Caroli VI apparet.

Cæterum dubio locus nullus est, quin hic benignitatis tuæ fructus religiosissimum tuum animum maximopere delectaturus sit, facileque inducturus, ut credas, benevolentiam tuam in hominem fuisse collatam, qui alienæ quam propriæ laudis cupidior eorum nihil prætermittere voluit, quæ ad ornandam Gerhohi memoriam et amplificandam apud posteros gloriam spectare videbantur. Quæ ut amplius constent, duo hic mihi agenda pro more censeo. Primum est, ut de vita et rebus a Gerhoho cum laude gestis uberius disseratur : alterum, ut non unius solummodo in Psalmos commentarii, sed et omnium, quotquot equidem hactenus detegere potui, scriptorum Gerhohi recensionem accuratius instituam. Quæ utraque si recte exsecutus fuero, liquido patebit me nomen *Magni* non adulandi aut herois mei præter meritum ornandi studio, sed jure sane optimo Gerhoho ascripsisse.

Jam vero ad primum quod attinet, non equidem difficile foret, ex ipsis Gerhohi operibus, quæ tum in præcedentibus *Thesauri* mei voluminibus edidi, tum in præsenti et consecuturis edam, longe accuratiorem rebusque singularibus locupletiorem Gerhohianæ vitæ historiam contexere, quam apud doctissimum Matthæum Raderum S. J. exstet. Verum cum promptam voluntatem angustiæ temporis excludant, eruditum lectorem rogatum velim, ut in Raderiana commentatione, saltem scite ac eleganter conscripta, tantisper acquiescat, dum id, quod innui, aut a me, cum amplius vacaverit, aut ab alio quocunque exsecutioni mandetur. En igitur elogium Gerhohi a Radero in volumine altero *Bavariæ Sanctæ* conscriptum, refectis tamen nonnullis, quæ lectorem odiosius morentur, nec cum rebus Gerhohi necessario conjuncta sunt.

« Illustre sane et primæ notæ est hoc Reicherspergensis asceterii sidus, cujus hodieque fulgor ingenii in libris et litterarum monumentis non est exstinctus, quem sanctitatis quoque fama et splendor virtutis magis accendunt. Pollinga Bojariæ primæ vicus, Cœnobio nobilis, haud procul oppido Weilhaimiano, nobis Gerhohum edidit. Majus ille patriæ decus, quam patria illius : quod sæpe usu venit. Nesciretur Stagira si Aristotelem non tulisset alumnum. Natus est anno 1093 mortuus anno 1169, cum annum ageret 76. Nec est quod Gretserum in edita Gerhohi vita carpas, ubi pro 1094 trajectis numeris, fœdo 20 annorum errore, legitur 1114, fœdum operarum vel librarii sphalma est, non Gretseri. Pro IV tamen legendum arbitror III.

« Elementa liberalium disciplinarum in patrio solo cognovit, deditque gustum indolis in ipsis prope cunabulis, cum ostendit quam capax amplumque pectus ad thesauros eruditionis hauriendos afferret, cum æquales discendi celeritate longe præcucurrit, quibus tamen in puerili astutia et ingenii calliditate facile cedebat, quando eximio se animi candore, qui vel maxime amabilem reddit illam ætatem, morumque simplicitate plerisque omnibus commendabat. Jam ex ephebis excessurus, cum sextum decimum annum esset ingressus, imo fortasse jam egressus, fœdissima psoræ scabie (quæ puerilibus annis frequentissimum est infesta) caput aspersus, et a contubernalibus velut catharma horrebatur, et simul infamis morbi verecundia torquebatur, ut taceam cruciatum doloresque, quibus assidue affligebatur. Sed abstersa tandem clementia cœlo fœda capitis impetigine receptaque valetudine. Gerhohus simul animum mentemque ab omni impura Veneris contagione segregavit, totumque se castimoniæ, quæ plurimum ad complectenda sapientiæ studia valet, addixit.

Digitized by Google

« Fruxinum inde et Mospurgum, nota Bojariæ oppida profectus, omne tempus Deo et Musis consecravit. Et cum id temporis apud Saxonas Hildeshaimii juventus litteris optime excoleretur, ibi quoque Gerhohus triennium in cultu ingenii posuit, haud paulo doctior in patriam reversus. Et jam famam non mediocrem eruditionis sibi conciliarat, cum Augustam Vindelicorum accersitus principi, gymnasio, quod tum doctore carebat, præficitur. Erat Gerhoho facies liberalis, frons serena, gratus oris aspectus, genæ prima lanugine florentes, totus corporis habitus, sine cultu, natura ipsa ad gratiam compositus, mores emendati. Quæ omnia naturæ ornamenta et præsidia commendabat ingenii felicitas et existimatio eruditionis, quæ fecerunt ut Hermannus pontifex Augustanus oculos ad Gerhohum adjiceret, illumque in consilium sacrorum Patrum adscisceret. Versabatur id loci Gerhohus inter Ecclesiæ diaconos nondum sacerdotii honore insignitus ; quo tempore Henricus imperator, quem Romani IV, Germani V numerant, et pontifex Paschalis ultimis inter se odiis dissidebant, et Hermannus pontifex Augustanus a Cæsare adversus pontificem stabat, a quo malis damnatisque artibus ad insulam est provectus. Trahere et Gerhohum in partes studuerat, sed is nulla vi vel auctoritate seu Cæsaris seu Hermanni se passus est a vero tramite abduci, quin et a societate se episcopi, quem Baronius pseudoepiscopum appellat, primo clam cœpit abstinere, dein palam etiam causam pontificis propugnare, quoad reddita per Calixtum anno 1122 pace imperator in sinum Ecclesiæ receptus est, et qui diris exsecrationibus devoti erant, vinculis anathematis exsoluti. Hermannum quoque cum Pontifice in gratiam rediisse tradit auctor : *His*, inquit, *ut dictum est, finitis et sedatis, jam dictus episcopus in gratiam Romanæ Ecclesiæ, ipso* (Gerhoho) *mediante, receptus est. Ita gratus et acceptus erat jam tunc ipsi Romano pontifici et toti curiæ Romanæ*.....

« At enim Gerhohus jam diu ad severioris vitæ disciplinam aspirabat, et in contubernium se religiosorum virorum abdere cupiebat, cum parentum fratrumque cura impetum ejus et studium pietatis moraretur, quibus prius consultum volebat, quam omnium rerum humanarum cogitationem abjiceret. Persuasos ergo, ut ipsi quoque certiorem brevioremque ad cœlum viam quærerent, utrumque parentem Raitenbuchensi cœnobio, quod feminarum olim et virorum duplex fuit, cum geminis fratribus inclusit, quos ipse mox secutus, exemplo vitæ, doctrinæ et pietatis ad constantiam, laborem, excubias et vigilias, assiduasque virtutes excitavit.

« Est Raitenbuech cœnobium pervetus in Bojaria superiore, inter Etalense et Pollinganum situm, a Guelfone IV primo Bojariæ ex ea stirpe principe, anno 1085 conditum. Huc cum Gerhohus vitæ religiosæ studio venisset, acceptus est ingenti omnium lætitia veluti sol novus domicilium illustraturus. Posuit cultum sacrum, ut sacratiorem indueret ; amplas et opimas sacerdotii conditiones rejecit, ut in modico cultu, sobrio parcoque victu expeditius iter cœleste ingrederetur : opes humanas, honores, insulas etiam, quas poterat sperare, paupertati, despicientiæ, humilitati vitæ posthabuit, ut olim ditior, clarior illustriorque apud superos appareret. Ubi rudimentum religionis posuit, tirociniumque exegit, in leges ordinis more majorum conceptis verbis juravit. Sed non raro fiebat, ut adolescentuli in sacra religiosorum contubernia admissi jurarent ex præscripto se S. Dominici, Francisci, Basilii, Benedicti, Bernardi, aliorumque Patrum victuros, cum præscriptas vivendi rationes nunquam aut legissent, aut vidissent, aut cognovissent (1). Quod eo magis demirandum est in Gerhoho, cum is et litteris probe tinctus esset, et sapientiæ laude floreret. Nam postcaquam nomen inter D. Augustini sodales professus est, tum primum quæsivit, quæ esset norma, ad quam sibi omnes vitæ actiones ex D. Augustini sententia et lege essent exigendæ. Sed nusquam nec Raitenbuechii nec in aliis ejusdem instituti vicinis Phrontisteriis poterant ullæ, quas vocant, Regulæ inveniri.

« Equidem cum hæc in Reicherspergensi volumine sincere perscripta viderem, primum damnavi temporum et hominum id loci viventium socordiam, qui vota susciperent, suamque fidem Deo conceptis verbis astringerent, se has illasve horum Patrum vel illorum leges secuturos, et interim eas ipsas leges nescirent, inibi etiam ignoratas, nec conscriptas, nec exhibitas iis, qui ad eas nomen profiteri debebant. Nam audi, qui vetustissimus Annalium Reicherspergensium conditor de Gerhoho profitente testetur : *Nec enim satiabatur illis diebus dulcedine illa mirabili, quam inveniebat legendo in Excerpto de dictis sanctorum de vita canonica, quo et eatenus pro regula usi fuerant fratres sui, sed exquirebat omni animadversione quomodo sibi vivendum esset secundum regulam S. Patris nostri Augustini : vel quæ esset illa regula, secundum quam vivere professus fuerat. Nihil enim sufficere pro regula visum est ei, quod illa non esset, quam professus fuerat. Quæ regula tamen tunc in illis locis non inveniebatur, sed nec in aliis ejusdem professionis... Pro qua re necessarium duxit Romanum adire pontificem cum quibusdam fratribus de claustro ; quatenus regulam, quam una cum omnibus communiter fuerat professus, claustro illi, cui erat obligatus, stabiliret, quod et factum est.*

« Enimvero ubi me collegi, animadverti ea fuisse tempora, quibus plerique religiosorum virorum leges

(1) Miramur, et vehementer dolemus, viro probo ac erudito ista excidisse, in quibus tot fere errata, ne dicamus falsa, quot verba esse ignorat nemo, qui in monastica historia a sæculo XII usque ad proximiora tempora vel mediocriter versatus sit.

Digitized by Google

non ceris, tabulis, membranis chartisve inscriptas circumferebant, sed in usu, tractatione, mente, cordibus, moribus, etc., exercitatione habebant, ut olim Ecclesia Christiana, priusquam sacri Evangelii præcones sua præcepta in litteras referrent. Sic quippe idem auctor paulo supra de Gerhoho : *Tum vero quanto ardore ac studio iter communis vitæ arripuerit, quantoque zelo rectitudinis accensus vixerit, testis est ei omnis illa Ecclesia Raitenbuechensis, testes sunt ei omnes longe vel prope positi; ad quos fama sanctæ conversationis ejus pervenit, testes sunt, inquam, qualiter exardescere cœperit zelus ejus initio conversionis suæ; ita videlicet, ut ex instantia orationum et lectionum divinarum in tantum eloquium Domini inflammaverit eum, ut et eloquium ejus ignitum fieret vehementer, et verbum ejus, sicut de Helia scriptum est, tanquam facula arderet. Unde confratres suos non solum dictis, sed et exemplis* ad servandas bonas consuetudines *arctioris vitæ*, et instituta sanctorum Patrum *sine intermissione provocabat. Quin etiam arguebat, obsecrabat, increpabat, secundum apostoli præceptum, in omnibus seipsum præbens exemplum, in vigiliis multis, in frequenti meditatione ac lectione sacrarum Scripturarum, in multa patientia, in castitate, atque in omni exercitatione bonarum virtutum, postremo in universa morum honestate præclarum se reddebat. Unde etiam ab omnibus bonis ac religiosis valde amabatur. Domitor etiam corporis sui ita vehementissimus exstitit, ut a necessariis quoque cibis sumendis aliquanto immoderatius abstineret, adeo ut absumptis inedia carnibus, cutis fere ossibus cohæreret. Ardebat itaque totus incomparabiliter per inextinguibilem sanctissimæ dilectionis ignem ad Deum, et per infatigabile animi ejus studium ad communis vitæ decorem.* Hæc auctor Reicherspergensis de Gerhoho.

« Cæterum quemadmodum ædiles et architecti, quamvis ex oculorum conjectu, quam altum, latum rectumque sit opus, quoquo modo ex usu visuque judicant, si tamen ipsum moliri ædificium, turrim, mœnia, parietes velint, perpendiculum adhibent, ad cujus angulos et rectam lineam surgens opus quotidie, imo singulis prope horis examinant : ita nisi vivendi norma tabulis comprehensa, labente sensim disciplina, exhibeatur, paulatim a vero rectoque in pravum declinat. Et hoc fuit, quod Gerhohus urgebat, cum cæteris religiosior, ex iis, quæ sparsim in Patrum monumentis cognoverat, de communi statueret, quæ priscorum fuisset disciplina religiosorum. Quam cum segniores negarent, illumque urgerent, ut omnia, quæ doceret, auctoritate stabiliret (jam enim in usum et consuetudinem quædam, uti fit, irrepserant, quæ ipsi non videbantur ex lege, norma, veterumque Patrum auctoritate fieri) Romam profectus ibi de veris religionis suæ legibus inquisivit, eumque secum attulisset, quod quæsierat, non mediocriter cessantium animos offendit. Quanquam enim nihil pro imperio gereret, sed factis ipsis a genere vivendi negligentio rum declinaret, idipsum tamen ferre non poterant, et luce virtutum ejus velut noctuæ et vespertiliones perstringebantur, et emendatam ipsius vitam omni ratione sequendam, amandam, et ambabus manibus amplectendam, suæ vitæ interpretabantur reprehensionem et castigationem. Nec hactenus stetit illorum improbitas : sed cum vitia domesticorum non laudaret, desidiam, otium, intempestiva colloquia, et malos denique mores odisset, cœpit ipse dissimilibus odio esse, vexari, exagitari, imo vita nonnunquam periclitari.

« Cum interim fama virtutibus ejus excitata gratissimos per omnem Germaniam spargeret odores, quibus afflatus Chuno Reginoburgensis pontifex (quem primum hoc nomine habuere antistitem) Gerhohum ab communi sodalitii Raitenbuechensis in socium laborum petiit, cujus in provincia lustranda, et pontificatu administrando consiliis uteretur, quem et impetravit, et sacris sacerdotii honoribus initiavit. Quanquam nec ibi magna quies Gerhohum secuta est, cum res communes Conradus turbaret. Designato a proceribus imperii Germanici Lothario Saxonum regulo, viro inclyto in regem Romanorum, Conradus Friderici ducis Suevorum, qui Fridericum Ahenobarbum imperatorem procreavit, germanus, regnum affectavit, profectusque Mediolanum ibi rex consalutatus ab archiepiscopo regium insigne suscepit. Chuno Reginoburgicus pontifex, et cum illo Gerhohus ab Conradi factione abhorrens justum principem regem Lotharium secuti sunt. Quod Conradus perægre ferens utrumque ultimis odiis insectatus, etiam vitæ illorum insidias non raro posuit : præsertim Gerhohum sæpius ad necem quæsivit, quod ipsum in publica celebritate et supplicatione ad populum, tyrannum proclamasset : quæ causa fuit, ut parœciam Chamensem, quam ab Chunone procurandam acceperat, ad quam cœnobium condere statuerat, propter factiosos et Conradi fautores, qui ultimas illi minas intenderant, coactus fuerit destituere.

« Inter hæc Chunone anno 1130 Reginoburgi defuncto, Conradus Salisburgensis pontifex, vir optimus et sanctissimus Gerhohum in tutelam suscepit, suoque nomine non semel in Urbem ad summum pontificem legatum misit, qui res inibi feliciter sui præsulis transegit. Multum enim propter singularem virtutem et eruditionem gratia apud curiam Romanam valebat. Interea temporis Reichenspergii cœnobii præses ad vitæ metam procurrens facem alteri ferendam reliquit. Conradus pontifex Salisburgensis non alium aptiorem ad regendum id monasterium (quod Juvaviensis antistitis auctoritatem ditionemque respiciebat) Gerhoho ratus, illum ipsum anno 1132 eo destinavit, quam ipse sacram præfecturam per annos omnino septem et triginta cum summo reipublicæ bono administravit, auxit, ornavit, quando pietas et religio, constantiaque et virtus in usum fructumque totius Germaniæ redundavit. Ille principes, ille

Digitized by Google

reges et imperatores, ille præsules et antistites, ille summum et amplissimum orbis Christiani consilium patrum Romæ purpuratorum, ille patrem ipsum et rectorem nominis Christiani ausus est summ' cum libertate, contemptis omnibus vitæ periculis, sic ubi usus fuit, adhortari, monere, verbis etiam castigare.

« Quæ dicendi scribendique libertas cum virtute et religione conjuncta tantam illi auctoritatem peperit, ut virtutem ejus Galli mirarentur, Bohemi prædicarent, Pannones susciperent, Græci denique adorarent, pontifices colerent, cardinales venerarentur. Ita tabulæ Reicherspergicæ testantur : *Igitur*, inquiunt, *in regimine positus qualem se exhibuerit, qualiterque a Deo confortatus in omnibus postmodum Ecclesiæ tribulationibus nunquam ei defuerit, sed veritatem constanter coram regibus et principibus non sine vitæ suæ periculo sæpissime confessus sit ac tuitus, ei tota Germania lumine doctrinæ ejus et ipsa illustrata, et fervore Spiritus ejus super multis excessibus et abusionibus redarguta. Testes sunt ei omnes hi, inter quos conversari vel quibus commanere ei aliquandiu contigit. Maxime autem sanctum fratrum ejus et sororum novit collegium, quam sancte, quamque irreprehensibiliter inter eos jam per quadraginta fere annos vitam duxerit. Noverunt omnes, quam quietus in vacando lectionibus et orationibus exstiterit ; quam nullas horas a pietatis exercitiis vacuas habuerit. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis esse ei cum Apostolo visa est, nisi cum monasterii necessitas poposcisset. Quin etiam usque in exteras terras lampas cordis et oris ejus radiavit. Non Francia, non Bohemia, non Ungaria, sed neque Græcia, gratiæ, quæ de corde et ore ejus radiant, expertes factæ sunt. Tanta namque gratia diffusa erat in labiis ejus, ut his ipsis, quos arguebat, gratus existeret. Unde et Romani pontifices, dominique cardinales semper eum, licet in multis arguentem se dilexerunt. Non reges ac potentes pertimuit, quominus nuntiaret eis id quod justum et salutare fuit, cum se opportunitas id faciendi obtulisset. Magnates, mediocres, ac populares, sive in publicis Ecclesiæ conventibus, sive in privatis colloquiis ad oris ejus dulcia et salutaria verba pendebant. Sic namque divino Spiritu adeo potatus fuit, ut pene semper et indeficienter flumina de ventre ejus fluerent aquæ vivæ sive loquentis sive scribentis aliquid ad utilitatem et eruditionem proximorum.*

Et mox infra : *Quam notus et gratus quamque acceptus fuerit ipse beatus summis Romanis pontificibus, qui suo tempore Romanæ sedi præsederunt, Calixto papæ primum superius commemorato, et deinde singulis successoribus suis usque ad papam Alexandrum ; quamque venerabiliter ipsi Romani pontifices fervorem religionis suæ et studium atque doctrinam, nec non et scripta sua susceperint, collaudaverint et approbaverint : quam etiam celerem effectum consecutus semper fuerit in omnibus negotiis suis, quotiescunque Romanam curiam interpellare necesse habuit, aut per seipsum, aut per nuntios, sive per solas litteras suas pro qualibuscunque causis, testantur litteræ apostolicæ, nec non et litteræ dominorum cardinalium frequenter aut pro eo ad alios missæ, aut ad eum specialiter destinatæ : vel quas ipse per se ab Urbe sæpius veniens de causa sua vel aliorum detulit, quarum omnium exemplaria adhuc inveniuntur. Quantum etiam ipsi Romani pontifices pro ipsius reverentia et dilectione, ad petitionem ejus ipsum locum, quem regebat, cœnobium videlicet Reicherspergense, sub sua et B. Petri protectione susceptum, honoraverint, et manutenuerint, et sæpe contra graves inimicos et infestatores defenderint, qualemque libertatem et justitiam ipsi loco concesserint et firmaverint in perpetuum sua auctoritate, indicant privilegia papæ Innocentii et papæ Eugenii eidem loco ejus industria elaborata ac impetrata. Hos post hæc pie imitati pontifices Salzburgensis Chunradus senior et Eberhardus ejus successor ; nec non et principes regni, duces videlicet et comites, quique pro suo jure pluribus privilegiis eumdem locum munierunt. Similiter et alii pontifices, scilicet Babenbergensis, Pataviensis, Frisingensis, prædia et possessiones eidem loco aut per se ipsos, aut per alios in suis episcopatibus collata, suis privilegiis eidem cœnobio firmaverunt. Novissime etiam ipse dominus imperator Fridericus ipsum Reicherspergense cœnobium cum omnibus eo pertinentibus in suam imperialis majestatis et omnium successorum regum et imperatorum tutelam suscepit, et privilegio suo antiquam et primitivam libertatem confirmavit, interventu episcoporum Eberhardi Bambergensis atque Hartmanni Brixinensis, secundum postulationem hujus sæpe dicti patris.*

« Sed hoc ingentes viri præstantissimi spiritus vis incredibilis ab intimo animo profecta alebat, vim a cœlo accepit, quæ illius egregiis conatibus defuit nunquam. At enim parum prudenter agit, qui foris rempublicam juvat, domi perdit, cum natura magistra sibi quemque primum, suisque, deinde aliis, consulere doceat. Non egit hoc Gerhohus, cujus omnis actio ratioque vivendi et docendi ab officina domesticæ virtutis et disciplinæ profluxit. Hoc primum egit, ut subjectorum suorum et domesticorum mores a veterum Patrum norma degenerantes languentesque ad pristinum vigorem revocaret, elementa vitiorum eraderet, incisos passim virtutis nervos redintegraret, et denique novam suo contubernio faciem formamque vivendi induceret. Itaque idem mitis et benignus esse in obsequentes, promptos, verecundos, et religiosæ vitæ observantes : tristis et severus in delinquentes, refractarios, contumaces ; quam tamen severitatem ita mansuetudine et charitate temperabat, uti cernerent viderentque omnes et salutem cujusque

Digitized by Google

sigillatim, et communem omnium illi maxime esse cordi, qua ratione efficiebat, ut non ægre ferrent, qui castigabantur, sed amarent passim omnes.

« Corrigendi porro modus erat efficacissimus, quem ipse vitæ exemplo præibat. Adeo mores ipsius domesticis erant pro legibus. Inde factum, ut domestica disciplina sancita domique emendati mores sese foris ostenderent, hominesque paulatim in sui contemplationem inducerent, novam et innocentem vivendi rationem juxta laudantium et admirantium. Quæ domesticorum religio, nobilium, principum et pontificum invitavit liberalitatem, uti non solum sarta tecta cœnobii instaurarent, amplificarentque (male enim materiatam, angustam et ruinosam Gerhohus domum est ingressus) sed ex nobilitate complures ipsi nomen religioni darent, secumque opes non exiguas inferrent, quibus ædes illa brevi magnopere auxit. Adjecit et novum Gerhohus virginum sacrarum domicilium, in quo nobilissimæ tenerrimæque virgines cœlesti se Sponso æternum proprias dedicarunt. Tam fœcunda fuit Gerhohi virtus et facundia.

« Interibi dum ipse domum ædificat, disciplinam restituit, novos religionis colonos adsciscit, manum quoque non passus est cessare, quæ ab erudito et excellente ejus ingenio multa præclara pietatis, religionis et doctrinæ plenissima opera et monumenta extorsit. Meditatus est in sanctissima regii vatis Psalmorum odaria, volumina octo, quæ hodieque præter duo, quæ interciderunt, leguntur. Certavit calamo adversus sectatores Abelardi. Alia misit Othoni nobili historico Fruxinensi, Abenobarbi patruo, fratri Conradi regis : alia ad alios tum principes, tum pontifices, ex quibus nihil perennavit præter explanationes ad carmina Davidis, librum de Antichristo, de Virgine in cœlum assumpta, de Fide, Vigilia noctis quarta, de divini Spiritus ordine donorum. Ultimis annis magnopere laboravit, uti dissidia imperatoris Friderici I et pontificis Alexandri III componeret, eaque de re ad eosdem varias lucubrationes missitavit. Ipse tamen semper meliori saniorique parti se adjunxit, ac post ingentes labores et fructus ex illis copiose perceptos, nocte media, quæ S. Joan. Baptistæ diem, quo prolixe ad populum dixerat, secuta est, cum biduo ante sacra Christiana percepisset, anno 1169, a. d. v. Kalend. Quintil. ad societatem beatorum evolavit.

Corpus biduo post ad S. Crucis, quam vivus semper in corde gestabat, aram funeratum. Imago Gerhohi Reicherspergii hoc ascriptum hodie elogium præfert : *Anno Domini* 1132 *dominus Gerhohus SS. theologiæ doctor insignis, tertius hujus loci præpositus creatur. Hic in corrigendis magnatum moribus laboravit, ac monasterii sanctimonialium B. Virginis extitit fundator.* Jejunas falsasque Aventini calumnias, quibus Gerhohum, ut ipse appellat, inquinare conatur, tanti non facio, ut apponendas scripto meo putem, ab Gretsero nostro dudum retusas et obtritas. Tu, dive, quem supplices veneramur, ardentem et duplicem, quem possedisse videris, Eliæ spiritum in nobis languentem aut certe senescentem excita et instaura, ut hebescentem Christianæ virtutis aciem exacuamus. »

Hactenus Raderus de vita et rebus gestis Gerhohi, cujus lucubrationes cum sub finem jejunius ac pareius quam tanti viri de Ecclesia merita ferant, annumeret, operæ pretium me facturum existimavi, si nunc ordine singulas, quæ quidem in notitiam meam venerunt, curatius distinctiusque recenserem, quod supra me facturum recepi. Igitur ingenii monumenta, quæ Gerhohus reliquit, sequentia sunt :

I. *Syntagma de Henrico IV et V Impp. et Gregorio VII summo pontifice*, quod teste Casimiro Oudino Commentar. de Scriptor. Eccles. T. II, col. 1427, *diversis constans opusculis cum refutatione Alogiarum Annæ Comnenæ in Alexiade edendum curavit Jacobus Gretserus Soc. Jes. theologus, Ingolstadii in 4, anno* 1611, *apud Angermariam*. Vehementer dolet, ad manum non esse hoc opus, dum ista scribo, nec Oudinum *varia* illa *opuscula* recensuisse. Hoc enim modo aliquid certius statui posset de mox recensendis, quorum forte aliqua ab illis prioribus diversa non sunt.

II. *Commentarius in psalmum* LXIV, sive *de corrupto Ecclesiæ statu ad Eugenium III papam*, quem eruditissimus Stephanus Baluzius ex codice bibliothecæ Colbertinæ, in quo inscribitur *Tractatus de negotiis ecclesiasticis*, primus in lucem cum insigni elogio extulit *libro* V *Miscellaneorum* a pag. 63 ad 237. idque anno 1700. Eumdem, cum ab reliquo in Psalmos commentario abesse non posset, hic ex integro recudendum curavi.

III. *Tractatus adversus Simoniacos ad S. Bernardum abbatem Claravallensem*. Hunc licet acephalum ex ms. cod. monasterii Dunensis prelo dignissimum censuit et publicavit clarissimus et indefessus P. Edmundus Martene e congregatione S. Mauri Benedictinus tomo V *Novi Thesauri Anecdotorum* a col. 1457.

IV. *De gloria et honore Filii hominis ad Hartmannum episcopum Brixinensem et Eberhardum archiep. Salzburgensem liber*. Exstat tom. I, hujus *Thesauri*, parte II, a col. 165. Hujus operis sub titulo *Libelli de Glorificatione Filii hominis* etiam meminit chronographus Reicherspergensis ad annum 1169.

V. *Liber contra duas hæreses sui temporis ad Godefridum abbatem Admontensem*. Opus excusum habes citato *Thesauri* loco a col. 283, estque *prologus galeatus*, ut ipse vocat, in commentarium in Psalmos. Godefridus hic is ipse est, cujus præstantissimas homilias in Dominicas et festa duobus in fol. tomis nuperrime publicavi.

VI. *BB. Berengeri et Wirntonis abbatum Formbacensium in Bajoaria Ord. S. Ben. vitæ*. Prodierunt in eodem *Thesauri* mei tomo parte III, a col. 399.

VII. *Liber de ædificio Dei*, seu de studio et cura disciplinæ ecclesiasticæ *ad Chunonem episcopum Ratisponensem*. Eum editum habes Thesauri tom. II, part. II, a col. 223.

Digitized by Google

VIII. *Dialogus de differentia clerici sæcularis a regulari ad Innocentium II. P. M.* Evulgatus est ibidem a col. 437.

IX. *De investigatione Antichristi et schismate libri II, ad Eberhardum archiep. Salzburgensem.* Hos ex codice Reicherspergensi prelo paravit Adm. reverendus P. Reinerus Reitter, doctissimus sodalis meus, typis mandandos in aliquo sequentium *Thesauri* voluminum. Raderus unius duntaxat *libri de Antechristo* meminit, ut qui opus ipsum nunquam inspexerit : sed re vera duo sunt.

X. *Dialogus adversus errores Græcorum*, cujus mentionem sub nomine *Dialogi inter Græcos et Latinos* facit supra laudatus chronographus Reicherspergensis. Prodibit proxime una cum libris de Antechristo, quorum alteri in eodem codice insertus est.

XI. *De ordine donorum Spiritus sancti.* Perennat in codice Reicherspergensi, signato num. 52, unde opus una cum duobus sequentibus prelo maturum habeo industria et diligentia præstantissimi viri, Ven. P. Leopoldi Wydemanni, vicarii carthusiæ Gemnicensis.

XII. *Dialogus de quarta vigilia noctis et periculis schismatis.*

XIII. *Liber de fide in illud Proverbiorum.* Mulierem fortem quis inveniet, *ad Heinricum presb. cardinalem tit. SS. Nerei et Achillei.* Prius opusculum memorat Raderus, posterius chronographus Reicherspergensis, qui *Libellum de fide rogatu domini Heinrici card. presbyteri* a Gerhoho scriptum esse loco citato testatur.

XIV. *Libellus de Assumptione sanctæ Dei genitricis Mariæ*, etiam Radero laudatus. Hoc opusculum nobis servavit coævus fere codex celebris monasterii Mariæcellensis in Austria, ex quo illud vir cl. et eruditissimus Jo. Fridericus Schannatus, historiographus Fuldensis, dum mecum hic aliquandiu ageret, eruere gravatus non est, suo loco edendum.

XV. *Commentarium in Canonem Missæ.* Ita Martinus canonicus et bibliothecarius Claustroneoburgensis in Catalogo librorum monasterii sui, ad finem sæculi XIV, confecto, quem olim ex codice bibliothecæ canonicæ Sanct-Dorotheanæ Viennensis exscripsi. Sed non memini hoc Gerhohi opus videre me in bibliothecæ Claustroneoburgensis codicibus, duodecim fere abhinc annis a me perlustratis.

XVI. *Opuscula ad papam Alexandrum (III) et ad dominos cardinales et ad episcopum Babenbergensem Eberhardum de glorificatione Filii hominis.* Ita chronographus Reicherspergensis, *Opuscula*, ni fallor, nominans diffusiores ad prædictos Ecclesiarum antistites *Epistolas*, quas ex codice Admontensi præter *Librum ad Adrianum* P. adm. rev. et doctiss. P. Godefridus Depisch, sodalis noster exscripsit, et tomo VI *Thesauri* publicandas reliquit. Porro isdem opusculis merito accenseas prolixam Gerhohi epistolam ad Eberhardum ep. Babenberg. *Quomodo secundum S. Hilarium glorificaturus Filium major, glorificatus autem Filius minor non sit*, etc., quam typis expressam habes tom. I, ejusdem *Thesauri* part. II, a col. 315.

XVII. *Liber de novitatibus hujus temporis ad Adrianum IV. P. M.* Hunc ipse Gerhohus initio libri *De gloria et honore Filii hominis* agnoscit sic scribens : *Similiter Adriano papæ, cum esset Beneventi agens illic de concordia inter se ad Siculum tyrannum, præsentatus est libellus ad ipsum dictatus, in quo novitates hujus temporis magna ex parte congessi, atque ab illo responsum petii, quo vel approbaret vel improbaret, quæ sensi et sentio, paratus illi per omnia consentire : quia nunquam in doctrina fidei a sancta Romana Ecclesia dissentire volo*, etc. Opus brevi legent eruditi ex num. præcedente adducto codice, quem cl. et præstantissimo P. Sigismundo Munich, bibliothecario et superiori Admontensi, indefesso adjutori meo, debeo.

XVIII. *Scripta ad Anastasium IV P. M.*, de quibus iterum ipse Gerhohus cit. libro : *Post Eugenium vero non est inventus similis illi in Ecclesia Romana pontifex, qui scriptis meis ita benigne arrideret, quique oleum superfunderet ac thus poneret : quia qui ei post ea successerunt, non ita me habuerunt notum, ut ille. Attamen scripta mea quasi similam diligentissime tritam papæ Anastasio misi, quibus ille non respondit, qua de causa, non judico.* Jam vero hæc Gerhohi *scripta* ejusdem fuisse argumenti, cujus est *liber ad Adrianum*, scilicet de gloria et honore hominis in Deum assumpti, et de emendatione morum ecclesiasticorum, nullum est dubium. In his enim totus ubique est Gerhohus. Interim incertum habeo, ubi hæc *scripta* delitescant.

XIX. *Plurima scripta ad episcopum Pragensem Danielem.* Hæc Gerhoho totidem verbis tribuit chronographus Reicherspergensis. Verum eorum nihil hactenus in Germanicis bibliothecis repertum est.

XX. *Opusculum contra discipulos Petri Abailardi ad episcopum Frisingensem Ottonem, fratrem regis Chuonradi, et ad ipsos Frisingenses diversa opuscula et scripta, teste eodem chronographo.* Quæ omnia excidisse videntur. Saltem in Frisingensis Ecclesiæ vicinorumque monasteriorum codicibus, quos evolvi, nullum horum vestigium deprehendi.

XXI. *Epistolarum volumina duo.* Sic enim scribit idem auctor : *quantum esurierit et sitierit justitiam, denique quomodo vel qualiter, aut quantum dilexerit omnem justitiam, et omnem viam iniquitatis odio habuerit, legentibus et scire volentibus patet in diversis opusculis suis, quæ scripsit ad papam Innocentium et ad papam Eugenium, et ad dominos cardinales, et in aliis opusculis ad diversos scriptis : Similiter et in epistolis suis patet, quas ad diversos diversis temporibus scripsit, quæ etiam fere omnes adhuc inveniuntur in registro et epistolario suo libro in duobus voluminibus.* Hujus infiniti ad historiam ecclesiasticam thesauri cum cupidissimus essem, dedi quidem litteras ad te, reverendissime ac amplissime præsul : sed nihil amplius horum voluminum Reicherspergii superesse, cum ingenti dolore intellexi. Ast forte velut ex inferis ad lucem redibit eorum nonnihil, si non solum omnes anguli et foruli bibliothecæ, sed etiam archivii iterum iterumque excutientur. Una epistolarum Gerhohi, quæ est *de erroribus Folmari* præpositi Trieffensteinensis, excusa exstat, tom. XIII *Bibliothec. SS. PP.* pag. 346, edit. Coloniensis. Alias quatuor vides is tom. *I Thesauri* mei part. II, a col. 529, ubi, nescio quomodo, irrepsit et epistolium *A*, id est *Adami* abbatis non *Egensis*, ut equidem diserte habet codex Reicherspergensis, sed *Ebracensis* seu *Eboracensis*, ad Gerhohum, dudum jam edita in eadem Bibliotheca et alibi. Plures Gerhohi epistolas proferam tomo sequente, sed quæ nequaquam dignitatem et nomen duorum voluminum, quæ adeo avide desiderant omnes, exæquent.

XXII. Chronicon Monasterii Reicherspergensis, typis impressum primum Monachii in 4. anno 1611 cura cel. viri Christophori Gewoldi postea recusum a cl. V. Petro Ludewig volum. II *Scriptorum Rerum Germanicarum* a col. 129. Primus hoc opus Gerhoho tribuisse videtur Aventinus, qui inter eos, quibus in condendo Annalium Boiorum libro VI se usum fuisse testatur, laudat *Magnum* (ita puto Aventinum pro more sui sæculi vetus Theodiscum nomen *Gerhohi*, cujus posterior pars *Magnum* seu *sublime* sonat, Latine reddidisse) Richobergensem Flaminem Augustinianum, qui sub imperatore Henrico sexto Cæsare

Digitized by Google

Augusto Chronica scripserit. Aventinum secuti sunt Casimirus Oudinus in Supplemento Bellarmini *De scriptorib. eccles.*, pag. 459, et Gottfrid. Olearius *Biblioth. script. eccles.* tom. I, pag. 283 quorum prior tamen erratum agnovit *Comment. de script. eccles.* t. II, col. 1428, ubi ex anno 1178 ad quem Chronicon Reicherspergense attingit, colligit, Gerhohum, anno 1169, demortuum, ejus auctorem esse non posse. Sed restat corrigendus adhuc alius ejusdem Oudini error in Gerhoho admissus, dum ita in Commentario scribit : *Nullus, quem cognoscam, nomenclatorum, illius Gerhohi meminit, præter Carolum Dufrenium du Cange in Indice Scriptorum, quem præmisit Glossario mediæ et infimæ Latinitatis, columna* 102, *et Gerardum Joannem Vossium lib.* III *de Historicis Latinis part.* IV, *cap.* 6, *pag.* 769, *ultimæ editionis, quem tamen male ad annum* 1080 *assignat.* Verum non hi nomenclatores soli Gerhohum celebrarunt, sed etiam Aubertus Miræus in *Auctar de script. eccl.*, cap. 328, et Ludov. Elies Du Pin, qui tamen Gerhohum male monachum ex canonico reg. facit, in *Nova Biblioth. Script. Eccles.* tom. IX, pag. 186, qui ambo non potuerunt non probe cogniti esse Oudino. Ad ipsum Chronicon Reichersperg ense quod attinet, nec in eo nec uspiam alibi ullum exstat certum vestigium, unde cognoscas Gerhohum præ alio quocunque canonico Reicherspergensi hujus operis auctorem esse. Certe si id genuinus Gerhohi fetus esset, id haudquaquam dissimulasset chronographus, quicunque demum is sit, in Gerhohianorum operum recensione, in qua licet non omnia, paulo tamen majoris momenti, cujusmodi Chronicon istud esse nemo negaverit, satis accurate annumerat. Sed ad certiora revertor.

XXIII. *Commentarius in Psalmos.* Hoc, ipsum opus est, quod nunc in manibus tuis versatur, erutum ex Reicherspergensibus codicibus, initio hujus dissertationis pro merito laudatis. Sunt Commentarii hujus universim nunc septem manu exarata volumina, nec duo, ut Raderus tradit, sed unum duntaxat intercidit, quod ut recuperarem, nullam non operam, sed necquidquam dedi. In iis enarrationes psalmorum hoc ordine se consequuntur.

Primum volumen in 4 majori, ut vocant, signatum num. 47, continet expositionem viginti priorum psalmorum una cum Prologo Galeato seu libro de duabus hæresibus, de quo supra num. 5.

Secundum, notatum num. 48, complectitur explicationem psalmi XXI, et novem consequentium.

Tertium, num. 49 a tergo inscriptum, exhibet expositionem psalmi XXXI, reliquorumque usque ad XLIV.

Quartum, quod interpretationem psalmi LXIV, eorumque, qui in L desinunt, continebat, nunc Reicherspergæ nusquam comparet, estque illud ipsum, quod amissum paulo ante ingemui.

Quintum, num. 50 insignitum, expositiones psalmorum a LI orditur, et finit in LXIV.

Sextum, num. LI notatum, incipit cum enarratione psalmi LXV et desinit cum interpretatione LXXIV.

Septimum, quod num. 52 præfert, retinet explanationem psalmi LXXV sequentiumque usque ad psalmum CXVIII. Quocirca notandum, prolixiores pro more ac elegantiores Gerhohi expositiones, hoc septimo volumine contentas, ultra psalmum LXXVII non progredi. Eo enim cum vir sanctus attigisset, coorta tempestas schismatis pulcherrimi operis filum intercepit. Qua de re ita in proœmio expositionis psalmi LXXVIII loquitur Gerhohus : *Psalmo* LXXVII *expleto sequens, videlicet* LXXVIII *esset exponendus, nisi quod jam nox illa imminet, in qua nemo potest operari. Saltu ergo facto abhinc usque ad psalmum* CXVIII *quem ante hac, prout Deo favente potuimus, exposuimus continuando tunc expositionem usque in finem Psalterii, nunc imminente potestate tenebrarum cogimur cessare ab expositione. Sed ne medios psalmos intactos præterisse videamur per negligentiam, en reddimus causam. Spiritalis Antiochus jam regnat, cujus tyrannica violentia sic Ecclesia opprimitur, sic templum Dei violatur et profanatur atque polluitur, ingravescente nimis periculo schismatis, ut magna sit materia canendi vel potius lamentandi et flendi secundum verba hujus psalmi : Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum.* » Hæc Gerhohus, qui nullum, ut dixi, psalmum a LXXVI usque ad CXVIII ex integro ac ad versum edisserit, sed singulorum duntaxat titulos ex Augustino potissimum, ac unum itemque alterum versum ex Gregorio Magno explicat, ampliorem ex ingenio suo omnium explicationem opportuniori tempori reservans, quod tamen nunquam nactus fuisse videtur. Itaque nos, ne perenni atque continua omnium et singulorum psalmorum enarratione lectorem frauderemus, depromptis his ex Augustino et Gregorio laciniis ineditam hactenus Honorii Augustodunensis, de quo late actum in dissert. prævia in tom. II hujus *Thesauri*, expositionem ex codicibus Mellicensibus, rem exsequente Cl. P. Felice Maria, suffecimus, indidem etiam septem psalmorum expleta lacuna, quorum explanatio cum quarto Gerhohi volumine deperiit.

Octavum denique volumen, signatum num. 53, continet diffusam iterum, et ad primum Gerhohi institutum exactam omnium Psalmorum a CXVIII usque ad ultimum interpretationem. Sequuntur in eodem volumine *Canticorum* quoque quæ *Ferialia* dicunt, expositiones, quæ cum Gerhohum auctorem habeant, a Commentario in Psalmos nequaquam separandæ videbantur. Hæc de membraneis et ipsi Gerhoho coævis codicibus, ex quibus præsens in psalmos commentarius expromptus est.

Jam vero interiorem hujus operis præstantiam quod spectat, ea tanto major est, quanto plura singularia affert, tam quæ ad formandos e veterum præscriptis Christianorum ac præprimis ecclesiasticorum mores, quam quæ ad illustrandam diversorum temporum, præcipue sæculi XI et XII historiam, tam denique quæ ad penitus noscendas fidei ac doctrinæ, quæ eruditos eorum temporum viros maxime exercebant, controversias pertinent. Nimirum propositum viro sancto fuit in hoc genere B. Augustinum imitari, qui multa egregia ecclesiasticæ doctrinæ, disciplinæ historiæque monumenta suis itidem in Psalmos enarrationibus intertexuit et ad posteritatem transmisit. Audiendus hac de re ipse Gerhohus in psalmi X, versum 3 : *Jam nunc ignoscant nobis magistri litterati, si nos verba psalmorum ita coaptemus nostri temporis cursui, sicut B. Augustinus ex latere semper notavit in expositione Psalmorum sui temporis cursum. Si enim omnium temporum hæretici* arcum suum, *id est, sanctam Scripturam ad suum errorem* intenderunt, *et illi, qui nunc sunt hæretici, Simoniaci et Nicolaitæ, non desinunt* arcum suum *secundum suum sensum detorquere, Scripturas depravando; quare non liceat nobis uti eisdem Scri-*

Digitized by Google

pluris ad eorum prava sensa confutanda, non quasi arcu violenter in transversum curvato, sed quasi gladio ancipiti et bis acuto? Neque enim conamur Scripturas a suo sensu deflectere, sed, quod datum nobis fuerit, in gloriam dantis loquimur, non nostra scripta magistrorum magnorum scriptis conferendo vel præferendo, sed illorum pio desiderio satisfacere cupiendo, qui hoc opus a nobis exigunt, quasi de uberrimis pascuis pastoris David quamdam refectionem, et consolatorium quoddam ferculum, justitiæ sale conditum, quod esurientibus et sitientibus justitiam, ut magis dulce sit et sapidum, non extorquemus de psalmis violenter alienum sensum, sed consona Patribus dicendo, et nostri temporis hæreses interdum refellendo ultroneum et sponte occurrentem sensum tenemus. Hucusque Gerhohus, qui hac ratione id feliciter consecutus est, ut ejus Commentarius non mera primorum ac antiquiorum scriptorum expilatio, quod fere omnibus medii ævi auctoribus familiare est, sed opus pene novum ac singulare videri posset. Reprehenderunt quidem hoc nomine Gerhohum adversarii, sed eos egregie rejecit in Psal. XXXVIII, v. 4 : *Æmuli mei*, ait, *nolentes, imo et dedignantes credere, quod istiusmodi ardeam igne, moventur contra me addentes igni fervoris ignem doloris unde non solum caluit, sed igne gemino* concalescit cor meum intra me, *dum peccat aliquis, ac pene scandalizatur in me, quod scribo, quod in Psalmorum Tractatu ex dictis Patrum quædam colligens, aliquid supererogo, præsumptioni deputans et vanæ gloriæ. Verumtamen quomodocunque volunt, præsentes de nobis judicent, futuri clementius judicabunt. Dum enim vivimus*, ait vir illustris *B. Hieronymus, et vase fragili continemur, videntur amicorum prodesse studia, et nocere æmulorum opprobria. Postquam autem reversa fuerit terra in terram suam, et tam nos, qui scribimus, quam eos, qui de nobis judicant, pallida mors subtraxerit, et alia venerit generatio, primisque cadentibus foliis virens silva succreverit, tunc sine nominum dignitate sola judicantur ingenia, nec considerat, qui lecturus est, cujus, sed quale sit, quod lecturus est, sive ille episcopus, sive laicus, imperator et dominus, miles et servus, aut in purpura et serico, aut in vilissimo panno jaceat : non honorum diversitate, sed operum merito judicabitur.*

Enimvero nihil ardentius operosiusve in hoc Commentario egisse videtur Gerhohus, quam ut contra recentiores sui temporis scholas *gloriam et honorem hominis in Deum assumpti et in Deum nati* tueretur. Imo chronographus Reicherspergensis hoc ipsum psalmos explanandi occasionem et ansam Gerhoho præbuisse aperte tradit : *Pro defensione*, inquit, *sententiæ de gloria hominis in Deum assumpti et in Deum nati, in qua diversos et graves contradictores atque impugnatores per omnem vitam suam a juventute habuit, scripsit diversa opuscula et epistolas. Primum hac de causa, auctoritate Romanorum pontificum et dominorum cardinalium, et aliorum plurimorum Patrum, qui videbantur columnæ esse in Ecclesia eo tempore, fecit Expositionem psalmorum in octo voluminibus.* Secundum hanc sententiam Gerhohus constantissime statuit, propter perfectissimam, intimam et arctissimam Verbi divini cum natura humana unionem eidem humanæ in Christo naturæ saltem pleraque competere et communicata esse per gratiam et unionem, quæ divinæ in eodem Christo naturæ conveniunt per essentiam, salva tamen utriusque naturæ essentia, longissimeque relegata utrarumque naturarum confusione, ut videre est in quamplurimis hujus Commentarii locis, præsertim ad Psal. XV, vers. 6, et Psal. XXXV, vers. 10 et seqq., ac ex professo in toto fere libro de Gloria et honore Filii hominis, reliquisque prope omnibus opusculis ac epistolis de hoc argumento conscriptis, Eutychete etiam nominatim non semel rejecto atque damnato. Verum quidquid caverit Gerhohus, evitare non potuit censuram Stevartii, clarissimi theologi, qui referente Pinio *Nov. Biblioth.* tom. IX, pag. 186, existimavit Gerhohum, dum unum extremum, Nestorianismi, refutat, ad alterum, id est Eutychianismum, delapsum fuisse. Certe aspera et vehementer dura sunt, quæ de humana Christi natura in Psal VIII, v. 2, LVI, 4, et XIII, 1, et alibi passim commentatur et scribit.

Cæterum si Gerhohus in quæstione subtilissima et perplexissima longius fortassis æstu disputationis abreptus fuit, veniam apud rerum ac temporum gnaros facile merebitur. Certe sæculo XII res hæc in Germania, ubi maxime pugna fervebat, multis etiam doctis ac insigniter eruditis episcopis tam difficilis visa fuit, ut in quam partem se dederent, ignorarent. Quin nec Roma, quid illico decerneret, satis promptum et explicatum habebat. Cum enim Gerhohus longo cum Eberhardo, doctissimo Babenbergensi episcopo certamine defunctus, controversiam ad Alexandrum II P. M detulisset, suamque sententiam, quam certissimam habebat, apostolico calculo confirmandam definiendamque speraret, pontifex tantum a litis definitione abfuit, ut rem relinquens in medio, etiam utrique contendentium præceperit ne deinceps ulli ad populum de hac quæstione sermones haberentur, utpote ex quibus plus perturbationis quam commodi in eumdem redundaturum esset. Edemus in VI, qui jam sudat sub prelo, tomo tam Gerhohi quam Eberhardi et Alexandri epistolas, ne quis putet me non satis explorata hoc loco in medium afferre. Demum quæcunque fuerit Gerhohi de gloria humanæ in Christo naturæ sententia, is certe nunquam catholicus esse desiit, ut qui *nunquam in doctrina fidei a sancta Romana Ecclesia dissentire voluerit*, quod supra vidimus ex ejus libro De gloria et honore Filii hominis. Denique observatione dignissima sunt quæ idem Gerhohus in præfatione ad expositionem Psalmi LXIV de sua opinione testatur : *Erat quidem nobis*, inquit, *propositum in præsenti abbreviare hunc tractatum Romano pontifici (Eugenio III) tunc destinatum ac præsentatum et ejus approbatione roboratum. Sed quia sententiæ nostræ de glorificatione in Dei Filio hu-*

Digitized by Google

manæ substantiæ a quibusdam contradicitur, quam ea intentione atque consilio Eugenio papæ in hoc tractatu proposuimus, ut ejus in hac vel tenenda vel non tenenda judicium teneremus, quanquam Romanos pontifices antiquos in eadem sententia nobis consentaneos haberemus, coacti sumus totum nunc offerre lectori pensandum, quod tunc obtulimus Romano pontifici dijudicandum, ut, quia ille gratum et ratum habuit, quod in hoc tractatu a nobis affirmatur, omne os obstruatur contraria docentium, et roboretur fides hominum hominem in Deo glorificantium, imo a Patre summo summe glorificatum venerantium, et adoratione, qua solus Deus est adorandus, adorantium, etc. Ex quibus liquet, Gerhohum cum tot pontificibus Romanis, ejus doctrinam, licet privatim duntaxat collaudantibus et approbantibus, a catholica veritate aut declinasse nunquam, aut certe declinasse sine culpa.

Sed de vita et scriptis Gerhohi jam satis. Tuum nunc erit, reverendissime, perillustris ac amplissime præsul, me cum eodem ad gratiosum sinum tuum benigne admittere, ac, si qua alia Gerhohiana adhuc possides, iis meum *Thesaurum* locupletare. Quod cum clementer feceris, non solum me, sed totam rempublicam litterariam tibi quam maxime obstrictam ac devinctam habebis. Interea Deus ter Opt. Max. tuum religiosissimum regimen omnigenis bonis et commodis sospitet ac fortunet!

NOTITIA EX FABRICIO.

(*Bibliotheca med. et inf. Lat.*, tom. IV, pag. 47.)

Gerhohus, *Gerohus*, *Gerochus*, ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, præpositus Reicherspergensis in Bajoaria ab anno 1132 ad 1169. De ejus vita et laudibus multa in Chronico monasterii Reicherspergensis, pag. 226 seq., quod in anno 1194 desinens, ex Christophori Gewoldi editione Monachiensi 1611, 4°, recudi nuper curavit illustris Joannes Petrus Ludewig, tomo II scriptorum de rebus Bambergensibus, Lipsiæ 1718, in-fol. In illo Chronico de scriptis Gerhoi pag. 237 (304) hoc legitur testimonium : *Quomodo vel qualiter, aut quantum dilexerit omnem justitiam et omnem viam iniquitatis odio habuerit, legentibus et scire volentibus, patet in diversis opusculis suis, quæ scripsit ad papam Innocentium et ad papam Eugenium et ad dominos cardinales, et in aliis opusculis ad diversos scriptis. Similiter et in epistolis suis patet, quas ad diversos diversis temporibus scripsit, quæ etiam fere omnes adhuc inveniuntur in registro et epistolario suo libro in duobus voluminibus. Pro defensione quoque sententiæ De gloria hominis in Deum assumpti et in Deum nati, in qua diversos et graves contradictores atque impugnatores semper per omnem vitam suam a juventute habuit, scripsit diversa opuscula et epistolas. Primum hac de causa, auctoritate Romanorum pontificum et dominorum cardinalium, et aliorum plurimorum Patrum, qui videbantur columnæ esse in Ecclesia eo tempore, fecit expositionem Psalmorum in octo voluminibus, scripsit et opusculum contra discipulos Petri Abailardi ad episcopum Frisingensem Ottonem, fratrem regis Chuonradi, et ad ipsos Frisingenses diversa opuscula et scripta. Item plurima scripta ad episcopum Pragensem Danielem, libellum de fide rogatu domini Henrici cardinalis presbyteri. Opuscula ad papam Adrianum (VI.) Dialogum inter Græcos et Latinos. Libellum De glorificatione Filii hominis ad archiepiscopum Saltzburgensem Eberhardum. Novissime opuscula ad papam Alexandrum (III) et ad dominos cardinales, et ad episcopum Babenbergensem Eberhardum de eadem re. Præterea alia multa ad diversos scripsit, quos omnes commemorare longum esset.* Ex his edita hujus Gerhohi exstant :

Liber *De gloria et honore Filii hominis*, sive *De glorificatione naturæ humanæ in Christo*, ad Hermannum, episcopum Brixiensem, in Bernhardi Pezii tomo I Anecdotorum, parte II, pag. 164-280. In hoc libro suorum *in Psalmos*, Commentariorum meminit, pag. 163-331, et libelli *De novitatibus sui temporis*, pag. 169, nec non opusculi *De fide* in illud : *Mulierem fortem quis inveniet?* pag. 170, et opusculi *ad papam Adrianum IV*, pag. 256.

Liber contra duas hæreses Nestorianorum, et excommunicatos presbyteros eorumque sacramenta admittentium, ad Godefridum, abbatem Admontensem, pag. 283-314. Huic libro inserta, pag. 297, epistola *Hugonis* Radingensis, instituens probare, sacramenta presbyterorum depositorum nulla esse.

Epistola ad Eberhardum, episcopum Babenbergensem, quomodo secundum *Hilarium* glorificaturus Filium Pater sit major. Ibid. pag. 317-326. In codice (2) Heilsbrunnensi scriptor hujus epistolæ vocatur *Gerhardus* de Richensberge.

Epistolæ quatuor, pag. 329-334. In quibus memorat scriptum suum *de Quæstionibus Græcorum et Latinorum*, pag. 330.

Syntagma de Henrico IV et V, imperatoribus,

(2) Johannes Ludovicus Hockerus pag. 47 mss. Heilsbruun.

Digitized by Google

et Gregorio VII, nonnullisque insecutis pontificibus Romanis, vulgatum a Jacobo Gretsero Ingolstadii 1611, in-4°, et recusum in tomo sexto Gretseri operum.

Vitæ abbatum Formbacensium, *Berengeri* et *Wirntonis*, ordinis Benedictini, in laudati Pezii Anecdotis tomo I, parte III, pag. 399-420.

Liber *De ædificio Dei*, seu De studio et cura disciplinæ ecclesiasticæ, fide et officio, ac diligentia episcoporum, et aliorum clericorum, quorum conditionem non inferiorem vita monachorum esse docet, id. tom. II, parte II, pag. 225-436, ad Chunonem Ratisponensem episcopum, et illo defuncto ad presbyterum (Arnonem).

Liber epistolaris *ad Innocentium II* pontificem maximum, De eo *quid distet inter clericos sæculares et regulares*. Ibid., pag. 439-504.

Expositio *in psalmum* LXIV (LXV) sive liber *De corrupto Ecclesiæ statu* ad Eugenium III papam, in *Baluzii* Miscellaneis t. II, nov. edit., pag. 197-235, præmissa post Eugenii obitum epistola ad Henricum, presbyterum cardinalem, subjunctisque pag. 236 Eugenii litteris Gerhohi scriptum approbantibus : quo multa scitu dignissima contineri Baluzius adnotavit. Inter alia non laudat Gerhohus, quod pro Ecclesia Romana cœpisset *curiæ Romanæ* nomen frequentari.

Tractatus *adversus Simoniacos*, capite mutilus, in A Edmundi Martene tomo V Thesauri Anecdotorum, pag. 1459-1496.

In opere *De investigatione Antichristi* Gerhohum Folmari Nestorianismum oppugnasse notat Stevartius, propius ipsum *ad Putheristarum ubiquitatem* accessisse conquestus. Vide tom. XXVI Bibliothecæ Patrum Lugdunensis, p. 240, et in *Folmaro*.

Contra Gerhohum hunc rigidiorem insectatorem clericorum sæcularium, habitus A. 1130. Conventus Ratisbonensis, quo Marcus Hansitzius tom. II, Germaniæ sacræ p. 228. Non omittenda hic est epistola Eberhardi Bambergensis episcopi ad Eberhardum Salzburgensem archiepiscopum adversus Gerhohum scripta, quod docuerit, *divinitatem in sacramento altaris a sumentibus vocari, ac Christum qua hominem Patri æqualem esse*. Tum et alteram ejusdem Eberhardi ad Salzburgenses præpositos, quibus scripta sua adversus Gerhohum discutienda transmittit. Item alia ejusdem epistola ad anonymum, qua expendit sententiam Gerhohi de gloria Filii hominis. Tres hasce epistolas evulgavit P. Pez in Cod. diplomatico, pag. 444, etc. Sunt ibi præterea epistolæ quædam Gerhohi hic nequaquam indicatæ a Fabricio, quarum prior est ad abbatem Vindbergensem, narrans quid gestum sit in sua cum Bernhardo Bambergensi disputatione. Tota collectio epistolis constat 24 quæ fere omnes Gerhohum auctorem habent, quædam vero ad eumdem Gerhohum scriptæ sunt.

GERHOHI VITA.

(Ex Reicherspergensi Chronico excerpsit Gretserus Opp. tom. VI, pag. 238.)

Anno 1132 magister Gerhohus suscepit præpositurarn Reicherspergensis loci a Chunrado Salzburgensis Ecclesiæ archiepiscopo. Dominus Goteschalcus ejusdem loci præpositus sponte in manum ejusdem episcopi ipsam præpositurarn resignaverat.

Anno 1169 obiit sanctæ memoriæ magister Gerhobus in senectute bona v Kalendar. Julii, postquam strenue et fideliter præfuisset cœnobio Reicherspergensi paulo minus quam XXXVIII annis. Qui quoniam in modico fidelis inventus est, fideliter talentum sibi a Domino creditum erogando, super multa constitutus, non dubitatur jam ingressus in gaudium Domini sui, expletis annis vitæ suæ LXXVI, indict. II, et sacerdotii sui XLIII.

Pueritia Gerhohi et patria. — Hic prædicandus Pater ab ipso puerili ævo secutus Dominum memoratur. Cum enim ex placito parentum litteris discendis applicatus fuisset in domo paterna seu patria, quæ Pollinga dicebatur, omnes cœvulos suos vivacitate ingenioli ac tenacitate memoriæ visus est transcendere; cum tamen alias in his quæ a pueris in pueritia geri solent, cæteris simplicior ac doli incapacior inveniretur. Inde et lineam sui generis factis et dictis suo in tempore extulit, bibens jam in pueritia quod ructuavit postea. Hinc cum XVI esset annorum, percussusque esset plaga et dolore importabili, pueri Joseph imitator est factus, pudore bono repletus. Nam sanatus ab eadem infirmitate, ad propositum castitatis mentem aptavit totusque ex tunc scholasticis exercitamentis inservivit in civitate Frisinga simul et Moseburg.

Gerhohus fit Magister scholarum Augustæ, postmodum canonicus Augustanus. — Postea factus jam adolescens, ac satis honeste instructus, in Saxoniam, in locum qui dicitur Hildensheim, ad scholas iter convertit; ubi consummatis in studio tribus annis, in patriam remeavit. Eo tempore in civitate Augusta scholæ principales magistro vacabant. Igitur ad illud officium advocatus et assumptus est, malas jam habens mediocri barba suffusas, vultu decorus, et sicut in omni vita fuit, moribus compositus; unde et ab omnibus amabatur, maxime autem ejusdem Ecclesiæ episcopo, nomine Hermanno, gratus erat et valde acceptus : propter quod et eum canonicum ejusdem Ecclesiæ cum unanimi fratrum assensu instituit.

Gerhohus recedit a communione episcopi schismatici. — Erat illo tempore magna discordia inter regnum et sacerdotium sub Heinrico juniore imperatore V. Qua sedata tandem per gratiam Dei, et pace Ecclesiæ reddita sub papa Calixto, ipse magister Gerhohus interea dum hæc actitarentur, non vacabat; quin potius, stante adhuc discordia illa, incipiebat jam audere obsistere adversariis legis Dei, subtrahendo se nimirum a communione episcopi

Digitized by Google

Augustensis Hermanni, qui eum tunc assumpserat adhuc in diaconatus ordine positum, pro eo quod ipse episcopus imperatori et parti suæ favebat et communicabat. Faciebat autem hoc primo non in manifesto, sed quasi in occulto. Postea vero et palam confessus est quod cum Ecclesia et pro Ecclesia sentiret in illo tempore malo, negando communionem quibusdam etiam laicis nobilibus et honoratis parti imperatoris astantibus. Pro qua re tota fere civitas contra eum commota est, judicans eum quasi insanum et temerarium, qui ausus esset iram Cæsaris contra se et civitatem provocare.

Gerhohus meditatur vitam monasticam. — His autem, ut dictum est, finitis et sedatis, jam dictus episcopus in gratiam Romanæ Ecclesiæ, ipso mediante, receptus est. Ita gratus et acceptus erat jam tunc ipsi Romano pontifici et toti curiæ Romanæ. Jam vero diu erat quod etiam vitæ cœnobitalis propositum gestabat in animo. Ad quam rem, ut liberior fieret, non solum fratres suos, sed et patrem ac matrem novæ in Christo et sanctæ conversationi parturivit. Itaque duobus fratribus suis adhuc pueris, patre quoque ac matre sub regularis vitæ proposito in Reitenbuchensi cœnobio collocatis; et ita ab omnibus, quæ ad eum pertinebant, expeditus, cœnobitalis vitæ propositum, quod diu mente conceperat, jam ut in partum erumperet, tempus erat.

Consecrat se Deo in monasterio Reitenbuchensi (3). *Ejus studia in vita monastica.* — Igitur dimissa prædiviti canonica et nobili civitate Augusta, ad monasterium clericorum prænominatum Reitenbuch divertit, magis eligens cum pauperibus pauperem vitam gerere, quam habitare in tabernaculis, vel in domibus laqueatis peccatorum. Illic ergo quasi angelus Domini susceptus est: ubi veste pretiosa, et coma capitis deposita ac mutato sæculari habitu, gregibus Dominicis conformatus et consociatus est. Tum vero, quanto ardore ac studio iter communis vitæ arripuerit, quantoque zelo rectitudinis accensus vixerit, testis est ei omnis illa Ecclesia Reitenbuchensis: testes sunt ei omnes longe vel prope positi, ad quos fama sanctæ conversationis ejus pervenit; testes sunt, inquam, qualiter exardescere cœperit zelus ejus initio conversionis suæ, ita videlicet ut ex instantia orationum et lectionum divitiarum in tantum eloquium Domini inflammaverit eum, ut et eloquium ejus ignitum fieret vehementer; et verbum ejus, sicut de Elia scriptum est, tanquam facula arderet. Unde, confratres suos non solum dictis, sed et exemplis ad servandas bonas consuetudines arctioris vitæ et instituta sanctorum Patrum sine intermissione provocabat, quin etiam arguebat, obsecrabat, increpabat secundum Apostoli præceptum (*II Tim*, III). In omnibus se ipsum præbens exemplum, in vigiliis multis, in frequenti meditatione ac lectione sacrarum Scripturarum, in multa patientia, in castitate (*II Cor.* VI), atque in omni exercitatione bonarum virtutum, postremo in universa morum honestate præclarum se reddebat. Unde etiam ab omnibus bonis ac religiosis valde amabatur.

Gerhohus corpus castigat; sedule Regulam S. Augustini indagatur et sectatur; fervore suo concitat in se aliorum odia. — Domitor etiam corporis sui ita vehementissimus exstitit, ut a necessariis quoque cibis sumendis aliquanto immoderatius abstineret, adeo ut absumptis inedia carnibus, cutis fere ossibus cohæreret. Ardebat itaque totus incomparabiliter per inexstinguibilem sanctissimæ dilectionis ignem ad Deum; et per infatigabile animi ejus studium ad communis vitæ decorem. Nec enim satiabatur illis diebus dulcedine illa mirabili, quam inveniebat legendo, in excerpto de dictis sanctorum, de vita canonica, quo et eatenus pro regula usi fuerant fratres sui, sed, exquirebat, omni animadversione, quomodo sibi vivendum esset, secundum regulam S. Patris nostri Augustini; vel, quæ esset illa regula, secundum quam vivere, professus fuerat. Nihil enim sufficere pro regula visum est ei, quod illa non esset, quam professus fuerat. Quæ regula tamen tunc in illis locis non inveniebatur, sed nec in aliis locis ejusdem professionis. Pro qua re necessarium duxit Romanum adire pontificem cum quibusdam fratribus de claustro, quatenus regulam, quam una cum omnibus communiter fuerat professus, claustro illi, cui erat obligatus, stabiliret: quod et factum est. Hinc contigit ut quorumdam invidorum ac desidiosorum, quorum vita dissimilis fuit, per hoc animos et odia contra se vehementissime concitaret, ita ut et usque ad vitæ periculum in eodem loco postea tribularetur. Quia etiam alios excessus quosdam non ferendos inibi arguebat, ut ei jam tunc non inconvenienter potuisset aptari illud Dominicum dictum: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam*, etc. (*Matth.* V).

Postulatur Gerhohus ab episcopo Ratisbonensi. Dissidium inter Conradum et Lotharium creat Gerhoho pericula. Venit Salisburgum. — Interjecto autem aliquanto tempore expetitus multo desiderio a venerabili Chunone, Ratisbonensis Ecclesiæ episcopo, a præposito et fratribus de cœnobio Reitenbuchensi; postulanti in auxilium datus est: a quo et presbyter succedente tempore ordinatus est. Illis diebus Chunradus postmodum rex, tunc autem tyrannide assumpta contra Lotharium regem; quem principes communi decreto sibi regem fecerant, se regem haberi voluit. A cujus communione et susceptione, quia se prædictus episcopus subtrahebat, simulque cum eo magister Gerhohus, ipse tyrannus cum fautoribus ac clientibus, atque conjuratis suis, eis infestus erat, in tantum ut non semel eis insidias struxeret. Minas autem ac læsiones in corporibus eis intentantes frequenter deterrebant eos, ita ut et vitæ jam dicti magistri sæpe periclitaretur. Quia ipse tyrannidem ac schisma illud Chunradi in publica ac solenni statione detestatus fuerat. Unde et Ecclesiam plebalem, cujus curam ei episcopus Chouno injunxerat, parochiam videlicet quæ Champe dicitur, deserere coactus est, non ferens injurias et infestationes eorum: ubi et ipse cœnobium communis vitæ intenderat suscitare auxilio episcopi, quibusdam clericis in hoc idem propositum sibi associatis: sed taliter, ut dictum est, impeditus fuit. Post discessum autem felicis memoriæ jam dicti Chounonis episcopi ex hac vita, ipse a Chunrado seniore Salzburgensi archiepiscopo assumptus est; a quo et aliquibus vicibus Romam ad apostolicum in legatione sua peragendis causis ecclesiasticis directus est.

Gerhohus fit præpositus Reicherspergensis. Qualem in regimine se exhibet. Inculpatur vita ejus. Gerhohus gratus etiam arguens. — Dehinc anno 1132 cura et præpositura Reicherspergensis cœnobii, quod Ecclesiam Salzburgensem respiciebat; et eo tempore provisore carebat, ei cum assensu omnium injuncta est, a jam dicto archiepiscopo, exsultante eo uberius, hominem sibi talem datum divinitus, qui in doctrina sana ædificare Ecclesiam esset idoneus. Igitur in regimine positus, qualem se exhibuerit, qualiterque a Deo confortatus in omnibus postmodum Ecclesiæ tribulationibus, nunquam ei defuerit; sed veritatem constanter coram regibus et principibus non sine vitæ suæ periculo sæpissime confessus sit ac tuitus, testis est ei tota Germania, lumine doctrinæ ejus et ipsa illustrata, et fervore spiritus ejus super multis excessibus et abusionibus redarguta. Testes sunt ei omnes hi, inter quos conversari, vel quibus commanere ei aliquandiu contigit. Maxime autem sanctum fratrum ejus simul et

(3) Est id in Bavaria. Vide Hundium in *Metropoli*.

Digitized by Google

sororum novit collegium; quam sancte, quamque irreprehensibiliter inter eos jam per XI fere annos vitam duxerit. Noverunt omnes, quam quietus in vacando lectionibus et orationibus exstiterit; quam nullas horas a pietatis exercitiis vacuas habuerit. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis esse ei cum Apostolo visa est, nisi cum monasterii necessitas poposcisset. Quin etiam usque in exteras terras lampas cordis et oris ejus radiavit. Non Francia, non Bohemia, non Hungaria, sed neque Græcia gratiæ, quæ de corde et ore ejus radiavit, expertes factæ sunt. Tanta namque gratia diffusa erat in labiis ejus, ut his ipsis, quos arguebat, gratus existeret.

Libertas ejus in arguendo. Studium Gerhohi in sacris libris. — Unde et Romani pontifices, Dominique cardinales semper eum, licet in multis arguentem se, dilexerunt. Non reges ac potentes pertimuit, quominus nuntiaret eis id quod justum et salutare fuit, cum se opportunitas id faciendi obtulisset. Magnates, mediocres ac populares, sive in publicis Ecclesiæ conventibus, sive in privatis colloquiis ad oris ejus dulcia et salutaria verba pendebant. Sic namque divino Spiritu adeo potatus fuit, ut pene semper et indeficienter flumina de ventre ejus fluerent aquæ vivæ sive loquentis sive scribentis aliquid ad utilitatem et eruditionem proximorum. Sanctam vero canonicam Scripturam Veteris ac Novi Testamenti, in tanta, sicut dignum et justum est, veneratione habuit, ut ne in uno iota de ejus veritate et constantia dubitaret. Nec passus est quidquam de ejus lectione prætermitti, dum in via vel occupatione qualibet maneret, quod non legendo vel audiendo recompensaret. Et hanc consuetudinem ac studium erga sanctam canonicam Scripturam per totam vitam suam conservabat. Noverunt omnes quam promptus et largus in docendo, quam alacriter efficax in exhortando, quam severus in increpando exstiterit. Ita pium patris, et dirum [*f.* dorum] magistri inter suos servans affectum, ut cum debitam ei reverentiam exhiberent, plus omnibus amori quam timori existeret. Ipse denique exemplar morum, ipse formula religionis, ipse profectus incitamentum fuit; atque ut verbum breviatum dicatur, ipse *currus Israel et auriga* exstitit (*IV Reg.* II).

Profectus monasterii Reicherspergensis sub Gerhoho. — Evidens est autem valde quantum ipse locus quem regendum susceperat sub eo suo labore profecerit, quantumque cum ipse eum non multum divitem invenerit, per ejus industriam ditatus sit in prædiis aliisque possessionibus, tum ex concessione et liberalitate pontificum Salzburgensis et Pataviensis, quos idem locus respiciebat, in adjectione videlicet ecclesiarum plebalium, id est parochiarum cum decimis earum, aliorumque prædiorum; tum ex largitione principum, tum oblatione plurimorum nobilium, aliorumque fidelium, se suaque omnia suo magisterio subdentium, et sanctis ejus institutionibus ac disciplinis informari cupientium.

Disciplina monachorum et clericorum sub Gerhoho. Otium exsulabat a Gerhohiano cœtu. Exercitationes singulorum. — Jam vero quam bene ordinata sub eo fuerit tota sancta ejus congregatio, maxime autem clerus, quam decens ordo ac disciplina in ipso clero, quanta honestate et patientia præfulserit, quanta gravitas in senibus, quanta benignitas in juvenibus, quam juge studium, quanta scientia litterarum, quantus decor in servitio Dei, quanta munditia et pulchritudo in ministerio divinorum fuerit, quæ lingua poterit explicare? Nullus inter eos desidiosus, nemo otiosus inveniebatur. Si quis erat, minime ferebatur. Plurimi eorum valde nobiles habebantur; omnes simul aut servitio Dei, aut privatis orationibus instabant, aut lectionibus simul vacabant horis et temporibus constitutis; suo tempore in scribendis libris, aut aliis operibus se occupabant: juvenes ac pueri diversis artibus insudabant; quibus et ipse per se frequenter nunc benignus monitor, nunc severus correptor instabat.

Inter hæc ipse beatum se reputabat, cum discipulos suos velut examina apum in spiritualibus occupationibus fervere considerabat, nullumque ex ipsis deficere: quinimo omnes certatim de virtute in virtutem proficere, ac sic vivendo, Deum deorum tandem in Sion videndum esse memorabat: cum omnes sobrie, juste pieque viventes ad hoc insimul omnes laborarent, ut decenter cum munditia mentis ac corporis, atque cum alacritate, et voluntarie divina mysterio celebrarentur et tractarentur; et ad hoc omnes niti debere tam doctos, quam indoctos; hocque opus unum et solum esse, pro quo et sua de sæculo venientes relinquerent, et simul habitare eligerent.

Pium votum Gerhohi. — Iis aliisque documentis innumerabilibus fratres suos in collationibus exhortabatur: jucundabaturque frequenter et hoc commemorans se optare, et Deum orare, ut sua congregatio sic se opponeret adversariis malignantibus, id est, principibus tenebrarum harum, qui semper militant adversus animam, ut esset eis terribilis ut castrorum acies ordinata: et ut esset sicut grex tonsarum, quæ ascendunt de lavacro, de quibus memoratur in Canticis, quod sunt omnes gemellis fetibus, et sterilis non sit inter eas.

Gerhohus monasterii ædificia restituit. Multi sequuntur Gerhohi exemplum. — Ædificia ipsius cœnobii interiora et exteriora, nec non et officinarum omnium; quæ omnia lignea, et valde vetusta ac ruinosa invenerat, in meliorem statum renovavit, et in aptiorem dispositionem ordinavit per fratres suos, quos ad hanc partem sollicitudinis idoneos et aptos in congregatione invenit. Nam pondera curarum exteriorum ipse, ut se totum sanctæ vacationi dedere posset, fratribus suis imponebat, maxime autem fratribus laicis fidelibus et prudentibus, quos ei Dominus non paucos dederat, fama sanctæ opinionis ejus ad eum attractos. Inter hos plerique erant valde nobiles et nominati, ac bene religiosi, sicut et reliqui. Nihil enim inordinatum, aut quod contrarium esset religioni in congregatione sua patiebatur permanere. Hos similiter in collationibus suis exhortabatur præcipue ad obedientiam, exponens eis obedientiam patris nostri Abrahæ, patientiam Isaac, laborem ac sufferentiam Jacob, ut ipsi similiter obedienter et patienter laborantes manibus suis quod bonum est, finem ipsius Domini attenderent et longanimitatem: addens, quod *nemo manum mittens ad aratrum, et respiciens retro, aptus sit regno cœlorum* (*Luc.* IX). Monebat etiam, ut essent in commisso fideles; sicque conversationem et pudicitiam atque castitatem suam inter sæculares, cum quibus eis frequenter commanendum esset, propter negotia exteriora custodirent, ut ipsi videntes opera sua bona, imitatores eorum fierent, et glorificarent Patrem qui in cœlis est (*Matth.* V).

Instituit monasterium monialum. Nobilissimæ virgines dicant se Gerhohi opera exstructo monasterio. — Monasterium sanctimonialium sub regula B. Augustini viventium ipse primus in eodem loco instituit, ejusque obtentu ipsa earum ecclesia, quam a fundamentis ipse construxit, dedicata est a venerabili Romano Gurcensi episcopo, præsente archiepiscopo Chunrado, anno Dom. Incarnat. 1138, animabus sanctis, quas aggregaverat, jam tunc inibi velut in arcam ingressis, et a foris clausis ad honorem Dei et S. Mariæ perpetuæ virginis, cui idem monasterium dedicatum est. Ibi ergo illæ felices animæ inchoati operis cupientes consummare effectum, præstolantur nunc, ut veniente Sponso (*Matth.* XXV), apertis januis summi regni perducantur in thalamum regis æterni, pro mundi contemptu stolas candidas et splendidas coronas accepturæ cum

Digitized by Google

cæteris consodalibus suis, quæ illuc ex ipso tempore congregatæ sunt, quasque similiter Dominus virginitatis honore dicavit; quarum non parvum numerum ipse bonus pastor moriens reliquit; inter quas quædam filiæ erant nobilium et nominatorum virorum, et filiæ duæ principis unius de nobilissimis et maximis regni principibus.

Gerhohus gratus summis pontificibus. Favor curiæ Romanæ in Gerhohum. — Cæterum quam notus et gratus, quamque acceptus fuerit ipse beatus ipsis summis Romanis pontificibus, qui suo tempore Romanæ sedi præsederunt, Calixto papæ primum superius commemorato, et deinde singulis successoribus illius usque ad Papam Alexandrum; quamque venerabiliter ipsi Romani pontifices fervorem religionis suæ, et studium atque doctrinam, nec non et scripta sua susceperint, collaudaverint et approbaverint: quam etiam celerem effectum consecutus semper fuerit in omnibus negotiis suis, quotiescunque Romanam curiam interpellare necesse habuit aut per se ipsum, aut per nuntios, sive per solas litteras suas pro qualibuscunque causis, testantur litteræ apostolicæ, nec non et litteræ dominorum cardinalium frequenter aut pro eo ad alios missæ, aut ad eum specialiter destinatæ. Vel, quas ipse per se ab Urbe sæpius veniens de causa sua, vel aliorum, detulit: quarum omnium exemplaria adhuc inveniuntur. Quantum etiam ipsi Romani pontifices pro ipsius reverentia et dilectione ad petitionem ejus ipsum locum, quem regebat, cœnobium videlicet Reicherspergense, sub sua et B. Petri protectione susceptum, honoraverint, et manu tenuerint; et sæpe contra graves inimicos et infestatores defenderint, qualemque libertatem et justitiam ipsi loco concesserint, et firmaverint in perpetuum sua auctoritate, indicant privilegia papæ Innocentii, et papæ Eugenii eidem loco ejus industria elaborata ac impetrata.

Benevolentia in Gerhohum variorum principum et episcoporum. — Hos post hæc pie imitati pontifices Salzburgensis Chunradus senior et Eberhardus, ejus successor; nec non et principes regni, duces videlicet et comites, quique pro suo jure plurimis privilegiis eumdem locum munierunt. Similiter et alii pontifices, scilicet Babenbergensis, Pataviensis, Frisingensis prædia et possessiones eidem loco, aut per se ipsos, aut per alios in suis episcopatibus collata, suis privilegiis eidem cœnobio firmaverunt. Novissime etiam ipse dominus imperator Fridericus ipsum Reicherspergense cœnobium cum omnibus eo pertinentibus in suam imperialis majestatis, et omnium successorum suorum regum et imperatorum tutelam suscepit, et privilegio suo eidem loco antiquam et primitivam libertatem confirmavit, interventu episcoporum Eberhardi Salzburgensis archiepiscopi, et Eberhardi Bambergensis; atque Hartmanni Brixinensis episcoporum, secundum postulationem hujus sæpe dicti Patris.

Labor ejus pro pace instauranda, sublato schismate. Libri Gerhohi. — Quam sanæ autem et Catholicæ fidei apostolicæque doctrinæ fuerit, quantum a juventute sua dictis et scriptis laboraverit pro diversis causis ecclesiasticis, atque pro bonis consuetudinibus et disciplinis canonico ordini obtinendis et conservandis; quantum contra abusiones et abominationes, et contra pessimas novitates, quas in Ecclesia suo tempore increscere doluit, decertaverit; quantum concordiam inter regnum et sacerdotium suaserit, scriptis suis missis in curiam Romanam, et in curiam imperatoris: quantum exsecratus fuerit et caverit schisma quod circa finem vitæ suæ exortum est; quantum esurierit et sitierit justitiam: denique quomodo vel qualiter, aut quantum dilexerit omnem justitiam, et omnem viam iniquitatis odio habuerit, legentibus et scire volentibus patet in diversis opusculis suis, quæ scripsit ad papam Innocentium, et ad papam Eugenium, et ad dominos cardinales, et in aliis opusculis ad diversos scriptis. Similiter et in epistolis suis patet, quas ad diversos diversis temporibus scripsit; quæ etiam fere omnes adhuc inveniuntur (4) in Registro, et epistolario suo libro in duobus voluminibus.

Pro defensione quoque sententiæ de gloria hominis in Deum assumpti, et in Deum nati; in qua diversos et graves contradictores atque impugnatores semper per omnem vitam suam a juventute habuit. Scripsit diversa opuscula et epistolas primum hac de causa, auctoritate Romanorum pontificum et dominorum cardinalium, et aliorum plurimorum Patrum qui videbantur columnæ esse in Ecclesia eo tempore.

Fecit expositionem Psalmorum in octo voluminibus (5). Scripsit et opusculum contra discipulos Petri Abailardi. Ad episcopum Frisingensem Ottonem fratrem regis Chuonradi, et ad ipsos Frisingenses diversa opuscula et scripta. Item plurima scripta ad episcopum Pragensem Danielem libellum De fide rogatu Heinrici cardinalis presbyteri. Opusculum ad papam Adrianum, Dialogum inter Græcos et Latinos. Libellum De glorificatione Filii hominis ad archiepiscopum Salzburgensem Eberhardum. Novissime opuscula ad papam Alexandrum et ad dominos cardinales; et ad episcopum Babenbergensem Eberhardum de eadem re. Præterea alia multa ad diversos scripsit, quos omnes commemorare longum esset.

Mors Gerhohi. — Verbum Dei usque ad ipsam suam ægritudinem, imo ad ipsum, et in ipsa usque diem dormitionis suæ inpræterminsse alacriter et fortiter sana mente, sanoque consilio in sancta Ecclesia prædicabat membris omnibus sui corporis incolumis, integro aspectu atque auditu. Tandem vocante eum Domino, coram positis omnibus fratribus et orantibus dormivit cum patribus suis v Kalend. Julii, media nocte ante biduum divina refectione saginatus et Christo incorporatus, quem, ut decuit, semper amavit, et in quem credidit, quemque dilexit et honoravit, id est in die natalis S. Joannis Baptistæ. Ipsa enim die in publica statione, sicut mos ejus erat, solemniter missarum solemnia per se celebraverat, bene valens, et sermonem ad populum ultimum, tanquam vale dicturus omnibus in longum valde protraxerat. Sepultus est autem cum maximo luctu omnium in monasterio, ad latus altaris S. Crucis honorabiliter in Kal. ejusdem mensis Julii.

Hactenus Chronicon Reicherspergense. Ad imaginem Gerhohi Reicherspergæ inscriptum est hoc elogium: « Anno Domini MCXXXII, Dominus Gerhohus SS. theologiæ doctor insignis, tertius hujus loci præpositus creatur. Hic in corrigendis magnatum moribus laboravit, ac monasterii sanctimonialium B. Virginis exstitit fundator. » Porro ex tot libris quos Gerhohus scripsit, nulli Reicherspergæ supersunt, ut manifestum fit ex Catalogo bibliothecæ monasterii illius accurate conscripto, præter duos libros De inquisitione Antichristi, et sermonem De assumptione B. Virginis; et commentarios in Psalterium; quamvis tertia et quinta partes, nescio quorum incuria, desiderentur. Octavæ tamen parti lucubrationum in Psalmos adjunctus est tractatus De fide, et alius De quarta vigilia noctis. Tertius denique De ordine donorum Spiritus sancti.

(4) Utinam invenirentur! Nam in Catalogo Reicherspergensi accurate scripto non comparent.

(5) Expositio in Psalmos exstat in monasterio Reicherspergensi, exceptis duobus tomis, qui amissi.

Digitized by Google

GERHOHI EPISTOLÆ.

(Ex cod. ms. Reichersp. eruit R. P. Bernardus Pezius, *Anecdot.* tom. I, parte II, pag. 329.)

EPISTOLA PRIMA.

Ad magistrum A. scribit sibi haud videri opuscula sua De glorificatione naturæ humanæ in Christo *sedis apostolicæ judicio iterum subjicienda esse, a qua olim jam approbata fuerint. Mittit et commendat ei opus suum contra Græcorum errores*, etc.

Magistro A. frater G. salutem.

Proxima inter nos collatione habita dixisti, frater in Deo dilecte, hoc tibi placere, ut sententiam *De glorificatione in Christo naturæ humanæ*, quæ scriptis meis sparsim inserta multis est in signum, cui contradicitur, mitterem in curiam Romanam illic vel approbandam vel improbandam. Cum hæc mihi dixisses, cœpi deliberare utrumnam sic expediret fieri, ut hortabaris, et inter deliberandum revolvi scriptum nostrum ante hac in curia Romana sanctissimæ recordationis Eugenio papæ præsentatum, continens eamdem sententiam plene ac plane digestam in Tractatu psalmi LXIV. Igitur cum ille vir totus apostolicus hanc sententiam gratam et ratam habuerit, nostrique scripti opusculum quasi munus [illegible]bile apud se reposuerit, superfluum vel te[illegible]rium videtur, si eadem sententia semel in sede apostolica recepta iterum in examinationem revocetur, tanquam de illius viri sanctissimi et prudentissimi dubitetur judicio, qui revera sacerdos magnus in diebus suis placuit Deo et inventus est justus. Cujus erga me meaque scripta quam pia fuerit æstimatio novit prudentia tua. Nunc autem successori ejus Adriano papæ, cum sim facie ignotus, et jam secundo ei scripta meæ parvitatis fuerint porrecta, primo per dominum Babenbergensem, deinde per fratrem meum uterinum R., nec aliquod ab eo acceperim responsum per epistolam, non videtur consilium de cætero ingerere illi aliquod scriptum longa mora examinandum, cum illa utpote magnus et magnis ac multis intentus non valeat expediri fortasse ad parvulorum nostri similium scripta longa longanimiter audienda seu legenda. Unde scriptum nostrum *De quæstionibus Græcorum et Latinorum* domino Joanni cardinali presbytero, quondam Ecclesiæ Jerosolymitanæ archidiacono, videtur commendandum, quem sensi æmulatione bona contra Græcorum errores accensum, quatenus ipse idem secundum datam sibi a Deo prudentiam perspiciat, ac, prout ei videtur, inde faciat sive magistro Moysi illud mittendo, sive aliis Græcis, qui ad curiam veniunt, illud porrigendo, ita scilicet ut et ipse non videatur arguendus de pecunia domini sui abscondita, si viderit eam posse ad lucrum exponi per suam industriam. Nam ego qualiscunque servulus pauperum Christi non parum laboravi eamdem pecuniolam pro posse meo de agro Scripturarum effodiendo, quam tamen senio et morbis debilitatus ad Romanorum seu Græcorum mensam per me ipsum ferre non valens, illi mitto et committo quem prudentem nummularium esse non dubito. Dominus autem veniens cum usuris illam exiget, et unicuique nostrum reddet mercedem secundum suum laborem, mihi parvulo fossori, illi magno dispensatori, tibi utriusque mediatori. Lege, si placet, primam partem in secundum quinquagenarium Psalmorum, in qua psalmum supra commemoratum invenies ultimum, neve dubites per omnia sensisse mecum sanctissimæ recordationis Eugenium papam. Considera ipsius epistolam nostræ parvitati missam post finem psalmi prænominati annexam.

EPISTOLA II.

Ad Henricum S. R. E. cardinalem, cui offert et commendat suam Expositionem psalmi sexagesimi quarti.

Henrico venerabili sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali presbytero, etc. *Exstat infra supradictæ Expositioni præmissa.*

His in eodem Reicherspergensi codice subjungitur epistola Eugenii III, qua Gerhohi Expositionem præmissam Psal. LXIV *laudat et approbat, a Baluzio vulgata loc. cit.* (Exstat infra ad calcem hujus Expositionis.)

EPISTOLA III.

Ad Othonem episcopum Frisingensem. — Ejus censuræ primam partem Expositionis suæ in Psalmos submittit, quidque de illa aliis visum fuerit, exponit. Quædam contra scholasticos, theologos et philosophos, etc.

In conspectu angelorum docet psallendum Psalmista præcipuus, cujus nos pedissequi esse optamus. Unde quod in psalmorum Tractatibus ex Patrum sensis in unum congessimus, angelis Ecclesiarum libenter præsentamus. Ipsi namque sunt nummularii, quibus pecunia Domini est præsentanda et per ipsos dispensanda, quoniam ipsis dispensatio credita est. Recte tamen quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. *Fidelis*, dico, *et prudens* (*Matth.* XXIV). Nam alterum sine altero non sufficit, si aut fideli desit prudentia in discernendo, aut prudenti desit fidelitas in commisso custodiendo. Quis, putas, est fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? Rarus est hujusmodi et ideo præclarus, quia vir unus eligitur ex millibus, qui sit in utroque perfectus. Attamen quantum ad humanum spectat

Digitized by Google

examen, ego G. pauperum Christi minimus tibi angelo Ecclesiæ Frisingensis arbitror neutrum deesse, quem ex divino munere multa mihi experimenta ostendunt fidelem pariter et prudentem.

Itaque fidelitati et prudentiæ tuæ mitto et committo legendum, quod in prima parte Tractatus in psalmos præ manibus habeo, ut sicubi sanum sapio, tuæ auctoritatis fulciar testimonio. Sin aliter, quod non recognosco, pie recognoscens tuo emendem consilio. Sane angelus Ecclesiæ Romanæ papa Eugenius per epistolam suam confortat me in hujusmodi occupationibus, et ideo parum curo de quorumdam contra me oblocutionibus, quibus pene aliud non sapit, nisi quod in scholaribus exercitiis biberunt, ubi aquæ Siloe non inveniuntur, quæ fluunt cum silentio, ubi vinum sæpe deest in convivio, ubi tales inter se disceptant assidue, qui esse sub sentibus delicias putant. Non quidem negamus inter tales esse magistros præcipuos eloquentiæ torrentibus et sapientiæ fontibus abundantes, quodque pretiosius est, habent fontem Jacob, sacram videlicet Scripturam, de qua refocillant suos discipulos non tam sapientiæ studiosos quam scientiæ curiosos. E quibus aliqui relinquendo Samariam veniunt Jerosolymam, atque ibi Domino benedicunt non de fonte Jacob, sed de fontibus Israel, quia in sancta et religiosa conversatione sacram Scripturam sapere jucundum est eis, non secundum varias doctrinas et colluctationes magistrorum, sed secundum sanam et consonam doctrinam sanctorum Patrum Deum videntium. Sic magistri magistris præferuntur, videlicet rhetoribus piscatores, argumentosis infantes et lactentes, quorum ex ore Deus laudem suam perficit, perque lacteam doctrinam eorum nonnullos trahit ad se de torrentibus philosophorum, quod in me ipso per Dei gratiam expertus sum ex parte, ac spero amplius experiri, cum venerit quod perfectum est, et evacuabitur quod ex parte est. Nam et ego de torrentibus philosophorum aliquando in via bibi, et in fontes eorum curiositatis hydriam misi. Sed hac hydria tandem relicta cum muliere Samaritana Salvatoris admonitiones in simplicitate auscultavi, ad id ipsum faciendum commonens vicinos, quos potui, qui tamen non propter meam loquelam credunt his quæ scribo. Ipsi enim audiunt et cognoscunt quia vera veritatis testimonia colligere studeo, quæ sanctorum Patrum sic auctoritatibus undique munire solco, ubi contradictionis ulla putatur suscipio, ut me meaque dicta non facile aliquis audeat condemnare, nisi qui præsumit sanctis Patribus injuriam irrogare, sub quibus tutoribus et actoribus incedo timoratus, rationem dare ac recipere paratus.

Angelus Ecclesiæ Juvavensis hanc ipsam partem, nec non et alteram diligenter perlegit, meque ad ulterius procedendum in funiculo charitatis trahit.

A Te namque in peregrinatione manente ille unus angelus in hac provincia mihi fuit electus, cujus me judicio committerem, sentiens illum fidelem pariter et prudentem. Nunc autem, quia de camino exsilii te quasi aurum probatum, Deo donante, recepimus, tu, annuente gratia divina, mihi aliter angelus es in testimonium sanæ doctrinæ advocandus, ut in ore duorum vel trium testium stet nostri operis verbum, tertio angelo, videlicet pontifici Romano, si vobis placet, præsentandum, cujus ad quædam nostra scripta præ manibus est epistola, quam si cui legere placet, quid ille angelus de me sentiat, satis intelligere valet, quatenus per electos angelos in conspectu angelorum cæterorum, qui opus nostrum legere dignabuntur, fiat ipsius B commendatio, et ubi res exigit, emendatio (6-7).

EPISTOLA IV.

Ad G. sororem. — Se abbatissam Bragensem non supplantasse, sed canonicæ ejus ob contumaciam depositioni consensum recte præbuisse, se tamen ad eam juvandam paratum esse, si modesta fuerit, etc.

Frater G., dilectæ in Christo sorori suæ G., devotam orationem et perpetuam in Christo dilectionem.

Dictum est mihi quod Bragensis quondam abbatissa, commorans apud vos, graviter conqueratur quod ego fuerim quasi auctor supplantationis ejus. Quod si apud vos personuit, volo et rogo meam conscientiam apud te, aliasque nostras in Christo C dilectas, haberi excusatam a crimine supplantationis. Est enim supplantationis quædam species, quæ fit absque crimine, illius exemplo qui fratrem in utero supplantavit, quique illi primogenita tulit, et postremo subripuit illi benedictionem consiliante matris prudentia, cui utinam concordent omnia mea consilia! Et, ut spero, talia fuerunt mea consilia in Bragensi abbatia in melius commutanda, quod per ipsam tunc ablatissam libentissime fecissemus, nisi quod in ea consensum ad hoc non invenimus, imo tantam rebellionem, ut erumperet ad manifestam obedientiæ contradictionem præsente domino cardinale, in promptu habente ulcisci omnem inobedientiam, cujus justæ sententiæ in illius depositione, cum adessem, oportuit me concor- D dare, atque operam dare ut, in loco inobedientis Vasthi, Esther obediens exaltaretur non per supplantationem, sed per canonicam electionem et divinam dispositionem.

Attamen, quia Deo gratias grandia crimina non sunt inventa in illa deposita persona, consilium meum est ut ipsa in suis necessitatibus adjuvetur, si tamen per ipsius humilitatem et benignitatem suspicio illa excludetur, quam nuper suscitaverunt litteræ ab illa Bragam missæ, in quibus ita loquitur, quasi dominetur et minetur. Unde si sic loquenti aliquid beneficentiæ fuerit exhibitum, videbitur quasi minis extortum, et præ timore humano po-

(6-7) Sequitur in codice epistola Eugenii papæ, de qua supra egimus.

Digitized by Google

tius quam pro amore divino impensum. Si ergo te, charissima, et alias nostras charas audit, consulite illi, et ego pro consilio vestro libenter consulam, quod spectat ad ipsius levamen, quantum potero secundum Dei honorem, ita videlicet ut habeat aliquam certam consolationem ex parte domnæ Bragensis abbatissæ, quæ istam licet se vituperantem diligit.

Si ergo ista illam diligendo gratam vicissitudinem rependet, suamque præteritam negligentiam gaudet emendari per illam, erit tam ipsa deposita quam posita non dico mei, sed Dei amore digna; quia illa faciente atque ista favente unum opus claustralis disciplinæ in medio nationis pravæ et perversæ agitur, quod utrique, id est tam diligenti quam facienti ad præmium beatitudinis consequendum reputabitur, et utraque a me in Christi amore amabitur, et utrique sedulitas mea, Deo aspirante, ad famulandum prompta erit. Quod si adversæ contra invicem fuerint, illi me recognoscam paranymphalis obsequii debitorem, cujus agnovero Dominum meum Jesum Christum sponsum et amatorem.

Quod non ita loquor, quasi ipse diligat etiam solas virgines aut pœnitentes inclusas, cum diligat etiam illam quæ in Canticis canticorum ei loquitur: *In lectulo meo quæsivi per noctem quem diligit anima mea : quæsivi illum, et non inveni. Surgam [illegible]bo civitatem ; quæram quem diligit anima mea* (*Cant.* III). Non ergo nos omnem sponsæ circuitionem culpabilem notamus, cum sit laudabilis illa sponsæ circuitio, in qua dilectus quæritur et invenitur, quo et invento statur, et lectulus ei demonstratur illa dicente ad illum ; *Lectulus noster floridus*, etc. (*ibid.*) Sponsa, quæ sponso demonstrat lectulum, satis indicat quod eam quies, non cursus dilectat, nisi forte post illum currat dicens: *Trahe me post te: in odorem curremus unguentorum tuorum* (*ibid.*)

Novi etiam ego aliquas Dei sponsas non inclusas, inter quas tu mihi es præcipua, et præcipue dilecta, in quibus mihi placet castitas et morum probitas atque honesta conversatio sub nullo aut infirmo seu vili magisterio. Laudo eas, attamen in hoc non laudo, quod neque claustrali, neque, ut ipsæ aiunt, carcerali muniuntur clausura. Est enim et carcer beatus, in quo se Christus gaudet visitatum, dicens: *In carcere eram, et venistis ad me* (*Matth.* XXV). Hujus piæ visitationis obsequium et tu, soror in Christo dilecta, nuper implesti, quando sorores nostras visitasti ; quod ut sæpius facias, mihi gratum esse scias, imo illi qui tibi dicturus est: *Infirmus eram, et in carcere, et venistis ad me* (*ibid.*). Atque utinam sic ad illum in carcere manentem venias, ut ab illo ulterius evagari non quæras, nec ad charissimas amicas in sæculo visitandas ! aliud est enim exemplo Dinæ inter filias alienas circuire, atque aliud exemplo Mariæ in montana cum festinatione conscendere in domum justi ac prophetæ ad salutandam prophetissam, cui similem tu debes æstimare sororem tuam, jam, Deo gratias, non infecundam, sed a sterilitatis opprobrio alienam, cum habeat, Deo gratias, prolem honestam, in qua nomen Joannis per gratiam Dei refulget, quod tam illi quam mihi ad gratiæ augmentum, ut spero, proveniet, ut pariter gaudeamus, ego canendo cum Zacharia : *Benedictus Dominus Deus Israel* (*Psal.* CV) : illa vero cum Anna : *Exsultavit cor meum in Domino* (*Zach.* X) : tibi quoque illam visitanti contingat canere cum beata Maria in domo nostra : *Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo* (*Luc.* I).

EPISTOLA V.

A. Egensis abbatis ad Gerhohum. — Narrat quid præposito de Triph Babenbergæ evenerit, laudatque, rejecta hujus doctrina, catholica scripta Gerhohi.

Domino venerabili G. præposito de Reichersperge frater A. dictus abbas de Ega devotæ orationis obsequium.

Quod præpositus de Triph dudum scripsit fidem suam se nobis exposuisse, noveritis non aliter, quam subscripsimus, factum fuisse. Vice quadam in nostri præsentia allato libello dixit : hæc est fides mea, legitque ex eo in auribus nostris nobis nihil attendentibus, nihilque de eo suspicantibus. At postquam scripta vestra, quæ catholice adversus eum edidistis, accepimus, ex mandato episcopi Babenbergensis egimus, ut una nobiscum ad ejus præsentiam Babenberg accederet, ubi coram non paucis religiosis et litteratis viris episcopo contra eum agente humiliter professus est, nihil tale se deinceps sentire nec scribere. Porro nos his quæ eadem scripta vestra habent, consentimus, et catholica judicamus, de cætero optantes et orantes divinam clementiam, ut illuminet oculos cordis vestri ad omnem cognitionem veritatis et amorem virtutis.

MONITUM IN SEQUENTES EPISTOLAS.

(PEZ. *Anecdot.* t. VI, pars I.)

Conspicuæ sunt, gravissimæ et rebus optimis refertissimæ epistolæ Eberhardi eruditissimi episcopi Babenbergensis, et Gerhohi præpositi Reicherspergensis. Argumentum fere omne harum epistolarum est de gloria et honore Filii hominis, cui pleraque PER GRATIAM *asserit Gerhohus, quæ* DEO PROPRIA *sunt* PER ESSENTIAM ; *id quod vehementissime Eberhardus impugnat. Alterum caput controversiæ faciunt sacramenta excommunicatorum, quibus vix quidquam solidi cum pluribus veteribus theologis Gerhohus attribuit, Eberhardo aliisque contra fortiter nitentibus. Porro cum res, multis disputationibus excussa et illustrata, ad Alexandrum III*

P. R. delata esset, isque a Gerhoho, ut suo judicio controversiam finiret, rogaretur, urgereturque, alia omnia evenerunt, silentio utrique parti quoad publicas concertationes, a pontifice injuncto. Sententiam Alexandri videsis inter ejus epistolas. Quocirca observatu dignum puto, pontificem « ideo nil certi super eisdem capitulis duxisse respondendum, quia, inquit, nisi eum et alios coram positos audiremus, non fuit visum nobis super eis tam facile proferre sententiam, et cujusvis partis tantum rationibus allegatis aliam inauditam et indefensam præcipiti judicio condemnare. » Admirandam Alexandri III æquitatem!

—

EPISTOLA VI.

Eberhardi ep. Babenb. epistola ad præpositos Salzburg. et Chiemseensem. — Dolorem suum de obitu Eberhardi Salzb. archiep. declarat, eisque sua adversus Gerhohum scripta examinanda transmittit.

(8) Eberhardus Dei gratia Babenbergensis Ecclesiæ qualiscunque minister, venerabilibus et in Christo plurimum dilectis fratribus et amicis II. Salzburgensi, D. Kimissensi præpositis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.

In commemoratione beatissimi Patris ac domini nostri archiepiscopi Eberhardi jugiter in mentem venit, imo a memoria nostra non recedit, quod diviso a se domino suo, et curru igneo subvecto vernaculus et individuus ille comes prophetæ post eum clamavit dicens : *Pater mi ! Pater mi ! currus Israel, et auriga ejus* (*IV Reg.* II). Nunquid enim magnus iste sacerdos noster, qui in diebus suis placuit Deo et inventus est justus? Currus enim fuit, dum necessitates et infirmitates alienas, præsertim onera peccatorum et inopiam pauperum paterna consolatione et compassione sublevavit. Quasi diceret : *Quis infirmatur, et ego non infirmor ?* (*II Cor.* XI.) Vel nunquid non auriga fuit, qui creditos sibi rexit, et direxit in viam veritatis exemplis pariter et documentis ? Oculus fuit cæco, et pes claudo. Manus ejus non est aversa ab ullo paupere, cum quo cordi erat jocari, corrixi (9), et tandem ab invalida manu exsuperari. Insuper ut omnibus omnia fieret, etiam supra legem, non contra legem, halitum leprosi et tactum lepræ non abhorruit. Quid ultra ? *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius* (*Sap.* IV). *Sed consummatus in brevi explevit tempora multa* (*ibid.*). Et quidem, sicut scriptum est, malitia remanentium meretur ut hi qui prodesse poterant, festine substrahantur. Atqui memorabilis ille assecla prophetæ magnificam duplicis spiritus habuit consolationem ; nobis autem in transitu viri sanctissimi præter luctum nihil amplius derelictum est, nisi forte digni essemus apud Deum tanto sublevari patrocinio. Talis decebat ut nobis esset pontifex, cui vivere Christus, et mori esset lucrum (*Philipp.* I). Propositum quidem nobis erat festinare ad videndum eum. Sed, proh dolor ! peccatis nostris exigentibus extremum hoc beneficium percipiendæ ab eo benedictionis nobis divinitus denegatum esse lamentabiliter et inconsolabiliter conquerimur.

Denique scripta quædam, causis urgentibus, prout A videre et cognoscere poterit discretio vestra, ad ipsum Patrem et dominum nostrum dilectissimum direxeramus. Sed quia nec illa ad eum in carne superstitem pervenerunt properante Deo educere ipsum de medio iniquitatis, idcirco ut nostræ ad ipsum devotionis, suæque ad nos gratiæ in his saltem aliquod memoriale remaneat, vobis potissimum tanquam proximioribus ejus debito, tam carnis quam spiritus, ea destinavimus sub eadem examinis et correctionis lege, atque ad eamdem censuram, quam ab ejus auctoritate exspectare debueramus, litteris domni Gerhohi, tanquam præjacente materia opusculi subsequentis, in fronte præfixis. Consolemur invicem. Pater noster piissimus intravit in gaudium Domini sui. Ipse autem Pater B misericordiarum et Deus totius consolationis consoletur vos, et abstergat omnem lacrymam ab oculis vestris.

EPISTOLA VII.

Gerhohi Reicherspergensis epistola ad Adamum abbatem Eberacensem, adversus errores Folmari præpositi Trieffensteinensis.

Domino A. venerabili abbati Eberacensi frater G. de Reichersperge devotas orationes cum fideli obsequio.

Nuper venit in manus meas epistola (10) domino Salzburgensi destinata, in qua et vestri nominis mentio fuit, sicut videre poteritis in rescripto epistolæ : cujus textus ita se habet : *Domino suo E. venerabili Salzburgensi archipræsuli, F. Dei gratia, si quid est ; semper gaudere, nihil adversique timere. Fidem meam de veritate corporis ac sanguinis Domini domino A. Eberacensi abbati, sed et aliis litteratis et religiosis viris mandatam litteris diligenter exposui, eosque in nullo penitus adversos, sive diversos inveni*, etc., ubi supra. Hic perpendat sapientia vestra utrumnam recte offerat recteque dividat qui, quod Dominus conjunxit, sensu carnali separat ? Conjunxit quippe Deus homo carnem et ossa in resurrectione sua discipulis suis dicens : *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (*Luc.* XXIV). Erant enim simul in ejus corpore a morte suscitato non solum caro et ossa, sed et sanguis et spiritus humanus, et divi- D nus ; quem et insufflavit suis discipulis dicens : *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* XX). Cum autem separatio spiritus humani a corpore sit mors ipsius corporis, et item separatio carnis ab ossibus mortem carnis operetur ; cumque sanguis humanus ex-

(8) Ex cod. Admontensi coævo.
(9) Ita Cod.
(10) Littera proprii nominis est erasa. Sed erat, E. seu Eberhardo, ut hoc constat ex his quæ mox sequuntur.

Digitized by Google

tra carnem careat vitali spiritu, qui est anima rationalis, constat eos rursum crucifigere, atque ostentui habere Christum, qui sic ipsum dividunt : sicut in præmissa legitur epistola, quæ ut majoris habeatur auctoritatis, ad venerabilem destinata est archiepiscopum; et apud vos aliosque litteratos ac religiosos viros insinuatur approbata in ea fide, in qua Christus contra doctrinam Pauli divisus est.

Sed nos istam fidem pro maxima reputantes perfidia, carnes agni paschalis non ita crudas, vel aqua coctas in Ecclesia Dei manducari credimus, ut vel sanguis ejus, vel caro ejus bibatur et manducetur seorsum; licet in speciebus diversis, videlicet panis ac vini, aqua misti sumatur is qui in semetipso indivisus atque integer manet; totus in cœlo, totus in altari, totus in ore comedentis corpus ejus ac sanguinem bibentis; totus in corde credentis ad justitiam; totus in ore confitentis ad salutem. Lege Ambrosium in Lucam exponentem illud angeli dictum : *Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur* (*Luc.* I, 32), et invenies quod ubicunque verus Christianus, ibi Christus, quia neque in Jerosolyma, neque in monte hoc, ubi adoraverunt patres, adorandus est; quasi alias Deus non sit : sed veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Igitur in veritate sacramentorum Christi adoratur Deus, qui et sumitur in corpore de virgine sumpto, et in cœlum assumpto. Quod corpus ore fidelium sic manducatur, ut quod de agno paschali figuraliter est præceptum, nunc vere impleatur. Neque enim ad litteram fieri potuit, aut oportuit, quod illic dictum est : *Caput cum pedibus et intestinis vorabitis* (*Exod.* XII). Repugnat quippe quod dictum est : *Os non comminuetis ex eo* (*ibid.*). Quomodo autem non comminutis ossibus, caput et pedes vorari potuissent? At nunc in vero agno, qui tollit peccata mundi, caput cum pedibus, divinitas videlicet cum tota humanitate voratur; quia Christus integer in altaris mysterio manducatur; neque manducans mutabit (11) illum in se, scilicet cibum carnis suæ; sed ipse mutabitur in illum, ut sit membrum corporis ejus, quod est Ecclesia una, per unum corpus Christi redempta et vegetata.

Quod autem prænotatus divisor Christi ait : Non me Filium hominis, sed carnem Filii hominis manducare confiteor : hinc putamus illum traxisse, quod Christus dixit : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI). Nam et Nestorius hæresiarcha inde hausit venenum sui erroris, ita ut carnem, quæ in altari sumitur, negaret esse vivificatricem, pro eo quod esset hominis caro, inhabitatione quasi Dei sanctificata; sed minime potens manducantem se vivificare, quia spiritus est, ait, qui vivificat, non caro. Contra cujus errorem in synodo Ephesina legitur (12) : « Ad benedictiones mysticas accedimus, et sanctificamur, participes sancti corporis et pretiosi sanguinis Christi, omnium nostrum Redemptoris effecti; non ut communem carnem percipientes, quod absit! non ut viri sanctificati et Verbo conjuncti, seu dignitatis unitatem, aut sicut divinam possidentis habitationem, sed vere vivificatricem, et ipsius Verbi propriam factam. Vita enim naturaliter (est), ut Deus existens, quia proprie carni unitus est, vivificatricem eam professus est esse. Et ideo, quamvis dicat ad nos : Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non tamen eam, ut hominis unius ex nobis existimare debemus. Quomodo enim juxta naturam suam vivificatrix esse caro hominis poterit? Sed ut vere propriam ejus factam, qui propter nos Filius hominis factus est, et vocatus. » Item (13) : « Si quis non confitetur carnem Christi vivificatricem esse, tanquam ipsius Verbi Dei Patris : sed quasi alterius cujuspiam, præter ipsum conjuncti eidem, secundum dignitatem, aut tanquam secundum quod solam habitationem habuerit, et non potius, sicut dixi, vivificatricem esse; quia facta est propria Verbi Dei, cui omnia vivificare possibile est, anathema sit. » Synodus hæc Ephesina una est de quatuor conciliis quorum, sicut B. Gregorius ait, quisquis non tenet soliditatem, etsi lapis esse videatur, extra ædificium jacet. » Addit : « Et quisquis aliter sapit, anathema sit. »

Vos igitur, amande ac venerande Pater, cavete vobis, ne cum lapis pretiosus habeamini et sitis in ædificio Dei, alio mendaciter vulgante, credamini credere quod non creditis. Credo enim vos, Pater, una nobiscum, imo una cum tota Ecclesia, unam fidem habere, sapiendo in nomine carnis Christi non aliud quam carnem Christi. Sic enim sua verba ipse Christus intelligenda insinuat, ut non aliud caro Flii hominis, aliud ipse Filius hominis habeatur, ubi de hoc sacramento ait. Commendans enim carnem Filii hominis manducandam, verbis præmissis etiam hoc inter cætera dixit : *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me* (*Joan.* VI). Manducans igitur carnem Filii hominis, manducat Filium hominis : manducat panem qui de cœlo descendit, quem Pater signavit Deus, non materiali sigillo, sed summæ divinitatis indelebili signaculo; quia *Verbum caro factum est* (*Joan.* I). Et ideo qui carnem Verbi manducat, Verbum quoque in sua carne manducat. Alioqui caro non prodesset quidquam, si non haberet in se vitam et vivificandi efficaciam. Legite Hilarium in VIII lib. de hoc sacramento agentem, et invenietis eum sentientem quæ sentio de Verbo æterno in carne sua manducando : quod prænotatus Folmarus fieri posse non credidit, qui corpus Domini, quale fuit in sepulcro, putat seorsum cogitandum.

(11) Manducabit.

(12) Habentur hæc in professione fidei, quæ exstat initio concilii Ephesini, antiquæ editionis.

(13) Est undecimus anathematismus in antiqua edit.

Digitized by Google

Ait enim : « Ubicunque Christus est, totus est, etsi totum non est : sicut uno eodem tempore totus in sepulcro, totus in inferno erat; sed totum non erat, eo quod trium substantiarum, quæ unam faciunt in Christo personam, aliquid deerat. » Ad quod dicimus quod revera tunc ad tempus corpori defuit anima in sepulcro, et animæ corpus in inferno seu paradiso. At nunc neque corpori Christi anima sua, neque animæ suæ suum corpus, neque his ambobus amborum vita, non aliud quam summa divinitas alicui, seu aliquando abesse poterit; quia *Christus jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI). Non moritur, non dividetur, non a sede sua, in qua Patri considet, movebitur in æternum. Et tamen, sicut *spiritus prout vult, et ubi vult, spirat* (*Joan.* III), sic et ipse homo, qui natus est ex Spiritu, prout vult, et ubi vult seipsum præsentat, vel spiritaliter, vel corporaliter, ut Ecclesia credit. Spiritaliter, ut Apostolus ait : *Habitare Christum per fidem in cordibus nostris* (*Ephes.* III). Corporaliter, ut Ecclesia credit se pasci corpore ac sanguine ipsius : ipso seipsum sanctificante per manus et orationes sacerdotum in tota Ecclesia facientium, quæ ipse jussit dicens : *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* XXII). Unde unus ministrorum ejus hoc facientium, ait : *Calix, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est; et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est ?* (*I Cor.* X.) Non ait locali discretione, seu corporalis molis distensione seipsum Christus corporaliter in tam diversis locis uno eodemque momento præsentat in officio sacerdotum sacrificantium, vel in ore fidelium sumptum corpus manducantium; sed ineffabili virtute, illa fide mediante, qua indubitanter credimus fieri Verbum veritatis dicentis : *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* XXII).

Bene dixi, fide mediante : *quia fides ex auditu; auditus autem per Verbum Christi* (*Rom.* X). Et sicut, non nisi auditu mediante, audibile humanum verbum capitur, sic divinum illud Verbum carne humana, tanquam voce corporea, sensibile factum, non nisi fide mediante capitur. Da fidem, et senties verum quod dictum est : *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* XXII). Tolle fidem, et videbis non percipi hoc Verbum, quod non nisi fide capitur, sicut non capitur hominis vocale verbum nisi per auditum. Tolle auditum, frustra surdo loqueris, quia non capit quod dicis; quod tamen ex defectu verbi non est, sed auditus, quia verborum sonorum, tam surdas et obturatas, quam patulas tangit aures; ita et Verbum Dei, per id sonorum, quod est incarnatum, et specie panis velatum porrigitur manu sacerdotum fidelibus credulis, et infidelibus incredulis. Et fidelis exinde pascitur et saginatur. Infidelis ex eodem judicatur et damnatur, non judicans corpus Christi, quod indigne sumit qui de illo indigna credit : sicut iste qui putat eum sine suis ossibus manducari, quique a carne sanguinem ejus dividit, putans illum non posse totum et integrum simul esse in cœlo et in pluribus altaribus, cum videat sermonem de corde simul et ore hominis prodeuntem, non discindi per multas aures audientium, sed totum et integrum pervenire ad singulos. Quanto magis Verbum Dei ex corde simul et ore Altissimi prodiens, ac tamen in ipso et cum ipso permanens, totum et integrum pervenit, quo est missum ad salvandos electos, et ab æterno in ipso Verbo dilectos.

Quod licet increduli tanquam surdi non capiant, aures audiendi habentes tamen capiunt, et gustu illo sapiunt qui requiritur, ubi dicitur : *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII).

EPISTOLA VIII.

Eberhardi ep. Babenberg. ad Eberhardum archiep. Salzb. epistola contra Gerhohum, divinitatem in sacramento altaris a sumentibus vorari, ac Christum qua hominem Patri æqualem esse asserentem.

Beatissimo Patri et domino Eberhardo sanctæ Salzburgensis Ecclesiæ archiepiscopo, E. Babenbergensis per patientiam Dei, si quid est, id ipsum totum, quod est in eo, sine quo nihil est.

Quamvis scribere non vacet mihi, cui vix etiam spirare concedimur propter innumeras et varias sæcularium, proh dolor ! negotiorum occupationes, necessitate tamen cogente, quæ legem non habet, contra legem, quam mihi de non scribendo indixeram, rupi aliquantulum silentium, et illud taciturnitatis meæ propositum. Qui enim famam negligit, crudelis est (*Prov.* XIX). Schedulæ domini G. quibus jam omnes pene anguli terræ hujus repleti sunt, non præterierunt me, neque intactum reliquerunt apud alios, nescio si et apud vos, ubi tamen non solum credo, sed et scio, et certus sum quod non invenerit locum, aut inveniat aliquid quod contrarium sit mihi, ne dicam veritati, quod animus ille vester non posset recipere, qui et charitatis, et veritatis et totius puritatis domicilium est.

Præfatus noster scriba, doctus inter alia quæ non sunt hujus temporis, scripsit quibusdam fratribus, quasi solus ipse propheta sit in Israel, in collatione mecum habita turbatum se fuisse animo, eo quod Christum vassallo comparaverim. Salva pace sua, licet sapiens et doctus satis sit, in hoc neque sapientis, neque docti, nec etiam viri boni usus est officio, qui et proximo suo maledixit, et ea quæ intra nos dicta sunt, aliter quam dicta fuerint, interpretando suo se prodidit indicio, quod non ad ædificationem charitatis, sed potius ad destructionem in corde mihi et corde locutus est. Cum enim ejusdem periculi sit utrumque, plus minusve justo sentire de Christo, ipso fratre nostro proponente in

Digitized by Google

doctrina sua, quod ab his dissonat, quæ catholica Ecclesia et tenet, et concinit laude symbolica de Christo : *Æqualis Patri*, etc., admiratus sum, et licet minus doctus et sapiens communi, ut verbis suis parceret, nec sic ablactaret nos, ut tam a solido cibo quam ab ipso piissimo latere Matris Ecclesiæ divelleret, cum idem et lac parvulorum, et solidus perfectorum cibus sit. Magis autem ac magis eo laborante in suis probationibus, cum adduceretur ab eo ad improbandam veritatem ipsius Veritatis testimonium : *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo* (*Luc.* x), et cætera huic similia, ad denegandum quod inde ei confici videbatur, videlicet, quod Christus esset æqualis Patri, secundum quod homo est, similitudo proposita est a me de vassallo et domino. Qui quamvis eamdem rem qualibet totaliter possideant, et non minus habeant alter altero, minor tamen est alter altero. Non aliter comparavi Christum vassallo, neque vassallum Christo, nisi, ut prædictum est, ad specificandum quodammodo, quod Beda ait : « Quidquid habet Filius Dei per naturam, dedit assumpto homini habere per gratiam. » Quod ipsum etiam ei in quodam *Apologetico*, contra hujusmodi ineptias conscripto, ostendi multa per similitudinem explanari, non tamen omnino rem rei comparative coæquari. Longe namque aliud est exempli similitudine vel parabola aliquid agere, et aliud est rem rei in eo quod est, esse vel non esse coæquando assimilare. Hac de causa quod scripsi, scripsi tunc et scribo etiam nunc vestræ paternæ discretioni, ut me excusatum habeatis super hujusmodi enormitatibus, et hæc qualiacunque vestro potissimum atque omnium, qui veritatem diligunt et intelligunt, judicio certis legibus emendationis subjicio, sciens in humanis adinventionibus nihil tam perfectum quod perfectius esse non possit, nec tam bene dictum, quod melius dici non possit, vel ab æmulis incrustari aliqua ex parte sinistra interpretatione, ad sensum dicentis aut scribentis non accommodata.

Fundamentum aliud, sicut ait Apostolus, *nemo potest ponere*, Deo gratias, *præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* (*I Cor.* III). Qui ex hoc mundo transiturus ad Patrem, novissime sacramentum corporis et sanguinis sui, quod Sacramentum omnium sacramentorum, commendans discipulis suis, hoc modo ait : *Accipite, et comedite, hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI). Huic fundamento stabili et immobili sancti Patres superædificantes exemplis et documentis aurum et argentum, et lapides pretiosos multis auctoritatibus erudierunt et roboraverunt sanctam catholicam Ecclesiam, ita ut in civitate Dei non desit murus, nec antemurale, et jam amplius alia doctrina non sit necessaria. Sed quicunque etiam angelus de cœlo aliud docuerit, scilicet contrarium Evangelio, anathema sit. Verumtamen quia inimicus homo non cessat jugiter superseminare zizania, et oportet illa crescere usque ad messem, diligentissime præcavendum est ne quis per ignorantiam vel negligentiam falsa pro veris recipiat.

Quamobrem non doctoris aut correctoris auctoritatem usurpantes, sed commonitoris officio pro modulo nostro fungentes quædam ejusmodi, quæ nos et alios reverberant, in scriptis quorumdam fratrum nuper reperta, ad Vestræ Sanctitatis censuram trutinanda et eliminanda perferre decrevimus : et id quidem non ad nostram gloriam, non ad fratrum, quorum scripta sunt, verecundiam aut injuriam. Si enim ad vos tanquam ad sapientem architectum recurritur super his quæ ad decorem domus Dei spectant, vere dignum et justum est, quia vobis et merita vitæ, et thesauros scientiæ contulit Deus præ multis participibus vestris. Scripta quædam domni Gerhohi abbati Eberacensi directa usque ad nos pervenerunt, in quibus, ut verum fateamur, una cum ipso abbate et aliis quibusdam fratribus quam plurimum scandalizati sumus propter verba cujusdam fratris, quem ipse non immerito reprehendit, nimis incaute posita, cujus hæc verba erant in epistola vobis transmissa : « Ego igitur in sacrosancto mysterio sicut spiritalis uvæ meracissimum sanguinem sub vini sapore ac specie bibere me quidem, sed solum ac purum sine carne non dubito : ita solam et puram carnem Christi sine ossibus, sine membris corporalibus, imo humani corporis plenitudine sub panis sapore ac specie manducare me credo, nec me Filium hominis, sed carnem Filii hominis manducare confiteor. » Insuper et de pixidula eucharistiali, videlicet corporis Domini, et aliis quibusdam in ipso contextu litterarum, quas vobis direxerat, nimium excessisse visus est, quasi minus in eucharistiali quam in spatioso altari corpus Domini comprehendi possit. Rogati autem a quibusdam religiosis, ut contra aliquid scriberemus ad ædificationem saltem quorumlibet parvulorum, quibus lacte opus esset, non solido cibo, revolvimus animo illud Evangelicum, quod de peccato scandali specialiter intelligendum est : *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum intra te, et illum solum* (*Matth.* XVIII, 15), fratremque illum, qui talia scripserat, per dominum A. venerabilem abbatem de *Ebera* vocavimus ad nos, præsertim quia manus imponere presbyterii a nobis, licet indignis, ante aliquot annos acceperat. Auctore itaque Deo, et velociter currente sermone ejus frater ille ab errore viæ suæ revocatus est. Qui ad se reversus quantum desipuerat, tantum resipuit ab eo, quod carnem ab ossibus et sanguine, et sanguinem ab ossibus et carne diviserat in corpore Domini, occasione, ut ait, horum verborum : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI). Quia in sermone divisa, ut credidit, etiam in re ipsa divisim accipienda nimis simpliciter intellexerat.

Insuper quia scriptum reperit, videlicet in quibusdam sententiis : « Integer Christus sumitur in

Digitized by Google

utraque specie, sed illa persona, in qua sunt tres illæ naturæ, » videlicet divinitas, anima et caro, « et tamen in solum corpus Christi transit panis ille materialis : sicut integer Christus in cruce, et tamen sola caro vulnerata fuit. » Quam autem inepte sit hæc prædicti fratris in corpore et sanguine Christi divisio, et ecclesiasticæ veritati contraria, beatus Augustinus evidentissime declarat dicens : « Quando Christus manducatur, vita manducatur : nec quando manducatur, partes de illo facimus. » Item : « Unusquisque partem suam accipit. Per partes manducatur, et manet integer. » De jam dictis igitur et cæteris ineptiis, et scriptorum suorum excessibus fraterne commonitus, et, Deo gratias, emendatus est consideratapotissimum auctoritate : quia *Verbum caro factum est, et habitarit in nobis* (*Joan.* I) licet non solam carnem assumpserit [sine] anima, sed animam humanam similiter cum corpore. Item : *Accipite et comedite : Hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI), quod vel exossatum, vel exsangue credere maximæ incredulitatis et absurditatis est. Item sanguinem æstimare sine corpore, qualis est stillans de corpore, aut manans e vulnere, paris amentiæ est, quia tale sumitur a nobis quale est. Quale autem sit declaravit, cum post resurrectionem dixit : *Spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (*Luc.* XXIV). Et testimonio veritatis magnus ille præco ipsius veritatis beatus Hilarius succlamat hoc modo : « De naturali in nobis Christi veritate, quam dicimus, nisi ab eo discimus, stulte atque impie dicimus. Ipse enim ait : Caro mea vere est esca, et sanguis meus vere est potus. Qui edit carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo. De veritate carnis et sanguinis non est relictus ambigendi locus. Nunc enim et ipsius Domini professione, et fide nostra vere caro est, et vere sanguis est, et hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo, et Christus in nobis sit. » Quibus verbis sufficienter ostenditur, quid sacramentum, quid res sacramenti, quis etiam effectus ipsius sacramenti sit. Quæ tria principaliter in hoc sacramento requirenda sunt.

His atque aliis sanctorum Patrum auctoritatibus commonitus frater ille, facile acquievit omnibus quæ catholica sentit Ecclesia, et Deo gratias, verbum Dei, quia in terram bonam cecidit, coaluit, et fructum attulit in patientia. Promisit enim coram Eberacensi abbate et aliis religiosis, scripti sui, quod revocari non poterat, retractationem cum hac emendatione, ut de cætero non ponat in cœlum os suum, et de tam ardua re ultra vel nihil, aut forte, si necesse fuerit, parcius scribat et cautius his duobus evitatis, scilicet falsitate sensus et verborum novitate. Hactenus hæc.

Nihilominus autem silentio præterire non possum aliud quoddam offendiculum, quod in eisdem invectivis domni G. prævositi invenimus. Sumpta enim auctoritate de paschalis agni typica immolatione ad convincendum eum, quem divisorem Christi nominat, intra cætera sic ait : « At nunc in vero Agno, qui tollit peccata mundi, caput cum pedibus, divinitas videlicet cum tota humanitate voratur, quia Christus integer in altaris mysterio manducatur. » Quis invenit ista? Quis audivit talia? Quanto rectius cum Propheta diceret : *Pone Domine custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis?* (*Psal.* CXL.) Quicunque sensus ejus in verbis istis sit, verba ipsa nimis incircumcisa, et ab usu, et consuetudine scholæ Christianæ videntur aliena, cum dicat Apostolus : *Profanas verborum notas de vita* (*I Tim.* VI). Si enim Dominus noster Jesus Christus ad evitandum horrorem sub specie panis et vini hoc sacramentum commendare curavit, quare nos de re tam ineffabili loquentes verborum horrorem pariter et errorem non evitemus? Dictu enim et auditu horrenda nimis videntur hæc verba : « Divinitas simul voratur et humanitas. » Credere, quod Christus in altari integer sumitur, recte offerre est; sed proprietates utriusque naturæ in Christo ab invicem non discernere, non est recte dividere. Sane quod in agno typico præfiguratum est, adimpleri intelligitur in his qui divinitatem et humanitatem cum nostris infirmitatibus in Christo intelligentes sine torpore mentis, ut ait beatus Gregorius, vestigia ipsius Christi fide sectantur et opere. Verba autem hæc, scilicet : « Divinitas simul et humanitas voratur, » hac auctoritate non videntur roborari. Caute in talibus incedendum est ne tam dicendi quam sapiendi sobrietatem excedamus. In dicendo quidem multa, sed in scribendo plurima et gravissima sunt pericula docente ac dicente beato Hilario : « Non est humano aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum, nec per violentam aut impudentem prædicationem cœlestium dictorum sanitati alienæ atque impiæ intelligentiæ extorquenda perversitas est. Quæ scripta sunt, legamus, et quæ legerimus, intelligamus, et tunc perfectæ fidei officio fungemur. » Corpus Christi et sanguis in altari conficitur, et sumitur et distribuitur secundum speciem sacramentalem, ita ut ejusdem mensæ participes idoneos in id ipsum, et æqualiter omnes percipiant, quantum ad rem sacramenti, velut in manna cœlesti secundum Apostolum : *Qui multum habet, non abundavit, et qui modicum, non minoravit* (*II Cor.* VIII, 15). Secundum effectum autem, quantum quisque credit, tantum comedit Augustino auctore : « Utquid paras ventrem et dentem? Crede et manducasti. » Unde in complendo oramus dicentes : « Ut quæ nunc visibili sacramentorum specie gerimus, certa rerum veritate capiamus. » Quæ omnia ad effectum et spiritualem modum percipiendi respiciunt, quæ solis justis conveniunt. Sacramentaliter autem et realiter secundum veritatem corporis Christi, quod de virgine natum est, et in ara crucis immolatum, æque omnes digni et indigni percipiunt, alii in vitam, alii in mortem.

Digitized by Google

Ad propositum redeuntes, et hinc inde, in quantum possumus, perscrutantes, non invenimus uspiam : « Divinitas simul voratur tota et humanitas. » Legimus utique : Passus est Deus, non deitas, persona videlicet Filii Dei, non illa natura, quæ illi cum Patre et Spiritu sancto una et eadem est inseparabilis et indivisibilis. Aries immolatur, Isaac patris gladio abducitur. Quod sumitur in specie panis, corpus Christi ; quod in specie vini, sanguis Christi est ; nec tamen aliud in una, aliud in altera, sed idem Christus in utraque ; Deus, inquam, verus et homo verus, ipse, in quo sunt omnes thesauri scientiæ et sapientiæ Dei absconditi ; ipse, qui est Dei virtus et Dei sapientia ; ipse, in quo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.

Frequentius autem sumitur ob redivivas tentationes duplici in specie, quia ipse est animarum et corporum refectio atque redemptio. Et hoc est, utrumque, tam liminare quam superliminare linire sanguine agni, eodem etiam in modum crucis mediis aspero in postibus. Nusquam adhuc invenio : « Deitas passa est, deitas crucifixa, deitas oblata, deitas vorata. » Sed quia verba Sapientis velut clavi in altum defixi sunt, ne super verticem, nos extollere videamur, doceri potius volumus quam alium ex infirmitate sensus nostri judicare. Verumtamen hoc neque a magistris didicimus vel a sanctis Patribus, neque doceri posse credimus, quod *divinitas simul voretur et tota humanitas*. Cum etiam beatus Augustinus dicat : « Quia Christum fas vorari dentibus non est, voluit Dominus Jesus panem et vinum in mysterio vere carnem suam et sanguinem consecratione Spiritus sancti potentialiter creari, et quotidie pro mundi vita immolari. » Sileant, imo pereant omnes rationes, et omnia argumenta philosophica, ubi de fide agitur. Id credamus, id sequamur, quod ipse Christus docuit, ut non noster sensus in nobis, sed jugiter ejus præveniat effectus. Fides enim non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Omnis humana ratio deficit, ubi virtute Dei, et sermone Dei operatorio tanta fit rerum permutatio, ut de pane corpus Christi, et de vino sanguis Christi fiat, attestante beato Ambrosio in libro De sacramentis : « Vides quam operatorius sit sermo Christi. Si enim tanta vis est in sermone Christi Domini Jesu, ut incipiant etiam esse quæ non erant, quanto magis operatorius est, ut sint quæ erant, et in aliud commutentur ! Non erat corpus ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi quia jam corpus Christi est. » Ubi cum aliud prorsus videatur, et aliud sit, non tamen aliquid ibi fallaciæ, vel illusionis est, vel in phantasia vel in præstigio, sed omnia vera et non ficta, et non solum sensus humani infirmitas ibi non fallitur, sed tam ipse sensus quam ratio et intellectus exsuperatur. Quod ne impossibile videatur ei, qui Omnipotens est, audi Hilarium : « Non subjacet, inquit, naturæ legibus, a quo legem omnis natura sortitur. »

A Non ergo sine causa inquit Apostolus : *Videte, ne quis vos seducat per prophetiam et inanem fallaciam secundum elementa hujus mundi* (*Coloss.* II).

Item aliud offendiculum in litteris eisdem est in eo quod ait *de verbo carnis*. Hic utique aut animus erravit aut calamus. Sed quia super hoc Hilarium appellavit, ad Hilarium veniamus, cujus in psalmo LVIII, unde se munit, hæc verba sunt, et non alia : « Si vere verbum caro factum est, et vere nos verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter in nobis manere existimandus est, qui et naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, et naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? » Igitur evidentissime aut *verbum carnem*, aut *carnem verbi* potius quam *verbum carnis* dici convenit et auctoritate præmissa et ratione hac, quia non *caro verbum*, sed *verbum carnem* assumpsit. Nos itaque credimus et confitemur quod verbum Dei Patris est, quod a Patre procedit. Caro verbi est, quam ipsum verbum a Patre procedens assumpsit. Qualiter autem *verbum carnis* dicendum sit, cum a solo Patre procedat, nec a carne assumptum sit, ipse viderit. Nos sine auctoritate graviori recipere non præsumimus. Item non sine causa, inquit Apostolus : *Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci* (*Hebr.* XIII). Verba enim peregrina et inusitata ponere, ubi de fide Christi et sacramentorum ejus agitur, hoc est aliis, quam Mariæ, pannis Christum involvere. Propheta mittendus a Domino humiliter ait : *Nescio loqui, quia puer ego sum* (*Jerem.* I). Amicus etiam et familiaris confabulator Domini ex ipsa et in ipsa collatione Domini impeditioris et tardioris linguæ se esse confitetur. Ille etiam, quo inter natos mulierum non surrexit, Domino attestante, major, ait : *Qui post me veniet, ante me factus est, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus* (*Marc.* I). Et unde hoc scholasticis istis, ut in fronte novitates suas adinveniant, et non recipientes eas omnes dijudicent?

Illud enim super omnia mirabile dogma videtur, et nova quædam hujus temporis traditio de *æqualitate Filii hominis et Dei*, quasi Christus æqualis sit Deo secundum quod homo est, quia legunt : *Dedit illi Deus nomen, quod est super omne nomen* (*Philip.* II), et propter certas auctoritates consonans huic et consimiles. Cujus evangelii conditores vel etiam assertores, ut paucis convenire liceat, scire velimus, quo sensu velint dicere : « Christus æqualis est Deo, secundum quod homo est. » Quod si Christum æqualem Deo dicunt, secundum quod homo est, ac si dicatur : Christus, *qui homo* est, æqualis est Deo, subintelligendo non esse æqualem Deo secundum humanitatem, sed secundum divinitatem, aliter hic dicendum erat, videlicet : « Christus æqualis est Deo, secundum quod Deus est. » Nulli enim catholico dubium quin Christus et Deus sit, et homo sit. Sed æqualem esse Deo ex altero habet,

Digitized by Google

videlicet quod Deus est : ex altero non habet, videlicet quod homo est. Universaliter enim et ipse homo assumptus, et alia quævis creatura non ex se habet esse vel aliquid esse, quod vel naturæ est, vel gratiæ, sed ab eo quod est, et qui est, qui et ait : *Ego sum, qui sum* (*Exod.* III). Igitur omne quod est ab eo est : et ideo minus est, quod per creationem ab eo est. Quod enim et naturaliter ab eo est, qui Pater est, unum cum ipso et consubstantiale, et per omnia coæquale est, ut in personis proprietas, et in essentia unitas, et in majestate adoretur æqualitas. Quæ æqualitas, etsi Filii hominis est, non tamen ex eo quod Filius hominis est, sed ex eo quod Filius ipse hominis est Filius Dei.

Et quia semel cœpimus, adhuc his amplius eosdem conveniamus. In omni comparatione videndum quid cui comparetur, et secundum quid alterum alteri comparetur. Cum ergo Christus æqualis esse Deo dicitur, vel ipsum Deo comparas secundum quod homo est, vel ipsum Deo comparas, secundum quod Deus est. Si secundum quod homo est, Deo comparas, ut dicas : Christus æqualis est Deo secundum quod homo est, nihil falsius. Si secundum quod Deus est, comparas hoc modo : Christus æqualis est, secundum quod Deus est, nihil verius, æqualitate tamen personarum non secundum relationem, sed secundum substantiam accepta. Et sic ad fontem eumdem semper recurrimus dicendo : « Æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. » Quia nec majorem minuit assumptio, nec minorem consumpsit glorificatio. Sed ne gradiamur in magnis, neque in mirabilibus super nos, velut clypeis in unum consertis auctoritatum quasi contensa nos certe [*f.* acie] muniamus.

Primo loco ait ipse, qui est Veritas : *Pater major me est* (*Joan.* XIV). Idem Dominus noster Jesus, quid de se ipso, quid de Spiritu sancto dixerit, cum datus est ei liber Isaiæ prophetæ, videamus : *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me* (*Isa.* LXI). Et Propheta ait : *Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis* (*Psal.* XLIV). Hoc et in ipso vocabulo exprimitur, quod est *Christus*, videlicet *unctus*. Minor autem a majore ungitur. Cum ergo et Pater ungat, et Spiritus sanctus ungat, minor est Pater Deo et Spiritu sancto Christus secundum humanitatem unctus, et se ipso secundum quod Deus est, minor est secundum id quod homo est. Semper ergo Christus, videlicet ex quo est unctus, id est ab incarnatione semper Deus et homo, semper ergo minor Deo secundum quod homo. Semper Christus æqualis Deo secundum quod homo [mendum]. Putas, sine causa dictum est : *Super quem videris Spiritum Dei descendentem et manentem super eum, hic est, qui baptizat* (*Joan.* I). Nunquid hodie Spiritus Dei super eum non manet? Hoc etenim unguentum in capite manens et non deficiens descendit a capite in barbam, et a barba usque in oram vestimenti. Hoc est oleum, quod non defícit, sed stetit, quando viduæ vasa defecerunt.

Item : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum* (*Joan.* XX). Unde Augustinus contra Maximum : « Deus Pater et Deus Christi est et Pater. Sed Deus Christi secundum humanitatem, » id est quia Christus est homo et natus ex femina. « Unde in psalmis dicitur : De ventre matris meæ Deus meus es tu, ostendens Patrem esse Deum suum, quia homo factus est. Homo enim de ventre matris natus est, et secundum hominem de virgine natus est Deus, ut non solum Pater illi esset, qui eum de se ipso genuit, sed etiam ei esset Deus, quem de ventre matris hominem creavit. » Adverte quod dicit, *creavit*, et non, *genuit*. Quia etiam nos, cum peccatores essemus, voluntarie genuit, sed non nisi verbo veritatis. Sed ei nasci fuit, quod nobis renasci, quia non in iniquitatibus conceptus est sicut et nos, sed ab omni labe immunis Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Unde sequitur : « Qui ergo Pater est Filio ex utero suo, de ventre matris Deus ejus est non de suo. Unde ipse Dominus ait : Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, etc. Idem in eodem · « Valde rationabiliter et Patre minor est homo Christus, et Patri æqualis est idem ipse Deus Christus. » Pulchre autem Apostolus de sacramento conjugii tractans : *Sacramentum*, inquit, *hoc magnum est, dico autem in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* V). Quod latius edisserens alibi ait : *Caput mulieris vir, caput viri Christus, caput autem Christi Deus* (*ibid.*). Quod cum sancti Patres pluribus modis exponant, beatus Augustinus de Trinitate sic exponit : « Si Deus omnia tria similiter hic intelligitur, quomodo caput Christi est Deus, id est caput Christi est Trinitas, cum in Trinitate sit Christus, ut sit Trinitas? An quod Pater est cum Filio, et Spiritu sancto, caput ejus est, qui solus est Filius? cum Filio enim et Spiritu sancto Pater Deus, Deus est, Filius autem solus homo factus est. Secundum quam humilitatem ejus etiam eo major est Pater, et secundum hoc vere dicitur, quia quod illi cum Patre et Spiritu sancto unum est, caput fit hominis mediatoris, quod ipse solus est. »

Ambrosius, De fide, ad Gratianum imperatorem, libro quarto : « Sit juxta humanam conditionem caput Christi Deus. Non dixit, caput Christi Pater, sed, caput Christi Deus, quia divinitas utpote creatrix caput est creaturæ. Et bene dixit : Caput Christi Deus, ut et divinitatem Christi significaret et carnem, hoc est incarnationem in Christi nomine, in Deo autem unitatem divinitatis et magnitudinem potestatis. Eo usque autem caput Christi Deus secundum incarnationem dictus est, ut et caput viri Christus secundum incarnationem dictus sit. » Et infra : « Est autem caput Christi Deus, ubi servi, hoc est, hominis, non Dei forma tractatur. Sed nihil præjudicat Dei Filio, si secundum veritatem similis sit hominibus, qui divinitate cum Patre unum est. Non enim potestas hac interpretatione minuitur, sed misericordia prædicatur.

Digitized by Google

At nunc rogo vos omnes, qui diligitis Dominum, attendite, et invocetur nomen Domini super nos, ut non falsitas veritati præjudicet, sed lumen, quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I), ad agnoscendam veritatem cordis nostri tenebras illuminet. Insipiens honorificentia eorum qui hanc injuriam Deo inferunt, et non Deo tantum, sed etiam homini, ut Filium hominis æqualem Deo faciant, secundum quod homo est. Magnopere se tuetur auctoritate Ambrosii De fide ad Gratianum imperatorem capitulo, quo tractatur de subjectione Filii, cujus capituli initium tale est : « Subjectum itaque, imperator auguste, quemadmodum debeamus accipere, consideremus. » Sed quia littera occidit, spiritus autem vivificat (*I Cor.* III), verba Ambrosii tanto obscuriora, quando diviniora, non perfunctorie a quibuslibet legenda sunt, sed diligentem et intelligentem lectorem desiderant. Ad majorem igitur tantæ auctoritatis evidentiam principalis intentio ipsius auctoris intuenda est. Contra hæreticos enim disputans, qui minorem Patre Filium asserebant, etiam secundum quod Deus est, auctoritatem Apostoli, quam inferebant ad probandam Filii subjectionem secundum quod Deus est, beatus Ambrosius determinat, et probat validissime auctoritatem illam referendam esse non ad subjectionem Filii secundum quod Deus est, sed secundum quod homo est. Cujus disputationis et argumentationis ordo talis est. Colligit enim plura subjectionis genera, quæ passim in sacra Scriptura inveniuntur, et hæc omnia a Filio Dei removendo, quod nullum eorum convenit ei, secundum quod Deus est, infert, quod reliquum est, ad humanam scilicet naturam referendam esse subjectionem dupliciter, videlicet tam in capite quam in membris, et tam secundum carnem quam secundum animam. Ad ædificationem vero auditorum et majorem evidentiam ipsa subjectionum genera compendiose perstringere operæ pretium judicavimus. Subditur enim vanitati creatura, mulier viro, potestati, qui sub potestate est, servus domino. Charitativa etiam subjectio est. Unde : *Subjecti invicem in timore Christi* (*Ephes.* V). Et exsecrabilis illa subjectio, quam Sabelliani et Marcionitæ asserebant, quod Filius in Patrem refundatur, quod specialiter improbat. Creaturæ quoque subjectio ad Creatorem subjectio solius voluntatis, quæ non diversa est in Patre et Filio, sed eadem. Cunctis his generibus subjectionis a Filio Dei secundum divinitatem remotis consequenter et convenienter infert auctoritatem Apostoli de subjectione Filii ad humanitatis naturam referendam esse, sicut prædictum est. Quam subjectionem beatus Ambrosius auctoritate sua confirmat prædictis quædam inserendo, et in fine capitulum ipsum sub hac sententia concludendo, quod homo Deo subjiciatur. Ait enim : « Cum subjiciendus esse dicatur in tempore dispensationis, ergo susceptæ, non perpetuæ infirmitatis erit illa subjectio, maxime cum sempiterna Dei virtus non possit statum mutare pro tempore, ne A Deo Patri ex tempore ejus potestati accedere. »

Non itaque glorientur adversum nos ex hac auctoritate, qui dicunt Dominum Jesum ante passionem subjectum fuisse Deo Patri, et nunc post passionem et resurrectionem nec subjectum esse, nec subjiciendum, quia quod dicit Ambrosius : « Susceptæ, non perpetuæ infirmitatis erit illa subjectio, » parti eorum non favet, sed contra hæreticos dictum est, qui æternam in Filio Dei infirmitatem asserebant, ut supra explanavimus, secundum quos perpetua Dei esset infirmitas, si perpetua esset subjectio. *Fur non venit, nisi ut furetur* (*Job* X). Sed nemo sic furetur hanc auctoritatem, ut demendo præcedentia omnia, subsequentia dicat solummodo : « Susceptæ, non perpetuæ infirmitatis erit B illa subjectio, » quasi tunc tantum subjectus, cum adhuc esset mortalis, et modo non cum immortalis et impassibilis.

Item infra : « Nondum subjectus est Christus, cujus adhuc membra non sunt subjecta. Cum autem fuerimus non multa membra, sed unus spiritus, tunc et ipse subjectus erit, ut per ipsius subjectionem sit Deus omnia in omnibus. » Item infra : « Subjectio itaque obedientiæ mortis, mors assumptionis humanæ, assumptionis ergo humanæ erit illa subjectio. Nequaquam igitur divinitatis infirmitas, sed dispensatio ipsa pietatis est. » Item infra : « Maledictus omnis qui pendet in ligno. Maledictus, quia nostra maledicta susceptit; subjectus C quoque, quia subjectionem nostram ipse suscepit, sed in servilis formæ assumptione. » In fine autem vim sententiæ concludit his verbis : « Secundum carnem ei omnia subjecta tradentur, secundum quam et a mortuis suscitatus est. Et secundum animam humanam ac rationabilem subjectionem Domini jure plerique interpretantur, quia scriptum est : Nonne Deo subjecta erit anima mea ? Animam dixit, non divinitatem. Et ut scirémus quia Dominus per Prophetam de susceptione naturæ locutus est humanæ, addidit : Usquequo adjicietis super hominem, secundum illud quod ait in Evangelio : Quid me quæritis interficere hominem ? Et addidit : Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in siti, ore suo benedicebant, et corde suo D maledicebant. » Judæi enim reportante Juda pretium recipere noluerunt currentes in siti amentiæ, quia spiritalis potus gratiam recusarunt. Hæc est piæ subjectionis interpretatio. Etenim cum Dominicæ passionis hoc munus sit, utique in quo passus est, in hoc erit subjectus in nobis. Unde constat quod, si in natura humana passus est, ergo et in ea subjectus est in nobis, quia et *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14), id est in humana natura. Unde et Mediator dicitur Dei et hominum homo Christus Jesus. Neque enim subjiciemur, nisi per ejus subjectionem, sicut nec resurgemus nisi per ejus resurrectionem. Ipse enim Pontifex factus est futurorum bonorum, per quem accessum habemus ad

Digitized by Google

Deum. Vel nunquid modo post resurrectionem non habemus accessum ad Deum per eum? Subjectus itaque et ipse est per nostram subjectionem, qui caput nostrum est, et nos, qui membra ejus sumus, subjiciemur Deo Patri per subjectionem ejus, et ipsi subjiciemur et secundum quod Deus est, et secundum quod homo est, quia Redemptor noster est, et Deus subjecit omnia sub pedibus ejus, sicut et fecit, quæ futura sunt. Nonnunquam enim capiti quod membrorum est, et vicissim membris datur quod capitis est. Nimirum eadem virtute inhabitationis suæ in nobis per unitatem naturæ considemus et nos in cœlestibus nunc per eum, qui sedet ad dexteram Patris, ut Ambrosius ait, in futuro autem et sedes sedebunt in judicio, et nos, qui membra illius capitis sumus, non solum sedebimus, sed etiam possidebimus præparatum nobis regnum ab initio sæculi. Unde Ambrosius: « Sic in illo sedebimus ad dexteram Patris, non quia cum ipso sedebimus, sed quia sedebimus in corpore Christi. »

Nunquid ergo minor non est qui inter summa et ima medius est? Quin potius per illud admirabile Incarnationis commercium Dei et hominis adimpletur ineffabile consortium. Leo papa: « Nisi esset verus Deus, non afferret remedium; si non esset homo verus, non præberet exemplum. »

Est et alia adhuc ejusdem rei probatio, quia scriptum est: *Qui etiam interpellat pro nobis* (*Rom.* VIII). Et nè quis dixerit, quia et *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (*ibid.*), postulat Spiritus, quia postulare nos facit: interpellat autem Filius, quia suæ Incarnationis sacramento pro nobis intervenit, ipse judex et advocatus noster semper æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Et semper est *Emmanuel*, quod est: *nobiscum Deus* (*Matth.* I). Nobiscum in susceptione nostræ naturæ, nobiscum in subjectione, nobiscum in glorificatione, quia et ipse Deus, et nos dii. Sed ipse Deus secundum plenitudinem divinitatis, nos vero dii secundum participationem beatitudinis. Quod beatus Leo papa sic prosequitur: « Ecce Virgo in utero accipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum: nobiscum Deus. Hic enim mirabilis sacræ Virginis partus vere humanam vereque divinam una edidit prole naturam, quia non ita proprietates suas tenuit utraque substantia, ut personarum in eis possit esse discretio. Nec sic creatura in societatem sui Creatoris assumpta est, ut ille habitator, et illa esset habitaculum; sed ita, ut naturæ alteri altera misceretur. Et quamvis altera sit, quæ suscipitur, altera vero quæ suscipit, in tantam tamen virtutem convenit utriusque diversitas, ut unus idemque sit Filius, qui se et secundum quod verus est homo, Patre dicit minorem, et secundum quod verus Deus est, Patri profitetur æqualem. »

Et ne quid de nostro dicere videamur, audi Hilarium: « Ne se quisquam Unigenito per substantiam divinitatis exæquet. Sit nobis ille et frater, et particeps secundum quod Verbum caro factum habitavit in nobis. Imo, quod Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus est, sit nobis secundum servos et communis Pater, et communis Deus. » Has auctoritates velut in unum corpusculum redigere studuimus, ut et facilius possit memoriæ commendari, et catholicæ veritati difficilius quis possit refragari, quatenus omnibus quasi sub oculo positis in promptu, et de copia esset electio contra eos qui veritatem Dei in injustitia detinent. Si quæ vero ex dictis Hilarii, quæ supra hominem sunt prædictis adversari videntur, primo dicimus quod quemadmodum Hilarius a lectione simpliciorum fratrum procul est, teste Hieronymo, ita et a nostra interpretatione. Verumtamen quia parati esse debemus omni poscenti rationem reddere de ea, quæ in nobis est, fide, non ad exponendum Hilarium, sed ad respondendum his, quæ forte objici possunt, pro viribus intendamus, firmiter animo retinentes, et in quantum possumus, exsequi cupientes, adjuvante Domino, doctrinam hanc beati Gregorii: « Cauta manu operantis id agendum est ut, dum spina tollitur, spica nutriatur. »

Videtur valde contrarium supradictis, quod ait Hilarius in libro nono: « Si nativitas hominis naturam novam intulit, et humilitas formam demutavit sub assumptione servili, nunc donatio nominis, formæ reddit æqualitatem. » Item: « Glorificaturus Filium Pater major est, glorificatus in Patre Filius minor non est. Aut quomodo minor est, qui in gloria Dei Patris est? Aut nunquid Pater major non est? Major utique Pater est, dum Pater est, sed Filius, dum Filius est, minor non est. Nativitas Filii Patrem constituit majorem, minorem Filium esse nativitatis natura non patitur. » Item libro undecimo: « Naturæ nostræ corporis natura paternæ divinitatis invecta. » Et infra: « Adepturus in omnibus ex subjectione, quod Dei est, ne ex parte Deus sit, sed totus Deus. Non alia itaque subjectionis causa est, quam ut omnia in omnibus Deus sit, nulla experte terreni corporis residente natura. » Et post pauca: « Dum homo et Deus, jam Deus totum est. Denique id, a quo omnia pendent, datum est nomen, quod est super omne nomen, et Jesus est in gloria Dei Patris.

Omnia hæc ad unum sensum respiciunt, ideoque facilior exitus erit, eo largiente qui sapientiam præstat etiam parvulis. Quid enim, si dicat Hilarius: Domine, vim patior, responde pro me? Quid vero si imperet Dominus Paulo, ut respondeat? Dicet utique de Christo: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* (*Philip.* II). Arbitratus est enim Christus non rapinam esse se æqualem Deo. Sed unde? *Cum in forma Dei esset.* Ex hoc profecto, non ex alio. Quid ultra moramur? *Oportebat pati Christum, et resurgere a mortuis, et ita intrare in gloriam suam* (*Luc.* XXIV). Propheta ille magnus sine honore erat in patria sua, quem *in propria venientem sui eum non receperunt*

Digitized by Google

(*Joan.* I). Granum ergo illud frumenti cadens in terram mortuum est, et ideo singulariter, et solum non remanens multum fructum attulit. *Datum est ei nomen, quod est super omne nomen* (*Philip.* II). Nomen a notione dicitur : *In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo* (*ibid.*). Ab hominibus ut homo tantum habitus est ante passionem. Discipuli etiam quia non credebant in eum ut postmodum, relicto eo fugerunt. Æstimatus est cum descendentibus in lacum. Quam inglorius erat, quam nullius nominis erat! Resurrexit a morte, illico datum est ei nomen quod est super omne nomen merito passionis, et per fidem et suæ divinitatis cognitionem exaltatus a terra omnia traxit ad seipsum. Siquidem ab initio incarnationis inhabitavit in homine illo plenitudo divinitatis corporaliter, sed carne velatur, et in ipsa passione obscuratus quodammodo ille Sol justitiæ, in resurrectione radios suæ divinitatis expandit, et datæ sunt ei gentes in hæreditatem, et termini terræ in possessionem, acceptis clavibus mortis et inferni : et sic intravit per passionem et resurrectionem in gloriam suam, ut sedeat ad dexteram Patris conregnando, et in potioribus ejus bonis quiescendo, non solum hujus nominis honorificentiam adeptus, ut credatur Deus, sed etiam immortalitatem et impassibilitatem secundum carnem consecutus, nulla ex parte terreni corporis in eo residente natura, ut ait Hilarius, non abjecto corpore, sed ex subjectione, videlicet priore, translato. Et sic jam Deus totum est, id est totum divinum, ut præmissum est. Quod etiam in quodam *Apologetico* nostro abbreviavimus. Ecce filius ille fabri, sed totius fabricæ mundi fabricator, quanti nominis modo sit effectus, indicat, quia missis apostolis ad prædicandum, in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.

Et ne quis dubitet super his, audiat Augustinum : « In qua forma crucifixus est, in ea exaltatus est, et in ea donatum est ei nomen, ut cum ipsa forma servi nominetur unigenitus Filius Dei. Hinc illi donatum est nomen ut homini, quod jam habebat idem ipse Deus. » Nomen ergo istud tunc datum per manifestationem, non tamen alienum, sed jam ante inditum, et per ascensionem, et adventum Spiritus sancti confirmatum : et quotidie per fidem accrescens in nobis, in ultimo adventu consummabitur, quando *in nomine Jesu flectetur omne genu cœlestium, terrestrium et infernorum, et confitebitur omnis lingua quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (*Philip.* II). Non minoris itaque, sed ejusdem gloriæ sicut nunc in re, ita tunc erit in omnium cognitione Jesus Christus, qui cum Patre unus est Deus. Atque hoc ordine complebitur gloria et clarificatio nominis ipsius, qui ipse homo cum Patre unus est Deus, unius gloriæ, sicut unius essentiæ.

Non objicias hic, quincunque sanæ doctrinæ adversari volueris, quod et Deus glorificatus est. Non enim nec se ipsum glorificavit, nec Deum, ut ait Hilarius, sed Deus in eo glorificatus est et in Deum. Quod non mirum, cum etiam in resuscitatione Lazari glorificatus sit Deus in homine, licet tamen longe aliter. Plenariæ igitur donationis reddit illi formæ æqualitatem et glorificatus major, et glorificatus non minor : et Pater, dum Pater est, major ; Filius autem, dum Filius est, non minor, et tantum esse datum est homini huic quantus ipse Pater est. Omnia hæc diversis respectibus sicut dicta sunt, ita et determinanda ut unicuique tribuatur quod suum est et glorificanti et glorificato Patri et Filio, danti et suscipienti, Deo et homini. « Omnis enim gloria, ut ait Hilarius, non Verbo sed homini acquirebatur. » Sic itaque et glorificanti et donanti, et Patri et Deo sua deferetur auctoritas, et homini Christo secundum ea quæ hominis sunt subjectionis humilitas, et secundum ea quæ Dei sunt, cum Deo coæqualitas. Quæ omnia beatus Augustinus de verbis Domini explanat hoc modo : « Deus Christus æqualis est Patri, tantus est quantus ille, talis est qualis ille. Hic est quod ille ; non hic est qui ille, quia ille Pater. Hic Filius, sed hic est quod ille ; quia ille Deus et ille, ille omnipotens et ille, ille immutabilis et ille, et sic de cæteris. » Æqualis ergo Patri, sed dico minor Patre, sed humaniter. Si quis altitudinem cisternæ hujus altius fodiendo aperire et non operire voluerit, si ceciderit in eam bos aut asinus, de pretio jumentorum tenebitur.

EPISTOLA IX.

Eberhardi episcopi Babenb. epistola ad N. in qua ulterius sententia Gerhohi de gloria et honore Filii hominis, Christi, impugnatur, ostenditurque concilium Ephesinum eidem haud patrocinari.

Cum et rei magnitudine, et multis occupationibus exsuperati aliis vacare, et vobis ultra omnino non, esse disponeremus, litteræ domini G. supervenerunt. Quibus post excusationem quorumdam verborum, in quibus posuisse visus est in cœlum os suum, satis patienter respondit litteris, quas ei necessitate coacti direxeramus. Insuper etiam consensit quibusdam quæ non solebat ante concedere, prout nobis visum est. Etenim auctore Deo et verbis Domini : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum* (*Joan.* XX), et cætera, his, inquam, verbis Domini et expositione beati Augustini super hunc locum dicentis in persona Christi : « Deum meum, sub quo et ego homo sum, » commonitus est et inclinatus usque ad nos, ut Christum secundum hominem et creaturam et Deo subjectum ut creaturam Creatori suo concedat. Sed adhuc longe distat a nobis ; quia nec Deum concedit esse Dominum, nec ipsum Christum secundum hominem ita subjectum tanquam domino, sed tanquam filium patri et creaturam Creatori suo.

Hac ratione sententiam roborat, quod Christus nec ante resurrectionem, nec post resurrectionem *Dominum* nominat, sed *Deum*, aut *Patrem* solummodo. Iis ergo perspectis et auctoritatibus canonicis et divinis diligentius consideratis, quasi deli-

Digitized by Google

ramenta visa sunt verba hæc, et tamen non negligenda, neque silentio prætereunda propter incautos et minus exercitatos, ne in laqueum aut in foveam cadant, et gravissimum licet ignoranter periculum incurrant. In his namque ignorantia neminem excusat, sed ignorans ignorabitur. Tanta enim et talis morbi occasio, si sine contradictione tranquillitate diuturna potita foret, morbum induceret gravissimum, et sic silentio confota pravitatis forte aliquo tempore erumperet in regulam. Ideo talibus non convenit alludere, sed, antequam convalescant, tanquam parvulos ad petram allidere necesse est. Quamvis autem non sit speciosa laus in ore peccatoris, tamen fraternæ commonitionis et correctionis gratia, licet aridum et exsangue sit, quod dicimus, cum vidua illa, quæ duo minuta obtulit, quantum possumus, in gazophylacium offerre decrevimus. Præsertim cum hujusmodi maculosæ varietates ad judicium illorum referendæ sint, quorum labia custodiunt scientiam, et qui in lege Domini meditantur die ac nocte.

Quam stabile, vel potius quam fragile sit fundamentum, super quod hic homo sapiens ædificat, ex hac parte apparet. Quia si nihil aliud authenticum est, nisi quod Dominus Jesus ante resurrectionem vel post locutus est in propria persona, ad antiquum chaos redibimus, ut sine lege simus et prophetis, et sine omnibus, quæcunque præter verba Domini ad nostram doctrinam scripta sunt. Quam absurdum hoc sit nemo sensatus est qui non videat. His ergo spretis quæ frivola sunt, Veteris ac Novi Testamenti sequamur auctoritates. Ad hæc autem improbanda cum inopes nos etiam copia faciat, de multis pauca proferamus : Ait Moyses : *Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus de fratribus vestris; tanquam me, ipsum audietis* (*Deut.* XVIII). Quis vero ille est, qui loquitur, et cui loquitur in Propheta Dominus? *Tu autem Domine, miserere mei, et resuscita me, et retribuam eis* (*Psal.* XL). Nunquid Joannes Baptista est iste qui resurrexit a mortuis, aut Elias, vel Jeremias, aut unus ex prophetis? Irrisione potius quam responsione digna sunt hujusmodi vaniloquia. Sed quia sermo talium ut cancer serpit, etiam his responderi oportet : Quia luce clarius est nos in illa periculosa tempora jam devenisse, quæ Apostolus instare prædixit, quando homines juxta desideria cordis sui *coacervabunt sibi magistros prurientes auribus* (*II Tim.* IV). Monstri simile potius quam veri simile est, Omnipotentem esse *Deum* alicujus creaturæ, et non esse *Dominum*. Augustinus in sermone super : *Non conturbetur cor vestrum* : « Agnoscamus geminam substantiam Christi, divinam scilicet, qua æqualis est Patri, humanam, qua major est Pater. Utrumque autem non duo, sed unus est Christus. » Et post pauca : « Licet unam personam in Christo credamus, duas tamen substantias, id est naturas fatemur, divinitatis scilicet et humanitatis, assumptricis et assumptæ, creatricis et creatæ. Quæ tamen substantiæ non sunt confusæ, sed unitæ, atque in una eademque persona inseparabiles, et in sua semper proprietate manentes. » Quid evidentius auctoritate Isaiæ prophetæ? *Rorate cœli desuper et nubes pluant justum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem; ego Dominus creavi eum* (*Isa.* XLV). Liquido apparet, quod ex creatione Dominus est Christi secundum quod homo est, et si perseverat creatio in Christo, perseverat et dominium in Creatore.

Ut autem securius incedamus, aliunde petitis utamur argumentis. Augustinus in prædictis sermonibus contra eos, qui creaturam asserebant Filium Dei etiam secundum divinitatem, indirecta ratione sic utitur : « Si creatus est, utique et servus est; quia omne quod creatum est necesse est ut Creatori deserviat. » Nos autem eadem ratione directa, quantum ad propositum nostrum utentes, dicimus : Si Filius hominis creatus est, utique et servus est. Sed creatus est, sicut prædictum est in Isaia : ergo et servus est, et necesse est ut deserviat sicut creatura Creatori suo. Confidenter secundum Augustinum dicimus, quia « pulvis noster jam incorruptibilis factus sedet ad dexteram Patris, » cujus utique pulveris sicut Creator et Deus; ita Dominus est Pater. Sicut ipse Augustinus alio loco declarat super versum : « Et tu, Domine, Domine fac meum. Pater, inquit, adjuvat Filium, in quantum Deus hominem, propter formam servi, cui homini Deus, et cui in forma servi etiam Dominus est Pater. » Qui Dominus ejus ab angelo prædicitur, daturus ei sedem David patris ejus. Hinc ille servus, in Zorobabel præfiguratus, sicut in Aggæo legitur : *In die illo assumam te, Zorobabel, fili Salathiel, serve meus, et ponam te quasi signaculum; quia ego elegi te, dicit Dominus* (*Agg.* II). In libro Sapientiæ omnes paginæ hujusmodi plenæ sunt, ut est illud : *Domine Deus meus, exaltasti super terram habitationem meam* (*Eccli.* LI).

Ad Ephesinum concilium mittit non solum nos, sed et omnes qui audent de Christo dicere : « Æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. » Sed non fallitur Propheta, (dum) ait : *Foderunt foveam, et inciderunt in eam* (*Psal.* LVI). Ubi enim capere vult, ibi capitur, ut his verbis sancti Ephesini concilii primi declaratur : « Sed neque Deum aut Dominum Christi Verbum Dei Patris asserimus, ne iterum manifestius in duos dividamus unum Christum Filium, et Dominum, et in crimen sacrilegii incidamus Deum illi se ipsum facientes et Dominum. Unitus quippe, sicut superius diximus, Deus Verbum carni secundum subsistentiam Deus est omnium et dominator universitatis, verumtamen nec servus est sibi ipse nec Dominus; quia ineptum est, vel potius impium hoc sentire vel dicere. Quamvis enim Deum suum Patrem dixerit, cum Deus sit etiam ipse natura et de illius essentia, tamen nullatenus ignoramus, quod manens Deus homo quoque factus sit, qui sub Deo juxta debitam legem na-

Digitized by Google

turæ humanitatis existeret; ipse vero sibi quomodo vel Deus poterit esse vel Dominus? Ergo sicut homo, quantum decenter exinanitionis mensuræ congruit, sub Deo se nobiscum esse disseruit. Hinc etiam quodammodo [*Cod.* quomodo] sub lege factus est, quamvis ipse promulgaverit legem, et legislator ut Deus exstiterit. Quod mensura exinanitionis Christi, quæ ex tribus statibus hominis discrete colligitur, non necessitatis, sed solius voluntatis est. » His verbis concilii primitus ab errore Nestoriano revocamur, ne unum Christum Filium et Dominum in duo dividamus, Verbum et Christum ab invicem quantum ad personam separantes, et Verbum Dei Patris Deum et Dominum Christi asserentes, quod esset eumdem sibi crimine sacrilego Deum et Dominum facere, cum et Verbum Deus sit, et Christus secundum veritatem fidei Deus et homo sit. Deinde ab eo loco, ubi dicitur : « Unitus quippe, » etc., in fide catholica roboramur, ut credamus indubitanter in una persona Christi duas esse naturas, alteram Verbi et alteram carnis, Dei videlicet et hominis, et hominem sub Deo existere juxta debitam legem naturæ humanitatis, hoc est ut subserviat creatura Creatori suo : et hanc dispensationem « non necessitatis esse, sed voluntatis, » eo videlicet modo, quomodo legislator sub lege factus est. Sic illud profundum illæsi transibimus, Deo adjuvante, ubi et elephas natat, et agnus ambulat, involutiones illas sophisticas non metuentes, quæ diversa relatione minus cautos decipiunt. Quocunque enim modo pronuntietur, sive negando, sive interrogando, idem sibi Deus et Dominus, vel dominus et servus esse non poterit, hoc est, de una persona Christi, Dei et hominis duæ personæ non possunt fieri, sicut sensit Nestorius : unam videlicet esse personam Verbi quasi Domini, et aliam personam hominis assumpti quasi servi, quem purum hominem Christum appellavit. Qui error auctoritate concilii destruitur et fides catholica roboratur, unam videlicet personam Christi in duabus et ex duabus constare naturis, quarum altera subservit alteri, ut præmissum est in verbis concilii.

Si placet fratri et seniori nostro, hac ratione symbolum Athanasii symbolo Ephesini concilii adjuvabitur potius quam evacuetur, ut possimus salva pace ejus dicere semper in idipsum : « Æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. » Præsumptuosum satis est judicare et condemnare omnes nos, qui utramque naturam illius gigantis geminæ substantiæ audemus ab invicem discernere, « non » tamen « confundentes personas, neque substantiam separantes. »

Quam inane sit universum quod dicitur sive de eo quod Christus jam Dominum non habeat altiorem se, secundum quod homo est, sive de eo quod dicitur, quod formam servi tantum retinuerit, et jam servus non sit Domini et Creatoris sui multis auctoritatibus probari potest. Augustinus super : *Non conturbetur cor vestrum* : « Forma, inquit, servi accessit, non forma Dei recessit. Hæc est assumpta, non illa consumpta. Propter hanc dicitur : Pater major me est; propter illam vero : *Ego et Pater unum sumus.* » Et post pauca : « Hæc est forma servi, in qua Deus Filius minor est non Patre solo, sed etiam Spiritu sancto. Neque id tantum, sed etiam seipso ; quia idem ipse in forma Dei major est se ipso. » Idem in libro primo De Trinitate : « Et etiam seipso minor factus est Christus formam servi accipiens. Nec enim sic accepit formam servi, ut amitteret formam Dei, in qua erat æqualis Patri, et ut in forma servi, et ut in forma Dei idem ipse sit unigenitus Filius Patris. » Iterum id ipsum in Actibus apostolorum evidentissime declaratur, Petro ita dicente : *Certissime sciat omnis domus Israel quod et Dominum eum, et Christum eum Deus fecit hunc Jesum, quem vos crucifixistis* (*Act.* II). Secundum id ergo quod factus est Christus, minor est etiam seipso in natura divinitatis considerato, in qua est æqualis Patri, et in qua *omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* (*Joan.* I) Si quis vero tanta sensus laborat inopia, ut hæc ei non sufficiant, ad eam quæ latissime patet beati Augustini doctrinam se convertat, et velut antidotum contra omnia hæreticorum venena degustet. Ait enim in libro primo De Trinitate, capite decimo : « Contemplabimur Deum Patrem et Filium, et Spiritum sanctum, cum mediator Dei et hominum homo Christus Jesus tradiderit regnum Deo et Patri, ut jam non interpellet pro nobis mediator et sacerdos noster Filius Dei et filius hominis, sed et ipse, in quantum sacerdos est assumpta, propter nos forma servi, subjectus sit ei qui illi subjecit omnia, et in quantum Deus est, cum illo nos subjectos habeat in quantum sacerdos nobiscum illi subjectus sit. Quapropter cum Filius sit et Deus et homo, alia substantia homo in Filio quam Filius in Patre, sicut caro animæ meæ alia substantia est ad animam meam, quamvis in uno homine, quam anima alterius hominis ad animam meam. Cum ergo tradiderit regnum Deo et Patri, id est cum credentes et viventes ex fide, pro quibus nunc mediator interpellat, perduxerit ad contemplationem, cui percipiendæ suspiramus et gemimus, et transierit labor et gemitus, jam non interpellabit pro nobis tradito regno Deo et Patri. »

Iterum infra : « Quid est : *A Patre exivi*, nisi non in ea forma qua æqualis sum Patri, sed aliter in assumpta creatura minor apparui? Et quid est : *Veni in hunc mundum*, nisi formam servi quam me exinaniens accepi, etiam peccatorum, qui mundum istum diligunt, oculis demonstravi? Et quid est : *Iterum relinquo mundum*, nisi ab aspectu dilectorum mundi auferam, quod viderunt? Et quid est : *Vado ad Patrem*, nisi doceo me sic intelligendum a fidelibus meis, quomodo æqualis sum Patri? Hoc qui credunt digni habebuntur perduci a fide ad speciem, id est ad ipsam visionem, quo perducens di-

Digitized by Google

ctus est tradere regnum Deo et Patri. Fideles quippe ejus, quos redemit sanguine suo, dicti sunt regnum ejus, pro quibus nunc interpellat. Tunc autem illic eos sibi faciens inhærere, ubi æqualis est Patri, non jam rogabit Patrem pro eis : *Ipse enim*, inquit, *Pater amat vos*. Ex hoc enim rogat, quo minor est Patre, quo vero æqualis exaudit cum Patre. » Item in libro eodem, capite decimo tertio : « Nisi idem ipse esset Filius hominis propter formam servi quam accepit, qui est Filius Dei propter formam Dei, in qua est, non diceret Paulus apostolus de principibus hujus sæculi : *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Ex forma enim servi crucifixus est, et tamen Dominus gloriæ crucifixus est. Talis enim erat illa susceptio, quæ Deum hominem faceret, et hominem Deum. Quid tamen propter quid, et quid secundum quid dicatur, adjuvante Domino, prudens et diligens et pius lector intelligit. Nam ecce diximus : Quia secundum id quod Deus est glorificat suos; secundum hoc utique, quod Dominus gloriæ est. Et Dominus gloriæ crucifixus est; quia recte dicitur : Et Deus crucifixus est, non ex virtute divinitatis, sed ex infirmitate carnis. Sicut dicimus : Quia secundum id quod Deus est, judicat, hoc est ex potestate divina, non ex humana, et tamen ipse homo judicaturus est, sicut Dominus gloriæ crucifixus est. »

Ecce quam plane et quam plene omnis illa quæstio decisa est, quæ inter nos et fratrem nostrum vertitur de Christo, quomodo æqualis Patri, quomodo minor Patre vel Spiritu sancto, vel etiam seipso; quomodo nobiscum subjectus Deo, et quomodo cum Deo subjectos nos habeat; quomodo etiam secundum naturam divinitatis exaudiat, et quomodo rogando, et interpellando pro nobis debitam honorificentiam Deo secundum naturam humanitatis exhibeat : licet hoc quibusdam scriptis ad nos directis noster scriba doctus sub nomine latriæ, hoc loco inusitato, contradicat, asserens nos et alios quoslibet sapientes, et beato Augustino, ut præmissum est, consentientes diversitatem Deorum introducere, unum cui latria solum debeatur, alterum vero qui et latriam debeat superiori, et cui latria ab omni reliqua creatura debeatur. Nos autem catholicæ fidei veritatem sequentes dicimus : Alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, sed non alius Deus Pater, alius Deus Filius, alius Deus Spiritus sanctus. Quin imo Pater et Filius et Spiritus sanctus unus est Deus, et tamen solus Filius homo factus est. Unde ipsi tam ea, quæ Dei sunt, apte conveniunt, ut est crucifigi, Deo subjici, rogare, interpellare, et e converso resuscitare, subjectos nos habere, exaudire, judicare, quando venerit in gloria sua cum angelis suis.

Cum ergo hæc cuncta, quæ dicimus, tanta veritate subnixa sunt, plures amodo jam auctoritates et rationes adducere contra prædictam novitatem vel potius vanitatem superfluum videtur, et idcirco minus necessarium, quia litteris ad eum directis copiosius, quantum temporis dictavit opportunitas, prætaxatis adinventionibus ejus respondimus. Quod si adhuc amplius vellemus insistere, dies prius nos quam copia rationum et auctoritatum desereret. Verumtamen ad evidentiam præmissorum operæ pretium duximus, in fine opusculi quædam annectere, quæ superiora illuminent. Quæ tamen non quasi de cathedra loquentes nostra auctoritate depromimus, sed quasi in adjutorio Christi nobiscum in humilitate spiritus residentes consocios et condiscipulos et coadjutores cohortamur et commonemus quatenus et scientibus ad memoriam suppeditent et ignorantibus ad scientiæ quantulamcunque ædificationem.

Leo papa Flaviano patriarchæ Constantinopolitano : « Non dicimus, quod beata Virgo Maria hominem sine deitate concepit, qui creatus a Spiritu sancto postea sit susceptus a Verbo, quod Nestorium prædicantem damnamus. » Item post pauca : « Ab initio illo, quo in utero virginis Verbum caro factum est, nihil unquam inter divinam, humanamque substantiam divisionis exstitit. » Item idem Maximo Antiocheno episcopo : « Catholicæ fidei petra, cujus nomen beatus Petrus apostolus sumpsit a Domino, nullum recipit ad impietatem vestigium, et Nestorium anathematizat, qui Verbi carnisque naturam in beatæ Virginis conceptione sejungens, unumque Christum in duos dividens, aliam deitatis, et aliam humanitatis voluit esse personam, cum omnino unus idemque sit, qui et secundum sempiternam deitatem de Patre est natus sine tempore, et secundum veram carnem de matre est natus in tempore. » Ex his liquido apparet, et qualiter Nestorius unum Christum in duos diviserit, dominum et servum, quod sacrilegum, et ineptum, et impium erat dicere et omnino impossibile. Et ideo his verbis, quæ præmissa sunt de concilio, error Nestorii damnatur, et fides catholica roboratur.

Sed impedimenta multa nascuntur propter diversas auctoritates et violenter a proprio sensu ad alienum detortas, quod est velut ignem alienum offerre, et in filiorum Aaron, Nadab et Abiu damnationem incidere. Unde autem hoc malum in Ecclesia Dei proveniat, Leo papa signanter exprimit in epistola ad Flavianum episcopum contra Eutychen : « Quid iniquius quam impia sapere, et sapientioribus doctioribusque non credere? Sed in hanc insipientiam cadunt, qui cum ad agnoscendam veritatem aliquo impediuntur obstaculo, non ad propheticas voces, non ad apostolicas litteras, nec ad evangelicas auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt, et ideo magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuerunt. » Quam enim eruditionem de sacris Novi et Veteris Testamenti paginis acquisivit, qui nec ipsius quidem symboli initia comprehendit, et quod per totum mundum omnium regenerandorum [*Cod.* regnandorum] voce depromitur, istius adhuc sensi corde non capitur? Sic quidam

Digitized by Google

fratres, quibus cupimus et oramus ut ignoscat Deus, quia nesciunt quid faciunt, in sacra Scriptura, ubi vasa mortis sunt, sibimetipsis retiacula nectunt, et suis retibus capiuntur, dum obscuritatem et subtilitatem scriptorum ad plenum non intelligunt, dubia pro certis, et quandoque falsa pro veris, et nociva pro his quæ profutura erant, recipiunt. Qui dum ignorantiam confiteri erubescunt; et ipsi laborant, et alios ducunt secum in eamdem tentationem. Quod vitium tergiversationis et multiloquii papa Cœlestinus Nestorio, qui semper nobis quasi lupus in fabula est, improperat in epistola ad eum directa, sic dicens inter cætera : « In his a nobis investigatus, deprehensus et tentus es quodam multiloquio labefactari, dum vera involvis obscuris, rursus utraque confundens vel confiteris negata, vel niteris negare confessa. Sed in epistolis tuis apertam non tam de fide nostra quam de te tulisti sententiam, volens de Deo Verbo aliter quam fides omnium disputare. Ecce quæ tuarum sunt beneficia novitatum. »

In his, quæ præmissa sunt, exponendis, bonisque ac malis ab invicem discernendis invocetur nomen Domini, et unusquisque in suo sensu abundet ipso auctore, qui sapientiam præstat parvulis. Hoc solum velut occulta fide conspicuum et declaratum a nobis esse sufficiat, quod clypeo Ephesini concilii tutus esse non poterit, quisquis symbolum Athanasii impugnare, vel ab eo discordare voluerit in eo, quod ait : *Æqualis Patri* etc. Et nos igitur novitates omnes cavere et evitare studeamus prout omnium orthodoxorum suadet auctoritas. Hæc vobis, Pater, scribere [illegible] agresti licet stylo, necessitas illa compulit, quam ab initio exposuimus. Insuper necessitati studium hujus voluntatis accessit, ut auctoritas vestra dictis nostris utcunque commonita nostræ imperfectioni limam suæ correctionis apponat, ut in sermone nostro hinc inde non sit : *Est et non* (*Matth.* v), sed *Est tantum* in illo sit, et unanimes possimus habitare in domo Dei, et longe fiamus ab illo regno, de quo scriptum est : *Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur, et domus super domum cadet* (*Matth.* xii).

Ad evidentiam præmissorum duodecim capitulis Ephesini concilii Cyrillo præsidente promulgatis totidem blasphemias Nestorii subter annotavimus. [*Desunt in cod.*]

EPISTOLA X.

Gerhohi præpositi Reichersperg. ad abbatem Windbergensem epistola.— Nuntiat ei quid in collatione, cum Eberhardo ep. Babenbergensi super sententia sua instituta, se actum et dictum fuerit.

Amico amicus, amicitiam fidelissimam.

Vulgare proverbium est : « In necessitate amicus probatur. » Item : « Non est personæ, sed prosperitatis amicus, quem fortuna tenet mitis, acerba fugat. » Ut igitur amicitia inter nos hactenus habita, nunc in imminenti necessitate firma probetur et vera, in ipsius amicitiæ veræ vera charitate rogo vos tanquam amicus amicum, ut si forte dominus Babenbergensis episcopus fecit, aut facit mentionem collationis, inter nos habitæ, cum essemus in domo sua, ut etiam de hac non sitis ignarus, scitote, quod in prima mea defensione, qua fidem catholicam nitebar defendere, nemo mihi adfuit, sed qui juxta me erant mihi consentiendo, steterunt a longe per silentium, et vim faciebant qui quærebant animam meam. Quibus tamen neque ad horam cessi, sed auctoritates multas illis ingerendo neque victor, neque victus ab illo conflictu discessi cantando, quæ tunc imminebat, *Sextam* meam, cujus initium : *Defecit*. Dominus episcopus velut jocando arripuit contra me, quasi ego defecissem in ipso conflictu. Sed ego e contrario in ipsa psalmodia mea glorians defecisse animam meam non a salutari, sed in salutari meo, cum cætera, ut hora tunc urgebat, silenter cecinissem, quia festinabatur ad mensam, illud manifeste cantans auribus adversariorum ingessi : *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua* (*Psal.* xi). Pro fabulis quippe habui et habeo, quod homo in Deum assumptus, cui datum est *nomen quod est super omne nomen* (*Philipp.* ii), ita *ut in nomine ejus flectatur omne genu cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (*ibid.*), negatur esse in gloria sibi data danti coæqualis. Cum, ut subtiliores et majores taceam expositores mihi consentientes, hoc ipsum plano sermone affirmat Venerabilis presbyter Beda in homilia super Evangelium : *Facta sunt encœnia* (*Joan.* x). Illic namque illud exponens : *Pater quod dedit mihi, majus est omnibus* (*ibid.* vi), idipsum quod affirmo, affirmat, videlicet homini datam gloriæ totius cum Patre suo æqualitatem, licet minor sit confitendus Patre increato secundum creatam et paulo minus ab angelis minoratam humanitatem. Legite, si placet, et idipsum in homilia capitulum. Legite quoque Hilarium nostræ assertioni per omnia consonum, in quo etiam invenietis manifestam solutionem dicti, quod mihi opposuistis de his, quæ habet Pater vel in se, vel sub se. Quæ omnia sibi asserit Filius a Patre suo data.

Quod cum dicerem et ego prius dictum a Christo, ubi dicit : *Omnia, mihi tradita sunt a Patre meo* (*Matth.* xi). Item : *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt* (*ibid.*), vos dixistis, prout memini, Patrem nihil habere in se, quod Filio suo dederit, cum simplex natura Patris non habeat aliquid in se nisi se. Utrumque autem, scilicet, Quod est, et quod habet Pater in se, non sub se, idem sanctus Hilarius docens in octavo libro De sancta Trinitate dicit inter cætera : « Deus immensæ virtutis vivens potestas, quæ nusquam non adsit, nec desit usquam, se omne per sua edocet, et sua non aliud quam se esse significat, ut ubi sua insint, ipse inesse intelligatur. Non autem corporali modo cum alicubi insit, non et ubique esse credatur, cum per sua in omnibus esse non desinat. Non autem aliud sunt, quam

Digitized by Google

quod ipse est quæ sua sunt. » Item in eodem: « Non humano modo ex compositis est Deus, ut in eo aliud sit quod ab eo habetur, et aliud ipse sit qui habeat, sed totum quod est vita est, natura scilicet perfecta, et absoluta, et infinita, et non ex disparibus constituta, sed vivens ipsa per totum. » Claret in his dictis, aliisque Patrum documentis licenter de Patre dici : *Et quod est, et quod habet;* cum et ipse Filius dicat : *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso* (*Joan* v). Unde miror vos contradixisse mihi dicenti, quod Omnia, quæ habet Pater in se et sub se, dedit Filio. De quibus loquens Ambrosius in Lucam exponens illud : *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo* (*Matth.* xi), dicit inter cætera : « Si omnia dedit, æternitatem, majestatemque transfudit. » Idem in eodem, « Quod, inquit, evidentius divinæ generationis indicium, quam quod de generatione Christi dicturus ipsum Patrem præmisit loquentem : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui?* Cum dicit : In quo complacui, non aliena in Filio sed sua laudat. » Hæc dicente sancto Ambrosio nostra illi consonat assertio, qua Christum, videlicet hominem, divinitus tam ab homine genitrice, quam a Deo genitore genitum prædicamus omnibus divitiis Paternæ majestatis, etiam secundum quod homo est, esse divitem, non sicut dives est aliquis vassallus, omnibus divitiis domini sui ditatus, sed sicut dives est hæres, qui cum sit Dominus omnium paternarum divitiarum, tamen *sub tutoribus et actoribus est usque ad præfinitum tempus a Patre* (*Gal.* iv).

Proinde in prænotato conflictu graviter me offendit, quod homo in Deum sic assumptus, ut sit Deus, vassallo fuit assimilatus a domino episcopo. Cujus tandem consiliis potius quam disputationibus inclinatus consulente idipsum domino archiepiscopo, laudavi, ut scripta mea diligenti consideratione pertractarem, et recapitularem beati Augustini exemplo, qui librum Retractationis composuit, in (1) a se dicta quædam dilucidavit, quædam temperavit, quædam excusavit. Quem et ego promisi me imitaturum non tamen, ut quidam falsiloqui dicunt, recognoscendo in scriptis meis aliquid hæretico sensu dictum, etiamsi ab hæreticis novis Nestorianis et Photinianis valeat in pravum sensum detorqueri, sicut ab eisdem verba quædam sancti Evangelii detorquentur in pravum sensum perversorum dogmatum, de quibus modo non est dicendum per singula. Perstringimus tamen ex his aliqua in opusculo (14), quod hortatu prædictorum dominorum meorum episcoporum cœpi, et nondum consummavi. Hoc autem, cum Deo favente consummavero, et non solum pontificali sed et apostolica censura examinatum ipsis quoque inimicis egendum proposuero, credo placebit bonis, etiamsi displiceat malis.

A Beda : « Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus est. Majus autem omnibus quod Mediatori Dei et hominum homini Jesu Chisto Pater dedit, hoc est, ut sit unigenitus ejus Filius gignenti nec natura dissimilis, vel virtute inferior, vel tempore posterior. Quam videlicet æqualitatem ipse Dominus in divinitate habuit, priusquam mundus fieret a Patre, ipse in humanitate ex tempore incarnationis accepit. »

EPISTOLA XI.

Eberhardi ep. Babenbergensis ad Gerhohum præpositum Reicherspergensem epistola. — Graviter in eum invehitur, quod sua dicta seciorem in partem acceperit et vulgaverit : amplinsque ostendit, hominem in Christo minorem ac inæqualem esse Patri.

B E. Dei gratia Babenbergensis Ecclesiæ qualiscunque minister, domino G. præposito de Richersperge, *non plus sapere quam oportet sapere* (*Rom.* xii).

Sicut audivimus, ita et vidimus. Et in his, quæ venerabili et dilecto fratri nostro abbati de Windeberge scripsistis, oculata fide perspeximus quod prædicatis et disseminatis de nobis sinistra, quæcunque potestis, aliter quam vestrum deceat sacerdotium, quæ silentio præterire non possumus. Unum eorum hoc est, quod quasi nos blasphemantes Filium Dei, et adulterantes verbum Dei, ut quidam faciunt, dixerimus ipsum Dominum nostrum Jesum Chistum vassallum Dei Patris, quod per Dei misericordiam longe est et ab ore et a corde et a conscientia nostra, et a proposito nostro procul C semper fuit aliquid novitatis inducere, instruente et jubente Apostolo *profanas verborum novitates devitare* (*I Tim.* vi).

Si placeret vestræ majestati, alia condimenta et munimenta dictorum atque scriptorum vestrorum quærere possetis, quam hujusmodi commenta, in quibus maledicitis surdo, et coram cæco ponitis offendiculum. Sed quare detraxistis sermonibus veritatis? Verbis ad increpandum compositis subvertere nitimini amicum, qui vos dilexit: quia dilectione dignum credidit, et se vicissim rediligi, ac non solum famam nostram, sed et aliorum, qui et dignitate et merito vitæ longæ nos præcedunt; insuper et eorum qui, licet ordine et officio minores, vita tamen et scientia potiores multo nobis sunt, D incrustare conamini. Quos aperte notatis, ubi dicitis in litteris vestris de quibusdam : « Steterunt a longe per silentium. » Et de aliis : « Vim faciebant, qui quærebant animam meam. » Melius facere tis et consultius, si operam daretis, ut sermo vester sale sapientiæ et discretionis conditus ædificaret infirmos, et nævo careret suspicionis, detractionis et irrisionis. Quod si rite meministis conferentibus nobis ad invicem et jucundantibus, charitative tractantibus sine contentione et æmulatione super verbo hoc, quod dicere soletis : « et Christus æqualis est Patri secundum quod homo est, » cum hoc usitatis allegationibus vestris adstrueretis : *Quia omnia ei*

(14) Videtur loqui de opere suo *De gloria et honore Filii hominis*, infra edendo.

Digitized by Google

tradita sunt a Patre (*Matth.* xi) : Et quia *ei datum est nomen, quod est super omne nomen* (*Philip.* ii) : Et quia *inhabitat in eo omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* ii) : Et *ipse est Dei virtus, et Dei sapientia* (*I Cor.* i) : Et quia *ipse est in gloria Dei Patris* (*Philip.* ii). Consequenter ut vobis visum est, sed non cohærenter, prout verum est intulistis : « Ergo Christus æqualis est Deo Patri secundum quod homo est. » His omnibus sane et catholice determinatis, et illatione repudiata multis ex Evangelio et sanctorum Patrum auctoritatibus, ex abundanti tamen quadam similitudine argumentum vestrum falsificavimus, licet nulla egeret falsificatione propter ipsam falsitatis evidentiam et incohærentiam eorum, quæ posita fuerunt cum eo quod illatum est. Simile autem falsificandi et argumentandi gratia introductum hoc erat : Jure civili is possidet, cujus nomine possidetur, ejusdemque rei et vassallus et dominus possessor est. Quidquid unus possidet, et alter possidet : ergo vassallus domino æqualis in possessione est ? Secundum hominem dico, Absit ! Alius enim possessor principalis, alius secundarius est. Unus enim suo nomine possidet, alius autem alieno, ejus videlicet, qui principalis possessor est. Et quamvis totum possideat, quod dominus, non tamen æquale possessionis dominium est inter vassallum et dominum. Sed non absolute, nec per se, sed explanandi et verbi gratia tunc a nobis dicta sunt et ruminata secretius sine declamatione et lite. Et si fidem secreti servare nolletis, tamen si novissetis legem modumque falsificandi, forsitan aliter judicaretis. Falsificandi enim modus hic talis est, ut non res rebus per omnia coæquiparemus, sed rationes rationibus comparantes ex adverso dicta per dissimilium similitudinem refellamus.

Equidem alia comparationis proprietas est, alia directæ locutionis simplicitas. Universaliter autem quam multa et varia similitudinum genera sint, dinumerare per singula prolixum nimis et superfluum est. Sed ut quædam ad majorem evidentiam in medium proferamus, scriptum est : *Non est discipulus super magistrum. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus* (*Matth.* x). Ergo magister discipulus, et discipulus magister erit ? Nequaquam. Aliter : *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti ?* (*Matth.* xxiii.) Ergo Christus gallina est ? Quinimo non minus gallina non est quam vassallus, et econtra. Amplius : *Sicut fulgur coruscans de sub cœlo, sic erit adventus Filii hominis* (*Luc* xvii) ; nunquid ergo fulgur erit Filius hominis ? Minime. Denique ut omne os obstruatur, ad expressam et præcipuam omnium similitudinum similitudinem veniamus : « Qualis Pater, talis Filius, » ergo Pater Filius, vel Filius Pater est ? Secundum vos sint omnia hæc inconvenientia, non secundum veritatem, neque secundum nos, qui eam sequimur, ut etiam dies Domini vel et ipse Dominus ex improviso veniens fur vocari dicatur in Evangelio : quia scriptum est : *Dies Domini sicut fur, ita in norte veniet* (*II Petr.* iii). Sciendum enim, quod quamvis res ad invicem aliqua similitudinis ratione conferantur, non tamen ab his, quorum nomina sunt, ad res alias vocabula transferuntur. De hujusmodi sat dictum sapienti.

At vero summatim quæ dicta sunt recolligamus. Nihil aliud vel tunc vel etiam nunc dicere intendimus, quam quod omnis divina clamat auctoritas quia, « quod Filius Dei habet per naturam filius hominis habet per gratiam. » Unde necessario consequitur, quod non æqualis est Deo secundum quod homo est ipso testante, cujus Evangelium et testimonium non erubescimus : *Pater*, inquit, *major me est* (*Joann.* xiv). Ante passionem quidem hoc. Ut autem nullus tergiversandi locus remaneat circa hoc, in quibus paulo minus minoratus est ab angelis, quo minus post resurrectionis gloriam prædicta serviat auctoritas, post ipsam resurrectionem Mariæ dictum est : *Vade ad fratres meos, et dic eis : Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum* (*Joan.* xx). *Patrem* utique secundum divinam, *Deum* secundum humanam appellans naturam. Ergo et post resurrectionem sicut et ante « Deus ejus, et Dominus ejus est. » Unde etiam : *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est* (*Psal.* xcviii). Qui tamen et thronus ejus est, et sedet ad dexteram majestatis in excelsis. Qualiter autem hoc, qui habet aures audiendi audiat, et quid secundum quid dicatur, intelligat. Scientibus enim legem loquimur.

Vos autem Evangelium, quod traditis, neque ab homine accepistis, neque per hominem didicistis, nisi fallimur, sed utrum per revelationem Jesu Christi, ipse novit, et vos videritis. Risum fecistis de nobis, et facitis de vassallitate Christi aliter quam vestram deceat prudentiam. Non imputetur, et non requiratur a vobis hoc : *Qui maledixerit tibi sit ille maledictus* (*III Reg.* ii). Neque veniat super vos illud : *Qui deridet, deridebitur* (*Eccli.* xiii). Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die. Miserum ignorantiæ refugium, et imperitiæ solatium seu dissimulatio est cachinnus insipientium qui, dum ratione se deficere præsentiunt more vulpium, quod vobis non servit, obganniunt. Quæ tamen etsi foveas habent, plerumque tamen capiuntur et pereunt. Quarum pellis utilis, caro mortifera. Hactenus hæc. Ipse quidem Dominus noster Jesus Christus in Propheta se vermiculo comparavit : *Sed et semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit etiam se ipsum usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philipp.* ii). Ipse ovis, ipse leo, ipse petra, et aliis multis nominibus in sacro appellatur eloquio. Verumtamen absit a nobis, ut aliquo exinanitionis ejus intuitu quod libet nomen adinventitium ex sensu nostro vel figurato vel non figurato sermone audeamus ei attri-

Digitized by Google

buere, vel quemlibet ex his pusillis, qui in eum credunt, scandalizare.

Excluso igitur et anathematizato vassalli nomine Dominum nostrum Jesum Christum corde credimus, et ore confitemur, sicut in Symbolo regenerationis accepimus : « Æqualem Patri secundum divinitatem, minorem Patre secundum humanitatem. » Unde beatus Hilarius : « Manens, inquit, in forma servi, qui manebat ante in Dei forma, homo Christus Jesus locutus est : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum* (*Joan.* xx). Ecce adhuc Christus in forma servi etiam post resurrectionem secundum Hilarium vestrum. Aut ne figurata laude vos percuti putetis, et nostrum dicamus et vestrum. Qua in re ut nullus dubitationis scrupulus remaneat, audite et intelligite, quid dicat Augustinus super eumdem locum Evangelii : « *Vade et dic fratribus meis : Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.* Non ait : Ad Patrem nostrum. Aliter ergo meum, aliter vestrum. Natura meum, gratia vestrum. Deum meum et Deum vestrum. Neque hic dixit : Deum nostrum, ergo et hic aliter meum, aliter vestrum. Deum meum, sub quo et ego homo sum, Deum vestrum inter quos, et ipsum mediator sum. » Non surdis auribus audiendum, quod dicitur : « Sub quo et ego homo sum. » Sed etiamsi fuerint velut aspides surdæ et obdurantes aures suas, oportet ut audiant ipsum Christum clamantem : *Deum meum* (*Matth.* xxviii), et Augustinum succinendo conclamantem in persona ipsius Christi : « Sub quo et ego homo sum. » Subjectionem audis, naturam audis remanentem post resurrectionem, sola naturæ infirmitate absorpta. Quid amplius desideras ? Quid adhuc egemus testibus ? Sed cum abundans cautela non noceat, succedat Augustino beatus Gregorius super eumdem locum : *Ascendo ad Patrem meum*, etc. : « Quia ego homo, Deus mihi est, quia vos ab errore liberati estis, Deus vobis est. » Apparet hic eadem natura, et subjectionis minoritas, quia non divinitatis Deus est, sed subjectæ sibi humanitatis.

Quia hos auctores sequimur nihil de nobis præsumentes, et propter evitandam subversionem aliorum nihil novi sine certa auctoritate recipientes, exacuistis in nos linguam ut gladium acutum. Sed considerate quia qui gladium acceperit, gladio peribit (*Matth.* xxvi). Qui non habebat usum armorum funda Goliam prostravit, sed suo sibi [*ita cod.*] gladio jugulavit. Ut igitur vestris amodo armis utamur, licet extorquere clavam de manu Herculis difficile sit, hæredem eum esse conceditis, quia negare non potestis : sed quomodo hæres paternæ constitutionis et gratiæ prærogativa sicut ait Apostolus : *Quem constituit hæredem universorum* (*Hebr.* i), secundum quod homo est : *per quem fecit et sæcula* (*ibid.*), secundum quod Deus est. Quia quamvis cum Patre omnia possideat secundum divinitatem, secundum humanitatem tamen est *hæres* constitutus secundum illud : *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (*Psal.* ii). Unde Joannes Chrysostomus : « In hoc quod dixit hæredem, humilitatis demonstravit indicium. »

Ad ultimum quod de Beda introducitis ad probandum filium æqualem esse Patri, secundum quod homo est, manifeste contra vos est, cum non aliud dicat datum esse homini nisi ut sit Deus, qui unigenitus ejus Filius gignenti similis, nec natura dissimilis, vel virtute inferior, vel tempore posterior; quod de Christo, secundum quod homo est, constare non posset. Quod vero sequitur : « Quam » videlicet æqualitatem, « ex tempore incarnationis accepit, » similiter intelligendum est, videlicet secundum quod ipse homo in unitate personæ a Deo assumptus minor omnino confitendus est Patre increato non solum secundum creatam, et paulo minus ab angelis minoratam humanitatem, ut in litteris vestris dicitis, sed etiam secundum ipsam eamdem humanitatem jam nunc post resurrectionem et ascensionem glorificatam ; minor, inquam, confitendus est, nec minus ex provectu divinitatis, secundum quod homo est, subjectus : alioquin ingratus videretur et gratiam non habere pro gratia. Cum autem paris sit culpæ in his, quæ ad fidem spectant, falli posse et fallere, hortamur, monemus et obsecramus vos in charitate ejus, quem ipsa charitas de cœlo ad terras deposuit, ut providendo bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus ita dicta et scripta vestra modificetis, ut nemo scandalizetur aliqua involutione, et dissimili verborum acceptione vel transpositione, ut in simplicitate fidei christianæ ambulantes idipsum dicamus omnes : « Æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem, » unam in Christo personam, duas naturas confitentes. Quarum proprietates evidenter distinguit beatus Ambrosius his verbis : « Volvi et revolvi divinam Scripturam, et Filium Dei nusquam adoptivum inveni. Sed sicut Christus, in quantum Deus est, naturaliter habet, ut sit naturalis Dei Filius, et sit Deus, ita in quantum est homo, per gratiam habet, ut sit idem Dei Filius naturalis. »

Si quid obscurius occurrerit, ut sunt multa verba Hilarii, ad sanum intellectum retorqueatur, ut non res verbis, sed rebus verba subserviant. Quod in uno saltem specificare ut liceat, venia prolixitatis indulta propter eos, qui adhuc similes nobis sunt, ut lacte potius indigeant quam solido cibo, in libro undecimo, ubi agitur de subjectione, de traditione regni, de fine, sic ait beatus Hilarius : « Quanto brevius, tanto obscurius. Homo et Deus, jam Deus totum est. » Ac si dicatur : Una persona Dei et hominis, totum videlicet hoc ex duabus et in duabus constans naturis Deus est. Totum autem nec integraliter, nec alio quolibet modo, ut loqui solemus, usualiter accipiendum est, sed singulariter et ineffabiliter. Quia tanto fœdere duæ naturæ in unum coiere personam, ut Leo papa innuit, ut vicissim

Digitized by Google

alterum dicatur de altero, et utrumque verum sit dicere: « Homo est Deus, et Deus est homo immortalis, impassibilis. » Leo papa: « Utrumque Deus de potentia suscipientis, utrumque homo de humilitate suscepti tenet sine defectu proprietatem suam in utraque natura; et sicut formam servi Dei forma non adimit, ita formam Dei servi forma non minuit. » Omnes fideles, qui scripta hæc, stylo licet inculto exarata, legere vel audire non despexerint, commoniti sint et communiti, quantum in nobis est, ut in omni locutione, qua dicitur: « Secundum quod Deus est, secundum quod homo est, » caveant et diligenter studeant advertere, quo respiciat quod dictum est, utrum ad personam, an ad naturam, vel forte aliquando ad causam, et ita determinent hoc, et alia his similia, ut a tramite et a regula fidei catholicæ non recedant. De *quantum in hoc*, vel *ex hoc*, et *in eo*, vel *ex eo* et cæteris hujusmodi similiter judicandum. De similibus enim idem judicium. Semel hæc dicta sufficiant.

EPISTOLA XII.

Gerhohi præp. Reicherspergensis epistola ad Eberhardum episc. Babenberg. — Respondet breviter ad priorem ejus epistolam, nuntiatque se plenum opus de controversa quæstione perscripsisse.

Serenissimo Domino suo E. Babenbergensi episcopo, frater G. de Richersperge, devotas orationes cum fideli obsequio.

Litteras vestras gratanter accepi, acceptas diligenter perlegi, perlectas memoriæ commendavi eo attentius, quod in eis animadverti eam sapientiam, quæ suaviter et fortiter disponit omnia, quia fortitudo increpationis mista suavitate discretionis vehementer meam parvitatem commonuit, ne rebus ad similitudinem inductis arbitrer assignandam proprietatem significationis, ut verbi gratia, quia fur Dominus in Evangelio seu fulguri assimilatur, ideo fur aut fulgur esse putetur. Unde quod vestra prudentia in quadam similitudine vassalli nomen Christo assimilavit, non ita mihi suasistis intelligendum, quasi Christus officio vassalli fungatur. Sciatis ergo quod non ita sapui, imo non ita desipui, ut a vobis putaverim hoc sentiri, quamvis pro similitudine quadam in collatione fraterna introduxeritis nomen vassalli. Sed quia intellexi ex occasione illius collationis murmurare quosdam, quasi ego ibidem confessus, aut convictus fuerim de indubitabili hæresi, ad dominum abbatem Windbergensem, vestrum fidelem, pro mea excusatione, non pro vestræ honestatis infamatione quædam scripsi, quibus etiam improbationem vassalli breviter interserui, quod ulterius in scriptis meis iterare libenter cavebo, quia vobis grave sentio. Ex occasione autem illius vestræ collationis mea scripta diligentius pertractando potius quam retractando scrutatus, opusculum peregi ad personam domini mei Salzburgensis, quod, ab ipso lectum, domino Brixiensi misi legendum, cogitans etiam vestræ discretioni mittere idipsum considerandum, et sicubi videbitur, limandum.

EPISTOLA XIII.

Ejusdem ad eumdem epistola. — Falsum esse a se eum in curia imperatoris fuisse diffamatum. Reditus ad controversam quæstionem, in qua magno sibi præsidio concilium Ephesinum esse arbitratur.

Serenissimo domino suo E. venerabili Babenbergensis Ecclesiæ antistiti, frater G. de Richersperge devotas orationes cum fideli obsequio.

Dilectus filius noster Joannes capellanus domini mei archiepiscopi veniens a vobis intimavit mihi, graviter vos erga meam parvitatem commotum, eo quod ex relatione aliquorum insinuatum sit vobis, me coram domino imperatore sinistre locutum de vobis, et, unde magis moveremini, de domino archiepiscopo. Fateor quod justa esset erga me indignatio, si esset verum, quod dictum est vobis. Ne autem putetis verum, quod falsum est, ab ipso Augusto vobis clementissimo cognoscere poteritis me non aliud vel aliter dixisse, quam nunc vobis confiteor.

Cum sinistre delatus ei fuissem ab illo Folmaro, qui quasi follis amarus amara de me seminaverat, quique velut meretrix infausta domino imperatori velut alteri Salomoni suggesserat mortuum suum esse meum, et meum vivum esse suum, quasi ego Dei honori, atque ipsius Augusti coronæ imperiali detraxerim in scriptis meis, quod ipsum fecisse palam est legentibus profanum ejus libellum, domino meo archiepiscopo missum, sicut e regione manifestum est legentibus mea, me ita non sapere, ut ille de me disseminavit, mittens circumquaque sua figmenta, quæ dicit et scribit *hæreses* esse *Gerhohi*; cum, inquam, sic delatus fuissem in curiam imperialem, iste quoque sermo exiit inter capellanos curiæ, aliosque multos fratres, quod vos me convicissetis de manifestis hæresibus, et coarctassetis ad confessionem hæresium. Quod non ita esse novit vestra pietas, qua exhortante promisi me scripta mea diligentius inspecturum, et si quod in eis invenirem, offendiculum, beati Augustini exemplo planandum. Quod etiam facere studui in opusculo, quod noviter perfectum judicio domini mei archiepiscopi et vestro paratus sum supponere, atque ipsius Romani pontificis, cum opportunum fuerit tempus, tempestate, quæ nunc sævit, imperante Domino sedata.

Cum ergo talia fuissent in curiam seminata, quæsitum est a me an hæc vera essent. Negavi dicens esse quidem vos adversarium mihi in sententia sicut multi litterati, sed non ita crudeliter, ut me judicaretis hæreticum. Tunc interrogante Augusto, utrumne dominus meus archiepiscopus esset mecum, an contra me, dixi neque pro me neque contra me illum esse. Unde rogo super accusatione ista habeatis me excusatum, neque vobis indignum sit vel grave, quod hæresis notam repuli, et adhuc repello a me, qui cupio esse ac dici catholicus, etsi

Digitized by Google

pauper ac modicus, paratus in Christi patientia ferre multa convicia præter notam schismatis et hæresis. Nam hæreticum esse ac dæmonium habere pene sunt paria, neque in talibus habenda est patientia, ut si fuerint objecta, non refellantur. Cætera opprobria sunt ferenda exemplo Christi, qui cum diceretur homo vorax, potator vini, seductor, samaritanus, amicus publicanorum, tacuit quasi homo non habens in ore suo redargutiones, cum potuisset hæc omnia falsificasse ac negasse. At cum diceretur habere dæmonium, non tacuit, sed respondit dicens : *Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me* (*Joan.* VIII). Exemplum dedit nobis, ut et nos ita faciamus patienter sufferendo, quod assimilamur aspidi surdæ et obduranti aures suas, vel Goliæ suo gladio feriendo, vel etiam vulpi foveas habenti, et aliis monstris, ut non inde moveamur ad iram, sed ad compassionem talia de nobis credentium et dicentium. Verum si hæresim, scilicet errorem in fide pertinaci animositate defensum quis objiciat, licet unicuique recte credenti, et id, quod credit, confitenti dicere : Non sum hæreticus, et ego pestilentiæ hujus dæmonium non habeo, et honorifico Deum, et vos inhonorastis me. Omnis quippe catholicus honorificando Christum honorificat Deum, quia Christus Deus est. *Creditis*, inquit, *in Deum, et in me credite* (*Joan.* XIV). « Consequens enim est, » ait super Joannem Augustinus, « ut si in Deum creditis, et in me credere debeatis, quod non esset consequens, si Christus non esset Deus. » Est autem Christus homo unctus et perfectus Deus et perfectus homo, etiam in forma servi Dominus altissimus, non habens altiorem se dominum, licet ipse, in quantum est homo, super se vel potius in se habeat Deum, cui dixit in cruce : *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me* (*Matth.* XXVIII). Quem etiam post resurrectionem dicit *Deum suum* (*ibid.*) ; Dei videlicet nomine significans altissimam Divinitatem, cui subjecta serviunt omnia creata, cui etiam servivit in Christo humanitatis creatura exinanita in eo Dei forma, non ut non esset, sed ut occulta esset, quoniam ibi abscondita erat fortitudo ejus, quando ante faciem ejus morientis ivit mors : abscondita, inquam, non annihilata. Similiter ubi absorpta morte in victoria forma servi exinanita est, non ut non sit, sed ut optime sit, videlicet non jam serviendo sed dominando. Quisquis ei dominum constituit altiorem se, videat unde hoc probet, quod in Scripturis veritatis nusquam invenitur. Nam Deum quod suum dicat post resurrectionem sed nec ante, nec post resurrectionem dicit Deum suum esse *Dominum* suum : *Confiteor*, inquit, *tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI). Dominum cœli et terræ dicit Patrem, non cœli et terræ, sed suum, et recte, quia non idem est Dominum esse et Patrem Deum, cum alterum sit relativum ad filium, sive ad filios, alterum vero ad servum sive ad servos. Quia ergo perpetuum est in Christo, ut sit Filius, recte nunc et in æternum Deus asseritur esse Pater ejus. Item quia perpetuum in Christo, ut sit creatura, recte creator Deus asseritur Deus ejus. Verum quia non est in eo perpetuum, ut serviat, cum servituti ejus dominium succedat, non qualecunque sed summum exinanita forma servi, non ut non sit, sed ut dominetur in tota republica Dei Patris. Quisquis in Christo vel Deum hominis Dominum, et servum vel hominem Dei servum prædicat, Christum secat in duos, Dominum et servum contra Ephesinum concilium, quod utinam vos pensaretis ex integro cum epistolis et gestis et sententiis eidem insertis. Credo quod, sicut Hilarium dicitis et vestrum et nostrum, sic idem concilium diceretis et nostrum et vestrum, et tam Hilario, quam prædicto concilio consentientes idipsum diceremus, et saperemus pie interpretando subjectionem qua, licet Filius maneat et permaneat in æternum subjectus, gratias illi agendo secundum naturam humanam, gratis in eo exaltatam, et gloria divina glorificatam, tanfen æquale imo idem cum Patre Deo habens dominium, non ultra cum nominabit vel recognoscet Deum suum, sicut cum recognoscit Deum suum et Patrem suum : Deum suum, sub quo est homo ; Patrem suum, cum quo est unus Dominus ipse homo.

Claret, sicut putamus, non surdis auribus nos audisse illud Augustini : « Deum meum, sub quo ego homo sum. » Commonemus et nos parvuli celsitudinem vestram, ut sicut nos audimus ex commonitione vestra, sub quo, ita et vos audiatis, cum quo et in quo, asserentibus multis auctoritatibus evangelicis et apostolicis, quod cum Patre atque in Patre suo assumptus homo consummata suæ virtutis obedientia potentissime dominatur, vivit et regnat in æternum. Quia, ut ait Apostolus, *Consedit in dextera sedis magnitudinis in excelsis, tanto melior angelis effectus* (*Hebr.*, I), haud dubium, quin in ea natura, in qua est factus, *quanto differentius præ illis nomen hæreditavit* (*ibid*).

EPISTOLA XIV.

Eberhardi ep. Babenberg. ad Gerhohum præp. Reichersp. epistola. — Explicatur doctrina concilii Ephesini, aliorumque tum doctorum tum sacræ Scripturæ verba, quæ Gerhohus pro ovinione sua stabilienda adduxit.

E. Dei gratia Babenbergensis Ecclesiæ vocatus episcopus, venerabili fratri G. præposito de Richersperge, idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum.

Principium litterarum vestrarum, ubi de maledictis vos excusatis, sicut mel dulce est, novissima vero amara sunt velut absynthium vel acetum felle permistum, ubi nos quasi Ephesino concilio contrarios notatis, minus fraterne salva charitate vestra, dictum sit. Sed absterso et excusso nunc isto pulvere multas grates referimus benevolentiæ vestræ, quod cum aliquantulum discordes essemus, in charitate fraterna submonuistis, et magnopere invi-

Digitized by Google

tastis nos ad convivium epularum vestrarum hoc est : ad Ephesinum concilium. Hilari itaque vultu et læto animo accedimus, eo alacriores utique, quo et securiores, quantum ad fidem, utinam operantem per dilectionem! confidentes quod pro nobis esse debeat, et non contra nos quidquid appositum fuerit aut propositum. Vos Scripturam adimplevistis : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi : hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus* (*Rom.* XII). Utinam carbones isti vivi urentes et non consumentes congerantur super capita nostra, ut ignis charitatis et lumen veritatis exardescat in nobis ! itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis. Videamus non tantum quid verborum superficies redoleat, sed quid intimi saporis gustus nobis ab intus renuntiet. Vestrum Ephesinum concilium (super nos enim est, ut *nostrum* dicamus, nisi quemadmodum fides catholica *nostra* in communione fidelium contra Nestorium habitum est, ut canon ipsius concilii indicat, qui ita reperitur : « Incipit canon sancti Ephesini primi concilii, habitus contra Nestorium Constantinopolitanum episcopum, qui purum hominem ex sancta Maria Virgine natum asseruit, ut aliam personam carnis, aliam faceret deitatis, nec unum Christum in Verbo Dei et carne sentiret, sed sejunctim alterum Filium Dei, alterum Filium hominis prædicaret. Cui synodo vice sancti Cœlestini papæ præsedit sanctus Cyrillus patriarcha Alexandrinus, » et cætera sequentia sancti concilii.)

Sed jam ad ea veniamus, quæ vos ex symbolo ejusdem concilii quasi contraria nobis denotare ex sensu litterarum vestrarum percepimus, et graviter, prout oportebat, accepimus. Quorum textus subnotatus est, ubi præscribitur Nestorio quid abdicare vel abjurare debeat: « Sed neque Deum aut Dominum Christi Verbum Dei Patris asserimus. Ne iterum manifestius in duo dividamus unum Christum Filium et Dominum, et in crimen sacrilegii incidamus, Deum illi se ipsum facientes et Dominum (*sic*). Unitus quippe sic, ut superius diximus, Deus Verbum carni secundum substantiam Deus est omnium et Dominator universitati. Verumtamen nec servus est ipse sibi nec Dominus. Quamvis enim Deum suum Patrem dixerit, cum Deus sit etiam ipse natura, et de illius essentia, tamen nullatenus ignoramus, quod manens Deus homo quoque factus sit, qui sub Deo juxta legem naturæ humanitatis existeret. Ipse vero sibi quomodo vel Deus poterit esse vel Dominus? Ergo sicut homo, quantum decenter exinanitionis mensuræ congruit, sub Deo se nobiscum esse disseruit, hoc etiam modo sub lege factus est, quamvis ipse promulgaverit legem, et legislator ut Deus exstiterit. »

Ad has, ut credimus, epulas invitastis nos, quasi contra nos sint, quæ præmissa sunt. At nos isto cœlesti manna libenter vescimur, ut ariditas animæ nostræ aliquatenus saginata non ponat amarum dulce, et dulce amarum, habito certo moderamine discretionis, quid non credendum, vel quid credendum sit. Credere, quod Deus Verbum Dei et Dominus Christi sit, Nestorianum virus est. Si quis autem hoc credit, manifestissime in duo dividit unum Christum Filium et Dominum, et se ipsum Dei Verbum Deum sibi facit et Dominum. Sed ipse Deus sibi nec servus est nec Dominus, quia omnia inconvenientia sequerentur ex illo errore Nestoriano, si quis Deum Verbum diceret esse et Dominum Christi, scilicet Dei et hominis.

Illud vero non surda aure prætereundum, sed firmiter retinendum est, quod dicitur : « Nullatenus ignoramus, quod manens Deus homo quoque factus sit, etc. Evidenter enim homini assignatur, ut sub Deo sit utpote Domino, quod superius remotum est a Deo et comprobatum, quod Deus sub Deo esse non possit, et quod sibi Deus nec servus esse possit nec Dominus. Quapropter apte concluditur : « Ergo sicut homo, quantum decenter exinanitionis mensuræ congruit, sub Deo se esse nobiscum disseruit, hoc etiam modo sub lege factus est, quamvis ipse promulgaverit legem, et legislator ut Deus exstiterit. » Si ergo nos Verbum Dei Patris diceremus Deum vel Dominum esse Christi, de Verbo et carne duas personas facientes, qui sensus hæreticus est, et capitulo sexto prædicti concilii condemnatus, sine dubio contra symbolum, et contra fidem catholicam gravissime peccaremus, manifestius in duo dividentes Christum, quam illæ hæreses, quæ ibi ante hunc locum articulatim et sigillatim damnatæ sunt. Quia cum omnes communiter Christum dividant, tamen secundum illa priora membra ab incarnatione Deus non negatur homini unitus quoquo modo : secundum Nestorium autem homo purus de Virgine natus, et postmodum susceptus affirmatur a Verbo quasi Deo et Domino creatore suo, et ita Christus Deus et homo unus et idem in persona sectus secundum eum in duos, Dominum videlicet et servum sibimetipsi et Deus esset et Dominus. Quod ineptum et impium esset credere. Et si nos eodem modo Christum divideremus, foras deberemus projici absque dubio. Sed nos annuente Deo neque confundentes personas, neque substantiam separantes, non ita dicimus, sicut Nestorius dixit, aliam esse personam Verbi, aliam Christi, et Verbum esse Deum et Dominum Christi. Sed hoc dicimus quod Verbum Patri coæternum, et homo temporaliter assumptus una persona est, Deus videlicet et Dominus noster Jesus Christus « æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem ; » sicut ipse, qui Veritas est, ait : *Pater major me est* (*Joan.* XIV). Hæc est antiquitas fidei christianæ, cui manus injicere exsecrabile est. Certum est enim, quam perniciosæ sint sententiarum novitates secundum Cœlestinum papam, quæ de vanæ gloriæ amore descendunt.

Digitized by Google

Respicite ergo et attendite, et dijudicate si nos contra concilium Ephesinum Christum in duo secamus, dum inseparabiliter unam personam Verbi assumentis, et hominis assumpti credimus et confitemur, et naturam a natura ita distinguimus, quod altera major, sicut prædictum est, et sicut tota universalis Ecclesia et tenet et concinit hoc modo : « Qui licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus. » Fidelis sermo. Qui loquitur mendacium, de proprio loquitur. Ne putetis nos de propriis loqui ea, quæ dicimus. Si forte non habetis blasphemias Nestorii, quærite, et invenietis ita prave et impiissime eum sensisse de Verbo Patris, quod Deus et Dominus Christi fuerit quasi alterius personæ, quam prius creaverit, et postea susceperit, et sic duæ personæ fierent, quemadmodum duæ naturæ sunt, una persona suscipientis, et altera persona suscepta. Unde et blasphemiam illam, quæ respondet per contrarium præmisso capitulo Ephesini concilii, tali fine concludit maledicus et maledictus ille Nestorius, ac si Deus Verbum manens in illa postmodum suscepta persona ita locutus sit de ea velut de sanctuario suo : *Solvite templum hoc, et post triduum reædificabo illud* (*Joan.* II). Ac si diceret : Ego habitator habitaculum propria virtute suscitabo, quod per se impotens est. Sic ab invicem non discutimus nos Verbum et carnem sicut Nestorius, ut Verbum Deum et Dominum, et Creatorem dicamus Christi et ipsum Christum alium in persona ab ipso Verbo, Domino et Creatore suo, quod esset evidentissime in duo secare Christum. Sed hanc impiam divisionem detestantes simul cum ea et omnes illas hæreses monstrosas reprobamus, quæ abdicandæ ibi Nestorio præscribuntur vel benignitate, vel dignitate, vel auctoritate, vel collatione aggregativa, vel connexione quasi per partes constitutiva, vel participatione, vel inhabitatione unum esse Christum cum Deo. Omnibus autem erroribus exsecratis nos colligentes in eo, et cum eo, qui dicit : *Qui non colligit mecum, dispergit* (*Luc.* II), simpliciter dicamus unum Christum esse Deum et hominem semper in idipsum, minorem confitentes eum secundum humanitatem Deo, æqualem autem Deo, secundum quod Deus est. Quod non est unam et eamdem personam in duos dividere, sed duas naturas arcano quodam ineffabili divinæ operationis in unam personam consociatas discernere : quia *unus Dominus, una fides, unum baptisma* (*Ephes.* IV). Paulus apostolus non in duo secuit et se et omnes, quando dixit : *Etsi exterior homo noster corrumpitur, interior tamen renovatur de die in diem* (*II Cor.* IV) ; sed quæ in uno homine erant, ab invicem discrevit. Sic ergo quilibet hominum secundum hominem interiorem et exteriorem se ipso major, et se ipso minor est diversis respectibus, nec ideirco unus homo plenus, sed unus homo duplicis naturæ est. Quid ergo mirum, si et nos in Christo ea, quæ Christi sunt, distinguimus, naturam videlicet divinam et humanam? Non est hoc Christum in duo secare, ut sæpe dictum est, sed naturam a natura distinguere. Non est nostrum super hujusmodi vobiscum quasi contentiosum funem trahere, aut aliud quam Christi gloriam quærere. Vincat Christus in nobis, vincat justitia, vincat veritas fidei, adversus quam portæ inferi non prævalebunt. Hæc est enim illa gloriosa victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.

Ex jam dictis constat, ut credimus, omnibus sane sapientibus quod nos Christum non dissecamus, et Ephesino concilio contrarii non sumus. Angelus autem magni consilii inspiret vobis, ut vos Deum Patrem omnipotentem non deponatis de sede majestatis suæ, et eum sibimetipsi non detrahatis dicendo esse Deum et non Dominum creaturæ suæ, videlicet hominis assumpti, quod prorsus esset contra Ephesinum concilium. Concordatis, Deo gratias, nobiscum in eo, quod jam post resurrectionem Christum subjectum Deo Patri conceditis et creaturam, secundum quod homo est, quæ per omnia vos concedere ante non intelleximus. Sed quid valet inter nos concordia istorum, si adhuc perseveraverit tanta discordia in nobis, ut nos Patrem Deum et Dominum Christi dicamus, secundum quod ipse homo est, et vos Deum ejus tantum concedatis et non Dominum? Minima quævis distantia maximam facit dissonantiam, si proportionalis non fuerit. Primo dicimus quia rota in medio rotæ est Vetus Testamentum in Novo, et Novum in Veteri, quia alterum continetur in altero. Et hæc sunt duo labia sponsæ sibi consonantia. Quid ergo refert, ubi reperiatur hic vel ibi? tantum ut inveniatur certa auctoritas eorum, quæ tenemus, et dicimus. Si Christus ante resurrectionem vel post resurrectionem non dixit omnia, non præjudicat veritati eorum et auctoritati, quæ prophetæ protulerunt vel apostoli, vel eorum successores, quia idem utriusque Testamenti auctor est teste Apostolo : *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissimis diebus istis locutus est nobis* (*Hebr.* I), etc. Et semper iteratur, et reiteratur? *Os enim Domini locutum est* (*Isa.* XL). Et cætera his similia. Novum proprie Testamentum est. Testimonia sunt dicta prophetarum. Morte testatoris testamentum confirmatum est, testibus præmissis corroboratum; alioquin, testamentum inofficiosum videretur, quod nullum haberet testimonium. *Si credieretis Moysi, credieretis utique et mihi* (*Joan.* V), dixit Christus. Intrepide ergo testes veritatis sequimur. Et forte Veritas omnia dixit in propria persona Christi, sed nos intelligere aut non possumus, aut nolumus secundum Augustinum super Joannem, cum ipse Christus dicat : *Omnia, quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*Joan.*, XV). Quando Deum dixit, satis declaravit et Dominum, sed vos forsitan noluistis advertere. Quapropter audite quid ipse dicat : *Non me videbitis amodo, donec dicatis : Benedictus, qui venit in nomine Domini* (*Matth.* XXIII). Audite David, audite pueros

Digitized by Google

clamantes : *Benedictus, qui venit in nomine Domini* (*Psal.* CXIX). Ipse et Dominus, et a Domino missus. Agnoscite eum, quem Simeon agnovit Christum Domini, de quo responsum accepit non ab alio quam a Spiritu sancto.

Vidimus equidem, et bene vidimus secundum gloriationem litterarum vestrarum, quam bene intellexeritis illud in Augustino : « Sub quo et ego homo sum. » Vellemus tamen aliquantulum melius intellexisse vos. Cum enim subjectum concedatis in natura humana ut creaturam Creatori suo, quare non ut Domino? Quid timebatis ab illo negotio perambulante in tenebris hæresis Nestorianæ, ne idem sibimet esset Deus et Dominus? Jam timendum non est quia comminutum est illud caput vituli, et in cineres redactum, Deo gratias. Quamobrem sicut vos dixistis nobis, si rite meminimus, Videte an bene intellexerimus Augustinum : ita nos æqua lance remetimur vobis multum pacifice : audite, et intelligite Christum loquentem in propheta, de se confitenter dicente : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* (*Psal.* LXXXIV). *Exsurge*, inquit, *et intende judicio meo, Deus meus, et Dominus meus in causam meam* (*Psal.* XXXIV). Sic Christus Agnus ille occisus ab origine mundi. Et quid Augustinus? « Exsurge, et intra judicium mecum Deus meus, et Dominus meus, non in pœnam meam, sed in causam meam; non in id quod mecum habet latro commune, sed in illud quod beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Martyrem non facit pœna, sed causa. » Item : « Et tu, Domine, fac mecum propter nomen meum. » Super quem locum Augustinus ait : « Pater quippe adjuvat filium, in quantum Deus hominem propter formam servi, cui homini Deus, et cui in forma servi etiam Dominus est Pater. » Cum dixeritis vos, nusquam in Scripturis veritatis hoc inveniri, videte an hæc Scriptura veritatis sit.

Si objicitis quod Altissimus altiorem se non habet, quia canimus Christo : « Tu solus Dominus, tu solus Altissimus, » cavendum est ne offendatis in petra scandali. Gigas enim ille geminæ substantiæ est, altitudine divinitatis tantum excedens hominem assumptum, ut et Deus et Dominus ejus sit : et quantum ad hoc, *solus Dominus, solus Altissimus* est Christus, a Patre et Spiritu sancto essentialiter indivisus. Sicut in prædictis locis, sic et in aliis pluribus in eodem propheta Deus et Dominus Christi Pater vocari reperitur. Item in Isaia propheta : *Hæc dicit Dominus : Ecce servus meus, suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea* (*Isa.* XLII). Quod in Evangelio mutato nomine dicitur : *Ecce puer meus* (*Matth.* XII), neminem moveat : quia translatio translationi non præjudicat, cum et centurio dicat : *Puer meus jacet in domo paralyticus* (*Matth.* VIII), puerum vocans servum usitato more loquendi. Quid ultra petitis?

Si dicitis : quia Christus nec ante resurrectionem, nec post resurrectionem invenitur Patrem appellasse Dominum, ideo negatis cum esse Dominum suæ creaturæ, videte quid dicatis. Vocando enim Deum, Dominum quoque professus est, cum non possit esse Deus alicujus, cujus non sit Dominus. Quia quamvis diversis respectibus dicatur idem Deus et Dominus, neutrum tamen excedit alterum, et proprie et singulariter accepta nomina hæc uni soli conveniunt ex quo et in quo, et per quem omnia. Unde est illud : *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies* (*Matth.*, IV). Aliter autem acceptis vocabulis sunt et dii multi, et domini multi. Enim vero omnes paginæ sacræ Scripturæ plenæ sunt, qualiter et Deus in Domino, et Dominus intelligatur in Deo. Verbi gratia : *Hæc dicit Dominus.* Et item : *Ego sum Deus vester* (*Lev.* XXI). Et Deus in Domino, et Dominus in Deo intelligitur. Si non vultis credere mihi, credite saltem prophetis, et ipsi Moysi; et si non vultis credere Moysi, credite saltem angelo, et videbitis veritate niti, quæ dicimus. *Ave Maria*, inquit angelus, *gratia plena, Dominus tecum* (*Luc.* I), id est : Deus. Unde Petrus Alexandrinus episcopus, damnator Arii : « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, scilicet ex quo angelus virginem salutavit dicens : Ave gratia plena, Dominus tecum. Dominus tecum dixit Gabriel, quod est Deus, demonstrans carnem futurum, juxta quod scriptum est : *Spiritus sanctus superveniet in te* (*Luc.* I). Denique cum Christi nomina sint Dei in Hebræo plena mysterio, nunquid omnibus his nominibus privavit Patrem Filius, quia non omnibus his invenitur eum appellasse in Evangelio? Miramur, nec satis admirari possumus, cum Deum Christi dicatis, quare Dominum Christi non recipiatis, cum istorum nominum vim ex dulia et latria, quæ vobis satis nota sunt, evidenter possitis perpendere, cum latria Deo, dulia Domino conveniat, non Domino soli, qui est Deus, sed et angelis et hominibus suo modo deferenda. Qua autem ratione vos utimini a Christo ad Patrem, eadem a simili uti possemus et nos a discipulis ad Christum, ne quibuslibet aliis vocabulis appellaremus Christum quam eis, quibus discipuli leguntur usi fuisse in Evangelio, quæ Salvator ipse comprehendit : *Vos vocatis me, Magister et Domine, et bene dicitis, sum etenim.* Nunquid ergo Deus eorum, et noster non erit, quia non dixerunt : Magister, et Deus, et Domine? Ast nisi in Domino Deum intellexissent, utique correpti fuissent sicut et ille, qui dixit ei : *Magister bone.* (*Marc.* X). Sed quia ille Deum non credidit, et simpliciter magistrum appellavit, isti vero Dominum vocando in Domino etiam Deum intellexerunt, jure laudem istorum recipit inquiens : Bene dicitis. Illum vero redarguit dicens : *Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi unus Deus* (*Marc.* X). Ac si diceret : Quia Deum me non credis, impie me et non recte bonum magistrum confiteris. Hac ipsa ratione Dominus noster Jesus Christus privabitur suo speciali nomine, quod

Digitized by Google

est tetragammaton, quod dicitur interpretatum : Principium passionis vitæ iste. Quorsum autem diligens illa nominum et prophetica inculcatio evanesceret : *Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis?* (*Isa.* IX.) Si diligentius considerare velletis auctoritatem illam, unde vos munitis : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli, et terræ* (*Matth.* XI), non diceremus aliud nisi : *Pax vobis!* quia dicendo : *Pater*, Filium Dei se confitetur : dicendo : *Domine cœli et terræ*, suum Dominum confitetur, secundum quod ipse homo et creatura Dei est. Nomine enim *cœli et terræ* universa creatura comprehenditur, quia *In principio creavit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I). Et : *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul* (*Eccli.* XXIII). Aut ergo homo assumptus nomine cœli et terræ includitur, aut non erit creatura, nisi dicatur tunc nova creatura a Deo facta, quando Filius Dei carnem assumpsit, quod Deus avertat a cordibus fidelium, quia hoc esset resuscitare hæresim Valentini, qui Valentinus Marcionis discipulus Christum de Virgine nihil corporis assumpsisse, sed per eam quasi per fistulam transisse asseruit, et tunc inanis esset fides redemptionis nostræ, et alium messiam exspectare deberemus. Quod autem Christus de substantia terræ sit, secundum quod homo est, exinde probatur : quia *Veritas de terra orta est* (*Psal.* LXXXIV), et : *Qui sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes* (*Hebr.* II). Augustinus ait : « Christus dicitur Adam, et novissimus Adam dicitur : quia de eadem materia est. » Similiter cum dicit : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* (*Psal.* XXX), utriusque naturæ professio est. Et divinæ in eo quod dicit *Pater*, et humanæ in eo quod spiritum in manus ejus commendat, quia et Deus et Dominus ejus est. Unde et ipse versiculus ab ipso Jesu Christo in cruce canonizatus, in persona ejus a Propheta tali fine concluditur : *Redemisti me, Domine Deus veritatis* (*ibid.*). Recordamini cujus verba sint in Actibus apostolorum : *David enim dicit in eum : Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear* (*Act.* II). Ejusdem rei testimoniis totus liber Sapientiæ plenus est. Si his derogatis, quia nec ante resurrectionem, nec post resurrectionem Christus ea dicit, per hoc adimitis auctoritatem ipsi Domino nostro Jesu Christo dicenti : *Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et psalmis de me* (*Luc.* XXIV.) Et iterum : *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo* (*Joan.* XVI).

Amodo de forma servi inquirendum, quia dicitis quod Christus formam tantum servi retinuerit post resurrectionem, quasi negando eum servire sub inquisitione, quid serviat ? *Christus exinanivit se ipsum formam servi accipiens in similitudinem hominum factus* etc. (*Philipp.* II) : non tamen ut formam sine re, aut similitudinem sine veritate susciperet. Ad nos enim similitudo respicit, sed veritas nihilominus in ipso est. Unde Augustinus : « Formam servi, id est naturam servi accepit in suam Deus ille personam, atque ita hominum Factor in similitudinem hominum factus est » etc. Quæ rerum veritas in ipso non est abolita in resurrectione, excepta mortalitate, et cæteris hujusmodi, quæ sunt pœna peccati. Quia tunc vere ante faciem ivit mors, ut vos dicitis, et sicut Propheta prædixit. Quod autem de exinanitione formæ servilis introducitis, satis supersederi poterit, ut nobis videtur, quia exinanitio ad humilitatem respicit, servilis autem formæ demutatio ad glorificationem et exaltationem. Sed his omissis ad hæc redeamus, quod Christus, suæ dispensationis obedientia completa, per gloriam resurrectionis et ascensionis exaltatus, sedet ad dexteram majestatis in excelsis Deus verus, et homo verus, æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Hoc credimus et confitemur, et contra hanc fidem Romanæ et universalis Ecclesiæ auctoritate corroboratam nullam novitatem, vel etiam antiquitatem recipimus. Si quid autem quæstionis emerserit, sequimur institutionem sedis apostolicæ, decretum Cœlestini papæ : profundiores difficilioresque partes ingruentium quæstionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere. Satis sufficere credimus, quidquid secundum prædictas regulas apostolicæ sedis nos scripta docuerunt, ut prorsus non opinemur catholicum, quod oportuerit præfixis sententiis esse contrarium.

Nec quisquam hoc æstimet quod pristinæ subjectionis et obedientiæ servitutem Christo dicamus incumbere, cum etiam apostolis dictum sit : *Jam non dicam vos servos, sed amicos* (*Joan.* XV). Et alibi dicatur : *Jam non est servus, sed filius* (*Galat.* IV) : Ubi timoris illius servitus denotatur, quem charitas foras mittit, quæ servitus longe a Christo est, et fuit semper. Sed hoc tantum dicimus, quod legibus humanis solutus legi Dei solummodo subjectus est, quæ lex æterna est, ut, secundum Augustinum, serviat omnis creatura Creatori suo. Lex quidem illa temporalis obedientiæ tunc finem accepit, quando dixit : *Consummatum est* (*Joan.* XIX), ubi et vetus noster homo simul crucifixus est cum illo. Sed lex universæ creaturæ, quam præmisimus, quam et ipse suscepit pro nobis, non quia debuit, sed quia voluit, adhuc statum habet, et perseverat immobilis. *Christus* ergo *resurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur : quod enim vivit, vivit Deo* (*Rom.* VI) : secundum Augustinum « Post nummum tempore suo Augusto redditum, se ipsum caput cum membris reddens Deo. » Non ergo subjacet illi maledicto quod ab Achan sumpsit initium, non Moysi, non Augusto tenetur Cæsari, nec sub ea nota servitutis est, qua decalvatus, et cum impiis reputatus est, nec etiam parentibus subditus est. Omnibus enim legibus humanis jam solutus est legis ille Lator qui sub lege factus erat, præter illam,

Digitized by Google

quæ declarata est, nostræ conditionis humilitatem absque peccato, et pœna peccati, solus utique *inter mortuos liber*, qui tanquam filius caput cum corpore manet in domo in æternum, excluso illo servo, qui non manet in æternum.

Adoretur ergo Christus, Deus et homo, et serviat suo modo, secundum quod creatura Creatori suo. Elevatis enim oculis ad montes, unde veniat auxilium nobis, semper ad id revertimur : « Cum tradiderit regnum Deo Patri, tunc et ipse subjectus erit ei, qui subjecit ei omnia. Subjectus erit, secundum quod homo est, » ut ait Augustinus, cum corpore suo, quod est Ecclesia illi, qui subjecit et omnia, hoc est, Divinitati. Si autem quæris, qui vel in quo serviat? Accipe. Quid servit Petrus? quid Paulus? quid spiritus et animæ justorum? quid angeli et archangeli? quid cherubin et seraphin? Non est, qui dicat : *Fodere non valeo, mendicare erubesco* (*Luc.* XVI). Vis scire quid : Audi : *Benedicite, omnia opera Domini Domino* (*Psal.* CII). Vis scire quomodo? *Omnis spiritus laudet Dominum* (*Psal.*, CL). Quod specialiter ad Christi personam respiciendo Propheta idem his verbis expressit : *Conscidisti saccum meum, et cinxisti me lætitia, ut cantet tibi gloria mea : Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi* (*Psal.* XXIX). Augustinus : « Quid est : in æternum confitebor tibi ? In æternum laudabo te. » Hæc causa finalis, hoc totum illius vitæ negotium, hoc illud holocaustum, quod in ultimo festivitatis die offertur, et votum quod redditur Domino inJerusalem, quando collaudabit Jerusalem Dominum, caput cum corpore suo sabbatizans ab omni opere servili in illo sabbatismo, ei soli, qui posuit fines ejus pacem, et adipe frumenti, se ipso videlicet convivas exsatians. Vis ergo scire secretum hoc, quid modo serviat Christus? Interpellat pro nobis, et respicit Dominus in faciem Christi sui. Augustinus. Adhuc dubitas, an serviat Christus? Audi quantum serviat. Scabellum pedum ejus est. Unde : *Adorate* etiam *scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est* (*Psal.*, XCVIII). Totum autem hoc servire Deo, regnare est. Dixi vobis jam pridem, et audistis, teste beato Hieronymo super psalmos : « Quia idem et sedet in throno majestatis, et thronus est et scabellum pedum est. » Si ultra quæris, primum respondeo, quia *posuit tenebras latibulum suum* (*Psal.*, XVII). Si magis et magis institeris, dico tibi cum Propheta : *Hic labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam in novissima eorum* (*Psal.* LXXIII). Et cum Apostolo : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!* (*Rom.* XI.) Hæc est confessio Petri dicentis : *Tu es Christus filius Dei vivi* (*Matth*, XVI), cum quo, et in quo, et per quem, et apud quem idem Dominus noster Jesus Christus vivit, et regnat cum Spiritu sancto in sæcula.

EPISTOLA XV.

Gerhohi responsio ad præcedentem Eberhardi epistolam. — Prolixe explicat, quomodo homo in Christo jam servus non sit conditione, licet talis sit genere naturæ. Quædam de modo adorandi hominem in Christo, etc.

Dilectissimo domino suo E. venerabili Babenbergensis Ecclesiæ episcopo, frater G. de Richersperge, devotas orationes cum fideli obsequio.

Ludens in orbe terrarum ab æterno æterna Dei sapientia tunc maxime pro deliciis habet esse cum filiis hominum, quando Ecclesia, vel quæque etiam rationalis, vel fidelis anima Verbi Dei sponsa invenitur plena deliciis, juxta illud in Canticis : *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, et innitens super dilectum suum?* (*Cant.* VIII.) Talis nimirum, ni fallor est anima vestra lectioni sacræ intenta, et in Scripturis veritatis exquirens veritatem. Hinc est illa vestra patientia, qua sustinetis modicum quid insipientiæ meæ, sed et supportatis me pusillum, cum sitis vos magnus in Ecclesia et in regno princeps ac dominus principum. Supportatis tamen me, sicut dixi, eadem, quæ inquiritis vos, inquirentem, et ad hoc summo studio nitentem, ut, sicut vos hortamini, idipsum dicamus et sapiamus. Quod ex parte nunc fieri gaudemus, cum vobis placet Ephesinum illud capitulum, quo prohibemur cum Nestorio dividere Christum in Dominum et servum, quasi Verbum increatum creati, et præ suis participibus uncti hominis sit Dominus, ut jam dictus Nestorius docuerat. Contra quem prædicta synodus Ephesina sic intonat : « Si quis dicit Deum aut Dominum esse Christi ex Deo Patre Verbum, et non magis eumdem confitetur simul Deum et hominem, utpote facto carne Verbo secundum Scripturas, anathema sit. » Quia ergo sapit vobis istud capitulum, sapiat necesse est, unum et indivisum esse Dominum Verbi et hominis Verbo uniti, quod totum est Christus, unus Dominus cum Patre suo ac Spiritu sancto. Licet enim de Verbo Filio dictum sit : *Pluit Dominus a Domino* (*Exod.* IX), non tamen duo domini sunt Pater Dominus, et Filius Dominus, quomodo non duo dii Pater Deus, et Filius Deus.

Nempe, ut vos intelligere innuitis, et verum est, non aliud est Deo esse Deum, et aliud esse Dominum, quando utrumque absolute dicitur in designationem divinæ substantiæ. Quando autem nomen Domini, quod est relativum, refertur ad servum, non possumus acquiescere, hominem assumptum, jam dominantem in regno Dei Patris, habere super se Dominum, vel ipsum dici oportere servum Domini alicujus, nunc maxime, postquam intravit in gloriam suam, in dominium suum dicente ad eum Patre : *Sede a dexteris meis* (*Psal.* CIX), quod idem est, ac si dixisset : Conregna et condominare mihi. Sequitur enim : *Dominare in medio inimicorum tuorum* (*Psal.* CIX). Proinde quod in Scripturis propheticis Christus dicitur servus, aut Pater Dominus, est, recte arbitramur, ad illud tempus referendum, quo iste homo novus, cum esset Dominus omnium, tamen *sub tutoribus et actoribus erat, nihil differens a servo, usque ad præ-*

Digitized by Google

finitum tempus a Patre (*Galat.* IV). At ubi finito servitio successit regnum æternum ab angelo matri ejus prænuntiatum, jam non dico eum *servum*, sed *Dominum*, habentem cum Patre suo indivisum dominium, licet manente in eo essentia servilis formæ, quæ tamen servilis obedientiæ modo jugum non portat, sed in Deo et cum Deo regnans dominatur summo dominio, jam transacto illo tempore sessionis illius, in qua fatigatus ex itinere sedit super fontem, largitus aquam vivam, reprobata prius aqua non viva, quam, qui biberit, sitiet iterum. Non autem semper illic sedit, sed surrexit, ulterius non ita sessurus, quia nimis exaltatus jam non habet necesse dicere, quod dixit in illa sua fatigatione : *Exsurge*, inquit, *et intende judicio meo, Deus meus et Dominus meus, in causam meam* (*Psal.* XXXV). Hoc ipsum pertractans Augustinus, ut commemorastis, ad idem tempus refert, quo fatigatus ex itinere invocavit Deum suum et Dominum suum tanquam creatura Creatorem, et servus dominum, cujus tunc in servitio et obedientia fatigatus erat ex itinere. Sed nunc sedens et quiescens ad dexteram Dei Patris omnipotentis in æternum quidem recognoscet eum Deum suum, utpote factorem, a quo factus est ex semine David secundum carnem, et Patrem suum, utpote generationis suæ divinæ auctorem, et humanæ operatorem simul et auctorem, Sed non recognoscet illum Dominum suum, quia, transacto servitio, summum cum Patre suo habet dominium indivisum in utraque natura.

Quia ergo, ut dicitis, de nobis miramini, cum Deum Christi dicamus, quare *Dominum Christi* non recipiamus, ecce habetis causam. Quia videlicet quod factum est in ipso, semper erit factum recognoscens Deum factorem suum. Quod autem secundum formam servi observavit mandatum juxta illud : *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio* (*Joan.* XIV), jam totum est præteritum, ex quo ipse transivit ad Patrem forma servi glorificata et clarificata ea claritate, quam expetiit ipse adhuc servus : *Clarifica me*, inquit, *Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, prius quam mundus esset, apud te* (*Joan*, XVII). Quod exponente Hilario sic est intelligendum, ut id, quod de tempore erat, gloriam ejus, quæ sine tempore est, claritatis acciperet, quæ scilicet illa est claritas, quam Verbum prius habuit. Hac igitur claritate induta, servi essentia et forma non est ita exinanita, ut non esset, vel semetipsa fieret inferior, sed glorificata, ut se ipsa facta sit superior. Unde approbamus quod vestra prudentia sugillavit hoc in litteris nostris dictum, quod forma servi exinanita sit, non ut non sit, sed ut optime sit, videlicet non jam serviendo, sed dominando. Quia ergo vocabulum exinanitionis fecit vobis offendiculum, licet non induceret sensum pravum, cavebo tamen ulterius illud iterare, utens in hoc vestra emendatione seu correptione.

Liceat autem et nobis, obsecro, quædam modeste tangere, quæ nostram humilitatem in vestris ad nos scriptis offendunt, aut sua ambiguitate dubios reddunt. Dicitis, et constanter affirmatis Deum Patrem hominis assumpti Deum et Dominum existere, et non id quidem solum de tempore dispensatoriæ humilitatis, sed et hodie jam, videlicet eidem homini assumpto servitutem quamdam æternam assignatis. Hoc igitur est, quod nostram parvitatem offendit, eo quod sicut Deum Patrem assumpti in Deum hominis Dominum esse dicendum, ex quo sedit in dextera sedis magnitudinis in excelsis, in Scripturis canonicis non invenimus, ita et servitutem jam glorificato assignari non invenimus. Nam quod in propheticis libris vel ille Dominus, vel hic servus dici invenitur, tempore dispensatoriæ humilitatis assignandum ipsa verba, et verborum circumstantiæ innuunt, ut est illud : *Exsurge et intende judicio meo, Deus meus et Dominus meus, in causam meam* (*Psal.* XXXV), quæ tempori et causæ passionis congruere dubium non est. Simul quoque perpendat prudentia vestra quod, cum Dei et Domini nomen pro uno et eodem accipiendum in Deo asseratis, hominem assumptum, ni fallor, dicitis in Dominum quoque assumptum, ita ut unus cum Verbo assumente Dominus sit, apud vos, et apud omnes constare debere, maxime cum et Apostolus hoc indubitanter asserat dicens : *Nobis autem unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos ex ipso, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum* (*I Cor.* VIII). Qui cum se testetur venisse in nomine Domini, quod et pueri clamaverunt dicentes : Benedictus, qui venit in nomine Domini, pronomen possessivum neque ab ipso, neque a pueris additur, ut dicatur in nomine Domini *sui* venisse, sed tantum in nomine Domini. Alias dicit : *Ego veni in nomine Patris mei* (*II Thess.* I). Et ex hoc sane intelligi potest *in nomine Domini* Pater figurari, qui et in lege Moysi dixit : *Ecce mitto Angelum meum, qui præcedat te, et custodiat te semper* (*Exod.* XXXII), et cætera usque : Et est nomen meum in illo. Sed quia non dicit : Ego veni in nomine Domini mei, sicut dicit : *Ego veni in nomine Patris mei* (*II Thess.* I), rectius mihi videntur sensisse, qui in *nomine Domini* totam Trinitatem potius, quam solam Patris personam intellexerunt. Quia sic venit ille benedictus in nomine Domini, ut ei conveniat nomen Domini æque ut Patri et Verbo, et Spiritui sancto, cum quibus tribus assumptus in Filium benedictus ille homo unus Dominus est, ita ut sit unus illorum trium, quia homo assumptus non adauxit numerum personarum. Habet ergo nomen Domini, et est nomen Domini in illo, non ut sit Dominus vel Deus inter illos, qui nuncupative dominantur dii vel domini multi, sed omnino super illos Dominus omnipotens in summo totius Trinitatis dominio, quia homo assumptus cum Verbo, quod illum assumpsit, non duo domini sed

Digitized by Google

unus est Dominus. Unde licet sit *gigas geminæ substantiæ*, tamen cavendum videtur ne Verbum Dei Deus, quod in concilio, ut vos prudenter animadvertistis, negatur Dominus Christi Jesu hominis uncti, aliquomodo asseratur esse Dominus hominis assumpti : quia nihil est aliud homo in Deum assumptus, quam homo in Deum unctus, cui assumi fuit ungi, quia non prius assumptus, et postea unctus creditur, sed ipsa ejus assumptio fuit ei regalis unctio, qua provectus est in Regem regum et in Dominum dominantium, ita ut neque in se, neque supra vel extra se habeat altiorem se dominum, qui hominem illum assumptum in gloriam reputet servum suum, cum adoretur ab omnibus Deo servientibus angelis et hominibus beatis.

Absit autem a nobis aliud de vestra prudentia æstimare, quam ut assumentis et assumpti indivisum dominium asseratis, sicut Patris quoque et Unigeniti dominium et regnum indivisum est? Absit etiam hoc de vobis æstimare, ut, cum Pater et Filius et Spiritus Sanctus unus Dominus, et unum singulare trium dominium sit, extra illud singularis dominii consortium, in quod assumptus est, hominem collocetis ! Non enim simul stare possunt, ut in singularis illius dominii consortium sit assumptus, et in fide nostra sit extra vel infra collocandus. Assumptionem vero hanc in singularis dominii consortium ad nostræ humilitatis formam sive naturam pertinere dubium non est. Nam Verbum ab illo singulari dominio nunquam destitit. Et hæc quidem assumptio secretiori sacramento in nativitate facta est, manifestius autem in assumptione ipsius in cœlum famulantibus angelis coram omni cœlesti curia facta et celebrata est, quemadmodum evangelista Marcus testatur dicens : *Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet a dexteris Dei* (*Marc.* x). Et Lucas evangelista : *quia cœpit*, inquit, *Jesus facere, et docere usque in diem, qua præcipiens apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est* (*Act.* i). Et angeli aiunt : « Jesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. » Quia igitur in fide vestra, simul et nostra, in illud unicum et singulare dominium in nostri generis forma, quæ utique in ipso *forma servi* dicitur, est assumptus, quomodo convenire potest, ut in eadem forma, in qua in singulare dominium est assumptus, sit in æternum servus ? Nam formam quidem servi nos in ipso in æternum permansuram dicimus, sed per id, quod dicimus *formam servi*, non servilis conditionis indignitatem, sed naturæ nostræ, qui conditionales servi sumus, in ipso veritatem exprimimus. Et quidem servilis conditio si in ipso æternaliter esset, æternam quoque fore servitutem necessarium esset. Sed absit a nobis, ut magnum illud pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, servilis conditionis humilitate deformemus, ita ut vel tunc, cum in carne ministravit, quemadmodum ait : *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare* (*Matth.* xx), servili conditione, et non potius filiali dilectione hoc fecerit. Hoc autem et ipse confitetur dicens : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei* (*Joan.* iv). Non ait : Meæ servilis conditionis, sed *meus*, ait, *cibus est*, quomodo si diceret : Filialis in me dilectionis est ut faciam voluntatem Patris mei.

In facili et brevi vestræ æstimo prudentiæ persuasum iri, uti ne Christum, quamvis in forma servi, id est, in natura nostri generis sit, sub servili conditione, qua omnis creatura Creatori obnoxia est, vel in eo quod homo est, collocetis ; nisi, quod absit ! et quod ego de vestra prudentia non crediderim, etiam unici et naturalis filii nomen et dignitatem simul ab eo in eo, quod homo est, velletis abstrahere. Hæc enim simul se non patiuntur, ut et naturalis atque unicus Patris in eo, quod homo est, filius sit, et in eodem conditionalis servus.

Quod autem Christus etiam in eo, quod homo est, communis creaturæ vocabulo non censeatur, etiam Patrum documenta nos instruunt, in quibus beatus Ambrosius præcipuus est, cujus verba sunt hæc in libro primo de Trinitate : « Probemus, *inquit*, creaturam non esse Dei Filium. Audivimus enim in Evangelio Dominum mandasse discipulis : Prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui universam creaturam dicit, nullam excipit. Et ubi sunt, qui creaturam Christum appellant? Nam si creatura esset, sibi mandaret Evangelium prædicari, et subjectus esset vanitati : quia testante Apostolo : Omnis creatura vanitati subjecta est. Non igitur Christus creatura est, sed Creator, qui decendæ creaturæ discipulis mandat officium. Arii hæc fuisse perfidia legitur, ut Christum creaturam confiteretur : ideo effusa sunt Arii viscera, atque crepuit medius prostratus in faciem, ea, quibus Christum negaverat, fœda ora pollutus. » Hæc verba tanti Patris, quoniam auctoritate evangelica simul et ratione subnixa sunt, pro duobus nobis, vel tribus testibus esse possunt, quod Christus, homo videlicet in Deum unctus et assumptus, quamquam recte dicatur, et sit nova creatura, utpote homo secundum Deum creatus in justitia et sanctitate veritatis, tamen communis creaturæ vocabulo censeri non debeat, ne videlicet ipsi Evangelium prædicandum sit, ac ne vanitati subjectus deputandus etiam in eo, quod homo est.

Ista quoque in hunc sensum ratio concurrit, quod si Christus, quod utique nomen est uncti in Deum hominis, creaturæ communi vocabulo censendus esset, servitus ei, quæ latria dicitur, et soli Deo debetur, indebita esset. At hoc Ephesina synodus non patitur, ut homo a Verbo assumptus ab una Verbi adoratione separetur. Augustinus quoque de adoratione scabelli : « Nemo, inquit, carnem Christi manducat, nisi prius adoret. » Florus quo-

Digitized by Google

que in Decadis de adoratione scabelli : « Non dividitur, inquit, ab adoratione, quod conjunctum est unitate. » Et plura in hunc modum in dictis Patrum reperiuntur, quæ et hominis adorationem indicant, simul etiam adoratores hujusmodi de idololatria excusent, eo quod non purus homo, sed Verbo unitus adoretur.

Sunt vero nostri temporis quidam, quorum Folmarus, ille Christi et noster adversarius est unus, qui malam sibi partem delegerunt dicentes, Verbo latriam, homini vero duliam, sed majorem tamen quamdam speciem duliæ deferendam. Hoc autem est, hominem illum divinitate sua nudare, et cum Pilato atque Judæis tale quid dicere : *Ecce homo!* Hæc enim Græca illa nomina, latria videlicet et dulia, ut a Patribus, Græcæ linguæ peritis, didicimus, a se differunt, quod servitus soli Deo debita latria est, dulia vero servitus, qua sibi homines invicem deserviunt, sive pares paribus, sive minores majoribus, sive etiam majores minoribus. Hoc autem ita esse ex Græcorum probant colicibus. Nam ubi nos legimus in Epistolis Pauli : *Spiritu ferventes, Domino servientes* (*Rom.* XII), Græci legunt : Latreuontes. At vero ubi nos legimus : Per charitatem servite invicem, Græci codices Dulcuite habent inscriptum. Tantum quoque nominum illorum significatio inter se discreta apud illos est, et apud nos esse debet, ut nunquam latria ad aliam, præterquam soli Deo debitam servitutem significandam adaptari debeat. Latriam quippe Deo exhibemus, non inter omnia, sed super omnia ipsum adorando, et super omnia ipsum diligendo, eique sacrificando, et thurificando, atque in ipsum credendo, quod nulli creaturæ, quæ non aliud quam creatura est, exhiberi debet, quia nullus quantumlibet sanctus homo vel angelus tali veneratione colendus est, ut vel sicut Deus adoretur, et ex toto corde, ac tota mente diligatur, vel ei sacrificetur, vel thurificetur, vel in eum credatur, licet ei vera dicenti sit credendum. Unde homo, qui dicit : *Creditis in Deum, et in me credite*, innuit se ultra omnes creaturas Deum esse colendum potius latria quam dulia : Quia dulia non ad aliam servitutem præter eam, quam rationalis creatura sibi invicem exhibet, recte adaptatur. Unde inter peritos hujus discretionis proverbium est : Latreus est, duleus non est : Duleus est, latreus non est. In qua enim servitute quis latreus est, duleus esse non potest, et e converso, eo quod latria Creatori, dulia creaturæ exhibeatur.

Hoc autem dico condolens illis, qui, nescio unde inducti, homini in Deum assumpto duliam sive majorem speciem duliæ, hactenus inauditam, et non latriam docent exhibendam. Magni enim sunt etiam hi scholasticis disciplinis valde exercitati, sed minoris in hominis Christi divinitatem, quam oportet, fidei. In Petri enim Longobardi glossis in Psalterium de adoratione scabelli simul et in Sententiis ejus hoc invenitur, et Augustini quidem dictis in glossis adscriptum, et quasi ipsius sit, continuatum. Sed aliter esse facile inveniunt tractatum Augustini de scabelli adoratione perquirentes. At hoc non dicimus, ut vestram in hunc sensum adduci posse timeamus prudentiam, sed quod quædam in dictis vestris ambiguitas sit, unde hic sensus ab aliquibus concipi posset. Dicitis enim, quod laudabile est, Christum vos sub Verbo quasi Domino suo non ponere, ne Deus sub Deo, vel Domino sit, sed tamen hominem sub Deo quasi Domino suo constituitis. Servitium quoque ei æternum, eidem Domino et Deo suo exhibendum, satis divinum describitis. Sed quia servitus apud nos Latinos, interdum verborum inopes, æquivocum est, et ad eam servitutem, quæ latria est, soli Deo debitam, et ad eam, quæ dulia est, qua sive conditionales, sive per charitatis debitum alterutrum servi existimus, accommodatum, eo quod non habeamus diversa nomina diversarum servitutum : hæc est, Domine mi, ambiguitas illa, quæ nos sive alios, vestra legentes, ambiguos reddere possunt, quamnam servitutem homini in Deum assumpto assignetis, an videlicet eam, qua et angeli, cherubin et seraphin serviunt? Hos enim et vos in exemplum illius servitutis inducitis. Quorum quidem servitium valde divinum est in æternum laudare Deum factorem et illuminatorem suum, beatificantem et conservantem se. Sed tamen quoniam servitus illa latria est, non satis videtur homini illi convenire, qui super omnia Deus est benedictus in sæcula, et cui ab omnibus nobis pariter et ab angelis latria potius est exhibenda, quam ut ipse eam Deo suo vel Domino suo tanquam creatura simplex Creatori exhibeat.

Quod si dixerit quis, quod a vobis alienum arbitror, ipsum in eo, quod homo est, Deo suo debere latriam, quæ sibi a nobis utpote Deo nostro juste exhibetur, valde incongruum et hoc est. Hoc enim deorum diversitatem induceret, unum cui latria solum deberetur alterum vero, qui et latriam deberet Deo superiori se, et cui latria ab omni reliqua creatura deberetur. Nam quod latriam non solum Verbo, sed et homini indivise debeamus, jam olim in concilio memorato diffinitum est. Proinde hunc sensum a vestra prudentia valde alienum æstimo, siquidem et latriam hominem Deum Patri suo debere hactenus inauditum. Si vero aliam servitutem, quæ dulia dicitur, quam æquales interdum exhibeant æqualibus, homini in Deum assumpto adscribitis (nam conditionalem servitutem confessus throni Paterni simul et Filii privilegium non admittit), vocis quidem novitas displicet, quod quælibet ex tribus personis, quorum unum et indivisum est dominium, alteri servus sit ei, et serviat, maxime servitutis Christi dispensatoria servitute completa, ex quo dixit : *Consummatum est* (*Joan.* XIX) : Sensus vero stare posset, si verbis Evangelio consonis diceretur, verbi gratia : *Meus cibus est*, ait ipse Filius, *ut faciam voluntatem Patris mei* (*Joan.* IV), non ait : *Ut serviam Patri meo.* Item : *Quæ placita sunt ei, facio*

Digitized by Google

semper (*Joan.* VIII), non ait : *Serviam ei semper.* Quia enim Filius, qui, quod est, ex Patre est, justum quidem est, ut in omnibus et voluntatem Patris faciat, et Patri tanquam suo principio deferat. Quia vero et Filius consubstantialis est, debito servitutis non tenetur, maxime nunc sacco servitutis ejus conscisso, et lætitia jucunditatis a Patre circumdatus, ut gloria ejus eidem Patri cantet in æternum. Quid est gloriam ejus Patri cantare, nisi tam gloriosum et inclytum habere Filium, æternam Patris gloriam existere? Si enim *gloria patris*, ut ait Salomon, *filius sapiens* (*Prov.* XV) est, quanto excellentior est gloria Patris Dei habere Filium, qui ipsa Dei sapientia, et Dei virtus sit?

Quod si dicitis : Quoniam et cum resurrexisset a mortuis, adhuc Patrem *Deum suum* appellaverit, de quo Augustinus : « Sub quo et ego homo sum, » perpendat prudentia vestra, quando hoc dixerit, adhuc videlicet ad Patrem ascensurus, quando videlicet talem se discipulis exhibuit foris, qualis apud eos erat intus. Jam enim sibi apud Patrem erat, pascha videlicet peracto, quo transierat ex hoc mundo ad Patrem, sed discipulos paulatim, et non saltu quodam subito eodem provocare habebat, videlicet sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans. Itaque non se subito ab eis abrupit, ut diceret : *Ascendo ad Patrem meum, Deum vestrum* (*Joan.* XX.) Sed : *Ascendo*, inquit, *ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum*, mediatorem videlicet se exhibens, parvaque inter se et nos distinctione facta secum nos trahere gestiens, quemadmodum et ipsa ejus resurrectio non subito, sed paulatim, et per incrementa discipulis manifestata est. At nos partem eloquiorum cœlestium non sic aspicere oportet, ut ea, quæ alias æque manifeste de æqualitatis ejus consessu, de claritate sibi postulata, quam habebat, antequam mundus fieret, de omni potestate sibi tradita inveniuntur dicta, negligamus. Simul ea legamus, et simul teneamus. Homo enim adhuc sub Deo genere naturæ non generis conditione servili est, sed idem ipse Filius cum Patre nativitatis natura et naturæ nostræ privilegio singularis celsitudinis est. Nec puto Augustinum inter hominem et Deum dividere, cum dicat ipse in libro primo de Trinitate, hominem illum sine Deo intelligi non posse, eo quod unus sit ipse homo qui et Deus, sed eum, quem nunc diximus, sensum exprimere voluisse. Simul cum animal illud quatuor facierum sit homo et vitulus sub Deo, leo et aquila cum Deo est, et ita stabit apud nos etiam nunc inconvulsus ille fidei articulus sive hoc, sive illo modo : *Æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem*, salvo utriusque naturæ uno dominio, in quo nulla, ut credimus, divisio est.

Veneramur sane assertiones Patrum dicentium : « Sed neque Deum aut Dominum Christi Verbum Dei Patris asserimus, ne iterum manifestius in duos dividamus unum Christum filium et Dominum. » Et post pauca : « Nullatenus, aiunt, ignoramus quod manens Deus, homo quoque factus sit, qui sub Deo juxta debitam legem naturæ humanitatis existeret : Ipse vero sibi quomodo vel Deus poterit esse vel Dominus? Ergo sicut homo, quantum decenter exinanitionis mensuræ congruit, sub Deo se nobiscum esse disseruit, quomodo etiam sub lege factus est, quamvis ipse promulgaverit legem, et legislator ut Deus exstiterit. » Hæc Patrum dicta vos, reverendissime domine, satis caute scripto vestro inseruistis, et in his fortiter animadvertistis, quod manens Deus homo quoque factus sit, qui sub Deo existeret, et sub Deo se nobiscum esse disseruit, ubi Patrem suum dixit esse Deum suum. Vellemus autem et hoc vos attentius perpendisse, vel adhuc perpendere, quod non alio modo sub Deo juxta debitam legem naturæ humanitatis exstitisse asseritur, quam eo modo, quo etiam sub lege factus est, quamvis ipse promulgaverit legem, et legislator ut Deus exstiterit, sub qua nimirum sicut homo fuit non utcunque, sed *quantum decenter exinanitionis mensuræ congruebat.* Mensura vero illius exinanitionis terminum tunc habuit, quando assumptus homo in gloriam suam divinam intravit, in qua licet genere naturæ humanæ sub Deo sit, quæ suæ humanitatis Creatorem agnoscit, non tamen servili conditione, ut angeli et homines beati, subest illi, sed conregnat, ei condominatur et, data sibi omni potestate in cœlo et in terra. Data, inquam, sibi non in divinitate, in qua semper habuit hanc potestatem, qua Omnipotens erat cum Patre, sed in humanitatis natura, in qua claritatem factus homo accepit, quam habuit, priusquam mundus fieret apud Deum Patrem.

Perpendat quoque adhuc attentius prudentia vestra, si placet, apud Nestorium Christum non fuisse nomen hominis Dei, sed nomen puri hominis, in quo Deus tanquam in templo suo habitaverit, et cujus Verbum inhabitans Dominum dixit, unde et beatam Mariam non *Theotochon*, sed *Christotochon* dici voluit ; ne idem Nestorius, ut vobis visum est, Verbum Dominum Christi, id est Dei et hominis faceret. Patribus vero concilii, apud quos constabat Verbum Christum, et Christum Verbum esse, ineptum atque impium visum est, eumdem sibi servum et dominum dicere. Sicut verbi gratia ineptum esset in me rationale, quod ego sum sensibilis, quod est in me quodque [*ita vitiose* cod.], item ego sum Dominum dicere, hoc enim esset me in duos dividere, sicut ille quoque Christum in duos divisit. Sciebant vero iidem Patres, quod Christus Patrem suum etiam Deum suum dixerit, cum tamen Verbum Deus carni unitum Deus omnium et Dominator universitatis sit. Quod etiam sic dicunt. Quamvis enim Deum suum Patrem dixerit, cum sit Deus etiam ipse natura et de illius essentia, tamen nullatenus ignoramus quod manens Deus homo quoque factus sit, qui sub Deo juxta debitam legem naturæ humanitatis existeret. In quibus verbis apparet eos

Digitized by Google

Deum sub Deo, id est Filium in eo, quod homo est, sub Deo Patre debita naturæ lege humanitatis recognoscere, non autem sentire, vel dicere quod Verbum Deus homini Deo Deus sit, cum potius ipsum sit homo, quam ut homini Deus sit. Hunc etenim sensum potius exsecrantur dicentes : « Ipse vero sibi quomodo vel Deus poterit esse vel Dominus? » At vos, Domine mi, in subsequentibus Epistolæ vestræ dicitis : « Gigas ille geminæ substantiæ est, altitudine divinitatis tantum excedens hominem assumptum, ut Deus et Dominus ejus sit. » Quæ verba, quantum ad faciem dictorum, vel sensum, qui ex eis prima facie concipitur, parum aut nihil distare videntur ab his dictis vel sensu, quem Patres exsecrantur. Quid enim aliud est altitudo divinitatis in illo gigante geminæ substantiæ, nisi Verbum Dei Deus homo et ipsum in homine? Dicere autem Christum in eo quod Deus Verbum est, sibi homini Dominum, perpendat prudentia vestra, an a Patribus prohibitum non sit.

Enim vero nec totam Trinitatem hominis assumpti Deum vel Dominum dici debere ratio sinit. Sic enim etiam ipse sibi Deus et Dominus fieret, cum homo Verbum unus ex tribus sit. At nos hunc sensum a vestro corde credimus alienum, ac proinde, si placet discretioni vestræ oportere cautionem adhiberi, ne in dictis vestris valeat id concipi, quod, ut credimus, non sentitis.

Hoc vestræ sublimitati, domine mi, fiducialius scripsi credulitatis meæ simplicitatem vobis pandendo, sperans me in his una vobiscum et cum universitate Ecclesiæ colligere, et vobiscum id ipsum sapere, excepto, quod servitutis nodum vel nomen nunc in Domino meo Jesu Christo non libenter admitto. Nam quod latriam ipse vel in eo, quod homo est, Patri deferat, tam longe a vestro quam a meo sensu alienum confido, eo quod ab omnium fidelium sensu debeat esse alienum. Quod si hæc nostra sensa vestræ sanctitati complacent, date aliqua signa erga nos pacis et clementiæ. Simul perpendat prudentia vestra, non satis esse ad conterendum caput vituli Nestorianæ hæreseos duas in Christo personas non dicere, cum et hoc multi alii ante ipsum et post ipsum non dicerent, tamen in hoc parvitatis illius consortes, quod hominem illum non substantive Deum, sed per inhabitationem tantum Dei Deum esse dicebant. Unde magnificentia vestra convertat gladium vestrum in locum suum, convertat ad eos, qui dicunt hominem illum non natura sed habitu Deum existere, et similiter Deum non natura sed habitu dici et esse hominem, qui dicere non dubitant nihil assumptum esse Deum; qui dicunt hominem illum non esse latria sed dulia venerandum, et eo non contineri dilectionem, quæ in eum habenda est, mandato, quo præcipimur Deum toto corde, tota anima, et tota mente diligere, sed potius illo quo proximum sicut nos ipsos diligere jubemur. Parcat gladius vester civibus, et comprovincialibus, atque in adversarios convertatur. Nos enim sumus et semper esse cupimus cives atque domestici Dei simul et vestri, habentes nimirum una vobiscum grandem fiduciam in illa interpellatione Christi, quam licet vos interpretemini esse quamdam servitutem ejus, nobis magis complacet approbare ac tenere sensum beati Gregorii qui in Moralibus libro vigesimo secundo exponens illud Apostoli : *Christus Jesus, qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis*, (*Rom.* VIII), ait : *Unigenito enim Filio pro homine interpellare est apud coæternum Patrem se ipsum hominem demonstrare : eique pro humana natura rogasse, est eamdem naturam in divinitatis suæ celsitudinem suscepisse. Interpellat igitur pro nobis Dominus non voce, sed miseratione, quia quod damnari in electis noluit, suscipiendo liberavit.*

EPISTOLA XVI.

Responsio Eberhardi ad antecedentem epistolam. — Probat, Christum qua hominem creaturam et servam esse etiam post ascensionem in cœlum. — Quæ sit mensura eximanitionis in Christo, etc.

E. Dei gratia Babenbergensis Ecclesiæ vocatus episcopus, domino G. præposito de Richersperge, recte offerre et recte dividere.

Litteras vestras nobis directas, ubi accepimus, in continenti nec perspicere, nec advertere poteramus utpote solliciti et turbati erga plurima. Postmodum autem consideratione habita cum in eis plus cavillationis, quam rationis invenerimus, et quamvis assertio veritatis inter nos et vos prioribus litteris satis declarata sit, pauca tamen superaddere curavimus propter improbitatem ad abolendum penitus, si quid adhuc nebulæ superest, ipso auctore, qui de tenebris jussit splendescere lumen. De verbo quidem ad verbum respondere propter prolixitatem et superfluitatem incongruum duximus, sed ad ea tantum, quæ magis animum pulsare videntur, quatenus ex quibusdam dictis alia non dicta intelligantur.

Miramur, sed nec satis admirari possumus super doctrina, et responsis vestris, quod toties dicta vestra variatis, et quasi fluctuando eadem modo negatis, modo conceditis. Insuper quasi non legeritis, aut non intellexeritis litteras nostras, non respondetis ad objecta vobis, sed alia quædam longe aliena a verbis et a sensu nostro proponitis, et impugnatis aerem quasi verberando. Et quidem modo formam servilem, modo formæ servilis essentiam in Christo post resurrectionem et ascensionem remansisse dicitis, modo dicitis de Christo, quod in æternum Patrem recognoscet Deum suum, modo id ipsum denegare videmini, ubi dicitis : « Perpendat prudentia vestra, quando hoc dixerit : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum :* Adhuc videlicet ascensurus ad Patrem, quando talem se exhibuit discipulis foris, qualis apud eos erat intus. » Item alibi dicitis : « Enimvero nec totam trinitatem hominis assum-

Digitized by Google

pti Deum vel Dominum dici debere ratio sinit. » Qualiter hæc scripta vestra inter se conveniant, vos videritis. Nobis videtur, quia *est et non* in sermone vestro est, et non solum in his, sed et in aliis quam plurimis. Propheticas scripturas et alias, quæ de humanitate et humilitate Christi sunt, illi tantum tempori adaptatis, quod fuit ante resurrectionem Christi. Atqui non solum ante resurrectionem, sed et post resurrectionem hoc, quod sequitur, Christo convenire testatur Ambrosius de Trinitate, et quem pro vobis esse putatis, contra vos est ita exponens : « De ventre matris meæ Deus meus es tu (*Psal.* XXI). » Cum dicit : « De ventre matris meæ Deus meus es tu, ex illo Deum sibi esse signat, ex quo de ventre matris jactatus est. » Si ergo ex tunc semper Deus ejus est sine præscriptione temporis, debet ei semper, quod Deo suo, et quod creatura Creatori suo.

Et ne hoc nomen *creatura* vos scandalizet in Christo, secundum quod homo est, attendite post illam auctoritatem, quam vos introducitis de Ambrosio ad probandum, quod Christus creatura dicendus non sit, attendite, inquam, quid in consequentibus dicat Ambrosius : « Imperiti, inquit, legant totum, et intelligant. » Et addit : « Discant, quemadmodum dictum sit : Dominus creavit me. Non dixit : Pater creavit me, sed Dominus creavit me. Caro Dominum agnoscit, gloria Patrem signat, creatura nostra Dominum confitetur, charitas Patrem novit. » Præcedentia vero ejusdem capituli, quibus Ambrosius probat non esse creaturam filium Dei, et Christum non vocandum esse creaturam, huic loco non sunt contraria. Ibi etenim tantum de divina natura agitur contra Arianos, asserentes Filium Dei secundum Divinitatem creaturam esse, hic vero agitur de humana. Longe quippe aliud est : *Ex utero ante luciferum genui te* (*Psal.* CXIX). Et aliud : « Dominus creavit, » vel « possedit me initium viarum suarum. » Itemque : *De ventre matris meæ Deus meus es tu.* Quarum utriusque naturæ differentiam in eodem contextu sic idem exprimit Ambrosius : « Videmus magnam inter creaturam et Dominum esse distantiam : quia servitus creatura est, Dominus autem spiritus est : ubi autem spiritus Domini ibi libertas. » Huic et Augustinus concinit super : *Non turbetur cor vestrum* (*I Joan.* XIV), hoc modo argumentando contra Arianos : « Si creatus est, utique et servus est, quia omne quod creatum est necesse est ut creatori deserviat. » Et ipse quidem indirecta ratiocinatione usus est ad probandum Filium Dei, secundum quod Deus est, non esse creaturam. Nos eamdem ratiocinationem directe ad propositum nostrum utentes similiter dicimus : Si Filius hominis creatus est, utique et servus est; sed creatus est, ut in Isaia legitur : *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum*, etc. (*Isa.* XLV.) Et post pauca : *Ego Dominus creavi eum* (*ibid*). Consequenter igitur et servus est, et necesse est ut deserviat suo modo sicut creatura Creatori suo. Hæc, si placet, auctoritatis verba et rationes patienter accipite, et ab his saltem non abhorreatis, si nos et nostra despectui habetis. Hæc enim vestigia humiliter sequentes de Christo dicimus ea, quæ vos improbatis, scilicet quod Christus, secundum id quod Deus est, creator est, et secundum hoc, quod de muliere factus est, creatura est, et cætera evidenti rationis necessitate his cohærentia.

At ne illud forte remordeat, quod dictum est : *Prædicate Evangelium omni creaturæ* (*Marc.* XVI). Et : « Vanitati creatura subjecta est, non volens, » quasi et Christo Evangelium prædicandum fuerit, et Christus vanitati subjectus sit : de priori quidem ad Gregorium sine verecundia confugimus dicentem post alia : « Omni creaturæ prædicatur Evangelium, cum soli homini prædicatur, » Quod si quis acrius insistens dicat, quia Christus homo est, sibi quoque Evangelium mandasse prædicandum, viderit talem esse modum loquendi, qualis est hic : *Christus pro omnibus gustavit mortem* (*Hebr.* II). Nunquid ergo et pro se? Absit. Quia pontifex iste non habuit necessitatem offerre prius pro sua, deinde pro populi ignorantia. Similis modus locutionis est : *Deus creavit omnia* (*Ephes.* III), et : *Cœlum tegit omnia*, nec tamen vel Deus se creavit, vel cœlum se tegit. De reliquo, quod præmissum est : *Vanitati creatura subjecta est non volens*, ne forte et Christum, secundum quod creatura est, vanitati subjectum esse concedi oporteat, ita respondemus : Quia subjici vanitati illi proprie creaturæ convenit, quæ ingemiscit, et parturit usque adhuc, et universaliter omni quod sub sole est. Christus autem, et secundum hoc quod homo est, non sub sole est, sed super solem est, et super omnem creaturam, quamvis et ipse in sole posuit tabernaculum suum, et portaverit nobiscum pondus diei et æstus permanens ipse sol justitiæ, cum sole et ante lunam in generationes generationum in gloria Patris, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Sed et angelici spiritus et animæ justorum per gratiam Dei jam sub hac vanitate non sunt.

Proinde cum dicitis : « Christus, in eo quod est homo, communis creaturæ vocabulo non censetur, » volumus in Christo sane vos intelligere, ne forte sentiatis, sicut quidam hæretici corpus Christi non de nostra communi materia factum; quod absit! ut credamus de vobis. Id namque non solum Ambrosio contrarium, qui ait in præmissis, quod nostra creatura est, sed Augustino dicenti, quia « pulvis noster jam incorruptibilis factus sedet ad dexteram Patris. » Item Beda : « Ut corpus quod de communi humani generis terra nascendo susceperat, resurgendo jam super terrena omnia sublevatum cœlesti virtute indueret. » Boetius quoque de natura et persona contra Nestorium et Eutychen validissime hoc ipsum impugnat, probans secundum præmissum errorem hæreticorum falsas esse omnes prophetias, et irritas omnes promissiones Patribus

Digitized by Google

factas, specialiter Abrahæ, et semini ejus. Si vero hoc dicere intenditis, quod Gregorius ait, corpus Christi post resurrectionem ejusdem quidem esse naturæ, sed alterius gloriæ : sensus quidem sanus est, sed aliis verbis, quam a vobis posita sint, explanandus fuerat.

In illa vero auctoritate Ambrosii, quam induxistis his verbis : « Probemus Christum creaturam non esse, » non agitur de humana natura, sed de divina contra perfidiam Arianorum, qui Filium Dei secundum Divinitatem creaturam esse asserebant.

De dulia et latria satis dilatatis phylacteria, et magnificatis fimbrias dicendo : Dulcus est, et latreus non est, et hujusmodi. Sed quia minus authenticum est, quod a Græcis vos accepisse dicitis, licet magna sit vestræ religionis auctoritas, eadem facilitate contemnitur quam probatur : et idcirco ea velut obelo digna silentio interim præterimus, his contenti esse volentes quæ a sanctis Patribus nobis tradita sunt.

Hoc autem silere non possumus, quod viris scholasticis circa hoc versando derogatis, et subsannatis, aliter quam vestram deceat religionem et prudentiam. Imperitis enim id moris est, ut aliis derogando suam quantulamcunque aut venditent scientiam, aut tegant, seu potius detegant imperitiam. Eorum autem, quos sale hujusmodi respergitis, quidam adhuc in carne superstites, cum ætatem habeant, ipsi pro se loquantur, et loquentur, ni fallimur, quorum ignorantiæ tanto facilius venia præstatur, quanto ipsi se promptiores exhibuerunt ad correctionem. Erroris etenim causa deterior fit, dum tegitur. Sed si Græcia secunda apud vos est, minus apparet, ni forsitan aut præmature de schola Græca exieritis, aut tarde nimis accesseritis. Aut quomodo factum est, ut illud vinum bonum servaretur usque adhuc, et non primo etiam allatum sit vobis velut architriclino, ut differentiam naturæ atque personæ, id est oyciac [οὐσίας], atque γποctacuoc [ὑποστάσεως] cognoscerit is? Quod nimirum cognitu permaxime necessarium est. Sed ad hanc notitiam propriis descriptionibus, et vocabulorum subdivisionibus pervenitur, quibus magis Græci quam Latini abundant. Hic tamen in tenebris nemo ita ambulet, ut in simplici Divinitatis essentia aliquam æstimet per hoc diversitatem, cum idem sit Deus et Deitas, sapiens et sapientia, omnipotens et omnipotentia, quia quæ de rebus prædicantur, talia sunt, qualia subjecta permiserint. Et per omnia idem est Deo esse quod hoc esse, quæ altioris sunt propositi.

Si vero hæc, quæ præsentis sunt negotii, id est, naturæ ac personæ differentiam diligentius considerare velletis, profecto in scriptis vestris nulla erroris nebula quemlibet involveret, ubi de Christi persona agitis in duabus, et ex duabus constante naturis. Sed hoc in dictis vestris et vobis et aliis impedimento est, quod non discernitis, quid sequendum, quid dicendum vel accipiendum sit. Nam interdum cum de his agitur quæ secundum unitatem personæ conveniunt, naturam obtruditis, et e converso cum de naturæ diversitate agitur, ad personam transilitis, et juxta hoc et nobis injuriam facitis ea nobis imponendo, quæ nec dicimus, nec sentimus, ut in eo, quod de gigante gemiæ substantiæ diximus, et de concilio Ephesino. Etenim ubi dictum est quod hominem assumptum altitudine Divinitatis tantum excedat ut Deus et Dominus ejus sit, per ejus non ad personam, sed ad naturam fit relatio : non quod extra eum sit Deus, sed ipse sibi quomodo vel Deus erit vel Dominus, secundum unitatem personæ dictum est, non secundum diversitatem naturæ, quæ aperte ostenditur, ubi dicitur : « Qui sub Deo juxta debitam legem naturæ humanitatis existeret. » Sicut et ibi præmissum est : « Manens Deus, homo quoque factus est. » Sic ergo nobiscum sub Deo, quantum ad naturæ nostræ participationem. Hoc etiam : *Quomodo sub lege factus est*, hic potius ad Apostolum, quam ad vestram doctrinam recurrere volumus. Dicit enim : *Factum est muliere, factum sub lege* (*Gal.* IV). Ubi profecto mensura exinanitionis exprimitur, quod et naturam nostram suscepit, et naturæ miseriam, quantum ad pœnam, non quantum ad culpam. Et secundum hanc miseriæ nostræ susceptionem sub *lege factus* est ipse legislator, quando legem adimplevit, cum legi nihil deseret, voluntate tamen, non necessitate. Hæc est mensura illa exinanitionis, et legalis subjectionis modus, qui decebat Filium Dei, sicut ipse ait Joanni : *Sic enim decet nos adimplere omnem justitiam* (*Matth.* III). Apte itaque ab eo, quod Dominus dixit : *Decet*, Patres concilii subdiderunt : *Decenter*, ita dicentes : « Quantum decenter exinanitionis mensuræ congruit. »

Hac diversitate naturæ in unitate personæ conservata secundum auctoritatem concilii homo sub Deo etiam nunc est, nec ipse tamen sibi vel Deus, vel Dominus est, sicut sentit Nestorius, tam in re errans quam in nomine, purum videlicet hominem secundum se natum de Maria virgine Christum appellans, et Jesum Christum Dominum nostrum unum Filium et Dominum, qui secundum veritatem fidei unus est personaliter, in duos divisit, *Dominum* videlicet et *servum*, quasi unus duo essent, alius Deus et alius homo, quem sequi hoc esset sacrilegii crimen incidere, quia nec Deus sine homine, nec homo sine Deo in persona Christi potest vel debet accipi, quod in quolibet homine persimile videri potest. Nullus hominum in duos potest dividi, sed ea quæ sunt in homine, ex quibus constat homo, intellectu potius quam actu dividuntur, ita ut anima, dum est in corpore, corpori dominetur, nimirum rationabile, quod vos estis, sicut in litteris vestris est, Dominus non est sensibilis ejus, quod in vobis est, et quod vos estis. Verumtamen si ratio sensualitati non dominatur in vobis, videte, patremfamilias domus vestræ habeatis. Cum autem aliud ratio, et aliud sensualitas sit, unus est tamen homo, vel anima rationalis ex uno sensibilis sive sensualis ex altero.

Digitized by Google

Unde quidam ait : « Animum rege, qui ni paret, imperat : hunc frenis, hunc tu compesce catenis. » Liceat et hic aurum de luto extrahere.

De verbis concilii sentimus, sicut prædiximus, doctoribus non præjudicantes, vestra tamen non per omnia recipientes, quæ de mensura exinanitionis dicitis, ubi mensuram et modum et terminum a sanctis Patribus præscriptum, in quibusdam ibi dictis exceditis, ut in his verbis vestris apparet : « Mensura exinanitionis terminum tunc habuit, quando assumptus homo in gloriam suam divinam intravit. » Quasi tunc omnis mensura exinanitionis terminum acceperit. Quod si esset, jam Deus homo non esset. Doceat vos quæ recta sunt, ea quæ doctrix est omnium, sapientia. Perfectus autem Deus, perfectus homo unus est Christus salva per omnia utriusque proprietate naturæ, ut non magis Nestorii quam Eutychis errorem devitemus, quorum alter, id est Nestorius, ut sæpe jam dictum est, sicut duæ sunt naturæ in Christo, ita duas personas, Dei et hominis esse impie credidit ; alter vero, id est Eutyches, sicut una est persona, ita unam naturam ex duabus confusam falso reputavit, dicens personam Christi ex duabus, non in duabus constare naturis. Sed inter hæc devia medio loco est via, quæ est Christus in unitate personæ ex duabus et in duabus constans naturis simpliciter, incomposite et ineffabiliter. Hac itaque discretione habita inter naturam et personam nullum, adjuvante Deo, incurremus periculum in eo, qui est lapis offensionis, et petra scandali secundum doctrinam beati Augustini, sic dicentis in supradicto sermone : « Non turbetur cor vestrum. Hæc est forma servi, in qua Dei Filius minor est non Patre solo, sed et Spiritu sancto : neque id tantum, sed etiam seipso. » Qua ipsa discretione duplicis in Christo naturæ non pluralitatem deorum inducimus, sicut vos per colorem occupationis, quo nimium abundatis, satis inciviliter, ne dicamus hostiliter, nobis imponitis : neque sejunctim, quantum ad personam, Deum et hominem ab invicem dividimus ; nec coadorandum hominem Deo tanquam diversum in persona dicimus, sicut in concilio Ephesino scimus prohibitum, quia *con* syllaba diversitatem subinnuit, sed coadoratur, et conglorificatur, sicut et conregnat Deo Patri in unitate personæ, quæ Filius est, unus et idem Dominus noster Jesus Christus indivisum et perpetuum habens dominium. Nec enim admittendum quod propter assumptam humanitatem Trinitas aucta supercreverit, ut quatrinitas fieret, dum, ut Boetius ait, homo additur supra perfectum Deum, sed unam eamdemque personam numerum Trinitatis explere pie credendum est. Dum enim hominem ineffabiliter Deus induit assumendo naturam, nec personam mutavit, nec Trinitatem adauxit.

Sed neque hoc aliquando diximus, quod una persona in Trinitate duabus deserviat, sed potius totæ tres personæ coæternæ sibi sunt et coæquales, humana tamen natura non abolita vel pereunte, sed in ordine suæ subjectionis juxta debitam legem naturæ humanitatis perseverante. Atque hoc modo, sicut æqualis Patri secundum divinitatem est Filius : ita non solum fuit, sed etiam et erit semper ab incarnatione minor Patre secundum humanitatem. Qui aliter crediderit, vel docuerit, apud eum inconvulsus non constabit catholicæ fidei articulus. Ne ergo dixeritis amodo, frater reverendissime, sub ambiguitate hoc vel illo modo, sed simpliciter eo modo, quo tenet catholica Ecclesia : « Æqualis Patri secundum Divinitatem, minor Patre secundum humanitatem, » ut dicit Augustinus de Trinitate libro primo, capite undecimo : « Cognita regula intelligendarum Scripturarum de Filio Dei, ut distinguamus, quid in eis sonet secundum formam Dei in qua est, et æqualis est Patri ; quid secundum formam servi, quam accepit, in qua minor est Patre, non conturbabimur tanquam contrariis ac repugnantibus inter se sanctorum librorum sententiis. Nam secundum formam Dei æqualis est Patri et Filius et Spiritus sanctus, quia neuter eorum creatura est, sicut jam ostendimus : secundum formam autem servi minor est Patre, quia ipse dixit : Pater major me est. Minor est se ipso, quia se ipsum exinanivit. » Quid ultra nobis et vobis? Hanc regulam servate, et omnia salva erunt.

Quod vero subinfertis : « Salvo utriusque naturæ indiviso dominio, » amphibologicum est, et audientium sive legentium animos magis dubios reddit. Cum vel hoc videatur exinde posse intelligi, quod utraque natura, divina et humana, æque digna sit, quod credere infidelitatis est. Vel quod persona Christi indivisibiliter ex duabus, et in duabus constans naturis unus sit Deus, unus sit Dominus, quod pietatis et fidei catholicæ sacramentum est. Characterem ergo fidei catholicæ tota devotione veneramur et amplectimur, sensum vero huic contrarium detestamur. De cætero monemus charitatem vestram, ut si nobis vel aliis parcere non vultis, saltem beato Augustino parcatis, cujus retractationibus aliam superinducitis retractationem de eo quod in persona Christi dixit : « Sub quo et ego homo sum, » quasi dicere debuerit : « Sub quo et ego homo fui. » Et cum dixit : « Cui in forma servi etiam Dominus est Pater, » quasi præsens pro præterito posuit. Hæc tantum arrogetis vobis, ut Hilarium, Ambrosium, Gregorium, Hieronymum, Bedam, et alios sanctos Patres in his quæ similiter ab eis dicta sunt, uno et eodem modo corrigere debeatis, quasi amplius vobis, quam omnibus illis revelatum sit. Reverendis denique Patribus Ephesini concilii non præjudicetis, quasi noluerint, aut nescierint dicere : *quandiu*, pro *quomodo*, ubi dixerunt : *Quomodo sub lege factus est*, quod vel invidia esset, vel supina ignorantia. Esto, utut vobis liceat sanctorum Patrum scripta corrigere, et ambigue dicta ad sensum vestrum accommodare, quid dicetis ad hæc, quæ Augustinus in libro Sententia-

Digitized by Google

rem Prosperi dilucide scribit ita dicens : « Non mirum est dicere Apostolum etiam in futuro sæculo Patri Filium subjectum futurum, ubi ait : Tunc et ipse subjectus erit illi, qui ei subjecit omnia, quando Filio forma humana mansura est, qua semper major est Pater? » Liceat ergo nobis cum Augustino credere et confiteri, quod et ipsa Veritas per se dixit : *Quia Pater major me est* (*Joan.* XIV).

Magis autem movet nos, quod Evangelii et ipsius Domini verba invertitis, quasi veritas in corde et corde locuta sit dicendo Patrem Deum suum, cum non esset Deus suus post resurrectionem secundum vos, tanquam aut humanitas in Christo abolita sit, aut in Patre potentia Divinitatis immunita. Quomodo ergo diceret Veritas : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum?* (*Ibid.*, XX.) Ad hæc enim vobis objecta nobis respondendo hæc verba intulistis : « Perpendat prudentia vestra, quando hæc dixerit, adhuc videlicet ad Patrem ascensurus, quando videlicet talem se discipulis exhibuit foris, qualis apud eos erat intus. » Et post pauca : « Itaque non se subito ab eis abrupit, ut diceret : Ascendo ad Patrem meum, Deum vestrum, sed : Ascendo, inquit, ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum. »

His dictis cum de consessu æqualitatis, et de claritate a Patre postulata, et omni potestate donata subnectitis, id probare nitimini, [ut] videtur, quod post resurrectionem et ascensionem Pater non fuerit Deus assumpti hominis, sed ante, cum ipse Christus ageret causam assumpti hominis dicens : *Eloy, eloy*, etc. Ad hoc primo dicimus, quod Dominus noster Jesus Christus post resurrectionem quidem *finxit se longius ire*, ita ut *fingere* pro *componere* accipiamus, et visus est discipulis in via effigie talem se utique exhibendo foris, qualis apud eos erat intus. Sed quod ita in re non fuerit, quemadmodum in sermone dixit : « Deum meum et Deum vestrum, » credat Judæus Apella. Supra enim contra hoc satis dictum est. Et quidem audistis, et satis intelligere potuistis, cum Isaias legeretur : *Ego Dominus creavi eum*, et : *de ventre matris meæ Deus meus es tu* (*Isa.* XLIX), qualiter Ambrosius prosecutus sit. Audite et hoc : « Sapientia ædificavit sibi domum, etc. Et nisi puer, qui natus est nobis, a Deo creatus fuisset, nos recreati non essemus, neque renati fuissemus, nisi ipse de matre natus fuisset. Et tamen omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I) : quia hic est verbum caro factum. Proinde in eo, quod ultimo vel quasi penultimo loco litterarum vestrarum subjungitis, chaos magnum inter nos et vos firmatum est. Nimirum hic series verborum vestrorum est : « Enimvero nec totam Trinitatem hominis assumpti Deum vel Dominum dici debere ratio sinit, » subjuncta ratione secundum vos, quæ ratio non est, videlicet hac : « Sic enim etiam ipse sibi Deus et Dominus fuerit. » Cum autem incarnationem Christi tota Trinitas operata sit, cujus opera inseparabilia sunt, patet quia tota Trinitas Deus et Dominus ejus est, quod creavit, licet a solo Verbo in ipsa creatione assumptum sit. Nec tamen ideo ipse sibi Deus vel Dominus fiet, quia in prioribus de natura assumpta agitur, hic autem de persona, quæ in duas dividi non potest, ut in superioribus satis explanatum credimus. Hæc diutius ventilare, hoc est palpare tenebras in meridie, et, ut vulgo dici solet, nodum in scirpo quærere. Hic autem præmissus litterarum vestrarum finis, cui tam Veteris quàm Novi Testamenti contradicit auctoritas, multum a suo discordat principio, ubi dicitis : « In æternum recognoscet eum Deum suum. »

Ut ergo finem loquendi omnes audiamus, ait Christus in Propheta : *Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi* (*Isa.* XII). Quod idcirco ad memoriam revocamus, quia prætermissum est a vobis, sed quo animo ignoramus, cum illud, quod præcedit, exponeretis sic : *Ut cantet tibi gloria mea* (*Psal.* XXIX). Non quod homo assumptus cantaret canticum illud Deo, sed quod illa gloria hominis assumpti cantaret, hoc est : Canticum esset Deo sacco mortalitatis jam concisso juxta illud : *Gloria Patris est Filius sapiens.* Sed quid sequitur? *Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi* (*Isai.* XII). Quod Augustinus exponit : « In æternum laudabo te. » Hujus laudis ineffabile melos, hanc supercœlestem harmoniam, quæ omnem sensum angelorum et hominum exsuperat, destruere, non est aliud quam ipsum Deum denegare, et terram cœlo coæquando, omnem compagem corporis Christi destruere. Hanc beatissimam humanæ naturæ servitutem, quæ vere libertas est (ubi enim spiritus Domini, ibi libertas) Christo attribuimus nos, et non aliam, imo non nos, sed Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Gregorius, et cæteri sancti Patres, et tota Novi ac Veteris Testamenti auctoritas. Sicut beatus Ambrosius breviter explanat auctoritatem Prophetæ introducens et exponens : « Evertisti testamentum servi tui, etc. : In quo utique servum dixit nisi in carne? » Et post pauca : « Mea ergo susceptione servus, sua Dominus potestate est. » Si ergo caro permanet, permanent et jura carnis divinæ majestati debita. Ne autem ansas calumniæ quæritando habeatis in verbo, quod *servitus* dicitur, non est hæc servitus illa, quæ secundum primam vocis originem ab hostibus capti a *servando servi* dicti sunt, qui vel timore pœnali, vel etiam ad oculum serviunt, et unde multiplices personarum et rerum servitutes exortæ sunt. Sed nec illa servitus, quæ passione crucis et morte consummata est, ubi pertransiens ministrabat etiam nobis, sed potius illa præclara, et gloriosa, et quoquam finem habitura subjectio, quam et Apostolus signanter exprimit, et Augustinus eleganter exponit in libro contra Maximum, ubi dictum est : « Tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui illi subjecit omnia. » Nam de Spiritu sancto, qui nullam suscepit creaturam ad unitatem personæ suæ, quamvis se

Digitized by Google

per subjectam creaturam visibiliter et ipse sive per columbæ speciem, sive per linguas igneas sit demonstrare dignatus, nunquam dictus est Spiritus sanctus adorasse Patrem, nunquam minor dictus est Patre. Ad horam quippe apparuerunt illa. Christus autem, qui humanam non ad horam sumpsit effigiem, in qua hominibus appareret, ac deinde species illa præteriret, sed unitatem personæ suæ manentem invisibili Dei forma accepit visibilis hominis formam, et non solum natus est in ea de homine matre, verum etiam crevit in ea, et manducavit et bibit, et dormivit in ea, et occisus est in ea, et resurrexit in ea, et ascendit in cœlum, et sedet ad dexteram Patris in ea, et ad judicandos vivos et mortuos venturus est in ea, et in regno suo ei, qui illi subjecit omnia, erit subjectus in ea.

Cui subjectioni clarificatio ejusdem naturæ non præjudicat sic actu completa suo tempore, sicut ab æterno fuit in prædestinatione. Unde inter alia plurima de clarificatione dicta sic ait beatus Augustinus super Joannem : « Quidam putaverunt sic intelligendum, tanquam natura humana, quæ suscepta est a Verbo, converteretur in Verbum et homo mutaretur in Deum : imo si diligentius, quod opinati sunt, cogitemus, homo periret in Deo. Non enim quisquam existimatione hominis, vel duplicari Dei verbum dictus est vel augeri, ut aut duo sint, quod unum fuit, aut amplius sit, quod minus fuit. » Ubi tanta est auctoritatis evidentia, quare appenditis argentum vestrum non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate?

In fine litterarum vestrarum ad principium quæstionis recurritis dicendo, tam a nostro, quam a vestro, et omnium fidelium sensu alienum, quod assumptus homo latriam Deo exhibeat, ut admiratione nominis, hoc loco inusitati, horrore quodam veluti larva parvulos sensu peterreatis, et errare faciatis eos in invio, et non in via, et tam certas, et tam evidentes, ut præmissæ sunt, non sequantur auctoritates. Scimus quod flexo poplite Christus non adorat Deum, neque dicitur ei : *Veni, et veni :* neque ut servo . *Fac hoc, et facit* (*Matth.* VIII). Verumtamen secundum quid, hoc est, quæ sunt Dei, redde Deo. Quia sicut ait beatus Augustinus in libro de Trinitate : « Sicut Pater ad Filium dicitur relative, ita et Dominus ad servientem creaturam. » Illud divini mysterii secretum humani eloquii excedit facultatem. Verius enim cogitatur quam dicitur, et verius est quam cogitatur. Nunc clamamus ad Dominum : *Abba Pater* (*Rom.* VIII). Ibi linguæ cessabunt, et tamen omnis lingua confitebitur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Instantis est temporis ad cultum Dei ab hominum reverentia distinguendus uti hac vocabulorum differentia dulia et latria. Sed ibi non solum in capite nostro, quod est Christus, verum etiam in membris ejus longe aliter se res habet, et habitura est.

Hæc pie considerantes viri doctissimi et egregii aliorum doctores ad inquisitionem veritatis, quoad licet, pertingere cupientes, aliquando secundum opinionem diversorum, aliquando secundum veritatis et auctoritatis assertionem locuti sunt, et ad doctrinam aliorum scriptis suis indiderunt. Equidem magister Petrus, quem vos de sensu vestro judicatis, qui hoc, quod breviter in psalmis attingit de adoratione scabelli, ubi duliæ et latriæ facit mentionem, plenius in sententiis suis exsequitur, ubi primitus quæstionem proponendo, et de ea disputando, utrum eadem sit adoratio humanitati, ei Deitati exhibenda, præmittit quorumdam opinionem, quod caro et anima Christi non latria, sed quadam superiori specie duliæ sit veneranda. Qua sententia non approbata aliorum supponit sententiam de una adoratione hominis et Dei, et eam Joannis Damasceni, et beati Augustini auctoritatibus corroborat. Quas etiam supponere curavimus. Nec prolixum videri debet, quod tam necessarium est, ne in scriptis tanti doctoris ex verbis vestris potius, quam ex suis cuiquam scandalum generetur, cum dicta ejus et aliorum aut non intelligitis, aut molesta interpretatione depravatis inter personam et naturam nullam servando differentiam. Joannes Damascenus : « Duæ sunt, inquit, naturæ Christi, ratione et modo differentes, unitæ vero secundum hypostasin. Unus igitur Christus est, Deus perfectus et homo perfectus, quem adoramus cum Patre et Spiritu una adoratione cum incontaminata carne ejus, non inadorabilem carnem dicentes. Adoratur enim in una Verbi hypostasi, quæ hypostasis generata est, non creaturæ venerationem præbentes. Non enim ut nudam carnem adoramus, sed ut unitam Deitati ad unam hypostasin Dei Verbi duabus reductis naturis. Timeo carbonem tangere propter ligno copulatum ignem. Adoro Christi Dei mei simul utraque propter carni unitam Deitatem. Non enim quartam apponо personam in Trinitate, sed unam personam confiteor Verbi et carnis ejus. » Item Augustinus : « Dicunt hæretici, Filium non natura esse Deum, sed creatum. Quibus respondendum est : quia si Filius non est Deus natura, sed creatura, nec colendus est omnino nec ut Deus adorandus, dicente Apostolo : Coluerunt et servierunt creaturæ potius quam Creatori. Sed illi ad hoc replicabunt, et dicent : Quid est, quod carnem ejus, quam creaturam esse non negas, simul cum divinitate adoras, et ei non minus quam Divinitati deservis? Ego Dominicam carnem, imo perfectam in Christo humanitatem ideo adoro, quia a Divinitate suscepta et Deitati unita est, non ut alium, sed unum eumdemque Deum et hominem Filium Dei esse confitear. Denique si hominem seperaveris a Deo, illi nunquam credo nec servio, velut si quis purpuram vel diadema regale jacens inveniat, nunquid ea conabitur adorare? Cum vero ea rex fuerit indutus, periculum mortis incurret, si ea cum rege quis adorare contempserit. Ita etiam in Christo Domino humanitatem non solam, vel nudam, sed Divinitati unitam, scilicet unum Filium, Deum verum, et hominem verum si quis

Digitized by Google

adorare contempserit, æternaliter morietur. » Idem super psalmum nonagesimum octavum, ubi dicitur : *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est :* Sciendum quia in Christo terra est, id est caro, quæ sine impietate adoratur. Suscepit enim terram de terra, quia caro de terra est, et de carne Mariæ carnem accepit. Hæc sine impietate a Verbo Dei assumpta adoratur a nobis, quia nemo carnem ejus manducat, nisi prius adoret. Sed qui adorat, non terram intuetur, sed illum potius, cujus scabellum est, propter quem adorat. »

Cum ergo ex præmissis luce clarius constet, quid vel Christus, secundum quod homo est, Deo debeat, vel quid nos ipsi Deo et homini debeamus, vanum est de nomine hoc loco, ut jam dictum est, inusitato quærere, vel contendere, utrum latria sit, vel latria non sit illa prænotata hominis assumpti subjectio, et debita illa reverentia, qua Deum tanquam creatorem et glorificatorem suum recognoscit et diligit, et sine intermissione interpellat pro nobis. Quod totum diffinire vel comprehendere, sicuti est, super hominem est. *Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus* (*I Cor.* II). Nam et Paulus audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Quæ omnia ad plenum nosse vita æterna est, in qua cognoscimus sicut et cogniti sumus. Aut quomodo ineffabile illud et inæstimabile secretum in Filio Dei secundum divinam et humanam naturam penetrare possemus, quod omnem sensum et angelorum et hominum exsuperat, cum nec illud explicare, valeamus, quod nunc sumus servi Filii Dei, et quod adhuc per gratiam exspectamus, quod *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se?* (*Ephes.* II.) Si quid ergo residuum fuerit igni comburere, nolumus ultra vobiscum rixari de Christo, quia nec otii nostri est nec ordinis vel officii, præsertim cum ipse dicat in Jeremia : *Væ, mater mea! quare me genuisti virum rixæ, virum discordiæ in universa terra?* (*Jerem.* XV.) Quod Væ super eos erit, qui passim de Christo disputantes legem nascendi, moriendi, resurgendi statuunt Christo pro sensu et arbitrio suo potius quam secundum regulas fidei. Persuasum itaque nobis est, et animo decretum de talibus ultra vobis nec scribere, nec a vobis scripta recipere, ne forte de perspicuis quasi de dubiis quæstionantes, omnibus, qui sanæ mentis sunt, insani videamur juxta illud Marciani imperatoris a papa Leone confirmatum. « Extremæ dementiæ est in medio et perspicuo die commentitium lumen inquirere. Quisquis enim præter veritatem repertam aliquid ulterius discutit, mendacium quærit. » Ex concilio Ephesino : « Cavemus de Christo dicere : Propter assumentem veneror assumptum, et propter invisibilem adoro visibilem. Horrendum super hoc etiam illud dicere : Is, qui susceptus est, cum eo, qui suscepit, connuncupatur Deus. Qui enim hoc dicit, dividit in duos Christos eum qui unus est, hominem seorsum in parte, et Deum similiter in parte constituens. Evidenter enim denegat unitatem, secundum quam non alter cum altero coadoratur, aut connuncupatur Deus, sed unus intelligitur Christus Jesus Filius Dei unigenitus una servitute cum propria carne venerandus. » Ex eodem concilio capitulum octavum : « Si quis audeat dicere assumptum hominem coadorandum Dei Verbo, et conglorificandum, et connuncupandum Deum tanquam alterum cum altero (nam consyllaba semper adjecta hoc cogit intelligi), ac non potius supplicatione veneretur Emmanuel, unamque ei glorificationem dependit, juxta quod Verbum caro factum est, anathema sit. » Cautus lector intelligat hæc dicta esse contra hæreticos, unum Christum in duas personas dividentes.

EPISTOLA XVII.

Gerhohi ad Alexandrum III pap. epistola. — Nuncupat ei Expositionem suam psalmi CXXXI, *denuntiat Petrum Lombardum, et reformationem Ecclesiæ commendat.*

Suscipe, alme Pater Alexander papa, munusculum de manu mea, qui Dei gratia dicor præpositus cœnobii Reichersbergensis. Munusculum, inquam, non aurum vel argentum, quia talia mihi non abundant, sed expositiunculam super decimum tertium Canticum graduum, cujus tibi opto sensum convenire, ubi dicitur : *Inimicos ejus induam confusione, super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea* (*Psal.* CXXXI). Nonne inimici tui sunt, qui confabulationibus pessimis alios corrumpunt, maxime ii qui docent contra fidem Petri apostoli confitentis Christum Filium Dei vivi, cum de illo sentirent homines aliter aliis dicentibus eum Eliam, aliis Jeremiam, aut unum ex prophetis, quorum nullus erat vel Deus Altissimus, vel Altissimi Filius unicus, ut homo hic præ suis participibus unctus, qui est Christus Filius Dei vivi, ac proinde credendus et confitendus est verus Deus, ita ut et homo Deus, et Deus homo vere nominetur in significatione illius personæ, quæ Deus est et homo.

Ad hæc et contra hoc inimici tandem confundendi solent objicere ac dicere alicui dicenti hominem illum Deum *subjecta* vel *supposita*, inquiunt, *persona verum dicis, supposita natura mentiris.* Dumque inquiruntur, quam rem personam nominent? ad Verbi assumentis se significationem astringunt, ut hominem assumptum a Divinitatis, in qua natus est, naturali forma et gloria simul et personæ significatione penitus excludant. Item qui dicunt hominem illum Deum, vel e converso, tropo inquiant, accidentalitatis verum loquuntur. Dumque tropum accidentiæ quid nominent inquiruntur, tropum accidentiæ se aiunt dicere solere, ubi prædicatum non redditur causæ, ut si dicat quis coloratus intelligunt (15)

(15) Ita mendose cod.

Digitized by Google

At nos homine illo in Deum assumpto et nato in locutione supposito credimus eum simpliciter proprie ac vere Deum prædicandum ac pronuntiandum esse, sicut evangelistæ, apostoli simul et prophetæ docuerunt, nullaque figura ad exponendum, quæ plana sunt, opus esse, quemadmodum aiunt tropo comitantiæ, tropo accidentiæ, vel ratione consortii. Quantum enim in assertione fidei nostræ tropis addideris, tantum simplicitati ac veritati propriæ locutionis detraxeris.

Item alius nominatus Magister in Sententiis suis ait: « Christum, in quantum homo est, sicut nos diligere debemus, ejusdemque secundum hominem dilectio illo continetur mandato, quo proximum diligere jubemur sicut nosmetipsos, quem etiam secundum hominem magis quam nos, sed non quantum Deum diligere debemus, quia in quantum est homo, minor est Deo. » Item idem in glossis Psalterii in hunc versum: *Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est* (*Psal.* XCVIII), ait inter cætera: Videndum est, quid nos jubeat adorare, cum dicit: *Adorate scabellum pedum ejus.* Terram scabellum pedum ejus esse dicit alibi Scriptura his verbis: *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.* Ergo terram jubet nos adorare, quia est scabellum pedum ejus? Sed alibi dicit Scriptura: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Sed sciendum est, quia in Christo terra est, id est caro, quæ sine impietate adoratur. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, et de carne Mariæ carnem accepit. Hæc sine impietate a Verbo Dei assumpta adoratur a nobis, quia nemo ejus carnem spiritaliter manducat, nisi prius adoret. Et hæc, quæ de verbis Augustini sumpta, catholice dicta sunt, quibus jam dictus Magister dicta sua subjecit adorationis modum determinans: « Non dico, inquit, illa adoratione carnem Christi adorandam, quæ latria est, quæ soli Creatori debetur, sed illa, quæ in dulia dignior est. Dulia enim adoratio est, quæ etiam creaturæ exhibetur, quæ duas species habet, unam, quæ indifferenter omnibus, alteram, quæ soli humanitati Christi exhibetur. » Hæc Petrus in glossis Psalterii simul et in Sententiis suis dicere ausus est. Sed et alii licentia disputandi de Christo adeo abusi sunt, ut dicere non dubitaverint in hac locutione: *homo est Deus*, nullam rem dici Deum, sed aliquid Deo unitum. Item: *Christus est Deus*, et: *Ego principium*, pro parte totius vera est. Item: « Christum, cum sit nomen personæ compositæ tertiam in Trinitate personam non esse, eo quod nihil nisi simplex in Trinitate sit. Item alii nomen tantum Verbi assumentis Christum dicunt per hominem quasi per instrumentum fuisse locutum.

Hæc autem omnia et multa in hunc modum in eorum notulis vel opusculis invenimus. Et non quidem jam sufficit eis in scholis discolis inter disputandum, vel sententias preferendo talia dicere, quin etiam in conventibus ecclesiasticis, in multitudine cleri coram episcopis talia clamitantur impune, Christum videlicet in eo, quod homo est, Dei Patris Filium non esse aliter quam unum ex nobis, ac proinde nunc quoque glorificatum in gloria non æquali gloriæ paternæ, sed in quadam inferiori et minori esse. Et quamvis quidem omnes homines et angelos in gloria supergressus etiam in eorum fide sit, Patri tamen nec in sapientia, nec in scientia, nec in potentia, nec in ullo bono æqualis sit, aut æquari unquam possit. Insuper vero et anathema ab uno talia dicentium (duo enim erant soli hæc dicentes, et aliter sentientes) nimis superbe ac festine prolatum est. Et audita quidem sunt hæc in facie conventus ecclesiastici, præsente archiepiscopo Salzburgensi, aliisque tribus episcopis, et a nemine contradictum est præter a duobus fratribus meis uterinis, quorum unus est magister Rudigerus, pridem Augustanæ Ecclesiæ, nunc vero Niwenburgensis cœnobii decanus, alter vero frater Aaron, tunc (16) decanus in cœnobio mihi commisso. Qui audientes natalibus Christi et gloriæ detrahi, nimis indoluerunt, et prout tempus dictavit, contradixerunt, etiam Patrum testimonia secum et pro se, imo cum Christo et pro Christo facientia in medium proferentes. Audita sunt autem et hæc in facie illius conventus, itemque a nemine contradictum. Insuper vero et adjunctum est in hac de fidei controversia non scholasticorum, seu scholarium, de scholis discolis venientium, recipiendas determinationes contra orthodoxos Patres, inter quos non adversa, sed interdum diversa sentientes, maxime de fide catholica, si quid natum fuerit, quæstionis, referendum ad successores Petri principis apostolorum, pro cujus fide, ne deficeret, Christus orans obtinuit, eumque ad fratres suos confortandos ita confortavit in fide, ut portæ inferi non prævalcant adversus eam. Unde super ipsum et super successores ejus efflorebit sanctificatio Domini, qua sanctificatus non dubitatur, qui legitimus ejus successor legitime agnoscitur subordinatus; quod de te, Alexander papa, credunt fideles, hunc de tuo apostolatu sperantes fructum, ut arca sanctificationis Dei, videlicet sancta Ecclesia, surgente in te Domino, per te introducatur in requiem suam, cooperante nimirum concordia inter sacerdotium et regnum, quod speramus in proximo futurum, si fuerit illud concilium, quod ex ore imperatoris audivimus in Longobardia celebrandum, si tamen a te, Alexander papa, tuisque fidelibus ad id colligendum fuerit consensus adhibitus. Tunc, si Deo placuerit, imperiali majestate ad concordiam bonam inclinata, videbimus arcam sanctificationis Dei per te quasi per legitimum sacerdotem justum in requiem suam introduci ludente ac subsiliente domino imperatore quasi altero David coram arca

(16) Cod. *Aaron tocn.*

Digitized by Google

Domini, quam, sicut ab eo intellexi, optat introduci cum gaudio, et totius regni tripudio in requiem suam, liberatam videlicet ab allophylis et eductam de templo Dagon, reprobatis nimirum ipsius Dagon et Mammon sacerdotibus, prout in figura contigit, quando illos et eorum principes Deus percussit in posteriora opprobrium sempiternum dando illis, et arcam suam committendo sacerdotibus Levitici generis. Quod ita fieri orat spiritus gemitibus inenarrabilibus, quoties canitur in Ecclesia : *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ. Sacerdotes tui induant justitiam et sancti tui exsultent* (*Psal.* CXXXI). Magna utique tunc erit exsultatio sanctis cernentibus talia, qui etiam prius, quam fiant, ea futura credentes et spe gaudentes exsultant in cubilibus suis, exsultant in rege suo, sicut ego pusillus aliquando exsultavi pro modulo meo in rege meo Christo, qui per antistites apostolicæ sedis me non semel confortans lætificavit, sicut agnosci potest ex litteris ab illa sede ad me et pro me directis, quibus confortabar in certamine pro lege Dei mei certans. Qualiter autem certanti mihi astitit beatæ memoriæ papa Eugenius, in ejus epistola videri potest, cujus textus ita se habet :

Eugenius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio G. Richerspergensi præposito, salutem et apostolicam benedictionem. Scripta dilectionis tuæ benigne recepimus, et fervorem tuæ religionis ex eorum inspectione manifeste cognovimus. Concaluit enim cor tuum intra te, et in meditatione tua exardescit ignis. Ignitum quoque eloquium tuum vehementer. Super his itaque, quod contra pessimas novitates, commotiones quoque, quæ contra Ecclesiam Dei et personas ecclesiasticas oriuntur, te zelo charitatis exardescere cognoscimus, paterno affectu gaudemus, et devotionem tuam in Domino collaudamus. Verum quoniam bonum est incipere, sed multo melius consummare, dilectionem tuam in Domino commonemus, ut in bono proposito firmiter perseveres, quia nos personam tuam tanquam litteratum, et religiosum virum paterna charitate diligimus, et in quibus secundum Deum possumus, honorare et manutenere volumus.

Data Sutrii decimo septimo Kalendas Julii.

Ante hunc Romani pontifices Honorius, Innocentius, Cœlestinus, Lucius etiam ipsi mihi viriliter astiterunt, et in hujus rei testimonium scripta ipsorum penes me sunt. Sed post obitum felicis Eugenii non est inventus similis illi, sic mihi assistens ut ille. Nam et conjugium quoddam post votum vidualis continentiæ contractum, quod ad meam relationem ipse cassaverat, post ipsum Anastasius papa firmavit, per quod mihi multas contrarietates excitavit. Cui tu eo tempore cancellarius adfuisti, nec per omnia, ut audivi, poteras cum temperare in suis motibus, licet fueris ei baculus invalidæ senectutis in multis illi opportunus utpote homo mansuetus et bene oculatus, ac proinde mansueto David consimilis. Unde inter cætera mei laboris opuscula elegi tuæ mansuetudini offerre canticum istud, in quo tibi aliquoties innovetur mentio David, *et omnis mansuetudinis ejus.*

Incipit expositio cantici : *Memento, Domine, David*, et cætera usque in finem psalmi.

His de psalmi expositione dictis ad te, Alexander papa, conversus ea fiducia tibi loquor, qua te confido ideo præ multis consortibus tuis unctum, quia dilexeris justitiam, et oderis iniquitatem, prius etiam quam sic unctus fueris. Quanto magis ergo nunc oleo lætitiæ perunctus diligere debes justitiam, et odisse iniquitatem? Habeas igitur odio hanc iniquitatem, quod arca sanctificationis Dei non habet requiem nunc in suo tabernaculo, ubi eidem præsident sacerdotes et ministri tales, quales erant filii Heli sacerdotis, qui, ut refert Scriptura, dormiendo cum mulieribus excubantibus ad ostium tabernaculi, et per fascinulam tridentem raptando carnes crudas, ad se non pertinentes, adeo facti sunt infames, ut propter eos detraherent homines Dei sacrificio. Quos, quia pater ipsorum non digne corripuit, iniquitas domus ejus neque victimis, neque muneribus expiari potuit, sed ira Dei super eam sic excanduit, ut repelleret tabernaculum Silo, tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus. Et tradidit in captivitatem virtutem eorum, et pulchritudinem eorum in manus inimici. Accessit quoque ad inflammationem iræ Dei, quod arcam sanctam, quæ debebat intra sanctuarium Dei custodita servari, exportaverunt in castra, ubi erat pugna inordinata utpote sine duce ac principe legitimo, qualis fuerat Josue, qui ordinate pugnavit orante pro ipso in monte sancto Moyse, juncto sibi Aaron et Hur. Sed pugna filiorum Heli nimis fuerat inordinata, et eis male cessit, licet arcam Dei, cui non bene ministraverant, apportari fecerint.

Non audeo ad plenum litteris exprimere, quanta illius exordinationis hoc tempore, imo hac tempestate inveniatur similitudo, ita ut arca Dei non habeat requiem nunc in illo suo excellentissimo tabernaculo, dico autem in Ecclesia Romana, cui quasi alter Aaron præfuerat Petrus apostolus in se, ac suis diu successoribus, quorum vel sanguine purpurata, vel confessoribus illustrata est Romana Ecclesia. Sed postquam ab eorum doctrinis et exemplis deviatum est in tantum, ut Romanis pontificibus contra cives Romanos et alios hostes bella inordinata moventibus arca Dei non potuerit habere quietem in urbe Roma, de ipsius inquietudine universa turbata est Ecclesia. Cum essem Viterbii apud sanctæ recordationis papam Eugenium, et ille familiari alloquio mihi retulisset de sua vexatione, in qua Tiburtinis contra cives Romanos favens multas pecunias expenderat, et tandem satis miseram pacis compositionem fecisset; ego respondi : Licet sit misera pretio multo coempta pax ista, melior tamen est quam pugna vestra, quia, cum Ro-

Digitized by Google

manus pontifex præparat se ad bellum per milites conductos agendum, videor mihi videri Petrum evaginantem gladium ferreum. Sed cum ei sic pugnanti vel pugnaturo non bene cedit, videor mihi audire Christum..... et Petro dicentem : *Mitte gladium tuum in vaginam* (*Joan.* XVIII). His a me dictis, et ab illo sancto pontifice benigne acceptis, non sensi eum ulterius evaginasse gladium ferreum, sed gladium spiritus, quem recte movendo sancto Samueli fuit assimilatus, non parcendo Agapitis ac cæteris Amalecitis hostibus Israel, quorum nonnullos apud eum captos velut in frusta concidit. Novit hoc tota Germania, in qua duos magnos archiepiscopos humiliavit, Moguntinum videlicet et Coloniensem pecunia eorum spreta et reprobata; ideo in diebus ejus requies data fuit Ecclesiæ Romanæ, sed non adeo plena et perfecta, ut ad eam perficiendam Samuelis zelo non indigeat sancta Ecclesia, in qua abundantibus scandalis adhuc homines detrahunt sacrificio Dei.

Quæro igitur salva gratia tua, quoniam in spiritu et virtute Samuelis aliquis creditur contra mala imminentia suscitandus, an tu sis ille, an alius exspectandus? Cujus rei veritas licet in posterum ex fructibus secuturis ad plenum cognoscendum sit, at nunc per flores, qui fructus parturiunt, ex parte cognoscitur, si a te, cum sis dignitate inter mortales altissimus, non despicitur admonitio a me pusillo ad te directa, non ausu temeritatis, quod absit, sed ausu illius charitatis quæ, cum non gaudeat super iniquitate, congaudet autem veritati, suasit me parvulum ad te magnum aliquid scribere pro veritate contra iniquitatem. Auxit quoque fiduciam meam, quod tu me ac fratres meos uterinos præveniens in benedictionibus dulcedinis, litteris tuis ad nos directis mandasti nobis salutem et apostolicam benedictionem, promittens etiam tui apostolatus gratiam sic mihi exhibendam, sicut ab antecessoribus tuis in gratia fui habitus, prout norunt domini cardinales nonnulli, quibus notus fui. Quod autem nunc pro veritate contra iniquitatem scribens elegi Samuelis exemplum suggerendum tibi, hac de causa scias factum, quia tibi opto in fine apostolatus tui, cum de hac vita eris egressurus in requiem Domini, ubi est area sanctificationis, videlicet quem Pater sanctificavit et misit in mundum, sic posse gloriari in Domino in veritate, sicut ille gloriatus est in Domino coram filiis Israel dicens : « Ecce præsto sum, loquimini de me coram Domino et Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, aut asinum; si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem si de manu cujusquam munus accepi, et contemnam illud hodie, restituamque vobis. Et dixerunt : Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicujus quidpiam. » Sic te posse gloriari, Alexander papa in Domino, hoc est, in veritate circa finem tui papatus, ille tibi concedat, qui potens est omnia facere, super quam petimus, aut intelligimus, cui honor et gloria nunc et in æterna sæcula. Amen.

EPISTOLA XVIII.

Idem ad Henricum. S. R. E. cardinalem, cui expositionem psalmi LXIV *misisse se scribit. — Cur in Franciam proficisci non potuerit. De adversariorum suorum multitudine ac insidiis*, etc.

Domino H. venerabili, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali presbytero, ad titulum Sanctorum Nerei et Achillei, frater G. de Richersperg devotas orationes cum fideli obsequio.

Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti. Nam cum fuisses Augustæ in domo fratris mei R. una cum domino Jacintho cardinali diacono, tu mihi promisisti, sicut meminisse potes dominum R. tunc cancellarium, nunc favente Dei clementia in apostolatus apice sublimatum, sic te ad mei notitiam et gratiam præparare, ut ejusdem pietatis oculo me respiceret, qua me respexerunt sui antecessores, quibus hortantibus et confortantibus nonnulla opuscula dictavi, per quæ non solum Christi gloria magnificaretur magnificante anima mea Dominum, et exsultante spiritu meo in Deo salutari meo, sed etiam illius ignominia detegeretur, qui sub velamine pietatis jam mysterium operatur iniquitatis. Feci hoc, prout juvante Deo potui in tractatu sexagesimi quarti psalmi, quem propria manu beatæ memoriæ papæ Eugenio porrexi, quemque tibi Augustæ item dedi. Feci etiam hoc in opusculo De laude fidei, quod exhortatione tua cœptum et perfectum Domino Jacintho cardinali, cum esset in curia Domini papæ Anagniæ, ita fuit a nuntio, qui te illic non invenit commissum, ut tibi hoc daret quasi fructum petitionis tuæ, qua diligenter expetens a me, ut tibi exponerem illud Salomonis : *Mulierem fortem quis inveniet?* (*Prov.* XXXI.) Si ergo hoc ab illo accepisti, bene; sin autem, vel ab ipso hoc require, vel a me illius rescriptum exige per litteras, quas committere poteris præsenti nuntio.

Nec mireris quod meam personam, senio debilitatam, non præsentavi domino papæ aut curiæ, quia de regno Teutonico in regnum Franciæ, etiam si possem venire, tutum non est mihi multis me observantibus et captantibus aliquid unde mihi turbent gratiam, et excitent offensam principis, cujus ira mihi est cavenda, in quantum fieri salva Dei gratia potest. Nuper enim contra me irritatus per mendacia quorumdam, vix placatus fuit mihi, excusante me apud ipsum domino Frisingense ac suo clero, simulque aliis principibus, quod non essem, ut ei fuit relatum, gloriæ imperiali adversarius, pariterque, ut inimici disseminaverant, gloriæ Christi contrarius. Mihi enim quasi alteri Naboth falso impingebatur blasphemia in Deum et regem, ac proinde illius exemplo judicabar lapidandus a capellanis imperialibus, rei veritatem ignorantibus. At ubi prædictus episcopus cum aliis, veritatem scientibus, me sufficienter excusavit, gratia

Digitized by Google

Dei favente ipse Augustus adeo mihi fuit placatus, ut multa mecum privato colloquio tractaret, quæ, si auderem scripto committere, magna ex parte, ut credo, vobis placerent. Audietis tamen aliquando, si Deo disponente continget me ore ad os loqui vobis in illo celebri conventu, quem futurum speramus, prout a legatis Domini papæ, videlicet Papiense, ac Trecense venerabilibus episcopis, ut credo, jam audistis.

Nolo autem vos ignorare, vos dico, scilicet dominum papam et dominum Jacinthum ac te, aliosque mihi clementes dominos cardinales, quod multum sunt multiplicati qui tribulant me, multique insurgunt adversum me dicentes animæ meæ : Non est salus ipsi in Deo ejus (*Jer.* III). Neque vero nova mihi est hæc adversitas, quoniam plus quam triginta jam annis pugnando bestias ipsas habui et sustinui adversantes, meque si fieri potuisset, in errorem inducere cupientes, ut dicerem malum bonum, et bonum malum, lucem tenebras, et tenebras lucem, dulce amarum, et amarum dulce in scriptis meis approbando, quod ipsi, et idem improbando, quod ipsi valenter, ut gloriantur, litterati. At ego, cum fuissem primo scholasticis exercitationibus utcunque imbutus, postquam transivi ad ecclesiasticæ religionis exercitia, multas magistrorum sententias quasi aquas turbidas fastidivi, et ad aquas Siloe, quæ fluunt cum silentio, me favente gratia Dei contuli, quibus prout mihi donatum fuit, etiam aliis per scripta mea propinatis quasi ad aquas contradictionis multos contradictores habui, a quibus per successores Petri liberatus et defensus habui materiam et causam frequenter canendi canticum graduum, quod sic se habet : *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel* (*Psal.* CXXIII), et cætera usque : *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Laqueus contritus est, et nos liberati sumus* (*ibid.*). Perveni autem canendo et exponendo, atque utinam et ascendendo ad illum gradum, in quo canitur : *Memento, Domine David, et omnis mansuetudinis ejus* (*ibid.*, CXXXI). Cujus nimirum cantici expositionem dulcis famæ Alexandro papæ, te mediante, suggero legendam, quia poterit innotescere illi per eam, quæ sentio de statu Ecclesiæ ad meliora instaurando, de incarnationis Dominicæ sacramento, de homine in Deum assumpto et nato, atque divinæ virtutis gloria et honore coronato, in quibus duobus maxime contradictores habeo asserentibus aliquibus hominem Deo unitum non esse Dei unicum Filium, neque ipsum in gloria Dei Patris ita esse honorandum, ut adoretur adoratione quæ latria dicitur, sed ea quæ vocatur dulia. Quorum assertionibus auctoritates Patrum contrarias, et nostræ assertioni consonas in unum studui colligere, primo in opusculo ad papam Adrianum dictato, et eidem cum esset Beneventi præsentato. Deinde nuper in opere De sacrificio, quod in sartagine coquitur, ad archiepiscopum Salzburgensem Eberhardum destinato. Quod si fuerit in apostolica sede perspectum, puto, placebit placentibus Deo, quia non semel comperi placuisse in ea, quæ, favente Dei gratia, scriptitavi contra malas abusiones, et pravas novitates, quibus, ut tu nosti, non semel obstiti, et adhuc, prout Deus donaverit, obsistere paratus ero tanto promptius, quanto sensero me instantius animari, et confortari a successore beati Petri.

Sed dicit aliquis : Jam satis est quod alii meliores et sanctiores, nihilominus et doctiores invenerunt, et scripserunt. Illicitum est, temerarium est adjicere aliquid ad ea, quæ a nominatis, catholicisque viris dicta sunt, atque ita fastidium legentibus facere augendo multitudines commentariorum. Ad hæc inquam : Nimirum sanctarum spatiosus ager Scripturarum omnibus Christi confessoribus communis est, et tractandi illas nulli jure negari potest licentia, dummodo salva fide, quod sentit, dicat, aut scribat. Quisnam recte indignetur, eo quod in eadem possessione post unum aut duos puteos, quos foderunt Patres præcedentes, plures proprio labore fodiant filii succedentes? Denique Isaac et alios puteos fodit præter illos, quos foderant servi patris sui Abraham, quos illo mortuo olim obstruxerant Philisthiim. Nam postquam et alios rursum fodit, appellavitque eos iisdem nominibus, quibus antea pater vocaverat, sequitur Scriptura, et dicit : *Foderunt in torrente, et repererunt aquam vivam* (*Gen.* XXVI). Item : *Foderunt et alium.* Ac deinceps : *Profectus inde fodit alium puteum* (*ibid.*). Itaque juxta hanc regulam nobis quoque concedant post illos puteos, quos foderunt, id est, post illos tractatus, quos tractaverunt Patres et priores nostri, et alios fodere puteos proprii vomere ingenii, dummodo vivam et nos aquam reperire possimus, quæ nulli noceat bibenti, nulli scandalum vel errorem faciat legenti, nisi forte alicui proditoris Judæ subpari et consimili, cui bonus odor boni unguenti fuit malus, quia ipse malus : quomodo et nostra bona, et bene dicta bonisque lectoribus, qualis erat sanctæ memoriæ papa Eugenius, placentia, malis et malignis videntur mala. Qui et dicunt : Ut quid perditio hæc pergameni et temporis, dum scribuntur quæ non leguntur, aut si leguntur, non placent legentibus contra ea indignantibus et frementibus? Contingat mihi audire contra tales vocem Christi per ora successorum Petri : *Quid molesti estis huic mulieri? opus bonum operata est in me* (*Matth.* XXVI). Mulieri quippe infirmæ ac peccatrici, sed pœnitenti magis cupio assimilari unguendo pedes et caput Christi, venerando scilicet ipsius humanitatem cum Divinitate pari adorationis cultu, quam superbis illis Rabbitis eorumque discipulis, qui latriam Verbo in carne manenti et duliam assignant ipsi carni, cum sit caput agni paschalis cum pedibus vorandum, nulla distantia penitus admissa in adoratione, qua non homo propter Deum quasi alter propter alterum est adorandus, ut voluit Nestorius hæresiar-

Digitized by Google

cha, sed homo in Deo, et Deus in homine adorandus adoratione una, ut Ephesina synodus affirmavit dicens : « Si quis audet dicere assumptum hominem coadorari oportere Deo Verbo, et conglorificari, et coappellari Deum, ut alter alteri (*co* enim semper adjectum hoc intelligi cogit), et non magis una adoratione honorificat Emmanuel, et unam ei glorificationem defert, secundum quod factum est caro Verbum, anathema sit. »

Ut autem prudentia tua intelligat, non leviter moveri prænotatas quæstiones, animadvertere subsequentes epistolas ad duos magnos viros, scilicet Dominum meum Salzburgensem archiepiscopum, et dominum Bambergensem, ut si assertio nostra a sede apostolica fuerit approbata, eisdem scribatur a domino papa et a curia, si fieri potest, aliqua commonitio confortans illos ad assistendum mihi, et resistendum scholaribus, indisciplinatas quæstiones movere solitis non tantum in scholis, verum etiam in ecclesiasticis conventibus.

EPISTOLA XIX.

Idem ad Hyacinthum seu Jacinthum S. Rom. Ecclesiæ cardinalem. — Ut cardinales ad controversiam, de gloria et honore Filii hominis motam, attentos faciat.

Domino Jacintho venerabili sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali diacono ad titulum Sanctæ Mariæ in Cosmedin frater G. de Richersperge devotas orationes cum fideli obsequio.

Ea quæ scripsi domino papæ, sic legere dignemini tanquam vobis ea scripserim, quia, cum sitis magnum in Ecclesia Romana membrum, quod capiti scripsi, non puto a vobis alienum. Rogo etiam ut per industriam vestram cæteris dominis cardinalibus innotescant ea quæ in quæstione versantur, quatenus ad hoc fiant intenti, ne in diebus nostris resuscitentur hæresiarchæ Photinus et Paulus Samosatenus atque Nestorius, necnon et Bonosus, quorum doctrina pestifera in scholis discolis adeo crebrescit, ut jam plures magistrorum, et discipulorum et indisciplinatorum garriant adversus fidem catholicam dicentes : « Nihil assumptum Deus aut Omnipotens. Est autem, inquiunt, caro et anima, rationalis scilicet homo assumptus, cui etsi data sit magna potentia, non tamen data est, vel dari potuit omnipotentia, quam nulla capit, aut capere potest creatura. » Nos autem credimus homini assumpto in Deum dicenti : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* xxviii). Item : *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo* (*Matth.* xi). Quæ testimonia evangelica sancti Patres ita exponunt, ut omnipotentia et omnia bona, quæ Verbum Dei Deus habuit per naturam, contulit homini assumpto per gratiam. Quæ nimirum gratia, sicut ait beatus Augustinus, homini assumpto facta est quodammodo naturalis, quia eam non natus promeruit, sed nascendo accepit, non ad mensuram sicut angeli vel homines beati, quorum nulli sic est gratia data in naturam versa, ut nunquam potuerit, aut possit peccare. Homo vero in Deum assumptus nascendo accepit, ut peccare non potuerit, et omnia, quæcunque vellet, potuerit, quod erat et est omnipotentia summa, qua in Filio Dei ditata est natura humana. Cujus omnipotentiæ, quia quamplures detrahunt, sanctam Romanam Ecclesiam divina gratia suscitet contra obloquia talium. Et qui vos in Ecclesia Romana gratia Dei plurimum valetis, cavete, ne sitis ingratus gratiæ Dei, sed per ipsam resistite hostibus ejus.

EPISTOLA XX.

Idem ad Alexandrum III P. M. — Rogat ut quid in controversia de gloria et honore Filii hominis sentiat, rescribat. De quibusdam opusculis suis ad curium Romanam missis, etc.

Alexandro, divina favente clementia, sedis apostolicæ almo pontifici frater G. de Richersperge cum Petro vincere, cum Petro regnare.

Scripta dignationis vestræ, quibus me, ac fratres meos uterinos clementer salutastis per fratrem Witer. monachum Morimundensem, gratantissime accepimus, gratias magnas agentes almitati vestræ, quod, cum nihil adhuc scripserimus vobis, dignatus fuistis nos prævenire in benedictionibus dulcedinis, mihi specialiter promittendo quod velitis me in gratia eadem [habere] in qua me habuerunt antecessores vestri. Ut ergo sciatis, qualiter illi me habuerunt, legere dignemini scripta nostra in curiam per latorem præsentium missa. Quibus lectis et perspectis, ubi videbor adjuvandus, adjuvate; ubi emendandus, emendate maxime in duobus capitulis de quibus nunc agitur quæstio, duobus disputatoribus mea scripta lacerantibus ob hoc maxime, quod in eis asseritur assumptus homo esse Deus Dei Filius naturalis, et esse altissimus in summa gloria Dei Patris, licet minor Patre secundum humanitatis naturam, non tamen minor secundum datam eidem homini omnipotentiam, et omnimodam paternæ celsitudinis gloriam. Illis vero econtra certantibus negatur homo assumptus esse Deus, esse Dei naturalis Filius, esse omnipotens, esse altissimus. Jungitur vero illis tertius quidam Folmarus, hominis assumpti et natalibus et gloriæ adeo derogans, ut neget cum adorandum adoratione quæ latria dicitur, quem nos Ephesino concilio freti affirmamus adorandum, utpote unicum Dei omnipotentis omnipotentem Filium, in natura tam exaltata quam exaltante, tam glorificata quam glorificante, tam sanctificata quam sanctificante Altissimum, licet minorem Patre secundum humanæ naturæ conditionem, tamen non minorem secundum ejusdem naturæ provectionem.

In qua controversia quia Dominus meus archiepiscopus elegit sibi silentium, videlicet exspectans apostolicæ auctoritatis in alterutram partem assensum, sanctitas vestra non gravetur et illi, et mihi scribere, quod videbitur, ne sub vestro apostolatu apostolica sedes laceretur. Nam quod meam famam lacerant, et, sicut fertur, etiam lacerandam exposuerunt in curia vestra, ego parvipenderem, si Chri-

Digitized by Google

stum non tangerent contra illud : *Nolite tangere christos meos* (*Psal.* xvi). At illi tangunt christos ejus, imo et Christum altissimum. Quem qualiter prædictus Folmarus tangendo laniet, in ipsius considerari potest epistola, cujus rescriptum vobis monstrabitur, si vultis. Cui licet satis responderim, congruere tamen puto apostolatui vestro, ut et vos aliquid scribatis contra eam, vel domino meo archiepiscopo, vel domino Adæ abbati Eberacensi, quibus ille prædictam destinavit epistolam.

Idem quoque in alio scripto suo domino meo Salzburgensi tam multa et profana, tamque horribilia contra meam personam finxit mendacia, ut nisi ille me ac meam doctrinam sanctorum doctrinis consonam plene cognosceret, induci potuisset in suspicionem sinistram de me, sicut capellani domini imperatoris per illum inducti ipsum augustum fecerunt graviter mihi offensum, usque adeo ut necessarium mihi fuerit excusari apud ipsum de multis mendaciis in ejus curiam seminatis, quæ fortasse quoque in curiam vestram seminata sunt; frustra tamen, ut credo, quia non est illa curia similis arundini vento agitatæ. Ad quam non egui eatenus litteris commendatitiis utpote notus pontificibus, et dominis cardinalibus, atque in gratia eorum non ultimus. Nunc vero libentor obtinuissem ad vos litteras Domini mei archiepiscopi, nisi quod ipse ultra decem dietas remotus non potuit conveniri. Ab aliis autem nolui epistolas petere, quia quasi alter Nicodemus nocte facio quod facio, sed diem spero et exspecto. Esse namque in proximo, ut aspiret dies, et inclinentur umbræ, cum sint multa indicia, etiam hoc auroram diei prænuntiat, quod ut fama refert, legati a vestro apostolatu quæruntur in Græciam de fide instruenda. Vellem igitur, si vestræ majestati placeret, eosdem legatos considerasse libellum nostrum contra Græcorum errores, quem antehac misi in curiam illic examinandum, et si placeret, propalandum, cujus etiam nunc misi rescriptum vobis et dominis cardinalibus inspiciendum, si placeret, remota nimirum erga me pusillum vestra et illorum super hoc indignatione. Quod, cum sim parvulus, de magnis rebus audeo loqui et scribere, atque in his veritatem investigare, et investigatam approbare, sicut et de vestri apostolatus introitu scriptis investigavi, et investigatam approbavi veritatem, paratus eamdem confiteri coram regibus et principibus, prout eam et modo novi, et adhuc ex fructibus ejus me spero perfectius cogniturum.

EPISTOLA XXI.

Idem ad collegium S. R. E. cardinalium. — De variis, quibus nunquam non jactatus est, procellis, et in quibus semper sibi apostolicam sedem fuisse præsidio gloriatur, etc.

Dominis cardinalibus frater G. de Richersperge devotas orationes cum fideli obsequio.

Cogor in senectute mea reminisci ex parte laborum juventutis meæ, illorum præcipue quibus, cum anxiaretur cor meum, in petra exaltavit me Dominus consolidando me in fide Petri per successores Petri.

Prima petit campum dubia sub sorte duelli
Pugnatura fides,

ait quidam prudens versificator. Ego autem non dubito, sicut initium certaminis, ita et finem spectare ad fidem, tandiu pugnaturam donec species illi succedat, nec jam sit ambulandum per fidem cernentibus ipsam speciem. Cujus visio nunc occultatur, ut ipsa fides magis ac magis exercitata inde habeat meritum, quod ei humana ratio non præbet experimentum. Quanquam tamen secundum rationem fidei de fide liceat ratiocinari, non secundum sapientiam hujus mundi, quam stultam fecit Deus, a cujus deceptione monet apostolus cavere, dicens : *Videte, ne quis vos seducat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditiones hominum, et non secundum Jesum Christum, quoniam in ipso habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* (*Col.* ii). Hac philosophia decepti a sinceritate fidei multi aberraverunt ante nostra tempora, quorum fatuitas per catholicos doctores confutata non debet ulterius ad quæstiones revocari. Sed quia non quiescit serpens antiquus, antiquas illum non piget fraudulentias renovare, sicut ego multoties expertus sum, cum anxiaretur cor meum inter hostes fidei, quibus me anxiantibus in petra exaltabar, dum in fide Petri magis ac magis exercitabar assistentibus mihi successoribus Petri ad tuendam et tenendam fidem Petri.

Primus in hujusmodi certamine astitit mihi beatæ memoriæ Honorius, cum in ejus curia fuisset magister Luitolfus inter magistros Franciæ. Hic dum astruere conaretur, Christum, secundum quod homo est, hominis quidem Filium esse naturalem, sed Dei Patris filium adoptivum ; et ego e contrario astruerem, non ad hominem assumptum pertinere adoptionem, quod Filius Dei esset, prædictus papa Honorius astitit mihi concitatus ad hoc ipsum per quemdam libellum a quodam canonico Lateranensi, valenter litterato, ipsi porrectum, et a me perlectum, in quo diligenter fuit investigatum, quæ differentia esset inter filios optatos, quos etiam prios et naturales dici constat, et filios adoptatos filiis naturalibus minime coæquandos. Tunc ergo refutato adoptionis vocabulo in Christo Dei et hominis proprio et naturali filio, ego in petra exaltatus, et in fide Petri per successorem Petri firmatus ab urbe redii cum lætitia, certum tenens, verum esse quod Petrus de Filio hominis hominibus errantibus ipse non erraverit, dicens : *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* xvi).

Iterum alia vice, cum essem Romæ, [et] quidam Lateranensis canonicus nomine Adam noviter de scholis magistri Petri Abailardi egressus, conabatur astruere Christum ex parte Deum, et ex parte hominem esse, quem ego totum Deum, et totum hominem credidi, propter quod et locutus sum, eo

Digitized by Google

quod homini Divinitas innata, et Deo esset humanitas unita in unam subsistentiam, in unum panem vivum, in unum electum, in unum mediatorem Dei et hominum, sancta Romana Ecclesia mihi astitit, meamque fidem fideliter approbavit in tantum, ut cum postea prædictus Adam factus apostata ivisset in Apuliam, diceret mihi unus cardinalium, recte illum pro sua perfidia relictum a Christo. Cui ego respondi : Benedictus Dominus meus Jesus Christus, qui mihi totus est Deus non dimidius, ut ille voluit. Qui quoniam semideum coluit non habens verum Christum, totum Deum, totum hominem, jure derelictus est illius potestati, qui est pater mendacii. Me autem sui gratia meus Dominus Jesus Christus totus Deus, totus homo conservavit in meo proposito, potens etiam conservare me usque in finem sine crimine in fide illa, quam confessus est Petrus, cui portæ inferi non prævalebunt. Ecce secundo cum anxiaretur cor meum, in petra exaltavit me Dominus.

Tertia vice in schismate Petri Leonis, cum sacerdotes in schismate sacrificantes affirmarem non habere corpus Domini, eo quod in lege Domini prohiberentur carnes agni efferri foras, quæ in una domo sunt comedendæ, quæ domus una universalis Ecclesia est, in qua, cum quis culpa exigente privatus officio sacerdotali, non possit conficere verum sacrificium, sacrificando videlicet præter officium, multo minus extra Ecclesiam sacrificans offerre valet panem vivum, de quo sancta vivit Ecclesia, mortuis omnino ab illa præcisis culpa tali exigente, quam nec debet, nec potest intus Ecclesia tolerare. O quantos in hac sententia contrarios habui ! Sed assistente mihi tunc Romano pontifice beatæ memoriæ papa Innocentio sic triumpho potitus, in petra fui exaltatus, ut flumen illisum domui meæ non eam potuerit movere.

Longum esset enumerare quam sæpe, cum anxiaretur cor meum, in petra exaltavit me Dominus per successores Petri Honorium, Lucium, Cœlestinum, quibus exhortantibus et confortantibus non solummodo loquendo, sed etiam scribendo abusionibus et novitatibus pravis obviare studui, ex quibus multas in unum congessi, primo in *Expositione psalmi sexagesimi quarti*, quam præsens dedi sanctæ recordationis papæ Eugenio, quam etiam postea dedi domino Henrico cardinali sanctorum Neri et Achillei, approbatam satis ab ipso papa Eugenio, cui et alia tunc scripta misi, quæ quam fuerint ei acceptabilia, ejus contestatur epistola, cujus hic textus est :

« Eugenius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio G. Richerspergensi præposito salutem et apostolicam benedictionem. Scripta devotionis tuæ benigne suscepimus, » etc.

Consonant huic epistolæ aliæ quoque ad me, ac pro me directæ a sede apostolica, quarum pluribus prætermissis duas adhuc adnectam, ut in ore duorum vel trium sedis apostolicæ pontificum stet pro me verbum testimonii boni quod infringere nituntur juniores tempore scholastici et scholares, per omnia illis consimiles, de quibus ait beatus Job : *Nunc autem derident me juniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei* (*Job* xxx). Nempe optimi canes, bene latrantes, erant prænotati apostolicæ sedis pontifices, quorum istæ sunt epistolæ.

« Cœlestinus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio G. Richerspergensi præposito salutem et apostolicam benedictionem.

« Super tribulantibus et angustiis, quas pro veritatis et justitiæ assertione, dilecti filii nostri G. diaconi cardinalis attestatione, te sustinere accepimus, paterna tibi affectione compatimur, et in quibus secundum Deum possumus, opem tibi et consilium libenter impendimus. In quibus tanto majorem patientiam te oportet habere, quanto certius est tuam industriam easdem persecutiones pro defensione justitiæ sustinere. Scis enim nec novum esse, nec insolitum, quod juxta Apostolum, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur ab impiis et dissimilibus. Quos Dominus in Evangelio consolatur beatitudinem æternam illis repromittens : *Beati*, inquit, *qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (*Matth.* v). Nos tamen pro debito officii nostri æmulis tuis obviare, et censura ecclesiastica eos cohibere volumus. Unde per præsentia tibi scripta mandamus, quatenus proxima dominica, qua legitur : *Ego sum pastor bonus* (*Joan.* xi), nostro te conspectui repræsentes, ut per teipsum causa plenius cognita quieti et tranquillitati tuæ providere, et sicut dilecto filio opportune tibi subvenire valeamus.

« Datum Laterani, sexta Kalendas Februarii. »

« Lucius, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus C. Salzburgensi archiepiscopo et R. Gurcensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

« Venientem ad apostolicam sedem dilectum filium nostrum G. Richerspergensem præpositum paterna benignitate suscepimus, et pro religione et honestate sua personam ejus honorantes cum gratia sedis apostolicæ ad propria remisimus. Ipsum itaque vestræ fraternitati attentius commendantes per præsentia scripta mandamus, quatenus sicut hactenus obtentu solius religionis et honestatis ejus fecistis, pro beati Petri et nostra reverentia de cætero ipsum honoretis, et diligatis, et in necessitatibus opem sibi et consilium tribuatis. »

Beatæ quoque memoriæ papæ Adriano misi opusculum contra novitates et abusiones pravas contextum. Ad quod licet nihil responderit scripto, at tamen dicto illud approbavit, mihique salutem et apostolicam benedictionem dicto simul et scripto mandavit, neque aliquid in scripto meo reprobavit. Exinde aucta mihi fiducia loquendi et scribendi contra novos Fontinianos, Paulianistas, et Nestorianos atque Bonosianos, de scholis discolis venientes, ali-

Digitized by Google

quæ dixi, et scripsi. Et ideo contra veritatis jacula, A in illos a me directa, ipsi multa contra me disseminaverunt mendacia, partim, quæ dicimus, pervertendo; partim quoque novas et inauditas confingendo calumnias, quibus longe lateque disseminatis, et etiam in curiam apostolicam, sicut et in curiam imperatoris, delatis, cum alii pro me, alii contra me sentiant, et loquantur, nunc flantes venti eloquentiæ ventosæ venientes ab aquilone graviter me turbarent concutientes domum fidei meæ, si non ab austro venissent et venirent venti meliores. Fama quippe ad me pervenit quod in Romanam curiam sinistre delatus a quibusdam cardinalibus ita sim addictus, ut unus ex illis dixerit nuntio Domini mei archiepiscopi Salzburgensis, mirari se nimium, quod ipse me sustineret hominem graviter B infamatum de magnis erroribus. Sed et hoc insinuavit mihi fama, nonnullos cardinales me cognoscentes, et in curia satis acceptos meliora de me loqui. Sicut etiam in curia domini imperatoris quidam pro me loquuntur, quidam vero contra me, ut loquelis oppositis quasi ventis contrariis imminente periculo compellar clamare, Jesumque dormientem suscitare, qui surgens imperet ventis et mari, ut fiat tranquillitas magna, non solum tempestate hac speciali, sed etiam tempestate generali sublata, schismatis malo mitigato, quatenus nautæ universalis Ecclesiæ, quorum vos domini cardinales estis præcipui, non errent cum discipulis putantibus phantasma esse Christum super mare ambulantem : sed cum Petro et ipsi ambulent super mare C in ista quarta vigilia noctis, cui vicina creditur dies illa, dies iræ, dies calamitatis et miseriæ, dies magna et amara valde, in qua homo, cui datum est omne judicium, se ostendet omnipotentem Deum contra illos falsiloquos, qui eum negant omnipotentem in eo quod homo est. Quem quia ego et fideles mecum sentientes fatemur omnipotentem in eo quod est homo, licet non ex eo quod est homo, sed ex eo quod in Deum natus, et summa divinitatis virtute atque claritate magnificatus est, infamamur quasi erronei, cum potius errent illi, qui hoc negant, quod universalis credit Ecclesia, et omnis confitetur lingua, quod videlicet Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris, licet minor D secundum naturam creatæ suæ humanitatis, tamen non minor, secundum naturam innatæ sibi Divinitatis, et datæ sibi omnis potestatis juxta illud : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* xxviii). Quæ nimirum potestas cum sit increata tamen homini in Deum nato et secundum Deum creato in justitia et sanctitate veritatis ita plene data est, ut sit omnipotens æque ut Pater ejus, operando æque potenter per Verbum in se incarnatum, quomodo Pater ejus per idem Verbum de se natum, quia Verbum caro factum non est in carne infirmatum, sed et testa carnis igne Divinitatis ita est consolidata, ut non sit minus fortis quam Divinitas ipsa, cui est unita unitione mira per conceptionem, et conglorificata per ascensionem, gloria et honore Divinitatis altissimæ homine coronato et constituto super omnia, ut sit super omnia, non inter omnia Deus benedictus in sæcula.

De cujus hominis gloria et omnipotentia opuscula quæ scripsi, quæque nunc in curiam legenda misi, dignemini vos, domini cardinales, legere, mihique significare, quid de vobis me oporteat sperare, non quod in homine confidam, sed in Domino, cui et dico psallens : *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem?* (*Psal.* x) et cætera usque in finem psalmi; quoniam ecce peccatores, de quibus in eodem agitur, intenderunt arcum suum contra me, paraverunt quoque sagittas suas in pharetra, ut sagittent me in obscuro, detrahentes videlicet mihi occulto susurrio, quod putant apud vos prævalere; quia sciunt me senio et morbis debilitatum, non ita ut prius, posse curiis interesse. Sed verbum Dei non est alligatum, quia ubi præsentari non possum per corporis præsentiam, Deo juvante præsentabor in spiritu orans et psallens mente ac spiritu. Quod ut efficaciter in me ac per me fiat, præstet homo in Deum natus, et in thronum Dei Patris exaltatus, atque ipsius Dei Patris testimonio commendatus.

Scitis autem, vos domini cardinales, quod, si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est, quia testificatus est de Filio suo. Nam *tres sunt*, ait Joannes, *qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus* (*I Joan.* v). Primo quæritur, cur non dixerit Pater et Filius, sed *Pater*, ait, *Verbum, et Spiritus sanctus*. Ad quod dicendum, quia non solum nobis tres illi testes testimonium dant, quod simus nati ex Deo, sicut proposuerat dicens : *Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum* (*II Joan.* v). Et sicut in fine capituli : *Qui credit*, inquit, *in Filium Dei, habet testimonium Dei in se* (*ibid.*). Verum et ipsi, imo principaliter ipsi Domino Jesu testimonium dant, quia ipse est Christus, vel quia Christus est veritas. Quod et ipse de seipso testatus est dicens : *Ego sum via, et veritas, et vita* (*Joan.* xiv). Quo testimonio ipsum Verbum non eguit, quod ab æterno veritas et vita fuisse nec prophetas, nec etiam philosophos, maxime Platonicos latuit, sed homini assumpto, quod vita et veritas sit Verbi assumentis, necessarium fuit testimonium. Ne igitur occasio porrigeretur hæreticis dicturis duos esse filios, alterum Filium Dei, et alterum filium hominis, de illo homine, qui pependerat in cruce ac mortuus est atque sepultus, testificationem conferens noluit dicere, quia testimonium dant ei Pater et Filius, cum ipse in utraque substantia, Dei et hominis, unus sit filius, sed, Pater et Verbum, inquit, et Spiritus sanctus. Nam revera non Filius filio, sed Verbum assumpto homini testimonium dat, quod ipse, qui negatus et reprobatus est quasi falsus testis dicentibus Judæis : *Tu de te ipso testimonium dicis, testimonium tuum non est verum* (*ibid.*, viii), ipse,

Digitized by Google

inquam, sit et veritas, et virtus, et sapientia Dei. Cujus rei testimonium non altera Christi persona alteri Christi personæ, sed altera Christi substantia altera Christi substantiæ dat. Quomodo, ais, testimonium dat hoc Verbum sibi unito homini? Ut multa prætereamus, quæ nostram excedunt infantiam, in eo testimonium dat, quod præcedens de ore sibi uniti hominis non minus fuit efficax ad operandum, quæcunque voluit, quam de ore Patris olim prodiens ad operandum, quæcunque illi dixit, et facta sunt. Verbi gratia : *Dixit Deus* Pater : *Fiat lux* (*Gen.* I), et factum est ita. Item dixit homo iste hominibus : *Vos estis lux mundi* (*Matth.* V), et factum est ita. Igitur quam potenter Deus Pater dixit, et dicendo fecit de tenebris lucem splendescere in creatione mundi, tam potenter fecit homo hic de tenebris lucem splendescere in restauratione mundi. Pater imperavit aquis dicens : *Congregentur aquæ in locum unum, et appareat arida, et factum est ita* (*Gen.* I). Homo hic imperavit ventis et mari, et obedierunt ei. Dixit leproso : *Mundare* (*Marc.* I), et factum est ita. Dixit regulo : *Filius tuus vivit* (*Joan.* IV), et factum est ita. Similiter in omnibus quæ, ut fierent, voluit et dixit, factum est, quod voluit et dixit, nec de ore ipsius egrediens Verbum fuit vel esse potuit aliquando irritum secundum ipsius testimonium dicentis : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* (*Luc.* XXI).

Porro adversus inimicos ejus Judæos, qui eum quasi mendacem reprobaverunt, vel istud sufficiat, quia dixit de illis : *Et cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes gentes* (*ibid.*), atque ita factum est. Igitur secundum Verbi testimonium Jesus Christus est omnipotens, omnia, quæcunque vult faciens. Eodem Verbo quoque Pater ejus omnia, quæ voluit, fecit, quia Verbum humanatum non est in homine infirmatum, sed contulit homini omnem plenitudinem virtutum usque adeo, ut homo iste rectius dicatur virtus et sapientia quam virtuosus et sapiens. Unde Apostolus : *Nos*, inquit, *prædicamus Christum Dei virtutem et Dei sapientiam* (*I Cor.* I). *Christum*, inquit, non Verbum. Nam de Verbo Dei nemo dubitat, quin sit virtus et sapientia Dei, sed de Christo, de homine uncto, de homine in Deum assumpto et nato, quia dubitari poterat, quod esset virtus et sapientia Dei, ipsum Verbum Dei sonans per Apostolum veridicum suæ carni, homini videlicet sibi unito perhibet verum testimonium virtutis et sapientiæ, quam non habet sicut alii sancti accidentali dono, sed essentiali bono, quo nemo bonus nisi unus Deus.

Inter omnia vero testimonia Verbi hoc Ecclesiæ Dei sapit jucundius, ubi suam carnem testatus est panem vivum, dicens : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* (*Joan.* VI). Hunc enim panem, sicut legitur, signavit Deus, non dubium, sigillo ipsius Divinitatis, ita videlicet, ut sicut ipsa Divinitas est cibus angelorum vivificans et beatificans eos, ita caro Verbi se digne participantibus hominibus vitam conferat et beatitudinem. Quocirca recte censuit Ephesina synodus, carnem Verbi vivificatricem credendam et dicendam contra Nestorium, hoc negantem, et inter alias blasphemias evomentem, quod caro, quæ in altari sumitur, non dicenda esset caro Domini, sed hominis. Quia vero contra hunc ejus errorem alias plura diximus, nunc simus contenti de carne sua ipsius Verbi testimonio, de quo, cum multa loquatur sanctus Hilarius in octavo libro de sancta Trinitate, cui placet, legat, quæ dicta sunt ab illo doctore orthodoxo, contexente illic non tantum Verbi testimonium, sed etiam corporis et sanguinis testamentum testatoris morte a Deo confirmatum, ut nulli scholasticorum, aut scholarum liceat superordinare aliud. Sicut enim fundamentum aliud *nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* (*I Cor.* III) : ita etiam testimonium aliud nemo potest ordinare, præter id quod sanguine Christi est firmatum : *Hic est*, ait, *sanguis novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (*Matth.* XXVI). Hic est sanguis, qui, ut Apostolus ait, *emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi* (*Hebr.* IX). Quod quia sanguine hircorum aut vitulorum, imo nec sanguine omnium sanctorum fieri potuit, sanguis Domini ad hoc fuit necessarius. *Sanguis*, inquam, *Domini*, quia homo Dominus est, cujus in sanguine purpuratur et purificatur tota Ecclesia, eodem redempta et potata, nec non ipsius testamento hæres Dei, cohæres autem Christi effecta.

Quomodo autem Pater dat huic testimonium? Primum dicendo : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Matth.* III). De hoc Patris testimonio in opusculo ad beatæ memoriæ papam Adrianum plura diximus, quæ nunc repetere non putamus necessarium. Sed hoc non videtur prætereundum, quod ipse Jesus ait : *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi* (*Joan.* X). Item, *Pater*, inquit, *in me manens ipse facit opera* (*ibid.*). Item : *Si mihi non vultis credere, operibus credite* (*ibid.*). Semper itaque audiendo illum Pater in faciendis operibus magnis, quæ nemo alius fecit, maxime vero ipsum resuscitando a mortuis, testimonium illi perhibuit, quod vero de semetipso locutus sit dicendo : *Ego in Patre, et Pater in me est* (*ibid.*). Item : *Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus est* (*ibid.*). Dicta hæc exponens venerabilis Beda presbyter ait : « Majus autem omnibus, quod Mediatori Dei et hominum Jesu Christo Pater dedit, hoc est, ut sit Unigenitus Filius ejus in nullo gignenti vel natura dissimilis, vel virtute inferior, vel tempore posterior. Quam videlicet æqualitatem ipse Dominus in Divinitate habuit, priusquam mundus esset, apud Patrem, ipse in humanitate ex tempore incarnationis accepit. » Item super hunc locum : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII), dicit idem Beda : « Non hoc de coæterna Patri divinitate, sed de assumpta loquitur hu-

Digitized by Google

manitate, quam suscipiendo minoratus est paulo minus ab angelis, et in qua resurgendo a mortuis gloria et honore coronatus est et constitutus super opera manuum Patris. » Item cum dicit : *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo* (*ibid.*, XI). « Si de Patre suo hoc loquens mentitus fuisset, non eum virtus divinorum operum comitata fuisset, neque Pater illi semper adfuisset, » sicut ipse dicit : *Qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum* (*Joan.* VIII), etc.

Nihilominus etiam Spiritus sanctus testimonium dat huic homini, quod sit Christus, vel quod sit Dei Filius, Dei virtus, quia videlicet, quemadmodum dixit : *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibet de me, et vos testimonium perhibebitis* (*ibid.*, XVI), sic factum est, et fit, et fiet usque in finem sæculi. Illi tres testes in cœlo testimonium dant, et hi tres unum sunt. Non hi tres unus, sed *hi tres unum sunt* (*I Joan.* VI), inquit, tres in personis, unum in substantia, et unum est illorum trium testimonium, quia homo Jesus, qui putabatur filius Joseph, sit Filius Dei æque omnipotens ut Pater ejus. Nam de omnipotentia ejus etiam illis testibus est credendum, *qui ei testimonium dant in terra, scilicet spiritus, aqua, et sanguis* (*ibid.*, V). Etenim spiritus, videlicet anima rationalis, quam in cruce posuit, quamque, cum voluit, iterum sumpsit, nullatenus infernum spoliare, seu paradisum latroni aperire potuisset, nisi omnipotens fuisset. Aqua etiam et sanguis de latere ipsius profluens invisibilem Pharaonem cum suo exercitu non suffocasset, aut suffocare potuisset, si divinæ virtutis omnipotentia caruisset.

Hæc cœlestia et terrestria testimonia, imo unum testimonium trium in cœlo, et trium in terra testificantium Photinus minime attendit, qui hominem de virgine genitum negavit Deum. Paulus quoque Samosatenus eodem errore cæcatus et ipse docuit ab homine Divinitatem, et a Deo alienam esse humanitatem, ita ut nec Deus homo, nec homo Deus vere diceretur, quamquam Deus in homine illo plenius habitaverit, quem virgo genuit, quam in cæteris sanctis. Nestorius quoque secutus Photinum, hominem divisit a Deo, negans virginem genuisse Deum. Contra hos beatus Hieronymus in expositione Jeremiæ dicit : « Si maledictus est omnis homo, qui confidit in homine, Paulus autem Samosatenus, et Photinus, quamvis sanctum, et cunctis excelsum virtutibus prædicent salvatorem, tamen hominem confitentur: ergo maledicti erunt spem habentes in homine. Quod si objectum nobis fuerit, quod et nos credamus in eum, qui dixit : Nunc autem quæretis me interficere *hominem qui veritatem locutus eum vobis, quam audivi a Deo* (*Joan.* VIII), respondebimus illud apostolicum : Etsi Christum aliquando juxta carnem cognovimus, sed nunc jam non novimus. Si enim mors absorpta est in victoria, quare non carnis humilitas, quæ propter humanam salutem assumpta est, in Divinitatis transierit majestatem, ut fecerit utraque unum, et non adoremus creaturam, sed creatorem, qui est benedictus in sæcula. « Quia ergo docente Hieronymo, cum Christus adoratur, non creatura sed Creator adoratur, obmutescant qui docent hominem non esse adorandum latria, sed sicut aiunt, sola dulia. Obmutescant, inquam, a stultis et indisciplinatis quæstionibus, quibus obvians beatus Ambrosius in Lucam dicit : « Cum Paulus judicaverit se nihil scire nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum, Petrus nihil aliud nisi Filium Dei putaverit confitendum, nos quando et quomodo natus sit, humanæ infirmitatis contemplatione rimamur. Scivit Paulus quod in istis quæstionibus magis offendiculum quam ædificationis profectus esset, et ideo judicavit nihil se scire nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum. Scivit Petrus, quod in Filio Dei omnia sint; omnia enim Pater dedit Filio. Si omnia dedit, æternitatem, majestatemque transfudit. » Hæc Ambrosius.

At illi disputatores importuni, qui nihil credere noverunt vel volunt, nisi quod intellectu et ratione valent comprehendere, non cessant a quæstionibus indisciplinatis, nisi auctoritas apostolica illis modum ponat. Quod qualiter fieri debeat, vestra perspiciat prudentia, non per nos instruenda, cum simus potius nos minimi per vos magnos instruendi et constringendi ad antiquos terminos fidei. Pro quibus tenendis, et minime transgrediendis nos parvuli tanto fiducialius certabimus, favente Christo, quanto evidentius apostolica nobis assistet auctoritas, prout mihi pusillo catenus astitit, sicut in præmissis epistolis a sede apostolica missis, ac pro me facientibus apparet. Magis autem in scriptis Romanorum pontificum Leonis et Gregorii, cæterorumque jam cum Deo regnantium firmissimum fuit mihi, et est refugium, sicut in epistola quadam expressi, cujus hic textus est :

« Innocentio divina favente Clementia sedis apostolicæ antistiti frater G. suæ sanctitatis qualiscunque servus devotas orationes cum obedientia. Domine, refugium tu factus es nobis in Domino, qui priusquam fierent montes aut formaretur orbis terræ, te prædestinavit nobis pium patronum contra violentiam impiorum. Puto enim, si non esset nobis apostolicæ sedis asylum, jam redacti essemus ad nihilum per iniquas potentias impiorum. Sed tu, beate vir, qui non soles abire in consilio impiorum, nec sedes in cathedra pestilentiæ, sed in cathedra potestatis apostolicæ, per tuæ pietatis eximium affectum factus es nobis refugium, imo æterna Christi pietas, quæ regnat in corde tuo, facta est nobis turris fortitudinis a facie impiorum, qui nos afflixerunt et affligunt. Petro Leonis tyrannizante multa sumus passi ab ejus fautoribus, quando vidimus *impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani. Sed transivi, et ecce non erat* (*Psal.* XXXVI). Hæreses autem sunt, quia eas oportet esse Apostolo asserente, inter has laboravimus, et adhuc

Digitized by Google

laboramus. Nam pro eo, quod aliquando scriptis ac dictis confutavimus hæreticum sensum quorumdam asserentium: Christi corpus extra Ecclesiam etiam ab excommunicatis confici (17), nisi tu, Pater, mihi tunc fuisses in refugium, hæretici me damnassent quasi hæreticum. Sed quia residuum bruchi parata est comedere locusta, succedunt malis mala. Nam de fumo putei abyssi, ut Joannes in Apocalypsi prævidit, nunc exierunt locustæ, videlicet plures discipuli Petri Abailensis, affirmantes hominem de virgine sumptum non esse Deum, sed ipsius Dei singulare habitaculum, in quo cum habitet omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, non tamen dicunt ei convenire nomen Deitatis, ut Deus dicatur, nisi figurativa locutione qua continens pro contento, vel contentum pro continente nominamus. Etenim figurativa locutio, si habens pro habito nominatur, quod plerumque solet fieri, uti manufactum templum vocamus ecclesiam, propterea quod habet vel continet Ecclesiam, id est justos in ea convocatos. Et in Evangelio ubi dicitur: *Credidit ipse, et domus ejus tota* (*Joan.* IV), familiæ datur nomen domus, quia familia habet, vel continet domum. Ita, inquiunt, figurativa est locutio, quando vel homini Deum in se habenti assignamus nomen Dei, vel Deum in homine manentem dicimus hominem. Nos autem, quia Deum proprie hominem, et hominem Deum prædicamus, ne forte in vacum curramus, tibi Pater, per latorem præsentium super hac quæstione misimus tractatum, quem si tua approbat auctoritas, iterum cantabo, quod et antea cantavi: *Domine, refugium* tu *factus es nobis* (*Psal.* LXXXIX), non quod confidam in te mortali homine, sed in Petro, imo in petra, cujus fortitudini prævalere non poterunt portæ inferi. Contingat ergo mihi etiam nunc, et quandiu vixero, jucundari assidue psallendo: *Domine, refugium* tu *factus es nobis*, et cætera usque in finem Psalmi.

EPISTOLA XXI *.

C. cardinalis ad Gerhohum epistola. Laudat ejus doctrinam, monetque ut de subtilioris argumenti rebus coram rudibus ne disputat.

C. Dei gratia sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconus cardinalis, reverendissimo suo G. magistro, salutem et dilectionem.

Scientiam et sanam doctrinam vestram Romana Ecclesia a longo tempore et cognovit, et utpote canonicarum Scripturarum auctoritate vallatam modis omnibus comprobavit. Nosque etiam, qui frequenti vobiscum disputatione contulimus, hoc idem sensimus, et sentimus. Ideoque super eo, quod vulgari sermone de persona vestra in curia nostra referebatur, non modice mirabamur, nec unquam animum ad credendum induximus. Nunc autem, quia scripta vestra per fidelem nuntium vestrum vidimus, legimus et cognovimus, quæ a vestris æmulis dicta sunt, vana penitus reputamus. Consulimus autem dilectioni vestræ, ut collationes hujusmodi in populari frequentia facere nulla ratione curetis, ne occasione vobis obloquentium, quod absit! populus in errorem inducatur.

(17) Admittit alibi Gerhohus id confici quoad essentiam, non quoad fructum.

EPISTOLA XXII.

Hyacinthi cardinalis ad Gerhohum epistola. Scribit papam controversiæ De gloria et honore Filii hominis, ut optaverat, intentum esse, simulque docet Alexandrum ab universa Ecclesia paucis exceptis, legitimum pontificem haberi.

Hyacinthus, Dei gratia sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconus cardinalis, plurimum in Christo dilecto amico suo magistro G. de Richersperge salutem, et sinceram in Christo dilectionem.

Vestræ charitatis litteras cum omni benignitate recepimus, et his, quæ in eis continebantur, diligentius inspectis cum domino papa super eis satis contulimus. Qui licet multis intendere habeat, tamen quæstioni vestræ succincte respondit. Nos tamen non sine magna ferimus [fuimus] admiratione, quod ita sero et domino papæ, et nobis scripsistis. Quippe nullatenus credens menti vestræ discretionis posse suaderi, quod Octaviani intrusio, qui absque alicujus electione sive cardinalium sive non cardinalium, diabolico ausu se ipsum inmantare præsumpsit, domini papæ electioni canonice celebratæ valeat derogare, præsertim cum ab omnibus regibus, qui Christiano nomine censentur, uno solo excepto sit approbata ab omnibus, etiam principibus tam sæcularibus quam ecclesiasticis regni Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Hispaniæ, Siciliæ, Hungariæ, Græciæ et Orientis, a Romanis etiam et omnibus fere Italicis. Si qui autem eorum cum Octaviano sentiunt, sine spiritu Dei ducti, sed potius imperatoris timore coacti hoc faciunt.

Cum igitur Dominus noster sibi honorem non assumpserit, sed magis a fratribus vocatus sicut Aaron a Moyse fratre suo, vos qui spiritu Dei agimini, pro ipsius et Ecclesiæ fidelitate murum inexpugnabilem vos debetis constituere. Vestram itaque in Domino attentius sollicitamus charitatem, quatenus ad Ecclesiæ pacem omnifarie intendentes vestram voluntatem nobis confidenter velitis aperire, quia, in quantum cum Deo poterimus, vobis curabimus satisfacere.

EPISTOLA XXIII.

Idem ad Ottonem I, episcopum Frisingensem. Tuetur Hilarium adversus quemdam non nominatum auctorem, qui volebat, ab illo traditum fuisse, corpus Christi non esse glorificatum ultra cæterorum sanctorum corpora, nec humanam in Christo naturam in accepta gratia excedere excellentiam cujuslibet angeli.

Venerabili Frisingensis (18) Ecclesiæ antistiti O., frater G. de Richersperge, devotas orationes cum fideli obsequio.

Nuper venit in manus nostras quidam libellus vestræ prudentiæ destinatus, tanquam a vobis exami-

(18) Ex cod. Admont.

Digitized by Google

nandus et approbandus. Qui cum de doctrina magistri Gilberti sit contextus, qualem in glossis ejus deprehendimus, et reprehendimus in scriptis, quæ antehac vobis, et vestris misimus, in fine suo tanquam scorpionis cauda venenum diffundit longe perversius quam unquam in præteritis hæresibus de Christo habitis legerimus. Etenim Ariani, Photiniani, Apollinaristæ, Bonosiani ac cæteri hæretici, qui Christo detraxerunt, eum, licet Patri supponentes, angelis tamen excellentiorem docuerunt. Nam etiam de sancta ejus Genitrice hoc sancta credit et celebrat Ecclesia, quod super choros angelorum sit exaltata, in qua pura humanitas agnoscitur glorificata. Novitas vero istius doctrinæ suadet credendum de homine, quem Pater sanctificavit et misit in mundum, quod corpus ejus non sit glorificatum ultra cæterorum corpora sanctorum, nec ipse in gratia, quam accepit, excedat excellentiam cujuslibet angeli.

Ad hujus pestiferæ doctrinæ sensum confirmandum putant se habere patronos magnos Hilarium et Augustinum. Dicit enim Hilarius libro undecimo de sancta Trinitate : « Cum igitur hæc terrenorum corporum origo in habitu potioris excedat, et conformis gloriæ Dominici corporis fiat Deus in forma servi repertus, ut qui nobis formam glorificati corporis sui tribuit, ipse corpori suo nihil ultra possit quam nobis ac sibi commune præstare? » Hæc dicta Hilarii præcedentibus et subsequentibus collata sensum habent catholicum, nostræque assertioni per omnia consonum. Hoc evidenter clarere in nostris codicibus, diligenter emendatis, ubi sententia præmissa, cum sub interrogatione legitur, sine errore intelligitur. Tale est illud in Apostolo ubi, cum dicitur : *Quis accusabit adversus electos Dei?* (*Rom.* VIII), subnectitur : *Deus qui justificat?* (*Ibid.*) Quod si legatur interrogative, ut oportet, dicaturque : *Deus*, qui justificat? intellectus bonus omnibus capientibus eum generatur. Si vero affirmative, sensus est errore plenus. Ita nimirum cum dicit Hilarius de Christo : « Ut qui nobis formam glorificati corporis sui tribuit, ipse corpori suo nihil ultra possit quam nobis ac sibi sit commune, præstare, » si legatur interrogative, ut oportet, sensum generat catholicum, quia sub interrogatione acrius negatur, quod dicitur : Ne videlicet Christus ita infirmus putetur, ut, qui nobis formam glorificati corporis sui tribuit, ipse corpori suo nihil ultra possit quam nobis, ac sibi sit commune, præstare. Quis enim valeat æstimare quanta suo corpori contulit, quæ sanctorum corporibus conferri penitus est impossibile? Cujus enim sancti corpus vere est cibus, vel uno eodemque tempore invenitur in locis pluribus? Quod unquam corpus quantumlibet glorificatum illi corpori comparabitur in gloria, de quo dicitur : *Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ* (*Matth.* XXIV). Sive enim per aquilas intelligas virtutes angelicas, sive sanctas animas, in illius corporis vultum desiderant prospicere, quod quasi corpus solare lumen dat lunæ, ut sit perfecta in æternum, cum directe sine terrenæ umbræ interpositione, quæ solet animabus in carne manentibus aliquando eclipsin facere, aspicit illius vultum, licet corporeum, tamen super omnia corpora sanctorum, quorum claritas comparatur stellis, clarificatum claritate, quam habuit Verbum apud Patrem, priusquam mundus fieret. Si enim, cum in monte transfiguratus apparuit, resplenduit facies ejus ut sol, quanto magis nunc in monte celsitudinis paternæ sicut sol lucet in virtute sua, qualis ejus facies Joanni demonstrata in Apocalypsi patenter illum distinguit a sanctis aliis, qui fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum? De nullo quippe illorum legitur, quod fulgeat, sicut sol lucet in virtute sua, cum quisque illorum sit fulsurus in virtute non sua, sed illius, qui tunc erit omnia in omnibus, cum totus Christus erit Patri subjectus in suis membris omnibus. Solus autem Sol justitiæ in suo solari corpore deterra mortalitatis nube fulgebit in virtute sua, clarificatus videlicet gloria Patris et sua. Intravit quippe in gloriam suam.

Suam dico, non alienam, quia gloriam divinæ omnipotentiæ, quam Christus in humanitate accepit, in Divinitate sua æternaliter habuit et habet. Neque enim Divinitatis gloria, potentia, sapientia, benignitas æterna, immensa sic data est homini assumpto, ut ablata sit Verbo, quia Verbum caro factum sic dedit homini assumpto gloriam totam, quam habuit, ut eam totam retinuerit. *Sacramentum hoc magnum est*, ait Apostolus, *quod manifestatum est in carne, creditum est mundo, assumptum est in gloria* (*I Tim.* III). Quæ nimirum gloria Verbi est per naturam, sed hominis assumpti per gratiam, quoniam et ipsa talis assumptio facta est per gratiam. Sensisse hoc sanctum Hilarium satis invenient, qui diligenter legunt illum. Legitur enim apud illum : « Gloria omnis non Verbo, sed carni acquirebatur ; » et alibi : « Profecto ei, quod accepit, ejus claritatem expostulat, unde non destitit ; » et iterum : « Ut id, quod de tempore erat, gloriam ejus, quæ sine tempore est, claritatis acciperet. » Et alia hujuscemodi apud eum inveniuntur, per quæ confutari possunt, qui errorem suum dictis ejus adstruere præsumunt pervertendo ea in sensum pravum, quod in multis locis faciunt, de quibus non est modo dicendum per singula, quia piget iterare sæpius dictata, et Ecclesiæ Romanæ præsentata ejusque pontificibus Innocentio et Eugenio insinuata, et ab eis approbata, utpote antiquis pontificum Romanorum doctrinis consona.

Et quidem de Hilario non mirum, quod illius dicta tanquam obscura depravant. Verum de dictis Augustini, ab eis depravatis, valde miramur, sive per imprudentiam, sive per impudentiam acciderit, quod sententia illius apud eos errorem genuit, si tamen ab illo, et non potius a patre mendacii conceperunt sensum hunc falsissimum, quo affirmant, hominem assumptum in unam Trinitatis personam

Digitized by Google

non excedere dignitatem angelicam. Ut autem evidentius fiat, quæstionis verba Petri discipuli episcopi Gilberti ponamus. Contra nos enim scribens dicit inter cætera : « Constat Christum Patre, secundum humanitatem, semper minorem esse, cum in illa, quam nominamus humanitatem, natura non excedat, ut ait Augustinus, excellentiam angelorum, quod jam corpori suo præstitum est commune sibi et nobis. » Et paucis interpositis ait : « Cum, inquam, hæc corpori suo præstitit, gloria sibi sit et nobis communis, qualiter corpus suum in eadem gloria sit Deo Patri æquale, investigare otii est non industriæ, cum etiam Augustinus dicat in sermone capite septimo super Joannem : Unigenitus autem cum sit Dominus omnium, procul dubio est Dominus angelorum natura, qua Deus est, non angelis sed Patri potius æqualis, gratia vero, qua homo est, non excedit excellentiam cujuslibet angeli. » His Augustini dictis quasi pro argumento habitis prosequitur suæ textum argumentationis dicens : « Audiant (19) Augustinum Christum in gratia humanitatis non esse angelis excellentiorem, et corpus ejus in gratia, quod habet, Patri æquale esse asseverantem. Nempe si dixisset in natura, qua homo est, non excedit angelorum excellentiam, forsan aliqua eis dimitteretur tergiversandi facultas. Quod tamen propterea nos induxisse intelligant, quoniam arbitramur hoc saltem eos posse intelligere, quod aliud est natura, quæ spectat ad creationis auctoritatem, et aliud gratia, quæ pertinet ad donantis largitatem. Si enim idem intelligitur esse gratiam, qua homo est, et naturam assumptam, citra significationem professionis videbitur locutus auctor, cum in ea natura fuit ante citra excellentiam angelorum. Qui profecto si conformis esset in sui corporis gloria Deo, nihil haberet, quod ultra posset corpori suo præstare præter illud, quod jam præstitit.

In his argumentationibus cum pro minimo sit mihi, ut ab eis judicer, qui datam Christo gloriam divinam immensam contrahunt ad mensuram dignitatis angelicæ, cui etiam sanctos homines æquandos credimus; tamen quia ferre non possumus Augustini dicta sic ab illis depravari, ut ipse putetur consentaneus eorum errori, non piget hic ipsa ejus verba inserere. In sermone quippe capite septimo super Joannem distinguens inter Unigenitum Dei Filium et membra ejus, filios scilicet adoptivos ait : « In Filio nos Pater diligit, quia in ipso nos elegit ante mundi constitutionem. Qui enim diligit Unigenitum, profecto diligit et ejus membra, quæ adoptavit in eum per eum. Nec ideo pares sumus Unigenito Filio, per quem creati et recreati sumus, quia dictum est : Dilexisti eos sicut et me. Neque enim semper æqualitatem significat, qui dicit : Sicut illud, ita et illud, sed aliquando tantum quia est illud, est et illud, aut quia est illud, ut sit et illud. Ita et hoc loco dilexisti eos, inquit, sicut et me dilexisti. Quod aliud nihil est, quam dilexisti eos, quoniam et me dilexisti. Non enim membra Filii non diligeret, qui diligit Filium, aut alia causa est diligendi membra ejus, nisi quia diligit Filium, sed diligit Filium secundum Divinitatem, quia genuit illum æqualem sibi. Diligit eum etiam secundum id, quod homo est, quia ipsum Unigenitum Verbum etiam caro factum est, et propter Verbum est ei chara Verbi caro. Nos autem diligit, quoniam sumus ejus membra, quem diligit. Quapropter incomprehensibilis est dilectio, qua diligit Deus neque mutabilis. » Et paucis interpositis ait : « Cum igitur eorum, quæ fecit, nihil oderit, quis digne possit eloqui, quantum diligat membra Unigeniti sui, et quanto amplius ipsum Unigenitum, in quo condita sunt omnia visibilia et invisibilia, quæ in suis generibus ordinata sunt, ordinatissime diligit. Membra quippe Unigeniti ad angelorum sanctorum æqualitatem gratiæ suæ largitate perducit. Unigenitus autem cum sit Dominus omnium, procul dubio est Dominus angelorum natura, quia Deus est non angelis sed Patri potius æqualis : gratia vero quia homo est, quomodo non excedit excellentiam cujuslibet angeli, cum sit una persona carnis et Verbi ? »

Hic notandum est furtum Gilbertinorum. Nam cum interrogando dicat beatus Augustinus : « Quomodo non excedit excellentiam cujuslibet angeli ? » adverbium interrogativum de medio verborum ejus furati sunt, et constanter ejus verbis affirmant, quod ipse per interrogationem vehementius negat. Dicunt illi de Christo : « Non excedit excellentiam cujuslibet angeli, » quod sentire omnino hæreticum est, quodque docere diabolicum, quia sicut diabolus mendax est et pater mendacii, sic doctores isti pariunt mendacium in cordibus auditorum, eorum permaxime, qui, quoniam charitatem veritatis non receperunt, mittit illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, et tali mendacio, quo non est pejus mendacium, cum videlicet contra fidei Christianæ veritatem quis docet pertinaciter falsitatem. Quid enim falsius eo, quod ipsi dicunt, Christum secundum quod homo est, vel secundum gratiam, quam in eo habet, quod homo est, non excedere dignitatem cujusque angeli ? Quid autem verius eo, quod docet beatus Augustinus interrogando, sic dicens : « Quomodo non excedit excellentiam cujuslibet angeli, cum sit una persona carnis et Verbi ? » Quod idem est, ac si dicat : revera excedit excellentiam cujuslibet angeli. Quæris quantum excedat ? Audi Apostolum : *Tanto*, inquit, *melior angelis effectus, quanto præ illis differentius nomen hæreditavit. Cui enim dixit angelorum* (*Hebr.* IV) : *Datum est nomen, quod est super omne nomen?* (*Philip.* II.) De hoc nomine homini a Deo Patre dato, et eidem in glossis magistri Gilberti super Apostolum denegato sub titulo cujusdam Ambrosii monachi, cognomento

(19) Cod., *audiunt*.

Digitized by Google

Audberti, alias tanta scripsimus ad vos et vestros clericos valenter litteratos, ut hic videatur superfluum dicta repetere, cum prædictus episcopus Gilbertus tunc fuerit per vos et vestros erga me verisimiliter excusatus, quod non ita senserit, ut ille Ambrosius, cujus ideo forte sententiam posuit, quia eam in glossis antiquioribus positam invenit. Sed isti ejus discipuli, qui gloriam et gratiam naturæ humanæ in Dei Filium assumptæ absque mensura datam, redigunt et contrahunt ad mensuram gloriæ vel sanctorum hominum depravando Hilarium, vel sanctorum angelorum depravando Augustinum, sicut in præmissis apparet, nisi compescantur, faciunt, ut in memoriam redeat iniquitas magistri eorum in conspectu Domini, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cujus pontificibus antiquis et novis contraria est hæc doctrina tam perversæ novitatis.

Argumenta vero eorum satis mirari non possumus, in quibus Arianorum dogmata ex parte suscitari deprehendimus; aiunt enim ad dignitatem et gloriam majestatis quam plurimum pertinere, quod quis remunerat obedientem, exaudit interpellantem, postulanti subjicit omnia, subjicit sub pedibus, offerentem benedicit, nemo prorsus nisi non catholicus, qui ignoret ut gentilis, qui neget ut judæus, qui demutet ut antichristus, audeat inficiari. Etenim tanquam sacerdoti magno, cujus origo a Patre, inenarrabilis dedit Pater benedictionem omnium gentium. Quis autem major est, qui benedicit, an qui benedicitur?

Assertiones istæ quondam fuerunt Arianorum, Filium Patre minorem asserentium, et a sanctis Patribus rationabiliter illis obviatum est, eo quod obedientia voluntaria, non coactitia pro salvandis hominibus exhibita homini sic obedienti magis deputatur ad gloriam quam ad ignominiam. Denique propter hoc *Deus illum exaltavit, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen* (*Phil.* II), *propter hoc subjecit omnia sub pedibus ejus* (*Ephes.* I). Hæc ipsa obedientia fuit postulatio, in qua fuit dignus exaudiri pro sua reverentia; pro sua, inquam, reverentia, in quo nulla fuit culpa, quemque sic postulare non coegit necessitas propriæ miseriæ, sed pietas misericordiæ hoc exegit, ut sic perdita restauraret. Quod utique opus restaurationis non est minus opere creationis. Imo venerabilius est, quod per hominem resurrectio mortuorum, qui vitam demeruerunt, quam quod per Verbum creatio vivorum, qui nihil boni meruerunt. Quia mirabilius est vitam restitui mortuis, qui mortem sempiternam meruerant, quam vitam dari eis, qui nihil meruerant. Esto tamen, ut, cum per suam obedientiam omnia subjecerit Patri, ut sit Deus omnia in omnibus, tunc et ipse Patri sit subjectus (quod, sicut asserit Augustinus, ideo dicitur, ne humana substantia, quantumlibet glorificata putetur in divinam substantiam commutata versibilitate naturæ, quem sensum sancta Ecclesia damnavit in hæretico Eutychete); esto, inquam, ut sit in æternum Patri subjectus homo Deus, Dei Filius, nunquid tamen ista subjectio pia et voluntaria deputanda est illi ad ignominiam? Absit! Dicit enim sanctus Ambrosius in libro quinto ad Gratianum imperatorem: « Sicut in Christo per carnem, quæ est pignus nostræ salutis, sedere nos in cœlestibus Apostolus dixit, utique non sedentes: sic et ille per nostræ assumptionem naturæ dicitur subjectus in nobis. » Item: « Scriptum est: *quia cum mortui essemus peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati* (*Ephes.* II), et simul suscitavit, simulque fecit sedere in cœlestibus in Christo Jesu. Agnosco scriptum, sed non ut homines sedere ad dexteram sibi patiatur Deus, sed ut in Christo sedere, quia ipse omnium fundamentum est, et ipse est caput Ecclesiæ, in quo communis secundum carnem natura prærogativam sedis cœlestis emeruit. Sicut ergo nos in illo sedemus per corporeæ communionem naturæ, ita et ille, qui per susceptionem nostræ carnis maledictum pro nobis factus est, cum maledictum utique in benedictum Filium Dei non cadat; ita, inquam, et ille per obedientiam omnium erit subjectus in nobis, cum gentilis crediderit, cum Judæus agnoverit, quem crucifixit, cum Manichæus adoraverit, quem in carne venisse non credidit, cum Arianus omnipotentem confessus fuerit, quem negavit; cum postremo in omnibus fuerit sapientia Dei, justitia, pax, charitas, resurrectio. Conclusionem igitur totius absolutionis breviter colligamus. Unitas potestatis opinionem injuriosæ subjectionis excludit. » Idem: « Quod si quæris, quemadmodum sit subjectus in nobis, ipse ostendit dicens: In carcere eram, et convenistis ad me; infirmus eram, et visitastis me; in eo infirmus, in quo subjectus (*Matth.* XXV). »

Hæc dicente Ambrosio, recte intelligamus Filium Patri subjiciendum in membris, cum peracta et consummata fuerit subjectio membrorum ipsorum. Quod si etiam in suæ personæ humanitate futura est illa subjectio, quam consequitur, ut sit Deus omnia in omnibus, non tamen arbitranda est injuriosa, sed gloriosa. Nam in ipsa quoque Divinitate legimus Filium Patri subjectum, nec tamen ideo minorem vel inferiorem putandum vel habendum. Hinc in exemplo fidei, Sirmio ab Orientalibus contra Photinum scriptæ, inter cæteros errores etiam hic error damnatus est, quo putatus est aut Filius Patri non subjectus, aut si subjectus, minime coæquandus. Dicunt ergo Patres jam dicti concilii: « Si quis Dominum et Deum et Patrem Filium, quia Dominum a Domino, duos dicat Dominos, anathema sit. Non enim ita exæquamus vel comparamus Filium Patri, ut subjectum non intelligamus, neque enim descendit in Sodomam sine Patris voluntate, neque pluit ex se, sed a Domino, auctoritate scilicet Patris, nec sedet in dextera a semetipso, sed audit Patrem dicentem: Sede ad dexteram meam. » De hac sententia synodali tractans Hilarius dicit inter cætera: « Non comparatur, nec coæquatur Filius

Digitized by Google

Patri, dum subditus per obedientiæ obsequelam est, dum pluit Dominus a Domino, dum ad dexteram Dei consedit, dum mittitur, dum accipit, dum in omnibus voluntati ejus, qui se misit, obsequitur. Sed pietatis subjectio non est essentiæ diminutio, nec religionis officium degenerem efficit naturam, cum per id, quod innascibilis Pater Deus est, et unigenitus Filius Dei Deus sit, Deus tamen unus sit, et subjectio Filii doceatur et dignitas, dum ei ipsi non nisi Filius nuncupandus subjicitur. Quod cum Dei Patris sit, tamen ex natura sibi sit nomen habens non alieni, sed ejus, cujus et Filius est, et sit Patri et obsequio subjectus et nomine, ita tamen ut subjectio nominis proprietatem naturalis atque indifferentis testetur essentiæ; sic loquente Hilario de Filii subjectione in sua divinitate, non diminuta per subjectionem coæqualitate, in qua et is qui subjicitur, et is cui subjicitur, unus Deus altissimus adoratur. » Et nos ejus tenendo vestigia eisdem pene verbis affirmamus, quod pietatis subjectio non est gloriæ diminutio, nec religionis officium degenerem facit naturam humanam in unigenito Dei Filio, cum per id, quod innascibilis Pater Deus est, et filius virginis idemque Filius Dei Patris Deus sit divinitate Verbi assumentis, homini assumpto plenarie data et innata, ita scilicet, ut non ex adoptione, sed ex natura filiationis vocetur et sit Filius Dei Patris, Deus et ipse nominandus æque ut Pater suus, nomen habens non alieni sed ejus, cujus et Filius est, et sit Patri et obsequio subjectus et nomine, ita tamen, ut subjectio nominis proprietatem naturalis atque indifferentis testetur essentiæ, qua homo assumptus Deus est æque ut Verbum assumens, et Pater Verbum gignens atque Spiritus sanctus de Patre ac Verbo procedens, non duplicata vel triplicata Divinitate, quæ in summa semper manet simplicitate, sive de homine, cui plena data est, prædicetur juxta illud Isaiæ : *Puer natus est nobis, filius datus est nobis, et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi* (*Isa.* IX), sive de tribus personis unius Trinitatis collectim enuntietur. Sicut enim Patris et Filii et Spiritus sancti una est divinitas, ita Verbi assumentis hominem, et hominis in Verbum assumpti eadem una est divinitas, uti nuper scripsimus venerabili Patri universalis Ecclesiæ papæ Adriano. Sed cum ei scriberemus, nondum ad nostram notitiam venit ista, contra quam nunc agimus, doctrina de gloriæ in homine assumpto hac mensura, qua coæquatur angelis ipse, qui est Dominus angelorum non solum in divina essentia, in qua ipsos creavit angelos, sed etiam in humana, in qua Patri obediens ipsorum numerum redintegrans implevit ruinas, conquassavit capita in terra multorum de torrente in via bibens, propterea exaltavit caput. Ideo enim jurejurando fecit illum Dominus crescere in ea natura, in qua potuit crescere, in qua etiam, ut cresceret, ac non Judæorum Deus tantum, sed et gentium Deus esset, benedictio est omnium gentium data illi.

Habet hic occasionem contradicendi adversarius, ut supra notavimus. Quis, inquit, major est, qui benedicit, an qui benedicitur? Nonne secundum Apostolum major est, qui benedicit? Hic, ne contra philosophos apud se sapientes videamur velle philosophari, simpliciter eis ostendimus quod, etsi major sit, qui benedicit, quam qui benedicitur, interdum tamen ipse benedictus jam accepta benedictione non est minor, imo aliquando et major eo. Nam si episcopus, annuente ac permittente archiepiscopo, benedicit aliquem in episcopum, quoniam et hoc licet fieri secundum censuram canonum, nonne is, qui ante benedictionem fuit minor, suscepta benedictione benedicenti fit æqualis? Item : Aliquis in archiepiscopum electus, et ab aliquo suffraganeorum cæteris cooperantibus benedictus, etsi ante benedictionem fuit minor benedicente, tamen jam benedictus non minor, sed major est habendus. Ergo præmissum illud Apostoli dictum sic est intelligendum, ut non generet intellectum absurdum, fideique sanæ contrarium. Nam benedictus ille homo, qui venit in nomine Domini, sic est a Patre, cooperante Spiritu sancto, benedictus, ut sit non inter omnia, sed *super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* IX). Proinde accepta benedictione tanta non est minor homo benedictus Deo se ita benedicente, ut sit super omnia Deus benedictus. Hac benedictione donatum est illi nomen, quod est super omne nomen, ante cujus donationem vere natura humana minor divina fuit, sed in Filio Dei nomine summo glorificata latenter in conceptione, patenter in ascensione sic est magnificata, ut ejus magnitudo sit immensa, quæ non molis dilatatione, sed virtutis immensitate pensanda est, maxime postquam donatum est ei nomen, quod est super omne nomen, sic est manifestatum mundo, ut in omnem terram exierit sonus apostolorum contestantium, quod, sicut a summo cœlo egressio ejus, ita occursus ejus usque ad summum ejus.

Etsi ergo major eo fuerit Pater summus ante benedictionem, tamen ipse jam per Patris benedictionem et glorificationem provectus usque ad summum, non est in gloria sibi data minor dante habendus, cum jam omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Unde Hilarius libro nono de Trinitate ait : « Si igitur donantis auctoritate Pater major est, nunquid per doni confessionem minor Filius est? Major itaque est donans, sed minor jam non est, cui unum esse donatur. Si non hoc donatur Jesus, ut confitendus sit in gloria Dei Patris, minor Patre est : si autem in ea gloria donatur ei esse, in qua Pater est, habes et in donantis auctoritate, quia major est; et in donati confessione, quia unum sunt. » Item : Major Pater est, dum gloriam assumpto homini rogatur, ut reddat; filius minor non est, dum gloriam resumit apud Patrem. » Item : « Glorificaturus Filium Pater major est, glorificatus in Patre Filius

Digitized by Google

minor non est. » Hæc dicente sancto Hilario nos eisdem consona sentiendo possumus dicere : Benedicturus Filium Pater major est, benedictus a Patre Filius minor non est, maxime illa benedictione, qua sic benedictus est, ut veniret in nomine Domini, hoc est, ut nomen Domini sit nomen ejus, non eo modo, quo est multorum dominorum, siquidem sunt domini multi, ac proinde nominantur domini, sed eo modo, quo nomen Domini congruit soli Deo regnanti et dominanti super omnia dominatione divina, quam semper habuit Christi divinitas, quamque Patre benedicente accepit ejus humanitas, ut in forma quoque servi haberet nomen Domini et veniret benedictus in nomine Domini.

Hac benedictione dulcedinis præventus est ab æterno, quando prædestinatus est homo Filius Dei futurus; Filius dico, non ut cæteri secundum gratiam adoptionis, sed in virtute secundum spiritum sanctificationis, qua eum Pater sanctificavit in eo ipso, quod Pater ejus dici et esse volens, gloriam Unigeniti dedit ille sicut et benedictionem omnium gentium, scilicet ut sit Deus non Judæorum tantum, sed et omnium gentium dedit illi, et testamentum suum confirmavit super caput ejus. Caput enim illius hominis taliter benedicti et sanctificati est Deus, vel si magis dici placet, ipsa ejus divinitas, sine qua, si quis hominem illum intelligit, tale est, ac si hominem alium sine suo capite, quod in essentia ejus est principale, hominem æstimet esse posse. Principale primi hominis, qui factus est in animam viventem, fuit mens intellectualis. At ille, cum in hoc honore esset, non intellexit, nolensque intelligere, ut bene ageret, suum caput nimis deturpavit, quia intellectuale ac rationale suum depravavit, sicut etiam adhuc imitatores ejus deturpant caput suum velato capite orando, id est inter orandum sensibilia potius quam intelligibilia Dei dona desiderando. Tale velamen super cor Judæorum terrena potius, quam cœlestia bona desiderantium, est positum, et ideo claritatem vultus Christi, Solis justitiæ, splendentis divina claritate, qui est homo secundus homini primo incomparabiliter præferendus. Principale namque secundi hominis, qui factus est in spiritum vivificantem, non est mens intellectualis, sed divinitas superintellectualis, sine qua si quis illum cogitat, tale est, ac si hominem alterum sine suo principali cogitet esse hominem, quod est impossibile. Proinde, qui hominem, in Dei personam assumptum, sine sua divinitate cogitant, ipsi, quantum in ipsis est, ipsum capite suo privant falso intellectu, quoniam vere id fieri non potest. Unde Augustinus in sexto libro de sancta Trinitate : «Quomodo caput Christi Deus, id est caput Christi Trinitas, cum in Trinitate sit Christus, ut sit Trinitas? An quod est Pater cum Filio caput Pater est ei, quod est ei solus Filius? Cum Filio enim Pater Deus : solus autem Filius Christus est, maxime quia jam Verbum caro factum loquitur, secundum quam humilitatem ejus etiam major est Pater, sicut dicit : Quoniam Pater major me est, ut hoc ipsum Deum esse, quod illi cum Patre unum est, caput sit hominis mediatoris, quod ipse solus est. Si enim mentem recte dicimus principale hominis, id est tanquam caput humanæ substantiæ, cum ipse homo cum mente sit homo, cur non multo congruentius multoque magis Verbum cum Patre, quod simul Deus est, caput est Christi, quamvis Christus homo nisi cum Verbo, quod caro factum est, intelligi non possit?» Item libro secundo : «Assumptus est homo, in qua forma ipsius Dei Verbi persona præsentaretur, non ut haberet Verbum sicut alii sancti sapientes, sed præ participibus suis, non utique quod amplius habebat Verbum, ut esset quam cæteri, excellentiore sapientia, sed quod ipsum Verbum erat. Aliud enim Verbum in carne, aliud Verbum caro, id est aliud Verbum in homine, aliud Verbum homo. Caro enim pro homine posita est in eo, quod ait : *Verbum caro factum est* (*Joan.* 1).» Item libro IV exponens illud Sapientis : «Emitte, Domine, sapientiam de sede magnitudinis tuæ. Aliter, inquit, mittitur, ut sit (20) in homine, aliter missa est, ut ipsa sit homo. In animas enim sanctas se transfert, atque amicos Dei et prophetas constituit, sicut etiam implet sanctos angelos, et omnia talibus ministeriis congrua per eos operatur. Cum autem venit plenitudo temporis, missa est, non ut impleret angelos, nec ut esset angelus, nisi in quantum consilium Patris annuntiabat, quod et ipsius erat, nec ut esset cum hominibus aut in hominibus, hoc enim et antea in Patribus et prophetis, sed ut ipsum Verbum caro fieret, id est homo fieret. »

Idem libro primo : «Quia forma Dei accepit formam servi, utrumque Deus et utrumque homo, sed utrumque Deus propter accipientem Deum, utrumque autem homo propter acceptum hominem. Neque enim illa susceptione alterum eorum in alterum conversum atque mutatum est. Nec Divinitas quippe in creaturam mutata est, ut desisteret esse Divinitas, nec creatura in Divinitatem, ut desisteret esse creatura.»

His Augustini dictis diligenter perspectis apparet, hominem Deo, et Deum homini sic unitum in una Trinitatis persona, ut hæc ipsa hominis cum Deo unitio sit illa sanctificatio, qua Pater illum sanctificavit, et misit in mundum, et illa benedictio, qua idem homo venit benedictus in nomine Domini rex Israel, quem Deus Pater benedixit in æternum, ut regni ejus non sit finis, quomodo nullus est finis æternitatis. Hinc est quod etiam, priusquam natus puer sciret vocare patrem vel matrem, sicut in Isaia legitur, ipso regnante, ac terram suam defensante ablata est fortitudo Damasci, et spolia Samariæ coram rege Assyriorum. *Voca*, inquit, *nomen ejus, Accelera spolia detrahere, Festina prædari : quia ante-*

(20) Edit. *cum*.

Digitized by Google

quam sciat puer vocare Patrem et matrem, auferetur fortitudo Damasci et spolia Samariæ (*Isai.* VIII), quia videlicet contra tribum Juda, de qua nasciturus erat iste puer, Damascus per puerum hunc necdum natum defensa est ab illis tribus Juda et Jerusalem, spoliata Samaria et Damasco per regem Assyriorum, qui Samariam destruxit, et Damascum sibi subjugavit, ac taliter humiliavit, ut non posset prævalere domui David, in qua puer iste regnavit, antequam haberet patrem optivum et matrem virginem. Bene igitur vocatum est nomen ejus *accelera, spolia detrahere, festina prædari*, quia mira fuit acceleratio, mirabilis festinantia pueri hujus ante nativitatem suam prælians, hostesque suos despoliantis. Erat itaque per sacramentum unitatis in Verbo regnante super omnia homo tunc assumendus, et nunc assumptus in Deum Dei Filium. Propterea teste Apostolo, Christus in deserto tentabatur. *Neque tentemus*, ait, *Christum, sicut quidam eorum tentaverunt* (*I Cor.* X). Ostendens Christum, licet necdum natum, jam tunc in deserto fuisse tentatum. Lege Hieronymum de hoc sacramento unitatis in sermone de assumptione beatæ Mariæ satis copiose disputantem, et affirmantem auctoritate Scripturarum, Deum homini concorporatum et hominem Deo coæternum, cum tamen nec ininitiabilis sit homo, nec nomen corporis aut proprietas conveniat Spiritui summo. Quid me interrogas de hominis in Deum æternum assumpti æternitate? interroga Hieronymum, qui affirmat hominem Deo coæternum. Consentit vero ei beatus Ambrosius in Lucam exponens illud : *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo* (*Matth.* XXVIII). « Si omnia, inquit, dedit æternitatem majestatemque transfudit. » Proinde argumentare, quantum velis, ut homini detrahas æternitatem et immensitatem cui a Patre suo tradita sunt omnia : Ego magis fidem habeo [verbis] Verbi ipsius dicentis : *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo* (*Luc.* X). Item : *Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus est* (*Joan.* XXIX). Dictum hoc exponens venerabilis presbyter Beda dicit in homilia : « Majus autem omnibus, quod mediatori Dei et hominum homini Jesu Christo Pater dedit, hoc est ut sit Unigenitus ejus Filius in nullo gignenti vel natura dissimilis vel virtute inferior vel tempore posterior. Quam videlicet æqualitatem ipse Dominus in divinitate habuit, priusquam mundus esset apud Patrem, ipse in humanitate ex tempore incarnationis accepit. » Audis æqualitatem Patris Verbo innatam et homini datam, quem Verbum Dei Patri coæquale sibi univit? audis hoc in antiqua homelia per ecclesiasticos conventus jam diu celebriter vulgata et recitata, et nos arguis quasi de nova doctrina, cum nihil doceamus, quod non in scriptis Patrum antiquorum Scripturas exponentium ostendamus? Ostende tu vel unum doctorem catholicum tibi consentaneum in illo sensu tuo, quo hominem in Deum assumptum negas Deo conformem factum, quod tu putas docuisse Hilarium, cum ille doceat contrarium. Ait enim libro nono de Trinitate : « Id enim homini acquirebatur, ut Deus esset; sed manere in Dei unitate assumptus nullo modo poterat nisi per unitatem Dei in unitatem Dei naturalis evaderet, ut per hoc, quia in natura Deus Verbum, Verbum quoque caro factum rursum in natura Dei inesset, atque ita homo Jesus Christus maneret in gloria Dei Patris, si in gloria Verbi caro esset unita, rediretque tunc in naturæ paternæ etiam secundum hominem unitatem Verbum caro factum, cum gloriam Verbi caro assumpta tenuisset. » Et infra : « Ut enim in unitate sua maneret, ut manserat, glorificaturus eum apud se Pater erat, quia gloriæ suæ unitatem per obedientiam dispensationis excesserat, scilicet ut in ea natura per glorificationem rursus esset, in qua sacramento erat divinæ nativitatis unitus, essetque Patri apud semetipsum glorificatus, ut quod apud eum ante habebat, maneret, neque abalienaret ab eo formæ Dei naturam formæ servilis assumptio, sed apud semetipsum glorificaret formam servi, ut maneret in Dei forma, quia qui in Dei forma manserat, idem erat in servi forma, et cum servi forma glorificanda esset in Dei forma, apud eum ipsum glorificanda erat, in cujus forma formæ servilis habitus erat honorandus. »

Hæc dicente Hilario patet non eum sensisse, quod corpus Domini, Domino conforme non sit, cum non alia de causa corpus Domini dicatur, nisi quia Dominus incorporatus sive incarnatus per corpus carnis suæ vitam operatur hominum credentium, sicut Divinitas angelorum lumen incircumscriptum videntium, quod, quia homines videre non possunt, credendo salvi fiunt, et vitam æternam habebunt per Christi carnem, quam sancti angeli habent per ejus divinitatem. Unde autem carni, ut conferat manducanti se vitam æternam, nisi quia in consortium naturæ divinæ assumptam habet vitam in se manentem? Unde Hilarius libro octavo de corpore Domini : « In Christo Pater, et Christus in nobis unum in his esse nos faciunt. Si vere igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, et vere homo ille Christus est, nosque vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus, et per hoc unum erimus, quia Pater in eo est, et ille in nobis, quomodo voluntatis unitas asseritur, cum naturalis per sacramentum proprietas perfecte sacramentum sit unitatis? » Et infra : « Qua autem in nobis naturalis hæc unitas sit, ipse ita testatus est : » *Qui edit carnem meam, et bibit sanguinem meum in me manet, et ego in eo* (*Joan.* VI). « Non enim in eo erit, nisi in quo ipse fuerit, ejus tamen in se assumptam habens, qui suam sumpserit. » Item : *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat carnem meam, et ipse vivit propter me* (*ibid.*). « Quomodo per Patrem vivit, eodem modo nos per carnem vivimus. Hæc ergo vitæ nostræ causa, quod in nobis manentem per carnem Christum habemus, victuri per eum ea con-

Digitized by Google

ditione, qua vivit ille per Patrem. Si ergo nos naturaliter secundum carnem per eum vivimus, id est naturam carnis suæ adepti, quomodo non naturaliter secundum spiritum in se Patrem habeat, cum vivat ille per Patrem? Hæc autem idcirco a nobis commemorata sunt, quia voluntatis tantum intra Patrem et Filium unitatem mentientes, unitatis nostræ ad Deum utebantur exemplo, tanquam nobis ad Filium et per Filium ad Patrem obsequio tantum ac voluntate unitis, nulla per sacramentum carnis et spiritus naturalis communionis proprietas indulgeretur, cum etiam per honorem nobis datum filium, et permanentem in nobis carnaliter filium etiam in eo nobis corporaliter et inseparabiliter unitis mysterium veræ ac naturalis unitatis sit prædicandum. »

Videtis, lectores benevoli, quantum virtutis divinæ Hilarius prædicet inesse carni Christi non solum divinitus viventi, sed etiam se manducantes vivificanti? Quod nimirum nullatenus fieri posset, si natura inferior superioris virtutem non accepisset in Christo. Unde item Hilarius de synodis ait : « Conservatur dignitas Divinitati, ut in eo, quod Verbum caro factum est, ut caro potius hoc inciperet esse, quod Verbum. Alioquin unde carni in operibus virtutes, in monte gloriam, in cogitationibus humanorum cordium scientiam, in passione securitatem, in morte vitam? » Idem libro undecimo De Trinitate : « Hæc humanæ beatitudinis fides vera est, Deum et prædicare Verbum, et carnem confiteri, neque Deum nescire, quod homo sit, neque carnem ignorare, quod Verbum sit. Cum autem contra naturam sensus nostri Deus manens homo nascitur, jam non est contra naturam spei nostræ, ut natus homo Deus maneat, cum potior natura in inferiorem nata fidem præstet, inferiorem naturam in naturam posse nasci potiorem. » Idem in eodem : « Id enim homini acquirebatur, ut Deus esset, sed manere in Dei unitate assumptus nullo modo poterat nisi per unitatem Dei in unitatem Dei naturalis evaderet, ut per hoc, quod in natura erat Deus Verbum, Verbum quoque caro factum rursum in natura Dei inesset, atque ita homo Jesus Christus maneret in gloria Dei Patris. Si in gloriam Verbi caro esset unita, rediretque tunc in naturæ paternæ etiam secundum hominem unitatem Verbum caro factum, cum gloriam Verbi caro assumpta tenuisset.

His Hilarii dictis caute pensatis apparet quod alibi dicit : « Inferiorem naturam superioris a se potiorisque naturæ virtutem non consequi, » sic intelligendum, ut præmissis ejus testimoniis de natura et virtute Divinitatis, quam inferior Christi natura plenarie consecuta est, non sit contrarium. Pertractemus nunc illud ejus capitulum, quod nobis objicitur quasi nostræ sententiæ contrarium, imo et ipsius Hilarii præmissis dictis, ut putatur, minime consonum. Dicit in libro De Synodis : Conclusi hæretici Scripturarum auctoritatibus hoc solum tribuere solent Filio, ut Patri tantum virtute similis sit, adimant autem ei similitudinem naturæ, stulti atque impii, non intelligentes, nonnisi ex naturæ similitudine similitudinem esse virtutis. Neque enim aliquando inferior natura superioris a se, potiorisque naturæ virtutem consequitur. Aut quid hæc asserentes de omnipotente Deo Patre profitebuntur, si virtuti suæ virtus naturæ inferioris exsequatur? Non potest negari quin Filius Dei idem possit, cum dixerit : Quæcunque Pater facit, eadem Filius facit. Sed similitudini virtutis naturæ similitudo succedit, cum dicit : *Sicut enim Pater vitam habet in semetipso, ita et Filius dedit vitam habere in semetipso.* In vita naturæ et essentiæ significatio est, quæ sicut habetur, ita data docetur ad habendum. Tenet ergo vitæ similitudo virtutis similitudinem. Similitudo enim virtutis non potest esse dissimilis naturæ. Atque ita necesse est ut essentiæ similitudo virtutis similitudinem consequatur, quia sicut ea, quæ Pater facit, eadem Filius facit similiter, ita sicut habens vitam Pater, sic et habendam Filio dedit vitam. Condemnatur ergo impiæ professionis temeritas, quæ virtutis similitudinem confitens dissimilitudinem ausa sit prædicare naturæ, cum principalis spei nostræ fides sit indifferentem in Patre et Filio divinitatis substantiam confiteri. »

Dicta hæc sunt adversus Arianos, Filio Dei etiam secundum superiorem ipsius essentiam denegantes æqualitatem et similitudinem divinæ naturæ, cum faterentur ei similitudinem virtutis esse. Contra hos in synodo congregatis orientalibus episcopis data est hæc sententia : « Si quis in Filio Patris similitudinem secundum essentiam quidem ipso Filio revelante per hæc quæ dicit : *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso*, juxta efficaciam autem per ea, quæ docet : *Quæ enim Pater facit, eadem et Filius facit similiter*, solam secundum efficaciam similitudinem condens, juxta essentiam vero, quod est principalissimum fidei nostræ, Filium fraudet quasi semetipsum fraudans cognitione » perpetuæ vitæ, quæ est in Patre et Filio, anathema sit. Hanc synodalem sententiam confirmans Hilarius dicit ea, quæ superius posuimus, nihil tangens de mysterio incarnationis, vel de humana Filii Dei natura, quæ in superioribus ejus dictis, jam superius præmissis, et in multis argumentis, ejus libris De Trinitate insertis, ita ostenditur glorificata, ut non sit aliud ejus gloria, quam virtus et essentia divina. Sicut enim Deus Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso, et ipse Filius una cum Patre dedit carni suæ vitam habere in semetipsa, non tamen a semetipsa sicut nec ipse Filius habens vitam sibi datam in semetipso, habet a semetipso. Hinc est quod carnem suam pro sæculi vita fatetur datam, quam, *qui manducat, habet vitam æternam*, ait ipsa Veritas. Unde synodus Ephesina car-

Digitized by Google

nem Christi vivificatricem confessa damnavit sub anathemate hoc ipsum negantes.

Quid ergo, ais, est quod Hilarius dicit : « Neque aliquando inferior natura superioris a se, potiorisque naturæ virtutem consequitur? » Si enim caro Verbi vivificat ad vitam æternam beatos homines, quomodo ipsum Verbum vivificat beatos angelos? Virtus et efficacia divinæ operationis videtur data carni contra sententiam Hilarii hoc negantis posse fieri. Ad quod respondeo, quia sic intelligenda sunt hæc Hilarii dicta, ut aliis ejus dictis non sint contraria. Dicit enim in libro nono De Trinitate : « Deus in Filio hominis glorificato glorificatum Deum glorificat in sese : in Filio hominis Dei gloria est, et gloria Dei gloria Filii hominis. Deus glorificat in sese, homo non per se utique glorificatur : neque rursus qui in homine glorificatur, Deus licet gloriam accipiat, tamen aliud ipse quam Deus est. At vero cum glorificato Filio hominis glorificans Deum Deus glorificat in sese, invenio naturam glorificati in gloriam naturæ glorificantis assumi. » Affer nunc, quisquis es, hæretice flexiosæ doctrinæ tuæ volubiles quæstiones, quæ, cum se nodis suis illigent, in nullo tamen hærendi molestiam continebunt. Filius enim glorificatur, et glorificatur in homine Deus, et glorificatum eum in homine glorificavit in sese : Christum enim Deus natum hominem clarificat in sese. Reddidit enim in se Christo gloriam, quam apud se habuit, et cum in forma Dei assumptio formæ servilis assumitur in se, glorificatur glorificatus in homine Deus, qui ante nativitatis dispensationem in sese erat et per formam Dei et per naturam nativitatis unitus. Nativitas enim non novæ neque alienæ naturæ Deum fecerat, naturalis filius Patri naturali generatione substitit. Et cum per nativitatem hominis glorificatur in homine in naturæ gloriam, rursum in se clarescit, cum Deus clarificat, cum in naturæ paternæ gloriam ab ea per dispensationem evacuatus assumitur.

Concludit autem audacissimum furorem impietatis tuæ fides apostolica, ne qua licentia liberæ intelligentiæ evageris, cum ait : *Et omnis lingua confitebitur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris* (*Rom.* XIV). Quem enim Pater in sese glorificavit, in ejus gloria confitendus est. Quem in se Pater glorificavit, in his non dubio intelligendus est esse, in quibus Pater est, cum et in se eum glorificaverit, et in gloria ejus sit confitendus. Non enim hic tantummodo in gloria Dei est, sed in gloria Dei Patris est. Neque glorificavit gloria exteriore, sed glorificavit gloria in sese, in eam eum, quæ sua est gloria, resumendo, et ea gloria quam apud eum habuit, eum et apud se glorificat et in sese. Atque ita inseparabilis a fidei hujus conjunctione intelligitur etiam sub hominis humilitate sic dicens : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti, Jesum Christum* (*Joan.* XVII). Cum sine Christo solo Deo Patre cognito vita æterna non sit, et Christus glorificatus in Patre sit, nonne in his dictis Hilarii satis apparet, quod inferior natura in Christo superioris naturæ virtutem et gloriam accepit per gratiam, quam consequi non posset, nisi gratis in ipsius natura superioris naturæ virtutem assumeretur, quia non est hoc in viribus ejus, quod infra est, ut consurgat in suum superius vel capiat virtutem ejus per se, vel a se. *Non* enim *potest homo accipere a se quidquam, nisi fuerit ei datum desuper* (*Joan.* III), ait Joannes Baptista, et hoc testatur Joannes evangelista. Unde nec in Filio Dei potuit homo accipere a se quidquam, nisi fuisset ei datum desuper. Accepit tamen sibi desuper datum *nomen, quod est super omne nomen*, (*Ephes.* I), simulque cum nomine ipsius nominis virtutem. Cujus virtutis ipse sibi conscius ait : *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo* (*Luc.* X). Item : *Pater, quod dedit mihi, majus omnibus est* (*Joan.* XXIX). Item : *Filius hominis habet potestatem in terra dimittere peccata* (*Matth.* VI). Item : *Nemo potest rapere de manu mea* (*Joan.* X). Item : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII). Datum quippe hoc est homini, quod æternaliter sui Verbi, verbi gratia, ut nemo possit rapere de manu ejus, ut sit omnipotens in cœlo et in terra ex virtute sibi data, quam natura humana suis viribus consequi non potuit, sed Deus eam illi dare voluit, et potuit, qui et membra ejus virtute divina ditavit juxta promissum ipsius dicentis : *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos.* Item : *Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto* (*Act.* I). Virtus hæc membris distributa secundum mensuram donationis Christi data est, non ad mensuram ipsi Christo, id est homini uncto. Sicut Petrus apostolus ait, *unxit Deus virtute* (*Act.* X). Vel sicut Psalmista dicit : *Oleo lætitiæ præ consortibus suis* (*Psal.* XLIV), ita ut similitudo virtutis in homine uncto et ungente Deo sit plenaria, non ablata, sed translata natura inferiore in superioris virtutem et gloriam. Quod non potuisset fieri, si natura inferior non esset capax virtutis et naturæ superioris, ut aurum seu ferrum capax est ignis, et igneæ virtutis, et corpus bestiale animæ sensualis, humanum vero animæ rationalis.

Sed opponitur nobis, quod Hilarius dicit : « Similitudini virtutis naturæ similitudo succedit. » Item : « Similitudo virtutis non potest esse dissimilis naturæ, atque ita necesse est, ait, ut essentiæ similitudo virtutis similitudinem consequatur. » Hoc proponente Hilario licet fidei ejus auditori seu lectori assumere; sed homo, per quem affirmante Apostolo est resurrectio mortuorum, et ipsius hominis caro, quæ vivificat, divinæ habet virtutis efficaciam : consequens est ergo, ut cum divinæ virtutis similitudine similitudinem quoque habeat essentiæ divinæ, sine qua caro non prodesset quidquam ad vitam æternam conferendam. Præterea notandum, quia de diversis personis unius Divinitatis, non diversis naturis unius personæ in hoc

Digitized by Google

loco ait Hilarius, ostendens virtutis et naturæ similitudinem indissociabilem, præcipue in Deo, ubi sicut ipse ait, « similitudo proprietas est, proprietas æqualitas est, æqualitas nihil differt; » æqualitas autem naturæ non potest esse nisi una. Verum alias, ut ostensum est, agens de unius personæ in Trinitate duabus naturis ita demonstrat ab altera natura glorificata alteram gloria, sicut ait ipse, « non exteriorem, sed in sese Deo glorificante hominem, » ut sit absurdum fingere hominem Deo in alio aliquo assimilatum quam in eo, in quo et Verbum Patris Patri est consimile simul et æquale, in divina scilicet essentia seu gloria seu virtute, seu omnipotentia seu bonitate vel sapientia, quæ omnia in Deo unum sunt, imo unum sunt, quod unum simplex, immensum et æternum totum est homini assumpto in una Trinitatis persona datum per nomen, quod est super omne nomen [quodque] existens in divinitate sibi data æternaliter habuit, sed in ipso incarnationis mysterio temporaliter accepit, quando ipsa divinitas per hoc est homini data, quod est incarnata, cum Verbum caro, id est homo factum est. Accepit ergo ipse homo, quod habuit Deus, scilicet ut sit Deus omnipotens, tanta divinitatis et omnipotentiæ coæqualitate ac similitudine, ut Verbi assumentis, et hominis assumpti ad Deum Patrem prorsus eadem sit æqualitas et similitudo. Nempe ut verbis utamur adversariorum, unum et idem esse, in quo vere æqualia sunt, quæ aliunde constat esse diversa, necesse est. Cum ergo Patris ingeniti, et Filii ejus unigeniti et amborum doni simulque hominis hoc dono concepti et sanctificati, atque in unam personam Trinitatis assumpti sit una Divinitas, qua et Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus sanctus Deus, et Spiritu sancto conceptus homo Deus nominatur, recte de his omnibus una æqualitas prædicatur, quorum una divinitatis essentia, vel natura cognoscitur et virtus eadem.

Etenim carnis vel humanitatis nomine, cum de ipsius divinitate, quam accepit, agitur, totam substantiam humanam, quæ est anima rationalis, et caro simul juncta, significamus : ut ibi : *Verbum caro factum*, id est homo *factum est*. Et : *videbit omnis caro salutare Dei* (*Joan.* I), id est omnis homo, ne vel carni soli, quæ non homo, sed hominis pars est, hanc similitudinem vel æqualitatem cum Deo tribuamus, ut putat adversarius, crebro utens, imo abutens contra nos istis nominibus, cum nos non carnem solam, vel humanitatem solam, sed hominem Deum, Deo Patri non adoptatum, sed natum in filium naturalem et consubstantialem gignenti coæquatum prædicemus in divinitatis essentia et natura, quam nascendo accepit, ut sit Deus, et in potentia, qua omnia, quæ vult, potest, ut Pater Deus, et in claritate, quam petiit, et accepit in carne, quamque habuit in divinitate, priusquam mundus fieret. *Clarifica*, inquit, *me apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te* (*Joan.* V). *Apud te*, inquit, non sub te, quod est in dextera sedis magnitudinis, in qua est coæqualitas claritatis.

Contra hoc objicit adversarius : Si Christus gloria corporis sui Patri æqualis est, et si nos, sicut testatur Hilarius, eidem gloriæ corporis Christi futuri sumus conformes, Deo nos futuros æquales qualiter ipsi inficientur, ab eis audire exspectamus. Respondemus : Nusquam nos prædicasse futuros æquales Deo. Neque enim id futurum speramus, neque hoc exinde consequitur, quod similitudo nobis et conformitas Christi promittitur, quia multa inveniuntur similia et conformia, quæ non sunt æqualia. Sic imago vultus hominis in alterius hominis pupilla conspecta invenitur per omnia ipsi vultui similis, attamen aqualis non est, quoniam similitudo ad qualitatem, sed æqualitas pertinet ad quantitatem, quæ inter se differre non ignorat, qui Aristotelis prædicamenta noverit, inter se longius distincta quam unius prædicamenti species vel genera. Non est igitur consequens, si qua sunt conformia, vel similia, eadem æqualia esse. Non ergo miramur illum philosophum caligare in divinis et supernaturalibus, qui neque in naturalibus ea sentit, quæ veritas habet. Quam falso autem Hilario adscribatur, quod Christi et nostri corporis talem asserat conformitatem, quam sit necesse consequi coæqualitatem, verbis ejus competentius quam nostris ostendemus. Post eam denique sententiam, quam falso a falsatoribus putatur affirmare, quod Christus, secundum quod in forma servi glorificatus est, Deo conformis non sit, quodque corpori suo nihil ultra possit quam nobis ac sibi commune præstare, paucis interpositis aperiens, quid senserit, ita dicit : « Nostra hæc lucra sunt et nostri profectus, nos scilicet conformes effici gloriæ corporis Dei. Cæterum Unigenitus Deus licet et homo natus sit, tamen aliud, quam Deus omnia in omnibus est. Subjectio enim illa corporis, per quam, quod carnale est, in naturam spiritus devoratur, esse Deum omnia in omnibus eum, quem præter Deum et homo est, constituet. » His Hilarii dictis claret sententiam ejus præcedentem nimis detruncatam et depravatam, qua putatur affirmare, quod negat, et negare quod affirmat. Affirmat enim hominem glorificatum in Deo esse conformem Deo, et nos futuros corpori ejus conformes, non tamen coæquales. Non ergo rapinam arbitratur homo esse se æqualem Deo, qui in forma Dei sibi data et innata est, qua et speciosus est præ filiis hominum, non inter omnia, sed super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

EPISTOLA XXIV.

Idem ad Henricum ducem Saxoniæ et Bavariæ, quem ad defendendam Ecclesiam Dei proposito sanctorum et regum et ducum exemplo hortatur

Glorioso et victorioso Bavariæ ac Saxoniæ duci

H. frater G. de Richersperge devotas orationes cum fideli obsequio.

Quousque, princeps nobilissime, tua fraudabor notitia simul et gratia tali tam familiari, qualem in conspectu patris tui habui, qui me pusillum licet, tanta principis gratia et amicitia indignum, dignatus est habere inter gratos et amicos, non eos, qui dilexerunt sua, non ipsum, sed eos, qui sincere dilexerunt ipsum? Inde illi familiares collocutiones mecum de salute animæ suæ, de statu et honore sanctæ Dei Ecclesiæ. Nam de sæcularibus ad ipsum pertinentibus illi abundabant consiliarii, filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua, quemadmodum tuæ quoque nobilitati nobiles abundant adstipulatores, quorum prudenti consilio tractes negotia mundana. Mihi vero de salute animæ tuæ, de statu et honore sanctæ Dei Ecclesiæ tibi aliqua suggerere suggeritur a Spiritu illo, ut credo, qui suggerit nobis omnia, quæcunque dixerimus utilia, salubria et vera. Et quippe Spiritus veritatis, qui docet omnem veritatem, et quæ ventura sunt annuntiat in se credentibus, ut et ipsi annuntient ea se audire volentibus. Iste nimirum Spiritus veritatis in Scripturis veritatis annuntiavit bona et mala per reges ac duces bonos vel malos Ecclesiæ Dei eventura, quæ jam partim, sicut audivimus, ita et vidimus in civitate Dei nostri, dum exemplo David regis, Ezechiæ ac Josiæ regum bonorum, similiterque ducum bonorum sanctorum Machabæorum Judæ, Jonathæ, Simonis quidam reges ac duces templum Dei, quod est Ecclesia, honoraverunt, et exemplo Salomonis ædificaverunt, vel etiam coronis aureis ornaverunt faciem templi sublata inde spurcitia spiritalis Antiochi.

Verumtamen fæx ejusdem spurcitiæ nondum est exinanita. Proptera tales duces optamus, qualis fuit Judas Machabæorum dux egregius, et prædicto Antiocho regi penitus contrarius. Nam ille templum Dei profanavit, iste mundavit, et coronis aureis ornavit : ille sacerdotium vendidit, iste venditorem expugnavit, et emptores de sacerdotio exterminavit : per illum ceciderunt multi de populo, per istum facta est lætitia magna in populo. Dum te studiose intento ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum pax est in populo. Per amplius autem et perfectius laude dignum est, quod concordiam inter sacerdotium et regnum studes confirmare, pro qua causa diligentius peragenda te vocante, te mediante venerunt legati apostolicæ sedis tanquam cives apostolorum illuminare patriam, portantes pacem. Sed ipsi non invenerunt in via pacem, quia inciderunt in manus prædonum crudelium, contra quos, o princeps nobilissime, utendum tibi est ea potestate, quam tibi Deus contulit ad vindictam malefactorum. Verumtamen quia in omnibus pavenda et cavenda est ira Dei omnipotentis, quæ omnino est ineffugibilis, hoc tuæ prudentiæ fidelissime suggero, ut in ducendo exercitu, cœmeteriis et ecclesiis Deo sacratis tutelam provideas, atque a pauperum vexationibus, et oppressionibus milites et scutiferos, quantum prævales, compescere studeas, ne lætitia magna, quæ Dei gratia favente per te facta est in populo, vertatur in tristitiam, quod Deus avertere dignetur, qui et tibi vindictas justas exercenti semper sit propitius, et inimicis tuis inimicus. Cætera celsitudini tuæ per meam parvitatem suggerenda, si tamen dignaberis me audire more paterno, in tempus opportunum reservo.

EPISTOLA XXV.

Idem ad Arbonem seu Erbonem abbatem, Prunfingensem, quem hortatur ad mitigandum episcopi Ratisbonensis, qui cives suos universim ob quorumdam crimen excommunicaverat, animum.

Venerabili Bruvinensis (*hodie* Priflingensis) cœnobii abbati A., frater G. de Richersperge, devotas orationes cum fideli obsequio.

Ecclesia Ratisbonensis tanquam civitas super montem posita non potest abscondi, quia est altum candelabrum, in quo posita lucerna, sive clare, sive non clare luceat, multis erit conspicua. Scitis vero, qui in tabernaculo Dei vasa candelabri aurea erant, videlicet infusoria olei et emunctoria. Scitis etiam quid ista significent. Unde non doctoris, sed monitoris officium scribendo vobis mihi assumo, qui Ecclesiæ illi, quæ me diu aluit, quæque me in sacerdotem promovit, eam fidelitatem debeo, ut si quis in ea scandalizatur, et ego urar; si quis infirmatur, et ego infirmer. Audiens igitur Ecclesiæ illius non modicam perturbationem, non possum non turbari, atque si locorum distantia non impediret, vellem vobis cæterisque in ea spiritalibus viris adesse præsentialiter ad sedandum offendiculum perturbationis hujus, quod excommunicatione domini episcopi exortum, sic est mitigandum vel temperandum, ut ubi zelus ejus nimium fuerit incensus vel accensus, vos, qui spiritales estis, tanquam infusoria de auro charitatis fabrefacta illius flammam per olei effusionem temperetis; ubi autem linum fumigans ipsam flammam nimis obscurat, vos ut aurea emunctoria decerpatis, quod decerpendum videbitur vobis, in spiritu lenitatis agentibus cum ipso domino episcopo, quem ego in veritate diligo, et libenter honoro, pro cujus etiam dilectione atque honore nunc scribo vobis, ut ipsius nobilitati suggeratis, ne a patruo suo, viro, ut nostis, tam virtute quam genere nobilissimo inveniatur in aliquo degenerare agendo aliquid præpropere, vel inconsulte. Poterat enim super tanto negotio incipiendo consuluisse dominum et Patrem suum archiepiscopum, cæterosque sibi fidelissimos, si tamen vestra prudentia id consuluisset, eo quod inter suos domesticos non invenisset consilium sufficiens, quod ego vix possum credere, si modo se voluisset consiliis vestris, aliorumque suorum fidelium credere. Nunc autem quos non consuluit de initio, saltem consulere non gravetur de fine bono, et de discreto judicio, quo non totus populus involvatur, sed innocens a nocente, justus ab injusto

Digitized by Google

juste discernatur, et erga ipsos quoque nocentes tanto misericordius agatur, quanto evidentius appareret, eos, qui Ecclesiam dehonoraverunt manus violentas immittendo in virum falsarium, pauperes fuisse, ac fame nimia vexatos illud poeticum elogium incidisse :

Nescit plebs jejuna timere.

Honorabiliores autem illius urbis cives et maxima populi multitudo innocens invenitur ab illo sacrilegio, quod in ecclesia est commissum, quanquam plures post commissum sacrilegium se miscuerunt sacrilegis paucis ad perpetrandum homicidium. Cum ergo duo crimina illic perpetrata sint, sacrilegium et homicidium, de utriusque perpetratoribus, nominatim perquisitis, poterat fieri competens judicium, quod non involveret totum illius civitatis populum, nisi forte populus ipse voluisset criminosos contra justitiam defendere : sicut quando Gabaonitæ criminosos paucos defendendo meruerunt involvi omnes pariter in uno damnationis judicio. Non est autem credibile, omnes cives Ratisbonenses ita desipere, ut se manifeste opponant justitiæ. Unde consulendum est domino episcopo, ne involvat justum cum impio.

Cætera videntur in codice deesse.

EPISTOLA XXVI (21).

Idem, ut videtur, ad sanctimoniales Admontenses, quibus illud Psalmi L « *ut justificeris in sermonibus tuis,* » *exponit.*

Charissimis in Christo sororibus Admontensibus, frater G., devotam orationem et perpetuam in Christo dilectionem.

Jucundissimis vestris inquisitionibus non potui ad plenum satisfacere coarctatus eundi festinatione. Quam tamen festinationem forsitan Deus punivit, qui iter meum aliquantulum impedivit, et volentem a vobis festinare prope vos aliquandiu tenuit. Si ergo propter vos vapulavi, quia forsitan plurimum a vobis festinando peccavi, spero mihi Deum per vos posse placari, si pro me orabitis : quod idipsum rogo ut faciatis, atque hoc scriptum in recompensationem suscipiatis pro eo, quod minus dixi, quam congrueret sanctissimis inquisitionibus vestris.

Quæsivistis, o charissimæ, de his sermonibus Domini, in quibus justificandus est Deus juxta illud : *ut justificeris in sermonibus tuis* (*Psal.* L). Noveritis ergo quia sermones isti sunt promissiones ipsius, ut nos ex parte tetigimus. Hoc autem est cautissime notandum, et hoc fuit vobis per nos determinandum, quoniam aliæ sunt promissiones Dei, quas adimplet, ut ipse justificetur. Justum quippe est ut, quod verax promisit, nunquam falsificetur. Aliæ vero sunt promissiones ipsius, quas etiam si non adimpleat, justus tamen et verax ipse permanet in his ipsis promissionibus, quas non adimplet. Ut autem evidentius fiat, quod dicimus, diversitates promissionum Dei distinguamus. Aliqua Deus promittit constanter : aliqua vero conditionaliter. Constans fuit illa ejus promissio, qua dixerat ad David : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*ibid.* CXXXI) ; et iterum : *Juravi David servo meo, usque in æternum præparabo sedem tuam* (*Psal.* LXXXVIII). Conditionalis autem fuit illa promissio, qua dictum est Salomoni : *Si ambulaveris in viis meis, et custodieris præcepta mea et mandata mea, sicut ambulavit pater tuus, longos faciam dies tuos* (*III Reg.* III). Item dictum est Judæis : *si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis* (*Isai.* I).

Quod cum ita sit, quæcunque Deus constanter promisit, ita necesse est impleri, ut, sicut impossibile est Deum esse et fieri mendacem, sic impossibile sit, aliquam de constantibus Dei promissionibus esse vel fieri inefficacem, etiamsi omnino videantur esse contra naturam, quæ Deus promisit per constantiam. Sicut fuit contra naturam, ut Sara inveterata et sterilis de veterano Abraham conciperet : quod tamen quia Deus constanter promisit, omnino adimpleri necesse fuit. Promittenti autem Deo credidit Abraham, et hoc ipsum credere reputatum est ei ad justitiam, quia videlicet credidit Deo possibilia, etiam quæ videbantur contra naturam. Fidem hanc prædicat Apostolus in eo, quod ipse Abraham non est infirmatus in fide, et non consideravit corpus suum emortuum et emortuam vulvam Saræ, sciens quia, quæ Deus promisit, potens esset et facere. Quicunque hanc fidem imitantur credendo Dei promissionibus, ipsi computantur inter filios Abrahæ, et affirmante Apostolo, quoniam sunt ex fide, benedicentur cum fideli Abraham.

Usque adeo autem solus Deus est verax, et omnis homo mendax, ut nulla unquam promissio facta sub conditione, per hominem servanda, inveniatur completa, quia videlicet semper irrita inventa est conditio, quam Deo homo debuit, sicut patet in Salomone, cui Deus longos dies promisit sub tali conditione, si ipse ambularet in viis Dei, sicut ambulavit pater ejus. Quia ergo ipse non institutionem conditionalem tenuit ambulando in viis David, salva sua veritate Deus illi longos dies denegare potuit : quod et factum est : *Cum enim jam esset senex, depravatum est per mulieres cor ejus, ut sequeretur deos alienos, nec erat cor ejus perfectum in Domino Deo, sicut cor David patris ejus. Dixit itaque Dominus Salomoni : Quia habuisti hæc apud te, et non custodisti pactum meum et præcepta mea, disrumpens scindam regnum tuum*, etc. (*III Reg.* XI). Dicta hæc Dei manifestam significant abbreviationem dierum Salomonis, quamvis postea per pœnitentiam salvatus credatur a nonnullis, quod tamen certam non habet auctoritatem in Scripturis.

Judæis etiam, quibus dictum est : *Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis* (*Isai.* I), juste denegata sunt bona terræ, qui Dominum noluerunt audire.

Attamen sciendum est, in hujusmodi conditionalibus promissionibus, quod si conditionis vis non in

(21) Ex cod. Monsecnsi, ut et sequens.

Digitized by Google

homine, sed in Deo ponitur, ipsa conditionalis promissio æque ut constans promissio sub tanta veritatis necessitate constringitur, ut inevitabile sit, quin adimpleatur. Ut illud : *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum* (*Joan.* XII). In his dictis verax quidem Deus conditionaliter promisit, [et] vim conditionis in seipso posuit, et ideo nihil adimplendum ab homine exspectavit, sed ipse totum, quod dixit, adimplevit. Ipse namque prout voluit, est exaltatus a terra, et nunc trahit ad se omnia sive per gratiam, omnia electa sua scilicet membra, sive per potentiam omnia tam reproba quam electa, quoniam ipse ad se glorificandum nunc ordinat, et in fine judicaturus est omnia.

Semotis nunc illis promissionibus, quæ sub conditionibus quasi dubitative promittuntur, dum per ipsam pactionem quædam ab homine quasi merita requiruntur, in quibus meritis persolvendis omnes homines mendaces inveniuntur, nos in illas Dei promissiones anchoram spei mittamus, quas in sola Dei promittentis veritate constare non dubitamus [*Cod.* dubitare]. Cum enim impossibile sit Deum mentiri loquentem, multo magis impossibile est mentiri Deum jurantem. Est ergo in se constantissima veritas, cui nunquam poterit accidere et incidere aliqua falsitas. In hac Dei promittentis constantissima veritate volens nos Apostolus consolidare in epistola ad Hebræos ita dicit : *Homines enim per májorem sui jurant, et omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habeamus animæ tutam ac firmam, et incedentem ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introiit Jesus secundum ordinem Melchisedech pontifex factus in æternum* (*Hebr.* VI). Revera hic est *pontifex* in æternum, qui suarum promissionum inconvulsibilem veritatem nobis pontem fecit ab his miseriis in suam æternitatem. Cum enim sit ipse justificandus in suis sermonibus, necesse est illum inveniri veracem in suis firmis promissionibus.

Ut autem nos ex multis Dei promissionibus paucas colligamus, eas contenti sumus ponere, quas facile possitis memoria retinere. Quando ad Deum dicitis : *ut justificeris, Domine, in sermonibus tuis*, subauditur : *miserere mei.* Sermones constantissimarum promissionum hi sunt : « *Ecce ego ipse requiram oves meas, et visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum. Quod perierat, requiram; quod abjectum fuerat, reducam; quod confractum fuerat, consolidabo; et quod pingue et forte, custodiam* (*Ezech.* XXXIV). Multas in hunc modum desiderabiles promissiones invenietis in extremitatibus Prophetarum, quas contenti sumus illic requirendas et colligendas demonstrare, quoniam nos delectat ad præsens eas partim promissiones commemorare, quas ipsa Veritas incarnata ore proprio dignata est promulgare, ut nos habeamus, unde illum constringamus, et exemplo Jacob luctando teneamus, quoadusque benedictiones omnes, quas ipse verax promisit, illi extorqueamus per fortissimam fidem, qua credimus eum in sermonibus et promissionibus suis esse veracem. Dixit autem Jacob ad Deum : *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi* (*Gen.* XXXII). Quod idem est ac si dixisset : Non desistam credere, flere atque rogare, donec obtineam benedictionem, quam tu verax promisisti Abrahæ patri meo. Sic iste Jacob in fortitudine fidei suæ directus cum angelo flevit et rogavit eum, sicut Osee propheta testatur, qui luctamen Jacob quasi exponens hoc indicat, quia cum Deo luctans *flevit et rogavit eum* (*Ose.* XII). Res mira! Flevit et rogavit, ut benedictionis verbum fieret, quod tamen indubitanter credidit, quia fieret, quoniam constabat illi (22), quod Deus verax promissor mendax fieri non possit. Attamen, ut dixi, flevit et rogavit, quia nimirum id ipsum, quod Deus promittit, summis precibus, intimis fletibus a se vult exigi, et velut per quoddam luctamen obtineri. Unde ut fidelium preces atque fletus excitet aliquando, quasi more luctantis, dum eum ex fide promissionum tenemus, quodammodo excutit se de manibus nostris, aliquid evenire sinens, quod videatur obviare ac repugnare suis promissionibus. Sic factum est in conjugio Isaac, qui, ordinante Deo, sterilem accepit uxorem. Cujus nimirum sterilitas videbatur effectum divinæ promissionis impedire. [Et] quia promissum fuerat semen Abrahæ per Isaac dilatandum, poterat quasi securus de Dei promissione dormivisse Isaac et neglexisse uxoris fecunditatem. Sed non ita fieri oportuit, quia ipsam suam promissionem seu etiam prædestinationem Deus a se precibus et desideriis obtineri disposuit. Hoc sciens Isaac deprecatus est Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis. Et exaudivit eum Deus, deditque conceptum Rebeccæ. Sine dubio tam iste Isaac, quam filius ipsius Jacob luctatus est cum Deo, promissionis effectum quodammodo precibus extorquens ab eo.

Sic, o dilectissimæ filiæ regum, filiæ patriarcharum, cum Deo luctantium, et vos luctamini cum Christo precibus et desideriis ac lacrymis per fidem extorquendo ab ipso, ut adimpleat nostris in diebus, quidquid adhuc restat adimplendum de suis promissionibus. Promisit autem ipse dicens : *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum* (*Joan.* XII). Et ecce nos adhuc trahimur multoties ab ipso post nostrum desiderium. Dicamus ergo illi : Ecce tu exaltatus es a terra, trahe itaque nos post te ad te, *ut justificeris in sermonibus tuis.* Tu dixisti de ovibus tuis loquens : *Ego veni, ut vi-*

(22) Cod., *constanter illi.*

Digitized by Google

tam habeant, et abundantius habeant (*ibid.*). Da ergo nobis frui te vera vita de die in diem abundantius, id est ita ut semper præcedentem tuæ dulcedinis fructum superet sequens, fiatque præcedente, quantumlibet abundante semper abundantior, ut tu *justificeris in sermonibus tuis*, quia non solum promisisti ovibus tuis, ut vitam habeant, sed *ut abundantius habeant*. Non dixisti : abundanter, sed *abundantius*, per quod sempiternum vitæ bonæ, vitæ felicis incrementum intelligimus et speramus, quoadusque ad illud abundantissimum bonum perveniamus, quo nihil est abundantius. Sic Petrus et Joannes ac cæteri sancti vitam habuerunt abundantius, videlicet semper augmentum capiendo ac scandendo de bono in melius. *Cætera desunt in codice, foliis aliquot incerta manu exsectis.*

EPISTOLA XXVII.

Idem ad N. suam in Christo filiam. Ejusdem Psalmi L *verba :* « *Ut vincas, cum judicaris,* » *eidem enarrat.*

Rogas, et rogando cogis, filia in Christo charissima, ut, quomodo sororibus Admontensibus aliqua scripsi de illa justificatione Dei, qua dicitur in sermonibus suis justificari juxta illud : *Ut justificeris in sermonibus tuis*, etiam tibi aliquid scribam de illa Dei victoria, de qua Deo dicitur : *Et vincas, cum judicaris* (*Psal.* L).

Hic operæ pretium est animadvertere legitimum tenorem victoriæ. Neque enim est victoria, nisi ubi superatur pars adversaria. Verbi gratia, quantumcunque sit fortis imperator vel miles aliquis, victor non potest nominari, quandiu ei nullus resistit, qui ab eo debeat vinci. Si autem aliquis restiterit, et hic victus et superatus fuerit, per victum vincens victoris nomen habebit, victoriæque titulum obtinebit cum tanto majori gloria, quanto fortior visa fuit pars adversaria. Ponamus ergo ut talis imperator vel miles promisisset se aliquam terram defendere, atque in hujusmodi promissione vellet justus et verax perseverare. Contra quem si veniret fortis armatus, furtimque terram illam intraret et vastaret, nisi ipse fortior superveniens illum vinceret, non justificaretur in suis sermonibus, imo videretur fallax et injustus, quandiu prævaleret ille fortis armatus.

Ita nimirum Deus, imperator fortissimus, in sui tuitionem ac defensionem susceperat regem David, quem elegerat secundum cor suum, cui etiam juraverat, quod de fructu ventris ipsius poneret super sedem ejus. In hoc maxime juramento Deum optavit David justificari et verificari dicens : *Miserere mei, ut justificeris in sermonibus tuis* (*ibid.*). Verum quia juxta increpationem Nathan prophetæ, qui in titulo psalmi hujus notatur, peregrinus, qui ad eum venerat quasi fortis armatus, ad hoc machinas peccati construxerat, ut juramentum sermo Dei falsificaretur, et ita quodammodo Deus, qui est veritas, a mendacio vinceretur, dum divina promissio propter peccatum non impleretur, quasi plus de Dei gloria, quam de sua salute sollicitus David optat ipsi Deo victoriam ad superandam iniquitatem suam ad excludendum fortem armatum, qui tam diu custodivit illic atrium suum, quam diu David non agnoverat proprium reatum. Peccati autem perfecta recognitio fuit illius fortis expugnatio et ejectio. Tunc vero cauta est peccatorum recognitio, quando in peccatorum confessione Deus judicatur, hoc est discernitur. Interdum namque *judicare* pro *discernere* ponitur, ut illic : *Judica me, Deus, et discerne causam meam* (*Psal.* XLII). Adam, pater noster, post peccata sua Deum judicare et discernere, ita ut Deo justitiam, sibimet autem culpam assignaret, atque ita inter justum et injustum dijudicaret atque discerneret, [noluit] sed potius culpam suam in Deum refudit ac retorsit, cui dixit : *Mulier, quam dedisti mihi sociam*, etc. (*Gen.* III.)

Imitantur hunc Adam filii multi, qui in suis peccatis vel exemplo ipsius culpant fragilitatem suam quasi mulierem sibi a Deo sociatam ; et quod est iniquius, exemplo Evæ accusant serpentem, hoc est diabolum, ad suimet excusationem. David autem non sic, imo se solum agnovit culpabilem ac mendacem, Deum vero confessus est veracem, dicens : *Ecce enim veritatem dilexisti* (*Psal.* L). Jure itaque apparuit Deus victor, victus autem diabolus, quoniam ipse victor a victo est dijudicatus, et veraci judicio separatus. Adam vero Deum et diabolum, veritatem et mendacium in uno negotio confudit, quando culpam, cujus diabolus incitator exstitit, etiam Deo assignavit, qui mulierem, per quam deceptus erat, illi associavit. Ideo quodammodo se passus est invincibilis Deus vinci, dum per diabolum ejectus est de paradiso, quem ipse posuerat in paradiso.

Sed nunc diabolus, qui se victorem gloriabatur, ex illorum pœnitentia et confessione Deo triumphante revincitur, ac per eos superatur, a quibus Deus in suis sermonibus justus et verax et victor esse judicatur, dum ei peccatum hominis nullatenus assignatur. O quam gloriosa est ista victoria, ubi triumphante veritate vincitur mendacium et culpa quasi per gladium ancipitem, dum non solum de se, sed etiam de Deo profitetur homo veritatem, confitendo scilicet se mendacem, Deum autem veracem! Confessus est David se mendacem dicens : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (*ibid.*). Confessus est quoque Deum veracem dicens : *Ecce enim veritatem dilexisti*. Tali judicio Deus judicatus vicit mendacium, et ipse fortior exclusit fortem armatum, liberans ab illo atrium suum, id est cor David primitus et divinitus electum, sed a diabolo postea invasum.

Sed et hoc modo recte Deus judicatur, hoc est discernitur, cum ipse, qui est veritas, in homine veraciter arguente peccatum seu mendacium arguere judicatur, et ob hoc ipse arguens tanquam Deus amatur et honoratur, quoniam in illo, ut dixi,

Digitized by Google

Deus arguere judicatur. Sic David cum esset rex magnificus et inclytus, Nathan prophetam reverenter audivit, eique tanquam Deo humiliter obedivit, quoniam in ipso mittentem honoravit. Sic idem David Semei, maledicentem sibi patienter audivit, quoniam illum a Deo, ut sibi malediceret, missum intellexit, et ideo in misso, quantumlibet impio, mittentem honorandum judicavit, quando filios Sarviæ pro illo increpavit. Non ita fecerat Saul rex impius et superbus, qui a Samuele increpatus, eo quod non impleverit verbum Domini, rebellis exstitit, et ipsum redarguentem, imo in redarguente Deum falsificare ac se justificare præsumpsit dicens : *Imo implevi verbum Domini, et adduxi regem Agag Amalech*, etc. (*I Reg.* xv.) Puto, quod iste Deum in homine non dijudicavit, et ideo non in Deo veritas, sed mendacium, id est peccatum triumphavit, quoniam in propheta se redarguente Deum inhonoravit, dum ejus increpationi procaciter contradixit.

Igitur unusquisque nostrum et ab adversario in via, id est a sacra Scriptura, et ab aliquo doctore et benigno seu etiam maligno redargutore increpatus de aliqua culpa, recognoscat et honoret veritatem, et sic emittat humilem confessionem, ut vincat veritas, cum judicatur, et judicata honoratur; vincatur vero et excludatur mendacium, quod pessime ac potissime regnat in excusatione et defensione peccatorum. Sensui nostro concordat illud, quod Apostolus dicit : *Qui indigne manducat, judicium sibi manducat, non dijudicans corpus Domini* (*I Cor.* xi). Sicut enim corpus Domini non salutem, sed damnationem percipienti operatur, cum ipsum corpus Domini non dijudicatur, id est non discernitur aut honoratur, sic et ipsa veritas, quæ Deus est, cum non dijudicatur, opus victoriæ non operatur, sed quasi patitur se vinci, ut supra de Adam et de Saule exemplificavi, quorum uterque ad excusandas excusationes in peccatis contemptor exstitit se increpantis veritatis. Et ideo recte orat David dicens : *Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusationes in peccatis* (*Psal.* cxl). Imitemur nos istum David humiliter pœnitendo, et culpam nostram non Deo, sed nobismetipsis tribuendo, atque veritatem nos redarguentem diligendo, ut vincat in nobis ipsa veritas impugnantem nos mendacii nebulam, sicut sol iste visibilis vincit nebulam, quando radiis suis perfringit ac dissipat eam. Sic factum est in David. Fuit enim Deus David bona promittens quasi sol oriens, cujus radiis poterat jucundissime frui, si nullius peccati nebula intervenisset, quæ illud promissum videbatur impedire, quo dictum erat : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal.* cxxxi); et alibi : *Juravi David servo meo, usque in æternum præparabo sedem tuam, et ædificabo in generationem et generationem sedem tuam* (*ibid.* lxxxviii). Interveniente vero peccati nebula splendida veracis Dei promissio impedita fuisset, nisi quod Deum decuit ita in suis sermonibus justificari, ut non posset per mendacium superari. Omne namque peccatum recte dicitur mendacium tanquam veritati oppositum.

Dico autem nunc specialiter illam veritatem, qua Deus verax proposuit ac præordinavit hominum felicitatem non solum personaliter ut in David, sed etiam universaliter, ut apparet in hominis creatione dicente veraci Deo : *Faciamus hominem ad similitudinem et imaginem nostram* (*Gen.* i). Hoc enim Dei propositum comprehendit numerum omnium electorum, quos ipse præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Si ergo præscitos et præordinatos vocaret, justificaret et magnificaret, nullius peccati nebula interveniente, vere faceret omnem hominem ad imaginem et similitudinem divinam, et haberent electi divinarum promissionum diem clarissimam, splendente in omnibus hominibus divinæ imaginis et similitudinis claritate. Nunc autem quia peccati nebulam, totam terram tegentem sol justitiæ sic abominatur, ut juste videatur splendorem suum debere detrahere, quoniam in speculis humanorum cordium, valde sordentium, non poterat imaginis suæ similitudinem formare nisi primitus detersa sorde, quæ tanta est ut videatur diligentiam detergentis posse superare, recte dicit peccator et pœnitens homo : Miserere mei, Deus, detergendo sordes meas. Quibus detersis fiam capax tuæ similitudinis : et sic tu *justificeris in sermonibus tuis*, quibus dixisti : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* et si peccata in me operantur tui dissimilitudinem, tu operando similitudinem vince peccatorum meorum et magnitudinem et multitudinem. Vince peccata mea sicut vincit rex tyrannum. Vince sicut vincit sol densitatem nebularum. Vince sicut medicus fortitudine medicinarum. Vince sicut vincit spissitudinem sordium, qui crebra tersione de materia ferruginosa facit speculum. Vince, cum judicaris. Quoniam tu talis Deus a me dijudicaris esse, ut tibi, cum volueris, adsit tam omnipotens posse, quod vinci non possit nostrorum peccatorum et magnitudine et multitudine, quin tandem constituas homines omnes electos in tuæ imaginis conformitate, sicut proposuisti, cum dicebas : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Amen.

EPISTOLA XXVIII.

Idem ad quasdam sanctimoniales, forte Admontenses de fidei robore ac puritate exemplo centurionis evangelici.

Charissimis in Christo sororibus, Fr. G., devotas orationes.

Aliquando vobis loquens et scribens formavi et suggessi vobis, quantum Deus dignatus est præstare, verba et sensum orationum, quas ad Deum mitteretis tanquam incensum suavissimi odoris. Sed postea nolens vos esse pusillæ fidei, quoniam pusillitas fidei multum obsistit orationis exauditioni, cœpi donante Deo vos ad magnam fidem informare, cui omne, quod recte optatur, est coram Deo im-

Digitized by Google

petrabile. Probat hoc ille centurio cujus magnam fidem Dominus admirans ait : *Non inveni tantam fidem in Israel* (*Luc.* VII). In hoc autem erat magnitudo fidei ejus laudabilis, quod non opus esse arbitrabatur, ut corporali præsentia veniret ad sanandum puerum ægrotum sempor et ubique præsens ordinator omnium rerum, quas ordinat non sicut operator extrinsecus ordinat opus, verbi gratia molendinum sive alicujus domus ædificium, sed sicut intrinsecus et immobilis ac tenax vigor earumdem rerum.

Imitetur hunc centurionem spiritus et animus noster habendo sub se, non super se milites, id est varias cogitationes, vel in bono vel in malo militantes, et dicat huic, id est malæ cogitationi : *Vade et vadit : et alii*, scilicet bonæ cogitationi dicat : *Veni et venit : et servo suo*, id est corpori, quod castigat et in servitutem redigit, confidenter dicat ipse animus : *fac hoc*, scilicet utile opus aliquod, *et facit*... Perpendat quoque ipse animus tanquam discretus centurio, quia *sub potestate* divina *constitutus*, ita et cogitationibus et corpori suo imperat, ut nullo ad hoc internuntio indigeat, quoniam per tacitum voluntatis nutum et mala cogitatio fugatur, et bona advocatur, atque corporis pene tota motio regitur nutu mentis voluntario sine quolibet internuntio.

Verum quomodo centurioni tunc famulantur, quos habet sub se, si ipse, cum sit sub prætoria et imperatoria potestate constitutus, obediens fuerit suo superiori, cui si inobediens et rebellis fuerit, rebellionem quoque in subditis suis inveniet contra se, quam diu ipse noluerit superiori obedire : ita et noster animus quasi centurio Deo regi sempiterno subjectus, illi obediendo erit potens, illum contemnendo fiet impotens, ut, etsi dicat malo militi, *vade*, non vadat, sed neque suimet ipsius potestatem habeat. Cæterum nos agimus de bono centurione sub potestate sui superioris obedienter constituto, et ideo potenti et valido. Talis igitur animus sub potestate divina bene dispositus ad exemplum evangelici centurionis ita poterit secum argumentari : Si ego interior homo, sub potestate invisibilis regis constitutus, ita cogitationes in me et sub me militantes rego ut totum hoc regimen fiat intrinseco quodam imperio, cui neque cogitatio, neque ulla resistere potest corporis motio, quanto magis invictæ virtutis auctor et insuperabilis imperii rex ac semper magnificus triumphator secretissimo et intrinseco suæ voluntatis nutu et adversæ dominationis vires reprimit, et noxia depellendo (sicut ego malas cogitationes cum depello per ipsius auxilium), salubria facit adesse, sicut ego bonas cogitationes cum volo, facio adesse. Nonne sicut ego nulla mobilitate locali discurro, sed infra me manens mobilitates cogitationum et sensuum seu membrorum summa facilitate sine internuntiis dispono : verbi gratia, cum volo ut se pes moveat, fit quod volo, sentitque pes ipse mei regiminis præsentiam et potentiam exhibendo suam obedientiam, ita ut non sit mihi necesse ut ego animus ad pedem mei corporis vadam et mittam, quoniam ipse mei nutus persentit sibi præsentem sibique intrinsecus insitam efficaciam, quoniam ego spiritus illi præsto vitam, mihi a meo superiori tibi etiam interiori præstitam; nonne, inquam, similiter, imo multo superexcellentius Deus in se manens omnino stabilis dat cuncta moveri, multo ipse præsentior extremissimis creaturis, quam ego creatus spiritus corporis mei etiam intimis membris? Si ego qualiscunque centurio sub illius potestate constitutus dico servo meo, id est corpori meo : Fac hoc et facit (dico autem non sono vocis sed nutu voluntatis, quanto magis ille quæcunque voluit, fecit in cœlo et in terra et in omnibus abyssis ubique totus ita præsens, quemadmodum ego animus et anima membris corporis mei singulis totus et tota sum præsens? Et si ego non scindor in partes, ita ut pars mei sit in uno oculo corporis mei et pars in altero, quoniam partes divisivas non habeo, quanto magis ille sic est unus individuus Deus, ut non sit ejus altera pars in cœlo, altera in terra, quoniam pleni sunt cœli et terra majestatis gloriæ ipsius?

Cur itaque, o Salvator ubique præsens, dicis mihi pro puero meo roganti : *Ego veniam et curabo eum!* (*Matth.* VIII.) Quo venias, qui ubique es? quomodo intres sub tectum meum, quem cœli cœlorum non capiunt? Forte venias secundum carnis carnalem præsentiam? Sed *caro non prodest quidquam* (*Joan.* VI). Non per divinitatem sibi insitam, quæ divinitas, cum sit ubique, sufficit mihi tuum velle, sufficit mihi tacitum voluntatis tuæ imperium. Quæ voluntas ut etiam foris innotescat, *dic verbo et sanabitur puer meus* (*Matth.* VIII). Tu enim es Verbum, per quod facta sunt omnia, non quod desinit prolatum, sed quod permanet natum. *Dixit* enim Pater tuus, *et facta sunt* omnia. *Dixit*, hoc est æternum Verbum genuit, non sicut carnalis pater gignit filium, sed sicut prudens animus gignit prudens consilium, quod consilium in animo, et ab animo genitum sicut non potest ab ipso animo separari, sic tu non potes a Patre tuo separari. Nam etsi consilium vocalem sermonem induat, ut foras ad audientium et intelligentium mentes procedat, nihilominus tamen in gignente animo permanet etiam cum per sermonem ad aliorum mentes procedat, cumque ipsum consilium sese aliorum intellectibus inserit, illum tamen, a quo genitum est, non relinquit. Sic tu, o Jesu, æterni Patris æternum Verbum sive consilium, licet humanam substantiam induens foras processeris, cum Patre tamen et in Patre unum atque idem permanens, ab illo nusquam et nunquam recedis : Quoniam tu et ille non duo estis Dii sed unus Deus, cujus est hoc dictum : *Cœlum et terram ego impleo* (*Jerem.* XXIII). Absit, ut ego homo sub potestate constitutus te tam immensum, tam inestimabilem sub tectum meum coarctem, quod facerem quo-

Digitized by Google

dammodo, si te in tua divinitate ulla forma circumscriptum æstimarem.

Est autem circumscriptum, quidquid extensum in longum, latum et altum ipsius longitudinis, latitudinis et altitudinis aliquem habet terminum. At tu, sine longitudinis locali dimensione, attingis a fine usque ad finem, hoc est ab exordio creaturarum usque ad finem earum ; sine latitudine locali complecteris omnia loca, et sine locali altitudine superexcellis omnia non solum visibilia, sed invisibilia. Tu gyrum cœli circuisti sine locali mobilitate, tu cœlorum contines thronos, tu abyssos intueris, tu montes ponderas, tu terram palmo concludis, tu nusquam includeris. Et ego me dignum æstimem, ut intres sub tectum meum? Absit a me talis cogitatio! talis opinio, ut te circumscriptibilem aut formatum ullatenus æstimem, quoniam tu es ante omnem formatum Deum, sicut dicis : *Ante me non est formatus Deus* (*Isai.* XLIII). Potius id credam, quod tu sis forma informans omnia formosa. Nam ideo terrenus homo, quem assumpsisti, formosus est præ filiis hominum, quod tu forma æterna, pulchritudo sempiterna illum præ cæteris inhabitas, ut eum speciosum forma præ cunctis exhibeas, dum in tantum tibi humanam naturam associas, ut tu in homine assumpto unus Christus, unus rex, unus pontifex, unus idemque secundum assumptam humanitatem exhibeas te visibilem, invisibilis permanendo secundum Divinitatem ubique præsentem.

Dic igitur *verbo, et sanabitur puer meus.* Dic potenti voluntatis imperio, et hoc ipsum imperium pronuntia verbo, ne putetur casu accidisse salus puero meo, ut tu glorificeris audito hoc miraculo, ut credaris ubique præsens esse, ut agnoscatur imperium tuum inseparabile, quod nulla locorum interjectio poterit intercipere, quoniam sicut es ubique, sic regnas ubique; nec tibi est aliud esse, aliud regnare sicut regibus terræ, quorum essentia fuit priusquam eorum potentia. Tua vero potentia non est aliud quam tua essentia; et ideo sicut essentia tua confert esse omnibus, quæ sunt, ita regnum tuum est regnum omnium sæculorum, et dominatio tua in omni generatione et generatione, nec est qui resistat in regno tuo voluntati tuæ.

Nam et ego homo : *homo*, non Deus; *homo* fragilis, non Deus immortalis ; *homo* initium habens, tu Deus initio et fine carens. *Homo* sum, hominis, imo mortalium hominum Filius. Tu filius hominis, id est incorruptæ genitricis. *Homo* sum peccatis gravatus. Tu Deus et homo ad purganda peccata solus idoneus. *Homo* sum natus non de virgine intacta, sed de muliere corrupta : *homo* sum, cinis sum, vermis sum. *Homo* sum, ut dixi, natus de muliere, brevi vivens tempore, repletus multis miseriis, qui, quasi flos egressus conteror, et fugio velut umbra, nunquam in eodem statu permanens. Et tamen *habeo sub me milites*, milites et servos, et obediunt mihi, cum ego non sim liber omnino. Sub potestate quippe constitutus sum, centurio sum, non rex, non saltem tetrarcha ut Herodes aut Pilatus, sed *centurio*, sub tetrarcha constitutus. *Et habeo sub me milites.* Et *dico huic : Vade et vadit, et servo meo : Fac hoc et facit* (*Luc.* VII). Quanto magis tuæ majestati, tuæ voluntati, tuæ jussioni obedient omnia per te creata, per te hactenus gubernata et deinceps gubernanda, in te subsistentia, quoniam, si tu non sustentares omnia, in nihilum utpote de nihilo facta caderent, et subsistere non valerent, tu superior omnibus, tu subterior, tu interior, tu implens, tu circumplectens omnia, esse præstas entibus, quod est et lapidum ; vivere viventibus, quod est homini commune et arboribus; sentire sentientibus, commune cum animalibus ; intelligere intelligentibus, hominibus et angelis. Incommutabilis, indivisibilis, inlocalis, intemporalis, invisibilis, incomprehensibilis in tua divinitate, solo verbo poteris puero meo, corpori meo, spiritui meo, cuilibet charissimo meo salutem restituere ac restitutam conservare. Ideo sufficit tibi, licet omnia scienti, breviter dicere : *Domine, puer meus jacet paralyticus in domo, et male torquetur* (*Matth.* VIII).

Audiens autem Jesus miratus est (*ibid.*). Miratur fidei magnitudinem, qui non miratur totius orbis amplitudinem ; et quoniam fidei magnitudo placuit, postulatis acquievit, flexus ad misericordiam non verborum multitudine, sed fidei magnitudine. *Sicut credidisti*, ait, *fiat tibi* (*ibid.*). Magnifice, mirifice, inconcusse credidisti, qui me hominem parvulum cernens, Deum ubique præsentem, ubique omnipotentem protestaris, dum pro salute pueri tui restituenda solum verbum meum sufficere arbitraris. Ergo *sicut credidisti, fiat tibi* (*ibid.*).

O Domine Jesu, qui sedes in dextera Patris, interpellans pro nobis, pontifex factus in æternum ! Da nobis tantam fidei puritatem, quanta sufficit ad videndam nunc in speculo Scripturarum et creaturarum tuæ majestatis claritatem : quatenus qui jam te ex fide cognoscimus, usque ad contemplandam speciem tuæ celsitudinis perducamur, ducente nos bono Spiritu tuo in terram rectam, cum quo Spiritu et sempiterno Patre tibi sit in tuis electis et prædestinatis gloria, et contra omnes inimicos victoria, viventi, regnanti et dominanti per omnia et in omnia sæculorum sæcula. Amen.

Digitized by Google

VEN. GERHOHI

PRÆPOSITI REICHERSPERG

COMMENTARIUS AUREUS IN PSALMOS

ET CANTICA FERIALIA

Quo præter amplam luculentamque divini hujus libri expositionem magna quoque pars historiæ controversiarumque illorum temporum continetur; accesserunt, ubi ille deficit, supplementa necessaria ex nondum edito in eosdem Psalmos Commentario viri eodem sæculo longe celeberrimi

HONORII AUGUSTODUNENSIS

ORD. S. BEN.

Prodeunt nunc omnia primum tum junctim cum reliquis *Thesauri anecdotorum novissimi* tomis, quorum hic quintus est, tum etiam separatim, ex ms. codd. Reichersperg. et Mellic., opera et studio RR. PP. Bernardi Pez, Benedictini et bibliothecarii Mellicensis et Felicis Mariæ Wirtenberger, ord. Serv. B. Mariæ Virg. concionatoris.

(Augustæ Vindelic. et Græcii, anno 1728.)

PARS PRIMA.

INCIPIT

EPISTOLA GERHOHI AD EBERHARDUM

ARCHIEPISCOPUM SALZBURGENSEM.

Beseleel filius Uri, filii Hur de tribu Juda, juncto sibi Oliab filio Achisamech de tribu Dan (*Exod.* XXXVIII, 22 et 23), repletus intellectu et sapientia fabrefecit tabernaculum testimonii, Domino jubente ac populo Israel adjuvante. *Viri enim cum mulieribus præbuerunt armillas, et inaures, annulos, et dextralia, omne vas aureum in donaria Domini separatum est. Si quis habuit hyacinthum, et purpuram, coccumque bis tinctum, byssum, et pilos caprarum, argenti et æris metalla, obtulerunt Domino, lignaque setim in varios usus. Sed et mulieres doctæ dederunt quæ neverant, dederunt hyacinthum, purpuram, et vermiculum, ac byssum, et pilos caprarum sponte propria cunctu tribuentes. Principes vero obtulerunt lapides onychinos, et gemmas. Omnes viri, et mulieres mente devota obtulerunt donaria, ut ferent opera, quæ jusserat Dominus* (*Exod.* XXXV, 22 et seqq.). Porro non Beseleel, qui tabernaculum et utensilia ejus operatus est, sui operis dedicator, aut sanctificator esse poterat, quia pontifex non fuit. Moyses autem, qui officio functus archiepiscopi, consecrare potuit etiam fratrem suum Aaron in pontificem, tabernaculum quod ipse non fecerat sanctificare, ac dedicare idoneus erat, qui et erexit illud, unxitque, ac sanctificavit cum omnibus vasis suis. Quorsum istud? Ut tu Eberharde, præsul sanctæ Juvaviensis Ecclesiæ, promptum exhibeas te ad considerandum quod ego, licet minimus in tribu Juda, veritatem scilicet confitentium particeps, tamen confessionis eorum devotus feci Deo jubente.

Digitized by Google

Quia Deus charitas est (*I Joan.* IV, 8), quæ mihi hoc opus injunxit, cujus te archiepiscopum cupio esse dedicatorem. Nempe viri et mulieres in hoc faciendo me juverunt, quia principes ante me Psalmorum expositores, quasi lapides onychinos et gemmas pretiosas mihi præbuerunt, sententias videlicet summo artificio politas, et quasi opere gemmario sculptas, quas meo dictamini sic inserui, ut nunc verba eorum cum sensu, nunc sensum eorum verbis meis intexens de meo nihil apposuerim, quod non apte cohæreat his quæ principes orthodoxi præbuerunt, qui Psalmos, aliasque Scripturas divinitus inspiratas ante me tractaverunt : horum ego pusillus vestigia sequendo cum Ruth Moabitide spicas lego, quæ illorum plena falce metentium potuerunt superesse manibus, grandes acervos in horrea Domini convehentibus. Mecum vero bene agitur, si mihi aliisque famelicis id ipsum, quod esurio esurientibus et petentibus, vel spicas ab antiquis messoribus derelictas dabit Dominus messis fricare, atque inde grana electa elicere, vel micas de mensa divitum dominorum cadentes colligere, ut liberemur a fame, quæ oppressura est Ægyptios non inventuros cibum, nisi veniant ad verum Joseph, se suaque dedentes in servitutem regiam. Accipe igitur hunc spicarum fasciculum, primam videlicet partem expositionis in Psalterium. In quo, si videbuntur aliquæ spicæ quasi ob novitatem virentes, nec eas in sacrificio Dominus reprobat, qui A de talibus in lege mandat, ut igne torreantur a sacerdote, qui elevat hujusmodi fasciculum coram Domino. Et tu ergo sacerdos legitime, si quid, ut putatur, novum in scriptis meis repereris, noli statim repudiare, sed igne sancti Spiritus adhibito, prius inter me ac te, aliosque fideles fiat inde familiaris collatio, et si opus fuerit aliqua talis consequenter emendatio, quæ viriditatem spicarum sic torreat ; ut grana in eis latentia non destruat. Sic beatus Augustinus in libris Retractationum fecisse legitur, ubi opus esse putabatur. Magni ergo viri exemplo edoctus, nolo sic in verba mea jurari, ut non patiar inde aliquid retractari. Quin potius ego ipse illud retractabo, si quid in eis reperietur, quod sano sensui repugnans esse judicabitur, ab his B duntaxat judicibus, quorum simplex et bene purgatus est oculus, qualium tu, Eberharde præsul, mihi appares præcipuus : cujus oculi sunt oculi columbarum. Nolo ego nigris corvorum oculis opus meum ingerere, quorum rostra parata sunt ad laniandum, quia nesciunt oscula columbarum. Tuis autem columbinis oculis credo placiturum quidquid videris, et probabis rationi et veritati consentaneum, cui etiam non dubito gratum fore gemitum, vel cantum columbinum in Expositione Psalmorum crebro interpositum secundum desideria fidelium istud opus petentium, quibus negare non audeo quidquid possum in Domino.

MAGISTER AD DISCIPULOS.

Apostolus Joannes, rogatus ab episcopis Asiæ C aliarumque rectoribus Ecclesiarum conscribere de divinitate Christi Evangelium, non consensit rogantibus, nisi oratione ac jejunio per triduum satagerent a Deo sibi obtinere, ut ipse digna mereretur scribere. Si tantus apostolus Christi specialis dilectus non præsumpsit majora se non adjutus jejunio et oratione, quid mirum si ego inter peccatores magnus, inter sanctos minimus, vel nullus, vix, aut nullatenus audeo facere quod rogatis? Attamen, quoniam omnia possibilia credenti, non credo impossibile, adjuvante vera fide, ut satisfiat spei ac dilectioni vestræ, sperantibus vobis ac desiderantibus una mecum tale de Psalmis pabulum, quo satietur in bonis desiderium nostrum. Nam et hoc ipsum in Psalmo promittitur, ubi dicitur : *Benedic, anima mea, Domino . et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus. Benedic, anima mea, Domino : et noli oblivisci omnes retributiones ejus. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis : qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam : qui coronat te in misericordia et miserationibus. Qui* D *replet in bonis desiderium tuum* (*Psal.* CII, 1 et sqq.)

Itaque ut ipse repleat in bonis desiderium vestrum, et nostrum, aliorumque fidelium, quorum forte ad notitiam est opus nostrum deventurum. Vos in oratione Dominica, ubi dicitis : *Panem nostrum quotidianum*, sive *supersubstantialem da nobis hodie* (*Luc.* XI, 2; *Matth.* VI, 11), hoc ipsum tenete in desiderio, ut *panis quotidianus* et *supersubstantialis*, quem quotidiana psalmodia, et supersubstantialis psalmodiæ intelligentia continet, nobis ad sapiendum et erogandum sufficienter abundet. Est enim sancta psalmodia quasi arca fœderis circumtecta ex omni parte auro purissimo et mundissimo. Est in ea spiritualis intelligentia quasi urna aurea habens manna, id est, panem de cœlo datum, habentem omne delectamentum, et omnem saporem suavitatis. Et sicut quondam arca fœderis habens manna, non erat, coram populo extra sancta, vel conspicienda, vel tangenda nisi prius hyacinthinis velaminibus, et aliis teguminibus obvoluta : sic mihi videtur psalmodia, sonare in Ecclesia coram

Digitized by Google

populo sub multo figurarum velamento, quod non penitus est abstrahendum, nisi intra Sancta sanctorum, ubi facie ad faciem videbitur Deus deorum. Tunc enim cessantibus figuris omnibus clarebit, et apparebit veritas, ubi absque figurarum velaminibus omnis spiritus laudabit Dominum.

Nunc interim nobiscum bene agitur, si in bonis ita replebitur nostrum desiderium, ut satisfiat nobis ad repellendum vitæ istius tædium per nectaream Psalmorum intelligentiam, quam Deo favente apprehendere optamus Patrum vestigiis inhærendo, atque illorum sententias colligendo; neque his aliquid interserendo, nisi quod eorum fidei consonet, quodque legentium fidem, spem et charitatem ædificet. Si quis tamen legere dignabitur, quod mihi servorum suorum ultimo divina pietas revelare dignata fuerit ex parte cognoscendum, ex parte prophetandum, ad hujus vitæ fastidium relevandum, æternæque vitæ inflammandum desiderium, ubi est, et excitandum ubi necdum est, quoadusque veniat, quod perfectum est, evacuato, quod ex parte est (*I Cor.* XIII, 10). Cum enim gloria Dei non ex parte, sed tota manifestabitur, tunc, ut ait Psalmista, *Satiabor* (*Psal.* XVI, 15), si nunc, esurio et sitio justitiam, et Dei gloriam. Sed hæc satietas reservanda est in patriam. Et nobiscum bene agitur in via, si nobis in delectamento psalmodiæ satietas erit viatica, et itineraria, qualis data est Eliæ ambulaturo in unius cibi fortitudine quadraginta diebus, et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb. *Quadraginta diebus et quadraginta noctibus* (*III Reg.* XIX, 8), designat vitæ istius tempus laboriosum, in quo deficiente nostra fortitudine opus habemus illius cibi fortitudine, cujus fortitudo cum nescit deficere, non desinit reficere, atque confortare. In illius ergo cibi fortitudine claudus ego, ac debilis aggrediar diætam propositi mihi itineris, non in mea, quæ nulla est; sed in cibi confidens fortitudine, qui potest infirma nostra sufficienter confortare. Amen.

PROŒMIUM.

Jucundum sit tibi *eloquium meum* (*Psal.* CIII, 34), o Trinitas sancta! suavis sit tibi laudatio mea, *turris fortissima nomen Domini* (*Prov.* XVIII, 10), nomen Trinæ Unitatis, et Unius summæ Trinitatis enuntiativum, nomen Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Cujus laudi, cujus honori et gloriæ in hoc præsenti opere propositum nobis est, intentionem nostram dedicare, pastum quærendo in pascuis pastoris David, qui primus et præcipuus omnium prophetarum gloriosum sanctæ Trinitatis nomen evidenter enuntiavit. Cujus trino sapore in Psalmis ter quinquagenis ipse pastor egregius oves rationales pavit, et pascet usque in finem sæculi. Ipse est enim, de quo in laudibus Patrum dicitur : *De omni corde suo laudavit Dominum, et dilexit Deum, qui fecit illum, et dedit illi contra inimicos potentiam, et stare fecit cantores contra altare, et in sono eorum dulces fecit modos, et dedit in celebrationibus decus, et ornavit tempora usque ad consummationem vitæ* (*Eccli.* XLVII, 10, etc.). Vere hic pastor egregius dando *in celebrationibus decus ornavit tempora usque ad consummationem* (*ibid.*), in quibus celebrationibus, dum suavitate musica conditi resonant Psalmi ejus, tempora perornantur usque ad consummationem. Quia temporalis occupatio in talibus celebrationibus introductio est in æternitatem, quam credimus esse omnium temporum finem et consummationem; et ita oves pascuæ hujus ingredientes et egredientes inveniunt pascua, dum et hic ingressi ovile fidei habent suavem delectationem temporalis psalmodiæ, et egressis de corporalis vitæ angustia in æternitatis pratum latissimum flores immarcescibilis bonitatis abundabunt in pastum sempiternum cernentes unum trinum Deum, cujus in hac vita pascit nomen dulcissimum quod (ut præfati sumus) primus omnium prophetarum luculenter edixit pastor iste insignis, quem pavisse oves patris, et sacra historia clarissime narravit, et ipsemet canit verbis hujuscemodi : *Et elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium, de post fetantes accepit eum* (*Psal.* LXXVII, 70).

Apud istum pastorem quod in pascuis uberrimis est sapidissimum, gloriosum videlicet sanctæ Trinitatis nomen, primum claris (ut præfati sumus) personarum distinctionibus enituit. Quia ipse primus Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum expressit; quod Moyses non fecerat, qui Deum Creatorem licet significasset genuisse Filium, qui est hoc verbum, quo *dixit, et facta sunt* (*Psal.* XXXII, 9) omnia : tamen nec gignentem Deum, nec genitum Verbum clare Patris, ac Filii nomine, vel Genitoris, aut Geniti vocabulo manifestavit; sed crasso velamine faciem suam tangendo Deum et principium in significatione Patris, et Filii posuit sic dicens : *In principio creavit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I, 1). Pro eo, ut dicere potuisset : *in Filio suo fecit Pater cœlum et terram* (*Gen.* I, 2). Dicendo autem : *Spiritus Dei ferebatur super aquas* (*ibid.*). Tertiam personam pene manifestaverat; sed quia non dixit : *Spiritus Deus*, vel *Spiritus sanctus*, relictum est in ambiguo et sub velamine faciei ejus, quis esset ille *Dei Spiritus*. Nam quidam ingeniosi arbitrantes clare se vidisse faciem Moysi, putabant illic aerem istum significa-

Digitized by Google

tum nomine *Spiritus*, quia et aer dicitur spiritus, ut illic *spiritus procellarum* (*Psal.* x, 7). Et Spiritus talis naturali elementorum ordinatione fertur super aquas.

Ita nimirum propter homines carnales illius temporis velabatur tunc nomen sanctæ Trinitatis in Moyse, qui, licet aliquando nomen Dei trinum insinuaverit replicando illud tertio, ut illic : *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob misit me* (*Exod.* III, 15), tamen relativa nomina, personas tres distinguentia sub velamine vultus sui continuit. Sed apud istum David (quod nos maxime delectare ac pascere debet) invenimus manifestius expressum fidei nostræ pabulum, videlicet sanctæ Trinitatis mysterium. Quomodo manifestius expressum? Nimirum non solum sicut apud Moysen triplicato substantiali nomine, quod est Deus, exempli gratia cum dicit : *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus* (*Psal.* LXVII, *vers. ult.*), verum etiam expressis relativis nominibus, quæ sunt Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.

Ait enim in ipso loquens Christus : *Dixit Dominus ad me : Filius meus es tu* (*Psal.* II, 7), subauditur : *natura*, non adoptione. Sequitur enim : *Ego hodie genui te* (*ibid.*). Quod dicit *hodie*, sic intelligimus, ac si diceret : in æternitate, in immutabilitate. Sicut enim illi est esse, et non fuisse, aut futurum esse, unde et ad Moysen dixit : *Ego sum, qui sum* (*Exod.* III, 14). Et ad Judæos : *Antequam*, inquit, *Abraham fieret, ego sum* (*Joan.* VIII, 58). sic in genitura ejus neque *heri*, neque *cras* admittit intellectus fidei nostræ, sed solum *hodie*. Quod deinde sequitur : Dominum Patrem dixisse : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II, 8), constat esse dictum pro humilitate nostræ naturæ. Quia secundum hanc servi formam, et illi congruit, et nobis necessarium fuit Patrem postulare, id est pati pro nostra salute. Nihil enim aliud intelligere volumus hic in verbo *postulationis*, nisi obedientiam, cujus summa est sacramentum, sive sacrificium sacrosanctæ ejus Passionis. Itidem in alio psalmo, cum dicit idem Deus Pater loquens in visione sanctis suis, quorum se unum esse gratulabatur David : *Ipse invocabit me, Pater meus es tu. Et ego primogenitum ponam illum excelsum pro regibus terræ* (*Psal.* LXXXVIII, 27, 28). Cum, inquam, hoc dicit, et relativa exprimit nomina *Patris*, *et Filii*, et utramque exprimit naturam unici *Filii*. Nam secundum naturam divinam ipse ait : *Invocabit me, Pater meus es tu* (*ibid.*). Et secundum humanum : *Deus meus, et susceptor salutis meæ es tu* (*ibid.*). Juxta hunc sensum ait : Iste *primogenitus* jam excelsus præ regibus terræ factus, id est jam a mortuis suscitatus, jam ad dexteram majestatis in excelsis æterna sessione sessurus : *Ascendo ad patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum* (*Joan.* XX, 17).

Spiritum sanctum idem David primus nominavit dicens : *Ne projicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me* (*Psal.* L, 13). Nam eatenus scribebatur *Spiritus Dei*, sive *Spiritus Domini*. Hic autem, quod sonorius est : *Spiritum sanctum* primus nominavit. Itaque relativa nomina sanctæ Trinitatis, quæ sunt *Pater, et Filius, et Spiritus sanctus*, hic evidenter edixit, quæ ante ipsum nec Moyses, nec alius sic evidenter expressit. Ad istum repromissio facta est cum juramento, sicut ad Abraham, beati seminis, quod est Christus, quod nasciturus esset de semine ejus : et cantans misericordias Domini, dixit ex ore ipsius Domini : *Semel juravi in Sancto meo, si David mentiar, semen ejus in æternum manebit* (*Psal.* LXXXVIII, 36). Unde venerabiliter attendendum est; quia beata Trinitas, quæ sese Abrahæ exhibuit in tribus angelis pro confirmatione promissionis, sive pro magnitudine et dignitate promissi, ipsa sese pene expressit in tribus verbis ad David in promissione ejusdem seminis, id est Christi : Hæc dicit Dominus exercituum : *Requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis, prædicitque tibi Dominus : quod faciat domum tibi Dominus* (*II Reg.* VII, 11). In istis namque verbis initio tantæ promissionis, quæ intelligitur ex subsequentibus, dum dicit : *Cumque completi fuerint dies tui, et dormieris cum Patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in Patrem, et ipse ædificabit domum nomini meo. Et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in Patrem, et ipse erit mihi in Filium* (*II Reg.* VII, 12 et sq.). In istis, inquam, verbis patenter se ostendit per distinctionem personarum una Divinitas, summæ et individuæ Trinitatis. Quis enim, vel quæ persona hæc dicit : *et requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis*, nisi persona Patris? Sequitur namque, et dicit post modicum : *Ego ero ei in Patrem, et ipse erit mihi in Filium.* Ergo persona illa, de qua dicit Dominus Pater : *Prædicitque tibi Dominus.* Ipsa est Dominus Spiritus sanctus, qui per os sanctorum prophetarum prædixit, quemadmodum et Zacharias dicit : *Sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt prophetarum ejus* (*Luc.* I, 70). Nam de quo protinus ait, quod *Faciat domum tibi Dominus*, ipsa persona est Dominus Filius. *Non tres Domini, sed unus est Dominus.* Quantum potuit, vel debuit sacra hæc Scriptura sacramentum hoc, et futuris servavit, et illis, qui tunc erant, dum ipsa conderetur, abscondit hominibus, quia distinctionem trium personarum portare non poterant, si eis palam prædicaretur.

Quanta vero putas juxta vocem evangelicam in isto habet Pater? Dixit enim Filius : *Cum venerit Paracletus Spiritus veritatis, ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis* (*Joan.* XVI, 14, et 15). Statimque subjunxit : *Omnia quæ habet Pater, mea sunt, propterea dixi, quia de meo acci-*

Digitized by Google

piet, et annuntiabit vobis (*Joan.* xvi, 14). Quanta ergo putas in isto habet Pater, quanta de isto accepit Spiritus sanctus, et annuntiavit apostolis, ut clarificetur Filius Dei? Delectat valde : quia postquam ascendit in cœlum Christus Filius Dei; etiam antequam procederet Spiritus sanctus apparens in linguis igneis, primum quod protulit, de isto accepit, et Petro annuntiavit, ut diceret : *Scriptum est in libro Psalmorum : Fiat habitatio eorum deserta, et non sit qui habitet in ea : et episcopatum ejus accipiat alter* (*Act.* i, 20). Jam enim factum fuerat, quod evangelista Joannes narravit, dicens : *Hæc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* xx, 22). Quodque Lucas ejusdem diei vesperæ gesta scribens dixit inter cætera : *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas* (*Luc.* xxiv, 45).

Ut autem impleti sunt dies Pentecostes, et procedens Spiritus sanctus a throno majestatis *sedit super singulos eorum tanquam ignis; apparuerunt* enim *illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, et repleti sunt omnes Spiritu sancto; et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis* (*Actor.* ii, 3 et 4), ut, inquam, hæc vox facta est, et hac voce facta *convenit multitudo mente confusa* (*ibid.* v, 6) : Nonne quod Spiritus sanctus per os Petri apostoli protulit, de isto accepit? Præmisso namque testimonio prophetæ Joelis, quod non essent ebrii, sicut putabant illi, qui ridentes dicebant : *quia multo pleni sunt isti* (*ibid.*), protinus data propositione de resurrectione Domini nostri Jesu Christi, rationem hanc intulit : *David enim dicit in eum : Providebat Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear. Propter hoc lætatum est cor meum, et exsultavit lingua mea, insuper et caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, et replebis me jucunditate cum facie tua. Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David : quoniam defunctus est, et sepultus : et sepulchrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem. Propterea igitur cum esset et sciret quia jurejurando jurasset illi Deus de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus : providens locutus est de resurrectione Christi; quia nec derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. Hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus nos testes sumus. Dextera igitur Dei exaltatus, et promissione Spiritus sancti accepta a Patre, effudit hunc, quem vos videtis, et auditis. Non enim David ascendit in cœlum, dixit enim ipse : Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* (*Act.* ii, 25, et seqq.). Hoc, ut supra jam dictum est, valde delectat, quod, cum dicere volumus : quia Pater multa in isto habet, quæ Filius, quæ Filii sunt, sicut et cætera omnia (omnes enim Scripturæ in Filium tendunt), prima, quæ Spiritus sanctus protulit per os Petri apostoli ipso die, quo datus est, perpendimus, quia de isto accepit, in quo Deus Pater testimonia fidelia quam plurima Filio suo thesaurizavit.

Si vero quis movetur, cur istum pastorem quasi præcipuum prophetarum, vel primum inter cæteros, imo præ cæteris honoremus, hoc animadvertat, quod prophetæ, non pro qualibet futurorum prænuntiatione prophetæ dicti sint, sed pro eo maxime, quod de regno Dei, de regno Christi et Ecclesiæ sublimiter elocuti sunt, prophetæ dici meruerunt. Siquidem Moyses, aut Josue, sive Samuel, qui ante prophetas fuerunt, nihil de regno Dei, nihil vel parum de pœnis inferni, nihil vel parum de judicio, quo et justi salvandi et impii damnandi sunt, palam verbis dixerunt; non quod ista nescirent, sed quod carnales nimium terræque amatores ista non reciperent. At vero prophetæ de hujusmodi magnifice sunt elocuti. Primus David, verbi gratia : *Quoniam*, inquit, *non est in morte, qui memor sit tui. In inferno autem quis confitebitur tibi?* (*Psal.* vi, 6.) Hic primus regnum Christi verbis intelligibilibus cecinit; verbis quoque personæ ejus patientis, sive resurgentis usus est. Prophetarum igitur primus est, licet et ante hunc beatum Job de resurrectione carnis locutum esse aperte, nemo (sit) qui dubitet.

Hic jam res ipsa satis opportune suggerit, ut quæramus : ut quid sermo Domini, Spiritus Domini de virtutibus locuturus futuri sæculi Regem sibi, per quem loqueretur, elegit? Imo cur illum per quem primum loqui disposuerat de animarum salute, vel vita æterna, regem esse voluit? Nec enim idcirco, quia rex erat, illum elegit, et per illum loqui voluit; sed quia illum elegerat, et ad hoc officium præparaverat, idcirco regem illum esse voluit. Cur ergo sic egit, cur sic venit Verbum Domini, cur de tribunalibus primitus audiri voluit, cur de regali solio primas voces emisit? Nimirum propter duritiam nostram, propter vanitatem et superbiam nostram. Diligenter advertamus, causamque ex nobis esse, vel fuisse jam scienter fateamur. Totum mundi hujus auditorium Deo obsurduerat, et in audienda vanitate superbiebat; omnis homo vivens universa vanitas erat. Ludo vanitatis intenta populosa carnis lascivia, vitæ æternæ seria mortis imminentis negotia scire dedignabatur, audire non poterat. Videmus jam senem, et decrepitum mundum adhuc ex parte maxima lascivientem matura prædicationis evangelicæ fastidire verba, sicque sani sermonis auditu velut sarcina, aut massa gravari arenarum. Ridentur nonnunquam publice prædicatores, nisi caveant, quod et præceptum est dicente sibi Domino : *Nolite margaritas vestras mittere ante porcos* (*Matth.* vii), Quanto magis cum adhuc recens, et vividus luxu juventutis efferretur, personam qualemcunque verbum Domini prædicantem audire dedignaretur? Ergo peregrinum erat huic mundo verbum Domini, non aliter attentos, aut benevolos habiturum divites sæculi, nisi orationem suam inciperet ex ore regis divitis, regis ma-

Digitized by Google

gni, regis manu fortis et victoriosi, qualis erat iste David.

Sed et hoc parum erat, ut potens persona jam dicto Dei verbo auctoritatem sua pararet potentia. Dulcedine opus erat, quatenus alienis ab illo animis per sensus corporis necessaria insinuaretur benevolentia. Procuravit et hoc artifex mirabilis salutis humanæ avidus Spiritus Domini. Eum, quem præparabat ministrum verbi divini, puerum cytharœdum esse voluit, ut deinde paulatim proficientem ordinate Psalmistam faceret; ut negotium salutis animarum mista dulcedine musica, et canendo prophetaret, et prophetando caneret. Ut, inquam, et verba metricis pedibus currendo, et tinnulæ Psalterii chordæ persultando sensim per aures ad animum pervenirent, fidemque, spem et charitatem Dei dulciter insererent. Erat autem instrumentum ejus in modum deltæ compositum, interius concavum, de foris pellibus mortuorum animalium coopertum, habens decem chordas, desuper sonans. Quæ singula nobis aliquid mysticant. Concavitas interior terrenis facultatibus designat nos fore evacuandos, quemadmodum dicit : *Dispersit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in sæculum sæculi* (*Psal.* III, 9). Mortuorum animalium induviæ nos ipsos cum vitiis, et concupiscentiis debere mortificari juxta illud Apostoli : *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram* (*Col.* III, 5). Decachordi positio, decalogi est observatio. Soni desuper emissio, cœlestium tantum est appetitio, solius Dei dilectio, ut idem Apostolus : *nostra autem*, inquit, *conversatio in cœlis est* (*Phil.* III, 20). Sonus fidium ipsa est prolatio vocum. Discretio digitorum pluralitas est Spiritus sancti donorum, quorum etiam motio quorumlibet justorum est operatio. Neque hoc vacat a mysterio, quod, ut diximus, in modum deltæ Græcæ litteræ, Psalterium, illud musicum instrumentum erat triangulatum. Sed est in hoc non solum summæ Trinitatis mysterium, quod Psalmi resonant, sed etiam virtutum præcipuarum quædam Trinitas insinuatur, qua summæ Trinitati sumus reconciliandi.

Tria enim sunt, per quæ ducitur homo ad similitudinem Dei juxta propositum ejus dicentis : *Faciamus hominem ad imaginem et ad similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26). Hæc tria sunt fides, spes, et charitas. Nam ad imaginem Dei homo creatus est in eo quod rationabilis est. Porro ad ejusdem creatricis Trinitatis pervenit similitudinem habendo tria hæc : fidem, spem et charitatem. A quibus primus homo excidens amisit gloriam similitudinis Dei tali ordine, ut non admitteret charitatem, non teneret spem, non haberet fidem. Primum namque exigebatur ab eo charitas Dei in eo, quod cunctis animantibus eum Deus dissimilem fecit, et quia non inveniebatur ei adjutor similis ejus. *Faciamus*, ait, *adjutorium simile sui* (*Gen.* II, 18), videlicet ad propagandam sobolem tam multam, tantæ beatitudinis, ut essent similes angelis. *Tulitque eum, et posuit in paradiso voluptatis* (*ibid.*, 15). Pro tantis beneficiis nullum rependit officium charitatis, nullam vocem gratiarum actionis. Deinde spes ab illo exigebatur in illa positione præcepti : *Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas* (*ibid.*, 17). Sperare enim debuit ut homo rationalis, ut diceret : Si tanta Deus contulit gratis, nonne si præceptum observavero, majora dabit? At ille non in Domino speravit, sed sibimet placens quasi liber, et sic Deus esse voluit. Nisi enim tunc tumorem intus habuisset, foris tentatus tam facile non cederet. Fides ab illo exigebatur : *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris* (*Gen.* I, 18). At ille dicto huic fidem non adhibuit, imo serpenti magis credidit dicenti : *Nequaquam morte morieris* (*Gen.* III, 4), et voci male credulæ mulieris plus quam voci Dei obedivit. Itaque vetus ille Adam a charitate, spe et fide excidens, se et posteritatem suam defraudavit, et longe fecit a similitudine beatæ Trinitatis. Econtra novus Adam reciprocis gradibus, per fidem, spem et charitatem nos reformavit ad eamdem similitudinem Dei. Et *omnis Scriptura divinitus inspirata* (*II Tim.* III, 16) ad hoc tendit, præcipue vero Psalterium ipsum ter quinquaginta Psalmorum trimodum fidei, spei et charitatis prædicat, ac decantat jubilæum. A quibus virtutibus (ut jam dictum est) primus homo excidit, primum charitate, deinde spe, ac postremo fide perdita, sine quibus nullus filiorum ejus salutem recuperat, reciprocato tamen ordine, id est primum fide, deinde spe, postremo charitate possessa. Hæc autem fides in uno homine, hæc spes in uno eodemque, hæc charitas erga unum eumdemque hominem Christum possidenda. Et prima quidem pars, id est quinquaginta psalmi, septem periochis recapitulando, quod credere debeamus, prædicat. Secunda autem pars itidem quinquaginta psalmorum septem nihilominus periochis recursando spem corroborat. Tertia quoque pars, quinquaginta psalmorum charitatem septies recapitulando benedictionibus et laudibus conjubilat.

Cum autem soleant in initiis librorum plura inquiri, quatuor hic non otiose quæruntur : *Materia, intentio, modus tractandi, titulus libri.* De quibus breviter dicimus : *Materia* libri est integer Christus, id est caput cum omnibus membris. *Intentio* est : ipsa membra provocari ad conformationem capitis; ita ut singula membra tali capiti sint convenientia, quia forma corporis est portentosa et monstruosa, si a capite disconveniunt membra, verbi gratia, si caput apparet virilis ætatis, et manus, vel pedes apparent infantilia vel puerilia membra. Unde Apostolus quoque monet nos crescere *in mensuram ætatis plenitudinis Christi* (*Eph.* IV, 13). Christus autem in capite libri hujus insinuatur vir maturus, ubi dicitur : *Beatus vir* (*Psal.* I). Viri ergo hujus maturitati sumus commensurandi, prout requirit aptitudo cujuscunque membri, ut, verbi gratia, qui sunt in Christi corpore magno, quod est Ecclesia, vel manus bene operando, vel oculi contemplando, vel

Digitized by Google

pedes in via mandatorum ejus currendo, sint in mensura ætatis hujus beati viri, cui nihil convenit puerile in toto suo corpore, nisi forte in membro aliquo crescente, vel crescere incipiente, sed *ad mensuram ætatis plenitudinis Christi* se in anteriora extendente. Tales enim parvuli sunt in Christi corpore ferendi, et lacte Psalmorum, seu aliarum Scripturarum sanctarum pascendi et nutriendi, usque dum perveniant in *mensuram ætatis plenitudinis Christi*, quo si nolunt pervenire, sed perseverant in pueritia, pueri centum annorum nullatenus pertinent ad istum beatum virum, qui non acquiescit consilio impiorum, ut vel unum talem puerum in Scripturis maledictum sustineat in suo corpore, quod est benedictum. Notandum vero, quod non dicitur, *in mensura Christi*, sed *in mensura ætatis plenitudinis Christi*. Quæ est autem Christi plenitudo nisi de qua dicitur : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratia et veritate* (*Joan.* I, 14). Ergo plenitudo gratiæ et veritatis in Christo habet ætatem, quia ipse Christus ætate, sapientia et gratia coram Deo et hominibus profecit ad virilem antiquitatem et maturitatem, dum pervenisse creditur usque ad Antiquum dierum sic fortis et sapiens etiam in natura humana, quæ sola in eo profecit, ut Antiquo dierum Deo Patre impotentior et infirmior non sit, qui etiam viam hujus vitæ ita viriliter cucurrit, ut in consilio impiorum non abierit a rectitudine, nec steterit in via peccatorum, nec sederit in cathedra pestilentiæ. Conformantur autem illi, qui pro mensura gratiæ singula membra formantis, et capiti configurantis, et ipsi libenter et diligenter cavent, ne abeant in consilio impiorum. Et si abierint, ut iste David abiit in consilio peregrini ad se venientis, et adulterium pariter et homicidium persuadentis ; tamen eumdem David imitantur non stando, non perseverando in via peccatorum, sed requirunt velociter pœnitentiæ remedium, ne morantes in peccato incipiant sedere in cathedra pestilentiæ. In qua etiamsi cœperint sedere, etiam quatriduani in corruptela pestilentiæ fœtere ; adhuc illi beato viro, qui non abiit, qui non stetit, qui non sedit in peccato, est possibile tales quoque de sepulcro fœtentis conscientiæ ad lucem confessionis vocare, dicendo : *Veni foras*, id est, confitere quod introrsus occultas. Et sic eidem viro, qui vita est, conformantur etiam, qui de morte quatriduana revivificantur ; et eidem viro, qui via est, conformantur, qui ad iter justitiæ revocantur ; et eidem viro, qui veritas est, conformantur, a quibus peccata sua veraciter accusantur. Sed tamen tanto est quisque vicinior beatitudini, quanto brevius abiit, stetit, vel sedit in peccato. Ille autem solus vir est summe beatus, qui nunquam abiit, stetit, vel sedit in peccato, utpote conceptus absque peccato. Huic tali nos conformari summa est Psalmorum intentio tractantium de Christo et ejus corpore toto.

Modus vero tractandi mikticon est, sunt enim tres modi tractandi : *Exagematicus*, *dramaticus* et *mikticon*, id est mistus. *Exagematicus* est, ubi solus auctor loquitur, et nullus alius, nisi prius ab ipso auctore, vel scriptore commemoratus, ut in quinque libris Moysi, ubi Moyses loquitur, et quilibet illic locuturus prius ab ipso commemoratur, ut illic : *Dixit Dominus ad Abraham : Ecce Sara uxor tua pariet tibi filium* (*Gen.* XVII, 19) ; item : *Dixit* Rebecca *Jacob filio suo : Audivi patrem tuum*, etc. (*Gen.* XXVII, 6). *Dramaticon* vero est genus loquendi, vel scribendi, ubi derepente sine introductionis commemoratione loquuntur diversæ personæ, ac nihil auctor in sua persona, ut in Canticis canticorum locutiones miscentur nunc sponsi, nunc sponsæ, nunc adolescentularum et aliarum personarum ; et illic nihil auctor loquitur in sua persona, qui tamen loquitur totum in personis aliorum. *Mikticon*, id est mistum, de utroque genere dicendi est, quando nunc auctor in sua persona loquitur, nunc personæ introductæ, ut in Apocalypsi, et in Boetio De consolatione. Nam et Joannes in sua persona loquitur : *Ego Joannes frater vester, et particeps in tribulatione* (*Apoc.* I, 9), ac cætera talia suæ soli personæ congruentia, et loquuntur illic septem tonitrua, septem tubæ, atque aliæ diversæ personæ, licet inter scribendum commemoratæ, tamen in ipsa Joannis visione subito illatæ, subito auditæ vel visæ. Genus exagematicum convenit historiographis currens plano stylo per res gestas, quarum pene auctorem esse debet indubitata veritas, et pene auditorem sive lectorem facilis credulitas. Genus dramaticum variis personis contextum convenit carminibus nuptialibus, ut sunt Cantica canticorum. Hoc etiam in comœdiis, vel tragœdiis agendis observatum est a sæcularibus auctoribus ; quia hoc genus loquendi magis commodum videbatur vel tristitiæ, vel lætitiæ, vel alterius qualitatis animi movendis affectionibus. Mistum vero genus investigationi secretorum est aptius, et magis valet ad persuadendum id, quod rationabiliter est credendum. Unde illo genere usi sunt non solum sapientes mundi, dum secreta investigarent, ut habemus in *Timeo* Platonis, et in libro *Consolationis* Boetii ; Sed et prophetæ usi sunt eodem genere, dum credenda persuaderent aliqua mirabilia, et ad credendum difficilia. Hoc loquendi seu scribendi modo contextum est Psalterium.

Rex enim David Psalmorum dictator et eximius cytharista, cui fuit *psalterium jucundum cum cythara* (*Psal.* LXXX, 3), dum prospere regnaret, volens cultum Dei magnificare, elegit quatuor millia virorum, qui non solum voce, sed et musicis instrumentis Psalmos canerent, quibus præposuit *Asaph*, *Idithun*, *Heman*, *Ethan* vel filios *Core* (*Paralip.* XV, 19 ; XXIII, 5 ; XXV, 1), qui Psalmos personabant tribus modis : vel humana voce, vel musicis instrumentis, vel communiter utroque modo, et hoc dupliciter ; vel post vocem instrumento, vel post instrumentum voce. Unde, ut

Digitized by Google

nomina eorum, ut honorem de ministerio sumerent, titulis interseruntur, maxime per significationem rerum. Ipse quoque David cum ipsis cantoribus cytharam percutiebat in domo Domini, et laudes Deo canebat, nonnulla interserendo in sua propria persona, ut est illud : *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam* (*Psal.* L, 1). Psalmus vero est instrumenti sonus. Canticum humanæ vocis cantus in laudem Dei. Psalmi canticum, cum post instrumentum vox. Cantici psalmus, cum post vocem instrumentum.

Nonnullis autem videtur, quod secundum diversos psalmos ipse modus tractandi varietur. Et hoc ita credi suadet varietas psalmorum. Nam in aliquibus frequentantur cantica dramatis, quæ sunt propria nuptialis carminis aut lamentationis. Pro nuptialis carminis exemplo est psalmus : *Eructavit cor meum verbum bonum* (*Psal.* XLIV). Solæ quippe introductæ personæ illic loquuntur, et in sponsi, ac sponsæ laudibus currit totus psalmus. Lamentationis carmen est psalmus : *Super flumina Babylonis illic sedimus, et flevimus* (*Psal.* CXXXVI). In quo nihil ex auctoris persona dicitur, sed lamentabilis flentium conquestio per introductas personas exprimitur. Et hujusmodi psalmi per solas introductas personas contexti possunt assignari dramatico generi. De misto vero genere sit exemplum Psalmus : *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur* (*Psal.* XC). Nam et primum versum dicit ipse auctor Prophetа, ultimum vero Deus Pater. Cui enim nisi Deo Patri conveniret dicere de homine in se sperante : *Quoniam in me sperabit, liberabo eum, et protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Clamabit ad me, et ego exaudiam eum ; cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum, et ostendam illi salutare meum* (*ibid.*). In Psalmis vero, in quibus texitur historia, de tertio tractandi modo nobis ostenditur forma, sicut est : *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus*, etc. Quantalibet autem varietate psalmi vel tunc canerentur, vel modo canantur ; quomodocunque ipsæ canentes, aut loquentes in psalmis personæ varientur, hoc nobis est observandum, ut psalmorum affectui nostrum in psallendo jungamus affectum. Si enim hoc in comœdiis et tragœdiis observatum placuit, ut, qui verba gaudentis, vel etiam lugentis in theatricis nugis repræsentaret, ipse gaudentis aut lugentis affectum simularet ; quanto magis nos in veri Christi laudibus non simulatorie, sed vera devotione conformari debemus illorum affectionibus, quorum verba resonamus ; ut videlicet cum David pœnitente, nos quoque veraciter pœnitentes dicamus : *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam ?* (*Psal.* L.) Cum eodem gaudente, nos quoque gaudentes dicamus : *Exaltabo te, Deus meus rex ?* (*Psal.* CXLIV.) Cum ipso admirante, admiremur dicendo : *Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra !* (*Psal.* VIII.) Cum ipso sperante, nos quoque sperantes dicamus : *In te, Domine, speravi ?* (*Psal.* XXX.) Solus enim David multas in se personas, multarum personarum affectiones repræsentavit, dum omnibus omnia factus, illum non solum præcinuit, sed etiam præfiguravit, qui nunc solus psallit in bene ac sapienter psallentibus, juxta quod ipse loquitur ad Patrem : *Confitebor tibi in populis, Domine, psallam tibi in gentibus* (*Psal.* LVI, 10).

Hic est verus David solus Psalmista in omnibus, qui psallunt *sapienter*, id est sapiendo psalmorum affectus. Quia igitur in affectibus pietatis est omnis virtus psallendi, et orandi ; enumeremus aliquot ex ipsis, et exemplis demonstremus, ut, quia enumerare non possumus (infiniti enim sunt affectus) quod tamen in omnibus laudabile sit, et Deo acceptum, ex quibusdam conjiciamus. Est affectus *Dilectionis*, cum forte mens, vel videns, vel reminiscens id, quod amat, subito amoris igne corripitur. Est affectus *Admirationis*, cum aliquid novum et admirabile contemplans in stuporem excitatur. Est affectus *Congratulationis*, cum acceptabile aliquid et beneplacitum videns, quadam hilaritate perfunditur. Est affectus *Humilitatis*, quando ex consideratione infirmitatis suæ ab elatione sua sponte comprimitur. Est affectus *Mœroris*, quando ex consideratione malorum suorum quodammodo contabescens infirmatur. Est affectus *Timoris*, quando ex consideratione imminentium pœnarum concutitur. Est affectus *Indignationis*, quando in odium adversariorum ex ipsa iniquitatis eorum malignitate inflammatur. Est affectus *Zeli*, quando ex mœrore tristitiæ ad desiderium ultionis accenditur. Est affectus *bonæ Præsumptionis*, quando ex nova aliqua et singulari fiducia ad vindicandum plus solito quispiam animatur.

De istis affectibus primi tres ad illud præcipue genus Scripturarum pertinent, in quo fit laudatio ; quia scilicet ex commemoratione bonitatis surgit affectus *Dilectionis*. Ex commemoratione potentiæ et fortitudinis surgit affectus *Admirationis*. Ex commemoratione alicujus prosperi eventus et facti felicis surgit affectus *Congratulationis*. Tres sequentes ad illud genus pertinent, in quo fit commemoratio infelicitatis et miseriæ, quia videlicet affectus *Humilitatis* surgit ex commemoratione propriæ infirmitatis. Affectus *Doloris* surgit ex commemoratione malorum præsentium, vel ex recordatione præteritorum. Affectus *Timoris* ex prævisione futurorum. Tres ultimi affectus illi magis generi Scripturarum congruunt, quo fit invectio, et accusatio in adversarios, videlicet, qua nequitiam illorum indignamur, contra injuriam zelamus propter malitiam eorum plus de Dei misericordia præsumimus. Exempla singulorum sunt hæc : Ex affectu *Dilectionis* canitur psalmus : *Diligam te*, Domine (*Psal.* XVII). Ex affectu *Admirationis* canitur psalmus : *Domine Dominus noster, quam admirabile*, etc. (*Psal.* VIII). Ex affectu *Congratulationis* canitur

Digitized by Google

psalmus : *Omnes gentes plaudite* (*Psal.* XLVI). Et in his omnibus est laudatio. Ex affectu *Humilitatis* canitur psalmus : *Usquequo, Domine, oblivisceris?* (*Psal.* XXX.) Ex affectu *Timoris* canitur psalmus : *Domine, ne in furore* (*Psal.* VI). Et in his omnibus mista est querelæ deprecatio. Ex affectu *Indignationis* canitur psalmus : *Quid gloriaris in malitia* (*Psal.* LI). Ex affectu *Zeli* canitur psalmus : *Deus ultionum* (*Psal.* XCIII). Ex affectu *bonæ præsumptionis* canitur psalmus : *Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea* (*Psal.* XXV).

Sciendum est hanc proprietatem in omnibus psalmis non esse, ut per totam seriem unus affectus extendatur ; sed sæpe de alio affectu transitur in alium secundum quod mentes orantium diversis modis affici solent. Hoc autem, qualiter per singulos psalmos cognosci possit, explanare non vacat. Volumus tamen hoc in aliquibus exempli causa demonstrare. Forte cogitare cœpi, quanta sit felicitas esse cum Deo, quanta nunc sit miseria vivere in hoc sæculo, quanta demum calamitas semper cruciari in inferno, et ex hac meditatione magna subito amore cœlestis patriæ attractus ipso affectu ducente in hæc verba decurro : *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum*, etc. (*Psal.* I). Cujus psalmi totam summam, si secundum intimum compunctionis sensum inquirimus, quid aliud, nisi hoc ubique dicentem invenimus : Felices, qui nunquam a Deo recesserunt ! felices, qui semper cum Deo permanserunt ! felices, qui in ejus obsequio fideles et devoti persistunt ! Nam infelices et miseri illi sunt, qui se ab illo elongaverunt, et cum illo perseverare noluerunt, vel qui prius ad illum non redierunt. Gratias illi, quantum perstiti. Confusio mihi, quantum discessi. Nunc autem, quantum prope sum, elongare me nolo : quantum longe, redire cupio. Utinam ad illum perveniam, utinam ab illo nunquam recedam ! Adjuva me, Domine, Deus meus ! Affectus igitur iste dilectionis est surgens ex laudatione. Item exemplum alterius. Cogitavi mecum quanta esset potentia Dei, ac deinde admirari cœpi vesaniam hominum, qui tamen voluntati ejus obviare non pertimescunt. Ex hac itaque admiratione compulsus sum exclamare, et dicere : *Quare fremuerunt gentes ?* etc. (*Psal.* II). *Admiratio* mista *Indignatione*, quia vesaniam admiramur, *Præsumptioni* indignamur, vel certe in nobismetipsis, dum foris assultus vitiorum contrarios et importunos aspicimus, et intrinsecus de Dei adjutorio præsumimus, ipsam tentationum nostrarum molestiam cum quadam indignatione arguimus dicentes : *Quare fremuerunt gentes ?* (*ibid.*) Est et summa totius psalmi ad hoc tendens, ut per Dei potentiam confirmati insolentes adversitates contemnamus, et tanto nos adversariis nostris fortiores, quanto Deo viciniores sumus, præsumamus. Et hic est affectus *Admirationis Indignationi* mistus ex laudatione surgens.

Sequentis psalmi series non secundum unum affectum texitur, sed sæpe de affectu in affectum transit, verbi gratia, in angustiis constitutus quodammodo me a Deo derelictum video, et ex affectu *Doloris* in hæc verba prorumpo : *Domine, quid multiplicati sunt ?* etc. (*Psal.* III.) *Multi dicunt*, etc. Rursum ex affectu *Doloris*, vel ex affectu *Bonæ Præsumptionis* recurrens, aio : *Tu autem, Domine, susceptor meus es*, etc., ut et *Mœrorem* per *Fiduciam* relevem, et *Fiduciam* per *Mœrorem* castigem. Et quis omnes virtutes psalmorum, quis illas ignitas compunctiones sanctorum affectuum enumerare potest, quibus in oratione accenditur animus, et gratissimum Deo sacrificium, in ara cordis adoletur ?

Restat ut inter psallendum nos conemur formare animum secundum sensus et affectus psalmorum. Beatificemus amicos Domini nostri, *quorum remissæ sunt peccata* (*Psal.* XXXI), qui sunt *immaculati, qui scrutantur testimonia ejus* (*Psal.* CXVIII). Beatificemus *omnes qui timent Dominum* (*Psal.* CXXVII), cupientes nos admitti inter consortium eorum. Item ostendamus ei, et in psalmis recitemus nostram miseriam, inimicorum nostrorum dæmonum et hominum nequitiam, quærentes et desiderantes consolationem et defensionem ipsius contra eam. Laudemus inter hæc ejus potentiam, sapientiam, et misericordiam, ut cum in psalmis jubilamus ei, et nos ejus memores, et ipse in bono dignetur esse memor nostri. Hæc dicta sint non solum de modo tractandi materiam psalmorum, sed etiam de modo psallendi ad nostræ mentis exercitium, et invocandum super nos divinæ consolationis auxilium. Si enim Elisæus propheta fecit sibi adduci psalten, ut psallendi modulatione invocato Spiritu Domini super se faceret miraculum ad refocillandum exercitum sitis nimietate fatigatum : quantum nos debemus confidere in psalmorum virtute, cum ecce nunc in Ecclesia per multa religiosa cœnobia juvenes et virgines, senes cum junioribus laudant in psalmis et hymnis nomen Domini Sabaoth, id est exercituum in procinctu positorum, quibus in psalmodia divinum quæritur auxilium contra potestates malignorum spirituum et hominum (*IV Reg.* III).

Nunc de *titulo* dicamus. Volunt quidam primum psalmum esse totius Psalterii titulum, et quasi præfationem, quod non est improbabile. Quia quid est proprium tituli ? videlicet, ut contineat et ostendat nomen auctoris, et materiam subsequentis operis. Hoc in primo psalmo invenimus, quia *Beatus* ille *Vir*, de quo scriptum est in capite libri istius, ipse est auctor Psalmorum, et ipse idem cum toto suo corpore est *Materia* psalmorum : et ideo ipse, cum sit *titulus*, recte caret titulo, vel quia plene de *Beato Viro* agit, de quo sequentes psalmi partim dicunt, et ex parte prophetant. Vel quia Esdras, qui psalmorum titulos posuit, psalmosque ordinavit, non ausus fuit huic psalmo titulum ponere, videns in sequenti Christum de hoc

Digitized by Google

psalmo dixisse, et quasi titulum ejus posuisse, ubi ait : *In capite libri scriptum est de me* (*Hebr.* x, 7). Neque vero decens est hunc psalmum habere titulum, qui est caput et titulus aliorum psalmorum. Singuli vero psalmi suis propriis titulis inveniuntur prænotati, ut in sequentibus patebit.

Nomen Libri est vel *Liber Hymnorum*, vel *Liber Soliloquiorum*. Hymnus est laus Dei cum cantico. Et bene dicitur *Liber Hymnorum*, in quo sunt multæ laudes, et cantiones divinorum mysteriorum. Vel *Liber Soliloquiorum*, quia a solo Spiritu sancto administrata est homini absque humano magisterio hæc prophetia.

Prophetia vero est aspiratio divina, quæ eventus rerum vel per facta vel per dicta immobili veritate prænuntiat. Multis autem modis hæc gratia data est. Vel per operationem hominum, ut fuit arca Noë, et sacrificium Abrahæ, et transitus maris Rubri. Vel per nativitates, ut Esau, et Jacob, qui futura significabant. Vel per angelos, sicut locuti sunt Abrahæ, Lot et aliis. Vel per visiones, sicut Isaiæ, Ezechieli et cæteris. Vel per somnia, sicut Salomoni et Daniell. Vel per nubem et vocem de cœlo, ut Moysi, vel adhuc aliis modis. David autem nullo horum, sed cœlesti aspiratione intus edoctus Spiritu in eo loquente completus est, ut in libro Regum : *Directus est Spiritus Domini in David* (*I Reg.* xvi, 13). Et Dominus : *Si David in spiritu vocat eum Dominum, quomodo Filius ejus est?* (*Matth.* xxii, 45.) Spiritus autem sanctus sic datus est prophetis, ut aliquando pro peccatis recederet, et placatus rediret. Et sicut ait Petrus : *Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati sæpe locuti sunt sancti Dei homines* (*I Petr.* i, 21). Non sunt autem a munere prophetiæ alieni, quibus data est facultas bene intelligendi, vel interpretandi Scripturas, vel sapienter in Ecclesia pronuntiandi eas, prout se habet ipsius psalmodiæ varietas. Agit enim aliquando simul de toto, id est Christo et Ecclesia, aliquando de singulis, id est Christo, vel Ecclesia. De Christo autem tribus modis. Aliquando enim de Divinitate, ut ibi : *Tecum principium* (*Psal.* cix, 3), aliquando de humanitate proprie, ut ibi : *Desiderium cordis eis tribuisti ei* (*Psal.* xx, 3), aliquando transumptione, dicendo de eo, quod solis convenit membris, ut ibi : *Longe a salute mea verba delictorum meorum* (*Psal.* xxi, 2). De Ecclesia duobus modis. Aliquando secundum perfectos, aliquando secundum imperfectos. De perditis autem aliquando inserit propter bonos.

PSALMUS PRIMUS.

Vers. 1. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit.* — Vers. 2. *Sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Quid nobis hæc prima vox Psalterii prædicat, nisi quia Christus sine peccato est? Sine peccato, inquam, quod credere, cujus rei fidem nos habere oportet. Conceptus et natus est de Virgine Maria. Hic est unus, et solus electus ex millibus (*Cant.* v, 10), cui conveniat præconium psalmi hujus. Quis enim præter illum unum talis ac tantus vir? Et quidem, si de peccatis actualibus agitur (ut de sanctis interim taceam maximis atque notissimis) quis dinumerare possit multitudinem parvulorum innocentium, qui non abierunt *in consilio impiorum, et in via peccatorum non* steterunt, *et in cathedra pestilentiæ non* sederunt? Sed si originale recogites peccatum, nullus omnino est præter hunc unum. Nam *in Adam*, ait Apostolus, *omnes peccaverunt* (*I Cor.* xv, 45). Hic ergo ille vir, vir vere beatus, cujus conceptio et nativitas exstitit secundum operationem Spiritus sancti, quod pulchre insinuatur per hoc dictum.

Vers. 3. *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum.* Pluraliter namque *decursus aquarum* divisiones intelligimus gratiarum spiritualium, quæ omnes simul in istum Deificum hominem, sive beatum virum ab ipso conceptionis initio diffusæ sunt. At in alios homines, quicunque illo digni sunt, nequaquam sic, vel tanta plenitudine, sed longe et incomparabiliter minus doms divisivis datæ sive distributæ sunt. Sed in hujus conceptione tanta virtus Altissimi obumbravit Virgini, id est Spiritus sanctus, qui in principio ferebatur super aquas, fovendo eas, ut in eis esset spiritualis illa fecunditas, qua nunc in eis sit regeneratio, quorum fuit vitiosa generatio ; is, inquam, idem ipse Spiritus Virgini dedit fecunditatem, non abstulit integritatem, formans in ea novum hominem, cujus conceptio, quia tota facta est sub umbra virtutis Altissimi, tanquam sub umbra volucris ovum integrum suo calore ac fotu fecundantis, tota fuit munda, sicut mater fuit integra. Ipsa enim Virgo integra quasi ovum est integrum, quod in sancto Evangelio est scorpioni oppositum dicente Domino : « Aut si petierit ovum, nunquid porriget illi scorpionem? » (*Luc.* xi, 12.) Scorpio blanditur in facie, sed lædit per caudam arcuato vulnere. Sic diabolus in serpente loquens ad Evam invenenavit eam veneno superbiæ et incontinentiæ, ut in omni sua posteritate tanquam in cauda scorpionis inveniatur causa mortis usque ad Mariam Spiritu sancto protectam et obumbratam, quæ

Digitized by Google

licet ipsa in peccatis more aliorum hominum fuerit concepta (23) : tamen velut *hortus conclusus*, *et fons signatus* (*Cant.* IV, 12) actualibus peccatis fuit inaccessibilis. Atque ipsa culpa originalis, sicut deficit fumus præ claritate solis, et sicut cera consumitur a facie ignis, in ea defecit, et consumpta est illuminante pariter, et inflammante illam Spiritu sancto, id est amore divino, amore Dei Patris, quo perfusa et confota concepit integra ; sicut in ovo integro avis concipitur agente alterius avis calore, vel sicut vermis concipitur de pura terra per solis calorem, sic virgo integra et pura concepit operante in ea cœlesti amore Dei Patris qui humilitatem ejus respiciens, et castitatem diligens eructavit Verbum bonum in ipsius mentem et uterum, et sui amoris calore non per carnalem, sed spiritualem delectationem elicuit ab ejus carne carnem sementivam suo semini, suo videlicet Verbo in virginem ut diximus eructato, uniens illam rationali anima divinitus creata mediante cum tanta unionis virtute, ut homo in virgine per Dei Patris amorem conceptus, in ipsa conceptione fieret Deus, non amittens humanæ naturæ veritatem, sed indutus Divinitatis virtutem,et fortitudinem juxta illud : *Indutus est Dominus fortitudinem*, *et præcinxit se virtute* (*Psal.* XCXII, 1).

Non est autem indutus divina fortitudine, et virtute tanquam accidentali et separabili forma, sed ita præ filiis hominum speciosus forma divina (quæ aliud non est, quam ipsa Divinitas) præfulsit, et præfulget; ut ipsa Divinitas homini taliter concepto sit forma substantialis, imo plusquam substantialis. Nam in connexione naturali substantiarum, et substantialium formarum, vel differentiarum, verbi gratia hominis, et rationalitatis, velut ignis et caloris, non enuntiantur formæ de subtantiis, nisi nominibus adjectivis, verbi gratia cum dicitur : Homo rationalis, ignis calidus, nix frigida, et aqua humida. Cum autem hominem de virgine natum dicimus Deum, non ei hoc nomen facimus adjectivum, sed omnino intelligimus illi substantivum : esse Deum, esse vitam, et veritatem. Unde interrogati de homine illo, quantum ad personam, quis ille sit? recte respondemus : Ipse est Filius Dei, idemque Filius hominis. Et interrogati quantum ad essentiam, quid ipse sit, recte respondemus: Ipse est totus Deus, totus homo, totus omnipotens, et essentialiter bonus ac sapiens, quæ omnia substantive de illo sunt enuntiata, qui tota substantia illius hominis est, et vere divina, et vere humana ; utpote operante sancto Spiritu, tota de Deo, tota de homine generata. Sicut enim in humanis generationibus maris et feminæ filius totus est utriusque Filius, verbi gratia, Isaac non solius Abrahæ, nec solius Saræ, sed utriusque filius est : ita et Christus non solius Dei Patris, nec solius virginis matris, sed utriusque filius est. Ultro fortasse acquiescit auditor, quod Isaac, qui ex sanguinibus patris et matris, et ex voluntate, id est amore carnis, id est feminæ, et ex voluntate, id est amore viri natus est, utriusque etiam, scilicet viri et feminæ sit filius tanquam ex amborum sanguinibus conceptus et natus. Verum quia Christus *non ex sanguinibus*, *neque ex voluntate* (*Joan.* I, 13), vel amore viri est natus, sed de solo femineo sanguine, vel carne, sine virilis sanguinis, vel carnis admistione, recte fortasse videtur filius feminæ dici proprie, quia substantiam carnis traxit de sola illius carne. Quomodo autem hic filius feminæ virginis etiam dicatur Filius Dei Patris, non facile capit intellectus, cum videatur homo ille de homine tantum, non etiam de Deo generatus, in quantum est homo. In hoc errore fuit Nestorius hæreticus, qui nimium dividens hominem a Deo Christum dispertivit in duos filios, assignans soli matri virgini solius hominis generationem ; unde ipsam matrem Domini prohibuit dici Theotocon, id est Dei genitricem, qui solam illi assignavit hominis nativitatem. Nos autem credimus, propter quod et loquimur, feminam genuisse hominem divinum, imo veracius Hominem-Deum. *Quod enim* etiam ex ejus carne acceptum, *in ea* conceptum, *et natum est de Spiritu sancto est* (*Matth.* I, 20), de amore Dei Patris est, et ideo Dei Patris Filius non est solum Verbum a Deo acceptum, sed etiam illud semen, quod ex ea acceptum, in ea conceptum et natum est.

Si enim, ut naturalibus utamur exemplis, Isaac ex sanguinibus, et ex voluntate viri, et ex voluntate carnis natus, non dimidius, sed totus est Abrahæ filius; non dimidius, sed totus est etiam Saræ filius, quia de utriusque amore totus est conceptus: utique et Christus totus est feminæ filius, et totus Dei Patris Filius, quia de utriusque amore est totus conceptus, et natus, *neque ex voluntate carnis*, *neque ex voluntate viri*, *sed ex Deo* (*Joan.* I, 13), et ex voluntate, vel amore tantum divino. Ideo enim voluntatem et amorem virginis non dicimus *voluntatem carnis*, quia voluntas ejus, qua dictis angeli consensit, non carnalis, sed divina et spiritualis fuit, imo unus cum Deo Spiritus fuit Apostolo dicente : *Qui adhæret Domino*, *unus Spiritus est* (*I Cor.* VI, 17), Et ideo, *quod in ea natum est*, *de Spiritu sancto est* (*Matth.* I, 20). Femina enim Deum amans, divino amore flagrans ab illo semen, id est Verbum æternum accepit et concepit. Deus, ut erat permansit, et homo esse cœpit; immortale, ut erat, permansit, et mortalitati subjacuit. Namque in ista conceptione Deus non defecit sed homo profecit, cujus humana substantia non una cum Verbo a Deo Patre accepta, sed una cum illo concepta est operante Dei Patris amore: ut et Divinum semen, id est Verbum virgo acciperet pariter et conciperet, atque humanam carnem una cum illo divino semine unitam conciperet, quam

(23) De hac Gerhohi opinione, nunc fere antiquata, idem volo observatum, quod in Dissert. ad Homilias Ven. Godefridi abbatis Admont. num. 16, nuperrime monui. (Vide Patrologiæ t. CLXXIV, init.)

Digitized by Google

de nullo amatore accepit, sed de divino amore concepit. Igitur homo iste recte ipsius Dei Patris dicendus est Filius, de cujus amore totus est conceptus, et Deus recte dicitur feminæ Filius, quæ illum a Deo amatore suo accepit, et concepit sine pudore, ac peperit sine dolore verum Deum, verum hominem: ita ut proprie homo de Deo, et Deus de homine prædicetur, et dicatur Deus-Homo, et Homo-Deus. Quoniam, asserente Leone papa in sermone de passione Domini, sic Deus assumpsit hominem, et homo assumptus est in Deum, ut nihil assumpto divinum, nihil assumenti deesset humanum.

Huic homini, huic beato viro, de amore divino concepto et nato, recte promittitur similitudo ligni plantati *secus decursus aquarum*, quod intelligimus *lignum* vitæ in paradiso positum, ubi fons ascendebat e terra, et irrigabat paradisum decursibus aquarum, id est quatuor fluminum, in quo ligno erat fructus, vitæ indissolubilis effectivus, a cujus esu tunc homo est exclusus propter gustatum vetiti ligni mortiferum fructum. *Lignum* istud vitale in medio paradisi est æterna Dei sapientia in medio rationalis creaturæ posita, quæ angelorum et hominum quasi tenens medietatem utrisque se fecit accessibilem, utrisque obtulit sui fructus æternam dulcedinem, *secus decursus aquarum*, id est, omnium suavitatum et gratiarum irrigantium rationalem ac spiritualem paradisum. Sed rationalis natura prævaricans mandatum ab hoc ligno seclusa, et in exsilium detrusa est; ita ut ei divinæ sapientiæ dulcedo per se ipsam non sit accessibilis, quia interpositus est gladius versatilis. Quia igitur homo non potuit ad eam accedere, dignata est ipsa Sapientia venire ad hominem assumendo verum et purum hominem, cui contulit omnem suæ utilitatis et dulcedinis virtutem, ut quomodo sapientia *lignum* vitæ est angelis beatis, ita *beatus vir*, sapientiæ unitus, *lignum* vitæ sit pariter et angelis et hominibus. Quomodo sapientiæ fructus beatis angelis est beatitudinis effectivus, ita fructus corporis et sanguinis Christi vitam et beatitudinem conferat sui participibus. Corpus enim Christi est beata terra, de qua fons ascendit per quatuor fluminum, id est quatuor Evangeliorum, aliarumque aquarum, id est multarum gratiarum ubertatem, irrigans paradisum, id est Ecclesiam. Vel certe ipsa terra, quam non operabatur homo, est virgo Maria, de qua fons ascendit, quando Christum peperit, fontem vivum qui dicit: *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat* (*Joan.* VII, 37). Qui fons inde dividitur per quatuor fluminum capita, id est quatuor Evangelia, vel quatuor sacramenta, videlicet: Incarnationis, quæ in hoc primo psalmo insinuatur; Passionis, quæ in secundo manifestatur, ubi dicitur: *Quare fremuerunt gentes*; Resurrectionis et Ascensionis, de quibus in tertio psalmo agitur, ubi dicitur: *Ego dormivi*, etc. Nam quod dicit: Exsurrexi, quoniam Dominus suscepit me, resurrectionem indicat. Quod autem dicit: *Gloria mea exaltans caput meum*, suæ Ascensionis est indicativum. Quomodo vero istis quatuor fluminibus terra irrigata fructificet, quartus psalmus docet: *A fructu*, inquiens, *frumenti vini et olei sui multiplicati sunt*. Nonne ergo verissime dictum est: Quia *iste beatus vir, tanquam lignum plantatum secus decursus aquarum dabit fructum suum?*

Sed dicis mihi: Si ipse est lignum vitæ, quare non statim efficiuntur immortales, qui gustant fructum ejus, qui comedunt corpus et sanguinem ipsius? Hic notandum, quia — *dabit fructum suum in tempore suo*. Si enim tu manendo in peccatis mortalibus intempestive accedis, et comedis corpus ipsius, non ille *dabit*, sed tu rapis, et ideo judicium comedis. Si autem de præteritis peccatis doles, et de futuris libenter caves, ille *dabit fructum suum;* cibum vivificum, sed *in tempore suo*, quia et hic animam ex fide vivificat secundum quod scriptum est: *Justus ex fide vivit* (*Rom.* I, 17). Et item *in tempore suo*, id est in die novissimo, corpus vivificabit, pariterque cum anima beatificabit. Est ergo ipse *tanquam lignum* vitæ *plantatum secus decursus aquarum*. Sed cum dicitur *tanquam lignum*, non ita putes tibi manifestari similitudinem, ut hæc similitudo non habeat veritatem. Est enim in hac similitudine Verbum caro factum, non semiplenum, sed omnino « plenum gratia et veritate (*Joan.* I, 14). » Esset autem semiplenum; si solum Verbum Verbum esset vivificum. Nunc autem, quia caro ejus æque ut divinitas est vivificatrix indissimili efficacia, totus Christus est lignum vitæ; imo ipsa vita, sicut ipse ait: « Ego sum via, et veritas, et vita (*Joan.* XIV, 6). » Et ideo, quia caro ejus vivificat sicut spiritus, ipsa caro est spiritus; quia *spiritus est, qui vivificat* (*Joan.* VII, 63). Nec est illud absurdum, ut corpus de Spiritu sancto conceptum dicamus esse spiritum. Si enim quod natum est de carne, caro est, ut quisque nostrum, et quod natum est de Spiritu, spiritus est, ut animæ ex aqua, et Spiritu renatæ: utique corpus, quod in ea natum est de Spiritu sancto, quæ concepit de Spiritu sancto, spiritus est, quia de Spiritu natum est, et nihilominus caro est, quia de vera carne virginei corporis natum est. Et hoc est mirabile in oculis nostris, quod eadem res est caro, et spiritus; sed non est mirabile in oculis fidei, quia omnia possibilia credenti. Alioquin verum non esset quod dicitur: « Factus est primus homo in animam viventem, » secundus homo « in spiritum vivificantem (*I Cor.* XV, 45). » Quod dicitur, *in animam viventem*, sonat magnam paupertatem, quia nec ipse per se vivere, nec alios potuit vivificare. Quod autem dicitur, *in spiritum vivificantem*, tantam sonat gratiæ et veritatis plenitudinem, ut quo modo spiritus Deus per se vivit, et angelos vivificat: ita homo factus *in spiritum vivificantem* valeat per se vivere, atque in se credentes vivificare. Vivit autem iste homo per se, non a se, quia « sicut Pater habet vitam » in se manentem, « sic dedit et Filio vitam (*Joan.* V, 26) » in se manentem. Et sicut Pater suscitat mortuos, et vivificat, sic et Filius,

Digitized by Google

atque ut expressius dicam : Filii quoque corpus, quos vult, vivificat, sicut Filius dicit : « Omnia, quæ habet Pater, mea sunt (*Joan.* x, 15), » id est æternitas, omnipotentia, immortalitas, et cætera Divinitatis præconia : sic homo in Deum assumptus vere dicere potest : *Omnia, quæ habet* mea Divinitas, *mea sunt*, ut est vivificandi efficacia, et omnium virtutum veritas, qua ita impletum est corpus natum de virgine, ut sit plenum gratia et veritate; non veritatis, vel tantum inani similitudine.

Unde cum dicitur iste *Beatus vir tanquam lignum plantatum secus decursus aquarum*, in similitudinis promisso plena plenæ veritatis est significatio, ut illic : « Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti (*Joan.* I, 14). » Et Joannes agnum vidit « tanquam occisum (*Apoc.* v, 6). » Non enim ideo dicitur quasi unigenitus, ut non sit intelligendus vere unigenitus; nec ideo dicitur tanquam occisus, ut sit intelligendum non vere occisus. Ita et hic homo dicitur *tanquam lignum* vitæ, quod est sapientia, in quo non tam similitudo, quam veritatis notanda est plenitudo. Quia idem ipse est virtus, et sapientia Patris, qui est Filius virginis matris; idem ipse factus est « in spiritum vivificantem (*I Cor.* xv, 45), » qui factus est ex semine David secundum carnem, unus Emmanuel in naturis duabus, sed non in dignitatibus duabus. Unus gigas geminæ substantiæ, sed non geminæ gloriæ; quia una dignitas, una gloria est utriusque in Christo naturæ, maxime postquam de hoc mundo ad Patrem vadens illam claritatem suæ carnis obtinuit, quam ipse in Divinitate habuit priusquam mundus fieret apud Patrem (*Joan.* xvii, 15). Et habuit quidem istam Divinitatis claritatem ab hora conceptionis. Verum propter nos homines obscure, et in peccatis natos « exinanivit se formam servi accipiens (*Phil.* II, 7); » quia mortalis existere dignatus fuit is, qui morti nihil debuit. Sed post mortis triumphum Deus Pater sponte humiliatum sic exaltavit, ut cui in conceptione dederat veritatem nominis, « quod est super omne nomen, » per resurrectionis, et ascensionis gloriam daret ipsum « nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (*ibid.*, 10). » Nam sicut puer David secreto in primis unctus est in regem, ac deinde post multa pericula superata regis etiam nomen accepit, sic et Christus in virginis utero accepit regnum æternum dicente angelo : « Regnabit in domo Jacob in æternum (*Luc.* I, 32), » quod est regnum super omne regnum. Sed in hoc regno tunc primo est nominatus, cum interfecto spirituali Golia et Saule, id est morte, mortificata humanitas ejus fulsit in divina gloria, de qua dicitur : « Gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum (*Psal.* VIII, 6 et 7). » Nec est inconveniens quod homo in æternum regnans, æternus rex nominatur, quia homo quidem habuit initium, sed regni ejus non est finis, aut initium; cum illud constet, quod homo iste, qui non semper fuit homo, fuit Deus æternaliter et semper. Hoc etiam in rebus usitatis non est insuitatum, ut enuntietur prædicatum de subjecto in hunc modum. Si enim homo manens quod erat, scilicet homo, incipit esse aliquid, quod prius non erat, verbi gratia episcopus, bene et vere dicimus : Episcopus iste suxit ubera matris, vel nutricis, quamvis tunc episcopus non fuerit, quando matris ubera suxit. Si autem homo aliquid esse inciperet, ita ut homo esse desineret, sicut uxor Lot statua salis esse cœpit, et homo esse desiit : non esset recta prædicatio, vel conveniens enuntiatio, si quis diceret : Hæc statua comedit, hic lapis suxit ubera matris. Quia homo in lapidem, vel statuam commutatus, illud esse desiit, quod fuit, quando comedit, quando matris ubera suxit. Igitur cum Deus Dei Filius esse homo cœpit, manens quod erat, pontifex factus officium sacrificandi habere cœpit, quod in divinitate sua non habuit, cui nimirum in sua divina essentia nec sacrificium, nec templum præsto fuit. Sed ut dixi, manens quod erat, videlicet Deus, et rex æternus cœpit esse, quod non erat, factus homo, factus pontifex in se habens et sacrificium, quod offerret, et templum, in quo suam, et Patris, ac Spiritus sancti divinitatem placaret, factus, inquam, homo et pontifex, quod erat, esse non desiit. Et ideo recte, ac proprie de homine Deo, de pontifice pariter et rege dici convenit, quod iste homo, iste pontifex mundum creavit, et ante mundum regnavit, quamvis tunc homo in re non fuerit, quando vel mundum creavit, vel ante mundum regnavit, sed erat tamen iste pontifex tunc rex, et in regno ejus non est ulla transmutatio, « aut vicissitudinis obumbratio (*Jac.* I, 17). » Similiter in essentia ejus non est ulla transmutatio, aut vicissitudinis obumbratio. Quanquam in actibus aut passionibus illius personæ aliqua notetur transmutatio et vicissitudo. Atque ideo in his necessaria est determinatio, qua notetur, quid secundum quod dicatur, verbi gratia : Quod Lazarum mortuum flevit (*Joan.* XI), actio Christi secundum humanitatem fuit : quod in cruce pendens mortuus est, passio ejusdem secundum humanitatem fuit. Quod autem Lazarum suscitavit, quodque ipse a morte resurrexit, actio ejus secundum divinitatem fuit : totus tamen Christus hoc totum fecit, et passus est, quod non secundum totum se passus est : sicut homo totus dicitur tristis, quamvis tristitia sit in anima sola; totus videns, licet visio sit in solis oculis. Nec est figurativa locutio, cum dicit homo : ego video; quasi totum sit positum pro parte, quia totus homo per solos oculos intelligit, et sentit se totum videre. Similiter cum diceret Christus : « Ante Abraham ego sum (*Joan.* VIII, 58), » sentit totus ipse homo Deum se ante Abraham fuisse, imo magis *esse* : quia futurum et præteritum removetur a divinitatis essentia, cui omnia sunt præsentia. Unde non dixit : *ante Abraham ego* fui, nec dixit : *ante Abraham* fuit mea divi-

Digitized by Google

nitas, sed *ego sum*, inquit; quia suum etiam humanum suæ divinitati præsens fuit. Lege Hieronymum ad Paulam et Eustochium de assumptione sanctæ Mariæ, et cum illic inveneris hominem in Christo Deo coæternum, sic habeto eum *tanquam lignum* divinitati complantatum *secus decursus aquarum*, ut scias ipsum hominem salva humana essentia esse in divinitatis omnimoda gloria, et omnipotentia. Nam et prædictus Hieronymus vir illustris exponens istum psalmum nihil affirmat intelligendum per istud *lignum*, nisi ipsum Christum; et ut hoc magis habeat pondus promissionis, quod beato viro hujus ligni similitudo promittitur, cum similitudo soleat esse inter diversa : ipsum beatum virum exponit non esse intelligendum Christum, sed quemlibet electorum, ut expressius intelligatur *lignum* illud esse Christum, cujus aliqua similitudo promittitur cuilibet electorum; ne si Christo, qui summus est, similitudo promittatur ligni quantumlibet pretiosi, videatur summitati ejus derogari.

Alii vero tractatores catholici, et magni videntes *nullum* hominem præter unum, et solum Christum posse inveniri, qui non *abierit*, et *steterit*, et *sederit* in peccato originali; firmiter affirmant solum Christum hic beatum virum prædicari. Nos ergo vitantes utrobique absurditatem, et per beatum Virum intelligimus Christum, et per *lignum*, Sapientiam æternam; cui *beatus* iste *Vir* qualiter sit complantatus, novit Spiritus sanctus artifex hujus plantationis, fons aquarum decurrentium de isto ligno ad irrigandum paradisum Ecclesiæ, in quo paradiso diu nos tenuit unius principalis ligni contemplatio, gustantibus et videntibus nobis, quia bona est negotiatio ejus. Et ideo negotioso et prolixo tractatu eorum sensum in capite libri hujus reprobavimus (24), qui hominem Deo unitum dicunt non esse Deum proprie dicendum, sed figurative : quasi totum nominetur pro parte. Cum etsi actionum, vel passionum in Christo sit differentia (ut prædictum est), tamen divinitatis nulla est differentia; sed quam proprie Verbum Deus dicitur, quam proprie Pater Deus dicitur; tam proprie homo in Deum assumptus Deus dicitur. Quandoquidem non diversa, sed eadem divinitas de Patre hominem Deificante, et de homine Deificato, imo Deo facto, et in Deum nato prædicatur, cum dicitur Homo-Deus, et cum dicitur Pater Deus. Verum quia decurrendo juxta *decursus aquarum* viventium fortasse nimis evagati sumus, dum circa lignum secus *decursus aquarum plantatum* libuit nos deambulare; nunc retrahendo pedem ab ardua semita quæstionis hujus, (25) quam in opere De glorificatione Filii hominis plenius, prout præstante Domino potuimus, pertractavimus, nunc ad propositum redeamus. Proposuimus enim demonstrare breviter in hoc psalmo sacrosanctam Domini et Dei nostri Jesu Christi humanitatem, quod absque peccato fuerit tam originali quam actuali, et hoc perficere nunc sufficit ternis oppositionibus istis : *Non abiit in consilio impiorum, sed in lege Domini voluntas ejus. In via peccatorum non stetit*, sed *in lege Domini meditabitur die, ac nocte. In cathedra pestilentiæ non sedit*, sed *est*, vel *erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Jam ergo duo opposita demonstremus consilia, quorum isti terni effectus valde contrarii sunt. Quod consilium impiorum, in quo *abiit*, id est a Deo recessit ille non *beatus vir*, ille vetus Adam? Nimirum hoc, ut, qui erat pulvis, præsumeret velle, ut esset sicut Deus. Quod econtra *consilium* piorum, in quo firmus persistens *non abiit*, id est a Deo non recessit iste *beatus vir*, iste novus Adam? Nimirum, ut, qui natura erat Deus, in pulverem nostrum descendere dignaretur. Illud fuit consilium spiritus diaboli, istud autem consilium Spiritus Dei. Inde oppositiones istæ, quas diximus ternæ sunt, quia ille secundum illud consilium abiit, et istius *voluntas* secundum istud consilium *fuit in lege Domini.* Imo, et sicut Apostolus dicit, « sub lege factus est (*Gal.* IV, 4), cum esset Dominus legis. Ille *in via peccatorum stetit*, malam quippe cogitationem ambitionis opere demonstravit. Iste *in lege Domini die ac nocte meditatus est*, ut quod præfigurabatur per legales cæremonias, verbi gratia paschalis agni, et vituli, ac cæterorum hujusmodi, veritate suæ passionis impleret. Ille *in cathedra pestilentiæ sedit*, id est pestilentiam mortis utriusque, scilicet animæ et corporis, posteris suis hæreditariam dereliquit. Iste autem ut *lignum* fructuosum hunc *fructum in tempore suo* dedit, ut comedentes carnem et sanguinem ejus ab illius cibi vetiti reatu simus liberati. Hic igitur primus psalmus fidem Incarnationis Christi personat, quod scilicet in primo Adam iste secundus neque abierit, neque steterit, neque sederit : eo quod de virgine conceptus, et natus sit. Unde et liber est a peccato originali. Cætera psalmi, quæ sequuntur : *Sed in lege Domini voluntas ejus*, etc., actualem ejus justitiam commendant. Itaque credentes in eum tam ab originali, quam et ab actualibus peccatis recte liberamur, ut simus justi, quorum Dominus iter noverit, nam iter impiorum peribit, id est qui huic beato viro contradicendo permanent increduli, cujus tamen verbis dignum est firmissime credi. Quia — Folium ejus non defluet, id est verbum ejus non erit irritum, sed est cœlum, et terra durabilius; ut ipse ait : « Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt (*Matth.* XXIV, 35). Promisit pauperibus spiritu regnum cœlorum. Promisit lugentibus peccata sua et aliorum consolationem. Promisit misericordibus misericordiam. Promisit et aliis aliter sibi obedientibus alia beatitudinis præmia, quæ verbis quasi foliis *fructus* teguntur, et custodiuntur, et in nullo falsa inveniuntur. Unde hoc? Quia scilicet non alius promisit, et

(24) Vide infra tractatum *Quomodo secundum Hilarium*, etc.

(25) Hoc item habes infra.

Digitized by Google

alius promissa complebit, quod non esset promittere, sed prædicere. Imo ipse, qui promisit, promissa complebit, quemadmodum in propheta dicit: « Et quomodo descendit imber, et nix de cœlo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et germinare eam facit: sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur vacuum, sed faciet quæcunque volui, et prosperabitur in his ad quæ misi illud (*Isa.* LV, 10 et 11). »

Prosperabitur, inquit, quia *omnia, quæcunque faciet, prosperabuntur*. Petrus, cum esset junior, cingebat se, ut esset paratus cum Christo et in carcerem et in mortem ire, sed non est prosperatus in faciendo, quia quoties de se præsumpsit, toties negare permissus est. Et nos quandiu ad aliquod bonum peragendum nostris viribus nimis innitendo conabimur, non prosperamur, sed cum eruditi adversis casibus frustra conari desinimus, et manus in orationibus aut eleemosynis extendimus, ut ille nos cingat sua virtute, vel cinctorio fidei, per quam sunt omnia possibilia credenti : tunc ipse Christus, qui bene operantibus bona promisit per seipsum in nobis dignatur facere, quod ipse nobis præcepit facere, quodque nos absque illo non potuimus facere, atque tunc in nobis *prospere* procedit, et regnat, quoniam non quæ nos facimus, sed *quæcunque* ipse *faciet, prosperabuntur*, etiamsi adversa videbuntur. Novit hoc beatus Pater Augustinus, qui sic oravit : Domine, da quod jubes, et jube quod vis. Novit hoc Paulus apostolus, qui dixit : « Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præscivit et prædestinavit; quos autem prædestinavit, hos, et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et magnificavit (*Rom.* VIII, 28 et seq). » Si ergo didiceris, homo, quod tu temetipsum non potuisti prædestinare, nec prædestinatum potuisti temetipsum vocare, nec te vocatum potuisti, aut poteris justificare, aut magnificare, quid tibi restat, nisi ad illum manus extendere qui solus in his faciendis prosperabitur? Et cum ipse in te salutis opus agere cœperit, « Honora Dominum, » non te ipsum, « de tua substantia (*Prov.* III, 9), » de opibus tuis, non a te tibi acquisitis, sed ab ipso tibi datis. Honora Dominum de primitiis frugum tuarum. Quid sunt primitiæ, et quid sunt fruges? Fruges tuæ sunt æternæ beatitudinis præmia tibi reposita, et promissa : sed antecedunt primitiæ meritorum istas fruges præmiorum. Ergo de primitiis tuis illum honora, recognoscens et attribuens illi merita, et opera bona, quæ in te operatur, et tecum, dum te sui operis dignatur facere consortem, qui bonorum tuorum non indiget, cum quo bene tecum operante tu sic operaris, sicut manus tua tecum operatur, quæ sine te nihil potest. Expressius dico: sicut tu operaris cum instrumento tuo, et instrumentum tuum, quod manu tenes, operatur tecum: sic utitur Deus te instrumento; quando tu operaris aliquid boni cum eo. Sicut enim artifex ferrarius primo vel malleum, vel aliud instrumentum operatur, deinde per instrumentum operatur, et instrumentum cooperatur : sic Deus primo bonam voluntatem libero arbitrio inspirat, et postea bonæ voluntati aspirat, ut operetur, sibique illam, et per illam operanti cooperetur. Hæc dicendo liberum arbitrium non destruimus, sed instruimus, ut sciat se sine Deo nihil posse : sicut palmes nihil potest, nisi manens in vite; sicut manus nihil potest nisi in corporis unitate : sicut nihil operatur quodlibet instrumentum, nisi moveatur per artificis manum. Sic enim prædicamus humanæ rationis arbitrium esse liberum, ut pariter attestemur, esse illi necessarium liberari amplius.

Sunt enim tres libertates in Scripturis notatæ, quibus omnibus indigent animæ in Deo, et cum Deo beatificandæ. Est libertas a necessitate, et est libertas a peccato, et est libertas a miseria, quæ est pœna peccati. Ex prima libertate, quæ est a necessitate, liberum arbitrium dicitur liberum, quia nulla necessitate, aut fatali, aut naturali, aut accidentali ullo modo cogitur, vel prohibetur, quin sit liberum ad omne, quod vult, volendum, sive bonum, sive malum. Verumtamen si habet super se aut peccati, aut pœnæ gravamen, necessariam habet ipsum liberum arbitrium geminam libertatem seu liberationem ; videlicet a peccato, et miseria, ut ei sit libertas vera. De qua Dominus in Evangelio : « Si, » inquit, « filius vos liberaverit, vere liberi eritis (*Joan.* VIII, 36). » Nam prima libertas a necessitate nobis est ex Deo Patre nos creante. Sed quoniam hac libertate homo est abusus, liber quidem permansit ac semper permanet a necessitate, sed nisi Filius eum liberet a peccato et miseria, non erit vere ac plene liber, quia una hominis libertas prægravatur a servitute gemina, peccati scilicet ac miseriæ.

Quorum neutro per se potest carere, quia inter hominem peccatorem ac miserum, et Deum justum ac beatum tantæ sunt inimicitiæ, ut homo peccator ad justum, miser ad beatum nullatenus possit propinquare propter iniquitatis et miseriæ chaos magnum inter ista contraria firmatum. Sed ut peccatores miseri reconciliari possent justitiæ ac beatitudini, venit in medium Christus mediator Dei et hominum : et quia unius mediator non est, utriusque partis congruentiam suscepit retentans justitiam, et assumens miseriam, ut peccatori misero per miseriam sponte susceptam congrueret, et per justitiam Deo Patri cohæreret, atque sic hominem liberaret non solum a miseria, sed etiam a peccato per eam obedientiam, qua ipse tulit miseriam sine peccato. Et ideo constat quod nisi Filius nos liberaverit a jugo peccati et miseriæ, vere liberi non erimus, quamvis ex creatrice gratia Patris a necessitate semper liberi simus; et ideo cum per Christum liberantem nos a peccato, et a miseria facimus bona opera, ipse facit hæc in nobis, et omnia quæ

Digitized by Google

ipse facit in notis, prosperabuntur nobis, non quærentibus nobis nostram, sed Dei gloriam.

VERS. 4. *Non sic impii, non sic.* Quia non cohærent Deo per humilitatem. *Sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ.* Disperguntur per elationem, et gloriam inanem *a facie terræ*, id est Ecclesiæ per humorem gratiæ Christi consolidatæ, cujus gratiæ humore carentes vento superbiæ, quæ petit alta et inflat, projiciuntur a facie terræ, videlicet stabilitatis æternæ, quæ terra viventium dicitur : quia ut hæc terra morientium nutrit, et continet hominem exteriorem mortalem, ita illa interiorem et immortalem. Et quia *ventus* eos *projicit* : ideo

VERS. 5. *Non resurgent impii in judicio.* Id est tollitur, et denegatur eis quod superbi ambiunt, id est *ut judicent*, ut sedeant judices *in judicio*, in quo soli pauperes, et humiles judices erunt, et judicabunt, qui cum Petro dicere possunt : « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. » Quibus et Dominus in Petro respondet : « Cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX, 27, 28). »

Vel, « non resurgunt impii in judicio (*Joan.* III, 18) » judicandi; quia qui non credunt, jam judicati sunt. Vel *impii* blasphemi in Spiritum sanctum *non* resurgunt *in judicio*, ut per confessionem et pœnitentiam judicent, atque accusent se ipsos. Nam si nosmetipsos judicaremus, » ait Paulus apostolus, « non utique judicaremur (*Rom.* XI,31). » Vel : *non* resurgunt *in judicio*, quo Deus judicat arguendo et corripiendo impios, et *peccatores* in hoc mundo, ut non cum hoc mundo damnentur, qui saltem per flagella emendabiles inveniantur. Nam, dicente Apostolo, cum judicamur, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur (*I Cor.* XI, 32). Judicari a Domino in hoc mundo, ut non damnentur cum hoc mundo, sanctis est optabile. Unde quilibet illorum dicit : « Judica me, Deus, et discerne causam meam (*Psal.* XLII). » Sed in hoc *judicio* resurgunt prima resurrectione, qui se flagella Dei meruisse dolent, et amplius timent, et libenter cavent dicentes de præterito : « Dimitte nobis debita nostra; » et de futuro. « Ne nos inducas in tentationem (*Matth.* VI, 12, 13). » Qui autem sunt *impii*, vel penitus infideles, ut pagani, vel Christiani a Christo apostatici obstinati, *non* resurgunt hac prima resurrectione.

Neque peccatores in consilio justorum. Sicut in principio psalmi beatum prædicavit virum, *qui non abiit in consilio impiorum*, sic nunc infelices ostendit peccatores, *qui non* resurgunt *in consilio justorum*. Contraria sibi sunt ista consilia. Nam consilium impiorum, ut prælibatum est, fuit superbire pulverem, et extolli ad Dei similitudinem. Consilium *justorum* est, non alta sapere, sed humilibus consentire, et humiliari sub potenti manu Dei, et meminisse hominem, quia pulvis est, et in pulverem revertitur. Item consilium *justorum* est, non solum facere præceptum, sed adjicere aliquid per *consilium*, ut Apostolus de virginibus inquit : « Præceptum Domini non habeo, consilium autem do (*I Cor.* VII, 25). » Et Dominus in Evangelio : « Si vis, inquit, perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus (*Matth.* XIX, 21). » In tali *consilio non* resurgunt *peccatores*, qui vix aut nullatenus etiam solis præceptis obedire acquiescunt.

Alia translatio habet : *In consilio justorum*, et huic Hebraica veritas concordat, quæ sic habet : Neque *peccatores in congregatione justorum*. Justis enim est anima una, et cor unum in Deo, maxime his, qui unanimes habitant in domo, et cantant : « Ecce quam bonum, et quam jucundum, habitare fratres in unum (*Psal.* CXXXII). » Sed *in* tali *congregatione peccatores* pertinaciter peccantes non resurgunt, quia sic in unum congregatis aut nullatenus, aut fallaciter adjunguntur. Et si ingreditur talis, vana loquitur cor ejus, congregat iniquitatem sibi (*Psal.* XL, 7). Congregat illic iniquitatem, ubi deponere deberet prius congregata, et tandem societate bonorum gravatus ingreditur, vel mente, vel corpore foras, et loquitur in ipsum vanitatis et iniquitatis augmentum (*ibid.*, 8). Sciendum est hic non agi de quolibet impio, vel peccatore. Nam testante Apostolo Christus pro impiis mortuus est, et ipse venit quærere et salvum facere quod perierat, et non venit vocare justos, sed *peccatores* ad pœnitentiam. Unde certum est impios multos, et *peccatores in congregatione justorum* resurgere. Sed hic agitur de peccatoribus induratis ad similitudinem Pharaonis, quibus nulla verbera, nulla signa prosunt propter duritiam cordis obstinatam, et Deo notam.

VERS. 6. *Quoniam novit Dominus*, qui sunt ejus, et *novit viam justorum*, nec latet ipsum via *impiorum*. Novit *viam justorum* per approbationem, sicut dicit Moysi : « Novi te ex nomine (*Exod.* XXXIII, 12). » Dicit autem impiis : « Nescio vos (*Matth.* XXV, 12); » et ideo *Iter impiorum peribit*. Via *justorum, et iter impiorum* ponitur hic pro desiderio eorum. Nam sicut via, vel *iter* tendit ad destinatum aliquem locum, sic desiderium bonum vel malum tenditur, et extenditur ad aliquid obtinendum. Si tepide aliquid desideratur, quasi tarde ambulat, vel repit in suo motu spiritus. Cum autem desiderium vehemens efficitur, cursus animi velox est ad comprehendendum quod concupiscit. Et revera exceptis parvulis, et valde fatuis omnes currunt, quia omnes concupiscunt, sive bonum, sive malum. « Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium (*I Cor.* IX, 24). » Omnes justi reputantur pro uno, quia eorum omnium desiderium est in uno, et ad unum in uno Deo sibi propitiando, ad unum Deum contemplandum et vivendum, atque ideo *viam*, id est desiderium *justorum Dominus novit*, id est, approbat largus ad dandum, quod quisque *justorum* desiderat. Sed *iter impiorum per-*

Digitized by Google

ibit, quia non ad unum tendit, sed in diversa tenditur et dissipatur. Et in hoc *iter* eorum *peribit*, quia quisque illorum concupita, et male acquisita, vel male habita, tunc non habebit, cum evigilabit juxta illud : « Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis (*Psal.* LXXV, 6). » In hac vita somniant, quando phantasias temporalium divitiarum cum desiderio habendi versant, verbi gratia in corde suo cogitationum somniis, vel domos pulchras ædificant, vel epulas deliciosas ruminant, vel rixas dictant, vel pretiosa et speciosa hujus mundi non in re, sed in phantasia tractant : etiam cum orant exterius, ita somniant interius, ut nunc aliis dominari, vel magistrare, nunc aliorum dominium, vel magisterium repudiare se putent somniantibus omnino similes, quia versant in corde solas rerum formas et imagines ; non eas abdicando, et dividendo, ut sancti et justi, sed amando, et cum eis fornicando ut *impii*. Dicente namque Domino : « Si quis viderit mulierem, » id est mundi hujus speciositatem, « ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo (*Matth.* V, 28). » Polluitur etiam cum ea velut in somno nocturno, in qua pollutione nulla spes prolis est, quando eam complectitur in cogitationis delectationem, sed non habebit in re. Si autem res concupita ei proveniret, aliqua spes prolis inde proveniret, vel malæ prolis, si inde male faceret ; vel bonæ prolis, si de mammona iniquitatis faceret sibi amicos, qui eum reciperent in æterna tabernacula (*Luc.* XVI, 9). Nunc ergo quia in itinere pravorum, et mundanorum desideriorum ita moriuntur, ut neque hic, neque in futuro desideriis eorum satisfiat ; *iter* eorum *peribit* : sicut illius divitis in inferno *iter*, id est desiderium periit, quando guttam aquæ desideratam obtinere non potuit : sed viam Lazari, desiderium scilicet illius noverat *Dominus*, quod erat illius desiderium. Consulamus Evangelium. Dicente namque Abraham : « Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris (*Luc.* XVI, 25), » manifeste colligitur quod in sua miseria, et ægritudine Lazari desiderium habuit consolationis, quam et obtinuit ; et ideo *iter* ipsius non periit, quia desiderando consolationem pervenit ad consolationem. Ideo in Evangelio dicitur : « Væ vobis divitibus, quia habebitis consolationem vestram (*Luc.* VI, 24) ; » propterea quod ista consolatione prædiți non desiderant aliam quam ideo Lazarus fortiter desideravit, fortique desiderio ad eam cucurrit et pervenit, quia stimulis paupertatis et ægritudinis ac nimiæ desolationis, cogebatur semper, ac vehementer desiderare abundantiam consolationis. Ita puto, cum videbitur desolationis abominatio in diebus Antichristi, fortissimo consolationis desiderio urgente illos desolationis flagello current electi, donec occurrant in virum perfectum (*Ephes.* IV, 13), *qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit.*

Impius in Deum, peccator in se, pestilens in proximum dicitur. Hæc tria verba : *Abiit, stetit, sedit*, tracta sunt a similitudine exsultantium, qui, dum sunt in via, facilius revocantur. Cum jam in exsilio stant difficilius. Demum difficillime, cum ibi magistri, et domini effecti cathedras tenent. Hinc est, quod novissima tempora magis erunt periculosa, quando mali homines « ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus (*II Tim.* IV, 3), » quorum tandem *iter peribit*, quia contra eorum desideria *cathedris* eorum subversis regnabit ille *beatus vir, qui non abiit*, etc.

Solet hic psalmus in veneratione martyris, aut confessoris, vel multorum sanctorum decantari, pro eo, quod in eis invenitur magna conformitas beati viri, *qui non abiit*. Nam et ipsi *non* abierunt *in consilio impiorum*, vel dæmonum, vel hominum, vel carnalium suggestionum per consensionem, et in via peccatorum non steterunt per actionem peccati, *et in cathedra pestilentiæ non* sederunt per defensionem. Sic Adam *abiit*, cum persuasioni diaboli, et Evæ consensit ; *stetit*, cum pomum momordit ; *sedit*, cum se excusavit. Aliter : *Abiit* Adam cum a Deo recessit ; *stetit*, cum delectatus est peccato ; *sedit*, cum in superbia confirmatus redire per se non potuit, nisi per istum liberatus, qui nihil horum habuit.

Sed in lege Domini voluntas ejus. Voluntas alia sine *lege*, et alia sub *lege*, et alia *in lege*. Secundum diversos status loquitur Apostolus de semetipso. Nam secundum primum statum dicit : « Vivebam ego ipse aliquando sine lege (*Rom.* VII, 9). » Secundum medium statum dicit : « Condelector ego legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, » et mortis (*Rom.* VII, 22, 27). De tertio statu dicit : « Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus (*Gal.* II, 20). » Ante Moysen sine *lege* fuit mundus, qui autem per Moysen datam legem susceperunt, ipsi sub *lege* fuerunt. Et « lex quidem per Moysen data est, gratia, et veritas per Jesum Christum facta est (*Joan.* I, 17). » Unde qui ejus gratiam receperunt, non servi sub *lege*, sed filii gratiæ fuerunt. « Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri (*Joan.* I, 12). » Filii vero non sunt sub *lege* sicut servi, qui timent legem transgredi, et vellent, si auderent ; sed *voluntas* filiorum est *in lege*, quia non discrepat a *lege*. Pueri adhuc parvuli, quandiu nulla concupiscentia tentantur, sine *lege* sunt. Adolescentes autem, qui tentantur, et peccare non audent, sub *lege* sunt. Qui vero tentantur, et non peccant, non quia non audent, sed quia nolunt sordes vitiorum et amant pulchritudinem virtutum, ipsorum voluntas non sub *lege*, sed *in lege Domini* est. Et sunt isti filii, non servi. « Quod si filii et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi (*Rom.* VIII, 17). » Illi autem, qui concupiscentia tentantur, et tentari gau-

Digitized by Google

dent, et peccare audent, filii sunt gehennæ ; sed fieri possunt filii gratiæ tentationibus reluctando, easque superando. Quanto enim eas victoriosius vincunt, tanto propinquiores luci fiunt, et omnino desinunt esse filii tenebrarum ; eruntque filii lucis in Domino, si tentati nullatenus peccato consentiunt eo tendentes non consentiendo tentationi, ubi vivant, non sentiendo tentationem. Hæc autem pax non est hujus vitæ tentationibus plenæ : quia tentatio est vita hominis super terram, sed hic tentationibus non consentiendo futuram vitam inquirimus, in qua tentationes non sentiamus. In hac vero vita etiam sancti, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, tentati sunt. Sed quia *in lege*, non sub *lege* fuit *voluntas* eorum, quia non coacti, sed voluntarie tenuerunt suam devotionem, non sunt inducti in tentationem, sed ad tentationem ducti, a lege Dei non poterant separari : et ubi non poterant eam operibus ostendere : tamen *in lege* ipsa meditabantur *die ac nocte* versantes in oratione. quod non poterant in actione.

Quia vero talis *voluntas*, et talis meditatio, vel oratio cassari non potuit, erant etiam *tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Nam ad similitudinem Christi veritatem contestantis, et ob hanc morientis, et ipsi fructum confessionis, et martyrii, vel occulti, vel manifesti fecerunt. « Et folium eorum non defluxit (*Jer.* VIII, 10), » quia in dictis eorum veritas fuit. « Et omnia quæcunque faciebant prosperabantur, quia diligentibus Deum omnia cooperabantur in bonum (*Rom.* VIII, 28). » Unde separati sunt ab impiis, quos *projicit ventus a facie terræ*, qui *non* resurgunt *in judicio*, quorum *iter peribit*, et inventi sunt *in consilio*, et *congregatione justorum*, quorum *viam novit Dominus*. Unde in fine psalmi nos inopes eorum saluti et beatitudini congaudentes in gratiarum actione pro illis in Domino glorificatis, in supplicatione pro nobis in eodem Domino glorificandis cordibus exsultando, et capita nostra humiliando canimus :

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Contra pestem Arianam ista laus Trinitatis a Patribus in Nicæno concilio collectis fuit deprompta, quia ille iniquus, et iniquitatis filius negavit *Patri, et Filio, et Spiritui sancto* esse gloriam coæqualem ; prædicans Filium Patre minorem, et *Spiritum sanctum* ambobus minorem. Quo contra canit Ecclesia catholica : *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* Primitus dicebatur : *Gloria Patri, et Filio et Spiritui sancto in sæcula sæculorum.* Sed beatus Hieronymus eamdem glorificationem adauxit interponendo : *sicut erat in principio, et nunc, et semper.* Idem beatus per epistolam obtinuit apud Damasum papam, ut ex apostolica institutione laus eadem recitaretur in fine Psalmorum, quod etiam ita solet observari, nisi cum ratio exigit eamdem glorificationem intermitti ; sicut et *Gloria in excelsis* interdum solet prætermitti. Quod autem crebrius Psalmodiæ, quam aliis Scripturarum recitationibus interseritur *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto*, non credimus in consuetudinem venisse absque divina dispositione. Nam quia gloriosum Trinitatis nomen, ut in procemio diximus, primo in Psalmis evidenter declaratum est quod sub velamine vultus Moysi usque ad istum David fuit absconditum : recte idem nomen gratiosum et pretiosum subnectitur in fine Psalmorum tanquam finalis intentionis eorum significativum. Quis est enim finis, ad quem tendunt, qui sapienter psallunt, nisi glorificatio Patris, qui nos mirabiliter creavit ex nihilo ? Et Filii, qui nos mirabilius redemit a diaboli et peccati dominio vel servitio ? Et Spiritus sancti, qui essentiæ nostræ fabricam, quam Pater de nihilo ædificavit, Filius destructam reædificavit, illuminat ac perornat ? Illuminat scientia veritatis, perornat amore virtutis, ut simus in laudem gloriæ ipsius cui psallimus.

Est etiam alia in hoc utilitas, quod in fine Psalmorum, in fine Responsóriorum de Psalmis, aut aliis libris exceptorum commemoratur sancta Trinitas, quia cum dicat Salomon : « Turris fortissima nomen Domini : ad ipsam fugit justus, et exaltabitur (*Prov.* XVIII, 10) » , cum forte, aut sapienter psallendo colligimus bonæ spei thesaurum, aut negligenter psallendo amisimus illum, nonne habemus necessarium tutum aliquod refugium, quo vel thesaurum collectum in tuto reservemus, vel amissum per gratiam recuperemus ? *Turris*, autem *fortissima nomen Domini ; ad ipsam fugit justus*, ait ipse Salomon. Sed nos divina dispensatione semota legis austeritate, jam in tempore pietatis, et gratiæ audemus dicere : plus Salomone, quia « plusquam Salomon hic (*Matth.* XII, 42). » Dixit ille de hac turre *fortissima*, quæ est *nomen Domini* trinum et unum, quod ad eam fugiat *justus*. Dicimus nos, quod ad ipsam fugiendum est justo et injusto ; justo, ut justificetur amplius ; injusto, ut mutetur totus ; atque ideo, sive sapienter, sive, quod avertat Deus, negligenter psallamus, tutum est, ut ad istam turrim fortissimam confugiamus commemorantes nomen sanctæ Trinitatis in gratiarum actione pro bene cogitatis, dictis, et factis, in confessione, ac pœnitentia pro malis cogitationibus dictis, et factis. Nam quia de cogitatione generatur sermo ; de cogitatione pariter, et a sermone procedit actionis pulchritudo : in hoc ipso quædam est æternæ Trinitatis apta similitudo, et eidem ex hoc debetur *gloria*, et gratiarum actio, si in nobis bona cogitatio præcessit in cordis credulitate ad justitiam, et de hac oris confessio processit ad salutem, de utroque autem perfecta operatio. Sic enim, et in fide cordis bene cogitantis *gloria* est *Patri* , et in sermone bono *gloria* est *Filio :* Verbo scilicet incarnato, Dei æternæ sapientiæ, quæ de ore Altissimi processit : et in bonis operibus glorificatur Spiritus sanctus. Quia « hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. (*I Cor.* XII, 11).

Digitized by Google

Et revera bene nobiscum agitur, si non solum in Psalmis, sed et in omnibus motibus nostris nihil fiat, nisi ad gloriam summæ Trinitatis clarificandam in nobis. Sed « quis sapiens, et custodiet hæc (*Psal.* cvi, 43). » Et « delicta quis intelligit ? » (*Psal.* xviii, 13). Quis mortalium dinumerare valeat, quanta inter psallendum vana cogitantur ? Solus *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt* (*Psal.* xciii, 11). » Utinam vana, quæ cogitantur, saltem in fine Psalmorum hoc flabello sanctæ Trinitatis abigantur ! utinam sic ea, in cogitatione sentiamus, ut eis non consentiamus ! utinam sic nos tangant, ut nullatenus moveant ! Hoc est enim quod orantes dicimus : « Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me (*Psal.* xxxv, 12). » Quosdam sic movet manus ista, ut ad psallendum stare, vel sedere non valeant, et non solum corde, sed et corpore vagentur foris aliter, quam conveniat. Utinam ergo vel sic in nobis cogitationes vanæ grassentur, ut nobis non dominentur quia « si mei non fuerint dominati » motus cogitationum inutiles, et vani, « tunc immaculatus ero et emundabor a delicto maximo (*Psal.* xviii, 14), » quod est malarum cogitationum industriosa consensio ! Ad quid vero hæc infortunia cogitationum commemoravimus, nisi ut finitis Psalmis vel actibus aliis in turri *fortissima*, quæ est *nomen Domini*, non solum quæramus firmum tutamentum, ubi nec ærugo, nec tinea, nec fur (*Matth.* xviii, 6, 20), » diminuere valeat nostrum depositum, sed quæramus in ea medicamentum contra delicta cogitationum, locutionum, et actionum sufficienter salvatorium ?. Hoc modo si bene cogitatum, dictum, et actum sit, *Gloria* sit *Patri, et Filio, et Spiritui sancto*, ex quo hæc omnia, per quem hæc omnia, in quo hæc omnia. Si vero minus bene cogitatum, dictum et actum est, ubi abundavit iniquitas, superabundet gratia, ut de majori medela Trinitati medicanti sit major *gloria*.

Item prædictus Salomon volens nunquam esse hominem absque societate, sive meditatione sermonis Dei, dixit : « Melius est esse duos, quam unum, habent enim emolumentum societatis suæ. Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem Et si dormierint duo, fovebuntur mutuo ; unus quomodo calefiet ? Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei (*Eccle.* iv, 9 et seq.). » Statimque subjunxit : « Funiculus triplex difficile rumpitur. » In eo sane, quod laudat, et commendat societatem, et societatis emolumentum duobus pariter dormientibus, et se mutuo foventibus, quid aliud insinuatur, quid aliud suadetur, nisi ut mens rationalis nunquam sola maneat, sed semper cum verbo Dei delicietur in thalamo cordis, non sine magno utilitatis emolumento, quia si quis *prævaluerit contra unum, duo resistunt ei ?* si quis tentationum assultus contra solum hominem est prævaliturus, et ei cum homini sermo Dei fuerit junctus in sancta fide, ac meditatione, *duo*, id est, homo, et Dei sermo resistunt ei, qui si solum hominem inveniret utique illi prævaleret, sicut peregrinus ille David prævaluit, quando eum solum in solario invenit. Hic duo pariter dormiendo *fovebuntur mutuo* : nam *unus*, id est homo solus, *quomodo calefiet ? Fovebuntur mutuo* sermo Dei, et homo, quia calet et calefacit sermo Dei hominem secum dormientem, secum in secreta meditatione quiescentem, et per se calescere non valentem. Sed quis mortalium in iniquitatibus conceptus invenitur, qui nunquam solus reliquatur ? solus Filius Virginis dicere potuit · « Qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum, quia quæ placita sunt ei, facio semper (*Joan.* viii, 29). » Si nos ex dono ipsius aliquando cogitamus, quæ placita sunt ei, nunquid in hoc semper perseveramus ? Nonne dilectus noster similis est capreæ, hinnuloque cervorum (*Cant.* ii, 9), » nunc in silva secretorum suorum latitans, nunc per campos revelationum se manifestans ? Nonne « spiritus ubi vult, spirat, et vocem ejus audis, sed nescis, unde veniat, aut quo vadat ? » (*Joan.* iii, 8.) Quis ergo ita continuato contemplationis somno dormit cum eo, ut non ad horam recedat ab eo ? licet enim dicat de dilectore suo : « Ego, et Pater veniemus, et mansionem apud eum faciemus (*Joan.* xiv, 23). » Tamen secundum fidei, et charitatis radicem in ipsis permanens, juxta quemdam modum ab eis recedit, eosque ad horam suæ infirmitatis relinquit, sicut reliquit Petrum, et David dilectores suos. Quid ergo est agendum sic relictis, nisi ut anchora spei eorum connexa sit ad illum funiculum triplicem, *qui difficile rumpitur*, qui funiculus non est aliud nisi trinus et unus Deus, cujus nomen super nos invocamus, quoties canimus : *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto?*

Contingit aliquando, ut Israeliticus dux et judex Gedeon, id est, quilibet spiritualis In oratione pugnator, contra phalanges vitiorum toto exercitu suo toto videlicet exercitio suæ spiritualis meditationis privetur : sed confisus tandem in triumphali nomine sanctæ Trinitatis triumphat in solis trecentis, medicatus vel adjutus per invocationem, et per nomen sanctæ Trinitatis, aut etiam per salutiferum, et victoriosum signum sanctæ crucis, cujus mysterium fulget in trecentis, quia sicut per V litteram notamus *quinque* et per X litteram notamus *decem*, sic Hebræi per T litteram notant *trecentos*, et hæc littera speciem crucis exprimit. In cujus etiam virtute Abraham patriarcha contra quatuor reges triumphavit cum trecentis et ter senis vernaculis procedens ad bellum contra innumerabilem exercitum quatuor regum, *quinque* reges cum Lot fratrucle suo captivantium (*Gen.* iv). Nota est hujus pugnæ historia ; quæramus mysteria. Abraham patriarcha spiritus est fidelis. Fratruelis est ejus illi cohærens vita sensualis, quæ quinque sensibus velutque regibus fungitur, et quisque illorum sensuum quasi rex comitantem se habet exercitum, verbi gratia visus habet exercitum imaginum sci-

Digitized by Google

licet, seu phantasiarum turbas, quas per oculos A hausit, quia rerum, quas forinsecus videmus, imagines, et similitudines intrinsecus in campo memoriæ retinemus. Similiter auditus in eodem campo suum habet exercitum, videlicet quasdam repræsentationes verborum et vocum, quæ intraverunt per auditum. Sic etiam de tactu, de gustu, et de olfactu sentimus in nobis quasdam phantasias per horum sensuum januas intrasse, quæ omnes cum ipsa sensualitate deberent manere in vicinitate Abrahæ, in eo scilicet ut non vagarentur a rationis tramite. Verum a quatuor mundanis passionibus, id est cupiditate injusta, timiditate iniqua, gaudio perverso, tristitia hujus sæculi plerumque ita captivatur sensualis vita cum suis phantasmatibus etiam nobis orantibus, ut hoc nimium B fero animadvertat interdum per tristem recordationis nuntium spiritus ipse fidelis, in eo Abrahæ fideli consimilis, quod ipse in talibus non habet sensum approbationis. Imitatur ergo etiam in hoc spiritus fidelis fidelem Abraham, ut per invocationem sanctæ Trinitatis, vel per signum sanctæ crucis persequatur prædam, et requirat eam, quia interdum subtilius et affectuosius perficitur oratio, et laudatio ; cum dolentes de præterito attentius muniunt se nomine Trinitatis, et signo crucis, quando « multiplicatæ sunt infirmitates eorum (*Psal.* xv, 4), » et ipsi postea accelerant.

Item in ipsis electis talis infirmitas non est ad mortem, sed pro *gloria* Dei, pro *gloria* medici, ut C glorificetur Deus medicus per eam ; sicut glorificatus est Filius Dei per mortem Lazari quatriduanam. Fiet autem glorificatio ista tanto magnificentius, quanto Martha et Maria rogant attentius. Dilectio Dei est in nobis Maria, dilectio proximi est Martha. Vel fides Divinitatis est Maria, fides temporalis in Christo dispensationis est Martha. Quarum sororum voce dicitur : « Domine, si hic fuisses, non esset mortuus frater meus (*Joan.* xi). » Si hic fuisses, non esset mortuus psalmus absque intentione cantatus. Sed nunc scio quia quæcunque voluneris, erunt. Quia talium devotione promerente resurgent Psalmi, qui nobis quasi mortui fuerunt ; quando sine attentione nostra per os nostrum transierunt. Dicit enim Christus : « Ego sum resurre- D ctio, et vita (*Joan.* xi, 24) » : resurrectio videlicet eorum, pro quibus Martha, et Maria intercedit. Vita ipsarum sororum, quæ non morientur, quia charitas nunquam excidet, quæ geminato affectu in Deum et proximum geminarum sororum similitudinem habet. Ubi vero hæc gemina charitas non est ; « sine mortuos, ait Dominus, sepelire mortuos suos (*Matth.* viii, 22), » quia sine charitate fides etiam, quæ montes transfert, mortua est, quanto magis psalmodia ? Quod autem in illa, de qua loquimur glorificatione interponitur :

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. Sic aperte intelligere possumus ut principium referamus ad æternitatis ævum, in quo prædestinata est *Patri*, *et Filio*, *et Spiritui sancto* plena *gloria* in domo sua, quæ est Ecclesia. Omnis enim domus fabricatur ab aliquo. Et Moyses quidem, licet famulus esset in domo non sua : tamen quia erat fidelis administrator ejus, ita fuit in *gloria*, ut propter « gloriam vultus ejus Filii Israel non possent intendere in faciem ejus (*II Cor.* iii, 7). » Quanto magis erit in *gloria* glorificandus in domo sua, a familia sua Dominus domus, et fabricator ejus ? Plena est quidem omnis terra *gloria* ejus. Imo pleni sunt cœli, et terra *gloria* ejus : quæ *gloria*, quoniam latet, optamus ut manifestetur in mundo, *sicut erat in principio* prædestinata plenissime. Manifestetur, inquam, *nunc*, id est, quandiu dicitur *nunc. Et semper et in sæcula sæculorum*, id est, in perpetuum. Quod caret initio, et fine, dicitur æternum ; sicut est illud principium, in quo prædestinata sunt omnia, de quo velut fonte currunt omnia, quæ *nunc*, *et semper*, *et in sæcula sæculorum* currendo tendunt ad idem principium quasi ad fontem suum. Et hæc habent esse perpetuum, non æternum sicut ipsum principium, quod est *Amen*, id est veritas. Et ponitur in fine tanquam signaculum nunquam corrumpendum ; sicut et principium est incorruptibile, cui insunt omnium rerum primordiales causæ. Sic certe rerum earumdem finalis terminus, qui est *Amen*, id est veritas (cum destruetur omnis falsitas) erit, et apparebit incorruptibilis, atque hoc ipsum nos optamus in glorificatione summæ Trinitatis *Amen*. Dicendo enim *Gloria Patri*, *et Filio*, *et Spiritui sancto*, subaudiendum est : ita sit *nunc et semper*, *et in sæcula sæculorum*, *Amen*, id est in prædestinationis exsecutione et adimpletione, *sicut erat in principio*, id est in ipsa prædestinatione, ac rerum præordinatione. Principium rerum est illa sapientia, in qua vidit Deus quod esset bonum. Finis rerum est illa veritas, in qua tandem dicetur : *et factum est ita* (*Gen.* i). Utrumque in Moyse legimus : Quia *et vidit Deus quod esset bonum*, et ait : *Fiat* hoc, vel hoc, *et factum est ita*. Quod vidit, pertinet ad sapientiam prædestinantem ; quod ait, ut fieret, et *factum est ita*, pertinet ad veritatem operantem. *Vidit* sapienter, quod fieri *bonum esset*. Dixit potenter et veraciter ut fieret, *et factum est ita*. Quod dicitur : *factum est ita*, partim est historia, partim prophetia. Verbi gratia, quod dixit : *fiant luminaria in firmamento cœli*, et addidit ; *factum est ita*, quantum ad ista luminaria visibilia, solem scilicet ac lunam spectat, vera est historia : quantum vero pertinet ad futurum, vera est prophetia, quæ tunc plene apparebit adimpleta, quando consummatis omnibus fulgebunt justi sicut sol. Et quando sicut *stella differt a stella in claritate*, *sic* erit *resurrectio mortuorum* (*I Cor.* xv, 41, 42) : tunc revera dici poterit : *Et factum est ita*. Quo facto in æternum dicetur *Amen* : quia cognoscetur ab omnibus, Deum in sua prædestinatione servasse veritatem. Sic intelligendo etiam de cæteris, quæ Deus præor-

Digitized by Google

dinavit *in principio*, et consummabit in finem manifestata suæ prædestinationis veritate, recte optamus in glorificatione sanctæ Trinitatis, ut *principio* finis fiat consimilis; quo pacto dicetur *Amen* in laudem, et glorificationem Dei obviante sibi in electis misericordia, et veritate, misericordia, quæ fuit in prædestinatione : Veritate, quæ in ejusdem prædestinationis patebit adimpletione. Tunc perfecta erit armilla, et circulus in idipsum conductus in maxilla, et naribus Leviathan (*Job* XL) : quando A *principio* prædestinationis jungetur finis, et consummatio adimpletionis : quod fieri optamus, cum *Gloria Patri* eo sensu, quo dictum est, canimus commemorando illic principium, et *Amen*, id est, prædestinationem, et finem fine carentem. Hoc licet a paucis dicatur intelligenter, a multis dicitur fideliter; quia pauci intelligunt, sed multi credunt verum esse quod canunt, videlicet, quod alpha et omega, *principium et finis* est gloriæ indissimilis.

PSALMUS II.

Quare fremuerunt gentes ? Sicut primus psalmus fidem continet incarnationis, ita consequenter hic secundus fidem continet passionis. Dicitur tamen hic psalmus in Actibus apostolorum primus (*Act.* XIII, 33) ; vel quia præcedens psalmus non tam pro psalmo, quam pro psalmorum titulo est habendus ; vel quia eorum psalmorum est primus, quibus tituli sunt præpositi. Est autem hujus psalmi titulus.

PSALMUS DAVID.

Psalmus dicitur ille sonus, qui in musico instrumento, quod dicitur psalterium, fit motu manus et chordarum, et significat bonam operationem. *Canticum*, quod fit mentis exsultatione, significat cœlestem jucunditatem. Unde psalmus ille, qui incipit morando in bona operatione, et aliquid dicit in exsultatione speciali, dicitur *psalmi canticum*. Cum autem incipit ab exsultatione morando ibi, et finit in opere bono parum tangendo, dicitur *cantici psalmus*. Cum autem est de sola operatione, tunc est *psalmus*. Cum de exsultatione, tunc est *canticum*. In hoc ergo titulo nomen habemus *Psalmi*, non *cantici*, quia nihil hic inseritur de exsultatione spirituali ; sed agens de Christi passione incipit ab admiratione, terribileque judicium tangit in fine dicens : *Cum exarserit in brevi ira ejus*. Quia ergo in sua passione Christus ipse manibus propriis in cruce psallendo bonum opus redemptionis nostræ operatus est : recte hic *psalmus* continens passionem veri *David*, dicitur *psalmus David*.

Est etiam *Psalmus David* cujusque imitatoris ejus, qui ei paratus est commori, et fremitus bestiales, vel in se carnalium perturbationum, vel contra se impiorum sævientium mavult ferre dolendo quasi passionem, quam eisdem consentiendo habere hujus mundi delectationem. Primum de Christo exponamus hanc Prophetæ admirationem.

VERS. 1. *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania?* Res quippe digna est admiratione, quod iste « dilectus » est « candidus et rubicundus (*Cant*, v, 10). » *Candidus* in sancta, et munda conceptione, seu etiam in sua illa conversatione, quam præcedens Psalmus prædicat ; *rubicundus* illa passione, quam his sequens psalmus denuntiat : *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania*. Dixit enim quodam loco Judæis, et quod illis dixit, omnibus et *gentibus et populis* dixit et dicit : « quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare non creditis mei? » (*Joan*, VIII, 46.) Quid aliud sibi vult percontatio ista : *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania ?* idcirco taliter hunc psalmum secundum primo ; vel præcedenti conjungimus, quia juxta propositum, et hominem sine peccato fuisse conceptum, vel natum, atque conversatum Christum Dei Filium in illo primo agnoscimus ; et in isto secundo causam, cur passus fuerit quam *gentes, et populi* meditantes *inania* non cognoverunt, expositam intelligimus. Et in hoc est mirabile, quod « cum iniquis reputatus est (*Isa.* LIII, 12) » in passione, quia constat de ipsius munda conceptione, at sancta conversatione. Talis quoque admiratio est in Isaia de dilecto isto candido et rubicundo, ubi dicitur : « Quis est Iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suæ (*Cant.* v, 10 ; *Isa.* LXIII, 1). » Ad hanc percontationem respondet ipse dilectus candidus, candorem suæ vitæ insinuans hoc modo : « Ego, qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum (*ibid.*), » quod idem est ac si dixisset : Ego sum *beatus vir, qui non* abii *in consilio impiorum, et in via peccatorum non* steti, *et in cathedra pestilentiæ non* sedi, *sed in lege Domini voluntas* mea, *et in lege* ejus meditabor *die ac nocte*, et sum *lignum* vitæ *plantatum secus decursus aquarum* dans *fructum in tempore, et folium* meum *non defluet, et omnia quæcunque* facio *prosperabuntur*. Quod deinde in Isaia dicitur. « Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimentum tuum sicut calcantium in torculari (*Isa.* LXIII, 2), » id est : « quare » passus, « et cum iniquis reputatus es (*Isa.* LIII, 12), » cum tu loquaris justitiam ? Consonat huic admirationi, qua nunc dicitur : *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania ?* Admiratus est Propheta, et nos pariter admiremur, atque ipsis veritatis inimicis indigne-

Digitized by Google

mur, quibus ipse dixit : « Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi ? » (*Joan.* VIII, 46.) Revera hoc est mirabile, cum idcirco dignum sit loquentibus credi, si veritatem loquuntur : vos ideo non creditis, quia veritas dicitur vobis. *Quare fremuerunt gentes ?* Non miramur de scribis, et Pharisæis, quorum sæpe increpavit avaritiam, quod illi eum persecuti sunt. *Quare* autem *fremuerunt gentes ?* Traditus est enim « gentibus ad illudendum, et crucifigendum, et conspuendum, flagellandum, et occidendum (*Matth.* XX, 19). » Gentibus ipse non prædicavit, nec peccata eorum increpavit. *Quare ergo fremuerunt* adversus eum ut bestiæ sine ratione gentiles, Pilati et Herodis milites ? *Populi* autem Judæorum turbæ videlicet quasi ex consilio, et ratione *meditati sunt inania*, cupientes et cogitantes in morte illum detinere, et in sepulcro clausum custodire, atque hoc modo efficere, ne mundus post eum abiret, ne Romani venirent, et tollerent ipsorum et locum, et gentem ? Hæc *meditati sunt* inaniter, quia ipse contra eorum consilium et a morte revixit, et de sepulcro surrexit, et in mundo præordinatis testibus apparuit, mundusque jam totus post eum abiit. « Ita defecerunt scrutantes scrutinio, et meditantes inania (*Psal.* LXIII, 7), » ut eorum consilium sit versum in contrarium. Dixerunt enim : « Si dimittimus eum sic, venient Romani, et tollent nostrum locum, et gentem (*Joan.* XII, 48). » Et si eum dimisissent, Romani non venissent in vindictam sanguinis justi ; sed quia eum non dimiserunt, ideo Romani venerunt et civitatem dissipaverunt. Quia pueri stulti verum Eliseum in loco Calvariæ quasi calvum irriserunt : ideo duo ursi, duo principes Romani, Titus et Vespasianus de silva gentilis populi venerunt, et pueros irrisores Christi discerpserunt. Ergo *meditati sunt inania*, et frustra ; quia res non ita processerunt, ut ipsi disposuerunt. Ipsi enim cogitaverunt de vero Joseph malum, vendendo ipsum, sed Deus vertit illud in bonum, faciendo illum dominum totius terræ Ægypti. Ipsi pejores Philisthæis verum Samsonem in inferno clausum teneri voluerunt, sed ipse media nocte portas inferni tulit, et in monte divinæ celsitudinis evexit hominem, dans « illi nomen, quod est super omne nomen (*Philipp.* II, 9), » non quod ipse homo accepit, sed idem ipse Deus cum Deo Patre hoc suæ humanitati dedit. Ipsi pejores Saulo meditati sunt verum David configere ad parietem damnando illum quasi blasphemum et peccatorem, sed ipse de medio tulit parietem inimicitiarum, « delens, quod adversum nos erat, chirographum (*Coloss.* II, 14). » Lancea tamen eorum casso vulnere pervenit ad parietem (*I Reg.* XIX, 4) : qui non ut voluerunt, exstinxerunt Jesum, et tamen ipsi homicidæ thesaurizaverunt sibi malum dicendo : « Sanguis ejus super nos, et super filios nostros (*Matth.* XXVII, 25). » Ipsi revera satellites Babylonici regis, id est diaboli, fornacem succenderunt, quando Pilatum inflammaverunt, dicentes : « Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris (*Joan.* XII, 12). » At ille revera magni consilii Angelus ita in fornacem passionis descendit, ut faceret « medium fornacis quasi ventum roris flantem (*Dan.* III, 50). » non solum sibimetipsi, sed etiam suis pueris pro nomine Trinitatis, vel ante se passis, vel post se passuris. Ita semper Christus, unde putabatur annihilari, inde consuevit exaltari, et magnificari. Ergo *meditati sunt inania*, suisque destinationibus contraria, quæ tamen divinis consiliis inveniuntur consona, et cooperantia.

Gentium quidem fremitus, et populorum meditatio fuit inanis, utpote minorum, et quod volebant, auctoritate propria nec incipere audentium. Sed ut pararetur illis minoribus auctoritas, et audacia Herodes et Pilatus tunc temporis tetrarchæ ac

VERS. 2. *Reges* Judaicæ *terræ astiterunt*, vel sibi mutuo assensu favendo, vel minoribus audaciam tribuendo contra Christum, quem et « Herodes sprevit cum exercitu suo (*Luc.* XXIII, 11) » et « Pilatus flagellatum tradidit (*Matth.* XXVII) » voluntati pessimorum. Atque ut major videretur in damnatione illius justi sanguinis auctoritas, non solum *reges* prædicti *astiterunt* cum mora, et deliberatione stabiles in sententia, sed etiam *principes* Annas et Caiphas *convenerunt in unum* consilium, in unum perversitatis assensum, *adversus Dominum* Patrem, *et adversus Christum ejus*, quia qui contradicunt Filio, et Patri, qui missum inhonorant et mittentem. Ita *convenerunt in unum adversus* Patrem, et Filium dicentes :

VERS. 3. *Dirumpamus vincula*, id est præcepta *eorum*, Patris, et Filii, vel Christi, et apostolorum, *et projiciamus a nobis jugum*, id est legem *ipsorum*. Onus eorum licet leve, et jugum eorum licet suave, non est nobis suave. *Projiciamus* ergo *a nobis jugum ipsorum*. Miserunt enim legationem post Christum dicentes : « Nolumus hunc regnare super nos (*Luc.* XIX, 14). » Dixerunt inter se : « Hic est hæres, venite, occidamus eum, et habebimus hæreditatem ejus (*Matth.* XXI, 38). »

Aliter. Illi infideles *reges, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.* At nos, qui scientes sanctum nomen omnino negare non possumus, *dirumpamus vincula eorum*, respuamus consilia *eorum et projiciamus a nobis jugum ipsorum*, vel *jugum* antiquæ legis, et paternarum, vel potius Pharisaicarum traditionum, atque dominium *eorum*, sunt enim contemnendi, et irridendi non solum hominibus, sed et Deo, quia parum « illis est molestos esse hominibus, » cum sint molesti et Deo (*Isa.* VII, 13). »

VERS. 4. Hinc apparet, quia ipse Altissimus, *qui habitat in cœlis*, id est in bonis angelis, et sanctis hominibus, *irridebit eos*, custodes eorum juxta sepulcrum terrendo, et eis ignorantibus resurgendo : et ipse *Dominus subsannabit eos*, quasi naso indignationem spirante, quando apostolorum sagacitate, ac discretione satagente cœpit mundus credere in

Digitized by Google

eum, quem illi negaverant « ante faciem Pilati, judicante illo dimitti *Act.* III, 13). » Vel irridet eos in præsenti exterminato loco, et gente illorum per exercitum Romanum, et *subsannabit* in judicio futuro, quando filii eorum, id est apostoli erunt judices eorum condemnando duodecim tribus Israel, quia ipsis credentibus illæ credere noluerunt (*Matth.* XIX, 28). Dixisti tu, Pilate judex impie ad judicem Christum, cum staret ante te, ac taceret : « Mihi non loqueris? Nescis, quia potestatem habeo dimittere te, et potestatem habeo crucifigere te? » (*Joan.* XIX, 10.) Miratus et indignatus fuisti, quod « quasi agnus coram tondente (*Isa.* LIII, 7), sic coram te flagellante ille Agnus verus « non aperuit os suum » ad tuum placitum. Sed exspecta paulisper, exspecta, donec videas illum venientem in nubibus cum potestate magna et majestate :

VERS. 5. *Tunc loquetur* ad te, tunc sine dubio, quando eum videbit omnis caro, omnis oculus, etiam illi, qui eum pupugerunt : *Tunc*, inquam, *loquetur* ad te, et *ad eos in ira sua*, id est in vindicta justa, quæ, ipso manente in sua imperturbabili tranquillitate, videtur impiis *ira*. Sicut enim sol iste visibilis manens in sua qualitate impermutabilis, videtur tamen oculis pridem sanis, et postea sauciatis in asperitate, mutatus : ita Sol justitiæ in semetipso semper idem ipse videtur hominibus pejoratis exasperari ad iram, cum ipse in tranquillitate judicet, et cum magna reverentia disponat omnia. Et illis quidem, qui ab eo puniuntur, videtur ipse in vindicando iratus, percutere inimicos *in ira* et *furore*. *In ira*, quantum ad præsentem vindictam, *in furore* quantum ad æterna. Sed ipse hoc facit non quasi iratus, aut furens, cum sit omni perturbatione carens; imo ipse *rex* justus justitia exigente punit impios, quantum ad hoc regale officium constitutus est a Deo. Ex abundanti est, quod nos eum contestemur constitutum regem. Ætatem habet iste *beatus vir*, ipse de se loquatur. Audiamus quid dicat :

VERS. 6. *Ego autem*, inquit, *constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus prædicans præceptum ejus.* Ego, contra quem *fremuerunt*, quem regnare noluerunt; ego, inquit, in humanitate mea *constitutus sum rex*. Nam in divinitate mea sum æternus *Rex* omnium sæculorum. Homo tamen Spiritu sancto perunctus in regem non de lenticula sicut Saul et Jehu, sed de cornu sicut David et Salomon regalem potestatem accepi (*I Reg.* IX, 3; *IV Reg.* IX, 1, 6; *I Reg.* XVI, 13; *III Reg.* I, 39). Primitus in secreto uteri virginalis, ut David in domo Patris : deinde in specie columbæ Spiritu sancto descendente, ac manente super me, « constitutus sum rex super Sion montem sanctum ejus (*Matth.* III, 16), » super populum Dei peculiarem, qui est Sion propter speculationes prophetarum; mons propter Davidicum regnum; sanctus propter Leviticum sacerdotium. In illa constitutione Spiritu sancto super me manente, eo quod unxerit me manifesta voce Patris audita :

VERS. 7. *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Dixit enim : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui (*Psal.* II, 7). » Hoc etiam in monte vox de nube sonuit, ubi mihi transfigurato Moyses, et Elias adfuit præsentibus electis discipulis. Ubi cum iterum dixisset Dominus ad me : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui (*Luc.* IX, 35), additum est : *Ipsum audite*. Non dictum est : *ipsos audite;* ne posset putari, quod Moyses, et Elias essent constituti reges super *Sion montem sanctum ejus*, sed de me solo dictum est : « Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite (*Matth.* III, 17), » id est, ipsi obedite, hunc regem vestrum ac præceptorem recognoscite. Ego enim sum propheta, de quo ipse Moyses, qui tunc mecum erat in monte, olim prædixerat : « Prophetam vobis suscitabit Dominus de fratribus vestris, ipsum audietis tanquam me, et erit omnis anima, quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de populo suo (*Deut.* XVIII, 15). » Ergo recte Moysi consonans vox paterna *dixit* de me : *ipsum audite*. Eidem quoque in David Patre meo secundum carnem consonando ipse Pater *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te. Filius*, inquit, meus es tu, non adoptivus, quales non genui, sed adoptavi. *Filius meus* naturalis *es tu*, is quem ego ex utero ante luciferum *genui* (*Psal.* CIX); non præterito aliquo tempore, sed *hodie*, id est in æternitate semper mihi præsente, sicut apud homines in tempore semper præsens est *hodie* quia, dum dicitur *hodie*, id est omni tempore, præsens est *hodie* habens hanc similitudinem cum æternitate, quod et ipsa semper præsens est, sed longe simplicius, quam dies hodiernus, quia in die hodierno est aliquid præteritum, et aliquid futurum; in æternitate vero nihil futurum, nihil est præteritum, sed est in ea simplex, et æternum quoddam, non tempus, sed ævum hodiernum.

De hoc æterno hodierno *Dominus dixit ad me : Ego hodie genui te*, Paulus apostolus meus loquens de me in Actibus apostolorum dixit ad Judæos : « Et nos vobis annuntiamus ea, quæ ad Patres nostros repromissio facta est, quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris resuscitans Jesum, sicut et in psalmo primo scriptum est : « Filius meus es tu; ego hodie genui te (*Act.* XIII, 33). » Secundum Pauli sensum potest intelligi dies resurrectionis meæ per *hodie*, in quo primogenitus ex mortuis multis fratribus aperui viam regenerationis, id est resurrectionis : Ego, ut dixi, primogenitus, id est primus a mortuis resuscitatus in hac hodierna resurrectionis meæ die sum ego primogenitus in multis fratribus (*Rom.* VIII, 29). In æternitatis autem hodierno sum ego unigenitus, « et sicut passer solitarius (*Psal.* CI, 8) : » quia in hac genitura nullus est mihi socius. Ideo et Dominus, qui me unigenitum habet, et primogenitum, vel tanquam pri-

Digitized by Google

mogenito, vel tanquam unigenito dicit mihi : *Ego hodie genui te.* Hac ergo Patris testificatione commendatus, *Ego constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus prædicans præceptum ejus.* « Præceptum » charitatis, quod est « præceptum ejus, » et meum quia « omnia, quæcunque habet Pater, mea sunt (*Joan.* XVI, 15). » Unde « prædicans præceptum ejus » dixi confidenter, hoc est præceptum « meum, ut diligatis invicem (*Joan.* XV, 12). » Hoc præceptum docui « super Sion montem sanctum ejus, » docens apostolos, et non gentes, quia « non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israel (*Matth.* XV, 24). » Ut autem etiam usque ad gentes regnum meum dilataretur, ipse, qui me *hodie*, id est æternaliter genuit, *dixit* mihi :

VERS. 8. *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Ad hanc Patris dictionem ego Patri « obediens usque ad mortem postulavi (*Philip.* II, 8) » ab eo, ut *daret* mihi *gentes. Postulavi* enim in monte Oliveti non solum pro his quos dederat mihi, pro apostolis scilicet ; sed etiam pro his qui crediturі erant per verbum eorum, et ita *postulavi* eos mihi dari, « ut omnes unum sint (*Joan.* XVII, 21), » tam apostoli, quam gentiles eorum verbis creduli. Ita ego unitas, ego lapis angularis pro unione et conjunctione duorum parietum *postulavi*, ut fideles mei tam ex gentibus, quam ex Judæis unum sint ; sicut « Ego, et Pater unum sumus (*Joan.* X, 30). » *Postulavi* hoc, ut dixi, orans in monte Oliveti sanguineo sudore meo decurrente in terram. *Postulavi* hoc idem pendens, et moriens in cruce, offerens in ara crucis me ipsum hostiam non solum vivam, sed et vivificam. Nam idcirco illic sanguis de latere meo exivit cum aqua, ut sanguinis mei sacrificio et Pater Deus placaretur, et homo reus vivificaretur ; dum ex adjunctione sanguinis mei sacri, et sacrificati et aqua sanctificaretur, ac fecundaretur in virtutem baptismatis, et populus per aquam sanctificatus, per aquam renatus, vita æterna frueretur. Vita enim æterna eorum, qui per baptismum in morte mea mihi consepulti sunt ; propterea, ut quomodo ego a mortuis resurrexi per gloriam Patris, ita et ipsi in novitate vitæ ambulent ; vita, inquam, eorum æternaliter viventium, est illud semen, quod in Isaia mihi est promissum in pretiosæ mortis meæ præmium sempiternum. Dicitur enim illic de me : « Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur (*Isa.* LIII, 10). »

Ipsa igitur mea crucifixio grandis fuit postulatio exaudienda pro sua reverentia (*Hebr.* V, 7). Ipsa mors mea non tantum postulatio, sed et fortis erat exactio ad obtinendum promissum mihi semen longævum, ad voluntatem Domini bonam in manu mea dirigendam, ad possidendam *hæreditatem* mihi promissam dicente Patre in hoc ipso psalmo : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* Præceptum erat Patris, et mandatum charitativum, quod Pater mihi dixit : *Postula a me.* Et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic feci, sic *postulavi*, obediens illi usque ad mortem. Ecce agnus, qui coram tondente se obmutuit, nec aperuit os suum (*Isa.* LIII, 7), quomodo in Psalmo nunc aperit os suum per proprium balatum demonstrans non sine causa se inter flagella detonsum, vel in cruce immolatum ; cum hæc ipsa immolatio fuerit ista postulatio, de qua *dixit* Pater : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* Hæreditas dicitur ab hero, qui in ea libera potestate dominatur. Hæreditas autem tunc possidetur, quando non negligitur, sed colitur, ut fructificet, ideo a Judæis ablatum est regnum, et datum est « genti facienti fructus ejus (*Matth.* XXI), » quia, *gentes* possessio sunt ejus, qui possedit, et fecit, et creavit eas. Creavit de nihilo, fecit de limo ad imaginem suam. Possedit sanguine suo redemptas per gratiam suam, sicut et populum Judaicum similiter creavit de nihilo, fecit de limo ad imaginem suam, possedit ex Ægypto liberatum sanguine agni Paschalis. Unde eidem populo tantis beneficiis ingrato per Moysen dicitur : « Hæccine reddis Domino, populo stulte et insipiens ? Nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te ? » (*Deut.* XXXII, 6.)

Si ergo ille populus antiquus redarguitur tanquam stultus et insipiens, qui fuit ingratus, et reddidit mala Deo pro tantis beneficiis, quanto magis nos redarguendi sumus, si tantam neglexerimus salutem, quæ non sanguine bruti animalis, sed pretioso sanguine Agni tollentis peccata mundi est acquisita nobis gentibus, nobis ethnicis, qui eramus longe a Dei possessione, sed facti sumus prope in sanguine Christi ? Cui postulanti a Patre sumus dati, non ut ipse nos negligenter teneat, sed diligenter colendo possideat in populum sibi acceptabilem, sectatorem bonorum operum (*Tit.* II, 14), bonorum fructuum, prout decet talem taliter postulatam, taliter datam hæreditatem ; ut et Patri promittenti, ac danti, atque Filio postulanti sit inde gloria. Quia non esset gloriosum a tanto promissore, tanto postulatori aliquando hæreditatem sterilem dari, maxime in præmium tantæ postulationis, tantæ obedientiæ.

Audito autem jam toties verbo, sive mandato, quo dixit : *Postula a me*, modum quoque, sive qualitatem postulationis attenti debemus nosse. Quomodo nisi moriendo postulavit ? Humilitas procul dubio sacrosanctæ ejus passionis, postulatio fuit, sacrificium fuit, præter quod aliud holocaustum, et pro peccato Deus noluit. Est ergo sensus : Idcirco ego, beatus vir, qui morti nihil debui, quia peccatum non feci, mortis debitum solvi, quando *fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania*, quando *astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum, et adversus* me *Christum ejus* ; idcirco, inquam, tacui, semper silui, patiens fui, qui poteram usquequaque dicere, quod semel dixi : « Ego sum ; et abierunt retrorsum et ceciderunt retrorsum (*Joan.* XVIII, 6), » quia *Dominus* Pater *dixit ad me : Postula a me, et dabo tibi gentes*

Digitized by Google

hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Ad hanc Patris dictionem, cum multa consonent, illud quoque pertinet, quod Isaias, sicut jam supradictum est, inter cætera dixit: « Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur (*Isa.* LIII, 10). » Unde autem mors ejus tanti esset, aut tantum valeret, nisi idem homo, qui in sæculo natus est, Deus ante sæcula existeret? Propterea dicturus Pater: *Postula a me*, præmisit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ac si diceret: Quia *Filius meus es tu*, quem *ego hodie*, id est in æternitate genui, idcirco audenter *postula* quod vis, quia quidquid postulaveris, impetrabis. *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Postula*, inquam, *et dabo tibi gentes.* Tum quia tu *Filius meus es*, qui postulas, tum quia hæreditas tua est, quam postulas. Etenim per duas res, id est per Filii humiliter postulantis gratiam, et legitimi hæredis justitiam, impossibile est me justum, et bonum non flecti. Cæterum, quæ sequuntur usque ad finem psalmi, summa hæc est, quam dixit: « Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum (*Joan.* XII, 32). » Item dixit: « Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra (*Matth.* XXVIII, 18). » Potestas utique judiciaria a dextris et a sinistris, quæ designatur hoc brevi versiculo.

VERS. 9. *Reges eos in virga ferrea, tanquam vas figuli confringes eos.* Patrem æternum coæterno Filio suo sic dicere non est aliud quam regem illum constituere, sicut superius ipse Filius dixit: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem anctum ejus.* Dicit ergo: *Reges eos*, id est: Regna super eos, non tyranniza. Regna, sed *in virga ferrea*, *virga* inflexibili, ita ut sit « virga directionis, virga regni tui (*Psal.* LXIV, 7). » Et quia tu ab æterno dilexisti justitiam tuorum fidelium in æterna prædestinatione, nunc in ipsius prædestinationis exhibitione *reges eos in virga ferrea*, castigando eos fortissima disciplina.

Rursum quia tu ab æterno semper odisti iniquitatem inimicorum tuorum, *tanquam vas figuli confringes eos.* Ita enim positus es *in ruinam, et resurrectionem multorum in Israel* (*Luc.* II, 3), ut et illos regas, quibus positus es in resurrectionem, et illos confringas, quibus positus es in ruinam. Sane confractio vasorum fictilium juxta sensum propheticum bifariam distinguitur. Nam et Jeremias in domo figuli vidit vas fictile confringi, atque ad placitum figuli aliud vas ex eadem testa formari (*Jer.* XIX, 11). Et Isaias propheta vas fictile prædixit ita confringendum, ut non remaneat fragmentum testæ, in qua portetur igniculus (*Isa.* XXX, 14). Est ergo confractio ad emendationem, et est confractio ad irrevocabilem damnationem. Nam testa mollis confracta denuo potest reparari, ut Jeremiæ demonstratum est in domo figuli. Testa vero indurata potest quidem confringi, sed impossibile est illam in vas alterum formari. Sic Pharao induratus decem plagis contritus, et confractus est, nec tamen emendatus, aut in vas alterum formatus. « Moyses » autem, « et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel inter eos qui » invocabant « nomen ejus (*Psal.* XCVIII, 6), » quasi molle lutum inter verbera « invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos. In columna nubis loquebatur ad eos. Custodiebant testimonia ejus, et præceptum, quod dedit illis. Domine Deus noster, tu exaudiebas eos, tu propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones eorum (*Psal.* XCVIII, 7, 8). » Ulciscente igitur te, Domine, confracti sunt, quia propitius fuisti eis, formati sunt in vas alterum. Sic, sic potestatem habet figulus non solum aliud vas in honorem, aliud in contumeliam facere (*Rom.* IX, 21), sed et factum, et confractum in vas alterum formare, prout convenit suæ justitiæ ac misericordiæ. Nam ubi testa sic est indurata, ut sit iniquitas penitus obstinata, non convenit justitiæ ac misericordiæ divinæ nisi testam pertinaciter duram penitus confringere, ut non remaneat fragmentum ad hauriendum aquam, ad obtinendam inter flammas gehennæ guttam aquæ, aut in quo portetur igniculus ad mitigandum infernale frigus, quoniam ab aquis nivium transeunt ad calorem nimium (*Job* XXIV, 19). Et ideo in calore nimio fletus, et in frigore nimio stridor dentium prædicitur talibus in Evangelio (*Matth.* VIII, 12), qui torquendi erunt frigore atque calore nimio in inferno, ubi tarda nimisque sera erit pœnitentia. Ideo

VERS. 10. *Nunc, reges, intelligite.* Quia nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis (*II Cor.* VI, 2), in qua omni petenti dabitur, et omni pulsanti aperitur. Nimium sero petivit ille dives in inferno guttam aquæ, quam in hac vita neglexit petere. Ideo *nunc, reges, intelligite*, regem constitutum *super Sion montem sanctum terminos terræ in possessionem* et regnum accepisse. *Nunc intelligite*, dum tempus est acceptabile; *intelligite*, id est per vosmetipsos animadvertite.

Quod si non potestis, *Erudimini* ab aliis vos qui *judicatis terram.* Et licet vos sitis reges, vel habendo in hoc mundo regalem potestatem, vel corpus nostrum; tamen Regis altissimi a Deo Patre constituti vos recognoscite servos esse, ideoque servite illi.

VERS. 11. *Servite Domino in timore*, non servili, sed filiali, qui est initium sapientiæ. Servite, inquam; sed ne servitus vestra sit misera, et onerosa. *Exsultate ei*, non in lascivia, ne in temeritatem eatur, dum de misericordia ejus nimium speratur; sed *cum tremore* mentis. *Exsultate cum tremore* corporis, quia timor ad mentem, tremor ad corpus pertinet. Et est natura corporis humani, ut quanto fuerit in loco altiore, tanto majore concutiatur *tremore*, quandiu inde cadere putatur possibile. Ideo, vos *reges*, vel mundani, vel spiritales in alto rerum culmine positi, *exsultate* quidem in Domino de vestra exaltatione, sed *cum tremore*, ne forte cum aliis regatis, cum aliis prædicetis, ipsi reprobi efficiamini. Tremor iste fuit in Paulo apostolo, qui dixit: « Ca-

Digitized by Google

stigio corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse repobus efficiar (*I Cor.* IX, 27).» Ideo et vos *reges* tanquam Apostolum imitantes.

VERS. 12. *Apprehendite disciplinam :* Castigate corpus vestrum, et in servitutem redigite. *Disciplinam*, licet fugitivam, vos *apprehendite*, disciplinam flagellantis Dei *apprehendite*, et gratam habete : « quem enim diligit Dominus, corripit (*Prov.* III, 12). » Huic *disciplinæ* subjacete, non contra stimulum calcitrando, sed veniam, et clementiam precando.

Ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via justa, præcisi de Christo, qui est via, ideo justa, quia est non solum via, sed et veritas (*Joan.* XIV, 4). Via exemplo, Veritas in promisso. Ideo via justa, quia in via præceptorum, vel exemplorum ducitur usque ad effectus promissionum, in quibus promittitur æterna beatitudo, in qua idem Christus, qui est nunc via in exemplo, veritas in promisso, erit vita beata in præmio.

VERS. 13. *Beati omnes, qui confidunt in eo.* Beati, non *qui confidunt* in proprio merito, sed *qui confidunt in eo* scientes eum veracem in promisso, veracem in verbo suo, quo promissum, « ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat etiam æternam (*Joan.* III, 15), » et evadat pœnam æternam super incredulos venturam, *cum exarserit*, cum plene inflammata fuerit *ira ejus*. Quod licet videatur tardum, tamen erit *in brevi*, vel quia velociter, et festinus veniet, et non tardabit, quoniam « juxta est dies perditionis, et adesse festinant tempora (*Deut.* XXXII, 35). » Vel quia judicium fiet *in brevi*, dum non singuli hominum, vel singula operum sigillatim, et separatim, sed simul omnia ducuntur in judicium « in momento, in ictu oculi, in novissima tuba (*I Cor.* XV, 52). » Tunc revera miseri erunt qui non credunt in Christum, et *beati omnes qui confidunt in eo.*

Gloria Patri, Filium hodie, id est æternaliter gignenti, eumque Regem constituenti, atque postulationem ejus tanquam pontificis exaudienti. *Gloria Filio* Patrem pro nobis postulanti, *et gentes in hæreditatem* usque ad *terminos terræ* possidenti. *Gloria Spiritui sancto*, qui est illa beatitudo, qua *beati omnes qui confidunt in eo.* Non dicitur in eis, sed *in eo*, quia Pater, et Filius et Spiritus sanctus est unus Deus.

PSALMUS III.

Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? psalmi hujus titulus est (VERS. 1) :

PSALMUS DAVID, CUM FUGERET A FACIE ABSALONIS FILII SUI.

Mos est prophetiæ ab historia incipere interdum, sed inde transire ad mysterium. Titulus psalmi hujus hoc innuit, quia David illum cantavit, *cum fugeret a facie Absalon filii sui*, admirans quod ita multiplicati erant inimici ejus, ut et filius ejus cum persequeretur, et toto corde pene universus Israel ipsum Absalon sequeretur. Quod autem sequitur : *Ego dormivi, et somnum cepi, et exsurrexi ;* si velis ad litteram accipere, nullum habet saporem. Quid enim ponderis est in sensu, quid utilitatis est in auditu verbi hujus : *Ego dormivi, et somnum cepi*, si ad litteram intelligatur, David regem dormivisse, ac postea surrexisse? Verum de Christo intellectum, Dominicæ passionis, mortis et resurrectionis prædicat mysterium, sicut patebit in sequentibus. Et ideo non historico tantum, sed et mystico sensu accipiendus est hic titulus hoc modo : *Psalmus David*, id est operatio veri David manu fortis, et desiderabilis regis Jesu Christi continetur hic. Illa videlicet operatio, in qua laboravit, *cum fugeret a facie Absalon*, id est Judæ traditoris, qui assimilatur Absaloni, et propter significationem nominis, et propter similitudinem mortis. Absalon quippe interpretatur *patris pax*, quod nomen tam Judæ quam Absalon convenit. Nam et ille Absalon, qui persecutus est patrem, diu simulaverat pacem ; et Judas, velut Absalon, qui per pacem didicit facere bellum, osculando, ac pacem simulando tradidit Dominum Jesum Christum, Patrem discipulorum suorum, de quibus dicit : « Nunquid possunt filii sponsi jejunare, quandiu cum illis est sponsus? » (*Matth.* VIII, 15.)

Igitur uterque Absalon patrem persequens persecutione consimili recte meruit perire morte consimili. Periit enim Absalon suspendio derelictus a mula, prout quoque suspendio Judas derelictus a Synagoga. Dicentibus enim principibus ad Judam crimen suum confitentem : « Quid ad nos? Tu videris (*Matth.* XXVII, 4); » ipse derelictus est ab illis detestantibus et ipsum, et pretium quoque sanguinis ab ipso projectum, nec ab illis receptum. Dixerunt enim de triginta argenteis : « Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est (*ibid.* 6). » Fugit utique a facie filii sui David, videlicet et Christus, qui est manu fortis contra inimicos, et desiderabilis amicis suis. Et David quidem fugit corporaliter ; Christus autem, et corporaliter, et spiritualiter. Nam corporaliter fugit a cœnaculo, ne superveniens Judas occideret eum in occulto, qui voluit capi, et mori in aperto. Fugit in montem

Digitized by Google

Oliveti, ut oratio ejus illic expleretur, antequam caperetur et ligaretur. Fugit inde in hortum trans torrentem Cedron, ubi comprehendi voluit, peccata illius expiaturus, qui de horto deliciarum culpa sua fuerat ejectus. Fuga vero spirituali tunc fugerat a facie Absalon, a facie, id est a mente traditoris, quando illum in peccato suo derelinquens dixit: « Quod facis, fac citius. Tunc introivit in illum Satanas (*Joan.* XIII, 27). » Perquisito nunc sensu tituli, perquiramus, favente Dei gratia, textum psalmi.

Notandum vero quod præmisso primo psalmo de fide incarnationis, et secundo de fide passionis, consequenter hic agit de fide resurrectionis et ascensionis. Et videtur hic tractari de passione, ut in psalmo præmisso, sed non ita est, quia passionis quidem fit commemoratio, ubi dicitur: *Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me?* Sed principalis narratio, et gratiarum actio est de gloria resurrectionis et ascensionis. Nam postquam fremuerunt gentes, et populi gentiles, et Judæi, usque dum interimerent eum, lætati sunt, et multipliciter quasi vicissim gloriati sunt, ipsam ejus mortem pro magno tenentes experimento, quod non fuisset a Deo, quod fuisset seductor, et idcirco periisset nomen ejus, et nulla esset in Deo salus ejus. At ille, et tunc mortuus, post triduum loquebatur, et nunc usque vivens loquitur ea quæ continet sequens psalmus: *Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? Multi insurgunt adversum me. Multi dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo ejus. Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum. Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo. Ego dormivi, et soporatus sum, et exsurrexi.* Quis nisi dormiens dormitione peccati, et soporatus alto sopore fallaciæ non agnoscit hanc vocem resurgentis, hæc esse verba resurrectionis? Filius ergo ad Patrem loquitur:

VERS. 1. *Domine*, inquiens, *quid multiplicati sunt, qui tribulant me?* Multi erant, qui me tribulaverant in mea persona, quod eis non sufficit. Nam etiam postquam dormitione mortis *dormivi*, et resuscitatus a morte *surrexi*, adhuc *multiplicati sunt, qui tribulant me* persequendo me in apostolis, et aliis membris meis. Amatores, et veneratores nominis mei pauci sunt, et simplices; persecutores vero *multi* sunt, et multiplices. Adeo *multi*, ut etiam de numero discipulorum sint *multiplicati;* quia et Judas, et alii *multi* discipulorum abierunt, et quotidie abeunt retrorsum. Et ideo admirans dico: *Quid*, hoc est, in quantum, quam multum *sunt multiplicati, qui tribulant me*, sicut David servus meus, ac Pater meus fidelis tribulatus est, quando filius suus eum persecutus est?

Adhuc admirans de multitudine ipsorum dico: *Multi insurgunt adversum me.* Sicut enim contra dominum suum David multi insurrexerunt, qui Absaloni adhæserunt, sic et illi, qui traditoris Judæ consilium susceperunt, vel etiam qui Antichristo adhærebunt, *multi sunt.* Alii corpus meum necare; alii nomen meum negare audent. Et utique *multi sunt.* Nam et illi *multi* fuerunt, qui me, et martyres meos occiderunt, et illi *multi* fuerunt, et sunt, qui nomen divinitatis mihi negarunt, quorum præcipuus fuit Arius, cujus quasi alterius Achitophelis consilium est infatuatum, quando meliore ac saniore consilio Catholicorum nomen Divinitatis in me sic est glorificatum, ut hoc mihi non accidentale, vel adoptivum sit credendum, sicut diis multis, quibus dicitur: « Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes (*Psal.* LXXXI, 6), » sed omnino substantiale, utpote homini, qui « neque ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo (*Joan.* I, 13) » natus sum, ac proinde Deus naturalis ego sum, non Deus falsus, ut dii gentium, qui *oculos habent, et non videbunt, aures habent, et non audient* (*Psal.* CXIII, 5), *neque enim est spiritus in ore ipsorum* (*Psal.* CXXXIV, 17). Non Deus adoptivus, ut illi, quibus donata est participatio; non plenitudo divinitatis; sed omnino Deus naturalis ego sum, cui divinitatis non participatio, sed plenitudo donata est, quando Verbum caro factum est, quando idem Verbum divino amore in Virgine conceptum, et natum est, manens quod erat, et factum quod non erat. Unde contra multos tribulantes dico:

VERS. 4. *Tu autem, Domine, susceptor meus.* In sancta conceptione. Suscepisti enim me puerum tuum « recordatus misericordiæ tuæ, sicut locutus es ad Patres nostros Abraham, et semini ejus in sæcula (*Luc.* I, 55). » Suscepisti me puerum tuum, ita ut essem puer tuus, Filius unigenitus ac primogenitus.

Item contra multos, qui *insurgunt adversum me* dico, quia tu es *gloria mea* resuscitans me a morte, ac dicens mihi: « Exsurge, gloria mea (*Psal.* LVI, 9). » Ex quo intelligitur, quod et ego Filius *gloria* sum Patris, et ipse Deus Pater *gloria mea* est. Si enim « gloria patris est filius sapiens (*Prov.* X, 1), » quanto magis *gloria* Patris Filius sapientia, sicut alias dicitur: « Ego Sapientia ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam? (*Eccli.* XXIV, 6). » Et si *gloria* Filii est pater sensatus et honorabilis, quanto magis Pater Deus immortalis? Ergo non vane dico ego filius, quod tu es *gloria mea* Deus Pater, suscitans me de mortis ignominia: Et contra eos, qui dicunt: *Non est salus ipsi in Deo ejus*, tu *exaltans caput meum* glorificatione ascensionis: contra hæreticos, qui me dicunt creaturam, *tu exaltans caput meum*, id est me, qui sum caput corporis mei, adeo exaltas, ut ego non dimidius, sed totus prædicer Altissimus Altissimi Filius.

Ipse quoque David pater meus, persequente illum filio suo Absalone, sustinuit hoc improperium, ut diceretur ei: « Non est salus ipsi in Deo ejus. » Verum tu exaltasti eum interempto Absalone, suspenso Achitophel reducens eum in regnum suum. Sed longe gloriosius exaltasti *caput meum* in regno

Digitized by Google

meo, et tuo, quod est unum regnum indivisum, in quo supra omnem principatum, supra omnem creaturam ego secundum divinitatem meam altus, et secundum humanitatem exaltatus, jam non ut Arius voluit, dicendus sum creatura. Proprie namque dicitur creatura, quod antequam aliquid fieret, nihil fuit. Sed ego, antequam aliquid fierem, non nihil fui; quia priusquam homo fierem, Deus æternus fui, et manens quod eram, factus sum quod non eram. Propterea non sum inter creaturas computandus, ut voluit Arius. Imo supra omnem creaturam sum venerandus, et una cum Patre adorandus; quia, et ante omnem creaturam fui secundum divinitatem, et super omnem creaturam exaltatus sum secundum humanitatem, scilicet secundum quod homo sum. Ita, Pater, tu magnificasti super omne nomen me Sanctum tuum, dans mihi homini, quod est super omne nomen, *exaltans caput meum;* quia ego « lapis, quem reprobaverunt ædificantes, » sum factus « in caput anguli (*Psal.* CXVII, 22). » Porro priusquam sic *exaltarer* in passione humiliatus.

VERS. 5. *Voce mea* [cod. *magna*] *ad Dominum clamavi.* Multi clamant, sed nec *voce* sua, nec *ad Dominum* clamant. Qui dicit Deo : « Pater noster (*Matth.* VI, 9), » et ipse non vult esse filius, *voce* aliena clamat. Qui orando aliud a Domino desiderat, quam ipsum Dominum, non clamat *ad Dominum*. Sed neque dicendus est clamare in oratione, qui orans aliquid non vehementer desiderat, quod orat, quia vehemens desiderium clamor est, vel ad Dominum, si bonum est, vel contra Dominum, si est malum. Unde est illud : « Desiderium pauperum exaudivit Dominus (*Psal.* IX, 16), » quia videlicet ipsum desiderium fuit clamor magnus exauditione dignus. Et Moysi tacenti, et desideranti dictum est : « Quid clamas ad me? » (*Exod.* XIV, 15.) In malo autem turpe desiderium clamor fuit contra Dominum in peccato Sodomorum, et Gomorrhæorum. Ego autem *voce mea ad Dominum clamavi*, quando dixi : « Pater, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te (*Joan.* XVII, 1). Item in cruce : « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum (*Luc.* XXIII, 46). »

Et exaudivit me Pater *de monte sancto suo.* Vel de monte Oliveti (*Luc.* XXII), ubi prolixius oravi; vel de celsitudine misericordiæ suæ, quam significat *mons* Oliveti; vel de me ipso, qui sum mons Oliveti, « mons Dei, mons pinguis, » « mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo (*Psal.* LXVII, 16, 18). » Quod *voce mea ad Dominum* clamaverim, ex hoc potest agnosci, quod ei usque ad mortem obedivi · nam in ejus obedientia

VERS. 6. *Ego dormivi.* Somno mortis in cruce, et somnum cepi mortuus jacens in sepulcro. Quod autem clamantem me Dominus Pater exaudiverit, ex hoc potest agnosci, quod postquam *dormivi*, et *soporatus sum* usque in diem tertium « inter mortuos liber (*Psal.* LXXXVII, 6); » demum virtute propria *exsurrexi* a mortuis, *quoniam Dominus suscepit me*, non qualicunque susceptione, sed ita susceperat me in ipsa conceptione Dominus, ut sim Dominus; ita quoque *suscepit me* in resurrectione immortalis, impassibilis, ut et ego ultra sim immortalis, et impassibilis, cui ultra mors non dominetur; quoniam *Dominus* ita *suscepit me*, ut et ego Dominus dominer morti, et illa subjaceat mihi quasi *torcular*, quod ego *calcavi*, mihi subjeci (*Isai.* LXIII, 3). Licet enim ego botrus de terra promissionis in vecte crucis portatus, ad horam fuerim in eodem torculari calcatus; tamen et ego *torcular calcavi;* cum de morte triumphans resurrexi : *quoniam Dominus suscepit me.* Quod sequitur :

VERS. 7. *Non timebo millia populi circumdantis me.* Vox est euntis in cœlum sedere a dextris Dei, ubi *millia populi* non possunt nocere vel tangere illum : quæ *millia* vel corpus ipsius in passione, vel corpora sanctorum circumdederunt, sed animam occidere non valentes in circuitu ambulaverunt, et ad mediam vitæ medullam pertingere non potuerunt. Multo magis autem, postquam Christus in cœlum ascendit, persecutores ipsius tanquam pessimi Sodomitæ percussi cæcitate in circuitu ambulant, non valentes invenire ostium (*Gen.* XIX), id est ipsum, qui dicit : « Ego sum ostium (*Joan.* X, 9). » Unde nunc dicit : *Non timebo millia populi circumdantis me.* Quia vero Christus jam constitutus in sua securitate, tamen interpellare non desinit pro membris sui corporis; consequenter sequitur vox interpellantis :

Exsurge, Domine, salvum me fac. Id est meos fac salvos. Quia vero ille ordinate petit futura beneficia, qui non est ingratus de præteritis, gratiarum actio est, quod sequitur :

VERS. 8. *Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa :* Quia odio habuerunt me gratis. Ista continuatio non retro pendet, sed respicit sequentia. Non enim ideo *salvum* facit Christum, *quoniam* percussit *adversantes* ei, sed quoniam adversarios mendaces percussit pugno veritatis in os falsiloquum, inde sunt contriti *dentes* eorum, id est maledicta verba in irritum ducta sunt. Vel *dentes* sunt principes, qui quosdam de numero sanctorum præcidunt, et malis incorporant. Hujusmodi quoque *dentes* vel salubriter sunt contriti, quando prædicantibus apostolis multa turba sacerdotum obediebat fidei, vel terribiliter contriti sunt, quando venerunt Romani, et tulerunt eorum et locum, et gentem. Venerunt etiam dæmones et tulerunt animas eorum in infernum, juxta illud : « Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima, devorabitque terram cum germine suo, et montium fundamenta comburet. Congregabo super eos mala, et sagittas meas complebo in eis. Consumentur fame, et devorabunt eos aves morsu amarissimo. Dentes bestiarum immittam in eos cum furore trahentium super terram, atque serpentium. Foris vastabit eos gladius, et intus pavor, juvenem simul, ac virginem, lactentem cum homine sene,

Digitized by Google

Et dixi : ubinam sunt? cessare faciam ex hominibus memoriam eorum (*Deut.* XXXII, 22, 23-26). » Ita nimirum contriti sunt, ut jam non supersit memoria eorum, quoniam in oblivione sunt ante Deum. Sed

VERS. 9. *Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua.* In hoc versiculo mediatoris vice fungitur vel Christus ipse, vel propheta, vel psalmista quilibet. Mediator enim unius non est, unius partis fautor non est. Qui mediator (est) inter duas partes, ambas in unum conciliare studet. Sunt autem duo quædam inter se dissidentia, videlicet populus malus, et bonus Dominus. Unde in hoc fine psalmi discretus mediator Christus, et ad *populum*, et ad Dominum loquitur verba reconciliatoria suadens populo, ut credat : quia « Domini est salus : Et non est in alio aliquo salus (*Act.* IV, 12). » Et orans Patrem Dominum, ut *super populum* sit *benedictio* sua. Si autem propheta, vel Psalmista quilibet hic loquitur, et ipse quasi mediator populo : Vos omnes, quicunque salvari vultis, hoc habetote certum, quia non liberi arbitrii, non fatalis necessitatis, non virtutis humanæ, sed *Domini est salus. Domini* Patris, *Domini* Filii, *Domini* Spiritus sancti. Unius trini, et simplicis *Domini est salus.* Unde vos omnes Ægyptii, omnes homines, qui fame laboratis, « ite ad Joseph » verum « Dominum » Ægypti, quoniam ipsius « Domini est salus (*Gen.* XLI, 55). » Neque enim datum est nomen aliud sub cœlo vobis « hominibus, in quo oporteat vos salvari (*Act.* IV, 12). » Ad ipsum ite, qui venundatus est in hanc Ægyptum propter salutem hominum, eidem nunc exaltato, ut sit Dominus Ægypti, vos date omnia, quæ habetis, ne fame pereatis. Rogate illum ut emat vos, et assumat in servitutem regiam, præbeatque frumentum, non solum ad vescendum, sed etiam ad seminandum, Dicite illi : « Salus nostra in manu tua est, Domine. Respiciat super nos misericordia tua, ut securi serviamus tibi (*Gen.* XLVII, 25). » Hæc dicta sint ad persuadendum populo quod *Domini est salus.*

Nunc ad Dominum conversus iste mediator suppliciter orans dicat : O Domine, *super populum tuum* sit *benedictio tua.* Nam et hoc summus mediator Christus interpellans apud Patrem credendus est ineffabilibus verbis et precibus dicere, atque obtinere : ut *super populum*, pro quo ipse venundatus est, sit Patris *benedictio.*

Et pium est ex persona David, vel cujuslibet psallentis in his verbis hoc optari, ut *super populum* Domini sit *benedictio* Domini. Aliter homo Deum, atque aliter Deus hominem benedicit. Homo Deo, vel Deum benedicit, cum illum in suis operibus, vel virtutibus juste, vel misericorditer agentem laudat, magnificat, superexaltat : non quod Deo laus hominis aliquid magnificentiæ conferat, sed quod homo inde magnus, et justus fiat, si divinæ justitiæ, vel misericordiæ concordat, non illi obmurmurans aliquando, sed eam semper laudando, et magnificando. Porro cum Deus hominem benedicit, vel a malo mutat, vel in bonis ampliat. « Benedictio » mutationis illa fuit, quia dictum est ad Jacob : « Nequaquam ultra vocaberis Jacob, sed Israel erit nomen tuum (*Gen.* XXXII, 8). » *Benedictio* ampliationis illa fuit, qua dictum est primis parentibus ante peccatum : « Crescite, et multiplicamini, et replete terram (*Gen.* I, 28). » Item ad Abraham : « Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et sicut arenam, quæ est in littore maris » (ait Deus) « et in semine tuo benedicentur omnes tribus terræ (*Gen.* XXII, 17, 18). » Item : « Ambula coram me, et esto perfectus, faciamque te crescere vehementissime (*Gen.* XVII, 1, 6). » Item : « Surge, perambula terram, quoniam tibi daturus sum eam, et semini tuo post te (*Gen.* XIII, 17). » Omnia hæc sonant *benedictionem* ampliationis in bono. Dicamus ergo tibi Deus noster, cujus in manu *salus* nostra est, ut *super populum tuum* sit *benedictio tua*, qua benedictione divinitus operante a malis mutetur, et in bonis amplietur, atque consumetur. Tu benedixisti quinque panes in deserto, et ex hac benedictione tanta eis accessit ampliatio, ut quinque millibus hominum inde satiatis major superesset quantitas fragmentorum, quam fuisset ipsorum panum (*Joan.* VI). Tu benedixisti panem, et vinum, atque tua benedictione convertisti ea in tui corporis, atque sanguinis ineffabile sacramentum, in quo distributio visibilis non multiplicat numerum in fragmentis, quoniam in omnibus, quæ videntur, particulis est unus indivisibilis panis major cœlo et in terra, major omnibus creaturis, quia ipse est corpus Creatoris. Magna quidem intelligitur virtus divinæ dictionis, quæ contulit rebus esse : « Ipse » enim « dixit, et facta sunt (*Psal.* CXLVIII, 5). » Sed non minus magna est virtus divinæ benedictionis, quæ confert rebus beatum esse. Ipse enim benedicit materialem terræ fructum in altari, et per hunc benedictum fructum beatificantur, quotquot recipiunt eum. « Quotquot » enim « receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri (*Joan.* I, 12). » Hic est benedictus fructus ventris virginei, cujus benedictionem populo Dei optamus, dicentes : O Domine, *super populum tuum* sit *benedictio tua*, mutans a malo, consummans in bono. Amen.

Est alia lectio psalmi hujus, in qua loquitur integer Christus cum suis, et in suis membris persecutionem patientibus. Nam quilibet persecutor ipse est Absalon permaxime, si pacem simulat, quoadusque persequendi aptum tempus inveniat, sicut fecit Absalon. *Multi* talium *dicunt animæ meæ : Non est salus illi in Deo ejus.* Anima mea, vel totius corporis Ecclesiæ ordo est Patrum orthodoxorum, quorum vigore animatur corpus Ecclesiæ. Sed *multi dicunt* huic *animæ : Non est salus illi in Deo ejus.* Aliter enim non sperarent deleri posse sanctam Ecclesiam late pullulantem, nisi hoc crederent quod huic animæ meæ non sit *salus in Deo.*

Tu autem Domine susceptor meus es in Christo,

Digitized by Google

in quo suscepta est natura mea per Verbum in unitatem personæ. Tu es etiam *gloria mea*, quia suscepta est in identitatem gloriæ, ita ut recte « omnis lingua confiteatur : quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (*Philipp.* II, 11). » Tu es etiam « exaltans caput meum, » id est ipsum Christum « constituens » in dextera sua « super omnia opera manuum tuarum (*Psal.* VIII, 7). » Te igitur, Pater clementissime, suscipiente, glorificante, et exaltante naturam meam in Christo *Voce mea clamavi* : quia vox, et oratio Christi vox *mea* fuit. *Clamavi ad* te *Dominum, et exaudisti me de monte sancto* tuo, id est de Christo, in quo et *dormivi* complantatus similitudini mortis ejus, et *soporatus sum* consepultus, cum illo per baptismum in mortem : *et exsurrexi*, « ut quomodo surrexit » ipse, « ita et nos in novitate vitæ ambulemus (*Rom.* VI, 4, 5), » *quoniam* ipse *Dominus suscepit me.*

Unde *non timebo millia populi circumdantis*, quæ *millia* ut non timeam : *Exsurge Domine, salvum me fac, Deus meus. Exsurge* ad me salvandum, qui dudum surrexisti a morte ad vivendum. *Exsurge. Domine, salvum me fac*, quod quandiu non facis, mihi dormis, mihi *soporatus* es. *Exsurge* mihi nunc in salutem, et in adjutorium, et in defensionem, atque in dentium carnes meas lacerantium contritionem, quoniam et aliis tuis membris jam dudum, ac sæpe surrexisti, *dentes*que contrivisti eorum qui devorabant plebem tuam sicut escam panis. Hoc omnes una mecum orate, ut qui surrexit sibi ad regnandum, surgat semper ad semper salvandum *populum* suum, quoniam solius ipsius *Domini est salus*, nec *est* in alio aliquo *salus*. Et quia id credit populus ad fidem vocatus, o Domine, *super populum tuum* sit *benedictio tua* conferens illi talia opera, pro quibus audire debeat in judicio tuo : « Venite, benedicti Patris mei (*Matth.* XXV, 34). » Benedictio tua, Christe, non discrepat a benedictione Patris. Unde benedictos Patris tui, ante constitutionem mundi præordinatos, tu apparens in mundo benedixisti (*Luc.* XXIV), quando in cœlum ascendens elevatis manibus « benedixisti, Domine, terram tuam, » discipulos tuos, ea benedictione qua « remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum (*Psal.* LXXXIV, 1, 2). » Et nunc, Domine, *super populum benedictio tua* maneat, quæ peccata præterita remittat, et operiat, atque a futuris custodiendo benedictis tuis discipulis, ipsum *populum* ex eorum fide regeneratum, conformare non desistat, ita ut non super solos discipulos tuos, sed etiam super universum *populum tuum* sit *benedictio* tua.

Item est alia lectio, secundum quam simul sunt in homine uno David et Absalon, Christus et Judas. Dictum est ad Rebeccam. « Duæ gentes in utero tuo, et duo populi ex utero tuo dividentur, sed major serviet minori (*Gen.* XXV, 23). Populus minor est mens, vel animus condelectatus legi Dei, qui etsi videatur solus, tamen quasi David pro decem millibus computatur, in quibus decem millibus quasi minor populus dominatur populo majori, id est carnalium concupiscentiarum tumultuosæ multitudini, quando mens legi Dei condelectata non consentit pravæ suggestioni, et malis cogitationum motibus, qui aliquando multiplicati ultra modum dicunt menti, licet fideli : *Non est salus ipsi in Deo ejus.* Nam ex multiplicatione tentationum surrepente interdum salutis desperatione dicitur *animæ meæ : Non est salus ipsi in Deo ejus. Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea :* Neque enim de mea virtute glorior, sciens, quod de sua virtute gloriantes tu humilias. *Tu* ergo *es gloria mea : Tu exaltans caput meum*, id est Christum, vel animum divinis intentum. Quod ex hoc agnosco, quia inter tentationes non consensi pravæ suggestioni, sed *voce mea ad Dominum clamavi* urgentibus me tentationibus, et ipse *exaudivit me* vel removendo, vel temperando vim tentationum, sub quibus ad horam *dormivi, et soporatus sum ;* videlicet factus immemor Dei et mei, oblitus veritatis tanquam inter somnia cogitationum phantasticarum. Sed visitante me divina gratia excitatus et in me reversus *exsurrexi*, et in reliquiis cogitationum feci diem festum, diem resurrectionis, abdicando suggestiones mortis. Ita *exsurrexi, quia Dominus suscepit me* more medici. Ideo *non timebo millia populi*, millia turbarum, id est cogitationum turbidarum, *quoniam Dominus suscepit me*, animum divinis intentum, *suscepit me* in suæ voluntatis consensu : ideoque interdum, quod in cogitationibus vanis operor, non intelligo; quoniam, quod odi malum, hoc in cogitationibus ago; sed tamen non ego, mens, vel ratio illud operor. Quod perinde apparet : quia nec intelligo, nec animadverto, dum in cogitatione illud operor. Unde « quod habitat in me peccatum (*Rom.* VII, 17), » suum sine me facit actum, quem actum non approbans ego animus quasi *David fugio a facie Absalonis*, et exercituum ejus, qui velut suspendio interimitur, quando pravæ suggestioni consensus rationis denegatur. Persequitur vero illum exercitus *David*, quando bonæ, ac sanctæ cogitationes de consensu mentis venientes fugant vanas, et noxias cogitationes. Quæ ne aliquando prævaleant *exsurge, Domine, salvum me fac, Deus meus*, custodiens in posterum : *Quoniam* in tentationibus jam superatis *percussisti omnes adversantes mihi sine causa, dentes peccatorum contrivisti.* Sed inde non glorietur victrix ratio, quod victa est mala tentatio, quoniam *Domini est* hæc *salus. Domini est* hæc victoria mentis peccatorum suggestionibus resistentis, et quasi *a facie Absalonis fugientis*, quam mentem cum suo exercitu, cum suorum castrorum, id est rationabilium meditationum acie ordinata populum Dei esse cognoscimus. Unde huic tali populo benedictionem *Domini* optamus dicentes : *O Domine, super populum tuum* sit *benedictio tua.*

In pluribus psalmis inveniri potest hæc lectio triformis, quam in hoc psalmo consideravimus, quam triformitatem nos alicubi tangendo in multis

Digitized by Google

prætermittimus, quo volentibus per se meditari in psalmis, et in expositis meditandi viam aperiamus, et in non expositis exercitium relinquamus. Sicut in primo psalmo diximus, quod licet principaliter de Christi agat munditia et justitia, tamen canitur etiam in commemoratione sanctorum ipsius : ita licet in præsenti psalmo, et aliis multis psalmis talem sensum concipere, qui sancto cuilibet valeat convenire, quod per singula vitamus assignare, timentes fatigari lectorem nimia prolixitate.

Ille autem, qui clavem habet David, qui eumdem David nimia obscuritate clausum, cui vult aperit, et claudit, et nemo aperit, sic dignetur adesse nostræ diligentiæ in expositione præsenti, ut thesauros meditationum sanctarum, quarum est in Psalmis abyssus multa, et copia inexhausta, saltem sic demonstremus, quomodo in agro evangelico demonstratur thesaurus absconditus. Licet enim non totus thesaurus effodiatur, dum in agro absconditus demonstratur : tamen dum in agro latere thesaurus cognoscitur, præ gaudio illius ager comparatur. Sic aspirante sancti Spiritus gratia, quæ est clavis David, non intendimus totum agri hujus thesaurum effodere, quia hoc est impossibile, ut clare videatur quod est invisibile, comprehendatur quod est incomprehensibile; sed gloriosam summæ Trinitatis faciem, prout se ipsa dignabitur manifestare, libenter ostendemus per singulos psalmos ad gloriam ipsius, non quod in omnibus psalmis manifeste sint expressæ tres æternæ Deitatis personæ. Sicut enim in hydriis, quæ positæ fuerant ad purificationem Judæorum, divisa fuit capacitas metretarum capientibus singulis *metretas binas, vel ternas* (*Job* II, 6) : ita in Psalmis, qui positi sunt ad purificationem Christianorum, diversa est manifestatio personarum, cum in psalmis aliquibus duæ personæ, in aliquibus vero inveniantur tres personæ Deitatis unius, vel per effectus, vel per nomina sua expressæ, ac designatæ.

Dicamas ergo in fine præsentis psalmi : *Gloria Patri*, qui exaltans caput meum, id est Christum, in eo ipso glorificatur, quod ab eo tale caput super omnia exaltatur. *Gloria Filio*, qui *dormivit, et soporatus est*, et exsurrexit. *Gloria Spiritui sancto*, qui est illa *salus*, et illa *benedictio*, de qua dicitur : *Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua.* Nam sicut illa Dei dictio, quia dixit, et facta sunt omnia, Dei Verbum Dei Filius est : Sic illa Dei *benedictio*, qua sanctificantur creata, Spiritus sanctus est.

PSALMUS IV.

Cum invocarem, exaudivit me Deus. Titulus hujus psalmi est (VERS. 1) :

IN FINEM, PSALMUS CANTICI DAVID (26).

Finis duobus modis dicitur : Pro consumptione, quando aliquid deficit. Pro consummatione, quando aliquid perficitur. Finis est panis consumpti ipse defectus ejus. Finis est belli consummati gloriosa victoria. Sic in titulis Psalmorum accipitur finis. Unde ubi nos habemus, *in finem*, in Hebræo habetur Victori. Psalmus ergo iste attitulatur *in finem*, sive in victoriam, quia de operatione hic agitur consummativa, et victoriosa magni regis David, qui post suam in cœlos ascensionem in præmisso psalmo tractatam Spiritum Paracletum dedit apostolis, quo confirmati sunt, et lætificati. Unde hodie dicitur *Psalmus Cantici*. Nam psalmus, qui fit motibus digitorum, discretionem et operationem significat donorum sancti Spiritus, qui super apostolos apparuit, eosque confirmavit. *Canticum* vero, quod fit per vocem, significat mentis exsultationem, qua interius lætificati sunt ita, ut ex tunc nemo tolleret ab eis gaudium eorum. Tribus igitur psalmis prioribus, ubi per ordinem Incarnationis, Passionis, Resurrectionis, et Ascensionis Christi propheticus spiritus testificatus est fidem, quarto jam psalmo de acceptione sancti Spiritus apostolica gratulatur Ecclesia dicens :

VERS. 2. *Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ, in tribulatione dilatasti mihi.* Nonne voces istæ conveniunt rei gestæ, et voci illius diei, quo Spiritus sanctus de cœlo veniens discipulos Domini lætificavit orantes, ita ut dicere congruat conventui illi, et omni Ecclesiæ sequenti : *In tribulatione dilatasti mihi, cum invocarem*, cum orarem? « Omnes » enim « erant perseverantes unanimes in oratione cum mulieribus, et matre Domini Jesu (*Act.* I, 42). » Maria, et fratribus ejus. Dicit ergo Ecclesia illa unanimis : *Cum invocarem, exaudivit me Deus.* Ascenderat in cœlum, subtrahique mihi desiderabilem sui vultus aspectum, sed promiserat Spiritum Paracletum, atque ideo, ut justificaretur in sermonibus suis, essetque mihi *Deus justitiæ*, verax promissor, *exaudivit me*, cum illum non solum quasi absentem advocarem ad me, sed *invocarem* intra me : tunc *exaudivit me Deus justitiæ meæ*. Nam inter ipsum promittentem, et me suis promissis credentem servatur justitia sua, et mea; dum et ipse in sermonibus suis justificatur dando, quod promisit : et quia « justus ex fide vivit (*Rom.* I, 17), » mihi quoque credenti *Deus David*. Hieronymus *Victori in Canticis* : Εἰς τὸ τέλος ἐν ὕμνοις ψαλμὸς τῷ Δαυίδ.

(26) Juxta Vulgatam : *In finem in carminibus, Psalmus David* legit. Græcus vero habet : *Psalmus*

Digitized by Google

auctor est justitiæ meæ, pro qua exaudivit *me*. Nisi enim credidissem, nisi credendo justitiam non operum, sed fidei tenuissem, non exaudisset *me Deus justitiæ meæ*, nec esset justitia mea justitia dicenda, quæ promisso veritatis esset incredula. Nunc autem credentem *exaudivit me Deus justitiæ meæ*, quem quia jam præsentem intra me habeo, ad ipsum verba convertens, atque illi gratias agens dico :

In tribulatione dilatasti mihi. Nonne ita contigit illis, in quos venit Spiritus sanctus, ut sonat ista vox Spiritus prophetici : *In tribulatione dilatasti mihi?* Eatenus quippe non latum, imo valde angustum fuerat eorum et cor, et os. Quomodo angustum cor? Homines erant sine litteris, et idiotæ. Quomodo angustum os? Unius habebant rusticitatem linguæ Hebraicæ, ita ut loquentes ex idiomate suæ locutionis statim fierent manifesti, quod essent Galilæi. Qui sic angusti cordis, et angusti fuerant oris, ita dilatati sunt, ut et Scripturas intelligerent, et loquerentur linguis, et quod maximum est, non in pace, sed *in tribulatione*. « Ibant » enim « apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Jesu contumeliam pati (*Act.* v, 41). » Magna, et mira dilatatio eorum, qui unanimiter perseverantes in oratione secundum istam vocem propheticam :

Vers. 2. *Miserere mei, et exaudi orationem meam*, sic exauditi fuerant, ut in corde Scripturas, in ore linguas, in utroque adepti constantiam loquerentur magistratibus, dicerent tam plebi, quam magistratibus :

Vers. 3. *Filii hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? Scitote, quoniam mirificavit Dominus Sanctum*. Quid enim aliud sapiunt verba illa : « Viri Israelitæ, Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, et negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti. Vos autem sanctum, et justum negastis, et petistis virum homicidam donari vobis; auctorem vero vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis, cujus nos testes sumus, et in fide nominis ejus, hunc quem vos vidistis, et nostis, confirmavit nomen ejus, et fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum. Et nunc fratres scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri. Deus autem, quæ prænuntiavit per os prophetarum pati Christum suum, sic implevit. Pœnitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra (*Act.* III). » Et quam pulchre, quod hic scriptum est in psalmo : *Irascimini, et nolite peccare*, et quod illic dicit apostolus Petrus : « Pœnitemini, ut deleantur vestra peccata (*ibid.* 19), » unum idemque significat, quod hic scriptum est : *Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* Quam recte illud redarguitur *mendacium*, quod jam ante illum diem, quo prædicare cœperunt apostoli, divulgatum erat apud Judæos, *mendacium*, inquam, quod quæsierant, et emerant data militibus pecunia copiosa, ut dicerent : « Quia discipuli ejus venerunt nocte, et furati sunt eum nobis dormientibus? » (*Matth.* XXVIII, 12 et 13). *Mendacium* si ultro, et gratis offerretur, dignum, et justum esset, ut respueretur, nec reciperetur. Nunc autem pecunia data militibus quæsistis *mendacium* diligendo vanitatem, et odiendo veritatem. Dilexistis locum, et gentem, dilexistis terrenam prosperitatem, caducam, et vanam felicitatem, et ne hanc amitteretis, quæsistis *mendacium* et *mendacium* posuistis spem vestram, atque mendacio protecti videbamini vobis tuti. Sed nos veritatem vobis annuntiamus dicendo :

Διαψαλμα. — Vers. 4. *Et scitote, quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum*. Verum Diapsalma hic interpositum notat, et conjunctiunculam non ad ante dicta continuandam. Nam ubi nos habemus Diapsalma, Hebræi habent Sela, quod interpretatur *semper*, et est confirmatio præcedentium, vel sequentium. Solebat autem, cum psalmi ante arcam cantarentur, in hujusmodi locis fieri quædam verborum intercisio, ut quasi sua, et singulari laude intelligerentur sequentia, aliud, quam præcedentia continere. Unde Septuaginta Interpretes sensum magis attendentes, quam verba, pro eo, quod est Sela, noluerunt transferre semper, sed posuerunt Diapsalma. Quo verbo significatur verborum divisio. Et certum est, ubi Diapsalma ponitur, rerum aut personarum fieri mutationem, ut hic post increpationem mendacii Christus proponitur in veritate mirificatus, et glorificatus. Intelligendum est in hoc Diapsalmate Prophetam vidisse ineffabilia, quibus pergit, et continuat effabilia, dicendo : *Et scitote, quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum*, per quem *Sanctum* sic mirificatum atque interpellantem pro me *Dominus* Pater *exaudivit me, cum* clamavero ad eum in futuro, sicut jam in præterito, *cum invocarem* eum, *exaudivit me*. Quia ergo paratus est exaudire maxime pœnitentes, vos

Vers. 5. *Irascimini* vobismetipsis de peccatis præteritis dolendo : *Et nolite* ulterius *peccare* inposterum vobis cavendo. Vel *Irascimini*, quod est humanum, sed *nolite peccare*, iram vestram perducendo ad actum : quia venialis est ira, quæ non ducitur ad actum, et hic motus iræ non est in potestate nostra, quia surgit interdum sine voluntate nostra, sed juvante gratia Dei a nobis potest frenari; et ideo, quod prohiberi non potest, permittitur; quod autem potest cohiberi, penitus interdicitur, cum dicit : *nolite peccare* in opere, licet ira surgat in *cordibus vestris, et in cubilibus vestris*. Vos Judæi in iracundia terræ loquentes, terrenaque commoda perdere timentes crucifixistis Christum, et adhuc *irascimini* testibus veritatis amando *mendacium :* sed *nolite peccare, nolite* in mendacio perseverare. Potius de his, *quæ dicitis in cordibus vestris*, id est quæ intus cogitatis *compungimini*, et de his, quæ volvitis *in cubilibus vestris*, vel lectulis vestris, vel

Digitized by Google

in volutabris carnis, item compungimini stimulis pœnitentiæ.

Aliter : *Quæ dicitis* ore lectitando Moysen et prophetas, dicite quoque *in cordibus vestris*, et inter legendum, seu canendum *in cubilibus vestris compungimini*, ne ultra conqueratur de vobis Dominus dicens : « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me (*Matth.* xv, 8.) » Diapsalma hic interpositum notat a veteri vita per pœnitentiam transeundum in novam. In qua

Vers. 6. *Sacrificate sacrificium justitiæ*, non vetus, sed novum, non in sanguine taurorum vel agnorum, sed in spiritu contribulato.

Et sperate in Domino, non in vestro merito. Sed quia in multis est futurorum bonorum diffidentia, *multi dicunt, quis ostendit nobis bona*, quibus nos apostoli respondemus : Quia

Vers. 7. *Signatum est super nos lumen vultus tui.* Signatum per signum crucis, per sigillum veritatis, impressum *cordibus vestris*, ut in nobis tanquam in drachma evangelica splendeat imago veritatis.

Aliter ad glorificationem sanctæ Trinitatis legi potest iste versiculus : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, dedisti lætitiam in corde meo.* Dominus enim, cui hæc dicuntur : *Signatum est super nos lumen vultus tui*, ipse est Pater. *Vultus* Domini, ipse est Filius. *Lumen vultus* Domini, ipse est Spiritus sanctus Patris, et Filii. Filius idcirco recte dicitur *vultus* Dei Patris : quia sicut in *vultu* alicujus hominis affectio lætitiæ, vel mœroris potest percipi : sic per Filium voluntas Dei Patris mundo innotuit. *Lumen vultus* Domini idcirco recte intelligimus Spiritum sanctum Patris, et Filii : quia sicut *lumen* alicujus rei valde lucentis viam, et prospectum pandit corporalibus oculis, verbi gratia, sicut claritas solis depulsa caligine noctis nobis efficit diem : sic Spiritus sanctus depulsis ignorantiæ tenebris docet nos omnem veritatem : quia per ipsum, et Filium scimus et Patrem, et ipsum cognoscimus ex utroque procedentem. Quis, quando, et ubi *signavit super nos* hoc *lumen vultus tui, Domine?* Dominus Jesus Christus, quando adhuc latebat *vultus* tuus in illa humanitate, ut crucifigi posset. Nisi enim latuisset, nisi se continuisset, et cessasset dicere : « Ego sum » (*Joan.* xviii, 6), omnes abirent retrorsum, et caderent in terram, nec possent comprehendere eum. Dominus, inquam, noster Jesus Christus, cum adhuc lateret in carne ejus *vultus* tuus, signaturum se promisit *super nos* hoc *lumen vultus tui*, et continuo signavit, ut vere pontifex summus pro jure officii sui, cujus est signare non solam frontem corporis, verum etiam frontem animæ credentis. Dixit enim ipsa nocte, qua tradebatur : « Mittam vobis » Paracletum « Spiritum veritatis, qui a Patre procedit (*Joan.* xv, 26.) » Et multa hujusmodi ad distinctionem pertinentia trium personarum Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et deinde ipsa, qua resurrexit die, stans in medio discipulorum præmisso bono pacis nuntio, quam fecerat inter Deum, et homines, insufflavit, et dixit : *Accipite Spiritum sanctum*, scilicet in remissionem peccatorum; sequitur enim : « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. (*Joan.* xx, 22.) » Et die Pentecostes misit eumdem Spiritum in divisione gratiarum multis coruscantibus miraculis.

Ita *signatum* habentes *super se lumen vultus tui, Domine*, cœperunt eadem die vocare alios, et adducere, ut signaretur super eos id ipsum *lumen* per ipsorum ministerium, et manuum impositionem. Eadem quippe die, qua receperunt sermonem, baptizati sunt in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et appositæ sunt in illa die animæ circiter tria millia, qui omnes una cum apostolis dicere potuerunt : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, dedisti lætitiam in corde meo.* O utinam (quoniam de singulis dictis non possumus effodere thesaurum in eis absconditum, excedit quippe hoc possibilitatem nostram) saltem unius dicti hujus sensum penetrare liceat, quod dixit : *dedisti lætitiam in corde meo!* sed quis penetrare possit, nisi qui eamdem *lætitiam* accepit? Hoc interim scire, et dicere possumus : quia lætitia hæc Spiritus sanctus est. Plane Spiritus sanctus sicut *lumen vultus* Domini, sic recte dicitur et est lætitia Patris, et Filii. Ubi Spiritus sanctus inhabitat, illic sempiterna, et inenarrabilis est lætitia, nec aliud, quam ipse est lætitia, quam importat. David ipse, per quem hæc ipsa dicta sunt, *lætitiam* ipsam expertus fuerat. Etenim pleno eam cornu acceperat, sicut scriptum est : « Imple, » ait Dominus ad Samuelem, « cornu tuum oleo, et veni, ut mittam te ad Isai Bethleemitem. Providi enim in filiis ejus mihi regem » (*I Reg.* xvi, 2). « Tulit ergo Samuel cornu olei, et unxit eum in medio fratrum ejus, et directus est Spiritus Domini in David a die illa » (*ibid.*, 13), et in reliquum. Verumtamen ad horam sibi *lætitiam* hanc diminuit, et ut verbis utar Apostoli dicentis : « Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei (*Ephes.* iv, 30.) » tunc Spiritum sanctum ipse contristavit, quando in Uriam Hethæum peccavit. Quod sciens ipse, et sentiens, « redde, » inquit, « mihi lætitiam salutaris tui (*Psal.* l, 14). » Sciunt enim sancti homines, quorum pectora sunt habitacula Spiritus sancti, quomodo fiat illud, quod Apostolus fieri non vult, dicens : « Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis (*Ephes.* iv, 30). » Est enim quidam tactus ejusdem Spiritus sancti, quo interdum sensibiliter hominem tangit, dum vult eum suscitare ad optandum, ut non negligat gratiam, quam ipse contulit illi. Qui si mente quieta tunc incedit, aut in secreto secum est, sive somno indulgens pro tempore sive pervigil, blandum et suavissimum tactum illum persentit tanquam familiarem appellationem præsentis amici. Quod si aliter est, si verbi gratia festuca irruens mentis oraculum turbavit, et pro hoc nondum satisfecit, tunc ille tactus et tardior accedit, et aspertor est sensu, ita ut dicere conscientia non dubitat : Ecce

Digitized by Google

contristatus est Spiritus sanctus Dei. Quanto magis contristatus fuerat Spiritus Domini, et dicere habebat David : « Redde mihi lætitiam salutaris tui (*Psal.* L.), » propterea quia venit peregrinus, scilicet diabolus a regno, et civitate Dei longe alienus, ad divitem David, et ille « parcens sumere de ovibus, et bobus suis, ut exhiberet convivium peregrino illi, tulit ovem viri pauperis, et præparavit cibos homini, qui venerat ad se? (*II Reg.* XII, 4.) » Sed quia ipse, secundum quod scriptum est : *Irascimini, et nolite peccare*, sibimetipsi fuit per pœnitentiam iratus, et noluit ulterius peccare, non quod vivere posset in hoc sæculo sine omni peccato, sed quod vivere decrevisset sine peccandi proposito in Dei servitio ; « Spiritus » ejus « contribulatus fuit sacrificium justitiæ (*Psal.* L, 19), » per quod ita recuperavit, et rehabuit munus divinæ lætitiæ, ut posset in gratiarum actione Deo dicere : *Dedisti lætitiam in corde meo.* Dedisti primum, postea reddidisti secundum, quod oravi dicens : *Redde mihi lætitiam salutaris* tui.

Et vide, quam pulchre credentes a non credentibus Spiritus propheticus distinxit in ipso modo locutionis. Nam de non credentibus dixit : *Multi dicunt : quis ostendit nobis bona?* De multitudine vero credentium quamdam unionem factam insinuans cum dixisset : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*, protinus, uti maluit singulari numero dicens ex persona istorum : *Dedisti lætitiam in corde meo.* Et recte, quia multitudinis credentium erat cor unum, et anima una, quam videlicet unitatem cordis, et animæ illud quoque adverbium interpositum pulchre exprimit : *Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.* Ita namque Spiritus sanctus de multis efficit unum. Qui autem hunc non habent, multis, imo, et contra semetipsos sensibus diversis, et in plerisque per sectas contrarias divisi sunt. Quid ergo est, quod præmisso : *In pace in idipsum dormiam, et requiescam*, causam sive rationem istam subjungit : *Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me*, nisi ac si diceret idcirco : quia nunc studeo singularitati, sive unitati huic, de qua et Apostolus dicit : « Sicut enim in uno corpore multa membra habemus ; omnia autem membra non eumdem actum habent : ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes, sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate : Dilectio sine simulatione : odientes malum, adhærentes bono : charitate fraternitatis invicem diligentes : honore invicem prævenientes : sollicitudine non pigri, spiritu servientes, spe gaudentes : in tribulatione patientes : orationi instantes : necessitatibus sanctorum communicantes : hospitalitatem sectantes. Benedicite persequentibus vos, benedicite, et nolite maledicere. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus : idipsum invicem sapientes : non alta sapientes, sed humilibus consentientes? » (*Rom.* XII, 4, 16.) Quam unitatem facit unus Spiritus, et una fides. Idcirco, inquam, illuc me spero perventurum, ubi *dormiam, et requiescam in* tanta *pace*, quanta intelligi vult dictio hæc, quam dixi : *In idipsum.* Pro hujusmodi sensu variatur modus locutionis secundum varietatem singularis et pluralis numeri, ut cum pluraliter dixerit : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*, statim singulari dictione dicat : *Dedisti lætitiam in corde meo.* Rursumque cum dixerit pluraliter : *A fructu frumenti, vini et olei sui multiplicati sunt*, statim ex persona universæ multitudinis eorum, quorum est, vel esse debet cor unum, et anima una, sive unus spiritus, et una fides, statim, inquam, singulariter dixit : *In pace in idipsum dormiam et requiescam.*

Potest quidem de reprobis, sive terrenis dictum intelligi :

VERS. 8. *'A fructu frumenti, et vini, et olei sui multiplicati sunt*, ut sit sensus vituperationis, quod gratulentur ejusmodi : quia *multiplicati sunt* a terrenis divitiis. Sed nihilominus econtra venerabiliter accipitur, quod ex eo *multiplicati sint* boni, quod Christus tanquam granum *frumenti* cadens in terram mortuum fuit, et duo data Spiritus sancti dedit, de quibus jam sæpe dictum est, tanquam *fructum vini, et olei.*

Hæc unitas, sive singularitas, quæ in isto psalmo, et in plerisque cæterorum loquitur, ipsa est, quam postulabat ipse Dominus Christus ipsa nocte, qua tradebatur. « Pater sancte : » inquit, « serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos (*Joan.* XVII, 11). » Item « non pro his autem, » ait, « rogo tantum, sed et pro eis, qui crediturі sunt per verbum eorum in me : ut omnes unum sint, sicut tu Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, etc. (*ibid.*, 20, 21.) » quæ ita finivit : « Ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis (*ibid.*, 26). » Quam videlicet dilectionem non aliud, quam Spiritum sanctum oportet intelligi. Cum apostolis, in quorum persona cantatus est hic psalmus, nos quoque apostolica doctrina informati voces nostras jungamus, illud permaxime optantes, ut

VERS. 9. *In pace in idipsum* dormiamus *et* cum ipsis requiescamus *in tribulatione* dilatati, non angustiati, lumine *vultus* Domini consignati lætitia cordis exhilarati *a fructu frumenti, vini, et olei multiplicati. Frumenti* quod cadens in terram mortuum est, et multum *fructum* attulit ; *vini* quod lætificet cor hominis ; *olei* per quod exhilaratur facies, quo fuit unctus David : quod est oleum effusum per verum David, cujus unctione sumus christiani *in pace in idipsum* convocati. *A fructu* enim *frumenti, et vini, et olei* apostoli et discipuli Christi sunt *multiplicati*, quando propter verbum Dei in Hebræa

Digitized by Google

lingua Christo interfecto, et discipulis fugatis mortificatum, sed in omnibus linguis multiplicatum per donum sancti Spiritus geminum, vino et oleo significatum, credidit multitudo virorum, ac mulierum una die ad tria millia virorum (*Act.* II, 41), alia die ad quinque millia virorum (*Act.* IV, 4), qui omnes cum mulieribus et parvulis suis vino sancti Spiritus inebriati, et oleo ejusdem Spiritus in frontibus animarum consignati, *in pace in idipsum* dormiendo, et quiescendo consummati sunt in unum, quia « erat eis cor unum, et anima una » in Domino, « nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat (*ibid.*, 32). » Tanta virtus erat *vini* sive musti, quo dicebantur pleni : tanta virtus erat *olei*, quo in reges ac sacerdotes erant uncti, ut eis postea in persecutione dispersis dicat Petrus apostolus : « Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum (*I Petr.* II, 9). » Ex quibus verbis Petri apostoli animadverti potest, huic populo acquisitionis, licet in persecutione, qua occisus est protomartyr Stephanus, disperso per regiones Ponti, Galatiæ, Bithyniæ, ac Samariæ, permansisse cor unum : tam fortiter vino, seu musto deebriati obdormierunt *in pace in idipsum*, ut persecutionis violentia posset illis excutere somnum dulcissimum. Dicat ergo unusquisque nostrum ex intimo cordis desiderio : *In pace in idipsum dormiam, et requiescam.*

Gloria Patri Domino : *Gloria Filio vultui ejus : Gloria* lumini *vultus* ejus, quod est *Spiritus* Paracletus.

PSALMUS V.

» *Verba mea auribus percipe, Domine.* Titulus psalmi hujus est (VERS. 1) :

IN FINEM PRO EA, QUÆ HÆREDITATEM CONSEQUITUR.

Legitur in Genesi, quod Abraham de ancilla Agar genuit Ismaelem (*Gen.* XVI, 15), et de libera Sara genuit Isaac (*Gen.* XXI, 2). Ismael autem major natu persequebatur Isaac, propter quod ejecta est ancilla cum filio, et libera cum suo filio « consecuta est hæreditatem. Filiis autem concubinarum » Abraham « largitus est munera (*Gen.* XXV, 6). » Sed Isaac possedit paternam hæreditatem, paternam fidem ; ut is, qui dictus est Deus Abraham, sit etiam dictus Deus Isaac. Iste Isaac cum Rebecca uxore sua nobili habens *hæreditatem*, hæreditariam videlicet Patris Abrahæ fidem, transmisit, et commisit eam filio suo Jacob. Unde idem, qui dictus est Deus Abraham, Deus Isaac, dictus est etiam Deus Jacob. Ab hac hæreditate projectus est Esau, licet nobilis esset secundum carnem, propter voracitatem, et mentis ignobilitatem. « Jacob autem genuit Judam, et fratres ejus, » quibus eamdem fidei reliquit *hæreditatem*, cujus in figura distributa est eis terra promissionis in hæreditariam possessionem. « Judas autem genuit Phares, et Zaram. Phares autem genuit Aminadab (*Matth.* I, 2, 3), » et sic cæteri fideles Patres genuerunt filios fideles, et nobiles paternæ fidei hæredes usque ad « Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus (*ibid.*, 16.) » verus Isaac filius nobilis, cui sociata est Rebecca, sancta videlicet apostolica Ecclesia, de qua in psalmo antecedente actum est, cujus legitimus filius est omnis catholicus apostolicæ fidei, ac doctrinæ sectator, et amator. Cui tanquam dilecto filio Isaac, et Rebeccæ vestimentorum fragrantia testatur deberi hæreditariam illam benedictionem, ut « incurvenfur ante » illum « filii matris » suæ, et sit « Dominus fratrum (*Gen.* XXVII, 29.) » suorum, quibus non est fragrantia vestimentorum, quibus non est odor agri pleni, quum inanes, et solo nomine sunt christiani : *Quoniam non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est, linguis suis dolose agebant.*

Sed quomodo Ismael, et Esau, qui erant secundum carnem, persequebantur Isaac, et Jacob, qui erant secundum Spiritum : ita et nunc. Nam filii concubinarum, quibus benignus Pater largitus est munera temporalia, bonis, et malis communia, filiique carnales venationibus fugitivarum sæculi cupiditatum nimis occupati filiis nobilibus, filiis benedictis cupiunt in hoc mundo imperare, ac dominari, seu principari, cum sint expertes illius fidei, cujus pro ardore Petrus apostolus accepit Ecclesiæ, ac totius orbis principatum, cujus pro constantia senatus Apostolorum Princeps orbis terrarum factus est. Atque utinam cum dominationis principatu habere vellent fidem, principatus istius hæreditatem legitimam, *ut esset in ore eorum veritas, et cor eorum non esset vanum.* Sed quia dividunt, quod Deus conjunxit, similes inveniuntur Israelitis, qui nobilem Joseph in servitutem redegerunt, sed fidem ejus tenere noluerunt. Similes quoque sunt Idumæis, qui terram promissionis populo Dei auferre moliti sunt in tempore Josaphat regis Juda, sed fidem illam recipere noluerunt, per quam filii Israel in eamdem terram intraverant. Solummodo super sanctos volunt principari, sed factis abnegant fidem, quæ sola digna est principari : propter quam dicti sunt patriarchæ, id est principes Patrum, sive principales Patres, qui erant præcipue in ea pollentes, ut Abraham, Isaac, et Jacob : propter quam (ut prænotatum est) senatus Aposto-

Digitized by Google

lorum constitutus est princeps orbis terrarum, judicaturus mundum totum, cum suæ fidei debitum plenarie habebit principatum.

Nunc vero, dum inique principantur, qui non habent fidei veritatem, oratio necessaria est contra eam turbam, quæ inique rapit *hæreditatem*, judiciariam videlicet potestatem solis fidelibus debitam et hæreditariam, et pro ea, non turba, sed paucitate fidelium, quæ consequetur *hæreditatem*, id est, principatum et judiciariam potestatem, per quam comparebit clare, *quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Non modo apparet, sed *mane*, cum *astabo tibi*, *et videbo*, quod nunc videre non valeo, dum videris velle hanc iniquitatem, ut super justos habeant injusti potestatem. Injustos dico Judæos Christi sanguine pollutos, paganos idololatriæ deditos, hæreticos non habentes fidei veritatem, falsos christianos non habentes veram charitatem. Quotiescunque aliqui talium habuerunt super fideles judiciariam potestatem, gravata est Ecclesia illa, cujus est hereditas ipsa judiciaria potestas. Sic Judæi habentes judiciariam potestatem condemnaverunt ipsum caput Ecclesiæ Christum judicante Pilato illum dimittendum. Stephanum quoque plenum gratia et fortitudine statuerunt in concilio, et testibus contra illum auditis quasi legitimo judicio condemnaverunt illum (*Act.* VI, VII). Apostolos etiam in conspectu concilii sui contumeliam passos de finibus suis ejecerunt, et Paulum apostolum Romanis tradiderunt. Postquam agentes Judæi *secundum multitudinem impietatum* suarum expulsi sunt, et ejecti de pervasa hæreditate, de præsumpta judiciaria potestate, sancta interim Ecclesia psalmum, quem versamur, canente atque orante pro confirmanda fide, quæ sola *hæreditatem* consequi digna est, adhuc premebatur eadem Ecclesia judiciis injustis et violentis paganorum principum usque ad imperatorem Constantinum, qui primus ex imperatoribus manifeste legitimum principatum est adeptus. Nam ante ipsum Philippus imperator occulte fuerat christianus effectus anno ab urbe condita millesimo, qui prædicatione Origenis conversus pauco tempore post conversionem vixisse perhibetur. Sed Ecclesia (ut diximus) usque ad Constantinum non sensit fidele imperium. Tunc est exaudita de paganis tyrannis Ecclesia : quoniam et illi ejecti sunt a judiciaria potestate, *secundum multitudinem impietatum* suarum expulsi a pervasa hæreditate.

Successerunt illis in nequitia imperatores hæretici Constantius Constantini filius, Julianus Apostata, et Arianorum amicus, Catholicorum vero inimicus, Valens imperator totus Arianus ; reges Gothorum pene omnes Ariani, quorum temporibus ita potentes contra fidem catholicam fuerunt hæretici, ut Athanasius vir per omnia catholicus ab eis in exsilium pelleretur, et nullus catholicus episcopus in cathedra sua sedere permitteretur. Nonne tunc sancta Ecclesia necessario cantavit præsentis psalmi versiculum · A *Decidant a cogitationibus suis : secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te, Domine.* Illis ergo secundum *multitudinem impietatum* suarum expulsis de sancta Ecclesia, de potestate judiciaria, successerunt illis in nequitia falsi christiani, quorum præcipui sunt judices ecclesiastici, et sæculares, qui fidem verbis confitentur, factis autem negant. Sejunguntur quidem ab hæreticis, quia fidem catholicam confitentur, sed non junguntur catholicis, quia eam negant in opere. Qui si quando accipiunt in Ecclesia judiciariam potestatem, gravant fideles tanto deterius, quanto interius : et necessario pro talibus expellendis clamatur ab ea, et pro ea, quæ consequetur *hæreditatem*, ut ab illis auferat Deus judiciariam potestatem, quorum permi- B mia multitudine, quia valde vexatur Ecclesia circa *finem*, psalmus hic recte intitulatur *in finem*, quia multoties liberata Ecclesia nondum CONSECUTA EST liberationis *finem*, vel consummationem. Talem *finem* jam nunc optando psallamus *in finem*, et dicamus, imo psallat Ecclesia mater illibata, et dicat :

VERS. 2. *Verba mea auribus percipe, Domine.* « O Domine » qui « dominaris potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas (*Psal.* LXXX, 10). » *O Domine* dominantium, quia tu dominaris super omne dominium Judæorum, tyrannorum, hæreticorum, falsorum christianorum, *Verba mea auribus percipe.* Aures tuæ sunt potentia, et clementia qua potes, et vis misereri. *Auribus* istis *percipe verba mea*, ut secundum quod vis, et potes, ab aliC enis me liberes.

Intellige clamorem meum, quia *verba mea* non carent *clamore*, dum vehementia est in orationis intentione. Sic famulus tuus Moyses clamavit, licet orans in silentio, quia oravit cum liberationis magno desiderio, videns appropinquare currus Pharaonis cum exercitibus, videnque anxiari populum Dei timentem captivari, et occidi. Valida tunc Moysi attentio fuit Clamor, Domine, in conspectu tuo. Sic modo imminente, et irruente super me sponsam tuam falsorum fratrum exercitu, anxietas mea sit clamor, quem tu intelligas. Nota in his verbis esse transsumptionem a similitudine humana. Cum enim in Deo non sit differentia inter ejus aurem et cor, D tamen hic distincte ait : *Auribus percipe verba*, et *intellige clamorem* quasi corde.

VERS. 3. *Intende* quasi mentis quodam studio *voci orationis ; voci*, quæ non est murmurationis contra te, contra tua judicia, sed est *orationis* pro impetranda liberatione tua *rex meus* Christe Fili Dei vivi, et *Deus meus*. Tria nomina posuit in hac trina oratione. Primo Dominum, quem intelligimus Patrem : deinde Regem, quem intelligimus Christum : postremo Deum, quem intelligimus Spiritum sanctum. Tribus loquens non dicit pluraliter : *Auribus* percipite *verba mea*, intelligite *clamorem meum*, intendite *voci orationis meæ*. Sed *percipe*, *intellige*, *intende* dicit singulariter, quia non tres domini, vel tres reges, vel tres dii sunt, cum quisque trium sit

Digitized by Google

Dominus, Rex, Deus, sed tres unum sunt, unus Dominus, unus Rex, unus Deus. Nec Pater seorsim dominatur absque Filio, et Spiritu sancto, nec Filius regnat seorsum sine Patre ac Spiritu sancto, nec Spiritus sanctus deificat sanctos angelos, et bonos homines absque Patre, ac Filio. Nam quorum est indivisa essentia, eorum est indivisum dominium, et regnum : et Deitas trium est indivisibilis, quia nullius accidentis omnino est susceptibilis, nec aliquid est in rebus, quod valeat dividi, nisi quod per accidentia potest variari. Cum magno itaque ardore sancti desiderii Dominus, Rex, Deus invocatur, cum sancta Ecclesia iniquo dominio, perverso regno illius gravatur, qui cum sit « homo peccati, filius perditionis, » tamen sedet in templo Dei, « ostendens se tanquam sit Deus (*II Thess.* II, 3). » Imo, « et extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur (*ibid.*, 4), » non sub Deo, sed contra Deum dominari, et regnare audens in Ecclesia, quæ templum Dei est.

Nota distinctionem, ac partes psalmi hujus. Primo namque orat *pro* illa hæreditate trina oratione ad trinum Deum, sicut præsignatum est. Deinde asserit se exauditam ibi : *Quoniam ad te orabo.* Postea dicit æmulam excludendam ibi : *Neque habitabit.* Quarto orat auxilium in conflictu, ne impediatur ab inimicis in via ibi : *Domine, deduc me.* Quinto prænuntiat, quæ pœna malis ibi : *Judica illos Deus*, et quod præmium est justis ibi : *et lætentur.*

Notandum est in trina, quam præmittit, oratione, cum tria nomina ponat, videlicet : Dominum, Regem, Deum. Dominum nominat absolute, Regem vero ac Deum nominans apponit pronomen possessivum dicendo : *Rex meus, et Deus meus.* Cum enim sit unus Dominus omnium tam bonorum quam malorum, sic est unus judex vivorum et mortuorum, non erat huic nomini aliquid apponendum, quo significatur ejus dominatio in omni generatione, et generatione indissimiliter veneranda et metuenda. *Rex* autem specialiter est Judæorum, id est confitentium nomini ejus, eorum, qui dicere possunt : « Dominus regit me, et nihil mihi deerit (*Psal.* XXII, 2). » Regit enim flexibiles, et tanquam vas figuli frangit inflexibiles. Item specialiter dicitur *Deus* eorum, quibus pro sua fide hoc est hæreditarium, ut ipse *Deus* eorum sit, non solum in vita præsenti perseverans adjutorium, sed etiam post hanc vitam beatificans præmium, quando « ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus (*Apocal.* XXI, 3). » Dicat ergo Ecclesia : *Intende voci meæ rex meus, et Deus meus*, qui et in præsenti vita me regis, et nihil mihi deerit, et in futura deificabis et beatificabis non alio præmio, nisi te ipso. Tu *Rex meus, intende voci meæ, intende* desiderio meo æstuanti pro tuo regimine, ut tu solus regnes in me, et non regnet peccatum in meo mortali corpore. Tu solus *Rex* habearis in toto mundo, et sit regnum tuum regnum omnium sæculorum, sic implendo universum mundum, sicut lapis abscissus absque manibus, et « factus est **mons magnus** (*Dan.* II, 35), » implens totum mundum prius contrito auro, argento, ære, ferro, ac testa regnorum veritati contrariorum. Tu, *Deus meus, intende voci meæ, intende* mihi cordis voce hoc oranti, ut tu *Deus meus* solus *Deus* habearis in mundo, et ille fiat de medio, tollatur de medio, qui cum sit homo peccati, vult se coli pro Deo, imo extollitur supra omne quod dicitur *Deus*, aut quod colitur, super astra Dei exaltando solium, super sanctos et electos tuos agens dominium, sedens in monte Testamenti, dum quasi ex auctoritate Veteris et Novi Testamenti sibi vult serviri et obediri, et a sanctis hominibus, quibus tu solus es Deus, et ideo licet secundum te, ac propter te sit obediendum dominis regibus, episcopis « non tantum bonis, et modestis, sed etiam discolis (*I Petr.* II, 18), » tamen contra te nulli est obediendum. Imo si quis contra te, et tuos apostolos evangelizat, hunc apostolus tuus in tuo spiritu loquens in tua virtute judicans anathematizat. Sic oravi, et sic *orabo ad te* non ad tua obtinenda : quia *in finem* tendit psalmodia mea pro hæreditate consequenda, quæ non est aliud, quam tu ipse, quem Regem, et Deum habere est hæredem Dei esse, et cohæredem Christi, ac proinde nullius indigere : quia tu *Rex meus, et Deus meus* plenissime sufficis omni te habenti Regem et Deum.

Vers. 4. *Quoniam* sic *ad te* ipsum consequendum *orabo*, tu *exaudies vocem meam*, non exspectato meridie, sed *mane*, id est incipiente in me luce justitiæ, quando « nox » peccati « præcessit, dies autem (*Rom.* XIII, 12) » justificationis appropinquavit.

Aliter : *Exaudies* me, id est intelligere me facies esse exauditam *mane* finita hujus mundi nocte in claro adventu tuo, quando pro meo desiderio solos fideles, solos amatores fidei videbo judices esse hujus mundi, et ipsius quoque diaboli, sicut Apostolus tuus loquitur. An « nescitis, quoniam et angelos judicabimus ? » (*I Cor.* VI, 3.) Tunc in illo *mane*, in illa inchoativa claritate futuræ in æternum serenitatis, et serenæ semperque lucentis æternitatis, quando lux perpetua lucebit sanctis tuis, Domine.

Vers. 5. In illo *mane* judices illi, perfectissimi contemptores mundi, sedebunt super sedes duodecim judicantes mundum juste (*Luc.* XXII, 30), a quo judicati sunt injuste. Sed ego Ecclesia pro majori portione *astabo* ad dexteram judicanda. *Et* tunc *videbo*, quod modo non video, et non videns credo, *quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Videris nunc velle *iniquitatem*, quia sustines in Ecclesia tua, in regno tuo iniquos judices ; sed *mane*, cum soli perfecti erunt judices, tunc *astabo, et videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.*

Vers. 6. *Neque habitabit juxta te malignus* voluntate nocendi plenus : neque *injusti*, quibus dices : « Esurivi, et non dedistis mihi manducare (*Matth.* XXV, 42), » *permanebunt ante oculos tuos.* Statim enim, ut tu dices : « Discedite a me maledicti in ignem æternum, non permanebunt ante oculos tuos (*Matth.*

Digitized by Google

xxv, 41), » quia « ibunt in supplicium æternum. (*ibid.*, 46) » Vere *non Deus volens iniquitatem tu es.*

VERS. 7. Quoniam *odisti omnes, qui operantur iniquitatem.* « Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem (*Psal.* xliv, 8). » *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem :* non eos, *qui* operati sunt, et jam pœnitet eos, verum eos, qui *operantur* industriose, qui corrupti sunt in studiis suis (*Psal.* xiii, 1), quia studiose peccant, et peccatum sic amant, ut velint aut libenter peccare, aut impune peccasse. Pœnitentes autem, qui nec volunt peccare, nec impune peccasse (puniunt enim peccata sua in se) non sunt maligni, quia nolunt peccare, nec *injusti*, quia nolunt peccatum suum præteritum remanere impunitum, nec jam *operantur iniquitatem*, sed æquitatem, puniendo in se suam *iniquitatem*, nec *loquuntur mendacium* excusando peccatum suum, sed *loquuntur* veritatem confitendo suam iniquitatem.

Tu autem justus judex *perdes omnes, qui loquuntur mendacium* defendendo, vel excusando peccatum suum, vel etiam fallendo proximum suum, aliud habendo in ore, aliud in corde, vel, quod est pejus, mendaciis omnibus contradicendo veritatis testimonio, quod expressum est in Scripturis veritatis, quod hæreticorum est proprium. Tu perdes non omnes, *qui* locuti sunt *mendacium*, sed *qui loquuntur mendacium : qui* habent in ore, vel corde *mendacium*, non qui aliquando habuerunt, sed « in ore eorum non est inventum mendacium (*Apoc.* xiv, 5). »

Sunt, qui putant, aliqua de causa utile *mendacium*, et sanctis aliquando concessum dicere falsum exemplo Jacob, qui se mentitus est esse primogenitum filium Esau. Quibus respondemus, non esse *mendacium*, quando in dicto aut facto significatur verum. Jacob autem spiritu prophetiæ illuminatus, dictis et factis figurativis præsignavit veritatem de reprobatione Judaici, et electione gentilis populi. Unde non fuit *mendacium*, quod dixit, et fecit : quia veritatem significavit.

Similiter per mendacia obstetricum in Ægypto, quæ laudantur, putant aliqui aliquando magnam utilitatem valere ad excusationem alicujus mendacii. Sed animadvertendum est eas remuneratas, et laudatas pro beneficio parvulis Hebræorum exhibito, non pro mendacio, quod Pharaoni fecerunt, non quia parvulos Hebræorum, sed quia se interfici timuerunt, quibus si non accidisset *mendacium*, longe amplius fuisset remuneratum beneficium. Martyres quippe fuissent effectæ, si veritate indicata pro salvatione infantum Hebræorum a Pharaone fuissent interfectæ. Non itaque illis per *mendacium* accessit, sed multum decessit in præmio, quod illis parabatur non pro mendacio, sed pro beneficio.

Facta et dicta Rahab meretricis nuntios Josue abscondentis, et eos mendacio protegentis conferre possumus cum dictis, et factis propheticis Jacob, quæ supra memoravimus. Nam et ipsa licet mentiens veritatem præfiguravit, et significavit, quam nunc Ecclesia de gentili populo conversa in se completa, et adhuc implenda recognoscit, quæ nuntios veri Jesu recepit, eosque in solario memoriæ, vel mentis suæ abscondit. Quos illa verissime ad Jesum reversos dicit, licet eos habeat apud se absconditos : quia sancti apostoli primi salutis nostræ nuntii sic reversi ad Christum regnant cum illo, ut nobis adsint fideli patrocinio. Magna ergo veritas præsignificata est in verbis Rahab meretricis nuntios a se abiisse dicentis, et eos apud se retinentis. Nam et apostoli a nobis, ut diximus, recesserunt, et tamen sunt nobiscum per corpora sua, quæ in pace sepulta sunt nobiscum, per suæ conversationis exemplum, per suæ fidei compendiosum symbolum, per scripta doctrinarum suarum, per præsentiam suorum beneficiorum. Absit ergo, ut illis dictis assignemus mendacium, in quibus magnum fuit veritatis præconium.

Item de illo facto evangelico, ubi se Dominus finxit longius ire, putant aliqui etiam perfectis licere falsum aliquod fingere. Quod non ita est. Nihil enim falsum Dominus finxit, sed quia fingere dicimus componere, « unde, et compositores luti dicuntur figuli : talem se finxit, et composuit discipulis exterius, qualis apud illos erat interius (27). » Nihil egit veritas pro duplicitate, sed per omnia suam tenuit simplicitatem, talem se discipulis exhibendo, videlicet peregrinum et longius iturum, qualis erat in cordibus ipsorum, quibus illud et amor fecerat propinquum, et diffidentia ignotum. Et revera nisi illum invitassent, non eis fuisset in fractione panis recognitus, sed permansisset incognitus, et hoc esset recessisse longius. Imitemur ergo veritatem, teneamus per omnia simplicitatem, et si nos fingamus, vel componamus ad aliquid faciendum, verbi gratia ad longius eundum, nisi nobis in via fuerit oblatum hospitium, ita sit, ut fingimus : quia tali fictione mendaces non erimus, quando illud, quod fingimus, in voluntate habemus, nisi forte interveniat eventus, vel quem præcogitamus, vel alius impræmeditatus, quo interveniente libere mutamus consilium, nec tamen incurrimus *mendacium*, quod in sola duplicitate cordis invenitur, quando in corde, et corde quis loquitur, unde audiens decipiatur.

Taliter quis mentiens recte perdetur, quoniam a veritate, quæ habet solidum esse, divertit ad *mendacium*, quod est inane figmentum, non habens existentis rei fundamentum. Unde in Apocalypsi « mendacium » dicitur « Puteus abyssi (*Apoc.* ix, 2), » hoc est puteus carens fundo, quia, ut diximus : *mendacium* caret fundamento, et ideo in perditionem demergetur, nec ab ullo fundamento fulcietur, cujus in ore *mendacium* invenietur. Unde legitur de sanctis : « in ore ipsorum non est inventum mendacium ; sine macula sunt ante thronum Dei (*Apoc.* xiv, 5). » *In ore*, inquit, *ipsorum* non est inventum *mendacium*, et si fuit aliquando in ore ipso-

(27) S. Gregorius Magnus, hom. 23 in Evang.

Digitized by Google

rum, tamen non est illic inventum, quod aut charitas operuit, ut *mendacium* obstetricum in Ægypto, et mendacium Rahab meretricis, aut significatio veritatis excusavit, ut mendacium Jacob, aut certe pœnitentia expurgavit, ut mendacium Petri apostoli post mendacium flentis amare. Quorum vero in ore invenitur mendacium, timeant quod dicitur : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Licet tamen sanctis verum tacere, ac celare, quibus non licet falsum dicere. Nam et ipse Dominus « multa, » inquit, « habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo (*Joan.* XVI, 12). » Ut autem lucidius videatur, quam caute ab omni mendacio sit cavendum, de beati Patris Augustini sententiis quædam hic excerpta ponemus, quibus, etsi tædiosum lectorem forte gravemus, tamen studioso lectori de quæstionibus *mendaciorum* satisfieri credimus, et cupimus.

Augustinus in libro *De mendacio* (27*) : « Primum est capitale mendacium, longeque fugiendum, quod fit in doctrina religionis, ad quod mendacium nulla conditione quisquam debet adduci. Secundum, ut aliquem lædat injuste, quod tale est, ut nulli prosit, et obsit alicui. Tertium, quod ita prodest alteri, ut obsit alteri, quamvis non ad immunditiam obsit corporalem. Quartum sola mentiendi fallendique libidine, quod mirum mendacium est. Quintum, quod fit ad placendum cupiditate de suaviloquio. His omnibus penitus evitatis, atque rejectis, sequitur. Sextum genus, quod nulli obest, et prodest alicui in temporalium rerum commodo : velut si quispiam pecuniam alicujus injuste tollendam sciens ubi sit, nescire se mentiatur. Septimum, quod nulli obest, et prodest alicui ad tuendam vitam, velut si nolens hominem quæsitum prodere mentiatur. Octavum est genus mendacii, quod et nulli obest, et ad hoc prodest, ut ab immunditia corporali aliquem tueatur.

« Non (28) igitur mentiendum est in doctrina pietatis, quod magnum scelus est, et primum genus est detestabilis mendacii. Non est mentiendum secundo genere, quia nulli facienda est injuria. Non est mentiendum tertio genere : quia nulli cum alterius injuria consulendum est. Non est mentiendum quarto genere propter mendacii libidinem, quæ per seipsam vitiosa est. Non est mentiendum quinto genere : quia nec ipsa veritas fine placendi hominibus enuntianda est : quanto minus mendacium, quod per seipsum, quia mendacium est, utique turpe est. Non est mentiendum sexto genere. Neque enim recte etiam testimonii veritas pro cujusquam temporali commodo, ac salute corrumpitur. Ad sempiternam vero salutem nullus est ducendus opitulante genere mendacio. Neque septimo genere mentiendum est : non enim cujusquam commoditas, aut salus temporalis veritati præferenda est. Neque octavo genere mentiendum est : quia et in bonis castitas animi pudicitia corporali, et in malis id, quod ipsi facimus, eo, quod fieri sinimus, majus est.

« In his autem octo generibus tanto quisque minus peccat, cum mentitur, quanto emergit ad octavum. Tanto amplius, quanto mergitur ad primum. Quisquis autem esse aliquod genus mendacii, quod peccatum non sit, putaverit, decipiet seipsum turpiter, cum honestum se deceptorem arbitratur aliorum. »

Idem : (28*) « Mendacium est falsa significatio cum voluntate fallendi. » Item : (29) « Faciat homo etiam pro temporali hominum salute, quod potest, cum autem ad hoc ventum fuerit, ut tali saluti consulere non peccando non possit, jam se existimet non habere, quod faciat, quando id reliquum esse perspexerit, quod non recte faciat. »

Idem de verbis Apostoli : « Cum vero humilitatis causa mentiris, etsi non eras peccator antiquam mentireris, mentiendo efficeris, quod evitaras. Veritas in te non est, nisi te ita dixeris peccatorem, ut etiam esse cognoscas. Veritas autem ipsa est, ut, quod es, dicas. Nam quomodo est humilitas, ubi regnat falsitas? »

Idem in quinto psalmo : « Ne quis arbitretur perfectum, et spiritualem hominem pro ista temporali vita, in cujus morte non occiditur anima sive sua, sive alterius, debere mentiri. Sed quoniam aliud est mentiri, aliud est verum occultare (siquidem aliud est falsum dicere, aliud verum tacere) si quis forte vel ad istam visibilem mortem non vult hominem prodere, paratus esse debet verum occultare, non falsum dicere, ut neque prodat, neque mentiatur, nec occidat animam suam pro corpore alterius. »

Idem : (30) « Duo sunt genera mendaciorum, in quibus non magna culpa est, sed tamen non sine culpa : cum aut jocamur, aut pro utilitate proximi mentimur. Illud primum in jocando, ideo non est perniciosum, quia non fallit. Novit enim ille, cui dicitur, joci causa esse dictum. Secundum autem ideo mitius est, quia retinet nonnullam benevolentiam. Illud vero in quo non est duplex cor, neque mendacium quidem dicendum est, tanquam verbi gratia si cui gladius commodetur, et promittit se redditurum, cum ille, qui commodavit poposcerit, et si forte gladium suum repetat, furens, manifestum est, non esse reddendum, ne vel se occidat, vel alios, donec ei sanitas restituatur. Hic ideo non est duplex cor, quia ille, cui commodatus est gladius, cum promittebat se redditurum poscenti, non cogitabat furentem posse repetere. Manifestum est, non esse culpandum aliquando verum tacere. Falsum autem dicere non invenitur concessum sanctis. »

Idem de eodem : (31) « Nemo sane mentiens judicandus est, qui dicit falsum, quod putat verum, quando (quantum in ipso est) non fallit ipse, sed fallitur. Non itaque mendacii, sed temeritatis ar-

(27*) Cap. 14.
(28) Ibid., cap. 21.
(28*) Lib. contra Mendac., cap. 12.
(29) Ibid., c. 17.
(30) In hunc psal. num. 7.
(31) In Enchirid. cap. 18

Digitized by Google

guendus est, qui falsa incautus credit, ac pro veris habet, potiusque e contrario, quantum in ipso est, ille mentitur, qui dicit verum, quod putat falsum. Quantum enim ad animum ejus attinet, quia non, quod sentit, hoc dicit, non verum dicit, quamvis verum invenitur esse, quod dicit : nec ullo modo liber est a mendacio, qui ore nesciens verum loquitur, sciens autem voluntate mentitur. »

Idem : (32) « In ipsarum consideratione rerum, quæ dicuntur, tantum interest, qua in re quisque fallatur, sive mentiatur, ut cum falli, quam mentiri minus sit malum, quantum pertinet ad hominis voluntatem, tamen longe sit tolerabilius in his, quæ a religione sunt sejuncta, mentiri, quam in his, sine quorum fide, vel notitia Deus coli non potest, falli. »

Idem : (33) « Homo non solum quando scit ipse, quod verum sit, sed et quando ipse errat, et fallitur, sicut homo, hoc debet loqui, quod animo gerit, sive illud verum sit, sive putetur et non sit. Omnis autem, qui mentitur, contra id, quod animo sentit, loquitur voluntate fallendi. »

Officiosa vero mendacia, quæ fiunt non voluntate fallendi, sed consulendi, nec fiunt pro malitia, sed pro benevolentia, dicit quidam (34) non nimis exsecrabilia, quia qui nonnisi sic mentiuntur, merebuntur, ut aiunt, aliquando ab omni mendacio liberari. Verumtamen etiam in his consuetudo mentiendi est valde periculosa, quia facile inducit ad nequiora mendacia. Est ergo tutissimum Christiano ab omni penitus abstinere, atque cavere mendacio, propter illud, quod scribitur : *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Novi ego quamdam virginem Deo devotam, quæ, cum pro quadam ancilla illa, quam domina sua verberibus castigare voluit, sic intercessisset, ut verbis suis benigna mendacia quædam intersereret, nocte insecuta vidit beatam Felicitatem septem filiorum matrem, se in visione duriter increpantem pro factis mendaciis quantumvis levibus. Cui et hoc vehementer ad pœnitentiam indixit, ut sicut corpus ab omni genere fornicationum, sic animam custodiret ab omni genere mendaciorum, eo quod mendacium, per quod prima femina fuit corrupta, in mente sic animas castas devirginaret, sicut fornicatio corpus. Non hæc visio inter vana somnia deputanda est, quia veritati scriptæ satis concordat, cujus testimonio constat, nunquam fuisse pecuali corruptioni obnoxia corpora humana, si a patre mendacii non fuissent falsitate corrupti parentes nostri. Sed quia homo, cum in honore esset, veritatem non intellexit, nec veritati adhæsit, quando mendacium serpentis recepit, post mentem falsitate corruptam corruptioni quoque carnali subditus « comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis (*Psal.* XLVIII, 13). » Unde Apostolus, cum nos ad castitatem informaret, ait : « State ergo succincti lumbos vestros in veritate, (*Ephes.* VI, 14); » quia videlicet veritatis « justitia cingulum lumborum, et fides » veritatis « cinctorium est renum (*Isa.* XI, 5), » quo nimirum cingulo, sive cinctorio veritatis per mendacium serpenti creditum penitus amisso, parentes nostri ad mutuam turpitudinem pecualiter concitati fecerunt sibi perizomata de foliis fragilibus : et eos adhuc imitatur genus humanum de ipsis propagatum, quoties turpia sua tegit falsitate verborum inanium veritatis fructu carentium.

Christus autem ait : « Ego sum via, veritas, et vita (*Joan.* XIV, 6); » ut si volumus illi adhærere, caveamus erronea diverticula, quæ ducunt per avia. Caveamus mendacia, quibus non est veritas amica. Caveamus a morte peccatorum pessima, ut vivamus recta et vera vita. Subtilizent quantum volunt, qui mendacia quædam excusabilia dicunt : apostoli Pauli sinceram doctrinam fermentare non possunt, qui cum dixisset : « Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis (*Ephes.* IV, 23, 24), » consequenter adjunxit : « Propter quod deponentes mendacium loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo (*ibid.*, 25); » quasi dixisset : Hæc est justitia, et sanctitas veritatis, ut veritatem et corde teneatis, et ore loquamini : « Quoniam, ait, sumus invicem membra (*ibid.*). » Nunquid Paulus præcipiens, ut veritatem loquamur, indulget mendacia jocosa, vel quæ videntur benigna? Minime. Nam si acciderint hujusmodi mendacia viro veritatis amico, potius fletu, et pœnitentia sunt abolenda, quam excusanda, vel defendenda. Licet enim venialia videantur talia mendacia, tamen si defendantur fieri absque omni culpa, et in ipsa horum defensione talis contrahitur culpa, et tale fit mendacium, de quo verissime dici conveniat : *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium;* quia inter cætera mendacia magis est exsecrabile mendacium, quando « ad excusandas excusationes in peccatis (*Psal.* CXL, 4) » mendaciter excusatur, vel defenditur mendacium, vel aliud indubitabile peccatum propheticis, apostolicis, et evangelicis doctrinis prohibitum. Propheta namque dicit : « Maledictum, et mendacium, et homicidium inundaverunt; et sanguis sanguinem tetigit (*Ose.* IV, 2). » Ecce, qui mendacium et homicidium conjunxit, æqualiter utrumque detestatus est. Qualiter vero litteræ apostolicæ mendacium prohibeant, sufficiant, quæ jam diximus.

Dominus vero in Evangelio sic docet loqui simplicem veritatem, ut « sit omnis sermo » noster, « est, est, non, non (*Matth.* V, 37); » quod ita decorum simpliciter observatur, si, cum affirmatio est in corde, sit etiam in ore; quia hoc est geminum *est*, cum, quod in corde est, id etiam in ore est. Item si negatio in corde, sit etiam in ore, per *non*, et *non* expressa, ne pariter *est*, et *non* sint apud nos

(32) Ibid. post pauca.
(33) Ibid., cap. 22.
(34) S. August. in hunc psal. num. 7.

Digitized by Google

repugnantia sibi, dum os contradicit cordi. Dominus enim Jesus Christus non erat *est*, et *non*, sed *est* in illo fuit : quia foris loquebatur, quod intus habuit. « Non sic impii, non sic (*Psal.* I, 5). » Unde ab illo sunt reprobati, ubi dicit : « Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? » (*Matth.* XII, 34.) Item : « Quid, » ait, « vocatis me Domine, Domine, et non facitis, quæ dico? » (*Luc.* VI, 46.) Sufficiant nunc ista contra mendacium veritatis testimonia. Persequamur cætera.

VERS. 8. *Virum sanguinum*, id est homicidam, quem supra diximus injustum, et virum *dolosum*, qui videlicet, cum sit iniquus, *Loquitur mendacium*, quo simulat se bonum, hunc talem *abominabitur*, id est exhæreditabit *Dominus*, quia cum esset vir *sanguinum*, et dolosus, malo et infelici omine se quasi hæredem honorari voluit in regimine super Ecclesiam præsumpto, ideo erit abominabilis propter malum omen. Vel *abominabitur* eum *Dominus*, cum nec inter homines erit illi locus, qui se in templo Dei non solum supra homines extulit, sed et « supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur (*II Thess.* II, 4). » Propria est enim hæc descriptio Antichristi, et cujusque sui membri, vir *sanguinum*, et dolosus, quia post manifestos tyrannos, ac martyrum tortores tyrannorum satellites, qui erant viri *sanguinum*, maligni, iniqui, *operantes iniquitatem*, et post hæreticos loquentes mendacium, de quibus jam dictum est, iste vir *sanguinum*, et dolosus ex tyrannorum violentia vir *sanguinum*, et hæreticorum fraudulentia dolosus recte intelligitur Antichristus. « Et nunc Antichristi multi sunt (*I Joan.* II, 18), » ait Joannes apostolus, intendens ad horam novissimam, quam si tempore suo Joannes dixit imminere pro nimia ejus vicinitate, multo magis nos eam nunc imminere cernimus, qui Antichristos multos videmus viros *sanguinum* propter violentiam tyrannicam, et dolosos propter fraudulentiam hæreticam, et Simoniacam, qua gemina impietate sic abutuntur Christi hæreditate, ut etsi non verbis, tamen rebus dicant : « Hæreditate possideamus sanctuarium Dei (*Psal.* LXXXII, 13); » quia non aliter possident, ac vendunt Ecclesias, quam si eorum sit propria hæreditas, confidentes in sua pariter et violentia, et fraudulentia, quod contra eos nulla valeat potestas judiciaria. Sed tamen *Dominus abominabitur* talem virum *sanguinum*, et dolosum, ejiciens illum quandoque de sua hæreditate, ac destruens illum illustratione sui adventus.

Notanda est hic differentia nominum, et verborum gradatim sui sensus pondere, reatus, et damnationis augmenta exprimentium. Primum posuit malignos in sua videlicet voluntate nocivos. Deinde posuit injustos opere malo propter utilitatem suam nocivos. Deinde operantes *iniquitatem*, id est, in opere malo non tam suam utilitatem, quam ipsam diligentes iniquitatem. Post notavit hæreticos pro suo mendacio perdendos. Ad ultimum posuit virum

A *sanguinum*, et dolosum. Et malignus quidem non *habitabit juxta te, Deus*, et potest tamen videri quasi a longe, ut visus est ille dives in inferno ab Abraham, et ille « vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus (*Luc.* XVI, 23). » Iniqui autem *non permanebunt ante oculos tuos* vel tuorum, quia tolletur impius ne videat gloriam Dei. *Odisti* etiam *omnes qui operantur iniquitatem*, quia tu es *Rex* justus, qui dilexisti semper justitiam, et *odisti iniquitatem*, quam quia illi dilexerunt, animas suas proprias oderunt, et ideo in odio tuo, *Deus, permanebunt*. Et illos quidem satis acriter *odisti*, acrius autem et terribilius *perdes* hæreticos, et *omnes, qui loquuntur mendacium*. Sed virum *sanguinum*, et dolosum, virum divinæ charitati, et veritati omnino contrarium Dominus non solum odit, et perdit, sed etiam *abominabitur*, et in æternum detestabitur.

B

Ego autem sponsa tua, redempta tua, columba tua, non excludar ab *hæreditate*, sed *introibo in domum tuam* cum nobili prole mea : *Introibo* non qualicunque introitu, sed, quali solet introduci sponsa legitima *in domum* viri sui, ut sit hæreditatis compos ipsa cum filiis legitimis nunquam a domo ejicienda, sicut ejicitur ancilla, et filius ejus : verum in ea sic maneat, ut etiam cuncta cellaria domus hujus possideat una cum sponso rege sempiterno, de quo dicit nunc in spe, tunc autem dicere poterit in re : « Introduxit me Rex in cellaria sua (*Cant.* I, 3); » quia deliciis cellariorum istorum fruetur æternaliter in sponso, et per sponsum suum. Igitur *ego* sponsa *introibo*, non quidem in justitia operum meorum, sed *in multitudine misericordiæ tuæ, Rex meus, et Deus meus*, quia misericorditer prævenisti, ut bona vellem, et misericordia tua subsecuta est me, ne a bona voluntate, quam a te sponso meo concepi, deficerem, sed semper de die in diem proficerem vel bona devote operando, vel ea cum operari non possem, devotius amando etiam in aliis, quorum opera præcellebant operibus meis. Ideo tuæ domus exspecto, et spero introitum.

C

Sed nunc ante januam quasi excubando, *adorabo ad templum sanctum tuum*. Sic quondam Judæi, ubicunque terrarum erant, versus templum tuum visibile orabant, et adorabant. Sic *ego* invisibile sanctuarium, invisibile templum, videlicet hominem super omnia exaltatum, ac tota divinitatis plenitudine dedicatum in superna Jerusalem venerabor adorando, non solum ad Deum, qui est in ipso templo, sed *adorabo ad* ipsum *templum*. *Adorabo* ipsum *templum*, quia in homine illo, in templo illo sic habitat Deus, ut sit Homo-Deus. *Adorabo* igitur *ad* illud *templum sanctum* desiderando, sanctificari per ipsum, in ipso, ad ipsum : sicut sanctificantur sacerdotes in templo, ad *templum* per pontificem. Sed quia in hoc templo, qui est pontifex, ipse est et *templum; adorabo ad templum sanctum* sanctificari optans in ipso, per ipsum, ad ipsum. Verum quia multa sunt impedimenta, multæ sunt

D

Digitized by Google

inimicorum insidiæ circa viam, quæ ducit *ad templum*.

Vers 9. *Domine*, tu ipse, qui es *templum*, *Rex meus, et Deus meus*, *deduc me in justitia tua*, quæ differt a justitia hominum : quia hominum justitia est reddere bona pro bonis, et mala pro malis. Tua vero est *justitia* primitus pro malis reddere bona, pro quibus bonis reddas bona meliora, et majora ; Verbi gratia pro peccatis reddis pœnitentiam, pro ipsa pœnitentia malorum reddis opera virtutum, pro quibus tandem dabis te ipsum. *Deduc* ergo *me in* hac *tua justitia propter inimicos meos*, et tuos, quorum quia mihi tecum sunt communes inimicitiæ, sit mihi contra eorum violentias, et insidias tutamen deductionis tuæ in via justitiæ tuæ. A quibus ne aliquando patiar vera opprobria, *Dirige in conspectu tuo*, qui non falleris, *viam meam*, conversationem meam, ut non sit torta, sed in via rectitudinis directa.

Aliqui libri habent : *Dirige in conspectu* meo *viam tuam*, id est : *dirige in conspectu* meo, in mea conscientia, ubi vituperatores mei non vident *viam tuam*, dilectionem veram, per quam venis ad homines juxta promissum tuum, quo dicis : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (*Joan.* xiv, 23). » Ita *deduc me in justitia tua*, et *dirige in conspectu tuo viam meam*, vel *in conspectu* meo *viam* tuam. Et si hoc non facis, eo quod amicus meus sis, tamen propter improbitates inimicorum meorum, et tuorum, *propter inimicos meos* hoc facere non differas, neque deducere, ac dirigere non desistas attendendo maledictiones, et detractiones eorum iniquas, et falsas.

Vers. 10. *Quoniam non est in ore eorum veritas.* Nolunt loqui bona de me, quæ sciunt vera, et loquuntur mala, quæ nesciunt vera. Et hoc non mirum, quod in ore habent *mendacium*, quia *Cor eorum vanum*, id est, terrenum *est*, sub sole est, sub quo « vanitas vanitatum » (*Eccle.* i, 2) est, et non in « sole justitiæ, » in quo « fulgebunt justi sicut sol (*Matth.* xiii, 43), » quorum *cor* non *est vanum*, sed omnino cœleste, sapiens non ea, quæ sub sole sunt, sed quæ sursum sunt, ubi Christus est « sol justitiæ in dextera Dei Patris (*Colos.* iii, 1 ; *Malach.* iv, 2). » *In ore* ipsorum *non est veritas*, in *corde* illorum *est* vanitas. Quid dicam de gutture, quod est in oris et cordis medietate?

Vers. 11. *Sepulcrum patens est guttur eorum.* Quia et voraces sunt, « quorum Deus venter est (*Philip.* iii, 19) : » et fœtor mortis exhalat inde, cum propter voracitatem adulatores effecti *linguis suis dolose agebant*. *Agebant* nimirum dolose non solo vocis molimine, sed actione dolum intendunt.

Judica illos, Deus. Non opto illis damnationis judicium, sed prævidens illud futurum prædico. Non opto ; vel etiam orans dico : *Judica illos Deus* in præsenti ad salutem. *Judica*, et discerne *illos* de gente non sancta.

Decidant a cogitationibus suis, propria conscientia eos accusante, propriis *cogitationibus* suis eos arguentibus. Vel decidant *a cogitationibus suis*, ut mala, quæ cogitant, ad effectus malitiæ perducere non valeant.

Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te, Domine. Tu *secundum multitudinem impietatum* suarum expulisti quondam Judæos ab hæreditate pervasa tollens eis regnum, et sacerdotium, et locum, et gentem propter sanguinem prophetarum, et tuum quoque sanguinem, de quo dixerant : « Sanguis ejus super nos, et super filios nostros (*Matth.* xxvii, 25). » Unde justo judicio tuo venit super eos « omnis sanguis justus a sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ (*Matth.* xxiii, 35), » ut merito *expellerentur* a pervasa, et injuste possessa hæreditate, dum abuterentur judiciaria potestate : de qua sunt expulsi, ut jam sedeant sine rege, sine sacerdote, ut scriptum est in Osea, sine templo, sine sacrificio (*Ose.* iii, 4). Tu *secundum multitudinem impietatum* suarum expulisti quondam de templo manufacto Heliodorum a Seleuco rege Asiæ missum ad spoliandum ærarium (*II Machab.* v, 18) : hunc ab angelicis ministris flagellatum cum suis satellitibus de sanctuario tuo manufacto ejecisti exauditis precibus Oniæ sacerdotis. Et ecce, plusquam Onias hic. Et Heliodorum quidem alienigenam gentilitatis errore involutum, ac proinde utcunque per ignorantiam excusabilem breviter flagellasti, ac postea sanasti per Oniæ sacerdotis intercessionem. Sed Oziam regem Juda temerario ausu in sanctuario Domini thurificantem percussisti lepræ insanabili plaga, propterea quod cum rex esset, officio sacerdotum, quod ei non licuit, se præsumptuose ingessit. Ob hoc igitur percussus lepra in fronte ab Azaria pontifice a sanctuario Dei ejectus, etiam regni administratione privatus habitavit seorsum juxta legem leprosorum (*II Paral.* xxvi, 20). Et ecce plusquam Azarias hic. Filios Aaron Nadab et Abiu offerentes in sanctuario ignem alienum, et ob hoc ultione divina interfectos exportari fecit Moyses de sanctuario (*Levit.* x, 4). Et ecce plus quam Moyses hic. Etenim tu, magne pontifex Jesu, tu sacerdos magnus, qui « in tempore iracundiæ factus es reconciliatio (*Eccli.* xliv, 17), » præsentialiter habitas in templo tuo, in sanctuario tuo, quod est universalis Ecclesia toto terrarum orbe diffusa ; et coram tuis oculis cuncta cernentibus multi spoliant sanctuarium auferentes inde victualia pauperum tuorum multo nequius quam Heliodorus. Multi laici, ac laicæ conversationis homines, et laicali etiam communione indigni, sive litterati, sive illitterati altaris ministerio se applicant multo præsumptuosius, quam Ozias rex Juda. Multi etiam de filiis Aaron, de tribu Levitica, cui non est possessio in terris concessa, quia vivere debent sub regula apostolica, maxime, qui eam sunt professi, tamen cupiditatis mundanæ ignem portant in suorum cordium thuribulis, aut, quod pejus est, ignem turpissimæ libidinis, et sic accedunt altare, audentes tractare Sanctum san-

Digitized by Google

ctorum, cum sint ipsi ministri turpitudinum. Quid ergo his, eorumque similibus est optandum a nobis, nisi ut *decidant* non solum ab actionibus, sed et *a cogitationibus suis* per humilitatem vere pœnitentem.

Si autem ipsi voluntarie obstinati, semperque resistentes Spiritui sancto nolunt emendari, tu Domine Jesu, qui majores Moyse, ac sanctis omnibus, facto de resticulis flagello, *secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos* de sanctuario tuo, de sancta *hæreditate* principatus ecclesiastici. «Ejice ancillam (*Gen.* XXI, 10),» et filios ejus, ut solius liberæ, ac filiorum ejus cognoscatur *hæreditas* esse, de qua in titulo psalmi hujus est mentio, circa quam etiam totius psalmi hujus versatur intentio. *Expelle eos*, non quoniam peccaverunt, quod est humanum, sed *quoniam irritaverunt te*, Domine, peccata sua pertinaciter amando ac defendendo, aliosque ad peccandum perniciose animando, quod omnino diabolicum est.

Alia translatio habet : *Amaricaverunt te, Domine*, quod est peccatum gravissimum. Cum enim tu sis panis de cœlo descendens, dulcis, et habens omne delectamentum, omnemque saporem suavitatis, tamen ipsi *te amaricaverunt :* quia comedentes peccatorum uvam acerbam, dentes suos ita stupidos fecerunt, ut tua dulcedo sit eis amara. Item cum tu sis lux æterna serenis animorum oculis jucunda, ipsi *te* sibi *amaricaverunt*, quando lippitudinem peccatorum per obstinatam pertinaciam sibimetipsis irremediabilem fecerunt. Tu ergo potentiæ, sapientiæ, ac benignitatis tuæ radios expandendo a summo cœlorum usque ad hæc infima terrenorum perlustranda fulgore tuo illos voluntarie, atque obstinate lippientes «expelle in tenebras exteriores,» ubi sit eis «fletus, et stridor dentium (*Matth.* XXV, 30)» secundum multitudinem impietatum eorum, in quibus impietatibus *irritaverunt*, vel *amaricaverunt te, Domine*. Hoc tamen optamus, ut eis expulsis in tenebras exteriores, ubi est fletus, etiam in hac vita excommunicatis et flentibus peccata sua sit hic expulsio et fletus pœnitentialis, ne in inferno sit pœnalis.

VERS. 12. *Et lætentur omnes, qui sperant in te, Domine*. Post retributionem malorum de adepta hæreditate supponit, quæ est præmium bonorum, ut sicut pœna terret, præmia invitent, quasi dicatur. Illi *decidant*, et humilientur, aut si humiliari nolunt, expellantur. Econtra *lætentur omnes, qui sperant in te. Lætentur*, inquam, non in affluentia temporalium divitiarum, quibus etsi affluant, non est cor apponendum : *sed lætentur in æternum, qui sperant in æternum* solo æternorum desiderio flagrantes. Hæc lætitia sine dubio eis est futura, et permansura in gaudio mentium, quod eis erit ita copiosum, ut etiam in corporibus eorum ad incorruptionis beatitudinem translatis perficiatur exsultatio, quia *in æternum exsultabunt*. Et hoc inde : quoniam *habitabis in eis* tanquam in templo ; et inde, quia te totius exsultationis fontem in se habebunt, erit eis æterna non solum exsultatio, sed et in ipsa exsultatione corporis, et in lætitia cordis erit eis jucunda et secura gloriatio, propterea, quia gaudium eorum nemo tollet ab eis.

Et inde cum magna securitate *gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum*. Hoc scilicet *nomen tuum*, quo tu diceris eorum *hæreditas*. Gloriosum hoc *nomen* non tibi angelus, aut homo imposuit, sed tu ipse tibi hoc *nomen* posuisti, quando Moysi famulo tuo amica locutione dixisti : Filiis Levi non dabis *hæreditatem* in terra. «Ego enim ero hæreditas (*Num.* XVIII, 20)» eorum. In hoc igitur nomine, in hujus nominis veritate solida velut in fundo hæreditario spem suam collocantes modo, et rem tenentes in futuro *gloriabuntur in te omnes, qui diligunt* hoc *nomen tuum*, quo tu *Rex, et Deus* omnium fons inexhaustus beatitudinum diceris hæreditas eorum, in cujus æternis frugibus et fructibus vitæ, quæ nunc est, et futuræ beatitudo consistit, quoniam hæc «hæreditatis terra dedit fructum suum (*Psal.* LXXXIV, 14)» , sanctum videlicet Spiritum, qui et in præsenti vita gratis justificat, et in æterna gratis beatificat, gratiam pro gratia dans hæredibus, gratiæ filiis videlicet illius, *quæ hæreditatem* consequetur, quando et injustus, qui dixit, «ut delinquat in semetipso (*Psal.* XXXV, 2),» maledicetur dicente talibus judice : «Ite, maledicti, in ignem æternum :» et justus gratis per gratiam justificatus benedicetur eodem judice dicente : «Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi (*Matth.* XXV, 34).» Tunc, ut supra dictum est, in illo judicio, in illa æternæ claritatis aurora, in illo *Mane astabo tibi, rex meus, et Deus meus, et* tunc *videbo : quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*. Nec tibi placet injustos principari super justos.

VERS. 13. *Quoniam* illic maledices injusto, et *benedices justo* ex fide potius veritatis, quam ex operibus legis justificato, atque ut justificaretur gratuita voluntate, voluntate tuæ bonitatis adjuto, quæ illum, antequam justificaretur, misericordia præveniente prædestinavit, vocavit, et postquam illa operante justificatus est, misericordia subsequente ita custodivit, atque undique munivit, ut esset illi ipsa voluntas tua bona scutum, et corona : Scutum in pugna, corona de victoria. Igitur prædestinatricis, vocatricis, justificatricis, ac magnificatricis gratiæ filii dicant in æterna gratiarum actione : *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Corona enim circulus est floridus, aut aureus in idipsum reductus, in quo principium fini conjungitur, ut quod longum erat, rotundetur, et corona consummetur. Sed in litterali sensu corona non est scutum : in spirituali autem sensu versiculi hujus scutum, et corona idem esse intelligitur, cum dicitur : *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.*

Ex quo animadvertimus, quam invictus in suo proposito est omnipotens Deus, qui secundum propositum *voluntatis* suæ naturaliter *bona* salutem

Digitized by Google

electorum ab æterna prædestinatione inchoavit, eosque vocando, justificando, ac magnificando quasi longam lineam floribus virtutum texuit, aut ex auro charitatis geminæ fabricavit, nec ante desistit ab opere, quam æternitati prædestinationis æternitatem conjugat beatitudinis electorum, quod est cujusdam longitudinis circumductio in idipsum, ut primo jungatur extremum. Nec fit distinctio, aut varietas inter primum, et ultimum : « Quos enim præscivit, hos » et non alios « prædestinavit conformes fieri imaginis Filii. Quos autem prædestinavit, hos » omnes licet non solos « vocavit : *Quos* autem *vocavit, hos,* » etsi non omnes, tamen solos, et non alios « *justificavit. Et quos justificavit, hos* » et solos, et omnes, ac non alios « *magnificavit* (*Rom.* VIII, 29), » non aliter, quam æternaliter prædestinavit, ut sicut prædestinatum fuit ab æterno, ita et magnificatio, seu beatificatio electorum permaneat in æternum, sitque una et eadem æternitas, una et eadem æternitatis bonitas non solum causale ac primordiale principium, sed et finalis consummatio beatitudinis electorum, ut omnino æterna sit corona eorum ab æterno inchoata, et consummata in æternum per longum vocationis, et justificationis ambitum circumflexa, et tandem indissolubili æternitatis nodo in idipsum contexta.

Hæc est armilla divinæ operationis, qua perforata est maxilla Leviathan (*Job* XL, 21). Hic est indissolubilis circulus positus in naribus ejus, quo ligatus trahitur ille fatuus, ut, velit nolit, imo penitus nolens, tamen indefessus cooperetur etiam ipse beatorum testificationibus, volens quidem eos impedire, sed, ut diximus, nolens cogitur eis in salutem servire. Malleus ipse, ac faber universæ terræ, per quem fabricatur corona electorum, quæ corona sine dubio per ipsum fabrum, sive malleum destrueretur, ac dissiparetur, nisi quod ipsa corona *bonæ* Dei *voluntatis* nunc protegit electos, ut scutum inter bella tentationum, coronandos tandem post bella omnium periculorum. Per hoc igitur inexpugnabile *scutum* liberati ac defensi, per hanc indissipabilem coronam laureati omnes, « qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones (*Hebr.* XI, 33), » persolvant in æternum æternas gratiarum actiones dicendo liberatori suo : *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.*

Nos quoque peccatores inter pericula tentationum eodem *scuto* indigentes, eamdem coronam ex divina promissione per bonam Dei voluntatem expetentes, licet in nobis timore, ac tremore pavescamus; A tamen sanctis jam coronatis in eorum præcipue natalitiis congaudeamus, eorumque triumpho congratulantes dicamus : *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eos, Domine.* In festo etiam unius martyris, vel confessoris congratulantes illi dicamus : (35) *Lætentur omnes, qui sperant in te, Domine, quoniam tu* benedixisti *justo, scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eum.* Non me derideat quisquam lecturus ista, quasi cantilenarum levitatibus intentum. Ego enim hæc non scribo seu legenda ingero austeris, ac doctis magistris, qui vocantur ab hominibus Rabbi, sed mihi famelico, meisque similibus maxime hoc ipsum opus petentibus, aut legere dignantibus in pascuis uberrimis pastoris David conquiro pastum, etiam in sapore antiphonarum de B Psalmis excerptum, seu etiam responsoriorum, et aliorum canticorum, quæ de Psalmis excerpta, ut sapiant jucundius et dulcius, nos illis musicæ suavitatis notulas interdum supernotamus, quoniam et ipse primus enuntiator Psalmorum pastor David musica suavitate per cantores, per psalterium jucundum cum cythara perque alia musica instrumenta verborum temperavit austeritatem : *In* fine hujus psalmi recommemorando principium, ubi trina præmittitur oratio in Trinitatis nomine. Trinitati eidem referimus gratias dicendo :

Gloria Patri cui dictum est : *Verba mea auribus percipe, Domine.* Gloria Filio, cui dictum est : *Intellige clamorem meum.* Gloria Spiritui sancto, cui dictum est : *Intende voci orationis meæ.* In hoc C autem *Gloria* est *Patri,* quod Verba orantis Ecclesiæ *auribus* percipit : quia licet sit antiquus dierum tamen clare audit multum dissimilis diis gentium, qui « aures habent, et non audiunt (*Psal.* CXIII, 6). In hoc est *Gloria Filio,* quod ipse, licet a Judæis homo nondum habens quinquaginta annos denegetur Abraham vidisse, visusque fuerit insanire dicens : Ante Abraham ego sum (*Joan.* VIII, 57); tamen ipse clamorem intelligit Ecclesiæ, qui clamor cœpit a sanguine Abel clamantis de terra, et durat usque ad illud *mane,* est quo dicitur : *Mane astabo tibi. Gloria* sancti Spiritus est, quod ipse intendit *voci* orantis Ecclesiæ, quæ dicit : *Mane exaudies vocem meam.* In quo *mane* quis gloriabitur castum se ha- D bere cor? Clarescente namque judicii die cœlum, et terra pavebit. Nam et ipsæ « Virtutes cœlorum movebuntur (*Matth.* XXIV, 29). » Sequitur ergo sextus psalmus pœnitentialis, in quo prævenimus faciem judicis orando non solum pro nobismetipsis, verum etiam pro inimicis nostris.

(35) Huic versui additæ in codice sunt notulæ quædam antiquæ musicæ, quas utpote in aliis quoque codicibus passim obvias consulto prætermisimus.

PSALMUS VI.

Domine, ne in furore tuo arguas me. Titulus hujus psalmi est (VERS. 1):


IN FINEM, PSALMUS DAVID PRO OCTAVA.

Octava est adventus Domini, quem quidam ideo

Digitized by Google

dixerunt octavam, quia venturus est Dominus post septem millia annorum, ut aiunt; omnia sed nulli hoc tempus notum est. Potius dies judicii dicitur octavus, quia hujus mundi tempora septem dierum repetitione volvuntur. Ille autem dies octavus volubilitati septem dierum suppositus nullam habet varietatem : quia tunc omnia mutabilia certam accipient stabilitatem juxta illud : « Adhuc » semel, et « ego commovebo » non solum « terram, » sed et « cœlum, » dicit Dominus (*Agg.* II, 7). Quod capitulum versans Apostolus : « Cum, inquit, semel dicit, significat mobilium translationem tanquam factorum, ut maneant ea, quæ sunt immobilia (*Hebr.* XII, 27). »

« Itaque regnum immobile suscipientes (*Hebr.* XI, 27) » juxta consilium ejusdem apostoli præparemus nos in occursum illius diei, illius lucis octavæ, in qua regnum Dei apparebit immobile, cujus immobilitas pulchre per octonarium significatur, qui est primus numerus cubicus et solidus quadratus, quod notum est arithmeticis, et facile dignoscitur, si a binario ipse octonarius constituatur hoc modo : bis bini faciunt quaduraturam talem  qualis in quatuor punctis conspicitur. Dicamus ergo bis bini bis, aut quatuor punctis in plano substratis alia quatuor supposita intelligantur, per quem in modum tesseræ quatuor latera, et octo anguli figurantur æqualis dimensionis, in qua non sit latus aliud alio brevius, aut longius; quia numerus iste octonarius per binarium est undique solidus, et quadratus. Et hæc ipsa quadratura solida, et perfecta in aliis multis numeris occurrit. Verbi gratia in millenario, quia decies decem talis est quadratura, qualis in hac figura (36) conspicitur.



Sed in latere marginali distinctius apparet, quomodo per decies decem quadratura formatur, cui ex omni latere denarius adaptatur. Huic tali quadratæ figuræ, si adhuc decies aliæ tales tam latæ supponantur, quod in pictura demonstrari non potest, ita ut dicatur decies decem, decies millenarius perficitur, qui denarius quadratus æquilater numerus cubicus, et solidus invenitur. Sed hæc talis tam solida quadratura, cum sit in multis numeris, primitus occurrit in octonario : quia hic primus per binarium formatus æquilater numerus, ut demonstratum est, cubicus quadratus, et solidus invenitur. Hujusmodi autem quadratum corpus non est volubile, sed firmiter cubat in quolibet suo latere. Unde hic numerus et cubicus, et æquilater dicitur, per cujus involubilitatem perfectio resurrectionis exprimitur, quæ die octava post septimanam passionis Dominicæ in corpore Christi, et his, qui cum eo surrexerunt, peracta est, et post omnem septimanam nostræ passionis, quæ est omne tempus volubile per septem dies in nobis, imo et in omnibus Christi membris est perficienda. In qua omnis animarum, et corporum natura in Christo resurgentium, et illi occurrentium in virum perfectum solidabitur in octonarium ulterius non volubilem, sed omnino cubicum, et æquilaterem. Dicuntur enim numeri æquilateres, qui ex omni latere sunt æquales, ut bis bini bis, id est, octo.

Aliquorum vero numerorum est parte altera longior forma : ut bis bini ter, id est, sex. Talis tam in æqualis formæ sumus in hac septem dierum volubilitate, in qua « omnis creatura » sex diebus facta « ingemiscit; et parturit usque adhuc. Non solum autem illa, sed et nos ipsi (*Rom.* VIII, 22, 23), » « ait Apostolus, primitias spiritus habentes, et ipsi intra nos gemimus redemptionem corporis nostri exspectantes, quoniam et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei (*ibid.*, 21). » Hæc est autem gloria Christi membris promissa, ut sint sicut angeli Dei post resurrectionem et immutationem : « Omnes enim resurgemus, sed non omnes immutabimur. (*I Cor.* XV, 51.) » Mortui quidem omnes resurgent incorrupti, hoc est, in omnibus membris suis integri, sed non omnes immutabuntur : quia soli electi, quia in hac vita sunt ab infidelitate ad fidei fidelitatem, a malignitate ad benignitatem permutati, tunc mutabuntur ad immutabilem, beatitudinis æternæ stabilitatem et immobilitatem, in qua corporis et animæ in unum compacta natura, cujus nunc est parte altera longior forma, quia infirmior est caro, quam anima, et in ipsis electis, in quibus etsi Spiritus promptus est, caro tamen est infirma, ipsa, inquam, corporis et animæ natura tunc erit omnino solida, et quasi cubica nulli deinceps volubilitati obnoxia : quoniam caro tunc non minus erit impassibilis et incorruptibilis, quam anima, cum non dimidia, sed tota creatura humana in electis liberabitur a servitute corruptionis et tota nobilitabitur in *libertate gloriæ filiorum Dei.*

« Et nos, » ait Apostolus, « immutabimur (*I*

(36) Omisso minutiori schemate, posteriorem ex margine in ipsum contextum intulimus.

Digitized by Google

Cor. xv, 51). » Quomodo ? certe per octo graduum ascensum, quibus ascenditur in ædificium Ezechieli demonstratum. Qui sunt illi octo gradus? Gradus nimirum octo beatitudinum : Quoniam « beati pauperes spiritu » habebunt « regnum cœlorum. Beati mites, possidebunt terram (*Matth.* v, 3 et 4) » paradisiacam, et plusquam paradisiacam, quando fiet « voluntas Dei sicut in cœlo, et in terra (*Matth.* vi, 11). » Beati lugentes, tunc plane consolabuntur. Beati esurientes et sitientes justitiam, justitiæ dulcedine tunc saturabuntur. « Beati misericordes » tunc « misericordiam consequentur. Beati mundicordes » tunc Deum videbunt. Beati pacifici » tunc « filii Dei vocabuntur. Beati qui » nunc « persecutionem patiuntur propter justitiam (*Matth.* v, 8 et seqq.), » tunc in regno cœlorum coronabuntur « corona justitiæ, quam reddet illis Dominus in illa die justus judex (*II Tim.* iv, 8), » qui eos in illa die octava circumcidet non manu facta circumcisione auferens ab eis præputium totius corruptionis, a quibus hic ablata est per baptismum vel aliud remedium corruptio iniquitatis. Hanc circumcisionem die octava, die novissima consummanda præfiguravit illa dies octava, in qua lex præcepit filios Israel masculos suos circumcidere. In hac die octava caro Christi, et cum eo resurgentium est ab omni corruptione circumcisa et purgata, quod ipsum exspectatur futurum in tota Ecclesia, quæ per octo gradus provecta, et hic circumcisa persecutionis cultro in gradu octavo, tunc erit amplius circumcidenda, et purganda id die octavo, quando electis erit corporum suorum non solum de morte resurrectio, sed etiam de mortalitatis corruptione plena immutatio, quasi plena circumcisio.

Adhuc aliter octo graduum erit ascensus, quia natura humana quinque limitibus distincta est. Habet enim esse cum lapidibus et aliis corporibus vitalis vigoris expertibus ; habet vivere cum arboribus et cæteris vigorem crescendi habentibus : habet et sentire cum animalibus ; habet ratiocinari supra irrationabilia animalia sub angelis ; habet agnitam veritatem intelligere cum angelis. Illis quinque limitibus quasi quibusdam gradibus natura humana in resurrectione provehetur, quia cum immutabuntur electi, corpus naturale absorbebitur a vita, non, ut non sit, sed, ut vita sua inferius aut infirmius non sit. Cum quod « seminatum fuit animale, surget spirituale, » quod « seminatum est in infirmitate, surget in virtute (*I Cor.* xv, 43 et 44). » Similiter ipsa corporis vita in suum superius glorificabitur, videlicet in sensum non jam animalem, sed omnino spiritualem. Sensus autem tunc spiritualis, non tunc erit sub ratione, uti nunc est ipse sensus quinquepartitus aliquoties rationi contrarius, ita ut ei sapiat interdum aliquid voluptuosum rationi penitus insipidum et contrarium : sicut rationi pro veritate sapit martyrium vel quodlibet atrox tormentum, quod penitus horret infirmitas quinque sensuum. Tunc autem inter sensum et rationem tanta erit sentiendi et consentiendi unio in electis, cum totus homo erit spiritus vel spiritualis, ut nulla unquam interveniat contrarietas, vel diversitas, quoniam in tota natura humana regnabit unitas ; cum impletum fuerit, quod Christus oravit pro electis videlicet, ut sint « consummati in unum (*Joan.* xvii, 23). » Quod ut perficiatur parum est corpus vitæ, vitam sensui, sensum rationi adunari, nisi humana ratio angelorum sanctorum adjuvetur intellectu, ut sint sicut angeli Dei homines beati, nullumque sit ultra divortium inter angelicum et humanum de veritate intellectum.

Istis quinque ascensionum gradibus, quibus agitur, ut sit homo totus angelicus, hoc sine dubio adjicietur, quod Veritas promisit dicens : « Erunt omnes docibiles Dei (*Joan.* vi, 45), » nam « Spiritus veritatis docebit » eos « omnem veritatem (*Joan.* xvi, 13), » et Filius manifestabit seipsum dilectis, et Pater diliget eos. Atque hoc erit eis illuminari die octava, cum quinquepartita humana natura Trinitatis manifesta visione beatificabitur : quia Spiritus sanctus docens omnem veritatem introducet ad Filii (qui est veritas) visionem, Filius manifestando seipsum, in semetipso manifestabit et Patrem ; quoniam ipse in Patre, ac Pater in ipso est. Igitur naturæ humanæ quinque distinctis limitibus, quasi quinque virginibus sapientibus intromissis ad jucundam visionem trium Personarum tenetur dies octavus, quia quinque ac tres octo sunt, quanquam tres Deitatis Personæ unum sint. Imo et illæ quinque virgines introibunt ad nuptias, et erunt una sponsa sponso Christo ita conjuncta, ut sint duo non solum in carne una, sed et in uno spiritu : quoniam « qui adhæret Domino, » ait Apostolus, « unus Spiritus est (*I Cor.* vi, 17). »

Istarum nuptiarum janua claudetur fatuis quinque virginibus, quia impiorum neque intellectus, neque ratio, neque sensus, neque vita, neque corpus admittetur intra nuptiales delicias, quarum præparatoria est vera charitas, quæ significatur per oleum. Quia sicut oleum supernatat cunctis liquoribus, ita charitas antefertur cunctis virtutibus. « Nam si linguis hominum loquar, et angelorum, » ait Apostolus, « charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens, et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et habuero omnem fidem, ita ut montes transferam ; charitatem autem non habuero, nihil sum ; et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest (*I Cor.* xiii, 1, 2, 3, 4). » Ac ne quisquam fallatur, ne aliqua fatua virgo putans habere se oleum charitatis in vase cordis sui ; manifesta ponit Apostolus indicia, quibus agnosci potest charitas vera et sincera et non ficta. « Charitas, » ait, « patiens est, benigna est (*I Cor.* xiii, 4 et seqq.). » *Patiens* videlicet inter adversa, quæ patitur a malis ;

Digitized by Google

benigna est ad reddendum bona pro malis, etiam ipsis malis et inimicis. *Charitas non æmulatur*, id est, non invidet bonis alterius, *non* de sua felicitate *inflatur, non agit perperam*, id est perverse contra judicium propriæ conscientiæ. *Non est ambitiosa*, id est aliis præponi non desiderat. *Non quærit, quæ sua sunt*, quia communia propriis, non propria communibus anteponit. *Non irritatur, non cogitat malum*, fortis scilicet non solum ad non vindicandas, sed etiam ad non commemorandas injurias suas. *Non gaudet super iniquitatem* alterius, *congaudet autem veritati*, id est justitiæ. Pro qua veritate, sive justitia si mala temporalia ingruunt, *omnia suffert*, et quamvis non omnia Spiritui credat, tamen probatum habens aliquem spiritum, quod ex Deo sit, eidem de Scripturis loquenti *omnia credit*, et de futuris promittenti promissa *omnia sperat*, quæ si differuntur, *omnia sustinet. Charitas nunquam excidet* : quoniam « aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, neque flumina obruent illam (*Cant.* VIII, 7), » quia nunquam vertetur in odium, quod per veram charitatem fuit aliquando dilectum.

Talis charitas est oleum illud evangelicum, per quod lampades ardent in præsenti vita, et multo magis in adventu sponsi, qui tum quinque virgines introducet in illud nuptiale trichinium, ubi architriclinus est unus ac trinus Deus, ubi trium personarum una est ipse sponsus, ibi tribus dilectione mediante adunatis cum quinque perficietur ille octonarius perfectus cubicus et solidus quadratus, ab omni volubilitate alienus, cujus in consideratione dies resurrectionis omnium, et beatificationis non omnium virginum, sed quinque solummodo sapientum charitatis oleo abundantium dicitur dies octava.

Sed quia tunc non solum hoc habet multum dulcedinis, quod dicitur : « Intraverunt cum eo ad nuptias, etc. (*Matth.* XXV, 10), » sed hoc habet multum terroris et amaritudinis, quod dicitur : *Clausa est janua*, et quod dicitur fatuis virginibus : *Nescio vos* ; pro ipsa die octava sollicitus David pœnitens, ut quilibet homo timens ut David, cantabiles habet justificationes hujus psalmi pœnitentialis, ut a quinario fatuarum virginum non resideat, sed usque ad octonarium sapientum pertingat, quo nullus pertinget, nisi aut per veram innocentiam ut infantes baptizati, qui in innocentia moriuntur, aut per veram pœnitentiam, de qua in septem psalmis pœnitentialibus agitur, quorum iste psalmus est primus intitulatus pro die octava, quæ fortasse propter jam dictas rationes dicitur octava. Vel sicut quidam hujus psalmi tractatores volunt, ideo dicitur octava, quia superponitur septenario pertinenti ad corpus, et ad animam hoc modo : Duæ vitæ sunt, una pertinet ad corpus, ad veterem scilicet hominem, cui et Vetus Testamentum datum est, in quo regnavit mors; altera pertinet ad animam in Christo innovatam. Ad corpus autem pertinet quaternarius, quia et ex quatuor constat elementis, et quatuor afficitur qualitatibus, sicca, humida, calida, frigida et quatuor ministratur temporibus, verno, æstate, autumno, hieme. Ad animam vero pertinet ternarius, scilicet diligere Deum ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota virtute. Peractis igitur his, quæ ad corpus pertinent, actionem et exercitium animæ per trinam dilectionem quasi septenario numero veniet octavus dies judicii, ubi cuique pro meritis reddetur. Unde timens David, id est quilibet pœnitens, vel tota Ecclesia semetipsam exercens in pœnitentia, sicut pœnitens David orat in hoc psalmo, qui intitulatur *Psalmus*, quoniam ad bene operandum invitat; et attribuitur David, id est, pœnitenti Ecclesiæ tendenti in finem, id est in Christum, qui est « *Principium et finis* (*Apoc.* I, 8), » id est, inchoatio et consummatio ad justitiam omni credenti, et justam sollicitudinem habenti pro octava, quam timet, id est, pro die judicii.

Est autem iste psalmus primus pœnitentialium psalmorum, qui sunt septem propterea, quoniam potest deleri per pœnitentiam veram, quidquid delinquitur in sæculi septimana, quæ septem diebus volvitur, in qua etiam labor pœnitentium durat; et propterea cum septem sunt præcipue modi remissionis propositi, scilicet primo baptismus; secundo martyrium; tertio eleemosyna; quarto, quod aliis peccata dimittimus; quinto, quod cæteros ab errore convertimus; sexto gemitus pro peccatis; septimo communio corporis et sanguinis Domini. Agitur autem hic de pœnitente, et loquitur Ecclesia in persona peccatoris gravibus peccatis implicati, ut nullus de misericordia desperet, si pœnituerit. Secundum vero formam omnium pœnitentialium incipit ab amaritudine pœnitentiæ, et finit in certitudine veniæ. Primo est exordium in quo captat benevolentiam. Ut autem sciatur quod sit exordium, quod habemus in multis initiis psalmorum, de distinctionibus rhetoricæ orationis aliquid dicendum est.

Nam licet rhetorica sæcularis scientia sit, tamen ipsa cum cæteris liberalibus artibus velut quædam famula dominam suam, divinam videlicet sapientiam in sanctis Scripturis ita comitatur, ut siquis eam animadvertere voluerit, et potuerit, omnes rhetoricos colores in ea invenire possit. Similiter cæteræ artes liberales, grammatica, dialectica, arithmetica, musica, astronomia, geometria, sive practicæ, id est activæ laboranti collaborant quasi ancillares famulæ, sive theoriæ, id est divinæ contemplationi solemnizanti et vacanti assident quasi honestæ pedissequæ. Quod quia de singulis artibus ostendere ad præsens non vacat; nunc de rhetorica oratione pauca dicamus, cujus multas proprietates in psalmis habemus.

Rhetoricæ orationis sex partes sunt : Exordium, narratio, partitio, confirmatio, confutatio, conclusio. Exordium est, ubi ante narrationem captatur

Digitized by Google

auditoris benevolentia, docilitas, attentio. Narratio est, ubi causa narratur, circa quam tota oratio versatur. Partitio est, ubi causa distinguitur in partes. Confirmatio est, ubi pars, quæ placet, confirmatur. Confutatio, ubi pars, quæ non placet, reprehenditur. Conclusio est artificiosus terminus orationis.

Dividitur autem exordium in principium et insinuationem. Principium est brevis captatio benevolentiæ vel attentionis. Insinuatio est longa per ambages circumducta captatio benevolentiæ, attentionis, vel docilitatis. Principio, id est brevi captatione utuntur prophetæ, cum narraturi præmittunt : *Hæc dicit Dominus.* Per hæc enim pauca verba redditur sensatus auditor, attentus et benevolus : quoniam attente ac libenter audiendum est quod propheta non de spiritu proprio, sed de Spiritu divino loquitur. Similiter diaconi Evangelicam narrationem pronuntiaturi cum præmittunt : « In illo tempore dixit Dominus Jesus discipulis suis (*Luc.* XI, 19), » benevolentiam et attentionem eorum breviter captant, qui audientes Evangelium cupiunt esse de numero discipulorum. Porro cum præmissæ captationi attentionis et benevolentiæ addunt : « parabolam, » vel « similitudinem hanc, » docilem reddunt auditorem ad subsequentem narrationem, ne, quod narratur, historice dictum seu factum credatur. Exemplum posuimus de principio, quo utendum est in illo causarum genere, cui auditor facile potest acquiescere.

Verum si auditoris animus ab acquiescendi facilitate videtur elongatus, insinuatio est necessaria, qua paulatim longa et morosa circumlocutione ipse animus auditoris præparetur ad recipiendam narrationis persuasionem. Quod cum in multis ostendi valeat, unum Evangelii capitulum ponamus pro exemplo, in quo plenaria invenitur distinctio sex partium rhetoricæ orationis quas præsignavimus.

« Rogabat Jesum quidam Pharisæus, ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit. Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti, et stans retro secus pedes ejus, lacrymis rigabat pedes ejus, et capillis suis tersit. Videns autem Pharisæus, qui vocaverat eum, ait intra se : Hic si esset propheta, sciret utique, quæ et qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est (*Luc.* VII, 36, et seqq.). »

Attendamus nunc Simonem auditorem, et Dominum nostrum Jesum Christum plusquam rhetoricum oratorem, qui cognoscens animum auditoris a misericordia, et compassione nimis alienum, antequam narrationem ingrederetur, præmisit exordium per insinuationem hoc modo : « Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait : Magister, dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori. Unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta. Non habentibus autem illis unde redderent, donavit utrique. Quis ergo eum plus diligit? Respondit : Æstimo quia is, cui plus donavit. Dicit illi : Recte judicasti (*I Luc.* VII, 41 et seqq.). »

Ecce quam longa insinuatio, quam longa indevoti auditoris præparatio! Quam statim sequitur narratio dicente Domino : *Vides hanc mulierem?* Præsentia quippe officiosæ ac pœnitentis mulieris erat materia circa quam versabatur tota hæc oratio, cujus jam audivimus membrum, quod dicitur exordium per longam insinuationem. Audivimus et membrum, quod intelligimus esse brevem narrationem. Audiamus nunc membrum, quod dicitur partitio, quæ sub antithetis posita est hoc modo :

« Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, et capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti, hæc autem, ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti, hæc autem unguento unxit pedes meos (*ibid.*, 44 et seqq.). »

Ecce quam cauta partitio, quam rationabilis distinctio! qua diligenter considerata, quid confutandum, quid confirmandum sit, facile dignoscitur. Unde statim confirmatio sequitur dicente oratore, interpellatore, et advocato pœnitentis mulieris.

« Propter quod dico tibi : Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum (*ibid.*, 47). »

Confutatio est, quod sequitur : « Cui autem minus dimittitur, minus diligit (*ibid.*, 48). » In qua confutatione hic sapiens et mansuetus orator parcit auditori, cujus partem confutat loquens de illo quasi de alio minus diligente, minusque indulgentiam quærente.

Tandem subjungitur conclusio, id est artificiosus terminus orationis, cum dicitur ad mulierem pœnitentem : « Fides tua te salvam fecit : vade in pace (*ibid.*, 50). » Fides etenim salvam eam fecit, quæ se a Salvatore salvari posse non dubitavit. Nonne tibi videtur hæc mulier, etsi non verbis, affectu tamen cordis, et effectu extrinsecæ obsequelæ psalmum pœnitentialem complevisse, præsertim cum *psalmus* ad operationem spectet, quia in psalterio decachordo digitorum sive manuum artificiosa moderatio facit psalmum? Quod autem fuit psalterium istius mulieris humillimæ sapienter psallentis, nisi ipse Christus? Tetigit namque bene psallens femina non solum exterius psalterium istud manibus, verum quod multo amplius profecit ad salutem, interius per fidem, credendo illum Salvatorem, qui posset salvare talem quoque peccatricem, quæ neque bonam conscientiam, neque bonam haberet famam. Talis est Ecclesia de gentibus collecta, talis est etiam peccator, seu peccatrix, cujus est polluta non solum conscientia, sed et fama. Quid igitur hujc restat, nisi ut ex intima fide ad Salvatorem confugiens dicat?

VERS. 2. *Domine, ne in furore tuo arguas me.*

Primo ponit exordium, in quo capiat benevolen-

Digitized by Google

tiam per potestatem Judicis, per infirmitatem suam, per consuetudinem parcendi : quia vult non a mortuis, sed a vivis rogari. Secundo narrat suas ærumnas, ut cognoscatur afflictus, ibi : « Laboravi (*Jer.* XLV, 3). » Tertio sequitur correctio, cum se sequestrat a malis ibi : « Discedite a me (*Matth.* XXV, 41). » Quarto jam liberatus exsultans orat pro inimicis, ut convertantur, ibi : *Erubescant.* Intentione vero incitat ad pœnitentiam. Clamat ergo : *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Ut ex Græco exemplari colligitur, furor et ira idem sunt. Unde et in Latinis exemplaribus de Græco translatis varie dicitur, alicubi prius furor, post ira, uti nos cantamus : alicubi prius *ira*, post furor, ut in Responsorio de Romanis exemplaribus tracto canimus : *Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me.* Est autem *ira* vel furor indignatio gravis, per quam futurum judicium accipitur. Unde in Propheta legitur : « Dies illa dies iræ (*Soph.* I, 15). Et Apostolus impœnitenti peccatori dicit : Tu « autem secundum duritiam tuam, et impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei (*Rom.* II, 5). » Item : « Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent (*Rom.* I, 17). »

Argui vero et corripi diversa sunt. Nam argui gravius est, quasi accusari, unde damnatio timetur. Corripi vero minus est, id est emendari, vel erudiri. Arguuntur autem in judicio, qui sunt sine charitatis fundamento : hi enim damnantur omnino. Corripiuntur vero, id est emendantur et purgantur, qui fundamentum quidem habuerunt, sed super illud ædificaverunt « ligna, fenum, stipulam (*I Cor.* III, 12), » quæ dum igne judiciali consumuntur, ipsi per ignem salvabuntur. Quidam namque habentes charitatem superædificant aurum sapientiæ in secreta cordis contemplatione : argentum vero eloquentiæ in proximorum ædificatione, ac lapides pretiosos in exemplorum fulgida exhibitione, dum quæ docent verbo, moribus et operibus ostendunt in exemplo. Istorum ædificium non habebit in igne detrimentum. Sunt autem, qui superædificant eidem charitatis fundamento stipulam sæcularium cogitationum, fenum sæcularium locutionum, ligna sæcularium, non tamen criminalium actionum. Et sicut ab igne cito consumitur lignum, citius fenum, citissime stipula, sic in igne purgatorio differenter, et dissimiliter puniuntur, et delebuntur facta, dicta, et cogitata mala purgabilia in his qui habent fundamentum charitatis. Nam his, qui hoc fundamento carent, ignis judicialis non erit ad purgationem, sed ad damnationem.

Peccator igitur pœnitens et sciens, quod « horrendum est incidere in manus Dei viventis (*Hebr.* X, 31), » non vult ibi neque argui ad damnationem, neque corripi ad emendationem. Unde orans dicit : *Domine, ne in furore tuo, et in ira tua,* id est in futuro judicio, ne *arguas*, id est convincas me damnandum : neque etiam, quod minus est, *corripias me* castigandum, quod minus est; sed potius hic sana, hic emplastrum gratiæ tuæ adhibe, hic medelam, quam nosti expedire, impende. Sana hic suavitatis et miserationis tuæ unctione, dum tempus est gratiæ, ne tunc damnandus, vel etiam sanandus inveniar dura ustione, dum tempus erit furoris et iræ : non quod in te sit furoris aut iræ ulla commotio, sed quod ipsa, quæ tunc erit ultio eam sustinentibus, ita erit insupportabilis, ac si procedat ex ira vel furore judicis. « Tu autem, » Domine, ait Sapiens, « in tranquillitate judicas, et cum magna reverentia disponis omnia (*Sap.* XII, 18.) »

Aliter : *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Furor etsi gravis, tamen in judice sensato brevis est commotio. Ira vero cum est justa in judice justo, erit longa, nisi cum eam breviat pœnitentia et misericordia. Potest ergo per furorem intelligi commotio judicis, quæ in die *octava* etsi gravis, tamen etiam brevis videbitur, quia sententia judicialis tunc sine mora quasi cum furore dabitur, cum impiis dicetur : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV, 41). » Ira vero ejusdem Judicis, per quam detinebuntur sine fine in æterno supplicio, idcirco erit longa, quia eam non breviabit ulla pœnitentia, vel misericordia : non quod impiorum tunc nulla sit pœnitentia, sed quia erit nimium tarda, et ideo minime fructuosa; non quod Judicis æterni non sit æterna misericordia, sed quod hæc eadem misericordia non immisericordibus, sed misericordibus erit impendenda, juxta illud : « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur (*Matth.* V, 7). » Idcirco dum tempus est pœnitentiæ fructuosæ, dicit pœnitens, octavam diem timens : *Domine, ne in furore tuo corripias me, neque in ira tua arguas me* per æterna supplicia, neque etiam, quod minus et brevius est, *in furore tuo corripias me*, in ipsa die octava dicendo mihi : « Serve male, et piger, quare pecuniam meam non dedisti (*Matth.* XXV, 26), » ad mensam; vel : « De ore tuo te judico, serve nequam; » vel : « Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum (*Matth.* XVIII, 33). » Antequam veniat illa dies octava, illa dies « iræ; » dies « furoris, dies calamitatis et miseriæ (*Soph.* I, 15). »

VERS. 3. *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum* pariter ex languore peccati, et ex languore miseriæ, quæ est pœna peccati. Unde quia multiplex et magna est mea infirmitas, multiplex et magna mihi necessaria est medicina, per quam saner non solum exterius in carne languida, sed etiam interius in ossibus, id est in ipsius animæ rationalis naturalibus viribus non parum. vel ex par-

Digitized by Google

te, sed in toto, et per totum conturbatis : *quoniam conturbata sunt* omnia *ossa mea*, id est vires ac virtutes animæ, ita ut non possit carnem regere sua rationali, id est ossea fortitudine, sed quasi caro mollescit ipsum robur animæ. Unde dico :

Vers. 4. *Et anima mea turbata est valde.* Ecce, confiteor! Ecce, vulnera ostendo tibi clementi et omnipotenti et sapienti Medico!

Sed tu Domine, qui per clementiam vis, per omnipotentiam potes, per sapientiam scis medicare ac sanare infirmos, *Usquequo* differs clamantem audire, infirmantem sanare? Innuit se hic pœnitens diu luctatum contra vitia, cum ei tam longa est medicinæ mora. Non est autem crudelitas dilatio Dei, sed ut persuadeat animæ, quod in magna mala se præcipitavit, nec breviter ac leviter orans exaudiri poterit. Nondum enim tam perfecte orat, ut ei Deus omnium exauditor dicat : Adhuc loquente te dicam, adsum. Orantem aliquantulum differt, ut cum exauditus fuerit, de cætero magis caveat sibi, et ut ostendatur quæ pœna sit non conversis, si tanta difficultas est conversis. Unde est illud : « Si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt (*I Petr.* IV, 18). »

Aliter : *Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea*, id est mens mea *conturbata* est ad pœnitentiam : et *anima mea*, id est etiam sensualitas *turbata est valde* reluctans consuetudini pravæ diu inolitæ, atque vix coaptando se disciplinæ multum insolitæ. *Et tu, Domine, usquequo?* Usquequo differs, quin sanes?

Vers. 5. *Convertere, Domine*, non differas, sed mihi converso *convertere* juxta illud : « Convertimini ad me, et ego convertar ad vos (*Zach.* I, 3). » Vel quia perfectæ conversioni nostræ semper est paratus, videtur dici *convertere*, id est : fac me inverti. Sentit enim convertendi difficultatem : unde ait : *et eripe animam meam* in conversione multis impeditam. Vel *convertere* a vindicta, et ita *eripe animam meam* ligatam peccatis, et dando virtutes *salvum me fac* non *propter* merita mea, quia justa est peccati damnatio, sed *propter misericordiam tuam.*

Vers. 6. *Quoniam non est in morte, qui memor sit tui.* Ideo hic festino per confessionem sanari : *quoniam post* mortem in terra oblivionis *non est, qui memor sit tui, Et in inferno* post judicium *quis confitebitur tibi?* Nullus. Nam ante judicium potuit dives *in inferno* sepultus aliqua luce videre Lazarum in requie, cujus comparatione coactus est confiteri sua mala; sed post judicium in profundioribus tenebris nullam Dei lucem videbunt, cui confiteantur. Vel mortem dicit contemptum divinæ legis eo quod ducit ad mortem : infernum vero cæcitatem animi, quæ post hujusmodi mortem ita eos involvit, ut dentur in reprobum sensum. Horum autem neuter confitetur. Ab his nititur liberari qui dicit :

Laboravi in gemitu meo. Gemit, dum videt quæ mala fecit, quæque pro his mala promeruit. Et tanquam parum profuerit gemitus absque lacrymis, addit : *Lavabo per singulas noctes lectum meum* plorans in lecto meo *per noctes.* Vel *lavabo lectum*, id est corpus *per singulas noctes, per singulas* iniquitates. Et si non possum dinumerare horas et momenta noctium, tamen summam confitebor iniquitatem *singularum.* Potest etiam dici lectus, in quo æger animus quiescit, voluptas carnis et delectatio sæculi quam lacrymis lavat, qui se ab illa conatur extrahere. *Lacrymis meis stratum meum rigabo. Stratum* est idem quod lectus. Vel potest dici *stratum* cumulus peccatorum, quasi de multo stramine congestus palearum. Unde hoc *stratum lacrymis* rigat, et rigando in stercus vertit, ut futuræ fertilitati proficiat. *Per noctes* vero, quæ, cum diebus alternantur, significat, quod quasi alternatim patitur *noctes*, cum carne servit legi peccati; et dies sentit, cum mente servit legi Dei. Ut ergo nox convertatur in diem, *per singulas noctes*, id est per singulos lapsus lavat lectum, id est conscientiam, in qua sani aliquando laboribus mundi lassati requiescunt; ægri autem in eodem lecto torquentur, sicut ille « puer, » de quo dictum est : « Jacet in domo paralyticus, et male torquetur (*Matth.* VIII, 6). » *Lavabo lectum* conscientiæ, atque *rigabo stratum*, id est sensualitatem. Hanc *rigabo* quasi hortum, ut resoluto lacrymarum imbre arida sensualitatis novam virtutum germinet messem.

Vers. 8. *Turbatus est a furore oculus meus.* Furor Dei fuit contra veterem hominem protoplastum usque adeo magnus, ut peccati ac pœnæ morbus ab illo posteris ejus sit factus hæreditarius excepto solo Christo, qui conceptus est de Spiritu sancto. Furor Dei est etiam in præsenti, cum dat peccatores in reprobum sensum : furor in futuro, cum puniet. Ab utroque *furore* dicit oculum turbatum; quasi dicat : *Lavabo lectum, rigabo stratum*, quia cum attendo quæ in primis parentibus fecisti, quæ etiam in futuro minaris, quæ etiam in præsenti facis, *oculus meus*, ratio mea, sive animus meus *turbatus est a furore* tuo, propter judicium, quod incipit hic, ubi sunt interiores tenebræ cum aliqua luce, ubi *est turbatus oculus*, non exstinctus. Tunc autem erunt impii in summa cæcitate, cum penitus extra Deum ubique præsentem sicut cæcus extra lucem sibi præsentem erunt, missi videlicet in tenebras exteriores. Nunc autem non cæcatus ex toto, sed *turbatus est oculus meus*, et ideo timeo, timensque refugio ad te illuminatorem meum, ne socier impiis omnino cæcandis, omnis lucis visione privandis, et in tenebras exteriores mittendis. Merito enim nunc *turbatus* majores pœnas timeo, quia *Inveteravi inter omnes inimicos meos. Inveteravi*, membrum veteris hominis factus : *inter inimicos meos*, id est vitia, dæmones, homines malos : et non tantum inter quosdam, sed *inter omnes* : quia omnibus consensi, ex omnibus vetustatem contraxi. Flebi-

Digitized by Google

lis narratio! Nunc autem, quia tantus pœnitentiæ labor non est inanis, ne quis de gravitate peccatorum desperet, exauditum se significans subdit :

Vers. 9. *Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem.* Correctus ab illis separat se, quorum collegio et societate peccavit. Vel est prophetia, quod ita in judicio, in die octavo, illis dicetur : *Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem.* Judice hoc dicente, consentiente quolibet justo et pœnitente.

Notandum, quod non dicit in illa die octava ; *qui* operati estis *iniquitatem*, sed *qui operamini*, quia videlicet iniquitas eorum non erit præterita, quam nulla delevit condigna pœnitentia. Unde in Evangelio etiam eos, qui in nomine suo prophetarunt, et virtutes multas fecerunt, sed absque pœnitentia peccatorum de hac vita recesserunt, ipse Judex pronuntiat in die octavo damnandos, et operarios iniquitatis nominandos. Si ergo illic censentur iniquitatis operarii, ubi ligatis manibus et pedibus, in tenebras exteriores missi ulterius non poterunt operari, et propter solam voluntatis malitiam tunc permanebunt a societate bonorum in æternum separati, non est mirum, si nunc impiis prava et turpia manifeste operantibus dicit homo per pœnitentiam justificatus : *Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem ;* tanquam dicat, nolo vestrarum amicitiarum societatem. Si non loco, tamen affectu fugio vestram iniquitatem : ne videamini mihi placere, si manens vobiscum non ostendam vos mihi displicere. Nolo immundum tangere per occultam iniquitatis consensionem : volo a societate malorum exire per aptam iniquitatis redargutionem. *Discedite a me :* nolo ultra socius vester esse, nolo pro iniquitatibus alienis damnari, cui Deus concessit a propriis per lacrymas lavari.

Quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei. Vocem dico intimam cordis compunctionem, qualis fuit in corde Mariæ flentis, et nihil dicentis ore, sed alte clamantis pia cordis compunctione : *Exaudivit Dominus deprecationem meam* pro auferendis a me peccatis, et *orationem meam* pro impetrandis virtutibus *suscepit*, quasi acceptabilem oblationem. Repetitio crebra ex affectu nimio procedit, quia pro exauditione gaudenti non sufficit semel dicere : *exaudivit Dominus vocem fletus mei*, sed addit:

Vers. 10. *Exaudivit Dominus deprecationem meam*, et adjungit : *Dominus orationem meam suscepit.* Ter ponit, *Dominus*, quia sanctam Trinitatem precibus suis adfuisse ostendit.

Exordium psalmi triste fuit, ubi sub timore furoris, et iræ benevolentiam judicis captavit. Narratio erat flebilis, ubi se *inter omnes inimicos* inveteratum narravit. Partitio cauta, ubi se ab impiorum societate separavit. Confirmatio rationabilis, ubi se indicans exauditum tertio eumdem sensum repetivit, ut trina repetitio esset non solum suæ exauditionis confirmatio, sed etiam devota gratiarum actio ad sanctam Trinitatem. Nunc tandem sequitur adversariæ partis confutatio, cum dicit :

Vers. 11. *Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei.* Prædicit, quod futurum sit inimicis, qui hic erubescere nolunt, qui conversos etiam irridebant et erubescere faciunt. Reddit ergo eis talionem, et dicit : *erubescant* in futuro de malis quæ fecerunt, qui non solum in se mala fecerunt, sed et in aliis bona irriserunt. *Conturbentur*, dicentes : « Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam. Ecce, quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est (*Sap.* v, 4). » *Conturbentur* non parum, sed *vehementer* sicut peccaverunt *vehementer* ex odio vehementi *omnes inimici mei*, qui volunt mala mihi. Hæc dicta sint ad confutationem adversariorum ex consensu divinæ justitiæ.

Verumtamen ego misericordiam consecutus ex intuitu miseriæ magis oro, ut antequam *erubescant et conturbentur* in divino judicio, quod erit in die octavo, dum tempus est miserendi, *convertantur* per veram pœnitentiam cordis contriti ad justitiam, *et erubescant* per veram confessionem oris ad salutem, sicut et ego conversus erubui. *Convertantur*, ne illuc eant quo tendebant, *et erubescant* recordatione malorum, ut per verecundiæ stimulum cogantur conversi redire ad Salvatorem, ne illum habeant judicem, et damnatorem in die octava, quæ veniet valde *velociter* super impios ad conversionem tardos : quia cum dixerint, pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus. Itaque oro in psalmi hujus postrema conclusione, ut antequam superveniat eis repentinus interitus, ipsi prius *convertantur*, et erubescant *valde velociter*. Talis oratio in fine psalmi posita est artificiosus terminus eorum, quæ præmissa sunt in exordio, narratione, partitione, confirmatione, confutatione. Unde quod hic in fine dictum est, jure tenemus pro totius psalmi conclusione, qua Judex quasi conclusus tenetur, ut sic pro inimicorum salute oranti sit propitius, qui nunquam damnare potest eum qui pro ipso diligit inimicos, et libenter exorat pro adversantibus et calumniantibus, et libenter benefacit his qui oderunt eum.

Gloria Patri Domino, qui *exaudivit vocem fletus mei. Gloria Filio* Domino, qui *exaudivit deprecationem meam, Gloria Spiritui sancto* Domino, qui orationem meam suscepit.

PSALMUS VII.

Domine, Deus meus, in te speravi. Septimo psalmo reditur ad caput, id est ad fidei nostræ principium, ad Christi passionem, orantis in eadem passione per quam nos salvari credimus. Intentio namque

Digitized by Google

Prophetæ est in hoc psalmo introducere Christum secundum humanam naturam Verbo sibi unito loquentem et orantem, ut liberet illum, nequando prævaleant ei maligni, et ut a morte resuscitet illum; et deinde ostendentem sub quadam concessione improborum damnationem, et justorum gloriam ex resurrectione sua proventuram, et etiam ex ipsis malignantibus posse quosdam consequi veniam, si conversi agerent pœnitentiam

Titulus hujus psalmi est (VERS. 1) :

IN FINEM PSALMUS DAVID, QUEM CANTAVIT DOMINO PRO VERBIS CHUSI FILII JEMINI.

De sensu tituli hujus magni Patres dissentiunt. Nam beatus Augustinus, cui consensit Cassiodorus, affirmat, in hoc titulo tangi historiam, quæ legitur in secundo libro Regum, ubi habemus manifeste nomen *Chusi*, qui cum David fugiens Absalonem filium suum de civitate exiret, consilio ipsius *David* cessit in partem Absalon, ut quæ filius moliretur in patrem, exploraret et renuntiaret. Dedit autem Achitophel hoc consilium, ut Absalon permitteret patrem suum improvisum occidi. Hoc autem mutatum est consilio *Chusi*, qui et consilium Achitophel infatuavit, et ipsi *David* secreto mandavit, ut de campestribus fugeret, et se suosque servaret. *Pro verbis* hujus *Chusi*, quibus et consilium Achitophel infatuavit, et quæ regi *David* mandavit, putant hunc psalmum cantandum a David, sub altiori tamen intellectu assignantes ad allegoriam, quæ dicta sunt secundum historiam.

Chusi enim interpretatur *silentium;* Jemini, *dextera;* Architophel, *ruina fratris;* Absalon, *patris pax.* Igitur ut mysticum sensum parumper tangamus, Absalon, quod interpretatur patris pax, Absalon, inquam, filius et hostis in mysterio est Judas apostolus et diabolus, falsa Patris et Magistri pax, quem osculo, pacis signo, tradidit, in quem Satanas introivit, cum esset unus de duodecim, sicut idem Satanas agitavit Absalonem contra patrem, cum esset patri dilectus. Proinde et pœna ipsius justitiæ amatorem multum delectat, quia judicio Dei mente captus se suspendit, in quo non jam mysterii profundum, sed ipsa rei gestæ superficies Judam et Absalon in pœna demonstrat esse pariles. Nam et iste pendens quercu, mula cui sedebat pertranseunte, desertus dignas protinus sagittas, id est æternæ mortis sententias in anima suscepit. Et ne parum putes, quod unus Absalon unius Judæ formam prætulerit, Achitophel quoque consiliarius ejus suo suspendio interiit, qui secundum sui nominis proprietatem fratris ruinam, id est mortem *David* meditatus in pravo consilio, infatuatus est, consilio salubri *Chusi*.

Chusi autem, quod interpretatur silentium, tam nomine quam facto significat apostolum Petrum. Sicut enim ille Chusi exterius adhæsit Absaloni, et visus est abnegare *David*, cujus tamen in corde amicus intimus fuit : sic apostolus Petrus malorum societati ad horam conjunctus Christum verum *David* negavit ore, cujus tamen amicus permansit in corde, quemadmodum a magnis Patribus ante nos dictum est. Constantia ipsius aliquantulum turbata, cum cœpisset mergi passionis Dominicæ tempestate sæviente, sed dextera divini respectus illum conservante, charitas Petri non excidit, quia Christus illi non venerat in odium vel in tædium, quanquam a confessione ipsius tenuerit silentium. Per hunc ergo alterum *Chusi*, videlicet per apostolum Petrum consilium Judæ ac Judæorum infatuatum est, quia Christi nomen, quod exstinguere voluerant, per ipsum dilatatum est, cooperantibus illi apostolis, qui etiam per nomen *Chusi* apte designantur, quia omnes, relicto Christo, fugientes et se discipulos ejus non profitentes, amicitiam et dilectionem ipsius in silentio tenuerunt. Et licet in silentio suo tacerent ab aperta Christi confessione, tamen verba orationis, et boni consilii erant in tacita resurrectionis exspectatione, quæ nimirum in corde Petri erat ferventior, postquam de negatione amare fleverat. Sane amare flentis Petri pœnitentia in psalmo præmisso non incongrue intelligitur expressa, quoniam et ipse oraverat pro octavo, pro die videlicet resurrectionis, ne Domino quem negaverat resurgente, ipse de negatione sua corriperetur, et argueretur in furore aut ira. Usque adeo vero suscepta est ejus pœnitentia, ut angelo resurrectionis teste illum specialiter nominante, ac Domino illi singulariter apparente, id est die octava, in die Dominica, omnis tristitia ejus in lætitiam fuerit conversa, quod et cæteris apostolis contigit, quibus ipse Christus in cœna sua dixerat : « Mundus » quidem « gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium (*Joan.* XVI, 20). » *Chusi* autem, sive Petrus apostolus, sive totus apostolorum cœtus intelligatur, ut assignatum est, bene dicitur filius *Jemini*, id est filius dexteræ, ne, propter fugam et silentium in passione putentur ad sinistram deputati esse.

Verumtamen quia iste *Chusi*, filius *Jemini* dicitur in titulo, et *Chusi*, de quo in historia Regum legitur, filius Arachi, non filius *Jemini* appellatur : beatus Hieronymus, cui consentit Remigius, magis asserit hunc psalmum prætitulatum nomine alterius *Chusi*, qui de tribu Benjamin fuisse intelligatur. Ait enim ipse beatus Hieronymus : Plerique eruditissimi viri arbitrantur hunc psalmum tunc esse cantatum, quando *Chusi* filius Arachi, amicus David. destruxit consilium Achitophel, et ad eum nuntios misit, ut de eremo fugeret. Verum sciendum est eos graviter errare. Primum, quod nomen *Chusi* ibi scriptum est per Samech, hic per Sin. Deinde quod ille filius Arachi dicitur, hic filius *Jemini*. Præterea *David*, qui præceperat Joab, et cæteris ducibus dicens : « Parcite puero Absalon (*II Reg.* XVIII, 12), » nunquam de morte filii loqueretur ita dicens : *Concepit dolorem, et peperit iniquitatem. Lacum aperuit, et effodit eum, et incidit in foveam, quam fecit*, maxime qui morte ejus audita ejulans clamavit : « Fili

Digitized by Google

mi, fili mi Absalon! » (*Ibid.*, 33.) Nec etiam hic vocaret leonem, quem ibi vocaverat puerum quasi ex ignorantia peccantem. Sciendum itaque *Chusi* interpretari *Æthiopem*, et totum psalmum contra Saul esse conscriptum, in cujus persona potest interpretari totus, qui propter tetros mores dicitur Æthiops. Qui et bene dicitur : Filius *Jemini*, qui fuisse de tribu Benjamin in libro Regum legitur ita : *Et erat vir de* tribu *Benjamin, et nomen ejus Cis, et* huic *filius :* nomen ejus *Saul* (*I Reg.* IX, 1). Per Semei quoque, qui erat de familia Saul, idem probatur, quem *David* vocat filium *Jemini*.

Mystice *Chusi* Æthiops significat *diabolum*. Nec est contrarium, quod dicitur filius *Jemini*, id est dexteræ. Creatus enim est Filius Dei, deinde vitio factus est Æthiops. Quod *Chusi* sit Æthiops, indicat aquila transferens : *pro verbis* Æthiopis. Ubi Symmachus *pro verbis Chusi*. Contra Æthiopem loquitur Christus ad Patrem, in quo consentit Augustinus. Ait enim : Potest et hic psalmus in persona Christi intelligi, si quæ humiliter dicta sunt, ad humilitatem nostram referantur. Quod autem ad ipsius Christi personam referatur, innuit etiam illud, quod in titulo legitur : *In finem* : « Finis enim Christus ad justitiam omni credenti (*Rom.* X, 4). » Cum ergo dicit : *In finem*, ab historia removet, et mittit ad Christum. *Psalmus*, quia bonam continet operationem, qui attribuitur *David*, id est Christo. Vel attribuitur *David*, id est pœnitenti Ecclesiæ, ac per ipsam pœnitentiam justificatæ jam, atque translatæ de injustitia *in finem*, id est Christum, qui est justitia. Sicut enim in psalmo præcedenti loquebatur pœnitens anxiatus, ita in hoc psalmo potest idem intelligi loquens jam de venia certificatus, ac per eam sic justificatus, ut possit confidenter dicere : *Judica me, Domine, secundum justitiam meam, et secundum innocentiam meam super me.* Item : *Justum adjutorium meum a Domino, qui salvos facit rectos corde.* Pro inimicis quoque hic talis *David* respiciens in octavam dixit in oratione : *Convertantur, et erubescant valde velociter.* Sed nunc respiciens quosdam ex inimicis, pro quibus oraverat, ita inconvertibiles, ut eis convenire valeat nomen Æthiopis, qui non mutat suæ pellis nigredinem, petit non jam pro tali inimico, sed prophetat contra ipsum dicens : *Convertetur dolor ejus in caput ejus, et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.* Quare? *Quia concepit dolorem et peperit iniquitatem.* Qua causa præmissa justa invenitur contra conceptorem doloris, et machinatorem iniquitatis prophetia, vel imprecatio doloris, maxime, quia impœnitens per nomen Æthiopis intelligitur, qui a sua nigredine penitus est inconvertibilis. Unde est illud in libro Regum de Banaia præcipuo inter fortes David, qui interfecit virum Ægyptium, dignum spectaculo. Per virum Ægyptium vel Æthiopem intelligitur Semei nequissimus, qui pro eo quod maledixit *David*, jubente Salomone, interfectus est a Banaia filio Joiadæ (*II Reg.* XXIII, 21). Sic ergo iste Semei filius *Jemini* cum esset, genere Israelita, propter hoc dicitur Ægyptius, quod a nigredine suæ impietatis non fuit immutatus. Ita vel Saul impius persecutor *David*, vel quilibet Antichristus inconvertibilis, et inemendabilis persecutor Christi, qui est verus *David*, potest vocari *Æthiops*, quod intelligitur per *Chusi*, quando scribitur per litteram Sin. Sive igitur contra ipsum Antichristum, sive contra quodlibet illius obstinatum membrum recte orat Christus in se, vel in suis membris, ut non veniat in potestatem talis Æthiopis, neque capiatur dentibus talis leonis.

Primo igitur utens principio, id est brevi captatione in exordio suo Dominum Deum invocat, per quem liberari orat prætendens meritum. Secundo petit resurrectionis Dominicæ adjutorium, ibi : *Exsurge, Domine, in ira tua.* Tertio de futuro judicio commemorans agit de occultis ibi : *Dominus judicat populos.* Quarto de manifestis in futuro : *Deus Judex justus, fortis.* Quinto sequitur conclusio læta de confessione laudis, ibi : *Confitebor Domino secundum justitiam ejus, et psallam nomini Domini altissimi.* Ad hanc laudem intendit provocare per verba *Chusi*, sive silentii, sive Æthiopis, quia quolibet modo interpreter nomen *Chusi*, tamen vehementia et nequitia persecutionis notatur contra Christum grassata, et tandem in caput ipsius persecutoris eam concipientis, et machinantis tota conversa, ubi dicitur : *Convertetur dolor ejus in caput ejus*, et *in verticem ipsius iniquitas ejus descendet*, sicut contigit Achitophel, Absaloni, Sauli, Semei et multis aliis persecutoribus *David*.

Multo amplius autem, atque districtius hoc in persecutoribus veri *David* cognoscimus adimpletum, et adimplendum, et ideo totum, quod in hoc psalmo de verbis *Chusi* habemus, in confessione quidem laudis est concludendum ; sed ut ad laudandam justitiam Judicis animus fiat concitatior, de vehementia persecutionis est præmittendum. Dicat ergo *David*, dicat Christus ad Patrem, dicat Christianus in persecutione positus clamando ad Christum contra diabolum, contra impugnans aliquod grande genus tentationis, vel persecutionis, contra ipsum Antichristum, vel quodlibet ipsius membrum pessimum, qualis fuit Julianus Apostata, quo apud Persas interempto, *quoniam dolor ejus conversus est in caput ejus*, non solum in ecclesiis Christianorum, sed et in theatris gentilium personuit confessio laudantium justum et victoriosum Christum. Dicebant enim : « Maxime fatue, maxime fatue, ubi sunt vaticinia tua? Vicit Deus et Christus ejus. » Dicat nunc *David* justus, id est Christus, dicat *David* peccator, sed per pœnitentiam sanatus et justificatus, ac propter justitiam ab injusto persecutore graviter gravatus.

VERS. 2. *Domine* omnium per potentiam, qua dominaris ubique, *Deus* omnium per creationem, *meus* per dilectionem, quia ipsi, qui te diligunt, populus tuus erunt, et tu « ipse Deus eris cum eis eorum

Digitized by Google

(*Apoc.* XXI, 3), *Deus*, ita quasi proprius eorum, ut temet ipsum habeant, et nunc adjutorem, auctorem, conservatorem meritorum bonorum, et in futuro te habeant summam præmiorum, ita ut sis *Deus* eorum. Tu *Domine Deus meus;* Deus Abraham, Isaac, et Jacob te diligentium; *Deus* et *meus*, quia te diligo, te totius justi laboris mei præmium exspecto.

In te speravi, non in mea virtute. *Salvum me fac.* Tu factor omnium fecisti me, ut aliquid essem, ut essem homo nobilis creatura. *Salvum me fac*, ut si beata creatura tua. Illa fuit vetus creatura, qua me fecisti, ut essem homo. Ita sit nova creatura, qua voluntarie genuisti nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ tuæ creati et facti non solum ut homines simus, sed ut salvi simus.

Ex omnibus persequentibus. Ego cum non essem, non me potui facere, ut essem. Similiter cum nondum sim salvus *ex omnibus* me *persequentibus*, non possum ego *me salvum* facere : tu ergo, qui ex eo, quod *Dominus* es, potes : ex eo, quod *Deus* es, nosti : ex eo quod *meus* es, voluntatem bonam erga me habere credendus es : *In te speravi.*

Ecce hic in tribus nominibus unius Domini, Dei, mei unitatis trinitas insinuatur, qua in pascuis uberrimis pastoris *David* pia fidei aviditas amplius delectatur, et pasci desiderat. Nam cum dico : *Domine, Deus meus*, trinum et unum invoco, in quo tria unum significo, videlicet potentiam, sapientiam, bonitatem. Qui enim *Dominus* dicitur, ipse potens dominator intelligitur. Cum dicitur *Deus*, intelligitur sapiens, vel potius ipsa sapientia, quod evidentius apparet in Græca etymologia. Θεός enim, quod Græce dictum, sonat apud nos Deus, a verbo θεωρῶ, id est video, tractum est. Unde Theoria dicitur, id est visio, sive contemplatio; et in hoc est virtus theoricæ vitæ, ut fiat ratio humana particeps æternæ sapientiæ, quæ non est aliud quam ipse *Dei* Filius. Unde licet proprie substantialiter et æqualiter sit Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus, tamen hoc nomen Deus in Latino, vel Θεός in Græco, quod theoriam æternæ sapientiæ insinuat, specialiter quodammodo Filio assignatur; cum Deus per hoc nomen, quod est Deus, invocatur, quia per hoc nomen ipse omnia scire et videre notatur. Similiter licet proprie, substantialiter et æqualiter Pater Dominus, Filius Dominus, Spiritus sanctus Dominus prædicetur : tamen quoniam a Patre Creatore ac Dominatore omnium habet Filius, et Spiritus sanctus æquale cum ipso Patre dominium, ab ipsius Patris dominio indivisum, specialiter quodammodo Patri dominium assignatur, cum Dominus per hoc nomen, quod est Deus, invocatur. Item licet æqualiter totius Trinitatis visione sit homo bonus beatificandus, quia « Qui videt me, » ait Filius, « videt et Patrem (*Joan.* XIV, 9), » tamen ipsa hominis beatificatio specialiter pertinet ad ipsam Dei bonitatem, quæ non est aliud quam Spiritus sanctus, qui cum sit Deus, et Dei donum, bonus homo ex tali Dei dono Deum suum dicit specialiter, qui est omnium Deus generaliter.

Dicit ergo iste confidenter *Domine; Deus meus*, in quo habitat hoc Dei donum, quod est bonitas Dei, et est ipse Deus : quia Spiritus sanctus a Patre ac Filio datus, non est a dante separatus. *Domine* Pater, *Deus* Filius Patris, meus Paracletus, tu sancte Spiritus in baptismo mihi datus. *Domine Deus*, cui est posse, nosse. *Domine*, cui est potentia, quæ non vincitur, quia omnibus bonis et malis ipsa dominatur. Deus, cui est sapientia quæ non fallitur, quia ipsa omnia bona et mala videt, nec a malis ipsa videtur. Tu *Domine Deus* per bonitatem tuam *meus*, qua bonitate sola bona vis, et mala non vis. *In te speravi*, quia, cum possis omnia, scias omnia bona et mala, vis tamen et diligis non mala et bona, sed sola bona, ideo *in te speravi*, quod per te a malis omnibus, quæ tibi non placent, valeam liberari. Neque enim contra tuam voluntatem stare possunt mala, quæ omnino tu non vis esse, nisi quantum ea esse bonum est. Cum enim tu sis naturaliter bonus, malos esse non sineres, nisi malos esse bonum videres propter bona, quæ de malis tu bene operaris in salutem electorum, quorum bonitatem adauges etiam de malitia eorum, qui eos persequuntur, sed tandem liberas bonos a malis persequentibus. Ideo in te speravi, quia ex eo quod te Dominum Deum meum recognovi, hanc potentiam, hanc sapientiam, hanc bonitatem tibi trino et uni, Deo meo esse animadverti, ut possis, scias et velis *in te* sperantes liberare. Tu ergo *salvum me fac* ex omnibus persequentibus me, *et libera me :* « Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis (*Joan.* VIII, 36), » ait Veritas : et item alibi : « Veritas, » ait, « liberabit vos (*ibid.*, 32). » Ut ergo vere liber permaneam, tu Omnipotens, et optima Veritas, cui non prævalet falsitas, *libera me*, ut vere liber sim ex omnibus persequentibus me.

VERS. 3. *Ne quando rapiat* persecutor diabolus, vel homo *ut leo animam meam.* Et si rapit ex concessione tua substantiam meam, ut beati Job : « Ne quando rapiat animam meam leo, » qui « rugiens circuit, quærens quem devoret (*I Petr.* V, 8); » vel impius homo, qui est *ut leo*, videlicet similis ipsi leoni diabolo.

Sciendum est, quod, cum homo vitiis permittitur, diabolus pugnat in illis : liberatus autem ab illis, a diabolo quoque liber est. Propria verba ponit. Nam Domini est liberare ac salvare; leonis est rapere. *Libera me, Domine, dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat;* quasi dicat : sine te Redemptore ac Salvatore, qui pretium redemptionis dedisti, et gratiam salvationis largiris, *non est, qui redimat, neque qui salvum faciat.* Ideo si tu non salvas, ille perdit. Si tu non liberas et redimis, ille rapit

VERS. 4. *Domine, Deus meus, si feci istud.* Jucundum trini Dei nomen repetit dicendo : *Domine, Deus meus*, et subjungit innocentiæ suæ meritum.

Digitized by Google

et est ordo : *Domine, Deus meus, si feci istud.* Si prior mala inferens *feci*, et effeci mihi *istud* quod patior ego *David*, persequente me Absalone, consulente contra me Achitophel, secundum quod mihi est intimatum ex *verbis Chusi*; vel : si effeci mihi illud, quod me persequitur Saul, qui dicitur *Chusi*, id est Æthiops, et quod mihi maledicit Semei, vir moribus Æthiops, et Ægyptius : tunc *decidam merito ab inimicis meis*, maxime *si est iniquitas in manibus meis*. Nam fortasse fuit aliqua *iniquitas in manibus meis*, per quam *feci*, et effeci *istud*, quod nunc moliuntur inimici mei contra me; sed quia pœnitentiam *feci*, quia pœnitentialem psalmum pro octava jam præmisi, non *est* hæc *iniquitas* nunc *in manibus meis;* etiamsi fuit, jam non *est*. Unde confidenter dico : *si est iniquitas in manibus meis*, et

Vers. 5. *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito.* Confido enim quod jam non *est iniquitas in manibus meis*, quam aut vitavi per cautelam innocentiæ, aut ablui de *manibus meis* per lacrymas pœnitentiæ. Confido etiam de merito patientiæ, quia non solum prior mala non intuli, sed nec *reddidi retribuentibus mihi mala*. Quod dicit : *decidam inanis*, non est oratio vel mali casus imprecatio, sed concessiva prophetia indicans, quod conveniat se vindicantibus. Hi enim, dum se in retribuendo mala erigunt per vindictam, decidunt victi a sua ira repleti malitia, inanes a gratia, qui si vincerent propriam iram postponendo vindictam, essent fortiores et meliores expugnatoribus urbium.

Nota quod non dicit : *si reddidi* facientibus, *mihi mala*, sed ait, *retribuentibus*. Magna quidem est patientia, *si* ab his, quibus bona non fecit, *mala* sustinuit; sed major est, *si* ab his, quibus fecit bona, mala sustinet, et non reddit *mala* pro malis, etiam his inimicis qui retribuunt illi mala pro nobis.

Tales inimici *David* fuerunt Absalon, Achitophel, quorum consilia et machinamenta infatuata et cassata sunt *verbis Chusi*. Talis inimicus ejus fuerat ante istos ipse Saul, cui, ut prædictum est, convenit nomen *Chusi*. Amplius autem verus David Christus tales inimicos habuit Judæos, quibus ipse ait : « Multa bona opera operatus sum vobis (*Joan.* x, 32). » Et ipsi retribuendo mala pro bonis usque ad mortem persecuti sunt eum, instigante diabolo, pessimo Æthiope, cooperante Juda nihilominus diabolo et Æthiope, contra quos erat Christus homo ad suam, et Patris ac Spiritus sancti divinitatem. Tales inimicos adhuc sancta Ecclesia, et omnis qui vult pie vivere in Christo, tales inimicitias patitur ab Antichristo (*II Tim.* III, 12), vel quolibet ejus membro, cui potest coaptari nomen *Chusi*, id est Æthiops; illis autem, qui patiuntur, congruit nomen alterius Chusi, quod interpretatur *silentium*, tunc maxime, cum videntes opprimi veritatem, quæ Christus est, non habent auctoritatem, vel confidentiam, sive locum loquendi super tecta in publico (*Matth.* x, 27), quibus tamen in cubiculis per orationes et secretas collationes non desunt verba *Chusi*, id est verba silentii, pro quibus *verbis* in finem, id est in Christum relatis contexitur *psalmus* iste *David* manu fortis, et insuperabilis regis contra fortem leonem, de quo jam dictum est : *Ne quando rapiat ut leo animam meam*, et de quo adhuc dicit :

Vers. 6. *Persequatur inimicus animam meam.* Quasi dicat : Supra concessi, ut *si* sum culpabilis contra inimicos meos, *decidam merito inanis*. Nunc etiam, quod gravius est, concedo, videlicet, ut singularis inimicus diabolus persequatur animam meam prava suggerendo, *et comprehendat* ad consensum pertrahendo, *et conculcet* per opus pravum *vitam meam*, sensualitatem videlicet, qua vivo, *conculcet in terra*, ut sapiendo, et amando terrena fiat *terra*, ut serpens, cui dictum est : terram « manducabis (*Gen.* III, 14), » eam manducet, sibique incorporet. *Et gloriam meam*, id est rationalem mentem, cui gloria imaginis et similitudinis Dei est impressa, quia ipsa ratio ad imaginem Dei facta est. Item *gloriam meam in pulverem deducat, in pulverem* redigat, ut ipsa gloria mea, ipsa ratio mea fiat pulvis, quem projicit ventus tentationis a facie terræ.

Vers. 7. *Exsurge, Domine, in ira tua.* Precatur hic fidelis *Chusi*, verbi gratia, Petrus, vel alius apostolus in silentio ante resurrectionem, ut acceleretur ipsa resurrectio; vel etiam quilibet fidelis contristatus et oppressus, ut post passionem et ante resurrectionem fuit beatus Petrus, ipse hic petit accelerari sibi Dominicam resurrectionem. Dormit enim Christus, et quodammodo mortuus ac sepultus est miseris, qui vel ipsi dicuntur *Chusi*, id est silentium, quando non habent loquendæ veritatis et exsequendæ charitatis apud se ferventis auctoritatem et locum; vel ipsi opprimuntur *verbis Chusi*, hoc est Æthiopis, exemplo Saulis humilem *David* persequentis, et exemplo Semei *filii Jemini* maledicentis *Davidi*, econtra benefacienti et benedicenti. Talibus taliter oppressis dormit Christus, cum eos non consolatur, dum eis abscondit faciem suæ clementiæ. Resurgit autem, dum eis apparens in multis argumentis, consolatur eos per suæ miserationis evidentiam erga homines, et per manifestam iram suam contra hominum vitia et errores. Igitur vel silens *Chusi*, vel oppressus aliquis per verba *Chusi* Æthiopis optet sibi Christum resurgere, ita dicens : *Exsurge, Domine, in ira tua*, id est manifestare in tua justa vindicta irascendo peccatis, non hominibus, *et exaltare*, id est magnificeris, et glorificeris *in finibus inimicorum meorum*.

Non dico *in finibus* hominum prosperantium, ut eorum prosperitas finem accipiat; sed *in finibus inimicorum*. Te Deum meum, consolatorem meum rogo sic exaltari, ut desinant inimicari mihi, et sit finis inimicantium, non finis prosperantium. Sit finis *inimicorum*, ut desinant esse inimici, et sint parati ad exsequendum et implendum præceptum charitatis, quod mandasti, cum et in lege dixisti : « Diliges amicum tuum (*Lev.* XIX, 18); » et in Evangelio. « Diligite inimicos vestros (*Matth.* V, 44). » Item

Digitized by Google

alibi dixisti : « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos (*Joan.* XIII, 34). » Item : « Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem (*Joan.* XV, 12). » Ad hoc præceptum decet implendum, quia non sufficit humana infirmitas, tu *Domine Deus meus*, *Domine* omni potentatui dominans, *Deus* in sapientia, quæ tu ipse es, cuncta ordinans, *meus*, qui te ipsum dedisti mihi, quando charitatis donum tu *Deus* charitas dedisti; et ideo tu omnium *Dominus* per potentiam; omnium *Deus* per providentiam; tu es *meus* per indultam mihi dilectionem tuam. « Charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* V, 5). » Et ipse spiritus amor est, per quem *Deus* omnium *Deus meus* est, ait Ecclesia Spiritu sancto repleta, cujus est vox ista : « Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo (*Psal.* LXII, 2). » Item : « Deus meus, ne sileas a me (*Psal.* XXVII, 1). » Item : « Deus meus, in auxilium meum respice (*Psal.* LXX, 12). » Ac multa talia in Scripturis inveniuntur, ubi *Deus* generaliter omnium propter charitatis donum solis electis indultum dicitur specialiter Deus eorum. Igitur quilibet electus charitatis donum usque ad inimicos diligendos per gratiam divinam consecutus, ipse confidenter dicat : *Domine Deus meus*, qui charitatis præceptum dedisti.

Exsurge in præcepto, quod mandasti. Non enim quasi nos priores dilexerimus te, sed quoniam tu prior dilexisti nos, ideo « charitas » tua « diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* V, 5). » Itaque cum tu nos te dilecturos prior dilexisti, tu ipse *in præcepto, quod mandasti*, exsurrexisti, quia per dilectionem tuam nos prævenientem præceptum tuum a nobis fecisti servari, qui et tuæ dilectionis exemplum prior ostendisti, et ipsius dilectionis cordibus nostris infudisti affectum, quem ut perducas ad effectum fructuosum nobis, tibi gloriosum : *Exsurge in præcepto, quod mandasti*, ita ut adimpleas in nobis, et consummes omnino præceptum, *quod mandasti*, quodque in nobis utcunque inchoasti, et inchoando pariter, et consummando ipsum præceptum, quod mandasti, prior diligas inimicos, et facias eos tuos, et meos amicos fieri, atque in hac amicitia consummari et conservari. Tu in carne tua mortuus victa morte surrexisti a mortuis, et jam non morieris, nec mors tibi ultra dominabitur (*Rom.* VI, 9). Similiter surge *in præcepto quod mandasti*, ut, victis inimicitiis, tu in te ac tuis tanta dilectione diligaris non solum a nobis, verum etiam ab his qui adhuc inimici sunt, et amici futuri sunt, ut jam charitas ista non excidat, et odium ei ultra non dominetur, non prævaleat, ut vincamur a malo, sed vincamus in bono malum. Itaque sicut surrexisti in carne ad tempus mortua, ita *exsurge in præcepto* charitatis in impiis mortuo. Surge insuperabili potitus resurrectionis triumpho.

VERS. 8. *Et synagoga populorum circumdabit te.* *Synagoga*, id est congregatio *populorum* te diligentium, *circumdabit te* quasi vestis, « et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur (*Hebr.* I, 12), » cum tibi circumdabuntur.

VERS. 9. *Et propter hanc synagogam* trahendam *in altum* tu *regredere in altum*, ubi eras prius. Nam quasi nudus de alto in hunc mundum venisti. Exiisti enim a Patre altissimo, et in hunc mundum venisti : quia in omnem creaturam venisti, quando in homine, qui est omnis creatura, omnem creaturam assumpsisti, et omni creaturæ prædicari fecisti Evangelium, cui credens, et obediens in homine omnis creatura facta est quasi vestis tua. Unde tu, qui quasi nudus exiisti a Patre, in mundo induisti tunicam desuper contextam, sanctam videlicet Ecclesiam, quæ non est *Synagoga* unius Judaici populi, sed *synagoga populorum;* quia in omnem terram exivit Evangelium colligens in unitatem fidei, spei ac dilectionis diversarum gentium diversorum populorum synagogam, quæ est plenitudo gentium. Propter hanc in imis colligendam surge *in præcepto quod mandasti. Et propter hanc* ad summa trahendam *in altum regredere.* Tu in carne tua semel mortua semel surrexisti, semel ascendisti; sed in tuis, vel peccato mortuis, vel pœnitentia mortificatis resurgis assidua et continua resurrectione, dum te operante peccatores convertuntur, et tibi commortificati pœnitentes Paschali resurrectionis habitu induuntur, ita ut sit « aspectus » eorum « sicut fulgur, et sicut nix (*Matth.* XXIV, 3). »

Aliter exponitur hæc littera, ut sint verba ipsius *David* Christi mortem prænoscentis, et de resurrectionis triumpho loquentis hoc modo : *Exsurge, Domine, in ira tua*, id est exerce iram tuam, hanc scilicet, *in finibus inimicorum meorum. Exaltare*, id est efficere altus, ut non intelligant iram tuam super se, et ita excæcati te crucifigant, et *in præcepto, quod mandasti*, apparens humilis *exaltare*, id est altus esto; ut quare sis humilis non intelligant, et ita excæcatis tua humilitate Judæis, transeuntibus discipulis ad gentes *synagoga*, id est non pauci, sed congregatio *populorum*, id est gentium *circumdabit te* fide.

Et iterum *propter hanc in altum regredere, propter hanc* habentem nomen tuum, nomen Christianum, sed hoc ipsum nomen factis negantem *regredere in altum*, desine intelligi. Hoc circa finem continget, cum « frigescet charitas multorum (*Matth.* XXIV, 12), » ut vere possit dici : « Cum venerit Filius hominis, putas, inveniet fidem super terram ? (*Luc.* XVIII, 8.) »

Dominus judicat populos. Hoc secundum utrumque sensum sequitur. Nam post ascensionem, post universalem sui corporis resurrectionem, in qua « omnes resurgemus » (ait Apostolus) « sed non omnes immutabimur (*I Cor.* XV, 51), » post ipsorum electorum immutationem, post ipsius Judicis *in* alto manifestationem, ipse Dominus *judicat populos.* Judicabit enim vivos et mortuos. Similiter post

Digitized by Google

execrationem Christianorum falsorum veniet de cœlo Christus, « veniet, et non silebit (*Psal* XLIX, 3), » sed judicabit populos.

Judica me, Domine, secundum justitiam meam. Judicium fiducialiter petit, qui faciem Judicis præoccupat in confessione ac pœnitentia, et cui tædio est jam ipsa in carne conversatio, et cui de indulta venia testimonium dat sua jam in cœlis conversatio, sua in cœlestibus potius quam in terrestribus occupata meditatio. Ordo bonus, cum enim in superiore psalmo infirmus vocatus, et compunctus ad pœnitentiam dixisset : *Salvum me fac propter misericordiam tuam*, judicium justitiæ timens, modo quoniam vocatus servavit mandatum patientiæ, seu charitatis usque ad dilectionem inimicorum, jam non timens judicium audet orare : *Judica me, Domine, secundum justitiam meam*, quæ est in bonis conservatis, *et secundum innocentiam*, in malis evitatis, *quæ justitia*, et *innocentia* non est mihi a me, sed *super me* « desursum descendens a Patre luminum (*Jac.* I, 17). »

VERS. 10. *Consumetur nequitia peccatorum.* Quidam codices habent *consummetur*, et est sensus; *consummetur*, id est compleatur usque ad summum *nequitia peccatorum :* ut « qui in sordibus est, sordescat adhuc (*Apoc.* XXII, 11) : » Et quia crescente malorum invidia crescunt....., consequenter adjungit : *Diriges justum.* Ut sicut is, qui in sordibus est, sordescit adhuc : sic justus justificetur adhuc.

Sed quoniam hoc nescitur propter hypocrisin, quis dirigatur justus in sua fide ad *justitiam*, ut justificetur adhuc, et quis consummetur in sua *nequitia*, *Dominus* autem judicans omnia, ipse scit, recte subjungit : *Scrutans corda, et renes Deus.* Per *corda* cogitationes, per *renes* declarationes accipiuntur : quia in renibus est generandi voluptas ; in corde, generandi vel aliud quid agendi voluntas. Ideo per *corda* cogitantium voluntates, per *renes* autem earumdem voluntatum significantur finales intentiones in quibus homo cogitans, et cogitationes generans delectatur. *Deus* autem scrutatur *corda*, id est intelligit quo animo fiant cogitationes et opera et *renes*, id est quo fine delectent.

Secundum Hebraicam vero veritatem legendum est : *Consumetur nequitia*, ut intelligatur, nequitiam consumi, non consummari. « Deus » enim « ignis consumens est (*Deut.* IV, 24). » Unde nunc dicitur : *Consumetur nequitia peccatorum*, et ita consumptis peccatis de peccatore fit *justus, et tu diriges justum.* Pluraliter dixit de peccatoribus : *Consumetur nequitia peccatorum*, et adjecit singulariter : *Diriges justum*, vel quia multi sunt peccatores, justi vero pauci : vel quia de multis peccatoribus consumpta per ignem charitatis eorum nequitia fit unus *justus* occurrentibus omnibus justis in unum justum virum perfectum in mensura ætatis plenitudinis Christi. Ergo tu *diriges justum scrutans corda et renes Deus*, id est cogitationes et intentiones. Cum autem cogitationes et intentiones sunt in Domino, non solum dirigit justum, sed et adjuvat. Unde subdit :

VERS. 11. *Justum adjutorium meum a Domino.* Duo sunt officia medicinæ. Sanare morbum et sanitatem servare. Secundum primum dixit infirmus in præcedenti Psalmo : *Quoniam infirmus sum, sana me Domine.* Secundum alterum dicit jam sanatus, et per pœnitentiam confortatus : *Justum adjutorium meum a Domino.* Illic sine meritis petit miser misericordiam ; hic autem, quia *mala retribuentibus* non reddidit, *justum adjutorium* exposcit *a Domino, qui salvos facit rectos corde.* Non adjungit nunc de renibus, ut supra ; quoniam si cogitatio recta est, et delectatio ; sed non convertitur. Quoniam in multis est recta delectatio, sed non recta cogitatio. Omnes enim homines delectat beatitudo, sed non omnes dirigit ad eam recta cogitatio. Multos enim abducit error devius, qui cupientes beari, beatitudinem quærunt in rebus fallacibus. Qui autem quærunt beatificari per gaudium, quod est de sola veritate, isti sunt *recti corde :* sicut illi habent cor perversum, qui beatificari se putant per mendacium, quod veritati est oppositum. Solus autem Deus verax, « et omnis homo mendax (*Psal.* CXV, 11). » Malus vero angelus, princeps mundi hujus, mendax est, et pater mendacii. In solis ergo Dei promissis constituendus est finis, et consummatio beatitudinis, ad quam consequendam non est via recta, nisi per ipsius Dei præcepta, in quorum rectitudine quisquis pure intendit ambulare, etsi nondum rectus est coram hominibus actione publica, quia fortasse in actu non potest ostendere quod habet in corde : tamen jam est rectus *corde* pro sola voluntatis rectitudine. Sed hoc hominibus est absconditum, nisi procedat in actum, nec proximus inde multum juvatur, quod in sola voluntate bona est intentio. Unde ut per bonam intentionem rectus *corde* perveniat ad bonam actionem, *justum adjutorium* petit *a Domino, qui salvos facit rectos corde.*

VERS. 12. *Deus judex justus, fortis, et patiens.* Dixerat superius : *Dominus judicat populos.* Nunc ad commendationem judiciorum ejus addit de justitia Judicis, et fortitudine, et longanimitate, metu futuri judicii terrens *Chusi* Æthiopem, id est quemlibet in peccatis suis obstinatum ; et consolans quemlibet a peccatis suis emendatum. Cui ad consolationis certitudinem de se jam posuit exemplum dicens : *Justum adjutorium meum a Domino, qui salvos facit rectos corde*, ut quilibet rectus *corde* sui exemplo speret *justum adjutorium.* Quasi dicat : Mihi a pravitate mea emendato per pœnitentiam, mihi diligenti non solum amicos in Deo, sed etiam inimicos propter Deum, est in promptu *justum adjutorium.* Idipsum Dei *adjutorium* confidenter sperare potestis, vos omnes qui conversi fueritis : quia *Deus Judex justus, fortis et patiens* non *irascetur* vobis *per singulos dies.* Quod ut acrius, et vehemen-

Digitized by Google

lius enuntiet sub interrogatione dicit : *Nunquid irascetur per singulos dies?* subauditur : conversis. Sed vos Æthiopes, qui nomine *Chusi* estis in titulo psalmi hujus denotati, hoc sciatis : quod

Vers. 13. *Nisi conversi fueritis*, ipse *Judex justus, fortis et patiens* vobis irascetur, qui conversis non irascetur. In Græco significantius est pro *irascetur : adducetis iram*, quia non in ipso est ira, qua punit, sed in angelis iræ, per quos punit, qui non propter justitiam, qua non gaudent, sed propter malitiam pœna hominum delectantur, quia hominibus illuc vocatis, unde ipsi ceciderunt vehementer invidendo sunt irati. Et ideo quoties permittuntur homines punire, pro animositate iræ suæ Deus videtur iratus, qui tamen etiam per angelos iræ operatur in tranquillitate. Cum autem sic refrenantur illi spiritus irati, ut non admittantur ad puniendum, nisi quantum attinet ad exercitium, sicut « angelus Satanæ (*II Cor.* XII, 7) » colaphizans Paulum apostolum, sicut Satan fatigans beatum Job, non debet ullo modo videri Deus iratus : quia quod permittit, permittit propitius, non *iratus*, quanquam his, qui talia patiuntur, videatur iratus.

Ipse autem neque sic irascendo suis electis irascetur *per singulos dies. Irascetur* tamen tandiu, donec « virtus in infirmitate (*II Cor.* XII, 9) » perficiatur, quæ dum fuerit perfecta, sicut « charitas perfecta foras mittit timorem (*I Joan.* IV, 18) : » sic virtus perfecta foras mittet, ac longe fugabit angelum Satanæ. Unde licet Apostolus ter Dominum rogans non fuerit exauditus (*II Cor.* XII, 8), cum adhuc in eo esset virtutis tanta teneritudo, ut nisi angelus Satanæ illum colaphizasset, magnitudo revelationum extollere illum potuisset : nullatenus tamen est credendum : *per singulos dies* vitæ suæ tantum apostolum sub talibus colaphis jacuisse depressum. *Nunquid* enim irascetur *per singulos dies Deus Judex justus, fortis et patiens?* Nunquid potuit, vel debuit vasi electionis per vias iræ ad plenum polito *justus judex* ultra molestus esse per talem stimulum carnis, per talem angelum Satanæ, quem non immisit, nisi pro virtute, id est pro humilitate, virtutum regina, perficienda? Nec mirum, quod Apostolo adhuc adolescenti potuit subesse fomes aliquantulum superbiendi pro magnitudine revelationum. Sic enim ipse de se fatetur dicens : « Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus : quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli (*I Cor.* XIII, 11). » Concedendum est ergo justo Judici, qui non *irascitur per singulos dies*, ut per illos *dies*, quibus Apostolus adhuc parvulus ad superbiæ ruinam fuit pronus, castigaret et humiliaret illum per angelum Satanæ, per stimulum carnis velut iratus; sed *nunquid* irasci, nunquid per angelum iræ molestus esse debuit *per singulos dies* eidem Apostolo, quando jam factus vir evacuaverat quæ erant parvuli? Absit hoc ab illo Judice, de quo jure psallimus et canimus : *Deus judex justus, fortis, et patiens, nunquid* irascetur *per singulos dies?*

Non me irrideat quisquam, velut cantilenis deditum, sed accipiat excusationem meam, quam et jam supra posui, ubi similiter notulas quasdam in Ecclesia usitatas Psalmorum textui superposui, et interposui, quod ipsum fortasse adhuc faciam frequentius ea æstimatione, quod ea quæ scribo magnis doctoribus non ingero, quibus nostra omnia fastidiosa esse timeo, cum tamen eis nihil Deo favente inveniatur insertum, quod a sanctorum Patrum sensu et a charitatis ædificatione sit alienum. Licet enim ante nos magni Patres Apostolum de stimulo carnis, de angelo Satanæ auferendo non fuisse a Domino exauditum non semel, sed tertio rogantem asseruerunt, non tamen eisdem Patribus est contrarium, quod nos eumdem Apostolum jam ab extollentiæ morbo sanatum, quando erat perfectus vir, credimus et confidenter asserimus ab illo angelo Satanæ penitus liberatum, quem constat non ob aliud fuisse colaphizatum, nisi ut virtus humilitatis in infirmitate perficeretur (*II Cor.* XII, 9). Putasne Apostolum divinitus edoctum, quia propterea ter postulans non fuit exauditus, quod virtus in infirmitate in colaphorum tali assiduitate perficienda erat, statim cessasse a precibus? Non ego puto illum tunc a precibus cessasse, sed preces mutasse, atque id vehementer et indesinenter orasse, ut virtus humilitatis in se ita perficeretur, ne talis angelus ad illum colaphizandum esset necessarius. Quisquis Apostolum hoc negat frequenter orasse, neget illum, si potest, Orationem Dominicam non frequentasse, dicat illum aliter, quam docuit, fecisse, qui « sine intermissione orare (*I Thess.* V, 17) » præcepit. Cum igitur constet, Apostolum frequenter orasse ut nomen Dei in eo sanctificaretur, ut regnum Dei illi adveniret, in quo regno angelus Satanæ nihil suum habet, ut « fieret voluntas Dei sicut in cœlo, et in terra (*Matth.* VI, 10), » qua voluntate in cœlo, id est in animo cœlestia desiderante, et in terra carnis humanæ perfecta nec extollitur animus, quantalibet fuerit magnitudine revelationum glorificatus, nec ipsi carni stimulus est necessarius, qui eam colaphizet, quasi rebellem spiritui. Postremo cum se rogaverit liberari a malo, nec induci in tentationem, quis negare audeat, in hoc ejus exauditam indesinentem orationem, ut inhabitante in se virtute Christi liber esset a colaphis, quibus edomita fuerat ejus insolentia, donec in eo esset virtus perfecta? *Nunquid* enim *Deus judex justus, fortis, et patiens* irascetur vel iram adducet *per singulos dies?*

At tamen vos Æthiopes nomine *Chusi* denotati, hoc scitote : Quod hic *justus Judex fortis, et patiens* durantibus vobis in malitia irascetur *per singulos dies :* quia *nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit*, imo jam vibravit, quia sic futurum præfixit contra vos. Gladius est Christus, qui, in primo adventu vagina humilitatis tectus, secundo coruscabit, lu-

Digitized by Google

men suis, terror impiis. Igitur *gladium suum* verbum præacutum, romphæam bis acutam de ore suo procedentem *justus judex vibrabit*, quando semetipsum in sua claritate manifestabit, qua claritate justos ab injustis ita distinguet, sicut sol clare lucens oculos aquilinos ab oculis vespertilionum et bubonum distinguet, illos delectando, istos in tenebras exteriores agitando.

Dicendo autem : *Nisi conversi fueritis*, etiam ipsis impiissimis innuit spem veniæ repositam si *conversi fueritis*. Audite igitur, impii, audiat omnis *Chusi*, audiant omnes in peccatis suis nigri, audite, cuncti Æthiopes : quia *nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit*. Et licet sit *patiens* tamen ne per ejus patientiam sitis remissi, hoc scitote, quod non est ejus remissa patientia, quoniam *arcum suum* jam *tetendit*. *Arcus* est Scriptura, in qua sicut lignum chorda, ita Veteris Testamenti duritia Novi Testamenti gratia domatur et flectitur. Hunc arcum paravit, quando ipsam Scripturam per ora prophetarum et apostolorum condidit et tetendit, quando eamdem Scripturam, et rerum evidentia, et expositorum diligentia intelligibilem fecit.

Vers. 14. *Et* in eo *arcu paravit*, id est disposuit *vasa mortis*, id est obscura quædam loca, unde, non Deo impellente, sed culpa sua merente, hæreticis fiat mors animæ, non intelligentibus veritatem Scripturæ, ut inde quasi ventilabro agitatæ Scripturarum sententiæ fulgescant velut sagittæ, in quarum luce imus « in splendore fulgurantis hastæ (*Heb.* III, 11), » si ardemus agnoscendæ veritatis, et tenendæ virtutis amore. Etenim *sagittas suas* non tepidis, non pigris, sed *ardentibus effecit*, *ardentibus* igne, quem Dominus misit in terram, et voluit vehementer ardere. « Ignem, » inquit, misi « in terram, et quid volo, nisi ut » ardeat ? (*Luc.* XII, 49). His est percussa, quæ dicit in Canticis : « Vulnerata charitate ego sum (*Cant.* IV, 9). »

Vel ipsi apostoli sunt et *vasa mortis*, et sagittæ ardentes, vel ardentibus juxta illud : « Aliis » sumus « odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem (*II Cor.* II, 16). »

Aliter. *Deus judex justus, fortis et patiens*, etc. In tribus namque dictionibus adjectivis, quibus laudatur *judex Deus*, et dicitur : *justus fortis*, et *patiens*, intimatio videtur esse totius sanctæ Trinitatis in judicio operantis. Nam justum, quem dicit ipse, Veritas Deus Filius est, ad quem principaliter ac specialiter respicit facere judicium, dicente ipso : « Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* V, 22). » Unde et vir sanctus : « Nolo, » inquit « multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suæ mole me premat, æquitatem proponat contra me (*Job.* XXIII, 7); » quasi dicat : Nolo, ut Pater ad me ad judicandum veniat, utpote nihil habens de meo, sed solummodo metuendus de suo, ac proinde magnitudinis suæ mole me premat. Sed quid ? *Æquitatem proponat contra me*, id est Filium mittat ad judicandum me, habentem de meo, quod homo est, et de suo, quod Deus est. Ad quod etiam et illud pertinet, quod illi ad Moysen : « Loquere, » inquiunt, « tu nobis, et audiemus te, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur (*Exod.* XX, 19). » Igitur *Deus judex justus* et æquus ipse Deus Filius est. *Deus* autem *fortis* ipse Deus Pater est totius creaturæ conditor, et Dominus. Deus vero *patiens* et benignus ipse Deus Spiritus est. Neque vero solus Filius *justus*, sed et Pater, et Spiritus sanctus unus cum eodem Filio *justus* est : sicut Pater non solus *fortis*, sed unus cum eo Filius et Spiritus sanctus est *fortis*. Nec solus Spiritus sanctus *patiens* et benignus, sed unius ejusdemque cum eo Pater, et Filius patientiæ ac benignitatis est. Et cum Filius specialiter *Deus judex justus* sit, tamen nec Pater in judicio deerit ; nam et Filius in Patre, ac Pater in Filio est, qui nimirum Filius totam fortitudinem Patris naturæ jure possedit, ut quos juste voluerit, eos continuo vel salvare, vel damnare possit. Ante judicium vero patientia, quæ Spiritus sancti opus et officium est, prærogatur. Unde et illud : « An ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? (*Rom.* II, 4).

Tribus ergo adjectivis dictionibus, quibus magnificatur *judex Deus*, et dicitur *justus, fortis et patiens*, tria competenter subordinantur membra in eo, quod subjunctum est : *Nunquid* irascetur *per singulos dies? nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit*, etc. Nam quia *patiens* est, ideo non irascitur *per singulos dies;* quia *fortis* est, *gladium suum vibravit* : quia *justus, arcum suum tetendit et paravit illum, et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit*. Proinde bonus *Chusi* videns patientiam Dei peccatores ad pœnitentiam adducentem, longanimitate spei non deficiat, nec malus *Chusi* thesaurizare sibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii præsumat, sed sicut uterque *Chusi*, quia non solum *patiens*, sed et *fortis* est, qui *gladium* tam forti manu vibrare valeat, ut ejus fortitudini nemo impune resistat. Ac ne fortitudo Dei nimia peccatorem, seu justum terreat, ut dicat : « Nolo multa fortitudine, contendat mecum (*Job.* XXII, 6) : » sciat uterque, quia non solum *fortis*, sed et *justus* est, ita ut justum cum impio non perdat, sed tanquam doctus sagittarius *arcum* tendens et parans, Scripturæ sanctæ fortitudinem cum lenitate temperans, ita ut norit non solum humerum recedentem, superbiæ pulmonem, et avaritiæ stomachum, ac cætera vitiorum membra distringere ; sed creaturam in Christo novam conservare.

Vers. 15. *Ecce parturiit injustitiam*. Dixit hic in proximo de Judice justo, quod *gladium suum* vibravit, *arcum tetendit et paravit illum*. Sed ne putemus Judicem, qui tranquillus est de se, sine causa præcedente proferre, unde puniantur iniqui, ostendit quod Deus non excogitat, unde puniat, sed judicio æquitatis ordinat, ut quæ fuerunt oblectamenta peccati, sint instrumenta Deo punienti, quasi quærat aliquis, et dicat : Unde est, quod *gladium vibravit*,

Digitized by Google

arcumque hunc *tetendit justus judex?* Respondetur: Ecce in evidenti est causa. Nam iniquus ille *Chusi* Æthiops, cui quasi naturalis effecta est peccati nigredo, primum diabolo suggerente *concepit dolorem*, id est amorem temporalium, quorum amor ideo dicitur dolor, quia cum sint amissibilia, et necessario a suis amatoribus auferenda, cum tanto majore amittuntur dolore, quanto majore concupita et habita sunt amore. Unde illorum amor vere dicitur dolor; quia finis habendi ea, non est nisi dolor. Neque enim aliud in inferno facit impiis de temporalium amissione dolorem, nisi quod etiam in ipso inferno eorum intra se habent amorem, quæ tunc habere non poterunt: sicut ille dives in inferno epularum desiderio ardens, neque guttam aquæ habere potuit, quia micas pauperi esurienti, cum satur esset, non dedit. Recte itaque de illo divite dici potest, quia in hac vita *concepit dolorem*, non in sui qualitate, sed in semine. Amor quippe semen doloris est, cum illa res amatur, quæ teneri non potest, et auferri potest invito. Sic dicitur femina concepisse hominem, non quod semen ab ea conceptum statim sit homo; sed quia fiet homo, si permanserit in utero. Ita etiam, qui, diabolo suggerente, in mentis utero concepit rerum temporalium amorem, si perseveraverit, vertetur in *dolorem*, quando res, quæ amatur, ab invito eripitur. Hinc est, quod sancti temporalium contemptores carebunt eis absque dolore, quia non habent ea hic in amore, sed in necessitate: gaudentque, cum fuerint exempti ab ipsa necessitate, inhæsuri solius veritatis visioni, quæ illis non poterit auferri, quia eam in mundo amaverunt, et extra mundum, supra mundum in solo Christo, qui Veritas est, quæsierunt. Qua contempta, iniquus *Chusi* concipiendo temporalium amorem, concepit in semine infernalem *dolorem*. Nam ecce *parturiit injustitiam*, ut injuste auferat ab altero, quod perverse amat: et hoc est inde, quia *concepit dolorem*, quem parturit moliendo aliquid iniquum, et *peperit* producendo ad actum, sicut est furti, rapinæ, vel mœchiæ actus, qui est ipsius diaboli filius, utpote conceptus de semine ipsius, quod est amor mundanus. Quid autem intellexerit in verbo conceptionis, diffinit ex affectu dicens:

A

Vers. 16. *Lacum aperuit, et effodit eum, et incidit in foveam, quam fecit. Lacus* est terrena cupiditas, *lacus* profundus carens fundo, quia quanto amplius acquiruntur concupita, tanto amplius concupiscuntur acquirenda, ut sit cupiditas infinita et profunda. Hunc *lacum* sibi *aperuit* iniquus concipiendo ex habendi delectatione fraudis inchoationem, vel turpitudinis machinationem: et *effodit eum*, dum institit operi: et *incidit* pariendo, id est opus perficiendo, *in foveam quam fecit*, quia verbi gratia, dum fraudator pecuniæ cupit decipere alium, prior et pejus damno læditur innocentiæ, quam ille pecuniæ. Cur ergo *judex* tanquam crudelis habeatur, cum iniquus non nisi propriorum operum funibus constringatur? Non enim alieno dolore, aut aliena iniquitate gravabitur in judicio, sed potius.

B

Vers. 17. *Convertetur dolor ejus*, quem *concepit*, *in caput ejus*, *et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet. Caput* est mens, in qua est vertex ratio. Dolor autem, quem impius *concepit*, *et iniquitas*, quam *peperit*, convertuntur in caput, *et verticem*, quando peccandi libido suffocat mentem et rationem, et totus homo efficitur servus peccati dominantis menti et rationi. In futuro autem *dolor* et *iniquitas* super *verticem*, quasi de alto judicio Dei cum impetu magno *descendet*, ut pœnaliter conterat.

Ego autem parvulus *David*, id est humilis pœnitens liberatus a *verbis*, et consiliis *Chusi* Æthiopis, vel adjutus *verbis*, et consiliis alterius *Chusi* mihi condolentis, et saltem in silentio me diligentis.

C

Vers. 18. *Confitebor Domino secundum justitiam ejus.* Læta est hæc totius psalmi conclusio, in qua sonat non peccatorum, sed laudis confessio jucunda decoraque laudatio, dicente justo per fidem, et pœnitentiam justificato: *Confiteor Domino secundum justitiam ejus*, qua malos male perdit, et vineam suam locans aliis agricolis, *justum adjutorium justus* juste justificatis impendit, non humana, sed divina justitia, qua gratis prærogat merita ut juste superaddat præmia, dans gratiam pro gratia. *Confitebor* ore pronuntians devotionem, quam habeo in corde, et *psallam* opere, ut sit psalmus in finem, *nomini Domini altissimi*, qui ex hoc ipso est laudum confessione dignus, quod est altissimus.

D

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto Domino, Deo, meo, de cujus nomine trino psalmi splendet inchoatio, cujus etiam nomini persolvitur confessio in fine Psalmi, ubi commemoratur *nomen Domini altissimi.*

PSALMUS VIII.

Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Psalmi hujus titulus talis est (vers. 1):

IN FINEM PSALMUS DAVID PRO TORCULARIBUS.

Sæpe in Scripturis eadem res variis ostenditur similitudinibus. Nam Ecclesia, quæ alibi per aream, hic per torcular eadem ratione accipitur. Sicut enim in area grana a paleis: ita in torculari vinum dividitur a vinaceis, quæ tamen est necessarium simul et nasci, et crescere, atque ad maturitatem venire.

Digitized by Google

Ita nimirum in sancta Ecclesia boni cum malis permisti opere ministrorum Dei secernuntur aliquando spiritualiter, cum docentur boni, ne malis consentiant; aliquando et corporaliter, cum in sua malitia pertinaces impios excommunicationis ventilabrum foras ejicit, ne contagione vestifera plurimos perdant.

Parcendum quippe interdum esse malis propter bonos ipse Christus insinuat, ubi tractans de parabola zizaniorum docet ea sufferenda propter triticum. Sed in hac sufferentia, illud est notandum quod dicitur : « Sinite utraque crescere (*Matth.* XIII, 29-30). » Quandiu enim crescentibus zizaniis pariter et triticum crescere non impeditur, consulto aliquando utrisque parcitur, ne forte simul cum zizaniis eradicetur et triticum. Verum si ita exuberant zizania, ut suffocent frumentum, jam non illis est parcendum, quia in eorum sufferentia tritici nullum est incrementum, sed detrimentum; quando videlicet sola zizania nituntur agrum Dominicum, id est hunc mundum, sic occupare, ut nec « hortus conclusus (*Cant.* IV, 12) » valeat ab eis esse tutus, qui clavibus divinæ auctoritatis est obseratus dicente Domino : « Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari (*I Paral.* XVI, 20). » Malis ergo in Ecclesia contra bonos malignantibus, neque hoc ipsum, quod tolerantur, tolerantibus, non est causa, cur parcatur, maxime si Ecclesia contra tales conqueritur, sicut conquesta est Sara contra filium ancillæ in conspectu patris Abrahæ. Notandum vero quod hic filius ancillæ una cum filio liberæ tandiu sinebatur in domo paterna crescere, donec inventa est iniquitas in eo tanta, ut persequeretur filium liberæ. Persecutione vero propalata, dixit mater libera : « Ejice ancillam, et filium ejus (*Gen.* XXI, 10). » Idem tamen Isaac a domestica persecutione liberatus, a Palæstinis alienigenis multa mala est perpessus, qui successibus ejus felicibus invidentes, puteos, quos foderat, obruerunt, atque illum de loco ad locum fugere compulerunt. Ex quo animadvertimus, quia hostes domesticos, videlicet malos Christianos, cum potest mater Ecclesia, debet etiam a bonis corporaliter separare, qui tamen boni a paganis et excommunicatis compelluntur aliquando iræ ipsorum loco dare. Sic interdum bonis malos persequentibus, et eos de sancta Ecclesia pellentibus, interdum vero iisdem bonis malorum persecutionem sustinentibus, in torculari Dominico vini et acinorum, olei et amurcarum fit separatio, nunc particulariter, sed in futuro fiet hoc universaliter, dicente Judice ad pios : « Venite, benedicti Patris mei (*Matth.* XXV, 34); » et ad impios : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*ibid.*, 41). »

In quo judicio, quoniam « revelabunt cœli iniquitatem » impiorum, « et terra adversus eos consurget (*Job* XX, 27), » recte in hoc « Psalmo pro torcularibus conscripto, » et de cœlis dicitur : *Quoniam videbo cœlos opera digitorum tuorum*, et de terra : *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra.* Cœli enim sunt illi sancti perfectissimi, qui cum Domino « judicabunt nationes, et dominabuntur populis in magna constantia » stantes « adversus eos, qui se in torcularibus » angustiaverunt (*Sap.* III, 8; V, 1). Illi autem terra bona, et fructifera intelliguntur, qui pro fructibus eleemosynarum in judicio salvabuntur dicente Domino : « Esurivi, et dedistis mihi manducare, etc. (*Matth.* XXV, 35). »

Aliter : Ecclesia dicitur torcular, quia in ea verbum divinum sono et intellectu, figuris et earum significatis, quasi vinaceo et vino, quasi amurca et oleo compositum est : quod cum eodem sono fertur ad aures, aut etiam per litterarum, seu picturarum, vel etiam totius mundanæ fabricæ figuras ingeritur visui, et ita ipsum verbum visu, vel auditu comprehensum, quasi in torculari discernitur : dum soni auditi, et figuræ conspectæ foris manent, intellectus vero ad interiora manans, et in lacu memoriæ diligenter exceptus inde transit ad habitum mentis, et morum disciplinam quasi in cellam vinariam, de qua dicit sponsa : « Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem (*Cant.* II, 4). » In hoc sensu pro *torcularibus* recte dicitur *admirabile esse nomen Domini in universa terra :* quia *nomen*, et laudem fabricatoris mirabiliter magnificat et terrena creatura, quæ sui magnitudine Creatoris omnipotentiam, sui status et motus ordinatissima dispositione sempiternam sapientiam, suorum fructuum utilitate bonitatem æternam demonstrat. Et in his tribus, videlicet omnipotentia, sapientia, bonitate, trinus Deus insinuatur, cujus *admirabile nomen in universa terra* prædicatur. Et hujus nominis dulcedo per visibilem creaturam intellecta, quasi oleum expressum de amurca ita beatas mentes delectat, ut jucundum sit eis cantare : *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra*, quæ videlicet quasi quædam pagina nigris litteris conscripta sapientem inspectorem ad illius vini mittit saporem, quod cor hominis lætificat, et illud oleum repræsentat, de quo dicitur : « Oleum effusum nomen tuum (*Cant.* I, 3). » Quod nomen est admirabile in universa terra, » quia « misericordia Domini plena est terra (*Psal.* XXXII, 5). » Cum autem cœlos cœlorumque virtutes aspicimus *opera digitorum* Dei, et *lunam*, ac *stellas*, quasi paginam legimus aureis conscriptam litteris insinuantem, quod Domini *magnificentia* super suam celsitudinem *est elevata.* Unde Joannes unus cœlorum rationabilium, « qui, » inquit, « post me venit, ante me factus est, cujus non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti. Me oportet minui, illum autem crescere (*Joan.* I, 27; III, 30). » Hoc dixit homo, quo « inter natos mulierum non surrexit major (*Matth.* XI, 11). » Angelus etiam princeps militiæ cœlestis, quo inter angelos non est major, suo nomine indicat, quod minor sit illo, cujus *magnificentia super cœlos est elevata.* Dicitur

Digitized by Google

enim Michael, quod interpretatur, *quis ut Deus*. Et David : « Quis, » inquit, « in nubibus æquabitur Domino (*Psal.* LXXXVIII, 7). » Et Petrus Princeps apostolorum noluit erectus crucifigi, ne videretur Domino suo crucifixo assimilari. Solus ille, qui voluit esse similis Altissimo, cum suis complicibus non habet locum in cœlo, sed in infimo inferno, a cujus consortio, vel ab acino acidissimo, velut ab amurca spurcissima longe separati, et eliquati sancti homines, et angeli per torcular judicii divini laudant *admirabile nomen Domini*, cujus *magnificentia super cœlos est elevata*.

Aliter. Ecclesia dicitur torcular, quia sæpe in ea velut in torculari, per prelum martyrii bonorum corpora in terris remanent quasi acinum et amurca : animæ vero in requiem emanant æternorum cellariorum, quibus tandem in resurrectione adjungentur et ipsa corpora per torcularia passionum ita purificata, ut et ipsa una cum suis animabus digna sint recipi in æterna tabernacula, in æterna cellaria, de quibus dicitur : « In domo Patris mei mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV, 2). *Pro torcularibus* ergo, id est pro Ecclesiis instituendis vel institutis psallitur in finem, id est in consummationem, ut videlicet claritas lunæ, ac stellarum puritas, et serenitas cœlorum, quam Propheta conspexit in libro æternæ prædestinationis, inveniatur in Ecclesia consummata in finem, id est, in Christum. « Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti (*Rom.* X, 4). » Propterea demonstrativus est hic psalmus ad Christi commendationem, de cujus gloria et honore loquens intendit auditores exhortari, ut eidem Christo voluntarie subjiciantur, cui etiam, qui nolunt subjici, subjacent inviti.

Ut autem potenter intelligatur, cur hunc psalmum dicimus demonstrativum, vel quemlibet alium psalmum, qui est de simili genere causarum, paulo altius dicendum est de causarum generibus in arte quidem rhetorica distinctis, verumtamen non nisi de arte artium, divina scilicet sapientia descendentibus, et in hoc psalmorum libro distincte suas facies ostendentibus. Tria enim sunt genera causarum, deliberativum, demonstrativum, judiciale, quæ quidem conveniunt per intensiones et depulsiones : quia in omnibus causarum generibus, et alii sunt, qui intendunt, et alii sunt, qui econtra depellunt, id est contra se dicta refellunt. Sed tamen tria hæc genera causarum suis qualitatibus inter se differunt, quia genus deliberativum de futuro agit, tendens ad persuadendum utile, et dissuadendum inutile, currens totum sub intensione ac depulsione : quia qui suadet, intendit, qui dissuadet, ipse depellit, quod alter suasit.

Similiter demonstrativum genus causæ sub intentione laudantis, et depulsione vituperantis tendit ad honestum aliquid commendandum, et inhonestum vituperandum, agens de præsenti, maxime cum aliquis in honorem dignitatis alicujus eligendus, laude aut vituperio dignus ostenditur.

Judiciale genus causæ agit de præterito, tendens ad justum et injustum, quando accusator intendit aliquem pro facto jam præterito jure damnandum, et defensor studio depulsionis aut negat factum, aut concedens factum, negat illud jure puniendum.

De genere deliberativo est illud quod in psalmo duodecimo dicitur : « Quandiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem. » Loquitur enim de futuro, deliberans in consilio illud eligere, quod constiterit utile. De genere judiciali est illud quod in psalmo nonagesimo tertio dicitur : « Exaltare, qui judicas terram, redde retributionem superbis. » Agit enim de præterito, accusans malorum superbiam, docens eam jure puniendam. De genere demonstrativo est iste psalmus ; agit enim de Rege magno *gloria et honore* coronato ante oculos omnium, quasi præsente atque conspicuo, cui voluntarie subjici probat honestum, nolle autem subjici ostendit inhonestum, cum velint, nolint, inimici ejus non possint effugere imperium, cujus *pedibus omnia* subjecta demonstrantur, sive quæ illi famulantur intentione et actione, sive quæ illi adversantur sola intentione, famulantia tamen, velint, nolint, actione vel passione.

Habet autem ista demonstratio argumentationis perfectæ, et absolutissimæ formam, quinque partibus expletam secundum artem rhetoricam. Absolutissima namque apud rhetores et perfectissima argumentatio est, quæ in quinque partes distributa est. Prima pars est propositio, secunda ratio, tertia rationis confirmatio, quarta exornatio, quinta conclusio, sive complexio posita in orationis termino, seu concordans principio.

Propositio est, quod dicit hic magnus orator, magni regis demonstrator : *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra.* Illo namque versiculo Propheta summatim ostendit, quid sit, quod probare intendit. Proponitur enim his dictis Rex magnus, *et admirabilis*.

Ratio est, quod sequitur : *Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos. Ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et ultorem.* His enim dictis ratio redditur, quare iste Rex admirabilis non in una terrarum parte, sed *in universa terra* Dominator Dominus annuntietur.

Rationis confirmatio est, quod sequitur : *Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum, lunam et stellas, quæ tu fundasti.* Per hæc dicta ratio confirmatur, quia quod ratione persuasum est ad credendum, videlicet elevatum esse Christum supra *cœlos* cœlorum, hoc etiam visu comprobatur, si cœlorum ; id est, apostolorum, lunæ, id est Ecclesiæ, stellarum, id est minorum sanctorum pulchritudo consideratur, quæ post Christi supra *cœlos* elevationem cœpit fulgere smisso per illum sancti Spiritus igne

Digitized by Google

ac lumine ad illuminationem cœlorum, lunæ, ac stellarum spiritualium.

Splendida vero totius orationis exornatio est in eo, quod dicitur : *Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas : insuper et pecora campi, volucres cœli, et pisces maris, qui perambulant semitas maris.* Illis enim versiculis insigniter honestavit, et locupletavit rem copioso ornatu pietatis, admirando magnitudinem divinæ dignationis : quomodo hominem tam longe invidia diaboli ab æternitate dejectum tantopere requisierit.

Tandem postrema pars argumentationis, quæ est conclusio sive complexio dicitur, in qua etiam reditur ad principium, ita subjungitur : *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra :* quasi dicat peritus orator spiritus propheticus, quod in principio argumentationis, ratione, rationis confirmatione, et exornatione verum esse patuit. Unde revertens ad propositionem, talem facio complexionem, sive conclusionem, quæ nullius hæretici sophistica deceptione valeat infirmari, quia repetitio confirmatio est. Nunc redeamus ad totius psalmi continuam expositionem. Incipit ergo Propheta a laude ita dicens :

VERS. 2. *Domine* omnium per potentiam, *Dominus noster*, id est rationalis creaturæ per cultum, *quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* quam infinitæ admirationis et laudis celebritate dignum est *nomen tuum*, per quod in carne manifestatum, in mundo creditum, et assumptum in gloria, Tu qui eras notus tantum *in Judæa Deus*, nunc es nominatus, celebris, et inclytus in universa terra (*Psal.* LXXV, 2), non in Judæa tantum, ut dicunt Judæi, nec in Africa sola, ut aiunt Donatistæ.

Supponit autem rationem, quare sit *admirabile*, quasi dicat : Ideo dico *nomen tuum admirabile : quoniam magnificentia tua*, id est Filius tuus, vel humanitas ipsius, per quam tu es magnificatus, *elevata est* loco *super cœlos*, quando ascendit quadragesima post resurrectionem die. *Elevata est* etiam glorificatione *super cœlos*, id est *super* omnes cœlorum virtutes, *super* omnes rationales creaturas usque ad altissimam Dei Patris consessionem : quia, ut ait Apostolus, « consedit in dextera sedis magnitudinis » Dei homo assumptus in Deum, æque omnipotens per omnipotentiam, quam ex tempore accepit, sicut est Pater omnipotens per omnipotentiam, quam ex æterno habuit : æque altissimus Deus per altitudinem et divinitatem, quam ex tempore accepit, sicut est Pater altissimus Deus per altitudinem et divinitatem, quam ex æterno semper habuit. Neque enim aliquid Deus Pater habuit, quod homini filio suo non dederit. Unde ipse ait : « Omnia mihi tradita sunt a Patre meo (*Luc.* x, 22) : » ac si dicat : In eo, quod mihi tradidit, ut sit Pater meus, in eo mihi tradidit *omnia*, quæ habet, non solum ut omnia creata subjecta sint *pedibus meis*, sed etiam, ut *omnia* quæ ipse habet ex natura sua divina, verbi gratia, omnipotentiam, æternitatem, et cætera talia ego quoque habeam, ita videlicet, ut sicut ipse est omnipotens et æternus Deus, ego quoque accepta æterna divinitate sim Deus omnipotens, æternus, non quod semper homo fuerim, sed quod semper Deus fuerim, ea divinitate, qua non solum ante Abraham, sed et ante Adam ego sum. Non dixit Christus : ante Abraham ego fui ; quia divinitatis non est fuisse, sed esse. Neque dixit : ante Abraham pars essentiæ meæ fuit (36). Non enim pars Christi Verbum est, sed ipse Christus Verbum est, totus Verbum, sicut totus Deus, non dimidia pars Christi Verbum, et dimidia pars homo, sed totus Christus Verbum, et totus Christus homo, quia idem ipse Deus et homo. Intelligis quod dico? si non intelligis, crede tantum. Credi potest, si intelligi non potest. Verum est tamen, quia Christus idem ipse Deus, et homo fuit, nec tertia pars Verbum fuit, nec aliquid ex carne, et anima, et Verbo quasi ex partibus compositum totum fuit, quia totum ipsum Verbum fuit. Divinitas enim pars non fuit, ut ex ipsa totum esset majus ipsa, nec in ipsa pars fuit, ut in ipsa esset aliquid minus ipsa. In humanitate sola partes invenimus, et totum ex partibus constat. Nam homo quiddam totum est, duabus partibus constans, anima et corpore. Hoc totum Deus assumpsit : huic toti totam divinitatem dedit, et de hoc toto tota divinitas prædicatur, ita ut homo totus proprie Deus dicatur. Unde beatus Augustinus libro septimo de Trinitate ait : « Christus in forma Dei æqualis est Patri : in forma servi mediator Dei et hominum. Quia vero forma Dei accepit formam servi, utrumque Deus, et utrumque dicitur homo, sed utrumque Deus propter accipientem Deum, et utrumque homo propter acceptum hominem. Neque enim illa susceptione alterum eorum est mutatum in alterum, nec divinitas quippe in creaturam mutata est, ut desisteret esse divinitas, nec creatura in divinitatem, ut desisteret esse creatura. »

Ambrosius autem in libro, quem de Trinitate scribit, ita dicit : « Dicimus igitur factum esse hominem, et ad hominem hoc esse referendum. » Denique et alibi habemus : « *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem* (*Rom.* I, 3). Secundum carnem utique David factus est ex semine. Deus autem ante sæcula ex Deo natus est. Nec tamen factum esse semper ad creationem refertur. Scriptum est enim : *Domine, refugium tu factus es nobis* (*Psal.* LXXXIX, 1). » Et paulo post : « Ergo si factum esse frequenter ad aliquid, non ad naturam refertur, etiam creatum non semper ad creaturam refertur. Unde intelligimus illud, quod de Incarnatione Domini scri-

(36) *Sententia Hugonis de S. Victore*

Digitized by Google

ptum est : Dominus creavit me principium viarum suarum in opera sua, illud significare, quod ad redimenda opera Patris Dominus Jesus ex virgine sit creatus. » Item in eodem : « Paulus, inquit, prohibet me creaturæ servire, et Christo admonet serviendum. Non ergo creatura Christus : « Paulus, inquit (*Rom.* « I, 1), servus Jesu Christi. » Et bonus servus, qui Dominum recognoscit, ipse creaturæ servire nos prohibet. Quemadmodum ergo Christo ipse serviret, si Christum creaturam putaret? Video ergo quomodo Christum et factum, et creatum secundum aliquid affirmat, quem tamen creaturam esse negat. » Idem quoque in eodem libro Christum non adoptivum, sed naturalem filium esse testatur, dicens : « Per adoptionem nos filli dicimur, ille per veritatem naturæ. Quomodo ergo ex nihilo, qui ex nihilo omnia fecit? »

Ita oportet secundum testimonia Scripturarum fidei vestigia formare, ut rectæ credulitati sinceræ confessionis puritatem adjungamus, atque in Christo non solum increatam naturam divinam, sed et creatam naturam humanam corde credamus, et ore confiteamur *super cœlos* cœlorumque virtutes altissimam, nec jam inter creaturas computandam, sed super omnes creaturas adorandam, eadem adoratione qua Deus Pater adoratur. In sancta enim synodo Ephesina sub anathemate interdictum legimus, ne humanitatem Christi Verbo Dei quis dicat coadorandam, quam sancti Patres in eadem synodo prædicant adorandam in simplici adoratione, qua non homo a Verbo distinguatur, sed ex duabus, et in duabus naturis unus Emmanuel super omnia Deus benedictus colatur.

Hujus *magnificentia est elevata super cœlos*, id est super scripturas, quoniam omnium linguarum et scripturarum eloquia excedit elevatio humanitatis in altissimam gloriam summæ Divinitatis; et tamen hujus magnificentiæ laus ex *ore infantium et lactentium* perficitur, quando quod credimus confitemur, nec tamen illud effari valemus : quia est ineffabile. Unde sequitur :

Vers. 3. *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem. Lactentium* dicit non ætate, sed simplicitate, sicut Petrus ait : « Quasi modo geniti infantes (*II Petr.* II, 2), » quibus apostolus lac simplicis doctrinæ dedit, non escam. Ex his Dominus, non dico, facit, sed perficit *laudem* : quia non consuleretur humano generi, nisi in Ecclesiis cum perfectis minimi nutrirentur. Hi præfigurabantur per Hebræorum pueros, qui Dominum venientem ad passionem laudabant. Unde Dominus ibi utitur hoc exemplo dicens : « Nunquid legistis quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem? » (*Matth.* XXI, 16.) Dicuntur et infantes apostoli, quia « stulta mundi elegit Deus, ut confunderet sapientes (*I Cor.* I, 27). » Unde perfectior laus, quam non « caro, et sanguis revelavit, sed Pater, qui in cœlis est (*Matth.* XVI, 17) : » quia ad eam non humana sapientia, sed divina gratia accendit propter *inimicos* gratiæ, hæreticos, philosophos destruendos. Unde cum dixisset : *ex ore infantium et lactentium perfecisti* laudem, adjecit *propter inimicos tuos*, subauditur destruendos. Unde supponit :

Ut destruas inimicum et ultorem. Philosophi sunt inimici crucis Christi, quibus Deus abscondit quæ parvulis revelavit. Hic inimicus destruitur, cum sanctus quilibet veracius in cruce Domini nostri Jesu gloriatur, quam philosophus aliquis potuerit unquam gloriari in sapientia hujus mundi. Quomodo enim quis glorietur in illa sapientia quam stultam fecit, et ostendit Deus? Aut quomodo non est gloriandum in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem sanctis crucifigitur mundus, et ipsi crucifiguntur mundo? *Ultorem* sive defensorem vocat hæreticum, qui in eo quod est ultor et defensor, est etiam inimicus. Impugnat enim fidem, quam videtur defendere. Similiter philosophus, cum dicatur amator sapientiæ et defensor, potius est inimicus : quoniam dimisso Filio Dei, qui est virtus et sapientia, suadet ut elementa colantur. Judæus etiam est inimicus veritatis et ultor suæ legis ac defensor paternarum traditionum. Quosdam tales destruit frangendo, dum nolunt flecti; quosdam destruit flectendo, quia ipsi acquiescunt flectenti, ut Saulus inimicus et ultor, qui divina manu tactus dixit : « Domine, quid me vis facere? » (*Act.* IX, 6.) Judas autem inimicus Christi et ultor sui damni, quod in effusione pretiosi unguenti super caput Jesu visus est habuisse, quia noluit flecti, fractus est, « et crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera ejus (*Act.* I, 18). » Similiter Arius hæresiarcha, quia noluit flecti acquiescendo catholicæ fidei et veritati, fractus est et effusa sunt omnia viscera ejus.

Quid in hac demonstrativa oratione his dictis laudatur, nisi Christus insuperabilis imperii rex, ac semper magnificus triumphator contra omnem *inimicum* veritatis, et defensorem sui erroris? Quia omnem *inimicum*, et defensorem destruere potens hic solus dignus est imperio, dignus *gloria et honore* coronari, et constitui *super opera manuum* Patris; imo dignus est ut jam, *gloria et honore* coronatus, *et super omnia* constitutus Rex magnificus agnoscatur, et ei ab omnibus gentibus, tribubus, populis et linguis devote serviatur, cui servire est regnare. Hic est Filius hominis, quem vidit Daniel in nubibus cœli, quia ipse est in sanctis angelis et hominibus, qui per nubes intelliguntur. « Et datum est, inquit, ei regnum, et honor, et omnes populi, tribus, et linguæ servient ei (*Dan.* VII, 14). » Sequitur :

Vers. 4. *Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas, quæ tu fundasti.* Audivimus oratoris hujus demonstrativam propositionem, ubi dictum est : *Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* Audivimus etiam propositionis rationem, ubi dictum est : *Quoniam elevata est magnificentia*

Digitized by Google

tua super cœlos. Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et ultorem. Nunc audiamus rationis confirmationem, cum dicitur : *Quoniam videbo cœlos tuos.* Id est enim ac si dicatur : Vere *super cœlos elevata est magnificentia tua, quoniam* nisi tu sol justitiæ, splendor paternæ gloriæ, sol, qui cognovisti occasum tuum, post ipsum tuæ mortis occasum, denuo per Resurrectionem fuisses elevatus, neque luna stetisset in ordine suo, neque stellæ vicissent noctem ignorantiæ. Nunc autem *quoniam* per Resurrectionem et Ascensionem elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo, *videbo* ego *cœlos* tuo splendore illustratos, *videbo* prophetas prius obscuros, nunc autem claros. *Videbo* apostolos prius in tua morte contristatos, postea vero « gaudentes » in « conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati (*Act.* v, 41). » Hinc ego certum habeo, quod *elevata est magnificentia tua super cœlos : quoniam videbo cœlos*, id est apostolos, *opera digitorum tuorum*, quoniam spiritus tuus, qui per digitum sive digitos intelligitur, ipse confirmavit et ornavit *cœlos*, in igneis linguis veniendo super illos, et per illos *cœlos* operante gratia tua luna, id est Ecclesia, est fundata cum stellis in claritate differentibus, id est, cum electis quibusdam divisiva gratiarum munera obtinentibus. Aliter : Vere tu *Dominus noster, perfecisti laudem.* Nam per Scripturas eam *perfecisti.* Et vere per Scripturas, quia eas ita illuminasti, quod ego *videbo*, id est intelligam perspicue contemplando, *cœlos*, id est ipsas Scripturas ex quibus incipit laus, cum non expositæ, sed involutæ pronuntiantur. Perficitur autem ea laus, cum per expositiones explicantur, et usque ad capacitatem *infantium* inclinantur.

Vel : Vere destrues inimicos : *quoniam* ab humilitate historicæ fidei incipiens, scilicet quod natus, passus, mortuus et sepultus es : per hæc et cætera similia infirma confirmatus in fide. *videbo cœlos*, id est, in robur sublimis intelligentiæ provectus, quasi per lutum de sputo Dominici oris factum illuminatus, *videbo* quod cœli enarrantes gloriam tuam sunt *opera digitorum tuorum.* Per digitum intelligitur Spiritus sanctus, quo lex scripta est (*Exod.* VIII, 19). Pluraliter autem dicit *digitorum*, ut operationem Trinitatis insinuet; sicut alibi dicitur : « Appendit tribus digitis molem terræ (*Isa.* XL, 12); » vel propter multas, et diversas gratias, quas idem Spiritus dividit singulis, prout vult (*I Cor.* X, 12).

Aliter. Vere dixi : *ex ore infantium*, quoniam in spiritu *videbo cœlos tuos*, id est apostolos, quod ex industria humana nihil sapiunt, sed quidquid erunt, a gratia erunt. Unde omnes virtutes hujusmodi cœlorum sunt *opera digitorum tuorum. Videbo et lunam*, universalem scilicet Ecclesiam, quæ quare per *lunam* accipiatur, in psalmo decimo exponetur. *Videbo* etiam *stellas*, id est singulas Ecclesias per loca et munera distinctas, quas tu, non illi, *fundasti.* Neque enim Petrus, vel cæteri apostoli Ecclesias fundaverunt, sed tu, qui dixisti : « super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam (*Matth.* XVI, 18). » Ædificanti domum, et in altum fodienti, ac ponenti fundamenta supra petram, tibi homini sapienti, tibi homini Deo Petrus, aut alius gratiæ minister, ut sapiens architectus fundamenta ponendo ministrat, sed non nisi de tuo tibi ministrat : ideo tu solus Ecclesias *fundasti*, quia in te solo consistit stabilitas, et auctoritas fundamenti. Unde apostolus tuus Paulus, qui ut sapiens architectus fundamenta ponens plus omnibus laboravit, ipse de se humilia sentiens dicit : « Non ego autem, sed gratia Dei mecum (*I Cor.* XV, 10). »

VERS. 5. *Quid est homo, quod memor es ejus?* Hoc ad exornationem dicitur sub admiratione, ut vere clarescat *nomen* Domini esse *admirabile*; sicut dicitur et in prima psalmi hujus propositione, et in extrema ejus complexione : quasi dicatur : Vere *nomen tuum, Domine, in universa terra est admirabile*, quia, cum sit *elevata magnificentia tua super cœlos*, tamen misericordia tua respicit bonos et malos, imo respicit et requirit malos, ut faciat bonos. *Memor es* hominis, ut de homine faciat filium *hominis*, ut de vetere faciat novum, et hoc est *mirabile. Quid est* enim *homo quod memor es ejus?* cujus est pretii per se *homo*, ut tu *Domine Deus noster*, debeas *esse memor ejus? aut quid est filius hominis quoniam visitas eum? Homo est* putredo, et *filius hominis* vermis. *Homo est* lutum, et *filius hominis* vas luteum. Et tu tamen *es memor hominis*, et *visitas filium hominis.* Revera hoc est *mirabile.* Non dicit : *quid est homo*, et *filius hominis?* sed *quid est homo, aut filius hominis?* qua disjunctione significatur differentia inter hominem et filium *hominis.* Omnis enim *filius hominis homo*, sed non omnis *homo filius hominis.* Adam namque *homo*, et non *filius hominis.*

Hominis ergo nomine significatur quicunque portat imaginem terreni, ex quo parturiente pœnitentiali dolore nascitur novus, qui portat imaginem cœlestis. « Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis : qualis terrenus tales et terreni (*I Cor.* XV, 47 et seqq.). » Unde hortatur Apostolus ut, sicut portavimus imaginem terreni, « portemus et imaginem cœlestis (*ibid.*, 49). » Portavimus namque imaginem terreni, eidem inobedienti similes effecti per inobedientiam : portemus ergo imaginem cœlestis, eidem obedienti, similes effecti per obedientiam. Quisquis portat imaginem veteris, ipse in hoc psalmo dicitur *homo :* qui vero portat imaginem cœlestis, ipse hic dicitur *filius hominis*, quem quasi familiarem tu *Domine, Dominus noster* visitas, et respicis quasi proximum. Nam veteris quasi longe positi *es memor*, dum in hac vita subsistit, antequam descendat in infernum, ubi sunt « vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius (*Psal.* LXXXVII, 6) : » quia non « cognoscentur in tenebris mirabilia tua, et justitia tua in terra oblivionis (*ibid.*, 13). » Verumtamen

Digitized by Google

hic *memor es* hominis temporalia conferendo. Nam « homines et jumenta salvabis, Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam (*Psal.* XXXV, 7, 8). » Veterem hominem salvas ea salute qua salvas etiam jumenta : novum autem, qui dicitur *filius hominis* prope respicis, et *visitas*, dum interius lumine vultus tui faciem ejus illustras. Unde cum dicitur : *Quid est homo*, depressive legendum est, ac si dicatur : quam vilis res *est homo !* Et ideo est *mirabile* quod tu, *Domine, Dominus noster, memor es ejus.* Cum vero dicitur : *Quid est filius hominis ?* exaltative legendum est, ac si dicatur : quam pretiosa res *est filius hominis !* Quod inde apparet : quoniam tu, *Domine, Dominus noster visitas eum.* Principali visitatione *filius hominis visitatus est*, cum « Verbum caro factum est (*Joan.* I, 14), » cum Deus factus est *homo*, de quo propter infirmitatem carnis recte dicitur :

VERS. 6. *Minuisti eum paulo minus ab angelis.* Et hominem quidem peccato et miseria plenum, hominem veterem, multum *minuisti ab angelis* peccato et miseria carentibus : istum vero novum *hominem*, qui peccatum non fecit, *minuisti paulo minus*, quia, cum per justitiæ virtutem superior sit *angelis*, tamen propter mortalitatis infirmitatem, qua carent angeli, minor fuit *angelis paulo minus*, id est ad modicum tempus, videlicet usque ad mortem. Sed post mortis triumphum, destructo per ejus mortem eo qui habebat mortis imperium, *gloria* Resurrectionis et *honore* Ascensionis *coronasti eum :* carnis quoque tanta clarificatione, ut quod in eo erat corpus infirmitatis, nunc sit corpus claritatis ad similitudinem solaris corporis : unde, quem Redemptorem suscepimus in corpore infirmitatis, ipsum « Salvatorem exspectamus Dominum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ (*Phil.* III, 21). » — « Tunc justi fulgebunt sicut sol (*Matth.* XIII, 5) : » fulgebunt quoque sanctorum corpora sicut solare corpus Christi, quod fulgore suo illustrat omnia. Sicut enim ita regnat plenitudo ignis ætherei in solari corpore, ut inde calorem et splendorem habeat mundus totus : sic in Christi corpore corporaliter inhabitans omnis plenitudo Divinitatis illuminat veritatis agnitionem, inflammat virtutis amore cœlum et terram, id est cœlestem et terrestrem Ecclesiam. Igitur *gloria et honore* coronatus est *filius hominis* per clarificationem Resurrectionis et Ascensionis. Nam corpus, quod erat in Christo inferius, quando *paulo minus ab angelis* erat minoratus, hoc ascendit ad æternæ Divinitatis et claritatis tantam summitatem, ut recte dicatur : *Filius hominis gloria et honore* Deitatis coronatus. Corona enim dicitur cum circulus aureus in se ipsum est reductus, ita ut aurea lamina in se ipsam reducta non habeat finem, quia finis principio junctus imitatur infinitatem per interminabilem rotunditatis æqualitatem. Similiter, et plusquam similiter, quia humana in Christo substantia usque ad summam Divinitatis gloriam est evecta, divinitate humanitatem non consumente in fidem defectionis, sed consummante in finem perfectionis, ut perfectus *homo*, idemque perfectus Deus quasi rotundæ atque interminabilis gloriæ sit. Quippe *filius hominis gloria et honore* dicitur coronatus, quando assumptus homo in *gloria et honore* Divinitati assumenti est identatus. Unde licet in veritate Christus sit factus ex semine David secundum carnem, tamen non jam connumerandus est inter opera divina, sed adorandus *super* omnia *opera manuum* Patris. Sequitur enim :

VERS. 7. *Et constituisti eum super opera manuum tuarum*, etiam super angelorum summos choros, a quibus *minuisti eum, et super* omnia, quæ sub te sunt. Cum autem dicit *omnia*, nihil non subjectum dimisit.

VERS. 8. *Omnia*, inquit, *subjecisti sub pedibus ejus.* Per pedes intelligitur Christi humanitas, sicut per caput ejus divinitas. *Omnia* ergo subjecta sunt non solum capiti, sed etiam *pedibus ejus.* Unde ipse *homo* jam *gloria* Resurrectionis *coronatus* dicit : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII, 18), » quia in cœlo et in terra subjecta sunt illi *omnia.* Quæ *omnia ?* Bona scilicet et mala.

Oves et boves universas, insuper et pecora campi. Mittit nos ad mysticum intellectum, cum relictis altioribus ponit ima. Per *oves* accipit innocentes ; per *boves* prælatos, qui verbo Dei arant terrenos, ut fructificent. Per *oves* etiam intelliguntur *angeli*, ex eo quod legitur, quod relictis nonaginta novem, quæ sunt *angeli*, venit quærere ovem centesimam, id est hominem (*Luc.* XV, 4). Et est sensus : *oves*, id est angelos cœlestes in cœlo vacantes, *et boves*, id est evangelistas in terra laborantes, *subjecisti ; insuper et pecora campi*, id est non solum bonos illi *subjecisti*, sed et malos, qui sunt in *torcularibus* permisti bonis, ut vinacea vino, et amurca oleo ; sunt enim *pecora campi*, quia vivunt in carne, satisfacere semper cupientes ventri, et carnali concupiscentiæ in lata et spatiosa via, quæ ducit ad campos desideriorum terrestrium, vitantes arduam, et angustam viam, quæ ducit ad pascua justitiæ, quæ est sicut montes Dei. Inde etiam Abel occiditur in campo (*Gen.* IV, 8). Hi sunt qui dicunt : « Uxorem duxi, et ideo non possum venire (*Luc.* XIV, 20). »

Subjecisti etiam *pedibus* ejusdem filii hominis (VERS. 9) *volucres cœli*, id est superbos, qui, ut eleventur super cæteros in hoc mundo, acquisitionibus terrenis inhiant, quibus acquisitis velut alis quibusdam se in cœlum posse volare putant, cum reliquos homines comparatione sui pauperes et inglorios quasi longe sub se positos despiciunt. Ili sunt qui dicunt : « Villam emi (*Luc.* XIV, 18), » et ideo non possum venire.

Subjecisti etiam *pisces maris*, id est curiosos, *qui perambulant semitas maris*, in profundo sæculi hujus quærentes temporalia, quæ quasi semitæ *maris* evanescunt. Ili sunt curiosi scrutatores vitæ alienæ.

Digitized by Google

ac desidiosi correctores vitæ propriæ. Vel etiam in hoc *semitas maris perambulant*, quod libros poetarum, seu philosophorum sæcularium legendo, in his velut in semitis *maris perambulant*, in quibus laquei et retia errorum vix caveri poterunt. « Frustra » autem « jacitur rete ante oculos pennatorum (*Prov.* I, 17); » quia sancti non ut *pisces* in semitis *maris*, non in tenebrosis viis scientiarum sæcularium vagantur, sed in sereno cœlo, cœlestium scientiarum pulchritudine delectati alte volant, et laqueos errorum longe prævidentes contemplatione supervolant; vel etiam pœnitente rostro dilaniant, si quando in eis ad modicum tenentur, ut Petrus negatione trina irretitus, qui quando amare pœnitens flevit, vel etiam quando confessione amoris tertio repetita trinam negationem expiavit, quasi acuto rostro laqueos quibus tenebatur contrivit. Unde sancti pœnitentes per indulgentiam soluti dicunt: « Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, et nos liberati sumus (*Psal.* CXXIII, 7). » *Pisces* vero laqueis aut retibus implicati tanquam cæcitate profunda comprehensi magis ac magis implicantur, dum semper ad profundiora se immergere conantur. Hujusmodi homines non veniunt ad lucem confessionis; quia « omnis qui male agit, odit lucem, ut non arguantur opera ejus (*Joan.* III, 20). » Ili sunt qui dicunt: « Juga boum emi quinque, et eo probare illa (*Luc.* XIV, 19). » In his tribus culpis, voluptate scilicet, superbia et curiositate concluduntur omnia vitia quæ Joannes apostolus enumerat, scilicet concupiscentia carnis, ambitio scilicet sæculi, quæ est « superbia, et concupiscentia oculorum (*I Joan.* II, 16), » per quos curiositas maxime prævalet.

Aliter. *Pecora campi* sunt homines carnales et pecuales, sive animales, in quibus hoc solum culpatur, quia non percipiunt ea quæ sunt spiritus Dei. Percipiuntur autem hæc duobus modis: fide scilicet, qua spiritualia creduntur; intellectu, quo eadem cernuntur, non quidem perfecte, sed per speculum et in ænigmate. Hæc spiritualia « non A percipit homo animalis, » quia non sapit « ea quæ sursum sunt (*I Cor.* II, 14). » *Volucres* autem *cœli* spirituales nequitiæ sunt in cœlestibus, id est in aere, qui cœlum dicitur, positi, quibus non sufficit ad culpam, quod ea non percipiunt aut sapiunt quæ sunt spiritus Dei. Persequuntur enim per se ac per malos homines ea quæ sunt Spiritus Dei. Et ideo ipsi homines, qui dæmonibus associantur propter diabolicam nequitiam et superbiam, et ipsi *volucres cœli* appellantur, maxime si spirituales non solum non diligunt, sed et persequuntur. Qui autem non aperta persecutione, sed occulte insidiando quasi *pisces* in silentio ambulantes, contra bonos amaricantur, ipsi non incongrue pisces *maris* vocantur. Verumtamen in hoc mari magno, quanquam sint B « reptilia, quorum non est numerus (*Psal.* CIII, 25), » *omnia* subjecta sunt soli dominio illius, cui et in prima psalmi hujus propositione, atque in finali ejus conclusione, seu complexione dicitur:

VERS. 10. *Domine, Dominus noster quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* In fine hujus demonstrativæ orationis per conclusionem, seu complexionem recurrit ad principium, per hoc insinuans quod bona operatio, a qua dicitur *Psalmus*, ad eum referenda est, a quo procedit, qui est « alpha et omega, principium et finis (*Apoc.* I, 8), » inchoator et consummator totius boni operis.

Gloria Patri, qui *omnia* subjecit Filio *hominis*. *Gloria* ipsi *Filio*, qui cum esset *Filius* Dei, dignatus C est *filius hominis* fieri, dignatus est *ab angelis* minorari, et nunc est *gloria et honore* coronatus quasi pontifex et rex, ut nos ipse pontifex, humanitatis linea mitra infulatus, ipse Rex, aurea Divinitatis corona ornatus ita sanctificet, atque gubernet, sicut talem pontificem et regem decet. *Gloria Spiritui sancto*, qui per digitos intelligitur, de quibus in psalmo isto dictum est: *Videbo cœlos opera digitorum tuorum*. Gloria uni ac trino Deo, cui et in principio, et in fine psalmi dicitur: *Domine, Deus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!*

PSALMUS IX.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo. Hic D psalmus inscribitur sic (VERS. 1):

IN FINEM PRO OCCULTIS FILII, PSALMUS DAVID.

Et est sensus: Iste psalmus attribuendus est *David*, id est manu forti, desiderabili et perfectæ Ecclesiæ tendenti *in finem*, id est in Christum, ut ei sit conformis. *Pro occultis filii*, id est consideratione occultorum judiciorum, quæ ad Filium pertinent sicut scriptum est: « Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* V, 22), » qui antonomastice Filius dicitur, sicut idem testatur: « Si Filius vos liberaverit, vere liberi critis (*Joan.* VIII, 36). » Intentio Prophetæ est in hoc psalmo introducere perfectam Ecclesiam de occultis judiciis gratias Deo omnibus modis agentem, et per hoc minora membra instruentem, ut nihil casu fortuito, sed justo Dei judicio omnia in mundo credantur fieri. Quod divinum judicium licet contingat interdum esse occultum, nunquam continget esse injustum: verbi gratia, in primo Christi adventu quidam eum tantum hominem esse putaverunt, pauci vero, id est electi, Deum et hominem intellexerunt, sicut adhuc aliqui etiam Christiani Deum hominem, vel hominem Deum esse non intelligunt, quod Dei

Digitized by Google

occulto judicio factum est et fit, videlicet ut et tunc quibusdam pateret, alios lateret, et nunc aliquibus pateat, et alios lateat : « quod Verbum caro factum est (*Joan.* I, 14), quod Homo Deus est. Item de secundo adventu quidam male sani dubitant, quique autem fideles ut certum exspectant, quod similiter justo judicio Dei fit, justo, inquam, sed occulto, quo quidam eliguntur, quidam relinquuntur, juxta illud : « Duo in agro, unus assumetur, et alter relinquetur. Duo in pistrino, unus assumetur, et alter relinquetur (*Matth.* XXIV, 40 et 41). » « Duo in lecto, unus assumetur, et alter relinquetur (*Luc.* XVII, 34). »

Et potest quidem interdum aliquo indicio cognosci etiam in hac vita, qui sint assumendi et qui relinquendi in divino judicio, quo bonorum et malorum plenaria fiet separatio, quo tamen die, vel qua hora futurum sit ipsum judicium, omnes æqualiter ignorant, quia non est nostrum « nosse tempora, vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate (*Act.* I, 7). » Usque adeo est hoc tempus occultum inter cætera occulta Filii, ut etiam ipse Filius dicat se non nosse qua hora sit venturus (*Marc.* XIII, 32). Non quod sibimet hoc ignoret, cui Petrus dicit fidelissime : « Domine, tu omnia scis, tu omnia nosti (*Act.* I, 24), » sed quod apostolis de die illa sciscitantibus inventus est velut ignorans Filius. Sicut enim Deus dicitur nobis cognoscere, quando nos facit cognoscere, verbi gratia, cum dicit Abrahæ : « Nunc cognovi, quod timeas Dominum (*Gen.* XXII, 12), » pro eo ut diceret quod mihi semper notum fuit, nunc te cognoscere feci ; sic Filius Dei nobis dicitur ignorare quod nos facit ignorare, non quod ipse aliquid ignoret, cum sint omnia nuda et aperta oculis ejus, cum sit ipse sapientia attingens « a fine usque ad finem fortiter, et disponat omnia suaviter (*Sap.* VIII, 1). » Si ergo ipse Filius Dei sapientia disponit omnia, ergo disponit occulta novissimæ diei tempora, nec disponere posset, si hæc ignoraret. Sed tamen hæc nobis ignorat, et angelis, quia nec hominibus, nec angelis manifestat qua hora sit venturus, ut semper exspectetur quasi proximus. Etiamsi angeli horam illam sibi sciunt, nobis nesciunt, quia nobis eam non ostendunt, quia ipsi occulta Filii tanquam servi, vel amici consecretales custodiunt.

Quare autem quidam salventur, quidam reprobentur, cum omnes ex eodem parente veniant, occulto Dei judicio fit, quod similiter omnibus ignotum est. Illud etiam, quod in præsenti sæculo mali exaltantur et boni deprimuntur, occulto et justo Dei judicio fit. Occulto quidem malis, bonis autem ex parte magna manifesto. Præterea quod filius perditionis circa finem sæculi tantopere supra Ecclesiam se extollet, eamque tanta persecutionum acerbitate afflget, occulto et justo Dei judicio fiet. In quibus omnibus gentes, et male intelligentes errant, et Deum blasphemant ; perfecta vero Ecclesia non solum Deum non blasphemat, sed in omnibus eum totis viribus attente laudat dicens :

A Vers. 2. *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua.* Duobus igitur præcedentibus psalmis concinentibus recapitulatam Passionis et Resurrectionis fidem, quæ necessaria est ad æternam salutem, recte hic subsequitur, in quo occulta ejusdem Filii judicia confitendo sancta Ecclesia miratur secundum sensum Apostoli dicentis : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus ! » (*Rom.* XI, 33.) Dixit enim hæc de cæcitate, quæ ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret. Quæ videlicet cæcitas occulto nimirum judicio statim contingit, ubi Christus juxta præcedentem psalmum gloria et honore coronatus est. Ordo bonus. Nam cum in B psalmo proximo sit præmissa regis ac pontificis Christi gloria et honore coronati confirmativa demonstratio, et rationabilis collaudatio, in isto sequitur cum ejusdem Christi laude Antichristi confutatio per demonstrationem suæ impietatis et inhonestatis, pro qua sic est ipse Antichristus cum suis membris gloria et honore privandus, sicut Christus pro sua pietate et honestate nunc in se ipso est gloria et honore coronatus, et in suis membris partim coronatus, partim adhuc honorandus et coronandus. Unde sicut in natali cujusque martyris ad laudem Christi replicamus : « Gloria et honore coronasti eum (*Psal.* VIII, 6), » ita exaltatione cujusque impiissimi, quando « laudatur peccator in desi- C deriis animæ suæ, et iniquus benedicitur (*Psal.* X, 3), » non incongrue ad confutationem Antichristi dicimus : *Exsurge, Domine, non confortetur homo.* Item : « Contere brachium peccatoris et maligni, » etc. (*Psal.* X, 15), quæ in hoc psalmo ad confutationem Antichristi sunt incerta, sicut patebit in continua psalmi expositione, quæ hoc modo distinguitur.

Primo Propheta lætus psallit quia cultura diaboli adventu Christi destruitur, et ipse Christus regnat, judicat, adjuvat ; secundo admonet fideles ut psallant, prætendens beneficia præsentis temporis et futuri, ubi dicit : *Psallite Domino, qui habitat in Sion*, etc. ; tertio inducit de Antichristo invocans auxilium Christi contra ipsum, ubi dicit : *Exsurge, Domine, non confortetur homo*, etc.

D Ait ergo : O *Domine*, quidam videntes affligi æque bonos ac malos, ignorantes cur fiat, detrahunt tibi putantes, quæ divina fiunt administratione, casuum temeritate contingere. Sed ego, qui cerno occultas causas, quibus hoc juste facis, *confitebor tibi*, id est laudabo te *in toto corde meo*. Alii in parte cordis laudant, qui quædam opera Domini approbant, quædam blasphemant ; sed ego *in toto corde meo confitebor*, qui omnia recte et disponi, et fieri sentio. *Narrabo* etiam aliis non nostra opera, sed *omnia* opera *tua* esse *mirabilia*, nunquam reprehensibilia. Cum quidam mirentur exteriora facta, ut Lazarum suscitatum in corpore, non vero mirantur Paulum suscitatum in mente, quod est mirabilius. Mirantur quædam, sed non *omnia*. Ego vero *omnia*, visibilia

Digitized by Google

et invisibilia generaliter, quorum scilicet quæcunque *narrabo*, *narrabo* esse *mirabilia*. Et hæc narrando aliis apud me.

VERS. 3. *Lætabor*, non in laudem hominum, non in terreno quæstu, sed *in te*, hoc est in *occultis Filii*, ubi lumine vultus tui sumus signati (*Psal.* IV, 7). Optans etiam ut hæc lætitia semper crescat, *exsultabo*.

Aliter : *Lætabor* mente, *et exsultabo* corporis alacritate. Vel *lætabor* in anima juxta illud : « Magnificat anima mea Dominum (*Luc.* I, 47) ; et *exsultabo* in spiritu, ita ut confidenter possim dicere : « Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo (*ibid.*). » Et quia hæc lætitia, et exsultatio regnans intus in anima quinque sensus vegetante, et in spiritu cogitationes bonas et malas examinante, debet etiam exterius apparere ad ædificationem proximorum, ut videntes « opera nostra bona glorificent Patrem » nostrum, « qui est in cœlis (*Matth.* V, 16), »—« non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo, Domine, gloriam (*Psal.* CXIII, 1), » totius boni operis assignando. *Psallam nomini tuo, Altissime.* Non solum interius *lætabor, et exsultabo*, sed etiam foris psallam in opere, dans gloriam *nomini tuo*, quod solum in hac vita cognoscitur. O *Altissime*, qui pro tui altissima celsitudine longe remotus es a mortalium cognitione, sicut tu ipse dicis Moysi : « Non enim videbit me homo, et vivere potest (*Exod.* XXXIII, 20). » Confitebor itaque gaudens, et exsultans, non in tuæ substantiæ cognitione, sed in tuorum operum consideratione, maxime delectatus in eo, quod contra diabolum pro nobis certando victor appares.

VERS. 4. *In convertendo inimicum meum retrorsum.* Solebat enim præcedere, cum totus pene mundus eum sequeretur. Nunc autem nondum quidem ablatus est, sed foras missus, et post tergum tuorum detrusus, velut alter Pharao veros Hebræos a se recedentes retro insequitur, et persequitur. Vel etiam ita conversus est retro, ut ipse spiritualis Pharao cum toto suo exercitu, qui prius fugabat, nunc fugiat sic dicendo : « Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis (*Exod.* XIV, 25). » Justi autem victricem manum tuam laudantes in *occultis Filii* tutum habent refugium, quia inter ipsos, et *inimicum* Pharaonem, seu exercitum ejus est mare Rubrum, videlicet sanguinis Christi mysterium *occultis* virtutibus plenum, per quas *infirmabuntur, et peribunt a facie tua* omnes inimici. Quomodo *infirmabuntur?* quia videlicet portæ inferi non prævalebunt adversus Ecclesiam.

Videntur quidem aliquandiu invalescere, sicut invalescebant voces eorum, qui clamabant : « Crucifige, crucifige eum (*Luc.* XXIII, 21) : » sed non prævalebunt, sicut nec illi prævaluerunt, quia quod voluerant, non perfecerunt. Neque enim crucifigendo Christum depresserunt, sicut voluerunt, sed magis exaltaverunt, sicut ipse prædixerat Christus dicens : « Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum (*Matth.* VIII, 28). » Item : « Sicut exaltatus est serpens in eremo, ita exaltari oportet Filium hominis (*Joan.* III, 14). »—« Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia, » inquit, « traham ad me ipsum (*Joan.* XII, 32). » Sicut ergo illi tunc sunt infirmati, cum velut, « sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum (*Psal.* LXIII, 9) » non valentes exstinguere Christum solem æternum, qui, etsi per plagas eorum descendit ad mortis occasum, tamen sua virtute per Resurrectionis triumphum reversus est ad orientem : ascendit enim super cœlos cœlorum ad orientem (*Psal.* LXVII, 34) : sic et modo *infirmabuntur* impii, quia cum velint justos deprimere, et Ecclesiam Dei conculcare, ipsi magis deprimuntur, et sub pedibus conculcabuntur, nunc particulariter, sed in futuro judicio universaliter.

Et peribunt, vel quia conversi non erunt impii, sicut periit Saulus, cum cœpit esse Paulus : sicut perierunt qui sanguinem Christi fuderunt sæviendo, et eumdem sanguinem postea in remissionem peccatorum biberunt in eum credendo. Vel « peribunt » sicut Judas « periit, ut abiret in locum suum (*Act.* I, 18). » *Peribunt a facie tua*, id est a memoria tua, quia omnium iniquitatum eorum non recordaberis. Vel « sicut fluit cera a facie ignis (*Ezech.* XVIII, 22), » sic « peribunt a facie tua (*Psal.* LXVII, 3) : » — « quia » tu « Deus » noster « ignis consumens es (*Deut.* IV, 24). » Sic perierat *ille* qui dixit : « Vivo autem jam non ego (*Galat.* II, 20). » Ideo *infirmabuntur, et peribunt a facie tua* dæmones, et mali homines :

VERS. 5. *Quoniam fecisti judicium meum, et causam meam.* Ego enim reus homo seductus a diabolo per peccatum inobedientiæ, offensum habens Deum, duobus indigui, videlicet judicio adversus diabolum seductorem, propitiatione ad Deum creatorem. Et tu, mediator Dei et hominum, Christe Jesu *fecisti judicium meum* adversus diabolum, vincendo illum sicut ille me vicerat, fallendo ipsum divinitatis hamo, sicut ipse me fefellit, reddendo illi pœnam, quam in seductione mea promeruit. Et tu idem propitiator *fecisti* causam meam apud Patrem, interpellans pro me, ac reconcilians me per tuam obedientiam pro me illi exhibitam : sic *fecisti* causam meam.

De judicio tu dixisti : nunc « judicium est mundi, nunc princeps mundi ejicietur foras (*Joan.* XII, 31). » Justo enim judicio ille foras erat mittendus, qui hominem de paradiso foras in hujus mundi miserias ejecerat, ut in qua mensura mensus est, remetiretur ei (*Matth.* VII, 2). Sed hoc justo judicio fieri non posset, nisi quomodo vicerat hominem, sic ab homine vinceretur. Sed quis illum vincere posset, qui Deus non esset? Homo ceciderat in conflictu adhuc non mortalis, et quomodo nunc staret, ac triumpharet factus mortalis et fragilis? Similiter angelus ceciderat nemine tentante, et quomodo nunc staret in fortissimo certamine? solus homo debuit, sed solus Deus potuit contra diabolum triumphare, justaque

Digitized by Google

vicissitudine ipsum victorem revincere, ut justo judicio foras ejiceretur, qui licet non juste intraverit, sed fraude velut serpens irrepserit in dominium supra genus humanum : tamen quia homo propter voluntarium consensum juste patiebatur, et injustum ejus dominium justum fieri oportuit *judicium*, ut foras non ejiceretur, nisi prius ab homine vinceretur : ergo tu, Christe, *fecisti judicium meum*, pro me in mea vice superando illum, primitus in deserto tentationes ejus vincendo, deinde per mortem tuam ipsum, qui habebat mortis imperium, destruendo.

Fecisti etiam *causam meam* Patri tuo tantam persolvendo humilitatem et obedientiam pro me, ut superbiam et inobedientiam meam remittere deberet, qui tantam *causam* remittendi eam haberet, quanta non erat causa irascendi. Licet enim verum sit quod « sicut per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obedientiam justi constituuntur multi (*Rom.* v, 19) : » tamen « non sicut delictum, ita et donum (*ibid.*, 15). » Delictum enim de paradiso dejecit humanam naturam : donum vero in Christo super cœlos cœlorumque virtutes exaltavit eam. In qua exaltatione *sedisti*, o Christe, ad dexteram Patris, et sedes *super thronum*, qui licet sis judicatus injuste, tamen tu *judicas justitiam* et æquitatem, nunc particulariter, sed in judicio tuo extremo universaliter, quando omnes impii *peribunt a facie tua, quoniam fecisti judicium meum, et causam meam.*

Hoc etiam potest referri ad personam Patris hoc modo : Vere, o Pater, inimici tui peribunt : *quoniam fecisti judicium meum*, id est *judicium*, quo judicatus est Christus, *fecisti meum*, id est mihi utile. Sic nautæ ventum sibi utilem dicunt suum. *Et causam* pro qua damnabatur, *fecisti meam*, id est mihi utilem. Nam quod ipse vera loquens damnatus est pro veritate, quasi blasphemus, eo quod Filium Dei se dixit, multum per omnem modum utile fuit mihi damnato propter mendacium a serpente protoplasto persuasum. Inde autem tanta utilitas processit, quod tu *fecisti super thronum*, id est super animam Christi, quoniam tu, Deus, eras in Christo mundum reconcilians tibi, *qui judicas justitiam*, sive ut alia translatio habet, *judicas* æquitatem.

Est autem æquitas ut, sicut per unius delictum omnes homines venerunt in condemnationem, ita per unius *justitiam* omnes veniant in justificationem, nisi qui repellunt medicinam sibi paratam, et omnibus hominibus oblatam. Unde nulla est habenda sollicitudo, quod alicui salvari cupienti desit gratia, sed ne quis desit gratiæ Dei, monet Apostolus, et in Apostolo Christus, cui nunc dicitur, qui *judicas* æquitatem; quasi dicatur : non approbas hanc iniquitatem, ut salvetur aliquis contra suæ impietatis obstinatam voluntatem. Licet enim aliquando de invito facias voluntarium, tamen te judicante *justitiam* et æquitatem voluntarie obstinatus *in* malitia impius, tua salvatione semper indignus, A tua increpatione tandem exterminabitur, sicut sæpe sunt exterminati, qui erant in malitia sua pertinaces et obstinati. Tu enim Spiritu sancto de cœlis misso postquam *sedisti super thronum*, sublimatus ad æterni Patris concessum, eodem Spiritu per apostolos mundum arguente, « de peccato, et de justitia, et de judicio (*Joan.* xvi, 8). »

Vers. 6. *Increpasti gentes, et periit impius.* Verbi gratia per apostolos et exorcistas increpatis gentibus *periit impius* diabolus de cœlo, de cœlesti cultura, quæ in idolis illi exhibebatur, depulsus extra fines gentium tibi, Christe, credentium. Cum de perfectione doceres apostolos tuos, prohibuisti eos in crastinum esse sollicitos pro terrenis, addens : « Hæc enim omnia gentes inquirunt (*Matth.* vi, 32). » Ergo B qui discipulatum, seu disciplinam sunt aggressi nihil proprium possidendi, si hæc inquirunt quæ et gentes inquirunt, ipsi utique inter gentes, vel gentiles deputandi erunt. Hujusmodi *gentes* in Anania et Saphira *increpasti* per apostolum Petrum, et *periit* impius Ananias cum uxore sibi consentanea, et suæ fraudis conscia (*Act.* v). Sic peribit omnis *impius* per Spiritum sanctum increpatus de simili fraude rerum ecclesiasticarum, vel etiam de apostasia post aliquod sanctum propositum aggressum, et postea dimissum.

Aliter. *Increpasti gentes* per apostolos, et alios veritatis præcones, et *periit impius*, quia destructa impietate factus est pius. Adeo *periit*, quod *nomen eorum*, scilicet impiorum, *delesti in æternum*. Cum C enim prius dicerentur vasa iræ, nunc deleto isto nomine dicuntur vasa misericordiæ, non ad horam, sed in *æternum*, quod *æternum* est *in sæculum sæculi*. Nam *sæculum sæculi* quædam descriptio est æterni. Habent alii libri *in sæculum, et in sæculum sæculi*. Per *sæculum* ergo intelligitur omne spatium temporum decurrentium et recurrentium velut in quemdam circuitum. Ex ipsa enim temporum vicissitudine non ex toto deficit, sed sic transit, ut redeat, unde per ipsam sui recursus identitatem quodammodo imitatur æternitatem; sed tamen propter sui mutabilitatem recedit ab æternitate. *Sæculum sæculi* est ipsa æternitas, quæ *sæculum sæculi* dicitur, quia post præsens istud *sæculum* secutura est. D In hoc sæculo sæculi peribit omnis virtus diaboli. Nam ipsius

Vers. 7. *Inimici defecerunt frameæ in finem.* Id est in Christum allisæ. Sicut enim *frameæ* destruuntur, quæ ad petram solidam alliduntur : sic *defecerunt frameæ*, id est omnis impietatis et rebellionis machinæ *in finem*, id est in Christum, allisæ. Vel circa *finem* præsentis et peregrinantis Ecclesiæ *defecerunt*, id est absque dubio deficient omnes *inimici*, id est Antichristi persequentis *frameæ*, quando illum Christus, qui est finis infinitus, destruet illustratione adventus sui.

Et civitates destruxisti. Hoc non semel etiam ad litteram factum est. Nam et olim Babylonia pro eo quod populum Dei captivum tenuit et afflixit,

Digitized by Google

Persis et Medis eam expugnantibus destructa est, et prius Gomorrha, et Sodoma, cæteræque finitimæ *civitates* destructæ sunt, quia immunditiis et nequitiis deservierunt. Et Hierosolymorum *civitas* non semel destructa est propter legis divinæ transgressionem, quam et olim Nabuzardan princeps coquorum *destruxit* (*IV Reg.* XXV), et Antiochus. Epiphanes magna ex parte destruens, templum in ea per idololatriam polluit, et profanavit, atque novissime propter interfectionem Christi, et discipulorum ejus Romanus eam destruxit exercitus Ipsa etiam civitas Roma in sæcularibus regum ædificiis ita cernitur destructa, ut non tam civitas, quam civitatis ruina esse appareat, pro eo quod contra sanctos apostolos, et Ecclesiam tyrannizans crudelia edicta per omnes imperii sui fines misit. Verumtamen ex meritis apostolorum, et martyrum, quorum sanguine civitas illa est purpurata, licet in sæculari altitudine sit destructa et humiliata, tamen spiritualis potestas victoriosa excellentia omnibus mundi hujus civitatibus est prælata, non auctoritate humana, sed divina, dicente Domino ad Petrum : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam (*Matth.* XVI, 18). »

Spiritualiter etiam *civitates* destruuntur, cum forti armato diabolo custodienti atrium suum fortior supervenit, et universa illius arma destruit. Quod fieri cernimus, quando prius Deo rebellis aliquis homo, vel aliquis populus veritati, quam impugnavit per inobedientiam, se humiliter subdit per obedientiam; tunc universa iniquitatis arma « destruuntur, et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces (*Isai.* II, 4), » ut de armis paratis ad nocendum fiant instrumenta virtutum. Tunc membra, quæ fuerunt arma iniquitatis, fiunt arma pietatis. Tunc cadunt propugnacula defensionum prius erecta contra Deum, et locus ille fit quasi terra cultilis, qui prius videbatur inexpugnabilis. « Ite, » ait Dominus, « in castellum, quod contra vos est. » Castellum igitur Christo et discipulis ejus contrarium, discipulis introeuntibus destruitur, quando per veritatis annuntiationem vel homo, vel populus aliquis Deo rebellis cadit sive ad salutem sui prostratus, ut Saulus, sive ad perniciem sui ut Saul rex iniquus, et multi tyranni sic perierunt, cum edictis quæ contra Dei Ecclesiam fecerunt. Unde sequitur :

Periit memoria eorum cum sonitu. Periit jam sonitus persecutionis, et successit annuntiatio pacis. *Periit* etiam *memoria* persecutorum *cum sonitu* ipsorum, quia sicut sonitus vocis velociter transit, nec prolatus aliquo modo subsistit, sic et pariter cum sonitu transeunte velociter transierunt. Vel *periit memoria eorum cum sonitu*, id est cum fragore magno, ad similitudinem vastæ arboris cum sonitu fragoris de alto ad ima ruentis. Vel *periit memoria eorum* apud Deum obliviscente Deo, quod erant impii, sicut per prophetam dicit : « Et peccatorum eorum non recordabor amplius (*Jer.* XXXI, 34). » Item in psalmo decimo quinto dicit : « Nec memor ero nominum eorum per labia mea (*Psal.* XV, 4). » *Periit* namque *memoria eorum cum sonitu* bonæ confessionis, id est per sonitum, quo peccata sua non jam defenderunt, sed accusaverunt. Ita perierunt impii, sive humiliati, sive fracti. Sed

Vers. 8. *Dominus in æternum permanet.* Frustra igitur adversus Deum impii fremuerunt, qui eos judicabit. Jam enim in occulto *paravit in judicio*, quo judicatus est, *thronum suum*, id est judiciariam potestatem, per patientiam, qua cœlum acquisivit.

Vers. 9. *Et ipse*, qui judicatus est inique, tandem judicio manifesto *judicabit orbem terræ in æquitate* meritis digna reddendo.

Quod dixit, adhuc reperit dicens : *judicabit populos in justitia.* Repetitio sermonis certitudinem et velocitatem significat adimpletionis : sicut repetitum somnium Pharaonis interpretante Joseph significabat velocitatem ac certitudinem adimpletionis. Ergo cito judicabit, cito aream suam ventilabit, et a paleis grana separabit. Sed quia judicium illud præcedit mora quantulacunque, ne interim noceat inimicus retro conversus, et nondum ex toto contritus.

Vers. 10. *Dominus est factus refugium* ad vitanda mala. Cui? *Pauperi*, qui nihil transitorium amat. Magnum est ipsum Judicem esse *refugium*, atque tutorem. *Adjutor* etiam est ad agenda bona. Quando? *In opportunitatibus.* Qualiter? Permittens eum aliquandiu esse *in tribulationibus.* Non enim opportune homo convertitur ab hoc sæculo, nisi hujus sæculi voluptatibus dolores misceantur. Inde enim gratius auxilium, quo gravius periculum.

Vers. 11. *Et* ideo o Domine, *sperent in te*, non in se, aut in sæculo, *qui noverunt nomen tuum. Nomen* scitur, cum ille cujus est *nomen* cognoscitur. Designans autem Dominus *nomen* suum ait : « Ego sum qui sum, et qui est, misit me ad vos (*Exod.* III, 14), » id est immutabilis, cujus est esse super omnia, non transire inter omnia. Nam et angeli transierunt a statu, in quo esse cœperunt, et homo « fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet (*Job* XIV, 2), » atque omnia quæ sub sole sunt, vana et transitoria sunt. Solus igitur ille est, qui est, cui nulla mutabilitas potest accidere. Illi ergo noverunt ejus *nomen*, qui mutabilia contemnentes devote serviunt illi soli *qui est.* Tales itaque *sperent in te*, o Domine, *qui es*, et non frustrabuntur : *quoniam* etsi videantur ad horam derelicti, tamen non ex toto, non in tempore opportuno *derelinquis quærentes te*, non temporalia.

Vers. 12. *Psallite Domino, qui habitat in Sion.* Hucusque Propheta laudavit Deum, quia inimicus factus est retro, impii conversi, Dominus refugium pauperi. Nunc addit de persequentium vindicta,

Digitized by Google

quæ necdum dixerat determinate, et de beneficiis, quæ confert bonis in præsenti. Pro hujusmodi fideles provocat ad psallendum, quasi dicat : Vos quærentes se non relinquit : Ergo *psallite Domino, qui habitat in Sion*. *Sion* interpretatur *speculatio*, et significat præsentem Ecclesiam, quæ per speculum, et in ænigmate quasi de longe speculatur aliquid de Divinitate. Jerusalem *visio pacis* dicitur, quæ significat futuram Ecclesiam, quæ facie ad faciem videbit pacem, id est Christum, qui est pax nostra solvens inimicitias inter Deum et hominem. De hac *Sion* itur ad illam Jerusalem, sed non nisi Dominus habitet in hac et perducat ad illam. Ergo *psallite Domino, qui habitat in Sion*, psallite bene operando, et postea *annuntiate :* prius bene facite, ac deinde bene docete, sicut legitis : quia « cœpit Jesus facere, et docere (*Act.* I, 1). » Nam cujus vita despicitur, restat ut et prædicatio contemnatur. Ideo prius « psallite Domino, qui habitat in Sion (*Psal.* LXXX, 3). » Tenete *Psalterium jucundum cum cythara. Sumite Psalmum, et date tympanum*, ut in psalmo sit bona operatio, et in cythara vel tympano sit carnis mortificatio.

Et sic præparati ad evangelizandum verbum Dei *annuntiate inter gentes studia ejus. Annuntiate*, quibus studiis vel ipse requirat salutem gentium, in omni gente se timentium, vel etiam quibus studiis ipse sit quærendus, qui nos prior quærit, ut nos illum postea quæramus. Quærit enim ipse pastor ovem perditam, ut ipsa ovis reducta in ovile, pastorem deinceps quærat, semperque illi adhærere cupiat. Multi excusant se per non datam sibi facultatem bene operandi, verbi gratia, non habentes unde faciant eleemosynam, non valentes jejunare propter infirmitatem suam, sed nemo excusari potest a studiis, quia studere potest omnis homo pro viribus sibi a Deo concessis. Et est interdum studium vehementissimum sine manifesto effectu operum. Sic studet omnis negotiator ditari, et tamen non omnis negotiator ditatur pro magnitudine sui studii in terrenis lucris. Si autem pro divinis lucris vehemens habeatur studium, etiamsi in hac vita non proveniat ad manifestum effectum, dummodo studium non relaxetur; sine dubio in vita æterna effectus consequetur. Studeamus igitur in hac vita castificari, etsi contingat per stimulum carnis nos fatigari, tantummodo studium castitatis non deponamus, et sine dubio vel in hac vita, vel certe in futura castitatis corona ornabimur. Similiter studeamus in cæteris virtutibus. Et licet studiis nostris aliquandiu effectus denegetur, tamen a studendo non cessemus, et sine dubio vel in hac, vel in futura vita, quo quærimus apprehendemus. « Omnis » enim « qui petit, accipit, et qui quærit, invenit, et pulsanti » tandem « aperietur (*Matth.* VII, 8), » si a pulsando non cessetur, et si in petendo, quærendo, pulsando, studium pro posse habeatur.

Qui autem negligit bene studere in studiis bonis, sine dubio mancipabitur studiis pravis, de quibus dicitur : *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis.* Studet pene omnis homo qualicunque studio. Sed vos qui psallitis, *annuntiate studia* condigna psalmis vestris. Dicitis fortasse : Jam sæpe nuntiata sunt hæc studia, et occisi sunt annuntiantes talia, sic et nos fortasse occidemur, si hominibus annuntiamus quæ nolunt audire. Ad hoc respondeo, quia si taliter occidemini, mors vestra non erit sine fructu, sicut et mors piorum sanctorum habet fructum, quo fructu in æternum fruentur coram Domino.

VERS. 13. *Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est. Requirens* in judicio *sanguinem eorum*, quem videbatur oblivioni tradidisse, *recordatus est* occisos glorificare, et occisores perdere. Et ne putes Deum ita recordatum, quasi penitus oblitum, subdit :

Non est oblitus clamorem pauperum. Videtur quidem oblitus Deus, cum diu differt facere quod facturus est. Infirmorum affectui hoc videtur, propter quos etiam ipse Deus recordari dicitur : quia Scriptura sæpe secundum infirmantium affectus loquitur.

VERS. 14. *Miserere mei, Domine, vide humilitatem meam.* Exemplum se ipsum Propheta proponit in studiis bonis, in studiosis precibus : quia de studiis est locutus : ut quisque illius exemplo studeat optare quod optat, et sic optare, sicut ipse optat in oratione studiosa dicens : *Miserere mei, Domine, vide humilitatem meam. Miserere* intrinseco misericordiæ affectu, *vide* forinseco et manifesto miserationis effectu. Aspectus tuus auxilium est. *Vide* igitur *humilitatem meam.* Vide quantum sim humiliatus, quanta sit humiliatio mea de inimicis meis. Nam quanta sit humilitas mea, potest pensari de inimicis meis, qui sunt exaltati de mea humilitate, et humiliatione. Sicut enim Christo usque ad mortem humiliato, et in humili sepulcro jacente gloriati sunt inimici ejus, et exaltati quasi victores et superiores : ita nunc de pauperatis, aut etiam occisis fidelibus gloriatur in exaltatione sua hic mundus. Gloriantur inimici super fideles in hoc mundo exaltati. Sed tu, *Domine, vide humilitatem meam de inimicis meis.*

VERS. 15. *Qui exaltas me de portis mortis.* Inimicos meos in elatione sua non tu *exaltas*, sed exaltari permittis non supra, sed intra portas *mortis* ; me vero ab illis humiliatum tu *exaltas de portis mortis*, id est de cupiditatibus, quibus itur ad mortem, quarum delectatio non jam porta *mortis*, sed ipsa mors est. Cupiditas enim, quæ ante voluptatem quinque sensuum præcedit, quasi per quinque vias ad portas deducit, et introducit ad mortem. Delectatio vero eorumdem quinque sensuum, quæ in ipsa voluptate est, consummata mors est. Unde dicitur : « Vidua quæ est in deliciis, vivens mortua est (*I Tim.* V, 6) : » quia videlicet ipsa deliciarum delectatio spiritualis vitæ interfectio est. Sed tu, Deus meus, *exaltas me de portis mortis*, id est de cupiditatibus,

Digitized by Google

quibus itur ad mortem, id est ad ipsam carnalem delectationem.

Ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. *Sion* antiqua est Ecclesia, Christi adventum in patriarchis et prophetis de longe speculata. Filia *Sion* Testamenti Novi est Ecclesia, quæ nutrita uberibus prioris Ecclesiæ similis illi est in fide velut filia matri suæ. Portæ hujus *filiæ Sion* sunt auditores verbi Dei benevoli, dociles et attenti, quibus, et per quos bene laudes Domini annuntiantur, dum non porcis verbi divini margaritas calcantibus, aut canibus verbo Dei oblatrantibus sanctum datur, sed auditoribus devotis, auditoribus maxime his qui sint idonei et alios docere, ut per eos quasi per portas intrent in Ecclesiam, id est in sanctorum communionem, qui ab illis audiunt sermonem.

Aliter. *Portæ mortis* sunt corporei sensus, a quibus exaltantur qui quærunt, non quæ videntur, sed quæ non videntur. Et *Portæ filiæ Sion* sunt sacramenta legis, et initia fidei, quæ pulsantibus aperiuntur, ut perveniant ad occulta Filii intelligenda, quæ « oculus non vidit, nec auris audivit (*I Cor.* II, 9). »

Aliter. *Portæ mortis* sunt vel maligni homines, vel dæmones, qui aliquos introducunt, vel intromittunt ad mortem. *Portæ filiæ Sion* sunt angeli Ecclesiarum visibiliter aut invisibiliter in ministerium salutis humanæ a Deo missi. Cum ergo in conspectu angelorum psallimus, vel in silentio audientibus angelis invisibilibus, vel aperte audientibus angelis visibilibus, id est hominibus in angelorum consortio deputatis, tunc *in portis filiæ Sion* annuntiamus laudes Domini (*Psal.* CXXXVII, 1). Et quia tu, Deus Pater, per occulta Filii tui *exaltas me de portis mortis*, ideo

VERS. 16. *Exsultabo in salutari tuo.* In eo exsultabo, quod Filius tuus per occulta salutis mysteria salutaris est mihi et propitius, qui terribilis et insuavis est gentibus interitum animarum vel corporum facientibus. Et ideo *infixæ sunt* ipsæ *gentes in interitu, quem fecerunt*, quando aut aliquos a fide avertentes in anima interfecerunt, aut aliquos in fide solidatos corporalibus tormentis interemerunt, vel etiam substantias eorum ad interitum perduxerunt. In hoc interitu ipsæ gentes infixæ sunt, quia unicuique sua propria iniquitas est pœna, et catena, dum suorum peccatorum funibus constringitur iniquus. Unde sequitur :

In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum. Laqueus occultus est dolosa cogitatio : *pes* animæ est amor, qui si pravus est, dicitur cupiditas, si rectus est, dicitur et est charitas. Eo pede per quosdam passus desideriorum anima movetur quasi ad locum, quo tendit, id est ad delectationem bonam vel malam : quo si pervenerit, lætatur, si non pervenerit, contristatur; vel si hoc adeptum perdiderit, amplius dolet quam si nunquam habuerit. Ergo in *laqueo, quem absconderunt,* id est in fraudulento consilio, *pes*, id est amor, *comprehensus* tenetur : quia eum delectatio carnalis adeo ligat, ut si conetur abscedere, dolor non sinat. Hæc sunt occulta Filii. Hæc sunt secreta judicia Dei, quæ in hac vita cognoscuntur a paucis. Verum in futuro adventu Judicis, qui ut fulgur adveniet,

VERS. 17. *Cognoscetur Dominus judicia faciens.* Tunc ab omnibus cognoscetur judex *judicia faciens.* Tunc videbitur, quod modo latet, quomodo *in operibus manuum suarum comprehensus est peccator*, per quæ opera secernuntur hic a bonis affectu, in futuro autem secernuntur etiam pœnis exterioribus, quando separati a justis mittentur in tenebras exteriores, ubi erit fletus, et stridor dentium.

Nota quod non aliunde, nisi ab ipsis peccatoribus procedit pœnarum qualitas, aut quantitas, quibus, punientur, quando in tenebras exteriores mittentur. In tantum enim tunc invitos involvent exteriores tenebræ pœnarum, in quantum nunc eos volentes delectant interiores tenebræ culparum.

Hic interponitur canticum diapsalmatis propter occultam lætitiam separationis, quæ fit inter bonos et malos.

VERS. 18. *Convertantur peccatores in infernum.* Quasi dicat: Peccatores, qui comprehensi sunt in operibus suis, quorum pes est illaqueatus in laqueo, quem absconderunt, quia nolunt converti ad Deum, in hac vita, *convertantur* saltem tarda pœnitentia, ut Judas, qui dixit: « Peccavi tradens sanguinem justum (*Matth.* XXVII, 4). » Talis conversio non erit de inferno ad Deum, sed *in infernum*, ne semper peccare sit liberum, ne semper teneantur delectatione mortifera.

Omnes gentes, quæ obliviscuntur Deum, quæ sicut non probaverunt Deum habere in notitia, « tradidit illas Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt (*Rom.* I, 28), » et ut sint, *infixæ in interitu quem fecerunt*, et *pes* earum sit *in laqueo*. Sed ne semper exsultent in rebus pessimis, tandem concedo, et judicio divino consentiens volo et opto ut *convertantur peccatores*, ne gaudeant in voluptate, saltem in inferno. Dictum est hoc manifeste, ne se alibi putent mittendos, ne locum exspectent in cœlo, quibus locus paratus est in inferno, in quem tandem abibunt, sicut Judas festinavit se ipsum laqueo suspendere, « ut abiret in locum suum (*Act.* I, 28), » et derelinqueret alteri episcopatum a se indigne occupatum. Sic fiet reliquis Judæ similibus. Neque hoc in longum differtur.

VERS. 19. *Quoniam non in finem oblivio erit pauperis.* Etsi videatur esse quædam *oblivio pauperis*, dum florent mali divitiis : tamen *non in finem oblivio erit pauperis.* Ante *finem*, ante omnimodam pauperis defectionem recordabitur Dominus *pauperis* in sua paupertate patientiam habentis, quoniam *patientia pauperum non peribit in finem.* Hæc *patientia* permaxima est causa divinæ miserationis : quia si pauper in sua paupertate impatiens fuerit, vel tardum, vel nullum Dei solatium de sua paupertate

Digitized by Google

habebit, quia quantumlibet fuerit exarata bona terra, tamen fructum non afferet nisi in sola *patientia*, sine qua nec proprias possidebimus animas, Domino dicente : « In patientia vestra possidebitis animas vestras (*Luc.* VIII, 15 ; XXI, 19). »

Est autem triformis *patientia* nobis necessaria. Primo ad Deum, ne inter flagella ipsius tædio affecti murmuremus, cui non aliud inter flagella sua, nisi preces, et laudes atque peccatorum confessiones debemus. Preces, ut parcat; laudes, quia in hac vita castigat omnem filium quem recipit : peccatorum confessiones, quibus eadem flagella meruimus. Deinde ad proximum, ne ab illius pace per impatientiam discedamus, neque illo nos odiente ad odium provocari valeamus. Postremo etiam ad ipsum diabolum patientia nobis est necessaria, qui dum nos per carnis delectationes infestat, necessaria nobis est patientia, ne vel per impatientiam libidinis illi consentiamus, vel per intemperatam temperantiam corpus ita perdamus, ut non sit idoneum ad Dei servitium. Nonnulli per impatientiam libidinis, etiam post castitatis votum, redierunt ad sæculum, sive occulte sive manifeste. Nonnulli per impatientiam intemperatæ temperantiæ semetipsos manibus propriis castraverunt, aut jejuniis vigiliisque pernimiis ad talem ægritudinem pervenerunt, in qua patientiam servare non potuerunt, atque ita per impatientiam devenerunt ad majorem impatientiam. Possideamus igitur animas nostras in omnimoda patientia (*Luc.* XXI, 19), quoniam *patientia pauperum non peribit in finem.*

VERS. 20. *Exsurge, Domine, non confortetur homo.* Loquendo de fine sæculi venit in memoriam crudelitas Antichristi circa finem sæculi regnaturi. Unde quasi territus exclamat : *Exsurge, Domine.*

Hic notandum est quod sicut superior psalmus continet rhetoricam argumentationem Prophetæ confirmantis, confirmat enim admirabile esse in universa terra nomen Domini : sic iste psalmus continet argumentationem confutantis. Ibi confirmavit hominis novi exaltationem super cœlos, ex ore infantium, et lactentium laudatam : Hic autem confutat inimicum hominem peccati, filium perditionis, ut ait Apostolus : « qui extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur (*II Thess.* II, 4). » Nam sicut illic a primo versu : *Domine, Dominus noster*, usque ad eumdem versiculum in fine repetitum perfecta est confirmantis argumentatio, quæ distributa est in quinque partes, id est propositionem, rationem, rationis confirmationem, exornationem, complexionem, de quibus partibus ille dictum est : sic nunc ab isto versu quo dicit : *Exsurge, Domine, non confortetur homo*, usque ad eum quo ait : *Exsurge, Domine Deus, exaltetur manus tua*, item si rite perpendas, perfecta quinque partium confutantis argumentatio est. Proponit enim dicens : *Exsurge, Domine, non confortetur homo, judicentur gentes in conspectu tuo. Constitue, Domine, legislatorem super eos, ut sciant gentes quoniam homines sunt;* quibus dictis hoc summatim se intendere ostendit, ut persuadeat judici Deo Patri, vel Christo, ne robur Antichristi et suorum sinat stare vel ampliari contra Ecclesiam. Sequitur : *Ut quid, Domine, recessisti longe ? despicis in opportunitatibus, in tribulatione. Dum superbit impius, incenditur pauper, comprehenduntur in consiliis quibus cogitant.* Hæc dicendo rationem reddit, quare contra fortem illum hominem, Antichristum scilicet, fortior Christus debeat exsurgere, viresque illius reprimere. Ideo videlicet, quia est opportunum adjutorium afflictis piis et superbientibus impiis. Rationis confirmatio est quod subjungitur : *Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur.* Confirmat enim non sine causa impium superbire contra pauperem, quoniam unde arguendus esset peccator, inde per linguas adulantium laudatur ipse peccator in desideriis animæ suæ ; et iniquus inde *benedicitur*, unde maledici deberet, si esset qui inter impium et pauperem recte judicaret. Quæ deinde sequuntur ab eo loco : *Exacerbavit Dominum peccator*, usque : *Oblitus est Deus, avertit faciem suam, ne videat in finem :* splendida exornatione causam totam exaggerando et amplificando, dum nequitias Antichristi enumerant, clementiam Dei provocant ad subveniendum pauperibus, quos premit ille iniquus, ille perditionis filius, qui dicit in corde suo : *Obiitus est Deus, avertit faciem suam, ne videat in finem.* Sequitur deinde complexio, qua in fine argumentationis repetit id ipsum quod proposuit in principio. Ibi dixit : *Exsurge, Domine, non confortetur homo.* Hic dicit repetendo id ipsum : *Exsurge Domine Deus, exaltetur manus tua, ne obliviscaris pauperum.* His ergo prælibatis, et ad formam rhetoricæ argumentationis breviter assignatis, nunc redeamus ad continuam expositionem litteræ.

Exsurge, Domine, non confortetur homo, quasi dicat : *Patientia pauperum non peribit in finem.* Sed quia fragiles tui pauperes non possunt ferre nimiam violentiam Antichristi, ne forte per immoderatam crudelitatem ipsius patientia pauperum pereat, *exsurge, Domine, non confortetur* super pauperes tuos ille homo, qui cum sit homo, et non simpliciter homo, sed, ut ait Apostolus tuus : « Homo peccati, filius perditionis (*II Thess.* II, 3), » tamen sedens in templo tuo, quod est Ecclesia, ostendet se tanquam sit Deus, imo etiem extolletur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Sed tamen quia ipse homo, et non Deus, neque naturalis ut Christus, nec adoptivus ut verus et catholicus christianus, tu Christe, qui naturalis Deus es, quique adoptivos deos fecisti, quos inter membra tua numerari voluisti, *exsurge* contra istum non Deum, sed hominem purum, vel potius impurum. *Exsurge, Domine*, id est contra illum surgens « dominare in medio inimicorum tuorum] (*Psal.* CIX, 2). » Exsurge, Domine, ac dominium tuum exerce, ne vacet illi homini spurcissimo in Ecclesia tua diu dominari. *Non*

Digitized by Google

confortetur homo, non sit illi ulla fortitudo contra pauperes tuos, quia non Deus, ut ipse fingit, sed purus, vel potius impurus homo est.

Ego quidem rogo ut *non confortetur* ille *homo*, sed tamen acquiescens dispositioni tuæ, Deus, consentio illum in tantum elevari, ut non prævaleat, sed aliquantulum invalescat. Sicut invalescebant voces crucifigentium te, sic volo invalescere illum, ut *judicentur gentes* per eum. Judicati sunt Judæi per Barabbam latronem, quando data illis optione Christum reprobaverunt, et latronem elegerunt. *Judicentur* etiam *gentes* per Antichristum, quod fieri videmus, quando in eligendo aliquo pontifice vel Romæ, vel alterius civitatis pauci clamant virum bonum, et multi clamant aliquem Barabbæ latroni consimilem. Quod in ipso capite malorum Antichristo tanto fiet magnificentius, quanto ipse putabitur non homo, sed Deus propter hypocrisim suam, qua palliabit nequitiam suam. Ergo tandiu, et in tantum elevetur, ut per ipsum dijudicentur, qui sunt gentes, licet nomen Christianum habeant, quod in hoc ipso abnegant, quod hominem Christo contrarium dominari, et super Ecclesiam exaltari approbant. Ideo justum judicium est, o Domine Jesu Christe, ut per illum *judicentur in conspectu tuo*, ubi pauci sancti vident in occultis tuis. Hoc modo *judicentur*, quia te et tuam legem noluerunt.

Vers. 21. *Constitue, Domine, super eos legislatorem.* Illum videlicet filium perditionis, pravæ legis latorem, constitue non inter eos principem, sed super eos oppressorem, ut saltem vexatio det intellectum auditui, et *sciant gentes* experimento rerum edoctæ, *quoniam homines sunt*. Quia enim Filium hominis dimiserunt, et hominem peccati super se posuerunt, jure debent cognoscere filios hominum pertinentes ad sanctam novitatem se non esse, sed homines veteres homini seni stulto et infatuato comparandos et consimiles, qualem senem Deus odit. Nam testante Sapientia tria sunt, quæ odit Deus : « Pauperem superbum, divitem mendacem, senem fatuum et insensatum (*Eccli.* xxv, 4). » Huic seni homines consimiles non possunt vocari filii hominum, sed sunt vocandi homines veteres, fatui et insensati, senes deliri, et in reprobum sensum traditi. *Sciant* ergo *gentes* Antichristo adhærentes, *quoniam homines sunt*, ut hoc scientes cito innoventur per pœnitentiam, et qui nunquam voluerunt pœnitere, jam non habeant excusationem de peccato suo, sed inexcusabiliter pereant cum præambulo suo traditore Juda, qui sciens quid esset, et quid fecisset, manifeste ait : « Peccavi tradens sanguinem justum (*Matth.* xxvii, 4). » Scivit ille se hominem peccatorem, sic sciant et justi, *quoniam homines sunt*. Sic impius Antiochus contra Deum elatus, cum tandem plaga divina tactus in suis visceribus putrescens torqueretur, et fœtore illius exercitus ejus gravaretur, per momenta singula doloribus ejus augmenta capientibus, ad extremum cognovit se hominem esse Deo inferiorem. Dixit enim dolore coarctus : « Justum est hominem Deo subdi, et mortalem non pari Deo sentire (*II Mach.* ix, 12). » Similiter cum Judæi negatores et necatores Christi, sicut in Actibus apostolorum legitur, Herodi acclamassent fausta quædam, in quibus erant voces non hominis, sed Dei. Verbi gratia : « Rex, in æternum vive (*Act.* xii, 22), » aut aliquid tale, quia laudes Deo soli debitas sibi mortali audiens acclamatas, non dedit honorem Deo, percussit eum angelus Dei, et scaturiens vermibus exspiravit, ferturque dixisse jam proximus morti : Ecce Deus vester. Sic ab illo ipso sunt irrisi, qui homini mortali acclamaverunt voces et laudes Dei ; quia videlicet ille fatuus vexatione tandem eruditus bene scivit se hominem esse, non deum. Cogebant quoque laudatores ejus scire se homines, id est mendaces, non deos, id est veraces. Cum enim scriptum sit : Omnis homo mendax, solus autem Deus verax, omnes veraces jam supra homines Deo veraci inhærentes dii recte vocantur, et soli mendaces proprie homines vocantur, quia omnis homo mendax. A talibus hominibus, a talibus mendacibus laudandus est Antichristus. *Sciant* ergo isti, *quoniam homines sunt*. Sciat et ipse ad similitudinem Antiochi, vel Herodis plagatus, quoniam homo est. Cogatur ipse hoc scire sicut et illi, quia homo mendax est. Coarctante illum conscientia, sicut præconem suum Judam, compellatur id confiteri, quia peccavit in eo, quod se Deo prætulit, aut ab aliis præferri consensit, dixit ille : « Peccavi tradens sanguinem justum (*Matth.* xxvii, 41). » Dicat iste : *Peccavi*, conculcans, et faciens conculcari eumdem *sanguinem justum*. Sciant gentes ipsum tibi, Christe, præferentes quoniam homines sunt, quoniam vani et mendaces sunt. Illi qui te, Christe, occiderunt, bonum malum dixerunt, quando te, qui pertransisti apud eos benefaciendo, malefactorem clamaverunt. Isti qui Antichristum, vel quemlibet ministrum ipsius malefacere consuetum et paratum, tibi anteponunt, aut Ecclesiæ superponunt in aliqua dignitatis cathedra, quando eum laudibus extollunt, malum bonum dicunt. Sed uterque attestante Scriptura abominabilis est apud te. Videlicet, qui bonum malum, et qui malum dicit bonum contra suæ conscientiæ testimonium ; præcipue illius, quem falso laudat, seu vituperat vita contradicente (*Eccli.* xi, 33). Igitur utrique, scilicet qui malos laudant et bonos vituperant, ipsa veritatis evidentia clarescente, sciant : quoniam vani et mendaces ipsi sunt, cum sint homines illi homini concorporales, de quo scriptum est : Homo vanitati similis factus est, et de cujus consimilibus dictum est : « Universa vanitas omnis homo vivens (*Psal.* xxxviii, 6), » et omnis homo mendax. Hujus vanitatis et mendacii opprobrium soli homines illi evadunt, qui homini illi velut membra inhærebunt, qui cum sit homo, tamen veraciter dixit : « Ego sum veritas (*Joan.* xiv, 6). » Veritati enim contraria est vanitas, et falsitas, atque ideo a vanitate et mendacio liberantur, qui

Digitized by Google

nomini illi, qui est veritas, incorporantur. A cujus corpore quoniam recesserunt multi solo nomine Christiano sibi retento, *sciant quoniam homines sunt*, id est vani et falsi, tam in laudando malum, quam in vituperando bonum, permaxime cum per laudes falsas in cathedris Moysi, imo in cathedra Christi, super sanctam Ecclesiam sublimant indignum, vel per vituperia falsa dignum depellunt a dignitate, ne forte illo principante minus liceat illis insanire. *Sciant* ergo isti tales, *quoniam homines sunt*, quoniam vanitati similes, aut etiam ipsa vanitas effecti sunt, nec dissimulare, vel occultare, seu quolibet modo palliare ultra valeant sua mendacia vanissima pro Antichristo contra Christum, prolata ipsis scientibus, et fateri coactis, atque omnibus agnoscentibus *quoniam homines sunt*.

In hoc loco diapsalma interpositum notat Prophetæ orantis lætam jubilationem, propter illam, quam sperat, exauditionem jam partim præmissæ et adhuc partim dicendæ orationis, quam a quæstione vel conquestione sic incipit.

PSALMUS X.

Secundum Hebræos (37)

Vers. 1. *Ut quid, Domine, recessisti longe?* Nimietate namque malorum permotus quasi voce gementium, et conquerentium quærit : *Ut quid, Domine, recessisti longe?* Mox quasi subito intellexerit, solvit. Ideo videlicet *recessisti*, quia *despicis in opportunitatibus, in tribulatione*. Licet enim tu non recedas, qui ubique es, tamen dum non succurris in tribulatione, dum differs auxilium, videtur gentibus quod longe recesseris, quod tuos despicias, nullamque de illis curam habeas. Verum non ita est, quia ibi « de omnibus cura est (*Sap.* XII, 13). » Sed sicut tu adjutor in opportunitatibus adjuvas tuos opportune in tribulatione, sic etiam interdum *despicis*, imo despicere videris eos in *opportunitatibus, in tribulatione*, quam sicut mitigas opportune, sic etiam aggravari permittis opportune, hoc scilicet consilio, ut cum in tribulatione anxiantur, magis magisque adventus tui desiderio incendantur ; hoc est quod sequitur :

Vers. 2. *Dum superbit impius, incenditur pauper. Incenditur* plane tam dolore quam amore. Dolore, propter mala quæ videt ; amore ac desiderio bonorum quæ non videt. *Incenditur* etiam, velut aurum in fornace, in qua, dum cremantur ligna, purgatur aurum. Sicut necesse fuit hæreses venire, ut veritas amplius quæreretur, probaretur, ac probata magis amaretur : sic etiam necessarium et opportunum est aliquando impios exaltari, ut eorum tyrannide sæviente quærantur boni etiam ab ipsis malis, qui *comprehenduntur in consiliis, quibus cogitant* alios comprehendere. Quæ autem ista sint consilia contra pios excogitata, in quibus comprehendentur impii, latius exponuntur ab his usque : *Exsurge, Domine Deus, exaltetur manus tua*. Prius enim quasi tempestas permaxima describitur, ut quasi periclitante nave Dominus excitetur per hæc verba : *Exsurge, Domine*. Nunc videamus tempestatum flumina flatibus perversorum consiliorum partim jam concitata, partim adversus Ecclesiam adhuc concitanda. Quasi enim ventus contrarius est illud, quod *laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur*. Si enim in desideriis pravis peccator argueretur, et iniquus propter iniquitates apertas malediceretur et excommunicaretur, fortasse humiliaretur sicut humiliatus est impius Achab redargutus ab Elia. Nunc autem

Vers. 3. *Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur*. Inde est quod fluctus feri maris contra navem Petro commissam despumantes extolluntur. Nam ipse impiorum præcipuus Antichristus, vel quilibet minister ipsius insignis tollitur tanquam sit Deus, quando *laudatur in desideriis animæ suæ*, et ipse cum sit *peccator*, qui deberet Deum sibi placare per pœnitentiam, exacerbavit eum per impœnitentiam, et arrogantiam; hoc est quod sequitur :

Vers. 4. *Exacerbavit Dominum peccator*. Unde vero apparet exacerbatum esse Dominum? Inde scilicet, quod *secundum multitudinem iræ suæ non quæret* peccatorem exacerbantem se ille pastor, qui requirit ovem errantem, sed non exacerbantem se. *Peccator* vero exacerbans Deum, et provocans contra se multitudinem iræ Dei, sic privatur lumine veritatis, ut et ipse longe sit a Deo, et Deus longe sit ab eo : quia

Vers. 5. *Non est Deus in conspectu ejus*. Deum non recognoscit : Deum, quasi nusquam sit, contemnit. Ideo *inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore* vitæ suæ, vel *in omni tempore*, id est omnium temporum iniquitate. Sicut enim super Judæos, Christi ac discipulorum ejus interfectores, omnis sanguis justus venit effusus super terram a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ ; sic super Antichristum sanctis omnibus inimicum venient inquinationes omnium retroactorum temporum,

(37) Hic titulus deest apud Gerhohum.

Digitized by Google

et ideo *inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.*

Auferuntur judicia tua a facie ejus. Putans enim quod tu judex vivorum et mortuorum, non judices de humanis actibus : judicii tui non frenabitur timore ; atque ideo sine respectu Domini super se dominantis ipse, tanquam sit summus, *omnium inimicorum suorum dominabitur*, partim per violentias, partim per artes magicas et malas.

VERS. 6. *Dixit enim in corde suo : Non movebor* dominando *a generatione in generationem sine malo.* Id est sine malis artibus. Hoc dicit *in corde.* Nam in ore simulat se bonum, et malis artibus inimicum : sicut Saul rex impius et superbus propter comparandam sibi famam bonam simulavit se malis artibus inimicum, eradens magos et ariolos de terra. Qui tamen quam fuerit confidens in eisdem pravis artibus, per hoc patefecit, quod in arcto positus pythonissam consuluit, et de vitulo illius comedit (*I Reg.* XXVIII, 8), qui vitulus creditur dæmonibus fuisse immolatus, atque ideo pariter et arte magica et idololatria inquinatus, cum se per mala ista putavit promovendum a *generatione in generationem*, crudele odium habens contra David et ejus generationem, celerem suæ dominationis invenit finem.

Aliter. *Dixit in corde suo, non movebor*, id est non inquietabor, sed ero *a generatione in generationem sine malo*, sine infortunio, sine inquietudine. Ita sibimetipsi prophetat, et promittit prospera, sed Ecclesiæ Dei promittit, ac minatur aspera ille homo peccati.

VERS. 7. *Cujus maledictione os plenum est, et amaritudine, et dolo. Os* ipsius contra bonos *plenum est maledictione*, quia maledicit eis, et male loquitur de eis : *Et amaritudine*, quia minatur eis : *Et dolo*, quia interdum blanditur eis. Sed cum sanctis blanditur, tunc licet in lingua sonet jucunda promissio, tamen *sub lingua*, id est in corde ipsius, est *labor et dolor*, quia illud cogitat, qualiter illis laborem et dolorem inferat : laborem affligendo, dololorem occidendo.

Aliter. *Sub lingua ejus labor et dolor.* Hoc est, ita periculosa est lingua ejus, quod *labor et dolor* sanctorum, qui est in cruciatu corporum, comparatus pessimæ ipsius linguæ, *sub lingua ejus est*, id est minus periculi habet quam *lingua ejus*, cujus noxia dolositas non facile deprehenditur : quia cum mora multa præcogitat, quam astute malitiam suam exerceat. Nam

VERS. 8. *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem. Sedet* cum mora pertractans consilia, *in insidiis* ut latro, *cum divitibus* ut tyrannus, ostentando eos quos ipse ditavit : *In occultis*, ut non facile valeat deprehendi quid inter ambigua occulte conquisita sit eligendum. Hoc totum facit, *ut interficiat innocentem*, hoc est ut faciat nocentem. Aliud est enim interficere hominem, aliud est interficere innocentem. Nam ille interficit hominem, qui corpus torquet usque ad animæ separationem. Sed ille interficit innocentem, qui auferens ab eo innocentiam suam facit eum nocentem. Illa fuit persecutio tyrannorum tempore martyrum, ut occiderentur homines regum voluntati consentire nolentes. Ista est persecutio Antichristi, ut occidantur innocentes. Quanquam et in tempore martyrum fuerit interfectio innocentum in his, qui terrore suppliciorum negantes Christum, de innocentibus facti sunt nocentes. At tamen quoniam Antichristus magis animas quam corpora quærit interficere, ad hoc *sedere* dicitur *in insidiis, ut interficiat innocentem.*

VERS. 9. *Oculi ejus in pauperem respiciunt.* Vel quia fingit se misericordem erga quemlibet *pauperem* spiritu, quia tales cum non valet persequendo, quasi eorum miseriæ miserendo attrahit sibi. Vel etiam *respiciunt in pauperem*, quia intendunt pauperare quemlibet sibi non consentientem. Dum enim foris *oculi ejus* vel quasi benigne, vel revera maligne ac torve *respiciunt in pauperem*, ipse per malam intentionem *insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua.* Prima persecutio contra Ecclesiam violenta erat, quando martyres agebantur tormentis ut sacrificarent idolis. Altera fraudulenta per hæreticos et falsos fratres. Novissima per Antichristum et ejus ministros erit pariter et fraudulenta et violenta. Unde ipse Antichristus comparatur *leoni insidianti in spelunca.* Per leonem vis : per speluncam dolus intelligitur. Multi tales jam sub nomine regum, vel etiam pontificum præcesserunt, qui contra Ecclesiæ puritatem violentia pariter, et fraudulentia sua nequiter egerunt. Multi etiam tales adhuc sequentur usque in finem sæculi. Sed quis eorum sit præcipuus nomine Antichristi specialiter notatus, cum ex tempore apostolorum teste Joanne sint Antichristi multi, penitus ignoratur, donec illustratione Dominici adventus revelatur ille iniquus, « quem ipse Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui (*II Thess.* II, 8). » Beatus est pauper ille, qui non capitur insidiis ejus, quibus non caremus nos, in quos fines sæculorum devenerunt, quia quotidie operando mysterium iniquitatis *insidiatur, ut rapiat pauperem.* Repetit verbum de insidiis, ut et nos magis cautos reddat, et intentionem insidiantis exponat, quæ est *ut rapiat pauperem.* In hoc autem intelligendus est *rapere pauperem, dum attrahit eum* ad sui perversi principatus consensum. Quomodo attrahitur ?

VERS. 10. *In laqueo suo*, id est in dolo suo, vel in sua munificentia dolosa et laqueosa, *humiliabit eum.* Sicut enim virginem dicitur humiliasse, qui eam corrupit, sic Antichristus dicitur pauperes humiliare, quos dolo aut muneribus potuerit corrumpere. Cum vero non potuerit eos ita corrumpere, ut pravitati ejus velint consentire, dominium suæ crudelitatis exercet contra eos. In quo tamen non proficiet, quia *cum dominatus fuerit pauperum, inclinabit se et cadet. Inclinabit se* in otium secu-

Digitized by Google

ritatis. Verum cum sic inclinatus in lecto quietis putat se requiescere, repentino interitu *cadet*, quia cum ipse ac sui complices dixerint : pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, et non effugient. Quod illi continget justo continget judicio.

VERS 11. *Dixit enim in corde suo : Oblitus est Deus* et salvare pauperes, et me punire. *Avertit faciem suam, ne videat* me . vel illos usque *in finem* sæculi. Vel quia terra est ultimum elementum in fine mundanæ fabricæ quasi pro fundamento positum, negat Deum videre *in finem*, ita ut videat res humanas, quæ in terra fiunt, in quibus nihil agitur, nisi ordinante ipso, qui omnia videt. Sed quia ipsa videns omnia non videtur ab hominibus, hoc secretum inter *occulta Filii* deputatur, quod solis et paucis electis revelatur : quibus in tot periculorum tempestate nihil restat nisi Christum precibus excitare, qui solus potest mala tanta sedare imperando ventis et mari, ut fiat tranquillitas magna (*Matth.* VIII, 26). Unde sequitur :

VERS. 12. *Exsurge, Domine*, cito excita, et manifesta potentiam tuam. *Exaltetur manus tua*, ut fortius percutiat, cornuaque peccatorum confringat, et pauperes eripiat. *Ne obliviscaris pauperum*, sicut mali putant, qui dicunt : « Avertit faciem suam, ne videat in finem (*Psal.* LXXIV, 11). » Jam vero de suæ orationis exauditione certus insultat impiis Deum irritantibus. Hoc est quod sequitur :

VERS 13. *Ut quid irritavit impius Deum ?* Quid ei profuit irritasse *Deum ?* Quem revera irritavit, non tam in eo quod peccavit, quam in eo quod suis peccatis impunitatem promisit ex Dei negligentia, quem putavit non curare facta humana. *Dixit enim in corde suo*, hoc scilicet : Deus *non requiret* facta singula vel bona, vel mala. Hoc ille dixit cogitans te non videre occulta sua. Sed tu, Deus,

VERS. 14. *Vides ut tradas*, id est qualiter *tradas eos*, id est Antichristum, et suos complices *in manus tuas*, id est in vindictas tuas. Hoc vides, et ad judicium te præparas : *Quoniam tu laborem et dolorem consideras.* Illum videlicet laborem et dolorem de quo supra dictum est : *Sub lingua ejus labor et dolor.*

Aliter Augustinus : « Solent, inquit, homines non sumere vindictas, timentes laborare vel irasci, quod sentientes alii audacius peccant in eos. Sic iste impius dixit in corde suo de Deo : Deus non requiret, quia non posset tot et tanta punire, quin laboraret et irasceretur, et sic dolore pariter et labore fatigaretur. » Quod quia videtur ita esse, dum Deus tandiu sustinet mala, convertit se Propheta ad Deum, quasi conveniat eum super hoc « Eget autem sensus iste pronuntiatione, in qua si erratum fuerit obscuratur (38). « Ait ergo : O Domine, *impius dicit in corde suo : Deus non requiret.* Et ego dico : *Videsne* solummodo, et non requires, aut judicabis illa quæ facit, propter hoc quod tibi imponitur, nolle te laborare in judicando mala tot, et tanta? An ideo *vides* et sustines, quia *consideras laborem* tuum et iram sive *dolorem* tuum, nolens in tantum laborare, *ut tradas eos in manus tuas?* Manus Dei vocantur aliquando angeli apostatici. Unde in Job dicit Satan Domino : « Mitte manum tuam, et tange os ejus, et carnem (*Job* II, 5). » Hæc dicendo Satan se ipsum intellexit manum Dei, per quam vasa multa fabricantur, et quædam ex his limantur ut fulgeant, quædam conteruntur ut intereant. Unde in Isaia *malleus terræ* sub nomine Nabuchodonosor, id est Satan dicitur : Et Dominus de illo dicit : « Ego creavi fabrum sufflantem prunas (*Isa.* LIV, 16) ; » quia ipso velut fabro, seu malleo, vel etiam sua manu Dominus omnipotens utitur ad fabricandum, seu conterendum, vel etiam limandum quodcunque vas, prout ipse internoscit quid cuique vasi conveniat. Cum hoc ita sit, nunquid, o Domine, qui habes angelos bonos quasi manum dexteram, et angelos malos quasi manum sinistram, tibi est laboriosum? aut nunquid videns inimicos tuos multiplicatos, in hoc *laborem* et *dolorem* tibi esse consideras, *ut tradas eos in manus tuas ?* ut tradas eos angelis tortoribus in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die judicii? Nunquid tibi laboriosum est mittere in eos iram indignationis tuæ, indignationem, et iram, et tribulationem, immissionem per angelos malos, ut aut illi emendentur ; aut si emendari noluerint Ægyptii cum suo Pharaone, cum Antichristo scilicet flagellati, saltem liberentur Hebræi, id est veri Christiani? Absit hoc a te, Deus exercituum, qui habes multos exercitus angelorum, quasi manum validam, ut quasi rem tibi laboriosam prætermittas, aut in longum differas vindicare pauperum tuorum injurias et oppressiones ! Regem Ægypti Pharaonem domuisti per quosdam tuos exercitus tuæ voluntati famulantes, videlicet per exercitus non leonum, aut ursorum, sed muscarum, cyniphum, locustarum, bruchorum, et vesicarum turgentium. Neque hoc faciendo laborasti, sed solo verbo id factum est, quia tuus famulus Moyses « dixit, et venit locusta, et bruchus, cujus non erat numerus (*Psal.* CIV, 34). » Atque hoc tali exercitu rex magnus cum suo exercitu est flagellatus, tandemque undis tibi famulantibus in mari Rubro est mersus, et populus tuus est liberatus. Herodes quoque, cum scaturiret vermibus, ipso exercitu vermium superatus est, et humiliatus, ut se mortalem cognosceret, laudesque divinas a populo stulto sibi acclamatas tandem repudiaret. Nunquid, o Deus exercituum, cui sic famulantur exercitus innumeri, *tu laborem et dolorem consideras, ut tradas eos in manus tuas ?* Captivata quondam arca tua inimicos tuos percussisti in posteriora, et agris eorum ebullientibus mures, per ipsorum murium exercitus tu, Deus exercituum, perfecisti contra eos gloriosum triumphum. Absit ergo, tibi esse *laborem*, ut vindices tibi derelictum quem-

(38) S. August. Enarr. in psal. IX ad hunc locum.

Digitized by Google

libet pauperem, qui præter te non haberet protegentem! Nam in afflictionibus divitum consolatores multi, sed soli *tibi derelictus est pauper*, qui propter te derelinquens omnia, factus est *pauper*, et ita *pauper*, ut sit orphanus ac pupillus, cui mundus pater est mortuus, quia paternas ac maternas consolationes in mundo non invenit, quem propter te mundus odio habet. Huic tali pauperi, tali *orphano*, tali pupillo *tu eris adjutor*.

Igitur noli ultra modum judicia tua differre, cui subest, cum volueris, posse. Cui famulatur orbis terrarum pugnans pro te contra insensatos. Noli, noli tuos pauperes auxilio et solatio tuo destituere, ne forte paupertate, ac desolatione cogente, cum vident abominationem desolationis contra se stantem, id est perseverantem in loco sancto, principante videlicet non consolatore, sed Ecclesiarum et pauperum desolatore in loco sancto, ne, inquam, tali desolatione cogente pauperes tui frangantur, et inimicis tuis et suis nimium supplicare cogantur. Festina in adjutorium eorum, et

Vers. 15. *Contere brachium*, id est fortitudinem, *peccatoris et maligni*. *Peccatoris* dico, propter iniquam violentiam. *Maligni* propter dolum. Vel *peccatoris* in se, *maligni* in alios. Vel *peccatoris* in actu peccandi, *maligni* in affectu perseverandi. Fuit Petrus apostolus ad horam peccator, et Christi negator, sed non fuit peccator malignus. Unde non est *brachium* ejus contritum, sed per veram pœnitentiam ita confirmatum, ut eidem brachio portæ inferi non prævaleant (*Matth.* xvi, 18). Judas vero mercator pessimus, peccator fuit malignus. Unde jure contritus et confractus crepuit medius, et diffusa sunt » in terra « omnia viscera ejus (*Act.* i, 18). » Ita, o Deus! parce quidem peccatori non maligno : sed *contere brachium peccatoris maligni*.

Ecce oravi, et non incassum preces fudi! Nam Deo volente, ac preces pauperum suorum exaudiente, judicium, quod opto, non differetur. Sed *quæretur peccatum illius* judiciaria examinatione. *Quæretur* quod, et quale, et quantum sit peccatum illius, ut de illo judicetur. *Et* ita impius judicatus *non invenietur*. Sic factum est olim, quando Pharao judicatus, nec ad sepulturam inventus est. Sic impia Jezabel de alto præcipitata, cum præcipiente Jehu fuisset quæsita, non est inventa : summas manuum, et calvariam canibus cum devorantibus residuum invenerunt, sed ipsam non invenerunt. Sic in senatu Romano, licet gentilitatis errore adhuc implicito, quæsitum est peccatum Neronis, et ipse non inventus, quia, ut fertur, cum se audisset a senatu judicatum et damnatum, qui prius timedatur ab omnibus, ipse timens omnes ad silvarum latebras fugit, et ultra non comparuit, quia periit sive a lupis devoratus, sive, ut quidam putant, fame interemptus. Similiter itaque, o Deus! *Contere brachium* Antichristi : quæratur *peccatum illius, et non* inveniatur.

A Et certe sic erit. *Quæretur peccatum illius*, et peccato diligenter exquisito, ipse peccator *non invenietur*, quoniam vel conversus desinet esse peccator, vel damnatus in suæ damnationis altitudine *non invenietur* amplius. Licet enim ipse Antichristus omnino perdendus, nec per veram pœnitentiam convertendus credatur : tamen de ipsius complicibus magna pars convertetur, et in suis peccatis *non invenietur*.

Aliter. Quoniam dum superbit impius, incenditur pauper, et per hoc purificatur, quæretur peccatum illius, an sit adhuc necessarium ad purgandos bonos. Quibus omnibus tunc purgatis, *non invenietur* ipsum *peccatum* necessarium ad purgandos bonos; sicut quando ferrum est planum, non est B necessaria lima. Hoc ergo solum restat, ut de medio fiat, nec in medio Ecclesiæ inveniatur, sed in carcerem promeritæ damnationis retrusus ita sit, quasi non sit : justo nimirum judicio, quia ipse Christum voluit esse quasi non esset, sic volens in Ecclesia regnare, quasi destructo regno Christi regnum ipsius deberet in æternum perseverare. Quod longe aliter eveniet. Nam ipse Antichristus est bestia, quæ fuit, et non est. Christus autem est Rex omnium sæculorum, cujus regnum et imperium sine initio erat, et sine fine permanet. Unde sequitur :

Vers. 16. *Dominus regnabit in æternum, et in sæculum sæculi. Regnabit in æternum*, quia regnum C ejus principio et fine caret. Sed quia regnum ejus nondum claré apparet, nondum positis omnibus inimicis ejus in imo, ut sint scabellum pedum ejus, regnabit manifeste *in sæculum*, quod subsecutivum est *sæculi* præsentis, in quo sæculo sæculi subjacebunt illi omnes ipsius inimici scabellum pedum ejus effecti.

Sed vos *gentes*, Antichristi complices, *peribitis de terra illius*, quæ est terra viventium, quoniam pauperes et mites habebunt eam (*Matth.* v, 4), quia

Vers. 17. *Desiderium* ipsorum *pauperum*, quo cupiebant diem Domini, *exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua*, id est cor paratum servire tibi audivit auris tua, id est potentia tua. Hoc est autem *desiderium pauperum*, ut ad victoriam perveniat judicium tuum, Deus judex juste, cujus justitiæ ac misericordiæ competit

Vers. 18. *Judicare pupillo et humili, ut non apponat ultra magnificare se homo super terram*. Principalis pupillus fuit in hoc mundo Jesus Christus Filius tuus, habens in terra matrem sine Patre, sicut in cœlo te Patrem habuit sine matre. Huic tali *pupillo* in conspectu Matris flagellato, colaphizato, ac morte turpissima condemnato, judicium quæritur, ut videlicet justo judicio a te Patre judex vivorum et mortuorum constitutus appareat juste judicans, qui est judicatus injuste. Sic, Pater juste, quem mundus non cognovit, Filio tuo, in hoc mundo pupillo, judicium postulamus, ut mater ejus, eadem-

Digitized by Google

que sponsa ipsius Ecclesia, quæ illum quasi pupillum humilem patre carentem dolet exhæredatum, imo a malis colonis extra vineam sibi hæreditariam projectum, et interfectum, ipsa eum videat resuscitatum, vidensque, ac tenens illum secundum multitudinem dolorum in corde suo consolationibus copiosis lætificet.

Multitudo dolorum fuit in corde Dominæ nostræ sanctæ Mariæ, cum Filium suum dilectissimum in hoc mundo pupillum, et humilem vidit crucifixum : stabat enim juxta crucem cum discipulo dilecto. Sed tristitia ejus versa est in gaudium, quando eum vidit gloria, et honore de triumpho mortis coronatum. Sic nimirum bene judicatum est *pupillo, et humili*, quando mater ejus et discipuli pro illius exhæredatione ac morte contristati plene sunt lætificati. Qui enim putabatur exhæredatus, ipse confirmata sibi hæreditate post resurrectionem dixit : « Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra (*Matth.* XXVIII, 18). » Quasi diceret : Inimici mei suspendentes me in cruce cœlo, terra (quantum in ipsis erat) me privaverunt, dum me pupillum humilem injuste judicaverunt. Sed juste judicante mihi Deo meo, Patre meo, « data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra, » ita « ut non apponat ultra magnificare se homo super terram (*ibid.*). »

Homo Pilatus magnificavit *se super terram*, quia terra mea caro mea data erat in manus impii, unde magnificando se dixit ad me : « Nescis, quia potestatem habeo dimittere te, et potestatem habeo crucifigere te? » (*Job* XIX, 10.) Sed morte, per victoriam resurrectionis, triumphata *non apposuit ultra magnificare se homo* Pilatus vel Judæus *super terram*, id est carnem meam, quia data est mihi omnis potestas in cœlo super angelos, in terra super homines. Tunc discipulorum pauperum desiderio satisfactum est, quia bene judicatum est pupillo, et humili, *ut non apponat ultra magnificare se homo super terram*, nimis exaltatam super omnes cœlos, quando Christus, qui usque ad mortem se humiliando descendit, ipse etiam ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia.

Sed quia titulus psalmi hujus est *in Finem pro occultis Filii*, passio vero ejus, quia in carne passus est, fuit aperta passio : de occultis ejusdem filii passionibus prolongatis in finem, quibus crucifigitur Christus in suis membris usque in finem sæculi, videtur aliquid dicendum, ut agnoscatur *desiderium pauperum*, de talibus passionibus judicium et consolationes desiderantium. Quæ passus est Christus in sua persona, textus Evangeliorum continet; sed quæ passus est, et patitur in suis membris, quis enarrare, quis conscribere valeat? Verumtamen summatim adjuvante ipso conabimur perstringere sacramentum passiouis suæ tripartitæ, quam ipse primitus in se, deinde quasi reliquias assi piscis ejusdem trimodæ passionis calicem transmisit Ecclesiæ suæ.

A Passus est enim primo illos ministros mortis, « qui quærebant animam pueri (*Matth.* II), » qui propter ipsum interficiendum pueros multos occiderunt Herode jubente, cujus filius Herodes in necem ipsius Christi consensit complendo mensuram patrum suorum. Unde super eos justo judicio venit omnis sanguis justus, qui effusus erat, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ. Talis passio Christi in morte innocentium inchoata, sed in morte ipsius est consummata. « Cum enim accepisset Jesus acetum dixit : Consummatum est, et inclinato capite tradidit spiritum (*Joan.* XIX, 30). » Tunc stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et Joannes, hoc habentes desiderium, ut Deus Pater judicaret *pupillo et humili* suspenso in cruce. Et *desiderium pauperum* illorum *exaudivit Dominus*. Nam « ecce velum templi scissum est, et terra mota est, et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt (*Matth.* XXVII, 51), » et tenebræ a sexta hora usque in horam nonam in universo mundo manentes mortuo Christo recesserunt. Quibus miraculis visis non apposuit ultra *homo* carnifex *magnificare se super* terrenam Christi substantiam clamante centurione : « Vere Filius Dei erat iste (*ibid.* 54). » Milites quoque sepulcri ejus custodes non poterant se *magnificare super* hanc *terram*, quia fulgureo angeli aspectu pariterque terræ motu desursum, et deorsum territi « facti sunt velut mortui (*ibid.* XXVIII, 4). » Sic nimirum juste judicatum est *pupillo et humili* propter pupillos et humiles mortuo et sepulto : *Ut non* apponeret *magnificare se homo super terram* ad tempus in manus impiorum traditam, in quantum ipse voluit, qui mari vectem et ostia posuit, et dixit : « Hucusque venies, et hic confringes tumentes fluctus tuos (*Job* XXXVIII, 11). » Non ergo se marina impietatis procella ultra exaltare vel *magnificare super terram* potuit, quam ille destinavit, qui calicem passionis suæ, ac suorum fecit mensurabilem, et tolerabilem (*I Cor.* X, 13). Si enim fidelis est Deus, qui non patitur suos tentari supra id quod possunt, sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possent sustinere, multo magis est credendum in sua propria passione illum sic mensurasse vires matris, et discipulorum suorum, ut possent sustinere consolante illos et miraculorum ostensione et cito maturata resurrectione, qua ille pupillus humilis agnitus est esse altissimus Filius altissimi Patris.

Passus est etiam idem pupillus, et humilis falsos testes verborum ipsius depravatores, quorum primi fuerunt contribules ejus, qui ejus doctrinam subsannaverunt pro eo, quod matrem, et cognatos ejus cognoverunt. Novissimi fuerunt illi, de quibus in Evangelio scribitur : Et « cum multi falsi testes accessissent, novissime » accesserunt « duo falsi testes dicentes : Hic dixit : Possum destruere templum, et post triduum reædificare (*Matth.* XXVI, 60, et seq.). » — « Et non erat conveniens testimonium » eorum (*Marc.* XIV, 59). Neque enim ille sic dixerat,

Digitized by Google

sed : « Solvite, » inquit, « templum, et ego in tribus diebus excitabo illud (*Joan.* II, 19). » Ipse quoque ut falsus testis est punitus : quia Patrem suum dicebat Deum, nec receptum est ab eo illud veritatis verum testimonium, sed receptum est eorum falsum testimonium, qui dixerunt eum seductorem, malefactorem. « Si non esset, » inquiunt, « hic malefactor, non tibi tradidissemus eum (*Joan.* XVIII, 30). » Sicut igitur carnifices primus, et secundus Herodes, atque Pilatus cum suis cooperatoribus Judæis, atque militibus Christum crucifigentibus compleverunt mensuram carnificum, atque lanistarum, interficiendo in Christo corpus visibile : sic falsi testes prænotati compleverunt mensuram falsitatis et mendaciorum proferendo, et persuadendo falsum testimonium contra Christum Dei, Verbum æternum, de quo dicitur : « In principio erat Verbum (*Joan.* I, 1). » Hoc Verbum caro factum non est falsificatum, sicut voluerunt isti falsi testes : imo permansit ac permanet verum. Unde sicut Christus, licet occisus, adhuc vivit, sic licet falso testimonio confutatus adhuc permanet verax et veritas juxta istud : « In æternum, Domine, permanet Verbum tuum in cœlo, » in sæculum sæculi « Veritas tua (*Psal.* CXVIII, 89). » Sed quia hæc gemina carnificum et falsorum testium tortura, Christo illata, per ipsius resurrectionem, perque resurgentis manifestationem in multis argumentis veritatis per dies quadraginta sic est cassata, ut Christus et vivus, et verus, ac fidelis testis credatur, *ita ut non apponat ultra magnificare se homo* carnifex *super terram*, ad cœlos in Christo exaltatam, nec etiam *apponat ultra magnificare se homo* falsiloquus *super terram*, scilicet super veritatem solidam cœlis enarrantibus in mundo creditam : de occultis ejusdem filii passionibus juxta hujus psalmi titulum dicendum est aliquid. Nam prædictæ duæ passiones a carnificibus, et falsis testibus Christo illatæ manifestæ fuerunt, quibus inimici vitam mortificare, veritatem falsificare voluerunt, sed non prævaluerunt.

Est autem Christus *via*, *veritas* et *vita* (*Joan.* XIV, 6). *Via* in exemplis et sacramentis. *Veritas* in doctrina et promissis. *Vita* in præmiis geminis geminarum stolarum, videlicet corporis, et animæ. Ipsum ergo Christum vitam persecuti sunt interfectores. Ipsum Veritatem persecuti sunt falsi testes. Ipsum viam persecuti sunt exemplorum ejus contemptores, et sacramentorum ejus conculcatores. Et hæc tertia passio *in occultis Filii* fuit, quam nunc latius prosequimur, quia de *occultis Filii* Psalmus iste agit. Notum est ex evangelica traditione, quia usque ad annum ætatis tricesimum Christus in privata conversatione subditus erat parentibus, et legalibus constitutionibus, dans formam, præostendens viam humilitatis, qua debeat homo peccator subdi patribus, et sacramentalibus legis divinæ constitutionibus, cum Deus factus homo sine peccato, tamen suis parentibus obedientiam exhibuit, et sacramenta legis antiquæ in circumcisione, in sui ad templum oblatione, in trium solemnitatum celebratione obedienter servavit. Novæ quoque legis, cujus lator ipse est, in se sacramenta suscepit baptizatus in Jordane. Multo vero magis eadem sacramenta confirmavit in sua passione, resurrectione, et ascensione. Pharisæi autem, ait Evangelista, consilium Dei spreverunt, in eo videlicet, quod baptismum neque Joannis, neque Christi receperunt. Sed et illi consilium Dei spreverunt, qui contra sacramentum corporis, et sanguinis ejus murmuraverunt litigantes atque dicentes : « Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum, et sanguinem suum ad bibendum? » (*Joan.* VI, 53.) Et hi tales cum prius viderentur esse de numero discipulorum, tamen abierunt retrorsum dicentes : « Durus est hic sermo, quis potest eum audire? (*ibid.* V, 6.) Multo vero amplius consilium Dei sprevit impius Judas, qui in cœna Domini, sacramentotenus pedes ablutus, totus permansit lutosus, longe a numero eorum seclusus, de quibus ipse Christus inubi dixit : « Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos, » inquit, « mundi estis, sed non omnes (*Joan.* XIII, 10). » Hic tu Judas mercator pessime, hypocrita nequam, fuisti notatus, in immunditia tua permanens etiam inter sacramenta emundationis et purificationis. Tu panem Domini manducasti, sed panem Dominum longe a te alienasti. Tu ablutionem pedum suscepisti, sed juxta illud : « Qui in sordibus est, sordescat adhuc (*Apoc.* XXII, 11), » in sordibus tuis permansisti. Atque utinam tu solus in sordibus tuis permansisses, nec eas ad posteros tuos transmisisses? Nunc autem videmus, et dolemus mercatores pessimos, hypocritas, hæreticos, et Simoniacos divinis interesse sacramentis, nec tamen purgari a suis immunditiis. Et quidem sacramenta veritatis et vitæ via sunt ad ipsam vitam, et veritatem, quia nullus transibit ad terram promissionis, nisi per mare Rubrum sacri baptismatis, nullus in deserto hujus mundi vivus ad vitam tendit æternam, nisi panem angelorum habeat viaticum, quem qui sumere non curat, ipse Christum in suo sacramento conculcat. Qui autem indigne sumit, ipse « reus corporis et sanguinis Domini (*I Cor.* XI, 27) » ipsum corpus Domini potius (quantum in ipso est) rapit more canum quibus non est sanctum Domini committendum, quamvis illud accipiat more fidelium, qui corpus Christi accipiunt omni acceptione dignum illud judicantes, et manducando Christi corpus fiunt Christi corpus : fiunt, quod accipiunt, quia non vane ipsum dicentem audiunt : « Accipite, et comedite : Hoc est corpus meum. Accipite, et bibite : Hic est sanguis meus (*Matth.* XXVI, 26). » *Accipite*, inquit, id est omni acceptione dignum judicate, ac proinde cum veneratione *manducate*, et *bibite* sacramentum, quod vobis est via, seu viaticum ad veritatem et vitam. Sicut ergo Christus honoratur a fidelibus in suis sacramentis, ista sine dubio ipse conculcatur et patitur ab impiis in ejusdem sacramentis, quorum pessimus fuit Judas mercator, p-

Digitized by Google

simus contemptor Christi sacramentorum, in quibus ipse, quantum in ipso erat, occidit Christum, dum in ablutione pedum suorum nec est mundatus, nec ad humilitatem provocatus, dum de manu Domini buccellam accipiens, bonum non bene sumendo intra convivium vitæ mortuus permansit, imo mortuus exivit, vel potius quasi morticinum cadaver ac fœtidum foras projectus est. Nam continuo post buccellam introivit in illum Satanas mortis præpositus, per quem usque ad laqueum est agitatus, morte condigna peremptus, qui sacramenta vitæ, quantum in ipso fuit, cassavit, in quibus ipsi Christo passiones multas intulit manifeste illi adhærendo, sed in occultis exempla et sacramenta ipsius contemnendo, et quantum in ipso fuit cassando.

Sic ipse Christus tripliciter passus, a carnificibus, a falsis testibus, a sacramentorum suorum contemptoribus, ipse, inquam, Christus piscis tripliciter assus reliquias de hac tripliçi assatura sua dedit suis discipulis, et in his toti Ecclesiæ suæ, quæ est corpus ejus.

Hæc itaque complantata similitudini passionis Christi passa est innumera tormenta carnificum a tempore Neronis, qui primus universalem Ecclesiæ indixit persecutionem usque ad imperatoris Constantini conversionem. Cujus in tempore abundante per omnes Ecclesias tranquillitate ac pace, dum increpatis a Christo ventis, et mari facta esset tranquillitas magna, dum dicerent: pax et securitas, tunc repentinus supervenit interitus falsorum testium, quorum permaximus fuit Arius hæresiarches, contra cujus pestiferam doctrinam, dum hinc inde confligitur, maxima tempestate navis Ecclesiæ periclitata est, ita ut in errorem inducerentur multi etiam qui videbantur electi. Tunc multiplicatis falsis testibus super numerum testium veridicorum Constantio Ariano rege eosdem paucos in exsilium agente, ac peste Ariana omnes Ecclesias occidentales, et orientales inficiente invalescebant voces eorum qui contra fidem catholicam in Ariminensi consilio convenerunt, in quo fidem Nicæni concilii proscripserunt, et in Athanasii catholici pontificis damnationem subscripserunt. Accessit huic falsitatis veneno aliorum falsorum testium innumera multitudo, quorum alii Christum purum hominem, et non Deum esse, alii vero Deum illum esse, nec vere hominem, sed hominis phantasma induisse affirmabant. Alii ante Mariam illum non fuisse. Alii de non exstantibus ante mundum cœpisse illum dogmatizabant. Alii per Mariam quasi per fistulam illum transisse. Alii de Maria totam substantiam suam habere Christum ore impio docebant, et alia multa falsitatis testimonia multi falsi testes garriebant, quibus Christum, etsi non in carne necabant, tamen secundum quod ipse veritas est, ipsum negabant. Et utique parum vel nihil distat in scelere necare illum, atque negare. Imo certe minus est illum necare quam negare. Nam qui necat illum, non tamen consequitur, ut Patrem necet. Sed qui negat illum Dei Patris omnipotentis omnipotentem Filium, consequitur necessario, ut et Patrem neget negando illum ejus Filium, de quo ipse testatus est : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui (*Matth.* XVII, 5). » Verum contra hoc Patris testimonium invalescebant voces falsorum testium, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam negantium, a quibus negato Christo negata est ejus Ecclesia, quia synagoga Satanæ finxit se tunc Ecclesiam, et veram Ecclesiam in paucitate electorum tunc servatam negavit Ecclesiam esse divino consilio providente, ut vera et catholica Ecclesia Christo conformaretur in similitudine quoque hujusce passionis, quam a testibus falsis tulit ante faciem Pilati negatus, et postea passus est ab hæreticis illum negantibus.

Tandem cunctis errorum nebulis radio veritatis per catholicos doctores fugatis, et fide catholica in toto terrarum orbe clarescente, in tertia nunc passione sancta Ecclesia Christo compatitur, qui in suis sacramentis Judam proditorem, et mercatorem passus adhuc multos Judas, multos mercatores, multos immundos patitur, quorum quidem pedes abluuntur sacramentotenus, dum sacramenta Christi tractant, vel eis participant, sed ipsi permanent in sordibus immunditiæ suæ cum Juda mercatore pessimo mercatores et ipsi pessimi : quia sacramenta Dei ministrando quærunt, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, regnante in eis avaritia, « quæ est idolorum servitus (*Col.* III, 5), » de qua gignitur Simonia, cujus multa in nostro tempore superabundant exempla. Sicut enim quondam tyrannizante Jezabel et filia ejus Athalia prophetæ Domini sunt occisi, et altaria suffossa : ita nunc, regnante avaritia, et filia ejus Simonia, prophetæ veritatis occiduntur, dum veritatem loqui non sinuntur, et altaria suffodiuntur, quæ Simoniacis clericis a Simoniacis episcopis committuntur; reliquiæ tamen virorum electorum, quos reliquit sibi Dominus, ac servavit, ne curvarent genua sua ante Mammon, quem colit avaritia et Simonia, in sua puritate consistunt, et Christo in suis sacramentis injurias patienti compatiuntur (*III Reg.* XIX, 18). Et quidam eorum cum Elia zelantes justitiam ad deserta loca fugere compelluntur, quibus in spelunca carnis positis, aut etiam de spelunca per contemplationem egressis, nisi veniret sibilus auræ lenis, nulla esset consolatio, dum in quolibet loco sancto abominatio desolationis cernitur stare, dum principales ac matrices Ecclesiæ subjacent avaritiæ ac Simoniæ.

Hæc est causa commotionis et spiritus conterentis petras, et ignis omnia vastantis, ut revelatum est Eliæ; quia propter Simoniam, et avaritiam conteruntur petræ, id est qui videntur fortes esse, et totus orbis est in commotione, et ignis cupiditatis, aut ignis visibilis vindex malorum invalescit. Sed quia nihil consolationis habet Ecclesia in his manifestis, cum neque in spiritu conterente petras, neque in commotione, neque in igne sit Dominus, orat atque suspirat ipsa Ecclesia *pro occultis Filii*. Pro-

Digitized by Google

pær quod dicitur Eliæ : « Post ignem sibilus auræ lenis, et ibi Dominus (*III Reg.* XIX, 11), » ibi consolatio, ibi recreatio, *in occultis Filii*, in sibilo lenis auræ indubitanter exspectetur, quia secundus Christi adventus, licet flat impiis terrificus, tamen electis erit quasi sibilus auræ lenis. Tunc *desiderium pauperis* exaudiet *Dominus*, *præparationem cordis eorum* audiet *auris tua, Deus!* Tunc juxta *desiderium pauperum* sic judicabis *pupillo et humili, ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.*

Et quidem jam ex parte *desiderium pauperum exaudivit Dominus* judicans *pupillo, et humili, ut non apponat ultra magnificare se homo* carnifex *super terram*, quia interfectis martyribus, et spiritibus eorum in cœlum receptis, ita per innumera miracula glorificata sunt eorum terrena corpora, *ut non apponat ultra magnificare se homo* carnifex super illa : factique sunt ipsi martyres Christi convivæ non solum in reliquiis assi piscis, verum etiam in favo mellis, quia per societatem passionis Christi, gloriæ quoque illius ita sunt consociati, *ut non apponat ultra magnificare se homo super terram*, id est super corpora eorum in pace sepulta, miraculis corusca, dæmonibus terribilia, infirmos medicantia, et multimoda virtute radiantia, et illam gloriam exspectantia, in qua et nos « exspectamus Dominum Jesum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ (*Philipp.* III, 20, 21). » In diebus quippe martyrum juxta vaticinium Isaiæ « jugum oneris » ablatum, et « Sceptrum exactoris ita est superatum sicut in die Madian (*Isa.* IX, 4). » Sicut enim Gedeon pugnans contra Madian sonantibus tubis, fractis lagenis, coruscantibus ampadibus conterruit hostes, ut in fugam verterentur : ita Christus pugnans contra hujus mundi principem sonantibus apostolicis testimoniis, cum « in omnem terram exivit sonus eorum (*Rom.* X, 18), » et fractis martyrum corporibus, et exinde miraculis coruscantibus hostes Ecclesiæ vertit in fugam, ita *ut non* apponeret *ultra magnificare se homo super terram*, id est super corpora sanctorum juxta desiderium pauperum in pace sepulta, miraculis innumeris coruscantia, sicut in die Madian lampades coruscabant, quibus castra Madian sunt fugata, et illis fugatis pax super Israel firmata est, et *desiderium pauperum* exauditum est : quia sceptrum exactoris superatum est sicut in die Madian.

Longe hoc prævidens Isaias propheta promisit Ecclesiæ hanc pacem dicens : « Et erit in die illa, cum requiem dederit tibi Deus a labore tuo, et a concussione tua, et a servitute dura, qua ante servisti, sumes parabolam istam contra regem Babylonis, et dices : Quomodo cessavit exactor, quievit tributum? Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem populos indignatione plaga insanabili, subjicientem in furore gentes, persequentem crudeliter. Conquievit et siluit omnis terra, gavisa est et exsultavit. Abietes quoque lætatæ sunt super te, et cedri Libani. » Vere, namque abietes et cedri Libani lætabuntur, quando persecutionibus Ecclesiæ cessantibus conquievit, et siluit omnis terra, id est omnis Ecclesia, in qua erant sancti minores velut abietes, et majores quasi cedri, qui omnes, firmata Ecclesiarum pace, sunt lætificati. Non solum vero in martyrum glorificatione *desiderium pauperum exaudivit Dominus*, sed etiam in sanctis confessoribus gloriosus apparet Dominus, quos similes, « fecit in gloria sanctorum, et in verbis » eorum « monstra » hæreticorum « placavit (*Eccli.* XLV, 2). » Glorificavit illos in conspectu regum, et dedit illis coronam gloriæ. Statuit illis testamentum sempiternum, et dedit illis sacerdotium magnum, et beatificavit illos in gloria in tantum, *ut non apponat ultra magnificare se homo* hæreticus, falsus testis *super terram*, id est super solidam et fecundam eorum doctrinam. Cantemus ergo in veneratione martyrum, et confessorum, et jubilemus dicendo : *Desiderium pauperum exaudivit Deus.* Nam juxta *desiderium pauperum* sic *judicavit pupillo, et humili* martyri vel confessori, *ut non apponat ultra magnificare se homo super terram* virtutum floribus, et fructibus fecundam, dum et per martyrum corpora fiunt miracula gloriosa, et per confessorum doctrinam in bonis moribus, et operibus fructificant fidelium corda.

Sed adhuc æstuat in corde pauperum vehementissimum desiderium necdum plene ac sufficienter exauditum. Nam Judas mercator pessimus cum suis complicibus avaris, et Simoniacis adhuc se magnificat super terram, super sanctam videlicet Ecclesiam pro sacramentorum indifferenti similitudine, quæ tam a Simoniacis, quam a catholicis in tanta fiunt identitate, ut in errorem inducantur, si fieri potest, et electi æstimentque ab omnibus indifferenter accipienda Christi sacramenta. Sed pauperum desiderium jam ex parte super hoc malo exterminando exauditum est, quia manifeste Simoniacæ et incestuosorum clericorum a sede apostolica interdicta sunt officia. Non autem usque adeo convaluit hæc interdictio, *ut non apponat ultra magnificare se homo super terram*, quia, licet interdicti, tamen gloriantur super Ecclesiam Simoniaci et Nicolaitæ pessimi pro similitudine signorum sacramentalium. Sic in Ægypto Jannes, et Mambres magnificabant se contra Moysen et Aaron pro similitudine signorum (*Exod.* VII, 11) : sed postquam digitum Dei contra se operantem in signis Moysi, et Aaron persenserunt, *non* apposuerunt *ultra magnificare se super terram*, super Dei populum Sic, sic, O Domine Deus, fac manifestum quod in officiis interdictis digitus tuus, Spiritus sanctus, nullam salutem, nullam virtutem operatur, qui in officiis catholicorum salutem et virtutem operatur : hoc ita manifesta judicans *pupillo et humili*, cuilibet catholico, ut veritate hujus rei patefacta *non apponat ultra magnificare se homo super ter-*

Digitized by Google

ram, non apponat ultra Simoniacus, vel Nicolaita incestuosus magnificare se super terram, super catholicam et apostolicam Ecclesiam, licet in paucis reliquiis coarctatam, tamen adhuc fructiferam, quia licet abundante iniquitate charitas multorum refrigescens pene defecerit, attamen in paucis electis desiderium illud flagrat, quod creditur exaudiendum propitiante Deo : et præparationes cordis eorum vehementer æstuant, quoadusque judicetur pupillo et humili catholico, tali nimirum judicio, *ut non apponat ultra magnificare se homo* mercator pessimus *super terram*, id est super Ecclesiam, vel etiam, super terrenam possessionem et acquisitionem suam, quæ, cum sit pretium sanguinis Christi, oblata videlicet ecclesiasticis in sustentationem Deo ministrantium, et aliorum Christi pauperum, sine dubio constat, quod in sepulturam peregrinorum, in qua requiescant Christi pauperes in hoc mundo peregrini, eadem possessio est expendenda, atque talibus est inde requies providenda. Fieri hoc potest in aliquibus per talem pœnitentiam Simoniacorum, qualem habuit Judas, qui pœnitentia ductus retulit triginta argenteos, quos deinde legimus in sepulturam peregrinorum expensos. Sic pœnitentia Judæ, licet ipsi non fuerit fructuosa, tamen peregrinis fructuosa fuit et utilis, dum non apposuit ipse Judas *ultra magnificare se super terram*, super agrum sanguinis comparatum triginta argenteis, pretio videlicet pretiosi sanguinis in sepulturam peregrinorum.

Vidimus nos oculis nostris quosdam episcopos a Simoniacis regibus investitos, qui pœnitentia, seu vera seu falsa, ducti retulerunt pretium sanguinis, id est ipsum episcopatum ad domnum apostolicum, abrenuntiantes tali administrationi, ad quam non erant canonice promoti. Qua satisfactione utcunque purgati per domnum apostolicum denuo jussi administrare temporalia et spiritualia episcopatuum bona, ita de ipsis procuraverunt agrum in sepulturam peregrinorum, ut essent studiosi ædificatores et ditatores cœnobiorum in sepulturam, et requiem peregrinorum Christi pauperum. Sed est hujusmodi seu vere, seu ficte pœnitentium tantilla paucitas in tanto numero Simoniacorum et aliorum Judæ mercatori similium super terram se magnificantium, ut merito anhelet pauperum desiderium, ferveantque præparationes cordis eorum vehementer hoc desiderantium, quatenus amplietur numerus pœnitentium, dignos pœnitentiæ fructus afferentium in sepulturam peregrinorum, nec inveniatur *homo, qui apponat ultra magnificare se super terram;* dum et vere pœnitentes, vere humiliati salvantur, et ficte pœnitentes cum Juda mercatore pessimo strangulantur effusis in terram visceribus eorum, patefactis videlicet secretis, immunditiis eorum, suspensisque ipsis inter terram et cœlum, ut careant utroque, terrestri videlicet ac cœlesti honore, qui contra Deum se præsumunt super terram magnificare. Factum est illud ex parte permodica, sed desiderium pauperum, et præparatio cordis eorum in hoc se vehementer extendit, ut sicut carnificibus humiliatis et hæreticis confutatis *non apponit homo ultra magnificare se super terram*, id est super martyrum carnem claris miraculis honestatam, et super confessorum doctrinam testimoniis veritatis coruscam : sic mercatoribus pessimis et immundis cum Juda mercatore a cœna Domini, a mensa Dominicorum sacramentorum exeuntibus, et quod faciunt, cito facientibus, pretium videlicet sanguinis projicientibus, ac peccatum suum confitentibus *non apponat ultra* ullus talis *homo magnificare se super terram*, id est super aliquam dignitatem ecclesiasticam. Sint autem soli et omnes illi magnifici in Ecclesia, de quibus dicit Apostolus, « quos Deus præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui (*Rom.* VIII, 29 *et seqq.*). » *Quos autem*, ut nunc ita dicamus, vel sacerdotes, vel episcopos vel in alia dignitate insignes fieri *prædestinavit, hos* et divina, seu canonica vocatione *vocavit*, ut Ambrosium, Martinum, similesque illorum : *Et quos* ita *vocavit, hos etiam justificavit*, quia eos justos judices et juste viventes in suis dignitatibus exhibuit. Quos autem sic per merita *justificavit, illos etiam* præmiis magnificavit: Quos justificavit, ut viverent laudabiliter, illos et magnificavit, ut alios regerent auctorabiliter. Non ergo talium quisquam se super terram magnificavit, sed magnificante se Deo semetipsum humiliavit.

Recte igitur æstuat *desiderium pauperum* pro multiplicandis talibus. Recte præparatio cordis eorum est, ut eisdem rectoribus gubernetur Ecclesia Christi, per quos operis sui vicarios idem Christus reliquit, qui si constituantur principes super omnem terram, tunc desiderium pauperum ita exauditum erit, *ut non apponat ultra magnificare se homo super terram*. Sed licet hoc in manifesto ultimi examinis judicio sit universaliter complendum, quando humiliabitur omnis qui se magnificabit super terram, *ita ut non apponat ultra magnificare se homo super terram;* tamen per occultos Christi adventus, quibus ipse quotidie suam visitat et examinat Ecclesiam deponens potentes de sede, et exaltando humiles, constituens eos principes, super omnem terram, valde jucundatur desiderium pauperum, dum secundum præparationem cordis eorum, quod exspectatur in universitate futurum imminente judicio manifesto, nunc magna ex parte fit quotidie in occultis judiciis Filii ; pro quibus *occultis Filii* secundum titulum psalmi hujus Ecclesia suspirante, *desiderium pauperum* suorum ita exaudiat *Dominus, ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.*

In Hebræo titulus hujus psalmi talis est : *Victori super mortem Filii.* Talis intitulatio multum concordat sensui nostro, quia victoriam *super mortem Filii* testamur. Nam de morte, qua in carne mortuus fuit, victor surrexit, et jam vivit, et vita hominum

Digitized by Google

cum eo surrexit. Item de morte, quam falsi testes illum oppresserunt, quando illum quasi falsum testem confutaverunt, ipse victor surrexit, et veritatis testes multiplicavit, qui essent ei testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ. Similiter de morte, qua illum in suis sacramentis mortificaverunt, qui ejus carnem et sanguinem quasi mortui cadaveris æstimaverunt, ipse victor convaluit, quando ipse in tantum carni et sanguini dissimilem se ostendit, ut sacramentum carnis et sanguinis ejus communicantibus in fide sit Spiritus vivificans juxta illud : « Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius, Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam (*Joan.* VI, 63). » Caro enim carnaliter æstimata non prodest quidquam. Sed quia caro Christi vivificat, quod est opus et officium Spiritus, ipsa secundum virtutem suæ operationis recte creditur et dicitur esse Spiritus quia facit quod facere non potest nisi summus et vivificator Spiritus. Vivificat enim sanctam Ecclesiam, et in die judicii sic vivam exhibebit illam, *ut non apponat ultra magnificare se homo super eam.* Nec est incredibile quod credendum suademus, ut videlicet caro Verbi credatur Spiritus. Si enim, Apostolo asserente, « qui adhæret Domino, unus Spiritus est (*I Cor.* VI, 17) ; » multo excellentius ac divinius caro, quæ in Dei Verbo adhæsit Spiritui summo, summus et unus cum eo Spiritus est, ita valens vivificare sanctam Ecclesiam, *ut non apponat ultra magnificare se* carnalis *homo super* illam.

In Hebræo sic habetur : *Desiderium pauperum audivit Dominus; præparasti cor eorum, ut audiat auris tua, et judices pupillum, et oppressum, et nequaquam ultra superbiet homo de terra.* Hebraica ergo veritas favet nostro intellectui, qui desideriis pauperum, et præparatione cordis eorum ita satis fieri optamus, ut justo judicio exaltetur pupillus, et oppressus Christus, vel christianus, ita ut *nequaquam ultra superbiat homo de terra.* Homo de terra est Antichristus. Nam « primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis. Qualis terrenus, tales terreni, et qualis cœlestis, tales cœlestes. Qui de cœlo venit, super omnes est (*I Cor.* XV, 47 *et seq.*). » Unde conveniens est, consequens est, necessarium est, ut contra illum nequaquam ultra superbiat homo de terra, homo totus terrenus, ac proinde homini cœlesti, qui de cœlo venit, omnino contrarius, unde et dicitur Antichristus, id est Christo contrarius, quem beati pauperes spiritu sic humiliari desiderant secundum præparationem cordis eorum, *ut non apponat ultra magnificare se* ille *homo super terram.*

Gloria Patri, qui occulta generatione Filium genuit. *Gloria Filio*, qui occultis judiciis Ecclesiam suam sanctificat et regit : Qui etiam de tripartita passione sua post mortem victor existens Ecclesiæ quoque suæ, quæ est corpus ejus, de ipsa trimoda passione victoriam donat. *Gloria Spiritui sancto*, qui pro occultis Filii manifestandis, vel pro mortis ejus victoria triformiter consummanda *desiderium pauperum* gemitibus inenarrabilibus inflammans exaudibile illud facit. Amen.

PSALMUS X.

In Domino confido. Titulus talis est (VERS. 1) :

IN FINEM, PSALMUS DAVID.

Quid sit *in finem*, quid psalmus, et qualiter David sit intelligendus, patet in psalmis præcedentibus. Agitur autem hic invective contra hæreticos, qui callide insidiantur simplicitati Ecclesiasticæ, super quos quia peccatores sunt, quia *ignis* concupiscentiæ, et *sulphur* malorum operum *pars calicis* eorum fuerunt, et hæc eos inebriaverunt; idcirco Dominus pluit laqueos, ut per Scripturam sacram multipliciter illaqueentur, imo male intelligant, male interpretentur, intentio est nos hortari, ut hæreticis resistamus in confidentia Dominicæ auctoritatis. Modus tractandi est bipartitus. Primo dicit, qualiter hæretici bonos nituntur in suam trahere pravitatem. Secundo exponit quid utrique parti Dominus faciat, qui *et super peccatores pluit laqueos, et oculi ejus in pauperem respiciunt.* Ordo præposterus est, cum antequam narret, quid dicant sibi hæretici, respondet dicens :

VERS. 2. *In Domino confido; quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer.* Ex hac nempe responsione intelligitur, quid dicant hæretici viro catholico, quem videlicet transmigrare suadent *in montem*, id est in eminentiam sententiarum suarum. Quibus quid sit respondendum, psalmi docet exordium, quod tale est : *In Domino confido.* Et ideo quantaslibet maledictiones et suasiones malas contra me proferatis, ego benedictionem pro hoc spero : Quia *confido in Domino.* Scriptum est enim : « Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus. Erit » enim « quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, et non timebit, cum venerit æstus. Et erit folium ejus viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum (*Jer.* XVII, 7, *et seq.*). » Hæc est benedictio viri, qui *in Domino* confidit. Et ego sperans ita esse benedictus, *in Domino confido.* Vos autem estis homines. Quandiu enim zelus, et contentio est inter vos, nonne homines estis, nonne carnales estis ? Nonne cum sitis ho-

Digitized by Google

mines carnales, animales, zelum et contentionem inter vos habentes, minime convenit, ut in vobis, aut sententiis vestris confidamus, et sententiam Domini relinquamus? Dominus dicit : « Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi; omnia ergo quæ dixerint, servate, et facite; quæ autem faciunt, nolite facere (*Matth.* XXIII, 2, 3). » Igitur licet sitis homines, licet sitis carnales, libenter vos audirem, libenter vobis obedirem, si sederetis in cathedra Moysi docendo legitime, licet non vivendo legitime. Nunc autem quia sedetis « in cathedra pestilentiæ, beatus vir, qui non abiit in consilio vestro, et in via vestra non stat, et in cathedra vestra non sedet, sed confidit in Domino, et in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte, et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo (*Psal.* I, 1-2-4), » nec aliquando desinet facere fructum juxta Jeremiæ vaticinium prælibatum. « Cathedras vendentium columbas Dominus evertit, et mensas nummulariorum dejecit (*Matth.* XXI, 12). » Cum igitur videam vos esse venditores columbarum, qui mensas Domini, id est altaria Christi facitis vobis mensas nummulariorum : *quomodo dicitis animæ meæ;* ut ante cathedram vestram reverenter stando, et mensis vestris communicando recedam a Domino, in quo confido? Dominus est, qui mihi dicit per apostolum suum Paulum : « Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum; magis autem redarguite (*Eph.* V, 11). » Vos autem suadetis mihi ab hac sententia Domini migrare, atque omnibus mensis indifferenter communicare tam hæreticorum, Simoniacorum, quam sacerdotum catholicorum. Et licet ego confidens in Domino ostendam rationabile mandatum Romanorum pontificum in cathedra Petri et Moysi sedentium, cunctas missas manifeste incestuosorum et Simoniacorum clericorum terribiliter quasi peccatum ariolandi proscribentium, et eas audire prohibentium : tamen vos *dicitis animæ meæ : transmigra in montem*, id est in eminentiam sententiarum nostrarum. Tene sententiam litteratorum Virorum, magistrorum insignium, subtiliter astruentium, omnibus missis indifferenter communicandum, quandiu quilibet episcopus tolerat in parochia sua sacerdotem quantumlibet manifeste incestuosum et Simoniacum. Christus in Petro, et Petrus in suo vicario dicit mihi : Noli tales audire, noli talium officia interdicta recipere. Sed dicit mihi aliquis magister litteratus, quasi favente sibi Patre Augustino, quod nulli sacramento facienda est injuria. Injuriam vero sacramento fieri putant, si propter ministrum reprobum contemnatur inviolabile sacramentum, quod licet male ministrantibus non conferat salutem; tamen in simplicitate communicantibus obtinet suam virtutem. Quare igitur non attendunt, quod idem Pater dicit : *Tandiu peccatum cujusque toleratur in Ecclesia, donec aut accusatorem inveniat, aut pravam opinionem pertinaci animositate defendat.* Pertinaci vero animositate, non tam pravam opinionem, quam pravam conversationem Simoniaci et Nicolaitæ incestuosi defendentes, quia non erant ulterius tolerandi, canonice sunt interdicti. Et de manifestis quidem est hæc sententia : Secretorum autem cognitor, et judex Deus est. Sed vos hæretici a Romana Ecclesia multum dissoni ad vestram cathedram, super quam in templo Dei sedetis extollendo vos « supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur (*II Thess.* II, 4), » me provocatis, ut innitar montuosæ magnitudini vestræ auctoritatis tolerans omnia, quæ vos toleratis, dissimulans, quæ dissimulatis, communicans missis interdictis, quibus vos communicatis. At ego *in Domino confido*, et sicut nolo confidere in homine, in alicujus hominis auctoritate, ita nolo fiduciam ponere, ut a Domino recedam : quia scriptum est : « Maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus; erit enim quasi myricæ in deserto, et non videbit, cum venerit bonum, sed habitabit in siccitate, in deserto, in terra salsuginis, et inhabitabili (*Jer.* XVII, 5, 6). » Propter hoc nolo in homine confidere, ita ut recedat cor meum a Christi auctoritate. Sed vos *dicitis animæ meæ*, utique ad animam meam dirigitur vestra suasio, quia humiliatis tyrannis, et per triumphos martyrum crudelitate illorum superata, qua interficiebantur corpora, vos hæretici non corpora, sed animas quæritis interficere. Unde *dicitis animæ meæ*, quam interficere quæritis : *Transmigra in montem*, id est in nostram auctoritatem. Vel *transmigra in montem*, id est in Christum, qui est apud nos. Hoc dicitis, quasi vos soli Christum habeatis. *Dicitis*, inquam, *transmigra* sicut avis, quia, si hoc fecero, ero sicut avis instabilis. Vel *sicut passer*, id est sicut spiritualis habens pennas virtutum. Sic loquendo, et me passerem nominando auribus prurientes in cor sagittas mittitis.

VERS. 3. *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum suum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.* Hæc dicendo facit apostrophen convertendo se ad fideles ab hæreticis infidelibus, quos post unam et secundam correptionem vitandos docet Apostolus (*Tit.* III, 10). Quasi enim una fuit correptio, quod dixerat : *In Domino confido.* Secunda, quod adjunxit : *Quomodo dicitis animæ meæ : Transmigra in montem sicut passer.* Nunc ab illis proprio judicio condemnatis, et industriose mala sua defendentibus, ac per hoc animas audientium sagittantibus avertendo se loquitur fidelibus præmuniens eos, ut sibi caveant. *Quoniam*, inquit, *ecce peccatores intenderunt arcum suum.* Ecce in manifesto manifesti peccatores, manifesti Simoniaci, et Nicolaitæ pro manifestis criminibus interdicti : Ecce ipsi peccatores et abundantes in sæculo obtinuerunt divitias corporales et spirituales ! Nam possident Ecclesias, et sciunt Scripturas, et ideo de ipsis Scripturis Veteris et

Digitized by Google

Novi Testamenti fecerunt, et *intenderunt arcum* ad se detorquendo, et flectendo sensum earum juxta errorem suum. Quia enim Psalmus iste intitulatur *in finem*, non est absurdum vel hunc vel alios Psalmos *in finem* intitulatos ita interpretari, ut nos, « in quos fines sæculorum devenerunt (*I Cor.* x, 11), » his quæ nunc circa finem mundi fiunt, coaptemus verba Psalmorum, non ut hæretici de suo sensu in nostrum sensum, sed ultroneam exponendo consensionem, quæ invenitur et in verbis Psalmorum, et in eventibus nostrorum temporum. Sic Pater Augustinus, doctor augustus et eximius tractando Psalmos in homiliis multa inde notavit apta eventibus temporum suorum. In suis quippe temporibus licet multi hæretici exiissent a nobis, qui non erant ex nobis, ut Ariani, Donatistæ ac cæteri, quos idem Pater vitandos docuit : tamen Judas mercator pessimus et homo immundus adhuc intus erat, propter quem cum discipulis dixisset Dominus; jam « vos mundi estis, » addidit : « sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset traditurus eum; propterea dixit : Non estis mundi omnes (*Joan.* xiii, 10, 11). » Igitur iste mercator pessimus et immundus in tempore martyrum, et sanctorum confessorum nondum exierat foras, quoniam dies erat. Sed postquam per manifesta pontificum decreta denotatus est, quod ipse, qui intingit manum in paropside, Christi traditor est, continuo introeunte in illum Satana « exivit foras (*Joan.* xix, 5) » de occultis latebris ad manifestas nundinas. Erat autem nox, quando exivit, quia tenebris invalescentibus vix agnoscebatur esse mercator pessimus, qui Ecclesias, et Ecclesiastica vendidit vel emit. Vix etiam agnoscebatur homo immundus, qui in sacerdotio uxorem vel concubinam habuit. Sed nunc ecce a tempore junioris Nicolai per ipsum Nicolaum, per Leonem nonum, per Alexandrum secundum, per Gregorium septimum, perque alios Romanos pontifices Christus traditorem suum hominem immundum in Simoniacis et Nicolaitis foras projecit. Unde sicut Judas postquam foras exivit, in nullo apostolico ministerio discipulis est conjunctus; imo interfectoribus Christi sociatus est : ita nimirum post manifestam manifestæ Simoniæ, vel incontinentiæ damnationem Simoniaci vel Nicolaitæ per interdictorum officiorum celebrationem Christum denuo crucifigunt, et quantum in ipsis est, interficiunt. Quia igitur officia sua celebrant per inobedientiam, quæ teste Samuele scelus est idololatriæ (*I Reg.* xv, 23), sicut idololatriam censemus cavendam eorum in interdictis officiis participationem, quoniam et hoc est a sede apostolica interdictum, ut nullus christianus præsumat audire missas eorum, ubi eorum Simonia, incontinentia et inobedientia manifeste scitur.

Eant nunc magni magistri scholarum, qui in tractatu Psalmi hujus introducunt Beatum Augustinum, volentes probare per illum indifferenter audiendas esse missas omnium sacerdotum. Eant, inquam, et videant, cui tempori conveniat, quod ille Beatus Pater dicit. Nam in expositione versiculi hujus : « Quoniam quæ perfecisti, destruxerunt, justus autem quid fecit? (*Psal.* xx, 3.) » Secundum sensum ipsius Beati Augustini dicitur : « Si hæretici offenderunt, justus autem, id est Christus, quid fecit vobis? Nonne ipse pacem reliquit nobis? nonne Judam patienter toleravit? Nonne furem et traditorem, quem etiam diabolum nominavit, prædicatorem cum discipulis fecit, ut ostenderet per tales posse dona Dei ad eos, qui fide accipiunt, pervenire, etiamsi talis sit, per quem accipiunt, qualis fuit Judas? » Bene laudamus hunc sensum B. Augustini suo adaptatum tempori. Loquitur enim ille de Juda necdum foras projecto, necdum laquei sui nexu strangulato. Et nos juxta doctrinam hanc fures, latrones et immundos in sacramentorum communione, vel celebratione intra Ecclesiam toleramus propter pacem, quam nobis reliquit Christus. At postquam viderimus propter talia scelera Judam interdictionis laqueo suspensum ab officio, et diffusa fuerint in terram viscera ejus, manifestatis videlicet turpitudinibus ejus, ex tunc velut morticinum et immundum, ac fœtidum cadaver devitantes officia talium, nihil facimus contra B. Augustinum : quin potius imitamur illum, qui a Donatistis et Circumcellionibus aliisque sui temporis hæreticis exclusis diligenter abstinuit, neque illis in sacramentorum celebrationibus communicavit, qui tamen sacramenta baptismatis et ordinationis per eos data in redeuntibus ad Ecclesiam rata recognovit : propterea scilicet, quod eadem vel manus impositione, vel catholicæ pacis receptione sanabantur in his, qui ab hæresi ad Ecclesiam revertebantur.

Jam nunc ignoscant nobis magistri litterati, si nos verba Psalmorum ita coaptemus nostri temporis cursui, sicut B. Augustinus ex latere semper notavit in expositione Psalmorum sui temporis cursum. Si enim omnium temporum hæretici *arcum suum*, id est sanctam Scripturam ad suum errorem *intenderunt*, et illi, qui nunc sunt hæretici, Simoniaci et Nicolaitæ non desinunt *arcum suum* secundum suum sensum detorquere Scripturas depravando; quare non liceat nobis uti eisdem Scripturis ad eorum prava sensa confutanda, non quasi arcu violenter in transversum curvato, sed quasi gladio ancipiti et bis acuto? Neque enim conamur Scripturas a suo sensu deflectere, sed, quod datum nobis fuerit, in gloriam dantis loquimur, non nostra scripta magistrorum magnorum scriptis conferendo vel præferendo, sed illorum pio desiderio satisfacere cupiendo, qui hoc opus a nobis exigunt quasi de uberrimis pascuis pastoris David quamdam refectionem, et consolatorium quoddam ferculum, justitiæ sale conditum, quod esurientibus et sitientibus justitiam, ut magis dulce sit et sapidum, non extorquemus de Psalmis violenter alienum sensum, sed consona Patribus dicendo, et nostri temporis hæreses interdum refellendo ultroneum, et sponte occurren-

Digitized by Google

tem sensum tenemus. Hæretici autem *intenderunt arcum*, id est Scripturam. Nam cum alii simpliciter intelligentes habeant eam quasi arcum remissum : hæretici eam dicuntur *intendere*, cum pro sua æstimatione subtiliorem in eo sententiam habuerint. *Paraverunt sagittas suas in pharetra.* De ipsis namque Scripturis paraverunt venerata et intoxicata verba in *pharetra*, id est in corde suo tenebroso; *ut sagittent rectos corde in obscuro*, id est in sylvestri condenso latronum more ipsi latitantes, ut de ipso cordis nequissimi condenso, in quo sunt latibula ferarum, in quo vulpes foveas habent et volucres cœli nidos, latrocinia exerceant; et inde *sagittent rectos corde*, id est voluntate. Nam sicut homines malæ voluntatis habent cor distortum, sic homines bonæ voluntatis ipsi sunt homines recti cordis.

Atque ut ad nostri temporis hæreticos respiciamus, nonne ipsi *peccatores* pro manifesta Simonia vel incontinentia interdicti, quando se præparant ad officia interdicta celebranda, verbi gratia ad missam canendum, nonne, inquam, tunc sub nomine missæ *arcum intendunt*, unde sagittas intoxicatas mittunt? Si enim arbor in paradiso interdicta fructibus suis comedentes intoxicavit, non quod arbor fuerit mala per naturam, sed per inobedientiam : quanto magis isti per inobedientiam cantantes per inobedientiam sibi communicantibus propter geminam inobedientiam in suis officiis propinant mortem, non vitam? Cum enim de talibus dicat Dominus : « Maledicam benedictionibus vestris, et benedicam maledictionibus vestris (*Malach.* II, 2), » nonne pro sagittis maledictionum sunt habenda verba eorum, cum in suis interdictis missis benedicunt populum? Nonne ipsa missa interdicta est quasi *pharetra* sagittis intoxicatis plena? Hinc est, quod papa Innocentius in Epistola ad Alexandrum Antiochenum episcopum dicit inter cætera (39) : « Ordinati ab hæreticis, vulneratum per illam manus impositionem caput habent. Ubi autem vulnus infixum est, medicina est adhibenda, qua possit recipere sanitatem ; quæ sanitas post vulnus secuta sine cicatrice esse non poterit. » Nonne sic loquendo iste Romanus Pontifex hæreticorum ordinationem quasi pharetram, sive *arcum*, unde vulnera timentur, docet cavenda?

Sed quia hæc dicta videntur de Arianis aliisque illius temporis hæreticis, videamus an contra nostrorum temporum hæreticos, Nicolaitas videlicet atque Simoniacos tale aliquid a sedis apostolicæ alta specula dicatur, per quod eorum arcus et pharetra doceatur intentare vulnera. Nicolaus papa Junior synodo præsidens in ecclesia Constantiniana tanquam speculator constitutus in alta specula videns venientem gladium, pharetram et arcum, curat omnem christianum reddere cautum et præmunitum contra vulnera Simoniacorum, dicens inter cætera : « Erga Simoniacos nullam misericordiam in dignitate servanda habendam decernimus, sed juxta canonum sanctionem, et sanctorum Patrum decreta eos omnino damnamus. » Item : « De cætero, si quis inposterum ab eo, quem Simoniacum esse non dubitat, se consecrari permiserit, et consecrator, et consecratus non disparem damnationis sententiam subeant, sed uterque depositus pœnitentiam agat, et privatus a propria dignitate persistat. » Item speculator insignis Urbanus papa secundus in alta specula stans Herimanno Metensi episcopo clamat : « Vendentes et ementes honores ecclesiasticos, et sacerdotes, diaconos, et subdiaconos, conjugatosque, quandiu in suo errore permanserint, nullam suæ ordinationis potestatem habere permittas. » Alexander papa secundus, speculator egregius, ita dicit : « Præcipiendo mandamus, ut nullus missas audiat presbyteri, quem scit indubitanter concubinam habere, vel subintroductam mulierem. Nam hujusmodi probrum, sive diaconum, sive subdiaconum sancta synodus officio privavit, et omnes, qui in canonica sunt, uxores non habeant, et si duxerint, deponantur. Ut ecclesia, et altaria non vendantur, nec emantur, et qui amodo vendiderint, vel emerint anathemati subjacebunt. Ut ecclesiæ per pretium, vel a Simoniacis consecratæ denuo consecrentur. Ut presbyteri a tempore Nicolai papæ usque nunc et deinceps scienter ordinati a Simoniacis sciant se esse depositos. » Gregorius autem septimus quasi angelus tuba cecinit, quia gladium non tam venientem, quam imminentem vidit. Dicit igitur : « Si qui sunt presbyteri, vel diaconi, vel subdiaconi, qui in crimine fornicationis jaceant, interdicimus eis ex Dei parte omnipotentis, et sancti Petri auctoritate Ecclesiæ introitum, usque dum pœniteant, et emendent. Si qui vero in peccato suo perseverare maluerint, nullus vestrum eorum audire præsumat officium : Quia benedictio eorum vertitur in maledictionem, et oratio in peccatum Domino testante per prophetam : Maledicam, inquit, benedictionibus vestris (*I Reg.* XV, 23). Qui vero huic saluberrimo præcepto obedire noluerint, idololatriæ peccatum incurrunt, Samuele teste, et beato Gregorio instruente : Peccatum ariolandi est non obedire, et scelus idololatriæ nolle acquiescere. Peccatum igitur paganitatis incurrit, quisquis, dum Christianum se asserit, sedi apostolicæ obedire contemnit. » Vox speculatorum in præmissis decretis alte insonuit, ut omnis, qui audiat interdicta officia, quasi pharetram, et arcum, quasi vasa mortis vitare studeat.

Verumtamen ipsi maledicti, et interdicti per sua interdicta officia *intendunt arcum*, parant *sagittas*, *ut sagittent in obscuro*, id est in ambiguo, et *obscuro* iniquitatis mysterio aliquatenus palliato impietatis, et turpitudinis negotio. Quem sagittent? *Rectos corde*, *rectos* voluntate. Non potest, inquiunt, pollui verbum Dei, non potest impediri gratia Dei,

(39) Causa 1, q. 1, c. *Ventum est.*

Digitized by Google

quin suos effectus operetur, etiam per ministros Judæ traditori similes. Acquiescimus plane ista dictis, verum ita, sicut supra determinavimus, ubi inter Judam et Judam differentiam ostendimus. Nam, ut præostensum est, Judæ traditori inter apostolos tolerato, in suis officiis nusquam derogatum est. Similiter Simoniacis, et fornicatoribus clericis adhuc in suo ministerio toleratis, videlicet antequam præceptis apostolicis interdicerentur, nusquam derogatum est in suis officiis. At nunc, postquam revelaverunt cœli iniquitatem Judæ, et terra adversus eum consurrexit, postquam mercator pessimus ab officio suspensus quodammodo, crepuit medius, et diffusa sunt in terra viscera ejus : ipsius ac similium ejus interdicta officia sunt vitanda secundum præmissa Patrum decretalia mandata. Igitur etsi *arcum* suum intendant, ac parent *sagittas*, etsi officia sua interdicta nobis ingerant : nos annuente Deo scutum apostolicæ auctoritatis prætendemus, et sagittas eorum ad cor nostrum pervenire non sinemus. Et hoc illi scientes nos evitant, et sagittant *in obscuro*, id est in tenebroso sensu, propter carnales et imperitos obscurato, insidiando videlicet simplici popello.

Alia translatio habet : *In obscura luna*, quo dicto significantur infirma, et obscura Ecclesiæ membra. Per lunam quippe figuratur Ecclesia, ut in octavo psalmo notatum est, et hic plenius explanandum est. Sunt enim duæ opiniones de luna, quarum quæ vera est, aut non omnino, aut difficile sciri potest. Alii dicunt eam lumen proprium habere, sed globum ejus dimidium lucere, dimidium obscurum esse. Dum autem partem, quæ lucet, paulatim ad terram vertit, ut videri possit, corniculata apparet, et sic crescit, donec pars illa tota videatur. Et dum iterum convertitur, obscura pars incipit apparere, donec tota nobis iterum auferatur. Hæc est Ecclesia, quæ ex spirituali parte lucet, ex carnali obscura est. Et spiritualis pars modo apparet hominibus, modo latet in conscientia soli Deo nota, et solo corpore videtur.

Alii dicunt, quod non habet lumen, nisi a sole ; sed quando propinqua est illi, eam partem habet ad nos, qua non videtur ab eo, et ideo non lucet : sed cum recedit, illustratur ab ea parte, quam habet ad nos, donec sole occidente plena surgat ab oriente. Cum autem ex alia parte soli cœpit appropinquare, superior pars illustratur, inferior obscuratur. Hoc iterum convenit Ecclesiæ, quæ lumen non habet, nisi a sole justitiæ. Forsitan, quæ de luna dicta sunt, aliquibus nimis obscura videbuntur. Quæ si non placent, satis est incrementa lunæ, et detrimenta attendere, quæ, cum deficit, ut renovetur, sic quoque significat Ecclesiam, quæ cum moriendo defecerit, resuscitabitur. Hucusque dictum est, qualiter per lunam significatur Ecclesia. Nunc dicendum est, qualiter per eamdem significetur obscura, in qua heretici sagittant.

Luna tribus modis obscuratur, vel cum menstruis cursibus finitur nondum apparens nova, vel cum nubilo interpolatur : vel in eclipsi, cum apparet cruenta. Similiter Ecclesia fuit obscurata adhuc nova, dum in initio fidei nondum terris major effulsit. Item cum nebulis blasphemorum vituperatur, obscura est, vel cum cædibus martyrum est cruenta. In hac obscuritate sagittant hæretici, quia sciunt hæc tempora decipiendis infirmis accommoda. Illis autem subversis arbitrantur etiam sibi attrahere rectos corde.

Vel ministri Ecclesiæ dum peccant, dicuntur *obscura luna*, in qua hæretici sagittant, cum per tales ministrari Ecclesiæ sacramenta improperant, per quod quosdam infirmos decipiunt, cum ministrorum merita attendere suggerunt. Sed nihil timendum ei qui confidit in Domino; timeat qui confidit in homine. Tanta est enim virtus consecrationis, ut impediri non valeat a malis ministris, dummodo fiat per illos consecratio, non dissecratio. Quandiu enim quis, Ecclesia non contradicente, habens consecrandi officium exercet illud, ipse consecrat, id est simul sacrat, simul videlicet cum Ecclesia, cui a Christo consecrationis potestas est indulta. Si vero fuerit excommunicatus, vel officio privatus judicio judicis sui, hoc est vel episcopi, vel archiepiscopi, vel primatis, vel domini apostolici, cujus est judicare de omni Ecclesia, de omni persona, si non reconciliatus interdictum sibi agit officium, non consecrat iste, sed dissecrat. Et ideo, qui tale officium habet acceptum, non confidit in Domino, sed in homine, qui hominem a Domino separatum putat aliquid posse, cum ipse Dominus dicat : « Sine me nihil potestis facere. Sicut » enim « palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis (*Joan.* xv, 5). Qui autem per qualemcunque ministrum suscipit ministerium non interdictum, ipse confidit in Domino, quem honorat in ministro, licet indigno, verumtamen dignitatis officium habente sine legitima contradictione. Sancta enim Ecclesia partim regnans in cœlis, partim peregrinans in terris, illic fulget ut sol, hic variatur interdum lucens, interdum obscura sicut *luna*. Et est quidem in bonis prælatis *luna* plena, *luna* paschalis, *luna* perfecta, per quam nox hujus temporis illuminatur sicut dies æternitatis, per quam vespera Sabbati lucescit in prima Sabbati, et sicut in Isaia legimus : est *lux* hujus « lunæ sicut lux solis? (*Isa.* xxx, 26) » quia fulget non solum ex dignitate officiorum, sed, quod excellentius est, etiam ex dignitate meritorum et quasi respiciendo solem per diametrum, et per directum ab eo mutuavit lumen plenum, sicut speculum suscipit hominis vultum plenum, quando anteponitur hominis vultui per directum. Ubi autem sola dignitas est officiorum sine dignitate meritorum, *luna* est *obscura*. Verumtamen est luna, longe quidem sub sole posita, sed super terram exaltata propter dignitatis eminentiam, a qua si fuerit deposita, cum adhæret caudæ draconis, tertiam partem stellarum trahentis, et hoc modo amittit eminea-

Digitized by Google

tiam quoque dignitatis, jam nec luna dicenda, nec in amissæ dignitatis vel interdictæ officiis recipienda est.

Nec moveat aliquem, quod reprobum ministrum pro dignitate officii dicimus honorandum, licet carentem dignitate meritorum. Sicut enim totus pene honor meritorum dilatus est in futurum dicente Scriptura : « Ne laudaveris hominem in vita sua (*Eccles.* XI, 30). » Sic officiorum dignitatibus in præsenti vita est honor suus exhibendus. Unde contingit plerumque in præsenti Ecclesia, ut in hoc mundo sine honore sint sancti, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus est mundus, ut ei præsideant in ecclesiasticis vel mundanis dignitatibus, et illi per dignitates exaltentur in hoc mundo, quibus dignus est mundus. In futuro autem judicio talis erit commutatio, ut fiant « novissimi primi, et primi novissimi (*Matth.* XIX, 30), » quia qui meritis carentes in dignitatibus et honoribus præsentis vitæ fuerant primi, tunc erunt novissimi : et qui merita dignitatum habentes habebantur in hac vita novissimi et quasi dignitatibus indigni, tunc erunt primi. Cum enim divina gratia dona sua distinguat in merita et præmia, exceptis infantibus et aliis, qui mereri nihil possunt : in omnibus mereri valentibus juxta meritorum gradus erit honor in futuro exhibendus. Testatur hoc Evangelium, ubi servo bono dicenti : « Domine, mna tua fecit quinque mnas, » Dominus respondet : « Et tu esto super quinque civitates (*Luc.* XIX, 18, 19). » Item alteri dicenti : « Domine, mna tua fecit decem mnas, » respondetur : « Et tu esto super decem civitates. » Secundum solas ergo, ut dictum est, meritorum distinctiones erit in futuro distinctio præmiorum et honorum.

Hæc tamen collatio meritorum præsentium et futurorum honorum non secundum quantitatem, sed secundum qualitatem pensanda est. Nam de quantitate constat, quod meritorum quantitatem quantitas præmiorum et honorum futurorum inæstimabiliter superat : Quia « non sunt condignæ passiones hujus temporis ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (*Rom.* VIII, 18), » ut apostolus ait, quando « supra modum » æternæ « gloriæ pondus (*II Cor.* IV, 17) » operabitur « in nobis illud, quod » nunc « est momentaneum, et leve tribulationis, » per quam, ut ait Petrus, modicum nunc oportet tribulari, « ut probatio fidei vestræ multo » ait « pretiosior auro, quod per ignem probatur (*I Petr.* I, 7), » quo igne futurorum dignitatum solis lignis digne conferendarum nunc fabricatur corona. Etiam de hac ipsa tortura, quam inde habent boni, quod indignis dignitates conferuntur in hoc mundo, quæ solis dignis essent conferendæ, nisi quod illis meliores dignitates in cœlo sint repositæ. Cum autem per dignitates præsentes aliquando crescant, aliquando vero decrescant merita futurorum bonorum, et illud raro, istud vero frequenter contingat : merti viri, quibus permaxima est cura de augmento meriti, quod crescere solet in loco humili, et quibus est maximus timor de meritorum detrimento, quod evenire solet in loco alto, magis cupiunt in loco alto humili salvari, quam in alto periclitari. Unde non ficte, sed ex toto corde fugiunt honores in hoc mundo, quanquam tamen ipse honor bene administratus, et dignitas digne habita interdum proficiat ad meritorum augmentum. Sed quia hoc fit multum raro, honor quidem suscipiendus est cum timore per obedientiam, si Dominus dixerit, « Amice, ascende superius (*Luc.* XIV, 10), » nunquam tamen appetendus . et quando aliquis episcopatum desiderans, non honorem, sed « bonum opus desiderat (*I Tim.* III, 1), » illam tamen regulam a sanctis depromptam custodiat, ut virtutibus pollens ad honorem accedat coactus, virtutibus carens nec coactus. Cum enim affirmante Apostolo non sibi quisquam sumat honorem, « sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron (*Hebr.* V, 4). » Et si homo virtuosus ipse sibi sumat honorem, quantum ad sensum proprium, honor ejus non erit honor, quantum ad sensum apostolicum, sed erit ipse *obscura luna*, in cujus obscuritate latrones vigilant, *ut sagittent in obscuro rectos corde*. Nam luna pleniter lucente non audent latrones exire. Si autem homo carens virtutibus etiam nolens et aliis cogentibus fuerit ad honores promotus, quia non divina, sed humana coactione provectus est : multo magis ille velut *obscura luna* præbet aptitudinem latronibus, *ut sagittent in obscuro rectos corde*. Hæc obscuritas ideo illis eveniet justo judicio tuo, Domine, in quo confido, quoniam te non probaverunt habere in dilectione, et in notitia. Ideo traditi sunt in reprobum sensum, ut faciant, quæ non conveniunt : et hi, qui tales elegerunt, atque sibi præponi voluerunt, quia te venientem in nomine Patris non susceperunt, neque te in tuis minimis honorare studuerunt : ideo alios tibi contrarios elegerunt, et sibi eos præposuerunt justo judicio tuo cæcati, et obscuratum cor habentes, in obscuro suo sagittati, atque Antichristo, contrario tuo subjugati tanquam et ipsi contrarii. Contrarii namque tibi sunt

Vers. 4. *Quoniam quæ perfecisti, destruxerunt.*

Tu « ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem tuam (*Psal.* VIII, 4). » Hanc laudem illi destruxerunt. Quando Scribæ ac Pharisæi de morte tua tractantes te lapidem electum reprobaverunt, pueri Hebræorum velut infantes, et lactentes ignari quid agerent, ramos palmarum pro signo victoriæ, ac regalis triumphi præferentes tibi laudes regales cecinerunt : « Benedictus, qui venit in nomine Domini, Hosanna Filio David. Benedictum quod venit regnum Patris nostri David, hosanna in excelsis (*Matth.* XXI, 9). » Hæc illis infantibus et lactentibus in laudem tuam clamantibus, tu, qui eos tuo spiritu ad hæc dicenda excitasti, ex ore illorum infantium perfecisti laudis tuæ divina præconia. Sed *quæ* tu *perfecisti*, hæ isti *destruxerunt*, quia et te ipsum in tua carne crucifixerunt, et te in tuis mem-

Digitized by Google

bris, in tuis minimis persequendo vituperaverunt. A et inimicos tuos laudaverunt, eosque suis laudibus in regalem, sive sacerdotalem dignitatem sublimaverunt. Et hoc semper nituntur efficere, ne tu laudaris, ne tu sublimeris in tuis minimis, ne tu sacerdotium, vel regnum in tuis minimis administres, voluntque, ut tu semper sub principibus sacerdotum Anna et Caipha, et sub judicibus Herode ac Pilato similibus jaceas oppressus, tanquam tu non sis rex atque pontifex, cui soli (quia in nomine Domini venisti) est honor debitus ab omnibus reverenter impendendus. Tu etiam ex ore apostolorum quodammodo infantium (quia piscatores et simplices erant) perfecisti laudem, quando laudaverunt et elegerunt Stephanum virum plenum fide, et Spiritu sancto formam dantes electionis in dignitatibus ecclesiasticis, ut hi potissimum eligerentur et laudarentur, qui fide, ac Spiritu sancto pleni invenirentur. Sed hæc tua instituta, *quæ* tu ex ore apostolorum *perfecisti*, isti *destruxerunt*, qui carni, et sanguini, qui regnum Dei non possidebit, pro nobilitate mundi, seu alia terrena causa laudes acclamaverunt, eos promovendo ad honores, qui Annæ et Caiphæ, vel Herodi ac Pilato sunt consimiles. Ita illi, *quæ* tu *perfecisti*, *destruxerunt* laudando, quæ tu non laudas.

Justus autem quid fecit? Nunquid *justus*, in Domino confidens injustis Dei laudem destruentibus consensit? Absit! *Quid* ergo *fecit*, quando iniquos vidit prævalere in alicujus impii promotione, seu falsitatis assertione? *Quid*, inquam, *fecit* ille *injustus*, qui noluit injustum laudando, vel pro muneribus justificando injustus fieri? Qui cum nollet assentiri falsitati quasi veritati, ut permaneret justus, *quid fecit?* Audi, quid fecerit. Corde credidit ad justitiam, et ore confessus est ad salutem. Hoc scilicet, quod propter malos in Ecclesia principantes, propter falsitatem erectam et veritatem oppressam ipse Dominus non dimittit Ecclesiam suam. Deserit quidem illorum domum, quibus dicit : «Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Non me videbitis amodo, donec dicatis : Benedictus, qui venit in nomine Domini (*Matth.* XXIII, 38, 39) , » hoc est : Non me videbitis, non me clementem, seu propitium habebitis, donec in laudando me vel meos illis laudibus consona dicatis, quas vos destruxistis, quando impium pro muneribus laudastis, et quas ego perfeci ex ore infantium, et lactentium mihi cum palmis occurrentium et dicentium : « Benedictus qui venit in nomine Domini (*ibid.* 39). » Qui huic laudi non consentiunt, quique illam destruunt, quantum est in se, quia nolunt illum exaltari, vel in pontificem, aut regem benedici, « qui venit in nomine Domini, domus eorum relinquetur deserta (*Isa.* I, 6), » quia regnante in ea Simonia, et immunditia, fugit inde sancti Spiritus gratia. Verumtamen

VERS. 5. *Dominus in templo sancto suo*, in sanctis videlicet, quos ipse sibi templum facit. *Dominus in cœlo*, quod cœlum est *sedes ejus*. Anima enim justi sedes est sapientiæ, et ipsa sapientia, quæ Deus est, dicit : « Cœlum mihi sedes est (*Act.* VII, 19). » In magnis itaque sanctis tanquam *in templo suo*, tanquam *in cœlo* Dominus ipse sedet. Atque inde *oculi ejus in pauperem respiciunt*, id est in quemlibet fidelem *templo*, et *cœlo* inferiorem. Hoc dicit justus, hoc ita esse credit justus, et inde multa ei consolatio, quando per favores malorum exaltatur injustus. Scit enim, quia quantumcunque mali exaltentur et multiplicentur, tamen *Dominus* est *in templo sancto suo*, *Dominus in cœlo*, sicut jam expositum est.

Aliter : Vos, qui destruxistis laudem, quam ex ore infantium perfecit Dominus, noluistis, nec adhuc vultis justos commendare, quia fortasse vos offenderunt, et offendunt justi, quibus displicent opera vestra injusta, quibus, dum non communicant, magis autem redarguunt justi, fiunt vobis molesti, dum fortasse modum excedunt vos increpando. Sed ille unus justus, qui singulariter est justus, ipse videlicet Christus, quid fecit, quid vobis mali unquam intulit? In quo iram vestram contra se procuravit, ut ea destruatis, quæ ipse perfecit? In quo meruit, ut exaltetis inimicos ejus contra ipsum ad hoc studendo semper, ut sedeat inimicus ejus *in templo sancto ejus* ostendens se, tanquam sit Deus? Verumtamen velitis, nolitis, *Dominus in templo sancto suo : Dominus in cœlo*. Sicut verum est, quod *Dominus est in templo*, verbum in carne : sic verum est, quod *Dominus*, id est homo in Deum assumptus, est *in cœlo*, unde non potestis eum deponere, licet in templo ejus, quod est præsens Ecclesia, possitis Antichristum vel quemlibet ejus ministrum exaltare ad oppressionem pauperum. Sed cum *Dominus* protector pauperum jam sit *in cœlo*, sitque illic *sedes ejus* (jam quippe sedet illic super cherubim et super thronos judicans æquitatem) inde *oculi ejus in pauperem respiciunt*. De illa invisibili æternitatis aula, in qua disponuntur omnia ista temporalia, Dominus Jesus, cujus laudem vos destruxistis, in pauperem respicit. Cum enim in hoc mundo nihil fiat, quod inde non aut sinatur aut jubeatur a Christo, cui « data est omnis potestas in cœlo, et in terra (*Matth.* XXVIII, 18), » oculi ejus ita in pauperem a vobis oppressum respiciunt, ut nihil in hoc mundo sinat fieri, nisi quod bonum est cuilibet suo pauperi. « Omnia enim cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt sancti (*Rom.* VIII, 28). » Vocati scilicet vocatione ipsius Christi dicentis : « Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum, et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris (*Matth.* XI, 28, 29). In hos pauperes ita vocatos a Christo, qui sedet *in templo sancto suo*, qui sedet, id est regnat, et judicat in cœlo, semper oculi misericordiæ ipsius respiciunt.

Digitized by Google

Aliter : Tu Deus Pater *ex ore infantium, et lactentium* perfecisti laudem Christi Filii tui. Sed *quæ* tu *perfecisti*, illi *destruxerunt*, qui eum blasphemaverunt, conspuerunt, crucifixerunt, vel etiam quemlibet ipsius discipulum injuste oppresserunt. Parum est illis destruere vel destruxisse, quæ tu perfecisti : ædificant enim, et in quantum in ipsis est, perficiunt, quæ tu destruxisti. Nam tu ideo ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem regalem super filium tuum nostrum Salvatorem, ut illo regnante nosque salvante « destruas inimicum, et ultorem (*Psal.* VIII, 3), » seu defensorem, *inimicum* tuæ legis defensorem suæ legis, *inimicum* justitiæ, defensorem suæ injustitiæ atque *ultorem*, ultiones videlicet exercentem semper mala intentione, licet interdum justitiæ invitus militet sua ultione. Talem *inimicum*, talem defensorem, seu *ultorem* tu Deus Pater destruis, quando Filio tuo pontificatum et regnum defendis. At isti eumdem inimicum ædificant, magnificant, et exaltant, qui eum in pontificem vel regem exaltandum clamant, vel ordinabiliter prædicant exaltatum, quem constat esse inimicum tuæ justæ legis, et defensorem suæ injustæ legis.

Justus autem quid fecit? Audistis omnes, qui aures audiendi habetis, quomodo insaniunt mali ædificatores lapidem illum reprobando, quem Deus Pater aptavit superponendum « in caput anguli (*Psal.* CXVII, 22), » et supponendum in fundamento, ut ipse, qui descendit et ascendit, impleat omnia : Audistis, quomodo hunc lapidem nituntur destruere dissipando leges ejus, et construendo suas leges iniquas. Et quidem injusti sic fecerunt : *Justus autem* Deus Pater *quid* fecit? Nunquid et ipse, lapidem hunc dejecit, et a se projecit? Absit ! Imo ipse *Dominus* omnium est *in templo suo*, ipse Dominus Pater est in Domino Filio, sicut ipse Filius dicit : « Ego in Patre, et Pater in me est (*Joan.* XIV, 10). » Etiam cum hoc templum a Domino perfectum per impias manus Judæorum destrueretur, nihilominus tamen *Dominus* erat *in templo suo*, quia licet anima Christi deseruerit carnem per mortis degustationem, tamen divinitas Patris, et Verbi, et Spiritus sancti plenitudinem suæ inhabitationis nec ab anima, nec a carne Christi detraxit, quia homo Deus factus in Deum natus, non adoptatus ante mortem in morte ac post mortem Deus permansit, ac semper permanet, quia *Dominus* ita est *in hoc templo suo*, ut ipsum templum sit Dominus. *Dominus* ita est *in* hoc *cælo* suo, in homine videlicet concepto, et nato cœlitus, ut ipsum cœlum sit Dominus. *In* hoc *cælo sedes* est *Domini*, quia in ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Unde

Oculi Domini hunc *pauperem*, id est Christum, propter nos, et inter nos egenum non de longe vident, sed de prope *in* illum *respiciunt*, neque unquam suæ dilectionis intuitum illi claudunt, quia ipse unigenitus est in sinu Patris, nullaque tunica ullius culpæ vel creaturæ mediante semper videtur a Patre, ac videt Patrem per ipsum cuncta disponentem. Istum singulariter propter nos *pauperem* singularem, Filium hominis, Filium Virginis, oculis apertis, et nunquam claudendis videt Dominus.

Sed *palpebræ ejus interrogant filios hominum : Filios hominum*, qui de vetustate antiquorum innovati dicuntur eorum filii, palpebræ Dei interrogant. Habet enim Dominus in obscuris Scripturarum locis quasi oculos clausos, in manifestis autem apertos. Hæc igitur opertio et apertio lucis in Scripturis dicuntur *palpebræ* Dei, quæ filios hominum *interrogant*, id est probant, quia exercentur in obscuris, et non inflantur in manifestis. Item opertio palpebrarum est, quando hæresis aliqua invalescit : Apertio vero, quando veritas patescit. Vel palpebras suas Dominus claudit, quando iniquos et filios tenebrarum principari sinit, quando peccata, vel peccatorum pœnas abundare permittit : aperit autem easdem palpebras, quando bonos in sancta Ecclesia exaltat, quando peccata et peccatorum pœnas respectu gratiæ suæ fugans facit, ut tristitia electorum vertatur in gaudium, et nox, ut dies illuminetur. Sic interdum claudendo, interdum aperiendo suas palpebras.

VERS. 6. *Interrogat justum, et impium :* quia per tales alternationes et *justus* probatur, et *impius* reprobatur, quando *justus* nec in adversis frangitur, neque in prosperis extollitur vel corrumpitur : impius autem et in adversis contra Deum murmurat, et in prosperis non Deum, sed se magnificat, atque in voluptatibus dilatat. Sic etiam in passione ipsius Christi palpebris ejus clausis per mortem mundus quidem gaudebat, discipuli autem contristabantur, et per id probabantur. In resurrectione quoque palpebris, et clarescente in Christo luce immortalitatis impii sunt contristati, et tristitia discipulorum conversa est in gaudium. Et Petro in passione palpebræ Christi clausæ fuerunt, quando negavit; sed apertis palpebris respexit Dominus Petrum, et flevit amare. Similiter adhuc *palpebræ ejus interrogant filios hominum*. Et non solum interrogat bonos, quos dicimus *filios hominum*, sed universaliter « interrogat omnem hominem venientem in hunc mundum, justum, et impium (*Joan.* I, 9) : » quia lux ejus palpebris apertis etiam in tenebris lucet, sed tenebræ, id est mentes tenebris, et peccatis amicæ illam non comprehendunt (*ibid.*), non amplectuntur, non diligunt, quia nec se ipsas diligunt, quod ex eo constat, quoniam diligunt iniquitatem. *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam*, quia per *iniquitatem*, quæ diligitur, anima perditur.

In Hebraica veritate sic legitur : *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo thronus ejus. Oculi ejus vident, palpebra ejus probat filios hominum. Dominus justum probat, impium autem et diligentem iniquitatem odit anima ejus.* Sensus litteræ hujus est apertus, nisi forte illud videatur obscurum quod *impium* dicitur *anima* Domini odisse, cum Dominus, qui totus est spiritus, non habet animam,

Digitized by Google

neque in ipsum cadat odium, cui verissime dicitur : « Tu autem, » Domine, « in tranquillitate judicas, » et cum magna reverentia disponis » omnia (*Sap.* XII, 18). Sed iste usus loquendi de Domino non est rarus, ut dicatur habere iram vel furorem vel odium, non quod perturbatio talis ei accidat, sed quia impius, qui torquetur, hoc putat, quod Dominus contra se iram vel furorem habeat, cum ipse in tranquillitate faciat, quod facit, quando in impiis non quod ipse fecit, sed quod ipsi fecerunt, punit. Nihil enim odit eorum, quæ ipse tam in impiis, quam in piis fecit (*Sap.* XI, 25). Sed quia ipse est bonitas æterna, cui malitia est contraria, quam ipse non fecit, sed homo et Angelus, qui a bonitate defecerunt, suo defectu eam fecerunt, punit, et odit illam Deus naturaliter bonus, et *odit* eam *anima ejus*, id est intentio ejus. Anima enim Dei pro intentione, sicut brachium ejus pro fortitudine accipitur, cum Deus omnino simplex neque animam neque brachium habeat, vel cætera membra humana, seu affectiones humanas. Est enim simplex divinitatis essentia, cui tamen transumptive assignantur verba humana per membra et affectiones, quas significant, humanas exprimentia, vel potius obscure innuentia efficacias divinas : verbi gratia, per oculos Dei significatur, quod nihil eum latet : per manum, quod cuncta operatur, et sic per cætera humana verba, et membra divina innuitur efficacia. Bene ergo dictum est in Hebraica veritate : *Dominus justum probat ; impium autem, et diligentem iniquitatem odit anima ejus.* Ideo

VERS. 7. *Pluit super peccatores laqueos.* Apostoli et prophetæ sunt nubes, quæ imbre verbi Dei animas irrigant. Sed de his nubibus Dominus *pluit* imbrem temporaneum, et serotinum super bonos. *Pluit* etiam inde *super peccatores laqueos*, id est verba illaqueantia, ut per Scripturam sacram multipliciter illaqueentur male illas intelligendo, male interpretando. Quare hoc? Ideo scilicet, quia *ignis, et sulphur, et spiritus procellarum*, sunt *pars calicis eorum. Ignis* concupiscentiæ, *sulphur* malorum operum, *spiritus procellarum*, tempestas videlicet pœnarum infernalium sunt *pars calicis eorum.* Vel *spiritus procellarum* est in turbidis eorum contentionibus. Unde justo judicio Dei illaqueantur in suis A expositionibus laqueis errorum inextricabilibus. Et hæc omnia mala sunt *pars calicis eorum*, pars illius pœnæ, quæ illis datur per calicem, id est per mensuram. Nam tota quantitas et numerositas tormentorum, quæ mali accipient per calicem justæ mensuræ, non posset verbis comprehendi : ideo de parte calicis hic dicitur. Verum tamen totus calix in Apocalypsi quodammodo significatur, cum de meretrice Babylonia dicitur : « Quantum » dilatavit « se, et in deliciis fuit, tantum date ei tormentum, et luctum (*Apoc.* XVIII, 7). » Tantum quippe se Babylon meretrix in deliciis suis dilatavit, ut si semper vivere liceret, semper peccare liberet. Ideo justa mensura, justo calice, dabitur illi æterna pœna, et his, qui cum ea meretricantur. Sed nunc B interim sunt *pars calicis eorum ignis, et sulphur, et spiritus procellarum.*

VERS. 8. *Quoniam justus Dominus*, qui nec sine mensura competentis calicis permittit suos fideles tentari, nec impios vel hic, vel in inferno cruciari : *quoniam justus Dominus* principaliter ac singulariter : *et justitias* pluraliter dispositas *dilexit*, non solum in mensura bonorum præmiorum, sed etiam in mensura malorum tormentorum. Unde recte illum justum judicem prædicamus : quoniam in omnibus, quæ ad probandos pios et torquendos impios disponit, *æquitatem vidit vultus ejus.* Vultus ejus est filius ejus, per quem innotescit ; quia est justus hic *vultus æquitatem* videt per approbatio- C nem ipsius æquitatis. Sicut autem per Dei vultum intelligitur Filius, ita per visionem vultus potest intelligi Spiritus sanctus, qui significatur alibi per septem oculos agni.

Gloria Patri talem vultum habenti : *Gloria Filio*, ipsi Patris vultui : *Gloria Spiritui sancto*, quo quasi per visionem Filii, in quo videt Pater, illuminantur omnes electi. Amen. Glorietur Dominus, quod sit noster Dominus, et nos boni servi ejus, non servi peccati. Glorietur vultus ejus, quod in nobis tanquam in claro speculo sit expressus. Glorietur visio ejus, quod illuminemur lumine ipsius. Pleni sunt cœli, et terra ista Trinitatis gloria, et gloriatione. Gloria est in prædestinatione, gloriatio in prædestinationis executione et consummatione. Amen.

PSALMUS XI.

Salvum me fac Domine. Titulus est (VERS. 1) :

IN FINEM PSALMUS DAVID PRO OCTAVA.

Quæ sit *octava*, in psalmo sexto dictum est. Ibi peccator timuit octavam. Hic petit illam David pœnitens et propheta, ut destruatur iniquitas sæculi, et veritas futuræ promissionis appareat. Primo a sæculo petit liberari, et salvari. Secundo inducit Deum promittentem consolationem per Filium, ubi D dicit : *Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum, nunc exsurgam, dicit Dominus.* Intentio est ab hujus sæculi vanitatibus revocare ad eloquia Dei casta, in quibus est salus.

Potest per David, qui in hoc psalmo psallit in *finem pro octava*, competenter tota Ecclesia hic accipi, tam in his, qui Christi adventum præcesserunt, quam in his qui sequuntur. Nam et præce-

Digitized by Google

dens Ecclesia, quæ Christi adventum exspectabat, salvationis futuræ desiderio accensa illud orabat, quod nunc per adventum Christi præsens Ecclesia completum sciens adhuc tamen suspirat et orat, ut salutis opus, quod universaliter fecit mittendo Salvatorem totius mundi, perficiat in singulis necdum plene salvatis, velut etiam ad salutem quidem prædestinatis, sed adhuc a salute alienis. Sicut enim in corpore, quam diu vel unum membrum non est sanum, totum corpus optat medicum : sic in cœlo Ecclesia, licet Salvator advenerit, multosque jam salvaverit, tamen usque ad octavam clamat Ecclesia salvationem sibi necessariam. Ait enim :

Vers. 2. *Salvum me fac, Domine*, vel sicut in Hebræo legitur : *Salva me Domine : quoniam defécit sanctus.*

Primo ipse Adam sanctus innocens et mundus a te creatus *defecit*, qui fuit creatus, ut ad consortium sanctorum angelorum proficeret : Ipse *defecit* usque adeo, ut sit « comparatus jumentis insipientibus (*Psal.* XLVIII, 13). » In cujus defectu totum corruit humanum genus, in quo, ut ait Apostolus, « omnes peccaverunt (*Rom.* III, 23) » videlicet, qui de illo per concupiscentiam generati sunt et generantur, in quo et nos peccavimus, quorum originale peccatum, quod est mors animæ, cum corporis mortalitate de illo traximus omnes. Unde octavam desideramus dicendo singuli : *Salvum me fac, Domine*, ut in octava careamus non solum pessima morte animæ, sed etiam corporis mortalitate, in quibus duabus pestilentiis defecit Adam ad id creatus, ut esset sanctus. Deinde per multitudinem peccatorum actualium in tota posteritate illius *diminutæ sunt veritates a filiis hominum.*

Non dico quod diminutæ sint veritates *filiis hominum*, vel *in filiis hominum*, sed *a filiis hominum :* quoniam ab ipsis est culpa diminutionis, non a Deo, « *qui* solem » veritatis « facit oriri super bonos et malos, et pluit » veritatis doctrinam « super justos, et injustos (*Matth.* v, 45). » Illi vero avertendo se a veritate ad vanitatem diminuunt veritates diligendo vanitates. Tu quidem, Deus, æterna et incorrupta es veritas, quæ diminui non potest in se : sed sicut ab una facie multæ sunt imagines in speculis multis : Ita de te una veritate multæ sunt veritates, quia multæ animæ illustrantur veritatis amore, in tantum, ut nemo velit falli in cognoscenda veritate, sed quia nolentes falli, volunt tamen fallere ; *diminutæ sunt veritates a filiis hominum :* Qui si nec fallerentur, nec fallerent, utique veritati plenæ adhærerent sine ipsius veritatis diminutione. Nunc autem diminuta in illis veritate intendunt fallere, quod inde patet : quia

Vers. 3. *Vana*, id est falsa, *locuti sunt unusquisque* non ad alienum, sed etiam *ad proximum*, ad amicum, ad cognatum. Est tamen proximus homini homo quilibet, si facit misericordiam in illum. Unde magis noster est proximus, qui fecit misericordiam in nos, homo Jesus Christus. Et tamen neque huic proximo veritatem servamus, qui fidem in baptismo illi promissam violamus, quam etsi verbis fateantur multi in corde, vel actibus negant habentes *labia dolosa*, *labia* garrula, *dolosa*, et deceptoria. Nam per hæc *Labia* locuti sunt *in corde, et corde*, id est multiplici, vel duplici corde, aliud prætendentes, aliud intendentes, cum sint intra se duplices et multiplices, tamen sunt in malo concordes. *Diminutæ*, inquam, non penitus exstinctæ, quia de veritatis scintilla est hoc ipsum, quod nolunt falli, quam scintillam in se nolunt exstingui, sed a lumine suo sic imminuunt eam, ut ad proximum non extendant flammam suam, quem fallunt, et a quo falli nolunt.

Vers. 4. *Disperdat Dominus universa labia dolosa. Disperdat;* hoc est dissipet et perdat, non homines, *sed labia dolosa universa.* Perdat *labia*, ut non loquantur : perdat *dolosa*, ut non fallant : perdat *universa*, ne sit eis in malo unanimitas et concordia. Primo *disperdat* in eis universitatem, ne habeant multitudinem in malo unanimem : deinde perdat *labia*, ut non habeant loquacitatem. Postremo perdat in labiis dolosis ipsam dolositatem, ut habeant simplicem et bonam voluntatem. *Disperdat* etiam *Dominus linguam magniloquam*, id est superbam hæreticorum, philosophorum et hypocritarum.

Vers. 5. *Qui* in suo magniloquio *dixerunt . Linguam nostram magnificabimus.* Et si quis a nobis eorum, quæ dicimus, quærat auctoritatem, nos ipsi pro auctoritate volentes haberi dicemus : *Labia nostra a nobis sunt*, id est ipsi, qui sumus magistri, pro auctoritate sumus habendi, etiamsi *labia nostra a nobis sunt*, nec aliunde auctoritatem trahunt. Nam *quis noster Dominus est ?* id est quis noster Magister ? Sic prophetæ loquentes ad Eliseum dixerunt : Nescis, «quia hodie Dominus tollet a te dominum tuum ? (*IV Reg.* II, 3.)» Eliam Elisei magistrum vocabant ejus dominum. Sed isti magniloqui, dum nolunt esse discipuli veritatis, magistri errorum fiunt, et nullum super se magistrum vel dominum respiciunt. Unde et dicunt : *Quis noster Dominus est ?* Nullius magisterio, nullius regulæ nos patiemur subjici, qui sumus ipsi domini et magistri magni. In desolatione tanta, iniquitate abundante ubique, et refrigescente charitate, quæ nobis consolatio, nisi quod hic sensum Apostoli subintelligimus : «Sicut,» inquit, «per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ ? (*Rom.* v, 18.)» De quo videlicet uno subinde psalmus iste loquitur.

Vers. 6. *Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum nunc exsurgam, dicit Dominus.* Dominus Pater dicit hoc : *Nunc exsurgam*, qui visus sum dormire : *nunc exsurgam*, nunc evigilabo, nunc in evidentia rerum hoc manifestabo, quod ego curam habeo de miseria pauperum. Nam *propter miseriam inopum*, qui et in se miseri sunt, et ab alio non habent opem, *et propter gemitum pauperum*, quibus di-

Digitized by Google

vitiæ virtutum, vel etiam necessaria corporum desunt, et ideo non contra me murmurant, sed ad me gemunt ; *nunc exsurgam*, non quod ego in mea persona visibilis appaream, sed contra *labia dolosa* ego ponam *eloquia casta :* contra *miseriam inopum* ego ponam *argentum igne examinatum.* Et hæc *eloquia casta*, et argentum probatum *ponam in salutari.*

Ut autem ipse Jesus ipse salutaris non doceat, antequam faciat, sed de illo possit veraciter dici : quia «cœpit Jesus facere, et docere (*Act.* I, 1),» primo *fiducialiter agam in eo.* Nam sicut ipse dicit: «Pater in me manens ipse facit opera (*Joan.* XIV, 10): » ita ego *fiducialiter agam in eo*, tanquam in brachio meo : ejiciam vendentes, et ementes de templo ita fiducialiter, cum tanta fiducia, ut ipsi admirentur dicentes : «In qua potestate hæc facis ? (*Luc.* XX, 7.)» Illuminabo cæcos, et sanabo claudos in templo, et ex tunc erit ipse salutaris meus «quotidie docens in templo (*ibid.* XIX, 47),» usque ad consummationem obedientiæ docens erit in templo dans *eloquia casta* contra labia dolosa. In admiratione, ac veneratione talium eloquiorum dicit propheta; dicamus et nos cum propheta :

VERS. 7. *Eloquia Domini eloquia casta.* Nam revera *eloquia Domini* sunt *casta*, id est sine corruptione simulationis, contra illud, quod supra conquesti sumus dicentes : *Vana locuti sunt unusquisque :* et sunt *argentum igne examinatum*, quia probata sunt in fornace tribulationis.

In Hebræo habetur : *Ponam in salutari auxilium eorum. Eloquia Domini eloquia munda, argentum igne probatum, separatum a terra, collatum septuplum.* Quibus dictis manifestatur, quod *propter miseriam inopum, et gemitum pauperum* inter *labia dolosa* gementium Deus Pater in Christo ponit auxilium per *eloquia casta et munda* per *argentum igne probatum, purgatum*, vel *collatum septuplum, purgatum terræ*, id est *a terra*, ut nihil terrenitatis habeat, non terrena, sed cœlestia promittat.

Purgatum septuplum, id est perfecte. Vel *septuplum* secundum septem dona virtutum, et septem gradus beatitudinum, de quibus in eloquiis castis, in eloquiis evangelicis dicitur: «Beati pauperes; beati mites; beati qui lugent ; beati qui esuriunt, beati misericordes ; beati pacifici (*Matth.* V, 3-10 ; *Luc.* VI, 20).» Igne vero tribulationis, quem continet *octava* beatitudo in beatis, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, ipsum eloquiorum Dei *argentum purgatur septuplum* ; quia septempliciter per singulas septem virtutes purgantur, qui eloquiis *Domini* castis informantur. Vel purgantur septuplum per septem illas adversitates, quas enumerans Apostolus ait : « Quis nos separabit a charitate Christi, tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? (*Rom.* VIII, 35.)» Hoc persecutionis igne probantur pauperes spiritu, si vere sint pauperes spiritu. Eodem modo mites, lugentes, justitiam esurientes, misericordes et pacifici probantur in persecutionis camino tanquam vasa testea vel aurea. Nam si in igne tribulationis per impatientiam fracti dissiliunt, vasa testea esse probantur ; si autem in patientia possident animas suas in tribulatione, aurea vasa sunt, vel de argento purgato septuplum. Ut autem patenter appareat, quanta est utilitas in hoc argento, in his eloquiis castis, Propheta loquitur ad Dominum, et nos cum illo dicamus.

VERS. 8. *Tu, Domine, servabis nos.* Tu salutaris noster, quem nobis dedit Pater, in quo posita sunt *eloquia casta*, per hæc ipsa *eloquia* nobis intimata, et a nobis credita *servabis nos*, ne simus in defectu, in quo *defecit sanctus.* Innovabis etenim nos a vetustate, quam de illo contraximus, ut per te justificati, et in vita regenerati salvi simus, ut in principio psalmi petivimus.

Et custodies nos a generatione hac, generatione vetusta, generatione adultera (*Marc.* VIII, 38), quæ non recipit *eloquia casta*, generatione hominum, in quibus *diminutæ sunt veritates*, ab hac generatione *custodies nos* perducendo *in æternum*, in asylum æternitatis, ubi nullus accessus erit impiis. Quare? quoniam

VERS. 9. *In circuitu impii ambulant.* Et hæc erit magna discretio, quod *nos custodies*, illos non, in quibus *diminutæ sunt veritates*, in quibus regnant vanitates. Detenti enim in vanitatibus rerum temporalium *ambulant in circuitu*, id est in cupiditate rerum temporalium et cum tempore volubilium, quæ ideo dicuntur *circuitus*, quia septem dierum repetitione tanquam rota volvuntur, et ideo ad stabilitatem octavæ, de qua hic psalmus agit, non perveniunt, quia volubilia sequuntur, et cum rota volubilis mundi volvuntur. De hac rota dicit Salomon in Proverbiis: «Ventilator impiorum rex sapiens, mittit illis rotam malorum (*Prov.* XX, 26); » et in alio psalmo dicitur : «Deus meus, pone illos ut rotam (*Psal.* LXXXII, 11).»

Vel *ambulant in circuitu* sicut asinus, qui trahit molam, et tandem suspendetur hæc mola asinaria in collo eorum, et demergentur in profundum inferni, quoniam maluerunt cum diabolo patre mendacii labiis dolosis mendacia molere, quam cum *salutari fiducialiter* agente *fiducialiter* et fideliter agere. Ita, o Domine! te juste judicante peribunt impii. Et quid erit de *filiis hominum ?* Adam et Eva erant homines, non filii hominum. Ad hos homines pertinent, qui in eorum vetustate permanent, sed qui per Christum regenerantur et innovantur, filii hominum recte vocantur. Hos *filios hominum* tu, Domine, *multiplicasti* non in temporalibus, sed sicut stellas cœli secundum promissionem, quæ facta est Abrahæ. Et hoc *secundum altitudinem tuam*, cum de virtute in virtutem crescere facis eos usque ad contemplandam speciem tuæ celsitudinis, tuæ altitudinis.

Aliter : O Domine, multis in circuitu ambulantibus pauci stant in rectitudine, et ideo miramur de tanta hominum multitudine, quorum pauci salvantur, et multi pereunt, quare omnes creati sint? So-

Digitized by Google

lutio tamen quæstionis, vel admirationis hujus hæc est, quoniam *tu, Domine, secundum altitudinem tuam*, secundum altum profundumque consilium *multiplicasti filios hominum*. De hoc alto consilio non tam disserendum, quam cum Apostolo exclamandum : « O Altitudo divitiarum, sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus ! » (*Rom.* XI, 33.)

Gloria Patri, Domino, cui dicitur in principio *Psalmi : Salvum me fac, Domine : Gloria Filio*, de quo dicit Pater : *Ponam in salutari, fiducialiter agam in eo : Gloria Spiritui sancto*, Spiritui septiformi, quo purificante *argentum igne examinatum, probatum terræ* est *purgatum septuplum*.

PSALMUS XII.

VERS. 1. *Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem*. Titulus Psalmi hujus ex ante dictis patet, qui talis est :

IN FINEM PSALMUS DAVID.

In hoc Psalmo ostenditur, quanto charitatis ardore antiqui sancti Incarnationem Christi desideraverunt, per quam futuram Redemptionem intelligebant ; quanto etiam desiderio sancti, qui in hoc tempore affliguntur, cupiunt secundum adventum. In prima parte de dilatione conqueritur dicens : *Usquequo Domine obliviscéris me in finem ?* In secunda parte petit illuminari, ut in præsenti vita immunis permaneat et liber ab omni crimine dicens : *Respice, et exaudi me, Domine Deus meus. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte*. In tertia parte se confidens exauditum gratias agit misericordiæ Dei, ubi dicit : *Ego autem in misericordia tua speravi*, et voto se obligat, quod in ipsa gratiarum actione in Domino exsultans ei cantare ac psallere in æternum sit paratus. Dicit enim : *Exsultabit cor meum in salutari tuo ; cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, et psallam nomini Domini altissimi*. Intentio ejus est, nos, et alios invitare ad idem desiderium.

Loquens autem Propheta in persona illorum, qui fuerunt ante Incarnationem, dolet, quod tandiu exspectat primum adventum ; vel in persona sanctorum hujus temporis loquens de dilatione secundi adventus conqueritur.

Apte autem iste psalmus concinit præcedenti. Nam cum ibi dixerit : *Tu, Domine, servabis nos et custodies*, id ipsum obnixius Christum rogat hic *Psalmus*, ut videlicet non solum in præsenti nos ab omni crimine custodiat, sed et post hujus vitæ defectum in seipso exsultare concedat in æternum. Dicit ergo David propheta, vel quilibet cum David sentiens mundi hujus mala nonnisi per *finem*, qui Christus est, auferenda ; dicit, inquam, psallens *in finem*, toto videlicet suo desiderio extensus *in finem*, id est in Christum : *O Domine, avertis faciem tuam a me*, quia non das animæ meæ tuæ faciei inspectionem, tui filii, qui est facies tua, subtrahens manifestam cognitionem. Et *usquequo* erit hoc ? Nunquid oblitus est mei ? Tu dicis in alio propheta : *Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui ? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui* (*Isa.* XLIX, 15). Hoc dicis omni homini in te credenti, et in utero fidei formato, dum corde credit ad justitiam, (*Rom.* X, 10) atque in lucem nato, dum ore te Deum confitetur ad salutem. Et ego credo *in finem*, id est in Christum, quem confiteor, non solum esse illud principium, in quo principio creavit Deus Pater cœlum, et terram, sed etiam « omnis consummationis finem (*Psal.* CXVIII, 96), » sicut ipse dicit : « Ego sum alpha et omega, principium et finis (*Apoc.* I, 8). » Ipse principium, et fons omnium, de quo sunt omnia : ipse finis omnium, ad quem facta sunt omnia : quoniam sicut « omnia facta sunt per ipsum (*Joan.* I, 3), » sic omnia facta sunt ad ipsum, qui erat invisibilis, manifestandum. Sicut enim ad manifestandum suum ingenium facit homo ædificium egregium, sic ad manifestandum Filium suum, Verbum tuum, regem æternum glorificandum fecisti exercitus angelorum et hominum. Unde cum sit ipse finis et consummatio omnium, specialius tamen est finis et consummatio angelorum et hominum, quos consummat in unam domum factus ipse in caput anguli tanquam lapis angularis consummans totum ædificium, quod factum est per ipsum, et ad ipsum, per ipsum principium, et ad ipsum finem (*Psal.* CXVII, 22, *Ephes.* II, 20). Et ego scio me ab ipso esse. Nisi enim ab illo essem, non essem. Hoc est enim commune omnibus bonis et malis, videlicet esse ab illo, sive per illum. Sed non omnes tendunt ad illum quasi ad finem sui cursus, quoniam culpis exigentibus quorumdam sic obliviscitur, ut neque in pariete sanctorum angelorum, neque in pariete sanctorum hominum coaptet eos ad se fundamentum, vel ad se angularem lapidem summum. In hac oblivione timeo me esse in hac terra oblivionis inter eos, « quorum non es memor amplius, et ipsi de manu tua repulsi sunt (*Psal.* LXXXVII, 6), » quoniam nondum video cursus mei *finem*. In superiori psalmo diximus quod *in circuitu impii ambulant*, et ideo cursus non inveniunt *finem*, neque quærunt finem. Ego autem quærens *finem* et consummationem, et timens in oblivione derelinqui, ac diu differri dico tibi Deus meus.

Usquequo Domine obliviscéris me, subaudi : perducere *in finem*, ut sim tua domus *in finem* consummata « in summo angulari lapide Christo Jesu

Digitized by Google

(*Ephes.* II, XX), » qui est finis infinitus? Vel, *usquequo*, *Domine*, *oblivisceris me* faciens, quasi non cures de me? Nunquid usque in finem secundi adventus, quando intelligetur Christus, qui est initium et finis : vel *usque* ad Incarnationem Filii, quando « venit plenitudo temporis (*Gal.* IV, 4), » quæ plenitudo est quidam finis, et quædam consummatio. Nonne ante *finem* saltem prærogabis consilia, quibus dirigar *in finem?* Quæro enim consilia certa, consilia fixa desursum descendentia. Si enim « omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est descendens a » te « Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio (*Jac.* I, 17) : » ergo et consilium « optimum et perfectum desursum est a » Te « Patre luminum, apud quem sicut non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, » ita nec in consilio tuo perfecto et optimo est « aliqua transmutatio, seu vicissitudinis obumbratio. » Tam perfectum et optimum quæro consilium in anima mea, et non invenio illud ibi, quia non est ibi. Sursum est apud te Patrem luminum, et non est in anima mea, in qua dum quæro consilium optimum et perfectum, pro uno illo perfecto multa occurrunt imperfecta, in quibus est magna transmutatio et vicissitudinis obumbratio, dum consilia consiliis muto frequenter, non inveniens perfectum consilium. Ita unum optimum non habens consilium, multa imperfecta consilia pono in anima, pono, depono et iterum repono consilia in anima mea. Multa dispono quia unum non invenio, quo invento ulterius alio non indigerem consilio. Et jam diu hoc feci. Sed quandiu erit apud me ista consiliorum transmutatio et vicissitudinis obumbratio?

VERS. 2. *Quandiu ponam consilia* tam incerta *in anima mea?* Anxius optimum et finale consilium quæro et non invenio. Pono tamen qualecunque consilium ad mitigandum anxietatis affectum, et non invenio certum solatium, qui fixum non habeo consilium. Et ideo sæpe muto consilia in corde meo, quia non efficitur, quod cupio. Si enim consilium aliquod esset efficax, non esset necesse ponere aliud. In hoc magnus et infatigabilis ardor animi mei se refocillat, cum tot *consilia* excogitat, ut possit invenire unum, quod desiderat, et tamen non videt; nec propter hoc lassatur, quin desideret, certus, quod quandoque petens accipiet, quærens inveniet, et perseveranter pulsanti aperietur, si non eo, quod amicus sit, tamen propter improbitatem. Verum, quia spes pertrahitur, crescit desiderium in dolorem, quoniam sicut cor desiderantis exhilaratur et jucundatur, cum occurrit aliquod consilium, per quod speratur posse impleri desiderium; sic profecto, quando consilium illud inefficax invenitur, desiderium in dolorem convertitur. Unde per consiliorum crebras mutationes crebros habens in corde meo dolores, anxie clamo : *Quandiu ponam consilia in anima mea!* Et cassatis consiliis, quandiu ponam *dolorem in corde meo per diem?*

Nunquid *per diem*, id est quotidie vexabor hac transmutatione? Vel certe *per diem*, id est, per omne tempus vitæ hujus, quod est quædam « dies iræ, dies calamitatis et miseriæ, dies magna et amara (*Sophon.* I, 15), » postremæ diei prænuntia, variantur mihi consilia. Unde vellem hanc diem volubilium temporum transilire *in finem*, id est in æternitatem, ubi nulla consiliorum « transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio (*Jac.* I, 17) » est, ubi adversarius nullus est, ubi inimicus non admittitur intra diem æternitatis, qui nunc infestat per diem temporalis volubilitatis, et interdum exaltatur super me. Nam et ante Incarnationem Christi quasi « fortis armatus » custodiens « atrium suum (*Luc.* XI, 21) » possedit pene totum hunc mundum paucis in fide Christi adventum ejus exspectantibus, et nunc multiplicatis in Ecclesia falsis fratribus, paucis in veritate ac sinceritate ambulantibus, atque carnalibus affectionibus intentionem spiritualem in me ipso assidue præfocantibus, exaltatur inimicus meus super me. Et hoc malum, Domine, usquequo durabit?

VERS. 3. *Usquequo exaltabitur inimicus meus super me?* Multoties dico : *usquequo!* quoniam magnis doloribus et anxietatibus æstuo, quasi oblivioni traditus a te Domino meo, cui dico : *usquequo avertis faciem tuam a me : usquequo exaltabitur inimicus meus super me?*

VERS. 4. *Respice, et exaudi me, Domine Deus meus.* Tu, qui avertisti faciem, nunc respice : qui oblitus videbaris mei, nunc *exaudi me* pro meis et pro me orantem, ut mittas eum, quem missurus es.

Illumina oculos meos, ne unquam ex propria desidia *obdormiam in morte*, id est in aliqua mortali culpa, oculis mentis, vel etiam totius Ecclesiæ oculis, id est, prælatis carnalium delectationum somno gravatis, et tenebratis. Dico, *ne obdormiam* per me propria mea ignavia, neque vincar aliena malitia.

VERS. 5. *Ne quando dicat inimicus meus* diabolus : *Prævalui adversus eum.* Hoc dicit inimicus bonorum omnium, si viderit casum meum. Et non solus ipse inde gaudebit, sed et omnes ministri ejus, *qui tribulant me, exsultabunt, si motus fuero* de stabilitate fidei. Atque ideo tu Deus meus non solum propter me debes *illuminare oculos meos*, sed etiam propter hoc, ne gaudeat de me *inimicus meus* et tuus cum suis ministris *me* tribulantibus, et ruinam meam desiderantibus.

VERS. 6. *Ego autem in misericordia tua speravi* : non de mea virtute præsumpsi. Idipsum enim, quod non moveor, non mihi ascribo : quoniam jam moverer superbia, si mihi tribuerem, quod est ex gratuita gratia tua, cujus diem desidero, desiderans exsulto, et sicut Abraham, qui diem tuum, diem filii tui futurum « vidit, et gavisus est (*Joan.* VIII, 56), » exsultans, ut eum videret in re, quem vide-

Digitized by Google

rat in fide : ita *exsultabit cor meum in salutari tuo*, quasi habens jam, quæ desidero : quia certissime futurum credo, quod desidero.

Cantabo Domino, qui bona in re futura, jam in spe certissima *tribuit mihi*. Tanta est enim virtus fidei, ut ei sit præteritum, quod in tempore adhuc est futurum. *Cantabo* in contemplatione : psallam in opere. *Cantabo*, et *psallam*, id est cum gaudio gratias agam *nomini Domini altissimi*. Si ergo fidelis propheta sic desideravit, si sic famulatus est Christo futuro, qua devotione famulandum, cantandum et psallendum est jam suscepto? Dicat ergo quisque nostrum, qui in sacramento altaris jam suscepit Christum : *Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, et psallam nomini Altissimi.*

Gloria Patri, a quo desideratur angelus magni consilii inter dubia consilia : *Gloria Filio*, consiliario, de quo dicitur : *exsultabo in salutari tuo : Gloria Spiritui sancto*, qui est lumen *illuminans oculos* humanos, *ne unquam obdormiam in morte*. Amen.

PSALMUS XIII.

Dixit insipiens in corde suo Non est Deus. Titulus (vers. 1) :

IN FINEM PSALMUS DAVID.

Patet. Iste Psalmus voces nobis administrat adversus omnem insipientem, qui dicit in corde suo, sive ille Judæus, sive ille sit hæreticus : *Non est Deus;* subauditur : hic homo Jesus Christus. Agit enim de profunda Judæorum nequitia; quia quem sancti Patres, eorum patriarchæ scilicet et prophetæ, nimio desiderio dari sibi optaverunt, quemque vocibus præcedentis psalmi anxie optaverunt, hi præsentialiter in carne videntes non solum dicta, et facta ejus respuerunt, sed et ipsum morti tradiderunt. Agit etiam de temporali et singulari eorum contritione, et futura postmodum æterna damnatione, nec non de sanctorum gloriosa et admirabili remuneratione. Primo autem, quia facies illa, quam in præcedenti psalmo desiderabat propheta venire, hic ostenditur venisse. Increpat ejus contemptores, qui faciem illam diu optatam non receperunt. Nam, ut ait Evangelista : « In propria venit, et sui eum non receperunt (*Joan.* I, 11). » Secundo autem comminatur eis judicium, ubi dicitur : *Nonne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem?* Tertio prædicitur ex eis reliquiarum conversio, ubi dicitur : *Quis dabit ex Sion salutare Israel?* Nunc textum videamus.

Dixit insipiens in corde suo. Non est Deus. Christus desideratus est a patriarchis et prophetis tanquam Deus, Dei Filius, tanquam homo Deus, unus Emmanuel. Sed postquam in carne mortali apparuit, Judæus *insipiens*, non sapiens ea, quæ sursum sunt, in corde suo dixit, id est cogitavit : *Non est Deus* homo iste « fabri filius (*Matth.* XIII, 55), » cujus patrem et matrem novimus. Hoc, inquam, *in corde suo dixit*, non sicut Petrus ab ostiaria requisitus, qui negavit Christum ore, non *corde*, infirmitate, non impietate, quod esset malum sanabile; sed prorsus *corde* simul et ore locutus est impietate, non infirmitate, tumore, non timore : « Non est Deus » iste, non Dei, sed « fabri filius » est iste.

Jam vero, etsi aliquando divinitatis nomine honoravit Jesum in facie, ut est illud : « Magister bone, quid faciendo vitam æternam possidebo? » (*Luc.* X, 25) ore illud, non *corde dixit* plane sibimetipsi contrarius dicens bonum, quem negabat Deum. Etenim æquipollentia sunt esse aliquem substantialiter bonum, et esse Deum. Unde et Dominus ad illum : « Quid me, » inquit, « dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus (*Matth.* XIX, 17); » ac si dixisset : Quid me dicis ore bonum, quem *corde* negas Deum? Sicut ergo unus iste legis alumnus, sic totus pene Judaicus populus divinitatem Jesu negavit *corde*, etiam cum eum magistri, vel boni aut prophetæ magni honoravit nomine. Unde et de ipso a Domino per prophetam dicitur : « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me (*Marc.* VII, 6). » Sic plane, sic impius et *insipiens* Judæus *dixit in corde suo : Non est Deus. Dixit*, inquam, *insipiens* ac sapere nolens : « Non est Deus, » qui « utinam saperet et intelligeret ac novissima provideret (*Deut.* XXXII, 29). »

Vel *insipiens* gentilis *dixit* non de Christo tantum, sed absolute : quia *Deus non est*. At hoc non verbis, sed tamen *in corde suo dixit*. Neque enim ipsi sacrilegi philosophi, qui falsa de Deo sentiunt, ausi sunt dicere : *Non est Deus*, vel, nusquam *est Deus*, vel, nihil *est Deus;* quia nullus hoc audet dicere, etiamsi ausus fuerit cogitare.

Venerabilis tamen pater Dionysius Pauli apostoli discipulus in libro de divinis nominibus manifeste dicit, quoniam *Deus* nihil est, quod dicendo non est credendum *insipiens* fuisse sapientis Apostoli discipulus, qui non sensu judaico, vel sensu gentili hoc est locutus. Judæus enim est, qui verum Deum confitetur, sed ei pro temporalibus servit. Huic nisi abundent ea, pro quibus Deum colit, continuo Deum esse diffidit, quem colit. Unde Judæi antiqui promissionibus et exhibitionibus bonorum temporalium ad hoc sunt lactati, ut Deum esse crederent, a quo recedentes flagellabantur, et cui adhærentes ditabantur. Propterea et Christum *Deum non esse* crediderunt, et *in corde suo dixerunt : Non est Deus*, quia disputavit contra eorum duritiam, docuitque paupertatem sectandam. De genere talium Judæorum sunt multi habentes nomen christianum, ser-

Digitized by Google

vientes videlicet Deo pro acquisitione rerum temporalium. Hi omnes Christum pauperem *in corde suo*, quasi *non Deus* sit, repudiant; quoniam potius mammonæ, quam ipsi deliberant servire, cum non possint utrique pariter servire, sicut ipse ait : « Non potestis Deo servire, et mammonæ (*Matth.* VI, 24). » Pagani autem in hoc differunt a Judæis, quod a diis falsis et multis temporalia quærunt, non a Deo vero et uno, sicut Judæi. Unde cum et ipsis non arridet felicitas temporalis, *in corde suo* deos suos blasphemant, et eis virtutem Divinitatis esse negant, verbi gratia dicentes : *Non est Deus* Neptunus, qui mare mihi non placavit, sed se invocantem naufragare permisit. *Non est Deus* Jupiter, qui mihi se invocanti non dat pluvias optatas. Ita *insipiens* paganus *in corde suo* dicit : *Non est Deus*. Atque hoc sapienter diceret, si de quolibet suorum deorum illud sentiret, et non etiam de Deo nostro, Deo vero, illud affirmaret. Quia enim videt Christianis evenire adversa interdum plusquam paganis, dicit in corde suo : *Non est Deus* Christianorum Deus.

Neque autem cum Judæis, neque cum paganis creditur sensisse sanctus Pater Dionysius : quippe qui in suis scriptis Christum confitetur Deum, et affirmat ipsum Deum superessentialem, id est non inter omnia, sed super omnia existentem, atque in hoc sensu eum nihil nominat; quoniam quod aliquid est, locum habet inter omnia. Deus vero est super omnia, nec proprie dicitur esse aliquid, quia nec proprie dici potest substantia, cum non sit susceptibilis accidentium, neque ullo modo dicitur accidens. Quod autem neque substantia neque accidens est, nihil dici potest, eo sensu quo intelliguntur omnia existentia esse vel substantia, vel de novem prædicamentis accidentium aliqua res. Est autem Deus ultra et supra omnes res, ex quo omnia, per quem omnia in quo omnia, et ad quem omnia. Sed ipse nihil est inter omnia, cum super omnia, quæ intelligi possunt, in seipso manens regat omnia.

Hujus filius est Christus ex Deo Deus, ex æterno æternus, ex omnipotente omnipotens, licet non ex natura humana, tamen in natura humana Deus non inter omnia, sed, ut Apostolus ait, « super omnia Deus benedictus (*Rom.* IX, 5). » Etenim natura humana, quæ in illo tota est Deificata, jam sicut æterna Patris divinitas est super omnia, neque locali motu appropinquat, quando vel in sacramento baptismi hic est, qui baptizat, vel in sacramento altaris hic est, qui se ipsum sacrificat, quique verus David fertur suis manibus per manum sacerdotis operantibus, neque ullatenus jam subjacet sive localibus motibus, sive aliis mutabilibus accidentibus : imo in throno altissimo Filius Dei homo sedens, id est regnans, et judicans omnia cum Patre, prout vult, seipsum præsentat ubique non mobili discursione, vel suarum manuum aut pedum locali protensione, sed omnino totali et divina præsentatione, prout vult. Sicut enim « Spiritus, ubi vult, A spirat, » et « nescis, unde veniat, aut quo vadat, » sic homo iste, « qui natus est ex Spiritu (*Joan.* III, 8). » Igitur cum in sancto altari cernitur in specie panis et vini Christus Deus, non dicat aliquis insipiens vel judaico vel pagano sensu : hic *non est Deus*, cum sit ipse Deus; non solum in natura Verbi æternus Deus, sed et in natura humana summe deificata in Deum æternum, conceptus et natus, ita ut cibus carnis ac potus sanguinis ejus vitam æternam in se, licet non a se habeat, eamque participantibus conferat, sed habet sine mensura. Confert autem « secundum mensuram donationis suæ (*Ephes.* IV, 7). » Propter hoc eum colunt et amant veri Christiani : et quia Deum se credunt suscipere in se in panis ac vini specie, imperfecti non audent, B perfecti autem nolunt corruptionibus terrenarum delectationum subjacere, ne Deus offendatur, quem habent in se, quemque Deum esse sciunt, et ipsum diligunt sive adversis castigantem, sive prosperis consolantem. Qui autem cum paganis, vel Judæis non superna, sed terrena sapiunt; hi et in adversis franguntur, et in prosperis corripiuntur. Quia enim « Deum non probaverunt habere in notitia, » neque illi sacrificant mentes et corpora sua, « tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt cultoribus veri Dei (*Rom.* I, 28). » Licet enim singulariter dixerim de uno insipiente : *Dixit insipiens*, tamen ita sunt multiplicati sub nomine christiano Judæi et pagani, ut pluraliter de illis dicere possim : C

Corrupti sunt et abominabiles facti sunt. *Corrupti* per passiones carnalium desideriorum; *et abominabiles* facti per aversiones mentium ab amore Dei ad amorem istius mundi. Ita sunt *corrupti, et abominabiles facti* non a peccatis capti, vel superati, sed in ipsis peccatis ad peccandum ultronei et studiosi. Unde non immerito judicante Deo sunt *abominabiles facti*, non tam in peccatis, quam *in studiis corrupti* adeo, quod ex numero talium *insipientium non est, qui faciat bonum, non est*, dico, *usque ad unum :* quia nec unus inter eos invenitur, qui Deo dicat ex corde : « Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me (*Psal.* CXVIII, 66). »

Vel generaliter dico : *Non est, qui faciat bonum*, D non est aliquis bonus in tota multitudine hominum usque ad unum. « Nemo » enim « bonus, nisi solus Deus (*Matth.* XIX, 17). » Et utique Deus est Christus, qui sicut est essentialiter Deus, ita est bonus, non accidentali dono, sed essentiali bono, plene Deus, plene bonus et solus bonus, quia nemo bonus, nisi solus Deus. Licet enim sint angeli, sive homines boni ejus participatione, nulli tamen sunt boni ejus comparatione : sicut luna lucet solaris luminis participatione, non autem lucet in ejusdem solis comparatione. In eo autem, quod *insipientes corrupti abominabiles*, et mali sunt, exercentes mala *studia*, non eos excusat ignorantia : quia

VERS. 2. *Dominus de cœlo prospexit.* Sol verus terram illuminavit primo per prophetas, deinde per

Digitized by Google

ipsum et per apostolos, imo et « invisibilia ejus, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus, et divinitas ita, ut sint inexcusabiles (*Rom.* I, 20) » tam gentiles quam Judæi, quia cum et Judæi per Scripturam, et gentiles per creaturam cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed erraverunt in cogitationibus suis, vel sicut supra dictum est, *in studiis suis* omnino inexcusabilibus, quia *Dominus prospexit de cœlo* mittens Filium suum. Vel ipse Filius *Dominus de cœlo prospexit*, quando « descendit de cœlis, et incarnatus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine (40). » *Prospexit* etiam *de* cœlis, quando legem dedit Judæis, ordinatam per angelos cœlestes in manu mediatoris. *Prospexit* quoque de cœlis, id est de animabus sanctis, quorum doctrina fulget Ecclesia, ut sole luna. *Prospexit*, dico, *de* cœlis *super filios hominum*, super Judæos scilicet, qui honoratius comparatione hominum, id est Gentilium, dicuntur *Filii hominum* propter cultum unius Dei.

Ad hoc sane *prospexit*, *ut videat*, id est videre ipsos homines faciat, quia nihil eum latet in se, sed dicitur videre, vel cognoscere, cum nos facit cognoscere, ut ad Abraham : « Nunc, ait, cognovi, quod timeas Dominum (*Gen.* XXII, 12), » pro eo, ut diceret : Nunc te cognoscere feci. *Prospexit* igitur, *ut videat*, id est videre nos faciat : *si est intelligens* aliquis intellectu et ingenio supernaturali lumine illustrato Deum esse hominem illum, qui verba Dei loquitur, id est loquitur verba soli Deo convenientia, ut : « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* X, 30). » Item : *Ego sum lux mundi* (*Joan.* VIII, 12), *ego sum veritas* (*Joan.* XIV, 6), *ego sum principium, qui et loquor vobis* (*Joan.* VIII, 23). Si hæc verba Dei loquens fuisset mentitus, ut ille mendax et Pater mendacii, qui dixerat : Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi, *et similis ero Altissimo* (*Isa.* XIV, 14); si, inquam, ut ille verba Dei loquens mentitus est, quia nec Deus est, nec similis est Altissimo : ita quoque iste fuisset mentitus, non fuisset per divina miracula Deus clarificatus, imo sicut ille, ita etiam iste fuisset de alto sui cordis in infernum præcipitatus. Nunc autem sic loquenti obedivit creatura sicut Creatori, quando ex aqua vinum fecit, et de quinque panibus quinque millia saturavit, quando cæco nato lumen dedit. Habebat igitur geminum et legitimum testimonium. « Nam ego sum, » inquit, « qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me Pater (*Joan.* VIII, 18), » ut in ore duorum testium staret hoc verbum, quo affirmatur esse Deus, qui verba Dei loquitur, quod est unum testem habere; et in quo Pater opera divina operatur, quod est, alterum testem habere. « Pater, » enim, ait, « in me manens ipse facit opera (*Joan.* XIV, 10). » Et ipse in Patre, atque cum Patre, etiam adhuc mortalis, claruit A Deus ex operibus divinis, amplius autem post mortis obedientiam exaltatus, ut sedeat cum principibus, imo supra omnes curiæ cœlestis principatus una cum Deo Patre non solum in divinitate, sed in humanitate quoque sua solium gloriæ divinæ tenenti, nunc ei, qui se Deum, Veritatem et Principium dixit, omne genu flectitur cœlestium, terrestrium et infernorum (*Philip.* II, 9). Tanta gloria, et honore nunquam fuisset coronatus, nisi Deum se fatendo verum dixisset.

Solet namque Deus altissimus vehementer punire, si quis, cum non sit, fatetur se Deum esse, ut diabolus in cœlo, et Antichristus in templo Dei sedens ostendens se tanquam sit Deus (*Apoc.* XIX, 20). Et ille quidem per Michaelem dejectus cogitur B cognoscere se Altissimo similem non esse; Antichristus vero Spiritu oris Domini percutietur, et sic interemptus Deo minor esse cognoscetur. Christus autem Filium Dei se nominans, et gloriatus Patrem se habere Deum, atque seipsum probans esse Deum (*Joan.* X, 36), quia verum locutus est, pro veritatis testimonio interfectus ex divina sua virtute resurrexit, et ascendit ad cœlos, et sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, » data sibi omni potestate in cœlo et in terra. Et hujus potestatis multa offendit experimenta per sui nominis confessores tanta in mundo faciens miracula, ut valde sit mirandum, si quis illum non credit esse Deum, et si quis *insiptens* dicit *in corde suo : Non est Deus.* Homo, qui et in sua persona divina opera fecit, et C per servos suos majora fecit, juxta quod ipse promiserat sic dicens : « Qui credit in me, opera, quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet (*Joan.* XIV, 12). » Quod cum ita sit evidens, mirum est quod inter insipientes Judæos et Paganos non est *intelligens* per se hunc Deum esse, *aut requirens* ab alio docente hunc *Deum*, quem dicta et opera confirmant esse Deum. Insuper etiam concordes in falsitate.

VERS. 3. *Omnes* tam Judæi quam gentiles, *declinaverunt* a vero Deo, *et simul inutiles facti sunt* ad simulacra multa, prout ducebantur, euntes. In tantum *facti sunt inutiles omnes*, quod *non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum*, sicut supra est ex- D positum. Vel *usque ad unum*, id est usque dum perveniant ad unitatem. *Sepulcrum patens est guttur eorum.*

Isti tres versus non sunt in Hebræo, quos tamen Apostolus in Epistola ad Romanos inducit contra Judæos ad eorum confutationem, quos more authentici doctoris ad confirmandam sententiam suam non ex uno, sed ex diversis locis Scripturæ collegit, quem imitata Ecclesia adhuc utitur psalmo, prout ipse ordinavit, quia illum non minoris auctoritatis, quam Psalmistam esse intelligit. *Psalmus* tamen iste in sequentibus repetitus, eos non habet.

In his autem exponitur, qualiter illi, qui *declina-*

(40) Ex symb. Nicæno.

Digitized by Google

verunt, sint *inutiles* aliis. Vere namque sunt *inutiles*. Nam *guttur eorum* est *sepulcrum*, de quo fœtor malæ persuasionis exhalans multos corrumpit, *patens* ad voracitatem semper et loquacitatem, quoniam voracitati amica et conjuncta solet esse loquacitas. Unde divitis in inferno memoratur arsisse lingua. Tacetur de gula, quia inter superfluas epulas, cum utroque modo peccetur, videlicet in voracitate et loquacitate, plus interdum peccatur loquacitate. Et ideo *linguis suis dolose agebant*. Nam voracibus et loquacibus comes est adulatio.

Vel *sepulcrum patens est guttur eorum* : quoniam quasi mortuos devorant, quos morum suorum fœtore corrumpunt ; et *sub labiis eorum*, id est in corde est *venenum aspidum*, quod est pejus cæteris venenis, quia insanabile. Aspis autem aures obturat, ne vocem incantatoris audiat, et venenum perdat. Similiter et isti aures cordis obturant, cum non curant præcepta legis, ne contumacis nequitiæ perdant venenum, qui adeo sunt venenosi, ut reddant pro bonis mala. Nec mirum, si dant, unde abundant, et unde pleni sunt.

Quorum os maledictione, et amaritudine plenum est. Maledictione, id est blasphemiis et opprobriis, quia dicunt Salvatori : « Dæmonium habet, et homo vorax, et potator vini (*Matth.* XI, 18 et 19). » Et *amaritudine*, id est minis *plenum est os* eorum.

Pedes eorum, id est affectiones, sunt *veloces*, quia faciunt inconsulte. Vel *veloces*, id est præcipites, *et* expediti *ad effundendum sanguinem* Christi et suorum. Et ideo *contritio et infelicitas in viis eorum*. Omnes enim viæ malorum plenæ sunt laboribus et miseria. *Et* hoc ideo, quia *viam pacis non cognoverunt*, de qua Dominus ait : « Jugum meum suave est (*Matth.* XI, 30). » Vel quantum ad Judæos : *Contritio et infelicitas in viis eorum*, quoniam in hac vita, quæ *via* est ad futura vel bona vel mala, contriti sunt per Titum et Vespasianum, et morte infelici descenderunt in infernum.

Recte *via* impiorum dicitur *contritio*, quia simul et terit et teritur. Dicitur etiam *infelicitas*, quoniam in eorum contritione nulla est eis utilitas, ut sanctis martyribus, qui de contritione præsenti ascenderunt in cœlum. Impii vero præsentibus malis contriti vadunt in infernum, unde ideo non revertuntur : quia *viam pacis*, id est Christum *non cognoverunt*. Sicut autem piis « initium sapientiæ timor Domini (*Eccli.* I, 16) » est inchoativa causa bonorum, sic istis impiis inchoativa causa malorum, quod *non est timor Dei ante oculos eorum*, quos oculos claudunt, ne veritatem videant, quam tamen, velint, nolint, cognoscent. Nam Spiritus dicit Ecclesiis :

VERS. 4. *Nonne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem? Nonne cognoscent* saltem in tormentis, cum sola vexatio dabit intellectum auditui? Nonne tunc agnoscent veritatem, *qui* nunc velut oculis clausis *operantur iniquitatem*, hanc scilicet, quod *devorant plebem meam* seducendo? Aut etiam in hoc devorant plebem meam, *sicut escam panis*, quia ministerio suo abutuntur propter sectanda lucra suorum commodorum a plebe mea, non ad salutem hominum vel gloriam Dei. Et hoc est eis ita suave, sicut esca panis. Esca pulmentorum, si fuerit quotidiana, vertitur in fastidium, panis autem cibus, cum sit quotidianus, caret fastidio, et sapit magis assueto quam insueto palato. Similiter et isti, sive spiritualiter, sive sæculariter principantes in *plebe mea*, quam *devorant sicut escam panis*, gaudent lucris quotidianis, in quibus absque fastidio delectantur, nec sentiunt iniquitatis hamum sub tali esca occultatum, quo hamo propterea capientur et strangulabuntur : quia

VERS. 5. *Dominum non invocaverunt.* Non enim vere *Dominum invocant* in sui cordis hospitium, qui amant peccatum, qui amant non amanda, et timent non timenda, sicut isti :

Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor, cum dicerent : « Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent nostrum locum, et gentem (*Joan.* XI, 48). » Hæc dicentes *illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor*, quoniam vel in corde non timuerunt, sed se timere simulaverunt, ut *plebem*, quam devorabant, concitarent ad timorem, vel si vere timuerunt, non timenda timuerunt. Sed tandem cognoscent :

VERS. 6. *Quoniam Dominus in generatione justa est.* Cum enim dicet in judicio Dominus impiis : « Esurivi, et non dedistis mihi manducare, » illique respondent : « Ubi te vidimus, et non ministravimus tibi? » (*Matth.* XXV, 42.) Respondebit ille : « Quandiu non fecistis uni de minimis meis, nec mihi fecistis (*ibid.*, 43). » Hæc tunc dicente judice, « nonne cognoscent omnes, qui » nunc « operantur iniquitatem (*ibid.*, 45), » quoniam Dominus in generatione justa et in plebe *est* minimorum suorum, quibus ipse promisit regnum cœlorum, dicens : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum! (*Matth.* V, 3.) »

Dominus est in generatione justa. Sed, o miseri vos Judæi! non solum generationem justam sprevistis, sed et *consilium inopis* Christi *confudistis*, id est, recipere sprevistis et contempsistis humilem adventum Christi, quando venit dare *consilium*, qui venturus est facere judicium, quem vos ideo contempsistis : *quoniam Dominus spes ejus est.* Hoc subsannando dixistis, quando in cruce pendenti clamastis : « Confidit in Deo, liberet nunc eum, si vult. Dixit enim, quia Filius Dei sum (*Matth.* XXVII, 43). » Sic dicendo vos eum confudistis. Et quia confundendo inopem repulistis salutarem,

VERS. 7. *Quis* veniens *ex Sion dabit salutare Israel*, si non ille, cujus vos *inopis consilium confudistis?* subauditur : *nullus*. Nam ille, quem vos *confudistis*, et occidistis, primogenitus simul, et unigenitus Patris est, nec habet alium, quem mittat vobis salutarem. Unde oportet, uti doleatis super eum, « sicut doleri solet in morte primogeniti (*Zach.* XII, 10) »

Digitized by Google

simul et unigeniti sic dicendo : *Quis dabit ex Sion salutare Israel?* Nam alius quidem veniet in nomine suo, et illum recipietis, vel certe jam, dum psallimus, recepistis. Multi enim antichristi fuerunt, inter quos ille forsan singularis ferus jam præteriit, quem vos in nomine suo venientem recipietis, vel recepistis. Sed ille non de *Sion* salutaris, sed de Babylonia præpositus mortis est. De Babylonia, inquam, materiali, seu potius tropica, ut est civitas Roma, dicente Petro : « Salutat vos Ecclesia in Babylone collecta (*I Petr.* v, 13), » quo nomine Romam tropice denotavit. Non, inquam, de Jerusalem, sed de Babylonia est; non de monte Sion, sed de abysso est bestia ascendens, utpote Julianus Apostata, vester seductor et amicus, vel alius similis ei, qui vobis salutem dare nec volet, nec valet. Iste vero, quem inopem *confudistis*, etsi valet, non volet. *Quis ergo ex Sion dabit Salutare Israel*, videlicet carnali? Subauditur *nullus*. Nam de spirituali Israele, et reliquiis convertendis profanando subjungit :

A

B

Cum converterit *Dominus captivitatem* Sion, *exsultabit Jacob, et lætabitur Israel. Consilium*, inquit, *inopis confudistis, quoniam Dominus spes ejus est. Confudistis*, inquam, sic dicendo : « Confidit in Deo, liberet eum nunc, si vult. Dixit enim : quia Filius Dei sum (*Matth.* XXVII, 43). » Et ipse tamen, quem sic dicendo *confudistis*, salvabit reliquias ex vobis, quod et ego David prophetans opto et dico et cuilibet sapienter psallenti hoc ipsum dicendum suggero, ut salutem reliquiarum Israel desiderans pariter mecum dicat : *Quis dabit ex Sion salutare Israel? Quis ex Sion* procedens *dabit salutare*, id est, salutem Israeli, nisi ille, quem humilem spreverunt? Nullus alius dabit salutem, sed ille dabit se *salutare Israel*. Et ideo *cum* ipse *averterit captivitatem plebis suæ*, cum damnabit diabolum captivatorem *plebis suæ*, tunc *exsultabit Jacob*, id est, luctator, per quem significantur activi ; *et lætabitur Israel*, vir videns Deum, per quem significantur contemplativi

Nota, quoniam hoc est testimonium, quod de Isaia sumptum ponit Apostolus dicens : « Veniet ex Sion, qui avertat impietatem ab Jacob (*Isa.* LIX, 20 ; *Rom.* XI, 26). » Sed cum David prior fuerit Isaia, de hoc *psalmo* sumpta videri potest Isaiæ prophetia de plebe Judæorum in reliquiis convertenda.

Gloria Patri Domino, qui de *cœlo prospexit*, quando Filium misit : *Gloria Filio* Domino, qui de cœlo missus in *generatione justa* est. *Gloria Spiritui sancto*, quo regnante, justificante ac sanctificante illa *generatio justa* est, in qua Deus est. Amen.

PSALMUS XIV.

VERS. 1. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo.* Titulus.

PSALMUS DAVID.

Patet. Agitur hic de unitate præsentis Ecclesiæ, et de futura quiete. In præsenti enim Ecclesia corporalis cohabitatio malorum cum bonis non permittit scire, qui vere sunt in unitate Ecclesiæ. Quidam enim licet indigni sint, tamen jactant se esse de Ecclesia. Retundens ergo Propheta præsumptionem illorum, quasi sacerdos astans ante Deum interrogat, qui vere militent in præsenti Ecclesia, et qui sint in æterna beatitudine quieturi; et accipit responsum plenæ diffinitionis, per quam quisque bene potest cognoscere, an sit de Ecclesia. Ponit enim decem insignia morum ornamenta, in figuram decalogi distincta. Horum quædam perfectis, quædam imperfectis, omnia soli Christo conveniunt, quæ singula suis locis occurrentia distinguentur. Modus tractandi est sub interrogatione ac responsione. Ac prima pars habet interrogationem, secunda responsionem.

Potest etiam intelligi, quod ipse Christus verus *David* loquatur hic diffinite ostendens, qui sub nomine Jacob, vel Israel gloriam sint adepturi. Quia ergo in fine præcedentis psalmi dictum est : « Cum averterit Dominus captivitatem plebis suæ, exsultabit Jacob, et lætabitur Israel, » ne quilibet ad hanc beatitudinem solam sibi fidem sufficere inaniter arbitretur. Definite vult ostendere, qui horum nominum significationem tenentes ad gloriam sint perventuri, quod interrogative ponit, non quod in hac re dubitationem tollat. Est autem *Psalmus* iste proprie instructorius morum.

C

Quasi ergo stans ante Sancta sanctorum, ante summæ Trinitatis oraculum Christus mediator Dei et hominum sic interrogat, seu Propheta, vel etiam quilibet sanctus id ipsum quærens dicit : O *Domine*, ante faciem tuam sto, et de oraculo tuo veritatis responsa peto. Video enim in Ecclesiam tuam plurimos intrare, sed non est evidens, quis in ea sit servus, qui non manet in domo in æternum, et quis filius, qui maneat in æternum. Quæro igitur :

D

Quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo. Tabernacula sunt militantium, in quibus manemus, dum in hac vita sumus, quæ est militia hominis peregrinantis et in procinctu laborantis. Unde non quæro, quis requiescat in tabernaculis, in quibus est habitatio mili-

Digitized by Google

tantium et laborantium ; sed quæro, *quis* habitet *in tabernaculo, et quis* requiescat *in monte sancto tuo ?* Video multos in tabernaculum tuum intrare suscepto Christianitatis, aut arctioris religionis militari vexillo, sed exeunt aliqui a nobis, quia non sunt ex nobis etiam ante mortem suam. Plures autem a nobis auferentur ab angelis messoribus per mortem suam. Hi non dicendi sunt *in tabernaculo tuo* quasi milites tui habitare, sed quasi hostes latitare. *Quis ergo habitabit in tabernaculo tuo* miles probatus, et *quis requiescet* quasi miles emeritus, *in monte sancto tuo ?* Nam requies, quæ non est plena *in tabernaculo tuo*, ipsa est plena et perfecta *in monte sancto tuo*. Sicut enim arca fœderis primitus erat in tabernaculo, quod ei fecerat Moyses, et ferebatur de loco ad locum cum ipso tabernaculo, sed postea collocata est per Salomonem in templo tuo in monte Sion, in *monte sancto tuo :* ita quælibet anima fidelis quasi arca fœderis in præsenti Ecclesia, velut *in tabernaculo* fertur, de quo *tabernaculo* ad Jerusalem quæ sursum est, quasi ad montem sanctum transfertur, et ibi requiescet, quoniam nemo illic in agone contendet, unde et dicitur Jerusalem « visio pacis (*Ezech.* XIII, 16), » quia nulla erit illic actio, sed sola pacis visio.

Audivimus cautam interrogationem : audiamus cautissimam et sufficientissimam responsionem. Respondet Deus Pater Filio suo vero *David*, seu etiam Prophetæ *David*, seu cuilibet fideli per jam dicta verba interroganti. Tu interrogas : *Quis* habitet *in tabernaculo, et quis* requiescat *in monte sancto meo*. Et ego dico tibi : quod ille inhabitabit et *requiescet*.

VERS. 2. *Qui ingreditur sine macula :* Cui scilicet per baptismum ingredienti auferitur peccati originalis *macula*, quod est primum decus militiæ Christianæ. Deinde loco secundo, ut actualis in eo sit justitia, non est illi vacandum, sed operandum, quia tunc erit acceptus, si absque *macula* ingressus, vel ut dictum est, in Ecclesiam, vel in alicujus dignitatis ministerium, quod sine ambitionis *macula* illi est collatum, *operatur justitiam*. De quatuor virtutibus cardinalibus, quæ sunt prudentia, justitia, temperantia, fortitudo, solam hic pono justitiam dicendo : *Qui operatur justitiam*, sciens omnes quatuor comprehendi per hanc solam præ cæteris egregiam, quia qui solam *justitiam* operatur, ipse prudens, ipse temperans et fortis comprobatur. Quod non ita convertitur, quia inveniri potest homo prudens, id est, malum a bono discernens et temperans a deliciis et fortis in adversis absque justitia, qua reddat omnibus debita. Sed si hanc *justitiam operatur*, prudens, temperans et fortis non dubitatur. Tertio loco sequitur :

VERS. 3. *Qui loquitur veritatem in corde suo.*. Hoc est pars operationis justitiæ, ut neque scienter dissentiat, neque ore dissonet a veritate, sed sit sermo ejus : *Est, est ; Non, non* (*Matth.* v, 37), ita scilicet, ut, si est affirmatio in corde, sit affirmatio in ore, quod intelligitur per *est, est :* et si est negatio in corde, sit negatio in ore, quod intelligitur per *non, non*. Quarto loco sequitur :

Qui non egit dolum in lingua sua. Quod videtur idem esse, cum præsenti, sed differt, quoniam potest aliquis veritatem dicere dolose aliquid addendo, vel diminuendo. Prohibetur itaque hic dolositas linguæ, sicut supra commendata est veritas in corde et ore.

In Hebræo manifesta est differentia. Nam illic dicitur : *Qui non est facilis in lingua sua.* Quibus dictis prohibetur loquacitas et multiloquium, quæ prohibitio multum convenit ad cavendum mendacium. Et est ordo bonus, ut post prohibitum mendacium consequenter prohibeatur multiloquium, quod nisi caveatur, lingua facilis ad loquendum facile in mendacium prolabitur. Unde jure commendatur : *Qui non est facilis in lingua sua.* Post hos gradus justitiæ sequitur quinto loco :

Nec fecit proximo suo malum, id est, non fecit alii homini, quod sibi nollet fieri. Omni enim homini proximus est alter homo ; et ideo debet quisque alteri, quod sibi recte cupit, fieri. Sequitur sexto loco :

Et opprobrium non accepit adversus proximos suos, id est, non fuit illi acceptum, si audivit improperium adversus proximum. Septimo loco sequitur :

VERS. 4. *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus.* Primo ipse diabolus *malignus*, cum suasionibus et suggestionibus malis *deductus est in conspectu ejus ad nihilum*, quia ei non consensit, sed parvulos cogitatus ab illo venientes ad petram allisit, atque *ad nihilum* redegit, verbi gratia, suggessit ei *malignus* fornicationem. Deducta est hæc suggestio *ad nihilum*, quia se servavit castum, firmiter opponens diabolo castitatis propositum solidum, quasi petram, in qua collisit ejus nequitiam.

Similiter *malignus* homo *ad nihilum deductus est in conspectu ejus*, quia pro nihilo habuit eum, quem intellexit malignum. Vel si fuit judex causæ alicujus inter malignum et alium timentem Dominum, *in conspectu ejus*, in judicio ejus, *ad nihilum deductus est malignus*, verbi gratia, si latro fuit deprehensus ad futura latrocinia intentus et *malignus*, illo judicante *ad nihilum deductus est*, quoniam vel suspendio, vel alia pœna impeditus est a malignitate sua : *Timentes autem Dominum* sive carendo militia innocentes, sive etiam deposita malignitate veraciter pœnitentes *glorificat*, quia tales in judicio suo non deprimit, sed exaltat. Similiter, si fuit judex ecclesiasticus, *in conspectu ejus*, in judicio ejus, aliquis de malignitate convictus aut confessus, *ad nihilum deductus est*, quoniam illo judicante honore privatus, et competenti pœna humiliatus est, ita ut malignitas ejus deveniret *ad nihilum*, cum non posset pervenire ad effectum : *Timentes autem*

Digitized by Google

Dominum glorificat, quia tales honorat, et honore dignos judicat. Item si de aliquo in principatum vel dignitatem promovendo cum illo vel coram illo tractabatur, et inter ipsos promovendos aliquis erat *malignus*, ambitione dignitatis inflatus, ille *ad nihilum deductus est in conspectu ejus*, quoniam dignitate indignus est ab illo judicatus, et sic annihilatus : *Timentes autem Dominum glorificat*, quia tales dignitate dignos judicat.

Aliter : *Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam, qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum, et opprobrium non accepit adversus proximos suos, et ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus.* Jam per superbiam de occasione tot virtutum tentari potest. At ille, ne habitas virtutes perdat, non se de meritis extollit, sed incertus de fine suo, et de judicio divino semper timet Dominum, et de sibi collatis virtutibus non in tumore seipsum jactat, sed in timore *Dominum glorificat*. Secundum hunc sensum pluralis nominativus pro singulari positus est, aut verbum singulare pro plurali. Aut enim sic dicendum est : Timens *Dominum glorificat*, vel : Timentes *Dominum* glorificant. Sequitur octavo loco

Vers. 5. *Qui jurat proximo suo et non decipit.* Hic de votis agi videtur, in quibus homo perfectus *jurat*, id est, firmiter promittit obedientiam proximo suo, alteri videlicet homini propter Deum, *et non decipit*, id est, votum suum non facit irritum. Contingere potest homini fideli, ut juret, et jurans decipiatur, quoniam in voto vel juramento suo postea deprehendit, quod vovendum vel jurandum non fuit, quodque servari ad salutem non expedit. Hic deceptus est, et non decepit, et ideo licet in melius commutari, quod vovit sive juravit. Hæc ipsa tamen commutatio non proprio arbitrio, sed Patrum sapientum facienda est consilio. Tunc autem jurans homo deciperet, si malum juraret, sicut Herodes qui sciens Herodiadem Joanni Baptistæ inimicam, sciensque stultam esse ipsius filiam et matri consentaneam, fecit juramentum incautum et deceptorium talibus feminis obligando se ipsum sine dubio aut maligna cæcitate, qua « noluit intelligere, ut bene ageret (*Psal.* xxxv, 4), » aut malignissima fraude, ut opportunitatem perficiendæ crudelitatis inveniret, quod videtur innuere sanctus Evangelista dicens : « Et cum dies opportunus advenisset (*Marc.* vi, 21). » Similiter si quis sciens aliquem esse improvidum et stultum, atque huic subjectionis et obedientiæ facit juramentum, id est votum, *hic jurat proximo, et decipit proximum*, ut aliquid putet esse se, cum nihil sit; multo magis vero decipit semetipsum, qui sibimetipsi cæcum posuit oculum.

Nona hæc virtus parvæ laudis videtur, ubi dicitur : *Qui pecunium suam non dedit ad usuram.* Licet enim spiritualis pecunia sit ad *usuram* danda, *ut duo* talenta faciant alia duo, et quinque alia quinque, et una mna faciat decem mnas, tamen temporalem pecuniam dare *ad usuram* coram Deo et hominibus est vituperabile. Neque illud cavere videretur ita multum laudabile, ut post morum octo insignia præmissa nono gradu videatur dignum, non esse usurarium, cum et hoc in supradictis inveniatur exclusum, ubi dicitur : *Nec fecit proximo suo malum.* Nam proximo suo magnum *malum facit*, qui usuris illum anxiat. Ut ergo iste morum gradus nono loco dignus habeatur, de usura cavendum sic dicatur, ut eam non accipere sit multum laudabile. Ponamus ergo ut aliquis homo probus et probatus in prædictis octo morum et justitiæ ornatibus jam dignitate dignus ad hoc in Ecclesia promoveatur, ut spiritualia bona vel temporalia bona dispensare debeat in Ecclesia. Huic virtus ista est valde neccssaria, ut in bonis, quæ dispensat, laudis vel quæstus temporalis usuram non quærat. Et si offeruntur ultro a devotis et fidelibus licita munera non quæsita, decimus et ultimus gradus est perfectionis; ut *munera super innocentes non accipiat.*

Videtur quidem, et est magna perfectionis *munera* penitus non accipere, sicut propheta beatum virum describens ait : « Qui projicit avaritiam ex calumnia, et excutit manus suas ab omni munere (*Isa.* xxxiii, 15). » Sed absit, ut quemquam putemus perfectiorem Christo, qui munera sibi a fidelibus oblata suscepit, et apostolis quoque hujus rei exemplum reliquit. Nam et illi, cum essent perfectionis et religionis non solum ministri, sed etiam magistri exemplo Christi *munera* non solum licenter, sed etiam laudabiliter acceperunt; hoc nimirum summo studio præcaventes, ne aliqua *munera super innocentes* acciperent. Unde cum Simon magus felle amaritudinis plenus pecuniam sanctis apostolis offerret ut miraculorum potestatem *super innocentes* acciperet, Petrus apostolus excutiens manus a tali munere : « Pecunia, » inquit, « tua tecum sit in perditione, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri (*Act.* viii, 20). » Igitur etsi homini privato vel eremitæ sit conveniens justitiæ hujus perfectio, ut excutiat manus suas ab omni munere, tamen dispensatori, vel dispensatoris alicujus cooperatori satis est licitum, et est laude dignum, si *munera* in usus pauperum, quos curat, necessaria sic accipiat, ut ea *super* innocentes accipere caveat, ne videlicet propter *munera* nocentum fiat oppressor innocentium, vel ne magis honoret nocentem sibi munificum, quam *innocentem* egenum, præ omnibus pestibus fugiendo Simoniam, dando gratis quod accepit gratis, dando dignis, licet nihil dantibus, negando indignis, licet *munera* dantibus vel promittentibus. Sic procurator pauperum petit etiam interdum licenter eleemosynam exemplo Pauli apostoli, qui multas collectas fecit pauperibus, quibus tamen collectis non fuit ipse ditatus, neque in adulatione vel avaritiæ occasione, ut ipse fatetur, fuit aliquando propter eleemosynas (*I Cor.*

Digitized by Google

xvi, 1), neque *munera super innocentes accepit*, quæ tantum propter innocentes et pauperes *accepit*, atque interdum sic requisivit, ut diceret : « Qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus (*II Cor.* ix, 6, 7). » In his verbis Apostoli apte potest notari, quod illa eleemosyna est acceptabilis oblatio, quæ datur non ex tristitia, vel ex necessitate, sed ex hilaritate. Unde hujus sæculi divites qui filios suos aut filias offerunt ad religiosa cœnobia, si quid cum eis offertur, prout unusquisque destinavit in corde suo, non ex tristitia, vel necessitate, sed ex hilaritate, multum est acceptabile. Si quid autem invitis extorquetur, non tam est oblatio, quam ablatio nominanda.

Verumtamen est aliquando invitis extorquendum, quod non inviti promiserunt, nec peccat, qui hoc requirit, sed qui requisitionis ei necessitatem imponit. Caute sibi quidam cœnobiorum procuratores in hoc student providere, nihil quidem in talibus exigentes, verumtamen ultroneas oblationes cum infantibus recipientes cum tali cautela, ne gravetur Ecclesia, quod et Paulus apostolus monet præcaveri in viduis recipiendis, ut veris viduis possit Ecclesia sufficere, dum vitat non veras recipere, illas maxime, quæ sunt curiosæ simul et luxuriosæ, quibusque a filiis et filiabus vel nepotibus provideri possunt necessaria, ut non gravetur Ecclesia. Propter hoc terret Apostolus filios, et alios consanguineos viduarum neglectores dicens: « Qui suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior (*I Tim.* v, 8). » Similiter nos possumus dicere, quod parentes divites, qui filios suos nolunt curare, sed se cupientes exonerare student Ecclesiam gravare, fidem negaverunt, et sunt deteriores infidelibus, quia illi suis filiis et filiabus provident necessaria pro facultate sua, isti autem, ut sæculares filios ditent, eorum quos offerunt nullam vel parvam curam habent.

Verumtamen propter eorum parcitatem non debent spirituales viri suam honestatem negligere, ut *munera super* innocentes accipere quærant. Nam infantes utique sunt innocentes et debent suscipi, quanti poterunt competenter servari. In quorum susceptione illud est cavendum, ne *munera super* innocentes accipiantur, id est, ne plus *munera* cum ipsis innocentibus oblata sint accepta, quam ipsi innocentes de qualibus dicitur : « Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum (*Marc.* x, 14). » Qui sic innocentes accipit, non peccat, si *munera* cum innocentibus accipit, non *super* innocentes ; quia non tantum diligit munera quantum innocentes quod in hoc satis probatur, si de parvitate munerum non causatur indisciplinate, licet de infidelitate parentum sit dolendum, et hoc sane providendum, ne ultra modum gravetur Ecclesia.

His, quæ diximus diligenter pensatis, clare potest agnosci, quod non modica, sed magna virtus est in dispensatore prudente ac fideli, « quem constituit Dominus super familiam suam (*Luc.* xii, 41) ; » si munera sic accipiat, ut ea *super* innocentes nunquam accipiat.

Omnia ista decem virtutum et morum præclara insignia principaliter, et plene inveniuntur in Christo ; secundario inveniuntur in quolibet perfecto Christiano secundum mensuram donationis Christi. Nam ipse solus ingressus est in hunc mundum *sine macula* originalis culpæ, sine qua macula nullus hominum præter ipsum venit in hunc mundum : ipse operatus est *justitiam*, qui factus nobis, ut ait Apostolus, « sapientia, et justitia, et sanctificatio, et redemptio (*I Cor.* i, 70) : » ipse locutus est *veritatem*, quia ipse est veritas, et ipse de se loquitur, quando dicit : « Ego sum via, et veritas, et vita (*Joan.* xiv, 6) : » ipse *dolum non egit in lingua sua*, subtrahens aliquid auditoribus, ad quod annuntiandum missus fuit, sed omnia, quæcunque audivit a Patre, discipulis et amicis suis notificanda, nota fecit eis. *Nec fecit proximo suo*, Judæo consanguineo suo, vel Judæ discipulo suo *malum*, pro quo malo sibi illato persequerentur illum. *Et opprobrium non accepit adversus* eosdem *proximos suos*, quibus, etsi aliquoties crimina sua improperavit, verbi gratia sic dicendo : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, qui decimatis mentham, et anethum, et omne olus, qui circuitis mare, et aridam, ut faciatis unum proselytum (*Matth.* xxiii, 23 ; *Luc.* xi, 42). » — « Qui tulistis clavem scientiæ (*Matth.* xxiii, 15 ; *Luc.* xi, 52). » Tamen hoc minime habuit acceptum, quod in eis aliquid erat dignum exprobratione. *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus* diabolus tentans illum in deserto, quem deduxit *ad nihilum*, quando ei tentanti Scripturæ auctoritatem opposuit, per quam confutato ad ultimum dixit : « Vade, Satanas (*Matth.* iv, 10). » *Timentes autem Dominum glorificavit*, quia non superbos, præsumptuosos in apostolos et Ecclesiarum magistros elegit, sed pauperes et mites, *Dominum timentes* ita glorificavit, ut eos « constitueret principes super omnem terram (*Psal.* xliv, 17). » *Juravit*, hoc est, firmissime promisit proximo suo Petro apostolo, qui ipsi angulari lapidi est in fundamento Ecclesiæ proximus : juravit, inquam, id est, constanter promisit illi *proximo :* « Tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis (*Matth.* xvi, 19). » Sic juravit *proximo suo et non* decepit eum, quia quod magnifice promisit, magnifice implevit constituens eum, totumque senatum apostolorum, ut sit princeps orbis terrarum, rectorque regnorum, in quibus regnis, quod ligat, ligatum est, et quod solvit, solutum. Hæc potestas est ei data super terram, id est, super Ecclesiam. Nam de his, qui foris sunt, quique in hoc ipso, quod foris sunt, et non credunt, jam judicati sunt, Apostolus docet, non

Digitized by Google

esse apostolis judicandum ; sed de his, qui sunt intus, judicat apostolorum senatus, et præcipue apostolorum princeps beatus Petrus, quia specialiter præ cæteris apostolis ipse fuit petræ proximus, a qua dictus est Petrus. Unde audire meruit : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam (*Matth.* XVI, 18). » Sic juravit *proximo suo* Christus, *et non* decepit *eum*, quia promissio ejus impleta est ex magna parte, et impletur quotidie usque in finem sæculi cum tanta efficacia contra portas inferorum triumphante sancta Ecclesia, ut ipsis principibus inferi dicatur : « Tollite portas, principes, vestras (*Psal.* XXIII. 7). » Vos, principes inferni, tollite portas vestras, *tollite* a facie principis apostolorum *portas vestras*, *tollite* Simoniam, et simoniacos, *tollite* alia perversa et perversos, per quæ patet introitus in infernum. Has *portas tollite* de medio Ecclesiæ, ut « eleventur portæ æternales, » per quas « introeat rex gloriæ (*ibid.*). » *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Imo Judæ pecuniam ad erogandum pauperibus dedit. Et *munera* quidem *accepit* magorum trium et aliorum fidelium, sed *non* contra innocentes *accepit*, pro quibus ipse animam suam posuit. Jam ad præmissam interrogationem completa responsione *Psalmus* ita concludit :

Qui facit hæc, non movebitur in æternum. Sicut « non omnis, qui dicit » Christo : « Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris (*Matth.* VII, 21) » ejus : ita non omnis, qui cantat hæc, *habitabit in tabernaculo* meo, vel *requiescet in monte sancto* meo, dicit Dominus interrogatus ab ipso filio, vel propheta, seu alio quolibet sancto. *Qui* ergo *facit hæc* in tota vita præsenti, ex quo *ingreditur sine macula* vel in Ecclesiam vel in altiorem sanctimoniæ observantiam, seu etiam vocatus absque ambitionis *macula ingreditur* in locum prælationis ; qui, inquam, sic vel sic ingressus absque *macula* facit hæc in tempore præsenti, dum dicitur hodie, ipse in futuro æternitatis ævo non movebitur, sed *requiescet in monte sancto tuo*, *Domine*, Deus in æternum, quoniam requies ejus nunquam perturbabitur, nec habebit finem. *Qui facit hæc.* Facit autem hæc non solum, qui sen.el cœptam servat innocentiam, sed et qui eam perditam requirit per veram pœnitentiam. Non solum enim « Beatus » est « vir, qui non abiit in consilio impiorum (*Psal.* I), » sed etiam sunt « Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata (*Psal.* XXXI, 1). »

Gloria Patri Domino, qui interrogatus bene hic respondit, gradusque meritorum exposuit, quibus ad requiem æternam et immobilem perveniri potest : *Gloria Filio*, qui per eosdem gradus ascendit, et sic exaltatus *in* montem sanctum omnia trahit ad seipsum, sua videlicet membra : quippe ipse mons magnus implens mundum, ut sua civitas super hunc montem posita in ipso valeat requiescere. *Gloria Spiritui sancto*, qui est requies vera, et plena requiescentibus in Christo, monte sancto et excelso. Hujus trini Dei Gloria *pleni sint cœli et terra.* Amen.

PSALMUS XV.

Conserva me, Domine, quoniam speravi in te. Ab hoc psalmo Tertia jam periocha incipit, in quo recapitulatio fit fundamenti ejus, quod fidei maxime necessarium est, quod Passionis Christi mysterium est. Inscribitur autem sic :

VERS. 1. *Tituli inscriptio ipsi David.* Et sciendum est, in hoc psalmo illud idem debere intelligi, licet aliis et amplioribus verbis dicatur, quod in titulo Crucis scriptum fuisse perhibetur. Legitur enim in Evangelio, quod crucifixo Domino Pilatus ei hunc *titulum* superposuit : « Jesus Nazarenus Rex Judæorum (*Joan.* XIX, 19), » cui titulo, cum multi Judæorum contradicerent, legitur respondisse Pilatus : « Quod scripsi, scripsi (*ibid.*). » Ibi, quamvis per nescientem, significabat Spiritus sanctus, quia *titulus* in cruce tanquam in arcu triumphali positus de regno Christi esset inviolabilis, quia regnum Christi per Passionis victoriam acquisitum non destrueretur in æternum. Esdras igitur de illius *Tituli inscriptione*, quam per Spiritum sanctum intelligebat futuram, recte commemorat in hoc psalmo, qui agit de regno Christi, quod erat *Tituli inscriptione*, Pilatus significaturus, et est sensus : Regnum Christi, de quo hic agitur, quod inscriptione *tituli* significatur, attribuitur *David*, non illi Filio Jesse, de cujus titulo nulla narrat historia, sed *Ipsi*, id est, vero *David*, qui per illum intelligitur, Christo scilicet. Ipse enim hic ostenditur esse Rex Judæorum verorum, id est, confitentium in omni lingua, dum omnis lingua confitebitur « quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (*Philip.* II, 11). » Unde non in una lingua titulus ille spiritus est, sed Hebraice, Græce ac Latine, hoc significante Spiritu sancto, quoniam non in Judæa tantum, sed per totum imperium Romanum, quod tunc viguit sapientia Græcorum et fortitudine Latinorum, esset regnum Christi dilatandum in hoc mundo per ejus Passionem, qui regnavit semper in cœlo per suam divinitatem.

Ipse Rex noster in forma servi loquitur in hoc

Digitized by Google

psalmo primo secundum hominem petens conservari, et omnia, quæ pertulit, ad gloriam hæreditatis suæ dicit esse perducta. Secundo agit gratias Patri, pro dato sibi intellectu, et pro perseverantia, et pro resurrectione, et consessione in dextera Dei : ubi dicit : *Benedicam Domino, qui tribuit mihi intellectum.* Intentio est, hortari membra Christi ad conregnandum capiti.

Psalmus iste secundus est eorum, qui breviter de Passione et Resurrectione agunt. Primus fuit : « Domine, quid multiplicati sunt (*Psal.* III, 2). » A quo differt iste : quoniam ibi late de adversariis, qualiter impugnent et vincantur : hic de bonis late, qualiter glorificentur, agit propheta in persona Christi. Narrat itaque nobis Christus, qualiter primum oravit, et ait : Ego in ara crucis quasi victima positus, qui sum « Jesus Nazarenus Rex Judæorum (*Joan.* XIX, 19) : » ego idem sacerdos magnus offerens me ipsum in ara crucis, ubi sacrificavi, et sanctificavi me ipsum pro meis, ut et ipsi sancti sint in veritate : ego dignus exaudiri pro mea reverentia in cruce oravi, et toto cordis affectu clamavi, et dixi Domino Patri :

Conserva me Domine.

O *Domine* Pater, *conserva me*, hominem inter pericula. Vel *conserva me*, id est, meos, pro quibus immolor. *Conversa* eos in nomine tuo, « quos dedisti mihi cum essem cum eis, ego servabam eos. Nunc autem » per viam obedientiæ « ad te venio, » factus obediens tibi usque ad mortem, mortem autem crucis, pro meis quos dedisti mihi « Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo. » Ideo dico : *Conserva* eos. « Non pro eis » autem « rogo tantum, quos dedisti mihi » in carne manenti discipulos, « sed et pro his, qui crediturі sunt per verbum eorum in me. » In his omnibus *conserva me*, qui « sum via, veritas, et vita (*Joan.* XVII, 11, 12 *et seq.*). » *Conserva* in eis me viam, ut non errent ; me veritatem, ut neque fallant neque fallantur ; me vitam, ut, etiamsi mortui fuerint, vivant, etiamsi mortui fuerint aliquo peccato, non sit eis hoc peccatum ad mortem : sed omnis qui vivit, et credit in me vitam, non moriatur in æternum, etsi moritur ad tempus, non moriatur in æternum. Ita Pater *conserva me*, qui sum resurrectio et vita, ut etiam, si quis ex meis mortuus fuerit, per pœnitentiam resurgat et vivat in æternum. Ut ergo nullus ex meis pereat, *conserva me, Domine*, id est, conserva meos.

Et hoc faciens dando gratiam pro gratia : *Quoniam* tua prævenlus gratia *speravi in te*, atque meos feci sperare *in te*, quod est magnum donum gratiæ tuæ, pro qua gratia quasi pro bono merito illam gratiam quæro, ut conserves me, id est, meos. Nam tui erant, et mihi eos dedisti, et sermonem tuum servaverunt et crediderunt, quia a te exivi, atque ideo secundum doctrinam meam in te speraverunt. Ego enim inter cætera dixeram eis : « Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis quoniam a Deo exivi (*Joan.* XVI, 27). » Ideo, Pater, speraverunt in te, quoniam ego minoratus ab angelis prædicavi te esse me majorem, et esse Deum meum.

Vers. 2. *Dixi* enim tibi *Domino* Patri meo : *Deus meus es tu.* Atque hoc dicens verum dixi, quia sum homo creatus a te, licet ego idem Deus sim natus ex te. Igitur ego non secundum quod factor omnium, sed secundum quod factus sum, *dixi Domino* Patri : *Deus meus es tu.* Quod inde patet : *Quoniam bonorum meorum non eges.* Tu enim naturaliter dives, cui est « altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ (*Rom.* II, 33) » divinæ, in te habens omnia bona, *bonorum meorum* non indiges, quia non exspectas bonis meis vel bonis meorum fieri beatus, sicut ego secundum hominem exspecto beari et ditari tuis bonis, quibus indigeo ego pauper in cruce pendens, quibus indigent etiam pauperes mei.

In Hebræo habetur : *Deus meus es tu, quoniam bene mihi non est sine te.* Recte hoc dicit homo in Deum assumptus, cui non bene sine Deo, quia bene illi est in Deo Patre suo, in quo Deo, Deus est ipse. Recte nihilominus hoc dicit « homo natus de muliere brevi vivens tempore, repletus multis miseriis (*Job* XIV, 1), » cui est male sine Deo, nec unquam erit illi bene, nisi Deo, qui summum bonum est, adhæreat. Tam nobilis est enim natura humana et angelica, ut nonnisi cum summo, et in summo bono possit ei esse bene. Cui summo bono dicit : *Deus meus es tu, quoniam bene mihi non est sine te.* Erubescite vos, Pelagiani hæretici, qui dicitis, homines humana virtute per liberum arbitrium sine adjutorio gratiæ aliquid boni esse. Filius Dei, secundum quod est homo, cuncta sua bona Deo Patri assignat. Et nos itaque sensum Christi habeamus dicentes Deo : *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*, vel : *Quoniam bene mihi non est sine te.* Ego Filius hoc totum toto cordis affectu dixi Domino Patri, et ipse Pater exaudivit me, quod patet in affectu : quia

Vers. 3. *Mirificavit omnes voluntates meas.* Licet una mihi sit voluntas una cum Patre meo in divinitate, quæ voluntas non est multiplex, aut variabilis, tamen ego adhuc mortalis in humanis affectionibus multas *voluntates* habui, quoniam multoties volui congregare filios Jerusalem, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et illa noluit. Ego multoties volui, et illa noluit. Ideo inter eos miracula feci, et prædicavi, ut quasi ad vocem gallinæ pullos de gente mea colligerem. Sed quia illa noluit, voluntatibus meis ad horam defuit effectus. At postquam resurrexi, et in cœlum ascendi, atque Spiritum sanctum misi, non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo, *Sanctis* videlicet, *qui sunt in terra ejus*, qui in mundanis fluctibus laborantes anchoram spei suæ fixerunt *in terra*, de qua dicitur : « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram (*Matth.* III, 5), » sicut apo-

Digitized by Google

stoli videntes terram, id est, carnem in me super cœlos exaltatam, *in* illa *terra* fuerunt, quia in me speraverunt se vel membra mea illuc exaltanda, quo in me capite præcesserunt « primitiæ dormientium (*I Cor.* xv, 20) : » *Sanctis*, inquam, talibus *mirificavit omnes voluntates meas* incipiendo *in eis*, quia ipsos meos apostolos pridem infirmos et idiotas misso Paraclito confortavit et illustravit, atque ita *omnes voluntates meas in eis mirificavit*, hoc est, mirabiliter adimplevit. Ego adhuc mortalis, antequam in cruce pro eis orassem, de tarditate intelligentiæ sæpe increpaveram eos, verbi gratia dicens Petro : « Vade retro me, Satanas, non enim sapis, quæ Dei sunt (*Marc.* viii, 33); » item filiis Zebedæi : « Nescitis quid petatis, » et : « Nescitis, cujus spiritus estis. » Et alias dixi omnibus : « Adhuc et vos sine intellectu estis. » Et : « Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? » (*Matth.*, xx, 22; xv, 16.) In talibus dictis voluntates meæ poterant cognosci, quibus volui apostolos illuminari. Sed loquendo et docendo *in eis* parum profeci. At postquam in cruce oravi eos conservari a Patre, ipse Pater *mirificavit omnes voluntates meas* eisdem sanctis meis, pro quibus oraveram, primo *in eis* perficiens *voluntates meas*, deinde per eos in aliis sanctis, *qui sunt in terra ejus*, in sancta videlicet Ecclesia, quoniam primo ipsi apostoli per virtutem Resurrectionis, et gloriam Ascensionis, atque per adventum Spiritus sancti acceperunt notitiam Scripturarum, et omnium linguarum, et qui prius fuerant infirmi, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello. Deinde per illos multi filii civitatis Jerusalem sunt congregati, quos ego congregare volui sub alas gratiæ, ac deinde aliis Judæis repellentibus verbum meum, et propter hoc ipsis discipulis meis transeuntibus ad gentes evangelizare regnum Dei, mirificatæ sunt *omnes voluntates meæ*, quas *voluntates* de conversione gentium « multifariam, multisque modis loquens in prophetis » prænuntiavi, sed « novissime diebus istis » per meipsum insinuavi (*Hebr.* i, 1). Dixi enim de prodigo filio ad Patrem reverso, per quem significatur gentium conversio. Dixi alias : « Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, et quoscunque inveneritis, vocate ad nuptias (*Matth.* xxii, 8 et 9). » Item in alia parabola dictum est servo : « Exi cito in plateas et vicos civitatis. » Item : « Exi in vias et sepes, et pauperes, ac debiles, cæcos, et claudos compelle intrare (*Luc.* xi, 21 et 23). » Talibus dictis voluntates meas per Evangelium insinuavi de conversione Judæorum et gentium. Unde quando ad crucem veni, ubi sub titulo psalmi hujus oraturus fui, non solam asinam feci mihi adduci, sed pullum cum ea (*Matth.* xxi, 2), quoniam non solum de Synagoga, sed etiam de gentili triumphato populo eram collecturus electos, quos assimilarem equitatui meo in curribus Pharaonis conterendis, et in aquis baptismi submergendis tanquam in mari Rubro, quia eas emisi de latere meo cum sanguine sub *tituli* hujus inscriptione : « Jesus Nazarenus Rex Judæorum (*Joan.* xix, 19). » Quo titulo *Rex* ego sum publicatus omnium confitentium, omnium corde credentium ad justitiam, et ore confitentium ad salutem, quod ego, quem Judæi negaverunt, cujus etiam *tituli* inscriptionem corrumpere voluerunt, recte sum titulatus *Jesus*, id est, Salvator, *Nazarenus*, id est, sanctus; *Rex Judæorum*, non illorum, qui me negaverunt, et adhuc negant, sed confitentium me coram hominibus, ut et ego illos confitear coram Patre meo, quia isti sunt, quos ego ex omnibus nationibus volui congregari sub alas brachiorum meorum expansorum in cruce. Nam quod brachia mea in ligno crucis expansa, sint pro alis habenda, olim significavi, quando inter Sancta sanctorum duo Cherubin collocari feci alis expansis, in quarum expansione forma crucis exprimitur (*Exod.* xxv, 37). Similiter quando Isaias vidit me « super solium excelsum, et elevatum (*Isa.* vi, 1), » quia exaltatus in cruce omnia eram tracturus ad me per meos apostolos mihi concrucifixos, vidit quoque Seraphin cum sex alis in modum crucis figuratis, per quod manifeste significabatur (*ibid.*, ii), quoniam per ipsos apostolos igne sancti Spiritus inflammatos, et mihi crucifixo configuratos totus mundus meo sanguine redemptus, esset alis brachiorum meorum sub crucis mysterio protegendus, et sursum vehendus.

In his ergo *sanctis* meis *mirificavit omnes voluntates meas*, qui abnegaverunt voluntates suas, ideo quia suæ *voluntates* visæ sunt eis fœdæ ac despicabiles; meæ vero miræ atque laudabiles, quas ita *mirificavit*, ut non solum ardeant in affectu sanctorum desideriorum, sed etiam luceant in effectu bonorum et mirabilium operum. Quo autem ordine *voluntates* meæ sint in *sanctis* meis mirificatæ, ne quis ignoret, dicam : quia prius, quam veniret fides justificans et mirificans eos, per jugum legis,

Vers. 4. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum.* Vel etiam per meam doctrinam evangelicam *sunt multiplicatæ infirmitates eorum*, quia multas infirmitates suas, quas antea ignoraverunt, per meam doctrinam cognoverunt. Unde cum dicerem eis : « Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte (*Matth.* xxvi, 31), » secundum quod ego dixi, *multiplicatæ sunt infirmitates eorum* : præcipue Petri apostoli, quia de sua fortitudine præsumpsit, multiplicata est infirmitas. Quod ideo est permissum, ut velocius currerent ad me medicum, quod ita factum est.

Nam cognitis propriis infirmitatibus *postea acceleraverunt* cum festinatione quærentes medicinam sanandis infirmitatibus congruam. Petrus apostolus, cujus maxime infirmitas fuit multiplicata, festinanter « egressus foras flevit amare (*Matth.* xxvi, 75). » Cujus exemplo adhuc peccator quilibet foras egreditur, quando peccatum, quod intus occulta-

Digitized by Google

verat, manifestat foris per confessionem. Vel egreditur foras, quando quasi ex atrio Caiphæ, de malorum separatur societate, non solum cordis affectione, sed conversationis manifesta dissimilitudine, admirantibus malis, quod eis non concurritur a bonis in eamdem luxuriæ confusionem. Nescit tarda molimina vehemens pœnitentia : ideo *acceleraverunt*, quotquot medicum receperunt, verbi gratia : Zachæus post multiplicatas infirmitates quærens inde Jesum verum medicum non tarde ambulavit, sed « prævurrens ascendit in arborem sycomorum, ut videret illum (*Luc.* XIX, 4) : » et cum audisset eum in domo sua mansurum, non tarde, sed « festinans descendit, et excepit illum gaudens (*ibid.* v). » Similiter Matthæus publicanus, cum diceret ei medicus : « Sequere me, » festinanter « secutus est eum (*Matth.* IX, 9). » Et alii multi, qui suas infirmitates multiplicatas cognoverunt, festinanter illum susceperunt et suscipiunt. Et « quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri (*Joan.* I, 22), » et priorum infirmitatum opprobria penitus oblivisci, « qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt (*ibid.*, 14) : » quia non pro nobilitate sanguinum eliguntur ad hoc, ut filii Dei vocentur, et priora nomina eorum non sint in memoria coram Deo. Ideo dicit :

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus. Id est, congregabo quidem eos in unum, sed non *de sanguinibus;* quoniam non ex sanguinibus, sed ex Deo Patre meo per spiritum regenerantem nati sunt, ut filii Dei, et fratres mei vocentur.

Nec memor ero nominum eorum per labia mea. Nominum illorum, quæ prius habuerunt, quando filii iræ, filii mortis, filii gehennæ nominati sunt, ulterius *non ero memor per labia mea*, per quæ *memor* ero ad mala eorum, quibus in judicio dicam *per labia mea :* « Discedite a me operarii iniquitatis (*Luc.* XIII, 27). » Item : *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum ?* (*Matth.* XVIII, 32.) Item : *Serve male et piger, quare non dedisti pecuniam meam ad mensam ?* (*Luc.* XIX, 23.) Talium *nominum non ero memor per labia mea* erga eos, qui eadem nomina pridem habuerunt, si *postea acceleraverunt*, ut ea deponerent per pœnitentiam et melioris vitæ diligentiam.

Aliter : *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus :* quia congregabo quidem de multitudine damnandorum *in conventicula* paucorum electorum, sed non legali ritu hoc fiet *de sanguinibus* vitulorum, agnorum et hircorum, sed per proprium et unicum sanguinem meum ego semel ingressus in Sancta sanctorum *congregabo conventicula eorum*, dicamque pusillo gregi talium conventiculorum : « Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri meo dare vobis regnum (*Luc.* XII, 32). » *Nec memor ero nominum eorum per labia mea* propria, vel *per labia mea*, id est, per apostolos et prophetas, quibus tanquam labiis meis loquendo nomina impœnitentium eis improperabo. Vel *per labia mea*, quæ sunt duo Testamenta, quæ consonanter loquendo impœnitentes damnant; pœnitentium vero priora nomina obliviscuntur, nec illos damnant. Vel : *Non memor ero nominum eorum per labia mea;* sicut quondam cum dicere solebam in designatione unius populi : « Hæc dices filiis Israel (*Exod.* III, 11), » vel in designatione unius tribus jussi, vel de tribu Juda reges, vel de tribu Levi sacerdotes fieri. Aliquando etiam in designatione unius personæ fui *memor nominum*, ut, quando juravi *David* servo meo, et quando feci jusjurandum ad Abraham. Nunc autem non est acceptio *nominum* hujusmodi apud me, quia non sum personarum acceptor, sed in omni gente, qui suas *infirmitates* cognoverunt, et *postea acceleraverunt* venire ad me, accepti sunt mihi. *Nec memor ero nominum eorum* priorum, quia tanta est mutatio *eorum*, ut dicantur singuli *eorum*.

VERS. 5. *Dominus pars hæreditatis meæ.* Id est ipse *Dominus* est hæreditas mea, et pars *calicis mei*, id est calix meorum : quia cum alii terrenas et temporales eligunt partes, *pars* sanctorum Deus. Cum alii bibunt mortiferas voluptates, potus sanctorum Deus, qui per hujus *calicis* ebrietatem vetera studia obliviscuntur. Et ideo ego Judex vivorum et mortuorum obliviscar *nominum eorum*.

Dico etiam ego Filius in cruce exaltatus, et ob hoc hæreditate magna donatus (quia ibi *postulavi Patrem* meum, « et dedit mihi gentes in hæreditatem, » de hac hæreditate dico (*Psal.* VII, 8), quia *Dominus pars hæreditatis meæ. Dominus*, qui prius erat *pars* Levitarum, ipse nunc est *pars* totius *hæreditatis meæ*, et est *pars calicis mei*, id est eorum, qui sunt hæreditas mea, quam colo, et calix meus, quem bibo, mihique incorporo. Vel ipse *Dominus* est *pars*, id est remuneratio *calicis mei*, id est Passionis meæ.

Tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi. Hæreditas namque mea per peccatum fuit perdita. Sed *tu es*, tu habes verum esse, *tu es*, qui es, qui dicis : « Ego sum qui sum (*Exod.* III, 14) : » cætera currunt et fluunt, tu stabiliter *es*, qui propitiatus mea Passione restitues *hæreditatem meam mihi*, ut quæ mea fuit in prædestinatione, sit mihi subjacens in possessione. Nam præordinatio prædestinationis fuit quasi quidam funiculus distributionis porrectus ab initio mundi usque ad finem ejus. Et in hoc funiculo distributionis divisa est rationalis creatura tam angelorum quam hominum, quorum alii sunt præclari per bonitatem, alii tenebrosi et obscuri per malitiam. Sed

VERS. 6. *Funes ceciderunt mihi in præclaris.* Funiculus dimensionis in æterna præscientia, vel sorte quadam secreta cecidit mihi in arvis *præclaris* bonorum angelorum et hominum. Sed a prædestinata claritate perierant homines. Verumtamen per Passionem meam restituta in tali claritate appa-

Digitized by Google

rebus, in quali claritate mihi prædestinata fuit. *Etenim hæreditas mea*, licet ex parte sibimetipsi fuerit obscurata, tamen *præclara est mihi*, quia ego novi, ad quantam claritatem sunt præordinati, quos mea Passione requisivi. Etiamsi huic mundo sint quasi purgamenta et omnium peripsema illi, qui sunt *hæreditas* mea : tamen *hæreditas mea præclara est mihi.*

Aliter. *Tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi*, id est « illam claritatem, quam habui apud te, priusquam mundus fieret (*Joan.* XVII, 5). » Hæc enim *hæreditas*, hæc divina claritas mihi est hæreditaria ex eo, quod sum Filius tuus. Ab ista claritate ad tempus exinanitus, nunc eam quasi debitam reposco, non quidem conferendam meæ divinitati, in qua eam nunquam amisi, sed humanitati, quam in forma servili humiliavi, ut in formam divinæ claritatis merito esset exaltanda, quæ cum nihil morti deberet, usque ad mortem est humiliata. Ideo dixi : « Clarifica me, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te (*ibid.*, 1). » Clarifica me in humanitate, *claritate*, quam habui semper in divinitate. Clarifica non utcunque, non inter ordines angelorum, sed super omnes ordines cœlestium virtutum, apud temetipsum *claritate*, quam habui prius quam mundus esset, *apud te*, non infra te, ut Arius voluit, sed *apud te* in summa coæqualitate gloriæ tuæ.

Nec mirum videatur talem claritatem esse mihi hæreditariam. Nam quando sum conceptus de Spiritu sancto, de amore videlicet Patris clarissimi, tunc *funes ceciderunt mihi in præclaris*, ut essem scilicet legitimus hæres paternæ claritatis. Hoc mihi recognoscens Pater ait : « Et clarificavi, et iterum clarificabo (*Joan.* XII, 28) ; » tanquam diceret : *Clarificavi*, cum te in divinitate sempiternum Filium genui, per quem creavi mundum, claritatis tuæ magnum indicium, quia magna cognoscitur sapientia, per quam sapienter magna et multa de nihilo sunt facta. *Et iterum clarificabo*, cum te in humanitatis natura de Spiritu sancto, de amore meo conceptum, et natum recognosco filium meum non adoptatum, sed mei amoris operatione conceptum et natum, per quem sicut creavi omnia, sic instaurabo omnem creaturam prædicato Evangelio omni creaturæ, ut omnis, qui credit in te, non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic te semel clarificatum iterum clarificabo, dum omnis creatura per te Verbum mirabiliter creata, nihilominus erit per te hominum mirabiliter salvata.

Hæc dicente ad me Patre Deo, constat, quod *funes ceciderunt mihi in præclaris*, quia legitimus hæres sum paternæ ac divinæ claritatis, utpote Filius Dei naturalis, non solum summe dives in mea divinitate, sed et summe beatus in mea humanitate, ita ut tam humanitas, quam divinitas mea sit in summa claritate. *Etenim hæreditas mea præclara est mihi*, quæ Ario hæresiarchæ fuit obscura dicenti, quod ego essem minor Patre, cum ego non solum secundum divinitatem, sed etiam secundum humanitatem meam sim in summa claritate. Minoratus quidem fui ab angelis per mortalitatem ; sed nunc accepi non angelicam, sed super angelicam et omnino divinam immortalitatem, ut licet in me permanserit integritas humanæ naturæ, tamen hæc eadem natura sit in summa, et omnino divina claritate. « Volo » autem, ut ubi ego sum, illic sint et ministri mei, ut videant claritatem meam (*Joan.* XVII, 24), » et videndo participent eam, atque fruantur illa, sicut corporales oculi videndo claritatem solis, fiunt ejusdem claritatis participes, et fruuntur ea tanto jucundius, quanto eam videant clarius. Hoc totum volo, ut sicut ego sum in claritate, sic a meis mundos et claros cordis oculos habentibus videar in claritate : quia *funes ceciderunt mihi in præclaris. Etenim hæreditas mea præclara est mihi*, et hæc per Passionem restituta est mihi. Propterea in gratiarum actione.

VERS. 7. *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum*, quo intelligam claritatem hæreditatis meæ. Primus « homo, cum in honore esset, non intellexit » honorem suum, neque gratias egit largitori honoris, in quo, et ad quem creatus fuit. Ideo tanquam ingratus « comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis (*Psal.* XLVIII, 13). » Ego autem secundus homo de cœlo cœlestis honorem, et claritatem intelligo collatæ mihi hæreditatis. Ideo *Benedicam Domino, qui tribuit mihi intellectum. Benedicam* etiam pro membris meis, in quibus mihi tribuit intellectum, ut possint intelligere claritatem hæreditatis meæ.

Insuper, et usque ad noctem increpuerunt me renes mei. Quia ergo non perfecte Dominum benedicit, qui eum de solis prosperis laudat : Benedico *Dominum* de prosperitate intellectus mihi, et meis collati, et insuper *benedicam* illum de hoc etiam, quod *renes mei*, id est, cognati mei, de quorum renibus est mihi consanguinitas, *increpuerunt* me dura increpatione passionum, docuerunt me obedientiam, *usque ad noctem*, id est, usque ad mortem.

In Hebræo habetur : *Insuper et noctibus erudierunt me renes mei.* Pro *erudierunt* nos habemus *increpuerunt* : quia per increpationes fiunt *eruditiones*, maxime in noctibus, id est in adversitatibus, quibus licet frangatur homo stultus, tamen eisdem instruitur sensatus.

Aliter. *Me*, id est meos *increpuerunt renes*, id est carnales passiones, *usque ad noctem*, id est usque ad peccandi delectationem. Sed ego

VERS. 8. *Providebam Dominum coram me semper*, (41) ut neque in me ipso moverer ad impatientiam per *noctem* Passionis, neque mei moverentur ad peccandi consensum industriosum per noctem de-

(41) Vulgato habet : *Providebam Dominum in conspectu meo semper.*

Digitized by Google

lectationis carnalis: *quoniam a dextris est mihi* Dominus, et assistit mihi per suum adjutorium, *ne commovear.*

VERS. 9. *Propter hoc lætatum est cor meum* in cogitando: *et exsultavit lingua mea* in loquendo. Sicut enim in Evangelio Matthæus testatur: Exsultavi in spiritu per cordis lætitiam, et verba exsultativa protulit *lingua mea.* Dixi enim: « Confiteor tibi Pater Domine cœli et terræ, quoniam abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis (*Matth.* XI, 25). » Item: « Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar (*Luc.* XXII, 15). » Item: « Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam. » Nemo « tollit eam a me, sed ego ponam eam, et iterum sumo eam (*Joan.* X, 18). » In talibus dictis lætabatur *cor meum, et exultavit lingua mea.*

Insuper et caro mea requiescet in spe.

Supra dixeram: *Insuper et usque ad noctem increpuerunt*, vel erudierunt *me renes mei:* Nunc dico: *Insuper et caro mea requiescet in spe*, ut sicut illud fuit ad cumulum doloris, quod *increpatus* sum a consanguineis: ita istud sit ad cumulum consolationis, quod *caro mea* requiescit *in spe* resurrectionis, quam tu Pater cito accelerabis.

VERS. 10. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno*, quæ descendit quidem ad inferna propter electos, qui illic « in tenebris, et in umbra mortis sedent (*Luc.* I, 79), » exspectantes liberationem; sed velociter inde redibit solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile est teneri illam ab eo. Ideo dico: *quoniam non derelinques animam meam in inferno*, quæ animam quoque latronis confitentis, mox cum ingressa fuerit, secum est habitura in paradiso. Unde potest fideliter credi, quod velociter inferni spoliatio, et Paradisi reseratio fiet secundum nomen a Propheta mihi designatum, cui dictum est: « Voca nomen ejus: velociter spolia detrahe, festina prædari (*Isa.* VIII, 1); » non vane hoc nomine sum vocatus, quoniam velociter peracta spoliatione inferni tu *non derelinques animam meam in inferno*, quæ cum spoliis multarum animarum ea die, qua de corpore fuerit egressa, erit in Paradiso. Propter hoc sequentem diem Sabbati sanctus Evangelista vocat magnum diem Sabbati; quia magnum Sabbatismum celebrabant animæ fideles de inferno liberatæ cum Christi anima, sociata illis anima latronis per virtutem Dominicæ Passionis.

Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Gabriel Archangelus, cum annuntiaret meam conceptionem, dixit matri meæ: « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque, et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei (*Luc.* I, 35). » Sic loquens angelus corpus meum de Spiritu sancto conceptum vocavit *Sanctum*, non sanctificatum, quoniam illud proprie dicitur sanctificatum, cui sanctitas est accidentalis. Cui autem sanctitas est omnino substantialis, non tam sanctificatum, quam *sanctum* recte dicitur, sicut corpus de Spiritu sancto conceptum, per quod *Sanctum* totius Ecclesiæ corpus est sanctificandum. Hoc *Sanctum tuum*, Pater sancte, *non dabis videre*, id est, non permittes experiri *corruptionem.* Cum enim sola divina virtute valeat servari a corruptione putredinis usque ad tempus celeriter perficiendæ resurrectionis in die tertia secundum Scripturas: tamen, licet ex abundanti, et humana diligentia sancto corpori meo adhibebitur per quod putrescere prohiberetur, si illud sua conditione more aliorum corporum vergeret ad putredinem. Adhibebitur enim fatis de myrrha et aloe, quæ species aromaticæ corpora non sinunt putrescere, quæ inde fuerint condita. Sed et hoc narrabitur in toto mundo, quod Maria Magdalena prævenit ungere corpus meum in sepulturam de optimo unguento, quod putredinem corporis mei tardaret, si opus esset. Verum non est opus, quoniam tu cito maturabis resurrectionem, *nec dabis* corpus meum, *Sanctum tuum* et totius Ecclesiæ sanctificatum *videre corruptionem.* Ideo merito sicut supra dixi: *Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum*: quia tu Pater

VERS. 11. *Notas mihi fecisti vias vitæ.* Notificasti mihi, quod per obedientiam passionis, per humilitatem, et proximorum, pro quibus morior, charitatem, vado ad Resurrectionem, et per Resurrectionem ad Ascensionem, et per Ascensionem ad consessum tuum in dextera tua. Ibi *adimplebis me lætitia*, qui nunc plenus tristitia dico: « Tristis est anima mea usque ad mortem (*Marc* XIV, 34): » qui nunc dico meis: « Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis (*Job* XVI, 22), » tunc *adimplebor lætitia* in me ipso *cum vultu tuo*, quoniam ego nunc mortalis, tunc immortalis ero *cum vultu tuo*, id est, cum Verbo tuo mihi unito, quod est, vultus tuus, quia per illud cognosceris. *Cum* illo *vultu tuo* ego assumptus homo, ego nunc tristis usque ad mortem, posthac lætitiam, et *delectationes* habebo *in dextera tua*, in æterna scilicet claritate tua *usque in finem* fine carentem, *usque in finem*, de quo alias dicitur: *Omnis consummationis vidi finem.*

Aliter. *Notas fecisti mihi*, id est, meis per mea exempla *vias vitæ*, quibus dixi: *Exemplum dedi vobis, ut et vos ita faciatis. Adimplebis me*, id est, meos, *lætitia cum vultu tuo*, id est, cum me *vultum tuum* viderint vivum post mortis triumphum.

Vel: *Adimplebis* eos *lætitia*, quando Spiritum sanctum, qui est vera *lætitia*, mittes eis *cum vultu tuo*, cum Filio tuo, qui sum, ego. Mittes enim desolatis discipulis meis Paraclitum in nomine meo, et ita *implebis* eos *lætitia cum vultu tuo.* Ille namque me *vultum tuum* clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit illis. Tandem consummatis in eis *viis vitæ*, *adimpletisque* illis *lætitia*, cum transierint ex hac vita sinistra, misera et miseriis plena, *delectationes* erunt illis *in dextera tua*, in æternitatis gloria, *usque in finem*, usque ad talem consummationem, ultra quam nihil desiderari potest.

Digitized by Google

Gloria Patri æterno, qui Filio suo *præclaram hæreditatem restituit*, eumque adimplet *lætitia : Gloria Filio*, qui non solum in se, sed in membris suoque suis adimpletur *lætitia : Gloria Spiritui Sancto*, qui est hæc ipsa *lætitia* sempiterna, qua impletur Christus, caput sine mensura, et membra cum mensura, videlicet « secundum mensuram donationis Christi (*Ephes.* IV, 7). »

PSALMUS XVI.

Exaudi, Domine, justitiam meam. Titulus est VERS. 1 :

ORATIO IPSI DAVID.

Iste Psalmus et alii quatuor orationis nomine intitulantur, quia cum cæteris Psalmis intermista sit oratio, in istis sola *oratio* continetur, et si quid orationi aliud interseritur, hoc orationi cooperatur, quæ in his Psalmis principaliter intenditur.

Est autem hæc *oratio* consonans prioris Psalmi negotio : unde recte assignatur *Ipsi* vero *David*, cui et in priore psalmo assignata est tituli inscriptio. Ipse etenim Christus sicut flendo in morte Lazari charitatem in compassione proximorum nos docuit ; sicut fugit, ut inconsideratæ temeritatis nobis auferret audaciam ; sicut lavit pedes discipulorum, ut daret humilitatis exemplum, ita oravit ut nos doceret orare. Intendit enim in hoc psalmo ipsum caput orare Deum pro se et suis, ne deficiant. Agit etiam de sui persecutione, et de inimicorum temporali et perpetua damnatione, nec non de futura cum suis gloriosa et plenaria satietate. Dicit enim Patri moriens in sua obedientia : *Probasti cor meum, et visitasti nocte. Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas. Ut non loquatur os meum opera hominum : propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Ac deinceps : *Inimici mei animam meam circumdederunt, adipem suum concluserunt, os eorum locutum est superbiam. Projicientes me nunc circumdederunt me, oculos suos statuerunt declinare in terram. Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam, et sicut catulus leonis habitans in abditis.* Et hæc quidem de sui persecutione. De inimicorum vero damnatione : *Exsurge*, inquit, *Domine, prævені eum*, etc. Tandem de sua, suorumque satietate gloriosa sic dicit : *Ego autem cum justitia apparebo conspectui tuo, satiabor cum apparuerit gloria tua.*

Prima ergo pars versatur in oratione, secunda in Dominicæ passionis narratione, tertia in damnatione inimicorum, quarta in glorificatione Christi et eorum. Veram ergo humanitatis naturam Christus ostendens orat dicens :

Exaudi, Domine, justitiam meam. O *Domine*, cui ego in forma servi obedio, quem et in eadem forma dominum recognosco, tu *exaudi meam justitiam.* Sicut enim per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi : sic decens, et justum est ut per unius *justitiam*, et obedientiam justi constituantur multi. De quolibet largo eleemosynatore dicitur : « Dispersit dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi. (*Ps.* CXI, 9). » Et hæc *justitia* coram Deo exauditur, quia ipsa eleemosyna orat ad Dominum. Multo ergo magis ego, qui pro pauperibus me ipsum Deo eleemosynam facio, et per hoc *justitiam* habeo, exauditione dignam, quia hæc ipsa eleemosyna orat, imo et per *justitiam* forti exactione requirit misericordiam mihi, et meis exhibendam a te Deo Patre, pro cujus beneplacito et mandato ego feci misericordiam. Misericordibus namque misericordia debetur ex justitia. Et ego sum ille Samaritanus misericors, qui feci misericordiam in illum, quem sacerdos Veteris Testamenti Aaron præterivit, quoniam eum sanare non potuit in sanguine hircorum aut vitulorum. Ego autem de meo latere fudi vinum et oleum in vulnera ejus. Nam sanguis meus oleum est et vinum, de quo dicitur in benedictione Judæ : « Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum (*Gen.* XLIX, 11). » « Ego enim sum vitis vera (*Joan.* XV, 1), » et oliva fructifera de cujus medicinali sanguine tanquam vino et oleo curatur ille homo, qui descendebat ab Jerusalem in Jericho et incidit in latrones. Cum ergo fecerim ego misericordiam in illum, *Exaudi, Domine, justitiam meam*, ut et ego qui nunc incidi in latrones, crucifixus a latronibus, inter latrones, mihi et meis consequar misericordiam, quam non quæro injuste, sed ex libra et statera justitiæ. Si enim appendatur calamitas mea in statera cum peccatis, quibus iram merui, hæc ipsa calamitas quasi arena maris gravior apparet peccatis quæ super me tuli, peccatis videlicet mundi totius pro quo patior, et immolor ego Agnus tollens peccata mundi credentis in me, damnans vero peccata mundi non credentis in me. Utinam ergo appendantur ipsa peccata meorum, et calamitas mea in statera justitiæ ! Imo quia ego jam pendens agonizo in cruce, cujus duo brachia exprimunt stateram, quæro *justitiam* in conspectu Patris et totius curiæ cœlestis, an calamitas mea non sit satis gravis ad præponderandum peccatis omnium in me credentium ? Si attenditur, non solum quid, sed et quis patior in ista calamitate ? Ego Filius Dei patior pro servis, justus pro injustis. Nonne habet odorem tale sacrificium, per quem fetor peccatorum juste sit abolendus, quem in humano genere diffudit primus Adam ? Nonne habet clamorem orationis validum tale sacrificium digne audiendum, et exaudiendum, non solum ex misericordia, sed etiam

Digitized by Google

ex justitia ? si propter hominis iniquitatem patere- A sumptus homo. Propterea orat Patrem dicens : *De vultu tuo judicium meum prodeat*, id est *judicium*, quo ego judex vivorum et mortuorum constitutus judicabo, prodeat *de vultu tuo*, de verbo tuo mihi unito, ut in omni meo judicio solum et totum illud judicem, quod audio dictante Verbo tuo *judicium* invisibiliter per me hominem exercendum visibiliter; quia tu, Pater, non judicabis quemquam visibiliter, sed omne *judicium* visibiliter exercendum, dedisti mihi, Filio manifeste judicaturo : « quia Filius hominis sum (*Matth.* XXVII, 43). »

Judicium quoque *meum*, quo ego nunc iniquæ judicor sub Pontio Pilato, *prodeat de vultu tuo*, ut nihil de me homine fiat, nisi quod beneplacitum est in Verbo tuo mihi unito.

B Similiter *judicium*, quo ego judicabor in membris meis ante reges et præsides, *de vultu tuo prodeat*. Electi quoque mei, qui sedebunt « super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX, 28), » vel etiam qui angelos judicant et ista sæcularia, quorum unus ait : « Nescitis quoniam angelos judicabimus ? quanto magis sæcularia (*I Cor.* VI, 3)? » isti agunt *judicium meum*, quia ego in eis et per eos judico : propter quod rogo, ut etiam tale *judicium meum de vultu tuo prodeat*, ne vultui tuo in aliquo displiceat, sed cognoscat mundus quia et *judicium* quo ego juste judico, et *judicium* quo judicor injuste, prodiit in effectus præordinatos *de tuo vultu*, de tua voluntate, de tua voluntaria dispositione, tam ad meam et meorum C glorificationem, quam ad inimicorum damnationem secundum regulas æquitatum, quibus redditur omnibus debitum per meum judicium. Et si has æquitates non vult mundus videre ; saltem *oculi tui videant æquitates* ; diligentissima et perspicacissima discretio quæ in te est, videat *æquitates* in hac re, tam in glorificatione mea et meorum, quam in damnatione et confusione inimicorum. Nihil enim æquius quam et illos innocentem damnantes damnari ; et innocentem injuste damnatum juste clarificari.

Aliter. *Non in labiis dolosis judicium meum prodeat*, ut aliud judicem ore, aliud sentiam in corde, vel malum bonum, vel bonum malum dicendo : sed D *de vultu tuo*, de ratione sincera et vero intellectu, quem vultus tuus approbat, omne *judicium* meum et meorum prodeat. Ne autem fallente rerum obscuritate aliter fiat, *oculi tui videant* æquitatem (sic enim habet quædam translatio). Igitur hoc oro ego judex vivorum et mortuorum, ut et oculi mei, oculi videlicet mentis meæ divina claritate perlucidi *videant* æquitatem ; et oculi mei, sancti videlicet rectores Ecclesiarum, *videant* æquitatem, ne quando exorbitent a justitia per cæcitatem. Ne autem videar de jactantia prætendere meam æquitatem, aut inaniter orasse meam justitiam exaudiri, te scrutatorem cordium testem invoco, quod ego iniquo judicio damnatus, « et cum iniquis reputatus (*Marc.* XV, 28), » iniquitate careo, sicut tu ipse no-

Vers. 2. *De vultu tuo judicium meum prodeat : oculi tui videant æquitates.* Ecce in Deo Patre nominantur aures, oculi et vultus, cum sit ipse Deus incircumscriptus spiritus, neque cor habens intrinsecus, neque aures, aut oculos extrinsecus. Sed per hæc verba humana, divina innuitur efficacia : quia is, cui omnis voluntas loquitur, mirabiles habet aures ; et quem nullum latet secretum, mirabiles habet oculos. Cum ergo ei dicitur : *Auribus percipe orationem*, vel : *Oculi tui videant æquitatem*, per aures et oculos intelligenda est ipsa Divinitas, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum. Per vultum vero Filius ejus intelligitur, Verbum scilicet, quod erat in principio, et sapientia per quam facta sunt omnia. De hoc vultu, de hoc Verbo, de hac sapientia homo in persona ejusdem Verbi, vultus et sapientiæ assumptus cuncta sua disponit judicia. Unde et dixit : « Non possum ego a me ipso facere quidquam, » sed « sicut audio, judico (*Joan.* V, 30), » quia de Verbi sibi insiti oraculo pendebat ipse as-

Digitized by Google

sti, qui licet omnia scias, tamen ad majorem veritatis evidentiam.

Vers. 3. *Probasti cor meum, et visitasti nocte.* Quando fur nocturnus cor meum tentans in deserto de gula, de vana gloria, de ambitione sæculi voluit perfodere domum meam, nec potuit. Postea vero multis tribulationibus inter Judæos detrahentes, invidentes, insidiantes, blasphemantes, et postremo crucifigentes tanquam in fornace aurum per *ignem* passionis *examinasti me, et non est inventa in me iniquitas*, quia neque per nocturnas diaboli tentationes tractus sum ad illicitam concupiscentiam, neque per manifestam persecutionem provocatus, aut perductus ad impatientiam : et ita *non est inventa in me iniquitas*, licet multum quæsita. « Venit enim princeps mundi hujus (*Joan.* XIV, 30) » quærens apud me aliquod suum, sed *in me non* invenit quidquam. Permissus tamen est per se, ac per membra sua me tentare ac tribulare, quia tu, Pater, per has tentationes *probasti* me sicut aurum, et *visitasti* me sicut ægrotum, qui licet proprias ægritudines minime haberem, tamen vere languores meorum portavi, quos, te visitante, oportuit sic medicari. Quantum vero attinet ad meam propriam personam, *non est inventa in me iniquitas*, quod etiam tacente me, ita :

Vers. 4. *Ut non loquatur os meum*, tu scis esse verum. Aliter. *Ut non loquatur os meum opera hominum*, ac si dicat humana natura in Christo Patri Deo : Ne me putet quispiam assignare mihi, non tibi ; homini, non Deo ; carni, non Verbo, quod immunis sum a peccato, *et non est inventa in me iniquitas :* a tali suspicione me hominem expurgo sic dicens : *ut non loquatur os meum opera hominum.* Nam quod immunis sum a peccato, quod nec originalis, nec actualis culpa inventa est in me, non est opus hominum lege naturali filios generantium, nec eos a peccato servare valentium, sed est opus tuum Dei Patris mei, Verbum tuum in uterum virginis eructantis, et est opus Spiritus sancti amoris tui conceptionem meam ineffabiliter in sensu virginis super omnem sensum operantis, et est opus Verbi ac sapientiæ domum sibi ædificantis, habitaculum animæ et carnis mundissimæ sibi compingentis, eamdemque domum a peccatis actualibus immunem conservantis. Hæc, inquam, opera non sunt hominum, sed Dei. Non enim est hominis, ut immaculata sit via ejus, vel ut mundus appareat natus de muliere.

Vel usque adeo *non est inventa in me iniquitas*, ut nec in verbo inveniar culpabilis in tanta custodia custodiens os meum, *ut non loquatur os meum opera hominum*, quæ dici solent ad jactantiam ; sed loquor et magnifico Dei opera pro gloria ipsius dilatanda. Dico enim : « Pater in me manens, ipse facit opera (*Joan.* XIV, 10), » quo dicto mihi homini nulla evenit jactantia, sed sola ipsius per hoc magnificatur gloria, qui facit opera.

Similiter *os meum*, verbi gratia, Paulus apostolus diligenter cavet, ut non *loquatur opera hominum*, qui cum dixisset : « plus omnibus laboravi ; » ne opus humanum videretur loqui, adjecit : « Non autem ego, sed gratia Dei mecum (*I Cor.* XV, 10). » Nam qui gloriatur in se loquens *opera hominum*, quasi bona sua operetur virtute, hic talis servus est non manens in domo in æternum, servus, inquam, est nesciens quid faciat in se Dominus ejus. Sed non talis amicus meus Paulus, et quilibet similis ejus bene sciens, quid faciat in se Dominus ejus, *non loquitur opera hominum*, sed Dei, talo quid dicens : « Domine, dabis pacem nobis : omnia enim opera nostra operatus es nobis (*Isa.* XXVI, 12). » Sic sic vitatur jactantia, dum in omni opere bono prædicatur virtus divina, non humana, sive per *os meum* proprium in loquendo satis disciplinatum, sive per *os meum* qualecunque, videlicet ministrum verbi mei, non suæ, sed Dei gloriæ cupidum, *ut non loquatur opera hominum* jactanter, sed opera Dei ad gloriam Dei humiliter. Rex Babylonis Nabuchodonosor, quia non fuit *os meum*, os divinum, os veridicum, ideo jactanter locutus est opus humanum dicens : « Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, in gloria decoris mei ? » (*Dan.* IV, 27.) Unde hic talis servus inutilis et malus nesciens, nec scire, vel dicère curans quid fecerit in se ac per se Dominus ejus, de domo erat non solum æternitatis, sed et regni temporalis ejiciendus, quod et factum est. Nam cum adhuc sermo esset in ore regis, vox de cœlo ruit : « Tibi dicitur, Nabuchodonosor rex : regnum transiit a te, et ab hominibus te ejicient, donec scias, quod dominetur Excelsus in regno hominum (*ibid.*, v, 28, 29). » Sic superba gloriatio erat humilianda per verba labiorum tuorum, quibus tu cognosceris in regno hominum dominari, *ut non loquatur os meum*, *os* veridicum, quod est *meum*, qui sum veritas, *non*, inquam, *loquatur os meum opera hominum propter verba labiorum tuorum*, quibus increpas non solum Nabuchodonosor, sed omnem arrogantem de opere magno se jactantem, quasi aliquod opus bonum, vel magnum sit opus hominum, et non potius Dei dominantis in regno hominum, et operantis per homines omne opus bonum vel magnum, ut fuit Babylonicæ urbis ædificium.

Solum peccatum Deus non operaris per angelos vel homines peccantes, quia nec peccatum proprie dicitur opus, sed destructio, vel deformatio divini operis, ut qui excæcat oculum, destruit ac deformat opus divinum. Tu autem Pater in me manens fecisti opus divinum, quando, te operante, illuminavi cæcum natum, vel suscitavi Lazarum, seu aliud opus divinum feci, sive per meipsum, sive per aliquem meorum. Talia opera sic prædico per me, vel meos, *ut non loquatur os meum opera hominum*, non assignet humanæ possibilitati aliquod opus utile, vel bonum. Hinc est quod Salomon, qui fuit *os meum*, post magnum magni templi ædificium, ne videretur

Digitized by Google

se jactare per illud, quasi per opus humana virtute cœptum vel perfectum, dixit inter cætera : « Benedictus Dominus Deus Israel, qui locutus est ore suo ad David patrem meum, et in manibus ejus perfecit. » Item : « Domine Deus Israel, non est similis Deus in cœlo desuper, et super terram deorsum, qui custodisti David patri meo, quæ locutus es ei. Ore locutus es, et manibus perfecisti, ut hæc dies probat (*III Reg.* VIII, 15, 23, 24). » Sic disciplinatum est omne *os meum*, *ut non loquatur opera* tua, Deus Pater, quasi *opera hominum propter verba labiorum tuorum*, quibus increpas angelum et hominem superbum. Multo magis *ego* singulariter justus, mitis et humilis corde *propter verba labiorum tuorum*, id est prophetarum conservanda et implenda (quia « non veni solvere legem, aut prophetas (*Matth.* v, 17) » non solum cohibui *os meum*, *ut non* loqueretur *opera hominum*, sed etiam *custodivi vias duras*, *vias* mortalitatis. Propter quod rogo : A B

Vers. 5. *Perfice gressus meos*, et meorum *in semitis tuis*. *In semitis* æternitatis, ut, quia ego a peccatis immunis per *vias* mortalitatis *duras*, *propter verba labiorum tuorum* dure sum afflictus, hæc sit mihi remuneratio, ut perficiantur *gressus*, meæ humanitatis *in semitis* tuæ divinitatis, ita, *ut non moveantur vestigia mea* super solidum æternitatis fundamentum posita. Quod ita demum perficietur, si eis, in quibus ego gradior, stabilitas æternitatis conferetur : sicut fluctibus maris, in quibus ambulavi, licet naturaliter fluidis, tamen per impressiones pedum meorum collata est quædam soliditas, per quam significari potuit æternitatis illa soliditas, quæ conferenda est meis vestigiis in omnibus in hoc fluido temporalitatis et mortalitatis mari magno mihi subjacentibus, et vestigia pedum meorum, id est exemplorum meorum in se recipientibus. *Perfice* igitur *gressus meos in semitis tuis ut non moveantur vestigia mea* propria in omnibus meis perfecta soliditate firmata. Vel etiam : *Ut non moveantur vestigia mea*, id est meorum, sicut mota sunt *vestigia* Petri dubitantis. C

In Hebræo habetur : *Propter verbum labiorum tuorum ego observavi vias latronis. Sustenta gressus meos in callibus tuis, et non labantur vestigia mea.* Dicat ergo Christus, qui cum iniquis et latronibus est reputatus : *Ego observavi vias latronis*, quia sicut latro non graditur publica et plana via, sed incedit per saxosa, invia et spinosa : ita ego *propter verba labiorum tuorum* adimplenda non ambulavi secundum usitatas traditiones Scribarum et Pharisæorum, sed per mandatorum tuorum viam ab illis desertam tanquam in solitudine similis latroni ambulavi secundum eorum judicium, qui me judicaverunt cum latronibus crucifigendum. Imo latrone Barabba dimisso, ego quasi latro addictus sum supplicio. Ideo *sustenta gressus meos* et meorum, *et non labantur vestigia mea* et meorum. D

Aliter : Ego in meis infirmis Petro adhuc timido similibus *custodivi vias duras* ; quia talibus in observandis verbis labiorum tuorum videtur difficultas dura. Sed ego pro eis nunc sacrifico me ipsum, ut et ipsi sancti sint in veritate. Non rogo ut in imperfectione tali tollas eos de mundo, sed sanctifica eos in veritate, ac *perfice gressus meos* in eis non solum ad gradiendas vias generalium præceptorum, sed etiam, ut recte ambulent in semitis angustis consiliorum perfectissimorum.

Vers. 6. *Ego clamavi*, *quoniam exaudisti me*, *Deus*. Prius per minutas tribulationes quasi remisse oravi, et tunc *exaudisti me* divina opera faciens pro me : ideo certificatus de majori exauditione per magnam passionem mortis « cum clamore valido (*Hebr.* v, 7) » preces effudi, certus, quod *clamorem* hunc exaudires, *quoniam exaudisti me* prius leniter orantem, ut in resurrectione Lazari. Tunc in suscitatione unius hominis modice orantem *exaudisti*. Ego autem sciens quia semper me audis, pro suscitatione totius humani generis a morte animarum per mortem meam *clamavi*, et a morte quoque corporum per meam resurrectionem omnes homines suscitari clamans oravi, quando mortem animarum moriendo destruxi, et vitam corporum resurgendo reparavi. Quid *clamavi ?* hoc scilicet :

Inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea. De alto videlicet summæ Divinitatis ad lectulum humanæ infirmitatis, in quo languores multorum porto, *inclina aurem tuam*. Tu medicus mihi ægroto, et vere languores meorum portanti, *et exaudi verba mea*, hæc scilicet :

Vers. 7. *Mirifica misericordias tuas*. Ut me moriente in cruce velum templi scindatur, factoque magno terræmotu, totus infernus concutiatur, et captivitas inde abducatur, cui captivitati per me ab inferis liberatæ paradisi portæ sint apertæ, ita ut hodie post lateris mei apertionem sint mecum in paradiso sociata illis anima latronis, cui dixi : « Hodie mecum eris in paradiso (*Luc.* XXIII, 43). » *Mirifica* etiam in hoc *misericordias tuas*, ut me resurgente multa corpora sanctorum surgant mecum, et in testimonium meæ resurrectionis appareant multis : *Mirifica* etiam in hoc *misericordias tuas*, ut discipulos mea morte turbatos cito consoleris per lætitiam quam eis promisi dicens : « Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis (*Joan.* XVI, 22). » In his omnibus *mirifica misericordias tuas*, quæ magis erunt mirificæ, si tunc aderunt quando vix creduntur aut sperantur adesse, quod ita erit. Nam et illi in inferno dicent vel jam pene desperati : « Advenisti, desiderabilis, quem exspectabamus in tenebris, ut educeres hac nocte vinculatos de claustris, te nostra vocabant suspiria, te larga requirebant lamenta. Tu factus es spes desperatis. » Et etiam discipuli velut jam desperati dicent : « Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus Israel (*Luc.* XXIV, 21). » In hoc ergo *mirifica misericordias tuas*, ut jam naufragantibus circa desperationem consolationis tu exhibeas in meæ resurrectionis

Digitized by Google

triumphali gaudio mirabiles consolationes, et tale gaudium, quod nemo tollat ab eis. Ita *mirifica* circa meos *misericordias tuas*, antequam in eis tota spes deficiat. Nam qui dicunt : Sperabamus, verbo præteriti imperfecti temporis utentes, ostendunt se adhuc habere quasdam reliquias bonæ spei. Et ideo priusquam in eis omnino deficiat bona spes, *mirifica* eis *misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te.* Noli, noli consolationem differre nimium, ne penitus incidant in voraginem desperationis; quia tu non salvas desperantes, sed *sperantes in te.* Non pro his autem rogo tantum, qui me visuri sunt in die Resurrectionis, sed et pro his, qui crediturі sunt per testimonium eorum, et sperabunt in me, ut omnibus illis mirificentur misericordiæ tuæ, quia tu salvas non solos videntes me, et per hoc te confitentes, atque in te credentes per me contrectatum seu visum, sicut me Thomas videbit, contrectabit, et sic credet: sed *salvos facis* per me *omnes sperantes in te*, ita ut ego veritas veraciter inveniar dixisse : « Beati qui non viderunt et crediderunt (*Joan.* xx, 29). »

Vers. 8. *A resistentibus dexteræ tuæ custodi me.* Verbum tuum mihi homini unitum dextera tua est; et huic Verbo, huic *dexteræ tuæ* resistunt, qui eidem Verbo tuo nolunt obedire. Ab illis itaque *resistentibus dexteræ tuæ custodi me* hominem *ut pupillam oculi*, ita videlicet *custodi* ut innotescat omni mundo, quod ego assumptus homo in lucem veram, « quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* i, 9), » sum pupilla *oculi* tui; quia sicut pupilla, quamvis parva sit in oculo, tamen per illam dirigitur tota totius oculi visio ; sic ego assumptus homo in lucem divinam, licet sim parvus in humanitatis conditione, tamen ita sum clarificatus in æterni luminis claritate, ut neminem videas tu Pater, nisi per me *pupillam* tuam, et nemo veniat ad te, Pater, nisi per me illuminatus. *Custodi* ergo *me, ut* jure debes custodire *pupillam oculi* tui.

Vel *custodi me*, id est omnes meos, ut custodis meipsum, qui sum pupilla *oculi* tui. Volo enim, ut ubi ego sum, illic sint et mei, ut et ipsi pro modo suo clarificati videant claritatem, quam dedisti mihi clarissimæ pupillæ *oculi* tui, quo in principio vidisti cuncta, quæ feceras, et erant valde bona, priusquam emersisset peccati malitia ; et nunc in plenitudine temporum eodem oculo, eodem lumine tuo per me *pupillam* humilitate servilis formæ nigram, sed ejusdem luminis unione claram, iterum respicis omnem creaturam tuam, dum per me, ac meos prædicatur Evangelium omni creaturæ. *Custodi* ergo etiam ipsos meos discipulos, per quos lux veritatis diffundenda est, *ut pupillam oculi. Custodi* etiam omnes meos illorum doctrina illuminandos *ut pupillam oculi. Custodi* eos, ut sicut pupilla oculi sint nigri per veram humilitatem, sint clari per veram charitatem. Sicut enim omnis, « qui odit fratrem suum, in tenebris est : » ita omnis, « qui diligit fratrem suum, in lumine est (*I Joan.* ii, 11), » et illuminatus est *ut* pupilla *oculi*. Pro quibus cunctis in cruce nunc orando, vel etiam post crucem et mortem in dextera tua manens interpellando non dico *custodi* meos, sed dico : *Custodi me.* Quandiu enim unum ex minimis meis non custodis, *me* non custodis ; et quandiu uni ex minimis meis das custodiam sive angelorum sive hominum angelicorum, quos tu « super muros Jerusalem custodes (*Isa.* lxii, 6) » ponis, mihi das custodiam, et *me* in meis custodis.

Tu me in meis custodisti, quando propter me nasciturum genus Abrahæ non permisisti exterminari et annihilari, neque per Pharaonem præcipientem ut omne masculinum, de quo ego nasciturus credebar suffocaretur in flumine (*Exod.* i, 22) ; neque per reges Israel odientes et persequentes domum David, cujus ventris fructus ego eram promissus regnaturus, et super solium ejusdem David sessurus. Tua etiam vigil circa me custodia custodiens me *ut pupillam oculi* compescuit regem Babylonis, ne genus meum penitus interimeret vel ad adorationem statuæ, quam erexerat compellendo, vel interficiendo (*Dan.* iii, 6). Compescuit etiam impium Aman in regno Persarum, ne sicut voluit, penitus interimeret genus meum (*Esther.* vi). Similiter impeditus est Antiochus rex Græcorum (*II Machab.* ix) diabolo inflammante iratus contra genus meum volens illud penitus delere jamjam imminente mea nativitate, quam diabolus per jam dictos reges et tyrannos voluit præanticipasse, ut succisa stirpe, de qua eram nasciturus, ego pupilla *oculi* tui, non venirem illuminare totum corpus Ecclesiæ. Sed jam, ut Joannes dilectus meus testatur, quinque isti reges ceciderunt (*Apoc.* xvii, 10), videlicet Ægyptius, Israeliticus, Babylonicus, Persicus, qui et Medus, et novissimus rex Græcorum cecidit superatus virtute Machabæorum. Unus est Romanus, videlicet imperator, sub cujus præside Pontio Pilato ego in carne morior, et sub cujus imperii ministris corona martyrii debetur multis membris meis. Alius, id est Antichristus, qui non tam corpora quam animas meorum quæret occidere, nondum venit, sed venturus est in omni virtute Satanæ, in prodigiis et signis mendacibus, ita superbus, ut in templo meo, quod est Ecclesia, sedeat ostendens se tanquam sit Deus, imo et extolletur supra omne id, quod dicitur Deus, aut quod colitur, tantasque per mundum nebulas errorum diffundet, ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi, qui sunt quasi pupilla *oculi* mei ad hoc electi, ut non solum ipsi non errent, sed totum corpus Ecclesiæ contra errorum tenebras illuminent. Hic opus est custodia tua Pater, qui me contra omnium transactorum regnorum tyrannides et versutias in meis custodisti *ut pupillam oculi* usque in hanc horam in qua est potestas tenebrarum, sed permodica, quoniam post mortis brevissimam dormitionem denuo evigilabo ego pupilla *oculi* tui. Imo, quia ego sum « Leo de tribu

Digitized by Google

Juda (*Apoc.* v, 5), » vigilantibus oculis dormiam. Nam dum corpus « de torrente » mortis « in via (*Psal.* cix, 7) » veloci transitu potatum obdormiet ad similitudinem Noe post ebrietatem dormientis : Ego vigilante spiritu meo in manus tuas, Pater, commendato, tanquam pupilla *oculi*, satis perspicue videbo, et discernam inter filios benedicendos, et semen Chanaan propter hoc maledictioni obnoxium, quia non honorat meam nuditatem in hac potestate tenebrarum brevi et horaria. Sed in illa longa potestate tenebrarum gravius erit periculum, quando regnabit Antichristus in hoc ipso mihi contrarius, quod sicut ego pupilla oculi tui sum lux mundi : ita ille princeps tenebrarum famulantibus illi angelis, rectoribus tenebrarum, et adhærentibus illi omnibus filiis noctis et tenebrarum pene totum excæcabit mundum. Quia ergo in majori necessitate majori opus est adjutorio, et custodia, tunc me Pater *custodi* custodia diligentissima *ut pupillam oculi*, ne Antichristi minister Arius, aut alius aliquis hæreticus me in meis exstinguat, ne fidem Divinitatis, qua ego pupilla *oculi* tui plenissime luceo, in meis diminuat, neve Judæ mercatori pessimo, qui me nunc vendidit, in suis successoribus potestas maneat me vendendi, et « pretium, quo appretiatus sum (*Zach.* xi, 13), » possidendi. Potius cogatur peccatum suum confiteri, et pretium amittere, quod sit in sepulturam peregrinorum, qui sunt pupilla *oculi* tui, ut in pretioso hæreditatis æternæ agro per meum sanguinem acquisito mihi consepulti sint, custoditi ut pupilla *oculi* tui ab omni excæcatione Antichristi.

Sub umbra alarum protege me. Habes enim, tu, Pater, alas, duo videlicet Testamenta, quorum in uno promittis cultoribus tuis temporalia bona, in altero autem promittis æterna. *Sub umbra* istarum *alarum protege me*, ut data mihi omni potestate in cœlo, et in terra possim conferre meis perfectis dilectoribus et in rebus temporalibus præsentis vitæ subsidium, et in æternis bonis permansurum fructum sempiternorum gaudiorum. In rebus temporalibus non sit quisquam egens inter eos, sed distribuatur unicuique, sicut cuique opus est. In æternorum vero dilectione sit eis cor unum et anima una, sic læva tua velut ala una sit sub capite, et dextera tua velut ala altera omnem animam amplexetur, quæ voluntatem tuam Pater faciendo, et me verbum tuum concipiendo, et gignendo mihi mater, et tibi sponsa efficietur. « Quicunque enim fecerit voluntatem » tuam Pater, « ipse meus frater, soror et mater est (*Matth.* xii, 50). » Et si mihi Filio tuo mater est, ergo tua sponsa est. Dicat igitur quælibet hujusmodi mea mater, tua sponsa : « Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me (*Cant.* ii, 6). » Ita *sub umbra alarum tuarum protege me*, id est meos, non ut nihil difficultatis in hoc mundo patiantur, sed ne projecti extra *tuas alas* vel per nimiam rerum temporalium indigentiam incidant vel induant avaritiam, quæ est larva quædam et facies impiorum; vel per nimiam æternorum negligentiam refrigescente in meis charitate induant iniquitatis abundantiam quasi larvam quamdam, et faciem fœdissimam, quæ est facies impiorum, qui me afflixerunt, quia maxime propter avaritiam Judæi me contra ipsorum avaritiam disputantem crucifixerunt, præcipue Scribis et Pharisæis contra me irascentibus, quod paulo ante passionem meam subverti mensas eorum et cathedras, ejectis eis de templo, et eorum ære in terram effuso (*Joan.* ii, 15).

Similiter in tempore Antichristi refrigescente charitate, atque abundante iniquitate per ipsam iniquitatis et iniquorum abundantiam, tunc affligar in pauperibus meis, qui tunc abundantibus iniquis affligentur nimietate paupertatis, quoniam egentibus, angustiatis, afflictis, quibus dignus non erat mundus, gaudebunt impii facie ad faciem videntes Antichristum, et diligentes ipsum atque ipsius faciem induti : sicut mei quoque dilectores audiunt Apostolum meum dicentem : Omnes, qui « in Christo baptizati estis, Christum induistis (*Galat.* iii, 27). » Ergo ut in pauperibus meis, meam faciem indutis, ipsa mea facies tanquam in speculis purissimis clare appareat *sub umbra alarum tuarum*, vel sicut dictum est, vel sub misericordia et miseratione, quarum *alarum* altera est in affectu, altera in effectu. *Sub umbra*, inquam, *alarum* istarum, Pater æterne, protege illos

Vers. 9. *A facie impiorum.* Ne quando impiis conformentur in avaritia, vel alia iniquitate. Vel *sub umbra alarum* dilectionis videlicet et misericordiæ tuæ. Dilectionis, qua dilexisti eos ante constitutionem mundi; misericordiæ, qua vocas et justificas eos in mundo. *Custodi* meos *a facie*, id est conformitate impiorum.

Inimici mei animam meam circumdederunt. Nam cum « facta » essent « Encœnia in Jerosolymis, et hiems » esset, et ego ambularem « in porticu Salomonis, circumdederunt » me « Judæi, » et dixerunt mihi : « Quousque animam nostram tollis ? Si tu es Christus, dic nobis palam (*Joan.* x, 22, 23 et 24). » Sic loquendo *circumdederunt animam meam* intendentes laqueos, quibus tollerent mihi animam meam. Adduxerunt enim insidiose milites Cæsaris, ut si ego palam dixissem esse me Christum regem, quasi regis Romani contradictor statim caperer et interficerer. Unde non tunc palam dixi me Christum regem esse, uti volebant, sed dixi eos non esse ex ovibus meis, ut Romani milites audientes me pastorem potius quam regem designari, desinerent mihi indignari vel insidiari, quando curam meam pastoralem non intelligerent habere potestatem regalem, quod tamen, licet palam non loquerer, omnino non tacui. Dixi enim : « Nemo potest rapere de manu Patris mei (*ibid.*, 28, 29), » et nemo potest rapere de manu mea. Et adjeci : « Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis (*ibid.*, 26). » Per hæc verba delusis Romanis multa disputavi cum

Digitized by Google

inimicis meis Judæis, contestando eis veritatem, ut facerem benigne, quod illi objecerant maligne. Dixerant enim : « Quousque animam nostram tollis? » (*Ibid.*, 24.) Ac si dicerent : Quousque nos interficis non loquendo nobis, ut volumus? Ego igitur, sicut dixi, benigne veritatem loquendo ad hoc laboravi, ut eis tollerem animas, malignitatis adipe incrassatas. At illi

Vers. 10. *Adipem suum* | *concluserunt. Adipem*, inquam, *suum*, incrassatum cor suum, impinguatas animas suas veritati obcluserunt, et quasi tauri pingues contra me insultus faciendo adipem suum contra gladium verbi et doctrinæ meæ defenderunt, mihique animam meam tollere conati sunt. At tamen nemo tollit a me animam meam, sed ego pono eam, et iterum sumo eam. In hac positione animæ meæ *os eorum locutum est superbiam* dicendo : « Vah! qui destruis templum Dei, et in tribus diebus reædificas, si rex Israel es, descende de cruce (*Matth.* xxvii, 40 : » et in aliis multis contra me *os eorum locutum est superbiam*.

Vers. 11. *Projicientes me nunc circumdederunt me.* Mali vinitores, qui antea servos meos male tractaverunt, nunc me videntes et cognoscentes hæredem dixerunt : « Hic est hæres, venite, occidamus eum (*Matth.* xxi, 38), » et nostra erit hæreditas. Hæc inter se dixerunt, et sicut servos meos occiderant, ita nunc et multo crudelius projicientes me extra vineam, crucifigentes extra civitatem, *circumdederunt* quasi ad spectaculum collecti. Et tamen propter nimiam crudelitatem suam, ne videndo meam flagellationem et crucifixionem forte inclinarentur ad aliquantulam compassionem et miserationem, cum ego in præsentia eorum flagellarer, conspuerer, colaphizarer et multis modis cruciarer, *oculos suos statuerunt declinare in terram*, ne inspiciendo miseriam meam saltem ad modicam provocarentur misericordiam.

Vel : *Oculos suos statuerunt declinare in terram.* Hoc solummodo, et maxime intendentes præcavere, ne me vivente amitterent *terram*, et locum, et gentem, atque alios quæstus terrenos, quos in domo Dei negotiando sectabantur contra meam doctrinam, quia frequenter disputaveram contra ipsorum avaritiam. Unde vehementer contra me irati, cum discipulus me traderet, vel etiam, cum Pilatus me flagellatum traderet voluntati eorum, aut etiam tradente me te Patre meo, illi,

Vers. 12. *Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam, et sicut catulus leonis habitans in abditis.*

Leo diabolus ad escam carnis meæ nimium fuit avidus, nesciens quod hamo Divinitatis meæ foret capiendus. Principes etiam Judæorum sicut ipse leo, sicut ipse diabolus, fuerunt avidi mortis meæ nescientes quod etiam forent supplantandi et de terra sua ejiciendi. *Et sicut catulus leonis habitans in abditis.* Caterva dæmonum scilicet cum principali suo leone diabolo latenter in abditis operando inhiavit morti meæ. Sic populus et ipse, quasi *catulus* co-operando principibus, atque inhians meo sanguini clamavit : « Reus est mortis (*Matth.* xxvi, 66). » Item : « Crucifige, crucifige eum (*Luc.* xxiii, 22). »

Vers. 13. *Exsurge, Domine, prævені eum, et supplanta eum.* Domine Deus, Pater meus, qui videris omnia hæc mala non attendens quasi dormires, « Exsurge excitatus tanquam potens crapulatus a vino (*Psal.* lxxvii, 65), » et percute inimicos tuos in posteriora. *Exsurge*, Domine, vigila et vide, quomodo inimicus meus præcurrit, ut præcludat mihi exitum de sepulcro. Dicit enim Pilato : « Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit : Post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulcrum, etc. (*Matth.* xxvii, 63, 64). » Sic timuit inimicus meus, me post tres dies resurrecturum. Sed tu *prævені eum* non post tres dies me resuscitando, sed circa initium diei tertiæ valde mane, etiam in media nocte, cum adhuc tenebræ sint ad monumentum, subita et festinata resuscitatione inimicum meum *prævені;* et quia ipse contra Deum fortissimum luctatur, tu *supplanta eum.* Luctante quondam tecum patriarcha Jacob, ut tibi extorqueret benedictionem, tu tetigisti « nervum femoris ejus, et statim emarcuit (*Gen.* xxxii, 25); » quia hoc futurum fuit, ut postquam in me semine Abrahæ, qui exivi de femore Jacob, verus Israel benediceretur, statim genus Jacob marcesceret, illud videlicet, quod benedictionem non reciperet. Et ecce iste malignus populus non pro benedictione obtinenda, sed contra benedictionem luctatur. Tu ergo *supplanta eum*, ut cadat, ut locum et gentem, unde superbit, amittat, atque in infernum præcipitatus, qui me in inferno et morte detinere cupit, luat pœnas debitas.

Eripe animam meam ab impio : non derelinquas animam meam in inferno, ut placet impio, sed *eripe ab impio* ipsam *animam* meam, *frameam tuam* paratam, et acutam ad debellandas aerias potestates.

In Hebræo habetur : *Salva animam meam ab impio, qui est gladius tuus.* Nam et impius homo vel diabolus Dei est gladius, uti rex Babylonis Dei fuit securis et malleus. Igitur a tali gladio, a tali securi, a tali malleo *salva*, inquit, *animam meam.*

Vel *eripe animam meam, frameam tuam*, qua manus tua, verbum tuum est armatum. Hanc *eripe* ab *impio* diabolo, et ab omnibus.

Vers. 14. *Inimicis manus tuæ.* Atque ne ultra modum superbiendo Ecclesiam meam, quæ est opus manus tuæ destruant, *o Domine, a paucis de terra divide eos.* Et hoc ne differas in longinquum, sed quid? *Domine*, adhuc in vita eorum, dum est locus pœnitendi, cum etiam de impœnitentibus in hac vita punitis potest exemplum capi ultionis et judicii tui, *in vita*, inquam, *eorum divide eos de terra*, pro qua obtinenda me crucifixerunt dicentes : « Ne forte veniant Romani, et tollant nostrum locum et gentem (*Joan.* xi, 48). » De hac terra divide illos dispergendo per exercitum Romanorum, ut captivi ducantur in omnes gentes. Divide illos, *a paucis*, qui mei electi sunt, prius disjunctos. Sciendum

Digitized by Google

quippe est, quod paulo ante tempus destructionis Jerusalem, quidam Judæi ad fidem conversi præmoniti sunt a Spiritu sancto, ut civitatem excederent, et in regnum Agrippæ se transferrent, quod Romanis fœderatum erat, ne cum iniquis perirent. Exaudita est igitur oratio Christi dicentis : *Domine, a paucis de terra divide eos*, quoniam *a paucis* electis impii separati de terra sua ejecti sunt *in vita* sua. Licet enim plurimi eorum fame interempti et gladio interfecti fuerint, captivi tamen *in vita* sua multi abducti sunt. Dicit ergo : *Domine, a paucis de terra divide eos in vita eorum.*

Divide illos etiam de absconditis tuis, ut non solum sint ejecti de terrenis divitiis suis manifestis, sed etiam *de absconditis tuis*, Nempe ipsorum fuit testamentum et legislatio, et obsequium et promissa, et eorum fuerunt patres, ex quibus ego Christus secundum carnem natus sum, et ipsorum erant oblationum et cæremoniarum abscondita mysteria. *De* his omnibus *tuis absconditis in vita eorum divide* illos, ut « sine rege, » sine sacerdote magno, sine templo, « sine altari, sine sacrificio » sint inter gentes (*Ose.* III, 4).

Non contra hos autem rogo tantum, sed et contra eos, qui sunt imitaturi eos in tempore Antichristi, ut et ipsi a paucis electis, qui tunc erunt, separati adhuc *in vita eorum* dividantur a *terra*, id est, excommunicentur ab Ecclesia, vel excludantur a terrenarum rerum copia per Antichristum illis collata, et dividantur *de tuis absconditis*, de officiis videlicet ecclesiasticis, non habituri de secta sua episcopum, vel regem, sed sine rege, sine sacerdote, sine templo, sine altari, sine sacrificio sint sicut Judæi.

Aliter, Ideo, *Domine, a paucis de terra divide eos in vita eorum*, quoniam non per ignorantiam peccaverunt. Nam *de absconditis tuis*, de Scripturarum secretis *adimpletus est venter eorum*, id est, memoria eorum, quæ ventri est consimilis, adimpleta est rerum absconditarum notitiis, velut quibusdam electis cibis. Et tamen insuper

Saturati sunt porcina, id est, immunditia, quæ significatur in lege per carnem porcinam : *et dimiserunt reliquias suas parvulis suis* dicendo : « Sanguis ejus super nos, et super filios nostros (*Matth.* XXVII, 23). »

Aliter : *Saturati sunt filiis*, id est, operibus malis, quæ per filios intelliguntur : *Et*, cum *saturati* essent pœnis meis, *dimiserunt reliquias suas parvulis suis* dicendo : « Sanguis ejus super nos, et super filios nostros. »

Aliter : Ego rogavi eos dividi a terra, quod ita efficaciter adimplebitur, ut primo a Romanis obsessi, et fame coarctati comedant filios suos, et dimittant *reliquias suas parvulis suis*. Hoc narrat Josephus historialiter impletum, dum quædam nobilis femina nomine Maria intolerabili fame vexata filium parvulum assatum ex parte comedisset, atque nidorem carnium sentientes alii famelici vehementer in eam irruerunt, ut ei carnes auferrent : ipsa *reliquias* earumdem carnium humanarum protulit in medium. Qui cum viderent semiesum parvulum, horrore facinoris perturbati, miserationc pariter et indignatione repleti sunt.

Aliter : *Saturati sunt filiis*, id est, abundaverunt filiis, et aliis rebus prosperis, neque cogente rerum penuria me interfecerunt contra quæstus avaritiæ disputantem, atque cum complures haberent filios, vix reliquiæ ipsorum in paucis electis crediderunt, *et* has *reliquias dimiserunt parvulis suis*, id est, humilibus. Nam per apostolos, qui velut parvæ reliquiæ salvati sunt ex gente Judæorum, postea conversa est multitudo parvulorum, quando una die tria millia crediderunt, et alia die quinque millia (*Act.* II, IV). Propter hujusmodi parvulos non solum de Judæa, sed etiam de gentilitate colligendos ego Jesus, dum caperer ad mortem, dixi : « Sinite hos abire, ut sermo » meus « impleretur, » quem dixi : Quoniam « quos dedisti mihi Pater, non perdidi ex eis quemquam (*Joan.* XVIII, 8, 9). » Et quia in potestate divina fuit sermo meus præcipientis, ut sinerent hos abire, illi non valentes verbo meo contraire dimiserunt eos abire, quod ego ita volui, quia nondum erant ad mihi commoriendum idonei, et multi parvuli per eos erant colligendi ex Judæis et gentibus. Ideo *dimiserunt reliquias suas*, id est, apostolos abire, quod provenit in salutem *parvulis suis*, non illis intendentibus hanc salutem, sed me disponente cum dicerem : « Sinite hos abire. » Propterea, licet magna utilitas provenerit de mea morte ac discipulorum dimissione, tamen illi, qui me interfecerunt et illas *reliquias dimiserunt*, rei sunt pro mala sua intentione.

VERS. 15. *Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo. Ego*, quem seductorem clamaverunt, *in Justitia apparebo. Ego*, qui non solum de meis bonis, verum etiam de ipsorum malis operatus sum salutem in medio terræ, justus *apparebo*, non solum in salvando *reliquias*, *et* parvulos, id est, paucos humiles, verum etiam in damnando superbos multos. Justum quippe est, ut deponam « potentes de sede, » et exaltem humiles (*Luc.* I, 52). Justum est, ut mites discipuli mei possideant terram (*Matth.* V, 4), et constituantur principes super omnem terram, atque nihilominus justum est, ut malos male perdam de terra illa eos ejiciendo, pro qua obtinenda me interfecerunt. *Ego* igitur in omni meo judicio, quo malos colonos male perdam, et vineam meam locabo aliis agricolis, *justus apparebo conspectui tuo*, Pater juste, quem mundus non cognovit, ego autem cognovi te. Proinde sicut justus prædicaris tu, Pater juste, qui exigente justitia, mundum te non cognoscentem damnas, me autem te cognoscentem et meos liberas et salvas : ita *ego* justi Patris *justus* Filius apparebo, eos damnando, qui me tuum Filium cognoscere noluerunt, et salvando illos, qui crediderunt et cognoverunt, quia « a te exivi (*Joan.* XVII, 8). »

In Hebræo habetur : *Ego in justitia videbo faciem*

Digitized by Google

tuam, implebor, cum vigilavero, similitudine tua. Quod ita exponi potest : *Ego*, qui nunc mortalis videor tibi Pater dissimilis, *cum vigilavero* in resurrectione, *implebor similitudine tua*, quia justus justi, æternus æterni, omnipotens omnipotentis Patris filius *apparebo conspectui tuo* et tuorum sive angelorum, qui desiderant in me prospicere, sive hominum sic me videntium, ut videant in me justo Filio te justum Patrem meum. « Beati qui esuriunt et sitiunt » videre atque gustare hanc « justitiam, quoniam ipsi saturabuntur (*Matth.* v, 6), » et ego *satiabor* in eis, dum manifestabitur *gloria tua*, Deus Pater, in me homine Filio tuo, ita ut « omnis lingua confiteatur, quia ego Jesus Christus in gloria tua sum (*Phil.* II, 11). » Tunc *satiabor* in me ipso, ac meis, *gloria tua*, tunc *implebor similitudine tua*, consummato in me, ac per me in meis, antiquo consilio, quo dixisti : « Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram (*Genes.* I, 26). » Nam et ego singulariter in mea persona videns te adimplebor *similitudine tua*, cum inter me ac te nulla erit gloriæ distantia, glorificata plene ac summe humanitate mea. Cum etiam reformabo corpora meorum in ultima die configurans ea corpori claritatis meæ, tunc *satiabor* in membris meis *gloria tua*.

Gloriam tantam esuriendo ac sitiendo in fine psalmi dicant omnes, qui sperant eadem gloria satiari : *Gloria Patri* cujus *gloria* in Filio manifestabitur ; *gloria Filio*, qui eadem *gloria* nunc in sua humanitate satiatus est, et in suis membris adhuc satiabitur ; *gloria Spiritu sancto*, qui est illa satietas gloriæ vel similitudinis divinæ, quam Christus a Patre accepit non ad mensuram, suisque promisit secundum mensuram donationis suæ.

PSALMUS XVII.

Diligam te, Domine, fortitudo mea. In hoc psalmo agit Christus iterum de morte sua, et de resurrectione sua, et quid utilitatis inde provenerit, et per quos, vel quomodo evenerit. Ait etiam de temporali et æterna retributione justorum, et de exteriori et interiori damnatione Judæorum, tandemque de obedientia et salvatione gentium. Habet autem in titulo sic (Vers. 1) :

IN FINEM PUERO DOMINI DAVID, QUI LOCUTUS EST VERBA CANTICI HUJUS IN DIE, QUA ERIPUIT EUM DE MANIBUS INIMICORUM EJUS, ET DE MANU SAUL.

David ipse est Christus vere manufortis, vere desiderabilis, ipse est puer *Domini*. Obedivit enim Domino Patri tanquam puer secundum formam servi. Illuc *in finem*, id est in omnimodam tendenti perfectionem attribuenda sunt *verba cantici hujus*. In die autem, *quia eripuit eum Dominus de manu inimicorum ejus, et de manu Saul*, quid est nisi in consideratione illius diei, qua resurrexit a mortuis ultra jam non moriturus : suscitando namque illum eripuit Dominus de potestate inimicorum, videlicet Judæorum et gentium, et de potestate mortis, quæ recte intelligitur per nomen Saulis, quod *petitio* interpretatur. Nam sicut illum contra voluntatem Domini populus petiit in regem (*I Reg.* VIII, 19), sic Adam, et Eva contra voluntatem Domini petierunt mortem. Regno autem accepto per peccatum « regnavit mors, » ait Apostolus, « ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ (*Rom.* v, 14), » quia vel infantes erant, et in sola originali culpa mortem incidentes in similitudinem actualis prævaricationis Adæ non venerant, vel justitiæ amatores erant, et ideo non erant in similitudine prævaricationis Adæ, justitiam contemnentes, et peccatum suum defendentes. Ad hoc regnum peccati et mortis, ad hoc regnum Saulis tyrannizantis destruendum, quia non sufficit Moyses, venit legitimus rex puer Domini David. Sic factum est in imagine umbræ, atque in ipsa rerum veritate. Regnavit enim Saul usque ad Moysen contemnendum, et quantum in ipso erat interficiendum. Dixerat Dominus in lege : « Principium gentium Amalec, et in fine perdentur (42) (*Num.* XXIV, 20). » Item ad Moysen : « Trade, » inquit, « hoc in auribus Josue, et scribe ob monimentum in libro : Delebo Amalec de sub cœlo (*Exod.* XVII, 14). » Cumque secundum hæc statuta Moysi præciperet Samuel Sauli in verbo Domini, ut deleret Amalec, ipse pepercit Agag regi Amalecitarum, et optimis gregum (*I Reg.* XV, 3). De quo peccato, de hac videlicet Moysi transgressione cum redargueretur a Samuele, culpam defendit, qua defensione quasi Moysen occidit. quia omnis, qui defendit injustitiam, quantum in ipso est, ipse occidit justitiam. Post hanc legis, et Moysi transgressionem statim audivit : « Quia projecisti sermonem Domini, projecit te Dominus, ne sis rex (*ibid.*, 23). » Item cum scidisset pallium Samuelis legem prædicantis, dictum est ei : « Scindet Dominus regnum a te, et dabit illud proximo tuo meliori te (*ibid.*, 28). » Sicut ergo litteralis ille Saul reprobatus est post Moysi transgressionem, sic post omnimodam legis transgressionem regno peccati reprobato suscitatus est electus puer Domini verus David, quem sic persecuti sunt ministri mortis, quomodo David persecuti sunt ministri Saulis. Tandem Saule mortuo, quia

(42) *Vulgata : Cujus extrema perdentur.*

Digitized by Google

mors mortua tunc est, quando Christus mors mortis resurrexit a mortuis (tunc autem plenarie mors mortis perficietur, quando in resurrectione universali tota vis mortis destruetur, nec ulterius aliquis morietur) nihil post hæc omnia restat, nisi diligere illum, qui ante omnia et super omnia dignus est dilectione. Unde per se, atque pro membris loquens dicit Christus :

Vers. 2. *Diligam te, Domine.* Ita « dilectio fortis est ut mors (*Cant.* viii, 6), » quia sicut contra mortem nullum valet medicamentum, quin tandem veniat omni homini mortali, quæ tardari quidem potest, averti autem penitus non potest : ita et vera fortisque ut mors dilectio, si turbetur, tamen nunquam excidet. Unde indubitantissime futuri temporis verbo enuntiatur illa dilectionis consummatio, quæ permanebit electis in futuro Saulis, id est mortis regno destructo. De hujus dilectionis igne inextinguibili hoc intelligitur, quod per Moysen de igne altaris dicitur : ignis iste perpetuus coram Domino, « quem nutriet sacerdos mane subjiciens ligna per singulos dies (*Levit.* vi, 12). » Cum ergo dicit Christus vere sacerdos magnus : *Diligam te Domine*, ignis in templo totius Ecclesiæ suscitatur, cui nutriendo, ne unquam deficiat, commemoratio multarum gratiarum per ipsius passionem et resurrectionem exhibitarum, quasi quædam lignorum congeries in cordis ara supponitur. Unde si volumus hoc igne illuminari et inflammari, non nos pigeat immorari meditationibus psalmi hujus, qui totus est veræ dilectionis quasi quibusdam scintillis plenus, dum talia Dei beneficia et mirabilia in eo commemorantur, per quæ fideles fideliter psallentes ad veram et æternam dilectionem inflammantur.

Christus ergo pro se ac suis de liberatione sua et suorum gratias agens dicit : *Diligam te Domine.* In illa die, quando Saul morietur, in consideratione videlicet resurrectionis, qua mortis imperium destruetur, ego in meipso, et in membris meis *diligam te*, atque ut hæc dilectio in æternum consummata permaneat, magna mihi dilectionis incitamenta sunt, quæ modo commemoro, scilicet, quod tu es Dominus meus, et ego servus tuus, cui dicis : « Ecce servus meus, quem elegi, posui super eum Spiritum meum (*Matth.* xii, 18). » Ideo tanquam servus electus *diligam te* Dominum meum legitimum. Insuper etiam propter hoc *diligam te, Domine*, quia cum ex natura humanæ conditionis essem infirmus, non dedisti mihi fortitudinem a te creatam, sed tu ipse mihi es fortitudo, et firmamentum. Fortitudo, ut ego puer tuus David contra spiritualem Philisthæum incircumcisum constanter pugnaturus incederem : firmamentum, ne pugna incepta deficerem, sed firmiter in pugna usque ad victoriam perseverarem, caputque illius amputarem, quod est « initium omnis peccati, superbia (*Eccli.* x, 15). » Ideo *diligam te, Domine, fortitudo mea.*

Vers. 3. *Dominus firmamentum meum, et refugium meum.* Cum enim se jactaret ille Philisthæus inimicus meus, et exprobraret agminibus Israel, neque mihi convenirent arma Saulis, arma videlicet legis, verbi gratia Sabbatorum observatio, sacrificiorum carnalium oblatio ad debellandum inimicum Israel, diabolum, tu mihi fuisti *refugium* in deserto luctanti contra illum, quando ad suggestiones ejus pessimas, videlicet gulæ, inanis gloriæ atque avaritiæ ad flumina Scripturarum tuarum refugiens inveni lapides divinæ ac fortissimæ auctoritatis, quibus illum stravi, dicens illi quod in Deuteronomio scriptum est : « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei (*Deut.* viii, 3). » Item : « Non tentabis Dominum Deum tuum (*ibid.* vi, 16). » Item : « Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies (*ibid.*, 13). » Tunc reliquit me incircumcisus ille tentator, et ex tunc fui liberatus, et liber ab hujusmodi suggestionibus. Propter hoc *diligam* ego liberatus te, *Liberator meus.* Liber quidem ex tunc fui a tentatione consummato jejunio quadraginta dierum, sed non diu fui ereptus ab ejus persecutione, vel insidiis malorum satellitum ejus Judæorum, contra quos ipse Deus meus, qui in eo quod homo sum, *Deus meus*, et Creator meus est, factus est *adjutor meus*, ut adversis non cederem, sed ea potenter superarem ; et ideo *sperabo in eum*, quia ex collatione præteritorum beneficiorum spes nata est futurorum, ut videlicet victor factus in meipso, victor quoque sim triumphaturus in quolibet membro, et electo meo, cum idem, qui est *Deus meus* potens ad me creandum, sit nihilominus potens ad me adjuvandum. *Deus meus, et adjutor meus, et sperabo*, meosque faciam sperare *in eum*, qui est *protector meus*, ne os comminuant in me agno paschali : *et cornu salutis meæ* ipse est, qui me fecit rhinocerotem, *cornu* singulare Divinitatis habentem, ac proin non timentem venatores, malignos videlicet angelos et homines, utpote habens Deum Patrem *cornu salutis*, cujus divina fortitudine contrarium diabolum, et peccatum potui ventilare ac dissipare, quod exinde est, quia ipse *Susceptor meus* est, qui me hominem suscepit in suum proprium filium, suscipiens me : « Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ (*Luc.* i, 54). » Ideo de liberatione, atque victoria mea non me jactabo, sed

Vers. 4. *Laudans invocabo Dominum. Laudans Dominum* de transacta victoria, *invocabo* eum in adjutorium mihi contra futura mala, vel jam imminentia pericula, quæ non sunt modica. Nam

Vers. 5. *Circumdederunt me dolores mortis, et torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* Cum duæ sint mortes ; altera, qua moritur anima, quæ peccaverit ; altera, qua moritur omnis caro mortalis : mors animæ *dolores* facit intrinsecos, quando separatur ab anima gaudium, quod est ipse Deus. Mors corporis *dolores* facit extrinsecos, quando separa-

Digitized by Google

tur a corpore Spiritus vitalis. Igitur ego alienus a morte peccatorum pessima, et intrinseca forinsecus in carne mortali *dolores mortis* habui, qui *dolores* exteriores mortis me non interius repleverunt, sed exterius *circumdederunt :* et quia « de torrente in via bibi (*Psal.* CIX, 7), » torrentes iniquitatis conturbaverunt me. Subitus namque ac cito transiturus iniquorum super me impetus, quasi torrens conturbavit *me*, ita ut dicerem : « Nunc anima mea turbata est (*Joan.* XII, 27). » Item : « Tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth.* XXVI, 38) : Cœpit tædere ac pavere (*Marc.* XIV, 13), » quia *dolores inferni circumdederunt me.* Tristitia namque ac tædium, seu pavor connumerantur inter pœnas inferni. Sed hæ pœnæ, atque hi

VERS. 6. *Dolores inferni circumdederunt me* forinsecus, quia securus eram intrinsecus potestatem habens ponendi animam in infernum propter liberandos inde meos, et potestatem habens iterum sumendi eam de inferno solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illam ab eo.

Enim vero licet essem a morte animæ inter mortuos liber, tamen *præoccupaverunt me laquei mortis* in membris meis per peccatum originale præoccupatis in morte gemina, videlicet corporum et animarum. Propter hos mea passione liberandos.

VERS. 7. *In tribulatione*, in ipsa cruce cum clamore valido preces offerens *invocavi Dominum* dicens : « Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? » (*Matth.* XXVII, 46.) Sic *ad Deum meum clamavi*, quoniam et ipsa mea passio fuit clamor dignus exauditione. *Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam.* Ego enim eram templum, ego sacrificium, ego sacerdos : ideo de meipso qui templum sum, *exaudivit vocem meam, et clamor meus*, qui erat intus *in conspectu ejus, introivit in aures ejus.* Quod in effectu patuit. Nam clamante me in cruce, *atque* inclinato capite spiritum emittente (*ibid.*, 50),

VERS. 8. *Commota est, et contremuit terra.* Terræmotus enim factus est magnus quia mortem meam clamabat mundus se sustinere non posse. *Commota est terra, et contremuit*, quia et ipse centurio terrenus videns hoc miraculum commotus fuit, et contremuit dicens : « Vere Filius Dei erat iste (*Matth.* XXVII, 54), » et alii multi moventes capita, et « percutientes pectora sua (*Luc.* XXIII, 48) » contremuerunt, quorum exempla multi sequentes tam ex gentibus, quam ex Judæis per pœnitentiam *fundamenta montium conturbata sunt* per timorem, et *conturbata sunt* ad pœnitentiam. *Fundamenta montium*, corda videlicet principum superborum *commota sunt, quoniam iratus est eis.* « Septem montes septem reges sunt, » ait angelus in Apocalypsi (*Apoc.* XVII, 9). Per septem reges universi hujus mundi principes intelliguntur, quia septenarius numerus universitatem solet significare. Isti reges, isti montes habent *fundamenta* mobilia, quia super arenam terrenarum concupiscentiarum innitentes necessario conturbantur, quando hæc temporalia, in quibus confidunt, variantur, et manifestata æternitatis veritate nihil esse demonstrantur. Ideo per doctrinam Evangelii Christi *fundamenta montium conturbata sunt, quoniam et iratus est eis*, quoniam innotuit eis ira ejus, qui venturus prædicatur judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

VERS. 9. *Ascendit fumus in ira ejus, et ignis a facie ejus exarsit. Fumus* lacrymosæ deprecationis et affectuosæ compunctionis tanquam fumus aromatum de cordibus pœnitentium, quasi de thuribulis ascendit in consideratione iræ ipsius, et eadem thuribula prius frigida, et *carbones* prius nigri et extincti *succensi sunt ab eo*, quid sunt enim affectiones humanæ ante accessum divinæ visitationis, nisi quidam carbones frigidi et nigri? verbi gratia, timor et amor in homine ante notitiam Dei sunt affectiones, quia cor humanum vehementer afficiunt, dum timentur non timenda, et amantur non amanda in cæcitate quadam tenebrosa, in qua humanæ affectiones, velut nigri et exstincti *carbones* minime lucent, quia neque lucem veritatis, neque calorem charitatis in se habent. At si accedat eis Deo aspirante agnitio veritatis et dilectio virtutis, tunc timor, qui erat in homine prius inordinatus, utpote anxius circa non timenda, sic ordinatur, ut non timeat non timenda, et ut hæc multum timeat, inflammatur terrore judicii divini. Similiter amor, qui erat in homine inordinate sollicitus circa non amanda, gratia divina sic ordinatur, ut amet amanda solummodo, atque ut hæc non tepide amet, inflammatur desiderio futurorum bonorum in regno cœlorum.

Quod autem de timore et amore diximus, hoc idem intelligi potest etiam de cæteris humanis affectionibus, quæ velut *carbones* inflammantur, quando per Dei gratiam bene ordinantur, ut videlicet non sit homini timor, nisi unde timendum est; non sit dolor, nisi unde est dolendum; non sit gaudium, nisi unde gaudendum est. Nam simpliciter timere, amare, dolere, gaudere humanæ sunt affectiones, sed hæ vertuntur in vitia, si gaudetur, unde non est gaudendum. Vertuntur vero in virtutes, si timentur timenda, diliguntur diligenda, dolentur dolenda, gaudentur gaudenda. Unde suboritur earumdem humanarum affectionum trimembris divisio. Nam simplices affectiones, quasi adhuc frigidi *carbones* neque ardent neque lucent. Vitiosæ autem affectiones ardent quidem, sed non lucent, quoniam ignis vitiorum, etsi facit in affectionibus calorem, non tamen tollit, sed auget nigredinem. Affectiones vero per divinam gratiam illuminatæ ardent pariter et lucent. Inde dicitur de Joanne Baptista, quia « erat lucerna ardens et lucens (*Joan.* V, 35). » Unde hoc, nisi quoniam *ignis a facie* Christi *exarsit* in Joannem ad salutationem mutuam Mariæ et Elizabeth, quando igne hoc succen-

Digitized by Google

sus « exsultavit » adhuc « infans in utero? (*Luc.* I, 41). » Sed et tunc *a facie ejus exarsit* in Joanne, quando apud Jordanem vidit Spiritum sanctum in specie columbæ, vocemque Patris audivit dicentis : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui (*Matth.* XVII, 5). » Carbo igitur Joannes ita succensus est ab eo, ut per illum carbonem succensum postea multi succenderentur, quando Evangelio coruscante Joannis testimonium de Christo est auditum non in Judæa tantum, sed in toto mundo. Igitur vere ac bene dicitur in hoc psalmo de David puero Domini, quia *carbones succensi sunt* ab eo, sive *carbones* intelligamus humanas affectiones, sive ipsos homines, de quibus bene candentibus ascendit *fumus* aromatum, id est odor virtutum ad honorem ipsius, cujus *a facie*, cujus a notitia *ignis exarsit*, quo *carbones* multi *sunt succensi*. De hoc igne ipse puer Domini dixerat in Evangelio : « Ignem veni mittere in terram (*Luc.* XII, 49). » Ignem istum voluit, et vult vehementer accendi, ut quisque suorum flagrans igne isto possit dicere : « Diligam te, Domine, virtus mea, » etc. Ideo propter hunc ignem dilatandum

VERS. 10. *Inclinavit cœlos, et descendit.* Nam cum in forma Dei esset rex angelorum, cœlestiumque virtutum omnium, primo *inclinavit cœlos* mittens ad infirmantis hominis visitationem cœlestes nuntios Michaelem, Gabrielem. Nam et Michael venit in adjutorium populo Dei, et Gabrielis ministerium tam in Danielis visionibus, quam in Evangelio est apertum, et sæpe cœlestes virtutes leguntur inclinatæ ad visitandas hominum infirmitates ante Christi adventum. Unde nunc dicitur : *Inclinavit cœlos.* Per cœlos enim cœlorum virtutes intelliguntur.

Verum quia per nullum angelorum potuit fieri humanæ salutis reparatio, tandem ipse *descendit*, quando a summo cœlo egressione facta, in utero virginis est incarnatus, et forma divinitatis exinanita forma servi est indutus. Non enim descendisse dicitur quasi de loco ad locum, quoniam in mundo erat, et mundus per ipsum factus est. Sed de alto claritatis paternæ ad susceptionem carnis de matre ad humilitatem perferendæ mortis pro mortuis nobis resuscitandis, ipse altissimus Altissimi Filius humiliavit semetipsum factus obediens pro nobis usque ad mortem, per quam *descendit* ad inferna : et ibi erat *caligo sub pedibus ejus*, quia illic ambulavit super aspidem et basiliscum conculcans leonem et draconem, id est universos principes tenebrarum. Et *caligo sub pedibus ejus*, etiam sub minimis vestigiis suæ virtutis, et suorum, quos de tenebris infernalibus liberavit.

VERS. 11. *Et ascendit super cherubim.* Nam qui descendit ipse est et qui ascendit *super cherubim*, id est super omnes virtutes cœlorum. Nam parte accepta pro toto, *Cherubim* intelliguntur omnes virtutes beatorum Spirituum, super quos exaltatus ascendit ipse, qui ad inferna descendit.

Vel in ipso inferno, ubi *caligo* erat *sub pedibus ejus*, ibi etiam *ascendit super Cherubim*, super electos videlicet illic detentos, in quibus erat plenitudo dilectionis, quæ per *Cherubim* significatur. Nam Cherubim dicitur *plenitudo scientiæ*, et plenitudo scientiæ est plenitudo legis, et « plenitudo legis est dilectio (*Rom.* XIII, 10). » Tunc ergo *super cherubim ascendit*, quando electis et dilectis in inferno lux vera Christus infudit se ipsam, vel etiam quando rediens ab inferis ascendit ad Orientem Sol verus clare illuminando suos discipulos propter dilectionis plenitudinem recte cherubim vocatos.

Aliter : Cum cherubim staret ante paradisum habens flammeum gladium ad prohibendum introitum peccatori (*Gen.* III, 24), et inobedienti homini, iste homo immunis ab omni peccato, consummata per mortem suam obedientia, potenter intravit paradisum, *ascendit super cherubim*, quia custos paradisi angelus reverenter se humiliavit quasi substratorium homini perfecte obedienti, et plenitudinem divinitatis habenti, qui se opposuit homini inobedienti et divinitatem perverse ambienti. Humiliavit igitur atque substravit se cherubim custos paradisi non locali submissione, quia spiritus non continetur vel movetur loco sensibiliter, sed spirituali humiliatione recognoscens paradisi dominum, qui et ipse potenter intrare, atque omnes electos, inter quos et latro pœnitens fuit, introducere potuit in paradisum exsultationis.

Aliter : *Ascendit super cherubim et volavit.* Cherubim quippe *plenitudo scientiæ* dicitur, super quæ Dominus ascendisse perhibetur et volasse, quia majestatis ejus celsitudinem nulla humana scientia comprehendit. *Volavit* ergo *super pennas ventorum*, quia longe in altum se ab intellectu nostro in divinitatem rapuit. Quantalibet enim plenitudine scientiæ quis fulgeat, nequaquam tamen apprehendere valet, quomodo factum sit, ut qui exstitit, conciperetur, et ante sæcula Auctor hominum nasceretur homo in fine sæculorum, Deus caro esset, Verbum infans fieret. Unde recte illic subditur : *Volavit super pennas ventorum.* Qui videlicet transcendit omnes intellectus animarum : ventorum quippe nomine pro velocitate sua animæ humanæ non inconvenienter accipiuntur.

Aliter : *Inclinavit cœlos*, id est a celsitudine contemplationis ad activum Verbi ministerium *inclinavit cœlos*, altissimos videlicet sanctos, quorum uni dicitur : « Petre, amas me. » cumque ille diceret : « amo te, » non semel, sed tertio, ut intelligeretur magna in eo cœlestis amoris altitudo; continuo de alto ad ima inclinatur, cum ei dicitur : « Pasce agnos meos (*Joan.* XXI, 17). » Item etiam alios *inclinavit cœlos*, et ipse prior *descendit.* Unde et dicit « Exemplum dedi vobis, ut et vos ita faciatis (*Joan.* XIII, 15). » *Et caligo sub pedibus ejus*, quia impii ac tenebricosi persecutores

Digitized by Google

pedum *ejus*, id est apostolorum, ipsi sunt *sub pedibus ejus*, quia licet electi videantur ad horam subjacere persequentibus, tamen per ipsos judicandus erit hic mundus. *Et ascendit super cherubim, et volavit* : quia suis dilectoribus esse se incomprehensibilem ostendit. *Volavit* etiam per famam velocissimam, quia ventos, quibus nihil est velocius, superat fama ejus. Nam in Judæa natus, mox in oriente magis per stellam novam est revelatus. In cruce moriebatur, et mortis ejus victoria in inferno sentiebatur. *Volavit* etiam in die Ascensionis visibiliter in altum propria virtute levatus in conspectu discipulorum.

VERS. 12. *Et posuit tenebras latibulum suum*, quia « nubes suscepit eum ab oculis eorum (*Act.* I, 9). » Tunc *posuit tenebras latibulum suum*, quia quod in ipso visibile fuit, in sacramenta transivit, in quibus non videtur, sed creditur latere; verbi gratia, in specie panis, ac vini species ipsius non patet, sed latet. Unde recte *posuit tenebras latibulum suum*, quia in sacramentis ad intelligendum valde obscuris absconditus est humano intellectui, sed non est absconditus rectæ fidei militantium sibi. Unde subditur : *In circuitu ejus tabernaculum ejus.*

Aliter : *Posuit tenebras latibulum suum;* quia per impios, qui tenebræ ac filii sunt tenebrarum, latenter operatur, quod vult. Nam et si non serviunt ei voluntate, attamen serviunt necessitate : et si voluntas ejus non fiat ab eis, fit tamen in eis et de eis. Sed felicius ei serviunt, qui voluntaria servitute militando ei *tabernaculum ejus* fiunt, de quo dicitur : *In circuitu ejus tabernaculum ejus.* Nam qui militant ei, ipsi et milites, et *tabernaculum ejus* sunt, et ipse in eis est sicut in figurali tabernaculo, quod dicebatur Sancta sanctorum, fuit arca fœderis, in qua erat manna. Ita nimirum *in circuitu ejus tabernaculum ejus*, quod dicitur Sancta sanctorum : Quia Ecclesia, in qua est verum manna, construitur de multitudine sanctorum, in quibus arca fœderis Christus conspicitur, verumtamen non clare in hac militia tabernaculo extenso, quod antecedit columna nubis, id est obscura doctrina prophetarum, quandiu nubes obumbrant ipsum *tabernaculum*, quia carnales et corporales phantasiæ obscurant spiritualem intellectum. Propterea dicitur : *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*, id est obscura scientia est in prophetis, vel etiam in ipsis apostolis, qui ut nubes volant, minis tonant, promissis rorant, miraculis coruscant. Propter hæc ipsa miracula dicitur :

VERS. 13. *Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt. Nubes* enim propheticæ doctrinæ in Judæa remanserunt, neque crebris miraculis illæ *nubes* fulguraverunt exceptis miraculis Eliæ et Elisæi, quorum scripta non habentur. Ideo scripta prophetarum nulla vel pauca miracula facientium remanserunt in Judæa. Scripta vero apostolorum pluribus miraculis coruscantium *præ fulgore* non potuerunt latere, vel in angustia Judaicæ plebis remanere, quia Christus in eis fulsit, qui est lux mundi, « lux » illuminans « omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I, 9), » ipse verus sol justitiæ fulsit in factis et miraculis apostolorum, qui tam leves, tam candidæ *nubes* fuerunt, ut non solum ipsæ ab ipso vero Sole illuminarentur, sed et per eos radii solaris fulgoris longe lateque diffunderentur. Ideo ipsæ *nubes* clarum splendorem Christi ferentes *præ fulgore ejus transierunt*, quia in sola Judæa non valentes latere ad gentes *transierunt*. Inter quas gentes erant ipsi apostoli *Grando*, iniquitates objurgando, *et carbones ignis* per ardorem charitatis. Per hoc erant *grando* : quia per eos,

VERS. 14. *Intonuit de cœlo Dominus*, terribile judicium comminando; et per hoc erant *carbones ignis*, quia ipse *Altissimus dedit vocem suam*, per eos videlicet, vocem jucunditatis, vocem exsultationis in promissionibus jucundis, Propter hoc ipsi apostoli sunt *grando et carbones ignis. Grando* verbum Dei repellentibus Judæis, et gentibus : *carbones ignis* ad amorem Christi devotis. Et quidem videntur contraria propter frigiditatem et calorem *grando et carbones* ignis : tamen ista contrarietas propter auditores diversos erat in apostolis, qui erant « aliis odor vitæ in vitam; aliis odor mortis in mortem (*II Cor.* II, 16). » Erant *grando*, quæ in montanis rigescit et in arvo liquiescit, quia superbos terruerunt et humiles consolati sunt; illos contuderunt per increpationis duritiam; istos rigaverunt quasi hortum deliciarum per suavem doctrinam, quam quidam repellentes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus. Contra hos ipse Christus

VERS, 15. *Misit sagittas suas, et dissipavit eos.* Ipsi apostoli, qui erant *grando*, erant etiam *sagittæ.* Nam *grando* quidem videtur sine ratione cadere. *sagittæ* autem diriguntur quadam rationabili sagacitate, ne in incertum feriant. Sic apostoli *grandini* sunt assimilati, quoniam stultorum sensui discursus eorum videbantur indiscrete fieri. Sed ipsi erant *sagittæ* per manum Domini rationabiliter directæ; sicut Paulus apostolus ostenso sibi per visionem viro Macedone « directus est in Macedoniam (*Act.* XVI, 9), » et Spiritus Domini prohibuit eum ire in Asiam, et cogentibus Judæis, ut appellaret Cæsarem, directus est Romam. Taliter ipse Christus contra inimicos suos *misit sagittas*, et *dissipavit eos;* quomodo per apostolorum Paulum dissipati sunt Pharisæi, et Sadducæi prius contra veritatem conglobati atque inter gentes per tales *sagittas* in domo una separati sunt filii a parentibus, et parentes a filiis et divisa est mater a filia et filia contra matrem, nurus contra socrum, « et inimici hominis domestici ejus » effecti sunt (*Matth.* X, 35, 36). Tales divisiones verus *David*, cui psalmus iste attitulatur, per hoc effecit, quod contra impios in malo prius consentaneos ipse *misit sagittas*, id est

Digitized by Google

evangelistas cum pennis virtutum recte volantes, *et dissipavit eos.*

Fulgura multiplicavit, et conturbavit eos. Fulgura miraculorum *multiplicavit*, et *conturbavit eos*, sicut in die Madian. Quemadmodum namque castra Madian conturbata sunt coruscantibus lampadibus in manibus trecentorum, qui erant cum Gedeone duce filiorum Israel (*Judic.* VII, 21) : sic et multo amplius castra impiorum turbavit Christus virtutibus, et prodigiis, atque signis micantibus in operationibus eorum, qui sunt consignati per Edem Trinitatis, quæ notatur in trecentis, vel per signaculum crucis, quæ item notatur in trecentis. Nam sicut apud nos V littera quinque, X littera decem, C. centum, I littera unum significat : sic apud Hebræos per figuram tau litteræ, quæ apud nos T litteræ formam obtinet, trecenti significantur, et figura crucis exprimitur. Ergo Christus verus *David sagittas suas* in pharetra suæ prædestinationis absconditas misit, id est misit in mundum universum contra impios, *et dissipavit eos. Fulgura* etiam signorum per fidem Trinitatis, et per signum sanctæ crucis *multiplicavit et conturbavit eos.* Cum enim *sagittas* illas emitteret, dedit eis potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent, dicens illis : Infirmos curate, mortuos suscitate, dæmones ejicite. Item : « signa, » inquit, « eos, qui crediderint hæc sequentur : In nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit ; super ægros manus imponent, et bene habebunt. Illi autem » velut *sagittæ* volantes, velut hastæ fulgurantes divina manu dirigente « profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis (*Marc.* XVI, 17, 18, 20). »

VERS. 16. *Apparuerunt fontes aquarum* salientium in vitam æternam, quas aquas ipsi apostoli de summo fonte Christo bibentes audierant : « Qui biberit » aquam, quam ego do : « non sitiet in æternum, sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* IV, 13 et 14). » Adhuc in carne manente Christo latuerunt isti *fontes aquarum*, sed eo in cœlum exaltato, et Spiritu sancto super apostolos effuso, illisque loquentibus magnalia Dei *apparuerunt fontes aquarum* in cordibus credentium, *apparuerunt* etiam rivi earumdem *aquarum* in ore loquentium diversis generibus linguarum.

Et revelata sunt fundamenta orbis terrarum, id est, scripta prophetarum, super quorum fidem fundatur *orbis terrarum*, id est Ecclesia toto *terrarum* orbe diffusa. Illa *fundamenta* prius velata, et nimis occultata per apostolos *revelata sunt*, verbi gratia : post effusionem sancti Spiritus dicente Petro : « Non enim sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia : sed hoc est » verbum, « quod dictum est per Joelem prophetam : Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ (*Act.* II, 15-17). »

A Sensus prophetiæ prius velatus, per evidentiam rerum est revelatus. Item in electione Mathiæ apostoli in locum Judæ apostatæ : « Scriptum est, » ait, « in libro Psalmorum : Fiat commoratio eorum deserta, et non sit, qui habitet in ea, et episcopatum ejus accipiat alius (*Act.* I, 20). » Cum sic prophetarum dicta factis conferrentur in his, quæ commemorata sunt, et in aliis multis, *tunc revelata sunt fundamenta orbis terrarum.*

Etenim in primordio nascentis Ecclesiæ ante plenariam revelationem istorum fundamentorum plures Judæi contenderunt, quod judæorum Deus tantum. Quibus ait Paulus apostolus : « An Judæorum Deus tantum? Nonne et gentium? imo et gentium
B (*Rom.* III, 29). » Sed quis Judæorum gentium saluti invidentium illud concessisset, si per dicta prophetarum Paulus hoc non probasset? Ait ergo : « Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones patrum ; gentes autem super misericordiam honorare Deum, sicut scriptum est : Lætamini gentes cum plebe ejus. » Et iterum : « Laudate omnes gentes Dominum, et magnificent eum omnes populi. » Et rursum Isaias ait : « Erit radix Jesse et qui exsurget regere gentes, in eum gentes sperabunt (*Rom.* XV, 8-12). » Cum igitur talibus prophetarum vaticiniis concordaret effectus veritatis in conversione gentium ad unius Dei cultum, liquido agnoscebatur, quod Ecclesia de toto
C terrarum orbe colligenda esset atque fundanda « supra fundamenta apostolorum et prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu (*Ephes.* II, 10). » Sic *revelata sunt fundamenta orbis terrarum.*

Ab increpatione tua, Domine, per ora prædicantium apostolorum. Et quia frustra doctoris lingua laborat, nisi adsit Spiritus, qui ubi vult, spirat, *revelata sunt* etiam, *ab inspiratione spiritus iræ tuæ* ; quoniam, cum lingua doctoris exterius increpante operabatur intrinsecus per gratiam *spiritus iræ tuæ* audientium corda humiliando ad timorem, qui est initium sapientiæ, ac nascitur ex consideratione *iræ tuæ*, qua in judicio irasceris eis, qui resistunt veri-
D tati. Nam ex quo aliquis veritati scienter resistit, ex tunc ira tua. Ideo *ab inspiratione spiritus iræ tuæ*, *spiritus* videlicet timoris, quo timetur ira tua, credibilia facta sunt prophetarum oracula de sancta Ecclesia per orbem dilatanda, et sic *revelata sunt fundamenta orbis terrarum* per Spiritum tuum.

Propter quod ego Ecclesia de Judæis, et gentibus collecta gratias ago ei, qui hunc Spiritum promisit et misit. Nam paulo antequam ascenderet hic puer Domini *David*, cui attitulatur hic psalmus, dixit discipulis suis : « Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria usque ad ultimum terræ. Et cum hæc dixisset, videntibus illis elevatus est (*Act.* I, 8 et 9). » Dextera igitur

Digitized by Google

Dei exaltatus, et repromissione accepta a Patre effudit hoc donum sancti Spiritus, quem

Vers. 17. *Misit de summo* sicut promiserat, dicens : « Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis (*Joan.* xv, 26). » Igitur *de summo* Patre *misit* Filius promissum paracletum. *Et accepit me* sponsam dilectam, et electam ante tempora sæcularia gloriosam Ecclesiam. *Accepit me*, id est acceptabilem sibi me fecit per fidem inspiratam de Spiritu suo. *Et assumpsit me* in hæreditatem suam, ut sim cohæres ipsius, et omnes filii mei de Spiritu suo regenerante mihi sponsæ generati sint hæredes quidem Dei, cohæredes autem ipsius Christi sponsi mei, qui Spiritum sanctum *misit de summo, et accepit me, et assumpsit me de aquis multis*, id est de populis multis electam et segregatam, atque de aquis baptismi sui regeneratam. Vel quia in cibis, et potibus, et variis baptismatibus pharisaicarum traditionum salus non fuit, *assumpsit me de aquis multis*, de variis scilicet baptismatibus dando unum solum baptisma suum, in quo salus est. Et hoc modo per suum baptisma, quasi per Rubri maris transitum.

Vers. 18. *Eripuit me de inimicis meis fortissimis*, de persequentibus me curribus invisibilis Pharaonis, de peccatis scilicet, quæ obruta sunt in baptismo tanquam in mari Rubro. De his *inimicis*, ante baptismi gratiam perceptam *fortissimis* contra legem naturalem et scriptam, quia lex infirmabatur per carnem, ita ut non posset de medio tollere inimicitiarum parietem; « ab his (*Rom.* viii, 3), » inquam, *inimicis fortissimis* per Spiritum sanctum in baptismo mihi datum *eripuit me*.

Et ab his etiam, *qui oderunt me*, a malignis videlicet spiritibus eripuit me, quia non solum currus Pharaonis, qui de rotis peccatorum et vitiorum compacti fuerunt, sed etiam exercitum ejus, qui de malignis angelis collectus ferebatur in talibus curribus, projecit in mare suffocans eos aqua et sanguine de latere suo profluente. Ideo ipse per se ipsum a talibus *inimicis eripuit me*, quia novit mihi vires contra eos defecisse, quos nec per legem naturalem, nec per legem scriptam potui superare.

Quoniam confortati sunt super me in actualibus culpis, *et prevenerunt* me in originali peccato, antequam nascerer in hunc mundum. Imo in primis parentibus meis, antequam intrarem sabbatismum. Ad hoc enim Deus me creavit, et multiplicavit in parentibus meis, quos bene condidit, et ut multiplicarentur, benedixit dicens : « Crescite, et multiplicamini, et replete terram (*Genes.* i, 28); » ad hoc, inquam, factum est hoc in die sexta, ut natura humana et benedicta multiplicatio ejus, consummata obedientia, in die sexta introisset in requiem diei septimæ, in qua requievit Deus consummatis mundi operibus. At ego in diem Sabbati non perveni tunc in parentibus meis, quoniam

Vers. 19. *Prævenerunt me in die afflictionis meæ. Prævenerunt me* pariter serpens Eva et Adam : serpens decipiendo, Eva illius deceptioni credendo, Adam consentiendo. *Prævenerunt me in die afflictionis meæ ;* quia ipsa dies conditionis facta est mihi dies *afflictionis*, cum in ipsis meis parentibus expellerer de paradiso, et subjicerer maledictioni peccatorum, et iræ Dei dicentis ad Adam : « Maledicta terra in opere tuo ; cum operatus fueris terram, non dabit fructum suum, sed spinas, et tribulos germinabit tibi (*Genes.* iii, 17, 18). » Item ad Evam : « Multiplicabo ærumnas et conceptus tuos, etc. (*ibid.*, 16), » sic *prævenerunt me in die afflictionis* intercludentes mihi diem Sabbati, diem exsultationis, quoniam usque ad illum non permanserunt in paradiso exsultationis.

Et factus est Dominus protector meus, etiam tunc inimicitias] constituendo inter feminam et serpentem, et semen feminæ ac semen serpentis, atque intercludens mihi viam ligni vitæ, ne, si inde comedissent homines miseri, esset eorum immortalis miseria et misera immortalitas; quemadmodum angelorum prævaricantium, qui propter suæ miseræ vitæ immortalitatem, non inveniunt reditum ad humilitatem et salutem. Ne itaque mihi similiter contingeret, *factus est Dominus protector meus* dando mihi tunicas pelliceas, id est, mortalitatem corporum, per quam fieret mihi medicina contra mortem animarum. Et in carcere mortalitatis diu quidem castigavit me, sed tandem in Christo, in homine videlicet sine peccato pro peccatoribus mortuo, ac sepulto, et usque in infernum humiliato, atque a mortuis resuscitato ipse Deus, qui me in eodem homine *accepit, et assumpsit de aquis multis*, ut prædictum est, ipsum Dei verbum incarnatum in carne sua jam glorificata, et clarificata, atque in throno paternæ majestatis collocata.

Vers. 20. *Eduxit me in latitudinem* æternitatis, de angustia temporalis mortalitatis. Hoc jam factum est in primitiis dormientium, in homine primogenito mortuorum. Unde quasi accepto pignore salutis in capite meo, dico fiducialiter de me novo novi capitis corpore, quod *salvum me fecit* configurans corpus humilitatis meæ corpori claritatis suæ. Quod ex eo concipio, et credo, *quoniam voluit me*, antequam ego vellem. Prior ipse dilexit me, atque voluit me gratuita sua benignitate in multis beneficiis prævenions me, fecitque, ut ego vellem ipsum, qui prior voluit me. Et ideo, quia nunc habeo ad ipsum cum bona voluntate fidem, ex qua justus vivit (*Rom.* i, 17), hoc spero quod Dominus, qui hanc fidem justificantem et ex bona voluntate operantem gratis dedit, ipse

Vers. 21. *Retribuet mihi* præmia æterna *secundum justitiam meam*, quæ est in fide ac bona voluntate; *et secundum puritatem manuum mearum*, quæ est in operatione, *retribuet mihi*.

Est autem in hoc loco secundum rationem fidei rhetorica oratio argumentose in quinque partes distincta; videlicet 1 propositionem; 2 rationem; 3 rationis confirmationem; 4 exornationem; 5

Digitized by Google

complexionem. Propositio est, ubi dicitur : *Et retribuet tibi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.* Quibus dictis hoc proponitur, quod gemina retributio, videlicet secundum *justitiam* fidei, et secundum opera in fide peracta sit a Deo debita. Ratio est, quod subjungitur : *Quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo.* Nam in his verbis ratio redditur, quod recte ita retributio quasi stola gemina debeatur ei, qui per fidem custodit vias Domini in voluntate, nec impie aliquid agens criminaliter offendit in opere. Rationis confirmatio est, quod sequitur : *Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo, et justitias ejus non repuli a me.* Per hæc enim dicta confirmatur et fidei circumspecta bonitas erga Deum, cui dicitur : *Omnia judicia ejus in conspectu meo*, et operationis puritas, cum dicitur, et *justitias ejus non repuli a me.* Brevis et splendida est exornatio, quod sequitur : *Et ero immaculatus ab eo, et observabo me ab iniquitate mea.* Nihil enim magis ornat præterita bene dicta et facta, nihil magis honestat bonum fidei affectum et boni operis effectum, quam bona et fidelis devotio ad permanendum et in melius proficiendum in bene cœptis ; quæ devotio hic exprimitur, cum dicitur : *Et ero immaculatus;* subauditur, in fide, *et observabo me ab iniquitate mea;* subauditur in opere. Tandem post propositionem, rationem, rationis confirmationem, exornationem, sequitur artificiosus terminus orationis dum repetita propositione fit complexio, qua finis orationis jungitur principio velut insolubili quodam argumentationis vinculo. Sicut enim in principio proposuit, sic et in fine concludit dicens : *Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam et secundum puritatem manuum mearum.* Determinatio est, quod adjicitur : *In conspectu oculorum ejus.* Determinatur enim hic justitia fidei, et puritas *manuum*, id est operum talis, qualem non habent hypocritæ, qui omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus, nec est illis cura de illa justitia, et puritate, *quæ est in conspectu oculorum Dei*, quibus oculis placere contendunt electi. Nunc redeamus ad seriem litteræ.

Salvum me faciet in futuro, *quoniam voluit me* in præterito. Vel, *salvum me* faciet vocando et justificando, magnificando, *quoniam voluit me* prædestinando. Hanc nimirum prædestinationem, licet non ex toto mihi revelet in hac vita, tamen per hoc eam innuit, quod justitiam fidei contulit nec petenti nec merenti. *Et* ideo scio, et firmiter propono quod qui tribuit justitiam fidei, ipse *Dominus retribuit mihi secundum justitiam meam*, retribuet gratiam pro gratia, pro fide videlicet pura præstans opera pura ; et postea *secundum puritatem manuum mearum*, id est operum, *retribuet mihi* beatitudinis æternæ sabbatismum, in quo non est operandum, sed vacandum et videndum, quam suavis est Dominus. Inde autem non superba præsumptione, sed humili et veraci confessione mihi vendico justitiam et *puritatem manuum.*

Vers. 22. *Quia* corde credens ad justitiam *custodivi vias Domini* tenendo et sequendo vestigia ejus, acquiescendo mandatis, et sperando in promissis ejus : *Nec impie gessi a Deo meo* factis illum negando. Quod si fecissem, nequaquam *puritatem manuum* habuissem. Nunc autem et vias ejus corde ad justitiam credens *custodivi :*

Vers. 23. *Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo ; nec impie gessi a Deo meo*, quoniam *justitias ejus non repuli a me. Omnia judicia ejus*, ex quo in eum credidi, præ oculis habui sciens, quod universæ viæ ejus misericordia et veritas, quod *omnia judicia ejus* justa sunt, quæ licet non sigillatim potui attendere, tamen ex quo illi firmiter adhæsi, universaliter et generaliter commemoravi, et *in conspectu* mentis judicia ejus quasi scripta semper habui corde credens ad justitiam, quod ipse secundum justitiam judiciorum suorum aliquoties occultorum, sed nunquam injustorum, disponit omnia ; sive præmia justorum, sive pœnas impiorum, sive flagella corrigendorum, sive tentationes probandorum, sive scandala reprobandorum. *Omnia judicia* Dei in talibus per hoc *in conspectu meo* habui, quod ex quo sapere potui, ea justa esse credidi, etsi pacem peccatorum videns pedibus cogitationum claudicavi, dum « pene moti sunt pedes mei, pene effusi sunt gressus mei (*Psal.* LXXII, 11), » ut aliquantulum hæsitarem quasi dubitans de justitia judiciorum Dei, tamen *in conspectu meo*, in oculis fidei hoc semper scriptum habui, quod *omnia judicia* Dei sunt justa, et omnes viæ ejus misericordia, et veritas. Unde licet pedibus cogitationum aliquoties offenderim, quando « zelavi super iniquos pacem peccatorum videns (*ibid.*, 3) » tamen *judicia ejus in conspectu meo* habui, et ad eorum rectitudinem gressus meos aut direxi, aut correxi. Direxi per diligentiam, vel distortos per negligentiam correxi per pœnitentiam.

Aliter : *Omnia judicia ejus in conspectu meo*, quoniam consideravi divina *judicia* tam præsentia quam futura, et vidi ea esse justa, vidi in eis esse *justitias.* Et has *justitias non repuli a me.* Non habui eas molestas, imo placuerunt mihi, et si aliquando easdem *justitias* impediente fragilitate perfecte non poteram exsequi ; tamen eas *non repuli* tanquam exosas, etiam cum graves eas habui tanquam onerosas. Sed etsi hactenus minus perfecte, nec satis recte ambulavi coram Deo in judiciis et justitiis ejus, amodo gratia ejus me custodiente cautus manebo.

Vers. 24. *Et ero immaculatus cum eo, et observabo me ab iniquitate mea. Ero immaculatus*, non quod carere possim in hac vita omni macula, sed quod nulla mihi dominetur persuasio dæmonum, « qui si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero ; *et observabo me ab iniquitate mea* (*Psal.* XVIII, 14), » vel eam non faciendo, vel si contra

Digitized by Google

propositum meum acciderit, veloci et fructuosa pœnitentia eam corrigendo. Et ideo jam non solum propter charitatis latitudinem, in qua fides per dilectionem operatur, sed etiam propter perseverantiæ longanimitatem.

A

Vers. 25. *Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum;* quæ justitia fidei et puritas operum est *in conspectu oculorum ejus.* Hanc enim vicissitudinem *justitia* fidei requirit, ut sicut omnia judicia ejus veraciter dixi esse in conspectu meo; sic et *puritas manuum mearum* sit *in conspectu ejus.*

Aliter: *Misit de summo, et accepit me, salvum me fecit, quoniam voluit me.* Ego David, puer Domini, mortuo Saule, id est mortua morte in resurrectione ab inimicis meis fortissimis liberatus, et de angustia sepulcri eductus in latitudinem regni paterni adoptatus meorum, nunc ago causam eorum, factus propitiatio pro peccatis eorum apud Patrem meum, quem scio, quod semper me audit in præsenti et in futuro, quod ex præteritis affirmo. Nam, antequam ego homo aliquid boni meruissem, ipse Pater summus *misit* Verbum suum de *summo*, id est de suo corde eructatum, et *assumpsit me* hominem in unitatem personæ Verbi sui, *de aquis multis*, id est unum electum ex millibus populorum; et in carnis mortalitate conversantem *eripuit me de inimicis meis fortissimis*, quando irruerunt in me fortes phrenetici volentes perdere me medicum de salute generis humani sollicitum. *Et ab his, qui oderunt me*, licet manus non injecissent in me dicentes: « Nobis non licet interficere quemquam (*Joan.* XVIII, 31), » tamen odio mortali oderunt me, persuadentes populo, ut Barabbam peterent, me vero perderent. *Quoniam confortati sunt super me*, quando infirmata est virtus mea, quando abscondita est fortitudo mea. *Prævenerunt me*, cum sponte mori vellem, ut mortem moriendo destruerem, et vitam resurgendo repararem, illi *me prævenerunt* cupientes animam meam tollere a me *in die afflictionis meæ. Et factus est Dominus protector meus;* ita ut nemo eam tolleret a me, sed ego eam posui, ego potenter moriens in manus Patris eam commendavi. Illi autem, studentes prævenire mortem meam spontaneam, miserunt milites, qui crura mea frangerent, et sic animam meam corpori meo extorquerent. Sed *factus est Dominus protector meus*, qui et in lege de me agno paschali præceperat dicens: « Os non comminuetis ex eo (*Joan.* XIX, 36), » et nunc ante crurifragium susceperat spiritum meum. Fregerunt autem crura latronum, unius pœnitentis, alterius impœnitentis. Ad me vero medium eorum cum venissent, invenerunt me mortuum, et ideo non fregerunt crura mea, hoc significante Spiritu sancto per non sanctos, quod sicut titulus victoriæ meæ capiti meo superpositus non esset abolendus, aut corrumpendus juxta desiderium Judæorum; ita per eorum velle non esset commutanda fortitudo crurum meorum, id est apostolorum, per quos portandus eram in omnem terram. Ergo *factus est Dominus protector meus*, et de angusto populo Judæorum fortibus et in infatigabilibus cruribus meis Evangelium meum et me portantibus *eduxit me in latitudinem* gentium, et *salvum me fecit, quoniam voluit me*, id est quoniam placui ei

B

C

De his antecedentibus meritis obedientiæ meæ quid sequitur? hoc scilicet, quod *retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam*, ut de me grano uno mortuo multus fructus fiat. *Et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.* Nam, quia orans, et me ipsum sacrificans in ara crucis puras manus levavi, *secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi* Pater, ut illæ manus expansæ omnia trahant ad me, sicut ego prædixeram dicens: « Ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum (*Joan.* XII, 32). » Quod inde est: *quia* ego *custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo*, sicut Adam, qui positus in paradiso, ut operaretur, et custodiret illum, non custodivit *vias*, id est mandata Domini, et *impie* gessit *a Deo* plus obediendo voci serpentis et uxoris suæ quam Deo. Ego autem *custodivi vias Domini* servando mandata, et « sicut mandatum dedit mihi Pater, sic fecit (*Joan.* XIV, 31); » *nec impie gessi a Deo meo* acquiescendo Satanæ promittenti mihi omnia regna mundi, ut ipsum cadens adorarem, et sic impie in Deum meum agerem, quod ego minime approbavi: *quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo, et justitias ejus non repuli a me.* Omnia judicia ejus erant in conspectu meo. Unde Satanæ tentanti vel Judæis irritantibus judicia divina in Scripturis expressa ita competenter objeci, ut et Satanas per Scripturas confutatus cederet, et dicerent adversarii: « Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? » (*Joan.* VII, 15.) *Et justitias ejus non repuli a me*, cum pro peccatis meorum flagellarer, justitia Dei exigente, ut nocens homo pœnas debitas non evaderet, nisi innocens homo pœnas indebitas ferens pro eo vapularet. Ego innocens et purus homo has *justitias ejus non repuli a me.* Retrorsum non abii, sed « corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me (*Isa.* L, 6). »

D

Et ero immaculatus cum eo, et observabo me ab iniquitate mea. Nam Judæi quidem putabant me « leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum (*Isa.* LIII, 4), » sed ego *ero immaculatus* ab omni lepra peccati *cum eo*, cum Patre videlicet meo sic justus, ut ipse est justus. *Et observabo me ab iniquitate*, quæ putata est *mea.* Vel *observabo me*, id est, meos *ab iniquitate mea* mihi imposita. Dixerunt enim esse me voracem, et potatorem vini, et seductorem (*Matth.* XI, 19). At ego non solum innocens et mundus sum a tali iniquitate, sed etiam *observabo me*, id est meos *ab iniquitate mea*, mihi videlicet imposita. *Et retribuet mihi Dominus* non solum in me ipso Resurrectionis et Ascensionis gloriam *secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum:* sed

Digitized by Google

etiam in omnibus membris meis *retribuet mihi*, ut et ipsi per me justificentur, et sint puri *secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum* pro modo suo conformes effecti mihi capiti suo, *in conspectu oculorum ejus*, quibus ipse discernit quos relinquit in sordibus, ut sordescant amplius; et quos justificet, ut justificentur amplius (*Apoc.* XXII, 11). In quo judicio tuo, Deus Pater, non eris, judex injustus, ut vel reprobes eligendum, vel eligas reprobandum. Sed

VERS. 26. *Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris, et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris, quoniam tu populum humilem salvum facies, et oculos superborum humiliabis.* Ne igitur te accuset, sed suam superbiam, si eum nondum sanctificasti, *quoniam tu oculos superborum humiliabis.* Nemo desperet se posse sanctificari, si vult humiliari, *quoniam tu populum humilem salvum facies.* Ideo *cum sancto sanctus eris* illum sanctificando amplius, qui per humilitatem, et per humilem peccatorum suorum pœnitentiam et confessionem jam sanctus esse cœpit. Illi *sancto*, id est humili tu *sanctus* videris, non ipse sibi sanctus videtur, ideo a te sanctus habetur, quoniam tu populum humilem salvum facies, *et cum* illo *sancto sanctus eris*, quia et tu illum sanctum facis cooperante suo libero arbitrio, et ille tibi sanctificatori adhærebit, nec a te resiliet per superbiam, quam si in eo conspiceres, utique illum in superbia perversum tu amplius pervertes; et sicut ille tibi *perversus* appareret, sic tu ei *perversus* videreris: quoniam *cum perverso* tu *perverteris*, id est *perversis* tu perversus videris. Dicunt enim: «non est æqua via Domini;» sed «nunquid est æqua via mea, et non magis viæ vestræ perversæ sunt? (*Ezech.* XVIII, 25.)» Tu hoc dicis, qui populum humilem peccata sua confitentem salvum facies, et oculos superborum de sua virtute gloriantium, et de justitia sua præsumentium tu humiliabis, quod faciendo *perversis* perversus videris. At tu *cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris, et cum electo electus eris:* quia qui sanctus est per humilitatem, hic tibi dicit: «Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis (*Psal.* CXLIV, 13).» Ita *cum sancto sanctus eris.*

Similiter, qui per humilitatem est *innocens* vera innocentia, qua nec sibi nec alteri nocet, ipse te prædicat innocentem, contestans quod tu es ille Deus de quo dicit Moyses famulus tuus: «Deus fidelis, et absque ulla iniquitate,» in quo non est iniquitas, justus et sanctus Dominus, *justus et rectus* (*Deut.* XXXII, 4). Ita *cum viro innocente innocens eris.* Et *innocens* prædicaris tu, cujus tanta est innocentia, ut penitus nemini noceas, et eos qui nocent non sinas nocere impune, nec alicui injuste noceri. Talis est enim tua innocentia, ut tu neque noceas, neque nocearis, nec aliquem vel injuste noceri, vel impune nocere patiaris. Nocentibus igitur, quos punis, non tu innocens videris, quia in te sæpe refundunt quasi fatalis cujusdam necessitatis culpam, qua meruerunt puniri, cum te immutabiliter omnia præsciente se putant quasi ex necessitate peccasse. Similiter illis, quos non injuste noceri permittis, tu non innocens videris interdum, quia culpant justum judicium tuum. Sed *cum viro innocente*, qui nec sibi, nec alteri nocet, *innocens eris*, et *innocens* prædicaris.

VERS. 27. *Et cum electo electus eris.* Id est ab eo quem eligis eligeris, et tu eligis eligentes te; sicut diligis diligentes te (*Joan.* XIV, 21). Nisi enim tu prior eligeres quos præscivisti eligendos, non essent qui te eligerent. Sed in eo ipso, quod de multitudine hominum tam paucos eligis, *perverso* perversus videris, et ita quantum ad suam æstimationem tu *cum perverso* perversus *eris.* At tu sanctus es, innocens es, rectus et electus es;

VERS. 28. *Quoniam tu populum humilem salvum facies, et oculos superborum humiliabis.* Ut humilis populus in te sancto sit sanctus, in te innocente sit innocens, et electus in te, qui es elector humilium, et electus eisdem humilibus.

Aliter. Sicut ego *David* supra dixi ex persona cujuslibet electi et perfecti: *Et ero immaculatus cum eo, et observabo me ab iniquitate mea, et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus:* ita etiam tu quilibet homo adhuc non habens perfectam sanctitatem; sed tamen habens ejusdem sanctitatis voluntatem, si adhæserebis Christo, qui est sanctus, innocens et electus ex millibus, *cum* ipso *sancto sanctus eris, et cum* ipso *viro innocente innocens eris, et cum* ipso *electo electus eris,* ut et tu dicere possis: *Et ero immaculatus cum eo, et observabo me ab iniquitate mea.* Et si adhæserebis diabolo vel Antichristo, cum ipso *perverso* perversus *eris.* Quod exinde proveniet, quoniam tu Deus Pater *populum humilem* humili Christo adhærentem et subjacentem *salvum facies: et oculos superborum* eidem Christo rebellium tu *humiliabis, et salvum facies populum humilem;*

VERS. 29. *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine,* vel Scripturas verbi tui, quod *verbum* est «lucerna pedibus meis (*Psal.* CXVIII, 104),» patefaciendo, vel prædicatores, qui sunt *lucernæ* ardentes, super candelabrum ponendo, quos ego videns illuminatos etiam pro mea illuminatione rogans dico:

Deus meus illuminas tenebras meas, ut vitiosi affectus mei, qui *tenebræ* sunt, a te *illuminentur*, et in virtutes mutentur, verbi gratia: concupiscentia mea per hoc tenebrosa, quod concupiscit non concupiscenda, sic illuminetur, ut solum et totum quod concupiscendum est concupiscens, ipsa lux nominetur a te, qui dixisti, «de tenebris lucem splendescere (*II Cor.* IV, 6).» Similiter ita mea per hoc tenebrosa et tenebrarum nomine digna, quod ipsa indignatur interdum etiam bonis, ita illuminetur, ut salvo amore hominum solis vitiis eorum indignetur zelum justum exercens cum dilectione homi

Digitized by Google

rum et odio vitiorum. Cæteræ quoque affectiones mentis meæ nimium tenebrosæ a te Deo meo, qui dixisti de tenebris lucem splendescere, sic illuminentur, ut «totum corpus» meum «lucidum sit, non habens aliquam partem tenebrarum, sed sit lucidum totum, et sicut lucerna fulgoris » illuminatum sit per intentionis meæ «simplicem oculum,» qui si fuerit perfecte « simplex, » et purus, «totum corpus meum lucidum erit (*Luc.* XI, 36),» neque mihi intrinsece illuminato forinseca tentatio prævalere poterit:

VERS. 30. *Quoniam* sic illuminatus *in te*, lux lucis, et fons luminis, *eripiar a tentatione* forinseca, luce fruens intrinseca: *et in Deo meo confortatus transgrediar murum* de duritia peccatorum meorum constructum inter me et ipsum Deum. Etsi non possum destruere ipsum *murum*, tamen Dei ope adjutus, *transgrediar* illum. Nunc inter me ac Deum quasi medius paries est peccatorum meorum dividens me a Deo meo, ita ut ego sim in uno latere muri hujus, cui peccatum adhuc placet, et sit Deus in altero latere, cui idem peccatum displicet. Prospicit tamen Deus interdum per cancellos (*Cant.* II, 9), et respicit per fenestras, jungiturque facies mea faciei ejus, dum mihi ex parte displicet, quod et ei displicet, videoque illum per fenestras, ubi paries peccati non continuatur, ubi per compunctionis cancellos lux veritatis ad cor immittitur. Sed hoc mihi non sufficit: peto, ut *transgrediar murum*, et sim totus juxta ipsum, accusans et improbans in me quod accusat vel improbat ipse in me, solumque ac totum illud mihi placeat, quod ei placet, ut mihi placeat: nec ipse jam per fenestras mihi loquatur, sed «osculetur me osculo oris sui (*Cant.* I, 1),» præbeatque se mihi fruendum per amorem continuum. Ne autem aliquis æstimet quod ejus amor admittat pollutionis maculam, hoc dico quod sequitur:

VERS. 31. *Deus meus; impolluta via ejus. Impolluta* dilectio ejus, qua venit ad me suam Ecclesiam, suam sponsam, quem cum amavero, casta sum, cum tetigero, munda sum, cum accepero, virgo sum. Sic *est impolluta via ejus*, et eloquia ejus non sunt turpia, imo turpitudinum omnium purgatoria et consumptoria; sicut ignitus calculus purgavit labia Isaiæ a pollutione (*Isa.* VI, 7).

Etenim ipsa *eloquia Domini igne examinata*. Sive unum eloquium, unicum Dei Verbum sancti Spiritus igne cum natura humana conflatum in unum electrum, non solum nihil habet in se impuritatis, verum et purificat omnem animam sibi credulam, sibi consentaneam. Et peccata quidem Deus igne tali consumit, ut ligna, fenum, stipulam; sed in se sperantium custodit ædificium, quia illi superædificant aurum, argentum, lapides pretiosos (*I Cor.* III, 12). Aurum sapientiæ in cogitatione vel contemplatione, argentum eloquentiæ in prædicatione, lapides pretiosos in splendida virtutum operatione.

Ideo ipse Deus *protector est omnium sperantium in se*. Protector videlicet in *igne* tribulationis, quo *examinata* sunt *eloquia* Dei, quoniam et ipsum Dei Verbum incarnatum fuit in tribulatione, atque prophetæ et apostoli verbum Dei, verbum vitæ continentes, et ipsi examinati sunt per ignem tribulationum. Similiter usque hodie omnes examinantur, qui verbum vitæ continentes ardent sanctitatis desiderio, lucent verbo et exemplo. Sed bonum habentes fundamentum fidei, spei et charitatis non superædificant huic fundamento stipulam inanium cogitationum, fenum carnalium locutionum, lingua mundanarum actionum, nisi forte ita parum, ut facile auferatur per ignem purgatorium; ipsi autem propter nobile fundamentum salvi sint, sic tamen, quasi per ignem evadunt per bonam spem in Deum, qui *protector est omnium sperantium in se*, atque solus est Deus, nec extra illum est alius.

VERS. 32. *Quoniam quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum? Quis Deus præter Dominum*, cui servimus? Et *præter Deum nostrum*, quem post servitutem possidemus in hæreditatem et in præmium nostrum? Multos deos fingunt sibi auctores idolorum: sed *quis deus præter Dominum*, qui dominatur in rebus? *aut quis deus præter Deum nostrum*, Deum Abraham, et omnium filiorum Abrahæ, inter quos computamur et nos per fidem, quam habemus in Deum nostrum? (*Gal.* III, 7.) Quod iste Deus noster sit solus Deus, cognosco non solum ex generalibus beneficiis, sed etiam ex specialibus mihi *David* collatis, quia ipse est

VERS. 33. *Deus, qui præcinxit me virtute.* Cum præcinctus fuissem gladio Saulis, non potui sic armatus incedere contra Philisthæum, sed his armis depositis *præcinxit me Deus virtute* fidei, qua crederem « omnia possibilia credenti (*Marc.* V, 22). »

Et posuit immaculatam vitam meam, ut dicerem, Philisthæo: « Tu venis ad me in gladio, et hasta, et clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti hodie: et dabit te Dominus in manu mea, et percutiam te, et auferam caput tuum a te, et dabo cadavera castrorum Philisthiim hodie volatilibus cœli et bestiis terræ, ut sciat omnis terra, quia non in gladio, nec in hasta salvat Dominus: » et noverit universa Ecclesia hæc, « quia est » Dominus « Deus in Israel (ipsius est enim bellum, et tradet vos in manus nostras) (*I Reg.* XVII, 45, 46 et 47). » Ut ex his dictis intelligi potest, *via* Philisthæi ad me venientis in gladio et hasta cum magna superbia fuit polluta via et maculata. Sed Deus meus, de quo supra dixi, *impolluta via ejus*, ipse *posuit immaculatam viam meam*, fide mundans cor meum, ut non pro meo, sed pro ipsius honore, in ipsius nomine venirem ad pugnam per *viam immaculatam*, per viam fidei, qua possibile credidi, ut virtute divina per me parvulum vinceretur, qui contra *Deum* et agmina ejus extollebatur.

Digitized by Google

Vers. 34. *Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum.* Ut fugiendo Saulem postea me persequentem sic fugerem per silvestria et montuosa loca tanquam agilis cervus. *Et super excelsa statuens me,* quando in Rama, quæ latine interpretata est *excelsa statuens me, præcinxit me.* Illuc enim ad me capiendum et perdendum satellites et nuntios miserat Saul (*I Reg.* XIX, 20, 21 *et* 23). Qui cum venissent, et cum cuneum prophetarum vidissent, prophetarunt et ipsi. Cumque plures nuntii missi fuissent, et omnes prophetarum cuneo se junxissent, venit tandem et ipse Saul, junctusque prophetis nudatus prophetavit protegente me Deo meo, qui *super excelsa* in Rama *statuit me.*

Vers. 35. *Qui docet manus meas ad prælium.* Et, quia præsens mihi est, ad ipsum conversus dico : *Et posuisti ut arcum æreum brachia mea,* quando brachiis meis, velut arcu æreo et fortissimo per fundam stravi Goliam, et manibus meis a te doctis ad prælium caput ejus amputavi proprio gladio ipsius.

Vers. 36. *Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ* contra insidias Saulis multas : *Et dextera tua suscepit me,* quia divina potentia tua servavit me inter multa pericula, quæ non ad perditionem, sed ad disciplinam sunt mihi a te provisa. *Et* in eisdem periculis *disciplina tua correxit me in finem,* in consummationem scilicet perfectam et finalem. *Et disciplina tua ipsa me docebit,* ut sim quasi discipulus humilis sub ipsius disciplinæ tuæ magisterio. Tandem Saule mortuo *dilatasti gressus meos subtus me,* subdens mihi regnum ejus : *et non sunt infirmata vestigia mea* tot persecutionibus me vexantibus. Unde permanente, vel etiam adaucta mihi fortitudine post mortem Saulis accepta regnandi potestate *persequar inimicos meos.* Persequar latrunculos, qui succenderunt Siceleg, et abduxerunt mihi duas uxores meas et multam prædam (*I Reg.* XXX, 8). *Persequar, et comprehendam illos, et non convertar, donec deficiant. Confringam illos, nec poterunt stare subtus pedes meos.* Et præcinxisti me virtute ad bellum, supplantasti insurgentes in me subtus me, et inimicorum dedisti mihi dorsum *et odientes me* de domo Saulis *disperdisti. Clamaverunt, nec erat, qui salvos faceret,* quia mortuo Abner non erat, qui staret pro domo Saulis (*II Reg.* III, 6). *Clamaverunt* tamen *ad Dominum* non habentes Deum alienum, *nec exaudivit eos. Et comminuam eos ut pulverem ante faciem venti, et ut lutum platearum delebo eos.* Etiamsi aliqui de populo Israel contradicent mihi, ut Seba filius Bochri, qui dixit : Quæ nobis pars in David ? *Tu eripies me de contradictionibus populi.*

Hucusque specialia *David* beneficia in littera *psalmi* denotata sunt. Nam quod sequitur : *Constitues me in caput gentium,* etc., litteralem historiam *David* superexcellens ad verum *David* pertinet. Neque enim ille *David* fuit aliquando constitutus in *caput gentium,* neque fuit rex gentium, sed solum Judæorum. Coacti ergo hic litteralem sensum dimittere, et ad verum David nos transferre, jam dicta *David* specialia beneficia Deo juvante repetamus, et in his Christi mysteria carpamus

Dicit ergo Christus verus puer *Domini David,* cui psalmus iste intitulatur : *Deus, qui præcinxit me virtute, et posuit immaculatam viam meam.* Deus Pater, meus vere Deus, qui me hominem *præcinxit virtute* Divinitatis. Nisi enim vere Deus esset, mihi virtutem Divinitatis conferre non potuisset. Nunc autem Verbo suo, virtuti suæ me hominem uniendo *præcinxit me virtute,* ut homo exiguus ita sim fortis, ut est ipse Deus fortissimus Pater meus, et Deus meus, et virtus mea, et fortitudo mea, cui dixit in principio psalmi : *Diligam te, Domine, virtus mea;* sive ut alia translatio habet : *Fortitudo mea.* Ipse est ergo *Deus, qui* divina *virtute præcinxit me,* et *posuit immaculatam viam meam,* ut sicut impolluta via ejus erat ad antiquam Ecclesiam sponsam suam quam casta dilectione amavit, quoadusque per virginem de ipsius impolluto amore concipientem, ego Filius ejus de illa sponsa natus sum, et novam Novi Testamenti Ecclesiam desponsavi mihi sponsam : sic etiam posuit immaculatam viam meam, ut et ego sine macula conceptus, et natus, atque in hoc mundo conversatus impolluta dilectionis via veniam assidue ad sponsam meam, gignentem filios mihi, de quibus dicam : non « possunt jejunare filii sponsi, quandiu cum illis est sponsus. Venient dies, cum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt (*Marc.* II, 19 et 20), » atque sic jejunantes, et ipsi quoque in via immaculata pariter ambulabunt ad honorem Dei Patris mei, qui *posuit immaculatam viam meam,* et meorum, de quibus alias dicitur : « Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini (*Psal.* CXVIII, 1). »

Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum. Cervus spinas, et hiantia loca transilit : sic ego transilivi peccatorum foveas et spinas, de quibus dictum est veteri homini : « Cum operatus fueris terram, non dabit fructum suum, sed spinas et tribulos germinabit tibi (*Genes.* III, 18). » Hujusmodi spinas ego transilivi, quia sine peccatis in hoc mundo conversatus inter mortuos liber fui, et liber ex hoc mundo ad Patrem transivi alta petendo sicut cervus. *Et super excelsa statuens me* ipse Deus Pater meus exaltavit me, et donavit mihi nomen, quod est super omne nomen (*Philipp.* II, 9), quantumlibet excelsum, sive dominationum, sive thronorum, sive principatuum cunctarumque virtutum cœlestium. Vel *pedes meos,* id est evangelistas, *perfecit tanquam cervorum.*

Cervi erant patriarchæ antiqui et prophetæ præcurrentes adventum meum, qui sum himnulus eorum cervorum. Illi cervi me nasciturum desideraverunt, quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum. Similiter apostoli et reliqui *pedes mei* antiquorum cervorum filii, desiderant secundum adventum meum, et in ipsis desideriis currunt obviam sponso, et sponsæ veloci, et forti agilitate,

Digitized by Google

sicut cervi tendentes ad excelsa, ubi ego sum, et super excelsa statuens me Pater meus.

Qui docet manus meas ad prælium, ut non solum sim fortis et potens in prælio contra Goliam antiquum, sed etiam sim cautus et doctus contra insidias in cunctis meis et meorum operibus, quibus fortis armatus est expugnandus.

Et tu, Pater, *posuisti ut arcum æreum brachia mea.* Prophetas, et apostolos, qui sunt *brachia mea*, tu *posuisti ut arcum æreum*, ne unquam lassentur a jaculatione verborum salutis. Vel martyres, qui sunt *brachia mea*, in quibus evidenter apparuit fortitudo mea tu *posuisti ut arcum æreum*, atque ante reges et præsides fecisti eos emittere acutissima jacula responsionum, cum interrogati confiterentur, cum etiam linguis privati adhuc loquerentur infatigabili fortitudine stantes et constantes in veritatis attestatione. Sic docuisti *manus meas ad prælium*, *et posuisti ut arcum æreum brachia mea* in tempore martyrum in procinctu positorum.

Et in tempore pacis *dedisti mihi protectionem salutis tuæ. Dedisti mihi*, id est meis confessoribus, in pace viventibus, *et* in pace morientibus, *dedisti protectionem salutis tuæ*, quibus licet arrideret prosperitas temporalis quasi blandimentum sinistræ tuæ : tamen in dextera tua, id est, jucunditas æternorum *et* futurorum bonorum, quæ sunt *dextera tua*, *suscepit me* id est meos confessores, meos amatores, meam Ecclesiam, meam sponsam, ita ut in temporalium contemptu et usu, atque in æternorum dilectione et fructu ornata veraciter dicere posset de me dilecto suo : « Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me (*Cant.* VIII, 3). »

Et si quando inter ipsa prospera contigerunt adversa propter me, id est, meos disciplinandos, disciplina tua non me fregit, sicut aridum lignum, quod si fuerit curvum, frangi potest, corrigi non potest : sed, quia ego sum viride lignum, de quo dixi in Passione mea : « Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? » (*Luc.* XXIII, 31.) *Disciplina tua* tunc in morte mea *correxit me* hominem per mortalitatis curvitatem ab immortalitatis rectitudine distantem. *Correxit* plane, quoniam ad immortalitatem provexit me *in finem*, in omnis consummationis finalem perfectionem. Sic etiam membris meis, quoniam ego lignum viride sum in eis, et ipsi sunt in me sicut palmites in vite; *disciplina tua correxit me*, id est ipsos meos *in finem*, id est in meam conformitatem, qui sum finis legis ad justitiam, qui « sum alpha et omega, principium et finis (*Apoc.* I, 8). » In arido autem ligno mihi non cohærenti, quid fiet? Utique non corrigetur, sed frangetur, et in ignem mittetur. Nam in tribulationis disciplina non flectitur ad patientiam, vel peccatorum pœnitentiam, sed frangitur ad impatientiam dans quasi sonitum sui fragor ipsa verba murmurationis in adversis. Ideo tu Pater, agricola es qui omnem palmitem in me virescentem per bonam voluntatem purgabis tribulatione vel tentatione, ut fructum plus afferat, ut fructum afferat in patientia. « Et disciplina tua ipsa me, » id est meos *docebit*, quia per tribulationem erudiuntur quasi per virgam disciplinæ, ut vivant disciplinate secundum formam doctrinæ sanæ. Ne autem sub hac tribulationum disciplina subreperet anxietatis angustia nimia.

VERS. 37. *Dilatasti gressus meos*, per charitatis latitudinem, dans inter ipsas tribulationes hilaritatem bonorum operum, quibus velut rectis *gressibus* itur in cœlum. *Ita dilatasti gressus meos*, non solum in me ipso, sed etiam *subtus me*, in membris meis. Vel *subtus me*, id est, etiam in temporalibus, quæ sunt sub sole, id est sub me. Nam et in his *gressus mei*, et etiam meorum dilatantur, quando mutabilis dispositio temporalium pia intentione in charitatis latitudine refertur ad inquisitionem æternorum. Igitur non impediunt carnales angustiæ, quia latam fecisti charitatem hilariter operantem etiam de his et in his quæ *sub me* sunt, mortalibus rebus et membris.

Et non sunt infirmata vestigia mea, id est itinera mea. Nam, sicut fortiter ambulavi in cœlo super aspidem et basiliscum, et conculcavi leonem et draconem, id est diabolum venenosum et rabidum, quando videbam ipsum Satanam sicut fulgur de cœlo cadere, non valentem viis meis resistere, non valentem caput erigere conculcatum per me : sic *non sunt infirmata vestigia mea* per carnis infirmitatem quoniam in deserto super ipsius tentatoris caput fortiter calcavi, et adhuc cum calco in membris meis, in quibus, licet infirmis, ego sum fortis, et in sacramentis meis, quæ *non* infirmantur etiam cum per infirmos ministros celebrantur, dummodo non sint a Deo damnati, ut desinant esse ministri, sicut simoniaci manifesti. Sint modo ministri habentes ministrationis officium sibi non interdictum, et erunt *firma vestigia* sacramentorum meorum ad conculcandum serpentem antiquum eadem virtute ac fortitudine, qua calcatus est in cœlo et projectus in terram vincente illum fortitudine mea per Michaelem : sicut nunc eum vincit fortitudo mea per legitimum et catholicum sacerdotium, significatum per Michaelem stantem ante altare aureum cum thuribulo aureo (*Apoc.* VIII, 3). In tali sacerdotio, per altare aureum et thuribulum aureum designato, *non sunt infirmata vestigia mea ;* quia fortia et victoriosa sunt sacramenta mea, in quibus imitationis meæ certa inveniuntur vestigia, quoniam habent sacramenta quamdam similitudinem rerum, quarum sunt sacramenta : ideo sunt in eis veneranda *vestigia mea*, qui sum veritas, verbi gratia, in specie panis agnoscitur similitudo meæ veritatis, qui sum verus panis angelorum, qui me comedunt sine velamine sacramentorum, et hominum, qui me comedunt sub velamine sacramentorum. Illi me comedunt panem solidum : isti me comedunt per sacramentum Incarnationis quasi versum in lac. Vel certe per sacramentum passionis in sartagine frixum, quando sicut in confrixorio confrixus sum juxta ritum sacrificii legalis, quod de simila munda oleo con-

Digitized by Google

spersa in sartagine calidum offerebatur (*Levit*, VI, 21). In hujusmodi sacramento *non sunt infirmata vestigia mea*, quoniam cuilibet me digne manducanti, etsi non verbis, tamen rebus dico : Cresce per hujusmodi quasi lacteum seu oleatum cibum, et adhuc perfectius manducabis me solidum cibum. Nec tu me mutabis in te sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. *Non* ergo *sunt infirmata vestigia mea*, dum quod fragili ministrorum celebratur officio, ita prodest ex fortissimo divinitatis meæ auxilio, ut sicut angelis me manducantibus imprimuntur indelebilia vestigia meæ conformitatis, ita fiat etiam hominibus me in sacramento altaris manducantibus, nec me in se mutantibus, sed in me panem sic transeuntibus, ut et ipsi sint unus panis, unum corpus, in quo *vestigia* meæ conformitatis per opera virtutum expressa inveniantur.

Similiter sentiendum est etiam de cæteris ecclesiasticis sacramentis, in quibus *non sunt infirmata vestigia* mea, quamvis eadem vestigia cupiant abolere inimici mei volentes potius me sibi quam se mihi conformari, volentes etiam membra mea mihi per virtutem sacramentorum incorporata sibi conformari per malitiam, et incorporari per mysterium iniquitatis, quod jam operatur in filiis diffidentiæ. At ego fortissimus gigas geminæ substantiæ, cujus non sunt infirmata vestigia, persequar geminata inimicorum meorum agmina, videlicet malignorum spirituum et malignorum hominum catervas expugnando.

VERS. 38. *Persequar inimicos meos, et comprehendam illos.* Contra invisibiles malignorum spirituum suggestiones ego dabo Spiritum sanctum electis meis, qui suggerat eis omnia quæcunque dixero eis, et sic per bonas cogitationes in cordibus meorum *persequar* malas et *comprehendam* illas vivas, *comprehendam* principes talium gentium, sicut quondam per famulum meum Josue comprehendi quinque reges alienigenarum, quos in spelunca comprehensos, et aliquandiu inclusos tandem produci fecit Josue atque productos occidit (*Jos.* x, 18, 22, 26). Sic ego verus Jesus *comprehendam* principales malignantium spiritus, et in spelunca cordium aliquandiu castigabo, dum eis effectus malitiarum denegabo, et tandem per confusiones foras productos interficiam omnino.

Et non convertar, donec deficiant. Non convertar ab hoc studio, *donec deficiant*, et omnes vires perdant. Quas ne possint recuperare, *confringam illos* more antiquorum, qui reos primo in cruce suspenderunt, et postea eorum crura fregerunt, ut juxta legis mandatum eadem die sepelirentur, qua crucifigerentur ; quod et factum est in latronibus, qui crucifixi sunt mecum. Sed crura mea non sunt fracta, quia *non sunt infirmata vestigia mea*, et ideo ego cruribus infatigabilibus *persequar* non solum, ut dixi, invisibiles inimicos meos, verum etiam visibiles, et *comprehendam illos*. Comprehendam astutos in astutia eorum, ut mihi nescientes et nolentes deserviant, et quæ moliuntur contra Evangelium meum, hæc magis ad profectum Evangelii perveniant. *Et non convertar, donec deficiant* vel per pœnitentiam, vel per pœnam, sicut deficit per pœnam inimicus meus Saulus, et factus est Paulus. Ita etiam a cæteris inimicis meis persequendis *non convertar, donec deficiant. Confringam illos*, quomodo confracta sunt crura duorum latronum alterius pœnitentis, alterius impœnitentis, me sic disponente, ut alterius per talem cruciatum in hac vita consummaretur pœnitentia, et alterius hic inciperet pœna in æternum permansura. Sic omnes inimicos meos *confringam*, alios ad salutem per pœnitentiæ contritionem, alios impœnitentes ad damnationem.

VERS. 39. *Confringam illos, nec poterunt stare.* Licet ad horam resistant, tamen *non poterunt stare*, ac durare contra me, sed *cadent subtus pedes meos. Cadent* sive per pœnitentiam, sive per pœnam prostrati. *Cadent subtus pedes meos*, id est apostolos, et alios apostolicos viros, quos ego constituam principes super omnem terram. *Confringam* quoque invisibiles inimicos dando virtutem electis meis, ut conterant Satanam sub pedibus suis. Ita diabolus ejusque satellites concupiscentiæ ac libidines aut errores *non poterunt stare*, sed *cadent subtus pedes meos*, etiam infirma membra mea, vel *subtus pedes meos*, id est sub virtutes meorum parvulorum, qui virtutibus velut pedibus speciosis ad me pergentes calcant eisdem pedibus super serpentes, et super scorpiones, et supra omnem virtutem inimici, et nihil eis nocebit.

VERS. 40. *Et præcinxisti me virtute ad bellum.* Superius dixi : *Deus, qui præcinxit me virtute* : nunc iterum velut repetendo id ipsum in gratiarum actione dico : *Et præcinxisti me virtute ad bellum*, quia sicut *me* in mea persona *præcinxisti virtute*, sic etiam *præcinxisti me* in meis tanta *virtute*, quanta sufficiat eis *ad bellum*, ad quod misi eos dicens : « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos (*Luc.* x, 3) : » Item : » Ecce, ego mitto vos sicut agnos inter lupos (*Joan* XVI, 33). » Item : « In mundo pressuram habebitis, sed confidite : ego vici mundum (*ibidem*). » Igitur hæc dicendo misi, et animavi eos *ad bellum*. *Et* tu, Pater, *præcinxisti me*, id est ipsos meos *ad bellum*, quando misisti eis Paracletum, per quem dedisti eis gladium spiritus, quod est Verbum Dei. Gladio isto super femur suum potenter accincti non timuerunt pericula mundi.

Et supplantasti insurgentes in me subtus me. Insurgentes in me, id est contra me, ac volentes esse super me, vel super meos, *tu supplantasti*, ut essent *subtus me* tam dæmones quam homines maligni, qui neque mihi, neque meis prævalere potuerunt, ut de me aut meis proficerent quod voluerunt : imo ego prævalui eis in me ac meis, ut voluntas mea perficeretur aut in ipsis, aut per ipsos et de ipsis ? In ipsis voluntas mea perficiebatur, si conversi sunt ad bonum : per ipsos et de ipsis voluntas mea perficiebatur, si perstiterunt in sua malitia ; nam per

Digitized by Google

ipsos exercitavi meos pro velle meo. De ipsis tandem factum est quod volui, quia, ligatis manibus et pedibus, missi sunt, quo ego volui, et ita semper *insurgentes in me subtus me sunt.*

A

Vers. 41. *Et inimicos meos dedisti mihi dorsum.* In Hebræo habetur : Inimicorum meorum *dedisti mihi dorsum*, ut videlicet non audeant mihi resistere, sed, aut humiliter sequuntur me, atque ita sunt *mihi dorsum ;* aut fugiunt a me, quorum fugientium *dedisti mihi dorsum;* ut ego eos persequens percutiam dorsa eorum, præcipue Judæorum qui me interfecerunt et dixerunt: « Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Matth.* xxvii, 25). » Illis præcipitatis in infernum, et supplantatis, ita ut *sub me* sint, sub meo videlicet judicio, in meo carcere ; adhuc percutio dorsa eorum, id est posteros et sequaces ipsorum, quibus imprecati sunt sanguinem meum, dicendo : *Sanguis ejus super nos et super filios nostros.* Nam inimici mei erant ipsi Judæi, qui me in ea persona occiderunt, quasi faciem suam ponentes contra faciem meam ; illi vero pro dorso eorum computantur, qui eodem spiritu malitiæ illis concorporati sequuntur eos, me ipsum non videntes, et tamen odientes. *Sed tu inimicorum meorum dedisti mihi dorsum*, gladiis et sagittis meis vulnerandum, quarum sagittarum acutissimæ atque ultimæ intelligi possunt hæc verba : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* xxv, 41). »

B

Et odientes me ipsos Judæos *disperdidisti* per exercitum Romanum ducibus Tito et Vespasiano. Non simplici perditione perdidisti eos, sicut olim per Ezechielem prophetam præsignasti dicens : « Et tu, fili hominis, sume tibi gladium acutum radentem pilos, et duc eum super caput tuum, et super barbam tuam, et assumes tibi stateram ponderis, et divide eos. Tertiam partem combures igni in medio civitatis juxta completionem dierum obsidionis, et assumes tertiam partem, et concides gladio in circuitu ejus. Tertiam vero aliam diperges in ventum, et gladium nudabo post eos. Et sumes inde parvum numerum, et ligabis eos in summitate pallii tui (*Ezech.* v, 1, 2 et 3). » Sicut præfiguratum, sic etiam adimpletum est. Nam gladius acutus radens pilos Romana potentia fuit, qua radente Judæi carentes vitali spiritu quasi pili superflui abrasi sunt a patriarcharum ac prophetarum vivo corpore atque ab ipso vitali eorum capite Christo, cui forinsecus adhæserunt, quandiu habentes templum Domini cæremonias legis tenuerunt. Civitate autem sancta cum templo destructa, ita ut non relinqueretur lapis super lapidem, et dispersis Judæis per omnes gentes tota barba est abrasa, et partim concisa gladio in civitate per civiles discordias partim combusta est igne conflagrante civitatem cum templo, partim fame interiit, quæ fames fuit gladius eis acrior gladio Romanorum, partim dispersa est in ventum ; et gladius nudatus est post eos, quia interfecti sunt plurimi eorum gladio ad spectaculum triumphale Cæsaris. Permodica illa particula barbæ, quam propheta jussus est ligare in summitate pallii sui, est illa portio reliquiarum, de quibus dicit Isaias : « Reliquiæ Israel salvæ fient. (*Isai.* x, 21). » Igitur, cum ita diversis cladibus exceptis reliquis me non odientibus, perirent me odientes Judæi, tu, Deus Pater, *odientes me disperdidisti.* Putabant illi quod me negantes te possent habere Deum pretectorem, sed non est ita, quoniam omnis, qui negat Filium, nec Patrem habet. At illi stulti propter fiduciam carnis, ac sanguinis Abrahæ perdita fide Abrahæ, qui exsultavit, ut videret diem meum (*Joan.* viii, 26), quem illi non libenter viderunt, et propter pulchrum templum.

C

Vers. 42. *Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret.* Licet enim templum sanctum habentes dicerent templum Domini templum Domini est, et in ipso templo a Romanis obsessi clamarent : tamen, quia me Dominum templi projecerant extra templum et extra civitatem crucifigendum, *non erat qui salvos faceret.* Quomodo enim salvarentur, qui me Salvatorem negaverunt, et Barabbam sibi elegerant : propemodum simile nefas usque hodie committunt, qui data sibi eligendi optione bonas personas nolunt eligere sibi ad principandum vel episcopandum, sed Barabbæ latroni similes faciunt sibi episcopos aut principes, quibus postea vexantibus eos, clamant, nec est qui salvos faciat eos : quemadmodum Judæi electores latronis, reprobatores Salvatoris vexante illos, ut Josephus refert, intra urbem latrocinio sicariorum, et foris latrocinio Romanorum *clamaverunt, nec erat qui salvos faceret. Clamaverunt ad Dominum*, cujus occiderant Filium, *nec exaudivit eos.* Qui me Filium negaverunt, *clamaverunt* ad Patrem Dominum, *nec exaudivit eos.* Clamant usque hodie sequaces eorum electores iatronum et reprobatores bonorum, *clamant ad Dominum*, cujus oderunt famulos, clamant, *nec exaudit eos.* Et ego judex vivorum et mortuorum *comminuam eos*, qui dixi tibi, Deus Pater : *Odientes me disperdidisti*, ut ostendam, quod quæ tu, Pater, facis, hæc et ego Filius tuus similiter facio. Nunc de me dico :

D

Vers. 43. *Et comminuam eos*, te illos dispergente. Quia una est mea et tua operatio, ego comminuam eos *ut pulverem ante faciem venti.* Ego enim ventilator ejus, ventilabrum in manu ejus est, ego judiciariam potestatem habeo, ego aream meam ventilabo et purgabo, et congregabo triticum in horreum meum : eos autem qui se dicunt Judæos, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ, vel qui se dicunt Christianos, et non sunt, sed sunt synagoga Barabbæ, tanquam *pulverem ante faciem venti* projiciam reputando inter gentes idola colentes, de quibus dicitur in Isaia : « Omnes gentes quasi pulvis exiguus, et quasi stilla situlæ, et quasi momentum stateræ, quasi nihilum et inane reputatæ sunt (*Isai.* xlvi, 15 et 17). » Ergo quasi pulverem exiguum, quem ventus dissipat, sic ego per ven-

Digitized by Google

tilabrum judiciariæ potestatis dissipabo eos, vel qui deos falsos, vel me Deum verum false colunt.

Ut lutum platearum delebo eos. Lata via sæculi habet *lutum*, multumque luxuriosis et immundis plena est. Hoc *lutum* delebitur, quia mundus transibit et concupiscentia ejus. Nec invenietur de luto concupiscentiæ mundanæ, vel de sordibus cœnosæ immunditiæ, in qua sues volutant se, vel modicum quid, quia mundus transibit totus, et concupiscentia ejus, et erit nova terra, et novum cœlum, in quibus justitia habitat, nihilque de luto sordium erit in ea, sed omnino de nova terra, in qua tunc fiet voluntas Dei sicut in cœlo, tolletur lutum omnium immunditiarum (*I Joan.* II, 17). Et tunc ego judex *ut lutum platearum delebo eos*, qui amant lutum, quibus, ut Petrus apostolus meus ait, convenit illud proverbium: « Sus lota in volutabro luti (*II Petr.* II, 22). » Peribunt enim tunc impii cum ipsa impietate per scopam judicii detersi, maxime a plateis Jerusalem, quæ sternentur auro mundo, nec in eisdem plateis audietur ulterius talis contradictio qualis audita est in terrena Jerusalem civibus ejus mihi contradicentibus et dicentibus: « Non habemus regem nisi Cæsarem (*Joan.* XIX, 15). » Tu enim Pater meus, et Deus meus.

VERS. 44. *Eripies me de contradictionibus populi* mihi contradicentis, et Barabbam latronem potentis. *Et constitues me in caput gentium*, ut sim *caput gentium*, rex gentium et desideratus earum, lapis angularis in caput anguli positus, copulator duorum parietum, id est fidelium Judæorum et gentium credentium, vel angelorum sanctorum et hominum justorum. Ita, Pater, *constitues me in caput gentium*, sicut ego veritas prædico futurum. Atque propter indubitabilem certitudinem enuntio quasi præteritum. Dico enim quod

VERS. 45. *Populus, quem non cognovi, servivit mihi.* Id est, absque dubio serviet mihi populus gentilis, *quem non cognovi*, quem non visitavi corporali præsentia, de quo dixi discipulis meis : « in viam gentium ne abieritis (*Matth.* X, 5), » quem neque per legem scriptam, neque per prophetarum oracula visitavi, cui ego non sum missus, qui non sum missus nisi « ad oves, quæ perierunt domus Israel (*Matth.* XV, 24). » Ille *populus servivit mihi.* Oculis me non vidit, sed per discipulos meos de me audivit, et in *auditu auris obedivit mihi.* Dixi enim discipulis post resurrectionem : « Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ (*Matth.* XVI, 15). » Hoc ante mortem meam non concessi, quando eis dixeram : « In viam gentium ne abieritis (*ibid.*). » Oportuerat enim Judæis, quibus eram promissus et missus, primo annuntiari verbum salutis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum, et propter collectionem et conversionem eorum qui erant filii Patrum et Patriarcharum. Sed his electis, et ad me collectis,

VERS. 46. *Filii alieni mentiti sunt mihi.* Filii solo nomine, sed *alieni* perversitate morum, quibus degenerayerant a nobilitate Patrum : *Filii* Patriarcharum secundum carnem, sed *alieni* propter fidei paternæ abnegationem : *Filii alieni*, quibus dixi : « Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite, » sed « quæritis me interficere, hoc Abraham non fecit. Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere. Ille fuit homicida ab initio (*Joan.* VIII, 39, 40, et 44). » Talia dicendo *filios alienos* designavi, qui *mentiti sunt mihi*, dicentes : « Magister, scimus, quia verax es, et viam Dei in veritate doces (*Matth.* XXII, 16). Vocabant me magistrum, cujus noluerunt esse discipuli. Vocabant me, Domine, Domine, et non fecerunt quæ dixi. Unde respondi eis inter cætera : « Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? (*Ibid.* XII, 34.) » « Quid autem vocatis me, Domine, Domine, et non facitis, quæ dico? » (*Luc.* VI. 46.) Parum est quod dico : *Mentiti sunt mihi.* Imo persistentes in odio veritatis et amore mendacii, mendacium non solum confinxerunt, sed et multa pecunia emerunt, loquentes militibus : « Dicite quia discipuli ejus furati sunt eum nobis dormientibus (*Matth.* XXVIII, 13). » In confirmationem hujus mendacii persecuti sunt apostolos meos, veros testes meæ resurrectionis, et ejecerunt eos de finibus suis. Ita pertinaciter *mentiti sunt*, qui cum patre suo diabolo in veritate non stante, et ipsi in veritate non steterunt, qui cum illo homicida et ipsi homicidæ in mea morte facti sunt, ut in mendacio, quod ex patre diabolo conceperunt, mallent perseverare, quam ad veritatem per apostolos meos contestatam redire per pœnitentiam. Ideo, dico quod illi *filii alieni* non solum *sunt mentiti*, sed in mendacio suo etiam *inveterati sunt.*

Petrus apostolus meus, et ipse ad horam fuit mentitus negando se nosse me, sed in mendacio suo non est inveteratus, quia post negationem trinam canente gallo, exivit foras, et « flevit amare (*Matth.* XXVI, 75), » atque postmodum firmus permansit in veritatis contestatione, in qua cum senuisset, alius eum cinxit, et pro veritate crucifixus (est). Revera senectus venerabilis erat Petri qui senuit in veritate. *Sed filii alieni mentiti*, et in mendacio *inveterati* omnino detestandi sunt, et justo judicio per me atque apostolos meos derelicti sunt, Paulo apostolo meo in quo ego loquebar, dicente : « Vobis oportebat primum loqui Verbum Dei. Sed, quoniam repulistis illud, et indignos vos judicastis vitæ æternæ : ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII, 46). » Hoc fuit justum judicium, ut illi desertores veritatis desererentur, et verba mea implerentur dicentis : « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta (*Matth.* XXIII, 38). » Neque enim apostoli priores desernerunt suos contribules, de quorum perversione multum doluerunt, sed ipsi apostolos projecerunt et viam veritatis, atque semitam rectitudinis, quam docebant apostoli, tenere

Digitized by Google

noluerunt, sed transversum abierunt *et claudicaverunt a semitis suis. Claudicaverunt* uno pede debiles Vetus Testamentum in carnali observantia tenentes, et Novum respuentes, litteram occidentem sectantes, et spiritum vivificantem non amantes, Dei traditiones negligentes, et suas tenentes, ore Deum Abraham invocantes, et factis illum negantes, Deum Patrem meum Deum suum dicentes, me Filium ejus Deum negantes. Ita *claudicaverunt a semitis suis*, quæ suæ deberent esse, a semitis videlicet veritatis, quæ promissa est *filiis* Abrahæ, quales ipsi deberent esse, et quales essent, si vere filii fideles cum fideli Abraham vellent benedici veritatem confitendo, atque dicendo :

Vers. 47. *Vivit Dominus, et benedictus Deus meus, et exaltetur Deus salutis meæ.* Et illi claudicando fatentur quidem quod mortuus sum, sed nolunt de me dicere : *Vivit Dominus.* Quia ergo illi *filii alieni mentiti sunt*, et in mendacio persistunt negantes me vivere, gentium populus, qui aliquando erat populus non meus, et nunc populus meus effectus, *in auditu auris obedivit mihi*, qui aliquando non misericordiam consecutus, nunc autem misericordiam consecutus veritatem recognoscit, ipse sciens me non solummodo mortuum, sed etiam resuscitatum ipse dicat : *Vivit Dominus.* Absque dubio, quem vos Judæi dicitis mortuum, jam vivit, et vita hominum cum eo surrexit. Nam « Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur : quod enim mortuus est, peccato mortuus est, quod autem vivit, vivit Deo (*Rom.* vi, 9 et 10). » Mortuus est ut homo, sed vivit ut Dominus. Mortuus ex nostra mortalitate, sed vivit Dominus in sua divinitate. Mortuus in forma servi, sed *vivit Dominus* jam totius creaturæ habens dominium. Unde et dixit : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* xxviii, 18). Igitur homo mortuus, et jam resuscitatus accepta potestate dominandi in cœlo et in terra *vivit Dominus;* vivit non quomodocunque, sed sicut Pater suus, qui solus habet immortalitatem, quam dedit et Filio propter homines homini facto et mortuo. « Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso (*Joan.* v, 26). » *Vivit Dominus* et vivificandi habet potestatem sicut Pater. Sicut enim Pater suscitat et mortuos vivificat, sic et Filius, quos vult, vivificat. *Vivit Dominus*, et jam non sola divinitas ejus est vivificatrix mortuorum, sed etiam caro ejus et sanguis, cujus communicatione vivificabuntur etiam corpora in resurrectione. *Vivit* ergo *Dominus*, quod ex effectu patet, quia Ecclesiam suam vivificat.

Vivit Dominus, et benedictus Deus meus, qui est omnium Deus per conditionem generaliter, ipse Deus *meus* est specialiter per vivificationem, et benedictionem, qua me vivificat Ecclesiam suam, ut ex ipsius fide vivam, et benedicit, ut fides mea fructificet. Primis hominibus benedixit dicens : « Crescite, et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris et volatilibus cœli, et bestiis terræ (*Genes.* i, 28). » Mihi Ecclesiæ sponsæ suæ, atque meis filiis, maxime illis quos operis sui vicarios constituit esse pastores et rectores minorum, similiter nunc benedicit, quibus non tam voce quam rerum efficacia dicit : « Crescite, et multiplicamini. » Crescite in profectu virtutum, et multiplicamini per virtutum exercitia et exempla multos convertendo. Ne sitis pauci. Crescite, ne sitis parvi merito : multiplicamini, ne sitis pauci numero. Et replete terram, ita videlicet, ut in toto terrarum orbe dilatemini, et tandem repleatis terram paradisi, terram promissionis, terram lactis et mellis, terram de qua ejecti sunt homines maledicti in primis parentibus, et in quam introductus est latro benedictus per me benedictum dicentem ei : « Amen, dico tibi, hodie mecum eris in paradiso (*Luc.* xxiii, 43). » Hanc terram vos replete, id est ita vivite in hac terra maledicta et spinosa, ut hinc exeuntes introeatis in illam terram benedictam, floribus et fructibus æternæ jucunditatis uberrimam. Interim vero, dum estis in terra maledicta, quæ habet bestias, volatilia et pisces, vos dominamini eis per virtutem benedictionis meæ, qua ego *benedictus* benedixi vos præ cunctis animantibus quæ moventur in terra. Nam vestra « conversatio est in cœlis (*Philip.* iii, 20) : » ubi me credentes esse dicitis :

Et exaltetur Deus salutis meæ. Quod enim vos creditis, hoc et aliis notum fieri optatis. Creditis, propter quod et loquimini, quod ego Deus vester sim Altissimus, Altissimi Filius. Unde tu, Ecclesia de gentibus collecta, cujus in typo una peccatrix femina volens me tangere audivit : « Noli me tangere : nondum enim ascendi ad Patrem meum (*Joan.* xx, 7), » nunc in alto me tangis, quia me Altissimum apud Patrem altissimum regnare credis. Et ideo dicis : *Exaltetur Deus salutis meæ.* Ille vivus, *et benedictus Deus*, qui est *Deus salutis meæ*, quia me vivificavit, benedixit, et salvat, ne benedictio ejus in me pereat, *exaltetur*, id est : Altissimus esse cognoscatur. Ipse enim *Deus salutis meæ*, ipse est Sol justitiæ, de quo scriptum est : « Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus (*Matth.* iv, 2). » Propter hanc sanitatem, quæ est in pennis ejus, in misericordia scilicet ac miseratione ipsius, sub quibus pennis speramus, dicitur *Deus salutis meæ*, Ecclesiæ videlicet ex gentibus collectæ, quam elegit non ex debito promissionis ut Israel puerum suum, quem suscepit. « sicut locutus est Abraham et semini ejus (*Luc.* i, 55), » verum ex magna misericordia et miseratione, in quibus, velut pennis æterni solis est mihi sanitas. Unde opto ut *exaltetur* iste *Deus salutis meæ*, ut *exaltetur* iste Sol justitiæ in altitudinem zodiaci sui, unde faciat per mundum universum dies æstivos, dies longos et claros, in quibus dicamus : « Hiems transiit, imber abiit et recessit. Flores ap-

Digitized by Google

parverunt. Vineæ florentes odorem dederunt (*Cant.* II, 11, 12 et 13). » Quasi depressus apparet iste Sol justitiæ in tempore hiemis imminente persecutionis tempestate. Unde natus in hunc mundum ad perferendas mortalitatis hiemales molestias velut hieme persecutionis Herodianæ, nec non etiam ad litteram in hiemali tempore non altius apparuit; sed « parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis (*Isa.* IX, 6). » Primogenitus vero mortuorum resurgens ex mortuis tempus æstivum dedicavit solemnitati suæ Resurrectionis et Ascensionis, et extunc in sua persona liber ab hiemis incommoditate adhuc interdum suis in hoc mundo laborantibus, et persecutoribus eorum regnantibus, apparet iste Sol justitiæ, quasi depressus in signis hiemalibus tempestates minitantibus. Propterea vel Ecclesia, vel B quælibet fidelis anima tempora optans meliora, diesque paschales et æstivos desiderans, dicit : *Vivit Dominus, et benedictus Deus meus, et exaltetur Deus salutis meæ.* Sic ego, qui veni benedictus in nomine Domini, vivus et benedictus, atque altus prædicabor in Ecclesia, et ego recognoscens mihi has laudes ex Deo Patre datas, illum benedico, atque illi dico :

VERS. 48 et 49. *Deus, qui das vindictas mihi, et subdis populos sub me, liberator meus de inimicis iracundis. Et ab insurgentibus in me exaltabis me, et a viro iniquo eripies me.* Sicut enim sancta optat Ecclesia meam exaltationem, sic tu, Deus Pater, perficis eam, *qui das vindictas mihi* contra dæmones C et principes eorum fœderatos, qualis fuit Nero et Decius, vel qualis fuit Arius et cæteri hæresiarchæ nulla digni clementia. Et ideo vindicta dura in eos facta est. Et principibus persecutionum vel errorum justa vindicta mutilatis, tu *subdis populos sub me*, quoniam tu populum humilem salvum facies, et oculos superborum humiliabis per debitas *vindictas*, quas *mihi das*, quia tu non judicas quemquam, sed judicium omne das mihi, « quia Filius Dei sum (*Matth.* XXVII, 43). » Et ideo per me hominem hominibus propitium sic temperatur *vindicta* mihi a te data, ut soli pertinaces et in malitia obstinati per terribiles pœnas vindictæ subjaceant, vindictæ sine misericordia, quia ipsi me ac meos judicaverant sine misericordia. Sed populus humilis ac sim- D plex, licet etiam ipse meruerit vindictam, tamen, quia non erat erga meos et me, sine misericordia, sic temperabitur in illum vindicta, ut eum non perdat, sed mihi subdat. Et hæc est pia vindicta, dum rebellis mihi subditur, te, Pater, operante, qui *subdis populos sub me*, ut super eos exalter ego *Deus* salutis *de inimicis* meis *iracundis* liberatus, *et ab insurgentibus in me* exaltatus, *et a viro iniquo* ereptus.

Sicut enim *Chaldæi tres turmas fecerunt* (*Job* I, 17), quando servum meum Job spoliaverunt, ita tres turmæ sunt inimicorum meorum. Una turma sunt Judæi, qui in iracundia terræ loquentes, et terram suam, seu terrenos quæstus amittere no- A lentes, in ira molesti erant mihi et apostolis meis, atque repleti sunt zelo iracundiæ, quando (ut in Actibus apostolorum legitur), videntes turbas gentium ad audiendum verbum Dei collectas, « repleti sunt zelo, et contradicebant his quæ a Paulo dicebantur, blasphemantes (*Act.* XIII, 45). » Zelo quippe invidiæ irascitur senior frater, id est Judæorum populus, de receptione adolescentioris, et semper invenimus Judæos impios irasci de gentium salute. Unde cum ego in Evangelio de gentium salvatione loquerer sub exemplo Eliæ ad gentilem viduam destinati, et Elisei Naaman Syrum gentilem curantis, illi odientes gentium salutem repleti sunt ira hæc audientes (*III Reg.* XVII, 10 ; *IV Reg.* V, 14). *Inimici* ergo mei *iracundi* sunt Judæi, de quibus constat una turma impugnantium me et Ecclesiam meam. Sed liberatus ego sum : liberabitur et Ecclesia sponsa mea, corpus meum, *de his inimicis meis iracundis*, propter quod dico in gratiarum actione laudans te Deum Patrem meum : *Liberator meus de inimicis meis iracundis.*

Altera turma sunt gentiles tyranni, et manifesti persecutores *insurgentes in me*, id est contra me. Sed ab his tu, Pater, *exaltabis me* ac meos, quia tanto mirabiliores elationes maris, quanto altiores procellæ diluvii super altissimos montes exundantis me verum Noe in arca mea pulsant, tanto altius a terra elevant ipsam arcam, sanctam videlicet Ecclesiam, in qua tu, Pater, *exaltabis me ab insurgentibus in me*, tandemque arca mea in altos montes elevata, et ibi locata deficient procellæ insurgentes in me.

Tertia turma sunt falsi fratres, qui speciem pietatis habentes, virtutem vero ejus abnegantes dicunt se Christianos, et non sunt; sed sunt synagoga ipsius Antichristi solo nomine Christiani dicti. De hac turma sunt hæretici, atque schismatici, et omnes iniqui et perversi, qui non de Judæorum vel gentilium turmis venerunt, sed ex nobis exierunt, quia non erant ex nobis. Isti sunt exercitus maledictus Gog et Magog. Nam per nomen Gog, quod interpretatur *tectum*, significatur agmen Antichristi adhuc *tectum* sub velamine ac specie pietatis in eis, qui nondum exierunt a nobis, et tamen intus tecti et occultati non sunt ex nobis. Per nomen vero *Magog*, quod interpretatur *detectum*, significatur agmen ejusdem Antichristi *detectum* et revelatum in his qui a nobis jam exierunt, quia non erant ex nobis. Nam, si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum. Sicut ergo Judæi fuerunt *inimici mei iracundi, et insurgentes in me* malignantes fuerunt paganorum principes, ita *vir iniquus* falsus Christianus est, sive adhuc intus tectus premat Ecclesiæ corpus, ut malus cibus, qui, cum digeri et membris incorporari non potest, premit pectus, donec per vomitum ejectus fuerit, sive jam foras egressus, et detracto sibi velamine malitiæ detectus Ecclesiæ corpus vexet exterius, ut verbi gratia simoniacus aliquis episcopus jam convictus

Digitized by Google

et depositus, aut certe alio modo revelatus atque detectus persequitur Ecclesiam, sicut Simon Magus fecit, qui per apostolum Petrum detectus factus est publicus hostis Ecclesiæ, quam persequi et infestare non cessavit, donec, orantibus apostolis Petro et Paulo, Ecclesiam suam Dominus ab illo eripuit (*Act.* VIII, 20). Unde contra illum, et similem illi quemlibet *iniquum virum*, sive tectum sive detectum Dominus orat prophetando, et prophetat orando ad Patrem dicens : *A viro iniquo eripies me.*

Igitur vox exsultationis et salutis in tabernaculis justorum est istud canticum, quod imminente passione Dominica cantari solet ad introitum missæ in quarta feria, quæ Palmas antecedit. Non enim plene celebrabitur Dominica Palmarum, nisi prius Ecclesia sancta obtineat plenum triumphum de omnibus inimicis, qui notantur his paucis verbis, dicente Christo, vel quolibet vero Christiano : *Liberator meus, de gentibus iracundis, ab insurgentibus in me exaltabis me, a viro iniquo eripies me, Domine.* In hoc enim brevi cantico notantur prænotatæ tres turmæ irascentium Judæorum, insurgentium paganorum, iniquorum Christianorum, sive intus latentium, sive foras projectorum. In Evangelio ejusdem officii tres illas turmas exprimunt Judæi. Cum enim ambulantem Jesum in porticu Salomonis circumdederunt ipsi Judæi dicentes : « Quousque animam nostram tollis? (*Joan.* IV, 24.) » grandem spirantes in his verbis iram suam, propriam expresserunt nequitiam. Cum vero « tulerunt lapides, ut jacerent in eum (*Joan.*, VIII, 59), » persecutores manifestos, paganos tyrannos præostenderunt. Quando autem speciem pietatis prætendentes dixerunt : « De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia . et quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum (*ibid.*, X, 33), » plane his verbis virum iniquum depinxerunt qui sub specie pietatis pietatem impugnans, cum sit contrarius Deo, tamen fingit se obsequium præstare Deo. Convenienter itaque contra istos tres hostium cuneos non solum in antedicto cantico ante sanctum Evangelium, sed etiam in offertorio, cantu post Evangelium prætaxatum clamatur ad Dominum liberatorem de *inimicis* iracundis, de insurgentibus paganis, de viro iniquo. Dicitur enim in offertorio : *Eripe me de inimicis meis, Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me, Domine.* Hic manifeste notati sunt inimici Judæi, qui manibus eum non crucifixerunt, sed gentibus tradiderunt, et insurgentes pagani, qui manus injecerunt ipsi et martyribus ejus. Quia vero « inimici hominis domestici ejus (*Mich.* VII, 6) gravius eum tribulant, contra virum iniquum periculosius tribulantem canitur versus offertorii talis : *Quia factus es adjutor meus et refugium meum in die tribulationis meæ, libera me.* Per diem namque tribulationis tempus notatur Antichristi, de quo legimus, quod tunc erunt tribulationes, quales non fuerunt ex quo gentes esse cœperunt (*Marc.* XIII, 19). Non enim unus Antichristus, sed antichristi multi sunt, et væ prægnantibus, et nutrientibus est in diebus antichristorum, qui dicunt se Christianos vel christos, id est unctos reges, et sacerdotes, et non sunt. « Dies tribulationis dies hæc, » ait ad Isaiam rex Ezechias, et quasi exponens ipsam tribulationis magnitudinem : « venerunt, » inquit, « filii usque ad partum, et virtus non est pariendi (*Isa.* XXXVII, 3). » Ideo, sicut ait Dominus, « væ prægnantibus (*Matth.* XXIV, 19) » est in istis diebus, in quibus venerunt filii usque ad partum, et virtus non est pariendi, quia, etsi sunt qui veritatem libenter audiant, desunt qui dicant : ideo virtus pariendi non est, quia rex Pharao interdicit obstetricandi officium, nisi forte illis obstetricibus qui omne masculinum interficiant (*Exod.* I, 16), et sic temporis hujus tribulationem non minuant, sed augeant, ut gens Hebræa dure afflicta magis attente clamet in die tribulationis cum Christo : *Liberator meus de inimicis meis iracundis, et ab insurgentibus in me exaltabis me : a viro iniquo eripies me.*

VERS. 50. *Propterea confitebor tibi in nationibus, Domine, et nomini tuo psalmum dicam.* Ego Christus propter omnia prænumerata beneficia mihi et membris meis exhibita, vel exhibenda, « confiteor tibi, Pater Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, pater, quoniam sic placitum fuit ante te (*Matth.* XI, 25 et 26). » *Propterea confitebor tibi in nationibus, Domine*, faciendo ipsas nationes tibi confiteri verbis : et *psalmum dicam* faciendo illas psallere, id est operari virtutum opera non suo nomini per famam dilatando, sed *nomini tuo* magnificando, ad cujus magnificationem dicetur a veris adoratoribus in spiritu et veritate adorantibus et magnificantibus te, Pater. Quid dicetur? Hoc scilicet :

VERS. 51. *Magnificans salutes regis ejus, et faciens misericordiam suo Christo David, et semini ejus usque in sæculum.*

Quod est dicere : Deus Pater jure magnificatur a populo suo, a populo Christiano, quoniam ipse est *magnificans salutes regis ejus*, qui admirabiles et magnificas facit salutes in populo suo, quas videlicet *salutes* rex ejus operatur, propter quas etiam *salutes* recte Salvator nominatur. « Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum (*Matth.* I, 21). »

Pater autem *salutes* istas *magnificans* ipse est etiam *faciens misericordiam Christo suo David. Christo*, id est uncto præ consortibus suis oleo lætitiæ Spiritu sancto et virtute. *David* manu forti contra inimicos, desiderabili suis amicis, est ipse Deus Pater *faciens misericordiam*, quia nulla merita hominis præcesserunt, ut homo sic in Deum assumeretur, et sic ungeretur, ut esset adeo manu fortis, ut de manu ejus nemo possit rapere, sicut de manu Patris nemo potest rapere.

Et semini ejus usque in sæculum facit misericordias ipse Pater misericordiarum, *semini* scilicet *ejus*, de quo promissum est in propheta : « Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæ-

Digitized by Google

vum (*Isa.* LIII). Huic *semini* longævo *usque in sæculum*, vel quia durabit Christianitatis cultus usque in finem sæculi, vel quoniam, transeunte mundo, Verbum Christi, quod est semen ejus, manet in æternum præsertim in terra bona, huic, inquam, *semini* mansuro *in sæculum* Pater faciet misericordias *in sæculum*, imo in æternum permansuras.

In Hebræo sic habetur : Propterea *confitebor tibi in gentibus, et nomini tuo cantabo magnificanti salutem regis sui, et facienti misericordiam Christo suo David, et semini ejus usque in æternum.* Cui versiculo sic potest adaptari extrema conclusio, ita ut dicatur : *Gloria Patri magnificanti salutem regis sui, facienti misericordiam Christo suo David, et semini ejus usque in æternum : Gloria Filio* regi Christo vero *David*, qui exiit seminare semen suum. *Gloria Spiritui Sancto*, qui est illa misericordia quam facit Pater *Christo suo David, et semini ejus in sæculum.* Amen.

PSALMUS XVIII.

Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

VERS. 1. IN FINEM PSALMUS DAVID.

Titulus patet. Ordo placet. Tribus namque psalmis præcedentibus commendata passione et Resurrectione atque Ascensione Christi, quæ salutis nostræ summa est, in qua fidei fundamentum constitit, quid dein actum sit, continuo subsequens hic psalmus edicit.

VERS. 2. *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.*

Nam *cœli* isti apostoli sunt, qui cum prius fuissent terreni atque infirmi, post passionem Christi, accepto Spiritu sancto, tales effecti sunt, ut recte dicantur *cœli*, recte vocentur *firmamentum. Non sunt*, ait, *loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Hoc enim illa die Spiritus sanctus fecit miraculum, ut in ore eorum omnium genera nascerentur linguarum. Talium cœlorum enarratio non in una tantum regione remansit, sed quid? *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Et quam Dei gloriam cœli isti enarraverunt? *In sole*, inquiunt, *posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Exaltavit ut gigas ad currendam viam suam. A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus, nec est qui se abscondat a calore ejus.* Exinde legem fidei scriptam digito Dei, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus collaudans dicit : *Lex Domini immaculata convertens animas*, etc., circa finem vero *psalmi* Propheta, vel quilibet sapienter psallens post gloriosam cœlorum collaudationem reversus in se ad suimet considerationem fundit orationem supplici-ter, qui comparatione cœlorum gloriam Dei enarrantium se cognoscit pulverem ac peccatorem terrenum. Unde dicit : *Delicta quis intelligit?* Et addit : *Ab occultis meis munda me*, etc. Nunc summatim perstricta serie totius psalmi redeamus ad principium, Domino favente latius exposituri sensum totius psalmi.

Lex oratoriæ dignitatis est, ut in publico auditorio loquentibus oratoribus facundis et ad persuadendum peritis, inter loquendum præbeatur summum silentium a circumstante vulgi corona. Verum, consummata oratione, præsertim in demonstrativo genere dicendi, si bene fuerit peroratum, populoque circumstanti persuasum quod intenditur, sive cum aliquis dignitate dignus commendatur, vel aliquis indignus confutatur, magnus clamor favorabilis in populo attollitur, quo peritia loquentium oratorum commendatur. Et sic non solum diserti oratores, verum etiam simplices adstipulatores merentur unam gratiam erga electum personam, quæ aliis facunde orantibus et persuadentibus, aliis prona voluntate assentientibus et acclamantibus fuerit commendata, quasi digna dignitate aliqua. Nihilominus etiam parem promerentur offensam apud personam indignam a dignitate repulsam et hi, qui eam loquendo confutaverunt, et hi, qui loquentibus prono clamore assenserunt. Una est amborum, loquentium scilicet et assentientium, gratia penes electum principem; sed honoris nonnulla distantia.

Igitur, ut nos vulgares cum cœlestibus oratoribus Christum regem in auditorio totius mundi commendantibus eamdem gratiam apud ipsum inveniamus, cum parvulo David primum dicat quisque nostrum : « Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me (*Psal.* CXXX, 1 et 2). » Quod est dicere : Non me præsumo connumerare magnis et mirabilibus cœlis gloriam Dei enarrantibus. At tamen acclamo, assentior, et ipsos magnos oratores magnifico, gloriamque ab illis mirabiliter, discrete, diserte laudabiliter, enarratam per hoc insinuo mihi gratam, et acceptam, quod ipsos prædicatores prædico dignos laude, dignos cœlorum et firmamenti nomine. Dico enim : *Cœli enarrant gloriam Dei.* Audivimus in magno hujus mundi oratorio magnos oratores magnifice loquentes, magnum regem commendantes, et gloriam ejus narrantes, quibus applaudimus, acquiescimus, quia non est contradicendi ulla facultas, ulliusve locus absconsionis ab

Digitized by Google

evidentia demonstrationis, quæ demonstrative loquentes, quod prædicant, monstrant. Ipsi enim, qui loquuntur, *cæli* sunt super omnem terram extensi, quia « extendens cœlum sicut pellem (*Psal.* CIII, 2), Fabricator orbis, eos extendit, quando eos quasi pellem de carne, id est de carnalibus desideriis et de carnalibus legis observantiis abstractos cœlestes fecit : imo fecit ut ipsi essent *cæli*, quorum conversatio sursum esset, quorumque conversatio nunquam erraret, sicut errant erraticæ stellæ sub cœlo positæ. Nam cœli, quantalibet currant velocitate, semper tamen sui cursus tenentes identitatem, nunquam admittunt erroneam varietatem, neque illis infixæ stellæ fiunt aliquando erroneæ, stationariæ, vel retrogradæ, sicut Lucifer, qui mane oriebatur, factus est retrogradus cum tertia parte stellarum, quas ille traxit post se in terram. Sed isti *cæli* firmati sunt verbo Domini, quod *enarrant*, non quærentes mundanam et vanam gloriam, sed *gloriam Dei*. Nam, quia solius gloriæ Dei appetitu aguntur isti *cæli* circa orbem terræ, ideo *enarrant gloriam Dei*, quia verba quæ in eis tonant, et signa quæ in eis coruscant, gloriam Dei non simpliciter *narrant*, sed *enarrant*, id est perfecte et expresse narrando nuntiant.

Hos cœlos rationabiles et eloquentes muti cœli præfiguraverunt, qui nato Christo protinus stellam miserunt, per cujus excellentem et novam claritatem *Gloriam Dei* enarrantem instructi sunt reges gentium ad gloriam Dei agnoscendam in puero, cujus eadem stella mancipata fuit obsequio. Isti autem *cæli* magnificentius per omnes gentes *gloriam Dei* enarraverunt, quando Paulum apostolum segregatum a cæteris apostolis ad evangelizandum gentibus ipsi apostoli miserunt. « Qui enim operatus est Petro in apostolatu circumcisionis, operatus est et » Paulo « inter gentes (*Galat.* II, 8), » et illæ cognoverunt gratiam et gloriam Dei, quia per illius clarissimum Evangelium *cæli* enarraverunt *gloriam Dei*.

Adhuc usque in finem sæculi *cæli enarrant gloriam Dei*, quia eorum doctrina fulget Ecclesia, sicut a cœlo illuminatur terra, vel potius, ut sole luna illustrata fulget. Si enim per cœlos insensibiles « gloria » factoris quodammodo « enarratur, » dum « invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur (*Rom.* I, 20) : » quanto magis per istos cœlos rationabiles, in quibus Christus habitat Sol justitiæ, de duodecim apostolis quasi duodecim signis benedicens coronæ anni benignitatis suæ (*Psal.* LXIV, 12), » faciensque annum placabilem istud gratiæ tempus, in quo iidem apostoli quasi duodecim signa solaris circuli ipsum Solem justitiæ repræsentaverunt in toto orbe? Unus cœlorum istorum gloriam Dei enarrans : « Vidimus, » inquit, « gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratia et veritate (*Joan.* I, 14). » Et alius : « Majore, » inquit, « gloria iste præ Moyse dignus habitus est, quanto majorem gloriam domus habet, qui fabricavit eam (*Hebr.* III, 3). Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tanquam famulus in testimonium eorum, quæ dicenda erant, Christus vero tanquam filius in domo sua quæ domus sumus nos. Item alibi ait : « Quod si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria, ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur, quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria? » Quod « si ministratio damnationis in gloria est, multo magis abundat ministerium justitiæ in gloria (*Cor.* III, 7, 8 et 9). » Item Joannes Evangelista magnificus enarrator gloriæ Dei, cum enarrasset ipse gloriam Dei in Novo Testamento tanquam in uno cœli hemisphærio, lucens de Veteri Testamento tanquam de altero hemisphærio ad ejusdem gloriæ Dei enarrationem sociavit sibi velut stellam clarissimam Isaiam prophetam, cujus testimoniis introductis de obcæcatione Judæorum adjecit : « Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam Dei (*Joan.* XII, 41). » Quam autem Dei gloriam viderat Isaias, quando hæc dixit de Judæis : « Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava? (*Isa.* VI, 10.) » Plane cum hæc diceret Isaias, vidit gloriam Dei sicut Joannes testatur. Et hæc erat gloria, quia « vidit Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et plena erat omnis terra gloria ejus, et ea, quæ sub ipso erant, replebant templum (*ibid.*, 1 et 2). » Solium excelsum est angelica natura, cujus inter agmina excellentiora sunt cherubin atque throni. Et quis est iste Dominus sedens super solium excelsum, nisi homo Deus in dextera Dei sedens super Cherubim, et super thronos, et super omnes virtutes cœlorum, quibus una cum Patre Deo præsidet in Deum glorificatus hŏmo? Nonne magna est gloria, quod in hoc excelso throno videmus virum, quem adorat multitudo angelorum? Solium vero elevatum dicimus chorum apostolicum de imo terræ sic elevatum usque ad summorum angelorum consortium, ut et ipsi apostoli sint throni cœlestes, in quibus Christus sedet judicia sua exercens, ita ut ex apostolorum doctrina plena sit omnis terra, omnis et tota Ecclesia gloria ejus, quia gloriæ ipsius militant omnia, dum ei omne genu curvatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, nullo cœlestium nolente, nullo terrestrium vel infernorum valente ullatenus impedire processum et consummationem gloriæ Dei, quam *cæli enarrant* verbis contonando, signis coruscando, gratia rorando, dum, sicut in Osea legitur : « Cœli exaudient terram, et terra exaudiet triticum et vinum, et hæc exaudient Jezrahel (*Ose.* II, 21 et 22). » Delectat in hoc tempore Dominici adventus, quod nobis inter scribendum annua celebritate revolvitur, istud commemorare, quod cœli exaudient terram, dum clamatur per omnem terram, per omnem Ecclesiam ad ipsos cœlos. Quid clamatur? Hoc scilicet : « Rorate, cœli desuper, et nubes pluant Justum, aperiatur terra, et germinet

Digitized by Google

Salvatorem, et justitia oriatur simul (*Isai.* XLV, 8). » Multa sunt, in quibus isti *cœli enarrant gloriam* Christi, vel qua ipse Patrem glorificavit super terram, vel qua eum Pater glorificavit seu clarificavit, quod utrumque in Græco Evangelio Joannis per unum verbum significatur δοξάσαι (43) (*Joan.* XVII, 5). Glorificavit igitur, seu clarificavit eum Pater apud semetipsum gloria et claritate, quam habuit, priusquam mundus esset, quia eam claritatem et gloriam in humanitate sua nunc habet, quam in divinitate habuit, priusquam mundus fieret. Verum, quia nos de gloriæ cœlestis enarratione vix possumus cœlos enarrantes intelligere propter gloriam vultus Christi, quæ non evacuatur, etiamsi a nobis non intelligatur, quasi lassatis oculis præ claritate vultus Christi paululum declinato intuitu nostro videamus *opera manuum ejus*, quæ familiari alloquio *annuntiat firmamentum*.

Non solum enim *cœli enarrant gloriam Dei*, sed, *et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Firmamentum* sunt idem, qui *cœli:* nam « verbo Domini ipsi cœli firmati sunt (*Psal.* XXXII, 6) : » et nomen firmamenti accipiunt, quia « fortes facti sunt in bello, et castra verterunt exterorum (*Hebr.* XI, 34) » opera manuum Dei annuntiando in toto mundo. Si enim solam gloriam Dei enarrassent, verbi gratia, dicendo : « In principio erat verbum (*Joan.* I, 1), » et cætera talia, nullos vel paucos in mundo contradictores habuissent pro enarratione cœlestis gloriæ Dei. Sed, quia *opera manuum ejus* fuerunt per eos annuntianda, præcipue singulare opus manuum ejus, quod operatus est in cruce, quando expansis in ipsa cruce manibus omnia traxit ad se, necessaria illis fuit sancti Spiritus confirmatio, ut non erubescerent Evangelium Christi in his operibus manuum ejus, in quibus « Judæis » erat « scandalum, gentibus autem stultitia (*I Cor.* I, 23). » Sed « beatus est, » ait ipse Christus, « qui non fuerit scandalizatus in me (*Matth.* XI, 6). » Atque stultum Dei sapientius hominibus, et infirmum Dei fortius hominibus esse affirmat *firmamentum*, cujus firmamenti vox est quasi « vox tonitrui in rota (*Psal.* LXXVI, 19), » ubi dicitur : « An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus? » (*II Cor.* XIII, 3.) Item, « quando, » ait, « infirmor, tunc fortior sum et potens (*II Cor.* XII, 10). » Istud *firmamentum* in circuitu ab Jerusalem usque ad Illyricum replevit evangelicæ vocis tonitruo mundum circumactione forti admodum firmamenti firmiter currentis in circuitu mundi cursu mirabili et intardabili, quanquam erraticæ stellæ videantur eidem cursui fortiter obniti, sicut notum est computistis astruentibus cursum planetarum ab occidente per orientem ad occidentem, et cursum firmamenti ab oriente per occidentem rursus ad orientem. Talis fuit cursus Pauli apostoli currentis ad similitudinem firmamenti, quoniam a Deo missus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per revelationem Jesu Christi ad ipsum Deum redire festinavit cupiens « dissolvi, et esse cum Christo (*Philip.* I, 23), » cursu consummato quasi per occidentem, id est, per temporalium administrationem, et ad orientem, id est ad æternæ lucis contemplationem. At ejus cursui videbantur obniti ministri Satanæ transfigurantes se in angelos lucis, pseudoapostoli et falsi fratres, qui de occiduo mundo erant, et de mundo loquebantur, et ad mundum currebant, quia mundus eos audiebat, qui tamen quasi per orientem cucurrerunt ad occidentem, quia per spiritualium officiorum administrationem intenderunt mundanorum acquisitionem. Nihilominus tamen Paulus cæterique apostoli, cursu consummato et fide servata, digni habiti sunt non solum nomine cœlorum, sed etiam nomine *firmamenti*, quia non solum ad enarrandam gloriam Dei Spiritus sancti illustratione sunt perfecti et ipsi cœli et omnis ornatus eorum, sed etiam ad enarranda opera manuum ejusdem sancti Spiritus fortitudine ita sunt confirmati, ut non erubescerent Evangelium Dei, etiam in his operibus Dei annuntiandis, quæ videbantur mundo quasi deliramenta. Igitur perfecti sunt cœli et omnis ornatus eorum ad enarrandam gloriam Dei, et vocavit Deus cœlum firmamentum, quando infirma elegit et confirmavit, ut confunderet fortia. Sit ergo auditor omnis docilis et benevolus et attentus istis gloriam Dei enarrantibus, et firmamento huic opera manuum ejus annuntianti, quoniam talis enarratio et annuntiatio fit cum discretione, præcipue dum non omnibus omnia narrantur, vel annuntiantur, sed potius habita rerum distinctione.

VERS. 3. *Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam. Dies* enim *diei eructat verbum*, quando sapientiam loquendo inter perfectos ipsi *cœli enarrant gloriam Dei* quodammodo in superiori hemisphærio solem clarum et altum demonstrantes, ut inter loquentes et audientes quasi inter cœlum illuminans et terram illuminatam sit clara dies. *Et nox nocti indicat scientiam*, quando lac præbendo parvulis opera manuum Dei annuntiat firmamentum, quasi ad inferius hemisphærium declinando solem, ut exhibeat noctem, in qua per altissimi et clarissimi solis cognitam inclinationem et humiliationem parvuli et humiles accipiant *scientiam*, et quasi nox per noctem eruditur, dum per humilem et mitem Christum humilibus et mitibus dicitur : « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* XI, 29). » Et *dies* quidem *verbum* sapientiæ, *verbum* bonum *eructat*, quando lux vera Christus plane illuminat Ecclesiæ doctores, ut et ipsi tanquam dies faciant lucem suam lucere coram hominibus, ut glorificetur Deus ; vel quando ipsi dies effecti et perfecti aliis perfectis de plenitudine

(43) *Cod.* doxaste *Latinis elementis.*

Digitized by Google

sapientiæ bonum *verbum* quasi eructando potius quam disserendo manifestant. *Nox* autem *nocti indicat scientiam*, quando simplices et minus perfecti considerant Christum in natura humana secundum formam servi non habentem speciem neque decorem solarem, sed quasi lunarem pallorem, cujus candore cooperante miraculorum et operum quasi luce stellari, etsi non æterna omnibus manifestatur sapientia, tamen caute indicatur *scientia* humanæ in Christo conversationis, quæ summa disciplina morum est in terris. *Dies diei eructat verbum*, id est sapientiam de gloria Christi, in qua Patri est æqualis. *Nox nocti indicat scientiam* de temporali conversatione ac dispensatione ipsius, in qua erat homo similis nobis passibilis, nostræ nocti sua nocte, nostræ infirmitati sua infirmitate conformatus, nisi quod noctem nostram tenebrosus turbo peccatorum originalium et actualium possedit, sua vero nox, ut dies illuminata est, quia omnis ejus humana infirmitas in virtutem divinam, et contumelia temporalis in gloriam transivit æternam. Non enim sua, sed nostra necessitate exigente, non pro sua, sed pro nostra iniquitate abolenda, factus est nobis infirmis infirmus, ut nos infirmos lucrifaceret. Unde nox infirmitatis ejus fuit illuminatio in deliciis ejus. Si enim ante sæcularia tempora « delectabatur per singulos dies ludens in orbe terrarum » per suam præscientiam, « delicias » reputans « esse cum filiis hominum (*Proverb.* VIII, 30 et 31) : » quanto magis ipsa nocte, ipsa infantuli infirmitate, qua natus est nobis habitantibus in regione umbræ mortis, exorta luce nox ipsa nativitatis ejus fuit magna illuminatio in deliciis ejus, tunc præsentialiter ludens in orbe terrarum vocando gentes per stellam orbi toti conspicuam ? Illa nativitate Sole vero posito sub nube carnis humanæ *dies diei* eructabat *verbum*, quando claritas Dei circumfulsit pastores per legem illuminatos loquente ad eos angelo : « Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David (*Luc.* II, 10 et 11). » *Et nox* indicabat *nocti scientiam*, quando non loquendo, sed indicio suæ novitatis et claritatis indicando scientiam stella Magos in gentilitatis tenebroso errore positos iustruxit, et usque ad præsepe Domini perduxit. Tunc die diei eructante verbum, id est, angelo evangelizante pastoribus gaudium magnum, « cognovit bos possessorem suum (*Isa.* I, 3), » id est, Judaicus populus Dominum suum, et nocte indicante scientiam nocti, dum per mutum signum erudiuntur Magi, « cognovit asinus præsepe Domini sui (*ibid.*) : » quia gentilis populus, licet comparatus immundo animali, tamen in suis tunc primitiis adductus est ad præsepe Domini sui.

Amplius autem adhuc *dies diei eructat verbum*, quando perfectus doctor, qui est angelus Domini exercituum, perfectis auditoribus evangelizat gaudium magnum, Christum regem Salvatorem mundi ostendens esse in civitate David, id est in sancta Ecclesia, licet sacramentorum quasi pannis involutum, tamen vere adorandum et una cum Patre Deo Deum glorificandum, sicut pastoribus angelus dixit : « Gloria in altissimis Deo. » Et sicut puero viso « reversi sunt » ipsi « pastores glorificantes Deum in omnibus, quæ audierant, et viderant, sicut dictum est ad illos (*Luc.* II, 14 20). » Et nox nocti indicat scientiam, quando idem perfectus doctor factus infirmis infirmus, minus capaces, quos non potest erudire in verbo, erudit exemplo, ut, quibus non potest eructare verbum Sapientiæ quasi *dies diei*, sicut angelus pastoribus, quos claritas Dei circumfulsit, eis demonstraret conversationem lucidam velut stellam claram præbentem eis ducatum viæ usque ad puerum. Cui, sicut pastores non obtulerunt nisi hostiam jubilationis et glorificationis in signum perfectorum, qui exteriora non habentes offerunt in semetipsis hostiam laudis : ita eidem « obtulerunt » Magi « aurum, thus et myrrham (*Matth.* II, 11) » in signum eorum, qui adhuc nescientes Deum cum angelis et pastoribus glorificare, student eum tamen cum religiosis Magis adorare, ac muneribus exterioribus honorare, quanquam eadem munera, videlicet aurum, thus et myrrha significent munera interiora quæ offert sancta Ecclesia dans myrrham per martyres, et thus per confessores, aurum per catholicos principes, vel myrrham per jejunia et abstinentias aliasque castigationes carnis, thus per orationis incensum, per sanctum desiderium aliasque devotiones mentis, aurum per charitatis opera, quorum præcipuum est eleemosyna, illic thesaurizanda, ubi eam nec fures effodere, nec ærugo possit exterminare. Hujus rei discretam *scientiam nox nocti indicat*, quando exemplo trium Magorum talia quis offerens exemplo suo alios ædificat. Sed *dies diei eructat verbum*, quando exemplo angelorum « Gloria in excelsis (*Luc.* XIX. 39) » canitur, et exemplo pastorum Deus caro factus, et pannis involutus laudatur et glorificatur, atque, dum hoc exemplo illuminantur alii, annuntiant et ipsi de die in diem salutare Dei, ut, dum semper de die in diem *dies diei eructat verbum*, nullus omnino sit locus tenebrarum, nisi in inferno, ubi nullus confitebitur Deo.

Delectat hæc ruminare appropinquante, atque jam inter scribendum instante Natali festivitate Christi, in qua cum angelis et pastoribus Deum laudantibus et glorificantibus « puer natus nobis, et filius datus nobis (*Isa.* IX, 6), » glorificatur a perfectis laudatoribus, cum quibus et nostras voces, ut admitti jubeat, fideliter optemus, atque ipsum exemplo trium Magorum humiliter adoremus, ut participes efficiamur illius magni gaudii nos reliquiæ gentium, quod habuerunt primitiæ Judæorum et gentium. Nam et pastoribus ab angelo evangelizatum est gaudium magnum, et Magi

Digitized by Google

« videntes stellam gavisi sunt gaudio magno valde (*Matth.* II, 10). » Ecce perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de hoc verbo vitæ, quod *dies diei eructat* cum summa discretione. Non enim omnia omnibus, sed clari claris sapientiam, quæ est in fructu æternorum, et iidem ipsi facti *nox* tenebrosis indicant *scientiam*, quæ est in cursu temporalium. Hoc autem cum fiat multum discrete, fit etiam valde mirifice ac magnifice. Mirifice, quia

Vers. 4. *Non sunt loquelæ* in diversis generibus linguarum, *neque sermones* in diversitate idiomatum uniuscujusque linguæ, *quorum non audiantur voces eorum*, ita ut ex omni natione, quæ sub cœlo est, admirantes dicant aliqui : « Nonne omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt, et quomodo nos unusquisque linguam nostram audivimus, in qua nati sumus? » (*Act.* II, 7 et 8.) Et cum sic audiuntur isti cœli enarrantes gloriam Dei mirifice in uno templo seu cœnaculo, audiuntur nihilominus magnifice in toto mundo. Equidem

Vers. 5. *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.*

Primo ipsi apostoli uno cœnaculo inclusi « cœperunt loqui » magnalia Dei « variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis (*ibid.*, 4). » Et præceptum fuit eis ne loquerentur in nomine isto, sed verbum Dei non fuit alligatum, nec potuit includi apostolorum doctrina, sed *in omnem terram exivit sonus eorum* per ipsos, et per eorum discipulos audito Evangelio in toto mundo, tam per sonitum famæ quam per verba doctrinæ. Primo quidem « factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis (*ibid.* 2), » et postea visæ sunt linguæ dispertitæ tanquam ignis, quia sic processurum erat Evangelium, ut præcurrente sono famæ tanquam spiritus vehementis postea linguæ dispertitæ per omnes diversitates humanæ loquelæ tanquam ignis illuminarent et inflammarent audientium et credentium corda sonitu famæ annonita, et instructa per *verba* rationabilia, quæ *in fines orbis terræ* venerunt, quia etiam ultimos terrarum angulos penetraverunt et replerunt. Et revera grande fuit miraculum, quod ad dilatandum Verbum Dei tunc unus homo loquebatur variis linguis ; nunc autem grandius et utilius est miraculum, quod jam dilato Dei verbo una Ecclesia catholica et apostolica in se habet varias linguas, ita ut in uno corpore unius et totius Ecclesiæ « omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (*Philip.* II, 11). » Quæ sunt autem verba, quæ in fines orbis terræ venerunt? Verba videlicet sanctorum ita dicentium :

Vers. 6. *In sole posuit tabernaculum suum* per mysterium Incarnationis assumendo carnis tabernaculum *et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo* natus est de virgine. Postea *exsultavit ut gigas ad currendam viam* perficiendo in triginta tribus annis cursum suæ obedientiæ, quo per passionem suam consummato de morte surrexit, et ascendit in cœlum, unde venerat, quoniam *a summo cœlo egressio ejus usque ad summum ejus.* Inde venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem *nec est qui se abscondat a calore ejus.* Ista sunt verba in toto mundo audita, istud est Evangelium per omnes linguas enuntiatum.

Sed audiamus attentius ea quæ summatim perstricta sunt. Audiamus apostolos tanquam summi regis milites ejusdem sui regis contra diabolum pugnaturi adventum evangelizantes et victoriam prædicantes. Dicunt enim : Rex noster adveniens Christus pro nobis pugnaturus *in sole posuit tabernaculum suum*, quia carnis assumptæ *tabernaculum posuit in sole*, id est in Maria Virgine, quæ sol non inconvenienter dicitur, eo quod sola inter mulieres singulari benedictione resplendeat, siquidem nec prima similem visa est nec habere sequentem : sicut sol iste materialis dicitur, eo quod solus lucere videatur. Quæ quidem *stella maris* dicitur, sed concipiendo et gestando in se Solem justitiæ digna est etiam ipsa solis nomine, ita ut recte ipsam omni laude dignissimam prædicantes in ejus veneratione dicamus : « Quæ est ista, quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol (*Cant.* VI, 9). » *In* hoc *sole posuit tabernaculum suum*, quia ipse Deus, Dei Verbum, Dei æterna sapientia, splendor paternæ gloriæ, qui ignem æthereum pridem latissime diffusum quarto die collegit atque adunavit in solare corpus, inde quasi de fonte radios emissurum per mundum universum, etiam seipsum ignem divinum et immensum quasi coarctavit in corpus humanum seu maternum seu proprium de Matre virgine sumptum, in quo cum inhabitet omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, sicut plenitudo ignis ætherei manet in solari corpore, certe ipsius divinum corpus corpus est solare, in quo velut *in sole* ipse ignis æternus *posuit tabernaculum suum*, id est ipsum tale corpus fecit sibi esse tabernaculum.

Etiam illo modo *posuit in sole tabernaculum suum*, quia carnis lucernam non ad hoc accendit, ut in abscondito poneret, sed super candelabrum, *in sole*, id est, in manifesto. Voluit enim videri ab omnibus militare habitaculum Divinitatis, quæ prius latenter « erat in mundo, et mundus eam non cognovit (*Joan.* I, 10). » Sed ad hoc *tabernaculum suum posuit in sole*, id est in manifesto, ut cum in militando pugnaret contra diabolum, grande foret spectaculum angelis et hominibus in alterutra parte fœderatis. Et ideo tabernaculo suo jam præparato noluit intus latere, sed processit in publicum. Qualiter? *Tanquam sponsus procedens de thalamo suo.*

Tanquam, in hoc loco non tam similitudinem quam veritatem significat, sicut ibi : « Et vidi agnum tanquam occisum (*Apoc.* V, 6). » Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre (*Joan.* I, 14). » *Quasi*, quod est adverbium similitudinis, hic significativum est veritatis, quia

Digitized by Google

vere unigenitus est a Patre. Similiter vere sponsus processit de matre. Per verbum quod enuntiat *processionem*, cuncti, qui audiunt, ad spectaculum vocantur, quia solet vocari processio, quando aliqua venerabilis et spectabilis persona cum longa præcedentium et subsequentium pompa reverenter et decenter secundum habitum suæ dignitatis, verbi gratia pontificalibus aut regalibus ornamentis induta, de loco ad locum vadit multis venerantibus ac spectantibus talem processionem. Verum si sponsus, præ multis hominibus forma speciosus, procedens de thalamo suo secum ducendo sponsam valde speciosam inter ipsa nuptiarum solemnia se in publico manifestaret, quanta putas vox exsultationis et sonus epulantis multitudinis illi applaudere[t]? Ita nimirum Dei Filius « pulcher et decorus, » cujus « lectulus floridus (*Cant.* I, 15) » erat virginis uterus, de hoc ipso utero, de hoc ipso lectulo florido *tanquam de thalamo* suo processit clauso pudicitiæ signaculo : *tanquam sponsus de thalamo suo* processit, qui ad conjungendam sibi Ecclesiam incarnatus Deus de incorrupto utero Virginis exivit. Hanc sponsam speciosam quasi manu apprehenderat per carnem, quam ipse Deus, Dei Verbum sibi unierat in ipso suo thalamo, ubi eam osculatus est osculo oris sui adimpleto ejus desiderio, quo dixerat eadem sponsa : « Osculetur me osculo oris sui (*Cant.* I, 1). » Processionem istam sponsi longa pompa præcessit paranymphorum, videlicet patriarcharum et prophetarum ; longa nihilominus pompa subsequitur amicorum sponsi, qui stant et audiunt et gaudent propter vocem sponsi (*Joan.* III, 29), ex quibus omnibus ipsa, quæ sponsa dicitur, constat Ecclesia. Cum ergo sic sponsus iste processit « in voce exsultationis et confessionis, sonus epulantis (*Psal.* XLI, 5) » angelicæ multitudinis auditus est. Nam ubi angelus unus hanc ipsam processionem pastoribus nuntiavit, « subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis » exercitus « laudantium et dicentium : Gloria in excelsis Deo (*Luc.* II, 13.) » Atque ut hominibus bonis una cum angelis esset communis exsultatio, adjunctum est : « Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*ibid.* XIV). » Quid deinde? In tanta exsultantium angelorum et hominum jucunditate ipse quoque sponsus *exsultavit ut gigas ad currendam viam suam.* Nam statim in ipsa Natalis sui nocte cucurrit per indicium stellæ, quæ ipso nato mox apparuit ; cucurrit, inquam, usque ad extrema terrarum credulos faciens Magos in Oriente positos, quod natus esset rex Judæorum, adimpleta prophetia, quam olim prædixerat Balaam ipsorum propheta : « Orietur, » inquit, « stella ex Jacob, et consurget homo de Israel, et confringet omnes duces Moab, et erit Idumæa possessio ejus (*Num.* XXIV, 17 et 18). » Currunt ergo cum muneribus Magi ad regales nuptias : « Turbatur Herodes rex et omnis Jerosolyma cum illo (*Matth.* II, 3), » quo sæviente in infantes, currendo in Ægyptum, et inde post obitum Herodis recurrendo iste gigas cursum suum præsignavit, quo derelicto ad tempus Judæorum populo cursurus erat in totius mundi hujus Ægyptum, tandem reversurus ad reliquias Judæorum post Herodis obitum, post mortem videlicet Antichristi.

Multi currentes in stadio vitæ temporalis nesciunt unde veniant, aut quo vadant, ideo cum tædio et tristitia currunt, quia finem sui cursus nesciunt (*Eccle.* IX, 12). Sed iste sponsus plenus amore, iste gigas plenus fortitudine, plenus gratia et veritate, gratia videlicet amoris et veritate fortitudinis, sciens quod a Deo exivit et ad Deum vadit, nullatenus dubitans unde iret, aut quo iret, non erat tristis neque turbulentus, sed *exsultavit ad currendam viam suam*, viam temporalis dispensationis, viam obedientiæ, qua *cucurrit ut gigas* fortis, imperturbabilis, irrevocabilis, insuperabilis ex potentia divinitatis. Namque ipse geminæ gigas substantiæ, licet sit mortuus ex humanitatis voluntaria infirmitate, tamen surrexit et vivit ex divinitate. Etsi ad horam fuit « tristis anima » ejus « usque ad mortem (*Matth.* XXVI, 38), » tamen in spiritu suo *exsultavit ad currendam viam suam* eo, unde venerat. Nam

Vers. 7. *Ad summo cœlo*, id est a Patre, Deo altissimo, fuit *egressio ejus*, quando exivit a Patre et venit in mundum, *et occursus ejus usque ad summum ejus*, quando iterum reliquit mundum vadens ad Patrem. Ideo sciens quia venit hora ejus, ut transiret ex hoc mundo ad Patrem, recte oravit dicens : « Clarifica me, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset apud te (*Joan.* XVII, 5). » Angelos et homines, quos Pater in Filio clarificavit, sub semetipso clarificat. Ipsum vero Filium suum in divinitatis forma semper clarum, sed in forma servi non habentem speciem neque decorem in sua Passione, sic Pater clarificavit gloria Resurrectionis et Ascensionis, ut jam non sub ipso, sed apud *semetipsum* sit non solum in divinitate clarus, sed etiam in humanitate assumpta clarificatus eadem claritate, quam Verbum habuit, priusquam mundus fieret, apud ipsum, non sub ipso, quia non minor est jam assumptæ humanitatis quam assumentis Verbi apud Patrem claritas, imo prorsus eadem ; quin iste gigas, licet sit geminæ jam substantiæ, manente in eo essentiali discretione assumentis et assumptæ naturæ, tamen est unius et indivisæ claritatis apud Patrem summum, quia *occursus ejus usque ad summum ejus.* Summam siquidem gloriam, quam in divinitate semper habuit, suæ quoque humanitati (44), plenissime obtinuit non sub Patre, sed apud Patrem. Unde illi fideliter hymnizat Ecclesia dicens :

(44) *Addit alia manus, forte non nihil recentior :* scilicet homini assumpto.

Digitized by Google

Egressus ejus a Patre, regressus ejus ad Patrem, excursus usque ad inferos, recursus ad sedem Dei. Sedes Dei non intélligitur corporea seu visibilis, sed judicandi et regnandi potestas invisibilis, in qua homo Deus factus Deo Patri est effectus æqualis. Unde homo Deo creditur consedere, id est conregnare in dextera sedis magnitudinis cum honore indivisæ potestatis et æqualitatis, propter quam significandam regressus ejus ad Patrem dicitur *occursus;* quoniam qui sunt æquales invicem, sibi solent occurrere servata ad invicem honoris æqualitate.

Quid ad hæc dicis, antique serpens, invidiose, multum invidens gloriæ Filii Dei? Tu per Arium hæreticum blasphemasti, non eum Patri æqualem, nec in divinitate. Disce nunc per Hilarium virum totum catholicum, cujus verba tibi objecturus sum, Filium Patri æqualem in sua quoque jam glorificata humanitate. Si tormento invidiæ cruciabaris, cum Filius Patri prædicabatur æqualis in sua æterna divinitate, multo amplius te nunc mordet invidia, cum idem Filius Patri summo prædicatur æqualis in sua jam glorificata humanitate, in qua licet ad tempus fuerit minoratus ab angelis, nunc prælatus est « angelis, tanto melior » illis « effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit (*Hebr.* 1, 4). » Audi ergo, draco maligne, unde torquearis, audi evidentia testimonia gloriam Filii hominis, quam tu per hæreticos imminuis, magnificantia. Audi, inquam, Hilarium non a carne et sanguine, sed a Patre, qui est in cœlis, Filium glorificante, edoctum in libro De sancta Trinitate nono super hæc verba, dicentem : *Nunc honorificatus est Filius hominis, et Deus honorificatus est in eo,* « si Deus honorificatus est in eo, et Deus honorificavit eum in se, et Deus protinus honorificavit eum. Primam, inquam, dicti Dominici significationem non ambiguam existimo, cum ait : » *Nunc honorificatus est Filius hominis.* « Gloria enim omnis non Verbo acquirebatur, sed carni, id est non naturæ (45) Dei, sed nati hominis dispensationi. Hoc vero, quod sequitur, quid significet, interrogo : » *et Deus honorificatus est in eo.* « Honorificatum enim in eo Deum audio, et quid istud sit secundum intelligentiam tuam, hæretice, ignoro. » *Deus in eo honorificatus est, in Filio utique hominis.* « Et quæro, an Filius hominis idem sit et Filius Dei? Et cum non aliud (46) sit hominis, neque aliud Filius Dei » (*Verbum enim* caro factum est (*Joan.* 1, 14), « et cum qui Filius Dei, ipse et hominis sit Filius; requiro quis in hoc Filio hominis, qui et Filius Dei est, glorificatus sit Deus? Et quia in Filio hominis, qui et Filius Dei est, glorificatus est Deus; videamus, quid sit hoc quod tertio subditur : Si Deus glorificatus est in eo, et Deus glorificavit eum in se, quod istud, rogo, sacramenti mysterium est? Deus in Filio hominis glorificato glorificatum Deum glorificat in sese. In Filio hominis gloria Dei est, et gloria Dei (47) gloria Filii hominis. Deus glorificat in sese, homo utique non per se glorificatur. Neque rursum, qui in homine glorificatur Deus, licet gloriam accipiat, non tamen aliud ipse, quam Deus est. At vero cum glorificato Filio hominis glorificans Deum Deus glorificat in sese; invenio naturæ gloriam in gloriam naturæ naturam glorificantis assumi. Non enim se Deus glorificat, sed glorificatur (48) in homine Deum glorificans in sese. Quod autem glorificat in sese, licet non se glorificet, tamen in naturæ suæ gloriam (49), gloriam glorificati assumit. Et cum glorificans Deum Deus, quia glorificatus in homine sit, glorificat in sese eum quem glorificavit Deum in se inesse demonstrat, cum eum glorificat in sese. » Idem in libro tertio : « Nunc autem quid est quod apud Patrem glorificationis exspectat? Nempe hoc, quod habuit apud eum, priusquam mundus esset. Habuit plenitudinem divinitatis, atque habet; namque Filius Dei est. Sed qui erat Dei Filius, et hominis esse cœperat Filius. Erat enim Verbum caro factum. Non amiserat quod erat, sed cœperat esse quod non erat. Non de suo destiterat, sed quod nostrum est, acceperat. Profectum ei, quod acceperat, ejus claritatis expostulat, unde non destitit. » Idem in nono : « Glorificaturus Filium Pater major est; glorificatus in Patre Filius minor non est. Aut quomodo minor est, qui in gloria Dei Patris est? aut nunquid Pater major non est? Major utique Pater est, dum Pater est; sed Filius, dum Filius est, minor non est. Nativitas Filii Patrem constituit majorem; minorem vero esse Filium nativitatis natura non patitur. Major Pater est, dum, gloriam assumpto homini, rogatur ut reddat; Filius minor non est, dum gloriam resumit apud Patrem. » Item Leo papa Magnus in sermone de Passione Domini : « Ita Deus univit sibi hominem, ut nihil assumenti humanum, nihil assumpto deesset Dominum [*f.* divinum]. Item in sermone de Ascensione Domini : « Post Passionem ruptis mortis vinculis, quæ vim suam in eum, qui peccati erat nescius, in edendo perdiderat, infirmitas in virtutem, mortalitas in æternitatem, contumelia transivit in gloriam, quam Dominus Jesus Christus in multis, manifestisque documentis multorum declaravit aspectui, donec triumphum victoriæ quem reportavit a mortuis, inferret et cœlis. » Item Ambrosius in Lucam : « Licet cæteri apostoli sciant, Petrus tamen respondit præ cæteris : *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 61). Complexus est itaque omnia, qui et naturam, et nomen expressit, in quo summa virtutum est. » Item post pauca : « Scivit Petrus, quod in Filio Dei omnia sint; omnia enim dedit Pater Filio. Si omnia dedit, æternitatem quam habet, dedit, majestatem-

(45) *Edit.* non Nativitati Dei.
(46) *Edit.* alius.
(47) *Edit.* et gloria Dei in gloria Fil.
(48) *Edit.* sed glorificatum in hom. ~~Deum~~ glorificat in sese.
(49) *Edit.* tamen in naturæ suæ gloriam naturam glorificans assumit

Digitized by Google

que transfudit. » Ita veritatis testimonia quasi acuta facula te, Ari, confodiunt, qui licet in inferno sepultus ecce fœtes, et adhuc reliquias tui fœtoris patimur in novis hæreticis detrahentibus gloriæ Christi, tanquam ipse non totus, sed dimidius sit in gloria Dei Patris, qui totus est Filius Dei Patris. Si, ut Bonosus hæreticus blasphemavit, homo assumptus esset filius adoptionis, et verbum solummodo assumens esset Filius naturalis, posset videri Christus differenter Filius differentis esse gloriæ apud Patrem. Nunc autem quia totus Christus est Filius Dei non adoptatus, sed natus, consequenter intelligitur, et si intelligi non potest, recte creditur totus Christus esse in gloria Dei Patris, cujus est Filius naturalis; quia eum Pater non solum ante sæcula æternaliter genuit, sed in fine quoque sæculorum ipsum Verbum suum in cor Virginis eructando, suoque amore, suo scilicet Spiritu operante, uterum ejus imprægnando eam fecit matrem ipsius ejusdem Filii, cujus ipse Pater est, et qui totus, non dimidius Filius ejus est : unde recte omnis lingua confiteatur quia ipse Dominus Jesu totus in gloria est Dei Patris. Apud ipsum Patrem nunc sedet in throno gratiæ ac pietatis, post hac sessurus in sede majestatis judiciariæ; nunc paratus est ignoscere quasi pontifex infulatus : tunc paratus erit judicare quasi rex coronatus.

Nec est, qui se abscondat a calore ejus. Nunc enim sedens in throno gratiæ misit ignem in terram, quem vult accendi vehementer. Orantibus namque apostolis cum mulieribus et matre Jesu, atque cum fiducia accedentibus ad thronum gratiæ, ut gratiam invenirent, et misericordiam consequerentur in auxilio opportuno, « factus est repente de cœlo sonus advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes, et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis (*Act.* II, 2-3). » *Nec est qui se abscondat a calore* hujus ignis. Nam sicut ignis, qui comburit silvam, et sicut flamma comburens montes : ita ignis iste semel emissus in silvam generis humani eamdem silvam ex ea parte comburit, redigitque in campos silvæ, ubi silvæ hujus terra est bona; sed ubi terra mala est, eamdem silvam bestiis relinquit habitandam, ut in ea sint cubilia draconum, latibula ferarum, ut in ea vulpes foveas habeant et volucres cœli nidos, dum vivis et malignis spiritibus mundus in maligno positus est plenus, qui tandem in fine ardebit cum ipso diabolo et angelis ejus, urente invidas mentes malignorum tam angelorum quam hominum eodem isto igne, quo ardebunt sancti ut lucernæ, imo tunc fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum. Et hoc erit magnum tormentum invidis inimicis eorum, qui quoniam noluerunt hic ardere per justitiæ amorem, justis tunc in gloria lucentibus ardebunt per invidiæ tormentum, nunquam illis ex tunc mitigandum, quia sicut ignis divini amoris in hac vita perfecte accensus in electis æternaliter durabit, sic per eumdem ignem sanctis lucentibus vera scientia, et ardentibus vera sapientia, quando et *nox nocti indicat scientiam, et dies diei eructat* sapientiam, reprobrorum in hac vita suscitata invidiæ flamma, si ante mortem non fuerit pœnitendo exstincta, sine fine ardebit. Idem namque ignis, qui sanctos liquefacit quasi aurum, impios durescere facit quasi lutum.

Nec est qui se abscondat a calore ejus? Quin ardeat, aut bonum diligendo, aut bono invidendo, sed utriusque ardoris calor in hac vita inchoatur, et in futura consummabitur. Nam de bonis dictum est : Hæc dicit Dominus, « cujus ignis est » ignis « in Sion, et caminus ejus in Jerusalem (*Isa.* XXXI, 9). » Per ignem in Sion peregrinantis Ecclesiæ parva et inchoata charitas insinuatur. Per caminum in Jerusalem consummatus ejusdem charitatis ignis notatur. Qui camino ardenti comparatur, intra quem nihil frigidum, nihil tepidum reperitur, sed solus in eo ignis dominatur, cui quidquid immittitur, in ignem vertitur. Ex opposito autem de impiis dicitur : « Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui (*Psal.* XX, 10). » Nam in quibus amor mali et odium boni cœperit ardere in hac vita, dum aliis in bonum, aliis in malum sancti Spiritus lucet ignis, ipsi tales mortui post mortem quidem ardebunt sicut tædæ ignis accensæ; sed in resurrectione resumptis corporibus ponet eos Deus ut clibanum ignis in tempore vultus sui, quando etiam sancti erunt quasi caminus ignis consummato in eis amore Christi, qui misit ejusdem amoris ignem in terram, *nec est, qui se abscondat a calore ejus.* Etenim sicut « lux vera » Christus « illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I, 9), » lucendo etiam in tenebris, licet eam tenebrosæ mentes impiorum non comprehendant : sic idem Christus, cum sit splendor gloriæ, quo glorificabuntur et gloriabuntur in eo, qui sperant in eum, suo calore tangit omnem hominem venientem in hunc mundum, etiam frigidas mentes impiorum provocans ad amorem suum, *nec est qui se abscondat a calore ejus*, « quin ipse sol justitiæ oriatur super bonos et malos (*Matth.* V, 45). » Verum sicut ipsum in tenebris lucentem tenebræ non comprehendunt, quia lumen veritatis a se repellunt; ita ipsum benignas mentes amore sui calefacientem, et usque ad impias mentes extendentem radios amoris, ipsæ mentes impiæ non recipiunt. Quotquot autem recipiunt eum, dat eis potestatem filios Dei fieri (*Joan.* I, 12), his, qui credunt in nomine ejus recipiendo et tenendo legem ejus digito Dei scriptam, Spiritu sancto enuntiatam, qui ideo in linguis ignеis apparuit, quia legem per ipsum Dei digitum scriptam venit exponere operando in Apostolis, ut essent idonei ministri Novi Testamenti, non littera, sed spiritu. Littera enim occidens fuit quasi lex maculata; Spiritus autem vivificans est vere

VERS. 8. *Lex Domini immaculata*, quia se recipientes de maculatis immaculatos facit. Littera occidens fuit gravis et opprimens animas ostendendo

Digitized by Google

mandatum, per quod revixit et amplius viguit peccatum, dum quisque legis alumnus nitebatur in vetitum; Spiritus autem vivificans, id est non solum sciri, sed et amari faciens bona facienda, ipse est *lex Domini* suavis *convertens animas* antea perversas, quibus, dum per Spiritum sanctum charitas infunditur, omne, quod in eis erat perversum, convertitur in bonum, et fit de aqua vinum, quando mens pridem frigida et insipida in lapidea cordis hydria quasi fervorem et saporem vini accipiendo taliter efficitur, ut ab ipso architriclino, id est a Spiritu sancto laudetur, atque sponsus qui de thalamo suo procedens nuptias celebrat, pro tali vino jucundetur et glorietur, quod etiam in fine nuptialis convivii propinetur vinum bonum.

Littera occidens fuit *testimonium Domini*, sed non per omnia *fidele*. Unde per Ezechielem dicit Dominus : « Et ego dedi eis præcepta non bona (*Ezech.* xx, 25). » Nempe in tabulis lapideis erant quidem præcepta bona, charitatem Dei et proximi commendantia, sed post reatum vituli, quem adoraverant, superaddita sunt illis præcepta non bona multarum cæremoniarum, et grave *jugum* diversarum observationum, « quod neque nos, » ait Petrus apostolus, « neque parentes nostri portare potuimus (*Act.* xv, 10). Unde non per omnia *fidele testimonium* fuit, quod non solum bona, sed etiam non bona præcepta continuit.

Lex autem Spiritus vivificantis *testimonium Domini fidele est;* quia nihil omnino præcipit, nisi quod servatum juvat et expedit. Vel in eo vetus lex non erat *testimonium fidele;* quia sui observatoribus promisit bona instabilia et caduca. Lex autem nova per Spiritum sanctum data *testimonium Domini est fidele;* quia suis observatoribus promittit bona æterna in æternum permansura in cœlis fideliter conservata, ubi fures infideles non possunt illud auferre, quos inde repellit verbum Domini fidele. Vocatur autem idem testamentum et lex, et *testimonium. Lex*, in quantum aliquid jubet fieri, vel non fieri; *testimonium*, in quantum repromittit præmium servanti mandatum, vel etiam comminatur supplicium non servanti præceptum. In hoc igitur Novum Testamentum est *Lex Domini immaculata*, quia præcipit sola salubria; in hoc vero testimonium *Domini fidele* dicitur Novum Testamentum, quia præmium, quod promittit, est in æternum. Igitur bene dicitur: *Testimonium Domini fidele.*

Sapientiam præstans parvulis, quia æternorum bonorum promissio non sapit elatis et magnis in hoc mundo, sed solis parvulis, id est humilibus, quos æternorum et futurorum bonorum sapore dignos judicat Spiritus sanctus, qui « superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (*Jac.* iv, 6). » In eo autem, quod superbi repelluntur, et humiles admittuntur ad *sapientiam* et saporem æternorum bonorum, quæ Deus abscondit sapientibus et prudentibus, revelans parvulis.

Vers. 9. *Justitiæ Domini* sunt *rectæ lætificantes corda. Rectæ*, quantum ad repulsam superborum. *Lætificantes* quantum ad susceptionem parvulorum. Ne autem quis valeat excusari per ignorantiam, si per justitias Domini rectas in superbia sua contristabitur, et non in humilitate lætificabitur, *præceptum Domini illuminans oculos.* Non enim sicut Moyses posuit velamen super faciem suam, cum daret præceptum obscurum (*Exod.* xxxiv, 33), non, inquam, sic fecit Christus novæ legis lator, sed absque figuris et ænigmatibus loquens : « hoc est » ait, « præceptum meum, ut diligatis invicem (*Joan.* xv, 12). » Item : « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem (*ibid.* xiii, 34). » Lucidi hujus præcepti observatio facit parvulos, quia « charitas non inflatur : lætificat corda, » quia « charitas non irritatur et congaudet veritati : illuminat oculos » per fidem rectam, et spem firmam, « quia charitas omnia credit, omnia sperat (*I Cor.* xiii, 4, 5 *et seqq.*) » Et licet illud *præceptum Domini lucidum*, quod charitatem lucide commendat, per ipsam charitatem foras mittat servilem timorem, tamen individuus comes ejusdem charitatis erit.

Vers. 10 et 11. *Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi.* Nam timor servilis, qui pœnam habet, quoniam pœnam timet, consummata charitate omnino deficiet; sed timor filialis, quo pœnæ non timetur illatio, sed gratiæ jam collatæ vel minoratio vel omnimoda subtractio, tandem gratia consummata et confirmata erit sine pœna, atque ut ita dictum sit, erit timor sine timore cum summa et in summa securitate ac suavitate *permanens in sæculum sæculi*, adjunctus charitati permanenti, quæ in Deo in æternum permanet, quia semel radicata et firmiter fundata nunquam excidet, ideoque timor castus illi adjunctus in æternum permanet. Timor mundi facit timidos et injustos : *Timor* autem *Domini sanctus* facit hominem timoratum et justum, sicut « Simeon » senex legitur fuisse « homo justus et timoratus (*Luc.* ii, 25). » Ideo sic justis et timoratis *judicia Domini vera* sunt, quæ iniquis interdum placent et interdum displicent, quasi non omnia sint vera. Hæc timore sancto timoratis et justificatis omnino per omnia placent, quia sunt *vera* ipsa *judicia* Domini, sive cum parcit, sive cum punit, sive parcat bonis, sive malis, sive puniat bonos, sive malos, sive cum « indurat quem vult (*Rom.* ix, 18), » sive cum prout vult, misereatur cui fuerit misertus, sicut Moyses dicit : « Misereor, cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit (*Exod.* xxxiii, 19). » Omnia hæc et similia judicia possunt quidem esse occulta, sed non possunt esse injusta, quæ tamen aliquando videntur injustis injusta. Sed quos *timor Domini sanctus* repleverit, quosque *præceptum Domini lucidum illuminans oculos* illuminabit, *his judicia Domini vera* sunt rationabilia et laudabilia, *justificata in semetipsa*, vel sicut in Hebræo habetur, *in semetipsis*, quoniam ad justificationem sui non indigent auctoritatibus vel testimoniis extraneis, quæ causam et virtutem justitiæ habent in semetipsis.

Digitized by Google

illinc non minus ecclesiastice, quam scholastice ait quidam versificator

Quidquid in orbe fecere homines Deus ordinat æque.
Saulus, Job, Paulus, cæcus modo natus, Herodes.
Corrigit hunc, probat hunc, juvat hunc, levat hunc, necat illum.

Eisdem justis et timoratis ipsa judicia *Domini propter* veritatem, et justitiam, quæ in eis est chara, atque

Vers. 11. *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum.* Vere multum *desiderabilia super aurum multum, et super lapidem multum pretiosum. Desiderabilia*, inquam, *super aurum et lapidem pretiosum multum*, id est super omnem concupiscentiam oculorum, super omne quod visui pulchrum est, super omnia visui corporeo delectabilia, quæ per partem sunt omnia significata, per *aurum* videlicet *et lapidem pretiosum multum*, quæ inter cætera oculis concupiscibilia sunt magis pretiosa et speciosa, super quæ omnia judicia Domini sunt magis pretiosa, magisque speciosa.

Et sunt dulciora super mel et favum. Cum « omne, quod in mundo est, ut ait Joannes, aut » sit « concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ (*I Joan.* II, 16) » sive ambitio sæculi. Talis est inter hæc omnia repugnantiæ contrarietas, ut ea, quæ oculos delectant famulantes et intentos mundanæ curiositati, verbi gratia, colores pulchri et rari minime delectent gustum, odoratum et tactum, qui tres sensus famulantur concupiscentiæ carnis, et auditum, qui solus de quinque sensibus inani gloriæ, quæ est superbia vitæ, famulatur. Rursum gustandi dulcedo, qualiter est in melle ac favo, et odorandi suavitas, qualis est in lecto meretricis cubile suum myrrha et aloe respergentis, et tangendi delectatio, qualis est in fornicationis turpi negotio, minime delectant visum vel auditum, quæ a talibus ipsa quoque natura sejunxit, quia nemo potest videre vel audire, quæ sit dulcedo gustus in edendo, quæ suavitas odoratus in olfaciendo, quæ delectatio tactus in fornicando. Est quidem impudicus oculus impudici cordis nuntius et impudici tactus prænuntius, sed tamen ab ipsa tangendi delectatione prorsus alienus. Et revera per impudicitiam visus fugit castitas ipsa de moribus, etiam in tactis ab immunda violatione corporibus, nisi ab impudica oculorum defixione caveatur, sed tamen ipsa immundæ violationis delectatio non in videndo, sed in tangendo est. Item popularis auræ favor solis prurientibus auribus delectabilis, dum quisquam laudatur vel jam prælatus, vel adhuc præferendus cæteris in aliqua eminentia seu ecclesiasticæ seu mundanæ dignitatis solummodo auditum demulcet, sensibus aliis, id est visu, gustu, odoratu et tactu nihil utilitatis, nihil suavitatis in eo sentientibus, in quo demulcetur auditus.

Sed judicia Domini vera, justificata in semetipsis ita sunt omnibus in hoc mundo pulchris et pretiosis desiderabiliora, ut pariter sint omnibus in hoc mundo dulcibus dulciora, et omnibus mundi hujus dignitatibus digniora. Per *mel et favum* parte accepta pro toto intelligitur omne, quod concupiscentiæ carnis est jucundum, sicut per aurum et lapidem pretiosum intelligitur omne quod pertinet ad concupiscentiam oculorum. Figura hæc synecdoche dicitur, ubi pars pro toto ponitur. Quod autem hæc ipsa judicia desiderabilia et dulcia sint, et dignitatibus mundi hujus digniora, inde colligitur, quod in custodiendis illis est retributio multa, sive ut in Hebræo legitur : *Fructus multus.*

In custodiendo auro et lapide pretioso nullus est fructus, quia qui custodit et amat divitias, fructus non capiet ex eis, dum eas anxie custodiens ut servus, large non distribuens ut dominus, manet ab earum utilitate vacuus, quantislibet divitiis fuerit plenus. De concupiscentia vero carnis arguens Apostolus quosdam : « quem, » inquit, « fructum habuistis tunc in his, in quibus nunc erubescitis? (*Rom.* VI, 21 et 22.) » Subauditur, nullum. Et revera nullum in his habent fructum, sed magnum damnum, qui usque in hujus vitæ finem in talibus amant voluptatem. « Nam finis illorum mors est. Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis, » inquit, « fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam æternam (*ibid.*). » In dignitatibus ambitis a Deo nullus est fructus; ut omnis ambitiosus tanquam palmes infructuosus, nisi pœnitentia purgetur, sit abscindendus, et in ignem mittendus.

Cum autem cuncta, sive pulchra, sive dulcia, sive gloriosa concupiscentiam oculorum et concupiscentiam carnis ambitionemque sæculi nutrientia sint infructuosa, ubi pro illis habendis vel non amittendis contemnuntur *judicia Domini vera justificata* : si custodiantur *judicia Domini vera*, per ipsa *judicia Domini vera* omnibus pulchris, dulcibus et gloriosis prælata fit omnino fructuosus vel eorum usus, quantum ad imperfectos, vel eorum contemptus, quantum ad perfectos, vel eorum pariter usus et contemptus, quantum ad perfectissimos. Nam imperfecti et non valde boni hominis est per custodiam judiciorum Domini uti divitiis in eleemosynarum largitate erga pauperes Christi. Perfectio valde boni est per eadem judicia custodita contemptis divitiis fieri pauperem Christi. Ille utens divitiis ædificat libenter templum Domino ; iste contemnens divitias fit templum Domini. Ille concupiscentiam carnis restringens a fornicatione, relaxans in filiorum procreatione multiplicat hæredes prædii sui : at iste concupiscentiam omnino in se mortificando efficitur quidem hæres Dei, cohæres autem Christi. Ille temporalibus utendo facit sibi « amicos de mammona iniquitatis, qui » eum « recipiant in æterna tabernacula (*Luc.* XVI, 9) : » iste contemnens temporalia et omni aviditate concupiscens æterna talis fit, qui non solum æterna tabernacula possideat, sed et alios in eadem recipere valeat. Iste per conjugium legitimum procreat filios carnales, bene in hoc faciendo, si adaptat eos divino servitio : Iste melius

Digitized by Google

faciendo in Christo Jesu per Evangelium generando filios tandiu eos parturit, quoadusque formetur Christus in eis. Ille per custodiam judiciorum Domini sanctorum pauperum est piissimus consolator, iste per eadem judicia custodita sanctæ paupertatis est ardentissimus amator. Ille dignitates digne administrando per custodiam judiciorum Domini servus servorum Dei efficitur, qui dignus digne aliis præficitur; iste nihilominus dignitate dignus est, sed tamen pro custodiendis judiciis Domini libenter caret in hac vita omni dignitate momentanea propter judicia Domini durius agenda, cum prælatis quam cum subjectis, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur, vel quia de numero illorum est, quibus dignus non est mundus, ideo libenter dignitate caret in hoc mundo, qui prælato digno dignus non est. Et ideo quacunque judiciorum Domini dictante sententias is, qui dignus est, libenter dignitate careat, quia se dignum non æstimat: ipsa dignitate libenter carendo dignior efficitur, quam is, qui in dignitate libenter præficitur aliis, quem hoc ipsum efficit indignum, si, ut aliis præficeretur, ultroneum nimisque spontaneum præbuit assensum, cum ista sit Patrum orthodoxorum doctrina, ut pollens virtutibus coactus accedat, carens autem virtutibus, nec coactus consentiat promoveri, maxime ad aliquam dignitatem, quæ temporalem spondet commoditatem. Nam si persecutionum temporalium incommoda Ecclesiam turbarent, atque pro vitandis incommodis hujusmodi, omnes probi officium prælationis fugerent, tunc utique, si quis de martyrii corona in Spiritu sancto certificatus episcopatum desideraret, cupiens in periculoso tempore vexillum fidei cæteris anteferre, hic episcopatum desiderans, bonum opus desideraret. Quod, quia paucis in hac vita contingit, ut videlicet *judicia Domini vera*, vere super se intelligendo cum Paulo apostolo dicere valeant: « Certus sum quia neque mors, neque vita, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei (*Rom.* VIII, 38 et 39). » Reliquum est ut et qui habent in hoc mundo dignitates, tanquam non habentes sint, bonis per humilitatem socii, malis per auctoritatem prælati (*II Cor.* VI, 10); et qui non habent, nunquam eas in hoc mundo habere ament, sed cum Petro apostolo Christum ament, ament se amare illum, et amari ab illo, quibus perfecte amantibus Christum, si ab ipso præcipiuntur pascere agnos et oves ejus, noverint sibi non dominandi, sed ministrandi officium impositum, ut sint servi servorum Dei.

Quo tamen servitio accrescit perfectis major perfectio, si digne agentes dignitatis ministerium pariter servant ejusdem dignitatis et in corde contemptum et in opere ministerium, honore etiam coram hominibus prælati subditorum, timore coram Deo substrati pedibus eorum. Hoc perfectissimæ perfectionis culmen tunc prælatus demum attinget, cum se existimat non potestate dominandi, sed charitate serviendi felicem disciplinam libens habendo, metuendus imponendo, plus a discipulis appetens amari quam timeri, quamvis utrumque sit necessarium propter diversas qualitates discipulorum, quorum, cum quidam sint inquieti, quidam pusillanimes, ipse per timorem corripiat inquietos, per amorem consoletur pusillanimes, et patiens sit ad omnes. Taliter administrando dignitatem usque in finem, qui dignus digne accessit, magis dignus in ipsa dignitate factus de præsenti dignitatis laborioso ministerio assumetur in æternæ dignitatis quietem dicente sibi Domino: « Euge serve bone et fidelis, quia in paucâ fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui (*Matth.* XXV, 23). »

Sed hujus plenitudine gaudii, nec illo privabitur, qui dignitate dignus per *judicia Domini vera, justificata in semetipsis* in hac vita permansit in loco humili, sive sub digno, sive sub indigno prælato, dignus in se permanendo, dignitate tamen libenter carendo, si tamen dignitatis officium, quod visibiliter non administravit, suis indefessis orationibus adjuvit. Duo erant viri perfecti, Moyses et Josue; sed imminente bello Amalecitarum Josue ad pugnam dirigitur, Moyses in monte oravit. Et factum est miraculum grande, ut Moyse manus in orationibus levante vinceret Josue (*Exod.* XVII, 11), quibus ab oratione remissis victoria versa vice Amalecitis cessit, atque tam diu hæc alternatio fuit, quoadusque Moyses manus in oratione levatas non remittendo perseveranter oravit. Sic victo Amalech triumphavit Israel Moyse orante, Josue pugnante. Cui horum putas magis est assignanda hæc victoria? Certe Josue corporaliter plus laborarat, quia Moysen sedentem supposítus lapis sustentabat, atque Aaron et Hur sustollendo brachia orantis Moysi non sinebant illum graviter fatigari. At vero Josue positus in ancipiti bellorum certamine in grandi fuit corporis labore. Verumtamen quia vincendi virtus non ei erat, nisi quantum oratione Moysi fuit adjutus, absque dubio in hoc negotio aut amborum fuit par fructus, aut certe major fructus Moysi, qui orando vires præbuit pugnanti. Similiter nunc in Ecclesia duo sunt viri perfecti, quorum alter in episcopatum electus quasi ad pugnam destinatur, alter sibi vivens ac Deo vacans privatus relinquitur solis discipulis aut sociis contentus, qui tanquam Aaron et Hur non illum ab oratione impediant, sed ad hanc magis expediant, fulciente illum lapide Christo, super quem cum Moyse quiescit, cum Jacob dormit, superposito capite, id est mente, lapidi eidem. Esto, ut ille in ministerio dignitatis injunctæ laboret fortiter, et iste pro eo laborante oret instanter, ambobus hoc modo agentibus, imo altero agente, altero vacante per alterius laborem, per alterius orationem fortiter currat Verbum Dei, et perveniat ad victoriam judicium studio duorum. Nonne uterque istorum auditurus est in fine Dominum sibi dicentem: « Euge, serve bone et fidelis, etc. (*Matth.* XXV, 23). » Audis quia bonitas et

Digitized by Google

fidelitas remuneratur, labor vero nec commemoratur. Quid ergo est, ais, quod Apostolus dicit? « Unusquisque propriam mercedem recipiet secundum suum laborem (*I Cor.* III, 8). » Ad hæc inquam : Nonne considerandum est in eo, qui orat pro laborante, quod laborantis laborem facit suum per bonitatem et fidelitatem, qua suis orationibus juvat laborantem? Ideo audit : « Euge serve bone et fidelis : » ideo quasi bono et fideli servo « quinque talenta (*Matth.* XXV, 15) » in sanctificatione suorum quinque sensuum custodienti, et alia quinque orando pro aliis lucranti etiam illud talentum insuper dabitur, quod a pigro et malo servo tolletur, quando digni subjecti indignus prælatus ipsa dignitate, qua indigne honoratus fuerat, privabitur per *judicia Domini vera justificata in* semetipsis.

Etenim judicia Domini vera hoc exigunt, ut bonus discipulus, qui malum prælatum habuit, et ipse bonus perseverans pro illo malo, ut bonus fieret, oravit, ac satis egit, quantum in ipso fuit, nec sui prælati negligentia sibi esset aliquatenus imputanda ; hoc, inquam, exigunt *judicia Domini vera*, ut a prælato tali tanquam a servo pigro et malo talentum collatæ dignitatis in ultimo certamine tollatur, et huic tribuatur, qui sua quinque talenta multiplicavit, sancte videlicet in se ipso videndo, et aliis, ut sancte viverent, satagendo, sive in prædicatione pugnans cum Josue, sive in monte vacans et orans cum Moyse. Nam sicut strenuus prædicator, ita et strenuus orator talentum sibi creditum duplicat et multiplicat, nec alter alteri est præferendus secundum differentiam laboris, sed secundum differentiam dilectionis et affectionis, quæ sicut major fuit in Moyse orante, quam in Josue pugnante, quod apparuit ex evidentia pugnæ, cujus non dimidia, sed tota victoria pendebat ex oratione Moysi. Sic et adhuc potest fieri ut major sit affectio et dilectio in Deum secrete orantis pro convertendis populis, quam publice prædicantis et laborantis pro eisdem convertendis. Quod si par fuerit affectio amborum, parem suæ affectionis poterunt fructum in præmio sperare et ille prælatus et iste subjectus. Ille « vox tonitrui in rota (*Psal.* LXXVI, 19.) » orbis terræ, iste vox clamantis in solitudine cordis, uterque velut Seraphin Deum laudantes, et alter ad alterum clamantes : « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth (*Isa.* VI, 3). » Seraphin namque interpretatur *ardentes* vel *incendentes*, et utique ardent in oratione, qui orant ex affectione vel dilectionis pro dilectis prælatis, vel compassionis pro eisdem tribulatis, vel certe miserationis pro malis prælatis commutandis, ac populo liberando ab corum iniquo dominio et malæ prælationis periculoso periculo. Qui sic orant ex affectu, ipsi sunt Seraphin ardentes. At illi sunt Seraphin *incendentes*, quibus non sufficit intus ardere per orationes, nisi et alios incendant prædicando et exhortando, arguendo, obsecrando, increpando opportune, importune (*II Tim.* IV, 2), prout eis datus fuerit locus et tempus audientiæ, collata eis vel parva vel magna dignitate cum nomine et officio sacerdotii, quo fungentes recte vocantur angeli, quia scriptum est : « Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est (*Malach.* II, 7). »

Angelorum tamen nomine omnes recti censendi sunt, qui in quocunque gradu, in quacunque conditione positi angelicam vitam student imitari, quia enim angeli neque nubunt, neque nubuntur (*Matth.* XXII, 30), omnes, tam feminæ quam viri continentiæ, seu quod pretiosissimum et omnino angelicum est, virginali pudicitiæ studentes angelicæ dignitatis nomine honorabuntur, etiamsi nunquam in hac vita prælationis vel sacerdotii sortiuntur officium. Unde consequens est multas personas in devoto femineo sexu multis episcopis inter angelos plus honorari, quæ plus illis angelicam vitam student imitari. Nam et Maria virgo inde meruit familiariter affatum angeli, quia studuit angelicam vitam sectari. Quam etiam angelus magni consilii propter hoc sibi in matrem elegit, quia humilitatem ipsius talem respexit, qualem nec inter angelos, nec inter homines unquam invenit, quæ nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

« Gloria » igitur in « altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II, 14), » quod sine dignitatis periculoso nomine, sine prælationis cura periclitationis plena, per *judicia* ipsius *Domini vera justificata in* semetipsis possunt ad angelorum consortium, ad Seraphin, qui summi angeli sunt, participium pervenire omnes homines bonæ voluntatis, maxime qui sunt angelicæ castitatis et humilitatis, tanto incedentes via tutiore, quanto expeditiori ab omni prælationis implicamento, quod sæpe supplantavit, etiam viros præcipuos, quia qui in alto vadit, facile cadit.

Dicis itaque mihi : quando dignitatis cura est periculosior, tanto eam digne administrans est pretiosior. Verum est, sed memor esto exempli Moysi et Josue, memor esto illius pugnæ in cujus victoria plus attributum est oranti quam pugnanti, et cognosces administratorem dignum dignitatis alicujus adjuvari aliorum precibus, quibus, ipse licet sit prælatus honore coram hominibus, tamen si sapit, si non est exaltatum cor ejus, neque elati sunt oculi ejus, timore coram Deo substernit se pedibus eorum, quorum oratione ac merito credit seu cognoscit se navigantem vel naufragantem non incidisse in perditionis profundum.

Iterum dicis mihi : ex eo ipso magnus est magisque commendandus, quod in alto positus ita humiliter sentit, ut se coram Deo substernat, etiam sub minimos, ut sit quasi cardo substratus ostio ex eorum numero, de quibus dicitur : « Domini enim sunt cardines terræ, et posuit super eos orbem (*I Reg.* II, 8). » Respondeo, quia magna revera est humilitas in alto non alta sapere, sed humilibus

Digitized by Google

consentire. Sed sicut laudabilior est in hoc mundo exaltati et honorificati hominis humilitas, quia non cedit superbiæ lenociniis, dum charitas non inflatur, quantalibet ventositate honoris et gloriæ tentetur : sic laudabilior est hominis in hoc mundo neglecti et despecti ad Deum charitas, dum non irritatur, quantislibet etiam vilissimorum hominum conculcationibus prematur. Illius tentatur per honores humilitas, ut inflctur, arbitrando se assumptum ad dignitatem, quia Deus sciat illum aliis digniorem; istius tentatur charitas per contemptum hominum, ut irritetur et indignetur se dignitatibus et honoribus carere, quibus multos videt exaltatos indigniores se. Sicut ergo in illo est laudabile quod charitas non inflatur, sic in isto est laudabile quod charitas non irritatur Commendabilis est illius humilitas immobilis inter elationis lenocinia multa; commendabilis est istius charitas imperturbabilis inter multa irritamenta despectionis et abjectionis; parum est illam non inflari honoribus, quin imo tanto amplius coram Deo humiliatur, quanto propensius inter homines honoratur, timens per honores momentaneos impediri sibi honores æternos; parum est huic non irritari despectionibus, imo, quanto amplius in hoc mundo abjicitur et despicitur, tanto amplius gloriatur in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem sibi mundum et se mundo crucifixum intelligit, quando se mundum despicere seque a mundo despici persentit.

Hi sunt duo seraphin, quæ salvo sacratiore intellectu vidit Isaias ad alterutrum clamantes « Sanctus, sanctus, sanctus (*Isa.* VI, 3), » quoniam uterque in altero trinum Deum glorificat, uterque in alterius comparatione se humilians alterum superiorem arbitratur, et ab altero in altero nomen Dei sanctificatur. Hi sunt duo cherubin qui se mutuo respiciunt versis vultibus in propitiatorium, quoniam uterque divinæ propitiationi attribuit, quod in altero venerabile persentit. Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra in conspectu Domini terræ stantia, stationes videlicet suas custodientia. Unde dicit quilibet eorum in Amos (*Habac.* II, 1) : « Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem, et contemplabor, ut videam, quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me. » Custodit ille se, ne honoribus inflctur, custodit iste se, ne despectionibus irritetur, custodit ille se per humilitatem in gradu honoris, quem non ipse sibi assumpsit, neque enim quisquam talium sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron, sicut et Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum de cœlo : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite (*Matth.* XVII, 5). » Custodit iste se per charitatem in loco plano et humili, quem ipse selegit cum Psalmista, dicens : « Elegi abjectus esse in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum (*Psal.* LXXXIII, 11). »

Nam in hoc ipso est magna differentia duorum perfectorum, quod alter eligitur ad stationem custodiæ suæ in alto; alter elegit custodiam suæ stationis in plano. Nam si vel ille semetipsum per ambitionem volens erigeret in altum, vel iste ab alto nolens et indignans deprimeretur in planum concupiscens locum altum, non illis conveniret nomen perfectorum, sed alter eorum esset membrum Antichristi, qui extollitur ita, ut in templo Dei sedeat ostendens se, tanquam sit Deus, alter esset membrum diaboli, qui concupiscens regnare in cœlo, nolens depositus jacet in inferno. Antichristus gloriatur se in hoc mundo altum haberi, diabolus indignatur se in inferno detineri. Propterea membra sunt Antichristi, qui per inanem gloriam sunt inflati, et membra diaboli sunt, qui de sua in hoc mundo humiliatione per indignationem et iram tabescunt. De illo scriptum est : « Vir vanus in superbia erigitur (*Job* XI, 12); » de isto scriptum est : « Et aspiciet ad dexteram, et esuriet, et ad sinistram, et irascetur, et maledicet Deo suo, et regi suo (*Isa.* IX, 20). » Item de illo scriptum est : « Generatio, cujus excelsi sunt oculi, et palpebræ in altum subrectæ (*Proverb.* XXX, 13); » de isto scriptum est : « Peccator videbit, et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet (*Psal.* CXI, 10) : » videlicet quando se in comparatione aliorum despectum videt, præ nimia ira tabescet. Aliquando etiam ipsi Deo irascitur, quod ab illo nimis vel paupertate, vel ægritudine, seu alio gravamine prematur, quodque aliis indignis loca dignitatum tenentibus ipse jaceat quasi nullus. At tamen sive in alto superbientibus, sive in imo irascentibus et tabescentibus una vera et perfecta est medicina, si amare ac laudare studeant *judicia Domini vera, justificata in semetipsa*, id est in semetipsis. Accusativus enim casus pro ablativo est positus ab interprete, quod colligimus ex Hebraica veritate, in qua sic legitur :

Timor Domini mundus perseverans in sæcula : judicia Domini vera, justificata in semetipsis, desiderabilia super aurum, et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum redundantem. Plane redundantem in divinis judiciis dulcedinem nos ecce per gratiam Dei gustamus aliquantisper in hoc ipso tractatu eorumdem judiciorum, quæ ruminando illud ex misericordia divina sapimus, quod in omnibus suis judiciis Dominus pariter est amandus et timendus, illo nimirum timore, de quo hic dicitur : *Timor Domini mundus perseverans in sæcula.* Nam hic timor mistus amori, si replet humanum pectus, per omnia judicia divina illud accendit sive ad laudandum sive ad adorandum. Ad laudandum, quando ipsa judicia nobis sunt suavia; ad adorandum, quando videntur gravia. In laudibus debet esse gratiarum actio pro gratuito judiciorum Dei erga nos beneficio : in oratione debet esse deprecatio, et observatio, ut *judicia Domini vera et justificata in semetipsis, desiderabilia super aurum et*

Digitized by Google

lapidem pretiosum in semetipsis, et dulciora super mel et favum redundantem *in semetipsis*, id, quod sunt *in semetipsis*, etiam sint nobis in nobis.

Contingit enim aliquando, ut res dulces *in semetipsis* non sint dulces aliis. Verbi gratia : « Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum » patres imitantium « obstupuerunt (*Ezech.* XVIII, 2). » Ideo panis in se ipso dulcis non sapuit amaricatis dentibus, neque ipsis dulcis fuit, qui tamen in se ipso dulcis permansit. Christus, qui est panis vivus habens omne delectamentum, et omnem saporem in se, non hunc saporem habuit in palato Judæorum, quibus ideo non sapuit ejus delectamentum, quia erant in peccatis propriis et suorum parentum, qui comederant uvam acerbam prævaricando mandatum per gustum ligni vetiti, et dentes filiorum obstupuerunt, qui legem naturalem seu scriptam transgredientes, et vetita facientes eosdem patres imitati sunt. Ideo eorum dentibus fastidiosus erat panis in se ipso dulcis et suavis. Et lux diurna solis in se ipsa desiderabilis et suavis est, attamen oculis ægris odiosa est, et gravis ad videndum. Similiter *judicia Domini vera et justificata in semetipsis, desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum in semetipsis, et dulciora super mel et favum in semetipsis*, tamen neque vera, neque justificata, neque desiderabilia, neque dulcia sunt non veris, non justificatis, vilissimis et amaris cordibus, quibus in suis judiciis non placet ipse Deus. Sed « quam bonus, Israel, Deus his, qui recto sunt corde! (*Psal.* LXXII, 1) » quam suavis est panis palato sano! quam suavis et amabilis est lux oculis a lippitudine ac cæcitate sanatis! « Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti » in tuis judiciis, quam « perfecisti eis, qui sperant in te! (*Psal.* XXX, 20, 21.) » Igitur « sperent in te » omnes, « qui noverunt » et diligunt « nomen tuum (*Psal.* IX, 11). » Sperent in tuis judiciis dulcedinem sibi conservatam, quam perfecisti eis qui sperant in te. Ruminemus nunc aliquantulum saltem de micis judiciorum istorum super mel et favum in sua dulcedine redundantium.

Si Deus omnibus omnia daret sine judiciis agens, omnia confunderet : verbi gratia, si omnes homines fecisset in hoc mundo æque divites, nullus alterius ope indigeret, nec esset utilitas in divitiis, quibus nullus bene posset facere, sibique inde mercedem parare. Similiter, si omnes homines essent pariter egeni, nullus posset alteri subvenire, et hæc esset confusio tædiosa, quia nec dives gaudere posset in divitiis, quas conspiceret abundare omnibus, nec pauper juvaretur ab aliquo; quia omnes gravaret æqualiter magnitudo inopiæ. Nunc autem per ineffabilem dulcedinem judiciorum Dei bene ordinantur cuncta, dum alii divites, alii sunt pauperes, ut et illi, si volunt, possint justificari per opera misericordiæ pauperes consolando, et isti, si volunt, nihilominus possint justificari per patientiam in sua miseria, consolationem habentes tantummodo ex divitum misericordia : quæ si eis non fuerit exhibita, erit eis in futuro amplior corona et ipsorum divitum inexcusabilis culpa, et ideo pœna justissima.

Sed dicis mihi : Cum utroque modo sit Deo possibile me justificare, mallem ego justificari per opera misericordiæ, quam per patientiam miseriæ. Itane tibi perverso Deus perversus videtur, ut ipse sciens omnia, non attendat, quid cui expediat? « Qui plantavit aurem nonne audiet, » quid intentio tua clamet? « Qui finxit oculum, nonne considerat (*Psal.* XCIII, 9), » quid cuique magis expediat, sive ut fiat laudabilis in bono, sive ut fiat inexcusabilis in malo? Certe ipse novit decipientem, et eum, qui decipitur. Si tu te ipsum decipis, et putas tibi salubre, si abundes in divitiis, quibus benefacias aliis, melius ille te cognoscit, qui te judicavit ex miseria sive probandum per patientiam, sive reprobandum per impatientiam. Nonne ipse dicit : « Qui in modico iniquus est, et in majore iniquus est? (*Luc.* XVI, 10.) » Sed ipse tibi reliquit aliquid modicum, in quo æquitatis tuæ capiat experimentum. Sicut enim dives habet nummum tibi fortasse necessarium, sic tu habes bonum verbum, per quod orando juvare potes divitem. Esto largus in eo quod habes. Nam Paulo apostolo affirmante, « voluntas prompta accepta est ex eo quod habet, et non ex eo quod non habet (*II Cor.* VIII, 12). » Unde si renuit bene operari ex eo, quod habet, falso blanditur sibi, se bene operaturam, si haberet, quod non habet, quia vera est illa veritatis sententia, qua dicit : « Qui in modico infidelis est, et in majore iniquus est. » Hoc *per judicia Domini vera* deprehensum est in te, quod tu in modico agens inique, in majore similiter ageres inique. Ideo te maluit inique agere in modico, quam in magno, ut peccans in modicis quotidie purgeris in camino paupertatis, et Lazaro illi socieris, qui recepit mala in vita sua, quia erant modica mala (*Luc.* XVI, 25). Positus quippe in cippo infirmitatis homo ulceribus plenus, non potuit facere vel saltem intendere mala magna; parvis tamen ipse non caruit, pro quibus in hac vita retributionem accepit, quia erant ita modica, ut purgari potuissent per dura præsentis vitæ. Sed dives ille, qui ei micas non dedit, recepit bona in vita sua, quia bona ejus adeo erant modica, ut recompensari valerent per sola temporalia bona. Via enim divitum lubrica est et anfractuosa, ut, etiamsi velint interdum recte incedere, non facile possint. Via pauperum dura est et stricta velut inter sepes duas coarctata. Unde in Evangelio « *compelli* (*Luc.* XIV, 24) » dicuntur, qui in viis et sepibus inveniuntur, angustiati videlicet ex uno latere per unam sepem, quæ dicitur miseria, dum per se pauperes sunt; ex altero latere per alteram sepem quæ dicitur inopia, dum nullius ope sublevantur. In hoc ergo *judicia Domini vera sunt, justificata, desiderabilia et dulcia in semetipsis:* quod multi positi sunt in paupertatis via sicca et

Digitized by Google

stricta; pauci vero in divitiarum via lubrica, et an- A fractuosa.

Similiter via prælationis ardua est multum, ex utroque latere habens præcipitium, a dextris et a sinistris. A dextris per gloriam, a sinistris per ignobilitatem. Item a sinistris per infamiam, a dextris per bonam famam. Multi nimium cavendo præcipitium gloriæ ac bonæ famæ ceciderunt in ignobilitatis ac malæ famæ cœnosam foveam. Rursum alii nimis cavendo ignobilitatem et malam famam præcipitati sunt in ruinam gloriæ inanis per bonam famam. Utrobique autem cavere periculum valde paucorum est ac nimis difficile. Sed via subjectionis plana est, hinc inde munita prælatis, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis. Boni et modesti stant a dextris, ut eos amemus in Christo; discoli sunt a sinistris, ut eos toleremus propter Christum, sic tamen bonos diligendo, ut eorum, si qua sunt mala quatumvis tolerabilia non diligamus; sic malos tolerando, ut eorum, si qua sunt bona, quantumvis parva, non ita parvipendamus, quin ea inter multa et magna mala, qui in eis odimus, diligamus. Iterum hoc est planum, si cum dilectione hominum et odio vitiorum sic in eis veneramur dignitatum officia, et officiis congrua facta, ut caveamus contraria. Sed et si quid in eos peccamus, ipsis dominantibus, et nobis dominium eorum portantibus in hac vita pœnas damus, illis autem servatur in futurum sæpissime, quod in subjectos agunt inique. Unde laudanda C sunt *judicia Domini vera, justificata in semetipsis*, quod paucos ponunt in via prælationis ardua et periculosa, multos vero ponunt in via subjectionis plana, hinc inde munita.

Dic ergo tu mihi, qui cum status tui qualitate rixaris, qui super hoc indignaris quod, te contempto alios exaltari et honorari cernis, te viliores et indigniores, ut tu cognoscis, vel credis. Dic mihi, quæso, quid velles facere, si te contingeret illis rejectis præesse? Scio quia cogitas vel bene vel male principari. Si male, gratias age Deo, quod sublata tibi est male dominandi occasio. Si bene, haud illud credo, nisi ostendas experimentum fideliter agendo in illo modico quod accepisti. Unde credam te fideliter acturum, si acceperis multum? Si hoc D experimentum videbo, beatum te judico de modico, etiamsi nihil magnum accipias, unde majus bonum facias.

Perfectiorem te dicis velle servare in prælatione, quare igitur hanc non servas in subjectione? An ignoras quod *inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista*, qui non baptizavit, nisi in aqua. Tu autem sacerdos qualiscunque minister es baptismi melioris, quem dat Christus per te non in aqua solum, sed in aqua et sanguine ac Spiritu sancto. Ille in officio parvo tantus factus est, ut inter natos mulierum non esset major illo : qui cum esset legitimus hæres legalis sacerdotii natus de vice Abia, qui de sacerdotali fuit prosapia, tamen sub principibus sacerdotum iniquis Anna et Caipha sacerdotio tunc occupato quasi plebalis fuit in eremo nullo trahente seu eligente illum ad sacerdotium, quod ex merito ac generatione fuit ei debitum. Sic ergo, et tu, « si vis perfectus esse, vende, quæ habes, et da pauperibus, et » Christum « sequere (*Matth.* XIX, 21), » hoc sentiendo in te, « quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo (*Philipp.* II, 5, 6 et 7), » non ex auro coronatus, aut pontifex infulatus in habitu dignitatis, seu in *habitu* simplici *inventus* est, *ut homo*. Melius tibi est, ut ejus exemplo invenialis in habitu simplicis hominis, quam in B exemplo Caiphæ in habitu pontificis. Si te culmen perfectionis delectat, ad hanc perge via planiore absque dignitatis compede humiliando te ipsum, sicut et Christus humiliavit se ipsum. Ita esto sub judicibus malis tu bonus, quomodo et ipse sub judicibus pessimis fuit optimus. Quod si hac plana via non vis ire ad perfectionis palmam, vane tibi arrogas, ut per arduam et scabiosam prælationis viam sis idoneus currere, qui necdum in plano didicisti ambulare. Sed benedictus Dominus, et benedicta *judicia ejus vera, justificata in semetipsis*, qui nos affectantes alta non relinquit nobismetipsis, et posuit nobis in plano viam tantæ perfectionis, quantam accipiunt bene currentes in arduis viis.

Duo fratres fuerunt, Jacobus et Joannes : ambo a Domino audierunt : « Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? » Aiunt : « Possumus. » Et ille : « Calicem, » ait, « meum bibetis (*Matth.* XX, 22, 23), » passionem videlicet, suam significans, cui uterque fuit communicaturus, quamvis uterque non legatur per martyrium transiisse ad regnum, quia Herodes quidem « occidit Jacobum fratrem Joannis gladio (*Act.* XII, 2), » sed Joannes in pace quievit : ubi ergo calicem Domini bibit? Nempe non moriendo per passionem, sed compatiendo morienti Christo. Stabat enim juxta crucem cum matre Domini, ubi sicut animam matris moriente Filio Deo pertransivit gladius, ita dilecti et diligentis discipuli animam creditur gladius pertransiisse magistro suo dilecto et diligente in conspectu ejus pendente ac moriente. Si te perfectionis amatorem delectat bibere calicem Domini, non te præsumas idoneum martyrio cum Jacobo, nec temere te objicias tyranno, aut mortis atroci supplicio, nisi forte ab alio cingaris et ducaris quo non vis, Deo disponente, qui te potest in tormentis confortare, ac sine dubio dabit patienti constantiam, si pateris propter justitiam. Sed cum persecutor non cingit, paratum quidem cor habeas ad martyrium, si Domino ita de te fuerit complacitum : verumtamen sta juxta crucem Domini cum matre et cum Joanne, ut prius Christo complantatus per dilectionem et compassionem fias idoneus ad passionem. Cujus passionis calicem si Dominus transferet a te, sicut eum

Digitized by Google

translulit a Joanne, in nullo corona minuetur, quia remunerabitur tuæ dilectionis affectus comprobatus per effectum compassionis, quod erat paratus ad effectum passionis.

Simili modo, si te perfectionis amatorem delectat multis prodesse in prælatione, non te præsumas idoneum tali officio, nec temere te ingeras tanto ministerio, nisi forte ab alio cingaris, quo non vis, Christo disponente, qui te potest sua dispositione prælatum confortare, ac sine dubio confortabit et conservabit ad multorum utilitatem, si tuam comprobat humilitatem sinceram et devotionem veram ad parandam Domino plebem perfectam. Sed si te neque clerus eligit, neque populus petit, neque major auctoritas, cui resistere non debeas, cingit, paratum quidem cor habeas ad serviendum Domino, qualicunque ipse dignetur ministerio. Verumtamen et tu sta juxta crucem Domini, ut prius discas humiliari, quam affectes exaltari. Quod si tu fueris perfecte humiliatus et charitatis alumnus, etsi nunquam habeas magisterium prælationis, dummodo permaneas discipulus veritatis, Domino transferente a te calicem prælationis habebis coronam tantam pro affectu comprobatæ in te dilectionis et humilitatis, quantam fuisses habiturus pro effectu bonæ prælationis, maxime, si tu positus in monte conversationis altæ cum Moyse adjuvas orando pugnantes in campo cum Josue : si tu sciens illos affligi per alicujus tribulationis passionem, sociaris eis per compassionem flendo cum flentibus, gaudendo cum gaudentibus, id ipsum invicem sentiendo, non alta sapiendo, sed humilibus consentiendo. Si autem tibi vitam privatam vel pauperem sub magisterio vel divitum dominio agenti, vita magistrorum, seu divitum per hoc videtur magis pretiosa, et propterea tibi expetenda ipsa prælatio, quia in ea major tentatio, majorque certaminis occasio, et propterea quærenda rerum copia, quia pretiosor est abstinentia in ipsa rerum affluentia, quam indigentia : multum erras, qui contra impetum fluminis navigare cupis ingratus Deo, qui te non alta sapientem, sed humiliora petentem, paratus est juvare per decursum fluminis dirigendo navem tuam usque ad perfectam charitatis et humilitatis mansionem, ad quam contra impetum fluminis conando vix et cum summa difficultate itur per divitias et prælationes propter magnas et innumeras tentationes, quæ quasi procellæ spumantes multas divitum et honoratorum demerserunt naves in profundum, ita ut ex nimia tentationum assiduitate contemnerent eisdem se maculatos esse, quod erat eos decidisse in profundum, quia scriptum est : « Peccator, cum venerit in profundum, contemnit (*Prov.* XVIII, 3). »

Sed dicis fortasse in corde tuo : nollem ego tentationes contemnere, sed contra eas contendere, sciens quod unaquæque virtus tanto magis est pretiosa, quanto fuerit vehementius pulsata et probata per sua contraria. O insipide, cui non sapiunt *judicia Domini vera, justificata, desiderabilia et dulcia in semetipsis*, vel *in semetipsa*, quoniam in semetipsa redundat eorum vera justitia et desiderabilis dulcedo. Sicut enim lumen solis in semetipsum redundat, propter quod semper lumine suo abundat ; sicut exundationes maris in semet redundant, propter quod semper abundant : sic *judicia Domini vera justificata* redundant *in semetipsa*, propter quod semper in eis abundat veritas et justitia et desiderabilis dulcedo, etiamsi tibi non sapiat. Quam magna multitudo dulcedinis abundat in eis ! Unde, ut supra memoratum est, in Hebræo dicuntur *dulciora super mel et favum redundantem*, quia videlicet sicut abyssus maris per venas terrarum in fontes et flumina exundat, et omnibus fluminibus redeuntibus in mare, ipsum de se et in se abundat, sic *judicia Domini vera justificata in semetipsa* exundationes, quas in fontes et flumina gratiarum foras mittunt, in semetipsa recolligunt, unde a suæ veritatis, justitiæ ac dulcedinis abundantia non deficiunt. Quod tu, insipide, non sapis, qui contra eorum dispositionem tentationes periculosas judicas appetendas, quas *judicia Domini vera, justificata in semetipsa* censent fugiendas, servata nimirum in ejusdem judiciis tanta dulcedine, ut interdum virtus carens tentatione sit pretiosior virtute in tentationibus luctante. Quis enim sapiens et gustans judicia Domini vera, non hoc sapiat in eis, quod pretiosior fuit castitas Mariæ virginis, quæ carnis incentiva non sentiens casto Domini amore flagravit, quam castitas Pauli apostoli, qui stimulum carnis tolerando viriliter contra eumdem pugnavit? Item fortasse tu videns in facie judicas mundi hujus contemptum in illo pretiosiorem, qui habuit multa, quæ dimitteret, quorumque delectatione ad mundi amorem teneri potuisset. Deus autem videns in corde judicat in hac re pensandum potius affectum quam censum. Pretiosum quippe fuit quod Matthæus apostolus multa dimisit, sed tamen per judicia Domini vera eidem præpositus est Petrus, qui parum dimisit, imo, ut verbis utamur sanctorum Patrum, ille piscator multum reliquit, qui sibi nihil retinuit : multum reliquit, qui cum re possessa etiam concupiscentiis renuntiavit ; multum reliquit, qui confidenter dicere potuit : « Ecce, nos reliquimus omnia, et secuti sumus te (*Matth.* XIX, 27). » Unde tibi, Petre, tam grandis fiducia, ut tu, qui pauper eras, cibos manu et arte quæsieras, constanter diceres : « Ecce, nos reliquimus omnia? » Scio te reliquisse omnia tuæ piscationis instrumenta, scio Matthæum reliquisse multo majora, et tamen illo tacente tu loqueris, et dicis : « Ecce, nos reliquimus omnia. » Et cum vobis duodecim qui, relictis omnibus, Christum secuti estis, destinantur sedes duodecim, te, Petre, video in apostolicæ dignitatis vertice ante alios residere. Quare hoc, nisi qua *judicia Domini vera, justificata in semetipsa* tuum pensaverunt affectum potius quam censum? Simili modo adhuc per *judicia Domini vera* pen-

Digitized by Google

satur in singulis quantitas potius affectionis et intimæ devotionis, quam forinsecæ operationis, ut nihil simus solliciti, etiamsi non poterimus per magnas divitias vel dignitates ostendere forinsecus boni et magni operis effectum, dummodo intrinsecus magnum Deo exhibeamus amoris affectum.

Sed dicit aliquis : Ergo possumus pariticari meritis apostolorum solummodo habentes magnum fidei et dilectionis affectum, non operis effectum. Ad hæc, inquam : Perfectus Dei amor nunquam est otiosus. Operatur enim magna, si est ; si vero renuit operari, amor non est. Ideo qui videntur habere bonitatis affectum, nisi habeant et effectum temporibus, locis et officiis suis congruum, comprobantur nec affectum habere, quem se putant, vel ab aliis putantur habere, verbi gratia, alia fuerunt loca, tempora et officia prophetarum, alia sanctorum apostolorum, alia martyrum, alia confessorum, alia pastorum atque doctorum, alia vero pastoribus et doctoribus obedientium et obedire debentium. Unde ait Apostolus : « Qui descendit, ipse est, et qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia. Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi (*Ephes.* IV, 10-13). » In consummationem, inquit, sanctorum, quia sicut Sancta sanctorum visibiliter consummata sunt per Moysen, sic nunc Ecclesia consummatur per Christum, in quo plebs fidelis dicitur simpliciter sancta, portio autem Domini, hæreditas videlicet ejus, de qua ipse dicit : « Etenim hæreditas mea præclara est mihi (*Psal.* XV, 6), » cujus etiam hæreditatis pars, et hæreditas est ipse Dominus, quæ in contemptoribus perfectis mundi hujus intelligitur ; hæreditas, inquam, ista præclara dicitur *Sancta sanctorum*. In ædificatione hujus tabernaculi, quod, sicuti distinximus, in plebe fideli et subjecta, dicitur *sancta*, et in bonis prælatis dicitur *Sancta sanctorum*, posuit Christus apostolos suo tempore, quibus contemporanei fuerunt quidam prophetæ habentes gratiam linguarum et interpretationem sermonum et revelationes mysteriorum et futurorum, quorum unus fuit Agabus, qui famem magnam nuntiavit futuram, quæ facta est sub Claudio. Evangelistæ quoque apostolorum contemporanei fuerunt, sed suis locis, et officiis distincti fuerunt, et in omnibus illis unus Dei amor operabatur, unus et idem flagrabat amoris divini affectus, sed in diversos refulsit effectus pro distinctione locorum, dum « qui operatus est Petro in apostolatum, circumcisionis, operatus est » Paulo apostolo « inter gentes (*Galat.* II, 8), » pro diversitate quoque officiorum, dum verbum Dei, quod apostoli primi annuntiaverunt, prophetæ post ipsos, et secundum ipsos latius exposuerunt. Evangelistæ autem non solummodo voce prædicaverunt, sed et scribendo evangelizaverunt. Deinde pastores et doctores mundum repleverunt, quorum singuli suis locis præfuerunt et profuerunt, habentes, ut in Job legitur, cum gallo intelligentiam (*Job.* XXXVIII, 36), per quam noverunt servare tempora, quibus et semetipsos alis propriis concitarent bene operando, et aliis propinquantem diem præcinerent bene loquendo et docendo. Unde recte pastores et doctores dicti sunt. Pastores, quia exemplo bonæ operationis ducunt oves ad pascua vitæ, sicut de bono pastore legitur : « Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit, et oves illum sequuntur (*Joan.* X, 4). » Igitur ante oves ire per exempla bona, boni est pastoris. Et quia cœpit Jesus facere et docere, cum et ipse, quæ facit opere, docet verbo, habet pariter officium pastoris et doctoris. Ovium autem quod erit officium ? Utique post pastorem suum disciplinate ire, doctori suo fideliter obedire, ita ut alienum non sequantur, sed fugiant ab eo, qui non debent recipere vocem alienorum. Alienum dico a pastoris officio et nomine, qui non pascit exemplorum dulci pane. Alienum dico a doctoris officio et nomine, qui assimilatur cani muto non valenti latrare. Vox autem alienorum doctrina hæreticorum est, et aliorum prava docentium.

Fuerunt quoque ante adventum Christi prophetæ, quorum fuit officium ventura Christi mysteria obscure prænuntiare, quæ apostoli completa in Christo annuntiaverunt præterita manifeste, quibus juxta suæ distinctionis modum cooperabantur voces prophetarum sibi contemporaneorum in Ecclesia, ut Paulus ait, per partes loquentium et dijudicantium. « Prophetæ, » ait, « duo aut tres loquantur » per partes, « et cæteri dijudicent (*I Cor.* XIV, 29). » Ergo aliud fuit officium prophetarum adventum Christi præcedentium, aliud prophetarum sequentium. Nam de illis dicitur, « tenebrosa aqua in nubibus aeris (*Psal.* XVII, 12), » id est obscura scientia in prophetis. Per novos autem prophetas occulta cordium revelabantur, dum Scripturæ sacræ ab eis luculenter exponebantur. Unde ait Apostolus : « Si omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus, occulta cordis ejus manifesta fient, et ita cadens in faciem » suam « adorabit Deum pronuntians, quod vere in » nobis « Deus sit (*I Cor.* XIV, 25). » Sic beatorum martyrum et confessorum, sicut erant tempora diversa, ita quoque fuerunt officia distincta, quoniam ad illos imminente persecutionis bello pertinuit mori patienter, cum viverent libenter, cupientes cum Paulo « dissolvi et esse cum Christo (*Philipp.* I, 23), » sed quia manere illos in carne fuit necessarium propter alios, quemadmodum fuit martyribus mori lucrum, quia per mortis sacræ compendium cito pervenerunt ad Christum : ita confessoribus beatis ad libenter moriendum pro Christo paratis, et ad patienter vivendum pro eodem Christo in carne vinculatis et inc[illegible]ratis vivere

Digitized by Google

Christus fuit in causa. Pastoribus quoque atque doctoribus istorum novissimorum temporum non contemnendum vel parvum incumbit officium. Nam sicut in ædificatione corporis Christi, quod est Ecclesia, tabernaculum existens, quod dicitur *Sancta*, sancti apostoli fundamenta exstiterunt, et ipsi super suam atque prophetarum doctrinam plantaverunt et fundaverunt Ecclesiam sanguine suo : ita doctores atque pastores destinati sunt ad consummationem eorumdem sanctorum, quæ super fundamentum apostolorum et prophetarum sunt fundata divina gratia operante, et ipsorum apostolorum studio cooperante. Non autem consummatio istius tabernaculi veri, quod fixit Deus, et non homo, a fundamenti pulchritudine aliquatenus discrepare debet, quia de illo tabernaculo, quod in umbra dicebatur *Sancta sanctorum*, scriptum est : « Quomodo erigetur ita et deponetur (*Num.* II, 17), » et tectum tabernaculi tam in fronte occidentali, quam in fronte orientali duplicatum fuit, servata utriusque frontis consimilitudine. Per quæ mystica dicta et facta fuit præfiguratum, quod Ecclesiæ tam extrema consummatio, quæ fit per pastores et doctores, quam primitiva fundatio, quæ facta est per Apostolos et prophetas, in eadem perfectione debet esse consimilis ; licet apostolorum gratiæ nullorum sanctorum illos præcedentium vel subsequentium gratia fuerit coæqualis.

Ipsis enim dixit veritas : « Beati oculi, qui vident, quæ videtis. Multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt (*Luc.* x, 23 et 24). » In ista beatitudine Baptista Joanne non fuit aliquis major inter natos mulierum, quia et ipsius beati oculi viderunt una cum apostolis, quod non est concessum multis regibus et justis. « Beatam » vero « dicent omnes generationes virginem Matrem (*Luc.* I, 48), » cujus beatissimi oculi viderunt videntem se Filium suum hominem Deum. Et potuit illa dicere : « Tu Deus, qui vidisti me, » quod olim dictum est apud puteum nomine « viventis et videntis » ab ancilla Saræ Agar (*Genes.* XVI, 13), cui ancillæ non injuriose comparatur hæc domina mundi dicens : « Quia respexit humilitatem ancillæ suæ (*Luc.* I, 48), » quæque genuit ipsum, qui est puteus vivens et videns. Unde et dicit : « Si quis sitit, veniat ad me, et bibat (*Joan.* VII, 37). » Illi veteri ancillæ monstravit angelus puteum nomine viventis et videntis. Huic novæ ancillæ nuntiavit angelus Gabriel Christum fontem vivum. Illa conceperat de semine Abrahæ : ista concepit semen divinum, id est Verbum Dei Patris, quod in ea incarnatum dicitur semen « Abrahæ in quo benedicentur omnes tribus terræ (*Act.* III, 25). » Propterea nec prima similem visa est, nec habere sequentem. Item alibi dicitur apostolis : « Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo, ut sedeatis super thronos duodecim judicantes duodecim tribus Israel (*Luc.* XXII, 28, 30). »

Igitur salvo privilegio incomparabilis dignitatis beatissimæ virginis Mariæ, quæ ipsa quoque fugientibus apostolis permansit cum Filio in tentationibus suis, et Joanne Baptista decenter honorato, qui erat magnus coram Domino, sanctis apostolis nulli sancti coæquantur, quia in illis major fuit dilectionis affectus et operationis effectus, quia divinæ charitatis « unguentum in capite Aaron, » licet inde usque « in oram vestimentorum ejus descendens » extrema Ecclesiæ membra beatificet, vicinius et plenius venit « in barbam, barbam » videlicet « Aaron (*Psal.* CXXXII, 3), » id est Christi magni sacerdotis, cui apostoli quasi barba inhæserunt, et quasi duodecim lapides in ornamento pectoris ejus fulserunt.

Noli ergo tu quicunque, quantumcunque sanctus, quantumcunque tibi sit amoris in Deum pius affectus, affectare divitias, quas habere non potes, quia sanctos apostolos non potes æquare, neque in amoris affectu, neque in operis effectu. Primi Dominum secuti, posteris viam paraverunt. In acie veri *David* sanctæ Trinitatis vexillum annuntiando fidem catholicam primi portaverunt. Unde sicut de quibusdam fortibus David legitur, quod fortes quidem fuerunt, « sed usque ad tres primos non pervenerunt (*II Reg.* XXIII, 1) : » sic de omnibus fortibus in acie veri David post apostolos ordinatis possumus dicere, quod fortes quidem exstiterunt martyres, confessores, pastores atque doctores catholici et apostolici viri, sed usque ad tres primos non pervenerunt, quoniam sancti apostoli primi sanctæ Trinitatis annuntiatores aliis fortibus erant fortiores, non sua fortitudine, sed illa, de qua dicitur : « Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum (*Psal.* XXXII, 6). » Post apostolos ergo in toto exercitu manu fortis et desiderabilis regis Christi Domini nostri, quando fit collatio inter duos perfectos, quibus est idem divini amoris affectus, nihil impedit coæqualitatem dispar et dissimilis effectus, quia in ipsa divinæ charitati unitate ac simplicitate velut in centro indivisibili conveniunt corda eorum quasi lineæ directæ ab uno puncto medio in circulum eidem puncto circumductum, quem pariter tangere non possunt, quoniam ab ipso puncto in divisum tendunt. Sic aliqui viri, in quibus charitas perfecta (foras jam misit servilem timorem, qui non emittitur, nisi per ipsius charitatis perfectionem), habent quidem in Deo cor unum et animam unam, sed non exercent operationem unam, quia, ut superius perstrinximus, alia est operatio apostoli, alia prophetæ, alia evangelistæ, alia martyris, alia confessoris, alia pastoris et doctoris, alia pastori et doctori obedientiam debentis.

Inter quos omnes post eos fortes, quos verus *David* præ cæteris habuit et haberi voluit ac docuit,

Digitized by Google

quibuscunque bonis est idem bonitatis affectus. Licet alter eorum sit martyr, alter confessor, seu alter dives, alter pauper; sive alter prælatus, alter subditus, dummodo, ut dictum est, habeant comparem dilectionis affectum, non distinguuntur propter dissimilem effectum, quin sint æqualiter beati apud Deum illa beatitudine, de qua dicitur : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* v, 8). » Nimirum par cordis munditia, coæqualis claritas in oculo cordis, non immerito habebit æqualitatem divinæ visionis omnes electos beatificantis. Unde in hac munditia impares dispariter et differenter beatificabuntur; pares autem non dissociabuntur, licet alter eorum ducatur ad martyrium, alter non; quia in alterius passione alter habet, si eam novit, ita fortem compassionem, ut gladius, qui hujus carnem pertransit, ipsius pertranseat animam, quia pro illo, vel cum illo, si traheretur ad supplicium, paratus esset ponere animam, plenus videlicet et perfectus illa dilectione, in qua docet Apostolus animas pro fratribus ponere, sicut et Christus nos diligendo animam suam posuit pro nobis. Item, si alter duorum perfectorum est pastor, alter grege hujus pastoris est agnus masculus, anniculus, vel una de ovibus perfectis, quæ sunt « omnes gemellis fœtibus, et sterilis non est in eis (*Cant.* VI, 5), atque contingat persecutio, in qua hic talis pastor pro talibus agnis vel ovibus exigatur ponere animam suam : revera in tali pastore tales agni talesque oves patiuntur, et est fortasse in aliqua ovium fortior et acutior gladius compassionis, quam in pastorem sæviens gladius ipsius corporalis passionis. Item si duorum perfectorum, alter dives, et alter est pauper, et se mutuo recognoscunt, dum talis pauper a tali divite confovetur, in eorum justitia quædam identitas efficietur, dicente Domino : « Qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet (*Matth.* x, 41). » Non dicit mercedem de justo, sed *mercedem*, inquit, *justi accipiet*. Item si duorum perfectorum alter, ut etiam supra exemplificavimus, est in procinctu prædicationis cum Josue quasi pugnans in campo per gladium spiritus, quod est verbum Dei, et alter illum diligens pro eo agonizat in oratione, quasi manibus, id est operationum exercitiis, non lassatis ad exemplum Moysi orantis in monte, propter boni affectus identitatem recipient præmiorum æqualitatem, nec separabuntur propter affectuum diversitatem. Fuit namque uterque talium paratus ad alterius officium, sed suam distinctionem servantes illi exhibent honorem et famulatum discretum, qui in Ecclesia sua, quæ, ut Apostolus ait (*I Tim.* III, 15), est columna Dei viventis, alterum posuit quasi basem argenteam pondus columnæ portantem, alterum quasi capitellum nihilominus argenteum sive aureum posuit in alto ejusdem columnæ ornamentum.

Hic sustentatur, ut in alto conspicatur :
Hic sustentat onus, nec minus inde bonus.
Ambo lucentes, ambo virtute calentes.
Ardor eis parilis, flammaque dissimilis.
Huic vox verborum, vox huic desideriorum,
Diversus clamor sit licet, unus amor.

Quod cum ita sit, nulla est omnino causa, pro qua rationabiliter subditus perfectus locum prælationis ambire debeat, imo plures causæ sunt, pro quibus perfectus prælatus locum subjectionis concupiscere valeat, licet non audeat quærere solutionem post legitimam sui alligationem. Nam qui præest in sollicitudine, anxiatus est pro se ac sibi commisso grege. Qui autem huic anxiato miseretur in hilaritate juvans illum vel prece, vel alia ope, liber est ab anxietate, nisi quantum anxiatur per compassionem, ut attentius pro illo anxiato fundat orationem, sicut et Christus propter nos est anxiatus, cum esset in se ipso ab omni anxietate liber. Unde illi congruit titulus psalmi centesimi primi, qui talis est : « Oratio pauperis, cum anxiaretur, et effuderit preces coram Domino. » Sicut ergo ille, cum esset inter mortuos liber, ad hoc anxiabatur, ut effunderet preces pro aliis coram Domino : ita boni et fideles ab hujusmodi sollicitudinibus liberi, pro his tamen, qui præsunt in sollicitudine, ipsi quoque solliciti fundunt preces coram Domino, videlicet in secreto cordis, ubi solus Dominus videt atque audit, quid desideret Spiritus, quoniam secundum Deum postulat pro sanctis gemitibus inenarrabilibus. Quod si « postulat Spiritus gemitibus inenarrabilibus (*Rom.* VIII, 26) » pro sanctis, ut videlicet sanctificentur adhuc, et sancti permaneant, maxime, qui ad hoc præpositi sunt aliis, ut sanctitatis præbeant exempla et documenta : quanto magis gemitibus inenarrabilibus bonorum Spiritus concitatur ad postulandum pro sanctis emundandis, quando juxta Jeremiæ lamentationem viderit « gentes ingressas sanctuarium » Domini, « de quibus præceperat, ne intrarent Ecclesiam » suam (*Thren.* I, 10), tunc gemitibus inenarrabilibus bonorum Spiritu, lingua licet interdum silente, clamat assidue ac pene continue cum Psalmista : « Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum (*Psal.* LXXVIII, 1). » Vel cum Daniele dicit : « Exaudi, » Domine, « preces servi tui, illumina faciem tuam super sanctuarium tuum, quod desertum est (*Dan.* IX, 17). » Sic bonorum cordium bonus non frigescit, aut quiescit affectus, quando aut præsunt in sollicitudine, aut prælatis miserentur in hilaritate orando pro sanctis ut sanctiores fiant; pro non sanctis, ut a sanctuario Dei excludantur, et sic anticipante illos misericordia Dei corrigantur; nam post querelam gemituosam de pollutione templi sancti sequitur, quod dicunt boni pro semetipsis et pro inimicis suis : « Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus, etc. (*Psal.* LXXVIII, 8). » Sic in consummatione sanctorum, et tabernaculi veri, quod fixit Deus, et non homo, dum alius quidem sic,

Digitized by Google

autem sic in via Dei ambulat, et alio sic affecto, alio aliter affecto per *judicia Domini vera justificata* locus aptus, aptumque officium distribuitur, mirabiliter perficitur et exterius tabernaculum, quod dicitur *sancta*, et post velamentum interius tabernaculum, quod dicitur *Sancta sanctorum*.

Tabernaculum exterius, quod dicitur *sancta*, inter cætera ornamenta candelabrum habet aureum septem lucernarum cum emunctoriis suis nihilominus aureis. Cum ergo candelabri et emunctoriorum ejus sit una materia (de auro quippe mundissimo utraque sunt fabricata) officia tamen et formæ utrorumque plurimum differunt; de quorum differentia non est modo dicendum per singula, solum hoc in præsenti sufficiat notare salvo intellectu sacratiore, quod in activa vita, quæ dicitur sancta, præcipue quantum attinet ad ecclesiastica ministeria, in quibus est occupatio sancta, dum alius verbo et exemplo quasi aureum candelabrum lucet, alii vero in illius cooperatione minora gerunt officia, velut candelabri quædam emunctoria in uno charitatis affectu, puro et mundo æqualiter, sed per *judicia Domini vera* distributo pro diversis officiis inæqualiter propter unius charitatis velut auream puritatem possidebunt unam beatitudinis charitatem; neque inter tales cœli stellas altera differt ab altera in claritate pro diversitate minorum et majorum officiorum, seu affectuum, sed pro differentia majorum et minorum affectuum. Contingit autem sæpe ut majora officia cum minoris charitatis affectu, et minora officia cum majori affectu peragantur. Verbi gratia, cum ad tuam benedictionem, seu missæ celebrationem locum idiotæ supplens aliquis respondet *Amen*. Distinctio est interdum grandis inter devotionem et devotionem benedicentis, et *Amen* respondentis. Atque in Deo per *judicia Domini vera* distinctio sit retributionum pro differentia devotionum, ita ut interdum fiant novissimi primi, et primi novissimi.

Similiter in contemplativa vita, quæ dicitur *Sancta sanctorum*, quantum spectat ad otium sanctissimum sanctissimæ quietis in secreta conversatione sanctorum, cui oppansum est carnis velamentum, ne pateat aspectibus hominum, duo cherubin sunt posita mutuo se respicientia versis vultibus in propitiatorium. In quo considerandum est quod ambo cherubin locali positione a se invicem distabant, sed materia et forma concordabant, cum utraque de auro purissimo essent fabricata, et utraque alas æqualiter expandendo æqualiter quoque in propitiatorium vultibus pronis intenderent: per quod innuitur quod sanctorum secreta conversatio et contemplatio multis modis variatur, tanquam si localiter distinguatur; sed in Christi amore identatur, qui est verum propitiatorium, quia, ut ait Apostolus: « ipse est propitiatio pro peccatis nostris (*1 Joan.* II, 2). » Unde licet alterum virum sanctum in secreto cordis vult intra velum, intra Sancta sanctorum zelus domus Dei comedat, et alterum divinæ dulcedinis amor demulceat: neutri tamen faciendum est præjudicium, quod vel ille in zelo suo charitatem non habeat, vel iste in amore divinitatis careat æmulatione ac zelo rectitudinis, quoniam ambo tendunt in propitiatorium, dum uterque orando placat judicium divinum. Ille quasi Phinees iram Domini zelo suo placat, iste quasi Moyses mansuetissimus pro eadem ira placanda in monte vel jejunat vel orat versis vultibus in propitiatorium (*Num.* XXV, 7), quia uterque Deum cupit hominibus etiam impiis pium fore ac propitium, tam ille zelando quam iste orando. Neque enim orans absque zelo est; alioquin reprobaretur orationis ejus sacrificium, quod non esset sale conditum, cum in omni sacrificio sal offerri sit præceptum; neque zelans, qui offert sacrificium in sartagine peræmulationis ignem decoctum et calidum juxta legis mandatum, si recte offert, non inde separabit compas ionis et misericordiæ oleum, quod tali sacrificio addi præceptum est; alioquin sacrificium ejus Deo non erit acceptum, quod contra legem sine oleo est oblatum.

Quid vero consequitur ex ista consideratione judiciorum divinorum, quæ in consummatione sanctorum tam diverse diversos ordinant, ut alium sic, alium vere sic disponant, nisi ut non sit schisma in corpore totius Ecclesiæ, dum cuncta membra sub una complectuntur divinorum judicium rerum disertissima ordinatione, sed alter alterum æstimet superiorem se vel nunc esse vel futurum esse pro humilitatis et charitatis affectione diversa, quæ solius Domini secretis et justis judiciis pensatur; non secundum extrinseca officia majora, vel minora, sed secundum intrinseca humilitatis et charitatis fundamenta suis locis et suis officiis et effectibus vel coram Deo tantum, vel etiam coram hominibus probata? Quæ nimirum probatio ita fit, ut aliquando charitas magna in magnis, aliquando parva in parvis, aliquando magna in parvis, aliquando parva in magnis comprobetur, ac sibimetipsi notificetur. Nam Deus non indiget experimentis in hujusmodi agnoscendis.

Verumtamen ut ipsius *judicia justificata in semetipsis*, etiam in rebus extrinsecis appareant *justificata*, interdum quædam disponit experimenta, quibus, quæ sibi sunt nota, etiam hominibus et angelis fiant nota sive per parva sive per magna experimenta retegendo, quæ prius erant occulta: verbi gratia, in magnis magna est charitas comprobata, quando Petro apostolo dicenti tertio ad Christum: « Amo te, » illi quoque tertio dictum est: « Pasce agnos meos (*Joan.* XXI, 15-17), » sive oves meas, ut videlicet per magnum pastoralis curæ officium fieret magnæ charitatis pariter judicium et exercitium. In parvis parva charitas comprobata est, quando Adam concesso sibi omni fructu lignorum paradisi et uno solo ligno interdicto, postposito amore Dei ad ejusdem ligni vetitum cibum comedendum suadentem sibi audivit feminam, plus obe-

Digitized by Google

diendo voci ejus quam voci Dei, neque se in parva re continuit, quia scilicet parvus illi amor in Deum fuit. In parvis magna charitas comprobata est, quando viduæ offerenti duo minuta in gazophylacium plus placuit ejus oblatio quam divitum plura et majora offerentium (*Luc.* XXI, 2). Ibidem quoque in magnis parva charitas comparuit, quia divitum licet magna oblatio, tamen ex eo fuit, quod eis abundavit. Vel certe lucidius in magnis comprobatur charitas esse parva sive nulla, quando in magno Dei dantis beneficio apparet accipientis ingratitudo, sicut angelus in cœlo positus ac cæteris angelis pulchrior factus factori suo fuit ingratus, neque ad amorem dantis tanto beneficio est provocatus. Hunc imitantur multi ex divina largitate super alios homines vel spiritualibus vel temporalibus donis in hoc mundo ditati, et sola charitate carentes largitori bonorum omnium sunt ingrati non servientes inde conservis, quod acceperunt non pro se, sed pro illis. Non solum autem per magna et parva Dei beneficia, sed etiam per magna et parva Dei flagella divina judicia inveniuntur justificata in his, quos vel salvant pro magna charitate, vel damnant pro parva in Deum charitate. Per magna enim flagella probatus est beatus Job, magnam habuisse charitatem, de qua scriptum est : « Charitas patiens est (*I Cor.* XIII, 4) : » cum non est factus impatiens vel ad Deum, ut a laudibus cessaret, et murmuraret, vel ad diabolum, ut ei flagellum suum quoquomodo assignaret, quod soli Deo assignavit dicens : « Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est : Sit nomen Domini benedictum (*Job* I, 21) ; » vel ad uxorem et amicos male suadentes, et importune ipsi loquentes, ut eis impatienter responderet. Per parvum flagellum Petri apostoli adhuc parva charitas apparuit, quando ad unius ancillæ vocem negavit veritatem, quam sociam sibi semper habet charitas, de qua scriptum est : « Non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati (*I Cor.* XIII, 6). » Per parvum flagellum comparuit magna charitas regis David, quando pro suo peccato modica increpatione per prophetam Nathan correptus continuo ad pœnitentiam ductus dixit : « Peccavi Domino (*II Reg.* XII, 13). » Per magnum flagellum comparuit charitas parva in rege Ozia, qui propter suam præsumptionem percussus lepra non legitur pœnituisse, sed in sua stultitia permansisse, quod ex eo innuitur (*II Paral.* XXVI, 19), » quia usque ad diem mortis separatus permansit, neque illo vivente, sed mortuo gloria Dei prophetæ Isaiæ revelata fuit. Unde dicit : « In anno, quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum, etc. (*Isa.* VI, 1). »

Idipsum de humilitatis experientia dicere possumus, quia est, qui multum extollitur etiam de parvis Dei donis ; et est, qui parum extollitur etiam de magnis Dei donis. Qui autem parum de parvis, et multum de magnis extolluntur, sine numero sunt, et in his omnibus pro sua extollentia humiliandis *Judicia Domini vera* sunt, *et justificata*, quia juxta judicio Dei « omnis, qui se exaltat, humiliabitur (*Luc.* XIV, 11). » Iterum est, qui multum humiliatur etiam in magno dono, vel honore sibi divinitus, vel humanitus collato ; et est, qui parum humiliatur, etiam cum parum ipse honoratur. Mediorum vero non est numerus, in quibus est medius humiliatus modus. Et in his omnibus pro modo suæ humilitatis exaltandis *Judicia Domini vera*, *et justificata* sunt *in semetipsis*. Ut autem justificata sint, etiam in experimentis extrinsecis, comprobatur aliquando humilitas magna in magnis, aliquando parva in magnis, aliquando magna in parvis, et parva in parvis experimentis. Magna humilitas regis *David* comprobata est in magnis, quia magna fuit humilitatis tentatio cæteris fratribus despectis in regem eligi, ora leonum frangere, ursorum brachia dissipare, timendum cunctis Goliath sternere, Saule tandem interempto super universum Israel regnare. Cui quoniam in istis magnis magna humilitas fuit, post hæc omnia dixit : « Ludam, et vilior fiam, et ero humilis in oculis meis (*II Reg.* VI, 22). » Hoc dixit ad Michol filiam Saulis, cum ab ea despiceretur, eo quod ludens et saltans ante arcam Domini quasi unus de scurris videretur. In Saule autem parvitas humilitatis comprobata fuit in ejusdem regni Israelitici honoribus magnis dicente ad eum Domino : « Nonne cum parvus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel dedi (*I Reg.* XV, 17) » te? « Filius » enim « unius anni erat Saul, » ait Scriptura, « cum reguare cœpisset, et duobus annis regnavit (*I Reg.* XIII, 1), » quod est dicere : Simplex et humilis erat, cum regnare cœpisset, et in hac humili simplicitate duobus annis regnavit. Parva quippe ipsius humilitas inter magnos regni honores diu stare non valens cito emarcuit. Magna humilitas comprobatur in parvis, quando humili ac dignæ personæ vile ac parvum quiddam injungitur, seu despectabile officium, et ipsa inde non indignatur, nec se digniore officio dignam apud se arbitratur, etiamsi apud Deum digna dignioribus habeatur. Sic probata est humilitas Isaiæ prophetæ, cui præceptum est, ut « nudus et discalceatus (*Isa.* XX, 2) » iret portentum filiis Israel, et ipse humiliter obedivit. Sic probata est humilitas Ezechielis prophetæ, cui præceptum est, panem, quo vescendus erat, stercoribus humanis cooperire (*Ezech.* IV, 12), quod præceptum tantus propheta non superbe recusavit, sed humiliter excusavit præceptori suo indicans esse sibi durum, si contra consuetudinem suam introiret in os ejus aliquid coinquinatum et immundum. Tali tam humili excusatione obtinuit, ut hoc ipsum præceptum fieret magis tolerabile pro stercore hominum permisso sibi fimo boum. In parvis parva humilitas comparuit, quando Naaman Syrus ab Elisæo propheta jussus lavari septies in Jordane abiit indignans (*IV Reg.* V, 10). Cui dixerunt servi ejus : « Etiamsi rem grandem dixisset tibi propheta, certe facere debueras (*ibid.*, 13). » Quibus verbis cura-

Digitized by Google

tus, et de parva humilitate ad majorem provocatus est.

Cum ergo talibus experimentis extrinsecus apparent judicia intrinsecæ charitatis vel humilitatis, pro quibus maxime virtutibus patet regni cœlorum introitus : *judicia Domini vera justificata* sunt non tantum *in semetipsis*, sed etiam in humanis et angelicis conscientiis. Quando autem nulla penitus apparent extrinseca humilitatis et charitatis indicia, tunc *Judicia Domini*, alios propter parvam seu nullam humilitatem et charitatem habitam repellentia, alios vero propter magnam charitatem et humilitatem colligentia *justificata* sunt *in semetipsis*, etiamsi eorum justificatio sit abscondita hominibus et angelis, quia *judicia Domini vera*, etsi possunt esse occulta, nullo modo possunt esse injusta : ideoque *desiderabilia sunt super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum* non omni populo, sed cuilibet servo tuo, Domine Deus.

Vers. 12. *Etenim servus tuus custodit ea.* Etiamsi *servus tuus* est aurum vel lapis pretiosus omni charitatis et humilitatis virtute purus et solidatus, vel, si est *mel* et favus, totus in melle mentis, et in favo carnis suæ jucundus : ipse tamen *super aurum, et lapidem pretiosum multum*, id est plusquam semetipsum, vel alium sanctum sibi consimilem *desiderabilia* judicat judicia tua, et super *mel et favum*, id est plusquam semetipsum vel alium sibi consimilem diligit judiciorum tuorum dulcedinem. Et hoc facit non sine causa, quia *in custodiendis illis* est *retributio multa*, et fructus multus. Non solum post eorum custodiam sperat *servus tuus* retributionem, sed etiam nunc in hac vita *in custodiendis illis retributio multa*, et fructus multus, cui omnis hujus mundi fructus non est comparandus. « Quem » enim, ait Apostolus, « fructum habuistis tunc in his, in quibus nunc erubescitis ? Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo habetis fructum vestrum in justificatione, finem vero vitam æternam (*Rom.* VI, 21, 22). » Igitur sanctificatio vitæ præsentis fructus multus est in custodiendis divinis judiciis ; vita vero æterna fructus est post illa custodita, si tamen sine magnis et mortalibus delictis perseveratur in eorum custodia. Dico autem nunc *delicta mortalia*, quæ, si non fuerint ante mortem expiata, post mortem erunt inexpiabilia. Quædam vero sunt etiam post mortem expiabilia, licet in hac vita specialiter non fuerint recognita, vel saltem intellecta. Cum enim nulla delicta lateant intellectum divinum, plurima latent intellectus humanos etiam sanctorum virorum. Nam

Vers. 13. *Delicta quis intelligit.* Peccatum proprie dicitur, quando aliquid fit, quod interdicitur. Delictum vero, quando illud non fit, quod debet fieri, et præceptum est fieri. Facilius ergo peccatum intelligitur, quia hoc humana perpetratur actione præcedente mala intentione. *Delicta* vero *quis* intelliget ? aut quis ea intelligere poterit, quando etiam dormiendo et vacando ea multiplicat, quisquis a faciendis cessat ? Unde nolo exspectare, donec intelligam *delicta* mea, quia mihi non sunt intelligibilia, etsi tibi, Deus meus, omnia sunt intelligibilia, mihi sunt occulta. Nolo, inquam, exspectare vel differre postulationem veniæ, usquedum videam *delicta* mea, quæ mihi sunt occulta, sed dico : *Ab occultis meis munda me, Domine.*

Vers. 14. *Et ab alienis parce servo tuo.* Ego *David*, vel ego quilibet similis *David* pœnitenti recognosco, quia « in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea (*Psal.* L, 7). » Hæc sunt occulta mea peccata, videlicet originalia, quæ quasi per occulta judiciorum Dei canalia de primis parentibus per medios parentes venerunt in me, atque occulte latent in me, in mea natura, quasi naturalia, quibus postea supervenerunt actualia quasi accidentalia et aliena. Propter originalia dico : *Ab occultis meis munda me, Domine.* Propter actualia dico : *Ab alienis parce servo tuo.*

Aliter : peccata, quæ in mea sunt conscientia, et de mea intentione procedentia, ipsa sunt occulta mea : quæ vero alieno suasu hominis vel diaboli commisi, eo respectu sunt mihi aliena, quod aliunde sunt invecta. In *meis occultis* assimilatus sum diabolo, qui peccavit in corde suo superbiendo nullo suadente, in peccato suo ruit, nullo impellente. In *alienis* meis assimilatus protoplaste, qui peccavit alio suadente, atque in peccatum ruit suasore post suasionis consensum trahente. Ideo dico : *Ab occultis meis munda me, Domine*, ne similis inveniar diabolo seductori ; *et ab alienis parce servo tuo*, ne similis inveniar veteri homini seducto. *Ab occultis meis munda me, Domine*, ne veniat mihi pes superbiæ ; *et ab alienis parce servo tuo*, ne manus peccatoris moveat me.

O Domine, totus contremisco præ timore occultorum meorum ! Ego *David* rex quandiu fui afflictus persequente me Saule, propriam uxorem, quam desponsavi mihi centum præputiis Philisthinorum, retinere non potui, quoniam pater Saul mihi eam abstulit, atque alteri tradidit (*II Reg.* III, 14). Hoc patienter sustinui, hanc injuriam cum longanimitate portavi, quoadusque tandem, Saule mortuo, rehabui uxorem meam. Sensi tamen gravem esse hanc injuriam, si quis tolleret homini uxorem propriam. Sensi et hanc injuriam tunc patiens, nunquam eam a me alicui faciendam credidi. Adeo fuit occulta in me hæc disciplina, ut ego tunc minime crederem, quod uxorem alienam alicui tollere deberem. Sed et ipsum Saulem super hoc peccato, atque virum, cui tradita fuit uxor mea, judicavi acrius fortasse quam deberem, nescius quod in simile vel majus peccatum casurus essem ; quia non intellexi occulta libidinis incitamenta intra me tunc abscondita, sicut ignis absconditur aliquando sub favilla, donec accedente ac flante vento suscitatur ignis qui latuit. Sic nimirum intra me occulta libidinis et crudelitatis atque infidelitatis incentiva latuerunt quoadusq' alieni venerunt, et forinsecus flando intrinsecus

Digitized by Google

cultatos ignes excitaverunt et prodierunt. Annon fuit alienus ille peregrinus, tentator videlicet malignus, qui venit ad me petens sibi convivium fieri, non de ovibus meis, sed de ove aliena, de uxore Uriæ Hethæi? Sic ab alienis, a peregrino videlicet illo intus tentante, et ab alienæ uxoris pulchra specie forinsecus alliciente « impulsus et eversus sum, ut caderem (*Psal.* CXVII, 13), » et nisi quia Dominus suscepit me, qui nec in peccatis deseruit me, sed per pœnitentiam reduxit me ad se, cum alieno illo, cum peregrino illo, exclusus et alienus permansissem a societate sanctorum propter crimen adulterii, quod quasi convivium peregrino et alieno illi exhibui, et propter crudelitatem homicidii, quo infideliter peracto sanguine homicidali peregrinum illum potavi. Tunc prostratus in tanti peccati foveam per insolentiam pacis et prosperitatis hoc recognovi, quod judicia Domini vera et justificata fuerint, quæ me diu sub Saulis persecutione oppressum tenuerunt, quando adhuc occulta mea me ipsum latuerunt, sed judiciis Dei manifesta fuerunt, quibus etiam nunc manifesta sunt occulta mea, quæ licet non videam, cogor tamen ut ea timeam. Ideo timens de cætero latebras occultorum meorum, vel insidias latronum, vel inimicitias domesticorum hostium, timens quoque accessus *alienorum* sive hominum, sive dæmonum tentantium, ex toto corde rogans dico: *Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo.*

Multo magis ego, quilibet peccatore similis *David* fragili et peccatori, sed non simul eidem *David* manu forti necesse habeo dicere: *Ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo.* Servos tuos magnos considero, et eorum occulta per alienos patefacta intueor, atque inde occulta mea magis formidare compellor. Servus tuus propheta, qui venit de Juda missus ad regem Jeroboam, regem ipsum sacrificantem idolis fortiter increpavit, brachium ejusdem regis arefactum potenti miraculo restituit, munera ejus contempsit, atque, ut jussus fuerat, impransus recessit (*III Reg.* XIII, 4, 6 et 9). Quæ putas in corde ipsius prophetæ fuerint occulta, nisi quædam elationis incentiva de benefactis latenter conflata? Sed hæc occulta non patuerunt, donec alieni accesserunt, et forinsecus flatus adhibuerunt. Alienus quippe spiritus mendacii, alienus etiam fuit spiritu mendacii plenus propheta, qui bonum prophetam de via reduxit, et seduxit, ut vetitum cibum comederet, ac propter hanc inobedientiam leoni daretur interficiendus; verumtamen non ab eo devorandus, quia videlicet peccatum, quod in *occultis* per elationem contraxit, quodque foris per manifestam inobedientiam adauxit, morte fuit expiatum (*III Reg.* XIII, 24).

In quo nimirum facto diligenter est notandum quod, nisi prius intus tumuisset, foris tentatus non tam facile cessisset: sicut et pater noster Adam nisi prius aviditate Deitatis intus tumuisset, pomum illud non tam avide momordisset, per cujus esum fuit ipsi et Evæ promissum, ut essent sicut dii scientes bonum et malum. Sic nemo vincitur *ab alienis* foris tentantibus, qui prius non fuerit victus *ab occultis* suis intrinsecus illi insidiantibus. Ideo dico: *Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo.* Servus tuus Petrus apostolus, quando dixit: « Etsi omnes scandalizati fuerint, ego nunquam scandalizabor (*Matth.* XXVI, 31), » jam intus *ab occultis* hostibus in corde suo latrocinantibus vastabatur per spiritum præsumptionis, cujus tamen præsumptionis intus latuit ignis, donec alieni foris accesserunt et flaverunt. Sacerdotis ancilla, et in illa spiritus maliguus afflatu suo prodiderunt, quantæ præsumptionis prunæ, simul cum charitatis refrigescentis algore tunc in corde Petri fuerunt, quando stabat juxta prunas cum ministris alienis calefaciens se. Certe nisi respiciente se Domino easdem prunas largo et amaro fletu restinxisset Petrus apostolus, a Christo alienatus cum alienis remansisset, quibus alienis ipse non tam facile cessisset, si non prius ab *occultis* præsumptionis tentationibus fuisset superatus. O Domine! ille fuit miles castrorum tuorum eximius, et ego in ejus comparatione sum pulvis exiguus; et si ille latenter *ab occultis* vastatus, atque *ab alienis* patenter fuit superatus, quo ego miser fugiam *ab occultis meis, et ab alienis*, nisi ad te, Domine, ad quem et Petrus tandem fugit, postquam ab *occultis* suis, et *ab alienis* læsum se persensit. At ego *ab occultis meis, et ab alienis* plus Petro læsus, etiam sensum doloris perdidi, neque amare possum flere sicut ille insidiantibus mihi adhuc multis *occultis* meis et *alienis*. Ne tamen omnino jaceam in inferno, in quo nullus confitebitur tibi: Ecce confiteor tibi quia multa mala vulnera passus ab *occultis meis, et ab alienis*, adhuc pejora timeo, atque ideo ad te confugiens tibi dico cum *David* pœnitente, et cum Petro flente: *Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo. Parce*, inquam, *ab alienis*, non ut mihi non adversentur, sed ut mei non dominentur. Concedo ut adversentur, sed rogo ne mihi dominentur, adversentur ad meam exercitationem, ad gloriosam gloriosi certaminis in bona victoria consummationem, non dominentur mihi, ut eorum voluntas mala de me aliquomodo efficiatur. Non abnuo eorum bella interdum sentire, sed abnuo eorum dominationi super me consentire. Ideo, Domine, sic ab *alienis parce servo tuo*, ut nunquam subdar eorum dominio, quibus potius ego in tua virtute dominabor, si *ab occultis* meis perfecte mundabor. Ideo prius dico: *Ab occultis meis munda me, Domine*, ac dein subjungo: *Ab alienis parce servo tuo; servo*, inquam, *tuo*, quia tibi nunc servio tua judicia custodiendo. *Etenim servus tuus custodit ea;* et ideo ego eadem custodiendo *servus tuus* ero. Tuis judiciis non recalcitrabo, sed ea semper laudabo dicens: In omni tuo judicio « justus es, Domine, et rectum judicium tuum (*Psal.* CXVIII, 137). » *Parce* igitur mihi *servo tuo, parce* sub judiciorum tuorum justissimo flagello

Digitized by Google

posito mihi *servo tuo*, cui licet sapiat judiciorum tuorum veritas, tamen eadem veritas mihi *servo tuo* est magna severitas, nisi misericordia superexaltet judicium; mihi *servo tuo*, qui pondus judiciorum tuorum timeo in lance justitiæ de mea iniquitate, nisi ex altera parte in lance misericordiæ præponderans gratia superexaltet lancem justitiæ. Utinam mihi *servo tuo* cuncta peccata mea, quæ de *occultis meis* et de *alienis* contraxi, appendantur in statera, et tu parcens mihi in profundum maris excutias ea, præponderante illis omnibus tua pietate mihi parcente, ac me ulterius defendente ab eorum dominatione! Scio enim, quia

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero. Neque mihi macula ex illis inhærebit, si mihi eorum tentationes in me sentienti, sed eisdem non consentienti libertas plena permanebit ab eorum dominatione, quanquam non plena fiat libertas ab eorum infestatione viventibus in carne. Tamen hoc mihi magnum libertatis bonum erit, quod, *si mei non fuerint dominati* hostes mei occulti seu alieni. *Tunc immaculatus ero, et emundabor a delicto maximo*, id est a superbia. Nam voluntaria cordis ad iniquitatem consensio fieri non potest absque *delicto maximo*, quod est apostatare a Deo, quod « est initium omnis peccati superbia (*Eccli.* x, 15), » quæ a Deo recedentibus prima fuit seductrix, et ad Deum redeuntibus ultima est reluctatrix capiens vires etiam de recte factis. Cum igitur ab hac *emundabor* ego servus tuus, *tunc immaculatus ero, et emundabor a delicto maximo.*

Vers. 15. *Et erunt, ut complaceant eloquia oris mei, et meditatio cordis mei in conspectu tuo.* Domine, secundum hæc varie dicta ego servus tuus aut notum facio dicens: *Et erunt, ut complaceant eloquia oris mei, et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper*, aut notum non facio per promissionem, sed opto per orationem, ut sint placentes sermones oris mei, et *meditatio cordis mei in conspectu tuo.* Cupio enim ut per ostium, quod Christus est, ingrediens et egrediens pascua inveniam in eo, quod *meditatio cordis mei* sit *in conspectu* divino *semper.* Egrediens vero per oris mei apertionem pascua inveniam in eo, *ut complaceant eloquia oris mei.* Sive ut sint placentes sermones oris mei, talia sint *eloquia oris mei, ut complaceant* auribus Dei. Tales non sinit ad horam, sed *semper meditationes cordis mei*, ut acceptæ sint conspectui Dei *semper*, id est absque intermissione.

Ad hoc voluntolene ac digne persolvendum, *Domine*, tu sis *adjutor meus et redemptor meus. Adjutor* in bonis consummandis; *redemptor* a malis; *adjutor*, ut quod vovi et optavi, digne perficiam; *redemptor*, ne sub peccato venundatus iterum peccati servus fiam, sed per te, *redemptor* ab occultis et ab alienis redemptus ab eis amodo liber maneam in tuo servitio, Domine meus; in tuo adjutorio, *adjutor* meus; in tuæ liberationis libertate, *redemptor meus*, qui formam servi suscepisti, ut me servum tuum faceres: cujus virtus infirmata est, ut me infirmum adjuvares; qui temetipsum pretium dedisti, ut me redimeres, qui eram servus peccati, oppressus in peccato, venundatus sub peccato. Nunc autem gloria tibi, Domine, *adjutor meus et redemptor meus*, cujus adjutorio et redemptione cupio firmari et servari in tua servitute. *Domine adjutor meus* tendentis ad te, quia *redemptor* pridem factus es, ut tenderem. Nolo enim vel initium vel consummationem cursus mei ad te mihimetipsi assignare, ne iterum superbia fallente incipiam apostatare a te. Te redimente liberatus a malis cœpi bonum velle, te adjuvante intendo ad bonum finem currendo pervenire, sciens tamen quod neque mei volentis est, ut quod volo perficiam, neque mei currentis est, ut quo curro, perveniam; sed tui miserentis est (*Rom.* IX, 16), ut sic velim et curram, ne frustra velim aut curram, *Domine, adjutor meus et redemptor meus.*

Gloria Patri, qui est illud summum cœli, de quo in hoc *Psalmo* dictum est: *A summo cœlo egressio ejus. Gloria Filio* per Incarnationem egresso, per Resurrectionem et Ascensionem regresso *usque ad summum ejus*, a quo fuerat egressus. *Gloria Spiritui sancto* calori et amori Patris et Filii sempiterno, de quo dicitur: *Nec est qui se abscondat a calore ejus.*

PSALMUS XIX.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis. (Vers. 1.) IN FINEM PSALMUS DAVID.

Titulus patet.

Materia psalmi hujus est passio Domini nostri Jesu Christi secundum Joannem, quo narrante ipse Dominus noster Jesus Christus prolixius oravit in monte Oliveti *in die tribulationis*, cum jam traditus a Juda, et jam capiendus esset ab inimicis, tunc in agonia factus pro nobis anxiatus est, « et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram (*Luc.* XXII, 44), » quando, ut Joannes refert, « sublevatis oculis in cœlum, dixit: Pater, venit

hora, clarifica Filium tuum, ut et Filius tuus clarificet te. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Ego te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam. Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te. Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, et mihi eos dedisti; et sermonem tuum servaverunt. Nunc cognoverunt quia omnia, quæ dedisti mihi, abs te sunt : quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis : et ipsi acceperunt, et cognoverunt vere, quia a te exivi, et crediderunt, quia tu me misisti. Ego pro eis rogo : non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi : quia tui sunt : et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt : et clarificatus sum in eis. Et jam non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te venio. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos. Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodivi : et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur. Nunc autem ad te venio : et hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis. Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo. De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctifico me ipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me. Ut omnes unum sint, sicut et tu Pater in me, et ego in te ut et ipsi in nobis unum sint : ut credat mundus, quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me : ut sint consummati in unum, et cognoscat mundus, quia tu me misisti et dilexisti eos, sicut et me dilexisti. Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi ego sum, et illi sint mecum; ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Pater juste, mundus te non cognovit : ego autem te cognovi : et hi cognoverunt, quia tu me misisti. Et notum feci eis nomen tuum, et notum faciam, ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis (*Joan.* XVII).

Totum, quod hujus orationis verbis ante passionem postulatur, ipsius passionis, et sanguinis clamore valido vehementius a Deo Patre perquiritur et exigitur. Si enim sanguis Abel clamavit ad Deum, multo magis Christi sanguis ad Patrem clamavit, non, ut ille, postulando vindictam, sed inimicis etiam suis, qui ipsum sanguinem ejus fuderunt, quærens indulgentiam dicente ipso Filio ad Patrem : Pater ignosce illis; quia nesciunt, quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34). Unde ab hoc psalmo quarta periocha jam incipit, quia manifeste agitur hic de summa fidei causa, videlicet sicut jam dictum est, de passione Christi per Ecclesiam suam ante crucem orantis, et in crucis ara se ipsum sacrificantis. Cujus holocausti odorem propheta præsentiens, et orationem ejus longe præaudiens non dubitando, sed benevole optando dicebat :

VERS. 2. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis.* Et nos jam sedenti a dextris Dei, et interpellanti pro nobis dicimus cum propheta, dicimus cum antiquis sanctis, et dicere non cessamus usque in finem sæculi : *Exaudiat te Dominus in die tribulationis*, non quia hoc necessarium ad illius exaudi-tionem sciamus, sed ex nimio desiderio nostras orationes tanquam elementa muta vocali et clamosæ illi orationi associamus. Quomodo enim in grammatica per se nihil sonant muta elementa nisi cum vocalibus juncta, unde mutæ vel semivocales litteræ dicuntur consonantes, id est pariter sonantes, quia videlicet per se junctæ sine vocalibus non sonant, sed vocalibus junctæ illis consonant : ita omnium sanctorum orationes quasi mutæ et nihil sonantes in conspectu Dei Patris in curia cœlesti non possent audiri, nisi Verbum caro factum, verbum totum vocale ac plus quam vocale inveniretur in humanis orationibus vel intermistum consonantibus. Ideo Christum pro nobis orantem et interpellantem non dubitantes exauditum et semper exaudiendum pro sua reverentia, jungimus illi oranti orationum nostrarum votiva desideria dicentes cum propheta : *Exaudiat te Dominus in die tribulationis.*

Orationem tuam, Christe, quam fecisti *in die tribulationis*, in die passionis tuæ, Dominus noster Pater tuus *exaudiat*. Similiter interpellationes, quas nunc facis in cœlo, Dominus *exaudiat*. Scimus autem quod et præscivit propheta, quia jam oratio tua exaudita est in eo quod *salvum fecit Dominus Christum suum* de morte suscitando, et ad dexteram suam collocando; sed quandiu ex minimis tuis unus tribulatur, *in die tribulationis* tuæ oratur tam ab Ecclesia in tribulationibus clamante, quam a te in cœlo pro ea interpellante. Ideo ego David propheta, vel ego quilibet Psalmista in hoc *psalmo* tendente in *finem*, id est in consummationem juxta præmissam ipsius intitulationem peto, ut finaliter et consummative Dominus Pater *exaudiat te*, Christe, *in die* hujus *tribulationis*, quæ tibi quidem versa est in diem exsultationis, Christe, cui canimus in die Resurrectionis. « Hæc *est* dies, quam fecit Dominus, exsultemus et lætemur in ea (*Psal.* CVII, 24) : » sed nobis minimis tuis est adhuc *dies tribulationis*. Unde nobis pernecessaria est pro nobis exauditio tuæ orationis. Ideo dicimus : *Exaudiat te Dominus in die tribulationis*. In eo scilicet *exaudiat te* sursum in cœlis, ut *protegat te* in membris tuis deorsum in terris. *Protegat te*, id est omnes tuos, *nomen Dei Jacob*. *Deus Jacob*, qui illum benedixit minorem, fratre ipsius majore supplantato et reprobato, ipse

Digitized by Google

protegat te, id est tuos, de gentili populo ad benedictionem per apostolorum maternam pietatem quasi Rebeccam vocatos.

Protegat te, ne vel extraneus hostis quasi Laban persequens interimat te in tuis minimis, vel quod magis formidandum est, ne is, qui frater et inimicus ut Esau, te interficiat in tuis minimis, Jacob minori filio assimilatis, atque ipsius Jacob exemplo simplicibus et simpliciter in tabernaculo Ecclesiæ cum matre, id est cum apostolica Ecclesia morantibus, fratre seniore occupato in venationibus. In his ergo simplicibus consimilibus Jacob *te*, Christe, *protegat nomen Dei Jacob*, ne forte veniens Esau malus frater, falsus christianus, percutiat matrem cum filiis, percutiat Liam, sive Rachelem, destruendo videlicet bonæ actionis et sanctæ contemplationis virtutem cum filiis, id est cum earum fructibus.

Veniens quippe Jacob de Syria cum uxoribus duabus et earum famulabus atque filiis multisque gregibus valde timuit Esau fratrem suum. Propter quod oravit et dixit : « Domine, qui dixisti mihi : revertere in terram nativitatis tuæ, erue me de manu fratris mei, quia valde eum timeo, ne forte veniens percutiat matrem cum filiis (*Gen.* XXXII, 9, 11). » Quanto magis, tu, Domine Jesu Christe, in populo gentium collecta multitudine fidelium, de quibus instituta est activa et contemplativa vita quasi matres multorum filiorum, quibus abundant greges morum simplicium quasi greges ovium, nunc in cœlo credendus es pro talibus orare, ne forte, ut dictum est, malus frater percutiat matrem cum filiis ac turmis gregium distincte gradientium. Nunc ergo te sic orantem, te uxores, ac filios, gregesque habentem *protegat nomen Dei* Jacob, ut sicut ille Jacob non est læsus a fratre suo malo, nec in se, nec in uxoribus, nec in filiis, nec in famulabus, et earum filiis, neque in gregibus : ita quoque tu per *nomen Dei Jacob*, quod nomen in te est, quia tu es *Deus Jacob*, quodque super tuos invocatum est, nunc protegaris ab Esau, qui, ut Scriptura loquitur, tibi occurrit cum quadringentis viris (*Gen.* XXXII, 1). Viri quadringenti sunt, qui Decalogum legis profitentur, sed sola temporalia per custodiam legis quærunt. Nam quadragies decem, vel quadraginta decies sunt quadringenti, et in denario lex notatur, quæ in decem præceptis constat. In quaternario temporalia significantur, quæ cum quatuor temporibus variantur. Quadringenti ergo viri comites Esau fratris carnalis, omnes illi sunt, qui Antichristo adhærent, sive ipsius contemporanei sint, sive illum præcedant vel sequantur, quia illum in eo comitantur, quod per legis professionem temporalia lucra sectantur. Hi cum Esau occurrunt Jacob revertenti in terram nativitatis, quia tales una cum Antichristo contrarii sunt Christo cum suis redeunti, et suos ducenti in terram nativitatis suæ, ad terram videlicet repromissionis, ad terram lactis, et mellis, frumenti, vini et olei, terram videlicet paradisi, de hac terra incolatus miserrimi. Sed, o Christe! o Jacob, sancte pastor ovium! qui valde amas Liam filios bonos gignentem, sed plus amas Rachelem clare videntem, te una cum omni prole tua, cum gregibus tuis, atque omni supellectili ad te pertinente *protegat nomen Dei Jacob!*

VERS. 3. *Mittat tibi auxilium de sancto, et de Sion tueatur te. Tibi*, hoc est omnibus tuis, *mittat auxilium de sancto*, id est de te ipso. Vel tibi homini in die tribulationis oranti, et pro tuis agonizanti mittat Pater æternus auxilium *de sancto*, id est de Verbo, tibi homini unito. Vel *de sancto* totius Trinitatis interno secreto.

Aliter : *Tibi*, hoc est cuilibet pusillo tuo nondum sancto, mittat Pater tuus auxilium *de sancto*, et perfecto aliquo fideli tuo, ut nunquam deficiat in Ecclesia vir sanctus, per quem capiat auxilium non sanctus. Vel *tibi*, hoc est corpori tuo in terra peregrinanti *mittat auxilium de sancto* illo tuo corpore, quod in te ipso et electis tuis jam tecum regnantibus regnat in cœlo.

Et de Sion tueatur te. Te in tuis sanctis pusillis minime idoneis ad contemplationem Dominus Pater tueatur *de Sion*, id est de speculatione illorum qui sunt alti et contemplativi, significati per montem *Sion*, quod nomen *speculatio* interpretatur, quia per montem Sion alta vita speculativa seu contemplativa notatur, unde contra omnes errores Deo protegente sancta Ecclesia tuta est. Video autem in die tribulationis tuæ diversa Ecclesiæ tuæ, seu corporis tui pericula, et ideo *auxilium* rogo contra singula.

Primo quasi vir sanguinarius Esau te verum *Jacob* sic persequetur in tyrannis a Nerone usque ad Diocletianum, ut per interfectionem corporum quærat exstinguere nomen tuum. Contra hunc talem Esau et omnes ejus complices interfectores corporum *protegat te nomen Dei Jacob*. Hic est enim equus rufus, et sedenti super illum diabolo, ut in Apocalypsi dicit Joannes, « datus est gladius magnus (*Apoc.* VI, 4). » Contra istum gladium *protegat te nomen Dei Jacob*, ne forte interficiat matrem cum filiis, ut jam supra dictum est : Et si corpora sanctorum interficiat iste gladius magnus, animas tamen non interficiat separando eas a Deo.

Secundum periculum turba est hæreticorum, qui in Apocalypsi designati sunt per equum nigrum, « et qui sedebat super eum habebat stateram (*ibid.*, 5) » : quoniam a statera processit mendacium contra veritatis testimonium, quando angelis et apostolis contestantibus gloriam Christi resuscitati a mortuis data est copiosa pecunia militibus, ut mendacio suo mendacium firmarent Judæorum dicentium, non surrexisse Christum de sepulcro, sed furto ablatum illis dormientibus. Ideo, qui sedebat super equum istum, habebat stateram : quia pro mendacio dedit, et dari persuasit diabolus, pater mendacii, copiosam pecuniam. Vel ideo in manu sua stateram habuit, quia per Arium nigrum

Digitized by Google

suum equum totum, albo equo, id est Ecclesiæ catholicæ oppositum, præsumpsit inter Patrem et Filium statera dolosa introducere quasi pondus diversum. Contra hunc talem trutinatorem et alios complices ejus hæreticos, verbi gratia Macedonium non bene trutinantem Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, quia Patrem dicebat Filio majorem, Spiritum sanctum Filio minorem, pene usque ad tempora Gregorii papæ, magni doctoris, Ecclesia dimicavit per sanctos contemplatores veritatis. Unde dicitur : *Mittat tibi auxilium de sancto, et de Sion tueatur te*, quod est dicere : Viri non sancti, neque contemplativi mendacia sua callide seminando, et tres personas vel divinitatem et humanitatem Christi male trutinando repugnabunt veritati, quos ego *David* propheta longe prævidens, vel ego quilibet christianus jam instare, aut venisse videns, orationis clypeum contra illos petendo, et tibi, Christe, oranti orationem meam jungo dicens : *Mittat tibi auxilium de sancto, et de Sion tueatur te.* Deus Pater mittat auxilium *tibi*, Christe, *tibi* veritati contra mendacium de sancto apostolorum cœtu, ut contra stateram Judæorum, qui pecunia sua emerunt mendacium, virtute magna reddant apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri, et contra stateram sive Arii, sive Macedonii, sive alterius hæresiarchæ non recte sentientis et docentis de Patris et Filii et Spiritus sancti naturali coæqualitate, sive de hominis assumpti in Deum vera divinitate, sive de Verbi incarnati vera humanitate. *De Sion tueatur te:* de Patribus orthodoxis in speculatione veritatis magnis et altis tanquam de monte Sion *tueatur te*, id est membra tua simplicia Deus Pater tuus, Pater veritatis contra patrem mendacii diabolum, qui in statera dolosa per doctrinam hæreticorum pondus et pondus, majus et minus ostentat, dum aut Filium Patre minorem, aut Spiritum sanctum Patre ac Filio posteriorem sive minorem blasphemat, vel dum gloriam hominis assumpti, et gloriam Verbi assumentis male trutinando in Christo prædicat diversa propter diversa deitatis et humanitatis naturam, vel propter unam deitatis et humanitatis gloriam duas in Christo naturas confundit in unam ; cum sic « omnis lingua confiteatur ; quia Dominus noster Jesus Christus in » una simplici « est gloria Dei Patris (*Philipp.* II, 11), » ut tamen cauta fides distinguat naturam divinitatis a natura humanitatis in una Christi persona, cui post resurrectionis et ascensionis glorificationem clarificato in ea claritate quam habuit, priusquam mundus fieret, nunc est una et individua gloria, una et individua claritas quam habuit, priusquam mundus fieret. Sed pater mendacii, qui sedet super equum nigrum, cum statera sua glorificatæ humanitatis et glorificantis divinitatis in Christo variat pondera, quasi altera gloria humanitati sit collata, quam ea quæ fuit Verbo apud Patrem, priusquam mundus fieret. Cum vero ex evangelicæ veritatis testimonio constet, gloriam, sive claritatem, quam habet Verbum apud Patrem, non dimidiam, sed totam esse homini assumpto collatam, esset astutia iniqui trutinatoris, et « omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Jesus Christus » non dimidius, sed totus « in gloria est Dei Patris. » Sic « de Sion exivit lex, et verbum Domini de Jerusalem » (*Isa.* II, 3), quando speculatores veritatis, et amatores catholicæ pacis, Ambrosius, Hilarius, Leo Magnus, quorum testimonia in præcedenti psalmo intexuimus, cum reliquis orthodoxis Patribus hæreticos atque schismaticos confutando una Patris et Filii et Spiritus sancti gloriam prædicaverunt, et unam in Christo deitatis et humanitatis gloriam sive claritatem docuerunt.

Subsecutus est igitur equus tertius, « equus pallidus (*Apoc.* VI, 8) » falsorum christianorum, neque sanguine gaudentium sicut equus rufus, neque in statera dolosa veritatem fidei ventilantium sicut sessor equi nigri, sed veritatem fidei ore confitentium, factis autem negantium. Unde habent pallorem quasi medium et mistum colorem inter album equum veritatis, et nigrum falsitatis. Si enim penitus albi essent, omnino catholici essent ; si penitus nigri, haberentur manifesti hæretici. Nunc autem pallidi quasi misto et medio colore sunt fucati, quia « inimici hominis domestici ejus (*Matth.* X, 36) », ex eo quod inimici sunt, habent aliquid nigredini vicinum ; ex eo vero, quod domestici sunt, habent aliquid albedini assimilatum. Talium cœtus est « equus pallidus, et qui sedet super illum, nomen illi Mors, et datum est illi interficere gladio, fame, morte, bestiis terræ (*Apocal.* VI, 8). » Per tales quippe diabolus, cui nomen est Mors, exerit gladium etiam materialem contra pios, licet non sit ei datus gladius ita magnus uti in manifestis Ecclesiæ persecutoribus Neroni vel Decio vel alteri tali, qui significati sunt in specie rufi equi, tamen gladio materiali ferit interdum falsus christianus verum. Vel gladio illo, de quo dicitur : « Filii hominum dentes eorum arma, et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus (*Psal.* LVI, 5). » Corripiunt enim bonos mores, confabulationes pessimæ.

Interficiunt etiam fame, non tam panis, aut alterius cibi corporalis, quam fame audiendi verbum Dei, quoniam « a veritate quidem auditum avertentes, et ad fabulas convertentes coacervabunt sibi magistros prurientes auribus (*II Tim.* IV, 3, 4), » quibus magistris cathedras doctorum et pastorum in Ecclesia Dei tenentibus neque populum docentibus aut pascentibus erit fames magna, qualis fuit quondam temporibus Eliæ, quia propter tales magistros clauso cœlo non erit ros aut pluvia minoris vel majoris doctrinæ, ac deficiente ubique pane cogitur Elias in desertum fugere, ubi pascant eum corvi, atque in Sarephtam Sidoniæ ad mulierem viduam (*III Reg.* XVII, 3, 9). Da mihi aliquem Eliam in tali tempore, certe videbis eum fugari, atque ad hoc angariari, ut a corvis pa-

Digitized by Google

stum exspectet, vix inveniens peccatorem de peccato suo pœnitentem, quæ pœnitentia Eliæ cibus est, quasi a corvis allatus. Pascit quoque illum vidua, quælibet videlicet anima paupercula duo crucis colligens ligna. Sed persequitur eum Jezabel dives, et impia femina, imo impiorum copiosa turba, quæ velut una meretrix cum diabolo fornicata in Apocalypsi dicitur « mater fornicationum (*Apoc.* xvii, 5). » Certe hac Jezabel meretrice magna quemlibet parvum similem Eliæ persequente, fit ut hic victu etiam corporis aliquando egeat, ita ut ei sit in gratiam, si etiam corvus, id est homo sæcularis illi eleemosynam præbet. Scio hominem hujusmodi, qui penuria panis cogente coactus est etiam apud alienigenas panem petere Jezabele illum persequente, sessore hujus pallidi equi eum per famem castigante ac debita victualia illi negante.

Sed quia datum est illi interficere, non solum gladio et fame, sed et morte, id est mortifera peste, sedenti videlicet in cathedra pestilentiæ, ac bestiis terræ, quis contra istum pallidum equum, ejusque sessorem virtute humana posset subsistere? In principio deceptionis diabolicæ serpens unus erat callidior cunctis animantibus et bestiis terræ. Hunc ingressus diabolus veneno deceptionis corrupit omne humanum genus. Nunc autem idem diabolus habet multas bestias terræ more serpentium repentes intra paradisum Ecclesiæ sanctæ vel sanctæ cœnobialis quoque vitæ, quibus venena sua diffundentibus primo corrumpitur humana sensualitas velut Eva in infirmioribus, deinde in plurimis etiam fortioribus corrumpitur animus, infirmorum pravitati consentaneus effectus, dum pravitatem carnalis immunditiæ vel approbat, vel non digne castigat, perditaque virilis justitiæ censura in una persona carnis et spiritus, vel in Ecclesia seu congregatione carnalium et spiritualium fit una nequitia vel immunditia, quasi muliere ac viro per bestias malas invenenatis. Nam per bestias, valde nequissimi et callidissimi sunt intelligendi; per feminam quilibet molles et seductiles; per viros talibus feminis conjugatos, fortes intellimus ipsis mollibus consentaneos, qua continuatione bestiarum ad dæmones, feminarum ad bestias, virorum ad feminas longus funis peccatorum contexitur, quo etiam fortis interdum Samson deceptus a muliere ligatur et cæcatur, dum quilibet *ante* virtuosus pravorum multitudini et consuetudini aliquando efficitur consentaneus (*Jud.* xvi, 21).

Cum ergo tot modis noceat sessor equi pallidi, interficiendo videlicet gladio, fame, morte ac bestiis terræ, quo remedio contra eum erit utendum, quibus armis contra eum erit pugnandum? Certamina martyrum non admittit, quoniam idolorum culturam nulli penitus manifeste ingerit, ut sessor equi ruſi fecit. Testimoniis et doctrinis confessorum non est arguendus hic sessor, et agitator fratrum falsorum, quia per ora licet falsidica confitentur se nosse Deum, clamando vocibus fidem quam impugnant moribus. Quid erit, rex Christe, in die tribulationis hujus de tuo corpore sub talium multitudine periclitante? Quando te verum *Jacob*, in tuo corpore, in tua persona persecutus est Edom, protexit te nomen Dei Jacob. Nam, quando Herodes iratus quærebat animam tuam, qui erat moribus et genere terrenus Edom, quia natus ex patre Idumæo et matre Arabica narratur, et fuit iratus tibi vero Jacob, sicut ille antiquus Edom, quærens te occidere, tunc protexit te verum Jacob nomen Dei Jacob. Etenim sicut mater Rebecca filio suo Jacob fugam consuluit, ne occideretur (*Genes.* xxvii, 43): sic mater nostra, quæ sursum est, libera, circa te, adhuc puerum, sollicita consuluit, ut fugeres in Ægyptum. Nam ecce angelus Domini unus de ministris supernæ matris « apparuit Joseph in somnis dicens : Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi usquedum dicam tibi : Futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum (*Matth.* ii, 13). » Et tunc quidem « vox in Rama audita est (*ibid.* 8) » Rachelis, tuæ dilectæ uxoris filios suos plorantis. Verumtamen protegente nomine Dei Jacob te virum suum verum Jacob, licet « nolueris consolari » pro filiis, « quia non sunt (*ibid.*) » consolatio tandem ejus perficietur, cum tota prophetia Jeremiæ adimplebitur de Rachele ac filiis ejus. Nam postquam dictum est a Jeremia : « Vox in Rama audita est, planctus, et ululatus multus, Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt (*Jer.* xxxi, 15), » statim consolatoria verba sequuntur dicente propheta : « Hæc dicit Dominus : Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis, quia est merces operi tuo, ait Dominus. Et revertentur de terra inimici, et est spes novissimis tuis, ait Dominus, et revertentur filii tui ad terminos suos (*ibid.*, 16, 17). » Ergo, sicut ex prophetia hac patet, Rachel speciosa, quæ temporalem consolationem noluit de morte filiorum, qua morte factum est, ut non sint, ipsa consolationem æternam suscepit de resurrectione filiorum, qua resurrectione fiet, ut iidem filii vere sint. Unde et dicitur : « Revertentur filii tui ad terminos suos, et est spes novissimis tuis (*ibid.*, xxxi, 17). »

Talem consolationis reprobationem, et rursum consolationis receptionem sancta Ecclesia per hoc imitatur, quod in die occisionis Innocentum *Gloria in excelsis*, atque *Te Deum laudamus*, quæ sunt cantica lætitiæ, prætermittit quasi nolens consolari de filiis, quia non sunt, qui per mortem quodammodo ad non esse venerunt. Sed in octava eorumdem Innocentum resumit cantica lætitiæ, quia per octavam resurrectio commemoratur, quia resurrectione fiet, ut filii Rachel, qui modo non sunt, vere sint. Licet enim sub altare Dei nunc sint animæ occisorum

Digitized by Google

Rachelis filiorum ; tamen quandiu corpora eorum non vivunt, ipsi toti quodammodo non sunt, sed exspectant plenum et integrum esse totius suæ essentiæ in generali resurrectionne, de qua dicitur in propheta : « Revertentur filii tui ad terminos suos, et est spes novissimis tuis. »

Accepta igitur solidissima spe resurrectionis quiescat vox Ecclesiæ a ploratu de filiis occisis, atque hodiernam diem octavam Innocentum occisorum celebret cum lætitia. Nam ecce, dum hæc scribimus, dies nobis illucescit octava parvulorum Deo, sicut credimus, ordinante, ut ex eo sapiat jucundius, quod de Innocentum octava dicimus : quia hodie, dum de octava tractatur, ipsa quoque octava eorum celebratur. Unde optamus hodierna die augeri totius Ecclesiæ speciosæ Rachelis consolationem et regis Idumæi confusionem. Te autem, Christe, supplantatorem principis mundi hujus *protegat nomen Dei Jacob* in tuis membris, sicut protexit te in te ipso a persecutione Idumæi regis Herodis. Et hæc oratio prophetæ jam (Deo gratias) exaudita est, qui in tempore martyrum, licet filii Rachelis occisi fuerunt, non tamen est occisa mater cum filiis protegente Deo Jacob ipsam Rachelem uxorem Jacob, sanctam videlicet Ecclesiam catholicam, in sibi ablatis filiis magis fecundam. Sicut enim olim filius Rachelis Joseph, cum a bestia devoratus (*Genes.* XXXVII, 33), et de terra penitus ablatus diceretur, ipse dominabatur in tota terra Ægypti, et genuit illic Ephraim et Manassem, seminaria videlicet multorum populorum (*Genes.* XLI, 50), ita etiam beati martyres, quando credebantur ablati de terra, ipsi per miracula dominari cœperunt in tota terra Ægypti, per ambitum videlicet mundi totius præcipue martyrum princeps ipse Christus magis dominabatur occisus, quam vivus. Ante mortem quippe in sola notus Judæa, post mortem quid dicit ? « Data est mihi omnis, » inquit, « potestas in cœlo, et in terra (*Matth.* XXVIII, 28). » Igitur, ut dictum est, exaudita est plene oratio psalmistæ dicentis : *Protegat te nomen Dei Jacob.*

Etiam illud, quod dicitur : *Mittat tibi auxilium de sancto, et de Sion tueatur te*, satis exauditum est, o Christe. Nam in tua persona mendacibus Pharisæis veritatem doctrinæ tuæ persequentibus misit tibi Deus Pater auxilium de sancto. Cum enim tu esses vivum Dei templum, in quo Divinitas erat quasi sanctuarium, de hoc sanctuario, de hoc oraculo sancto tibi homini humanitus loquenti, administrata sunt congruentissima responsa contra falsitatis argumenta maligna. Verbi gratia, cum tibi dicerent insidiatores maligni : « Magister, scimus, quia verax es, et viam Dei in veritate doces. Licet censum dare Cæsari, an non ? » Tibi continuo venit *auxilium de sancto* divinitatis oraculo, ut congruentissime respondendo diceres : « Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Jesus : Cujus est imago hæc et superscriptio? Dicunt ei : Cæsaris. Tunc ait illis : Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari ; et quæ sunt Dei, Deo (*Matth.* XXII, 16 seqq). » Item *de Sion* tuentem te Patrem veneramur, quoties responsa illa digne admiramur, quæ de speculatione Scripturarum decentissime sumpsisti. Verbi gratia, cum dixisti : Nonne « scriptum est in lege vestra, quia duorum hominum testimonium verum est (*Joan.* VIII, 17). » Item scriptum est, « quia domus mea domus orationis est (*Luc.* XIX, 46). » Similiter ubicunque res exposcebat, *de Sion*, id est de speculatione Veteris Testamenti congruentissima testimonia respondisti. Et in temporibus hæreticorum contra falsitatis impetum *de sancto*, cuilibet confessoris ingenio divinitus illustrato misit Deus Pater *auxilium, et de Sion* te roboravit, quando ipsis confessoribus tuæque veritatis assertoribus congrua testimonia de speculatione Scripturarum copiose administravit. Sic enim legitur in Hæbreo : *Mittat tibi auxilium de sancto, et de Sion roboret te.*

Patet ergo quia in tua persona sedens in equo albo, videlicet factus eques unito tibi personaliter homine assumpto victoriose militasti contra equum rufum deludens Herodem tua evasione ac fuga, deludens Pilatum tua resurrectione. Nihilominus victoriose militasti contra equum nigrum deludens veritatis *adversarios* responsis cautissimis et sapientissimis. *Item* in membris tuis per martyres equo rufo et sessori ejus illusisti, per confessores equo nigro et sessori ejus vires ademisti.

Quid autem feceris contra equum pallidum, aut quid nobis insinues faciendum, quia sessori ejus nomen est Mors, tanto diligentius est perspiciendum, quanto iste conflictus contra equum pallidum et sessorem ejus minatur vulnera mortifera, quia nomen cessoris dicitur Mors, eo quod mortem, sicut supra dictum est, inferat non uno modo, sed multis modis, gladio videlicet materiali et spirituali, fame verbi Dei ac debiti stipendii, morte corporis et animæ, bestiis terræ, sive spiritibus malignis illi famulantibus, vel etiam bestiis terræ sub humana specie bestialem ferocitatem, serpentinam tortuositatem contegentibus, et bestiæ, quæ in paradiso fuit callidior cunctis animantibus, in sancta Ecclesia officium gerentibus, ut superius prætaxavimus. Talem bestiam, talem equum pallidum animadvertimus fuisse Judam sub specie apostoli inimicum et apostatam sub officio ministerii Christi ministrum diaboli, sub nomine discipuli proditorem Christi. Hunc neque constantia veritatis in doctrina Christi, quam audivit, neque constantia patientiæ in passione Christi, quam vidit, quoquomodo ad bonum provocavit, sed sola virtus cœnæ mysticæ illum exterminavit. Cum enim accepisset buccellam, qua proditor designabatur, continuo exit, sicut refert Hilarius doctor, non admissus communioni sacramentorum cœlestium, quæ post illius exitum Dominus celebravit, postquam cœnavit, postquam vetus pascha consummavit. Sic enim in expositione super Matthæum dicit sanctus Hilarius : « Post-

Digitized by Google

quam Judas proditor indicatur, sine quo Pascha, accepto calice et fracto pane, conficitur, dignus enim æternorum sacramentorum non fuerat communione. Nam discessisse statim hinc intelligitur quod cum turbis reversus ostenditur. Neque sane cum Deo bibere poterat, qui non erat bibiturus in regno, cum universos istum bibentes ex vitis istius fructu secum postea bibituros polliceretur. » Hæc dicente sancto Hilario, licet aliter ab aliis inde sentiatur, sine dubio ex evangelistis colligitur, Matthæo, Marco et Joanne, sacrificio Novi Testamenti non interfuisse Judam, licet aliter videatur habere textus Evangelii secundum Lucam. Verum nunc de consensu evangelistarum non disputatur, sed hoc investigatur, quomodo equus pallidus, qualis fuit Judas, inimicus domesticus, cum suo sessore sic expugnandus, et exterminandus de societate verorum Christi discipulorum, quem neque doctrina veritatis verbo, neque constantia passionis exemplo inclinare potest ad consensum boni, quod etiam cognitum non habet gratum. Videamus, quid contra talem Dominus fecerit.

Humiliter illi cum discipulis cæteris pedes lavit, charitative illi suæ cœnæ convivium indulsit, sed sacramento corporis ac sanguinis sui eum exclusit, a quo etiam nunc similes illius excludit, quorum nonnulli, quanquam sacramentotenus communicent mystico cibo altaris, jejuni tamen permanent ab illo delectamento vivifici panis, de quo dictum est: Panem dedisti nobis « habentem omne delectamentum, et omnem saporem suavitatis (*Sap.* xvi, 20). » At tamen, si digne præparemur ad hujus panis fractionem, lavando pedes non solummodo amicorum, sed etiam inimicorum, parati servare præceptum Scripturæ dicentis : « Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, potum da illi (*Rom.* xii, 20), » atque cum ipsis malis taliter agendo, qualiter cum Juda egit Christus, tandem nolentes corrigi separemus, in quantum possumus et debemus : fiet procul dubio ipsorum impiorum talis exterminatio, qualis facta est Judæ, qui « abiens laqueo se suspendit (*Matth.* xxvii, 5), et suspensus crepuit medius, et diffusa sunt » in terram « viscera ejus (*Act.* i, 18) » per virtutem sacrificii salutaris, quo semetipsum Christus obtulit primum in specie panis et vini holocaustum charitatis igne incensum ; deinde in ara crucis iterum holocaustum non solum charitatis, sed et passionis igne totum incensum. Sicut enim sacrificium paschalis agni diversos effectus operabatur Israelitis et Ægyptiis, illis videlicet liberationem, istis vastationem perficiens, diversis diversos effectus, liberationis scilicet et vastationis, quod fieri non potuerat omnibus præcurrentibus plagis ; ita nunc perfecta liberatio bonorum, et perfecta humiliatio malorum, quæ non potuit fieri martyrum præliis et confessorum certaminibus, per mysticam sacræ hostiæ immolationem creditur fieri, maxime si eam celebraturi teneamus vestigia Christi tam in bonorum sancta dilectione, quam in malorum cauta æmulatione. Quod, ut clareat evidentius, de utroque ipsius Christi exempla videamus.

Et de dilectione quidem sufficiat nobis testimonium sancti evangelistæ dicentis : « Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos (*Joan.* xiii, 1). » Dilexit plane tanta et tali dilectione, qua major non est. Majorem enim dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis. Et in ultima cœna totus pene sermo ejus de commendatione solius dilectionis fuit, cujus in semetipso exempla præponens dixit : « Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos (*Joan.* xv, 12). » Quanta vero ipsius fuerit æmulatio circa falsum discipulum, vel intus convertendum, vel foras mittendum priusquam distribueret sui corporis ac sanguinis ineffabile sacramentum (quod his tantum censuit participandumin ministerio qui essent bibituri eum in regno), cauta in diget consideratione, quia res necessaria est non solum ad cognoscendum, sed etiam ad imitandum, si rite volumus accedere ad idem sacramentum celebrandum. Dixit alias ipse Christus ad æmulationem emendationis fraternæ suos instruens : « Si peccaverit in te frater tuus, argue eum inter te et ipsum solum : si te audierit, lucratus est fratrem tuum. » Quod « si te non audierit, adhibe tecum unum, vel duos » testes. « Quod si nec illos audierit, dic Ecclesiæ. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus (*Matth.* xviii, 15, 16, 17). « Ecce descripta est æmulationis fraternæ studiosa et cauta diligentia erga falsum fratrem a quolibet bono fratre instanter exercenda, quoadusque vel convertatur, vel si converti noluerit, tandem sicut ethnicus habeatur, neque sacramentis divinis communicare permittatur.

Hoc idem non contentus docuisse verbo, ipse Christus docuit exemplo. Nam celebraturus novum pascha, prius celebrans vetus pascha, cujus celebratio novi paschæ fuit quædam præparatio, in hac ipsa præparatione tanta æmulatione movebatur erga falsum discipulum, ut eum primo corriperet inter se et ipsum solum, dein adhibitis testibus. Dixit enim : « Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Verumtamen manus me tradentis mecum est in mensa (*Luc.* xxii, 15, 21). » Item : « Amen, inquit, dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est (*Matth.* xxvi, 21). » Sic loquendo arguit Christus traditorem suum intra se, et ipsum solum, quia non poterat aliquis intelligere præter ipsum reum, cujus tangeretur culpa et conscientia per hujusmodi verba. Postea, ut in ore duorum testium staret hujus redargutionis verbum, Petro innuente, discipulus ille quem diligebat Jesus, qui et recubuit in cœna super pectus ejus, ipse aliquantulum suppressa voce dixit : « Domine, quis est, qui tradet te ? » Cui dixit Dominus : « Hic est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset » buccellam, « dedit Judæ (*Joan.* xiii, 25 et 26). » Ecce, iterum redargutus est

Digitized by Google

sub duobus testibus, videlicet Petro et Joanne. Postremo singillatim dicentibus discipulis : « Nunquid ego sum, Domine ? » Judas quoque ausus est dicere : « Nunquid ego sum Rabbi ? » (*Matth.* XXVI, 22, 25.) Cui respondit Dominus : « Tu dicis : *et Filius quidem hominis vadit, sicut definitum est de illo. Væ autem homini per quem tradetur* (*ibid.* 24). » Hæc dicente Domino apostolica Ecclesia teste, redargutus est manifeste atque inter ethnicos et publicanos deputatus est. Quid enim erat dicere : *tu dicis*, nisi, ac si diceretur : Tu, qui tibi conscius es hujus sceleris, veritatem de te ipso dicis ? Et quid erat dicere : *Væ homini, per quem Filius hominis tradetur*, nisi ipsum traditorem excommunicare ? Ne autem tali exemplo videatur aliquis excommunicandus propter meditatum et nondum perpetratum scelus, hoc est notandum quod non dixit : *Væ homini qui hoc facere disposuit ;* sed : *væ homini, per quem hominis Filius tradetur* ut videlicet se tunc intelligeret sub maledicto excommunicationis positum, si meditatum facinus perduceret ad effectum. Si enim ante factum scelus fuisset excommunicatus, osculo ipsius Christi non fuisset admissus. Ultima vero admonitio Christi fuit, quod imminente jam sceleris actu dixit : « Juda, osculo Filium hominis tradis ? (*Luc.* XXII, 48.) » Item : « Amice ! ad quid venisti ? » (*Matth.* XXVI, 50) Scelere autem jam peracto statim positus fuit sub maledicto, neque ulterius ei fuit ulla cum discipulis Christi communio, qui etiam, ut supra dictum, et a sancto Hilario contestatum est, per hoc intelligitur ante distributionem corporis Christi foras exiisse, quod statim finita cœna, et parvo intervallo interposito cum turbis reversus ostenditur.

Ecce ostendimus documenta et exempla non solum dilectionis erga bonos habendæ, sed etiam ferventis æmulationis erga malos exercendæ, præcipue sacerdotibus in præparatione celebrandorum sacramentorum diligenter intentis. Hæc enim Christi exempla illis imitantibus erit acceptabile illorum et sacrificium et holocaustum : sacrificium digne in memoria Dei habendum, et holocaustum pingue redundans videlicet adipe et pinguedine dilectionis geminæ ad Deum primo, qui sacrificio tali honoratur, deinde ad proximum, qui tali sacrificio et holocausto adjuvatur, vel ut citius convertatur, vel certe ut citius a malitia sua præpediatur, ne diu peccans ampliora supplicia thesaurizet sibi in die iræ et revelationis justi judicii Dei. Sed, quia hic prima in expositione psalmorum nobis occurrit simul nomen *sacrificii et holocausti*, quæ inter hæc duo sit differentia, dicendum, ac de his aliquanto latius disserendum est.

Sacrificium in lege dicebatur illa victima, cujus pars in altari per ignem sanctum cremabatur, et pars inde separabatur, videlicet armus dexter, et pectusculum, « armus separationis, et pectusculum elevationis (*Exod.* XXIX, 26), » quæ duo cedebant in esum sacerdotis ipsam victimam sacrificantis ut videlicet ipso cibo suo doceretur, qualiter ipse vivere, vel qualiter alios instruere deberet. Maxime autem propter sacerdotes nostri temporis hæc scripta sunt, in quos fines sæculorum devenerunt, qui sive in secreta confessione, sive in publica eruditione tractando varias personas sub disciplina christiana positas quasi ad templum Domini oblatas de aliquibus faciunt sacrificium, de aliquibus holocaustum.

Nam *holocaustum* dicitur totum incensum, quando nihil de victima separatur, sed tota in altari crematur. *Holocaustum* est « virgo cogitans, quæ Domini sunt, ut sit sancta, et corpore, et spiritu (*I Cor.* VII, 34) » in Christo Jesu Domino nostro ; quia nihil in tali holocausto separatur, sed totum igne divini amoris crematur in odorem suavissimum. « Qui autem cum uxore est, cogitat, quæ sunt hujus mundi, et divisus est (*ibid.* 33), » partim scilicet intentus, quomodo placeat Deo, et partim sollicitus, quomodo placeat uxori. Talis homo a sacerdote, vel confessore suo Deo in sacrificium offertur ; quia et parte divini amoris igne crematur, et pars ejus inde separatur ; neque tamen pro parte inde separata sacrificium contemnitur, quia non frustra hæc pars *armus dexter* « separationis, et pectusculum elevationis » nominatur. Per *armum dextrum* hoc significatur, qui et *separatus* dicitur, quod ipsa quoque talis hominis actio, qua servit uxori, vel huic mundo, separata esse debet a mundo in maligno posito, et sic modificari, ut per eam connumerari valeat his, qui a dextris judicis ab ipso judice sunt audituri : « Esurivi, et dedistis mihi manducare ; sitivi, et dedistis mihi bibere, etc. (*Matth.* XXV, 35). » Illi namque, qui toti servitio divino prorsus mancipati *holocaustum* fiunt, in judicio non stabunt, sed sedebunt juxta sanctos apostolos, quia illic sedebunt sedes in judicio, sedes super domum David. Qui autem sacrificium fiunt, ipsi nunc sacerdotem summum in suis pauperibus pascunt, non solum per armum dextrum, per « armum separationis, » sed etiam per « pectusculum elevationis, » quo significatur hilaritas bonæ voluntatis, in qua « hilarem datorem diligit Deus (*II Cor.* IX, 7). » Nam, si porrigat quis pauperi eleemosynam ex tristitia, vel ex necessitate, non jungit armo dextro pectusculum elevationis, quia tristitia pectus premit in ima, quod hilaritate levatur ad suprema.

Aliter. Armus dexter et separationis datur in cibum sacerdoti, ut agnoscat sic se debere operari nesciente sinistra, quid faciat ejus dextra, ne actio ipsius inveniatur populi actionibus associata, quæ per excellentiam debet ab eis esse separata. Datur quoque illi pectusculum elevationis, ut semper in pectore ipsius maneat virtus ac celsitudo supernæ contemplationis, ne inaniter dicat : « Sursum corda habemus ad Dominum, » sed cum Apostolo dicere valeat : « Nostra autem conversatio in cœlis est (*Phil.* III, 20). »

Aliter. Quod armus dexter et separationis, atque

Digitized by Google

pectusculum elevationis in altari non crematur igne sancto, significat in sacrificio Domini separationem tunc necessariam, quando sacrificatorem scandalizat, vel dextera manus quasi armus dexter, propter hoc ipsum separatione vel excommunicatione forinseca dignus, quia latenter fuit separatus, etiam cum videretur intra corpus Ecclesiæ. De talibus multi exierunt a nobis, sed non erant ex nobis. Nam, si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum. Pectusculum vero elevationis intelligi potest is de quo in Evangelio dicitur : « Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te (*Matth.* v, 29). » Nisi enim intumesceret pectus in elatione, non scandalizaret vel scandalizaretur intellectus in contemplatione. Propterea, sicut in lege pectusculum elevationis a sacro igne separatur, per quod superbia Deo et hominibus odibilis condemnatur, ita in Evangelio dexter oculus cum scandalizat, jubetur erui et projici, per quod prava intelligentia condemnatur, quæ superbiæ comes est, et ideo pariter cum illa damnabilis, et a sacro altaris igne separanda est. Ubi autem in cœtu fidelium nullum est membrum separatione dignum, revera ibi fit *holocaustum* tanto pinguius, quanto erit ipse fidelis populus merito et numero magis adauctus, et quasi adipe bonæ voluntatis, et pinguedine devotæ operationis repletus. Utriusque rei exemplum in sancto Evangelio invenimus. Nam in cœna Domini, sicut prætaxatum est, erat armus dexter per officium, sed sinister per meritum Judas mercator pessimus, jam spiritu separatus ab apostolis ; qui et oculus dexter fuit, sed scandalizans, dexter per similitudinem boni, scandalizans per intentionem malitiæ et nequitiæ. Ideo ipse summus pontifex, uti præostensum est, ut suum legitime perficeret sacrificium, separavit illic armum separationis, *licet* dextrum, licet in officio suo valde utilem visum. Nam, cum funderetur unguentum pretiosum ante passionem super caput Christi, et ipse Judas diceret : « Ut quid perditio hæc? poterat enim istud venundari multo, et dari pauperibus (*Matth.* xxvi, 8, 9). » Cæteri discipuli consenserunt verbis ejus tanquam bonis et utilibus. At agnitor ejus nequitiæ Jesus armum illum falso dextrum, vere sinistrum, et oculum scandalizantem separavit, et reliquos discipulos in sacrificio mystico sanctificavit, sicut in oratione sua dixit : « Et pro eis ego sanctifico me ipsum, ut sint et ipsi sancti in veritate (*Joan.* xvii, 19). » Quod dicit : *Sanctifico me ipsum*, idem est ac si diceret : Sanctifico me ipsum, decidens videlicet quoddam membrum meum, ut et sint ipsi sanctificati, vel sanctificati in veritate, remota videlicet falsorum fratrum deceptoria vanitate. Sic sanctifico, vel sacrifico me ipsum faciens de me ipso sacrificium vespertinum pro meis omnibus, ut sint et ipsi sanctificati, a falsis videlicet fratribus omnino separati, et sacrificium acceptabile facti in veritate sine falsitatis intermistione, quia nisi prius fiant sacrificium separatione malorum, non posset fieri *holocaustum*. In passione igitur Domini, ejus discipuli facti sunt sacrificium, separatis a consortio eorum propter scandalum crucis quibusdam falsis discipulis.

Verum eisdem in Resurrectionis fide consolidatis, et suppleto numero apostolorum per electionem Mathiæ, cum pariter fuissent in cœnaculo ex numero discipulorum usque ad centum viginti, quorum nullus erat falsus discipulus, « factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes, et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis (*Act.* ii, 2 et 3). » Per hunc ignem, cujus viderunt in linguis igneis quamdam significationem, facta sunt eorum corda flammantia, quæ in unum conflata *holocaustum* nullius erant extunc susceptibiles divisionis, quia « erat » eis « cor unum, et anima una » in Deo (*Act.* iv, 32). Neque vero macrum fuit illud *holocaustum*, sed valde pingue abundans eadem pinguedine, qua vitulus ille saginatus, qui pro ipsis fuerat immolatus, et *holocaustum* factus. Cum enim singulæ ipsius actiones et passiones infra triginta tres annos pro sacrificiis multis computandæ sint, ultima ipsius immolatio vel in cœna, ubi se ipsum in specie panis ac vini, remoto Juda, obtulit ac discipulis dedit, vel in monte Oliveti, ubi se orando mactavit, quando pavere ac tædere cœpit coram discipulis, et « factus est sudor ejus quasi guttæ sanguinis decurrentis in terram (*Luc.* xxii, 44) » vel in ara crucis, ubi mortem nostram moriendo destruxit, pro magno ac pingui habenda est holocausto hæc ipsa ejus ultima, ut dictum est, immolatio. Qui si pro paucis fuisset immolatus, nequaquam vitulus esset saginatus. Propter hoc orans in monte Oliveti, cum pro discipulis orasset, ne illis tantummodo salvatis ipse vitulus victimalis, quasi macilentus videtur, per quem tam prava populorum portio salvaretur, adjecit : « Non pro his autem rogo tantum, sed et pro his qui credituri sunt per verbum eorum, ut sint omnes unum, sicut et nos unum sumus (*Joan.* xvii, 20, 21). »

Ecce quam saginatus vitulus, quam multum incarnatus, quam pinguis, quam corpulentus, quam magnis et multis membris per charitatis adipem dilatatus, qui non solum pro discipulis immolavit se ipsum, sed etiam pro omnibus credituris per verbum eorum. Intra quorum consortium *non æstimator meritorum, sed veniæ largitor* admittit multitudinem gentium per paucos discipulos credentium. « Ego, » inquit, « pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt (*ibid.* 9). » Ecce, quomodo hic sacerdos et hostia factus inter medios ignes holocausti memor fuit *sacrificii*, separando videlicet mundum incredulum in maligno positum ab his qui credituri erant per verbum discipulorum. Sed, quia de lege *sacrificii*, quantum nunc attinet, satis dictum est. De pinguedine holocausti hujus, cujus odor suavissimus est, ali-

Digitized by Google

quid adhuc juvante ipso, de quo loquimur, dicendum est.

« In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum (*Joan.* I, 1). » Sicut sapientia vel ars aliqua magna latens est apud ingeniosum animum, sic apud Patrem ingenitum fuit hoc Verbum unigenitum. Et sicut foras exit sapientia per opera secundum ipsam sapienter disposita, et fit quodammodo visibilis, quæ fuit invisibilis, verbi gratia: si ars musica latuit in corde sapienti, et secundum ipsam artem fiant musica instrumenta magna, et multa, jam quasi visibilis facta est musica, quæ prius erat invisibilis apud animum, sed exivit per opus mirificum, non tamen relinquens animum: ita Verbum erat in principio apud Deum, sed ut exiret foras, juxta quod scriptum est, ambulavit Verbum, et exivit in campis, « omnia » per ipsum facta sunt (*ibid.*, 3). » Sicut ergo musica subtilis in ingenio mentis quodammodo grossescit et crassescit in instrumentis musicis, ut possit videri, palpari et audiri, atque ab imperitis dulciter sentiri, sic subtile Dei Verbum per ea, quæ in ipso et per ipsum facta sunt, quodammodo grossum deprehenditur, quando, ut Apostolus ait: « invisibilia » Dei « per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur (*Rom.* I, 20). » Sempiterna quoque virtus ejus etiam ab impiis ita sentitur, ut sint inexcusabiles. Item, sicut subtilis ars musica de ingenio fertur in pergamenum, quando ipsius artis musicæ conscribuntur subtiles regulæ in parvis et in magnis instrumentis musicis observandæ in mensura, et numero, et pondere, sicut patet in organis ubi discreta est mensura fistularum, et variatur numerus, ac pondus earum secundum artis exemplar invisibile, quod est in mente: ita subtile Dei Verbum de corde Patris per Scripturas veritatis expressum regulas continet, secundum quas omnis creatura, specialius autem tota Ecclesia, vel quælibet fidelis anima sic modificari debet, ut ejus mensura, numerus et pondus eisdem regulis veritatis concordet sensibiliter et visibiliter, quas in eodem Verbo dictavit. Pater apud se invisibiliter, et exhibuit per creaturam et Scripturam visibiliter et subtiliter videndas et legendas, atque in omni operum humanorum mensura, et numero, ac pondere tenendas, ut ipsius Verbi æterni subtilitas velut quadam grossitudine operum secundum ipsam dispositorum quasi pinguis appareat, maxime cum quis inde facit holocaustum Deo attribuendo totum, quod invenitur bene gestum, servata Verbi Dei regula in mensura, et numero, et pondere. Nam si aliquid in humanis actionibus ab hac regula discrepat, necesse est primo sacrificium fieri, ut quod perperam gestum est, homo sibi attribuat per sacrificium pœnitentiæ, solumque ac totum bonum Deo, totius et solius boni auctori ad ultimum offerat in *holocaustum*.

Ne autem conveniens pinguedo tali holocausto deesset, parum erat Verbo æternaliter a Patre genito sic exiisse per opera et Scripturas. Plus exivit in sua misericordia, quando semen Abrahæ apprehendit. Imo quando ipsum Dei Verbum, ipsum Dei semen, quo germinante facta sunt omnia visibilia et invisibilia de nihilo, fieri voluit semen Abrahæ, cujus rei exhilaratus promissione ipse pater Abraham, quando tres vidit, et unum adoravit, « cucurrit ad armentum, et tulit inde vitulum tenerrimum (*Gen.* XVIII, 7), » coxit azyma, et fecit convivium. Nimirum sagax patriarcha prævidit Verbum Dei de carne sua incarnandum, ut esset vitulus tenerrimus, ad manducandum suavissimus, prævidit eum plenum gratia et veritate, quasi adipe et pinguedine: ideo exsultavit, ut videret diem ejus, quem se vidisse gratulatur Joannes dicens: « Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiæ et veritatis (*Joan.* I, 14). » — « Et de plenitudine ejus, » inquit Joannes Baptista, « nos omnes accepimus (*ibid.*, 16). » Quod ergo Joannes vocat plenitudinem, nos vocare possumus pinguedinem, quoniam tunc membra vel corpora dicuntur pinguia, quando sunt plena. Cum vero pinguedine vel carnibus fuerint exhausta, neque plena, neque pinguia dicuntur, sed macilenta. Ideo omnes, « quotquot » eum « receperunt, » quibus et ipse « dedit potestatem filios Dei fieri (*ibid.*, 12), » suspirant post ipsum quasi macilenti, quasi famelici, quasi fame in regione longinqua vehementer confecti, et nos cum ipsis fœda squalentes macie suspiramus, donec omnes occurramus in virum perfectum, « in mensuram ætatis plenitudinis Christi (*Ephes.*, IV, 13). »

Hoc autem duobus modis erit perficiendum, videlicet separatione malorum, et completione omnium bonorum singulis membris corpori Christi competentium secundum mensuram ætatis plenitudinis Christi. Separatio malorum fit per sacrificium. Completio, et consummatio bonorum fit per holocaustum. Propterea gementes in medio malorum nos intus torquentium, et extra prementium, quia in nobismetipsis non habemus Deo acceptabile sacrificium, recurrimus ad unicum ac singulare sacrificium, quod Christus in semetipso Patri obtulit, quando ipse bonus inter malos vixit sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, quorum nullatenus communicavit impietatibus, imo increpando impios factus est eis etiam gravis ad videndum. Inter hos illum vivere magnum fuit sacrificium sempiterna memoria dignum. Unde tibi, Christe, dicimus:

Vers. 4. *Memor sit Dominus omnis sacrificii tui*, ut per tuum vivere inter malos absque malorum contagio nos liberemur ab omni malo: Et *holocaustum* tuæ immolationis in cœna tua, in monte Oliveti, in ara crucis *pingue fiat* nobis, ut pinguedo dulcis, et dulcedo ejus pinguis ita nos reficiat, ut nihil nobis desit in ulla gratia exspectantibus revelationem tuam, simusque, uti tu in monte Oliveti

Digitized by Google

rogasti, consummati in unum, sicut tu et Pater unum estis, et dilectio, qua dilexisti nos, in nobis sit, et tu in nobis.

Exaudivit quidem te Dominus orantem illic contra manifestos persecutores et apertos hæreticos : adhuc vero necessarium est ut *exaudiat te in die tribulationis* orantem contra falsos discipulos Judæ proditori et mercatori pessimo comparandos. Nam contra persecutores Herodi consimiles petisti conservari tuos in corpore corruptibili, sed in nomine tuo, et in nomine Patris tui, ut ad negationem tui nominis per tormenta non possent compelli. Et exaudivit *te Dominus in die tribulationis*, quia *te* in tuis martyribus protexit *nomen Dei Jacob*, ne tu verus Jacob Rachele uxore tua filios suos, et tuos plorante cum ipsa et in ipsa esses absque consolatione. Nam illa Rachel, sicut supradictum et expositum est, primo quidem noluit consolari consideratione morientium filiorum, sed bene acquievit consolari consideratione futurorum bonorum, inter quæ bona præcipuum valde consolatorium bonum est filiorum Rachelis resurrectio. Quanquam et hoc sit magna consolatio Rachelis et Jacob de filiis occisis, quod, licet cum Joseph filio Rachelis in cisternam veterem, id est in mortis foveam sint projecti, licet videantur a fera pessima devorati, utpote a pessimis tortoribus interfecti, tamen dominantur in tota terra Ægypti, et obediunt eis, et spiritus maligni, qui sunt Ægyptii. Ego te, Christe, verum Jacob exaudita oratione tua protexit *nomen Dei Jacob* servans tuos martyres in nomine tuo.

Similiter orasti pro tuis confessoribus, qui erant impugnandi multis erroribus. Hos tu specialiter respexisti, cum in oratione tua dixisti : « Pater, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti, Jesum Christum (*Joan.* XVII, 1-3). » Sic te, Christe, orantem *in die tribulationis* generaliter quidem pro tuis omnibus, sed specialiter pro confessoribus exaudivit Dominus. Nam per eorum doctrinam te Filium suum Pater clarificavit, quia dedit eis illuminantem illos, et clarificantem te Spiritum sanctum, qui te clarificando de tuo accepit, et annuntiavit eis, ac docuit eos, ut hæreticis te blasphemantibus illi te glorificarent, et in gloria Patris esse docerent. Et quia tu Verbum Dei es, in hoc etiam te clarificaverunt, quod Scripturam prius obscuram clare intellexerunt, et clare docentes exposuerunt, atque ita Verbum Dei, quod tu es clarificaverunt, remotoque figurarum denso velamine faciem Moysi claram demonstraverunt ex consortio sermonis Dei, qui sermo tu es Christe Fili Dei, qui cum Moyse et Elia loquens in monte resplenduisti ut sol, nec illi duo poterant splendere in comparatione tui, licet clarificati fuissent ex tui splendoris participatione. Ideo discipuli tui, qui erant ibi, levantes oculos, qui tres in principio viderant, in fine visionis neminem viderunt, nisi solum Jesum : quia, sicut dictum est, quod clarum est in tui splendoris participatione, non est clarum in tuæ claritatis comparatione. Ideo sicut stellarum claritas in comparatione solis evacuatur, ita gloria vultus Moysi evacuatur propter excellentem gloriam tuæ claritatis. Hujus claritatis omnino expertes cæci hæretici, o Pater Christi ! non cognoverunt te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Sed sancti confessores et viri catholici vere non solum fide crediderunt, sed etiam intellectu cognoverunt te, et quem misisti Jesum Christum, esse solum verum Deum. Quod etiam clarissimis doctrinis ostendendo et hæreticorum tenebras fugando, ipsum Filium tuum clarificaverunt. Imo tu, Pater, in eis Filium tuum clarificasti, sicut ab eo rogatus fuisti, quando ille orans in die tribulationis dixit : « Pater, clarifica Filium tuum. » Tunc misisti ei auxilium de sancto, et de Sion tuebaris eum, quia de sancto Spiritu corda sanctorum replente, ac *de Sion*, id est de speculatione Scripturæ triumphatum est per sanctos confessores contra omnes hæreticæ pravitatis infestationes, et tu, Christe, clarificatus es Filius Dei esse in summa gloria Dei Patris, nihil minus habens claritatis in tua jam clarificata humanitate, quam in tua clarificante Divinitate, in qua non minus es clarus ipso Patre te clarificante, ut agnoscamus confitendam nobis unitatem claritatis, non solum in tribus personis unius Deitatis, verum etiam in duabus unius Christi naturis. Licet enim assumens Divinitas Verbi assumptam humanitatem clarificaverit, tamen non aliam claritatem illi dedit, vel a Patre impetravit ipsum Verbum Dei, quam eam, in qua ipsum Verbum fuerat apud Patrem, priusquam mundus fieret.

Restat nunc, Domine Jesu Christe, ut ad plenam tuæ orationis exauditionem *sit memor* Deus Pater *omnis sacrificii tui*, quod ei obtulisti manendo in mundo servans te a malo, sicut etiam tuis optasti dicens ad Patrem : « Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo (*Joan.* XVII, 15). » Sicut etiam Apostolus tuus docuit dicens : « Auferte malum ex vobismetipsis (*I Cor.* V, 13), » quod licet ita congrue intelligatur, ut malum, id est malitiam auferamus a nobismetipsis, quando eam non possumus tollere ab aliis : tamen sermo Græcus, in quo scripsit Apostolus, ut auferamus a nobismetipsis malum, significat hominem malum per masculinum accusativum. Quomodo autem hunc malum debeamus tollere a nobismetipsis, ut sacrificium nostrum Deo sit acceptum, superius exemplo Christi satis est demonstratum : qui a semetipso Judam abstulit, quando veteris Paschæ obtulit sacrificium, quo se suosque præparavit ad novi Paschæ holocaustum. Et nos quidem diversa tempora distinximus, persecutorum, et hæreticorum, atque falsorum christianorum, propter distinctiones martyrum, confessorum, atque bonorum seu christianorum verorum in hoc tempore sub malis periclitantium.

Digitized by Google

Sed nec in tempore martyrum, vel confessorum defuerunt falsi christiani, licet magno ventilabro martyriorum et confessionum ventilaretur area Dominica, et vix latere tunc potuisset fraus maligna, qua nunc plena est eadem area, tanquam sola palea replente granaria cuncta. Neque nunc desunt martyres vel confessores, licet rari, quia non offertur modo sanctis palma martyrii vel corona confessionis, uti quondam, quando rex gloriosus martyrum, corona confitentium, vicit in martyribus parcendo confessoribus. Est autem nunc pugna minus gloriosa, nec tamen minus periculosa, quando Ecclesia vexatur « periculis ex genere, periculis in falsis fratribus, » quæ quondam vexabatur « periculis ex gentibus (*II Cor.* xi, 26). » Unde quandiu in terra peregrinatur Ecclesia, necesse habet orare contra omnem persecutorem ad te, Christe, ut *protegat te nomen Dei Jacob*, et contra omnem hæreticum, ut mittat tibi Deus Pater *auxilium de sancto, et de Sion tueatur te.* Sed nos maxime, in quos fines sæculi devenerunt, quos bonorum christianorum inopia, et malorum coangustat copia, necessitate urgente oportet clamare ad te, Christe, ut *memor sit* Deus Pater *omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat.*

Itaque præceptis salutaribus moniti, et divina institutione adhuc formati oramus, tibique, o Christe! oranti, et sacrificanti, atque holocaustum pingue offerenti favemus, et dicimus : *Memor sit omnis sacrificii tui*, Deus Pater, *et holocaustum tuum pingue fiat. Memor sit omnis sacrificii tui*, ut omne malum a nobismetipsis auferamus prout debemus; et *holocaustum tuum pingue fiat* nobis, ut omne bonum in nobismetipsis habeamus, quo indigemus, et omnem bonum diligamus, ita ut cor unum et animam unam cum eo habeamus. *Memor sit omnis sacrificii tui*, ut declinemus a malo; *et holocaustum tuum* nobis *pingue fiat*, ut faciamus bonum. *Memor sit omnis sacrificii tui*, ut sint lumbi nostri præcincti, ab omni videlicet concupiscentia mala restricti, dum sit justitia cingulum lumborum nostrorum, et fides cinctorium renum nostrorum; *et holocaustum tuum pingue fiat* nobis, ut lucernæ ardentes in manibus nostris nunquam exstinguantur pinguedine hujus holocausti semper abundante in pastum ignis in testa carnis nostræ. *Memor sit omnis sacrificii tui*, ut exeat foras omnis Judas, et « fiant dies ejus pauci (*Psal.* cviii, 8); » *et holocaustum tuum pingue fiat*, ut episcopatum ejus accipiat alter, qui sit meritorum virtute divina electione dignus, ut Mathias. *Memor sit omnis sacrificii tui*, ut exeant a nobis, qui non sunt ex nobis; *et holocaustum tuum pingue fiat*, ut locum eorum tales domestici suppleant, qui cor unum et animam unam in Deo habentes nunquam ab invicem dissentiant, sed id ipsum dicant et sapiant : *Memor sit omnis sacrificii tui*, ut omnis filius prodigus, qui dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose, in se reversus dicat : « Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum et coram te; jam non sum dignus vocari filius tuus. Fac me sicut unum ex mercenariis tuis (*Luc.* xv, 18, 19). » Hoc totum proponat quasi victimam Deo Patri offerendam. Sed non recipiatur hæc victima in holocaustum, quia tale propositum ex parte approbandum, et ex parte separandum, et improbandum est, hoc scilicet, quod cogitat fieri mercenarius, qui erat filius. Suscipiat ergo Deus Pater hoc sacrificium recognoscendo filium, sed inde separet quasi armum dextrum, quod spectat ad mercenarium.

Non enim parva distantia est inter servum, et mercenarium, et filium. Servus est, qui solo timore pœnarum servat mandatum. Mercenarius est, quem non delectat servitium, sed præmium servitii. Filius est, quem etiam sine respectu præmiorum delectat servare Patris mandatum. Mercenarius dicit in corde suo : Meus cibus est, quod finito labore sum percepturus in præmio. Filius vero quid dicit? Meus, inquit, cibus est, ut faciam voluntatem patris mei. Illum cibat et delectat, quod in præmio laboris exspectat. Istum cibat, et delectat hoc ipsum, quod secundum voluntatem patris laborat. Servus adducitur in servitium per fidem, qua credens bona bonis, et mala malis futura. Plus timet sibi mala quam speret sibi bona futura, quia necdum est ei bona conscientia, de qua possit sibi sperare bona futura, et ideo timens mala servit sub virga. De servo autem fit mercenarius, quando jam decrescente timore malorum spes nascitur bonorum futurorum propter bonam conscientiam, qua quis conscius est de peccato præterito dolore ac de futuro libenter cavet. In tali statu fuit iste prodigus filius, cum voluit esse mercenarius. At patre illi offerente osculum dilectionis plenum signum, per ipsam dilectionem subito exuit habitum mercenarii, et indutus est habitum filii, stolam videlicet primam, et accepit annulum pontificale signum, vituloque saginato refectus pinguis est effectus filius, neque usquam comparuit mercenarius. Ita, Domine, quilibet prodigus reversus ad patrem suscipiatur, ut filius, et separetur mercenarius, ut filii reversio fiat sacrificium, de quo aliquid separetur et aliquid sanctificetur. Qui voluit esse mercenarius, crescat in amore patris, ut sit filius. Et est quidem quasi armus dexter servire Deo in spe futurorum bonorum. Sed proficiente amore filiali separabitur iste armus, cum de mercenario fit filius, qui cum Christo et in Christo dicere valeat : « Meus cibus est, » mea delectatio est, « ut faciam voluntatem Patris » mei. *Memor sit* ergo Dominus, o Christe: omnis sacrificii tui (*Joan.* iv, 34), ut quilibet filius adhuc in regione longinqua positus, saltem fame cogente, saltem pro mercede festinet redire ad Patrem. Sed cum pervenerit, et mercenarii deposuerit affectum, tunc *holocaustum tuum pingue fiat*, ut vitulo saginato plene refectus, qui fame defecerat, sine fictione dicere valeat : « Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei. » Mercenarium exuendo sacrificium tibi offerat filium induendo, ipse

Digitized by Google

totus jam factus filius, holocaustum fiat, siliquas porcorum cibum fastidiendo sacrificium offerat : epulari autem, et gaudere cum Patre assuescens ipse totus filiali amore succensus holocaustum fiat. Et hoc holocaustum sit pingue, de ipsius scilicet vituli saginati conditum pinguedine.

Memor sit omnis sacrificii tui, ut simus inter virgines a corruptione hujus mundi caventes, de quibus virginibus fiet sacrificium, quia partim excluduntur, partim admittuntur, dum fatuas nescit sponsus, qui pleno amore conjungetur sapientibus. Ut ergo non cum fatuis pinguedine olei carentibus excludamur, *holocaustum tuum* nobis *pingue fiat*, neque deficiente oleo lampades nostræ exstinguantur, sed sufficiente ipsius olei pinguedine non solum in lampadibus manifestorum operum, sed etiam in vasis occultarum conscientiarum pingue tibi offeramus holocaustum, et septem lampades ardentes ante thronum tibi exhibeamus, in quarum luce non ad horam temporalis favoris, sed ad perfectum diem æternæ beatitudinis gaudeamus.

Memor sit omnis sacrificii tui, ut sint multi divites partim sua sibi retinentes, partim tibi offerentes ad pauperum tuorum consolationem. *Et holocaustum tuum pingue fiat*, ut pauperum spiritu sit tanta multitudo et sanctitas, quam tu digne valeas exaudire, non solum pro salute divitum bene illis facientium vel pauperum illis compatientium et bene volentium, sed etiam pro conversione aliorum divitum illis malefacientium, vel pauperum illis invidentium, atque ita in cordibus tuorum pauperum tibi fiat magnum holocaustum, cum in eorum cordibus nec inimicus homo separatur, quin ei bonum cupiatur et petatur per ignem charitatis, qua diligunt amicos in te tanquam tua membra, inimicos propter te, ut fiant membra tua.

Memor sit omnis sacrificii tui, ut perfecta sit abrenuntiatio, qua in baptismi susceptione vel in sanctioris propositi arctiori voto abrenuntiavimus diabolo, et omnibus operibus ejus ac pompis. *Et holocaustum tuum pingue fiat*, ut affectuosa et effectuosa sit professio, qua confessi sumus nos credere in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli et terræ, et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum : qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus : descendit ad inferos : tertia die resurrexit a mortuis : ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis : inde venturus est judicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam. Amen. In hoc etiam *holocaustum tuum pingue fiat*, ut professionem arctioris vitæ, quam sumus aggressi, plene observemus cum dilectione tanquam spiritualis pulchritudinis amatores, et bono Christi odore de bona conversatione flagrantes, non sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti vivamus.

Memor sit omnis sacrificii tui, ut istas tres petitiones plene audiat et exaudiat : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris : et ne nos inducas in tentationem; sed libera nos a malo.* Per has namque tres petitiones Dominicæ orationis Deo sacrificium præparamus, dum debita nostra et tentationes et omnia mala separari a nobis optamus. Holocaustum vero præparamus, cum in quatuor petitionibus dicimus : *Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Ut ergo in his quatuor petitionibus pro te, Christe, plene audiamur et exaudiamur : *Holocaustum tuum* nobis *pingue fiat.* Non vacat modo pensare holocausti hujus pinguedinem, per singulas istas petitiones. At tamen de pane quotidiano vel supersubstantiali, quem petimus, istud credendum suademus, quod hic est panis, de quo dictum est in benedictione Aser benedicente patre Jacob filios suos. Dixit enim : « Aser pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus (*Gen.* XLIX, 20). » Merito hic pinguis panis præbebit delicias regibus, cum habeat in se omne delectamentum, et omnem saporem suavitatis, et omnem illam pinguedinem, de qua pater Isaac dixit ad Jacob : « Det tibi Deus de rore cœli, et de pinguedine terræ abundantiam (*Gen.* XXVII, 28). » Item ad eumdem : « Ecce, » inquit, « odor filii mei, sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus (*Gen.* V, 27). » Agri hujus pleni tota plenitudo est in pane isto, qui dicitur supersubstantialis et quotidianus. Supersubstantialis, secundum quod pascit angelos in cœlo : quotidianus, quia panem angelorum manducat homo sub cœlo. Supersubstantialis, quia perfectos roborat, quia cor hominis confirmat, quia sanum fidei palatum delectat, ne perfecti deficiant : quotidianus, quia ore perfectorum diligenter masticatus, vel etiam in corpore matris Ecclesiæ lac factus infirmos nutrit et alit, ut quotidie proficiant. Supersubstantialis est, quia suspendit mentis altam contemplationem, ut ipsis mentibus excedant, et excessus crebros habeant Deo, dum, quod in excessu mentis capiunt, supersubstantiale dulcedinis edulium soli Deo est notum : quotidianus est, quia eosdem sanctos facit esse sobrios hominibus et condescendibiles etiam in quotidianis contractibus et confabulationibus humanæ conversationis. Unde in hoc pane supersubstantiali et quotidiano hoc ipsum dulciter sapit, quod in oratione Dominica unus evangelista, videlicet Matthæus, vocat eum « panem supersubstantialem (*Matth.* VI, 11) ; » alter, id est Lucas vocat eum « panem quotidianum (*Luc.* XI, 3). » Vere in utroque nomine magna pinguedo, magna significatur dulcedo. Supersubstantialis panis pascit Mariam, ut eam delectet sedere ad ejusdem panis

Digitized by Google

mensam sine intermissione, quantalibet sit occupatio sororis Marthæ. Quotidianus idem panis pascit Martham confortando eam, ut alacriter satagat circa frequens ministerium, libenter pascens pastorem suum in suis pauperibus, maxime, qui vacant verbo vel docendo, ut Christus, vel auscultando ut Maria, de quo verbo quotidiana est fortitudo ipsi Marthæ laboranti, et Mariæ sorori ejus supersubstantialis dulcedo vacanti. Per hunc panem sic pinguem, sic plenum totius bonæ pinguedinis et dulcedinis omniumque deliciarum rex Christus *holocaustum* sit nobis *pingue*, ut in sacrosancta hujus panis fractione ac ruminatione delectati et saginati plene gaudeamus, et gaudium nostrum nemo tollat a nobis, nemo perturbet, sed integrum perseveret semper. Ita, Domine, *holocaustum tuum pingue fiat*, non ad horam faciens nobis exsultationem, sed semper.

Hoc enim loco, ubi Septuaginta posuerunt *diapsalma*, Hebræi habent *sela*, id est *semper*. In utraque lingua veritas est expressa. Nam et in hoc loco velut finita die tribulatione materia psalmi distinguitur, et de tristitia passionis ad lætitiam resurrectionis fit quidam transitus. Unde congrue hic interponitur diapsalma. Hebræi autem, qui habent in hoc loco *sela*, quod interpretatur *semper*, licet propter velamen suæ faciei superpositum non videant æternitatis lucem, quæ per *semper* significatur : tamen ipsi cæci aliis videntibus lumen ingerunt per hoc adverbium psalmis crebro interpositum, quod, sicut prædictum est, æternitatis est significativum, cujus interpositio congrua est in hoc loco subjuncta, holocausto in æternum flagraturo, illo sacerdote illud offerente secundum ordinem Melchisedech, qui non ut Aaron temporale sacerdotium, sed sicut Melchisedech sempiternum habet sacerdotium. Unde, et salvare in perpetuum potest accedens (50) per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro suis, offerens videlicet holocaustum pro humana salute hominem assumptum, et totum divinitatis ignem incensum, quod holocaustum in conspectu Dei Patris est pingue *semper*.

Et quidem tu, Christe, sacerdos magne, « in tempore iracundiæ factus es reconciliatio (*Eccli.* XLIV, 17), » quando in die tribulationis obtulisti sacrificium et holocaustum, de quo jam, prout te donante potuimus, aliqua diximus, ex quibus plura conjicienda sunt. Sed ex tunc finito tribulationis die non solum tibi, sed etiam his, quos de inferno liberasti, quorum multa corpora surrexerunt, et introierunt in sanctam civitatem, in cœlestem Jerusalem, successit ipsi diei tribulationis et passionis læta dies resurrectionis. Igitur exsultemus et lætemur in ea percurrendo sequentia psalmi, quæ ad ipsam diem exsultationis cuncta referuntur : cum tibi nunc sedenti ad dexteram Patris corda fidelium tuorum per sancta desideria conjunguntur, ipsis, non quæ super terram, sed quæ sursum sunt sapientibus, ubi tu, jam in te ipso dives, cum Patre multis bonis indiges in tuo corpore adhuc in terris peregrinante. Inter multa quibus indiges plurimum, vel maxime indiges operariis in messe tua multa. Igitur te, Domine, suppliciter exoramus ut gregem tuum, Pastor æterne, non deseras, sed per beatos et bonos operarios continua protectione custodias, ut eisdem rectoribus usque in finem gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contulisti præesse pastores. Hoc tibi gratum et tuo cordi beneplacitum credimus. Et ideo cum angelis, et archangelis, cum thronis, et dominationibus, cumque omni militia cœlestis exercitus tuo cordi favemus, et dicimus :

VERS. 5. *Tribuat tibi secundum cor tuum, et omne consilium tuum confirmet. Tibi*, Christe, nunc sedenti ad dexteram Patris *tribuat* ipse Pater in messem tuam tales operarios, qui sint *secundum cor tuum*. Fuit quondam Saul rex prælatus populo tuo non *secundum cor tuum*, sed secundum cor populi electus et bonus, quo amoto regnavit rex David non secundum cor populi, sed *secundum cor tuum* electus et bonus, et inventus in numero sanctorum secundum cor tuum. Unde et dicis : « Inveni David servum meum, et oleo sancto meo unxi eum (*Psal.* LXXXVIII, 21). » Item : « Inveni David secundum cor meum. » Similiter itaque nunc oramus, tibique in dextra Patris interpellanti nostra vota sociamus, rogando Patrem, ut omnes operarios, omnes principes, omnes pastores, qui secundum cor populi sunt electi et boni, dum peccatis exigentibus per tales flagellandus est populus, aut facias esse tales, qui sint non secundum cor populi, sed *secundum cor tuum*, aut illis amotis tales in principatu tam sæculari quam ecclesiastico constituas principes super omnem terram, qui non secundum cor populi sint immemores nominis tui, sed pro patribus Ecclesiæ nati filii, et principes constituti super omnem terram sint memores nominis tui *secundum cor tuum*, et per quos Deus Pater *omne consilium tuum confirmet :* videlicet, ut plenitudo gentium tota intret, et sic omnis Israel salvus fiat. Vel certe, ut suscitato per omnia regna, super omnes oves pascuæ tuæ David rege, David pastore, qui eas pascat in innocentia cordis sui, et in intellectibus manuum suarum deducat eas, ipsæ oves tuæ sint omnes gemellis fetibus et sterilis non sit inter eas : dum non erunt fideles tui contenti servare præceptum quasi unum fetum, sed addunt præcepto consilium ; quia parum erit eis non pejerare, quod est præceptum, sed addunt non omnino jurare, quod est consilium. Parum erit non occidere, quod est præceptum, sed ponunt suas animas pro fratribus, ut ipsi pro fratribus parati sint occidi, quod est consilium. Parum erit eis non rapere, seu furari aliena, quod est præceptum, sed vendunt omnia sua, et dant paup-

(50) Ita Cod.

Digitized by Google

ribus, et sequuntur te, Christe, quod est consilium tuum. Tu enim non præcipiendo, sed consulendo dixisti cuidam diviti : « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me, et habebis thesaurum in cœlo (*Matth.* XIX, 21). » Istud consilium tuum ex parte jam est impletum, sed adhuc in multis restat implendum. Ut igitur *omne consilium tuum* confirmetur, ut sint omnes greges tonsarum ovium ascendentium de lavacro gemellis fetibus, gemellis fructibus præceptorum et consiliorum fecundæ, atque sic omne consilium tuum confirmetur : tu qui de post fetantes accepisti David servum tuum pascere Jacob servum tuum et Israel hæreditatem tuam, nunc multiplica in Ecclesia super imperfectos vel activos, qui per *Jacob* significantur, et super contemplativos et perfectos, qui per nomen Israel notantur, tales pastores et tales reges, qui sicut David *secundum cor tuum* regant et pascant populum tuum et oves pascuæ tuæ.

Item : Quia tu verus Josue, tu vere Jesus dictus non ita nuncupative sicut ille antiquus Josue, sed substantive et effective, sicut angelus exponens rationem hujus nominis tui, quod est Jesus, ait : « Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum (*Matth.* I, 21); » quia, inquam, tu vere Jesus dictus populum tuum es introducturus in veram repromissionis terram lacte et melle manantem, neque hoc facies absque adjutore Caleph, dum gratiam invisibilem das per ministrum quemlibet visibilem, *Deus Pater tribuat tibi secundum cor tuum* dispensatores mysteriorum, quibus ita vere conveniat nomen Caleph, quod interpretatur *quasi cor*, dum sunt ipsi *secundum cor tuum*, sicut vere tibi convenit nomen Jesus, eo quod salvum facias populum tuum a peccatis eorum, Sic *omne consilium tuum* confirmetur, dum per te Jesum salus invisibiliter detur, et per quemlibet ministrum tuum sacramenta salutis visibiliter administrentur quasi, per Caleph socium tibi dilectum, qui secundum virtutem nominis Caleph tibi invisibiliter operanti cooperetur visibiliter *secundum cor tuum*, et non cum his quorum cadavera prosternuntur in deserto extra terram promissionis, moriatur, sed tecum, o Jesu! in terra promissionis æternis deliciis frumenti, vini et olei perfruatur.

Aliter. Salvatio prædestinatorum taliter perficitur, ut Jesus principaliter operetur « salutem in medio terræ (*Psal.* LXXVII, 12), » id est in corde, quod medium locum tenet in corpore, sed ipsi Salvatori salutem humanam operanti liberum arbitrium cooperatur, si secundum cor ipsius Jesu disponatur et inveniatur dignum nomine Caleph, quod, ut dictum est, interpretatur *quasi cor*. Et Jesus quidem quasi princeps, et in principatu major Moyse introductor est in terram promissionis, attamen quærit comitatum, qui sit secundum cor suum, nostrum videlicet liberum arbitrium sibi volens esse consentaneum. Sicut enim ex omnibus, qui in exitu Israel de Ægypto baptizati sunt in nube et in mari, soli duo, Josue scilicet et Caleph, introierunt in terram promissionis : ita nunc ex omnibus baptizatis duo tantum ingrediuntur in regnum cœlorum, id est, ipse Jesus propter nos in Jordane vel in proprio suo sanguine baptizatus, et populus fidelis per baptismum ei illi consepultus, atque illius voluntati et cordi per omnia consentaneus, ut secundum cor Christi se habens in voluntario consensu liberi arbitrii Caleph recte possit appellari. Tunc autem nostrum liberum arbitrium erit quasi cor Dei, cum recte discernit, eligit, diligit. Discernit videlicet a malo bonum ; eligit ipsum bonum apprehendendum ; diligit apprehensum. Discernit quæ sit voluntas Dei bona ; eligit eam quæ sit beneplacens ; diligit eam quæ sit perfecta. Propterea, inquit Apostolus : « Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei beneplacens et perfecta (*Ephes.* V, 17), » ut videlicet bona voluntas discernatur, ne quid ei malitiæ admisceatur ; beneplacens eligatur, ne aliquid ei, quod non debet, præferatur ; perfecta diligatur, ne unquam in fastidium vertatur. Neque enim unquam fastidium habebit illius rei dilectio, in qua caute a cæteris rebus discernenda non erratur, et in qua eligenda bene deliberatur. Hinc est, quod hujus mundi amatoribus ipse mundus tandem vertetur in fastidium ; quia non fuit caute deliberatum, cum suo Creatori prætulerunt mundum creatum. Qui autem Christum discernunt et eligunt sibi diligendum, tandem in ejus dilectione penitus nullum sentient fastidium, quando cor eorum fuerit omnino secundum ipsum.

Nam in proficientibus, et necdum ex toto cor suum ad ipsum vertentibus, ipse Christus aliquantulum condescendit secundum cor eorum eis exhibendo seipsum. Sic in die Resurrectionis, cum adhuc tenebræ essent ad monumentum, in corde Mariæ non credentis illum resurrexisse, dubitanti cordi se conformans non in specie nota, sed quasi hortulanus illi apparuit (*Joan.* XX, 15). Aliis item amantibus et dubitantibus apparuit quasi peregrinus, videlicet secundum cor eorum ipsis dispositus. At postquam cor Mariæ confirmatum est in fide secundum cor Christi, omne consilium Christi confirmatum est in ea. Similiter postquam discipuli pridem « stulti et tardi corde ad credendum, » cor ardens habuerunt secundum cor Christi, « cognoverunt » Dominum « in fractione panis (*Luc.* XXIV, 35). » Item discipuli ejus indiscrete piscantes, neque inter dexteram et sinistram discernentes, viderunt illum in littore quasi hominem ignotum (*Joan.* XXI, 4). At postquam secundum cor Christi ad ejus imperium miserunt rete in dexteram navigii, continuo, ex ipso effectu piscationis, Dominum maris cognoverunt, et secundum cor ipsius cor suum illi exhibuerunt. Unde finito illic prandio, cum diceret Petro tertio : « Amas me ? » ipse quoque tertio secundum cor ipsius respondit illi : « Amo te (*ibid.*, 17). » Ecce cor Petri quasi cor Christi se habendo exhibet no-

Digitized by Google

bis in comitatu Jesu, quasi alterum Caleph, cui et dicit ipse Jesus: « Tu me sequere (*ibid.*, 22); » tanquam dicat: quasi alter Caleph tu me sequere verum Josue, tu me comitare, tu mihi cooperator esto, ut per Jordanem baptismi populus fidelis introducatur in terram promissionis. Quod ut ita fieret, recte orando prophetavit, et prophetando fideliter oravit propheta David sic dicens tibi, Christe: *Tribuat tibi secundum cor tuum, et omne consilium tuum confirmet.* Subauditur: *Deus Pater.*

Et nos postquam hoc magna ex parte impletum cognovimus, tamen in nobis et aliis adhuc sentimus magnam discrepantiam cordis nostri humani a corde Christi, in quo sunt omnes thesauri divinorum consiliorum absconditi, cui omnino sic nos expedit conformari per fidem cum Maria, per cordis ardorem cum discipulis illum in fractione panis cognoscentibus, per amorem sincerum cum Petro, ut manifesta sit nobis in nobis ipsius resurrectio, in qua facta est corporis et spiritus perfecta coadunatio. Non putemus, cum Maria Christum in monumento quærente, ipsum necdum ad æqualitatem Patris ascendisse, vel corpus ejus esse absque spiritu suo. Bursum cum discipulis, qui existimabant « se spiritum videre (*Luc.* XXIII, 37), » non putemus Christum carnem et ossa non habere, cum ipse dicat sponsæ suæ, sanctæ scilicet Ecclesiæ: « Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea (*Genes.* II, 23). » Sic omnino cor nostrum sit ardens in nobis, dum loquitur nobis in via, et aperit nobis Scripturas, neque inter cor nostrum, et cor Christi aliqua inveniatur damnabilis et noxia nobis diversitas. Quia vero nobis in nobis, vel ex nobis nulla est virtus ad hæc perficienda in nobis, « fiduciam talem habemus per Christum ad Deum, non quod simus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est (*II Cor.* III, 4, 5), » qui, etsi nobis propter nos nihil boni debet, quibus nonnisi pœnas debet: tamen hoc Filio suo debet, ut ipse homines illi conformet, qui et obediens ei factus, et homini mortuo ipse mortuus est conformatus. Propterea non rogamus rem tantam dari nobis pro meritis nostris, sed rogamus, o Christe, ut Deus Pater *tribuat tibi secundum* quod meruisti, et *secundum cor tuum* sic disponi nostrum liberum arbitrium, ut quasi Caleph comitetur te Jesum ad confirmandum in nobis non solum omne præceptum tuum, sed etiam *omne consilium tuum.* Dicimus ergo: *Tribuat tibi secundum cor tuum* esse cor nostrum; *et omne consilium tuum confirmet*, ne unquam consiliis tuis divinis affectus humanus recalcitraret, sed cor nostrum per liberum arbitrium *secundum cor tuum* gradiatur, quoadusque in vera promissionis terra, latte ac melle sempiternæ dulcedinis tecum perfruatur. Ibi

VERS. 6. *Lætabimur in salutari tuo, et in nomine Dei nostri magnificabimur.* Ibi, o Pater, o Genitor Salvatoris! in terra promissionis constituti post omnem diem tribulationis, in die solemnitatis et lætitiæ, *lætabimur in salutari tuo.* Ego David propheta, et omnis fidelis psalmista, et omnis fidelium caterva, Caleph nomine digna, imo dignatione divina hoc nomen sortita ibi *lætabimur*, non in nostro merito, sed *in salutari tuo*, Pater æterne.

Et in nomine Dei nostri magnificabimur. Nam quos prædestinavit ante tempora sæcularia, hos et vocat et justificat in tempore opportuno, in tempore accepto, eosdem quoque magnificabit post omnia tempora in æternitatis gloria semper mansura. Hæc dixi, conversus ad Patrem. Iterum, conversus ad Filium dico:

VERS. 7. *Impleat Dominus omnes petitiones tuas.* O Fili Dei vivi Christe, qui pro nobis interpellas apud Patrem dignus exauditione pro tua reverentia, tibi pro nobis postulanti nostras preces jungimus ac dicimus: *Impleat Dominus* Pater *omnes petitiones tuas.* Tu es enim nunc advocatus noster; futurum est ut sis judex noster. Sed antequam nos judices, antequam nos ad judicium voces, *impleat* Deus Pater in nobis *omnes petitiones tuas*, quas tu, pontifex ingressus in sancta sanctorum, id est in ipsum cœlum, ut appareas vultui Dei pro nobis, per hoc ipsum fundis pro nobis, quod appares vultui Dei pro nobis. Nam tuæ illic humanitatis in divina gloria jugis apparitio jugis est petitio pro his in cœlum intra Sancta sanctorum colligendis, qui sunt membra tua, per hoc participes tuæ divinitatis, quod tu particeps factus es humanitatis. Itaque, o magne Pontifex, qui penetrasti cœlos, qui intra Sancta sanctorum, intra secreta cœlorum tuæ humanitatis exhibitione *petitiones* facis pro salute hominum, pro glorificatione membrorum tuorum, nos tibi petenti petitiones nostras jungimus et dicimus: *Impleat Dominus omnes petitiones tuas.* Et non dubitandum est ullo modo exaudiri talem pontificem in diebus suis Deo placentem, quia etiam longe ante ipsius tempora ego *David* propheta in diebus meis

Nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum. Nunc cognovi per spiritum prophetiæ, *quoniam* Deus Pater *Christum* Filium suum Spiritu sancto et virtute unctum, non dico *salvum* faciet, quasi futurum illud mihi sit ambiguum, sed *salvum fecit*; quia immobiliter in præscientia divina est præteritum, quod adhuc in temporibus est futurum de salvatione totius Christi, id est capitis et omnium suorum membrorum, in quibus pro prædestinatione jam *salvum fecit Dominus* Pater *Christum suum.* Sed, ut ipsa prædestinatio in effectu appareat, et totum corpus ejus in his quoque membris, in quibus adhuc super terram infirmatur, salvum fiat,

Exaudiet illum de cœlo sancto suo. Qui exaudivit eum in carne mortali sub cœlo, et sub angelis minoratum, nunc multo magis *exaudiet illum de cœlo sancto suo* in carne immortali super angelos glorificatum. Qui exaudivit Jesum sacerdotem magnum

Digitized by Google

in veste sordida orantem, sicut in Zacharia legitur, nunc multo magis *exaudiet illum* talibus mutatoriis indutum et talibus coronis coronatum, de qualibus illic dicitur : « Ecce abstuli a te iniquitatem tuam, et indui te mutatoriis (*Zach.* III, 4). » Item : « Et factum est verbum Domini ad me dicens : Sume a transmigratione ab Holdai, et a Tobia, et ab Idaia, et venies tu in die illa, et intrabis domum Josiæ filii Sophoniæ, qui venerunt de Babylone, et sumes argentum et aurum, et facies coronas, et pones in capite Jesu, filii Josedech sacerdotis magni, et loqueris ad eum, dicens : Hæc ait Dominus exercituum, dicens : Ecce vir Oriens nomen ejus (*ibid.*, VI, 10-12). » Hic per nomen *orientis* intelligimus gloriam Christi resurgentis post occasum suæ mortis, quando natura humana in Christo, licet non fuerit in alteram naturam commutata, tamen mutatoriis divinæ claritatis est induta, et gloria divini splendoris coronata. Ergo nunc mutatoriis indutum, et coronis aureis coronatum *exaudiet illum de cœlo sancto suo*, qui eum prius exaudivit spinea corona coronatum, et nostris peccatis coinquinatum, sicut in Isaia dicitur : « Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum. Calcavi eos in furore meo, et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi (*Isa.* LXIII, 3). » Si ergo in die tribulationis habens vestimenta sordida, sicut sunt vestimenta calcantium in torculari, tamen « exauditus est pro sua reverentia (*Hebr.* V, 7) ; » quanto magis nunc, « formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ (*Isa.* LXIII, 1), » dignus est exauditione. Propterea vel ego David propheta, vel ego quilibet fidelis psalmista sine dubio affirmo, quod Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, qui eum exaudivit *in die tribulationis*, nunc exaudivit et semper *exaudiet illum de cœlo suo*, imo de sinu suo; quia « unigenitus est in sinu Patris, » ait Joannes, « ipse enarravit (*Joan.* I, 18), » videlicet : non aliud enarravit foris, quam quod in sinu suo discit, in quo etiam sinu tanquam de vicino petit, quod suis membris expedire novit, ubi *exaudiet* Deus Pater *de cœlo suo sancto*, id est, de sinu sancto suo ; de cœlesti videlicet secreto, ubi inter ipsum et Patrem nullius vestimenti est interpositio, quia « ego, » ait « et Pater unum sumus (*Joan.* X, 30). »

Exaudiet ergo *illum de cœlo sancto suo in fortitudine salutis dexteræ suæ :* sic enim in Hebræo legitur pro eo quod nos habemus : *In potentatibus salus dexteræ ejus.* Exaudietur plane in obtinenda fortitudine salutis dexteræ suæ, quia *salus dexteræ ejus* est *in potentatibus*. Scriptum est enim : « Longitudo dierum in dextera ejus, et in sinistra illius divitiæ et gloria (*Prov.* III, 16). » Ergo longitudo dierum est æternitas octo beatitudinum. Et ideo *in potentatibus*, sive *in fortitudine* prædicatur esse *salus dexteræ ejus*, quia nunquam deficiet longitudo et fortitudo et potentatus illius salutis, illorum dierum, illius beatitudinis, quæ est in dextera ejus, in potiori manu ejus, qua distribuit et largitur æterna bona. Sed in sinistra illius, qua tribuit divitias temporales et gloriam dignitatum præsentium, est quidem quantulacunque *salus;* in qua tamen salute non est potentatus, aut fortitudo, seu longitudo, sed magna infirmitas, magna instabilitas, magna brevitas et brevis jucunditas. Ideo pro hac salute suis obtinenda non orat Christus, quamvis eam tribuat interdum suis fidelibus, quibus de sinistra sua largitur temporalia bona interdum ; semper autem de dextera sua largitur eis æterna, in quibus est potentatus et fortitudo salutis, pro qua suis obtinenda ipse nunc orat in cœlis. Nos quoque, qui membra ipsius dicimur, ad eamdem æternam salutem petendam semper intenti esse debemus, ne cum impiis, quibus placent sola sinistra, sinistri efficiamur, et in hoc mundo ita cum eis extollamur, ut una cum eis corruamus. Nam

VERS. 8. *Hi in curribus, et hi in equis.* Majores *in curribus*, minores *in equis* feruntur ; quia mos erat antiquitus, ut quando post victoriam exhibebatur triumphus, majores laureati ferrentur *in curribus*, minores autem pariter ovantes ferrentur *in equis*, plebe occurrente cum ramis palmarum, et vocibus magnis celebrante triumphale festum. Unde nunc pro majoribus dignitatibus ponuntur *currus*, pro minoribus *equi*, cum dicitur : *Hi in curribus, et hi in equis.*

Aliter : *Hi in curribus* vanarum dignitatum, et inanis gloriæ gloriantur : *et hi in equis* cervicosæ superbiæ aut fluxæ luxuriæ feruntur cum Pharaone et exercitu ejus. *Nos autem* cum Moyse quasi pedestres ab hujusmodi fugiendo cum ipso Moyse cantamus, et alios ad cantandum provocamus, dicendo : « Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est (*Exod.* XV, 1). » Talia dicentes, Deum de præteritis bonis laudamus, et *in nomine Domini Dei nostri invocabimus* adjutorium divinum ad consequenda futura bona, quæ sunt in dextera. Nam, qui sinistris inhiabant, et pro retinendis dicebant : « Expedit nobis ut unus moriatur homo, ne forte veniant Romani, et tollant nostrum locum et gentem (*Joan.* XVIII, 14 ; XI, 48). »

VERS. 9. *Ipsi obligati sunt, et ceciderunt*, locum et gentem amiserunt : ipsi et omnes eorum consimiles temporalia et sinistra bona æternis ac dextris præponentes, etsi videantur sibi stare in alto rerum culmine, tamen *ceciderunt* obligati funibus peccatorum suorum. *Nos autem*, qui temporalia contemnendo sola æterna desideramus, qui, utendo temporalibus, æternis frui cupimus; *nos*, inquam, gentiles, qui lapides fuimus de lapidibus suscitati, *surreximus, et erecti sumus*, ut simus filii Abrahæ, quorum similitudo illi ostensa est non in terra, sed in cœlo dicente ad eum Domino : « Suscipe cœlum, et numera stellas, si potes. » Suspexit ille, qui sibi dici audivit : « Sic erit semen tuum (*Gen.* XV, 5). » *Et nos* igitur cum patre nostro Abraham sursum

Digitized by Google

aspiciendo, et terrena despiciendo, *surreximus et erecti sumus*.

VERS. 10. *Domine, salvum fac regem, et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.* Sumus quidem erecti; sed, quia nec nostra virtute surreximus, neque stare per nos possumus, o Domine Pater, *salvum fac regem* in suis membris, quem jam salvasti in semetipso. *Salvum fac* illum in nobis adhuc infirmis, qui eum salvasti in multis militibus ipsi regi nostro viriliter militantibus : *et exaudi nos* per illum pontificem pro nobis interpellantem *in die, qua invocaverimus te*, a te ipso petentes te ipsum, quod est invocare te. Nam, qui aliud a te desiderant, illud invocant quod desiderant. Nos autem cupimus et per Christum regem salvari *in potentatibus salutis dexteræ ejus*, et per ipsum pontificem exaudiri *in die*, A *qua invocaverimus te. In die*, in lucida exspectatione ac desiderio claro illius promissionis, quam ipse pontifex nobis posuit, dicens : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (*Joan.* XIV, 23). » *In* hujus promissionis *die* ac luce quandocunque *invocaverimus te*, per ipsum exaudi nos, qui apud te interpellat pro nobis Jesus Christus Dominus noster, qui tecum vivit, et regnat Deus in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Gloria Patri, Filium pro nobis interpellantem exaudienti : *Gloria Filio* salutari, in quo lætabimur, sicut in psalmo isto dictum est : *lætabimur in salutari* ejus : *Gloria Spiritui sancto*, qui est hæc ipsa lætitia, qua *lætabimur in salutari* Dei Patris.

PSALMUS XX.

Domine, in virtute tua lætabitur rex.

(VERS. 1.) IN FINEM PSALMUS DAVID.

Titulus psalmi patet. Ordo placet. Cum enim psalmo præcedenti fuerit materia sacerdotalis Christi supplicatio in passione, ac pontificalis interpellatio in Patris confessione, paucis interpositis de regali ejus potentia circa finem, ubi dictum est : *Domine, salvum fac regem ;* nunc in isto sequenti psalmo, quasi e converso, principalis materia est ejus regalis potentia, cui pauca interponuntur de sacerdotali clementia. Igitur misericordiam et judicium cantant hi duo psalmi, et in eorum contextu misericordia et veritas obviant sibi ordine decentissimo; dum prius propitiator pontifex in throno gratiæ clementer omnes invitat ad se, ac postea gratiam contemnentibus quasi rex magnam ostendit potentiam et virtutem; ut quos hoc non demulcet ad pietatem, quod ipse est propitiatio pro peccatis totius mundi, hoc saltem a sua impietate deterreat, quod ipse est invictæ virtutis auctor et insuperabilis imperii Rex, ac semper magnificus triumphator, qui adversæ dominationis vires reprimit, qui inimici rugientis propria virtute sævitiam superat, qui hostiles nequitias potenter expugnat, cujus virtuti et fortitudini penitus nemo potest resistere, quia necessarium est, inevitabile est, atque ita inevitabiliter præordinatum est ut ei omne genu flectatur volentium et nolentium, cœlestium, terrestrium et infernorum (*Philipp.* II, 10).

Unde recte adtitulatur hic *psalmus David* manufortis, quoniam sicut de fortitudine *David* legitur, quod « octingentos interfecit impetu uno (*II Reg.* XXIII, 8) : quo facto, seu dicto mystico significatur magna *David* manufortis fortitudo, sic de isto vero *David* sanissime creditur quod innumerabiles exercitus dæmonum interfecit et superavit impetu uno, quando in impetu magni terræmotus, eo moriente in B cruce, atque anima ejus ad infernum, descendente ceciderunt ante faciem ejus portæ infernales fugatis earum custodibus. Cum enim ipse rex gloriæ Christus infernum debellaturus intraret, et chorus angelicus ante faciem ejus portas principum tolli præciperet, atque multum populum de inferno eriperet, suæque resurrectionis participes faceret : in hoc ipso plagam mortis accepit diabolus cum suis satellitibus, quod ereptis de manu inferni multis hominibus, quorum saluti valde invidet ille inimicus, ipsum et suos torquet invidia vehementius et atrocius. Etiam tunc noster *David* quasi octingentos interfecit impetu uno, quando in impetu magno terræmotus factus est magnus, ipso resurgente, atque sepulcri « custodes facti sunt velut mortui (*Matth.* XXVIII, 4) : » per quod significat omnes inimicos ipsius deputatos æternæ morti; præcipue illos qui vellent eum semper in sepulcro jacere, nec regnare. Postremo tandem judicio in impetu uno, « in momento, in ictu oculi, in novissima tuba (*ICor.* XV, 52), » quasi octingentos interficiet, quando his qui a sinistris erunt, sic dicet : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV, 41). » Ex tunc sublata omni tristitia de regno ejus, *Domine, in virtute tua lætabitur rex, et super salutare tuum exsultabit vehementer.*

Potest iste *psalmus* pro quolibet rege catholico decenter cantari, sicut et præcedens pro quolibet sacerdote catholico. Siquidem reges catholici, si bene regnant, membra sunt regis hujus, de quo agit hic psalmus. Et sacerdotes ejusdem regis et sacerdotis membra debent esse, de quo agitur in psalmo præcedente. Sed nos de capite regum et sacerdotum, et omnium quibus dicit Petrus apostolus : « Vos » estis « genus electum, regale sacerdotium (*I Petr.* II, 9) ; » nunc agendo in nomine

Digitized by Google

Domini, psalmi hujus ingrediamur pulcherrimam domum, cujus in proœmio pulchrum vestibulum vidimus; cujusque bonum titulum in fronte domus conscriptum legimus, in quo titulo non solum cognoscitur Dominus domus per nomen *David*, sed et consummatio ipsius domus innuitur, cum *psalmus* iste conspicitur intitulatus *in finem;* qua nimirum titulatione instruimur ad hunc *finem*, ad hanc omnis consummationis perfectionem directam psalmi hujus intentionem, ut, regno Christi consummato, et inimicis ejus humiliatis, fiat plene quod in fine psalmi dicitur : *Cantabimus et psallemus virtutes tuas.* Ibi circa finem psalmi *virtutes* commemorantur pluraliter, propter divisiones gratiarum, quas dividit spiritus prout vult (*I Cor.* XII, 11), quibus vult. In principio vero psalmi de singulari *virtute* regis agitur, qui solus in plena virtute Dei Patris gloriatur, quia ipse Dei virtus et Dei sapientia recte nominatur, quem solum ex millibus electum glorificamus in hoc psalmo ita dicendo :

VERS. 2. *Domine, in virtute tua lætabitur rex, et super salutare tuum exsultabit vehementer.* O *Domine* Deus Pater! idem rex et sacerdos Filius tuus, quem talem pontificem habemus ut possit compati infirmitatibus nostris, tentatus per omnia pro similitudine absque peccato ; idem plane propter nos homines homo similis nobis, passibilis in infirmitate nostra, est etiam *in virtute tua* tibi omnino coæqualis. Ideo, qui ex nostra fragilitate dicit : « infirmata est virtus mea (*Thren.* I, 14), » ipse idem *in virtute tua lætabitur*. Si enim sancti ejus per ipsum convaluerunt de infirmitate, ac fortes facti sunt in bello ; quanto magis ipse, postquam resuscitatus a morte convaluit de infirmitate, fortis et potens in prælio factus, *in virtute tua lætabitur*, sic dicendo : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in in terra (*Matth.* XXVIII, 18). » — « Et super salutare tuum exsultabit vehementer» addendo : «Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ; qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit (*Marc.* XVI, 16). » Hoc fidei verbum per os Filii tui Salvatoris nostri enuntiatum dicente illo, « qui crediderit, salvus erit, » hoc, inquam, salutare verbum quod prædicat, salvum futurum qui crediderit et baptizatus fuerit, magnæ illi exsultationis causa fuit, qui super hoc verbo delicias habuit, priusquam mundus fieret, quando delectabatur, « per singulos dies ludens in orbe terrarum, et deliciæ » ipsius « esse cum filiis hominum (*Prov.* VIII, 30, 31). » Si tunc in deliciis præscientiæ vehementer exsultavit, quanto magis nunc exsultat, atque in æternum exsultare non desinit, cum per finem et baptismum perficitur ejus cohabitatio cum hominibus et consummantur deliciæ quas habet in eo, quod eum delectat esse cum hominibus, ut ante constitutionem mundi desideravit? Unde cohabitans cum hominibus homo factus ex magno affectu dixit : « Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum (*Luc.* XXII, 15). » Nam, « sicut aquila provocans ad volandum pullos suos (*Deut.* XXXII, 11), » ad hoc super eos volitat, ut eos ad volandum provocet; vel « quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas (*Matth.* XXIII, 32) » cum magno desiderio; sic ipse homo propter homines factus magno afficiebatur desiderio, desiderans esse cum hominibus et desiderans homines esse secum. Propterea dixit : « Volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum (*Joan.* XVII, 24). » Et tu, Deus Pater Christi,

VERS. 3 et 4. *Desiderium cordis ejus tribuisti ei,* ut factus homo esset cum hominibus, *et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum* dicentem : « Volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum. » Vere *desiderium cordis tribuisti ei*, ut sit cum hominibus, *quoniam* in sua conceptione, ubi homo conceptus est, ibi *prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis*, ut peccatum originale, quo fuimus omnes prævenți, concipientibus nos matribus in peccatis, longe abesset a virgine matre concipiente in benedictione, quam deprompsit angelus ad eam dicendo : « Ave, gratia plena, Dominus tecum ; benedicta tu in mulieribus (*Luc.* I, 28). » Sic, o Deus Pater! mittendo angelum ad virginem concepturam tuum Filium *prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis*, ut nihil traheret in se de radice amaritudinis, taliter aspirmens humanam naturam, ut excluderet culpam tam radicalem sive originalem quam actualem. Nam Spiritus sanctus superveniens in virginem tulit ab ea peccatum originale, et virtus Altissimi obumbrans ei puram et tutam conservavit eam ab omni peccato actuali et fecundans eam tali conceptione, ut mater benedicta conciperet ac gigneret benedictum filium; quem tu, Pater, *prævenisti in benedictionibus dulcedinis*, dando ei desiderium sui cordis, ut esset sine peccato plenus omnium benedictionum jucunditate et exsultatione; quam jucunditatem et exsultationem tu, Pater, in ipsa conceptione thesaurizasti super eum, et nomine æterno hæreditasti eum, dans ei nomen quod est super omne nomen, dicente angelo : « Ecce concipies et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur (*Luc.* I, 31, 32). » Super hoc nomen, quod est Jesus, non est nomen altius; quia hic Jesus est una persona Trinitatis, in qua nihil est prius aut posterius, nihil majus aut minus, nihil superius aut inferius. Unius vero personæ in altissima Trinitate nomen est Jesus et Filius Altissimi. Per hujus nominis dulcedinem *prævenisti eum in benedictionibus*, quibus ipse prædicatur : « Benedictus qui venit in nomine Domini (*Matth.* XXI, 9); » ut in eo secundum desiderium sui cordis benedicantur omnes tribus terræ. Hoc *desiderium cordis ejus tribuisti ei*, quia nunc in semine Abrahæ, quod est Christus, benedicuntur omnes tribus terræ, dum prædicatur Evangelium omni creaturæ, per quod ex omnibus nationibus terrarum colliguntur aliqui ad finem ipsius Christi. Patet ergo quod *desiderium cordis ejus* Filio tuo Deus

Digitized by Google

Pater per hoc *tribuisti*, quod in *benedictionibus dulcedinis illum prævenisti.*

Quod autem *voluntate labiorum ejus non fraudasti eum* dicentem : « Volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum ; » per hoc patet quod *posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.* Primitivam scilicet Ecclesiam conjungendo illi, ornatam quasi *coronam* de omni *lapide pretioso :* quia duodecim apostoli quasi duodecim lapides pretiosi, tanquam coronam capitis quod est Christus, ornant primitivam Ecclesiam. Insuper et alii lapides pretiosi caput Ecclesiæ Christum, in principio nascentis Ecclesiæ, ornaverunt ; qui, ubi Christus erat, et ipsi fuerunt. Unde et dicunt : « Nostra autem conversatio in cœlis est, unde et exspectamus Dominum nostrum Jesum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ (*Phil.* III, 20, 21). » Propter istam claritatem omnis lapis pretiosus et clarus in corona capitis prædicatur, cujus capitis claritati cum totum corpus Ecclesiæ configurabitur de toto terrarum orbe coadunatum ; illic erit ipsum corpus, ubi est caput, in æterna scilicet claritate ; quia non fraudabitur voluntate labiorum suorum qui dixit : « Pater, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Posuisti » ergo « in capite ejus coronam de » omni « lapide pretioso (*Joan.* XVII, 24), » non solum in primitiva Ecclesia, sed et in universa Ecclesia per circulum terræ dilatata, mirifice fabricatam de costa ipsius per passionem ejus, et clarificatam in quibusdam lapidibus jam facta resurrectione, in quibusdam certissima Resurrectionis exspectatione constante. Nam et « multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt (*Matth.* XXVII, 52) » cum eo, quibus illi consurgentibus ipse refulsit ornatus ex eorum claritate tanquam *de* omni *lapide pretioso.* Et quando in fine corpora omnium sanctorum seminata in infirmitate resurgent in gloria (*I Cor.* XV, 43), tunc omnis Ecclesia, velut quædam grandis *corona* capiti Christo coadunata *de* omni *lapide pretioso* erit fulgida in vita æterna.

VERS. 5. *Vitam* enim *petiit a te. Vitam* scilicet æternam *petiit* sibimet et suis membris, ubi dixit : « Pater, clarifica Filium tuum ; » subauditur in resurrectione, « ut et Filius tuus ita clarificet te (*Joan.* XVII, 5), » subauditur : in suorum membrorum resurrectione, quam Filius tuus ita perficiet, « sicut dedisti ei potestatem omnis carnis ; ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam (*ibid.*, 2). » Sic *vitam petiit a te,* sibi et suis, *et* tu *tribuisti ei,* non qualemcunque vitam, sed vitam longævam, vitam æternam, dans ei *longitudinem dierum in sæculum sæculi.* Dies quippe Nativitatis ejus in hunc mundum quasi breves fuerunt, quia dies vitæ mortalis in illo finem habuerunt. Sed dies resurrectionis ejus *longi* sunt, carentes fine ; quia « resurgens ex mortuis jam non moritur, et mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est, peccato mortuus est, » ut moreretur peccatum, « quod autem vivit, vivit Deo (*Rom.* VI, 9, 10), » ut perpetuetur homo, quia mortem nostram moriendo destruxit et vitam resurgendo reparavit. Quem tu, Pater a mortuis resuscitando *dedisti ei longitudinem dierum*, non solum ut ipse vivat in æternum, sed etiam ut conresurgentes illi vivant in animabus per fidem *in sæculum ;* id est, per longa ista tempora hujus sæculi usque in finem temporum, et dein *in sæculum sæculi* vivant post resurrectionem, tam in corporibus quam in animabus, absque omni termino vivendi, absque omni timore moriendi, usque *in sæculum sæculi*, id est in æternum.

VERS. 6. *Magna est gloria ejus in salutari tuo, gloriam et magnum decorem impones super eum.* Vita ejus, in qua dedisti ei longitudinem dierum, non solum erit longa, sed etiam erit gloriosa non parum, sed multum ; quia *magna* erit *gloria ejus*, id est hominis assumpti, et a morte suscitati *in salutari tuo*, id est in Verbo tuo ; dum non dispar erit gloria Verbi assumentis et hominis assumpti atque in Deum glorificati.

Gloriam et magnum decorem impones super eum. Revera *super eum* tanquam super immobile fundamentum *impones gloriam et magnum decorem*, id est Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi. Cujus gloria hæc est, de qua Paulus ait : « Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ (*II Cor.* I, 12). *Decorem* vero habet in operatione manifesta et honesta. Vel gloria erit in virtutibus : decor in miraculis. Et hoc erit sine defectu, quoniam illa benedictio, qua dictum est primis hominibus : « Crescite et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam (*Gen.* I, 28), » nunc in Christo implebitur ; dum ipse granum in terra mortuum sic multiplicabitur ut ei et suis membris omnis terra subjiciatur.

VERS. 7. *Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi.* Ut videlicet crescat et multiplicetur *in sæculum sæculi*, hoc est in æternum. Vel *dabis eum in benedictionem* quæ promissa est Abrahæ, ut in ipso benedicantur omnes tribus terræ. Tandem *lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo. Lætificabis eum* in suis membris, cum dicetur cuique suorum : « Intra in gaudium Domini tui (*Matth.* XXV, 21), » quod gaudium erit *cum vultu tuo*, id est cum ipso Filio tuo, qui est vultus tuus.

VERS. 8. *Quoniam rex sperat in Domino, et in misericordia Altissimi non commovebitur.* Primus homo de terra terrenus in paradiso positus in misericordia Dei non stetit, sed motus est per superbiam. Secundus autem homo de cœlo cœlestis, in cœlo positus *in misericordia Altissimi* Dei Patris factus est et ipse Altissimus : ideo *non commovebitur, quoniam* ipse *Rex sperat in Domino.* Cum adhuc ipse viveret, in carne speravit in Domino, nihil præsumens de humana virtute. Nunc etiam sperat in membris suis, quos facit sperare in Domino, non in viribus humanis : ideo *in misericordia Altissimi non commo-*

Digitized by Google

vebitur, neque veniet illi pes superbiæ, neque manus peccatoris movebit eum vel suos in misericordia ipsius constabilitos.

Aliter: *In misericordia Altissimi non commovebitur.* Habet iste rex aliud tempus misericordiæ atque aliud iræ. Tempus misericordiæ est, quandiu nunc sedet in throno gratiæ pius pontifex, propitiator pro peccatis totius mundi, suscipiens confessiones et pœnitentias omnium qui accedunt ad thronum gratiæ, de quo ait Apostolus: « Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno (*Hebr.* IV, 16). » Super hunc thronum gratiæ sedet nunc ante judicium paratus recipere, ut diximus, confessiones et pœnitentias omnium hominum. Futurum est autem ut sedeat in sede majestatis suæ trementibus in conspectu ejus cœlis cœlorumque virtutibus. Et tunc nullius pœnitentia, utpote nimis tarda recipietur, sed justo judicio unusquisque judicabitur. Tunc apparebit quasi rex iratus et commotus inimicis suis in justitia Altissimi. Nunc vero *in misericordia Altissimi* super thronum gratiæ sedens *non commovebitur*, sed exspectat patienter et clementer conversiones et pœnitentias hominum. Tempus utrumque distinguens Apostolus cuilibet homini peccanti ait: « Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? » Tu « autem secundum duritiam tuam, et impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei (*Rom.* II, 4, 5). » Nunc ergo, ut Apostolus ait: Benignitas Dei ad pœnitentiam provocat et adducit. Hæc benignitas quasi manus divinæ propitiationis plena medicamentis, plena salutiferis unguentis in hac magna totius mundi infirmaria infirmis et ægrotantibus plena, offert omnibus larga pietatis medicamina secundum divitias gratiæ divinæ, qua pluit super justos et injustos. Hanc manum pœnitentes et confitentes peccatores inveniunt, et ab illa salubres medicinas accipiunt. Superbi vero et arrogantes peccatores hanc manum non inveniunt, neque medicinas ab illa quærunt. Veniet « dies iræ, dies calamitatis et miseriæ (*Sophon.* I, 15), » dies magna et amara valde, quando hæc manus, quæ modo est lenissima contactu suavissimo, nunc tractans vulnera et ulcera pœnitentium, contra impœnitentes armabitur gladio acutissimo, gladio bis acuto. Tunc in splendore fulgurantis hastæ, judicialis scilicet sententiæ, non erit qui se possit abscondere, quia dextra judicis vindicantis tunc inveniet omnes, qui eum oderunt, quique medicinas ipsius recipere noluerunt. Quod considerans Propheta nunc dicit:

Vers. 9. *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inveniat omnes qui te oderunt.* Nos quoque cum Propheta et Psalmista psallendo ex medulla cordis dicamus: O Rex altissime, qui nunc in misericordia non commoveris, qui nunc omnibus medicinam porrigis, *ut inveniatur manus tua* lenissima *omnibus inimicis tuis*, ut ex inimicis fiant amici manu tua nunc medicante. Nisi enim nunc inveniant eam lenem, sentient quandoque tuam manum graviter ferientem. Nam *dextera tua* inveniet *omnes qui te oderunt*, quique illam, cum poterant, invenire noluerunt. Dicimus itaque orando: *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis.* Non autem orando, sed judicio tuo justo concordando addimus: *Dextera tua inveniat omnes qui te oderunt.* Summo quidem desiderio petimus ut *manus tua* pontificalis, oleum infirmorum consecrans, nunc *inveniatur omnibus inimicis tuis*, ut ab illa manu eodem oleo perungantur et sanentur. Si vero illi pertinaci animositate non admittunt hujus manus impositionem et unctionem, justo judicio, tuo acquiescimus, ut ipsa *dextera tua* manus gladio sententiæ judicialis armata, tandem *inveniat omnes qui te oderunt.* Non enim sine causa gladium portat manus tua regalis, quemadmodum non sine causa chrisma et oleum sanctum, sive oleum infirmorum sancta manus tua pontificalis.

Aliter: Quidam sic ad Dominum convertuntur, ut cum Zachæo quærant videre Jesum, et pio desiderio quasi præcurrentes ipsum ascendant in arborem sycomorum, ut videant illum (*Luc.* XIX, 4). Quidam vero non quærunt Jesum, sed cum Saulo persequuntur illum, cæcati per ignorantiam, dum nesciunt quod membra Christi persequendo persequuntur Christum ipsum. Pro utrisque hic oratur, cum dicitur: *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis*, illis scilicet in quibus desiderium bonitatis tua præveniente gratia suscitatum, te quærit cum Zachæo Jesum, id est Salvatorem, timens te judicem: Et *omnes qui* te oderunt, qui te cum Saulo in tuis persequuntur, *dextera tua* nunc *inveniat*, salubri fortitudine ostendens illis, quod eis « durum est contra » tuæ justitiæ « stimulum calcitrare (*Act.* IX, 5). » Si enim te odientes inimici tui non te inveniunt modo salvantem, neque invenientur a te salvante. Tandem te invenient judicantem, et tu judicans invenies eos examinando sæculum per ignem. In quo igne

Vers. 10. *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui. In tempore vultus tui*, id est vultuositatis tuæ, quando vultus tuus, nunc propitius, apparebit terribilis. *Pones eos ut clibanum ignis*, ut toti ardeant intrinsecus; atque ut etiam ardeant extrinsecus, *Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis.*

Sciendum est quod omnes reprobi, qui ex anima simul et carne peccaverunt, illic in anima pariter et carne cruciabuntur. Clibanus namque intrinsecus ardet; is vero, qui ab *igne* devoratur, ab exteriori incipit parte concremari. Ut ergo sacra eloquia ardere et exterius et interius reprobos demonstrarent, eos et ab igne devorari, et sicut clibanum poni testantur, ut per ignem crucientur in corpore, et per dolorem ardeant in mente. *In tempore* itaque *vultus* Domini injusti omnes et ut clibanus ponuntur, et ab igne devorantur; quia apparente judice, cum a

Digitized by Google

visione illius eorum multitudo repellitur, et intus per tardam pœnitentiam ardet conscientia, et foris carnem cruciat gehenna.

VERS. 11. *Fructum eorum de terra perdes, et semen eorum a filiis hominum.* Et hoc facies, o Judex juste ! *in tempore vultus tui*, ut inimici tui terreni primo Judæi, ac deinde omnes eorum consimiles terrena plus quam te diligentes, et fructus terrenos perdant et fructus cœlestes non inveniant, quia *fructum eorum de terra* quæsitum *perdes*. Vel *perdes fructum eorum de terra* promissionis, ut in ea *fructum* beatitudinis non inveniant, de quo fructu in Evangelio dicis : « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram (*Matth.* v, 4). » Judæi autem non solum *de terra* temporalis promissionis, sed etiam *de terra* æternæ promissionis exterminabuntur ; et *semen eorum*, id est omnis prosperitas eorum, non quæ per carnis successionem, sed per impietatis imitationem est posteritas, *et semen eorum* perdetur *a filiis hominum* damnata et excommunicata, penitusque projecta de consortio filiorum hominum ; id est, omnium sanctorum, qui non tam homines quam *filii hominum* dicuntur, quoniam a vetustate illorum innovati inveniuntur, qui non erant filii hominum, sed homines tantum, scilicet Adam et Eva. Sancti autem, qui Filium hominis diligunt, atque inter ejus membra computati sunt, recte dicuntur *filii hominum* ; quia vetustatem primorum hominum exuerunt et novitatem filii hominis induerunt. Sine dubio a talibus *filiis hominum* separabitur *semen* impiorum Judæorum, et hoc fiet justo judicio.

VERS. 12. *Quoniam declinaverunt in te mala*, dicendo : « Dæmonium habet et insanit, quid eum auditis? » (*Joan.* x, 20.) Item : « Si dimittimus eum sic, venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem (*ibid.*, xi, 48). » Qui adhuc sunt imitatores et semen eorum, et ipsi declinant *in te mala* sua, et in se declinant bona tua. Nam de bonis tuis extolluntur tanquam sint sua, et tanquam ea non acceperint, cum talibus dicat Apostolus tuus : « Quid enim habes, quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis ? » (*I Cor.* iv, 7.) Sua vero *mala in te* declinant, quia inde non se, sed te accusant, quasi per tuam inevitabilem præscientiam constringantur ad facienda mala. Dicunt enim : « Deus cui vult miseretur, et quem vult indurat, et voluntati ejus quis resistet ? » (*Rom.* ix, 18.) Hoc dicunt quasi de voluntate Dei bona emergant mala hominum. Sic *declinaverunt in te mala* hæretici ; mathematici asserentes fatali necessitate aut stellarum dispositione actus humanos ordinari. Sic *declinarunt in te mala* sua etiam primi homines, cum dixit Adam : « Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi et comedi. » Et Eva : « Serpens, » inquit, « decepit me et comedi (*Genes.* iii, 12, 13). » Talia dicendo culpam suam in te, qui totius et solius boni es auctor, callide refuderunt ; ut quasi tu culpabilis videreris, qui talem mulierem viro dedisti, postquam illum decipiendum vidisti, et talem serpentem in paradiso loqui permisisti, cujus loquela mulierem seducendam prænovisti.

Adhuc multi sunt imitatores istorum qui exemplo Adæ prætendunt carnis a Deo creatæ quasi mulieris suæ fragilitatem, aut ipsius diaboli tentantis tanquam serpentis astutiam declinantes hoc modo sua mala in Deum creatorem carnis et spiritus illius, qui peccando factus est diabolus. Omnium talium hominum sua mala in te auctor boni declinantium pessimi erant Judæi, qui *declinaverunt in te mala* non ex ignorantia, sed ex industria, cogitantes consilia callida quidem, sed frivola, quoniam *cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire*. Collegerunt enim concilium et dicebant : « Quid facimus, quia hic homo multa signa facit ? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum (*Joan.* xi, 47, 48). » *Cogitaverunt* ergo *consilia* in illo concilio, quibus impedirent, ne omnes crederent in te, Christe ; sed non poterunt ista *consilia stabilire*.

VERS. 13. *Quoniam pones eos dorsum ;* id est, ita obcæcabis eos, ut sint quasi *dorsum*, et non videant te « lumen ad revelationem gentium » præparatum ante faciem omnium populorum (*Luc.* ii, 32). Obscurabuntur namque oculi eorum, et *dorsum* eorum semper incurvabitur. Imo ipsi erunt curvum *dorsum, quoniam pones eos dorsum* curvum primitus obscuratis oculis eorum, id est, doctoribus eorum cæcatis præ invidia et odio veritatis. Si enim omnis « qui fratrem suum odit, in tenebris est, et tenebræ obcæcaverunt oculos ejus (*I Joan.* ii, 9 et 11), » quanto magis in tenebris fuerunt, et tenebræ illos obcæcaverunt, qui te, Christe, optimum fratrem oderunt, sicut tu dixisti : « Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent : nunc autem, et viderunt, et oderunt et me et Patrem meum ? » (*Joan.* xv, 22 et 24.) Ideo *pones eos dorsum ;* ne videant lumen quod parasti ante faciem omnium populorum.

Sed tamen, quia reliquiæ Israel salvæ fient, *in reliquiis tuis præparabis vultum eorum*. Vultus *eorum* fuit clare oculatus in patriarchis et prophetis. Istum *vultum præparabis*, et repræsentabis *in reliquiis eorum*, quando per Eliam et Henoch convertentur corda filiorum ad patres eorum, ut quasi pura et clara specula concipiant *vultum eorum*, qui vultus erit conspicuus in ipsorum Judæorum *reliquiis, tuis* effectis, ut in apostolis, aliisque discipulis, ex Judæorum gente conversis, clare splenduit vultus oculatus et formosus, usque adeo ut totum corpus eorum esset oculis plenum « in circuitu, et intus, » quin et dorsa eorum « plena sunt oculis (*Apoc.* iv, 8), » quoniam et ipsi sunt de beatis illis *reliquiis*, in quibus tu, Christe, *præparabis vultum* luminosum, qualis erat vultus Moysi splendidus effectus ex consortio sermonis Dei (*Exod.* xxiv, 29) ; si enim illius vultus inde fuit clarificatus,

Digitized by Google

quod ad horam locutus est ei Deus, quanto magis tu Deo homo factus, tu Verbum caro factum per tuæ diuturnæ collocutionis consortium clarificasti vultus apostolorum et discipulorum tuorum, qui erant reliquiæ tuæ de tanto populo tibi relictæ, sicut ad Eliam dicis : « Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genu ante Baal (*Rom.* xi, 4). » In hujusmodi *reliquiis*, qui non curvant genu ante Baal, vel ante Mammon, vel ante Beelphegor, vel ante Antichristum, seu aliud idolum, præparas et illustras *vultum* priorum Patrum, convertens ad eos corda filiorum; quod ex parte factum est, et quod adhuc restat faciendum, perficietur, Christe, in virtute tua. Unde ad conclusionem totius psalmi dicimus :

Vers. 14. *Exaltare, Domine, in virtute tua, cantabimus et psallemus virtutes tuas.* Tu es ille « sol, » qui « cognovit occasum suum, » quique occasu tuo « posuisti tenebras, et facta est nox. » In ipsa nocte pertransierunt « omnes bestiæ sylvæ, catuli leonum rugientes, ut rapiant et quærant a Deo escam sibi (*Psal.* ciii, 20, 21). » Sic mortuo Joseph in Ægypto, in quo tu splenduisti sol justitiæ, surrexit rex novus, quasi bestia sylvæ, qui ignorabat Joseph ; et hæc bestia cum catulis suis, cum exactoribus pessimis afflixit populum tuum. Sed exaltato te sole justitiæ in famulo tuo Moyse, illæ bestiæ in cubilibus suis collocatæ, imo in infernum præcipitatæ sunt, « abyssi operuerunt eas, descenderunt in profundum quasi lapis (*Exod.* xv, 5). » Alii quoque salvatores ac propugnatores fuerunt in populo tuo, sicut Josue, Athoniel [*Vulg.* Othoniel], Barach, Jephte, Gedeon, Samson, Samuel, David rex, et alii boni reges, atque cuncti fortes electi ex fortissimis Israel ; quibus occumbentibus, o sol justitiæ ! tuus in eis fuit occasus, et facta est nox tenebrosa, in qua pertransierunt bestiæ sylvæ. Sed rursum bonis justitiæ cultoribus in eorum locum succedentibus, tu Sol justitiæ, tanquam in oriente splenduisti, quoad usque iterum ad occasum tibi cognitum vergendo, noctem fieri permisisti. In talibus noctibus jam bestiæ omnes pertransierunt usque ad novissimam bestiam, quæ est Antichristus. Bestiæ illæ, quas Daniel (*Dan.* vii, 3) vidit pugnantes inter se, quarum prima fuit leo, secunda ursus, tertia pardus, quarta sine nomine cæteris crudelior in suis noctibus pertransierunt, quia regnum Babylonicum, quod per leonem ; regnum Persicum, sive Medicum, quod per ursum ; regnum Græcorum, quod per pardum ; regnum Romanorum, quod per bestiam quartam notatur, suis noctibus regnaverunt, et tibi, sol justitiæ, nunc regnanti cesserunt ; quia milites tui, martyres et confessores triumphalibus titulis regni tui mundum repleverunt. Et quia tales tui milites occubuerunt, atque in loca eorum falsi fratres Antichristi satellites intraverunt ; ecce iterum facta est nox, in qua pertranseunt bestiæ sylvæ, bestiæ crudeles non corporibus, sed animabus insidiantes, ut interficiant innocentes faciendo eas nocentes, et dum malis quæ ubique fiunt, saltem tacendo consentaneos faciunt, quibus ora occludunt, miro modo sæviunt istæ bestiæ homicidia multa perpetrando sine sanguinis effusione.

Igitur, ut nox iniquitatis, in qua pertranseunt istæ bestiæ, omnino destruatur et dies illucescat, *exaltare, Domine,* in virtute tua. *Exaltare*, o sol justitiæ, altus et clarus, appare *in virtute tua.* Faciem tuam vidit Joannes in Apocalypsi claram (*Apoc.* i, 16) ; sicut sol lucet, in virtute sua, quam virtutem tuam desiderantes dicimus tibi : *Exaltare, Domine, in virtute tua.* Quando in monte coram discipulis tuis transfiguratus es, tunc resplenduit facies tua sicut sol. Et ecce nunc es in monte paternæ celsitudinis : resplendeat ergo in toto mundo tua facies ut sol, ut per te solem justitiæ sit ubique dies justitiæ.

Redde tuam faciem, videant ut sæcula lumen.
Redde diem, qui nos, te moriente, fugit.
Legibus inferni oppressis super astra micantem,
Laudent rite Deum lux, polus, arva, fretum.
Fiat festa dies toto venerabilis ævo ·
Cedant lætitiæ, nubila tristitiæ.
Sitque dies pura, sit lux nunquam nocitura.
Noxia nox pereat, lumine cuncta cluant.
Cedant bestiolæ, quæ currunt nocte nocente.
Ambulet in luce lux homo luce duce.

Hæc omnia bona, ut mature compleantur, *exaltare, Domine, in virtute tua.* Nam qui in virtute Michaelis contrivisti draconem, qui quasi rex magnus per tuos milites angelos et homines contrivisti multos inimicos, tu solus in tua propria virtute cum Antichristo es congressurus, tu solus, qui veritas es, falsitatem falsorum fratrum et pseudochristianorum expugnaturus es. Tu verus David cum Philisthæo isto congressurus es, quem et interficies non gladio materiali, sed spiritu oris tui, et percuties terram virga oris tui, et spiritu labiorum tuorum interficies impium, et destrues eum illustratione adventus tui. Nam priusquam tu, sol justitiæ, sic exalteris, et sic altus appareas, ut in sede majestatis tuæ finale judicium exerceas, præcedet quædam claritas matutina quasi aurora valde rutilans, et in hac illustratione adventus tui credimus Antichristum cum suis pseudochristianis destruendum, clarissimæ veritati quibusdam pseudochristianis acquiescentibus, et aliis obmutescentibus ; quia omnino manifestata veritate non erit contradicendi locus, sed omnis iniquitas opilabit os suum, et aperientur ora te veraciter laudantium, Domine Deus noster.

Inter quos et nos *cantabimus et psallemus virtutes tuas. Cantabimus* in contemplatione, *psallemus* in operatione. *Cantabimus* cordis et oris jubilatione, *psallemus* artificiosa motione digitorum et manuum in psalterio decachordo, decem præcepta legis in opere servantes. Atque de tali cantatione vel psalmodia non nostras virtutes ostentantes, *cantabimus*

Digitized by Google

et psallemus virtutes tuas. Quando enim judicia tua perfecte manifestabuntur, per quæ mendacia pseudo-christianorum destruentur ; tunc sicut Joannes dilectus tuus prophetavit : *Cantabimus et psallemus virtutes tuas,* ita dicendo : « Magna et mirabilia opera tua, Domine Deus omnipotens, justæ et veræ viæ tuæ, rex sæculorum. Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum ; quia solus pius, quoniam omnes gentes venient, et adorabunt in conspectu tuo ; quoniam judicia tua manifesta sunt (*Apoc.* xv, 3, 4). » Sic misericordia et veritas præcedent faciem tuam, et beatus populus, qui tunc sciens jubilationem cantabit et psallet *virtutes tuas,* non suas. Et nos, te donante, qui talia prius quam fiant, optamus, postquam fient, *cantabimus et psallemus virtutes tuas.* A *Gloria Patri,* qui Filium suum hominem factum *prævenit in benedictionibus dulcedinis ; Gloria Filio* prævento *in benedictionibus dulcedinis : Gloria Spiritui sancto,* qui est illa dulcedo, in qua Pater benedixit hominem Verbo suo unitum. *Gloria Patri,* Filium suum exaltanti : *Gloria Filio* exaltato in virtute sua : *Gloria Spiritui sancto,* qui est illa virtus, in qua Christus est exaltatus in resurrectione et ascensione, atque adhuc est exaltandus in judiciorum suorum clara manifestatione, quæ manifestatio dies erit festa et manifesta. Sed hanc præcedit susceptio matutina de qua, favente Deo, tractabitur in sequenti psalmo, et in sequenti parte.

PARS SECUNDA.

PROLOGUS.

Ad Eberhardum archiepiscopum Saltzburgensem et Gotescalchum episcopum Frisingensem.

Viginti psalmis jam in prima parte exactis, alteram partem requiritis a me, avidi convivæ. Tu, Eberharde, archipræsul Juvaviensis Ecclesiæ, ac tu, Dei serve Gotescalche, nomen tuum condecorans ex rei veritate. Sicut enim competit angelo Ecclesiæ Juvaviensis velle juvari eos, quos juvat sive delectat hæc nostra, imo sanctorum Patrum dicta in unum congesta ruminare : sic Dei servo (ita enim sonat in Latino vulgari nomen Gotescalchus) congruit, quod servata hujus nominis proprietate se libenter exercet in his meditandis, juxta illud : *Servus autem tuus exercebatur in tuis justificationibus.* Atque ut modum scias exercitii talis, adjecit : *Nam et testimonia tua meditatio mea est* (*Psal.* cxviii, 23, 24). Igitur hæc testimoniorum Dei meditatio, in qua versatur hoc opus, bene convenit cuilibet servo Dei. Et recte servos Dei delectat, quorum unus, cum nuper ea quæ scripsimus, legisset, psallendo sapienter dixit aliquid tale : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua,* Domine, *super mel,* et favum *ori meo!* (*Ibid.*, 103.) Hoc jam, vel simile quid in psalmodia sua dixerat ad Dominum. Postea vero conspectui meo præsens ad me conversus, tuum inquit, opus debet nominari favus. Puto autem, quia sensit in eo aliquid illius dulcedinis, de qua dicitur sponsæ in Canticis canticorum : *Favus distillans labia tua, sponsa.* Item : B *Mel, et lac sub lingua tua* (*Cant.* iv, 11). Sic et oculi columbarum felle amaritudinis carentium norunt eligere grana candida, etiam in pauperis hominis arca, nec inde ea judicant viliora, quod is, qui ea seminat vel triturat, argento et auro non abundat. Propemodum talis pauper ego sum qui, quod scribo vel dicto, non judico aurum vel argentum : bene arbitrans mecum agi, sicut in proœmio primæ partis dixi, si mea qualiacunque scripta comparabuntur lignis in domum Domini comportatis ad illum ignem nutriendum, quem Dominus Jesus misit in terram, et voluit vehementer accendi.

Procul ergo sit ille ignis alienus, qui oblatus est in seditione Chore, hæretici videlicet sensus, C cui ne ulla scintilla scriptis nostris inseratur, ubicunque novum ædificium facimus, tabulatum sanctarum auctoritatum circumponimus. Ubicunque novum puteum fodimus, Paternarum sententiarum forti operimento illum (sicut in lege præcipitur) operimus. Unde miror quemdam nostri operis lectorem sic ruisse in præceps, et incidisse in puteum, ut vix retrahendus esset longo fune auctoritatum sanctarum, quarum plures in scripto ad abbatem Admuntensem contexuimus, quod quasi galeam in capite illius partis posuimus, altisque in partibus circa principium propterea nos commemo-

Digitized by Google

ramus, ut qui eas legere voluerit, ad primæ partis galeatum (51) caput recurrat, atque inde cæteras quoque partes, quarum hæc secunda est, communitas animadvertat.

PSALMUS XXI.

Deus, Deus meus, respice in me. Psalmi hujus titulus est :

(VERS. 1.) IN FINEM PRO SUSCEPTIONE MATUTINA PSALMUS DAVID.

Et est sensus : Iste psalmus attribuendus est vero *David*, Christo videlicet vere manuforti, et vere desiderabili. Manuforti contra inimicos, desiderabili per gloriosam Resurrectionem, de quibus in hoc psalmo plene ac manifeste agitur in commemoratione ipsius veri *David* tendentis *in finem*, id est, in victoriam, quæ finis est cursus obedientiæ ejus. Unde ubicunque Septuaginta interpretes posuerunt in titulis : *In finem David*, Hebraica veritas habet *Victori David*, per quod innuitur, quia consummatio victoriæ finis est pugnæ totius, ad quam sicut ad finalem causam refertur, quidquid iste David manufortis et desiderabilis, aut fortiter agendum verbo et exemplo demonstrat, aut sapienter desiderandum suis promissionibus manifestat.

Pro assumptione *matutina*, id est pro resurrectione, quæ facta est valde mane, cum adhuc tenebræ essent, agitur in hoc psalmo. Dictum est hoc de resurrectione, ad similitudinem solis. Quia sicut eo paulatim ascendente lux diurna vires assumit, nimirum *matutina* luce, sive aurora præcurrente, et oculos hominum ad aspectum solis præparante, sic et Christo resurgente paulatim mentes discipulorum, et per eos multorum infidelium illuminatæ sunt. Nam quod sanctæ illæ mulieres primo a « monumento » vident « lapidem revolutum (*Luc.* XXIV, 2, 4), » in quo corpus Jesu non inveniunt, quod deinde angelicas visiones aspiciunt, a quibus fidem resurrectionis astruentibus concipiunt, quod subinde ipse Dominus Jesus uni illarum dein apparuit, quod post hæc uni virorum, videlicet Petro, deinde duobus in villam euntibus visus est (*ibid.*, 13), quod harum apparitionum ad discipulos fama præcucurrit a cordibus eorum tristitiæ et infidelitatis detegens nebulam : totum hoc veræ lucis aurora exstitit, paulatim, ut sapientiam decuit, rutilæ resurrectionis mœstis mentibus inferens gaudia. Quod vero subinde ipse victor mortis in medio discipulorum videndus et palpandus apparuit, quod sensum illis, ut Scripturas intelligerent, aperuit, quod tandem Paraclitum eis de cœlo misit, qui eos in omnem veritatem induxit, replens corda ipsorum gaudio, quod nemo ab eis tollere posset : hoc jam non aurora, seu matutinum, sed luminis æterni ac veri solis, quantum in hac vita conspicabilis est, plena visio exstitit.

Ubi nos habemus : *Pro* assumptione, vel *susceptione matutina*, Hebraica veritas habet *Pro cerva matutina*, per quod iterum significatur Dominica resurrectio. Sicut enim cervarum et cervorum natura est, ut in tempore matutino sint magis alacres et agiles, quoniam tunc feruntur naturali quadam jucunditate provocante saltus majores dare, atque alta libenter conscendere : sic Dominus noster Jesus Christus a morte suscitatus cum alacritate ac jucunditate conscendit ad alta, diruptis mortalitatis retibus, quibus propter nos liberandos ad tempus fuerat irretitus ; sed in matutino diluculo a morte suscitatus, quasi cervus a retibus liberatus velociter cucurrit, non contentus intra claustra Judaicæ angustiæ remanere, sed usque in fines orbis terræ currendo per latitudines gentium satis declaravit, se ipsum esse illum *cervum*, de quo patriarcha Jacob filios suos benedicens ita dixit : « Nephthalim cervus emissus, et dans eloquia pulchritudinis (*Gen.* XLIX, 21). » Nephthalim quippe interpretatur *latitudo*. Quis est iste Nephthalim cervus emissus, nisi Dominus noster Jesus Christus de angustia sepulcri emissus? Qui dedit eloquia pulchritudinis in ipsa die Resurrectionis, quando incipiens a Moyse, et omnibus prophetis interpretabatur discipulis Scripturas, quæ de ipso erant, et quando « aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV, 45). » Iste cervus emissus etiam discipulos suos quasi cervos de angustis Judæorum terminis emisit, cursuros alacriter in omnem terram, et in fines orbis terræ, quando ait ad illos : « Euntes in mundum universum. » Atque ut illi quoque darent eloquia pulchritudinis, adjunxit : « Prædicate Evangelium omni creaturæ ; qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit (*Marc.* XVI, 15, 16). » Ecce quomodo iste cervus emissus desiderat ad fontes aquarum baptismi, fonte patefacto non in Judæa tantum, sed in toto mundo! De hoc fonte qui renascuntur, etiam ipsi cervi emissi recte dicuntur, emissi videlicet de retibus omnium peccatorum, quæ velut universus exercitus Pharaonis absorbentur tanquam in mari Rubro in sacro sancto baptismo et sanguinis Christi sacramento. Nam per baptismatis intinctionem et sanguinis Christi participationem retia peccatorum dirumpuntur, et quasi cervi emissi de retibus agiles efficiuntur, qui Christo cervo emisso configurantur : quæ configuratio

(51) Librum de duabus Hæresibus innuit, editum tom. I, part. II *Thesauri Novissimi Anecdotorum*.

Digitized by Google

nunc inchoatur, dum vetus homo exuitur et novus per fidem et bonam conversationem induitur.

Sed *in finem pro* assumptione vel *cerva matutina*, hic *psalmus* intitulatur ; ut *in fine*, quando per universalem resurrectionem omnibus resurgentibus electi soli immutabuntur, illud consummandum credatur ; ut tota tunc Ecclesia sit quasi cerva matutina, emissa de universis retibus, non solum culparum sed et pœnarum. Unde in pluribus codicibus habetur genere feminino : *Pro cerva matituna*, quo nomine satis apte significatur universa Ecclesia Christo cervo emisso configuranda.

Potest etiam per cervam matutinam significari humana in Christo natura, quæ quasi femina in tempore mortalitatis magnam propter nos habuit fragilitatem, sed nunc in diebus æternitatis magnam habet fecunditatem. Sicut enim granum frumenti ante sui mortificationem solum manet, sed ubi cadens in terram mortuum fuerit, multum fructum facit (*Joan.* XI, 24 et 25) : sic ista cerva, humana scilicet Christi natura, licet a peccatis propriis libera, tamen peccatis nostris onerata, quia Deus posuit in ea iniquitates omnium nostrum, et sola tulit peccata multorum, atque retibus humanæ mortalitatis et fragilitatis usque ad mortem circumvoluta, magnam habuit infirmitatem, et fuit quasi cerva solitaria. Sed in resurrectione quasi cerva emissa, et fortis effecta magnam cœpit habere fecunditatem, tantam generans cervorum multitudinem, de qua recte dicatur : « Vox Domini præparantis cervos, et revelabit condensa (*Psal.* XXVIII, 9) ; » ut eisdem cervis pateat via plana currentibus ad alta montium, de quibus dicitur : « Montes excelsi cervis ; petra refugium herinaciis (*Psal.* CIII, 18). » Nonne quasi cervus emissus Petrus apostolus cucurrit, et eloquia pulchritudinis dedit, quando a carcere carnis liberatus dixit : « Nunc scio vere quia misit Dominus angelum suum? » etc. (*Act.* XII, 11.) Multo magis vero nunc a carcere carnis liberatus dat pulchritudinis eloquia in conspectu Dei, orans pro sancta Ecclesia. Vel certe in suis vicariis apostolicæ sedis pontificibus et aliis pastoribus catholicis per doctrinam sanam dat eloquia pulchritudinis in tota universali Ecclesia super petram, de qua Petrus denominatur, fundata (*ibid.*, XVI, 23). Item Paulus apostolus laborans in Evangelio usque ad vincula quasi male operans fuit inclusus quantum ad carnis materiam, quæ velut infirma cerva erat vinculata. Sed quia « verbum Dei non est alligatum (*II Tim.* II, 9), » et ipsa ejus vincula venerunt ad profectum Evangelii, quasi cervus emissus dat eloquia pulchritudinis, dum Paulus in ore omnium sacerdotum jura dat præceptorum, docens crucifixum, nec esse alium præter Christum Deum cum Patre, qui regnat, et sancto Spiritu, cujus testis Paulus (*Act.* XXVIII, 28).

Omnes etiam doctores catholici quasi cervi matutini, psalmi hujus titulo notantur, qui intra sanctam Ecclesiam per pascua uberrima spatiantes A more cervorum dare saltus intelligentiæ noverunt, atque contemplationis montes intrepide conscendere, et sic populis eloquia pulchritudinis dare, ut quod in altitudine contemplationis sublevati didicerint, hoc inferius positis strenue ministrent. Hæc de titulo dicta sufficiant.

Materia hujus psalmi est passio et resurrectio Domini, de qua materia tractat hoc modo : Passionem Domini adhuc in suo tempore futuram *David* propheta contexuit quasi præteritam historiam, transumpta Christi persona in suam personam, ut, cum David propheta loqui videatur, Christus in eo, et per eum loquatur de sua propria passione ac resurrectione. De passione quidem, ut dictum est, quasi præterita : verbi gratia, cum dicit : « Foderunt manus meas et pedes meos, etc. » De resurrectione autem agit per verba futuri temporis, ubi dicit : *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te*, etc. B

Intentio est hortari auditores ad commoriendum et conresurgendum Christo, nisi enim commoriamur, non conresurgemus ; nisi compatiamur, non conregnabimus. Si autem complantati facti fuerimus similitudini mortis Christi, simul et resurrectionis erimus. Audiamus ergo primo ipsum Christum in hoc *psalmo* loquentem, deinde quemlibet ipsius morti et resurrectioni complantari cupientem. Quod enim proprie Christus loquatur in hoc psalmo, ipse Agnus Dei, qui magni libri septem signacula solvit, non utcunque, sed viva voce aperuit (*Apoc.* V, 5). Nam continuo spiritum traditurus exclamavit dicens : « Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? » Paulus quoque apostolus, in Epistola ad Hebræos, de Christo loquens : « Propter quam, » inquit, « causam non confunditur fratres eos vocare dicens : Nuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te (*Hebr.* II, 11, 12). » Unde manifeste claret Christo patienti, et in cruce pendenti assignandum, quod hic dicitur : *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti?* et eidem resurgenti, atque pulchritudinis eloquia danti convenire, quod hic dicitur : *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.* Dicat ergo ipse Christus in cruce C suspensus clamans voce magna, vere magna, non propter sonum altisonum transitorium, qui aures Judæorum et militum crucifigentium tangens corda eorum non tetigit, sed propter magnum clamoris hujus affectum, qui a fine usque ad finem « attingit fortiter, et disponit omnia suaviter (*Sap.* VIII, 1). » Christus enim sacrificium se offerens pro tota Ecclesia, quæ attingit usque ad fines orbis terræ, conqueritur se derelictum esse, tanquam dicat quandiu ex minimis meis unus est derelictus, o *Deus meus!* ego *me* derelictum sentio. Ideo dico : *Deus* omnium generaliter, sed *Deus meus* specialiter. *Deus meus*, quia cum in forma Dei essem, non rapinam arbitratus sum esse me æqualem tibi, sed memetipsum exinanivi formam servi accipiens, et D

Digitized by Google

habitu inventus ut homo (*Philip.* II, 6). » Iterum *Deus meus;* quia, cum essem innocens et sanctus homo, non exaltavi, sed humiliavi me ipsum, « factus » tibi, Pater, « obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*ibid.*, 8), » in qua nunc pendens pro meis omnibus clamo : « Eli, Eli, lamma sabacthani (*Matth.* XXVII, 46); » hoc est :

VERS. 2. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Respice in me,* non est in Hebræo, sed interpositum est a Septuaginta, et valet ad exprimendum sensum geminatæ invocationis, qua dicitur : *Deus meus, Deus meus,* quasi dicatur : O *Deus,* qui despexisti hominem propter inobedientiam primæ prævaricationis, qua homo sub te Deo dedignabatur esse, affectans tibi similis fieri, tu nunc *respice* pro gemina mea humiliatione, quia videlicet cum essem Deus, factus sum homo, ut tu esses *Deus meus.*

Item cum essem homo nihil debens morti tamen obediens tibi, qui es *Deus meus,* humiliavi me usque ad mortem, mortem autem crucis. Ideo ego bis humiliatus, semel ad nascendum et vivendum in carne, secundo ad moriendum in carne, bis dico : *Deus meus, Deus meus,* ut et tu respectu gemino respicias *in me;* semel, ut me ipsum resuscites in *suscepitione matutina* de morte simpla, scilicet solius carnis; secundo, ut resuscites membra mea de morte gemina corporum et animarum, prius destruens mortem animarum per mei corporis mortem, deinde corporum vitam reparando per meam resurrectionem, quia mortem animarum, me moriente, destrui cupio; et corporum vitam, me resurgente, reparari desidero; ita ut quam cito ego moriar in ista cruce, atque de latere meo fluente aqua et sanguine materia existet fabricandæ mihi sponsæ, statim vivant animæ credentes in me, statim fideles animæ, sive super terram, sive in inferno positæ sentiant sibi apertam esse januam vitæ. Ad cujus rei argumentum fidelis anima latronis confitentis hodie mecum sit in paradiso (*Luc.* XXIII, 43), atque me in corpore surgente primogenito mortuorum statim sit aperta janua resurrectionis mortuorum, ad cujus rei argumentum surgant mecum multa corpora sanctorum.

Sed cum hoc cito sit venturum, tamen quædam prædestinatorum animæ aliquandiu tardabunt credere, sicut discipulus meus Thomas, et alii discipuli mei, quibus in die meæ ascensionis exprobraturus sum incredulitatem illorum et duritiam cordis; quia his qui viderunt me resurrexisse, non credent, nisi et ipsi me videant et palpent.

Item plura corpora meorum non resurgent ante diem extremum. Propterea dico : Utquid *dereliquisti me? longe a salute mea,* id est : *Quare dereliquisti* meos *longe* tardari *a salute mea?* Dicet enim aliquis eorum : « Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam (*Joan.* XX, 25). » Sed hujusmodi verba sunt *Verba delictorum,* non sunt *verba* fidei vel justitiæ dicentium se velle videre, ut credant; cum debeant credere, ut videant. Propterea in uno incredulo increpavi tales, et dixi : « Nisi signa et prodigia videritis, non creditis (*Joan.* IV, 48). » Tales sunt Judæi, qui signa petunt, nolentes credere invisibilia, nisi quæ possunt conjicere per signa visibilia. Tales etiam sunt Græci, qui sapientiam quærunt nolentes credere, nisi quod humana ratione possunt comprehendere, talia dicentes in corde, qualia dicit unus Thomas corde pariter et ore, id est « nisi videro non credam (*Joan.* XX, 25). » Judæus dicit : Nisi videro per signa quod credere debeam, non credam. Græcus dicit : Nisi videro per rationem quod credendum sit, non credam. Etenim quisque talium tumens inani philosophia vult humana ratione comprehendere, quod pia mens vivacitate fidei nititur apprehendere. Propterea volventes apud se *verba delictorum, longe* sunt a *salute,* quia *longe* sunt a fide. Sed quia delicta illorum super me tuli ego Agnus tollens peccata mundi, *delicta* illorum dico *delicta mea,* ut justitia mea fiat justitia illorum. Huic sensui consonat quod dicit Apostolus : « Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso (*II Cor.* V, 21). » Et in Isaia dictum est : « Vere languores nostros ipse portavit, et Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrorum (*Isa.* LIII, 4, 6). »

Potest etiam sic legi versus iste, ut sit quæstio, quod dicitur : *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* Quæstionis autem solutio est quod sequitur : *Longe a salute mea verba delictorum meorum.* Quasi dicatur : *Deus* omnium et specialiter *Deus meus,* qui *me* nunquam derelinquis, ut a te separer per iniquitatem (unde alias dixi : « qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum, quia quæ placita sunt ei facio semper (*Joan.* VIII, 29). *Quare me dereliquisti* ad peccati supplicium, quem nunquam *dereliquisti* ad peccandum? Sed hujus quæstionis ego ipse intelligo solutionem. Nam rogavi quidem, ut transferretur a me calix iste, sed *meorum* delicta hoc exigebant, ut paterer. *Verba* justitiæ meæ clamabant, ut non paterer, per ora quoque judicis iniqui sic dicentis : « Ego non invenio causam in homine isto (*Luc.* XXIII, 14). » Item : « Ego nullam causam mortis invenio in illo (*ibid.*, 22). » Item per uxorem judicis resonabant *verba* justitiæ meæ dicente illa : « Nihil tibi et justo illi; multa enim passa sum per visum propter eum (*Matth.* XXVII, 19). » Sed *verba delictorum* quæ meos premebant, hoc exigebant, ut ego unus homo pro populo morerer, et non tota gens periret. Propter hæc et hujusmodi *verba delictorum meorum* ego sum factus *longe a salute mea.* Cum enim hæc salus *mea* sit, ut tu me semper audias et exaudias (unde alias dixi : « Ego enim sciebam quia semper me audis (*Joan.* XI, 42); » tamen propter delicta *meorum* ferro meæ passionis desecanda, et propter *verba delictorum meorum* scripta stylo ferreo in ungue adaman-

Digitized by Google

tino penitus abolenda, ego velut hircus pro peccato *delictorum meorum* necessario immolabor *longe* factus *a salute mea*, qui non *exaudior* more solito de calice passionis a me transferendo. « Peccatum Judæ, » ait propheta, « scriptum est in ungue adamantino stylo ferreo (*Jer.* XVII, 1). » Adamantis duritiam dicunt physici nullatenus posse molliri, nisi in sanguine hirci. Peccatum ergo in ungue adamantino scriptum *verba delictorum meorum* profunde impressa, in ungue adamantino abolenda sunt meo sanguine, qui sum hircus pro peccatoribus immolandus.

Propter hæc *verba delictorum meorum*, *Deus meus*, clamantem me *per diem et* noctem *non exaudies*, ut a passione liberes, ut calicem istum transferas; quoniam nimirum per sanguinem calicis hujus abolendum est chirographum verbis *delictorum* plenum, et tam forti scriptura conscriptum in ungue adamantino, ut ablui vel deleri non possit sine sanguine meo; qui velut hircus immolabor pro peccatoribus multis, et velut agnus pro innocentibus et justis. Ideo neque *per diem* clamans exaudior, neque per noctem, quoniam neque justi et prophetæ, qui quasi dies luxerunt in mundo, neque peccatores nocti comparabiles poterant salvari sine calicis mei antidoto medicinali contra venenum peccati. Ideo dum *clamabo per diem*, si possibile sit saltem justos et prophetas absque calicis mei antidoto salvari, non bibam calicem, tu *non exaudies*. Multo minus, dum clamo *nocte*, respectu *delictorum meorum exaudies* me, quoniam *verba delictorum meorum* vis deleri per sanguinem calicis, quem das mihi, Pater, sciens non esse possibile, ut aliquis sive justus, ut Joannes Baptista, sive injustus, ut latro, salvetur sine mea passione. Hoc tu scis, et me scire facis, ideo *non ad insipientiam meam*, fit, quod non exaudior ad removendum calicem, qui omnimodis exaudior ad removendam æternam damnationem eorum, pro quibus bibo ipsum calicem, vel qui digne biberint eumdem calicem. Si enim cuilibet famulo meo tertio roganti respondebis, mi Pater : « Sufficit tibi gratia mea : nam virtus in infirmitate perficitur (*II Cor.* XII, 9), » atque ita *non ad insipientiam* fit, quod non exauditur, quando exauditur, quare non exaudiatur : multo magis mihi unigenito Filio tuo, qui sum coæterna tibi Sapientia, nulla in hac re surrepit insipientia, quod non exaudior preces fundens in infirmitate pro meis infirmis, ut eorum virtus perficiatur in infirmitate mea. Si enim ego pro fortitudine mea ad mortem accederem sine pavore, nulla præmissa oratione, posthac membra mea infirma, quibus imminente morte pavere ac tædere in natura est, non in potestate ut mihi, possent frangi desperatione, quasi non pertinentes ad me. Sed cum legerint, vel audierint quoniam ego, licet « potestatem » habeus « ponendi animam meam et iterum sumendi eam (*Joan.* X, 18), » tamen instante hora mortis pavere ac tædere cœpi. Virtus eorum in infirmitate mea perficietur, quoniam spes et fiducia eorum confortabitur, quod, licet habentes pavorem, tamen pertineat ad me, qui prior volui pro eis confortandis pavere ac tædere.

Similiter in alia præter mortem dura obedientia, si famuli mei pavere ac tædere incipiunt, virtus eorum perficietur in infirmitate, si paventes non murmurent contra Dominum, sed exemplo meo in pavore futurarum tentationum rogent se liberari a tentationibus. Propterea cum ego tertio rogarem, discipulos quoque diligenter excitavi ad similiter orandum. Dixi enim : « Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma (*Matth.* XXVI, 4). *Non* ergo est *ad insipientiam mihi*, quod « exauditus non fui, » cum in mea infirmitate virtus meorum perficiatur, disponente mea propria sapientia, ut quod contra me insanit aliorum insipientia, sit meorum instructio, ut sciant quod virtus in infirmitate perficitur, quoties aliquis meorum non exauditur ad voluntatem, qui tamen exauditur ad salutem. Sancta enim Ecclesia persecutionis suæ tempore fide stat, desiderio clamat, sed dolet se quasi non respiciendo contemni, dum sua videt in tribulationibus vota differri, sive clamet *per diem*, cupiens retinere prosperitatem, sive clamet per noctem, cupiens removere adversitatem. Alto namque consilio omnipotens Deus, cum sancti ejus adversariorum persecutionibus comprimuntur, cumque assiduis precibus, ut liberentur, clamant, differre solet voces petentium, ut merita patientium crescant, quatenus eo magis exaudiantur ad meritum, qui citius non exaudiuntur ad votum. Dicit ergo Psalmista

VERS. 3. — *Deus meus, clamabo per diem, nec exaudies.* Atque ipsa utilitas de exaudiendi mora mox subditur, cum protinus subinfertur : *et non ad insipientiam mihi.* Ad multiplicandam itaque sanctorum sapientiam proficit, quod postulata tarde percipiunt, ut ex dilatione crescat desiderium, et desiderio intellectus augeatur. Intellectus vero, cum extenditur, ei in Deum ardentior affectus aperitur. Affectus autem ad promerenda cœlestia tanta fit capax, quanto fuerit exspectando longanimis. Sed tamen inter hæc sanctam patientiam dolor urget ad vocem, et cum dilati proficiunt, metuunt ne deficientes vacui rebus despecti reprobentur. Sed quia virtus in infirmitate perficitur, et propterea « in cobismetipsis responsum mortis habemus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos (*II Cor.* I, 9). » — « Nemo (52) cum tardius exauditur, credat, quod a superna cura negligatur. Sæpe enim nostra desideria, quia celeriter non fiunt, exaudiuntur, et quod impleri concite petimus, ex ipsius melius tarditate prosperatur. Sæpe vox nostra eo perficitur, quo differtur, et cum superficietenus

(52) S. Greg. M., lib. XXVI, *Moral.* cap. 19.

Digitized by Google

petitio nostra negligitur, vota nostra altius in cogitationum radice complentur, et sicut semina messium gelu pressa solidantur, et quo ad superficiem tardius exeunt, eo ad frugem multiplicatiora consurgunt. Desideria itaque justa dilatione extenduntur, ut proficiant, et ad hoc, quod percepturi sunt, convalescant, exercitantur in certamine, ut majoribus cumulentur præmiis in tribulatione. Labor protrahitur pugnæ, ut crescat corona victoriæ. Suos ergo Dominus, cum velociter non exaudit, quo repellere creditur, trahit. Internus quippe est medicus, et peccatorum in nobis contagia, quæ inesse medullitus reprobat, secat. Abscindit virus putredinis ferro tribulationis, et quo vocem ægri audire dissimulat, eo ægritudinis finem procurat. Hinc est ergo quod Propheta ait : *Clamabo per diem, et non exaudies, et nocte, et non ad insipientiam mihi.* Ac si diceret : Nequaquam mihi ad insipientiam proficit, quod die ac nocte clamantem non continuo me audis, quia unde me in temporali tribulatione quasi deseris, inde ad æternam sapientiam plus erudis. Hinc etiam dicit alibi : « Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione (*Psal.* IX, 10). » In tribulatione quippe dicturus opportunitatem præmisit, quia sæpe in tribulatione conterimur, et tamen opportunum nondum est, ut ad desiderium [*edit.*, ut desiderio] ereptionis adjuvemur.

In Hebræo sic habetur : *Longe a salute mea verba rugitus mei. Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies, et nocte, nec est silentium mihi. Rugitus* est proprie vox leonis, qui cum se viderit in retibus vel in cavea comprehensum, solet magnum dare rugitum. Sic leo de tribu Juda in retibus peccatorum nostrorum comprehensus magnos dedit rugitus, clamans in cruce : « Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? » Similiter de rugitu cervarum legitur in Job (*Job* XXXIX, 3), quoniam incurvantur, ut pariant, et rugitus emittunt. Ideo hæc cerva matutina usque ad crucis opprobrium incurvata ut pariat multitudinem cervorum ac cervarum, quosdam rugitus dedit, cum laniantibus eam canibus, clamavit dicens in magno rugitu : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Aliarum quoque cervarum cervos ac cervas parturientium, donec formetur Christus in eis, magnus est in orationibus ac desideriis rugitus quodammodo cum Christo dicentium : *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Pro quibus omnibus tandem exaudiendis ipse in cruce clamavit. Sed quia non ibi est exauditus ad obtinendam vel protegendam salutem vitæ temporalis, recte dicit : *Longe a salute mea* sunt *verba rugitus mei : Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies*, quasi dicat : In eo sunt *longe a salute verba rugitus mei* quia *non exaudiuntur*, vel in die ad obtinendam temporalem prosperitatem, vel in *nocte* ad repellendam tribulationem. Et tamen *non est mihi silentium;* quia scio me tandem exaudiendum in rugitu meo. Nam ego quidem catulus leonis jam captus et morsus inferni sum factus; jam velut alter Jonas in ventre ceti deglutitus; jam velut Samson ligatus, rasus, imo sicut ovis tonsus videor ab his qui me flagellaverunt, et vestibus meis denudaverunt, atque in cruce suspenderunt.

VERS. 4. *Tu autem in sancto habitas, laus Israel.* *Tu habitas* in cœlo *sancto* tuo, de quo in præcedenti psalmo dictum est, « exaudiet illum de cœlo sancto suo in potentatibus » salutis « dexteræ ejus. » Atque ideo hic non exaudior petens a me transferri calicem passionis; quoniam non est in hac petitione salus dexteræ, sed condescensio infirmorum, et ideo videor quidem a te derelictus. *Tu autem habitas* in me *sancto* tuo, nec dabis me sanctum tuum videre corruptionem; sed facies me videre non solum in mea carne, sed etiam in corporibus et animabus meorum gloriam incorruptionis. Nam licet ego quasi alter Job sedeam nunc in sterquilinio mortalitatis, testa passionis meæ saniem carnis radens : tamen futurum est ut in carne mea videam incorruptionem et immortalitatem incorruptionis et immortalitatis æternam et divinam claritatem, quam ostendam his, pro quibus nunc patior : « quia volo, ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, » et videant carnem meam claricatam ea claritate, « quam habui, priusquam mundus esset, apud te (*Joan.* XVII, 24). » In illa claritate videntibus me Filium tuum in te Patre meo, ac te Patrem in me Filio tuo, tu Pater eris *laus Israel* omnis viri videntis te Deum in me Deo, una cum Spiritu sancto Deo unum Deum, a cujus facie fugit Adam primus per inobedientiam. Sed ego secundus Adam, ego verus *Israel* factus nunc obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, ante faciem gloriosæ Trinitatis, ante faciem Patris in me manentis et Verbi mihi uniti, et Spiritus sancti, cujus igne ad præsens holocaustum fio, præsentiam meam nunc exhibeo per obedientiam, culpam videlicet illius expiando, qui fugit a Deo in paradiso confusus per inobedientiam. Ille tacuit a laude, sed ego recognosco et confiteor, quia *tu habitas in sancto, laus Israel.* Unde in hac die malorum non ero immemor bonorum, in hac die, qua me non exaudis pro transferendo calice passionis, miserationum tuarum recordabor, in quibus exaudiendo populum *Israel* fuisti laus *Israel.* Nam

VERS. 5 et 6. *In te speraverunt patres nostri : speraverunt, et liberasti eos. Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt : in te speraverunt, et non sunt confusi. Patres nostri*, quando in Ægypto affligebantur, *in te speraverunt*, et tu multis plagis percutiendo Ægyptum, tandem per immolationem agni paschalis meam hanc passionem figurantis mirabiliter *liberasti eos* (*Exod.* XII, 28). Pater Abraham *in te* speravit, *et* tu de Ur Chaldæorum *liberasti* eum (*Gen.* XI, 31). Isaac patriarcha *in te* speravit, *et* tu de Palæstinis invidentibus ei *liberasti* eum (*ibid.* XXVI, 16). Jacob qui et Israel dictus est, speravit *in te, laus Israel, et* tu de manu Laban, et fratris

Digitized by Google

Esau persequentis *liberasti* eum (*ibid.* XXXI, 17; XXVIII, 5). Moyses et Aaron *speraverunt in te* persequentibus eos Ægyptiis juxta littus Rubri maris, *et* tu per mare Rubrum viam pandens *liberasti eos* (*Exod.* XIV, 22). Multi alii *patres in te speraverunt, et liberasti eos*, qui per fidem vicerunt regna, ut Moyses et Aaron vicerunt per fidem regnum Ægyptiacum. Elias, et Elisæus per fidem vicerunt Israeliticum, exterminando inde culturam idolorum (*III Reg.* XVIII, 39). Daniel et tres pueri per fidem vicerunt regnum Babylonicum (*Dan.* III, 95). Mardochæus et regina Esther per fidem vicerunt regnum Persarum et Medorum (*Esther* XVII, 10). Fortes Machabæi per fidem vicerunt regnum Græcorum (*II Machab.* XV, 27). Isti et multi eorum consimiles, atque minores *in te speraverunt, et liberasti eos.* Alii tamen distenti sunt non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem, quorum præcipuus ego sum, qui nunc ecce distentus sum in cruce non inveniens redemptionem, seu liberationem, ut meliorem inveniam resurrectionem non mihi soli resurrecturo primogenito mortuorum, sed etiam omnibus mihi conresurrecturis, qui mihi patienti compatientur, morienti commorientur, quique una mecum in hoc mundo despicientur, atque mites et humiles invenientur, qui exemplo meo, cum maledicuntur non maledicunt, cum patiuntur non comminantur. Cum enim possem, adhibitis et exhibitis mihi (modo si vellem) plus quam duodecim legionibus angelorum gloriosius pugnare, quam fideles mei, « quia castra verterunt exterorum (*Hebr.* XI, 34), » tamen ecce non pugno contra imperium Romanum, vel ejus ministrum Pilatum, ut mansuetudinis et humilitatis præbeam exemplum. Patriarcha fidelis Abraham cum trecentis octodecim vernaculis quatuor reges una die protrivit (*Gen.* XIV, 15). Josue dux Israel, stante sole, ad Gabaon quinque reges pugnando superavit (*Jos.* X, 10). Gedeon in trecentis viris multa millia hostium fugavit (*Jud.* VII, 22). Samson in mandibula asini stravit mille viros (*ibid.*, XV, 15). Et omnes isti fortes non per aliam fidem vicerunt regna, seu fortiter egerunt, nisi quia me venturum crediderunt, et in hac fide fortes atque invincibiles fuerunt.

VERS. 7, 8. *Ego autem sum vermis, et non homo: opprobrium hominum, et abjectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, et moverunt caput. Ego*, inquam, *sum vermis* ita conculcabilis, tanquam *vermis* et quasi tenerrimus ligni vermiculus adeo sum fragilis, ut conculcare me audeat, non dico ipse Romanus imperator, sed iste minister ejus Pilatus atque subministri illius milites. Isti vilissimi, qui nec vestes meas mihi sinunt matri astanti et dilecto discipulo vel aliis meis dare, sed ipsi *diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. Ego autem* in oculis eorum *sum vermis*, imo sum tenerrimus vermiculus ligni, ecce pendens in ligno, qui admoto mihi igne passionis clamo velut scarabæus de ligno in ignem projecto, qui etiam ita viliter et contemptibiliter sum conculcatus, tanquam sim *vermis et non homo.*

Revera tamen in oculis me diligentium *vermis sum et non homo*, quia sicut *vermis* nascitur de humida terra fecundante illam solo calore solis, ita *ego* natus de virginea carne Spiritu sancto de rore cœli et de calore solis æterni eam fecundante, convenienter appellor *vermis, et non homo.* Non quod non sim *homo*, sed quia sum plus quam *homo.* Si enim Joannes, cum esset propheta Altissimi a patre Zacharia vocatus, et ipse nosset quia erat propheta ex utero sanctificatus (*Luc.* I, 76), tamen quia erat non tantum propheta, sed etiam plus quam propheta interrogatus a Pharisæis an esset propheta, respondit: *Non* sum propheta (*Joan.* I, 21): quanto magis *ego non* simpliciter *homo*, sed plus quam *homo* veraciter dico: quia *sum vermis, et non homo?* Et tamen cum Deus altissimus *ego* sim, factus sum *opprobrium hominum, et abjectio plebis. Opprobrium hominum* in spinis et colaphis opprobriosis, et *abjectio plebis*, quæ me abjecit petens pro me sibi dari Barabbam latronem. Quod tamen totum *non ad insipientiam mihi fit.* Quia enim *patres nostri*, licet sancti, tamen puri homines fuerunt, ideo consolationes humanas in tribulatione *speraverunt*, et per has consolationes alias majores et spirituales consolationes *speraverunt*, ideo bis dico, *speraverunt*, adjungoque tandem, *et liberasti eos*, dando primitus consolationes temporales, ut est victoria contra hostes et copia frugum, et cætera talia in re, promittens per talia multo majores consolationes æternorum bonorum in spe. Sed *ego*, qui *sum vermis, et non homo*, humano et temporali solatio non indigeo sicut illi, qui erant per hæc temporalia solatia nutriendi, ut sperarent æterna. Quidam etiam carnales pro temporalibus tantummodo servientes, hic per ea sunt remunerati, et æternis, pro quibus non servierant, omnino privati. Hic est sapientia. Qui habet intellectum, computet, et inveniet inter Deo servientes tantum distare, « quantum distat ortus ab occidente (*Psal.* CII, 12). » Qui enim pro terrenis Deo servit, servitutis præmio hic accepto salvatur, sed ut magis pereat. Qui autem pro æternis militat, stipendio militiæ in futurum dilato, hic punitur, ut alibi gaudeat; puerilem mercedem non curat, ut perfectam suscipiat; parum vel nihil dolet, cum pro temporalibus orans non exauditur, pro quibus etiam sic orat, ut Christum orantem imitetur, subjungendo vel subaudiendo: « verumtamen non sicut ego volo (*Matth.* XXVI, 39), » sed sicut Deus vult, ita fiat, dummodo quidquid in talibus mihi fiat, *non ad insipientiam mihi* fiat.

Hoc perfectus Dei miles cogitat magis eligens cum Paulo apostolo, vel etiam cum ipso Christo in talibus non exaudiri, quam cum dæmonibus cito ad voluntatem, non ad utilitatem suam exaudiri. Nam legio dæmonum petens gregem porcorum cito est exauditus. Paulus ter Dominum rogans, ut disce-

Digitized by Google

deret ab eo stimulus carnis, non est auditus ad voluntatem (*II Cor.* XII, 8). Sic et Christus non est exauditus ad carnis voluntatem, sed ad utilitatem suorum et necessitatem. Fuerunt enim inter membra Christi, inter electos scilicet ab æterno prædestinatos alii tales, quibus competeret per martyrium bibere calicem passionis, ut eorum sanguine plantaretur Ecclesia, quorum primus erat beatus « Stephanus gratia et fortitudine plenus (*Act.* VI, 8), » et alii nihilominus Deo chari, quorum præcipuus est Joannes, dilectus Christi discipulus, quos a martyrio expediebat liberari, ut eorum doctrina rigaretur Ecclesia et illuminaretur. Secundum horum diversitatem temporum quoque ipsa distincta sunt, ita ut aliud sit tempus belli, et aliud tempus pacis. Nam tempore belli sancti martyres calicem Domini biberunt per manifestas passiones, et amici Dei facti sunt. In tempore autem pacis beati confessores per castitatem et doctrinam Deo servientes calicem passionis non quidem ablatum a se, sed translatum senserunt, dum cupientes libenter mori, coacti sunt patienter vivere, quod erat eis quædam calicis potatio, dum potum suum cum fletu miscebant, et « carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis (*Gal.* V, 24). » Non ergo frustra dixit Christus: « Pater, si fieri potest, transfer a me calicem hunc (*Matth.* XXVI, 39), » quoniam ubi potuit, et oportuit hoc fieri, calix iste, ut diximus, non ablatus, sed translatus est. Unde cum eumdem calicem Petro bibendum porrigeret Christus dicendo: « Sequere me (*Joan.* XXII, 19), » et Petrus de alio condiscipulo cupiens scire an et ipse deberet eumdem calicem eodem modo bibere, audivit sibi Christum dicentem: « Sic eum volo manere, donec veniam: Quid ad te? tu me sequere (*ibid.* 22). » Sic iste dilectus discipulus calicis translationem creditur obtinuisse per istam Christi orationem, qua dixit Patri. « Si fieri potest, transfer calicem hunc a me (*Luc.* XXII, 42). » Aliter quoque discipulus audiens quod esset ab alio cingendus et ducendus quo nollet, sane potuit animadvertere se pertinere ad illam partem Christi orationis, qua dixerat in Passione: « Verumtamen non quod ego volo, sed quod tu » vis, et non mea « voluntas » sed « tua fiat, » Pater (*Marc.* XIV, 36).

In nobis quoque peccatoribus patet hujus orationis bipartitæ differens effectus, dum quarumdam passionum, quas mundus intentat, calix a nobis transfertur, quia salva Dei gratia et nostra salute, hoc potest et decet fieri, et ubi hoc non potest fieri, ab alio cingimur, et ducimur interdum quo nolumus, dum patimur quæ pati nollemus, si salva Dei gloria et gratia, pacem habere possemus. Attamen, quia hoc nostro in tempore, licet « in conspectu Domini sit pretiosa mors sanctorum (*Psal.* CXV, 15) et martyrum, quibus ministri Antichristi tollere volunt, aut cum justitia vivere, aut cum pace vivere, in altero animarum, in altero corporum saluti insidiantes, tamen in conspectu Ecclesiæ per membrorum truncationes et rerum spoliationes, quas impii contra pios moliuntur, non tam corriguntur animosi mali, quam perturbantur infirmi boni. Oramus, Christe, ut tua super nos oratio exaudiatur, per quam nobis et omnibus, quos persequitur Antichristus, detur aut sic manere, sicut mansit Joannes translato a se calice; aut sic te sequi, sicut te secutus est Petrus bibendo calicem, ut sive vivamus, sive moriamur, tales inveniamur, de quorum vita et morte « gaudium » sit non solum « angelis » in cœlo, qui gaudent « super » quolibet « peccatore pœnitentiam agente (*Luc.* XV, 10), » sed etiam piis Ecclesiæ matris filiis et filiabus paratis gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus. Et quia tu potum tuum cum fletu nostro temperasti, quando in temetipso perfusus oleo lætitiæ indefectivæ, tamen bibisti propter nos acetum tristitiæ, cum tristis erat anima tua usque ad mortem, per hanc ipsam nostræ tristitiæ participationem, qua tu, verus Isaac, risus et gaudium existens angelorum, factus es consors tristitiæ hominum, da nobis consortium tuæ lætitiæ, et converte luctum nostrum in gaudium, ut tristitia nostra in lætitiam conversa gaudium nostrum nemo tollat a nobis, concessa nobis tanta gratia, ut neque nos unquam Spiritum sanctum in nobis habitantem contristemus, aut contristare velimus, neque de nobis unquam fiat vel piis tristitia, vel impiis lætitia.

Etenim si aliquando *per diem* vel noctem clamantes non exaudimur pro velle nostro, fieri potest ut hoc ipsum nobis non sit ad tristitiam, dum *non* erit *ad insipientiam*, sicut et Christo *non* erat *ad insipientiam* quod arbitratu Judæorum non est exauditus, cum ei dicerent: « Si Filius Dei es, descende » nunc « de cruce (*Matth.* XXVII, 40). » Sed tamen exauditus est pro sua reverentia, non ad Judæorum insultantium voluntatem, sed ad omnium suorum salutem; sive a quibus transferendo calicem sic eos vult manere, sicut mansit Joannes theologus; sive qui bibent calicem sicut Petrus: quæ omnia disposita sunt hactenus, et adhuc disponentur secundum ineffabilem divinæ providentiæ sapientiam. Unde recte Christus ipse pendens in cruce dicit: *Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies, et nocte non ad insipientiam mihi.*

Et revera multis visa est in prædicatione crucis magna insipientia, cum ipsius Christi crucifixi prædicaretur omnipotentia, quam vix, aut nullatenus crediderunt, qui crucis infirma insipienter inspexerunt, de quibus dicitur in sequentibus: *Ipsi vero consideraverunt, et conspexerunt me.* « Nos autem, » ait Apostolus, « prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem Judæis atque Græcis vocatis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam, quia quod infirmum Dei est, fortius est hominibus, et quod stultum est Dei, sapientius est hominibus (*I Cor.* I, 23-25). » Commemorent Judæi, si placet, suos fratres homines, verbi gratia Josue victoriosum, Aod ambidextrum, Gedeonem tubis militum freccn-

Digitized by Google

torum armatum, Samsonem fortissimum, David manu fortem, et alios fortes homines. Nos econtra dicimus cum Paulo apostolo, quia « infirmum Dei fortius est hominibus. » Revera enim infirmum Dei corpus in cruce fortius est hominibus; quia fortiora fecit omnibus antiquis fortibus. Ibi enim verus Josue introitum terræ promissionis eatenus clausum aperuit, quando paradisum latroni confitenti et omnibus se confitentibus patefecit. Ibi Aod vere ambidexter expansis manibus omnia traxit ad se, uti prædixerat: « Ego, » inquiens, « si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum (*Joan.* XII, 32). » Ibi verus Gedeon per victoriam crucis, quæ per T litteram signatur, in trecentis gloriose triumphavit. Ibi Samson verus plures occidit moriendo quam prius vivendo. Ibi verus David leonem et ursum pastorali baculo crucis interfecit liberans oves a diabolo invasas. Ibi contra superbum Goliath Philisthæum quinque vulnera, vel quinque lapides in pera pastorali, id est in corpore mortali verus David manu fortis habuit, sed uno lapide, uno scilicet vulnere superbum illum eatenus insuperabilem stravit per sacramentum sanguinis et aquæ de latere suo currentis. Ergo vere dictum est contra scandalum Judæorum, quod « infirmum Dei fortius est hominibus: » quia quidquid fortiter actum in eorum libris legitur, nequaquam digne illi fortitudini comparatur, quam in infirmitate Christi morientis, et cornua crucis in manibus habentis fuisse constat, quoniam « ibi abscondita est fortitudo ejus (*Habac.* III, 4). » Abscondita revera, non imminuta, quod inde manifestatur, quia dum ille in cruce moreretur, « ante faciem ejus » ivit « mors (*ibid.*), » et videntes eum portæ mortis confractæ sunt, quod palam contestabatur terra mota, sol obscuratus, petræ scissæ, monumenta aperta, et velum templi scissum a summo usque deorsum. O Judæi, si, ut vestra consuetudo est, signa petitis, ecce signa multa videtis. Unum hoc est præcipuum signum, per quod ex præcepto Moysi debuistis cognoscere illum prophetam magnum, quia verbum, quodcunque dixit aut prædixit, effectu non caruit. Dixit Lazaro mortuo in sepulcro jacenti et fœtenti: « Veni foras, et prodiit (*Joan.* XI, 43, 44). » Dixit cæco: « Respice, et vidit (*Luc.* XVIII, 42, 43). » Dixit leproso: « Mundare (*Marc.* I, 41), » et mundatus est. Dixit paralytico: « Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam (*Luc.* V, 24), » et surrexit. Prædixit Evangelium suum in toto mundo prædicandum, et ecce, « in omnem terram exivit sonus » evangelistarum, « et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII, 5). » Prædixit vos de loco vestro ejiciendos, et captivos ducendos in omnes gentes: et ecce dispersi et captivi estis, neque locum vestrum per principes Romanos vobis ablatum, magis autem per principes apostolorum Ecclesiæ Romanæ sociatum rehabere potestis (*Luc.* XXI, 24). Cognoscite itaque, quia « infirmum Dei fortius est hominibus, » de quorum fortitudine vos jactatis, cum tot signa videatis invictæ fortitudinis completæ per mysterium sanctæ crucis.

Cognoscite per veritatem prophetiæ faciem veri prophetæ, de quo dicit Moyses: « Omnis anima quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de populo suo (*Num.* IX, 13). » Et quidem, si alienum Deum vobis prædicasset, quantalibet signa fecisset, prohibente Moyse vobis audiendus non esset. Dicit enim: « Si surrexit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, et prædixerit signum atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi: eamus, et sequamur deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis: non audias verba prophetæ illius, aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum, an non, in toto corde et in tota anima vestra. Dominum Deum vestrum sequimini, et ipsum timete, mandata illius custodite, et vocem ejus audite. Ipsi soli servietis, et ipsi adhærebitis. Propheta autem ille aut fictor somniorum interficietur, quia locutus est, ut vos averteret a Domino Deo vestro, qui eduxit vos de terra Ægypti, et redemit vos de domo servitutis, ut errare te faceret de via, quam tibi præcepit Dominus Deus tuus, et auferes malum de medio tui (*Deut.* XIII, 1-5). » Item, si Deum vestrum annuntiasset, et verbum dixisset, quod non fieret, quasi propheta falsus repudiandus esset, cum dicat Moyses: « Propheta, qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur. Quod si tacita responsione responderis: Quomodo possum intelligere verbum, quod non est locutus Dominus? hoc habebis signum: quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, et non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit, et idcirco non timebis eum (*Deut.* XVIII, 20, 22). » Nunc autem, cum non alienum Deum nobis annuntiaverit, sed Deum Abraham, Deum Isaac, Deum Jacob, atque in hac testificatione non Dei vestri omne verbum, quod dixit, efficacia veritatis non caruerit, sicut ecce in dispersione vestra, quam prædixit, patet: quare non auditis prophetæ istum testimonio Moysi vobis commendatum, qui si Deum, sive Filium Dei se dicens, ut putatis, meritus fuisset, nullo modo prophetam falsum comitata esset efficacia tanta signorum, in quibus, si non fecit opera Patris seu Dei omnipotentis, nolite credere, illum esse Filium Dei, vel Deum. Si autem facit, operibus credite, ut cognoscatis, quia in Patre est, et Pater in ipso unus omnipotens.

Hinc est quod miracula multa, soli Deo possibilia, fecit non rogando Deum, ut sanctus homo, sed imperando, ut Deus Homo, quod nulli conceditur nisi Deo soli. Moyses vester non imperando, sed a Deum clamando fecit, ut divideretur mare Rubrum in divisiones. Iste autem propheta major Moyse imperaverit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna. « Imperat ventis, » id est maliguis spiritibus

Digitized by Google

s et mari, » id est procelloso huic sæculo, « et obediunt ei (*Luc.* VIII, 25). » Imperavit Romanis, ut tollerent vestrum et locum, et gentem, et obedierunt ei. Imperavit iisdem Romanis, quando voluit ut a Christianorum persecutione cessarent, et facta est tranquillitas magna. Etsi ad horam permisit aut permittit in hoc mari suam naviculam, sanctam videlicet Ecclesiam quassari, tamen sic operatur opera Patris sui, ut sicut in arca Noe Pater suus, exundante diluvio, octo animas liberavit, ita et ipse per lignum crucis liberet credentes, et in illo spem resurrectionis habentes. Æque ut breviter et pleniter dictum sit, « quæcunque Pater facit, hæc et Filius similiter facit (*Joan.* v, 19). » Vere similiter quia æque omnipotenter operatur, sicut Pater operatur : et vere quæcunque Pater facit, hæc et Filius, quia neque Pater sine Filio, neque Filius sine Patre quidquam operatur. Quod cum in multis agnosci et probari valeat, sufficiat vobis, o Judæi, qui usque in hodiernum diem negastis Filium Dei, quod illo in cruce pendente, atque, ut vobis videbatur, nulla tunc signa faciente adfuit paternæ majestatis potentia per terræmotum magnum et alia signa evidentia tangens etiam corda gentilium, ut illum crederent esse Filium Dei, cujus mortem clamabat mundus, se sustinere non posse. Inde fuit illa vox centurionis : « Vere Filius Dei erat iste (*Matth.* XXVII, 54). » Unde tibi hoc, o gentilis centurio ! ut Filium Dei confitereris negante illum Judæo ? Unde tibi hoc? Non quia sensisti, quod infirmum Dei fortius erat hominibus? Hoc inde persensisti, quia mirabilia tanta fieri Christo moriente vidisti : qui licet reputatus esset tanquam *vermis, et non homo*, factus *opprobrium hominum, et abjectio plebis*, tamen quod esset Filius omnipotens omnipotentis Dei, claruit ex ipsa potestate moriendi. Nemo enim ab illo animam suam tulit, vel extorsit, sicut animæ latronum crurifragio sunt a corporibus extortæ, sed ipse potenter, quando voluit, posuit eam dicendo : «Pater, in manus tuas commendo spiritum meum (*Luc.* XXIII, 46), » et iterum potenter sumpsit eam, quando surrexit a mortuis. Sufficiant hæc dicta contra Judæum blasphemantem infirma Dominicæ Passionis, ut aut credat infirmum Dei fortius esse hominibus, aut si non vult manifestæ veritati acquiescere, cogatur obmutescere.

Quid autem dicemus gentibus et maxime Græcis, qui sapientiam quærunt, stultitiam reputantes, quod omnipotens cum tanto labore humanum genus redimeret, quod solo verbo liberare posset? « Nos autem, » ait Apostolus, « prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam (*I Cor.* I, 23). » Et quidem contra scandalum Judæorum probatum est, infirmum Dei fortius esse hominibus. Nunc autem contra gentes crucis arborem velut sycomorum, quæ ficus fatua dicitur, irridentes, et in ejus fatuitatem offendentes, hoc est probandum, quod stultum Dei sapientius est hominibus, quod fatuitas crucis antecellit in vera sapientia cunctos Græciæ sapientes. Et quia multi Græcorum laudantur de sapientia sua, nos de multis dicere non valemus. Unum in præsenti negotio proponamus, quem apud Græcos et Latinos habitum sapientem non ignoramus, Ulyxem illum, quem et Homerus apud Græcos, et Virgilius commendat apud Latinos tanquam sapientem virum, quem et noster Boetius commendat, quem tota schola poetarum clamat virum sapientem, eo quod potuit sirenum voces audire illæsus, quod Circes poculis et incantationibus non est victus vel deceptus, quod aliis innumeris laboribus terra marique agitatus permansit invictus, non tam virium potentia quam ingeniosæ mentis prudentia ubique tutus. Hic Polyphemum devoratorem suorum sociorum calliditate aggressus, oculo uno, quem solum dicitur habuisse, tenebrato superavit. Hujus artificioso ingenio fertur actum, ut insignis Troja caperetur magis astutia consiliorum, quam viribus armorum, atque ideo hunc virum sapientem et ingeniosum theatra sonant Græcorum et Latinorum.

Verumtamen si stultitiam crucis tantæ sapientiæ conferamus, tale est ac si lumen solis tædæ accensæ comparemus. Etiamsi non ficta, sed facta crederentur, quæ de illo, quem dicunt sapientem, leguntur : incomparabiliter majora sunt, quæ per crucis mysterium facta, et non ficta sine dubio creduntur. Credunt illi suis auctoribus et scriptoribus, quibus licuit fingere, ac falsa veris miscere. Credamus et nos auctoribus et scriptoribus nostris, in quorum testimoniis loquitur Spiritus veritatis absque omni admistione totius falsitatis. Credunt illi oculum Polyphemi sapientia Ulyxis perforatum et cæcatum. Et nos credimus, propter quod et loquimur, nares Leviathan sudibus crucis et clavorum ejus perforatas. Ille socios a Polyphemo devoratos non potuit liberare, licet potuerit vindicare, unde Boetius (53) dicit :

Flevit amissos Ithacus sodales,
Quos ferus vasto recubans in antro
Mersit immani Polyphemus alvo :
Sed tamen cæco furibundus ore
Gaudium mœstis lacrymis rependit.

Christus autem suos de ore Leviathan eripiens armilla maxillam ejus perforavit, atque de ventre ceti suos eruiturus fuit in eo tribus diebus et tribus noctibus. Unde cum suis victor illæsus exivit, non tamen sine læsione ipsius ceti eum revomentis, ac multos olim devoratos amittentis. Fuerit illi gloriosum dolo et astutia cepisse Trojam : peramplius et perfectius gloriosum est Christo per crucis trophæum devicisse infernum, et suis legibus totum mundum subdidisse, alligato et foras ejecto forti armato. Talia sine dubio facta non ficta contestantur, delubra eversa, et Ecclesiæ Christi fabricatæ

(53) Lib. IV, *Consol. philos.*, metro 7.

Digitized by Google

in toto mundo : nec soli homines, verum etiam dæmones de obsessis corporibus clamantes, dum exire per virtutem crucis compelluntur, in testimonium nostræ assertionis adducuntur.

Sive igitur facta, sive ficta dicantur, quæ de sapientibus mundi, qualium præcipuus erat jam commemoratus Ulyxes, contestantur paganorum scripta, quod in crucis mysterio stultum ab illis putatur, in infinitum sapientius est hominibus prudentibus et sapientibus, in quibus Græcia gloriatur, et de quorum sapientia frustra inflatur, quia « stultam fecit Deus sapientiam hujus sæculi (*I Cor.* I, 20), » et perdidit prudentiam prudentum, qui, cum dicerent se sapientes, stulti facti sunt servientes creaturæ potius quam Creatori, quod erat maxima stultitia : sicut econtra magna sapientia est in cruce adorare Creatorem et Redemptorem, credendo et confitendo quod is, qui crucifixus erat, Deus, ecce per omnia regnat. Hunc nosse vivere, huic servire regnare est. Hujus onus leve est, hujus jugum ferre suave est, hujus præceptis et consiliis acquiescere, hujus promissionibus credere salus, vita vera et magna sapientia est. Quod totum, cum ita sit, non inane dico ego Christus : *Clamabo per diem, et non exaudies, et nocte, et non ad insipientiam mihi :* quia quod *vermis, et non homo*, quod *opprobrium hominum et abjectio plebis ego sum*, licet Judæis videatur infirmum, et Græcis aliisque gentibus fatuum et stultum : tamen istud infirmum fortius est hominibus, et istud stultum sapientius est hominibus.

Verum quia oculis carnalium abscondita est ista fortitudo et sapientia, *omnes videntes me, deriserunt me, locuti sunt labiis, et moverunt caput.* Sacramentum crucis, cui debuerunt venerationem, exhibuerunt irrisionem. *Deriserunt* in corde, *locuti sunt labiis, et moverunt caput.* « Moventes » enim « capita sua » dicebant. « Vah qui destruit templum Dei, et in triduo illud reædificat (*Matth.* XXVII, 39, 40, 43) : » speravit in Domino, « liberet nunc eum si vult. »

VERS. 9. *Speravit in Domino, eripiat eum.* Tanta est in psalmo et in Evangelio verborum identitas, tanquam si mutuo se respiciant hæc duo cherubim, psalmista videlicet et evangelista versis vultibus in me propitiatorium, qui in cruce factus sum propitiatio pro peccatis omnium credentium. Dictum est in Evangelio : « Confidit in Deo, liberet nunc eum si vult (*Matth.* XXVII, 43). » Dictum est hic in psalmo : *Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum.* Sic dicunt, et licet nescientes verum dicunt, quia tu vere *salvum* facies me resuscitando a morte, quia tu *vis* me, tu diligis me, quod ex anteactis potest constare.

VERS. 10 et 11. *Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre, spes mea ab uberibus matris meæ. In te projectus sum ex utero. De ventre matris meæ Deus meus es tu. Tu es, qui extraxisti me de ventre* virgineo, quem vir non aperuit, qui clausus erat ante partum, et in partu, et post partum clausus permansit. Inde scio quod etiam de clauso ac signato sepulcro educes me. *Spes mea ab uberibus matris meæ.* Antequam haberem matrem, tu mihi eras Pater ; sed postquam habui matrem, cujus ubera suxi, tu mihi non solum Pater exstitisti secundum genituram, qua me hodie, id est æternaliter genuisti, sed etiam *spes mea* esse cœpisti, secundum quod me hominem in veram filiationem suscepisti, non adoptione, sed ea sanctificatione, de qua dixi Judæis : « Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura : quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi : Filius Dei sum (*Joan.* X, 35, 36). » Ergo ego licet verus homo, tamen in Deum, Dei Filium sanctificatus merito spem habeo in te Patre meo et Deo meo, qui me ante sæcula genuisti, et nunc, ubi venit plenitudo temporis, in virgineo matris utero sanctificasti, matremque ipsam sanctam conservasti, ut me lactaret uberibus de cœlo plenis, uberibus virgineis. Ideo dico tibi, Pater : *Spes mea ab uberibus matris meæ*, quia multum boni licet sperare mihi homini filio talis matris ac talis Patris.

In te jactatus sum *ex utero*, vel *ex utero* matris virginis tanquam homo infirmus, tanquam infantulus tenerrimus, et pupillus in hoc mundo natus absque Patre homine, *in te* Patrem ac tutorem *sum projectus* per fidem piæ matris meæ, tibi me attentius commendantis. Vel *ex utero* matris meæ Synagogæ *sum projectus*, cujus uterus me non protulit, sed jactavit. Et voluit quidem illa mater me tanquam abortivum perdere projiciens me ; sed ego « impulsus, » et « eversus ut caderem (*Psal.* CXVII 13), projectus sum in te spes mea ab uberibus matris meæ. » Nam quia de *uberibus* ipsius *matris meæ* Synagogæ carnales consuetudines nolui sugere, inde patuit quod tu *spes mea* es ; qui non caro, sed spiritus ; non pater carnalis, sed spiritualis es, de cujus nobilitate spiritali mihi homini filio tuo tanta innata est nobilitas, ut non possim sugere, nisi ubera de cœlo plena, ubera virginea « ubera vino pulchriora (*Cant.* IV, 10), » fragrantia unguentis optimis. Inde fastidivi carnalia ubera carnalium observantiarum, quibus corrupta est « mater mea, » quibus « violata est genitrix (*Cant.* VIII, 5) » mea Synagoga. Et illa videns me non sugere ubera sua, dicebat intra se : Quia « hic homo non est a Deo, qui Sabbatum non custodit (*Joan.* IX, 16), » atque ita me projecit, quasi vita indignum, quasi hominem desperatum. Verumtamen *tu es spes mea ab uberibus matris meæ, et in te projectus sum ex utero, et de ventre matris meæ Deus meus es tu. De ventre matris meæ* virginis *Deus meus es tu.* Tu quidem *ex utero* tuo ante Luciferum genuisti me, priusquam mundus fieret, priusquam essent ulla tempora, quæ per Luciferum et alia signa siderea distinguerentur, et nunc ubi venit plenitudo temporis, *extraxisti me de ventre matris meæ* virginis. Vel *extraxisti me de ventre matris meæ* Synagogæ

Digitized by Google

hominem factum ex semine David secundum carnem. Sed *tu* de *utero* tuo mihi ante Luciferum genito non *es Deus meus;* in me es Pater meus æternus habens me Filium tibi coæternum. *De ventre* vero *matris meæ Deus meus es tu*, et ego inde sum creatura tua, quod *de ventre matris meæ* carnem suscipiendo factus sum homo, cui possit accidere tribulatio. Et ideo peto :

Vers. 12. *Ne discesseris a me, quoniam tribulatio proxima est, et non est qui adjuvet.* Homo est qui tribulet, et non est homo *qui adjuvet*. Noti mei quasi alieni recesserunt a me, quia etiam discipuli omnes me derelicto fugerunt, et

Vers. 13. *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me. Vituli multi* erant homines populares, lascivi et petulantes. *Tauri pingues* erant principes elati, feroces et divites, ex ipsa divitiarum pinguedine ferociores. *Vituli me circumdederunt*, quando cum gladiis et fustibus me comprehenderunt quasi latronem, qui quotidie apud eos eram docens in templo, et non me tenuerunt, quia nondum venerat hora mea. Modo autem postquam venit hora mea et potestas tenebrarum, *vituli* me *circumdantes* corniculis acutis me impetierunt, et *tauri pingues* ita *obsederunt*, ut non pateret mihi locus effugiendi. Cum enim judicaret Pilatus me corripiendum et dimittendum, clamaverunt : « Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis, qui se regem facit, contradicit Cæsari (*Joan.* xix, 12). » Item : « Hunc invenimus subvertere gentem nostram, et prohibentem tributa dari Cæsari (*Luc.* xxiii, 2) : » Item : « Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. (*Joan.* xix, 7). » Talia clamando sic *me obsederunt* hinc inde objicientes falsa testimonia tanquam contra Cæsarem et contra legem peccaverim, ut nulla videretur justa ratio, pro qua judicarer dimittendus ego, ut putabatur, inimicus legis et regis. Ideo ipsi, tanquam fidi æmulatores legis et amici Cæsaris,

Vers. 14. *Aperuerunt super me os suum sicut leo rapiens et rugiens* cum feroci aviditate quasi belluæ, quasi leo, vel hyena patulo rictu inhiantes ad me deglutiendum. *Aperuerunt super me os suum* sitientes sanguinem meum. Ideo tanquam *leo rapiens* me comprehenderunt, et tanquam *leo rugiens* clamaverunt : « Reus est mortis. Crucifige, crucifige eum (*Matth.* xxvi, 66; *Luc.* xxiii, 21). » Talis clamor non erat vox hominis, imo fuit rugitus *leonis*, olim in Pharaone contra me sævientis, quando masculos infantes Hebræorum, de quibus eram nasciturus, præcepit occidi. Et nunc postquam fui natus, in Herode, tanquam altero Pharaone, sanguinem meum sitiens iterum infantes masculos occidi præcepit, ut me quoque inter illos occideret. Sed quoniam hactenus frustati sunt sanguinei rictus hujus *leonis* minime valentis me devorare, isti modo eidem *leoni* cooperando tanquam ipse diabolus *aperuerunt super me os suum*, cupientes me devorare. Primo voluerunt me ita devorare, ut eis incorporatus essem quasi unus ex illis custodiendo Sabbatum, non attendendo quod ego sum Dominus Sabbati. Volebant etiam quod ego servassem traditiones Patrum, quas ipsi servabant et servant, irritum facientes mandatum divinum. Nam Deus dixit : « Honora patrem tuum et matrem (*Exod.* xx, 12) : » ipsi autem consulentes avaritiæ suæ munus patri vel matri dandum docent ad altare deferendum. Quod cum ego arguerem, neque illis talia facientibus incorporari vellem, verterunt se ad aliud nequitiæ suæ artificium quo me devorarent. Unde *aperuerunt super me os suum sicut leo rapiens et rugiens.* Tamen quomodocunque *os* aperirent, non potuerunt me devorare vel sibi incorporare : Ideo

Vers. 15. *Sicut aqua* vilis *effusus sum* ab eis, *et dispersa sunt omnia ossa mea.* Quem enim devorare non potuerunt, conculcare præsumpserunt. Sed volentes me conculcare quasi aquam immundam, lapsi sunt lubricitatis eorum vestigiis : per me autem quasi per aquam cœlestem, quasi per imbrem matutinum et serotinum rigata est bona terra, fecundata est omnis Ecclesia. Sicut enim *aqua* cum funditur, abluit, et rigat, sic ego *effusus* ablui sordes et rigavi mentes. Exivit enim *aqua* de templo corporis mei a latere dextro, et omnes, ad quos pervenit aqua ista, salvi facti sunt (*Joan.* xix, 34). Attamen per eamdem aquam lubrica facta est via inimicorum, ita ut caderent, et via quoque discipulorum meorum, ita ut stare non possent, sed omnes me relicto fugerent : ideo dico : *Dispersa sunt omnia ossa mea.* Quando enim ego *sicut aqua effusus sum*, tunc *dispersa sunt omnia ossa mea*, quia tunc in illa nocte scandalizati sunt omnes discipuli mei in me, ita ut Petrus, qui unus fuit de firmioribus *ossibus meis*, ter me negaret. Unde, præ nimio doloris igne

Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei. Et ipsi apostoli, qui erant prius constantes, quasi *cor meum*, Passionis igne invalescente, ab omni fortitudine sua defecerunt *tanquam cera liquescens.* Cumque sit propria sedes cordis intra septa costarum, ipsi velut molle intestinum non intra fortitudinem costarum mearum fuerunt invicti, ut essent quasi os ex ossibus meis, imo quasi caro de carne mea (*Gen.* ii, 23) *in medio ventris mei*, id est in consortio infirmorum nullum robur habentium.

Aliter : *Cor meum*, id est Scriptura, prius dura, *tanquam cera liquescens*, et sua liquefactione lumen faciens, dissoluta est. Unde me in cruce moriente velum templi scissum est, et patuerunt secreta sanctuarii prius velata, hoc significante Spiritu sancto, viam sanctorum esse propalatam priore tabernaculo non habente statum. Via sanctorum via est quæ ducit intra Sancta sanctorum, Christus scilicet, qui dicit : « Ego sum via (*Joan.* xiv, 6). » Sed hæc via priore tabernaculo habente statum palam non patuit, quia intra velamentum figurarum Christus latuit, verbi gratia in figura

Digitized by Google

paschalis agni, aut vitulæ rufæ, seu hirci pro peccato multitudinis immolati. Hujusmodi figurarum recte velum scissum est, quando verus agnus pro innocentibus de nocentibus faciendis, verus hircus pro pœnitentibus de impœnitentibus faciendis est immolatus, quando ipse verus « pontifex per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta æterna redemptione inventa (*Hebr.* IX, 11, 12). »

VERS. 16. *Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis.* Ipsi apostoli mei, quibus erat « spiritus quidem promptus, caro autem infirma (*Matth.* XXVI, 41), » propter infirmitatem carnis *tanquam cera liquescens* erant *in medio ventris mei*, sed, propter spiritum promptum, *virtus mea et lingua mea* fuerunt *virtus mea* : per fidem, qua corde crediderunt ad justitiam ; *lingua* per confessionem, qua ore confessi sunt ad salutem. Sed hæc *virtus mea* in igne Passionis pariter facta est mollis et dura : mollis *tanquam cera liquescens*, ut per eos lumen fidei dilataretur, dura *tanquam testa*, ut ex ipsis fieret lucerna super candelabrum totius Ecclesiæ ponenda, non sub modio Judaicæ angustiæ. Lucerna quippe lumen est in *testa*, quæ nisi prius in igne duresceret, liquorum pinguedinis in pabulum ignis continere non posset. Est enim caro mortalis et peccatrix quasi mollis *testa*, et lutum vile, quæ nisi desiccata fuerit in his qui debent crucifigere carnem suam cum vitiis et concupiscentiis, non potest fieri ministra luminis. Propter quod ego Christus, licet immunis, et totus mundus a peccato, tamen sponte per mortalitatis fragilitatem quasi *testa* mollis existens in Judæa tanquam in domo figuli conclusus, et in agro figuli, sicut constituit mihi Dominus ipse figulus, projectus et conculcatus, non eram adhuc paratus « ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium (*Luc.* II, 31, 32). » At ubi *aruit tanquam testa virtus mea*, dum caro mea non ut fenum in igne passionis defecit, sed tanquam *testa* in igne fortitudinem accipiendo profecit, continuo ante faciem omnium populorum lumen ad revelationem gentium sum positus ab eo qui mihi, priusquam in carne apparerem, dixerat : « Posui te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ (*Isa.* XLIX, 6). »

Similiter apostoli mei, et reliqui discipuli ante passionem meam quasi mollis *testa* in domo figuli formabantur, dum per doctrinam meam catechizabantur, sed per passionem et resurrectionem meam consolidati, apti fuerunt, ut in omnem terram luceret lux eorum coram hominibus. Et sicut ego verus Job sedens in sterquilinio saniem fragilitatis assumptæ abrasi per *testam* fortitudinis, in qua, cum volui, animam posui, et iterum, cum volui, sumpsi eam : sic et apostoli mei saniem peccatorum suorum per fidem passionis et resurrectionis meæ abraserunt, cum per dies quadraginta in multis argumentis quasi *testa* firmi de infirmis effecti sunt, et ipsi qui existentes *lingua mea* per scandalum crucis obmutuerunt, quia tunc *adhæsit lingua mea faucibus meis*, postea « cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis (*Act.* II, 4). » Attamen, quia ego Christus nunc loquor in passione constitutus, in qua et ego ipse obmutui, et non aperui os meum tanquam agnus coram tondente (*Isa.* LIII, 7), atque omnes discipuli non solum tacuerunt, sed etiam relicto me fugerunt : recte nunc dico quod *virtus mea* prius probata miraculis *aruit*, id est viluit tanquam *testa* fragilis : *et lingua mea adhæsit faucibus meis*, quia cum paterer, non comminabar, cum maledicerer non remaledicebam (*I Petr.* II, 23), atque ita in pulverem mortis deduxisti me, Pater, qui dedisti mihi calicem hujus passionis, in qua *deductus sum* usque *in pulverem mortis* arbitratu Judæorum, qui me putabant nunquam resurrecturum, sed *in pulvere mortis* permansurum. Sed ego longe melius dictante mea pietate *in pulverem mortis deductus sum*, quia per mortem meam ego granum frumenti mortuum ita nunc multiplicor multum fructum afferens, ut etiam inter impios, quos tanquam *pulverem* projicit ventus a facie terræ, fructificem de hoc ipso pulvere suscitans filios Abrahæ qui sint lucidi et alti sicut stellæ cœli. Nec mirum quod ego tam de gentibus, quam de Judæis colligam regna, et congregabo gentes in sinum Abrahæ, ut sint filii Abrahæ, quoniam, ut hoc fieret, passus sum primo a Judæis, deinde a gentibus. De passione, quam intulerunt Judæi, superius dixi : *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me*, etc. Quia illis tanquam vitulis et tauris debebatur jugum legis. De passione autem, quam gentes intulerunt, nunc dico :

VERS. 17. *Circumdederunt me canes multi*, etc. Nam et in Evangelio, ubi dixi : « Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus (*Marc.* VII, 27), » per canes notavi paganos, idolorum cultores. Et primo quidem *circumdederunt me vituli* et *tauri*, minores videlicet ac majores Judæi, quando in domo Annæ atque Caiphæ pontificum colaphis, et alapis, et sputis, atque blasphemiis tota nocte illuserunt mihi : mane autem vinctum tradiderunt me Pilato, et gentibus flagellandum, et illudendum, et conspuendum, et crucifigendum. Unde nunc dico *circumdederunt me canes multi*, agitantes et lacerantes me quasi cervam nondum matutinam, sed adhuc vespertinam cursu temporalitatis fatigatam. Sicut enim fatigatus aliquando ex itinere sedi super fontem, ut me illic mulier Samaritana et gentilis inveniret, ac de me fonte vivo aquas in vitam æternam salientes hauriret (*Joan.* IV, 6) : sic ego cerva canibus istis me agitantibus fatigata sedi, id est humiliavi me usque ad mortem, mortem autem crucis, totius mundanæ sapientiæ atque carnalis concupiscentiæ puteum sessione mea promens,

Digitized by Google

ut me de gentibus Ecclesia collecta inveniret fontem aquarum viventium, quæ de latere meo una cum sanguine fluxerunt, et omnis, qui biberit de aquis istis, non sitiet ultra, quoniam « fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* IV, 14). » Non ergo sitiet ultra, quia nihil est ultra sitiendo et bibendo aquam salientem in vitam æternam. Quid ultra vitam æternam sitire quis potest? Verumtamen sacramento hujus aquæ regeneratus, et aqua sapientiæ salutaris potatus vehementer sitiet ipsam vitam æternam, quoadusque perveniat ad ipsam vitam, quam cum semel acceperit, non sitiet ultra, quia ut dixi, nihil est ultra. Igitur quia multi cervi de veneno antiqui serpentis læsi sentientes in semetipsis incendium grassantis veneni per concupiscentiam peccandi, et hoc incendium non poterant exstinguere bibendo aquas mundanæ sapientiæ seu explendo desideria carnalis concupiscentiæ, (quia qui biberit de hujusmodi aquis iterum sitiet, quando peccandi libido per mundanam sapientiam vel expletionem carnalium desideriorum falso medicata, et ad tempus mitigata, iterum vehementius exardesceat), recto et sano consilio pietatis ego cerva vespertina inter venatores Judæos et canes gentiles fatigata in meipso demonstravi aperto latere meo aquas omnibus cervis appetendas, quas qui biberit, non solum participando sacramentum baptismi, sed etiam servando in se virtutem ejusdem sacramenti, totus in anima et corpore medicabitur, et cerva matutina efficietur. Nam et in hac præsenti vita tanquam cervus rejuvenescet perempto serpente, pilis vitiorum depositis, et superbiæ cornibus eradicatis, et in futuro conformabitur mihi cervæ matutinæ, particeps effectus resurrectionis meæ, quando reformabitur « corpus » humanæ « humilitatis configuratum corpori claritatis meæ (*Philip.* III, 21). »

Sed quia peccata multorum porto, propter quæ tollenda nunc mortalitati subjaceo tanquam cerva lassata, cui per spinas multas via est clausa, propter quod significandum spinea corona capiti meo fuit imposita : nunc ecce in lassitudine mea *circumdederunt me canes multi* agitantes me hinc inde, quoniam a Pilato ad Herodem missus, et rursus ab Herode ad Pilatum sum remissus, nunc in prætorio, nunc extra prætorium latratibus eorum et morsibus fatigatus (*Luc.* XXIII, 7). Et quidem « sprevit » me tunc « Herodes cum exercitu suo » imo cum « canibus » suis (*ibid.*, 11). Attamen in necem meam consensit Pilato et canibus ejus, quoniam « amici facti sunt » in pacto mortis contra me, cum « antea » fuissent « inimici ad invicem (*ibid.*, 12). » Propterea simpliciter non dico : *Circumdederunt me canes* sed dico : *circumdederunt me canes multi*. Canes videlicet Herodis cum *canibus* Pilati, et quia tunc amici facti convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus me Christum ejus, dico :

Consilium malignantium obsedit me. Non solum quando collegerunt pontifices et Pharisæi concilium contra me, sed et nunc, quando astiterunt reges terræ, scilicet Herodes, et Pilatus, et principes Judæorum convenerunt in unum ad interficiendum me. In isto *concilio malignantium* publice flagellatus crudelissime, tandem traditus sum ad mortem crucifigendus a quatuor militibus, qui accepta potestate, ut sibi videbatur, a Pilato; sed quia nec ipse Pilatus potestatem habuisset adversum me ullam, nisi desuper datum fuisset a Deo Patre, illis potestate permissa.

Foderunt manus meas, et pedes meos quatuor clavis affigentes me cruci. Hoc foris exhibentes in opere, quod in eorum pessima intentione fuit, quia per *manuum* fossionem ostenderunt, quod operibus meis nullam fidem seu reverentiam habuerunt : per pedum fossionem, quod apostolos meos laceraverunt, quibus meis pedibus calceatis in præparationem Evangelii pacis, meque in toto mundo portaturis clavos tribulationum nimis acutos infixerunt iidem ipsi Judæi, qui me crucifigendum gentibus tradiderunt.

Magis proprie alio verbo uti poteram; verbi gratia, dicendo : Vulneraverunt, seu confixerunt *manus meas et pedes meos*. Verum quia in ista confixione manuum ac pedum meorum Pater meus agricola operabatur, bene dico : *foderunt manus meas, et pedes meos :* quia « ego sum vitis, et Pater meus agricola est, » qui sic « omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet » sicut nunc tulit Judam proditorem, et eum, « qui fert fructum, purgabit, ut fructum plus afferat (*Joan.* XV, 1, 2). » Ideoque me fructuosorum palmitum radicem ipse Pater meus agricola per manus carnificum istorum fodit sive suffodit, et multa stercora submisit, quia iniquitates omnium meorum in me posuit, et ego solus portavi peccata multorum. Propterea isti carnifices, licet nescientes, ministri fuerunt Patris mei agricolæ, cujus bonæ intentioni maligna intentione isti ministraverunt, quando *foderunt manus meas et pedes meos. Foderunt* enim corpus meum quasi hortum feracem fructuum plurimorum, et ego quasi granum frumenti cadens in terram diligenter fossam, imo ego idem ipse granum et terra fructum attuli et affero in patientia. « Ego quasi vitis » bene culta « fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris, et honestatis (*Eccl.* XXIV, 23). » Fructificavi suavitatem pœnitenti et confitenti latroni, cui dixi : « Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso (*Luc.* XXIII, 43); » et Petro, quem respexi, ut amare fleret, fletuumque amaritudine ad suavitatem æternam pertingeret. Flores quoque mei fructus honoris et honestatis erant in matre virgine ac discipulo virgine astantibus cruci meæ, cum dicerem ipsi matri meæ : « Mulier ecce filius tuus (*Joan.* XIX, 26) : » ad discipulum autem : « Ecce mater tua (*ibid.*, 27). »

Revera istæ duæ personæ assistentes mihi patienti, et fossas *manus* ac *pedes* habenti flores honoris et fructus honestatis fuerunt, qui de hac fos-

Digitized by Google

sura tanquam de optimæ terræ cultura quasi primitiæ quædam laudabiles exstiterunt. Subsecuta est autem et subsequetur usque in finem sæculi permaxima seges talium fratrum meorum, de quorum unoquoque dicere possum matri meæ : *Mulier, ecce filius tuus*, quia omnis homo filius est ejus, qui frater meus est. Et tali fratri meo convenienter ostendens matrem meam in dolore passionis meæ parturientem et tristitiam habentem, dico illi : *Ecce mater tua.* Non enim sola tunc mater mea, sed etiam omnium discipulorum primitiva Ecclesia mihi patienti compatiendo quasi mulier, cum parit, tristitiam habuit, quando manuum ac pedum meorum fossiones usque ad corda eorum pervenerunt, et ipsius virginis matris animam pertransivit gladius acutissimi doloris. Ideo hæc prænuntiando eis ita dixeram : « *Mulier, cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus* (*Joan.* xvi, 21). » Hora hæc tristitiæ fuit matri et apostolis in mea passione, quando carnifices, qui visibiliter *foderunt manus meas et pedes meos*, invisibilis doloris causas manifestas in vulneribus meis fecerunt, per quas animam matris et animas discipulorum *foderunt.*

Magis autem Pater meus agricola terram carnis meæ per tales fossiones excoluit bene utendo malis fossoribus, quorum « unus lancea latus » meum fodiendo « aperuit, » de quo « exivit sanguis et aqua (*Joan.* xix, 34). » Sanguis in redemptionem vineæ per peccatum venundatæ ; aqua in irrigationem ejusdem eatenus aridæ. Unde mihi dicit propheta Zacharias : « Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua (*Zachar.* ix, 11). » Propter hanc aquam vinctis meis necessariam de me petra educendam per duo ligna crucis, quasi bis fui percussus populis iniquis clamorem talem non jam murmurantibus, sed altisono clamore ingeminantibus : « Tolle, tolle, crucifige, crucifige eum (*Joan.* xix, 15). » De hac bina percussione in figura præcessit, quod Moyses, in persona Scribarum et Pharisæorum bis percussit petram, et fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt. Unde ait quidam, tam composite quam vere, in suis carminibus :

Bis silicem virga dux percutit atque propheta :
Ictio bina ducis, sunt duo ligna crucis.
Fons est de petra populo datus absque metreta,
Larga salus homini corpore de Domini.

Potest etiam per Moysen Deus Pater intelligi, qui proprio suo Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum sic percutiendum et fodiendum, ut ipse, qui prius erat velut sicca petra notus in Judæa non revelata cognitione, sed in figurarum nimis obscuro ænigmate, latius emitteret de se fluminis impetum ad lætificandam civitatem de duobus parietibus, Judæorum scilicet et gentium in toto mundo ædificatam et dilatatam. Nam ante apertionem lateris Christus erat fons clausus, et signatus multarum figurarum signaculis (*Cant.* iv, 22). Vel certe ipsius fuit liber ille septem signaculis clausus, quem nullus hominum vel angelorum dignus fuit aperire (*Apoc.* v, 1), donec ipse agnus, ipse fons ipse liber aperuit semetipsum prius aperto in cruce lancea militis latere suo dextro, de quo sicut visibiliter exivit elementum aquæ juncto sibi sanguine, sic extunc non cessavit exire de ipso invisibilis aqua sapientiæ, qua soli fideles potantur, qui sanguine ipsius purpurantur, complantati videlicet similitudini mortis ejus. Qui enim sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Atque his talibus aqua sapientiæ salutaris, cujus figura et signum est aqua baptismalis, dulciter sapit eosque reficit. Hæc de petra, quæ Christus est, fluere non cessat, quia tam de ipso quam de Patre procedit Spiritus sanctus per aquam lateris Christi significatus, qui inde dividitur in septem rivos, videlicet timoris, pietatis, scientiæ, fortitudinis, consilii, intellectus ac sapientiæ. Unde non sine divina providentia factum est, ut hæc terra foderetur clavis et lancea, de qua tam larga salus erat emanatura, ut adimpleretur Scriptura, quæ dicit : « In die illa erit fons patens domui David in ablutionem peccatoris et menstruatæ (*Zachar.* xiii, 1). »

Primam fluminis hujus emanationem sensit latro, cui dictum est : « Hodie mecum eris in paradiso (*Luc.* xxiii, 43). » Senserunt quoque illi fluminis hujus impetum, quos in inferno vinctos habuit lacus, in quo non erat aqua. Quam cito enim de latere Christi exivit aqua Spiritum sanctum significans, tam cito ipse Spiritus sanctus in remissionem peccatorum effusus est in electos in inferno detentos, « factumque est vespere, et mane dies unus (*Gen.* i, 5). » Nam visibilis effusio aquæ fuit quasi *vespere*, invisibilis effusio Spiritus sancti, fuit quasi *mane : factumque est vespere, et mane dies unus*, quia uno eodemque momento et visibilis aquæ facta est effusio temporalis, et invisibilis effusio sancti Spiritus æternaliter procedentis a Christi latere dextro, id est ab ipsius deitate, quæ illi est eadem cum Patre. Antea quidem Spiritus iste processerat non solum ut mundus conderetur, quando idem « Spiritus ferebatur super aquas, (*ibid.* 2), » verum etiam ut mundus illuminaretur per sanctas prophetias, et alias divisivas gratias, quando ipse Spiritus ferebatur super mentes humanas more aquarum fluidas. Nunc vero primum cum sacramento aquarum de latere Christi fluentium datus est in remissionem peccatorum, et datur quotidie, cum aqua eadem lavat corpora per baptismum, lavante pariter hoc ipso Spiritu baptizatorum animas a sordibus peccatorum.

Lucas evangelista hujus rei sacramentum animadvertit, ubi Christo crucifixo, et aqua de latere ipsius effusa, et tota passione consummata, jam facta sepultura, quando nullus dubitat vesperam fuisse diei Parasceve, ita dicit : « Et erat dies Parasceve, et Sabbatum illucescebat (*Luc.* xxiii, 54). » Quid est quod in ipsa Parasceve hora vespertina dicit, quia Sabbatum illucescebat, cum in illa re-

Digitized by Google

spera secundum consuetam diei noctisque vicissitudinem non dies illucescere, sed nox inciperet tenebrescere? Nimirum sanctus Evangelista taliter loquendo insinuat, quod sanctis animabus in inferno exspectatione longa fatigatis Christi passione consummata, et aqua in remissionem peccatorum de latere ipsius fusa, *Sabbatum*, id est *requies* illucescebat, quia baptizatis illis per aquam et spiritum, descendente anima Christi ad illos in vespera diei Parasceve, ipsa vespera lucescebat eis in Sabbatum, id est in requiem, requiescente pariter cum eis anima latronis, quæ una cum eis extunc fuit in paradiso, sicut ei promissum est dicente Christo : « Hodie mecum eris in paradiso (*Luc.* XXIII, 43). » Ergo sicut dictum est, factum est vespere et mane dies unus, dies unus Sabbati, « et erat » sicut Joannes ait (*Joan.* XIX, 31), « dies ille magnus dies Sabbati, » quia in illo cœperunt requiescere ab Abel usque ad latronem confitentem quicunque obierunt in Christi exspectatione ac fide, eatenus quisque talium sitibundus et fatigatus cantaverat : « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam, et apparebo ante faciem Dei? » (*Psal.* XLI, 2, 3.) Sed aperto latere Christi per aquam exinde fluentem in virtute sancti Spiritus ita sunt refocillati omnes electi, ut non solum essent in requie paradisi, sed ipsi quoque paradisus essent, de quo dici conveniat : « Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem, quem formaverat (*Gen.* II, 8). » Plantatis quippe a principio multis electis, quos Deus « de humo » terræ « produxit » tanquam « omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave (*ibid.* 9), » nunc tandem in sexta ætate, in sexta die ante Sabbatum posuit inter eos hominem speciosum forma præ filiis hominum, ut operaretur, sicut Pater ejus Deus usque modo operatur, et custodiret hujusmodi paradisum, cujus illum non decebat esse incolam, sed Dominum, vel potius iste talis paradisus, talis hortus deliciarum positus est in homine isto secundo Adam, quia ipsius humanitas est illa terra de qua Deus produxit, et usque in finem sæculi producere non cessat omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave, dum in ejus charitate radicati et fundati omnes electi fiunt ligna fructifera plena illis fructibus, quos enumerans Apostolus ait : « Fructus autem spiritus sunt, charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, modestia, continentia, castitas (*Gal.* V, 22). » Numquam vero istos fructus terra nostra in opere primi Adam spinis et tribulis addicta et maledicta germinaret, si non eam irrigarent aquæ fluentes de Christi latere dextro.

Gratias igitur agamus Deo providenti nostræ saluti per apertionem lateris Christi. Nam sicut in paradiso terreno fons egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandam superficiem terræ, sic de latere dextro fons aquarum viventium in virtute sancti Spiritus irrigat universam Ecclesiam. Propterea, licet ignorantes et malignantes, ministerium salutis operati sunt, qui clavis et lancea corpus Christi humanum *foderunt*, quoadusque inde spiritualia et divina salutis humanæ sacramenta profluxerunt, sanguis in redemptionem, et aqua in emundationem. Nihil enim nobis redimi profuisset, nisi emundari profuisset; quia vasa redempta, si permansissent in immunditia, et sordibus plena, non essent æternæ beatitudinis capacia. Ideo ex divina dispensatione sicut quondam servi patriarchæ Isaac *foderunt* in torrente, nec cessaverunt fodere, donec repererunt aquam vivam (*Gen.* XXVI, 32) : » sic isti, licet mali servi, tamen divinæ bonitati servientes, in torrente, quem pertransivit anima Christi usque ad mortem tristis, tandiu *foderunt manus, pedes* ac latus, quoadusque in ipso Passionis torrente, inventa est aqua viva vivificatrix, nostræque salutis operatrix operante in ea et cum ea Spiritu sancto, qui et in principio mundi ferebatur super aquas, et nunc datur per aquas una cum sanguine redemptionis pretio effusas, ut, sicut dictum est, per sanguinem redempti, per aquas mundati, simus capaces beatitudinis æternæ.

Quod ergo dicit Christus : *Foderunt manus meas et pedes meos*, ita est intelligendum ut militum fodientium vel servorum patris Isaac in torrente fodientium totum opus animadvertamus, quoadusque sanguini de corpore ipsius currenti per intellectum et fidei memoriam jungamus aquam vivam de lateris ejus fossura cum sanguine manantem, nostræque salutis effectus operantem non solum in aquis baptismi, quibus Ecclesia regeneratur et mundatur, sed etiam in aquis lacrymarum, quibus pœnitentium, si sicca fuerit confessio, bene rigata erit amplius fructuosa. Et quidem latronis confessio in cruce non legitur lacrymas habuisse, sed eam rigaverunt aquæ de latere Christi fusæ, quibus idem latro cum tota præcedentium electorum Ecclesia creditur fuisse baptizatus : nec post hujusmodi baptismum fuit ultra coinquinatus, utpote confestim in ipso baptismi sui tempore mortuus, quia cruribus ejus fractis vivere non potuit, et statim latere Christi aperto, sicut diximus, baptizatus cum ipso Christo in paradiso fuit. Petrus autem, cui post idem baptisma diu vivere donatum est, ad uberiorem fructum pœnitentiæ profuit, quod « recordatus verbi Jesu amare flevit (*Matth.* XXXVI, 35). » Similiter catechumeni cum emundationis fide vel per se accedentes, vel per alios portati ad baptismum, si, accepto baptismo, ante criminales coinquinationes moriuntur, etiam sine lacrymis aquæ baptismales ad salutem obtinendam sufficiunt. Verum illis, quibus accepto baptismo diu est in hoc mundo vivendum, cum Petro flendum est amare, vel certe, si cum Lazaro ita fuerint in peccato sepulti, ut eis nulla sit facilitas flendi, aliorum pro illis flentium, pro illis cum Martha et Maria gementium et intercedeu-

Digitized by Google

tium necessaria est illis devotio, quæ maxime viget in sexu femineo, vel cum Martha piis actionibus, vel cum Maria contemplationi dedito sub Christi magisterio. Sub tali scilicet magistro, in quo Christus loquatur, sicut locutus est in Paulo apostolo, qui dicit : « An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus (*II Cor.* XIII, 3). » Non quod huic magno gentium doctori et Apostolo reliqui Ecclesiarum magistri sint coæquandi, sed in hoc ei omnes debent assimilari, ut cum ipso Paulo quærant, « non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi (*Philip.* II, 20). »

Amplius autem totius universalis Ecclesiæ universales lacrymæ inter pias actiones et contemplationes fusæ permanentibus in catholicæ veritatis confessione, et ecclesiasticæ pacis communione prosunt ad vivificationem et resuscitationem de morte peccatorum, si cum Lazaro audiunt vocationem Christi dicentis ad peccatorem intra sepulcrum conscientiæ latentem : « Veni foras (*Joan.* XI, 43), » id est : confitere quod intus habes. Sicsic homini pœnitenti corde ad justitiam, et ore confitenti ad salutem prosunt universalis Ecclesiæ universales lacrymæ, quæ sunt aquæ vivæ per illas aquas vivificatæ, quæ semel fluxerunt visibiliter, sed invisibili meatu fluunt jugiter de templo corporis Christi a latere dextro, quod est ipsius Christi vita æterna, sicut latus ejus fuit sinistrum vita mortalis, quæ tamen jam transivit in dexteram, quia totus Christus jam sedet ad dexteram Dei Patris, totus dexter, totus vita et fons vitæ, de quo per totius Ecclesiæ paradisum quasi de loco voluptatis egrediens « fluminis impetus lætificat civitatem Dei (*Psal.* XLV, 5), » quia de torrente voluptatis ejus potantur.

Locus voluptatis congrue intelligitur, ut prædictum est, vita Christi æterna, cœlestis et immortalis. Torrens voluptatis intelligitur Spiritus sanctus. Ergo de loco voluptatis egreditur torrens voluptatis ad irrigandum paradisum voluptatis, id est universam Ecclesiam, vel quamlibet congregationem fidelium religiosam, vel etiam unam animam in paradiso voluptatis, et horto deliciarum sic assimilatam, ut ei recte dicatur in Canticis canticorum : « Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, et innitens super dilectum suum? » (*Cant.* VIII, 5.) Tali animæ vel cœtui talium dicitur in Isaia : « Et eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum, cui non deficient aquæ (*Isa.* LVIII, 11), » quia « os Domini locutum est (*ibid.*, 14). » Item in Canticis : « Hortus conclusus soror mea, sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuæ, paradisus (*Cant.* IV, 12, 13). » Item in Ezechiele post commendationem ligni semper virentis, et per singulos menses fructus afferentis, dum causa redditur hujus indefectivæ fructificationis, adjungitur, « quia aquæ ejus egrediuntur de sanctuario (*Ezech.* XLVII, 12). » Hæ sunt aquæ, quæ ibidem leguntur egredientes de templo a latere dextro irrigantes torrentem spinarum, et intrantes mare Mortuum ad vivificationem piscium marinorum (*ibid.*, 2), quia Spiritus sancti effusio, procedens a throno de Christi latere dextro, irrigando terram spinis ac tribulis plenam, facit de spinis paradisiacos flores, et in hoc mundo velut in mari Mortuo vivificat amaros, et morti destinatos homines velut pisces marinos. In littoribus tamen et in palustribus non vivificantur, quia homines indurati et obstinati in immunditiis, licet eadem sancti Spiritus inundatione tangantur, dum credunt et contremiscunt per donum divini timoris, tamen non sanantur aut vivificantur per donum amoris divini, quomodo nec dæmones, qui etiam credunt et contremiscunt, sed non diligunt futurum judicium, quod mallent non esse futurum, quia nullam habent fiduciam per illud. Joannes autem dilector, et dilectus Domini de se suique similibus ait : « In hoc charitatis Dei in nobis perfecta est, si fiduciam habemus in diem judicii (*I Joan.* IV, 17). » Per hanc fiduciam spe gaudentes in ipso suo gaudio sentiunt impetum fluminis lætificantis civitatem Dei illi, ad quos pervenit aqua ista salutifera, quæ fodientibus militibus de latere Christi exivit.

Non enim solummodo mali milites mala intentione *foderunt manus et pedes* atque latus Christi, sed et boni milites bona intentione *foderunt*, et adhuc fodiunt manus Christi, cum diligenti perquisitione investigant opera manuum ejus. Fodiunt et pedes ipsius vestigiis inhærere studentes. Fodiunt etiam latus ejus dextrum cupientes elicere inde non solum sanguinem, quo genæ totius Ecclesiæ ornentur ; sed etiam aquam necessariam ad irrigandum paradisum de omni ligno pulchro consitum crescente numero electorum. Unde ait egregius miles Petrus apostolus : « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus (*I Petr.* II, 21). » Proinde nobis extremis militibus, et qualibuscunque servis veri Patris Isaac fodientibus in hoc Dominicæ Passionis torrente non pigrum fuit, sed visum est necessarium, ut in hac præsenti expositione pedes, manus et latus Christi non cessaremus fodere, quoadusque inveniremus venam salutaris aquæ currentis de Christi latere dextro.

Nam de pedibus quidem ac manibus Christi exivit sanguis redemptionis, quia per temporalia ejus itinera et facta, quibus Verbi æterna immobilitas est mota, quando ipse bonus Samaritanus iter faciens et appropians vulnerato motus est misericordia divinitus-humana, et humanitus-divina; per hæc, inquam, itinera et facta natura humana est redempta. Sed in lateris ejus rivo sanguineo pariter et flumineo cognoscimus, quia « hic est, qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus. Non in aqua solum, vel in sanguine solum, sed in aqua pariter, et sanguine (*I Joan.* V, 6) » redemptionem pariter et mundationem suorum perficiendo. Eramus enim venundati sub peccato, et ideo necessarium fuit redemptionis pretium, quod est pretiosus

Digitized by Google

Christi sanguis. Eramus etiam coinquinati in peccato, et ideo necessaria fuit lavatio, non solum per aquam visibilem, quomodo et Joannes in aqua baptizans tantum potuit lavare, sed per aquam pariter visibilem et invisibilem, quomodo solus Christus baptizat per quemlibet ministrum adhibendo aquam visibilem, per seipsum vero et non per alium adhibendo aquam invisibilem, id est Spiritum sanctum, cujus adesse præsentiam testatur aquæ visibilis elementum, quando eidem elemento accedit verbum et fit sacramentum. Testatur quoque ipsius præsentiam invisibilem visibilis aqua lacrymarum, quando pœnitentis anima vel pungente divino timore descendit ad irriguum inferius plorans pro suis excessibus, vel amore divino compungente, ascendit ad irriguum superius plorans pro æternorum bonorum longis dilationibus.

Nota est historia de Axa, filia Caleb, quæ a patre suo petiit « irriguum superius et inferius (*Jos.* xv). » Quam et nos imitari debemus petendo a Deo Patre fontem lacrymarum, vel de timore supplicii, vel de amore regni profluentium, ut habeamus irriguum superius et inferius. Vel certe *irriguum inferius* est effusio lacrymarum visibiliter erumpentium : *irriguum superius* est invisibilis inundatio sancti Spiritus per canale (54) divini timoris vel amoris affluens humanis pectoribus. Porriguntur vero hæc duo canalia usque ad latus Christi dextrum, ut inde hauriant, quod huc infundant. Cum enim Christus jam sedeat ad dexteram Dei Patris, inde venturus judicare vivos et mortuos, ibi est causa timoris pariter et amoris, quia venturus judex vel timetur accusante nos conscientia, vel amatur excusante nos bona conscientia.

Ipsa enim conscientia duobus modis accusat, et duobus modis excusat. Accusat videlicet, cum sibi conscia est mens, quod velit adhuc in futuro peccare, vel peccatum jam factum impunitum remanere, quorum alterum pertinet ad mali volentiam, alterum ad impœnitentiam. Duobus quoque modis eadem conscientia rationabiliter excusat mentem, cum sibi conscia est mens ipsa, quod de præterito peccato doleat, et de futuro libenter caveat. Talis dolor cum voluntate ulterius caute vivendi est vera pœnitentia, quam sic definiunt sancti : Pœnitentia vera est admissa deflere, ac flenda non admittere. Ubi talis est pœnitentia, ibi non remanebunt peccata impunita, quia ipsa pœnitentia dicta est a pœnis, vel a puniendo, quasi *punitentia*, propterea quod igne doloris punit et exurit peccator ligna, fenum, stipulam, id est acta, cogitata, dicta, vitia. Totus enim ordo judiciarius agitur in corde pœnitentis, ubi conscientia inculpat, ratio judicat, timor ligat, dolor excruciat, suisque punctionibus et vulnerationibus quasi quemdam sanguinem interioris hominis periculo emittit lacrymas, absque dubio aquis illis permistas et sanctificatas, quæ fluunt a latere Christi dextro, quia inde, « ubi Christus est, in dextra Dei sedens (*Coloss.* III, 1), » usque ad infima ipsius membra procedit sancti Spiritus gratia, sive in fonte baptismi operando remissionem peccatorum, sive in fonte lacrymarum perficiendo inferius et superius irriguum.

Fodimus ergo pro hujusmodi fonte inveniendo manus, pedes et præcipue latus Christi dextrum, verbi gratia, cum dicimus ad ipsum : Per nativitatem tuam libera nos, Domine. Per baptismum, et jejunium tuum; per crucem et passionem tuam libera nos, Domine, et alia in hunc modum, quibus fit commemoratio temporalium ejus dispensationum. Amplius autem transcensis omnibus temporalibus, manuum ejus operibus, ac pedum vestigiis usque ad ipsum latus dextrum, lanceam nostræ orationis vel obsecrationis mittimus, cum in æternitatis ejus beato amore flagrantes dicimus corde vel ore : Christe, Fili Dei vivi, miserere nobis; qui sedes ad dexteram Dei Patris omnipotentis, miserere nobis. Item :

Splendor paternæ gloriæ
De luce lucem proferens,
Lux lucis, et fons luminis
Dies dierum illuminans,
Verusque sol illabere,
Micans nitore perpeti :
Jubarque sancti Spiritus
Infunde nostris sensibus.

In his atque aliis talibus invocationibus, in quibus non temporalem Christi dispensationem, sed æternam et supercœlestem ipsius almitatem commemoramus : nimirum latus ejus dextrum tangimus, unde ad nos fluit inundatio Spiritus sancti vel per canale timoris ad perficiendum irriguum inferius, vel per canale amoris ad perficiendum irriguum superius. Pretiosius autem dicimus esse arvum superius et inferius irriguum, quam arentem et incultilem sive sterilem, qualis est terra Synagogæ, quæ non recepit aquam egredientem de templo a latere dextro, imo nec ipsam aquam vidit, quia velamine vultus Moysi præpedita nescit videre, sed invidere. Sancta vero Ecclesia catholica et in ea quælibet fidelis persona cum jubilatione cantat : « Vidi aquam egredientem de templo a latere dextro, et omnes ad quos pervenit aqua ista, salvi facti sunt. » Salvationis hujus efficaciam non intenderunt, qui Christi manus, et pedes, ac latus in cruce foderunt. Sed Maria Magdalena non errando erravit, quando Christum in horto videns hortulanum esse illum existimavit (*Joan.* xx, 15). Nisi enim prudens hortulanus fuisset, fossores istos non admisisset ad fodiendam terram sui corporis, quos ideo in se permisit fodere, quia novit ipse hortulanus, quantus de illa fossione proventurus esset fructus, qualisque fons de latere ipsius fosso esset processurus. Igitur non solum narrando suam passionem, sed et si-

(54) Ita Cod.

Digitized by Google

gnificando ipsius passionis fructum plurimum, ipse Christus psallentibus fidelibus in persona ipsius congrue dicit : *Foderunt manus meas et pedes meos.*

VERS. 18. *Dinumeraverunt omnia ossa mea.* Quoniam in crucis patibulo me distractum sic distenderunt, quomodo voluerunt, ut *ossa mea*, et costas meas curioso visu perlustrarent. Atque ut oculos suos malignos de pœnis meis multum satiarent, non suffecit eis me pendentem ac distentum in cruce semel aspexisse, sed *consideraverunt, et conspexerunt me* [Vulgata : *et inspexerunt me*] diuturno aspectu. Et ego quidem orabam pro eis. *Ipsi* vero de vanitate in idipsum, *ipsi* in ipsa vanitate non mutati, sed *ipsi consideraverunt* oculis crudelibus crudelitate flagellationum et vulnerum carnis meæ satiari non valentibus, *consideraverunt et conspexerunt*, id est cum desiderio et diligentia viderunt me verum Samsonem illudendo mihi, nescientes quod ego ab eis in loco Calvariæ decalvatus, id est non sanctus cum sanctis; sed quasi latro cum iniquis reputatus, cum essem Nazarenus coma sanctificata conspicuus, plures inimicorum meorum moriendo quam vivendo superarem. At illi sicut fatui pueri me verum Eliseum deriserunt quasi calvum in loco Calvariæ (*IV Reg.* II, 23). Verum titulus capiti meo comato superpositus contestatur quod ego sum Nazarenus cæsarie ita venustus, ut recte mihi dicat sponsa mea in Canticis canticorum : « Caput ejus aurum optimum, et comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus (*Cant.* V, 11). » Ipsi vero tanquam infidelis Dalila suo arbitratu me decalvantes, et non cum sanctis Nazaræis, sed cum iniquis latronibus me reputantes, *consideraverunt et conspexerunt* solas contumelias meas exteriores, et quasi fatui pueri mihi vero Elisæo clamaverunt : « Ascende, calve, ascende, calve (*IV Reg.* II, 23). » Propterea duobus ursis traditi sunt lacerandi, videlicet Romanis principibus Tito et Vespasiano. Neque hoc sufficit ad vindictam quod traditi sunt in manus gladii Romani, sed insuper « partes vulpium, » id est dæmonum præda *erunt* (*Psal.* LXI, 11), » et cum illis in inferno permanebunt. Et ego verus Samson recrescente coma capitis mei per gloriam resurrectionis ultionem tantam capiam ex eis, ut omnes, qui me quasi cæcatum et decalvatum irridentes, *consideraverunt et conspexerunt*, quique mihi cum subsannatione flectentes genu dixerunt : « Ave, Rex Judæorum (*Matth.* XXVII, 29), » sentiant me fortissimum, qui possum pro velle meo movere non solum terram, sed et cœlum. In magna enim domo totius mundanæ fabricæ quasi duæ insignes columnæ sunt cœlum et terra, quas ego Samson fortissimus movebo, sicut ecce me moriente apparet in terræmotu magno, et in sole obscurato. Movebo etiam posthac terrenum imperium Romanum in ultionem injuriarum mearum, et in judicio extremo apparente me in majestate mea, cum videritis me « Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate (*Luc.* XXI, 27), » tunc movebo non solum terram, sed etiam cœlum; nam « virtutes cœlorum movebuntur (*ibid.*, 28). » Corruente igitur tunc mundi machina, concussis ejus columnis cœlo et terra, ego Samson fortissimus ad plenum de inimicis meis triumphabo, licet occisus in mundo. Ipsi vero ignorantes, imo scire nolentes me esse Samsonem annuntiatione angelica conceptum, et Nazaræum ab utero consecratum, quasi decalvatum et omni sanctitatis præsidio nudatum *consideraverunt et conspexerunt me*, dinumeratis jam ossibus meis.

Cum enim prius miracula faciens multos discipulos et innumerabiles auditores ego magister verax habuissem, nunc me puniendo quasi mendacem, quasi blasphemum et falsum testem *dinumeraverunt*, id est ad parvissimum numerum auditores meos redegerunt, qui mihi etiam de duodecim electis discipulis unum detraxerunt, et reliquos disperserunt, ut Scriptura impleatur, dicens : « Percute pastorem, et dispergentur oves gregis (*Matth.* XXVI, 31). » Postquam autem surrexero, iterum ossa mea dispersa congregabo, et immiuuta multiplicabo et magnificabo. *Ipsi vero* illud non credentes, *consideraverunt et conspexerunt me* quasi ossibus imminutum et debilitatum. Ego tamen habeo fortissima ossa, de quibus nullum imminuetur; sicut de agno paschali scriptum est : *os non comminuetis ex eo* (*Joan.* XIX, 36), et de costa mea per aquam et sanguinem meum ex latere meo fluentem fabricatur mihi virago Ecclesia de me viro viraginis, de me Christo christianitatis nomen sortita, mihi in tantum assimilata, ut possim ei veraciter dicere : « Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea : hæc vocabitur virago, quia de viro suo sumpta est (*Gen.* II, 23). »

Ipsi vero consideraverunt et conspexerunt me quasi hominem infirmum suis, et suorum ossibus destitutum. Neque enim ultra infirmæ carnis velamentum videre potuerunt, qui me Deum omnipotentem non credentes velamen vultus Moysi super cor habuerunt. Solam igitur nuditatem meam *conspexerunt*, et malitiose *consideraverunt* isti filii maledicti, semen Chanaan et non Juda, per omnia imitantes patrem suum Cham, qui patris Noe dormientis verenda nuda consideravit et deridendo conspexit, cum pater inebriatus in vinea sua dormiret (*Gen.* IX, 32). Et quidem filii boni hanc nuditatem in me rectore arcæ, id est Ecclesiæ venerantes sacramentorum pallis honestaverunt, et contexerunt : ipsi vero filii mali eamdem nuditatem meam sine reverentia cum irrisione *consideraverunt et conspexerunt* : parumque fuit illis nuditatem meam despexisse, et malitiose inspexisse, insuper ad cumulum suæ damnationis

VERS. 19. *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.* Sicut enim quatuor milites, imo carnifices viles « diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem (*Matth.* XXVII. 35), » sic et multo nequius eorum sequaces diviserunt sibi Scripturas, vel sacramenta, quibus ego vestior. Nam ego Dei Patris Verbum

Digitized by Google

Scripturis et sacramentorum figuris vestior, quæ ab hæreticis dividuntur : verbi gratia cum impii Manichæi solum Novum Testamentum recipiunt, et Vetus rejiciunt : Judæi vero econtra Vetus recipiunt in littera, sed Novum non recipiunt in spiritu : et alii complures hæretici vestimenta mea sibi dividunt, dum suos errores contrarios quasi de Scripturarum auctoritate conantur defendere. Sed tamen tunicam meam desuper contextam per totum, sanctam Ecclesiam dividere vel scindere non possunt. Et licet charitatem fictam quasi vestem de filis aranearum consutam valeant rescindere odiorum scissuris, tamen charitatem non fictam, quæ vestis « inconsutilis desuper contexta per totum (*Joan.* XIX, 23), » quia contracta non est ex occasione terrenorum commodorum et infimorum, sed, ut diximus, *desuper contexta per totum* inter eos qui pariter sapiunt, et quærunt ea quæ sursum sunt, non super terram, illam talem charitatem inter charos inconsutilem, nec ullius divisionis ullo modo susceptibilem, non possunt maligni schismatici dividere, quia desursum datur, non humana electione, sed sola divina sorte.

Attamen et illi carnifices ministri Pilati scientes charo pretio vendendas vestes meas, quæ fimbriarum attactu fugare solebant languores, *diviserunt sibi vestimenta mea.* Et hæretici atque schismatici post ipsos imitati eos, *diviserunt sibi vestimenta mea*, non solum Scripturas meas tanquam intra se contrarias dissipando, sed etiam sacramenta mea, quæ ubicunque sunt, eadem sunt, sic diversificando, ut alius diceret : « Ego sum Pauli, » alius : « Ego Apollo, » alius : « Ego vero Cephæ, » alius : « Ego autem » sum « Christi (*I Cor.* I, 12), » tanquam ego in sacramentis meis ita sim varius ac divisus, ut per sanctiorem ministrum magis sanctum, et per minus sanctum vel reprobum ministrum detur minus sanctum vel reprobabile sacramentum : quod nequaquam sic est, quia, dum quilibet ministrat, sit modo minister, quodcunque per illum ritu ecclesiastico celebratur sacramentum, me Christo per illum operante manet firmum, nec aliquid differt inter sacramentum et sacramentum a diversis ministris celebratum, quamvis multum differat inter ministrum et ministrum. Etiamsi minister catholice ordinatus fiat hæreticus, et maneat hæreticus occultus, verbi gratia Simoniacus, aut Nicolaita, omnino rata sunt per illum data sacramenta. Si autem fuerit manifestatus, post primam et secundam correptionem, maxime « si Ecclesiam non audierit (*Matth.* XVIII, 17), » quæ talibus omnium sacramentorum celebrationem interdicit, non est audiendus, sed *sicut ethnicus et publicanus* habendus, non tamen ideo quod sacramenta per illum celebrata non sint sacramenta; sed quia sunt interdicta judicante sancta Romana Ecclesia talium officia esse vitanda, tanquam speciem quidem pietatis habentia, virtutem vero ejus abnegantia. Si quis tamen a talibus fuerit baptizatus, potest in accepto per illos baptismi sacramento bene salvari, si cum errores eorum agnoverit, eos improbando Ecclesiam catholicam audit, quæ talium officia interdicit. Item si quis fuerit a talibus minister altaris ordinatus nesciens eorum hæreses, ratum est quod per illos accipit, si eos postea cognoscens Ecclesiam in vitandis obedienter audit. Qui vero scienter se a Simoniaco permiserit consecrari, pari cum ipso damnatione involvitur.

Hæc dicimus, non quod sacramenta scindamus, sed quod « jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis, » et non hæreticus « inveniatur (*I Cor.* IV, 2). » Cui vero inter istas inquisitiones bonæ conscientiæ testimonium favet, quique se foris exhibet, ut decet ministros Christi et dispensatores mysteriorum, huic potest esse pro minimo, si ab hominibus judicetur, aut ab humano die, cum neque ipse seipsum judicet, sed judicium de se illi reservet, qui solus habet plenam scientiam, quæ singulos dijudicet (*ibid.*, 3). » Quod ergo sancti Patres hæreticorum, Simoniacorum, et manifeste incontinentium clericorum docent officia vitanda, non est sacramentorum divisio, sed salva integritate sacramentorum lepræ vitatio, et Antichristi abdicatio, qui in hæreticorum sacramentis « speciem pietatis habentibus, virtutem vero ejus abnegantibus jam mysterium operatur iniquitatis (*II Tim.* III, 5; *II Thess.* II, 7), » donec de medio fiat exiens de medio Ecclesiæ per manifestationem nunc occultatæ nequitiæ, quæ nunc latet in secreto, ut revelctur in suo tempore.

Interim dividunt sibi hæretici vestimenta Christi, atque schismatici, et omnes ministri Antichristi. Cum enim sint vestimenta Christi species et virtus pietatis, ipsi hæc vestimenta dividunt habendo speciem pietatis in sacramentis et officiis divinis, virtutem vero abnegant pietatis, quia eadem sacramenta indigni indignis indigne atque interdum Simoniace administrant, quod faciendo eadem sacramenta privant sua virtute, quia male ministrata neque dantibus, neque accipientibus operantur salutem et pietatis virtutem, licet habeant ipsius pietatis quamdam speciem. Si quis tamen participando interdictis hæreticorum sacramentis mente catholicus est, excusante illum ignorantia et pia intentione, non erit particeps illorum culpæ. Verumtamen hoc non audemus contra Evangelicam veritatem affirmare, quod de hujusmodi spinis colligat uvas, aut de tribulis ficus, quia in hæreticorum et schismaticorum, sive omnium excommunicatorum missis interdictis non credimus esse Christi corpus, sed affirmante beato Hieronymo corpus « draconis, » qui datus est « in escam populis Æthiopum. »

Non solum autem perversi milites perversa intentione diviserunt sibi vestimenta Christi. Nam beatus Matthæus (XXVII, 28) « chlamydem » ponit coccineam, quæ charitatem significat, per quam Christus de cœlo ad terram descendit, cujus descensionis quamdam scalam in libro generationis ab Abraham usque ad ipsum Christum vidit Jacob in somnis (*Gen.* XXVIII, 12), et nos eam videmus,

Digitized by Google

quando initium sancti Evangelii secundum Matthæum attendimus. Marcus (xv, 17) ponit « purpuram, » quæ regalem designat potentiam, quam demonstrat leonina facies ipsius, et textus Evangelii ejus totus imperiosus. Lucas (xxiii, 11) ponit « vestem albam » significativam sacerdotalis munditiæ, quam prædicat in facie vituli sacerdotalis victima, et historia Evangelica per eum contexta. « Vestem purpuream » ponit Joannes evangelista (xix, 2). quia sicut apud Marcum leo rex est bestiarum, sic apud Joannem aquila est rex avium. Sic ergo isti boni milites, ait Christus : *Diviserunt sibi vestimenta mea*, ut alius aliud de me testetur vestimentum virtutis contra malos, qui cum impio Cham nuditatem meam in cruce obdormientis deriserunt.

Et inimici quidem *consideraverunt et conspexerunt me* delectati nuditate corporis mei humani, quod eis videbatur omni gloria divinitatis nudatum, sed amici, tam homines quam angeli desiderant in me prospicere delectati pulchritudine vestimentorum meorum sacerdotalium, sive regalium, quibus non jam mortuum, sed vivum, et vivificum corpus meum vestitum et ornatum est. Ego enim sum Rex omnium sæculorum, et Sacerdos magnus, qui ecce meipsum in ara crucis immolatum sacrifico, et ideo regali veste quasi ad tempus deposita per id quod meipsum exinanivi, nunc sacerdotali habitu appareo, imo et forma servi suscepta jam torcular calco solus quasi omnium servorum meorum servus, quorum sanguis aspersus est super vestimenta mea. Propterea rubrum est indumentum meum, et vestimenta mea quasi calcantium in torculari, et omnia indumenta mea coinquinavi, et non est species, neque decor in me; species regalis, neque decor sacerdotalis honoris. Unde ab amicis compatientibus, et ab inimicis irridentibus vere dicitur de me : Ecce vidimus eum non habentem speciem, neque decorem, aspectus ejus in eo non est (*Isa.* liii, 2). Licet enim sim « speciosus forma præ filiis hominum (*Psal.* xliv, 3), » tamen viderunt me « despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem » ferre « infirmitatem (*Isa.* liii, 3); » quia « infirmata est virtus mea » in manibus inimicorum meorum (*Thren.* i, 14), et « ibi abscondita est fortitudo » mea, « ubi ante faciem » meam « ivit mors (*Habac.* iii, 5), » quando mors mortis ego exstiti, et morsus inferni velut alter Jonas deglutitus ab inferno me mordente, atque in ventrem suum trajiciente, opinantibus inimicis meis quod nunquam de ventre ceti sim reversurus.

Vers. 20. *Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum.* Sic oravi de ventre inferi, de ventre ceti. Exaudisti ergo me, Pater, non longando auxilium tuum, non longe differens meam resuscitationem, sicut aliorum, quorum resurrectio differtur in longum, scilicet usque in diem extremum, sed tertia die resuscitabis me. Atque nunc interim

Ad defensionem meam conspice, id est ad defensionem meorum clementiæ tuæ oculos converte, ne, mea morte ac sepultura consternati, per desperationem pereant, illi potissimum, qui velut anima mea debent regere corpus meum, id est Ecclesiam meam, qui etiam velut ossa mea debent sustentare carnes meas, id est carnales et infirmos in corpore meo. Scio enim quod milites iniqui destinandi sunt ad frangendum crura et ossa mea nunc in cruce pendentis, et posthac in publicis persecutionibus ad frangendum electos meos. *Tu autem, Domine, ad defensionem meam conspice*, sicut in lege scriptum est de me agno paschali : « Os non comminuetis ex eo (*Joan.* xix, 36). » Custodi ergo, et defende nunc ossa mea et crura, in quorum confractione nulla esset significatio bona (*Num.* ix, 12) : et posthac defende fortiora membra mea, quæ velut crura totum corpus Ecclesiæ sustentatura erunt, quorum uni dixi : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam (*Matth.* xvi, 18). » In talibus cruribus meis custodi et defende fortitudinem vel soliditatem meam, non solum osseam, sed et lapideam, quia ego sum ille de quo scriptum est : « Crura ejus columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas (*Cant.* v, 15). » Pro his cruribus oro ut non confringantur, etiamsi urgente passionis vel tentationis magnitudine concutiantur, sicut fortissimus ex illis ter negando est quassatus, non tamen ex toto confractus, quia, etsi constantia ejus turbata, non tamen charitas est aversa, qua me etiam interim dilexit, quando negavit. Unde ad defensionem ejus, et similium ejus tendit hæc oratio mea, ut non deficiat fides ejus, sed ipse conversus confirmet fratres suos infirmiores cum reliquis apostolis fungendo in Ecclesia, corpore meo, vice crurum, sive columnarum marmorearum. Ista crura, istas columnas inimici volunt confringere. *Tu autem, Domine, ad defensionem meam conspice*, atque frameam, quam tu ipse contra me suscitasti, amove a me, ut, etsi corpus occidat, animæ nihil noceat. Tu enim dicis in propheta Zacharia : « Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi. Percute pastorem, et dispergentur oves gregis (*Zach.* xiii, 7). » Ipsa quoque framea, id est mors ad obediendum parata sic dicit : *Percutiam pastorem, et dispergentur oves.* Hac framea percussus usque ad separationem corporis et animæ, ne ipsa mortis framea potestatem ullam habeat in anima mea.

Vers. 21. *Erue* tu, *Deus, a framea animam meam*, itaut et ego triumphata morte, anima mea redeunte ad corpus in æternum victurus resurgam, et hoc martyribus meis obtineam, ne grassante hac framea in eorum corpora cujusquam illorum lædatur anima, quibus et dixi : « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere (*Matth.* x, 28). » Sic *erue a framea, Deus, animam meam* et animas meorum, ut ad læsiones animarum non prævaleat mortis framea, sive aliud quodcunque tormentum. Præcipue autem sic *erue a fra-*

Digitized by Google

mea, Deus, animam meam, ut die tertia corpus meum hac framea mortificatum recipiat animam meam. *Animam meam* et animas meorum *erue* ab hac *framea*, quæ suscitata, id est permissa est a te, Deus, ad occidenda corpora.

Et de manu canis unicam meam. Judaicus enim populus contra me latrans *canis* est ratione carens, et sine discretione ganniens; vel etiam Pilatus gentilis, aut Herodes alienigena *canis* est, in cujus manum et potestatem sic datus sum, ut dicere præsumpserit ipse Pilatus : « Nescis quia potestatem habeo dimittere te, et potestatem habeo crucifigere te? » Cui dixi : « Non haberes in me potestatem, nisi desuper tibi datum fuisset (*Joan.* XIX, 10, 11). » Tu ergo, Deus Pater, qui me dedisti in manum talis *canis*, *erue de manu canis unicam meam*, id est ipsam animam meam *unicam*, et singularem, solam totius peccati prorsus immunem.

Aliter : sancti et spirituales viri, per quos regendum est corpus Ecclesiæ, ipsi sunt corpori meo, quod est Ecclesia, quasi anima, quia sine illorum regimine vigere non possunt infirma membra mea, et ad hoc tendit *framea*, imo ipse diabolus movens hanc *frameam* secundum permissionem tuam ad hoc nititur, ut interfectis fortioribus in Ecclesia deficiat Ecclesia spiritualium regimine omnino destituta, et sit quasi mortua non habens vitalia sacramenta, illis deficientibus, in quibus vivit sacramentorum virtus, et per quos vitam salutemque operatur sacramentorum distributor Spiritus sanctus. Ne igitur sæviente per tyrannos hac *framea* penitus deficiat Ecclesia mea : *Erue a framea, Deus, animam meam*, semper tales in Ecclesia servando, per quos vitalia sacramenta ministrentur in Ecclesia, per quorum doctrinam salutarem vivat Ecclesia, quæ est *unica mea*, quia mihi est unita tanquam palmites viti, tanquam corpus capiti; tanquam rivus fonti, fonti vivo et inexhausto, quia ego sum petra per duo ligna crucis bis percussa, de qua bibunt homines et jumenta, fortiores scilicet et infirmiores in Ecclesia, quæ in hac die fabricatur de lateris mei costa, suscipiendo videlicet sanguinis et aquæ de latere meo fluentis mundissima et fortissima sacramenta ; quorum sacramentorum vitalis virtus, ut nunquam deficiat in Ecclesia : *Erue a framea, Deus, animam meam, de manu canis unicam meam.*

Est etiam canis quilibet hæreticus impugnans *unicam meam*, id est Ecclesiam unam, volens scindere illam, ne sit una vel unica. Talis *canis* futurus est Arius funestus, quem ego præcognosco caninis latratibus, et lacerationibus contra me, et meos sæviturum, et habebit manum robustam talis *canis*, et favebit illi Constantius Augustus, et Julianus impius, atque alii potentes, per quos scindetur unica mea illa tunica inconsutilis, nisi quod ego nunc in ara crucis meipsum sacrifico et sanctifico, ut sit et ipsa sancta in veritate, nec unquam scindatur ulla falsitate. Ideo dico : *Erue a framea* tyrannorum *animam meam, et de manu canis* hæretici *unicam meam*, ne aut per tormenta spiritualis vigor in Ecclesia deficiat, aut per sectas ipsa Ecclesia discissa una et unica esse desistat.

VERS. 22. *Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam.* Venit enim princeps mundi hujus quasi leo ad me devorandum, quasi Leviathan ad me deglutiendum propter carnis edulium, sub quo nescit ferrum sive aculeum divinitatis absconditum ad illudendum ei. De *ore* itaque ipsius *leonis* me meosque libera et *salva*, ut, etsi aliquis meorum intret in os ejus, in maxilla ejus perforata exitum inveniat per pœnitentiæ remedium, sicut ecce nunc extrahitur de ore ipsius, qui me negavit Petrus apostolus, postquam me respiciente fletu amaro purgatus est. Os etiam hujus *leonis* est Pilatus, vel alius princeps iniquus. Unde salvari opto etiam *ex* hujusmodi *ore leonis*, ne quando meos incorporare sibi valeat. Quos cum non poterit sibi incorporare, suscitabit unicornes ferocissimos ad eos ventilandos ac dissipandos. Ideo tu, Deus Pater omnipotens, cujus omnipotentiæ cornu fortius est omnibus cornibus unicornium, *salva* nunc et semper a *cornibus unicornium humilitatem meam.* Sicut enim unicornis est animal superbissimum, quod dicitur mori præ indignatione, si præter voluntatem teneatur (dicitur autem *unicornis* ab uno cornu, quod habet in nare), sic Judæi superbissimi sunt quasi unicornes terrena tantum petentes, vel de cultu unius Dei singulariter gloriantes. Sunt etiam unicornes quicunque superbi, qui singulariter se erigunt non ferentes consortem. *A cornibus* omnium istorum *unicornium* peto salvari *humilitatem meam*, quæ in meipso ac meis opposita et contraria est illorum singulari superbiæ, quia nescit humilitas in altum se erigere, sicut erigitur cornu cujusque unicornis; quinimo jacet semper in imo suomet judicio, ut ille qui dixit mihi : « Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum (*Matth.* VIII, 8). » Et ille alius, qui dixit : « Veniet fortior post me, cujus non sum dignus, ut solvam corrigiam calceamenti ejus (*Marc.* I, 7). » Sic humiles erunt, et sunt etiam illi fratres mei, qui nunc in passione mea, percusso me pastore suo, in humilitate sua consternati sunt. « Postquam autem surrexero, præcedam eos in Galilæam (*Matth.* XXVI, 32), » et ibi, o Pater,

VERS. 23. *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Ideo *fratribus*, quia humiles sunt inter se fraterno amore concordes. Ideo *meis*, quia diligunt me ac diliguntur a me tanquam mihi conjuncti consanguinitate. Quam consanguinitatem clare magnificans et commendans vas electionis Paulus, cum in persona mea præmisisset : « Ecce ego, et pueri mei, » subjunxit : « Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium (*Hebr.* II, 13, 14). » Unde « non confunditur fratres eos vocare dicens : Nun-

Digitized by Google

tiabo nomen tuum fratribus meis (*Hebr.* II, 11, 12).» Ergo ut propheta meus David prædixit, et apostolus meus consequenter succinit, ego non solum secundum adoptionem, sed etiam secundum carnis et sanguinis comparticipationem fratres meos recognosco eos, maxime, quibus in cœna mea ultima carnis et sanguinis mei dedi et indulsi communionem. Istis *fratribus meis* repulsis unicornibus ego a morte suscitatus *narrabo nomen tuum*, dicens : Ite, « docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII, 19). » Et illi hoc mandato accepto euntes in mundum universum prædicabunt Evangelium omni creaturæ, atque ita dilatabitur nominis tui notitia, non in sola Judæa, sed in orbe universo plantata Ecclesia, et ego Christus *in medio* hujus *Ecclesiæ* B *laudabo te*. Id est laudari faciam te : dicam enim non solis ex Judæa collectis, sed in omni gente, qui timent Deum : his ego per apostolos meos loquente in eis meo spiritu dicam :

VERS. 24. *Qui timetis Dominum, laudate eum.* Qui timore casto timorati estis, *laudate eum*, quia sicut humanus et mundanus timor vituperium parit, cum timidis et incredulis regnum Dei clauditur (*Apoc.* XXI, 8) : sic divinus et divinitus inspiratus timor ad laudandum Dominum accendit. Igitur ex omni gente quicunque *timetis Dominum, laudate eum*. Laus ista non in Africa tantum est, ut voluit Donatus, quia ubicunque timetur Deus, ibi et laudatur, et ibi est Ecclesia, quæ est semen Jacob et C Israel, cui dico :

Universum semen Jacob, glorificate eum. Jacob supplantavit fratrem majorem, et ille major servivit minori. Ergo junior populus majore supplantato benedictus ex omni gente collectus ipse est *universum semen Jacob*. Item quia primogenitus est vetus homo in cunctis per concupiscentiam carnalem conceptis, deinde per gratiam regeneratricem nascitur novus homo, qui velut Jacob in utero matris gratiæ primogenitum supplantat, cum quo etiam toto vitæ præsentis tempore ita concertat, ut non sine difficultate ipse minor majori servitium sibi debitum extorqueat, et benedictionem præripiat : recte *universum semen Jacob* intelligitur novus homo in singulis personis contra carnalem vitam, quæ D per fratrem pilosum intelligitur, luctantibus, quoadusque obtineat benedictionem, qua ei tam plenum dominium tribuatur, de quo recte ad *universum semen Jacob* dicatur : « Esto dominus fratrum tuorum (*Genes.* XXVII, 29) : » et de quo ad universum semen Esau dicatur a Deo Patre : « Dominum tuum illum constitui, et omnes fratres ejus servituti illius subjugavi (*ibid.*, 37). » Hoc autem dominium, quia non erit in hac vita sic perfectum et consummatum, ut persequente fratre majore ac piloso, minor ac lenis frater nullum habeat periculum sub Deo judice, qui solus novit inter hos fratres, quo quisque illorum certet fine,

VERS. 25. *Timeat eum omne semen Israel.* Quia A enim « terribilis » est « in consiliis super filios hominum (*Psal.* LXV, 5), » non solum universum semen Jacob, quod adhuc est in actionis lucta, sed etiam *omne semen Israel*, quod jam pro gratia contemplationis gustata dicere potest : « Vidi Dominum de facie ad faciem, et salva facta est anima mea, timeat eum (*Genes.* XXXII, 30), » qui interdum contemplativos quosdam justo judicio ad carnalem vitam relabi sinit, quod sapienti Salomoni contigit, qui, postquam vidit Dominum quasi facie ad faciem, relapsus est ad carnalem turpitudinem. « Depravatum est » enim « cor ejus per mulieres » usque adeo, ut incideret idololatriam, et immolaret in excelsis templo Domini spreto, quod ædificatum fuit per ipsum, jubente Domino, non alibi sacrificandum, nisi in ipso (*III Reg.* XI, 4, 7). Ergo *timeat eum omne semen Israel, et glorificet eum universum semen Jacob.*

Convenientius dici videretur, si sic diceretur : *Timeat eum universum semen Jacob, et glorificet eum omne semen Israel.* Sed quia et summis contemplativis necessaria est humilitas, quam operatur spiritus timoris, et infirmis activis contra carnem luctantibus necessaria est consolatio, quam divinæ pietatis glorificatio infundit, recte *universum semen Jacob* ad glorificandum Deum provocatur, et *omne semen Israel* per injunctum sibi timorem Domini humiliatur. Quare autem sic est glorificandus Dominus? Propterea scilicet,

Quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis. Non sprevit, ut omnino abjiceret, *neque despexit*, ut vilem reputaret *deprecationem pauperis*. Spernere est penitus non curare; despicere est quasi de alto cum contemptu aliquid videre, atque inde cito faciem avertere, ac parum inde curare. Dominus autem neque *sprevit, neque despexit deprecationem pauperis*, id est Christi pendentis in cruce, seu etiam cujusque pauperis non de se præsumentis. Jam superius dictum est : *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti.* Item : *Clamabo per diem, et non exaudies :* hic autem ego Christus nobilissimum *semen Jacob et Israel*, Deum Patrem meum omnipotentem glorificandum pariter et timendum doceo, *quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis.*

Nec avertit faciem suam a me, et cum clamarem ad eum, exaudivit me. Ille igitur, cui supra dixi : *Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti*, nunquam *despexit me, nec avertit faciem suam a me.* Sed quia superius hæc dicendo transfiguravi in me verba delictorum meorum, clamavi per diem, et non sum exauditus, ut transferretur calix a me, clamavi per noctem acquiescendo, ut calicem, quem dedit mihi Pater, non ad insipientiam mihi datum recognoscerem et biberem. Totum hoc, ut et calicem bibere formidarem, et eumdem non sine dolore carnis et anxietate animæ biberem, pertinuit ad veterem hominem, cujus in me suscepi languores et dolores. At nunc finita et consummata passione, in

Digitized by Google

qua crucifixus est vetus homo, postquam accepto Passionis toto aceto dixi : « Consummatum est (*Joan.* XIX, 30), » jam erit evidens, *quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem* mei *pauperis*, quoniam et calix passionis transferretur, sicut rogavi, a multis membris meis, a sanctis scilicet confessoribus, et aliis compluribus, quos sic volo manere, donec veniam, sicut manet Joannes dilectus discipulus meus; alii vero, de quorum passione voluntati Patris consensi, cum dicerem : « Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu (*Matth.* XXVI, 39), » sic me sequentur per vestigia passionis meæ, sicut ille alius discipulus, cui dixi : « Tu me sequere (*Joan.* XXI, 22). » Igitur ex hoc evidens erit, quoniam Deus Pater meus *non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis, nec avertit faciem suam a me, et cum clamarem ad eum, exaudivit me.* Ad ipsum itaque conversus in gratiarum actione dico illi :

VERS. 26. *Apud te laus mea in Ecclesia magna.* Id est, laudabo te non solum apud te in secreto contemplationis, sed etiam *in Ecclesia magna* per evidentiam prædicationis. Laudabo te, id est laudari faciam te intus per simplicem fidelium meorum intentionem, et foris in *Ecclesia magna* per orbem terræ dilatata per ipsius bonæ intentionis fructuosam manifestationem. *Sic apud te laus mea* erit in his, qui te in secreto laudant exemplo illius, qui dixit : « Secretum meum mihi, secretum meum mihi (*Isa.* XXIV, 16), » et *in Ecclesia magna* erit tibi *laus mea* in his quorum « lux lucet coram hominibus, ut videant opera » eorum « bona, et glorificent Patrem, qui in cœlis est (*Matth.* V, 16). » Erit *apud te laus mea* in his, qui apud te intra Sancta sanctorum absconditi remanebunt, et sub tuæ pietatis propitiatorio reconditi, sicut arca testamenti, et quæ in ea erant reposita post velamentum intra Sancta sanctorum sub propitiatorio erant collocata, et communi hominum aspectui denegata. Et iterum *laus mea* erit *in Ecclesia magna* per eos, quos quasi mensam propositionis et quasi candelabrum luminis extra velamentum propono cæteris ad nutrimentum et lucis exemplum. Sic enim per magnam propitiationem meam ego novæ legis lator quosdam fidelium meorum diligo, ut eos nolim amittere suæ quietis dulcissimum secretum, quod est tanquam Sancta sanctorum : et iterum aliis dico quod dixi Petro : « Si diligis me, pasce agnos meos (*Joan.* XXI, 15). » Uni illi dixi hoc, et in illo pluribus id ipsum est dictum, quos canonica electio de suo secreto trahet in publicum. Sed de Joanne dixi : « Sic eum volo manere, donec veniam (*ibid.*, 22), » quod ipsum in illo uno de cunctis est dictum, quibus ita deputatum est permanere intra Sancta sanctorum, « sicut urna aurea habens manna, et virga Aaron quæ fronduerat, et » duæ « tabellæ testamenti » erant intus (*Hebr.* IX, 4), nec apparebant foris, nec extra Sancta sanctorum portabantur, nisi velamine hyacinthinarum pellium et aliis operimentis circumtecta esset arca, in qua erant hæc reposita (*Exod.* XXXVI, 35). Propter hujusmodi fidelium meorum distinctionem, vel etiam propter unius ejusdemque personæ dispertitam diligentiam nunc in secreto contemplandi, nunc in aperto prædicandi et operandi, ego Christus caput eorum dico tibi, Pater : *Apud te laus mea in Ecclesia magna*, non solummodo in Africa, non in sectæ alicujus angulo coarctata, sed in orbe universo dilatata, *in* hac *Ecclesia* erit laus mea. Etiam eo modo apud te

Vota mea redddam in conspectu timentium eum. Sic laus mea perficietur *in Ecclesia magna*, ut offeram ego sacerdos magnus, et offerri faciam sacrificium corporis et sanguinis mei « hostiam vivam, sanctam, placentem (*Rom.* XII, 1). » Deo Patri meo. In hoc sacrificio complebuntur omnia rationabilia *vota mea* et meorum. Quæ *vota* Deo Patri persolventur *in conspectu timentium eum.* Licet enim hæc abscondita sint a sapientibus et prudentibus hujus sæculi, tamen *in conspectu timentium* eum sic erunt manifesta hujus sacrificii vota sancta, ut per fidem cognoscant et intelligant in specie panis verum corpus meum, quod sicut pro multis traditum est in remissionem peccatorum, sic pro multis quotidie, offertur, et comeditur in remissionem peccatorum. Similiter et *in conspectu timentium* eum quod videtur esse vinum, per fidem cognoscetur esse sanguis meus, qui sicut pro multis est effusus in redemptionem et remissionem peccatorum, sic usque in finem sæculi, dum pie offertur et bibitur, operatur multis remissionem peccatorum. Et cum sit unum indifferens hoc sacrificium, tamen differenter in comedentibus et bibentibus operatur suos effectus. Alii enim comedunt et saturabuntur, et alii edunt et non saturabuntur, sed ita humiliabuntur ut adorent Dominum, alii cadunt in terram casu pernicioso, judicium sibi manducando et bibendo. Sed hæc dissimilitudo non est in ipso uno sacrificio, quod ubicunque est, unum est. Imo diversitas comedentium facit in eis diversitates effectuum. Sunt enim pauperes quidam ex ipsis, videlicet mundi hujus perfecti contemptores : et sunt quidam eorum divites in hoc mundo ac pingues terræ, qui aut virtutibus abundare se putant, aut etiam divitiis terrenis abundant. Et pauperes quidem esuriunt et sitiunt justitiam in communione corporis mei, quia justum est ut membra suo capiti conformentur, et ideo ipsi saturabuntur, quando et hic per humilitatem, et in futuro per gloriam mihi configurabuntur. Ideo dico, et hæc est mea promissio, qui promittens credentem non fallor.

VERS. 27. *Edent pauperes, et saturabuntur.* Divites non *saturabuntur*, quia non esuriunt justitiam; *pauperes* vero esurientes et sitientes justitiam *saturabuntur*, et ex magna saturitate cor eorum eructat verbum bonum laudando non se, vel sua merita, sed Dominum. Istorum pauperum notatur esuries per id, quod dicitur : *laudabunt Dominum*,

Digitized by Google

qui requirunt eum, qui enim *requirunt*, ipsi esuriunt. *Requirunt* autem non terrenas divitias, aut mundi gloriam, sed ipsum *Dominum* cupientes illi servire, cui servire est regnare, ut habendo ipsum *Dominum* ipsi sint in numero fidelium servorum, qui illi soli serviunt, sicut scriptum est : « Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies (*Deut.* VI, 13). » Quo contra infideles, qui peccatis et huic mundo serviunt, tot sunt dominorum servi, quot vitiorum super se habent dominium. Tales non *requirunt Dominum*, sed hujus mundi oblectamenta, in quibus habent et habere cupiunt consolationem suam, quibus et dicitur : « Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram (*Luc.* VI, 24). » Beati autem *pauperes edent, et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum.* Nam divites quærunt implere arcam terrenis divitiis, pauperes quærunt cor implere de Deo. Propterea licet moriantur et deficiant in corpore, tamen

Vivent corda eorum in sæculum sæculi. Divites vivunt in hoc sæculo, pauperes autem vivunt *in sæculum* subsecutivum sæculi præsentis. Ergo *vivent in sæculum sæculi;* quoniam transeunte hoc præsenti sæculo, aliud sæculum sequetur, in quo *vivent corda* justorum, in quibus mors secunda non habet potestatem, quia in hoc sæculo acceperunt resurrectionem primam. « Beati » autem sunt, « qui habent partem in resurrectione prima, quia in his secunda mors potestatem non habet (*Apoc.* XX, 6). » Est autem resurrectio prima, in qua per fidem et dilectionem vivere incipiunt corda. Erit posthac resurrectio secunda, quando in regno cœlorum vivent etiam corpora. Sed illi, quibus est aut fides nulla, aut fides mortua, quoniam in præsenti sæculo non vivunt eorum corda, nullatenus ad vitam corpora eorum resurgent, sed ad mortis cruciatum sine morte illis permansurum, quia noluerunt in hac vita recipere vitam cordium, quando acceperunt vitæ sacramentum. Quo contra *edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum qui requirunt eum, vivent corda eorum in sæculum sæculi.* Et quidem Judæi divites ac superbi, cum esse debeant hæredes regni secundum promissiones patrum suorum, non curant accedere ad istud convivium, quo sumitur vita cordium. « Et nuptiæ quidem » illis « paratæ sunt : » sed « qui invitati erant, non fuerunt digni (*Matth.* XXII, 8). Tamen implebuntur nuptiæ discumbentium, quia Judæis excæcatis intrante plenitudine gentium

Vers. 28. *Reminiscentur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ.* Qui fuerant obliti, *reminiscentur;* qui fuerant aversi, *convertentur ad Dominum* de universis finibus terræ, neque in sola Judæa notus erit Deus, neque Africa coarctabitur Ecclesia : sed *reminiscentur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ. Et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium. Adorabunt in conspectu ejus*, ubi ipse videt, scilicet in conscientiis, ubi « veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate (*Joan.* IV, 23). » Vel in conspectu ejus, quo eum ipsi conspiciunt per fidem et dilectionem. Sic adorabunt in spiritu, in quo clamabunt : Abba Pater, ut ipse Spiritus testimonium perhibeat spiritui eorum quòd sint filii Dei (*Rom.* VIII, 15, 16) : sic adorabunt in veritate, ut sint vere membra mea, qui sum veritas. Qui enim sunt membra mea in corpore meo, ipsi soli adorant Patrem in veritate ; quia ego sum veritas. « Ego, » inquam, « sum via, veritas et vita (*Joan.* XIV, 16). » Via in præceptis et exemplis, veritas in promissis, vita in præmiis. Unde quicunque adorant Patrem aliud ab eo sperando, quam ego promiserim, ipsi non adorant Patrem in veritate ; sed qui currunt in præceptorum meorum via, delectati promissionis meæ veritate, ipsi adorant Patrem in veritate, quia in veritate promisi eis vitam æternam, quæ non est aliud, nisi ut cognoscant me verum Deum cum Patre ac Spiritu sancto. Ideo non incassum verissimarum promissionum mearum *reminiscentur, et convertentur ad Dominum* universi *fines terræ, et adorabunt in conspectu ejus* universæ *familiæ gentium*, id est aliqui electi de universis familiis gentium, quia « non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, et operatur justitiam, acceptus est ille (*Act.* X, 34). »

Vers. 29. *Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium.* Non hominum superborum, sed *Domini est regnum.* Tyranni superbi sic se volebant honorari, tanquam essent in æternum regnaturi. Unde sic solebant salutari, ut dicerentur cuique illorum : « Rex in æternum vive (*II Esd.* II, 3), » cum essent mortales, et minime vel ad modicum tempus regnarent, sed omnino tyrannizarent. Tales erant reges Ægypti, reges Israelitici, a domo David separati, reges Assyriorum sive Babyloniorum, reges Persarum et Medorum, et novissime imperatores Romanorum, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam reges habere visi sunt, cum revera tyranni fuerint. Unum solum erat genus regale domus David, cui regnum divina promissione fuit juratum et firmatum : Quia « juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum : de fructu ventris tui ponam super sedem tuam (*Psal.* CXXXI, 11). » Hujus de semine suscitatus est Rex in æternum vivens, cujus regnum regnum est omnium sæculorum non in sola Judæa, sed in omnibus gentibus, *quoniam Dominus est regnum, et ipse* hoc verum comprobans *dominabitur gentium* colligendo ex omnibus gentibus non solum pauperes, qui de sua mensa saturentur, ut supra jam dictum est, sed etiam divites, qui manducent et adorent ; manducent sacramento tenus, adorent specie tenus, de quibus hic dicitur :

Vers. 30. *Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terræ.* Non enim *pingues terræ*, hujus mundi potentes ac divites ex divitiis terrenis impinguati, et dilatati a sacramento altaris propter potentiam

Digitized by Google

vel divitias arcendi sunt. Attamen si fuerint denotati manifesto aliquo crimine, ante publicam pœnitentiam non sunt admittendi, ut catholicus imperator Theodosius propter homicidia in Thessalonicenses ab eo commissa prohibitus est a magno viro Ambrosio non solum a sacramento altaris, verum etiam ab introitu Ecclesiæ usque ad pœnitentiæ manifestam satisfactionem. Sic et alii *pingues terræ* a sanctis Patribus pro criminibus manifestis a communione sacra leguntur prohibiti. Ubi autem vel non erant, vel nesciebantur crimina manifesta, ibi una cum pauperibus *manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terræ.*

Manducant etiam quotidie cum pauperibus ipsi divites ac *pingues terræ* corpus Domini, quia propter occulta crimina impii a piis, digni ab indignis inter *pingues terræ* humano judicio discerni non possunt. Unde cum tales non sunt in criminibus manifestis, propter id solum quod sunt *pingues terræ*, dispensator corporis Christi exactores *pingues* istud sacramentum exigentes non prohibeat manducare, sed moneat timere, quia occulta iniquitas, quæ judicium humanum subterfugit, utique intrante Rege, ut videat discumbentes, non latebit. Nempe *in conspectu ejus*, qui videt corda et conscientias, in isto convivio alii sedebunt, quibus dicitur : « Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis, et bibatis super mensam meam, et sedeatis super thronos (*Luc.* XXII, 29, 30). » Alii vero cadent in terram. Nam

In conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram. Si non descenderent *in terram*, non caderent in terram, sed quia *descenderunt* per culpam, *cadent* per pœnam. Quo *cadent ?* In « terram mortis et miseriæ, ubi nullus ordo et sempiternus horror inhabitans (*Job* x, 22) ; » quo ille descendere vitabat, qui sibi per pœnitentiam præcavendo aiebat : « Dimitte me, Domine, sine, plangam paululum dolorem meum, an tequam vadam ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine (*ibid.*, 20, 21). » Qui autem accessuri ad altare Domini prius nolunt plangere peccata, sed sine planctu in hoc mundo viventes, *descendunt in terram* per nequitiam vel immunditiam voluntariam, licet hominibus absconditam, sed oculis Dei nudam : ipsi *in conspectu ejus cadent* in terram tenebrosam et opertam mortis caligine, quia ligatis manibus et pedibus, inviti mittentur in tenebras exteriores, qui voluntarie descenderunt in tenebras interiores, cum iis essent odiosa opera lucis, et amantissima opera tenebrarum. Propter quod non ascendunt cum Raab peccatrice (*Jos.* II, 6), sed pœnitente in solarium, in superiora domus, ubi cum nuntiis Jesu faciant sibi pacis et salutis confœderationem, per veram pœnitentiam et conversionem, sed quasi vulpes foveas habent in quas descendendo, et in quibus latendo magis diligunt tenebras quam lucem. « Omnis enim, qui male agit, » non dico : qui male aliquando egit et cessavit, sed qui male agit obstinate, hic « odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus (*Joan.* III, 20). »

Etiam illi *descendunt in terram*, qui sacramentis Christi communicando, vel in eorum celebratione ministrando, cupiunt in terrenis acquisitionibus fieri beati spretis cœlestibus, quod est eis magnus et profundus descensus de cœlo in terram, de cœlesti beatitudine ad terrenam. Existimant enim quæstum pietatem. « Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia (*I Tim.* VI, 6). » Cum igitur quæstum quæstui, terrenum cœlesti præfertur in suo desiderio, hæc est illis, ut dictum est, ad terram de cœlo quædam descensio, licet hominibus abscondita, mihi tamen conspicua et manifesta, qui « videbam Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem (*Luc.* X, 18), » et nunc video multos in administratione vel perceptione sacramentorum cadentes de cœlo quasi fulgur, quia simulata eorum pietas, etiamsi clare hominibus apparet, in oculis meis et in oculis Patris mei quasi fulgur citissime disparet, quando lampades virginum exstinguentur etiam in terram descendentium, ut a vendentibus emant assentationis oleum, nec habent illud quod omnibus liquoribus alte superfertur, quoniam amor cœlestium omnibus terrenarum rerum amoribus in corde electorum supernatat more boni et purissimi olei, quo abundantes oleo non *descendunt in terram.* Pro fæculento terreuæ acquisitionis oleo, quando sacramentis communicant vel ministrant. « Verumtamen fæx » ejusdem olei « est exinanita, » sed « bibent » eam « omnes peccatores terræ, qui descendunt in terram (*Psal.* LXXIV, 9) » nunc per avaritiam, et cadent in futuro per manifestam pœnam, quæ licet hominibus nunc sit occulta, tamen in conspectu ejus est manifesta, qui mihi Filio suo, mihi Filio hominis dedit omne judicium vivorum et mortuorum. Propter hoc in gratiarum actione

VERS. 31. *Anima mea illi vivet, et semen meum serviet ipsi. Anima mea*, quæ descendet ad inferna, etsi visa est illis mortua, per quos cum iniquis reputatus sum, tamen ipsa *mea anima*, ille videlicet Spiritus, quem in cruce tradens Patri commendavi, dicens : « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum (*Luc.* XXIII, 46), » ille, inquam, spiritus inter mortuos liber a morte, *illi vivet*, qui eum quasi bonum depositum in sua manu habet, et mihi eum in Resurrectione reddet cum magno fœnore multarum animarum de inferno ereptarum, et cum anima mea illi viventium. Sicut enim ego resurgens ultra non moriar, et mors mihi ultra non dominabitur : sic etiam multa corpora sanctorum mecum resurgent, et animæ omnium fidelium ab anima justi Abel usque ad animam latronis, cui dico in cruce : « Hodie mecum eris in paradiso (*Luc.* XXIII, 43), » *illi vivent* mecum in paradiso exsultationis, cui et anima mea vivit, quæ nescit

Digitized by Google

mortem peccati, nec separationem pariter insitæ sibi divinitatis, et cum ipsa separata fuerit a corpore meo mortuo, *illi* vivet, qui eam in manus suas commendatam corpori meo restituet.

Et *semen meum serviet ipsi*. Hoc est, quod mihi in Isaia promissum est, ubi de me sic dictum est : « Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur (*Isa.* LIII, 10). » Hoc igitur *semen meum* mihi promissum, hoc *semen longævum*, omnibus scilicet, qui per meam passionem, resurrectionem et ascensionem crediturі sunt, *serviet ipsi*. Licet enim non omnes baptizati, hoc est, visibiliter, et Sacramento tenus tincti serviant ei, tamen omnes renati, et mihi incorporati, *meumque semen* effecti *servient ei*, et erunt ipsius filii adoptivi : quoniam

Vers. 32. *Annuntiabitur Domino generatio ventura, et annuntiabunt cœli justitiam ejus populo, qui nascetur, quem fecit Dominus*. Et quidem erunt aliqui indisciplinati et hæretici, qui hanc generationem sibi assignare præsumant, ita ut suum baptisma sacramentum dicant, et exinde regeneratos filios nomini suo ascribant, ut, verbi gratia, dicantur aliqui Donatistæ, aliqui Ariani, aliqui Nestoriani, vel Eutychiani. Sed hujusmodi sectis inter se compugnantibus et deficientibus *annuntiabitur Domino generatio* futura, et dicentur a me Christo Christiani, Filii Dei excelsi, non filii cujusquam baptistæ, quoniam et ipsi *cœli annuntiabunt justitiam ejus*, quando apostoli mei docebunt non in homine ponendam fiduciam de baptismi gratia, ita ut alius dicat : « Ego sum Pauli, » et alius : « Ego autem Apollo, » itemque alius : « Ego vero Cephæ (*1 Cor.* I, 12); » sed quicunque, vel qualescunque sint baptistæ, atque administratores, regeneratricis gratiæ dummodo baptizent legitime in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, indifferens est ipsum sacramentum, neque per bonos melius, neque per malos pejus existit. *Annuntiabitur Domino generatio ventura*, quando solius divinæ gratiæ fecunditas per aquam et Spiritum filios Dei multiplicabit vel in sancta Ecclesia regeneratos, vel extra baptizatos et eidem Ecclesiæ reconciliatos, inter quos hæc erit differentia, ut alii ex libera, alii sint nati ex ancilla, quibus tamen unus Pater erit Deus, si Spiritus ejus erit in cordibus eorum clamans : Abba, Pater.

Aliter : *Annuntiabunt cœli justitiam ejus*, quoniam cœlestes angeli *annuntiabunt* vel hominibus justitiam Dei, vel Deo justitiam populi sui, qui etiam preces populi offerunt in conspectu Dei non pro instructione, ut eum doceant, sed pro ministerio. « Sunt » enim « administratorii Spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis (*Hebr.* I, 14). » Itaque sive angeli, sive apostoli et evangelistæ in commune *annuntiabunt justitiam Dei populo, qui nascetur* ex aqua et spiritu per fidem.

Signanter est notandum quod dicitur : *populo qui nascetur*, quia fieri potest, ut aliquis baptizetur fictus, ut Simon Magus, cujus nulla justitia Domino est annuntiata, quia baptizatus quidem, sed non est renatus, aut renovatus. *Populo* autem, *qui nascetur* in novam sobolem, *annuntiabitur justitia*. Etenim cum ego Christus baptizarer a Joanne, atque hoc ministerium expavescens renueret ille, dixi ei : « Sine modo : sic enim decet nos adimplere omnem justitiam (*Matth.* III, 15). » Quippe hoc justum est, ut homo, qui de terra creatus est et se ultra cœlos extulit, suum ordinem recognoscat, et quoniam aqua est altius elementum, quam terra terrena hominis materia sub aquas ad ordinem suum deprensa et humiliata resumat justitiam in me novo Adam sub aquas humiliato, quam perdidit in primo Adam super cœlos per superbiam elato. Sic ergo decet nos adimplere omnem justitiam, et ideo passus sum, ut intrarent aquæ usque ad animam meam, « venique in altitudinem maris, et tempestas demersit me (*Psal.* LXVIII, 3), » ut in me adimpleretur justitia humilitatis. Hanc ipsam *justitiam annuntiabunt cœli*, apostoli videlicet, *populo, qui nascetur, quem fecit Dominus*. Nascetur ex aqua et spiritu per gratiam regenerantem, ille populus, *quem fecit Dominus* : fecit primitus de nihilo, creans ut esset aliqua creatura, fecit postea per gratiam, ut esset nova creatura. Gratias igitur agat ille populus, quem fecit Dominus voluntarie gignens eum « verbo veritatis, ut sit initium aliquod creaturæ ejus (*Jacob.* I, 18). »

Gloria Patri populum novum in verbo veritatis gignenti. *Gloria Filio* sacramentum hujus generationis in sua passione condenti, et aquam regeneratricem de latere suo in cruce fundenti. *Gloria Spiritui sancto* eamdem aquam suæ virtutis admistione fecundanti, ut nunc in tempore nascatur populus, quem jam ante sæcula in prædestinatione fecit Dominus. Duo nobis sacramenta in eadem sua passione condidit, scilicet lavacrum regenerationis, ubi patefacto latere sanguinem, et aquam profudit, et mysterium corporis ac sanguinis sui, ubi tenens panem et vinum, « hoc est corpus meum : hic est sanguis meus (*Matth.* XXVI, 26, 27), » inquit. Super his continuo perfecta Ecclesia psalmo vicesimo secundo gratulatur, et dicit :

PSALMUS XXII.

Vers. 1. *Dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit*. Nam quasi quæreres, cujus in loco pascuæ? continuo subjunxit *Super aquam refectionis educavit me : animam meam*

convertit. Et subinde : *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me*. Quænam est aqua refectionis nisi baptismus salutaris? super hanc aquam baptismatis, quod est fundamentum bonorum operum : Me, inquit Ecclesia, Dominus educavit, videlicet lacte prædicationis, et deinde (sic enim recto ordine legendum est); deinde, inquam, *in loco pascuæ ibi me collocavit*, id est, studere fecit in Scripturis. Ibi *me regit*, scilicet ne prave intelligam, *et nihil mihi deerit*, quod intellectui necessarium sit. Quæ autem mensa, quam *parasti*, inquit, *in conspectu meo adversus eos, qui tribulant me*, nisi corpus et sanguis tuus, cujus sacramentum sub aliis speciebus proposuisti intellectui meo, ne inimici prævalerent in me? Et quia duplex post hæc datum est Spiritus sancti donum : « impinguasti, » ait, « in oleo caput meum, et calix meus inebrians quam præclarus est? » Nam primo dato Spiritus sancti quasi oleo suaviter delibuti sunt apostoli insufflante illo ac dicente : « Accipite Spiritum sanctum, et quorum remiseritis peccata, remittuntur eis (*Joan.* xx, 22, 23). » Secundo autem quasi fecundo calice inebriati fortes facti sunt atque diserti, ita ut diceretur : « Musto pleni sunt isti (*Act.* II, 13). » His sacramentis parata est terra illa, et ille orbis Domino, de quo protinus psalmus vicesimus tertius sic incipit : « Domini est terra, et plenitudo ejus (*Psal.* XXIII, 1). » Nam terra hæc, et iste orbis Ecclesia est, quæ terra, quidem duplici de causa dicitur, tum propter stabilitatem, tum propter fecunditatem; orbis autem propter perfectionem. Et quia nulli ad habitandum in æterna Ecclesia sola sufficiunt, quæ supra dicta sunt, sacramenta visibilia, sub interrogatione, melius insinuat sic : « Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde? » etc. (*Ibid.*, 3.) Sed redeamus ad psalmi vicesimi secundi expositionem.

Dominus regit me, et nihil mihi deerit. Titulus qui est : *Psalmus David*, patet. Agit hic Propheta de misericordia et utilitate passionis Dominicæ, quam in psalmo præcedenti tractavit : et sicut ibi locutus est in persona ipsius Christi dicens : « Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? » (*Psal.* XXI, 2.) Sic loquitur hic in persona totius Ecclesiæ, vel cujuslibet electi in Ecclesia referendo gratias pro multimoda misericordia et gratia, quæ de Christi passione provenit; quarum prima est, quod *in loco pascuæ* collocatur, qui sacramentis Dominicæ passionis imbuitur, cum catechizatur et catechumenus efficitur; secunda, quod *super aquam refectionis* educatur, quando per aquam baptismi regeneratur; tertia, quod per corporis visibilem ablutionem in baptismo anima convertitur, ut quæ in Adam fuit aversa, in Christo sit conversa et sancta; quarta, quod *super semitas justitiæ* ducitur, ne ipsa baptismi gratia fiat irrita, si a viis justitiæ aberretur; quinta, quod *in umbra mortis non* timet *mala*; sexta per virgam et baculum data consolatio; septima cœlestis convivii parata mensa; octava unctio capitis; nona *calix inebrians*; decima *misericordia* subsequens, et usque in finem custodiens. De his decem gratiis tractando intendit per hæc viatica dona gratis collata hortari ad spem cœlestium et æternorum donorum, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, sed intus reposita sunt in domo Domini, de qua dicitur in fine psalmi, *et ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum*.

Ergo vel Ecclesia, vel quilibet electus cum David manu fortis per actionem, desiderabilis per contemplationem, in hoc psalmo, qui est intitulatus *Psalmus David*, recognoscens dona gratiarum per Christi passionem effusarum, dicit in gratiarum actione : *Dominus regit me, et nihil mihi deerit*.

In Hebræo habetur : *Dominus pascit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit*. Itaque gratias ago, ego Ecclesia, vel ego membrum Ecclesiæ, quia *Dominus regit me*, ac pascit regendo, sive regit pascendo ipse Dominus meus, ipse pastor et rex meus : *Dominus*, quia dedit mihi esse creando me; *pastor et rector*, quia pascendo et regendo me dat feliciter esse. Pro pastu ergo suo et regimine, quod mihi confert beatum esse, propensius ei gratias ago ab eo redemptus, quam antea fecerim ab eo creatus. Nisi enim pascendo et regendo conferret mihi bene esse, melius mihi esset omnino non esse. Sed ne infeliciter sim, ipse *Dominus*, qui me de nihilo creavit, pastor mihi et rex factus est per id quod

Vers. 2. *In loco pascuæ*, sive in loco viridi, *collocavit me*. Ideo *nihil mihi deerit*, quia et Dominus dives est, qui me pascit ac regit, et locus pascuæ viridis est, in quo me collocavit. Non ego me ipsum ibi collocavi, sed ille per gratiam prævenientem *collocavit* me ibi, ubi de satietate sum certus, quia sermo divinus non tantum incipientes instruit ad fidem, sed etiam credentes nutrit, ut magis ac magis in fide proficiendo, qui jam Deum ex fide cognoscunt, usque ad contemplandam speciem divinæ celsitudinis perducantur, ubi eis erit satietas absque fastidio, quia et desiderium erit in satietate, et satietas in desiderio, ita ut nec satietas indigentiam, nec desiderium admittat fastidium. In talis *pascuæ loco me collocavit*, quando me jam catechumenum, id est, instructum inscientia Scripturarum fundavit, in quibus invenio lac parvulorum et panem fortium. Talibus cibis confortatum

Super aquam refectionis educavit me, quando ad gratiam baptismi me admisit prius quidem catechizatum per fidei confessionem et veritatis agnitionem, sed post baptisma plenius inveni in eis *aquam refectionis*. Nam ego Ecclesia, sive in his membris meis, quæ per infantiam sacramento salis et attactu salivæ introducta sunt *in* locum *pascuæ*, sive in majoribus membris meis, quæ per ipsam cordis credulitatem instructa et locata sunt *in loco pascuæ*, in ipso *loco vascuæ* non haberem cibum reficientem,

Digitized by Google

nisi venissem ad *aquam refectionis*, educante ac nutricante me velut parvulum gratia matre. Ista est aqua fluens a latere templi dextro, et omnes, ad quos pervenit aqua ista, salvi facti sunt. Hæc aqua est fundamentum salutis humanæ, propter quod dico : *Super aquam refectionis educavit me.*

Visibilis enim baptismi aqua significat aliam aquam invisibilem, videlicet Spiritum sanctum, qui in principio ferebatur super aquas, ut ex aquarum labili et instabili materia suæ virtutis admistione formaret me unam vel unicam Ecclesiam in charitate radicatam et fundatam, quæ charitas non datur, nisi per Spiritum sanctum. Unde Apostolus utique super aquam refectionis educatus et fundatus ait : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* v, 5). » Item suis discipulis, quos ipse super aquam refectionis, cooperante gratia Dei educaverat, fideliter idem Apostolus optat ut « in charitate radicati et fundati possint comprehendere, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas et profundum ; scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleantur in omnem plenitudinem Dei (*Ephes.* III, 17-19). » Si ergo super hanc aquam refectionis educati et fundati sumus, etsi non solum visibili aqua loti, sed et invisibili, quæ Spiritus sanctus est, refecti sumus gustata charitate, quam infundit ipse Spiritus, recte in gratiarum actione dicimus : *Dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit. Super aquam refectionis educavit me*, quæ animæ humanæ in se nullas bonas vires habenti administrat refectionem fecundando prius aridam et sterilem, ut non solum in se abundanter possideat, sed et aliis pariat refectionem. Taliter ego quilibet quasi *David* per intentionem bonam desiderabilis, per bonum opus manufortis ad aquam refectionis perductus Deo gratias ago, non solum quia *me* sic *educavit*, vel ut in Hebræo legitur, *exutrivit*, sed quia etiam

Vers. 3. *Animam meam convertit.* Quæ fuit mihi tertia gratia, ut anima mea non esset ab ipso aversa, sed ad ipsum conversa post baptismum, ut quondam Jordanis conversus est retrorsum ad fontem suum. Pars enim illa Jordanis, quæ a fonte suo divisa est arca Domini transeunte, fluxit in mare Mortuum relinquens alveum suum siccum et vacuum ; pars autem illa, quæ conversa retrorsum, se tenuit ad fontem suum, crevit in altum, non solum implendo, sed valde supercrescendo alveum suum (*Jos.* III, 16). Sic inter ipsos baptizatos alii defluunt in hujus mundi mortiferas amaritudines, retinendo solummodo vacuum et inane baptismi sacramentum ; alii vero conversi ad fontem sive principium suum crescunt in altum non solummodo ad sufficientiam sui profectus, quod esset proprium adimplere alveum, sed etiam usque ad utilitatis fraternæ dilatationem. Non ergo referenda modica mihi est gratia, nec modica gratiarum actio pro eo quod Dominus *animam meam convertit*, quæ certe post baptismum defluxisset in mare Mortuum descendendo per vitia usque in infernum, nisi quia Dominus erat in nobis, qui animam meam ad mala pronissimam sua bonitate a malitia *convertit*, bonam in ea seminando cogitationem, et bonam tribuendo atque augendo voluntatem, per quam solam fit acceptabilis animæ conversio, si tempus et facultas bene operandi desit.

Sed ut lux animæ conversæ lucrat non solum coram hominibus, ut videant opera bona, et in homine bene operante glorificent Deum, quarta gratia superioribus gratiis additur, cum *super semitas justitiæ* homo a secreto voluntatis usque ad opus manifestum deducitur.

Videtur quibusdam ordo gratiarum commutatus et præposteratus, quia prima gratia tertia, et tertia prima videtur. Nam animam, quæ erat aversa in Adam sicut ovem errantem, Christus pastor primo convertit, deinde conversam abluit in baptismo, ac tertio divinum sermonem apponens, quo satietur, *in loco pascuæ* illam collocat, ut in his pascuis delectabiliter spatiando per *semitas justitiæ* incedat. Hunc ordinem si tenuisset Psalmista, satis placeret. Sed hic ordo, quem tenuit ideo magis placet ; quia licet sit magna gratia hominem ignorantem ad notitiam veritatis ante baptismum convertere, vel omnino in ignorantia manentem, nec præ infantia scire valentem sacramentis Christianæ gratiæ admittere : tamen longe copiosioris benignitatis est illa conversio, qua sic post acceptum baptismi sacramentum convertitur homo ad suum principium, ut gratia Christi, qui est arca fœderis, eum conservante, non sinatur deorsum fluere in infernum. Propterea ego qualiscunque *David*, id est, humilis ut *David*, vel desiderabilis ut *David*, vel manufortis ut *David*, vel saltem pœnitens ut *David*, cui psalmus iste attitulatur, Deo gratias ago permaxime pro illa conversione animæ meæ, qua eam *convertit* post baptisma, ut malam voluntatem relinquens haberet bonam.

Iterum gratias ago illi, qui post acceptam bonam voluntatem *deduxit me super semitas justitiæ*, ut ambularem in opere bono et justo non *propter nomen* meum dilatandum, sed *propter nomen suum* glorificandum. *Deduxit* enim sola gratuita bonitate *me* in boni operis processu *super semitas justitiæ*, *super semitas* angustas, in quibus pauci ambulant, videlicet super duo præcepta charitatis, quæ sunt incipientibus angustæ semitæ, proficientibus autem, et dilatato corde currentibus viam mandatorum non jam iter est in semitis angustis, sed *super semitas*. Ideo illi gratias ago, qui me non solum angusto calle incipiente deduxit in semitis, sed jam ultra inchoationis angustias promotum *deduxit me super semitas justitiæ* in magnam charitatis latitudinem. Et hoc fecit non propter meritum meum, sed *propter nomen suum* vulgandum et glorificandum. Et ut hoc ipsum possit competentius fieri per me, dedit mihi

Digitized by Google

quintam gratiam, ut nomen Dei magnificans ejusdem nominis adversarios non timeam.

VERS. 4. *Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Illa est vere mors dicenda, per quam privatur anima Deo, qui est vita ipsius. Hæc « mors peccatorum pessima (*Psal.* XXXIII, 22) » nimis metuenda est et valde cavenda. Sed hujus mortis quædam est imago et umbra, per quam privatur corpus vita sua. Est enim inter has duas mortes similitudo talis, qualis est inter corpus et umbram corporis ; quia sicut non vivit anima humana, nisi Deo se inhabitante, sic non vivit corpus humanum nisi anima rationali se inhabitante. Unde sicut corpus in sua morte desertum ab anima non habet sensum, sed putrescit et pulvis efficitur, sic anima per mortem peccati criminalis a Deo deserta perdit suum sensum, et in sua corruptione putrescit, et instabilis efficitur « tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ (*Psal.* I, 4). » Ideo sancti, qui propter justitiam fuerunt in mortibus frequenter, scientes mortem corporis non esse nisi umbram *mortis*, Deo dicunt : « Humiliasti nos in loco afflictionis, et cooperuit nos umbra mortis (*Psal.* XLIII, 20). » Et illis « habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis (*Isa.* IX, 2), » per quam lucem defensi sunt a morte peccatorum pessima, quia ipsa lux eis orta fuit eorum vita, sicut scriptum est : « Et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt (*Joan.* I, 4, 5) : » quia *in medio umbræ mortis* animæ sanctorum vixerunt, et semper vivunt, qui a fide Christi non recedunt, sicut ipse dicit : « Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet (*Joan.* XI, 25), » hoc est, etiamsi *in medio umbræ mortis*, in regione *umbræ mortis* corporali vita privetur ; tamen vera vita fruetur qui credit in me. Nam « ego sum via, veritas, et vita (*Joan.* XIV, 16). »

Cum ergo sit metuenda mors, non mortis umbra vel imago, ego *David* quamvis peccator, tamen pœnitens et credens in te, Christe, qui es vita, *non timebo mala mortis* etiam *in medio umbræ mortis*, non timebo mortem, id est, diabolum, *quoniam tu*, qui vita es, dignaris esse *mecum*. *Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis*, inter ministros *umbræ mortis*, qui corpora occidunt, et inter ministros ipsius mortis hæreticos, vel etiam dæmones, qui animas occidere quærunt, *non timebo mala, quoniam tu mecum es*, qui vita es, *tu mecum es* per fidem inhabitando cor meum, *tu mecum es* per corporis tui atque sanguinis ineffabile sacramentum, *tu mecum es* per crucis tuæ signaculum positum super cor meum, ut te cogitem positum in fronte mea, ut te confiteri non erubescam, sed in te vita vera vere vivam corde credens ad justitiam, et ore confitens ad salutem. Etiamsi corporaliter mortuus fuero, et *in medio umbræ mortis* ad tribunal tuum deducendus ambulavero, *non timebo mala* damnationis æternæ, *quoniam tu mecum* eris tunc per speciem, qui nunc *mecum es* per fidem ex dilectione tui operantem bona et vitantem turpia.

Nec vero metuendum mihi est, quandiu *tu mecum es*, quod vel hic dormienti, vel illic *medio umbræ mortis* ambulanti etiam occurrens mihi princeps tenebrarum prævaleat, siquidem scriptum est : « Si dormierint duo, simul fovebuntur mutuo, et si quis prævaluerit adversus unum, duo resistent (*Eccle.* IV, 11, 12), » etc. Sumus enim duo ego anima rationalis, et verbum tuum, Deus ; diabolus autem unus est tuus et meus inimicus. Unde si opposuerit se ad prævalendum, vel hic in somno quietis aut etiam mortis dormienti, vel illic *in medio umbræ mortis* ad tribunal tuum properanti, nos duo, tu videlicet et ego resistemus ei. Igitur *non timebo mala, quoniam* forte illo, scilicet diabolo, *tu* fortior *mecum es*. *Mecum est* mors tua pro me suscepta, *mecum* sunt livores tui et vulnera, *mecum* plagæ virgarum et sputa, quæ omnia non pro te ipso, sed pro me pertulisti. *Non timebo* etiam *mala* sententiæ judicialis, *quoniam tu*, qui es judex meus, *mecum es* advocatus meus : *judex meus*, quia peccavi, advocatus meus, quia pœnitentiam egi, neque ullatenus possem liberari te justo judice me judicante, nisi defenderer te advocato patrocinante. Sed *quoniam tu mecum es*, advocatus et propitiatio pro peccatis meis, *non timebo mala* sententiæ judicialis. Unde autem scientiam, vel unde aliquod experimentum capiam hujus gratiæ, quod *tu mecum* sis ? Inde scilicet, quod

Virga tua, et baculus tuus ipsa me consolata sunt. Neque enim sic fecisti mihi, sicut multis impiis facis, quos in sua nequitia nunc impune lascivientes *virga* disciplinæ non tangis, quia reservas eos majoribus et æternis pœnis. Imo *virga tua*, id est, levis disciplina, qua parvulos, fragiles et infirmos castigas, me assidue castigavit, *et baculus tuus*, quo grandiores et fortiores percutis, vel grandi afflictione illos humiliando, vel molesta tentatione colaphizando, ne magnitudo et fortitudo eorum extollat eos, me aliquoties tetigerunt, quoniam propter superbiam, ne illa dominetur mihi, et valde multiplicati sunt *qui tribulant me*, atque in concupiscentia carnis, et in concupiscentia oculorum datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, ut me colaphizet. Vellet quidem ille angelus Satanæ per hujusmodi stimulum deducere me ad pravitatis consensum ; sed si hoc fieret, non essent isti stimuli mihi pro colaphis ad meam humiliationem, sed pro sagittis mortiferis ad meam interfectionem. Si enim vidua « in deliciis vivens mortua est (*II Tim.* V, 6), » multo magis ego mortuus essem, si mortifera carnis delectamenta pro deliciis haberem. Sunt autem, Deo gratias, istiusmodi stimuli carnis mihi magis ad colaphizationem quam ad delectationem, propter quod castigo corpus meum per jejunia et abstinentias atque vigilias, quantum valetudo permittit, et gratia tua, Deus, concedit.

Digitized by Google

Aliter : *Virga tua, et baculus tuus ipsa me consolata sunt*, quia, cum oportuit, castigasti me *virga* disciplinæ, atque iterum, cum oportuit, sustentasti *baculo* misericordiæ, ut semper esset mihi materia « misericordiam et judicium (*Psal.* c, 1)» cantandi tibi, qui me per judicium flagellasti, ne insolescerem, et per misericordiam sublevasti, ne sub nimiis verberibus tuis omnino deficerem.

Per amplius autem, et perfectius *virga tua, et baculus tuus ipsa me consolata sunt*, ex quo mihi per Scripturas innotuit, quæ sit *virga et baculus*, in quibus est consolatio, non desolatio. Est enim *virga* consolationis, et est *virga* desolationis. *Virga* desolationis est pœna æterna, de qua dicitur : « Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum (*Psal.* cxxiv, 3). » Item *virga*, sive *baculus* desolationis fuit Assur, cui dicitur : « Væ Assur, virga furoris mei, et baculus indignationis in manu mea ipse est (*Isa.* x, 5). » Non enim per illum baculum, sive per illam virgam castigatus vel captivatus Israel ad emendationem (*IV Reg.* xv, 29), quippe cujus captivitas nunquam est relaxata, sed in Assyrios translatus Israel omnino alienatus est a populo Dei, et a templo Domini. Rex autem Nabuchodonosor, qui tribum Juda captivavit (*IV Reg.* xxv, 7), quasi *virga et baculus* consolationis in manu Dei fuit, quia captivitas per illum facta post septuaginta annos relaxata est, et fuit illis ad emendationem, qui super flumina Babylonis illic sederunt et fleverunt, cum recordarentur Sion, et proponerent Jerusalem in principio lætitiæ suæ, nullatenus capti, vel delectati deliciis Babyloniæ (*Psal.* cxxxvi, 1). Considerans ergo in Scripturis omnia flagella emendatoria, et per id consolatoria invenio in eis consolationem, quæ antea videbantur esse ad desolationem.

Sic et ipsa mortalitas hominum, et mors corporis inventa est esse ad consolationem, quæ putabatur esse ad desolationem. Si enim homo post peccatum comedisset de ligno vitæ, et viveret in æternum, permansisset in consortio dæmonum, quibus est misera immortalitas et immortalis miseria. Nunc autem, quia de ligno vetito, jam in anima mortuus ab esu ligni vitæ prohibitus est, per corporis mortalitatem et mortem, talem invenimus consolationem, qualis designata est olim per Moysen. « Projecerunt » enim coram Pharaone ac Moyse duo magi « virgas suas, quæ versæ sunt in dracones (*Exod.* vii, 10, 12). » Projecit et ipse Moyses virgam suam, « quæ » similiter « versa est in colubrum (*ibid.*, iv, 3), » et devoravit duas virgas magorum, denuoque versa est in suam formam. Quid per colubrum sive draconem significatur nisi mors, quæ suasu antiqui serpentis intravit in mundum, quamque idem serpens jam factus draco rufus de sanguine masculorum puerorum Hebræorum sanguinolentus quasi virgam furoris exerebat, cupiens, interfectis masculis, omnino delere genus Abrahæ, cujus in semine spes et promissio fuit reposita salutis et benedictionis, dicente Deo ad Abraham : « In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ (*Genes.* xxii, 18). » Bene itaque duæ virgæ magorum Pharaonis versæ sunt in dracones, quia, machinante diabolo, intraverunt in mundum duæ mortes, animæ una, corporis altera. Cumque sic esset creata humana natura, ut floreret immortalitatis gemina pulchritudine corporis et animæ in modum virgæ speciosæ, jam duæ virgæ in serpentes et dracones inveniuntur versæ, quia, grassante antiqui serpentis veneno, regnavit gemina mors in genere humano. Sed noster Moyses novæ legis lator Christus a morte animæ penitus alienus, unam solummodo mortem corporis in se admisit, per quam deglutiens duas mortes verissime se nobis exhibuit virgam et baculum consolationis contra duas virgas desolationis. Absorpta est enim utraque mors nostra in ejus victoria, qui mortem animarum nostrarum moriendo destruxit, et vitam corporum nostrorum resurgendo reparavit. O quam salutaris et consolatoria fuit mortalitatis et mortis virga, per quam in Christo facta est disciplinatio nostra, sicut Isaias dicit : « Disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus (*Isa.* liii, 5). » Nos peccavimus, et in ipsis peccatis fuimus semper. At ille innocens pro nostris peccatis flagellatus, et usque ad mortem crucis humiliatus, cum esset virga virtutis, quam emisit Dominus ex Sion, tamen versus est in colubrum sive serpentem, suscipiens in se mortem peccata nostra punientem. Sed illorum deposita quasi forma serpentis absorpta gemina morte nostra in victoria sua, hæc *virga* virtutis per resurrectionem refloruit, quæ in morte defloruit. Unde et dicitur : « Dominus adjutor meus, et protector meus, et in ipso speravit cor meum, et adjutus sum, et refloruit caro mea (*Psal.* xxvii, 7). » O quam fortis est iste *baculus* nostræ consolationis, quo sublevatur et sustentatur in Christo natura humanæ carnis ultra omnes virtutes cœlorum evectá, et in throno altissimo ad dexteram Dei Patris altissimi collocata ! Tantus est iste baculus, tanta videlicet est in Christo resurrectionis virtus.

Imo ipse Christus a morte suscitatus tantus ac talis est *baculus*, ut per eum de pulvere mortis erigendum sit omne genus humanum. Multi enim de his qui dormiunt in pulvere, evigilabunt. Vere multi, quia « omnes quidem resurgemus, » et baculo resurrectionis Dominicæ sustentati, ante tribunal Christi stabimus. « Verum » quia illic « non omnes immutabimur (*I Cor.* xv, 51), » soli David pœnitenti *psalmus* iste attitulatur, quia soli, qui per virgam disciplinæ Christo commortui nunc immutantur ad meliorationem, sicut David pœnitens fuit immutatus, ipsi quoque tunc immutabuntur in gloriam, quando ipse Christus nostræ senectutis baculus minime arundineus, imo totus fer-

Digitized by Google

reus et solidus in virga ferrea judicans hunc mundum reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Dicat ergo David pœnitens et humilis, dicat quilibet illi consimilis tibi, rex Christe, qui in virga passionis et baculo resurrectionis tuæ tuorum consolationem divinitus operaris. Dicat nunc Israel, dicat nunc domus Aaron, cujus virga floruit ad ipsius et nostram consolationem. Dicat quisque nostrum credens te Jesum Christum verum regem et sacerdotem virgas aridas et minime floridas, atque ideo desolatorias ac sacerdotio repellentem, tibi, inquam, rex Christe, virgam sacerdotalem pariterque regalem gestanti : « Omne genu flectatur, et omnis lingua confiteatur (*Philipp.* II, 10, 11) : » et dicat tibi : *Virga tua, et baculus tuus ipsa me consolata sunt,* quia in morte tua, qua solus inter mortuos liber fuisti, et in Resurrectione tua, qua non solus resurrexisti, « reposita est hæc spes mea in sinu meo (*Job* XIX, 27), » ut prosit mihi ejusdem tuæ mortis et resurrectionis communio, per quam post mortem corporis, vel etiam intrà ipsum claustrum corporis mortalis liber sim a legibus mortis anima mea vivente in te, qui es vita, florente in te, qui es virga florida, et corpore meo quiescente in spe resurrectionis futuræ.

Aliter : *Virga tua,* qua conteris culpam ab hominibus perpetratam, *et baculus,* quo sustentas naturam a temetipso creatam, *ipsa me consolata sunt.* Nam per mortis virgam finitur culpa : per resurrectionis baculum perpetuatur natura. « Qui enim mortuus est, » ait Apostolus, « justificatus est a peccato, (*Rom.* VI, 7), » si tamen mortuus est in Domino ; nam « beati mortui qui in Domino moriuntur (*Apoc.* XIV, 13). » Et hæc est mihi consolatio, quia spero me moriturum et resurrecturum in te Domino meo, qui, ut in te possim vivere.

Vers. 5. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me.* Hæc est gratia septima. Mensa ista est corpus et sanguis tuus, Christe. Talis mensa non est *in conspectu* impiorum et insipientium, qui neque intelligunt, neque credunt verum esse, quod tu dicis de specie panis : « hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur » in remissionem peccatorum (*Luc.* XXII, 19). Et de specie vini : « Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui » pro vobis, et « pro multis effundetur in remissionem peccatorum (*Matth.* XXVI, 28). » Sed hæc mensa parata est *in conspectu meo,* dum sacramenti hujus virtutem et veritatem sensui carnis absconditam fidei oculis conspicio. « Scio enim, cui credidi, et certus sum (*II Tim.* I, 12) » corpus tuum, Christe, quod in altari tuo datur, te auctore idipsum esse te asserente, quod virgo peperit, quodque in cruce pependit. Sic enim dicis : « Quod pro vobis tradetur (*I Cor.* XI, 24). » Est ergo idipsum, prorsus idipsum

Sed « dicit insipiens in corde suo, non est (*Psal.* LII, 1) » id ipsum. Ego autem dico quia est idipsum, quod pro nobis est in cruce traditum. Scio enim, cui hoc dicenti credidi, et certus sum, quia Veritas non est locuta mendacium, nec poterat aliquid dici a Veritate, quod non esset verum. Sed corpus de virgine natum pro nobis est in cruce oblatum et traditum. Est igitur quod in altari offertur corpus omnino idipsum, idipsum nomine, idipsum essentia, idipsum efficientia seu efficacia. Nominis quippe identitas notatur, cum tu veritas dicis : « Hoc est corpus meum (*Matth.* XXVI, 26). » Et quia corpus quoque tuum sancta est Ecclesia, quod corpus non est pro nobis traditum in remissionem peccatorum, ut ipsam tui corporis essentiam singularem velut quadam individuali proprietate signares, dixisti : « quod pro vobis tradetur, » quo dicto unici corporis tui pro nobis traditi significatur essentia, cujus hæc est efficacia, seu efficientia, ut ejus traditio, seu oblatio proveniat nobis, et multis in remissionem peccatorum. « Credidi, propter quod locutus sum (*Psal.* CXV, 10) : » quia corpus tuum, Christe, sicut prænotavi, est idem ipsum nomine, essentia et efficientia. Nam sicut vere nominatur et est corpus tuum, quod sub Pontio Pilato est crucifixum in medio duorum latronum, ut in medio duorum animalium immoteseeres, ita nihilominus vere nominatur et est corpus tuum, quod nunc offertur in altari ecclesiastico, ritu in Ecclesia celebratis mysteriis tam ab indigne quam a digne ministrantibus et communicantibus, quorum aliis cum sinistro latrone judicium sibi manducant et bibunt ; alii cum dextro latrone illud in remissionem peccatorum accipiunt. Sicut enim valuit illi dextro latroni ad remissionem peccatorum, quod in corpore tuo, cum videret infirmitatem, credidit virtutem : sic modo prodest electis et fidelibus, quod in eodem corpore tuo, cum videant speciem panis, credunt majestatem divinæ virtutis.

Neque hanc fidem illud imminuit, sed magis appretiat, quod in eodem corpore non eadem species vel effigies oculis intuentium se manifestat. Nam et discipulis in alia effigie apparuit, et « oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent (*Luc.* XXIV, 16), » et Mariæ Magdalenæ quasi hortulanus apparuit (*Joan.* XX, 15). Martino adhuc catechumeno in habitu et specie pauperis, quem sua veste contexerat, manifestatus est, sed hoc in somnio : vigilanti autem Petro Alexandrino patriarchæ, cum propter assertionem catholicæ fidei esset in carcere, visus est ipse Christus quasi puer parvulus cum veste discissa, quia tunc per Arium scissa fuit Ecclesia. Inter ipsa etiam missarum sacra solemnia multis fidelibus, quos enumerare longum est, visus est Christus præsens in alia et alia effigie. Nam aliquibus visus est quasi puer parvulus, aliquibus quasi agnus. Beato autem Gregorio papæ visus est panis in cruentam carnem versus in forma digiti, quasi noviter de corpore vivo abscissi. Sed per omnem hujusmodi specierum varietatem corpus Christi, sem-

Digitized by Google

per id ipsum, suam non mutat identitatem, sed tam nomine, quam essentia idipsum suam operatur efficaciam, scilicet remissionem peccatorum, in his præcipue, quorum *in conspectu* parata est hæc mensa, insipientibus abscondita.

Nimirum hoc est, quod legitur in parabolis Salomonis : « Si sederis cœnare ad mensam potentis considerans intellige, quæ apponuntur tibi, et sic emitte manum tuam, sciens quoniam talia oportet te præparare (*Eccli.* xxxi, 19). » Nam quæ mensa est potentis, nisi unde sumitur corpus et sanguis ejus, qui pro nobis posuit animam suam? Et quid est ad eam sedere, nisi humiliter accedere? Et quid est considerare et intelligere quæ apponuntur tibi, nisi digne tantam gratiam cogitare? Et quid est sic mittere manum, ut scias quia talia oportet te præparare, nisi quod jam dixi? quia sicut « pro nobis » Christus « animam suam posuit, » sic « et nos debemus animas pro fratribus ponere? » (*I Joan.* iii, 16.) Etiam eo modo præparabis talia, qualia Christus præparavit, si accessurus ad mensam ipsius Christi, tuam voluntatem per omnia ita subponas divinæ voluntati, ut ipse suam humanam voluntatem supposuit divinæ dicendo ad Patrem : « Pater, non mea voluntas, sed tua fiat (*Luc.* xxii, 42). » Qui enim sic accesserit ad communionem Dominicæ mensæ, ut suam carnalem voluntatem divinæ voluntati contrariam velit aliquo modo adhuc fieri, talis non desiderat Christo incorporari, sed si esset possibile, ipsum Christum sibi vellet incorporare, atque ideo « reus est corporis et sanguinis Domini (*I Cor.* xi, 17). » Reus est mortis Christi, quem interficit, quantum in ipso est. Quis sapiens, et intelliget hæc? Neque enim ego hæc intelligerem, si non esset parata mensa hæc in conspectu meo.

Nunc autem, quia tu, Deus, *parasti in conspectu meo mensam*, video in hac mensa tua grande miraculum, grande spectaculum. Nam sunt, qui in hac mensa tua sic tibi incorporantur, ut a sua vita penitus occidantur et interficiantur, sicut cum herodio vel accipitri columba incorporatur, ipsa penitus mortificatur : neque enim avis avi incorporari posset manente vita priori. Sunt autem plerique vitam suam priorem nolentes amittere, qui propterea non possunt Christo incorporari, quia nolunt ei morienti commori, nolunt cum eo dicere ad Patrem : « Pater, non mea voluntas, sed tua fiat (*Luc.* xxii, 42) : » quod si ex corde de veritate dicerent, utique ipsi suam carnalem vitam Deo immolarent, suamque voluntatem penitus mortificatam divinæ voluntati adunarent, atque sic transirent in Christi corpus, ita ut cum Paulo apostolo dicere possent : « Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus (*Gal.* ii, 20). » At illi viri impii dixerunt, et dicunt : « Opprimamus » virum « justum (*Sap.* ii, 10) » injuste, et « deglutiamus, eum tanquam infernus vivum (*Proverb.* i, 12). » Sciunt enim quod Christum jam non possunt occidere, ideo volunt vivum deglutire tanquam infernus, tanquam ille cetus, qui deglutivit Jonam vivum non valens mortificare vel sibimet illum incorporare, sed « ille jam non moritur, et mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* vi, 9). » Et illi tamen rei facti sunt in cogitationibus suis, qui insipientes et maligni oderunt sapientiam, et insuper præsumpserunt accedere ad mensam sapientiæ quasi volentes eam deglutire ac suæ insipientiæ unire, sed illa « ædificat sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum, proposuit mensam suam. Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, et ad mœnia civitatis. Si quis est parvulus, veniat ad me, et insipientibus locuta est : Venite, et comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis. Relinquite infantiam, et vivite, et ambulate per vias prudentiæ (*Proverb.* ix, 1-6). » Ecce quomodo sapientia suos convivas vocat ad arcem et ad mœnia civitatis.

Arcem vocamus in civitate altissimam turrim ceteris ædificiis celsiorem, qua intelligimus vitam communem in sancta Ecclesia, cujus exemplum præfulget in apostolis, et eorum discipulis, quibus « erat cor unum, et anima una (*Act.* iv. 32) » in Deo? sive propositum vitæ solitariæ, cujus exemplum patet in Baptista Joanne, potest haberi pro arce. Vocantur ergo ad arcem, id est, ad perfectam et excellentem conversationem convivatur cum sapientia parvuli. Sed de ipsis parvulis et humilibus aliqui sunt infirmi non valentes ascendere ad arcem; hi vocantur saltem ad mœnia civitatis. Mœnia civitatis minora sunt proposita in sancta Ecclesia, verbi gratia conjugatorum, vel etiam continentium, sed proprietates habentium, quibus infra celsitudinem arcis residere concessum est in convivio sapientiæ, dummodo suam voluntatem voluntati sapientiæ studeant subjicere atque adunare, ut fiat, quod scriptum est : « Qui adhæret Domino, unus spiritus est (*I Cor.* vi, 17). » Notandum vero quod insipientibus et malignis a convivio isto exclusis insipientes humiles vocantur, cum ipsa Sapientia dicat : « Si quis est parvulus, veniat ad me; » et « comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis (*Prov.* ix, 4, 5). » Ne autem putent sibi licitam esse communionem talis mensæ, nisi prius, relinquant fatuitatem suæ insipientiæ, adjungit : « Relinquite infantiam (*ibid.*, 6). » Et quia non sufficit a malis cessare, nisi quis etiam studeat aliquod bonum propositum servare sive in arce civitatis, sive in mœnibus arci vicinis, recte cum dixisset : « relinquite infantiam, » adjecit : « Et vivite. et ambulate per vias prudentiæ (*ibid.*). » Quia vero insipientibus parvulis ad *mensam* sapientiæ admissis, insipientes, maligni et superbi oderunt sapientiam, neque invitantem audiunt, sed ei magis contradicunt, eam que derident, recte sequitur : « Qui erudit derisorem, ipse sibi facit injuriam : et qui arguit impium, generat maculam sibi. Noli arguere derisorem, ne oderit te (*ibid.*, 7 *et* 8). » Et nos itaque a talibus arguendis cessemus, ne illis contra nos rixantibus

Digitized by Google

nobis maculam generemus. Humilibus autem hoc sit a nobis tanquam Deo per nos exhortante persuasum, ne unquam accedant ad sanctum Sapientiæ convivium, nisi prius elegerint, vel in arce civitatis, vel intra mœnia ejus certum bonæ conversationis propositum, in quo mortificent velle suum, redigendo illud sub velle divinum ad nullum penitus actum suam intendendo voluntatem, nisi quem divinæ voluntati beneplacitum intelligant, vel saltem credant.

Ne autem intellectus eorum, aut credulitas deceptioni pateat, ita ut arbitrentur se obsequium Deo præstare in aliquo actu, qui est contra Deum, scrutandæ sunt Scripturæ veritatis, in quibus liquido apparet beneplacitum divinæ voluntatis, quas qui ignorat, ignorabitur; qui autem eas non ignorat, sed contra eas ita facit aliquid, ut sibi hoc non putet nocere, invenenatus est illo antiqui serpentis veneno, quo læsa fuit prima femina, nimirum suasu serpentis ita seducta, ut putaret non nocere, sed prodesse, si manducaret vetitum contra Dei præceptum. Qui vero Scripturas intelligens, vel secundum eas catholico doctori credens, contra eas aliquid agere intendit, putans quidem illud nocere, sed non in tantum Deo displicere, ut graviter vindicet in tale quid agentem propter conviventium sodalitatem, dum quis hominibus morem gerat in his, quæ Deo displicere intelligit, hic perversus et læsus est illo veneno, quo protoplastus, extabuit, quando voci uxoris plus quam voci Dei obedivit, non quod fecit, credens utile, sed morem gerendo uxori suæ, quam quia Deus dederat sociam, non arbitratus est grandem culpam, si voci ejus obediret contra vocem divinam. Non enim fuerat ita seductus in prævaricatione sicut mulier, quæ sibi utile credidit, quod noxium fuit; sed in hoc tamen deceptus est, quia culpam suam in hoc putavit excusabilem, quod noluit conturbare socialem unanimitatem suasioni uxoris contradicendo, quam sociam acceperat a Deo. Unde postmodum redarguitus a Deo de peccato suo declinavit « cor » suum « in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis (*Psal.* CXL, 4), » cum diceret : « Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi, et comedi (*Gen.* III, 12). » Sic multi sequaces ejus contra Dei voluntatem scienter agunt pro sociali commanentia eorum, cum quibus vivere disposuerunt, a quibus erat potius discedendum, quam eorum voluntati contra Dei voluntatem cedendum.

Taliter dispositis imo perversis hominum primorum voluntatibus contra voluntatem Dei, accessit ad confirmationem tantæ malitiæ vetitus ille cibus, quem comedens homo gratis est sub peccato venundatus. Unde ait propheta : « Gratis venundati estis (*Isa.* LII, 3). » Revera gratis est homo venundatus, qui se ipsum perdidit, sed pretium sibi a diabolo promissum non accepit. Quocirca necessaria est redemptio, in qua totum se dare debet homo, ut accipiat pretium sibi a Deo promissum. « Qui » enim, ait Veritas, « perdiderit animam suam propter me, inveniet eam (*Matth.* X, 31). » Quid est animam suam propter Deum perdere, nisi voluntatem carnalem seu animalem sic mortificare ut firmum sit homini propositum, nunquam aliquid sibi faciendum contra Deum, neque spiritui erroris plus quam Spiritui veritatis credendo, quod peccatum mulier seducta commisit, neque hominum societati morem gerendo, sicut fecit Adam? Taliter dispositis hominum voluntatibus, cum accipitur Christi corpus, ille benedictus angelorum panis cor hominis confirmat, illa caro, quæ vere est cibus, fit homini antidotum contra geminum venenum primorum parentum, et bona credulitate mala credulitas expiatur, tanquam si homini sic dicatur : Credidisti diabolo, quod non videbas in pomo, ut videlicet illius comestio faceret te similem Deo. Crede nunc Filio Dei, quod non vides, ut videlicet in pane quem corpus suum nominat, summæ Divinitatis participatio tibi proveniat. Sic enim ait : « Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo (*Joan.* VI, 57). » Item : « si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, et panis, quem ego dedero, caro mea est pro mundi vita (*ibid.*, 52). » Tu igitur, homo, qui credidisti diabolo deceptori pretium divinitatis fallaciter promittenti, et in tali credulitate cibum vetitum ab illo tibi oblatum comedisti, crede nunc Salvatori communionem suæ Divinitatis tibi promittenti, et in tali credulitate manduca ipsius carnem et bibe sanguinem. Sed antequam tale antidotum accipias, venenum a serpente conceptum prius evomere, cognoscendo et confitendo malum esse, quod voluntatem tuam divinæ voluntati superposuisti, quotiescunque peccasti, vel bonum malum et malum bonum credendo, sicut Eva seducta; vel malum quidem malum et bonum, sicut erat, credendo, sed hominibus in hoc morem gerendo, ut contra tuam conscientiam, vel malum vitandum admitteres, vel bonum faciendum omitteres, quod fuit peccatum Adæ, cui omnino est oppositus iste secundus Adam, qui non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui misit eum.

Hujus corpus quotiescunque manducamus, operæ pretium est audire vocem ejus de excelso : cibus sum grandium, cresce, et manducabis me, nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. Revera « hæc est mutatio dexteræ Excelsi (*Psal.* LXXVII, 11), » quia mutatur is qui comedit in illum qui comeditur, cujus permutationis in hoc experimentum capitur, si humana voluntas divinæ voluntati sic adunatur, ut ipsi Deo in veritate dicat homo : non, quod ego volo, sed quod tu vis, fiat (*Matth.* XXVI, 39). Qui autem suam carnalem voluntatem contra divinam voluntatem desiderat adhuc fieri, sive ille sit cum Eva seductus in malam fidem, ut bonum malum, vel malum bonum credat; sive cum Adam deceptus magnum malum minus malum credat fide ac retenta, quod malum

Digitized by Google

sit malum, sed minus sit malum Deum altissimum, A quam hominem socium offendere, hic si accedit ad corpus Christi manducandum, et sanguinem ejus bibendum, quia vinum novum in utres veteres mittit, vinum effundetur, et utres pereunt. Effundetur, sed non perdetur. Quomodo enim perire potest, qui « venit salvum facere, quod perierat? » (*Luc.* XIX, 10.) Quomodo perire posset corpus et sanguis ejus, qui ubique est? Attamen qui hunc sanguinem uvæ prelo crucis expressum in utres veteres mittunt, rei sanguinis hujus fiunt, quasi eum perdiderint, quia in eis non remansit, quod non perdit.

Gratias igitur ago tibi, Domine, qui regis me qualemcunque famulum tuum David, id est manu fortem contra tentationes, desiderabilem in virtutibus, B vel certe me David pœnitentem, et psalmum pœnitentialem *Miserere mei, Deus*, canentem. Gratias, inquam, ago tibi, quia mensam tuam paratam in conspectu meo habeo, dum fidei oculis aspicio, quod mihi voluntatem meam tuæ voluntati substernenti, atque sic in humilitate cordis ad mensam tuam sedenti « panis » tuus, qui « cor hominis confirmat, » magnam virtutem, et fortitudinem, atque tutelam administrat « adversus eos, qui tribulant me (*Psal.* CIII, 16). » Nam unde ego vitam, inde illi manducant judicium. Etiam per hoc *virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt*, quod post virgam disciplinæ quasi baculum substentantem *parasti mensam in conspectu meo*, de qua mensa jam non alar lacte C sicut parvulus, sed jam exercitatus et ablactatus cum Isaac habeam grande convivium in die ablactationis meæ accipiendo fortiores et solidos cibos confertatorios mihi, et consolatorios *adversus eos qui tribulant me.*

Qui sunt *qui tribulant me?* Hi nimirum quos designat nuntius Job dicens : « Chaldæi fecerunt tres turmas, et invaserunt camelos, et tulerunt eos, nec non et pueros percusserunt gladio (*Job* I, 17). » Chaldæi *feroces* interpretantur, quorum nomine hostes Ecclesiæ recte notantur, qui in tres turmas distinguuntur. Est namque una turma dæmonum, altera turma malignorum hominum. Tertia turma carnalium passionum. Turmæ istæ diverso modo *tribulant me.* Nam dæmones contra me feroces impugnant invisibiliter immittendo cogitationes noxias. Maligni homines, et ipsi feroces impugnant visibiliter, vel ad sui similitudinem me trahere molientes, vel pro sui dissimilitudine persequentes. Carnales passiones, quibus « corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem (*Sap.* IX, 15), » et ipsæ feroces velut bestiæ immansuetæ multoties *tribulant me*, cum volo et non valeo eas ad plenum domare. Contra omnes hujusmodi hostes, *qui tribulant me, parasti in conspectu meo mensam.* Quod et famulus tuus Ambrosius intellexit, qui paratam habens *in conspectu* suo *mensam* tuam sic oravit :

« Summe sacerdos et vere pontifex, qui te obtulisti Deo Patri hostiam puram et immaculatam in ara crucis pro nobis peccatoribus, qui dedisti nobis carnem tuam ad manducandum, et sanguinem tuum ad bibendum, et posuisti mysterium hoc in virtute sancti Spiritus, dicens : Hoc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis, rogo te per sanguinem tuum pretiosum magnæ salutis nostræ pretium, rogoque per hanc miram et ineffabilem charitatem, qua nos miseros sic amare dignatus es, ut lavares nos a peccatis nostris in sanguine tuo. Doce me indignum famulum, quem inter cætera dona tua et ad officium sacerdotale vocare dignatus es nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ ; doce me, quæso, per Spiritum sanctum B tantum tractare mysterium ea reverentia et amore, ea devotione et timore, quibus oportet et decet. Fac me per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere et intelligere, sentire et firmiter retinere, dicere et cogitare, quod tibi placet et expedit animæ meæ. Intret Spiritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono et strepitu verborum, loquatur omnem veritatem tantorum mysteriorum. Profunda quippe sunt nimis, et sacro tecta velamine. Propter magnam clementiam tuam concede mihi missarum solemnia puro corde et munda mente celebrare. Libera cor meum ab immundis et nefandis, vanis et noxiis cogitationibus. Muni me beatorum angelorum fida et pia custodia, ut hostes omnium bonorum confusi discedant. Per virtutem C tanti mysterii et per manum sancti angeli tui repelle a me et a cunctis servis tuis durissimum Spiritum superbiæ et cenodoxiæ, invidiæ et blasphemiæ, fornicationis et immunditiæ, dubietatis et diffidentiæ. Confundantur, qui nos persequuntur, percant illi qui cuncta bona perdere festinant. Rex virginum, amator castitatis et integritatis Deus, cœlesti benedictionis tuæ rore exstingue in corpore meo totum fomitem ardentis libidinis, ut maneat in me tenor totius castitatis corporis et animæ. Mortifica in membris meis carnis stimulos, omnesque libidinosas commotiones, et da mihi veram et perpetuam castitatem cum cæteris bonis tuis, quæ tibi placent in veritate, ut sacrificium laudis casto corC pore et mundo corde quotidie tibi valeam offerre. Quanta enim cordis contritione et lacrymarum fonte, quanta reverentia et tremore, quanta corporis castitate et animæ puritate istud divinum et cœleste sacrificium est celebrandum. Domine, ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate bibitur, ubi ima summis conjunguntur, ubi tu es sacerdos et sacrificium mirabiliter et ineffabiliter! Quis digne potest hoc celebrare, nisi tu, Deus omnipotens, offerentem dignum feceris? Scio et vere scio, et idipsum bonitati tuæ confiteor quod non sum dignus accedere ad tantum mysterium, propter nimia peccata mea et infinitas negligentias meas. Sed scio et veraciter ex toto corde credo, ore confiteor quia tu potes me facere dignum, qui solus

Digitized by Google

facere potes mundum de immundo conceptum semine, et de peccatoribus justos facis et sanctos. Per hanc omnipotentiam tuam te rogo, concede mihi peccatori hoc cœleste sacrificium celebrare cum timore et tremore, cum lacrymarum fonte, cum lætitia spirituali et cœlesti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem beatissimæ præsentiæ tuæ, et excubias sanctorum angelorum tuorum in circuitu meo. Ego memor venerandæ Passionis tuæ, accedo ad altare tuum, licet peccator, ut offeram tibi sacrificium, quod tu instituisti, et offerri præcepisti in commemoratione tua pro salute nostra. Peto clementiam tuam, ut descendat super panem hunc, et calicem plenitudo tuæ divinitatis : descendat etiam, Domine, illa sancti Spiritus tui invisibilis et incomprehensibilis majestas, sicut quondam in Patrum hostiis descendebat, qui et oblationes nostras corpus et sanguinem tuum efficiat, et me indignum sacerdotem doceat tantum tractare mysterium cum cordis et corporis puritate, cum lacrymarum fonte, cum reverentia et tremore, ita ut placide et benigne suscipias sacrificium de manibus meis ad salutem omnium tam vivorum quam defunctorum. Rogo te, Domine, per ipsum sacrosanctum et vivificum mysterium corporis et sanguinis tui, quo quotidie in Ecclesia tua pascimur et potamur, abluimur et sanctificamur, atque unius summæ Divinitatis particeps efficimur. Da mihi virtutes tuas sanctas, quibus repletus bona conscientia ad altare tuum accedam, ita ut hæc cœlestia sacramenta efficiantur mihi salus et vita. Tu enim dixisti ore tuo sancto et benedicto : « Panis, quem ego dabo, caro mea « est pro mundi vita. Qui manducat me, vivet propter « me, et ipse manet in me, et ego in eo. Ego sum « panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum (*Joan.* VI, 51, 52). » Panis dulcissime, sana palatum cordis mei, ut sentiam suavitatem amoris tui; sana eum ab omni languore, ut nullam præter te sentiam dulcedinem. Panis candidissime, habens omne delectamentum et omnem saporem suavitatis, qui nos semper reficis, et in te nunquam deficis, comedat te cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ. Manducat te angelus pleno ore, manducet te peregrinus homo pro modulo suo, ne deficere possit in via, tali recreetur viatico. Panis sancte, panis vive, panis pulcher, panis munde, qui descendisti de cœlo, et das vitam mundo! veni in cor meum, et munda me ab omni inquinamento carnis et spiritus. Intra in animam meam, et sanctifica, sana interius et exterius. Esto tutamen et continua salus corporis et animæ meæ. Repelle a me insidiantes mihi hostes, recedant procul a præsentia pœnitentiæ meæ, ut foris intusque munitus per te recto tramite ad regnum tuum perveniam, ubi non mysteriis, sicut hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris regnum Deo et Patri, et erit Deus omnia in omnibus. Tunc enim me de te satiabis suavitate mirifica, ita ut neque esuriam, neque sitiam in æternum. Amen. »

Hac oratione magni Ambrosii diligenter perspecta evidenter patet quomodo tu, Deus, *parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* Videlicet adversus tres turmas Chaldæorum, id est ferocium, de quibus jam supra dictum est. Cum enim hoc oratur, et a viro tanto speratur, ut per virtutem tanti mysterii cor sacrificantis vel communicantis liberetur ab immundis et nefandis, vanis et noxiis cogitationibus, et a spiritu superbiæ, cenodoxiæ, invidiæ, aliisque spiritibus nequam, una turma Chaldæorum ferociter nobis adversantium, scilicet dæmonum, virtute mystica propulsatur. Item cum orat, ut confundantur, qui nos persequuntur, et percant, qui nos perdere festinant, altera turma propulsatur, videlicet malignorum hominum, quos optamus confundi ad pœnitentiam et perire, ita ut desinant esse mali, et deficiant peccatores a terra et iniqui, ita ut non sint iniqui.

Postremo adversus eos, qui in tertia turma nos tribulant pugnantibus contra spiritum carnalibus commotionibus, quasi validissimum scutum, tua, Deus, mensa paratur, in cujus præparatione minister, seu conviva hujus mensæ sic orat : « Rex virginum, amator castitatis et integritatis Deus, cœlesti rore benedictionis tuæ exstingue in corpore meo totum fomitem ardentis libidinis, ut maneat in me tenor totius castitatis. Mortifica in membris meis carnis stimulos, omnesque libidinosas commotiones, da mihi veram et perpetuam castitatem. »

In congressu primæ turmæ, ubi contra spiritum durissimum superbiæ oratur, humilitatis fundamentum ponitur, quæ velut radix omnium virtutum primitus in corde plantatur, cum sacrificii virtute mystica superbiæ spiritus longe fugatur, fugientibus pariter sex aliis nequam spiritibus, vel etiam septem aliis nequioribus, quibus omnibus ille dux est elato clationis vexillo prævius. Deinde in congressu turmæ secundæ recte pro malignorum hominum pœnitentiali confusione oratur, et salubris perditio illis optatur. Nisi enim perdant animam suam in hoc sæculo, in vita æterna non invenient eam. Qua ratione quid agitur, nisi ut supra humilitatis fundamentum consurgat perfectæ charitatis templum pacifico regi Salomoni condignum, « qui facit utraque unum (*Ephes.* II, 14), » destructo pariete inimicitiarum? Extra hoc templum cassum est omne sacrificium; cassa est omnis oratio quæ non fit in hoc templo. Nam testante Apostolo : « Etsi tradidero corpus meum, ita ut ardeam » totus factus holocaustum (quo non est majus ullum sacrificium), « charitatem autem non habeam, nihil sum, nihil mihi prodest (*I Cor.* XIII, 3). Unde aptissime sicut rex Salomon posuit mensam propositionis in templo, sic tu, Deus, *parasti in conspectu meo mensam* in sanctæ charitatis ædificio, quod dicitur *san-*

Digitized by Google

cta, et est extra velum, quo distinguuntur Sancta sanctorum, quia quantalibet fuerit charitas in præsenti Ecclesia, quæ dicitur *sancta*, minor est illa charitate, cujus inexstinguibilis ignis est intra velum, id est ultra cœlum, in regno cœlorum intra Sancta sanctorum, ubi inter diversos ordines angelorum non est invidia imparis claritatis, quia regnat in omnibus unitas charitatis, *cujus* charitatis aliquantulus « est ignis in Sion, » sed « caminus ejus » est « in Jerusalem (*Isa.* xxxi, 9), » quia charitas hic inchoatur, sed in futuro consummabitur. Hic velut extra velum super altare sacratum nutritur ille sanctus ignis juxta præceptum legis dicentis : « Ignis iste perpetuus erit coram Domino, quem nutriet sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies (*Levit.* xii, 6). » Nam in præsenti quidem vita ignis charitatis ne deficiat, multis indiget bonorum exemplorum nutrimentis et exhortationum fomentis, quæ sufficienter administrare pertinet ad curam sacerdotis, qui manducat panes propositionis positos in mensa, quam tu, Deus, *parasti in conspectu meo adversus eos, qui tribulant me*. In regno autem cœlorum ita regnabit charitatis incendium, ut nullum ei nutrimentum doctrinæ sit ibi necessarium, ubi « nullus docebit proximum, » nec dicet vir fratri suo : « Cognosce Dominum, quia erunt omnes docibiles Dei ; et omnes cognoscent Dominum a maximo usque ad minimum (*Jer.* xxxi, 34) »

Sed ut ad illam consummationem perveniam, video, et videns gaudeo *in conspectu meo mensam* paratam intra charitatis templum, cujus parietes dilatantur usque ad dilectionem eorum *qui tribulant me*. Ne autem spiritali dilectioni carnalis dilectionis zizania interserantur, sicut accidit Salomoni, cujus jam senis « cor depravatum est per mulieres (*III Reg.* xi, 4), » quibus inclinavit femora sua, contra tertiam turmam necessariæ sunt excubiæ vigilantissimæ, ac fundendæ sunt preces assiduæ, quæ possint in cœlum volare jejuniis et eleemosynis alatæ seu pennatæ. « Hoc » enim « genus » turmarum Chaldaicarum « non ejicitur, nisi in oratione et jejunio (*Matth.* xvii, 20). » Pro hac turma superanda rex virginum, amator castitatis recte oravit ad te sanctus Ambrosius, et adhuc orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno, præcipue ante *mensam*, quam *in conspectu* fidelium *parasti*, ut mortificentur omnes libidinosæ et illicitæ commotiones in corporibus tuorum, tuæ mensæ communicantium, maxime autem ministrantium, et sit eorum perfecta et consummata castitas, quam *in conspectu tuo* perornet humilitas et charitas, quia tribus istis virtutibus, humilitate scilicet et charitate atque castitate summæ Trinitati sumus reconciliandi, Patri altissimo per humilitatem, Filio per charitatem, Spiritui sancto per carnalium delectationum in membris nostris mortificationem, quia membra nostra non possunt esse Spiritus sancti templum, nisi abdicata omni turpitudine carnali. Propterea tu, singulare humilitatis, charitatis, et castitatis exemplar, Jesu Christe, quando *parasti mensam adversus eos, qui tribulant me*, sic inter cætera dixisti : « Hoc facite in meam commemorationem (*Luc.* xxii, 19). » Unde et nos memores tuæ passionis, resurrectionis et ascensionis ad mensam istam accedimus, ut per hæc tria tres virtutes accipiamus, id est humilitatem, charitatem et castitatem. Nam quia in passione tua humiliasti te ipsum, « factus obediens » Patri « usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philipp.* ii, 8), » recte per mysterium et memoriam tuæ passionis confidimus nobis dari virtutem veræ humilitatis, quia vero in die resurrectionis apparens discipulis, passionæ tua humilitatis, eisdem infudisti donum tuæ charitatis insufflando et dicendo : « Accipite Spiritum sanctum ; quorum remiseritis peccata, remittentur eis (*Joan.* xx, 22, 23), » recte inter sacra mysteria commemoramus cum passione tuam resurrectionem, ut jungamus humilitati charitatem, cujus ignem tu, magne sacerdos, in die resurrectionis tuæ nutrire curasti subjiciens ligna incentiva, quando incipiens a Moyse, et omnibus prophetis interpretabaris discipulis tuis Scripturas, quæ de te ipso erant (*Luc.* xxiv). Nimirum sic te loquente, ac ligna multa in discipulorum cordibus congerente factus est in eis charitatis ignis copiosus, ita ut dicerent ad invicem : « Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas? » (*Ibid.*, 32.) Itaque sicut tuæ passionis commemoratio ad humilitatem, sic memoria tuæ resurrectionis informat ad charitatem, ut videlicet supra humilitatis fundamentum, qua Patri altissimo reconciliamur, « qui in altis habitat (*Psal.* cxii,5), » « et humilia respicit, et alta a longe cognoscit (*Psal.* cxxxvii, 7), » surgat ædificium, seu templum charitatis in confederationem et gloriam tuam, Rex pacifice, magne Salomon, qui factus es nobis ædificator pacis, et lapis angularis in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum.

Sed ne compages istius ædificationis dissolvantur per illisum flumen carnalis dilectionis, et immundæ libidinis, quasi fortissimum loramentum et firmamentum domus istius, adjungitur castitas mentis et corporis, quam fidelibus tuis administrat memoriale mysterium tuæ ascensionis, qua fit ut ea quæ sursum sunt sapiant, ubi tu es in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt quærant, non quæ super terram (*Coloss.* iii, 2). Unde gustata supernæ delectationis jucunditate libenter mortificant membra sua, quæ sunt super terram, fornicationem, libidinem, concupiscentiam malam et avaritiam, ne amittant semel acceptam castitatis munditiam. Totum hoc nobis confert sacrosancta communio Eucharistiæ, si memoriam passionis, resurrectionis et ascensionis Dominicæ agimus cum devotione mentis in Deum exsultantis, et gaudentis per oleum lætitiæ. Unde supra dictis donis tuis, o Domine, qui regis *me*, ita ut *nihil mihi desit*, adjungis mihi oleum lætitiæ, per quod valeam in te gaudere. Nam

Digitized by Google

Impinguasti in oleo caput meum. Quod mihi est octava gratia, in octava die resurrectionis Dominicæ largiter effusa. Nam post virgam passionis parata mensa vivi panis, qui coctus est per duo ligna crucis, quæ cum vidua Sareptena sancta colligit Ecclesia, per gloriam resurrectionis *impinguasti* tu, Deus Pater, *caput meum*, id est ipsum Christum, qui est caput meum, caput Ecclesiæ. Tunc enim glorificata et clarificata in Christo assumpta humanitas, quia in passione tristis erat usque ad mortem, sic est oleo lætitiæ perfusa, ut ultra ei accidere non possit ulla tristitia : quin imo « sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron (*Psal.* CXXXII, 2), » sic de homine in Deum glorificato descendit lætitia in apostolos ad similitudinem barbæ ipsi capiti conjunctos. « Gavisi sunt » enim « discipuli viso Domino (*Joan.* XX, 20), » et gaudium eorum nemo tulit ab eis, atque inde per illos descendit idem oleum lætitiæ usque in oram vestimenti, usque ad extrema Ecclesiæ membra, inter quæ glorior ego David canendo, et tibi Deo Patri gratias agendo, quod *impinguasti in oleo caput meum*, id est mentem meam, vel hominem a Verbo tuo assumptum, qui est caput meum, depulsa illa siccitate vel ariditate, quam notat Isaias propheta dicens : « Et ascendit sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. Non est ei species, neque decor (*Isa.* LIII, 2). » Sic homo de virgine conceptus, et natus de terra virginea tanquam de terra sicca procreatus, in sua passione humilem ac servilem prætendit habitum non habentem speciem, neque decorem propter quod succisus est judicio iniquorum principum quasi lignum aridum, cum esset ipse lignum viride. Unde et dicitur : « Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, quia si in viridi ligno hæc facient, in arido quid fiet? » (*Luc.* XXIII, 28-31.) Fuit ergo ipse in rei veritate semper « lignum » viride « secus decursus aquarum plantatum, » de quo in primo psalmo (*Psal.* I, 3) in capite libri hujus evidenter scriptum est, quod « folium ejus non defluat, » sed semetipsum exinanivit, ut in sua morte videretur quasi lignum aridum. In resurrectione autem de Divinitatis suæ pinguissima radice sic refloruit, ut quasi oliva fructifera materiam luminis, et unguentorum sufficienter administret, qui et in ascensione Spiritum sanctum effundendo, et quasi vitis fructificando suavitatem odoris « vinum lætificans cor hominis (*Psal.* CIII, 15) » abundanter protulit. Et hæc est nona gratia, de qua in gratiarum actione dico :

Et calix meus, Spiritus videlicet tuus in me effusus, *inebrians, quam præclarus est! Calix* enim tuus, quia tu eum das : et *meus*, quia eum mihi das, *quam præclarus est!* Neque enim sic inebriat, ut sobrietatem auferat, sed eam potius adauget clarificando sensus nunc interioris hominis, et posthac etiam exterioris, quando « reformabitur corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis (*Philipp.* III, 21) » tuæ. Nunc interim sive calix tuus, sive, ut alia translatio habet : *Poculum tuum inebrians*, ita inebriat, ut oblivionem terrenarum vanitatum bibentibus conferat, quia sicut corpus tuum se digne comedentes tibi Christe, concorporat, sic et sanguis tuus et Spiritus tuus bonus digne se bibentes tibi conviscerat, et convivificat, ut possit quisque illorum dicere : « Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus (*Galat.* II, 20). »

VERS. 6. — *Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Hæc est novissima et decima gratia præcedentium gratiarum præparatrix et conservatrix. Nam tua, Deus, misericordia, quæ prævenit « omne datum optimum et omne donum perfectum (*Jacob.* I, 17), » conferendo ad custodiendum, quod contulit, *subsequetur me. Misericordia*, inquam, *tua*, id est Spiritus tuus mihi in pignus datus, *subsequetur me*, non ad horam, sed *omnibus vitæ meæ*, vitæ mortalis, inhabitando, specialius autem interdum visitando, et sua collatione, seu vigilantem, seu dormientem ad opus tuum suscitando. In mortali namque carne, dum vivo, diligentissima et perseveranti custodia indigeo, ne deficiam in via, sed et hic bene curram, et taliter cursum consummando, et fidem servando, ad bravium veniam *ut inhabitem* in futuro sine fine *in domo Domini, in domo* non manufacta, sed æterna in in cœlis ; non ad horam, sed *in longitudine dierum* æternaliter. Ista finalis causa de omnibus superioribus pendet. Ad hoc enim supra dicta concessa sunt, *ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum*, de servo adoptatus in filium. Nam servus non manet in domo in æternum ; filius autem manet in æternum.

Gloria Patri, qui oleo lætitiæ perunxit et impinguavit caput meum Christum Filium suum. *Gloria Filio*, qui est mons Dei, mons pinguis, impinguatus tanquam saginatus vitulus, quem pius Pater occidit prodigo filio suo reverso. *Gloria Spiritui sancto*, qui est hæc pinguedo, vel oleum, quo Patre ungente impinguatus est homo Christus Jesus, qui etiam Spiritus *calix meus inebrians, quam præclarus est!* Gloria horum trium uni æternitati, quæ est illa longitudo dierum, qua spiritus propheticus concludit *psalmum* istum.

PSALMUS XXIII.

VERS. 1. *Domini est terra, et plenitudo ejus.* Titulus est

(VERS. 1.) PSALMUS DAVID IN PRIMAM SABBATI.

Gentiles a nominibus septem planetarum dies

Digitized by Google

appellabant, primum diem in hebdomada vocantes diem Solis ; secundum, diem Lunæ ; tertium, diem Martis ; quartum, diem Mercurii ; quintum, diem Jovis ; sextum, diem Veneris ; septimum, diem Saturni. Talibus nominibus honorabant septem planetas, vel potius sua æstimatione magnos quosdam homines, quibus ut Divinitatis honorem conferrent, falsa opinione nomina eorum transferebant in planetas, de quarum cursu, ortu et occasu putabant fata humanæ vitæ pendere, ut, verbi gratia, qui oriente Marte nasceretur, bellicosus, qui oriente Venere, luxuriosus existeret, et sic etiam de reliquis planetis aliquid in se traherent, quicunque illis orientibus, vel occidentibus aliquid agere inciperent.

Sed hujus erroris paganam superstitionem Christiana religio penitus abominata diebus hebdomadæ formavit sic nomina, ut prima dies Dominica dicatur, seu prima feria, deinde per ordinem secunda feria, id est secunda dies a feria, tertia feria, quarta feria, quinta feria, sexta feria, septima feria vel *Sabbatum* dicatur. Vel etiam propterea *feriarum* apud nos dies nomine vocantur, quod semper Christianis est feriandum, et vacandum a servili opere, quod est peccatum.

Hebræi vero propter dignitatem *Sabbati* omnes alios dies appellabant nomine *Sabbati*, et qui primus erat post Sabbatum, dicebatur prima *Sabbati*, id est, prima dies post Sabbatum. Alius secunda *Sabbati*, et deinceps per ordinem, tertia *Sabbati*, quarta *Sabbati*, quinta *Sabbati*, sexta *Sabbati*. Sabbatum. In prima *Sabbati* factus est mundus, et lux facta est, ac divisa a tenebris, ut res pridem confusæ clarescerent per lucem ex distinctione formarum. Sic in resurrectione Christus depositis tenebris mortalitatis clarificatus est, et homo redemptus, ablata peccatorum caligine, reformatus est, atque sic novus orbis fundatus est.

De hac clarificatione Redemptoris, et redempti hominis restauratione, deque totius Ecclesiæ fundatione agit hic psalmus ordine congruenti. Nam peracta Christi passione, ac de latere ipsius aqua resurrectionis effusa, sicut in duobus præcedentibus psalmis tractatum est, consequenter occurrit agendum, quomodo per Dominicæ resurrectionis triumphum fundata sit Ecclesia in orbe terrarum. Loquitur autem ad similitudinem præconis, qui post triumphum prædicat esse terram victori, dicens : *Domini est terra, et plenitudo ejus.* In ultimis vero versibus patet intentio, in quibus monet victorem cum triumpho suscipere.

Distinguitur autem hic psalmus in tres partes. Primo totum orbem Domini esse dicit, ut sicut nullus ab ejus imperio est exceptus, ita nec a fide seu a fidelitate sit alienus. Secundo determinat, quibus virtutibus debeant pollere, qui ascribi volunt in ejus curia, et militare in ejus militia. De cujus curiæ seu militiæ disciplina ibi fit quæstio, ubi dicitur : *Quis ascendet in montem Domini ?* Tertio adversarios increpat, et quasi præco viam parat Domino, præcipiens ad introitum victoris de medio tolli *portas*, ante victoriam ei et suis clausas. Ergo sive Propheta, sive devotus Psalmista de resurrectionis triumpho lætus, humanum genus, quod varia superstitione laborat, alloquitur, et ait :

Domini est terra, et plenitudo ejus. Jure humano dicit quisque possessor agrorum, vinearum, domorum : iste ager meus est, hæc vinea, vel hæc domus mea est, et propter hoc fiunt bella, et lites, atque contentiones, dum quisque suam possessionem dilatare cupit. Similiter jure fori dicit quisque suum, pro quo in foro dedit pretium. Sed jure divino *Domini est terra, et plenitudo ejus*, non solum in parte, sed in universitate : quia *orbis terrarum* ejus est, *et universi qui habitant in eo.*

Vere suus est *orbis terrarum*, non ab alio sibi datus, sed ab ipso creatus. Et quidem diabolus ejusdem orbis pervasor iniquus duxerat hunc ipsum Dominum *orbis terrarum* in montem excelsum, et ostendit illi omnia regna dicens : Hæc omnia « mihi tradita sunt, et cui volo, do illa (*Luc.* IV, 6). » Vere cum hæc diceret ille pater mendacii, ex propriis locutus est : « quia mendax est, et pater ejus (*Joan.* VIII, 44) » mendacii, quod ipse sibi confinxit. Sed Dominus noster Jesus Christus, « cum in forma Dei esset, » et jure divinæ suæ majestatis omnia suo dominio etiam ante mortis obedientiam vindicare potuisset. (« Non » enim « rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo » etiam ante mortis triumphum), tamen « semetipsum exinanivit formam servi » exhibens in se, in « habitu » se tali « inventus ut homo (*Phil.* II, 6, 7). » In quo tandem habitu consummata obedientia obedientiæ præmium orbem *terrarum* gloria et honore coronandus accipere dignus erat, homo præsertim, qui ut talem honorem possideret, non naturæ in se humanæ proprium, sed gratiæ recognovit. Unde nec per se, nec per discipulos hoc publicari voluit ante mortis obedientiam, quod sua esset *terra et plenitudo ejus*, cum illud juste potuisset ex eo quod totus Deus naturaliter Deo natus etiam in humana natura exstitit, propter cujus paternitatem vere dixit : « Omnia mihi tradita sunt a Patre meo (*Matth.* XI, 27), » id est, omnia mihi dedit hoc dando, ut Pater meus ipse sit non adoptive, sed naturaliter, quia me genuit proprium Filium suum, non adoptavit ut alienum. Attamen « humiliavit se ipsum » in terra ipse Dominus cœli « usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum (*Phil.* II, 8, 9). » Sic ergo exaltatus, licet vere potuerit, non tamen dixit vel dicere voluit : mea *est terra, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi qui habitant in eo ;* sed ita potentiæ suæ dominationem enuntiavit, ut pariter et manifestaret veritatem, et servaret, atque doceret hu-

Digitized by Google

militatem. « Data est, » inquit, « mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII, 18), » in quo dicto non sonat potestatis falsa et jactabunda gloriatio, sed vera et humilis gratiarum actio, ut et tu quilibet homo purus, qui nihil habes, quod non accepisti, non glorieris vel de non acceptis quasi acceperis, vel de acceptis, quasi non acceperis, ne in regionem dissimilitudinis exsulans a Christo illi conformeris, qui dixit in propheta : « Meus est fluvius, ego feci me ipsum (*Ezech.* XXIX, 3). » Item in Evangelio secundum Lucam regna orbis terræ ostendens in momento temporis : « mihi, » inquit, « tradita sunt hæc, et cui volo, do illa (*Luc.* IV, 6). » Qui hæc dixit, gloriabatur de non acceptis quasi acceperit, imo, quod pejus est, de raptis, quasi ea non rapuerit. Minister illius erat Pilatus, qui dixit : « Nescis quia potestatem habeo dimittere te, et potestatem habeo crucifigere te? (*Joan.* XIX, 10.) Gloriabatur namque de acceptis, quasi non acceptis. Sed revocatur ab hoc typo jactantiæ per humilitatis magistrum sibi dicentem : « Non haberes in me potestatem ullam, nisi tibi esset datum desuper (*ibid.*, 11). » Poterat quoque diabolum redarguisse dicens : Non tibi tradita sunt regna orbis terræ, neque tu, cui volueris, ea dare poteris ; sed sicut legitur in Daniele : « Dominatur excelsus in regno hominum, et cui voluerit, dabit illud (*Dan.* IV, 14), » sic de mendacio mendax ille redargui poterat. Sed qui venit homines docere, ac dæmones condemnare, in Pilato vanam gloriationem sana doctrina coercuit, in diabolo falsam condemnavit dicens : « Vade, Satanas (*Matth.* IV, 10). » Cavenda est ergo hujusmodi gloriatio, ne quisquam se cum diabolo jactet de aliquo bono non suo tanquam suo, sive de accepto, tanquam illud non acceperit, ut Pilatus, cum nec ipse Dominus Jesus Christus, cui per naturam suæ divinitatis erant omnia subjecta, voluerit ante peractum obedientiæ meritum sibi omnem potestatem assignare, vel etiam postquam data est ei omnis potestas omnium propter obedientiæ meritum, sic de seipso loqui voluerit, quasi ea per se habuerit.

Et habuit quidem a die conceptionis homo virginis filius, idemque Dei Filius omnia per se, sed non a se, sicut nec existit a se, sed a Patre generante, omniaque per hanc ipsam generationem dante. Propter hoc omnia, quæ habet, omnia, quæ potest, refert ad gloriam et gratiarum actionem dantis omnia Patris, ubicunque ipse de se, vel de sua potestate loquitur. Sed illius discipuli sic honorificantes ipsum Filium, sicut ipse honorificavit Patrem, confidenter illum Dominum totius orbis prædicant, quem dicentem audierant : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII, 18). » Ergo illum pervasorem, qui falso dixerat in Evangelio, tradita sibi omnia, et in Ezechiele : « Meus, » inquit, « est fluvius; » illum, inquam, pervasorem per omnes terras missi apostoli de templis idolorum, et de latibulis cordium infidelium fide introducta potenter ejiciunt, atque illum de mundo in infernum fugantes dicunt ei : Vade, Satanas, vel fuge, immunde spiritus, de tota Ecclesia in toto terrarum orbe diffusa, fuge de possessione pervasa ; fuge tu, draco magne, de fluvio humani generis, quem tu falso tuum esse gloriaris ; fuge de aquis dulcibus, quia fontes aquarum sanctificati sunt Christo apparente in gloria : et sicut in Evangelio tibi est concessum intrare in porcos, id est in homines immundos, cum quibus præcipitandus es in mare, fugatus de orbe terrarum in abyssum cum omni tua legione, ut, te in profundum cum tuis demerso, ille solus dominetur et regnet in terra sicut in cœlo, cujus est possessio legitima per passionis triumphum acquisita omnis *terra et plenitudo ejus*. Nam et antequam pateretur, ipsius erat *terra et plenitudo ejus* utpote ab illo et per illum creata, quoniam omnia per ipsum facta sunt, et quando in mundum venit, in propria venit. At postquam vexilla regis prodierunt fulgente ubique crucis mysterio, et quatuor illius cornibus per quatuor mundi partes extensis, duplici ex jure ipsius triumphantis *Domini est terra, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.*

Ad litteram pervasoris ejectio de terra, in qua illi exhibebatur quasi religio divina per multa idola, per hoc apparet, quod crescente in mundo christiana religione destructa sunt delubra, constructæ vero, et multiplicatæ sunt ecclesiæ ; nec licet jam diabolo alicubi dominari, nisi quantum in porcis illi concessis ad hoc sinitur grassari, ut pariter cum illis præcipitetur in abyssum.

Sed in hoc magis de terra ejectus est ille serpens antiquus, quod tu « Domine, benedixisti terram tuam (*Psal.* LXXXIV, 2), » terram virginalem, terram fructiferam, cui dictum est ab angelo : « Benedicta tu in mulieribus (*Luc.* I, 28). » Revera *Domini est terra* ista benedicta, *et plenitudo ejus*, de qua plenitudine illi dicitur : « Ave, Maria gratia plena (*ibid.*). » Et singulari quidem benedictionis privilegio dilecta possessio *Domini est* ista *terra, et plenitudo ejus*, sed universali quodam jure postulans a Deo Patre accepit in « hæreditatem » suam « gentes, et possessionem » suam « terminos terræ (*Psal.* II, 8). » Unde jure dicimus : *Domini est terra, et plenitudo ejus*, quia sancta Ecclesia non jam terra vacua et inanis sub aquis latet paganismi, quam Dominus possessor ejus de profundo exaltavit, et super flumina præparavit congregatis aquis, quæ sub cœlo sunt, in locum unum, ut appareat arida, et sit terra fructifera. Nam sicut ad litteram aquæ in principio terram totam operientes depressæ sunt in subterraneos recessus terrarum, ut super maria fundatus et exaltatus appareret orbis terrarum, et traderet fructum suum : sic post resurrectionem Domini nostri Jesu Christi ex mortuis effuso desursum Spiritu sancto, qui et in

Digitized by Google

principio ferebatur super aquas, Ecclesia est exaltata, quæ recte dicitur *orbis terrarum*. *Orbis* propter perfectionem, *terrarum* propter diversorum fructuum ubertatem. Etenim sicut in orbe terrarum inde fit copia divitiarum, quod, cum alia sit terra ferax frumenti, alia vini, alia olei, alia gemmarum, et alia metalli pretiosi, seu raræ vestis, invicem sibi terræ communicant, et fructus, quos habent singulæ, possident omnes in communione : sic in spiritalibus de singulorum virtutibus fit communis omnium fructus, quando « unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrando, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei » satagit, verbi gratia : « si quis loquitur quasi sermones Dei, si quis ministrat tanquam ex virtute, quam administrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus, » cujus « est terra et plenitudo ejus, » cujus est « orbis terrarum, et universi qui habitant in eo (*I Petr.* IV, 10, 11). »

Divinus evangelista Lucas hoc ipsum notando, quod *Domini est terra, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi qui habitant in eo*, recte in ejus Nativitate indicat « edictum » exiisse « a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima facta est » a nascente Domino, cujus est « terra, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo. Hæc, » inquam, « descriptio » tunc « prima facta a præside Syriæ Cyrino (*Luc.* II, 1, 2), » quoniam nunquam antea tanta pax fuit, ut totus orbis describi potuisset, tali descriptione, sub qua irent omnes, ut profiterentur. Vix enim partibus orbis terræ imperabant reges vel tyranni ante adventum Christi. Sed illo veniente in mundum descriptio et professio fit omnium ad unius regis imperium, quia Christus est unus imperator et rex omnium sæculorum, cui recte assignatur descriptio et professio omnium, quoniam electos ex omnibus gentibus ipse calamus scribæ velociter scribentis assignat in libro suo ad vitam, qui cum nunc profitentur usque ad mortem. Dicant igitur apostoli, dicant omnes, et profiteantur electi, quoniam *Domini est terra, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi qui habitant in eo. Domini est terra* fructifera, cujus fructus in virtutibus est; et *plenitudo ejus*, quia non est terra inanis et vacua, quæ, Domino eam colente, frugibus est plena.

In hanc terram multi veniunt, sed non manent in ea, quoniam ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Sed novit Dominus, qui sunt ejus, illi scilicet, qui habitant in ea terra, quæ non est inanis et vacua, quæ intelligitur sancta Ecclesia in orbe terrarum dilatata. In hac illi soli habitant, qui fidem factis probant. Nam quasi exsules in ea sunt, qui fidei, quam fatentur, contradicunt operibus. Merito autem hæc *terra Domini est*, et istius terræ orbis cum suis habitatoribus *Domini est*.

VERS. 2. *Quia ipse super maria fundavit eum congregans sicut in utre aquas maris* (*Psal.* XXXII, 7). Quasi enim in utre coarctatur mare, cum suis ejectum littoribus, vectibus, et ostio clausum non operiat terram *super* mare fundatam, et *super* flumina præparatam. Dum enim flumina descendunt in mare, stat fixus, et immobiliter fundatus orbis terræ. Sic et multo magis Ecclesia *super maria* cupiditatum sæcularium fundata, et *super flumina* tentationum est præparata, quæ superando cupiditates et tentationes ad æternitatem tendit, ad quam Dominus *præparavit eam*. Præparator est enim Dominus regni cœlorum et eorum qui sunt venturi in illud. Propterea dicit in fine, quando jam parata erunt omnia : « Venite ad nuptias : » quia « ecce » jam « parata sunt omnia (*Matth.* XXII, 4). » Item : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est (*ibid.* XXV, 34). »

VERS. 3. *Quis ascendet in montem Domini?* O apostoli, qui nuntiatis, et demonstratis orbem terræ *super maria* fundatum, et *super flumina* præparatum, qui sic loquentes nobis miseris in mari adhuc naufragantibus ostenditis orbem terræ habentem littus altum, littus æternæ stabilitatis et soliditatis, dicite nobis : *Quis ascendet in montem Domini?* quis de alto maris *ascendet* in altum excelsi hujus littoris, quod littus est mons Domini? Et propheta Isaias de monte hoc loquens, « erit, » inquit, « in novissimis diebus mons Domini præparatus in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent : Venite, ascendamus in montem Domini, et ad domum Dei Jacob (*Isa.* II, 2, 3). » Multi ergo dicent : Ascendamus; sed *quis* de omnibus ascendit in *montem Domini?* Multi dicent : *Domine, Domine* (*Matth.* VII, 21); sed quis intrabit in regnum cœlorum? « Multi sunt vocati (*ibid.* XX, 16) : » sed qui sunt electi? Multi quasi magno nisu conantur, ut ascendant; sed quis ascendendo perseverabit in finem? Aut quis stabit in loco sancto ejus, et non recedat retrorsum?

VERS. 4. *Innocens manibus et mundo corde.*

Vultis scire, quis ascendat? *Innocens manibus, et mundo corde*, id est qui nullis nocet operibus, et *mundo corde* cavet etiam in cogitatione peccare, nolens quemquam lædere. Neque hoc illi sufficit, quod alterum nec lædit opere, nec lædere intendit corde ipse *innocens manibus et mundo corde*, sed cognoscens veram esse innocentiam, quæ nec sibi nec alteri nocet, etiam sibimet ipsi vivit utiliter.

Qui non accepit in vano animam suam. Qui habens oculos non eis utitur ad videndum, in vanum habet eos. Ita homo, qui habens animam rationalem ratione non utitur, sed vivit irrationabiliter, hic *in* vanum accepit *animam suam;* nec talis *ascendet in montem Domini :* sed is, *qui non accepit in* vanum *animam suam*, cujus ut pectus est rationabile, ita quoque obsequium est rationabile, quoniam bene utitur, et nunquam abutitur ratione; aut si abusus ea fuerit, satisfacit rationabili emendatione.

Digitized by Google

Aliter : « Vanitas vanitatum, » dixit *Ecclesiastes*, « et omnia vanitas (*Eccli.* I, 2). » Cumque diligenter enumerasset omnia quæ sub cœlo sunt concupiscibilia, sicut sunt mundi hujus divitiæ ac deliciæ atque honores gloriæ temporalis, ad hunc finem loquendi pervenit, ut omnibus istis tanquam vanitatibus transcensis atque spretis, quia non est eis verum ac solidum, sive constans *esse*, judicet non esse aliud verum *esse* hominis, nisi ut Deum timeat et mandata ejus custodiat. « Deum, » inquit, « time, et mandata ejus custodi, hoc est omnis homo (*Eccli.* XII, 13). » Si ergo in hoc, vel ex hoc est omnis homo, quod Deum timet, et mandata ejus observat, qui Deum non timet, et mandata ejus negligit, ipse non est homo, imo nec dicendus est *esse*, qui non habet verum esse. Hic talis quasi evanescens cum hujus mundi transitoria vanitate longe separatur ab æternitatis beata soliditate. Opposita quippe sunt inter se *vanum* et *solidum*, *vanitas* et *veritas*, *instabilitas* et *stabilitas*, et quisque hominum talis efficitur, quale est illud, quod ab eo præcipue quæritur et diligitur. Qui ergo ista vana et transitoria potissimum diligit, cum ipsis vanis evanescit. Qui autem per timorem, et dilectionem atque custodiam legis adhæret Domino, unus Spiritus est, et quanto magis inhæret veritati, quæ Deus est, obediendo ejus præceptis et credendo promissis, tanto fit longe a vanitate fallaci, illi dissimilis, cui sua *vanitas* improperatur, cum ei dicitur : « Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et prævaluit in vanitate sua (*Psal.* LI, 9). »

Recte divitiis vanitatem copulat, quia *esse* illarum penitus est instabile ac vanum. Sed est homo, qui *in* hoc *vano* accipit *animam suam* ; et est homo, *qui non accepit in* hoc *vano animam suam*. « Dives » ille, qui « epulatur quotidie splendide (*Luc.* XVI, 19), » *accepit*, et acceptabilem habuit *animam suam*, id est vitam suam *in* hoc *vano* divitiarum, et deliciarum ; sed ipse hoc vanum non intellexit vanum esse, donec sepultus est in infernum nihil secum ferens de suis divitiis, nisi vanam memoriam deliciarum præteritarum, et ex eo cruciabatur, quia erat omnino præteritum, quod ipse dilexerat quasi mansurum. Tunc « vexatio sola intellectum dedit auditui (*Isa.* XXVIII, 19) » ejus, quam vanum fuit, in quo *animam suam accepit*, in quo illi acceptabile fuit *animam suam* oblectare, vel *animam suam*, id est vitam suam expendere. « Quisquis » igitur in hoc « vano invenit animam suam, perdet eam, et qui perdiderit animam suam (*Matth.* X, 31) » *in* hoc *vano*, « in vitam æternam custodit eam (*Joan.* XII, 25). » Quis est, qui invenit *animam suam* in hoc mundo vanitatibus pleno, nisi qui facit voluntatem suam in eo? Et rursum quis est, qui perdit *animam suam* in hoc mundo penitus *vano*, nisi qui mortificat voluntatem propriam, dum *non* accipit illam *in vano?*

Diligenter animadvertendum est quod dicitur : *Qui non accepit in vano animam suam.* Sic enim creata fuit anima hominis, anima rationalis, ut divinam indueret æternitatem. Sed postquam Adam nudus ab immortalitatis gloria, indutus est pellicea tunica quæ utique vestis est vana, quoniam vetustati et instabilitati est obnoxia, multi sunt ejus posteri, qui in hoc vano indumento accipiunt *animam suam* non odientes eam, quæ carnalis est, maculatam (*Jud.*, 8, 9) tunicam, sicut apostolus Judas docet, quoniam delectabile ac nimis acceptabile illis est in hac tunica pausare, atque in ejus mollitie *animam suam*, id est animalem et carnalem voluntatem suam oblectare.

Quo contra quidam, sicut apostolus Judas docet, oderunt, *quæ carnalis est*, *maculatam tunicam* (*ibid.* 23), qui sicut Abraham exsultando, ut videant diem Christi, Christum induendo exuunt eam : quia non potest ullo modo superindui stola veritatis et immortalitatis, nisi exuta primum tunica vanitatis, et mortalitatis. Vel sicut Lazarus in eadem tunica doloribus, et ulceribus, ac paupertate gravati, etsi necessitate urgente cupiunt saturari de micis, hoc est de superfluis mensæ divitis, non tamen cum divite quoquam cupiunt vivere in deliciis. In Abraham divite commendatur æternæ lucis desiderium cum longa patientia, qui proinde magis fuit condemnabilis, quia cum ei affluerent divitiæ, noluit eis cor apponere, noluit in *vanitate* divitiarum accipere *animam suam*, superando scilicet vanum vanitatum desiderium, per vehementius desiderium, quo diem Christi ardebat, in quo animam suam cupiebat inveniri abnegatam sibimetipsi. At in paupere Lazaro commendatur hujus præsentis vitæ tædium cum bona patientia, quam sic tenuit in paupertate sua, ut non concupisceret nisi vix necessaria miseræ vitæ solatia, videlicet aliorum superflua sua credens necessaria ; neque his concupitis peccavit, qui nec res alienas desideravit ; quia divitum superflua pauperum sunt necessaria. Fuit ergo pretiosa in conspectu Domini mors Abrahæ divitis, qui potuit mortificare in divitiis animam suam, non indulgens ei vana divitiarum oblectamenta, quia *non accepit in vano animam suam*, et si aliquando anima sua, id est animalis, et sensualis cupiditas ei allusit, ipse eam non accepit, sed eam repudiando quasi meretricem, quasi filiam Babylonis miseram non eam habuit acceptam et charam : atque ideo tam ipsam, quam parvulos ejus allisit ad petram, cujus diem desiderando exsultavit, in quo desiderio *accepit animam suam*, cui videlicet indulsit libenter omnia, quæ valere illi possent ad excitandum vel ampliandum tale tam sanctum desiderium.

Si ergo filii Abrahæ sumus, opera Abrahæ faciamus. Non accipiamus in vano animam nostram, subtrahamus illi vanitatis oblectamenta, et ingeramus ei veritatis hortamenta, et si vanum quid acciderit, si vanitatis delectatio veritatis delectationem in anima nostra superaverit, ut sæpe contigit etiam electis, dum aut illicita commiserunt, aut in rebus licitis nimietate quadam veritatis et justitiæ metas

Digitized by Google

excesserunt, saltem post factum non sit nobis acceptum, non sic accipiamus in vano animam nostram, ut permanendo in vanitate non veniamus ad veritatis lucem, in qua luce arguenda sunt opera vana, et castiganda est anima vanitatem volens amplexata tanquam adulterino amore polluta.

Quæ autem vanitati subjecta est non volens, dum necessitate cogente utitur vanis istis temporalibus « propter eum, qui eam subjecit in spe, liberabitur » quandoque « a servitute » vanitatis et corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei (*Rom.* XII, 21). » Quare? quia subjecta est non volens, et propter eum, qui eam subjecit, portat vana, quæ non vult, ut apprehendat vera bona, quæ vult: nec talis anima sibimetipsi est accepta in vanitate, cui subjecta est non volens, sed in veritate promissoris veraciter promittentis vera bona, ante quorum lucem vanum est nobis surgere, qui sedere, id est humiliari adhuc jubemur sub jugo obedientiæ propter eum, qui subjecit nos. Ita sedenti Abrahæ apparuit Dominus, quia respexit inter divitias, humiliatum cor ipsius. Apparuit autem sedenti « ad ostium tabernaculi, » quod est hospitium exsulantis, et sedenti *in* « convalle Mambre (*Gen.* XVIII, 1), » id est in magna et perspicua humilitate. *Mambre* namque interpretatur *perspicuum*, quia videlicet in perspicuæ veritatis humilitate tanquam in convalle Mambre jucundum est sedere filiis Abrahæ, ne quando surgant et extollantur de vanæ hujus mundanæ prosperitatis arrisione, quæ maxime contemnenda est in ipso fervore diei suæ his, qui exsultant cum Abraham, ut videant diem Christi, qui in ipso fervore diei sedenti Abrahæ apparuit, suumque diem illi præostendit.

Ad hujusmodi vero sessionem perfectæ humilitatis interdum valde proficit cum Lazaro in hoc mundo affligi paupertate, vel corporis infirmitate. Nam licet sanctus Job divitiis bene utendo laudabilis exstiterit, laudatusque sit a Domino; tamen divitiarum amissione atque corporis infirmitate ad majorem profecit humilitatem, ita ut is, qui antea non legitur in terra sedisse, tunc sederet in sterquilinio. Unde recte illi duplicata est consolatio sic vehementer humiliato. Non enim dubium est ipsas divitias homini simplici et recto ac timenti Deum fuisse ad hujus vitæ consolationem, non ad corruptionem. Sed non fuisset geminata hæc talis consolatio, nisi humilis, et patiens amissis divitiis inflicto sibi vulnere pessimo sedisset in sterquilinio. Sic nimirum et Lazarus dupliciter consolatus, cui sane in hoc magna fuisset consolatio illic requiescere, ubi requievit Abraham. Sed in hoc amplior, et quasi duplex erat consolatio, quod dives Abraham pauperem Lazarum quasi pius pater dulcem filiolum fovebat in sinu suo. Ideo non incongrue quidem sanctis censu divitibus, et spiritu pauperibus, ut fuit Abraham, qui cum dives esset, et cum Domino loqueretur, tamen se pulverem æstimavit, convenit illa promissio: « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V, 3). » Sed Lazari similibus, qui usque ad mortem fuit ægrotus et mendicus, illa promissio consolationis congruit, quam in Isaia Spiritus sanctus edixit hujusmodi pauperibus nullam consolationem habentibus in hoc mundo. « Ad ubera, » inquit, « portabimini, et super genua blandientur vobis (*Isai.* LXVI, 12). » Qui blandientur? Et quibus blandientur? nimirum sancti divites blandientur sanctis pauperibus Lazari similibus. Imo ipse Deus blandietur talibus, quia ipse dicit: « Sicut mater consolatur filios suos, ita consolabor vos (*ibid.* 13). » An non erit hæc magna, et infinita consolatio, quod quasi mater dulci filiolo blandiens post materna ubera ipse Deus propria manu « absterget omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor; sed neque ullus dolor, quia prima abierunt? (*Apoc.* XI, 4.) » Licet ergo magnus fuerit pater Abraham, *qui non accepit in vano animam suam*, dives, et sine persecutionibus defunctus; tamen illo major fuit afflictus David, ac per multas tribulationes probatus. Unde beatus evangelista Matthæus ante Abraham posuit David in libro generationis Jesu Christi « filii David, filii Abraham (*Matth.* I, 1). » Ordo præposterus, sed necessario commutatus, dum sanctus afflictus valde non afflicto est prælatus, qui et promissionem quasi duplicis consolationis accepit non solum promittente, sed et jurante illi Domino filium de ipso nasciturum pariter et regnaturum, qui Abrahæ promissus est homo nasciturus, nec tamen ei dictus est rex futurus. Hujus magnæ promissionis consolationem pauper et afflictus David in eo promeruit, quia *non accepit in vano animam suam*. Quippe nihil vanum vel intendit ex deliberatione faciendum, vel approbavit præter deliberationem factum. Nam contra deliberationem et intentionem suam a tentatore præoccupatus evanuit, quando in Uriam Hethæum peccavit. Sed *non accepit in vano animam suam*, quam de hoc ipso graviter humiliavit, et usque ad cordis contritionem omnimodis afflixit, quod in vano libidinis illicitæ oblectamento delectata evanuerat ad tempus, quoadusque ad eum veniret Nathan propheta enuntians ei veritatem contra peccati perpetratam vanitatem. Audita igitur David veritate nequaquam sibimetipsi complacuit in sua vanitate, sed odiens peccati seductoriam vanitatem accepit, et acceptam habuit prophetæ increpantis veritatem et severitatem. Propterea pœnitens de sua vanitate gaudet in Dei veritate dicens illi: « Ecce enim veritatem dilexisti (*Psal.* L, 8). » Sic a vanitatis laqueo liberatus, et veritati per concordiam adunatus ascendit *in montem Domini* quasi penitus *innocens manibus, et mundo corde*; quia non illi post pœnitentiam imputabatur, quod antea fuerat nocens manibus per homicidium, et immundo corde per adulterium. Tantum ei ad salutem valuit, quod *non accepit in va-*

Digitized by Google

no animam suam, quod plus dilexit redargutionis et increpationis veritatem, quam si quis ei obtulisset adulationis vanitatem. Denique sic orat alibi optans correptionis veritatem, detestans adulationis vanitatem, ubi dicit : « Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me : oleum autem peccatoris non impinguet caput meum (*Psal.* CXL, 5). » Dicat ergo David securus, quod in semetipso fuerat expertus, quoniam *ascendet in montem Domini* etiam post peccata perpetrata, *qui non accepit in vano animam suam*, qui plus diligit veritatem, quam vanitatem, in qua veritate fundatus non solum in conversatione, sed etiam in locutione sua studet esse justus.

Nec juravit in dolo proximo suo. Etsi aliquando cogente necessitate juravit, *non juravit in dolo.* Cum enim nihil omnino jurare laudabile sit, verum jurare tolerabile, falsum jurare damnabile : sicut nunquam falsum permittimur jurare, sic interdum sinimur verum jurare cogente videlicet grandi necessitate, non ut aliquem in errorem inducamus, sed ut errorem perniciosum juramento vero tollamus. Non igitur offendit in verbo, *nec juravit in dolo proximo* suo, qui diligenter studuit evitare causas ac necessitudines jurare cogentes, ut verbi gratia in lege jurare compellitur, qui depositum perdidit, quod manum non extenderit in rem proximi. Et si talis necessitas jurandi, vel major emersit, sine dolo juravit. Ut autem falsum aliquo modo, seu verum ad aliquem decipiendum et lædendum juraret, compelli non potuit : atque ideo iste « vir perfectus est, qui non offendit in verbo (*Jac.* III, 2), » et huic debetur benedictio; sicut econtra illi maledictio, qui dicit « malum bonum, et bonum malum, dulce amarum, et amarum dulce (*Isa.* V, 20), » cui Scriptura imprecatur væ, quod ponitur pro æterna damnatione; sed qui non offendit in verbo carens videlicet mendacio et dolo,

VERS. 5. *Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo.* Erit enim inter illos, quibus dicetur « Venite, benedicti Patris mei (*Matth.* XXV, 34). » Si cum Abraham suscepit hospitio angelos, id est bonos nuntios, in quibus et Christum suscepit, quem in suis honoravit. At si cum paupere Lazaro ipse indiguit hospitio, et alio quolibet solatio, cum esset esuriens vel sitiens, nudus vel hospes, infirmus vel in carcere, digne connumerabitur illis minimis, de quibus dicetur : « Quandiu fecistis uni de his minimis meis, mihi fecistis (*Matth.* V, 40). » Et ita sive inter judicandos bonos sive inter judicantes *hic accipiet* benedictionem a Domino. Multo amplius vero ille pauper et minimus, qui sua erogando pauperibus pauper effectus, *a Domino accipiet benedictionem.* Unde sicut ante nos dictum est : Presbyter, qui sua vel pauperibus erogavit, vel Ecclesiæ rebus adjunxit, et se in numero pauperum paupertatis amore constituit, etsi multa postmodum in ecclesiasticis facultatibus accipiat, unde et minimis Christi serviat, et ipse inter minimos minimus vivat, non fraudabitur benedictione, sed hic talis duplicia, in terra scilicet viventium possidens bona, cum bonis ministris minimorum laudabitur, et inter ipsos minimos coronabitur. Propterea in festis martyrum, qui *minimi* fuerunt, quique ad utilitatem, et ædificationem aliorum non solum sua expenderunt, sed superimpenderunt semetipsos pauperes ipsi et pauperum ministri, quia interdum nec unde viverent, habuerunt, nec vivere permissi per eam charitatem, qua majorem nemo habet, pro fratribus suis animas ponere non dubitaverunt (*Joan.* XV, 13); in festis, inquam, talium Christi minimorum, et minimis Christi ministrantium dicimus hujus psalmi versiculum de quolibet illorum : *Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo.* Similiter et in festis confessorum, quibus propter minimos Christi vivere a Deo concessum est, recte de quolibet illorum canit Ecclesia hunc psalmum, dicens de uno quolibet ipsorum : *Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo.* Et dicit de multis :

VERS. 6. *Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob.* Sed ne putes hanc benedictionem provenire de meritis absque gratia, vel de gratia sine meritis, nota quod et merita requiruntur, ubi dictum est : *Innocens manibus, et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo :* et misericordia Dei ostenditur esse causa tam meritorum quam præmiorum, cum dicitur : *Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo.* Ponitur autem post magna merita major meritis Dei misericordia, ut quantalibet fuerint merita tua, scias te indigere misericordia divina. Rursum ne putes meritis humanis misericordiam Dei præveniri, audi, quod dicitur : Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob. Si ergo « voluntario genuit nos verbo veritatis » Deus; non quia eramus initium, sed, « ut simus initium aliquod creaturæ ejus, » ut simus « generatio quærentium eum (*Jac.* I, 18), » scias misericordiæ et gratiæ ejus ascribendum, quod aliquibus reprobatis aliquos elegit, sicut Jacob elegit, Esau autem odio habuit, cum necdum aliquid boni fecissent aut mali, quando alter est electus, alter projectus (*Rom.* IX, 13) Ideo quantalibet subsequantur merita, præventionem gratiæ debet *hæc generatio quærentium Deum*, pariter quærere et cognoscere *faciem Dei Jacob*, quia videlicet sicut gratuita bonitate, cum necdum aliquid fecisset boni vel mali, præventus est Jacob : sic per gratiam prædestinationis et electionis præventa est omnis *hæc generatio quærentium faciem Dei Jacob*. Neque enim merita sunt bona, nisi de gratia præveniente et subsequente : præveniente, ut fiant; subsequente, ne pereant.

Et licet *omnis generatio quærentium Deum* quærat *faciem Dei Jacob*, specialius tamen, et excellentius illi quærunt et inveniunt *faciem Dei Jacob*, qui sicut *Jacob* simplex cum matre habitavit, ejusque

Digitized by Google

pio consilio benedictionem a patre obtinuit, pro qua fratris Esau persecutionem sustinens exsulavit, atque in exsilio suo per patientiam servitutis officiosæ duas uxores et multarum greges ovium acquisivit, et postremo ipse patriarcha patriarcharum, pater plenus dierum, appositus est ad patres suos : ita ipsi quærendo *faciem Dei Jacob* sectantur exempla virtutum *Jacob*, simpliciter habitantes in Ecclesia, cujus pio favore benedicuntur a Deo Patre, sicut Petrus apostolus, cum servaretur in carcere, et oratio fieret ab Ecclesia ad Deum pro eo, « benedictionem accepit, et misericordiam a Deo salutari suo (*Act.* XII, 5), » ita ut diceret : « Nunc scio vere, quia misit Deus angelum suum, et eripuit me de manu Herodis, et de omni exspectatione plebis Judæorum (*ibid.*, 11). » Extunc Petrus ad salvandas gentes persequente Judaico populo, carnali Esau, directus instantia prædicationis quasi duas uxores acquisivit, quia magistros ecclesiarum ad virtutem eximiam contemplationis et actionis informavit, per quos multos greges ovium ipse pastor ovium pascit sedulo peragens officium sibi a principe pastorum injunctum, ubi ei tertio dictum est : « Petre, amas me? pasce agnos » vel « oves meas (*Joan.* XX, 15-17). »

Post Petrum apostolum in hac generatione quærentium faciem Dei Jacob nonnulli similiter imitantur Jacob, et ipsi oves et agnos pascendo, persecutionem fratris carnalis ferendo, patriarchas, id est electos filios per Evangelium gignendo, et tandem beato fine cum patribus quiescendo. Convenienter igitur in talis cujusque patris beata requietione psallens Ecclesia dicit : *Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo.* Et ne putetur parvus esse numerus talium; de singulari transitus fit ad pluralem, cum dicitur : *Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob.*

Diapsalma hic interpositum, a dictis dicenda distinguit satis congrue, quia hoc loco mutantur, et variantur loquentium personæ. Contestata enim Christi resurrectione ac declarata Christiana religione portæ mortis præcipiuntur auferri : primo verbis angelorum, qui Deum descendentem ad inferos prævenerunt. Nam cum Rex gloriæ Christus infernum debellaturus intraret, et chorus angelicus ante faciem ejus portas principum tolli præciperet, illic primum auditæ sunt voces imperiosæ dicentium :

VERS. 7. *Tollite portas, principes, vestras.* Quibusdam justitiæ rationibus fortibus veluti ferreis vectibus *portas vestras* obfirmare solebatis, quandiu conscriptum contra hominem chirographum recitabatis, firmissime astruendo, quod vestræ potestati, vestroque dominio jure subjaceret homo cum omni sua posteritate : qui cum liber fuisset, sponte consenserat ad suscipiendum jugum peccatorum, quo jugo trahendus esset in infernum. Sed ecce vectes ferrei confringuntur, quia rationes vestræ, licet A fortes, quasi ferrei vectes fortioribus rationibus destruuntur, cum verissime dicitur : « Sicut per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi : sic et per unius hominis obedientiam justi constituentur multi (*Rom.* VI, 19). » Et ipsi homines liberati, qui vestro imperio contradicunt, verissime dicunt : « Cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Multo magis igitur justificati nunc in sanguine ipsius salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus : multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius (*Rom.* V, 8-10). » Habuistis quidem, vos principes mali, quasi *portas* æreas, et vectes ferreos, quando peccatum « regnavit ab Adam usque ad Moysen, B etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qui erat forma futuri (*ibid.* XIV) ; » sed postquam venit, qui erat futurus, nunc dignum est, ut « confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum, quia contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit (*Psal.* CVI, 16), » dum et peccati regnum destruxit, et regnum justitiæ suscitavit, sicut olim promiserat dicens : « Ecce dies venient, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium, et justitiam in terra (*Jer.* XXIII, 5). » Ecce hoc est *judicium*, ut princeps mundi ejiciatur foras de templis et cordibus, quæ incubat : et hæc est *justitia*, ut sicut per unius hominis peccatum posteri ejus venerunt in C damnationem, sic per unius hominis justitiam, quicunque illi per fidem incorporantur, a damnatione sint liberi, tam illi qui eum venturum fideliter exspectaverunt, quam qui eum in carne præsentem receperunt. « Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri (*Joan.* I, 12). » Et quotquot eum recipient usque in finem sæculi, dabit eis « potestatem filios Dei fieri, » cum prius fuerint filii prævaricatoris Adæ per quem peccantem portæ mortis erectæ sunt, per quem etiam sua peccata excusantem et defensantem eædem portæ quasi vectibus ferreis firmatæ sunt. Sed quia iste secundus Adam nec peccavit, neque tamen, cum falso accusaretur ante Pilatum, semetipsum excusavit, portæ mortis confractæ ceciderunt, vectes ferrei contriti sunt. D

Igitur, o principes infernales, quorum suasu passus est innocens injuste, amittere debetis etiam eos, quos videbamini quasi ex justitia possidere. *Tollite* itaque *portas vestras*, tollite, quas videbamini habere justitiæ causas, obmutescite illo veniente, in quo princeps vester non habet quidquam. Et vos *æternales portæ*, videlicet fides, spes, et charitas (*Joan.* XIV, 30), *elevamini*. Quasi enim depressæ fuistis in profundum vos *æternales portæ* illis in inferno detentis, ac pene desperatis, qui nunc ecce cantant nostro et illorum Domino adveniente : « Adveniisti desiderabilis, quem exspectabamus in tenebris, ut educeres hac nocte vinculatos de claustris : te no-

Digitized by Google

stra vocabant suspiria, te larga requirebant lamenta : tu factus es spes desperatis. » Utique desperati, sed non desperantes fuerunt, qui hunc triumphum semper speraverunt, sed ab aliis impiis in inferno pariter positis desperati fuerunt, qui sicut in hoc mundo, sic et in inferno spe salutis humanæ cum diabolo caruerunt. In bonis ergo desperatis vos *portæ æternales*, fides, spes et charitas fuistis depressæ, cum credentium, spectantium, diligentium animæ diu derelictæ fuissent in inferno. At nunc *elevamini*, *portæ æternales*, exsulta, electorum fides, quia ecce venit, quem credidisti venturum, ac proinde, tu fides jam non eris ultra dicenda fides, quia vides quod credebas : et cum tibi fidei succedit visio speciei, tu per hanc successionem non deprimeris, sed magis elevaris et consummaris ad similitudinem auroræ, quæ cum elevatur, consummatur. Jacebas autem tu depressa, quandiu ea, quæ credenda suasisti, paucis et vix erant credibilia tanta dilatione interposita, ut vix crederentur futura. Sed nunc « elevare, elevare, consurge, Jerusalem (*Isai.* LI, 17). » Consurge, fides, ut de te fiat visio pacis, et sis tu, Jerusalem, quæ fuisti Sion : quæ res futuras demonstrasti per speculum et in ænigmate, nunc eas exhibe in manifesta visione, quia ecce

Introibit Rex gloriæ. O fides, o porta æternalis, cujus præsentaria visione tu consummaris et elevaris ! Et tu, o spes electorum portæ æternalis, quoniam habita de bonis æternis tui capaces non fraudabis, nunc elevare ac lætare, quæ in fovea tristitiæ infernalis jacuisti sub tenebris pene detrusa in abyssum desperationis; elevare, inquam, et lætare, quia ecce *introibit Rex gloriæ* ad visitandos in se sperantes, et tu spes concepta, et habita de promissione adventus ipsius eris porta æternalis lætitiæ, cum nihil defuerit æternorum bonorum, quæ sperata et exspectata sunt per te. Ad summum tu charitas electorum in inferno positorum porta æternalis, quia fide ac spe deficiente tu nunquam excides in æternum permansura, fuisti aliquomodo depressa, dum quod amasti, esset a te separatum longa nimis absentia. Sed nunc tu, porta æternalis, elevare, dum nos chori angelici ante faciem ejus, quem amas, jubemus tolli portas principum, præparando iter planum ad illius introitum non longe differendum. Nam ecce adest, *et introibit* ipse *Rex gloriæ*.

Aliter : Tu fides, porta æternalis, utpote habita de bonis et malis æternis, et tu spes, porta æternalis, habita videlicet de solis bonis æternis, et tu charitas, porta æternalis, quæ semel bene fundata non excides in æternum (*I Cor.* XIII, 8) : Vos tres *portæ æternales* in sanctis apostolis, aliisque discipulis Christi nimium depressæ fuistis tempestate persecutionis, quoniam etiam fortissimus vestrum in fide defecisset omnino, nisi Dominus pro illo rogasset, ut non deficeret fides ejus, et illi de numero vestro parvam spem retinuerant, qui dicebant : « Nos autem sperabamus, quod ipse esset redempturus Israel (*Luc.* XXIV, 21), » in quibus etiam charitas abundante tunc iniquitate ita erat frigidata, ut vere dicerentur « stulti et tardi corde (*ibid.* 25). »

Sed jam nunc vos, *portæ æternales*, fides, spes et charitas in apostolorum cordibus depressæ, sic *elevamini*, ut quilibet eatenus pene incredulus in fide confortatus palpato, et conspecto Christi corpore fideliter dicat : « Dominus meus, et Deus meus (*Joan.* XX, 28). » Et spes vestra firma sit, non quod adhuc redempturus sit Israel; sed quia hic ipse, qui effusione sui sanguinis jam redemit Israel prius venundatum sub peccatis, jam per suam resurrectionem « erexit cornu salutis » vobis « in domo David pueri sui (*Luc.* I, 69), » et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis (*ibid.* 32, 33). » Et vos eritis domus Jacob, in qua regnabit in æternum. Ideo vos, qui refrigescente charitate stulti et tardi corde fuistis, nunc recalescente charitate tales estote, ut vere dicatis : « Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via, et aperiret nobis Scripturas? » (*Luc.* XXIII, 32.) Ita ergo *elevamini*, *portæ æternales*, quæ in tristitiæ fovea fuistis, ut exsultetis et satiemini ab uberibus consolationis vestræ, dum tibi, o fides ! aderit, quod credidisti, et tibi, o spes ! dabitur, quod sperasti et gaudium tuum nemo tollet a te, o charitas ! porta æternalis, *et introibit Rex gloriæ*.

Scimus quod iste Rex gloriæ propter nos exivit a Patre, et venit in mundum. Iterum reliquit mundum, et introibit ad Patrem vobis cernentibus, videntibus enim vobis elevabitur ad cœlum (*Act.* I, IX). Et vos igitur cum eo elevato *elevamini*, *portæ æternales*, ut in altum tendentes induamini virtute ex alto, et repleamini Spiritu sancto, qui, cum ad vos introibit, pariter cum eo *introibit* ipse Christus *Rex gloriæ* una cum Patre suo, sicut promisit vobis dicens : « Si quis diligit me, sermones meos servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (*Joan.* XIV, 23). » Quando in aviditate regni terrestris dixistis ei : « Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel (*Act.* I, 6), » sperantes terrenos triumphos, quales habuit rex David, vel pacem magnam, qualem habuit rex Salomon in regno Israel, tunc fides, spes et charitas vestra potius temporales quam *æternales portæ* fuerunt quoniam potius ad temporalia quam ad æterna bona capienda patuerunt. Sed nunc *elevamini*, vos *portæ*, ut sitis *æternales*, ad æterna videlicet, ac superna bona potius, quam ad terrena patentes, *et introibit Rex gloriæ*, cujus introitu non estis dignæ, quandiu non estis elevatæ. Igitur *elevamini* sursum ad desiderandum, et quærendum regnum cœlorum, quod non est de hoc mundo, sed a summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus. *Elevamini*, quoniam elevata est magnificentia regni promissi vobis.

Digitized by Google

Elevamini, quoniam elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo.

Elevamini, portæ æternales, et introibit Rex gloriæ. O vos principes inferni, qui malas portas, fidei tamen vel Ecclesiæ minime prævalituras, erexeratis, quando eos Christo patiente ad diffidentiam ac desperationem, et ad charitatis oblivionem urgebatis. Vos nunc *tollite* has *portas vestras*, in vos redundet vestra impietas, *et elevamini* vos, *portæ æternales*, fides, spes et charitas ad credenda, speranda et amanda, quæ sursum sunt, non quæ super terram. *Et introibit Rex gloriæ.* Nos principes inferni hactenus habuimus dominium in toto mundo tanquam in atrio principis nostri, qui quasi fortis armatus custodivit hoc atrium suum. De hoc atrio quos volebamus traximus in carcerem nobis commissum, scilicet in infernum, et clauso isto carcere non erat qui posset exire, cum tamen introeuntibus paterent ejus portæ, quæ introgressis erant clausæ. Nos etiam custodes carceris custodiebamus carcerem. Sed ecce angelicus chorus adest, et lumen refulget in habitaculo carceris, et dicitur Ecclesiæ apud nos captivatæ, Ecclesiæ patriarcharum, et aliorum antiquorum justorum, qui quantumlibet fuerint justi, tamen vincti fuerunt catenis duabus, actualium scilicet et originalium peccatorum, dicitur plane huic tam vinctæ nunc Ecclesiæ : « Surge velociter, elevare, elevare, consurge, Jerusalem, solve vincula colli tui (*Isai.* LI, 17; LII, 2). » Et ecce jam ceciderunt catenæ de manibus ejus; computruit « jugum » ejus « a facie olei (*ibid.* X, 12, 27), » a facie cujusdam regis oleo exsultationis uncti præ participibus suis. Et nos quidem novimus, quod multi reges et prophetæ, sive justi cupientes hunc Regem gloriæ videre, quem non viderunt, et audire, quem non audierunt, ad nos venientes portas nostras non fregerunt, imo ipsi apud nos catenati manserunt. Venit ad nos David et Salomon, reges inclyti et gloriosi, et alii reges magni, sed catenis duabus catenati, actualibus scilicet atque originalibus peccatis. Iste autem *Rex gloriæ* non solum venit sine catenis, sed ipse inter mortuos liber etiam solvit alios a catenis. Et

VERS. 8. *Quis est iste Rex gloriæ*, quo veniente cadunt portæ nostræ? Forsitan iste est, quem multi reges et prophetæ voluerunt videre, et non viderunt. Dicite, vos cœlestes angeli, nobis infernalibus angelis : « Quis » sit « iste Rex gloriæ, » qui tam « gloriose magnificatus est, » qui « equum, et ascensorem (*Exod.* XV, 1), cunctosque currus nostri regis, nostri Pharaonis, *projecit in mare*, suffocans et interficiens nos proprio sanguine cum aqua de latere suo exeunte?

Dominus fortis et potens iste *Rex gloriæ.* Hoc nos cœlestes angeli dicimus vobis infernalibus ministris, quod iste, cujus potentiam vos miramini, *Dominus fortis et potens est*, de quo prædixit Isaias (XL, 10) : « Ecce Dominus in fortitudine veniet, et brachium ejus dominabitur. » Venit primo ad terras de cœlo in mansuetudine; sed ecce jam descendit ad inferna cum magna fortitudine *ipse Dominus fortis et potens*, et brachium ejus hic dominatur, quo brachio infernus ecce spoliatur. Iste est vere fortis Samson, in loco quidem Calvariæ ab ipsa Dalila, id est a Synagoga decalvatus et infirmatus, at nunc recrescente cæsarie istius Nazareni, exerente videlicet se ipsius divina fortitudine, qua videbatur nudatus ac decalvatus in cruce, jam duas columnas magnæ domus concutit movendo cœlum et terram, dum et in cœlo sol obscuratur, et terræmotus fit magnus ipso moriente nec non etiam resurgente. *Dominus fortis* iste est, qui vere David manu *fortis* prævaluit in funda, et lapide triumphans in cruce, in qua erat ei pastoralis virga ipsa crux, et pastoralis pera caro ipsius munda, in qua velut quinque lapides quinque suscepit vulnera. Sed de sacramento unius vulneris per aquam et sanguinem lateris sui prostratus est incircumcisus princeps vester, o principes infernales! ideo iste *Dominus fortis* jure prædicatur, *et potens in prælio.*

Potens iste deponit potentes de sede, facitque ut mali potentes potenter tormenta patiantur, et « fecit potentiam in brachio suo dispergendo superbos mente cordis sui (*Luc.* I, 51), nec est, qui possit resistere » potentiæ, ac « voluntati » suæ : quia « in ditione » ipsius « cuncta sunt posita (*Esth.* XIII, 9). » Ergo ipse est *potens in prælio* contra principem vestrum, et contra vos, qui hactenus in Ægypto populum ejus tenuistis captivum. Nunc autem consummata victoria per crucem quasi per virgam Moysi vos omnes Ægyptii cum principe vestro fugamini et spoliamini, quia hæc est nox, quæ exspoliat Ægyptios, ditat Hebræos. Et quia nemo potest domum fortis intrare, nisi prius alligaverit et superaverit ipsum fortem : ideo iste *fortis et potens in prælio* primo ligatus est, ut solveret mundi ruentis complices. Attamen vinculis ipsius princeps vester ligatus, et morte ipsius mortuus est, quia « mors mortua tunc est, quando in ligno mortua vita fuit. » Cum ergo sitis victi cum principe vestro, iterato vobis præcipimus, et dicimus :

VERS. 9. *Tollite portas, principes, vestras.* Et similiter dicimus : *Elevamini, portæ æternales, et introibit Rex gloriæ :* quia iteratio est confirmatio, ut fiat sine mora, quod jubetur iterata præceptione, obediente vestro Pharaone cum suis ministris, quorum vos principes estis, repetitæ jussioni : sicut quondam iterata visio in somno Pharaonis absque mora completa est obediente universa Ægypto Joseph vendito in eam, sed tunc exaltato super eam. Venditus namque verus Joseph vivit, et ipse dominatur in tota terra Ægypti, non solum in mundo, sed etiam in inferno. Ex illius ergo auctoritate vobis dicimus : *Tollite portas, principes, vestras*, et vobis dicimus *portæ æternales*, quæ sub Ægyptiorum duris oneribus pressæ fuistis, nunc *elevamini*, et exaltamini, quia ultra non subjacebitis Ægyptiorum dominationi, sed per Rubrum mare sanguinis Christ

Digitized by Google

baptizati exstinctis et mersis Ægyptiis egrediemini vos omnes electi a primo justo, usque ad latronem in cruce confitentem. Qui nimirum latro usque ad portas istas, quas tolli præcipimus, appropinquaverat, sed per pœnitentiam elevatæ sunt in eo *portæ æternales*, fides scilicet, qua Deum credidit, quem morientem vidit; spes, in qua precem fundens dixit: *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum* (*Luc.* III, 42); charitas proximi, qua latronem blasphemantem zelavit et increpavit; charitas Dei, qua regnum cœleste amavit, in quo sui mentionem fieri optavit. Itaque iste latro e porta inferi et mortis ereptus elevatis in eo portis æternalibus hodie cum Christo erit in paradiso. Et vos quoque omnes eritis cum eo, quorum fides non defecit, quorum spes longanimis exstitit, quorum charitas non excidit per tot retroacta tempora in exspectatione longissima promissi vobis liberatoris, qui nunc ecce adest.

VERS. 10. *Quis est iste Rex gloriæ?* Sic dicitis et miramini. Audite, vel potius præsentialiter videte, quia magnus est iste, cui throni et dominationes occurrunt, quo exsurgente « dissipantur inimici ejus et fugiunt, qui oderunt eum, a facie ejus (*Psal.* LXVII, 2), » quia fortitudinem ejus ferre non possunt. Est enim *Dominus fortis et potens in prælio*, est plane etiam *Dominus virtutum*. Primo enim vitia sibi contraria fortiter ac potenter debellando exterminat, postea ipse *Dominus virtutum* virtutes ædificat et plantat. Primo nunc infernum debellaturus intrat *fortis et potens in* hoc *prælio :* deinde ipse *Dominus virtutum* virtuosos electos suos de inferno ereptos in paradiso collocabit, ubi absque spinis vitiorum et miseriarum solæ virtutum deliciæ abundabunt illis in horto deliciarum ipso eos glorificante, qui est *Rex gloriæ*.

Cuncta hæc dicta ex personis angelorum, possunt nihilominus convenienter dici ex personis apostolorum, martyrum, confessorum atque pastorum. Dicant ergo apostoli, quibus datum est nosse ministerium regni Dei, dicant principibus sacerdotum principes ecclesiarum sancti apostoli : *Tollite portas, principes, vestras.* O principes populi et seniores, qui claves regni habetis, nec vos intrantes, nec alios intrare sinentes, qui mandatum Dei irritum fecistis propter traditiones vestras, per quod portas cœli clausistis, et portas vestras erexistis, *tollite portas vestras*, auferte traditiones vestras pharisaicas, et vos *elevamini, portæ æternales*, divinæ videlicet sanctiones mandatorum cœlestium, per quorum observantiam introitus patet in regnum cœlorum : *et introibit Rex gloriæ* non jam quærens manu factæ circumcisionis aut carnalium sacrificiorum observantiam, sed solam Trinitatis gloriam, quæ in portis æternalibus insinuatur, sectandam non ad tempus, ut Sabbatum, vel circumcisio, aliæque carnales observantiæ, quæ cessare debent velut umbræ jam præsente veritatis luce apertis et elevatis portis æternalibus, id est manifestatis præceptis omnino cœlestibus et spiritualibus, videlicet de charitate, quæ nunquam excidet, de humilitate, castitate, obedientia aliarumque cœlestium virtutum observantia in æternum permansura, quando erunt homines harum permanentium virtutum sectatores, sicut angeli Dei intra cœlorum portas æternales æternaliter Deum, et se invicem diligentes, humiles, casti et obedientes, non ad serviendum laboriose, sed ad laudandum cum, quem laudant angeli æternaliter.

Quis est iste Rex gloriæ? Hoc dicimus nos Judæi qui « semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus unquam (*Joan.* VIII, 33), » discipuli Moysi, de quo scimus, quia locutus est ei Deus. Hunc autem, quem vos apostoli prædicatis Regem *gloriæ*, nescimus unde sit. *Quis* ergo *est iste Rex gloriæ?* vel quomodo iste credendus *Rex gloriæ*, qui sicut latro pependit in cruce? Dicimus ad hæc nos apostoli, quia *Dominus fortis et potens in prælio* est iste, quem prædicamus. Prædixit enim vobis quod propter incredulitatem vestram cadetis in ore gladii, et captivi estis ducendi in omnes gentes, et erit ira populo huic. Inde est quod « videns civitatem » vestram « flevit super illam » dicens : « Quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te, et filios tuos, qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognovisti tempus visitationis tuæ (*Luc*, XIX, 41, 43 et 44). » Est ergo *Dominus fortis et potens in prælio*, qui per exercitum Romanorum dissipat sibi populum adversarium nullo valente in prælio resistere, quin fiat, quod prædixit iste *Dominus fortis et potens in prælio*. Nonne mirabilis est fortitudo, et potentia hujus Domini, qui vos suos debellat inimicos Judæos per alios suos inimicos paganos? Est ergo ipse revera *potens in prælio*, cui militavit intra vos, o Judæi, domestica seditio, et extrinseca obsidio, ut non vanos effectus habeat vestra electio qua seditiosum Barrabbam prætulistis Christo, qui est *fortis et potens in* hoc ipso *prælio*, quo tulerunt et locum et gentem Romani.

Est etiam *Dominus virtutum*, virtutes multiplicando in nobis, qui virtute magna reddimus testimonium resurrectionis ejus, et virtutes multas, ac miracula operamur in nomine ejus, cæcos illuminando, leprosos mundando, mortuos suscitando, aliasque sanitates multas dando. Si ergo vos increduli principes populi quæritis, *quis* sit iste *Rex gloriæ*, quem prædicamus, agnoscite in vestrarum portarum disjectione, in vestræ gentis exterminio per Romanos facto, quia ipse est *Dominus fortis et potens in prælio*. Agnoscite quoque in æternarum portarum elevatione, in evangelicarum traditionum glorificatione ac magnificatione, quia ipse est *Dominus virtutum*, qui per suum Evangelium non quærit sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed nos cibans carne sua per proprium sanguinem introducit nos in Sancta sanctorum, id est in ipsum cœlum, quo præcursor pro nobis ingressus patefecit nobis et omnibus in se credentibus portas æternales.

Digitized by Google

Unde per has portas ingressi gratias agimus introductori nostro, et dicimus : « Nostra autem conversatio in cœlis est (*Philipp.* III, 20). » Qui ergo sic per misericordiam voluit, et per potentiam potuit portas mortis per vos erectas tollere, ac portas æternales per nos infirmos elevare ad laudem gloriæ suæ, revera ipse est *Rex gloriæ*.

Nunc ex persona martyrum sunt repetenda, quæ dicta sunt ex angelorum et apostolorum persona. Dicant nunc martyres Christi : Vos mundi hujus *principes, tollite portas vestras*. Tollite, et auferte mala edicta, et pravas leges, per quas intrare cogitis homines in infernum, dum Christum verum Deum coli prohibetis, et idola colitis, et coli præcipitis in legibus vestris, quæ nimirum leges sunt portæ inferi nullatenus prævalituræ sanctæ Ecclesiæ supra petram fundatæ. Igitur *tollite* has *portas vestras, o principes* hujus sæculi, et *elevamini*, vos *portæ æternales*, id est bonæ principum catholicorum leges, ac præceptiones ecclesiasticæ paci faventes. Vos tales *portæ*, in altum *elevamini*, ut portis inferi depressis, videlicet malis legibus cassatis, vos bonæ leges ubique teneamini. Cessent leges Neronis, teneantur leges Constantini catholici imperatoris. Cessent et pereant prava edicta tyrannorum promulgata contra Christum, et serventur ubique bona statuta imperatorum. *Et introibit Rex gloriæ*, quoniam expulsis dæmonibus de cordibus et templis introibit in corda per fidem, in templa per veram religionem Christus *Rex gloriæ*.

Quis est iste Rex gloriæ? Miramini, vos principes mundi, quis sit iste *Rex gloriæ?* sed nos martyres et testes hujus *Regis gloriæ* dicimus vobis, quia iste est *Dominus fortis et potens in prælio*. Cum enim stemus nos martyres contra vos horrendos principes *in prælio*, ita fortiter ac potenter per nos triumphat *iste Rex gloriæ*, ut nullo tormentorum genere vos possitis nos milites ipsius terrere ac superare, « sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos (*Rom.* VIII, 37). Inde intrepide contestamur, quia ipse est *fortis et potens in prælio*, qui nos confortat in prælio, cujusque sanctus sanguinis prodigos facit amor milites ejus, dummodo illum liceat cernere dispendio vitæ præsentis. Sicut enim quondam ille Gedeon in trecentis viris lagenis ac lampadibus armatis cum ipso clamantibus et tubicinantibus, complodentibus lagenis, lampadibusque coruscantibus vicit castra Madian fortia ac valida nimis (*Jud.* VII, 19) : sic Dominus noster iste, quem vos, o principes hujus sæculi, miramini, nostro, testium videlicet suorum trecentorum armatus exercitu, sanctæ Trinitatis numero per fidem insignito, vos, o principes, superaturus et fugaturus est. Licet enim corporum nostrorum per vos fragiles confringantur lagenæ : attamen ex lumine miraculorum de nostra morte splendentium, vestrosque oculos percutientium vestra convincitur conscientia, ut manifestæ veritati diu contradicere non valeatis, cui etiam dum in aperto contradicitis, faciem tamen ejus in occulto accipitis, id est verum Deum Dominum nostrum Jesum Christum negare non potestis. Unde in proximo est, ut in fugam convertamini, impingamini, minuamini. Igitur interrogantibus vobis, ac dicentibus : *Quis est iste Rex gloriæ?* Respondemus vobis confidenter nos testes ejus dicentes : *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.*

Iterum quæritis, et dicitis : *Quis est iste Rex gloriæ?* dum vobis, vestrisque jussis despectis tolluntur portæ vestræ, et elevantur *portæ æternales*. audite, atque hoc sentite in vobis, quod sentimus nos in nobis : quia *ipse Dominus virtutum*, qui virtutes operatur in nobis non solum *in prælio* nos virtute sua confirmando, sed etiam post prælium nobis in pace quiescentibus apud sepulcra nostra sive alias per nomina et merita nostra virtutes multas operando. Hujus rei testes sunt etiam ipsi dæmones, quod « corpora » nostra « in pace sepulta sunt (*Eccl.* XLIV, 14), » et vivunt nomina nostra in æternum, quæ nisi viverent, non eos audita torquerent. Est ergo *iste Rex gloriæ* revera *Dominus virtutum*, qui etiam per nomina nostra operatur signa *virtutum* dæmones torquendo, ac de obsessis corporibus ejiciendo, sive de templis expellendo, et nostras reliquias ibidem collocatas miraculis ac virtutibus clarificando.

Vox confessorum : *Tollite portas, principes, vestras*. Vos hæresiarchæ, qui noluistis esse discipuli veritatis, et facti estis magistri erroris contra fidem, quæ est porta veritatis, erexistis portas vestras, id est, falsas doctrinas. Nam tu, Ari, cujus nomen fœtet omni mundo, seminasti primus in mundo de Filio Dei : erat, quando non erat, tu illum convertibilem prædicasti, tu minorem Patre blasphemasti, atque talia dogmatizando portas mortis erexisti, easque rationibus verisimilibus, et Scripturarum depravatis testimoniis quasi vectibus quibusdam obfirmasti. Similiter, et vos cæteri hæretici contra fidem catholicam clavibus Petro commissis munitam, portas mortis erexistis, qui veritatem impugnando falsa dogmata fabricastis. At nunc patefacto veritatis lumine in Nicæna synodo, et aliis orthodoxorum Patrum conciliis, et scriptis omousion, id est consubstantialem Patri Filium prædicantibus, et omnia falsa dogmata confutantibus, *tollite*, vos *principes*, vos hæresiarchæ, *portas vestras*, id est pravas doctrinas vestras, vos ipsi damnate, si non vultis damnationi subjacere. Si autem permanebitis in damnatione, vos in principes tenebrarum harum dæmones tollite ad vos infernum *portas vestras*, id est malos doctores, præcipue Arium, quem turpi morte in secessu eviseratum in infernum trahetis. *Tollite* pariter et alias *portas vestras*, ut nulla supersit hæretica pravitas vel schismatica, quæ non cum auctore suo sit anathematizata, et vobis in uno fasciculo alligata in igne comburenda, ne ulla deinceps hæresis porta vobis pateat.

Digitized by Google

O tenebrarum principes, *tollite*, inquam, *portas vestras et elevamini, portæ æternales*, id est catholici doctores cum vestra doctrina vos *elevamini*, post apostolos in summa auctoritate sitis, et Christus in vobis loquens audiatur, de quo Pater dicit : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite (*Matt.* XVII, 5). » Ipsum ergo in vobis audiant, quicunque salvari volunt, tanquam veraciter, *æternales portæ*, introitum pandite vos in regnum æternum prædicando Filium Patri æterno coæternum, quod negat Arius, et Spiritum sanctum Patri ac Filio coæternum, quod negat Macedonius. Isti hæresiarchæ, cum suis similibus mendaciorum fabricatoribus, tollantur de medio, et sint in inferno. At vos *elevamini, portæ æternales, et introibit Rex gloriæ*. Hunc Regem gloriæ Donatus coarctare nisus in Africa sola exclusit illum de toto terrarum orbe sua æstimatione. Similiter alia quælibet secta dicens de Christo : « Ecce hic, aut ecce illic (*Marc.* XIII, 21), » in parte illum coarctavit. *Elevamini* econtra, vos *portæ æternales, et introibit Rex gloriæ*. Imo per vos manifestabitur jam introlisse in Ecclesiam catholicam toto terrarum orbe diffusam. Unde jure a vobis prædicatur non solum *Dominus fortis et potens in prælio*, sed etiam *Dominus virtutum*, quia per vestram doctrinam et potenter devicta est pars adversariorum, et lucernæ ardentes in manibus vestris manifestant in vobis mirabilia dona virtutum. Estis enim castitatis laude angelici, contemptu mundi sublimes, et multis justitiæ meritis orthodoxi. Fulget in numero vestro gloriosus pater Augustinus hæreticorum debellator præcipuus, cum suo doctore Ambrosio quasi duæ olivæ ac duo candelabra. Hi duo illustrant meridiem per suæ doctrinæ quasi meridianum splendorem. At Hilarius episcopus cum suo discipulo Martino quasi clarum vespere lucent in occidente. Basilius cum suo Gregorio quasi aurora valde rutilans ornant orientem. Severinus Coloniensis, et Amandus Trajectensis in aquilone lucentes dicunt : « Surge aquilo, et veni auster (*Cant.* IV, 16). » Sic per omnes terrarum fines inveniuntur *portæ æternales*, quibus dicitur : *Elevamini portæ æternales*, et introibit Rex gloriæ.

Post confessorum de fidei assertione triumphum sequitur vox pastorum, qui rationabiles greges pascere studentes arcent luporum truculentam rabiem a sibi commissis ovilibus. Unde dicunt et malis principibus : *Tollite portas, principes, vestras*. O vos, principes, jam non pagani, sed falsi Christiani, qui non manifeste ut Nero vel Decius, impugnatis Ecclesiam, sed lupos, fures, et latrones intromittitis in eam, dum spreta canonica electione non per Christum, qui est ostium ovium, et porta æternalis, sed per Simoniam, quæ est porta infernalis, intruditis sub nomine episcoporum, abbatum, præpositorum, sacerdotum, capellanorum, canonicorum, fures, latrones et lupos rapaces gregi non parcentes, quæ sua sunt, quærentes. Isti sunt non portæ cœli, sed *portæ inferi* : non portæ Dei, sed portæ *vestræ*, o principes! Unde per has portas vestras non *introibit Rex gloriæ;* quia cum sint manifesti Simoniaci, hæretici, anathematizati, qui Simoniace per laicorum principum violentiam irrumpunt in Ecclesias, nulla societas luci est ad istas tenebras, nulla conventio Christi est ad Belial, nulla salus est in eorum interdictis missis. Igitur *tollite portas istas vestras*, o principes! « Auferte ista hinc, » dicit Dominus, « et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis (*Joan.* II, 16). » « Scriptum est » enim : « Quia domus mea domus orationis est » cunctis gentibus : « vos autem fecistis illam speluncam latronum (*Luc.* XIX, 46). » Tollite Simoniam, et illos qui per illam intraverunt. Auferte has portas inferi, quia non prævalebunt adversus Ecclesiam. Tollite illas, ne vos pariter tollamini cum ipsis portis vestris, quod in diebus nostris ex parte impletum videmus, quia propter hujusmodi Simonias regno privatus est Henricus IV, et ipse anathematizatus est cum suis portis infernalibus, et elevatæ sunt portæ æternales, catholici videlicet pastores Ecclesiarum canonice vocati et electi, sanctoque Spiritu favente consecrati, sine quo Simoniaci fuerunt non tam consecrati quam exsecrati.

Sed quoniam adhuc multæ supersunt portæ infernales : *Tollite* omnino *portas vestras*, o principes! Associate vos populo catholico, ut vestro annisu fiat sacerdotum canonica electio; et per legitimam promotionem *elevamini*, vos *portæ æternales, et introibit Rex gloriæ;* quia per vestra ministeria, et officia Christi aderit præsentia sanctificans et purificans Ecclesiam totam, ut non sit aliud nisi domus Dei, et porta cœli habens hunc titulum superliminaribus impressum : « Terribilis est locus iste, hic domus Dei est, et porta cœli (*Genes.* XXVIII, 17), » vocabitur aula Dei. Revera hic locus terribilis est non solum dæmonibus, sed etiam sociis dæmonum, ministris immundorum spirituum; quia ubicunque in Ecclesia Dei elevatæ sunt *portæ æternales*, illic non audent propinquare fures. Quis enim ambitiosus audeat Simoniace offerre pecuniam pontifici, quem constiterit esse in æmulatione Petri apostoli dicentis ad Simonem magum : « Pecunia tua tecum sit in perditione (*Act.* VIII, 20)? » Quis presbyter, manifeste incestuosus, audeat sibi vindicare officium sacerdotale præsidente aliquo episcopo tali qualis episcopus urbis Romæ Clemens discipulus Petri apostoli, qui in suis decretis presbyterum cum propria uxore lapsum prohibet omnino perpetualiter a sacri altaris ministerio sacerdotali, vix indulgens tali, ut januas ecclesiæ claudat, urceum cum aqua manibus sacerdotum ferat, et cætera minora gerat officia? Est ergo locus terribilis inordinate viventibus omnis locus in Ecclesia Dei bene ordinatus, et portis æternalibus munitus.

Etiam claustra canonicorum, seu monachorum bene ordinata, et portis æternalibus firmata, nimirum terribilia sunt his qui nolunt stricte vivere,

Digitized by Google

curiosis et otiosis, quorum Deus venter est, et quorum studium fabulositas et vagositas est, quorum cursus per infernales portas, id est per pravos rectores ad infernum tendit, dum eos dissolute viventes nulla disciplinæ districtio cohibet, vel a suis propriis voluntatibus prohibet. Ut ergo universa Ecclesia sit locus terribilis, et vocetur aula Dei, *tollite* omnes *portas vestras*, omnes consuetudines veritati et saluti contrarias per vos introductas, o principes errorum, defensores pravitatum. Quod « si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? (*Luc.* XXIII, 30.) » Si in claustris regulariter ordinatis hæc faciunt, in irregularibus conventiculis quid fiet?

Igitur contra universos principes malitiæ, et nequitiæ donet Dominus efficaciter nos psallere, ac dicere : *Tollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales.* Non dominetur eis injustitia, sed subdatur semper falsitas veritati. Et nunc interim dum omnino est impossibile, peccatum non esse, quod est porta inferi, hoc saltem concedatur Ecclesiæ, seu ecclesiasticæ cuique personæ, ut non regnet peccatum in corpore ejus nunc mortali, quoadusque veniat perfecta pax, qua fiet, ut non solum non regnet, sed nec sit omnino in corporibus tunc immortalibus, cum absorpta fuerit mors in victoria, et porta mortis, quod est peccatum, fuerit omnino destructa. Tunc non confundetur Ecclesia, seu ecclesiastica quælibet persona, « cum loquetur inimicis suis in porta (*Psal.* CXXVI, 5), » quando « nobilis in portis vir ejus (*Prov.* XXXI, 23), eam prorsus exaltabit « de portis mortis, ut annuntiet omnes laudationes ejus *in* portis Filiæ Sion (*Psal.* IX, 15), » in portis Jerusalem, cui dicitur : « Lauda, Jerusalem, Dominum, lauda Deum tuum, Sion : quoniam confortavit seras portarum tuarum (*Psal.* CXLVII, 1, 2), » Tunc nec erunt nec regnabunt in Jerusalem portæ mortis, peccata scilicet. Sed nunc bene agitur, si non regnabunt, si non prævalebunt istæ portæ inferi, dum non possunt ex toto, et omnino tolli.

Interim aperite mihi portas justitiæ, vos qui in turribus estis vos, inquam, qui in turribus estis; vos electi, qui in cœlo regnatis, mihi Ecclesiæ adhuc peregrinanti mihi cum Judith inter hostes periclitanti, cum Judith mihi sæpius ablutæ in fonte Bethuliæ per lacrymas pœnitentiæ, mihi non in cubilibus et impudicitiis Holofernis delectatæ, mihi ejusdem Holofernis interfectrici, id est pravæ libidinis victrici, mihi tali seu Ecclesiæ seu personæ vos, qui in turribus estis, aperite portas æternales, ut ingrediens in eas confitear Domino. « Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam (*Psal.* CXVII, 20). »

Per multas portas pervenitur ad unam portam, quia unum est necessarium. Una hæc porta virgo est Maria, porta clausa et nulli viro pervia. Sed tamen per eam, licet clausam, introibunt in regnum cœlorum, quicunque incorporantur ejus filio, qui exivit de illa clauso ejus utero. Inter omnes portas æternales, quibus dicitur : *Elevamini, portæ æternales*, hæc magis elevata est, quoniam exaltata est sancta Dei Genitrix super choros angelorum. *Hæc* vere *porta Domini* est, *et justi intrabunt per eam.* Porta hæc æternalis primo per fidem elevata est, quando angelo credidit perficienda in se, quæ supra humanam possibilitatem erant. Unde de illa dictum est ab Elisabeth : « Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt ei a Domino (*Luc* I, 45). » Tunc elevata fuit hæc porta æternalis per fidem credendo rem incredibilem et introivit in eam Rex gloriæ. Nunc elevata est super choros angelorum, et regnat in ea flet gloriæ.

Habemus autem hujus æternalis et singularis portæ unicum exemplum in officio missæ, quæ nimirum et ipsa est porta Domini tunc introitu ejus digna, quando ad similitudinem castissimæ virginis Mariæ invenitur in ea fides incorrupta, qua creduntur illic fieri, quæ sensui humano sunt incredibilia. Nam idem corpus, quod in virgine fuit conceptum, præsentatur in altari, et sine dubio in omnes digne participantes ejusdem corporis communione *introibit Rex gloriæ*, ad cujus introitum digne canitur in principio ipsius missæ antiphona, cujus titulus est ad introitum : *Quoniam introibit per eam Rex gloriæ :* si tamen hæc porta sic fuerit elevata, ut digne per eam valeat intrare ipse Rex gloriæ. Quis enim putet hæreticos, maxime illos qui manifestati, et excommunicati, sive interdicti sunt, in suis officiis Christum habere? Apud eos depressa est hæc porta, ideo non *introibit Rex gloriæ* per illam, nisi forte ad exercendum illic judicium : quia judicium sibi manducant, et bibunt, qui non dijudicantes corpus Domini communicant indigne (*I Cor.* II, 21). Quanto magis in missis interdictis judicium et damnatio sumitur, ubi Deus non ad clementiam, sed ad iram provocat officium, quod contra ejus interdictum præsumitur. Ipse namque suis ministris ecclesiarum magistris dicit. « Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit (*Luc.* X, 16). » Igitur ecclesiarum magistris, clericorum in domo Domini negotiantium, et manifeste incestuosorum interdicentibus missas Christus in suis loquens interdixit eas. Et ideo, quia ipso contradicente cantantur, et audiuntur tales missæ, non sunt istæ missæ portæ in altum elevatæ, per quas introeat Rex gloriæ, multumque timendum est, ne hujusmodi missæ sint portæ inferi eas præsumptuose cantantibus et audientibus.

Notandum vero, quod aliud est intrare Christum Regem gloriæ; aliud vero eumdem intrare judicem et vindicem culpæ. Nam ubi intrat ipse Rex gloriæ, ibi regit et glorificat eos ad quos intrat. Ubi autem intrat judex et Deus ultionum, ibi reddit retributionem superbis, quod alias optatur, ubi dicitur « Exaltare, qui judicas terram, redde retributionem superbis (*Psal.* XCIII, 2). « Bene dicit : *Superbis*, quia non omnis peccator superbus est, sed omnis

Digitized by Google

superbus peccator est. Peccatoribus autem pœnitentibus et humiliatis non retributio, sed indulgentia parata est. Quo contra superbis non indulgentia sed retributio condigna præparata est. Cum enim sint omnino temporales, temporalia sola quærentes, non eis aperientur portæ æternales, neque missæ ipsorum sunt ipsis portæ æternales, quas cantant propter quæstus temporales. At si eas audiret aliquis catholicus, interdictionis ignarus, propter adipiscenda æterna bona, huic esset missa talis propter suam fidem bonam porta æternalis. Quanto enim veracius in missa dicitur : « Sursum corda habemus ad Dominum », tanto altius elevatur *porta æternalis, et introibit* Rex gloriæ tanto clementior exauditor omnium, quæ in missa rogantur, quanto sincerius illic non temporalia sed æterna desiderantur. Ubi enim per missam desiderantur terrena, ibi hæc porta non elevata sursum in cœlum, sed in terram depressa est.

Ergone peccat Ecclesia catholica orans in missa non solum pro æterna vita, sed etiam pro pace temporali, pro aeris bona temperie, pro frugibus terræ, pro animarum et corporum non solum æterna, sed etiam temporali salute, proque omni, qua præsens vita indiget, commoditate? Absit hoc ita æstimare, cum sanctissimos viros legamus talia rogasse, talesque preces, et orationes apud altare Domini frequentasse, in quibus non solum æterna bona optantur, et æterna mala deoptantur, sed et temporalia bona consequenda, et temporalia mala removenda commemorantur. Quid ergo agemus, cum tales missas missorum a Deo virorum ineffi caces videmus? Nunquid arbitrandum est, vel sanctos male petere, vel Deum bene petentes nolle audire? De male petentibus ait Jacobus apostolus : « Petitis et non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis (*Jacob* IV, 3). » Igitur qui sic temporalia postulant, ut in suis concupiscentiis ea consumant, ei assimilantur, de quo scriptum est : « Et oratio ejus fiat in peccatum (*Psal.* CVIII, 7), quoniam ipsa oratio eorum fit peccatum, permaxime, si æternitatis ineffabile sacramentum inter sacra missarum solemnia sic celebrant, ut inde temporalia suis concupiscentiis insumenda conquirant. Quo contra sancti viri primum quærunt regnum Dei, et hæc omnia credunt sibi adjicienda, quæ valent esse ad necessitatem vitæ præsentis traducendæ, et æternæ apprehendendæ. Unde sive petant illa, sive non petant, dummodo regnum Dei attente quærant, credendum est ea dari non ad serviendum voluptati, sed ad satisfaciendum necessitati.

Et revera unusquisque vir perfectus cum fideli Abraham sectando pietatem habentem promissionem vitæ, quæ nunc est, et futuræ, amplectitur quasi uxorem liberam, de qua sibi sperat benedictionem proventuram. Sed cum illa nobilior uxor tanquam Sara sterilis diu differt parere, spiritus fidelis tanquam Abraham senescit in tam longa dilatione promissæ prolis, atque interim, dum exspectat sibi nasciturum Isaac, id est *risum* æternum, dolet incolatum suum sibi prolongatum, dicens : « Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est (*Psal.* CXIX, 5). » In hoc ipso incolatu, quia temporalibus indiget spiritus propter fovendum corpus, vel proprium, vel alienum, nobilis illa promissio æternorum qua primum nobis quærendum offertur regnum Dei, alteram promissionem, qua dicuntur cætera nobis adjicienda, quasi ancillam suam tradit et sociat spiritui marito, ut ex tali conjugio nascatur Ismael, quod interpretatur *exauditio Dei*, et interim dum exspectant æterna, in subsidium vitæ præsentis accipiant ista temporalia, quæ petentes cupiunt exaudiri absque dilatione, sicut Agar ancilla Saræ de Abraham concepit sine dilatione Ismaelem, cujus nomen interpretatur, ut dictum est, exauditio Dei, domina sua interim sterili permanente usque ad senectutem, et pene usque ad sui desperationem. Unde cum jam nonagenaria se audiret parituram de viro centum annorum, « risit, » et dixit : « Postquam senui, et dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo? » (*Gen.* XVIII, 12.) Quantum putas hæc nonagenaria et sterilis desperasset, si vir suus nec de ancilla prolem genuisset? Posset enim putare virum suum frigidæ naturæ, qui nec de juvencula posset generare qualis fuit Agar, et ideo jam emortua vulva sua mulier vetula esset omnino fortasse in diffidentiam prolapsa, ita ut Domino promittenti non crederet se de viro illo concepturam, cujus omnino putaret frigidam esse naturam. Nunc autem, cum Dominus diceret ad Abraham : Ecce « Sara uxor tua pariet tibi filium, et vocabis eum Isaac (*Genes.* XVII, 19). » Sara autem risit, sed de risu redarguta et pœnitens diffidentiæ laqueum evasit, et credula verbis Domini concepit et peperit filium, filio ancillæ præferendum.

Similiter spiritus fidelis et perfectus, cum de promissione cœlestium bonorum speret sibi nasciturum *Isaac*, id est *risum* æternum, quando hujus promissionis jam videtur emortua vulva præ nimia dilatione gaudii sempiterni, aliquomodo accipit consolationem, et Sara uxor ejus, id est fides vel exspectatio æternorum non incidet in desperationem, si de promissione temporalium bonorum nunc interim gignit Ismaelem, id est exauditionem. Et recte hic filius Ismael, id est exauditio vocatur. Nam divina ad usque exteriora pertingens auditio ea proprie exauditio, quasi in exterioribus auditio dicitur. Promissa enim sunt talia bona, ubi dictum est : « Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut agros propter me (*Matth.* XIX, 29) », et propter Evangelium, « centuplum accipiet in hac vita cum persecutionibus, et in futuro vitam æternam possidebit. Hoc centuplum Petrus apostolus in hac vita cum persecutionibus accepit, qui de oblatis pecuniis multa millia hominum communiter sub magisterio suo viventium pavit, ita ut non

Digitized by Google

esset quisquam egens inter eos, cum prius ipse cibos manu et arte quærens fuisset pauper et egens, ita tamen, ut sibi esset sufficiens non habens tantas divitias, ut aliorum valeret supplere inopiam. Sed relictis propter Evangelium tantillis, quæ habuit, et omnibus, quæ sibi concupiscere potuit, cum postmodum propter Christi pauperes pascendos plurimas eleemosynas accepisset, cumque Paulo coapostolo suo de pauperibus curam injunxisset, et per illum collectas in gentibus pecunias accepisset, non est fraudatus promissione centupla in hac vita, licet ærumnis et persecutionibus plena.

Et quia melius est minus egere quam plus habere, Joannes apostolus in Pathmos insula relegatus idem centuplum jucundius habuit, quando terrenis consolationibus, et divitiis illic minime indiguit, non habens illic pauperes, quos pascere deberet, non exspectans illic hospites, quos colligeret, et in se ipso divinis revelationibus, et angelicis allocutionibus refocillatus nullius terrenæ opis indigeret, utpote jam totus existens in spiritu, cupiensque dissolvi et esse cum Christo in risu et gaudio sempiterno, quod significat nomen Isaac. Sed cum ei diceretur ab angelo, qui ei loquebatur : « Oportet te iterum prophetare populis (*Apoc.* x, 11), » quasi nobilis ejus uxoris partus, de qua ei fuit Isaac nasciturus, est in longam senectutem ejus dilatus, et quodammodo supposita est ei ancilla, quia promissio temporalium subsidiorum fuit ei necessaria diu victuro, et Evangelium non solum prædicaturo, sed etiam scripturo in hoc mundo. Igitur post interfectionem Domitiani resolutus a captivitate apostolus etiam eo modo centuplum accepit, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habens abundaret in omne opus bonum, sicut scriptum est : Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum seculi (*II Cor.* IX, 8, 9). »

Quod si apostoli, et alii viri perfecti cum geminam promissionem haberent, videlicet præsentium subsidiorum et futurorum bonorum, in una promissione, quæ ad præsentem vitam pertinet, frustrati fuissent, poterat in eis periclitari fides futurorum bonorum, cum verbum orationis eorum quasi semen frigidum nec ad Ismaelis generationem sufficeret, nec talium quisquam dicere posset : « Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt (*II Cor.* I, 3, 4). » Item : « Sicut egentes, » inquiunt, sumus, « multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, et omnia possidentes (*ibid.* VI, 10). » Nonne cum hæc dicunt, quasi nato jam Ismaele gloriantur se viri sancti exauditos esse, tantoque fiducialius futuræ beatitudinis præmia exspectant, quanto nunc eorumdem præmiorum prævia merita se accepisse certius agnoscunt, dum Deus, « qui administrat semen seminanti (*II Cor.* IX, 10), » et panem ad manducandum præstat, sic adauget incrementa frugum justitiæ, ut nihil eis desit in ulla gratia exspectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi, « in quem nunc non videntes » credunt, posthac autem videntes exsultabunt lætitia inenarrabili « reportantes finem fidei » suæ, « salutem animarum (*I Petr.* I, 8, 9). » suarum convivio magno cum Abraham et Isaac delectati tanquam in die ablactationis Isaac, imo jam tunc adulto Isaac, et ejecta tunc ancilla cum filio suo, cum non erit necessarium sanctis aliquod temporale vel terrenum subsidium. Hic erit ille dies Christi, veri Isaac, de quo Judæis dicit iste Christus : « Abraham pater vester exsultavit, ut videret diem meum, vidit, et gavisus est (*Joan.* VIII, 56). »

Sed ante hunc diem totum solemnem pater Abraham orat pro Ismaele dicens ad Dominum : « Vivat Ismael coram te, » atque ei Dominus respondit : « Etiam super Ismael exaudivi te, faciamque illum in gentem magnam, quia semen tuum est (*Gen.* XVII, 18, 20). » Nam quilibet perfectus, cujus in hac vita prolongatur incolatus, non solum æterna desiderat, sed etiam temporalia sibi abundare vult, non ad opus malum, quod esset quasi quædam interfectio Ismaelis, sed ad opus bonum, quod est vita ipsius coram Deo. Tale desiderium pauperum exaudiens Dominus quasi per effectus rerum dicit fideli suo : « Etiam super Ismael exaudivi te. » Non otiose hic dicitur « etiam : » quoniam principalior est promissio de Isaac, secundaria vero de Ismaele. Quod intelligentes viri perfecti ponunt Jerusalem in principio lætitiæ suæ, semper habentes desiderium principale beatitudinis æternæ, secundarium vero subsidiorum præsentis vitæ.

Sed ad omnia hæc bona obtinenda necessarius est nobis introitus ad nos Regis gloriæ, sine quo neque angeli boni angelis malis, neque apostoli principibus Judaici populi, neque martyres tyrannis, neque confessores hæresiarchis prævalere potuissent, ita ut eis efficaciter et imperiose dicerent : *Tollite portas, principes, vestras.* Rursum non introiisset *iste Rex gloriæ potens in prælio* vel interum debellaturus, vel tyrannos humiliaturus, vel hæresiarchas confutaturus, nisi ablatis portis mortis elevatæ fuissent *æternales portæ*, per quas introitus erat ipsi *Regi gloriæ*, *Domino forti*, *Domino virtutum.*

Similiter etiam in hoc tempestuoso tempore tres principes mali erexerunt portas suas, videlicet Judas fur sacrilegus, et Simon magus, atque Nicolaus fornicator, nimirum similes in mysterio iniquitatis tribus illis seditionum principibus Eleazaro, Joanni, et Simoni, qui tempore obsidionis intestino bello, ac cædibus innumerabilibus civitatem vastantes Jerusalem eam quodammodo suæ tyrannidi subdiviserant. Nam unus ipsorum, videlicet Joannes, superiora civitatis loca, id est arcem et men-

Digitized by Google

tem templi occupaverat. Alter, id est Simon, ambitum civitatis tenuit. Tertius inter hos medius, id est Eleazarus, medium civitatis occupavit. An non etiam nunc videas in hoc extremo consummationis tempore Simonem magum superiora typicæ Jerusalem, id est sanctæ Ecclesiæ culmina, honores videlicet ecclesiasticos occupantem vendere ac vendentem et ementem occupare? An non extrema, vel ambitum civitatis Dei Judas mercator pessimus et fur sacrilegus obtinet in lucris rerum ecclesiasticarum, sacrilegis pervasoribus decimas ac stipem pauperum sacrilege profligata justitia sibi vindicantibus? A quorum sacrilegio nec ipsi episcopi immunes sunt, qui eadem stipendia pauperum in usus laicos transferunt, vel ab aliis translata non reposcunt. Inter hos medius Nicolaus fornicator locum obtinet, dum in clero, maxime autem in sacerdotio fornicantes hinc pseudoepiscopos superiores respiciunt: hinc vero laicis maxime in mysterio iniquitatis superiores existunt, quibus etiam ad inferos una cum pseudoepiscopis portæ fiunt ipsi pseudosacerdotes, aut ipsa eorum interdicta officia et missæ, quas interdictas interdicti canunt, ad inferos eos una cum laicis eorum contra interdictum auditoribus quasi quædam portæ transmittunt.

O quantas hæ portæ, vel hi principes per portas suas ad inferos animas, maxime tempore Henrici IV vel V transmiserunt, et adhuc transmittere non desinunt! Dicendum, et sæpius jam per pontifices Romanos dictum est istis principibus: *Tollite portas, principes, vestras*, id est auferte missas vestras, quas perniciose cantatis, et cantari facitis, ut per eas, quasi per portas inferi transmittatis eos in infernum, qui tales missas vel cantant, vel audiunt contra interdictum Romanorum pontificum, quos justa præcipientes audire debet Ecclesia tanquam ipsum beatum Petrum. *Tollite* has *portas:* et vos *elevamini, portæ æternales*, scilicet missæ catholicorum, in quibus regnat principaliter æternitatis desiderium, cui adjunguntur preces fideles, et pro statu temporalium ad usum fidelium per hæc temporalia tendentium ad æterna.

Fuerunt quidem inter Apostolos quidam magni primitivæ Ecclesiæ principes prædictis principibus valde oppositi, videlicet Simon Petrus, apostolorum vertex, damnans Simonem Magum, et Joannes theologus privilegium virginitatis prænonstrans contra Nicolaum fornicatorem, et apostolus Paulus plus omnibus laborans in Evangelio sanctæ civitatis tenens ambitum, qui in circuitu ab Jerusalem usque ad Illyricum replevit Evangelium Christi, Judæ sacrilego per eleemosynarum largitatem contrarius, quas studiose colligens a gentibus perferre vel transmittere sanctis in Jerosolymam sollicitus fuit (*I Cor.* xv, 10). Et nunc Deus suscitet ac multiplicet in Ecclesia multos horum principum supparres meliores, et *æternales portas* pandentes, divina sacramenta rite, ac Deo placite celebrantes, quales etiam, Deo gratias, nunc portas pandi, et elevari gaudemus, quibus congratulando dicimus: *Elevamini portæ æternales.* Vos, inquam, *portæ æternales, elevamini*, ut non nobis prævaleant portæ inferi, ut non plus valeant missæ interdictæ ad exacerbandum Deum, quam vos ad eum placandum. Imo in tantum vos elevamini, ut per illicitas missas Deus ad iram provocatus, per vos propitietur usque in finem, et per vos portas æternales et elevatas gemina Ecclesiæ proveniat utilitas, dum et per hoc, quod estis *æternales portæ*, ditantur fideles æternitatis beatitudine, atque per id, quod estis elevatæ, illud etiam elevetur sursum per usum bonum, quod externa gravitate vergeret in imum, si per vos portas elevatas non elevaretur sursum. Per vos nobilis æternorum promissio pariat nobis Isaac, id est gaudium sive risum. Per vos etiam in hac vita centuplum præmium accipiendo suscipiamus Ismaelem, quod interpretatur *exauditio*, ut ex perceptione præsentium munerum firma sit exspectatio futurorum, et præsentibus donis Dei sufficienter adjuti sempiterna fiducialius appetamus. Per vos *portas* æternales, et elevatas « omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum » ad nos descendat « a Patre luminum (*Jacob.* I, 17). » Vos portas cœli aperiat Dominus, et pluat nobis per vos manna, ut edamus panem angelorum, qui est unica refectio animarum, et cibaria mittat nobis in abundantia, etiam ad reficienda corpora, et confortanda in usum bonorum operum.

Sunt vero et aliæ portæ infernales, ac pene innumerabiles innumeras animas ad inferos transmittentes. Tot enim sunt portæ inferi, quot criminalia, vel capitalia peccata mundi in maligno positi. Magna nempe porta, et nimis alte subrecta est superbia, latæ, ac nimis amplæ portæ avaritia et luxuria, ac reliqua ejusmodi vitia capitalia, quibus nostro in tempore alia quædam accessit porta, falsa videlicet pœnitentia, nimirum pseudosacerdotibus animas decipientibus, et eas, quæ non vivunt, vivificantibus, sicque eas ad inferos sub specie pietatis transmittentibus, ac sub specie medicamenti animas vulnerantibus, imo et falsa præsumptione veniæ occidentibus. Non enim ab eis, sicut in lege præceptum est, « pectusculum elevationis, » vel « armum dextrum separationis (*Lev.* VIII, 34) » exigunt, id est nequaquam ab eis propositum elevatæ ad Deum voluntatis, ac separatæ a sæculo operationis armum dextrum exquirunt, sed odium in corde et concubinas retinentibus, quælibet injusta acquisita vel decimas laicis possidentibus ab officio noxio, a negotio, vel militia [*f.* malitia] non recedentibus pœnitentias tradunt, cum econtra sanctorum Patrum contestetur auctoritas, non posse quempiam de uno criminali pœnitentiam agere, qui ab alio non recesserit. Qui enim « offendit in uno, reus factus est omnium (*Jac.* II, 10), » non quidem secundum effectum operis, sed quantum ad consecutionem attinet salutis.

Sed et pro his portis dicimus, magis autem a Spiritu sancto per Ecclesiæ rectores efficaciter dici

Digitized by Google

optamus : *Tollite portas, principes, vestras.* O sacerdotes principes populi atque utinam boni, *tollite portas vestras*, id est una cum criminalibus peccatis etiam falsas pœnitentias. *Et elevamini*, vos *portæ æternales*, istis portis contrariæ, innocentia videlicet ac vera pœnitentia. *Et introibit Rex gloriæ.* Et benedictus Deus, etiam in hoc auditu implevit, ac magis adhuc implebit desiderium nostrum, ut tale, quod contra falsas pœnitentias, unde recte gaudeamus, audiamus intonari, sicut a papa Innocentio falsas a veris pœnitentiis distinguente generali concilio dictum est : « Sane, » inquit, « quia inter cætera unum est, quod sanctam Ecclesiam maxime perturbat, falsæ videlicet pœnitentiæ, confratres nostros presbyteros monemus, ne falsis pœnitentiis laicorum animas decipi, et in infernum pertrahi patiantur. Falsam autem pœnitentiam esse constat, cum spretis pluribus de uno solo pœnitentia agitur, aut cum sic agitur de uno, ut non discedat ab alio. Unde scriptum est : *Qui totam legem observat, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Videlicet quantum ad vitam æternam. Sicut enim si peccatis omnibus esset involutus, ita, si in uno tantum maneat, æternæ vitæ januam non intrabit. Falsa etiam fit pœnitentia, cum pœnitens ab officio vel curiali vel negotiali non recedit, quod sine peccatis agi nulla ratione prævalet, aut si in corde odium gestetur, aut si officio cuilibet non satisfaciat, aut si offendenti offensus non indulget, aut si arma quis contra justitiam gerat. » Hoc decretum Innocentii papæ, si quis eo legitime utatur, vere porta æternalis est, sed adhuc heu ! nimium per negligentiam depressa, quæ ut elevetur, ac per eam vera pœnitentia in Ecclesia reformetur, quæ et ipsa una cum Innocentio *portæ æternales* sunt, dicamus singuli, dicamus omnes : *Elevamini, portæ æternales.*

Pro omnibus autem portis æternalibus, ut eleventur, « tu Regis alti janua, et porta lucis fulgida » Mater, et Virgo Maria sis nobis adjutrix præcipua, simul orans ut, quotiescunque ad canendas vel audiendas missas convenimus, per illas quasi vere pœnitentiales portas et elevatas clementer ad nos introeat *Rex gloriæ* Filius tuus *Dominus fortis et plenus in prælio*, in quo prælio judicet nocentes nos, et expugnet impugnantes nos sive dæmones sive malignos homines, sive omnes affectiones contrarias honestati virtutum, quas virtutes amat ipse *Dominus virtutum.* Et quia ipse *est Rex gloriæ*, pariter et in hac vita regat Ecclesiam suam gloriose, atque in futuro consociet eam gloriæ suæ. Quod si verbum nostræ orationis adeo est invalidum, peccatis nostris exigentibus, qui tales existimus, ut indigni simus exauditione, quam præsignavit Ismael, et risu, quem præsignavit Isaac, tu porta æternalis, per quam clausam venit in mundum Patris excelsi, veri Abraham, Verbum æternum, semen benedictum, in quo benedicendæ sunt omnes tribus terræ, pro nobis ora, tuisque fortibus orationibus infirmas nostras orationes eleva, o porta elevata, ut per te sit excusabile, quod fecimus ; sit impetrabile, quod petimus ; sit acceptabile, quod offerimus, neque unquam desit nobis utile solatium exauditionis in impetrandis etiam vitæ hujus miseræ subsidiis, quoadusque nascatur nobis verus Isaac Filius tuus, quo nato in terris et tu, nobilis mater, gavisa es, et conridebant tibi vicini tui, scilicet sancti angeli canentes : « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II, 14). » Hic verus Isaac per te nobilem Patris excelsi sponsam nobis in nobis nascatur, crescat, adolescat, maturescat, et ejecto filio ancillæ cum matre sua, cessante videlicet post obitum nostrum temporalium subsidiorum necessitate, ipse totus desiderabilis Isaac nos in hæreditatem solus possideat in manifestatione gloriæ suæ : quia ipse *est Rex gloriæ.* Ipse *fortis et potens in prælio* quasi David manu fortis fortissime ac potentissime per gladium bis acutum cunctos inimicos suos debellabit in extremo judicio. Ipse *Dominus virtutum* peracto judicio quasi Rex pacificus Salomon pacatum tenebit imperium inter agmina cœlestium virtutum, quibus consociabit homines amatores virtutum *ipse Dominus virtutum, ipse Rex gloriæ*, cui sit gloria nunc, et in sæcula. Amen.

Gloria Patri Domino, cujus est mons Domini, de quo dictum est in psalmo : *Quis ascendet in montem Domini ? Gloria Filio*, ipsi monti Domini, qui elevatus in verticem montium, exaltatus videlicet super omnes choros angelorum, *fortis est et potens in prælio*, Dominus virtutum, Rex gloriæ. *Gloria Spiritui sancto*, qui est illa benedictio et misericordia, de qua dicitur in psalmo : *Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo. Gloria Patri, et Filii, et Spiritui sancto* æternitati, de qua dicuntur *æternales portæ*, quæ sunt portis inferi contrariæ.

PSALMUS XXIV.

Ad te, Domine, levavi animam meam. Titulus :

(Vers. 1.) IN FINEM PSALMUS DAVID.

Ordine satis congruo attitulatur hic *psalmus David* pœnitenti, quia totus oratio est Ecclesiæ pœnitentis. Illi enim, qui appropinquaverunt usque ad portas mortis, et, elevatis portis æternalibus, de quibus psalmo præcedenti actum est, peccata sua recognoverunt, vel adhuc recognoscant, in hoc psalmo loquuntur, et petunt sibi *delicta juventutis* et *ignorantias* suas non imputari, in quibus

Digitized by Google

deliquerunt vel cum Pharisæis propter mandata hominum irritum faciendo mandatum Dei, vel tyrannis idolatris cedendo, vel hæreticis acquiescendo, vel officia vetita recipiendo, et tales audiendo, de quibus Dominus dicit : « Quotquot venerunt, fures erant, et latrones, et non audierunt eos oves (*Joan.* x, 8) : aut etiam in veris doctoribus et pastoribus ipsum non audiendo, de quo vox paterna : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite (*Luc.* IX, 35). » Quisquis agnoscit se in talibus errasse, ac pœnitet ex corde, vultque de cætero per viam veritatis incedere, hinc bene convenit in hoc psalmo dicere : *Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas doce me. Dirige me in veritate tua, et doce me.*

Quasi enim de scholis diaboli veniens ad scholam Christi cupit doceri, quæ sint elementa exordii sermonis Dei : et sicut pueri erudiendi primo discunt litteras, ut his cognitis per eas majora cognoscant : sic David pœnitens in hoc psalmo proponit elementa quædam Hebraica discenda in capitibus versuum psalmi hujus, de quibus elementis non est modo dicendum per singula, sed aspirante Deo in psalmo CXVIII, de his elementis plenius tractabitur. Nunc autem in hoc psalmo et in cæteris psalmis per elementa Hebraica titulatis hoc dicere contenti simus, quod hujusmodi psalmi doctrinales sunt, et ad moralitatem instruunt, quidam perfecte, quidam imperfecte. Perfecte, qui habent omnes litteras Hebraici alphabeti; minus perfecte, qui minus habent de his elementis. In psalmo isto pauca desunt de his elementis. Nam primus ejus versus in capite apud Hebræos habet *Aleph*, qui etiam apud Latinos habet *A*, quæ est prima littera. Sic enim incipit : *Ad te, Domine* ; non potuit autem in Latina lingua per omnes versus observari capitalium litterarum concordia. Sed cum primus versus apud Hebræos incipiat per *Alpha*, secundus per *Beth*, copulemus has duas litteras, et interpretemur eas.

Alpha enim interpretatur *doctrina* ; *Beth*, *domus*. Et quæ est doctrina domus, nisi doctrina Ecclesiæ, quam resonat « omnis Scriptura divinitus inspirata utilis ad docendum et arguendum ? (*II Tim.* III, 16) » ad docendum quæ recta sunt ; ad arguendum quæ perperam fiunt. Sed ubi hæc elementa per capitales inceptiones versuum in Hebræo ponuntur seriatim, verbi gratia, ut in lamentationibus Jeremiæ, atque in laude mulieris fortis apud Ecclesiasten, fit hoc planius et plenius, quod spectat ad doctrinam domus Dei, quæ est Ecclesia, quam alias in sancta Scriptura. Unde similiter inter psalmos hi sunt magis doctrinales, qui habent has litteras capitales, quarum prima interpretatur *doctrina*, secunda *domus*, quia in his evidentior doctrina est morum perficientium ad decorem domus Dei. Sed de his elementis alias plenius dicendum est.

Est autem psalmus iste contra adversa sæculi, quasi oratio populi constituti in Babylone, ubi est expertus pœnitens sua mala post flagella. Proponitur vero aliis hac intentione, ut discant non murmurare, sed orare inter adversa hujus mundi, sicut David pœnitens orat inter adversa ubi dicit : *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt, de necessitatibus meis erue me.* In prima parte erectus ad Dominum petit doceri vias Domini. In secunda orat pro dimittendis peccatis, ubi dicit : *Reminiscere miserationum tuarum.* In tertia ostendit, quomodo habeantur æterna bona post adversa temporalia, ubi dicit : *Quis est homo, qui timet Dominum, legem statuit ei in via, quam elegit ? Anima ejus in bonis demorabitur.* Dicat ergo David pœnitens, dicat peregrina in hoc mundo Ecclesia, dicat et unaquæque pœnitens persona :

VERS. 2. *Ad te Domine levavi animam meam. Deus meus in te confido, non erubescam.* Non jam *confido* in traditionibus Pharisæorum ; non *confido* in idolis ; non *confido* in hæreticorum sectis, non *confido* in interdictis Simoniacorum, et Nicolaitarum missis. Sed *in te confido*, Domine, atque ideo visa elevatione portarum æternalinm et ego exemplo talium *ad te, Domine, levavi animam meam ; animam* eatenus depressam et conculcatam in terra, *levavi*, ea quæ sursum sunt quærendo et sapiendo. *Ad te, Domine*, ad te apprehendendum et amplectendum, dicens in anima mea, et in corde meo : dilecte mi, « apprehendam te, et ducam te in domum matris meæ (*Cant.* VIII, 2). » Item : « Osculetur me osculo oris sui (*ibid.*, I, 1). » Talia frequenter cogitando *ad te, Domine, levavi animam meam.*

Deus meus in te confido ; non erubescam. Primi parentes mei, qui confidendo in semetipsis voluerunt esse « sicut dii scientes bonum et malum (*Gen.* III, 5), » de nuditate sua erubuerunt, quando ipsi facti Deo inobedientes, etiam suæ carnis inobedientiam pertulerunt. Sed jam ego disciplinis eruditus non in me ipso, non in foliorum, id est verborum vanis tegumentis ut Adam *confido* ; sed *in te, Deus meus, confido*, qui cum in forma Dei esses, exinanisti te ipsum pro me redimendo, ut tua de summis inclinatio mea fieret ad summa provectio, ut mortem meam moriendo destrueres, et vitam resurgendo reparares. Ideo *in te confido, non erubescam*, sicut erubuit Adam, quando se abscondit a facie tua. Nam ego quærens faciem tuam *ad te, Domine, levavi animam meam*, et ideo *confido* sic vestiri et ornari stola gloriæ, stola jucunditatis, stola candida, ut non confundar, nec *erubescam*. Illi merito erubuerunt et confusi sunt, qui, cum a te requisiti fuissent ad pœnitentiam, fugerunt et absconderunt se in medio ligni paradisi. Ego venio ad lucem, ut arguantur opera mea, ego ipse ultro confiteor, et præoccupo faciem tuam in confessione : ideo *confido, non erubescam*. Erubescat Judæus infelix, qui dicit Christum de Joseph semine esse natum. *Erubescat* gentilis infidelis, qui dicit idolo manu facto : *Deus meus* es tu. *Erubescat* hæreticus falsidicus manifesta veritate confutatus. « Erubescant » et illi, « quorum Deus venter est, et gloria in con-

Digitized by Google

fusione ipsorum, qui terrena sapiunt (*Philipp.* III, 19). » Ego autem, qui *in te confido, non erubescam* propria vanitate deceptus:

VERS. 3. *Neque irrideant me inimici mei* sua seductione supplantatum. Ipsi enim inimici dæmones, vel maligni homines, qui ante perpetrationem peccati sunt ipsius peccati persuasores, post perpetrationem fiunt irrisores. Quorum omnium pessimas suggestiones quoniam sperno, et ea, quæ suggerit Spiritus sanctus, magis eligo: ideo *in te*, cujus obedio spiritui, *Deus meus, confido, non erubescam, neque irrideant me inimici mei.* Nec mirum, quod mihi proventuram confido, multis erogatam, et nullis in te confidentibus denegatam gratiam. *Etenim universi, qui sustinent te* ferentes patienter pondus diei et æstus præsentis tribulationis, donec venias, *non confundentur*, neque per se, neque per inimicos. Sustinuit te beatus Job castigantem, et non est confusus; quia petens parci sibi, tandem clementer est exauditus. Sustinuerunt te apostoli dormientem in navi sæviente maris tempestate, et non sunt confusi, quoniam tu tandem surgens imperasti ventis et mari, et facta est tranquillitas magna, et mirati sunt universi. Sustinuerunt te martyres sancti, et non sunt confusi, sed per multa miracula, vel ante mortem, vel post mortem sunt glorificati. Sustinuerunt te confessores beati, et non sunt confusi, quia non eis hæretici, sed ipsi hæreticis prævaluerunt. Confusi autem sunt, qui se tuis apostolis, martyribus, confessoribus opposuerunt, quia perficere, quod intenderant, non potuerunt.

VERS. 4. *Confundantur* etiam nunc, *omnes iniqua agentes supervacue. Confundantur* salubri confusione in vera pœnitentia, sustineant commendatoriam disciplinam intra sanctam Ecclesiam, quam si ferre recusaverint, etiamsi ipsi ab Ecclesia non abscesserint, ab ejus tamen societate projiciantur, ne contagione pestifera plurimos perdant, sed ipsi soli maneant in confusione sua sicut Achar filius Charmi de tribu Juda propter anathema furtive commissum tandem proditus in sua nimium sera confessione plenus, ac dignus confusione, quia turbaverat Israel, turbatus ac damnatus est lapidante illum universo populo ad præceptum Josue ducis Israel, qui dixit ad eum: « Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidavitque eum omnis Israel: et cuncta, quæ illius erant igne consumpta sunt. Congregaverunt quoque super eum acervum magnum lapidum, qui manet usque in præsentem diem. Et aversus est furor Domini ab eis. Vocatumque est nomen loci illius vallis Achor usque hodie (*Jos.* VII, 25 et seq.). » Recte turbabatur Achan, cujus nomen interpretatur *turbatio*, et qui suo peccato turbaverat populum Domini. Recte etiam nunc turbantur, qui eidem Achar in fermento malitiæ et nequitiæ assimilantur, quando ex tali fermento massa tota corrumpitur, quando suæ pestis contagione plures perdere non timent, quando nolunt emendari a sua malitia, nec sufficit eis malitia præterita, sed adhuc agentes iniqua peccant *supervacue*, id est absque fructu et utilitate. Quem enim fructum habent in his, in quibus post factum erubescunt? Certe non solum non habent fructum alicujus utilitatis ex peccatis suis, verum permaxima damna incident per ipsa, et post ipsa peccata. Nam « finis illorum mors est (*Rom.* VI, 21). » Non ergo illud fit crudeliter, sed misericorditer, quod hujusmodi contra eos fit oratio, qua optatur, ut *confundantur omnes iniqua agentes supervacue*, ne diutius in impunitate relicti, et ipsi multiplicius pereant, et alios pravo exemplo perdant. Ut autem ego David pœnitens non peream cum talibus,

Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me. Vias tuas in activa vita *demonstra mihi* per lucidissima exempla conversationis tuæ in terris: et *semitas tuas doce me* in contemplativa vita, in qua faciem tuam divinam desiderant sancti prospicere in cœlis. Ideo peto mihi demonstrari *vias tuas et semitas tuas me* doceri, quoniam et activa vita *vias* habet planas, etiam simplicibus ambulabiles, ideoque facile demonstrabiles, de quibus dicitur: « Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini (*Psal.* CXVIII, 1). » Et contemplativa vita *semitas* habet angustas, erroribus proximas, contra quos errores necessarium est me doceri per multa veritatis testimonia, de quibus dicitur: « Beati, qui scrutantur testimonia ejus (*ibid.*, 2). » Iterum quia ipsæ viæ justitiæ angustæ sunt in ingressu tanquam semitæ nimium strictæ, quæ dilatantur in progressu, quando jam ex bona bene vivendi consuetudine non solum absque angustia, sed etiam cum delectatione curritur via mandatorum Dei, et est homini sancto delectabilius jejunare, quam convivari, flere, quam ridere, injuriam suam tolerare, quam vindicare, subesse, quam præesse bonis, vituperari, quam laudari a non bonis: Opto mihi demonstrari *vias* pariter et *semitas*, ut ad *vias* bene dilatatas curram per *semitas* angustas. Ne autem currens incedam per ambages, fiamque unus illorum, de quibus dicitur: « In circuitu impii ambulant (*Psal.* XI, 9), » ita

VERS. 5. *Dirige me in veritate tua*, ut curram directe ad bravium: *et doce me*, ne unquam falsa aliqua veri similitudine alicujus perversæ doctrinæ. *Dirige me* pariter, *et doce me.*

Quia tu es Deus Salvator meus, et te sustinui tota die. Duo dixi ad meritum bonum pertinentia, per quæ impetrare opto postulata. Unum est fides, qua credo: *quia tu es Deus Salvator meus*: « et non est in alio aliquo mihi spes salutis. Neque enim aliud nomen sub cœlo datum est hominibus, » ait apostolus tuus Petrus, « in quo nos oporteat salvos fieri (*Act.* IV, 12), » præter nomen tuum, quod est *Jesus* Græce, *Salvator* Latine, *Soter* Hebraice (54).

(54) Ita cod. *Scribere Gerhohus voluit*: Jesus Hebraice, Salvator Latine, Soter Græce:

Digitized by Google

Ideo credo : *quia tu es Deus Salvator meus*, quæ fides unum membrum est bonorum meritorum, qua te credo *Salvatorem*. Alterum membrum bonorum meritorum est illa bonæ conversationis patientia, in qua *te sustinui tota die* portans pondus diei et æstus, et fui a dextris atque a sinistris per arma justitiæ munitus, dum et inter prospera in temporali prosperitate non posui mihi salutem, sed firmissime tenui hanc fidem, qua credidi, propter quod et locutus sum aliis; quia *tu es Deus Salvator meus*, et inter adversa non defeci, neque me ipsum per impatientiam vindicavi, sed te *sustinui tota die* sciens te dixisse : « Mihi vindicta, et ego retribuam (*Hebr.* x, 13). » Ideo te non solum credidi Salvatorem, sed etiam sustinui retributorem, præcipue hoc optans ut, cum universæ viæ tuæ sint misericordia et veritas, tu potius per misericordiam retribuas bona pro malis, quam per justitiam mala pro malis. Propterea, cum ego interdum potuissem reddidisse vicissitudinem retribuentibus mihi mala pro bonis, nolui tam durus retributor esse, sed te pium retributorem *sustinui*, et exspectavi *tota die* maledicentibus non remaledicens, percutientes non repercutiens.

Aliter : *Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas doce me. Dirige me in veritate tua, et doce me.* Tu dicis : « Ego sum via, et veritas, et vita (*Joan.* xiv, 6), » quod omnino verum est, quia tu es *via* in exemplis et præceptis, *veritas* in promissis et minis, *vita* in præmiis. Ideo ego cupiens duci per exempla et præcepta tua dico tibi : *Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas doce me*, per *vias* exempla, per *semitas* intelligens præcepta tua. Iterum quia contemptoribus eorumdem exemplorum et præceptorum tuorum veraciter comminaris æterna supplicia, et eorumdem servatoribus veraciter promittis æternæ beatitudinis præmia, dico tibi : *Dirige me in veritate tua*, ut mala, quæ veraciter comminaris, evadam, et bona, quæ veraciter promittis, obtineam. Scio enim *vias* exemplorum et *semitas* præceptorum tuorum esse salubres : *quia tu es Deus Salvator meus.* Scio etiam promissiones tuas aliquando differri, sed nunquam auferri : ideo *sustinui te tota die* certissima exspectatione cum patientia et sustinentia præparans me ad capienda promissa tua, quæ nec dubitavi, nec dubito his proventura, quibus ea constat esse promissa. Non enim promisisti omnibus omnia, sed diversis diversa : verbi gratia, pauperibus promittis regnum cœlorum, lugentibus consolationem, misericordibus misericordiam.

Et tamen assuetus gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, quando lugebam ego David Saulem, quem etiam lugebat Samuel, non accepi consolationem, sed per viginti annos longam sustinui ab illo persecutionem, pervenique ad tantam desolationem, ut vix manus illius evadens, et coactus in exsilium non haberem vel unum locum tutum mihi ad latibulum in regno, quod erat mihi per unctionem Samuelis destinatum (*I Reg.* xv, 35). Poteram ego in tam longis persecutionibus deposuisse spem regnandi, sed sciens te veracem promissorem, qui mihi David servo tuo jurasti dicens : « usque in æternum præparabo semen tuum, et ædificabo in generationem et generationem sedem tuam, sustinui tota die (*Psal.* lxxxviii, 4 et 5), » pondus diei et æstus portans in tam longa persecutione. Iterum cum potuissem illum inimicum meum in spelunca deprehensum, vel dormientem inventum interfecisse, non hoc feci, non sic ad regnandum festinavi, ut mitterem manum meam in Christum Domini, sed *te sustinui tota die*, hoc apud me deliberans, ut potius in illius persecutione tuam sustinerem castigationem, quam eo a me interfecto nimium festinus regnator fierem, sciens : quod « hæreditas, ad quam festinatur in principio, in novissimo carebit benedictione (*Prov.* xx, 21). »

Similiter ego pœnitens Ecclesia, vel ego quilibet pœnitens in Ecclesia, cum sub regno Saulis, id est mortis natus fuissem in peccato, per quod sibi mortem tanquam furibundum regem superduxit homo, tamen accepi per sacrum baptisma, per oleum sanctum, per chrisma, per mysticam Eucharistiam talem unctionem, qua destructo in me regno peccati et mortis tanquam regno Saulis regnum David, id est regnum justitiæ in me debuit convaluisse, et regno peccati prævaluisse. Hac spe regnandi nunc per justitiam manufortem, in futuro per gloriam desiderabilem, tibi, Christe, Filio David vere manuforti et desiderabili adhæsi per communem Christianitatis observantiam, vel etiam per spiritalis propositi magis religiosam vitam. Sed cum ita sim destinatus, et unctus in regem, tamen post acceptam regalem in sacramentis Dominicis unctionem, sentio adhuc in carne mea peccati legem tanquam Saulis tyrannidem, et audio mihi, et aliis Apostolum tuum dicentem : « Fugite fornicationem (*I Cor.* vi, 18), » quod idem est, ac sic dicat : Fugite Saulis persecutionem. Inter tot peccatorum et tentationum pericula sæpe insidiata est mihi diffidentia, ut desperarem, me posse evadere, sicut David desperabat se posse evadere, cum prodentibus et tradentibus eum Ziphæis esset undique in modum coronæ circumvallatus a militibus Saulis (*I Reg.* xxiii, 19) : tamen *sustinui te tota die* certus de tua promissione, qui regnum peccati et mortis moriendo destruxisti, et regnum justitiæ reparasti primitus in corpore tuo, in quo Saulis, id est mortis potentia sic est abolita, ut mors illi ultra non dominetur : deinde idipsum fecisti in corpore tuo magno, quod est Ecclesia, quæ nunc partim est resuscitata in animabus, et in illorum corporibus, quorum corpora tecum surrexerunt, et introierunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis.

At ego adhuc Saulis, id est mortis damnatione premor, qui me multoties lancea sua nisus est confodere in parietem. Sed quia *sustinui te tota die*, in protectione tua confidens quasi casso vulnere mor-

Digitized by Google

tifera lancea perlata est in parietem non valente diabolo efficere ulla tentatione, ut anima mea et vita mea per impatientiam exstingueretur, quamquam paries carnis nonnihil mali pateretur, cui tandiu sentio lanceam mortis infixam, quandiu « video in membris meis legem contrariam legi mentis meæ (*Rom.* VII, 23). » Sed hæc lancea in pariete carnis cassum vulnus operatur, quando lex mentis ad consensum legis membrorum non inclinatur : quæ tunc elabitur per fugam, quando a lege peccati et mortis elongans per intentionem et improbationem dicere potest : « Peccatum meum contra me est semper (*Psal.* L, 5). »

Hoc autem tunc vere dicitur, quando non ad peccatum, sed contra peccatum directa est intentio mentis, primo, ut non fiat; secundo, ut non maneat. Sic Petrus apostolus contra peccatum direxerat intentionem suæ mentis primo habens propositum, ut Christum non negaret; secundo postquam peccatum accidit, ut per pœnitentiam illud improbaret, atque ideo quasi casso vulnere perlata est lancea mortiferæ iniquitatis in pariete, quia non valuit penitus exstinguere in Apostolo apostolicam fidem, et illam dilectionem, qua Christum etiam in illa hora dilexit, in qua eum ore non corde negavit. Propter quod non tarde, sed valde cito resipuit, quia ei peccatum suum nec faciendum fuerat in deliberatione, nec factum in approbatione, sed dicere potuit veraciter : « Iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper (*ibid.*, 5). » Postquam vero te, Christe, respiciente, amare flendo accepit medicinam veniæ, tunc ex corde potuit psallere : *Quia tu es Deus Salvator meus, et te sustinui tota die.* Ego Petrus pœnitens, et utrum pœnitentia mea suscepta esset nesciens, tamen credidi, quod tu esses *Deus Salvator meus*, quem negaveram, *et te sustinui tota die*, non festinans ad laqueum per impatientiam, vel indignationem, seu nimium dolorem, sicut fecerat Judas, qui te Salvatorem suum esse non credidit, neque te sustinuit, imo videns, quod damnatus esses ipso tradente, « abiens laqueo se suspendit (*Matth.* XXVII, 5). » Cui similis efficitur, qui ante et post peccatum quærit opportunitatem, ut illud perficiat sine impedimentis, sicut ille quærebat opportunitatem, ut te, Christe, traderet sine turbis, et post peccatum strangulatur laqueo impœnitentiæ. Sed ego Petrus *te sustinui tota die* manens in pœnitentiæ ac luctus magna tristitia portando pondus diei et æstus ab hora nona Parasceve usque in mane diei Dominicæ resurrectionis. Cumque sic te sustinerem tota die Sabbati, et « vespere Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, venissetque Maria Magdalena, et altera Maria videre sepulcrum (*ibid.* XXVIII, 1), » tunc fides mea et sustinentia mea dignum accepit fructum, tunc vere mihi pene desperato « gallo canente spes rediit. » Mihi ergo « salus refusa est, mucro latronis » ac lancea Saulis « reconditur, lapso fides reversa est. » Gallus iste mihi nuntius lucis fuit angelus, qui dixit mulieribus : « Ite, dicite discipulis ejus, et Petro (*ibid.*, 7). » Quando enim sic inter discipulos fui designatus ex nomine, tunc, o Christe! delectabar et recreabar ex illa fide, qua te credideram : *quia tu es Deus Salvator meus*, et complacuit mihi sustinentia, qua *te sustinui tota die* nolens de salute mea penitus desperare.

Huic Petro pœnitenti ego pœnitens Ecclesia, vel ego quilibet pœnitens in Ecclesia cupio assimilari, ut et ego lancea mortis in carne mea percussus, qui et ille fuerat in lingua te negante vulneratus, tandem experiar fructum fidei, qua ego pœnitens credo, Christe, *quia tu es Deus Salvator meus.* Et licet ista credens diu sim dilatus, tamen *te sustinui tota die*, *atque* adhuc sustineo, Christe, exspectans hoc præmium sustinentiæ meæ, ac pœnitentiæ diuturnæ, ut me digneris discipulis tuis annumerare, atque certa annuntiatione mihi intimare, ut ex tali nuntio quasi gallo canente spes mihi redeat, mihi ægro salus refundatur, mucro latronis, qui sæpe linguam per loquacitatem, gulam per edacitatem vulnerat, et totum carnis parietem per legem membrorum vulnerare assiduum, et consuetum habet : mucro, inquam, ille latronis, vel Saulis, id est, mortis gallo canente ita condatur, ut ultra parieti carnis meæ non infigatur, et mihi lapso fides refundatur, non quod hæc fides in me omnino perierit, pro qua ne deficeret in Petro, Christus oravit, sed quia hæc fides languida existit, quandiu eidem fidei Christus non apparet vivus, imo jacet ei quasi mortuus et sepultus, dum in orationibus invocatus non se præsentat evidentibus miserationum effectibus. Propter hoc opto mihi fidem refundi, et velut sopitam suscitari, ut mihi mortuus, et sepultus Christus tribus diebus et tribus noctibus, tribus videlicet tentationum generibus, immunditiæ, curiositatis, elationis, per prospera et adversa me vexantibus, nunc tandem resurgat mihi, et appareat vivus, quemadmodum resurgens a mortuis apparuit Petro, apparuit etiam aliis discipulis, « qui gavisi sunt viso Domino (*Joan* XX, 20). » Exhibuit etiam se non solum videndum, sed etiam palpandum dicens : « Palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere (*Luc.* XXIV, 39). » Quasi enim solum spiritum, non carnem et ossa videtur habere Christus, quando in solis invisibilibus, et spiritalibus beneficiis facit nobis diem solemnem suæ resurrectionis. Et possent quidem hæc spiritalia beneficia nos abundanter lætificare, si continuo acceptis illis beneficiis dissolvi et cum Christo esse, quod est optimum, nobis esset concessum. Sed quia vivere in carne bonis hominibus hic fructus est operis, et hoc ipsum necessarium est aliis adhuc meliorandis, nos quibus « vivere Christus est, et mori lucrum (*Philipp.* I, 21), » imo quibus vivere in carne ad hoc est necessarium, ut post multos fructus operum sit nobis mori lucrosum et non damnosum necessarium habemus geminum Dominicæ resurrectionis solatium, videlicet, ut sicut in die resur-

Digitized by Google

rectionis insufflavit Spiritum suum discipulis, et eisdem quoque manus, et pedes, et latus, carnem et ossa exhibuit ad videndum et palpandum : sic et nobis quandiu nos in carne manere necessarium est propter fructum operis, nunquam desinat Spiritum suum insufflare, per quem « flammescat igne charitas, accendat ardor proximos. » Manus quoque ac pedes, et latus, carnem suam et ossa visibiliter et palpabiliter exhibeat per visibilia et palpabilia suæ miserationis beneficia, quibus juvemur ad paschalia digne colenda gaudia, consolati et lætificati non solum invisibili, sed etiam visibili ac palpabili divinæ miserationis præsentia in hac festivitate Dominica, quæ per septem dies præsentis vitæ quasi per integram hebdomadam nobis in albis est celebranda, ita ut nullius turpitudinis aut nigredinis inhonesta macula in nobis inveniatur.

Quando in universali resurrectione Dominicæ resurrectionis tota septimana consummabitur, tunc non indigebunt sancti visibilibus, aut palpabilibus Christi apparitionibus, imo sicut ipse Christus evanuit ab oculis discipulorum, postquam se præbuerat videndum et palpandum, sic tunc evanescent omnia visibilia ipsius beneficia, quia non erunt ulterius necessaria. Nunc interim gallo canente, Christoque visibiliter apparente « facti sumus sicut consolati, tunc repletum est gaudio os nostrum, et linga nostra *in* exultatione (*Psal.* CXXV, 1 2), » quando sic evidenter sumus adjuti, ut diceret de nobis inter gentes : « Magnificavit Dominus facere cum eis, » et dictum est a nobis, vel nostris: « Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes (*ibid.*, 3). »

Ut enim ego scriptor hujus operis respiciam ad mea specialia, nonne mihi gallus bene cantavit, quando multiplicati sunt, qui tribulant me, et insurgentes adversum me multi dixerunt animæ meæ : « Non est salus ipsi in Deo ejus (*Psal.* III, 3), » quia præjudiciis eorum damnatus fui tanquam schismaticus et hæreticus, et erat mihi in talium cohabitatione tanquam Petro in atrio Caiphæ magnum frigus ministris Antichristi me circumdantibus, et amicis longe stantibus ? Cum sic esset mihi nox frigida, et prunæ inimicorum suspectæ mihi fuissent, inter medias tristitias tetræ noctis ecce gallus cantavit, quia Romanus pontifex persecutionibus, et causis persecutionum auditis misit mihi litteras consolatorias hunc in modum continentes :

« Cœlestinus (55) episcopus, servus servorum, dilecto filio Gerhoho Richerispergensi præposito, salutem et apostolicam benedictionem.

« Super tribulationibus et angustiis, quas pro veritatis et justitiæ assertione dilecti filii nostri G. diaconi cardinalis attestatione te sustinere accepimus, paterna tibi affectione compatimur, et in quibus secundum Deum possumus, opem tibi et consilium libenter impendimus. In quibus tanto majorem patientiam te oportet habere, quanto certius est, tuam industriam easdem persecutiones pro defensione justitiæ sustinere. Scis enim, nec novum esse, nec insolitum quod, juxta Apostolum, *qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patiuntur* (*II Tim.* III, 12), » ab impiis et dissimilibus, quos Dominus in Evangelio consolatur, beatitudinem æternam illis repromittens. *Beati*, inquit, *qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (*Matth.* V, 10). Nos tamen pro debito officii nostri æmulis tuis obviare, et censura ecclesiastica eos cohibere volumus. Unde per præsentia tibi scripta mandamus, quatenus proxima Dominica, qua legitur : Ego sum Pastor bonus, nostro te conspectui repræsentes, ut per te ipsum causa plenius cognita quieti et tranquillitati tuæ providere, et sicut dilecto filio opportune tibi subvenire valeamus. »

Per has litteras evocatus ad sedem apostolicam veni ; sed papam Cœlestinum jam inveni defunctum. Cui successerat papa Lucius, (56) qui suis item consolationibus factus est mihi gallus matutinus, ut in litteris ipsius potest cognosci, quæ sic se habent :

« Lucius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Chuonrado Salzburgensi archiepiscopo, Romano Gurcensi episcopo, salutem, et apostolicam benedictionem. »

« Venientem ad apostolicam sedem dilectum filium nostrum *Gerhohum* Richerispergensem præpositum paterna benignitate suscepimus, et pro religione et honestate sua personam ejus honorantes cum gratia sedis apostolicæ ad propria remisimus. Ipsum itaque vestræ fraternitati attentius commendantes per præsentia scripta rogamus, quatenus sicut hactenus obtentu solius religionis et honestatis fecistis, pro beati Petri, et nostra reverentia ipsum de cætero honoretis et diligatis, et in necessitatibus suis opem sibi et consilium tribuatis. »

Idem venerabilis papa Lucius, cum adhuc esset presbyter cardinalis, exstiterat mihi gallus nocturnus, qui de sede apostolica miserat mihi nocturnale gallicinium in hunc modum :

« De abusivis, et abominationibus, quæ hoc tempore in Ecclesia Dei fiunt, multa, reverende frater, in charta notasti, et plura notare potuisti, quia peccatis nostris exigentibus multo plura fiunt in hoc periculoso tempore, quam in diebus patrum nostrorum. Quæ tanto liberius et crebrius fiunt, quanto nulli aut paucissimi sunt, qui ex adverso ascendant, et murum pro domo Israel opponendo stent in prælio in die Domini. Unde credimus Antichristum vel jam venisse, vel in proximo venturum esse, cujus faciem, sicut in Job legitur, præcedit egestas : egestas siquidem virtutum, et virtuosorum hominum, ut eo liberius voluntatem suam faciat, quo fere nullus est, qui ei contradicat. Inter hoc autem, bone frater, quid tibi agendum sit non ignorat tua religiositas a cunabulis sacris litteris erudita. Ego autem, hoc mihi video faciendum, et

(55) Cœlestinus II, creatus anno 1143, 25 Septembris ; mortuus anno 1144, 8 Martii.

(56) Lucius II, pontifex creatus anno 1144 12 Martii, mortuus anno 1145, 25 Febr.

Digitized by Google

utinam faciam ! et hoc tibi consulo tanquam charissimo fratri, ut abominationes, quæ fiunt, Domini adjutorio vitemus, et super his, qui faciunt, doleamus : quatenus vir ille vestibus lineis, de quo in Ezechiele legitur, Tau super frontem nostram signet, et non occidamur. »

Hæc de specialibus nostris diximus, ne ingrati videamur esse gratuitæ clementiæ Dei, qui, ut in Job legitur, « dedit gallo intelligentiam (*Job* XXXVIII, 36) » ad faciendam distinctionem inter lucem et tenebras. Nisi enim per apostolicæ sedis pontifices, vel per quosdam gallos intelligentes fuissem defensus, jam dudum a Simoniacis et Nicolaitis hæreticis fuissem proscriptus.

Si autem respicimus ad magnas Antichristi tenebras in quibus libere flebant opera tenebrarum, vendentibus et ementibus ecclesiastica et spiritualia his, quibus erat nox amica, et lux odiosa, qui in cubilibus et impudicitiis exercebant opera tenebrosa : nonne Gregorius papa VII, fuit quasi gallus nocturnalis canens in mediis persecutionum tenebris interdicendo investituras laicorum et missas incestuosorum ? Post hunc per successores ejus matutina gallicinia multa sunt secuta diem vicinum annuntiantia tanquam dicant : « Nox præcessit, dies autem appropinquavit : abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus (*Rom.* XIII, 12). Quid nunc restat exspectandum et desiderandum post hujusmodi gallicinia, nisi ut « mucro latronis condatur, lapsis fides revertatur, lucifer oriatur, caligo poli solvatur, nauta vires colligat, ponti mitescant freta, et omnis errorum chorus viam nocendi deserat ? »

Quæ omnia invisibiliter et æternaliter prædestinata cum fuerint, etiam visibiliter, et quasi palpabiliter credentibus exhibita. Sicut gavisi sunt discipuli viso Domino, et exsultaverunt eo palpato post resurrectionem, sic et nunc exsultare possunt fideles, qui antequam fierent, habuerunt hujusmodi consolationum certam exspectationem tanquam exspectando Christi resurrectionem, et apparitionem, qui suorum fidelium pastor toties eis percutitur, quoties grex ipsius in desolatione dispergitur, sicut scriptum est : « Percutiam pastorem, et dispergentur oves ejus (*Matth.* XXVI, 31). » Et toties eis resurgens præcedit eos in Galilæam, ut ibi eum videant vivum, quem doluerunt percussum, quoties misericordia sua omnia humana merita præcedente se quasi videndum et palpandum exhibet in Galilæa, id est, in *transmigratione perpetrata* (Galilæa namque *transmigratio perpetrata* interpretratur) in qua gregis Dominici post percussionem et resurrectionem pastoris perficitur consolatio, quando his, qui de malis ad bona, vel de bonis, ad meliora transmigrant, in eadem transmigratione pastor suis apparet vivus, dicens sic : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII, 18). » Hoc in tantum dicere, et hoc discipulos suos audire credendum et fatendum est, in quantum sicut in cœlo, ita et in terra fit, quod jubet ipse Christus, cui data est omnis potestas in cœlo et in terra.

Quod magnifice apostoli sancti sunt experti, quando in orbem terræ missi ad prædicandum Evangelium omni creaturæ, non invenerunt aliquam potestatem in omni creatura, quæ posset impedire, vel tardare ipsos euntes in universum mundum ad prædicandum Evangelium. Nam etsi aliquis eorum ligabatur, ut Petrus ab Herode, Paulus a Nerone, tamen verbum Dei non erat alligatum, sed in omni creatura suum exercebat dominatum. Sicut enim Christus resurgens a mortuis discipulos suos præcesserat in Galilæam, sic transmigratione de Judæis ad gentes perpetrata quadriga Evangelica boves, quibus trahenda erat, velociter antecessit cum tanta potestate in cœlo et in terra, ut et spirituales nequitiæ in cœlestibus terrerentur ; et de obsessis corporibus, vel templis exire compellerentur, quando « vox tonitrui tui, » Deus « in rota (*Psal.* LXXVI, 19). » Evangelicæ quadrigæ personuit etiam in his locis, ubi nullus Apostolorum præsentialiter docuit, et potestates terrenæ virtutibus miraculorum quasi de igneo curru veri Eliæ fulgurantibus cederent, interdum non valentes, interdum non volentes resistere currenti Evangelicæ quadrigæ. Per hujusmodi virtutum evidentias manifestissimas in transmigratione apostolorum ad gentes facta clare in Galilæa videbatur Christus tunc potestatem exercens in cœlo et in terra suos adjuvando et per cœlestia charismata, ita ut nihil illis deesset in ulla gratia, et per visibilia miracula, quibus terra est illuminata, ita ut antea notus in Judæa Deus tantum, nunc sit notus in toto orbe terrarum.

Merito ergo in tanta beneficiorum Dei evidentia gavisi sunt discipuli viso Domino. Merito et nos contristamur qualescunque discipuli non videntes Dominum, quoniam peccatis nostris exigentibus, ita nobis absconditus est ut, divinis et humanis auxiliis destituti, anxiemur et ignoremus quid agere debeamus. Unde recte cum sanctis Machabæis dicere possumus : « Congregatæ sunt gentes in multitudine, ut dimicent contra nos, et ignoramus, quid agere debeamus (*I Machab.* III, 17). » Quando columna ignis in sanctis martyribus per noctem persecutionis, et columna nubis in sanctis confessoribus per diem tranquillitatis per hujusmodi mundi desertum antecessit populum « in exitu Israel de Ægypto domus Jacob de populo barbaro (*Psal.* CXIII, 1), » in tanta rerum certitudine non poterant ignorare fideles, quid agere deberent vel contra tyrannos vel contra hæreticos. Nunc Machabæorum sunt pericula multiplicata in Ecclesia, neque de his periculis est evasio certa. Nam sicut « scripsit rex Antiochus omni regno suo, ut esset omnis populus unus (*I Mach.* I, 43) : » ita nunc satagente diabolo et antichristo agitur, ut sit omnis populus unus, nec sit distantia inter sacerdotem et populum, sed sit sicut populus, sic et sacerdos nulla differentia servata inter sanctum et non san-

Digitized by Google

ctum, verbi gratia, inter sanctas catholicorum sacerdotum missas non interdictas, et missas conductitiorum et incestuosorum sacerdotum interdictas ac proinde non sanctas. Inter hæc « ignoramus quid agere debeamus. » Et hæc ignorantia per hoc vehementer augetur, quod neque in interdictis neque in non interdictis missis Christus triumphator mortis manifestatur, dum neutra pars ab altera superatur. Nam et illi et isti tenent Ecclesias, et illi et isti cantant missas, et videtur tempus istud illi tempori consimile, quando Christus jacens in sepulcro neque inter Judæos inimicos neque inter discipulos amicos manifestavit suam præsentiam, cum et inimicis præsens esset ad eos damnandos, et amicis ad eos conservandos. Attamen quia latuit ista ejus præsentia, discipuli ejus ignoraverunt quid agere deberent stupefacti, et obliti promissionum, quibus audierant Christum resurrecturum. Unde fides eorum Christo mortuo præmortua eodem suscitato non fuisset resuscitata, nisi eis apparuisset visibilis et palpabilis caro Christi viventis, et suos discipulos a Judæis inimicis per hoc discernentis, quod istis insufflavit Spiritum suum, illis non : istis præbuit se videndum et contrectandum, illis non; cum istis comedit et bibit, cum illis non; istis apparuit « in multis argumentis per dies quadraginta (*Act.* I, 3), » illis non apparuit; isti gavisi sunt viso Domino, illi non; istis ascendens in cœlum benedixit; illis non; istis de cœlo misit Paracletum, quo consolante tristitia eorum verteretur in gaudium, illis non. Per hæc omnia et cætera divinæ apparitionis argumenta lætificati apostoli amici Christi, quibus ipse dixerat : « Jam non dicam vos servos, sed amicos (*Joan.* XV, 15), » distincti sunt ab inimicis Judæis, cum amici gauderent præsentia et evidentia super se apparente miserationum divinarum, et econtra inimici torquerentur invidia privati talibus beneficiis Dei, qualia videbant et invidebant apostolis, et aliis christianis abundare.

Ut ergo similiter fiat distantia inter Antichristi ministros, maxime a Romanis pontificibus interdictos, et Christi ministros sub obedientia principis apostolorum, quærentes non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, ego Ecclesia, vel ego ecclesiastica persona credens de te, Christe, *quia tu es Deus Salvator meus*, quem *sustinui tota die*, hujus tuæ sepulturæ nimium diuturnæ non jam sustinere valens pondus diei et æstus, nisi adjuver tuis miserationibus tuarumque miserationum claris, visibilibus et palpabilibus manifestationibus, nunc ad te clamo :

VERS. 6. *Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt.* Prætendi quidem superius qualicunque mea merita, fidem scilicet et sustinentiam; fidem, qua credidi, *quia tu es Deus Salvator meus;* sustinentiam, qua *te sustinui tota die.* Sed quia de meritorum qualitate diffido, ad misericordiam tuam confugio, ut impetrem per tuam misericordiam quod non merui per meam justitiam, imo quod ex toto demeruisse convincor, si delictorum meorum fueris memor et misericordiæ tuæ immemor. Ideo dico : « Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt. » Scio quia misericors es in millibus auferens iniquitates et peccata. Scio quia justus es « reddens patrum peccata in filiis usque in tertiam et quartam generationem (*Deut.* V, 9) : » et rursum scio, quia misericors es non in tertiam et quartam generationem, sed in multa millia generationum. Unde a sancto Moyse tibi dicitur in veritate, quia « misericors es in millibus auferens iniquitates et peccata (*Exod.* XXXIV, 7). » « Patres nostri peccaverunt » in paradiso, « et non sunt (*Thren.* V, 7). »

Peccatis namque in animabus mortui, et in corporibus mortales facti transierunt de beato *esse* ad miserum *esse*, quod est quasi non *esse*, ac per hoc *non sunt.* Attamen « nos iniquitates eorum portavimus (*ibid.*), » qui eos in tertia et quarta generatione iniquitatum per malam voluntatem, per malum opus, per malam consuetudinem, seu, quod pessimum est, per malorum defensionem imitati sumus. Et tu Pater noster es, cujus amore, sancto scilicet Spiritu cooperante, sanguine tuo in baptismo sumus regenerati. Tu Pater noster es, qui sponsus es filios habens, de quibus dicis : « Non possunt filii sponsi jejunare, quandiu cum illis est sponsus (*Marc.* II, 19). » Tu Pater noster es, qui dicis nobis : « Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos (*Psal.* XXXIII, 12). » Et tu non transiisti de beato *esse* ad miserum vel nullum esse. Imo de hoc mundo, in quo est miserum esse, transiisti ad Patrem, ubi manes in æternum, et præparasti tuis æternas mansiones, quibus ipse dixisti : « Si abiero, et præparavero vobis locum, iterum venio, et accipio vos ad me ipsum, ut ubi ego sum, et vos sitis (*Joan.* XIV, 3). » Ergo tu Pater noster es in æterno et beato *esse*, ubi tuis paras mansiones. Et si portavimus iniquitates patrum nostrorum, qui peccaverunt et non sunt, multo magis est possibile, imo necessarium et inevitabile, o Pater noster, qui es in cœlis, qui una cum Patre tuo, et sancto Spiritu nobis filiis tuis unus Pater es, ut portemus virtutes tuas. Sicut enim sub peccato venundatis nobis imminebat pondus paternæ iniquitatis : ita nunc redemptis nobis loquitur Apostolus tuus dicens : « Empti estis pretio magno, glorificate, et portate Deum in membris vestris (*I Cor.* VI, 20). » O quam differens portatio, qua prius portavimus peccatum, et qua nunc admonemur portare Deum non solum in mente, sed etiam in corpore nostro! Portavimus peccatum quasi pondus plumbeum deprimens non deorsum, portemus nunc Deum non solum in mente, sed etiam in corpore. « Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo (*Joan.* I, 16). » Portemus charitatem non quasi pondus grave, sed

Digitized by Google

quasi pennas columbæ deargentatæ, ut geminis charitatis alis non deorsum gravemur, sed sursum levemur, ubi Christus est Pater noster, cujus nobis filiis ipsius est hæreditaria culpa. Sicut enim ignobilis patris hæreditavimus ignobilitatem per justitiam, sic nobilis patris nunc hæreditavimus nobilitatem item per justitiam, quæ tamen justitia vere misericordiam osculata est; quia talis justitia non est nisi de misericordia. Licet enim justum sit, ut pater justus et nobilis hæreditatem justitiæ ac nobilitatis conferat filiis; tamen quia eramus natura filii iræ, sola misericordia et miseratio fecit, ut nunc simus gratiæ filii adoptati, scilicet in filialitatem per superabundantem gratiam *miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt*. Ideoque sufficiunt ad abolenda peccata eorum, qui peccaverunt et non sunt. *Miserationes tuæ* in exhibitione operum, non dico, fuerunt, sed *sunt a sæculo;* qui nunquam defuerunt, vel defuturæ sunt in sæculo, et quia tu es miserator et misericors, miserator in effectu foris conspicuo, misericors in affectu benignitatis intus abscondito et tibi naturaliter insito, Sicut tu es qui es, ita miserationes et misericordiæ tuæ sunt quod sunt. Et sicut « tu idem ipse es, et anni tui non deficient (*Psal.* CI, 18) ; » sic miserationes tuæ, « quæ a sæculo sunt, » non sunt mutabiles, et anni eorum non deficient.

Sunt tamen stulti quidam, qui a te sempiterno miseratore quærunt non sempiternam, sed solam temporalem et brevem misericordiam. Hos arguit propheta dicens : « Misericordia vestra quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens (*Ose.* VI, 4). » Talem sibi quærebant misericordiam Judæi cupientes in hoc mundo prosperari, et propterea respuerunt Christum, quia non invenerunt eum talis misericordiæ largitorem, qui suis discipulis in hoc mundo non promisit sæcularem prosperitatem, sed in « mundo, » inquit, « pressuram habebitis (*Joan.* XVI, 33). » Item : « Si de mundo essetis, mundus, quod suum erat, diligeret. Nunc vero quia de mundo non estis, propterea odit vos mundus (*ibid.* XV, 19). » Item : « Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis flagellabunt vos (*Matth.* X, 17). » Sed vos, Judæi, qui dixistis : « Ne forte veniant Romani, et tollant nostrum locum et gentem (*Joan.* XI, 48). » d ligendo pulchrum locum templique pulchritudinem, et copiosam gentis multitudinem, longam beatitudinis misericordiam, quam Christus vobis obtulit commutastis in brevem ac cito transituram. Nam « quasi ros mane pertransiens, et quasi nubes matutina (*Ose.* VI, 4) transierunt vestra desiderabilia, vestra concupiscibilia, quibus vobis abundantibus et manentibus visus est vobis misericors Deus. At quia talem ejus misericordiam proposuistis æternæ misericordiæ ac miserationibus, quæ a sæculo sunt, nec æternam misericordiam invenistis, nec istam brevem misericordiam, quam dilexistis, diu retinere potuistis; quia timor, quem timebatis, evenit vobis, et quod verebamini, accidit, quando venerunt Romani, et tulerunt vestrum locum et gentem, crudelissima vastatione locum vestrum destruendo, ac lapidem super lapidem non relinquendo, et gentem vestram partim occidendo, partim in omnes gentes captivam dispergendo.

At ego Ecclesia, vel ego ecclesiastica persona misericordias Domini in æternum cantabo, misericordias David fideles in hoc psalmo David quærens dico tibi, Christe, largitor æternæ misericordiæ : *Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt.* Neque enim cum sæculo venerunt, neque cum sæculo recedent, sed ante omnia sæcula fuerunt, et a sæculo in sæculo sunt, et post istud sæculum permanebunt in omnia sæcula sæculorum divitiæ miserationum tuarum, et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt. Largiris enim tuis electis et dilectis dona maxima, et media et minima.

Maxima sunt, quæ hominibus electis cum sanctis angelis communia sunt, ut est charitas, humilitas, sanctitas, obedientia, sapientia, et in his omnibus perseverantia. In talibus donis in æternum permansuris misericordias tuas, Domine, in æternum cantabo, et misericordias tuas, quæ a sæculo sunt, laudamus. Media vero bona sunt, quæ bonis hominibus cum angelis et hominibus malis possunt esse communia, ut est castitas corporalis, quæ plerumque reperitur in malis : scientia, quæ cum inflet, constat, quia in cordibus malis æque ut in bonis locum habet, sed mala corda inflat; bona propter ædificantem charitatem illic habitantem non inflat. Jejunare, multum orare, multas eleemosynas dare, bene scribere, vel aliud aliquod artificium humanum exercere tam bonis quam malis est commune. Sed cum istis donis communibus habent sancti quiddam non commune sibi cum malis donum semper bonum, scilicet bene uti bonis et malis. Sicut econtra homines pravi habent hoc vitium semper malum, quod est male uti bonis et malis. Minima vero Dei dona etiam cum pecudibus nobis communia sunt, sicut est sanitas corporalis, quæ fulcitur cibis et potibus in hominibus æque ac in pecudibus; rigor vero sensuum, quo pleræque bestiæ; vel pecudes vincunt etiam sanos homines, quia linx, vel dorcas in videndi acumine, canes in olfaciendo, cervi et capræ in gustando, talpa in palpando, et animalia multa in audiendo præcellunt homines. In corporis etiam amictu quædam animalia irrationabilia ita per naturam sunt munita et ornata, ut nec Salomon in omni gloria sua coopertus fuerit, sicut unum ex illis. Quænam regum purpura sic est ornata ut cauda pavonis ?

Et quæ pennarum candenti lampadis instar
Lumine demonstras hernica [f. *cernua*] *noctis iter.*

Tu non solum inter aves cæteras candore pennarum præfulges, sed etiam regum vestibus auratis fulgidior es. Multum solent homines gloriari, si de

Digitized by Google

pelliculis peregrinorum murium griseis, variis, aut albis, vel rubeis operimenta, vel tegumenta illis abundent, in quorum abundantia non est ipsis tam stabilis ac durabilis ornatus, ut est ipsis hujusmodi muribus, quia muribus detractæ cito inveterascunt hæ tales pelliculæ, quæ muribus diu durant natura servante. In talibus bonis abundantia est misericordia Dei transitoria cito transiens «quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens.» Verumtamen talibus bene uti magnum donum Dei est : eadem vero contemnere, ac meliorum electione parvipendere majus Dei donum est. Omnino vero talibus non egere, sed eorum penitus oblivisci præ magnitudine sempiterni gaudii, permaximum Dei donum est. Et hoc magnum, majus et maximum donum non est de largo fonte *miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum*, quæ a sæculo sunt, quoniam sunt, et transibunt cum temporalibus bonis, qui eorum vel usu magni, vel contemptu majores, vel oblivione maximi fiunt. Unde non rogasti, Domine, ut tollerentur tui de mundo ; sed ut servarentur a malo, quatenus in mundo viventes, et mundi rebus bonis et malis bene utentes fierent magni, vel eas contemnentes fierent majores, vel eas penitus obliviscentes et conversationem in cœlis, et sursum cor habentes essent maximi (*Joan.* xvii, 15).

Cum ergo sic magni, et majores, et maximi essent apostoli tui, fuerant jam de mundo pro meritis suis transferendi ; sed per ipsos magnos voluisti lucrari alios magnos (*Joan.* xxi). Unde cum te jubente post resurrectionem mitterent rete in dexteram navigii, capti sunt centum quinquaginta tres pisces magni, quod erat magna consolatio piscantibus, et visibili effectu probantibus, quod tu, qui eis dixeras : « Mittite in dexteram navigii rete,» sis Dominus (*ibid.* 6). Unde hoc miraculo viso Joannes ait Petro : *Dominus est.* Præcesserat enim piscationis magna difficultas, ut apparitio tua, Domine, magis grata fieret, quæ tantum laborem levigaret, quæque centum pisces quasi magnos, quinquaginta quasi majores, et tres quasi maximos in rete unum congregaret. Licet enim sit major numerus temporalibus bonis et malis bene utentium, et minor numerus eadem contemnentium, permaximus vero eadem penitus obliviscentium per mentis excessum, et per lenis auræ tenuem sibilum, quem cum Elia sentiunt pauci sanctorum, qui mente Deo excedunt, et in contemplatione summæ Trinitatis quasi tres pisces maximi capiuntur verbo Domini, quo firmati sunt cœli : tamen illi, qui sunt numero majores, meritorum qualitate sunt minores, ut videlicet illi centum pisces, qui significant bonos bene utentes mundo, quibus numero minores et meritis majores inveniuntur, qui quasi cum quinquaginta piscibus mundo contempto celebrant Jubilæum remissioni et festivæ quieti consecratum. Illi vero, qui mente Deo excedunt ex Trinitatis visione, licet adhuc in carne manentes raptim quidem et breviter, sed nimium dulciter æternæ felicitatis capiunt experimentum, quasi tres pisces numero paucissimi, sed meritis maximi sunt. Convenienter autem rete apostolicum jubente Domino in dexteram navigii missum collegit has tres differentias piscium magnorum centum quinquaginta trium, quoniam ipsi omnibus omnia facti secundum hanc tripartitam distinctionem piscium, et cum his, qui eadem contemnebant, erant majores, et cum his, qui nunc sobrii sunt hominibus nunc mente Deo excedunt, erant maximi, ac per hoc plenissime ditati omnibus thesauris *miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt*, quæque post resurrectionem tuam ad discipulorum tuorum consolationem, et Ecclesiæ totius informationem in jam dicta piscium captione, aliisque argumentis multis per dies quadraginta sunt manifestatæ, atque in die quinquagesimo per adventum sancti Spiritus consummatæ sunt.

Ego ergo pœnitens Ecclesia, vel ego pœnitens ecclesiastica persona timens me non esse, Deus, in tua memoria, quia mihi propter tuam mortem et sepulturam lamentanti, et velut in cassum piscanti non sic manifestaris, ut rete prædicationis vel orationis meæ laxatum fiat plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Neque enim ego David, ego pœnitens, ego hunc *Psalmum David* canens, in me ipso tales virtutes habeo, quales in magnis illis piscibus centum quinquaginta tribus præsignatas intelligo, neque sanctam Ecclesiam talibus personis abundare video, de quorum numero et merito exprimatur centum quinquaginta trium piscium multitudo, et magnitudo. Sed « paucitas dierum meorum finitur brevi (*Job.* x, 20),» quia et ego paucis aut nullis virtutum fructibus abundo, et paucos virtuosos in reti Ecclesiæ video. Unde propter magnitudines miseriarum specialium et communium compellor timere, o Christe, ne forte simus in oblivione coram te. Dicimus ergo cum Jeremia : «Recordare, Domine, quid acciderit nobis ; intuere, et respice opprobrium nostrum. Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos. Pupilli facti sumus absque patre, matres nostræ quasi viduæ. Aquam nostram pecunia bibimus, et ligna nostra pretio comparavimus. Cervicibus minabamur, lassis non dabatur requies. Ægypto dedimus manum, et Assyriis, ut saturaremur pane. Patres nostri peccaverunt, et non sunt : et nos portavimus iniquitates eorum. Servi dominati sunt nostri : et non fuit, qui redimeret de manu eorum. In manibus [*Vulg.* in animabus] nostris ferebamus panem nobis, a facie gladii in deserto. Pellis nostra quasi clibanus exusta est a facie tempestatum famis. Mulieres in Sion humiliaverunt, virgines in civitatibus Juda. Principes manu suspensi sunt, facies senum non erubuerunt. Adolescentibus impudice abusi sunt : et pueri eorum in ligno corruerunt. Senes in [*Vulg.* defecerunt de portis] portis defecerunt, juvenes de choro psallentium. Defecit gaudium cordis nostri, versus

Digitized by Google

est in luctum chorus noster. Cecidit corona capitis nostri, væ nobis quia peccavimus. Propterea mœstum factum est in dolore cor nostrum : ideo contenebrati sunt oculi nostri. Propter montem Sion quia disperiit, vulpes ambulaverunt in eo. Tu autem, Domine, in æternum permanebis, solium tuum in generationem, et generationem. Quare in perpetuum obliviscerîs nostri, derelinques nos in longitudine dierum? Converte nos, Domine, ad te, et convertemur : innova dies nostros, sicut a principio. Sed projiciens repulisti nos, iratus es contra nos vehementer (*Thren.* v, 1 *et seqq.*).»

Huic lamentationi vel orationi plorantis Jeremiæ adjungo ego pœnitens istud Psalmistæ : *Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt.* Non peto leves aut breves miserationes, non desidero in piscatione mea capere paucos aut parvos pisciculos, quando singulare sacrificium corporis et sanguinis tui offero, Christe, vel quando alias preces fundo in conspectu tuo, et pro acquirendis virtutibus, vel convertendis hominibus oro, et nihil, vel parum apprehendo, nihil restat, nisi tuam consolationem tuique manifestationem exspectare, qui nunc stas in littore soliditatis æternæ videns tuos laborantes in cassa piscatione, quos interdum quasi despicis propterea, quod memor es peccatorum nostrorum, et immemor erga nos miserationum tuarum quæ a sæculo sunt. Ergo, ut in captura magnorum piscium, id est, magnarum virtutum et magnarum personarum fiat nobis certum et apertum solatium, atque ut tristitia nostra omnino vertatur in gaudium et gaudium nostrum sit plenum, gaudiumque illud nemo tollat a nobis : *Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt*, neque transeunt cum sæculo, quia te stante in littore solido tecum stat *miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt*, firmitas. Ne autem bona tanta impediantur per meas culpas, diligenter in libro memoriæ tuæ scriptas,

Vers. 7. *Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris.* Ego Petrus, cum essem junior, cingebam me et ambulabam, ubi volebam, quia de propria virtute præsumebam, ideo quoties præsumpsi, toties te negavi. Tertio præsumpsi, tertio quoque mori timens te vitam negavi. Et revera fuit, vel si non fuit, esse potuit hic timor in corde Petri pœnitentis de delicto juventutis, in qua se junior accinxerat, quod Dominus, qui pridem illi dubitanti, et in mari periclitanti dixerat : «Modicæ fidei, quare dubitasti?» (*Matth.* xiv, 31.) Nunc in illa piscatione, qua Domino apparente ascendit Simon Petrus, et traxit rete in terram plenum magnis piscibus, diceret illi Dominus : Modicæ fidei, quare me negasti? Propterea ipsi Petro pœnitenti et opprobrium negationis timenti coram septem condiscipulis, qui erant socii tunc factæ piscationis, quando in convivio piscis assi et panis nemo discumbentium ausus fuit interrogare ipsum Jesum, quis esset, scientes : «quia Dominus est (*Joan.* xxi, 7),» Petro, inquam, illic timenti opprobrium delictorum suorum conveniens fuit sic orasse : O Domine ! qui nunc in tam grandi successu piscationis manifestasti nobis, quia tu Dominus es, quem ego negavi Dominum et magistrum, quando negavi me tuum esse discipulum : Tu *delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris.* Recognosco enim, quod juvenili quadam præsumptione absque senilis considerationis maturitate, cum essem junior, cingebam me ad opus, quod erat super me, oblitus proverbii, quo dicitur : «Non glorietur accinctus æque, ut discinctus (*III Reg.* xx, 11).» Ego enim cum essem juvenilis præsumptionis gladio accinctus, quo tanquam juvenis audacissimus amputavi auriculam dextram servo, cui nomen erat Malchus, putabam quod inter condiscipulos essem fortissimus. At illa omnis mea fortitudo ad unius ancillæ interrogationem penitus evanuit, planeque mihimetipsi tunc evidens factum est, quod humanæ præsumptionis fortitudo absque divino adjutorio nihil est. Hoc autem eatenus ignoraveram, quando me ipsum aliquid esse, vel aliquid posse putabam. Sic mihi cum juvenili audacia mista erat ignorantia. Ergo *delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris*, quia decet, ut sis pronus ad ignoscendum, quod non de impietatis astutia, sed de juvenili quadam ignorantia præsumptum est.

Quid ais, Petre ? vis peccatum negationis tuæ sic tradi oblivioni, ut medico tuo nulla sit memoria, vel cura vulnerum tuorum curandorum? Absit, inquis, hoc a me, sed volo et opto peccata mea non esse in recordatione judicis ad ultionem : valde autem precor ut sint in memoria medici ad curationem, vel potius ita fiat peccatorum meorum oblivio coram Domino, ut mei pœnitentis pro eisdem peccatis pia sit coram eo recordatio, Utrumque mihi bonum credo, ideo utrumque petens dico : *Delicta juventutis meæ et ignorantias meas ne memineris*, quod est unum bonum.

Et secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam, Domine. Quod est alterum bonum. Ex eadem consideratione hujus geminæ utilitatis alias dicere soleo : « Averte faciem tuam a peccatis meis, » quod est unum bonum : « et ne projicias me a facie tua (*Psal.* l, 11, 13), » quod est alterum bonum. Sicut ergo rogo ibi faciem Dei averti a peccatis meis, non tamen averti a me ipso, sic et modo precor oblivionem fieri de peccatis meis, non de me ipso propter quod dico : *Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris*, et adjungo : *secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam, Domine.*

Atque ut noveritis, quia de utroque hoc bono desiderium pauperum exaudire Dominus solet, et præparationem cordis eorum audit auris ejus in talibus : notate quomodo præparationem ac desiderium cordis mei audivit, qui me talia cogitantem exaudivit. Facto enim convivio surrexit Dominus de loco cœ-

Digitized by Google

vivii, et ego Petrus trinæ negationis mihi conscius pavidus exspectabam, quid diceret Dominus mihi, quia eram quidem promptus ad sequenda vestigia ipsius, non audens tamen quidquam de me præsumere. Tunc ille oblitus delictorum meorum, sed memor mei dixit mihi : « Tu me sequere (*Joan.* xxi, 22), » id est, me imitare, qui cum essem Deus fortissimus, ad meam tamen Passionem sine omni præsumptione in magnæ humilitatis contritione accessi oratione præmissa, ut si esset voluntas Patris, transferretur a me calix Passionis. Tu ergo, qui me voluisti antecedere in tua juventute, quando cingebas te, et ambulabas, ubi volebas, nunc me sequere, ut tui sequentis humilitas medicinalis curet vulnera tuæ præsumptionis. Et quia desiderium cordis tui est, ut sim penitus immemor delictorum tuorum, sed memor tui, ecce retribuo tibi bona pro malis. Nam tu, qui me moriente inventus es infirmus præ cæteris, nunc me resuscitato firmior eris cæteris, ut impleatur, quod tibi prædixi : « quia oravi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos (*Luc.* xxii, 32). »

Verumtamen quia sic soleo exhibere misericordiam, ut nunquam obliviscar justitiam, tu qui me tertio negasti, oportet ut me confitearis tertio, fiatque trina ista confessio trinæ tuæ negationis justa satisfactio. Post confessionem quoque trinam, quia suscepi tuam pœnitentiam, trinam impono tibi obedientiam, bis tibi dicendo : « Pasce agnos meos, » et tertio : « Pasce oves meas (*Joan.* xxi, 15, 16 et 17). » Eadem quippe distinctio, quæ fuit in centum tribus piscibus, nunc intelligitur in agnis et ovibus, quibus omnibus te piscatorem et pastorem propono, ut eos de marinis mundi hujus fluctibus trahas tanquam pisces magnos in dextera navigii captos, atque in pascuis uberrimis pascas tanquam agnos, et oves ad dexteram statuendos.

O Petre apostole, quam felicem te judicare possumus, cum fructum tuæ pœnitentiæ videmus. Tu enim principaliter in te ipso expertus es, quod dulcis et rectus Dominus, qui tibi dulciter trinam negationem ignovit, et recte post trinam sui amoris confessionem te in episcopatum totius orbis promovit. Sed quia in tua persona Ecclesiæ pœnitentis, vel cujuscunque hominis pœnitentis forma est præsignata, ea, quæ in hoc *Psalmo* tibi sunt assignata, fac bone pastor, ut nobis ovibus, vel agnis tibi commissis apte conveniant. Et tu, Christe, qui nos oves pascuæ tuæ tam fideliter tam fideli pastori commisisti pascendos trina pastione in trina piscium vel agnorum sive ovium distinctione, sic nos per illum pasce, ut ex manifesta rerum evidentia, sentiamus exauditas preces Ecclesiæ vel cujuscunque pœnitentis cum David pœnitente, cum Petro pœnitente dicentis : *Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris.*

Juventus enim hic non tam pro ætate, quam pro juvenili audacia ponitur, qua sæpe scienter viam justitiæ derelinquendo multa *delicta juventutis* contrahimus. Ignorantia vero dicitur, quando malum nescimus esse, quod facimus, vel quando peccatum originale infantes nesciunt esse in se ante baptismum, vel potius illa hic intelligitur ignorantia, de qua Apostolus dicit : « Quod enim operor, non intelligo (*Rom.* vii, 15), » id est non approbo. Multas tales ignorantias patimur, quando in edendo, bibendo, loquendo, dormiendo contra intentionis, vel approbationis propositum prolabimur in excessum non tenendo metas licitas in rebus licitis. Tales ignorantias, O Deus! ne memineris : quoniam « si iniquitates » tales « observaveris, Domine, quis sustinebit? » (*Psal.* cxxix, 3.) Delictorum quidem et ignorantiarum mearum ne memineris, Domine, secundum iram tuam, sed *secundum misericordiam tuam memento mei*, ut dicas mihi, quod dixisti Petro : « Tu me sequere. » Dicas, et dicendo facias, ut sequar te. Facias quoque, ut sicut ille sufficienter te amavit, atque amorem suum tertio confessus est ad abolendam trinam negationem, sic ego in amoris tui ferventi ardore, atque sincera confessione purgatus ab iniquitate mea dignus inveniar ea pastione, de qua dictum est eidem Petro : « Pasce agnos, » vel « oves meas. » Non peto mihi curam pastoralem committi, sicut commissa est illi, sed hoc peto ut quibus pastionem debeo vel quibus unquam sum debiturus, ita eis impendam passionem sufficientem et necessariam, ne aliquis agnorum tuorum, vel aliqua ovium tuarum contra me justæ querelæ possit vel debeat habere balatum, et pastores mihi superpositi vel superponendi, seu aliis tuis agnis et ovibus præferendi, sic me qualemcunque oviculam tuam tuis humeris ad ovile reportatam, et totum gregem commissum, vel committendum sibi pascant, ut plenarie fiat in Ecclesia illa trina pastio, de qua tertio dictum est Petro : « Pasce agnos meos, » vel « oves meas. » Sit jugis vigilantia in cordibus pastorum quasi una vel prima pastio agnorum et ovium. Sancta vero et irreprehensibilis conversatio pastorum sit secunda pastio gregum sibi commissorum. Convenientissima quoque in prædicatione tritici mensura sit pastio tertia.

Aliter : Prima pastio sic pascat minimos agnellos, ut « qui habent » mundana, « tanquam non habentes sint, et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur, qui gaudent tanquam non gaudentes, qui flent tanquam non flentes » sint : et quia « præterit figura hujus mundi (*I Cor.* vii, 29, 30 et 31), » ne ipsi pariter cum ea prætereant et pereant, mundo sic utantur, ut eo nunquam abutantur. Secunda pastoralis curæ pastione sic pascantur agni majusculi, ut memores uxoris Lot post mundi abnegationem non respiciant retro, neque manu ad aratrum missa respicientes retro excludi mereantur a regno Dei, sed potius quæ retro sunt obliti, et in anteriora extenti ad bravium sic currant, ut comprehendant; sic ab omnibus, quæ non expediunt, abstineant, ut incor-

Digitized by Google

ruptibilem coronam accipiant. Tertia pastione sic pascantur oves tam majusculis, quam parvis agnellis majores, ut « non » sit « sterilis inter eas, » sed « omnes gemellis fetibus (*Cant.* IV, 2) » abundent, quibus lac suum copiose ministrent. Quod enim per hujusmodi oves in Ecclesia significentur perfectissimi et fortissimi, ex hoc agnoscimus quod in Canticis canticorum sponsæ suæ dicit sponsus : « Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascendunt de lavacro omnes gemellis fetibus, et sterilis non est inter eas (*ibid.*, VI, 5). » Cum ergo dentibus, quorum officio totum corpus pascitur, assimilantur oves, vel dentes ovibus : plane cognoscimus nomine ovium significari magnos magistros nutritores gemellorum fetuum, qui cum Paulo valeant esse omnibus omnia præpollentes gemina virtute sapientiæ et prudentiæ Mariæ et Marthæ, vitæ ac doctrinæ, quibus tanquam geminis uberibus gemellos fetus nutriant imperfectos et perfectos, mundo utentes, et mundum contemnentes, agnellos et agnos, activos et contemplativos.

Istarum ovium « duo ubera sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ (*ibid.*, VII, 3), » pascuis uberrimis ac deliciosis impinguanda sunt, quoniam sæpe suguntur a suis gemellis fetibus, vel spiritualia, vel etiam corporalia nutrimenta exigentibus, et quadam pia inopportunitate sugendo extorquentibus ab ipsis maternis uberibus lac suave ac dulce ; quod si non invenerint, balatus emittunt querulosæ murmurationis præ nimio defectu in alimoniis vel mentis vel corporis. Et cum trahuntur ad mulctram ista ubera, nisi ubertas lactis in eis inveniatur, hi qui ea mulgent, cum nimis fortiter premunt ipsa macra ubera, eliciunt sanguinem pro lacte.

Crudelis hæc tortura uberum usque ad sanguinem eliciendum pene contigerat magnis ovibus, id est apostolis, quando factus est murmur Græcorum, eo, quod non bene procurarentur in ministerio quotidiano viduæ eorum (*Act.* VI, 1). Sic enim pro tali murmure sedando apostoli, ut quidam volebant, relicto verbo in ministerio mensarum fuissent angariati, tanquam laceratis et nimium pressis uberibus non lac, sed sanguis fuisset expressus, quia neglecto in tanta multitudine verbo Dei corporalium necessitatum quantumlibet studiosa providentia minime Deo fuisset accepta, et his tamen fuisset onerosa, quibus importune fuisset extorta : nec exspectaretur inde præmium, sed pœna propter melioris et potioris boni negligentiam. Sed quia Petrus apostolus erat a principe pastorum constitutus non solum super agnos, sed etiam super oves, utrisque sapienter et prudenter providit, quando et multitudini agnorum, sive agnarum præposuit minores ministros mensarum, et sibi ac cæteris Apostolis tanquam grandibus et lactuosis ovibus in pascuis uberrimis elegit campos latissimos liliis plenos, quia tales oves pascuntur in liliis, « donec aspiret dies, et inclinentur umbræ (*Cant.* II, 17). » Dixit ergo ipse apostolus Petrus : « Non est æquum derelinquere nos verbum Dei, et ministrare mensis. Eligite in vobis viros plenos sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos autem orationi, et ministerio verbi instantes erimus (*Act.* VI, 2 et 3). » Revera namque oratio et prædicatio apostolorum erant pascua uberrima, de quibus ipsi tanquam oves agnorum matres habuerunt ubera de cœlo plena, gemellis fetibus nutriendis abundanter sufficientia, tam in corporibus quam in animabus fovendis et pascendis. Nam de spirituali pastu dictum est, quod « virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi, et gratia magna erat in omnibus illis (*Act.* IV, 33). » Omni autem die in templo, et circa domos non cessabant docentes et evangelizantes Christum Jesum. Et verbum Domini crescebat et multiplicabatur numerus discipulorum in Jerusalem valde. De corporali etiam pastu scriptum est, quod « non erat quisquam egens inter eos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, et posuerunt ante pedes apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat (*ibid.*, 34 et 35). » Tunc oves magnæ pascebantur in liliis, quoniam sancti apostoli delectabantur et in spiritualibus orationum et prædicationum deliciis, et in bonis filiis tanquam in pulchris liliis, et ipsi eorum filii tanquam fetus gemelli perfecti et imperfecti habuerunt lactis alimoniam geminam per sanam apostolorum doctrinam, et largam divitum eleemosynam, quorum copia pauperum Christi tunc supplevit inopiam juxta Pauli Apostoli doctrinam (*II Cor.* VIII, 14).

Sine dubio tunc fuisti memor *miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt. Delicta* quoque *juventutis, et ignorantias* tuorum quasi nesciens dissimulasti propter pœnitentiam. Et ideo pastoribus, et ovibus pascuæ tuæ in illa primitiva Ecclesia rorabant cœli desuper, et nubes pluebant justum : aperiebatur terra, et germinabat Salvatorem. Nunc autem cœlorum et aeris intemperies, qualis erat vel per nimias pluvias imminente diluvio, vel per nimiam siccitatem in temporibus Eliæ, terrarum quoque olim fertilium nimia sterilitas indicio sunt nobis iræ tuæ imminentis pro delictis juventutis et ignorantiis nostris. Amplius autem fames verbi et doctrinæ salutaris, et magna penuria digne docentium et digne audientium sanctum Evangelium cœlestis iræ certa sunt indicia. Nam etsi sunt alicubi, qui Verbum Dei libenter audiant, desunt, qui dicant. Item si sunt alicubi, qui Verbum Dei libenter erogent, non habent eos, qui digne auscultent. Nam soli « amici auscultant (*Cant.* VIII, 13) ; » inimici vero, quorum major est numerus, insultant. Et si sunt, quibus abundent charismata spiritalia, desunt eis corporalia sustentamenta, quorum nimia defectio vel murmurationis, vel alterius

Digitized by Google

exordinationis plerumque fit occasio, dum et infirmi sive contra Deum sive contra magistros suos murmurant, vel quod pejus est, clamant, et firmiores necessariis destituti, dum ante januas divitum purpuratorum cum Lazaro mendicant, canum linguis tanguntur, quoniam caninis detractionibus malignorum quasi de crimine avaritiæ arguuntur. Iterum si sunt, quibus abundent corporalia sustentamenta de facultatibus aut suis aut ecclesiasticis, destituti virtutibus et spiritalibus rectoribus vivunt in deliciis, vacant otiis et impudicitiis.

Quibus desolationibus, aliisque similibus malis jam pene ubique grassantibus *miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt*, videris oblitus. Ideo, quæso, perveniat ad te clamor Ecclesiæ dicentis : *Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt. Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris. Secundum misericordiam tuam memento mei tu propter bonitatem tuam, Domine.* Qui Petrum lacrymantem respexisti, imo, qui eum ante lacrymas, ut ei dares lacrymas, respexisti : tu, qui eidem Petro, et Mariæ Magdalenæ pœnitentibus et dolentibus prius quam cæteris minus dolentibus, minusque desolatis in die Resurrectionis apparuisti : tu qui secundum misericordiam tuam latronem sero pœnitentem suscepisti, *memento mei*, qui etiam sum latro, aut certe crudelior factus latrone in propriæ animæ seu fraternæ animæ homicidio, quia cum non animas, sed corpora occidat latro, ego animas occidi pravo exemplo. Sciens autem quia dixit tibi pœnitens latro in cruce pendenti : « Memento mei, dum veneris in regnum tuum (*Luc.* XXIII, 42). » et ego pœnitens latro jam nunc in cœlo tibi regnanti dico : Domine, *secundum misericordiam memento mei tu* faciens me hodie tecum esse in paradiso. Cum enim sit paradisus hortus deliciarum, in quo plantatum est « omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave (*Gen.* II, 9), » talis paradisus est Ecclesia, seu congregatio religiosa, per hoc deliciosa quasi hortus deliciarum, quod est plena virtutum et virtuosarum personarum tanquam habens omne « lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave, » quoniam bonorum bona exempla et visu pulchra, et imitantibus dulcia et suavia sunt. De tali paradiso mihi opto dicentem te, Christe, audire : « Amen dico tibi : hodie mecum eris in paradiso (*Luc.* XXIII, 43). » Hodie, hoc est, quandiu dicitur hodie. Fac me, Christe, in tali paradiso esse tecum, quoniam nec in paradiso bene mihi esset absque te. Ideo *secundum misericordiam tuam memento mei tu*, ut totum dicas mihi pœnitenti latroni, quod in cruce dixisti latroni, et te in veritate jubente, dum dicitur *hodie*, sim ego tecum in paradiso.

Est et paradisus, et quasi hortus deliciosus unus homo sanctus quatuor cardinalibus virtutibus quasi quatuor paradisi fluminibus irrigatus habens in se omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave in bona moralitate, quando speciosa morum honestas quasi lignum pulchrum visu aspicientes delectat, et eorumdem morum pretiosa utilitas per imitationem vescentibus dulcis est et suavis. In tali paradiso habitat homo etiam solitarius et tacitus, quando, nequaquam sparsus extra semetipsum, deliciatur tecum, o æterna sapientia! intrinsecus tanquam cum sponsa sua in paradiso illi sociata fœdere nuptiali, Domino benedicente ac dicente : « Crescite, et multiplicamini, et replete terram (*Gen.* I, 25). » Hæc est illa sapiens mulier, quam serpens non potest fallere, quæque in conjugio spiritus rationalis filios gignit condignos paradisiaca terra, propter quod dicitur : « Crescite, et multiplicamini, et replete terram. » Sit ergo mihi optabile de tali etiam paradiso te, Christe, mihi latroni pœnitenti dicentem audire : « Amen dico tibi : hodie mecum eris in paradiso. »

Me miserum! quoties projectus extra hujusmodi paradisum foris vagatus extra me ipsum incidi ego latro « in latrones » qui etiam « despoliaverunt » me, « et plagis impositis abierunt semivivo relicto! (*Luc.* X, 30.) » sed nunc, Domine, *secundum misericordiam tuam memento mei tu*, et fac me *hodie*, id est, quandiu dicitur *hodie*, tecum esse in paradiso. *Memento mei* non secundum iram pro meritis meis mihi debitam, *sed secundum misericordiam tuam* indebitam. Ego sum dignus recipere ac sustinere iram, quasi vas iræ aptum in interitum. Tu dignus es gloria et honore, qui de vasis iræ facis vasa misericordiæ *secundum misericordiam tuam*. Ergo *memento mei secundum misericordiam tuam*, ut de me, qui sum vas iræ atque contumeliæ, facias vas misericordiæ et gloriæ *propter bonitatem tuam* tibi naturaliter insitam quasi causam præcedentem et effectivam omnium, quæ facta sunt.

Nam priusquam aliquid faceres vidisti, quod esset bonum fieri hoc vel illud, et factum est ita : verbi gratia, vidisti quod esset bonum, et dixisti : « Germinet terra herbam virentem, et afferentem semen, lignumque pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram, et factum est ita (*Gen.* I, 11). » Item vidisti quod esset bonum fieri luminaria in firmamento cœli, et factum est ita. Tandem vidisti quod esset bonum formari hominem de limo terræ, et factum est ita. Quia ergo prædictante ac præapprobante bonitate tua facta sunt omnia, novissime vidisti cuncta quæ feceras, et erant valde bona. Nec mirum si, postquam perfecti sunt cœli, et terra et omnis ornatus eorum, bona sunt inventa, quæ priusquam fierent, visa sunt bona, et ob hoc ipsum, quia visa sunt bona, ex tuæ bonitatis quasi materna vulva in lucem sunt producta, ut de non esse venirent ad esse, nec solum ad esse, sed ad bonum esse, ita videlicet, ut et singula essent bona, et cuncta simul essent valde bona.

Specialius autem et quasi familiarius inter cætera bona vidisti lucem, quod esset bona, quoniam

Digitized by Google

rationalis et angelica natura in quantum capax tuæ bonitatis, tuæque claritatis existens per amorem tui est illuminata, in tantum claruit et apparuit bona, et ideo lucem bonam a tenebris malis, id est, a malis angelis divisisti. Ne autem ruentibus angelis malis numerus bonorum a tua bonitate prædestinatus esset imminutus, ipsa bonitas tua tibi suggessit hominem de terra creari, et sic multiplicari, ut repleret terram, id est illam cœlestem patriam, quam bonitas tua sic dilatavit, ut homines cum angelis capere possit. Si ergo non peccasset homo ad hoc factus et benedictus, ut cresceret et multiplicaretur super terram, cito electorum numerus fuisset consummatus, et in terra viventium bonis multiplicatis non esset, qui dicere posset : « Credo videre bona Domini in terra viventium (*Psal.* XXVI, 13), » cum omnes boni et soli boni essent in terra viventium, neque crederent, sed præsentialiter viderent bona Domini in terra viventium, nec esset utique in illa terra viventium ulla miseria, cui necessaria foret misericordia, sed quia homo peccans non pervenit in terram viventium lapsus in hanc terram morientium, in qua « brevi vivens tempore repletur multis miseriis (*Job* XIV, 1), » non ei sufficit bonitas creatrix et formatrix, nisi adsit etiam divina misericordia recreatrix et reformatrix. Ideo creator et Salvator meus tibi dico : *Secundum misericordiam tuam memento mei tu : propter bonitatem tuam Domine. Propter bonitatem tuam*, qua dictante ac suggerente produxisti me de non esse ad esse, fac me per misericordiam tuam de misero esse pervenire ad beatum esse. Vidisti per *bonitatem tuam*, quod bonum esset me creari, et factum est ita, nam creatus sum in Adam. Vide me nunc in miseria mea, et *memento mei secundum misericordiam tuam*, ut facias me recreari in te, qui melior et secundus es Adam. Ille factus est ad imaginem Dei, in quo et ego factus sum per bonitatem tuam. Tu es ipsa imago Dei. Ut ergo transformer ego Ecclesia, vel ego David, vel ego pœnitens in eamdem imaginem a claritate in claritatem tanquam a tuo spiritu, *secundum misericordiam tuam memento mei tu propter bonitatem tuam, Domine.* Bonitas tua claritas est, et misericordia tua claritas est. Nam in conditione creaturarum claruit bonitas tua, quando vidisti cuncta quæ feceras, et erant valde bona. Sed in restauratione perditarum creaturarum claret misericordia tua, non minor bonitate tua. Tu es ergo A et Ω principium et finis. A sive principium *per bonitatem tuam*, cujus fecunditas procreavit causas rerum primordiales. Ω sive finis *per misericordiam tuam*, cujus materna benignitas format rerum causas finales. Et sicut ipsa *bonitas* tua est omnium causarum primordialium causa primordialissima : sic *misericordia tua* est omnium causarum finalium causa finalissima. Unde et ego misericordias tuas in æternum cantabo, quoniam dixisti : « In æternum misericordia ædificabitur in cœlis, præparabitur veritas tua in eis (*Psal.* LXXXVIII, 3). » Postquam hæc misericordia tua fuerit de lapidibus, a luto miseriæ tractis, ædificata in cœlis, et ad plenum consummata, deinde finis, cum tradideris regnum Deo et Patri. Et quidem non solum misericordia tua ædificabitur in cœlis, dum salvas perditos homines, sed etiam « præparabitur veritas tua in eis (*Psal.* LXXXVIII, 3), » cum de projectis inde angelis nullum recolligis, et stantes angelos ibi conservas. Atque ideo tu es

VERS. 8. *Dulcis et rectus Dominus. Dulcis* per misericordiam; *rectus* per veritatem. At ego infixus in limo profundi, et mersus in locum miseriæ confugio ad solum sinum misericordiæ tuæ dicen stibi : *Secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam, Domine*, ut videlicet super bonitatis creatricis immobile fundamentum construens æternum ædificium tuæ misericordiæ sis memor mei, faciasque me tibi exhiberi lapidem tali ædificio congruentem, et consummes, atque perficias in me, de me, ac mecum tuam misericordiam finalem *propter bonitatem tuam, Domine* primordialem. Licet enim prænoveris ante mundi constitutionem, quod ego futurus prodigus filius tuus a te discessurus essem, tamen mihi æque ut angelo dedisti portionem substantiæ, quæ me contingit. Sum enim rationalis et intellectualis creatura æque ut angelus, libero arbitrio æque ut ille nobilitatus. Et cum tu prænosses me a te discessurum in regionem longinquam, tamen suggerente bonitate tua dedisti mihi largam substantiam, quam quia dissipavi totam luxuriose vivendo, nunc recolente memoria mea primordialem tuam bonitatem, quæro a te misericordiam finalem dicens tibi : *Secundum misericordiam tuam memento mei tu propter bonitatem tuam, Domine.* Nisi enim esses bonus, non ditasses me paratum discedere a te. *Propter* hanc ergo *bonitatem tuam* nunc *memento mei*. Et licet non sim dignus vocari filius tuus, tu tamen *secundum misericordiam tuam memento mei*, nunc in magna miseria vehementer anxiati, quia « fodere non valeo, mendicare erubesco (*Luc.* XVI, 3), » et nimia fame tabesco ac deficio. Sed considerans quia multi « mercenarii » in domo tua « abundant panibus (*ibid.* XV, 17), » ego miser et famelicus ad te confugio, per quem, « si quis introierit, salvabitur, et pascua inveniet ingrediens et egrediens (*Joan.* X, 10). » Nam corporis ac sanguinis tui cibo quasi vituli saginati edulio refectus, et ingrediens pascua inveniet sapidæ contemplationis, et egrediens pascua inveniet sapidæ actionis. Ideoque dum hic talis misericordias tuas in æternum cantabit, et alios ad easdem misericordias cantandas suo exemplo invitabit, symphonia et chorus longe audietur, et inde frater senior, id est, Judaicus populus, et quilibet invidus torquebitur cum diabolo. Illi fratri seniori tandem iratus petenti hædum dabis, hædum, id est, Antichristum secundum iram tuam. At ego non hædum, sed agnum, seu vitulum saginatum quærens dico tibi, o Pater : *Secundum misse-*

Digitized by Google

ricordiam tuam memento mei, ut des mihi agnum tollentem peccata secundum misericordiam. Dico tibi, o Deus Fili, ut des mihi sic manducare corpus et sanguinem tuum, ne mihi proveniat ad judicium, sed ad misericordiam consequendam. Et quia bonitas tua et misericordia non est aliud, quam spiritus tuus bonus, ita *secundum misericordiam tuam memento mei tu propter bonitatem tuam, Domine*, « ut spiritus tuus bonus deducat me in terram rectam (*Psal.* CXLII, 10). »

Sed dicit mihi frater invidus non grandis culpæ, ut æstimat, sibi conscius : Tu homo peccator, qui substantiam tuam dissipasti vivendo luxuriose, qua fiducia petis tam magna beneficia? Sic mihi publicano loquitur Pharisæus, et ego respondebo : Ideo cum sim peccator, et indignus dignatione divinæ misericordiæ, præsumo petere misericordiam, quoniam *dulcis et rectus Dominus*. *Dulcis*, quia per gratiam sine meritis peccata omnia dimittit. Sed *rectus*, quia etiam peccatis omnino dimissis quasdam pœnas peccatorum permittit inesse, non obesse. *Rectus* plane, quia etiam baptizatis, vel pœnitentia mundatis quasdam pœnas dimittit inesse. *Dulcis* vero, quia non sinit eas obesse, sed facit eas prodesse, vel ad custodiam sanctæ humilitatis, vel ad exercitium vitæ mortalis, vel ad acquisitionem virtutis.

Aliter : « Benedictionem dabit legislator (*Psal.* LXXXIII, 7), » quia qui dedit legem, dabit benedictionem ; qui jussit humilitatem, perducet ad veritatem. Quis vero hic est legislator, nisi *dulcis et rectus Dominus, qui legem dabit delinquentibus in via? In via* quippe *delinquunt*, qui veritatem derelinquunt. Sed nunquid vel sic a dulci Domino derelinquentur? Ipse est ergo *dulcis et rectus Dominus*, qui legem dat viam humilitatis, per quam redeant ad cognitionem veritatis. Dat occasionem recuperandæ salutis, quia *dulcis* est ; non tamen absque disciplina legis, quia *rectus* est ; *Dulcis*, quia perire non patitur ; *rectus*, quia punire non obliviscitur.

Aliter : *Dulcis et rectus Dominus*. *Dulcis*, quia gratiæ suæ gratis largitur dona ; *rectus*, quia ipsa dona distinguit in merita, et præmia, ita ut merita bona prærogentur *in via* ex gratuita dulcedine gratiæ, et præmia sempiterna dentur in patria ex gratuita rectitudine. Vel *dulcis*, quia prærogat merita ; *rectus*, quia pro qualitate meritorum unusquisque ab eo propriam mercedem accipiet secundum suum laborem : *dulcis*, quia gratis dat bona merita ; *rectus*, quia in judicio requirit eadem merita. Nec tamen ejus dulcedo caret rectitudine, nec rectitudo ejus vacat a dulcedine, quoniam in largitate meritorum distribuendo decem mnas unicuique ; secundum propriam virtutem servat rectitudinem, et in judicio lucra meritorum non ex crudelitate requirens piam servat dulcedinem. Propterea, quia *dulcis et rectus* est *Dominus legem dabit delinquentibus in via*. In hoc enim claret ejus dulcedo, quod ex proprio et libero arbitrio, non ex impulsu necessitatis aliquo peccantibus *dabit Dominus legem* corrigentem *in via* hujus vitæ, ponens eos *in via* disciplinæ, quæ *via* hinc inde habet septa præceptorum bona jubentium et mala prohibentium.

Dabit etiam *legem delinquentibus in via*, qui, quamvis delinquant in excessibus humanis, tamen a via fidei catholicæ non recedunt, neque malum bonum, vel bonum malum esse dicunt aut credunt. Nam si hoc dicerent, aut ita dicentibus aliis crederent, a via veritatis exorbitarent. Nunc autem, quia delinquunt in via credentes, atque dicentes bona bona, et mala mala, quanquam et in malis cavendis, et in bonis exsequendis multa surrepant humana delicta, propter hoc ipsum, quia delinquunt *in via, ipse Dominus dulcis et rectus legem dabit delinquentibus in via*, dum non pereunt per malorum suorum defensionem pertinacem, sed salvantur per confessionem veracem Domino illis dante *legem*, id est, charitatem. « Plenitudo » enim « legis est dilectio (*Rom.* XIII, 10), » qua solum totumque bonum diligunt, qui sunt *in via* divinorum præceptorum, et ideo « charitas » in eis « operit multitudinem peccatorum. Charitas » hæc « patiens est, benigna est (*I Petr.* IV, 8). » Et ideo *dulcis et rectus Dominus* ex charitativa patientia ipsos *mansuetos* effectos, qui prius erant feri et indomiti.

VERS. 9. *Diriget in judicio* : et ex charitativa benignitate *mites* effectos, qui prius erant immites, *docebit vias suas*, id est, præcepta, pro quorum neglectu facit eos intelligere sibi evenisse flagella *in judicio*. *Mansuetos* ad meliora diriget, quorum vox est : « Si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur. Cum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur (*I Cor.* XI, 31 et 32). Nunc judicium est mundi, nunc princeps mundi hujus ejicietur foras (*Joan.* XII, 31). » Et *in* hoc *judicio* neque ipse princeps mundi, neque hic mundus in maligno positus dirigetur ad meliora, quia non est mansuetus inter verbera. Et quia omnis homo immansuetus per injustitiam distortus non est ita flexibilis, ut manu judicis dirigatur, necesse est ut frangatur.

Dulcis et rectus Dominus volens omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, cum distortos a sua rectitudine tangit virga directionis, in præsenti vita per judicium nunc occultum, nunc manifestum, sed semper justum, quos *mansuetos*, et ad pœnitentiam flexibiles invenit, hos in judicio suo dirigit ; immansuetos vero atque in sua fortitudine penitus induratos frangit. Sicut enim lignum curvatum, si non fuerit in sua curvitate induratum, siccatum et inveteratum, potest emolliri et dirigi, alioquin frangitur, cum ad rectitudinem cogitur manente illius duritia et ariditate : sic inter homines mansuetorum et immansuetorum tanta est differentia, ut *in judicio* divino illi dirigantur, isti frangantur.

Mansuetos proprie dicimus eos qui, cum prius essent intractabiles, postea edomiti fiunt mansueti,

Digitized by Google

quasi manusueti, cum ex consuetudine patientiæ manum gratiæ flagellantis aut blandientis æquanimiter sciunt ferre, qui prius ut equus indomitus recalcitrare, ut canis oblatrare, ut singularis ferus remordere soliti erant. *Mites* autem proprie illos vocamus, quibus est naturaliter suavis et lenis animus. Immansueti adhuc erant apostoli filii Zebedæi, filii tonitrui, cum dicerent Christo a Galilæis non recepto : « Vis dicimus, ut descendat ignis de cœlo, et consumat eos (*Joan.* IX, 54), » sicut et Elias fecit? sed pius Dominus, *dulcis et rectus* eos ad mansuetudinem provocavit dicens : « Nescitis, cujus spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere sed salvare (*ibid.*, 55 et 56). » Item Petrus apostolus adhuc immansuetus ait : « Domine, si percutimus in gladio? » (*Luc.* XXII, 49.) Neque hoc dicere contentus evaginavit gladium, et amputavit auriculam servi principis sacerdotum. *Dulcis* autem et *rectus Dominus* ex insita sibi dulcedine sanavit infictum vulnus, et ex insita sibi rectitudine dedit legem Petro delinquenti *in via* sic dicens : « Converte gladium tuum in locum suum. Omnis enim, qui acceperit gladium, gladio peribit (*Matth.* XXVI, 52). » Unde omni homini zelum Petri habenti expedit hanc *legem in via* fidei tenere, ut convertat gladium suum in locum suum. Si enim spiritalem gladium habet, utique debet illum convertere in locum suum, videlicet suo loco illum invaginando, suo loco etiam evaginando secundum causarum qualitatem nunc tacendi nunc loquendi tempus admittentem. Item : si Dei minister est gladium portans materialem, convertere illum debet in locum suum, videlicet ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, illos reprimendo, istos defendendo.

Summa igitur cautela est adhibenda, ne propter hanc legem vel spiritalis, vel materialis gladius accipiatur, id est, rapiatur. *Accipere* namque interdum ponitur pro rapere. Unde quasdam aves rapaces dicimus accipitres, et Apostolus ad Corinthios ait : « Sustinetis enim, si quis devorat, si quis accipit (*I Cor.* XI, 20), » id est, rapit. Sunt itaque raptores gladiorum, qui contra justitiam et misericordiam vel spiritalem vel mundanum exercent judicium innocentes opprimendo et noxios dimittendo. Ibi quippe gladium evaginant, ubi esset invaginandus, et invaginant, ubi esset evaginandus. Et tales procul dubio nisi *legem* accipiant *in via*, nisi pœniteant in hac præsenti vita, gladio sententiæ judicialis peribunt in die illa, quando cum Domino soli sancti erunt judices, « et gladii ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus (*Psal.* CXLIX, 6 et 7), » et gladius utraque parte acutus de ore Christi tunc in throno sedentis procedet. Nunc in emendatorio judicio *diriget mansuetos in via*, id est, in præsenti vita : tunc in extremo judicio immansueti, qui gladium sine misericordiæ ac veritatis judicio acceperunt, gladio peribunt misericordia, et veritate judicium finale dictante, quando his, qui a dextris erunt per misericordiam dicetur : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum (*Matth.* XXV, 34) : » et his, qui a sinistris erunt per veritatis æquitatem dicetur : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*ibid.*, 41). »

Aliter : *Dulcis et rectus Dominus : propter hoc legem dabit Dominus delinquentibus in via. Propter hoc*, id est, secundum hoc, quod *dulcis et rectus est, Dominus legem dabit*, id est, legem datam distinguet. Etenim in via egressionis ex Ægypto populo delinquenti tanquam *dulcis Dominus* valde bona præcepta in tabulis digito suo scripta dedit, in quibus nihil aliud a vero Israelita exigit, nisi ut timeat vel diligat Deum, et ambulet in viis ejus. At ubi idem Israel in reatu vituli deliquit, dedit eis, ut ipse per prophetam loquitur, « præcepta non bona (*Ezech.* XX, 25) » de ritu ceremoniarum. Et secundum hoc *rectus Dominus*, qui per talia exercitationis præcepta populum eumdem mansuefaciens direxit, deinde mansuetos *in judicio*, nimirum punitionum, qualia sunt hæc : qui hoc vel hoc fecerit, occidatur, lapidetur, aut comburatur, et per hæc omnia miles effectos docuit disciplinate vias suas ingredi ad terram promissionis. Sic vero et in nobis æstimandum est, quos eodem pene introductionis modo ad veram promissionis terram viarum suarum dociles perducet. *Dulcis* igitur *et rectus* etiam in nobis *Dominus*. Propter hoc enim et nobis dabit *legem* charitatis *delinquentibus in via* justitiæ, ut « charitas » in nobis « operiat multitudinem peccatorum, » quos et « diriget mansuetos (*I Petr.* IV, 8), » ac mansuefactos per sacramenta exercitationum, *diriget*, inquam, in judicio ecclesiasticarum punitionum, quale est illud Apostoli : « Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, ac spiritu mansuetudinis (*I Cor.* IV, 21)? » sicque mites, dociles scilicet, ac benivolos effectos docebit vias suas. Etenim

VERS. 10. *Universæ viæ Domini misericordia et veritas.* Infinitæ quidem sunt et investigabiles viæ judiciorum ejus incomprehensibilium, sed in his duobus includuntur, *misericordia* scilicet *et veritas*. *Misericordia* est, qua placabilis in primo adventu non sine justitia peccata dimittit. *Veritas* est, qua incorruptis judex in futuro adventu non sine misericordia judicat merita. Tenet autem vias istas, cauteque incedit per eas, qui videns se nullis suis meritis, sed per solam misericordiam liberatum deponit superbiam, deinde et severitatem veritatis, et iram veracis judicis cavet. Hæ viæ, et si notæ non sint aliis, quibus interdum videtur vel misericordia carere veritate, vel veritas esse absque misericordia : tamen quod *universæ viæ Domini* sint *misericordia et veritas*, patet.

Requirentibus testamentum ejus, et testimonia ejus. Testamentum ejus Evangelium de cœlesti hæreditate conscriptum et firmatum his, qui sunt per adoptionem gratiæ matris hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Hoc *testamentum* sanguine ac morte testatoris confirmatum, veritate ac misericordia est plenum, quoniam Christus Jesus verus Deus, verus

Digitized by Google

homo se hominibus exhibuit plenum gratia et veritate. Idipsum confirmant ejus testimonia in Moyse ac prophetis, qui misericordiæ et veritatis, quæ in testamento continentur, testes fuerunt. Similiter apostolorum et apostolicorum Patrum prædicationes vel scripta seu miracula per martyres aliosque sanctos exhibita, quid aliud sunt, quam *veritas*, et gratiæ manifesta testimonia ? quæ omnia testimonia *requirentibus* clarum est et evidens, quod *universæ viæ Domini* sunt *misericordia et veritas*. Qui vero hæc testimonia vel non recipiunt ut pagani, vel depravant ut Judæi et hæretici, vel contemnunt ut falsi Christiani, neque veritatem invenient matrem initialis et servilis amoris, neque misericordiam matrem filialis amoris.

Libet hic paulisper investigare in testamento Dei, ac testimoniis *ejus*, an aliquando sola misericordia sine veritate, aut veritas absque misericordia operetur. Sic enim plerisque videtur, apud quos hæc sententia est vulgata, qua sancti Patres affirmant universas quidem Domini vias simul consideratas misericordia et veritate plenas, cum alii per veritatem damnentur, alii per misericordiam salventur : sed si easdem vias ita distinguas, ut seorsum de iniquorum perditione, ac seorsum de bonorum salvatione agas, affirmant solius esse veritatis, quod impii damnantur, et solius misericordiæ, quod boni salvantur. Ideoque de universitate viarum Domini aiunt recte simul misericordiam, et veritatem prædicari ; de quadam vero parte solam misericordiam, et de quadam solam prædicant veritatem. Et est plane catholica, et non contemnenda hæc sententia, qua damnationi æternæ impiorum sola veritas et justitia : salvationi autem sanctorum sola coaptatur et assignatur gratia et misericordia Dei. Verumtamen *requirentibus testimonium ejus, et testimonia ejus* apparet non sine causa dictum esse, quod *universæ viæ Domini* sint *misericordia et veritas*, cum secundum supra dictum sensum convenientius videretur dicendum, quod *universæ viæ Domini* sint *misericordia*, aut *veritas*. Misericordiam et veritatem Spiritus sanctus per *et* copulativam conjunctionem conjunxit in omnibus viis Domini, non disjunxit per *aut* conjunctionem disjunctivam. « Quod » ergo « Deus conjunxit, homo non separet (*Marc.* x, 9). » In judicio humano divinitus ordinato non est pretiosa misericordia sine justitia, neque justitia sine misericordia, quoniam justitia sine misericordia crudelitas nominatur ; et misericordia sine justitia seu veritate fatuitas dici potest. Quanto magis ergo in divino judicio misericordiam justitia seu veritas, et veritatem justitiæ commendat misericordia?

Cum enim simplex natura Divinitatis nullius unquam sit susceptibilis divisionis, non est in ea aliud misericordia et aliud veritas, sed sicut unus idemque radius solis in se ipso sibi indissimilis, dissimiles tamen effectus operatur, dum uno eodemque calore ceram emollit, lutum indurat, dum uno eodemque splendore sanos oculos delectat, et lippos cruciat : sic una eademque virtus Divinitatis in semetipsa omnino simplex una eademque operatione alios emollit, et alios indurat, sicut in Ægypto una eademque signorum clarificatione benevola corda filiorum Israel emollivit, invida corda Pharaonis et Ægyptiorum induravit. Est enim talis natura invidiæ, ut corda, quæ præoccupat beneficiis, deliniri non sinat ; imo contra benevolentiam sibi vel aliis exhibitam vehementius indurescit, et quasi lippiente mentis oculo præclaræ benignitatis fulgorem vertit sibi in cruciatum, quem benevola mens habet sibi in oblectamentum cum adest, eumque vehementer desiderat, cum abest.

Quod ergo dicit Dominus : « Ego indurabo cor Pharaonis (*Exod.* iv, 21), » tale est, ac si dicat : Ego beneficia clarissima populo meo in terra Ægypti exhibebo, quorum claro fulgore torquebitur et indurabitur invidum ac superbum cor Pharaonis. Item quod dicit ad Pharaonem : Ego in hoc ipsum excitavi te, « ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in universa terra (*Exod.* ix, 16), » idem est, ac si dicat : Ego te non feci invidum, sed cum ex libero arbitrio tuo scirem te superbum, et invidum, ego in hoc ipsum excitavi te, ut invidia, et superbia, quæ in te fuit sopita, quasi evigilaret repercussa fulgore beneficiorum meorum. Quando enim tibimetipsi benefeci, faciens te regem totius Ægypti, ex claro fulgore beneficii tanti magis ac magis elatus contra me superbiebas, cui gratias agere debuisti, et populo meo in regno tuo exsulanti crudelis fuisti. Quando autem eidem populo meo benefeci consolans eum per signa et portenta in terra tua ostensa, tu ex fulgore tanti beneficii præ invidia tua torquebaris, et magis ac magis in malitia tua induruisti. Itaque non per aliud ego te induravi, nisi quod et tibi benefeci, ac tu inde superbiebas, ita ut haberes cor tumidum : et populo meo benefeci, cui tu sic invidebas, ut ex hac ipsa invidia cor haberes induratum. Quid ergo tibi facerem, quem et propria felicitas extollebat, et aliena torquebat? Nihil aliud restabat, nisi ut in quo tantam ostendi benignitatem, cum tu eadem benignitate abutereris, in te quoque tantam ostenderem fortitudinem meam, ut ex hac fortitudine ostensa cantaret mihi populus meus : « Quis similis tui in fortibus, Domine? Quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, et faciens mirabilia ? Extendisti manum tuam, et devoravit eos terra. Dux fuisti in misericordia tua populo, quem redemisti, et portasti eum in fortitudine tua ad habitaculum sanctum tuum (*Exod.* xv, 11, 12 et 13). » Ecce quomodo hic populus Dei misericordiam et judicium cantat, misericordiam pariter et fortitudinem laudat ! Cantatio misericordiæ illud est, quod dicit : « Dux fuisti in misericordia tua populo, quem redemisti. » Cantatio judicii, seu veritatis atque fortitudinis est, quod dicit : « Portasti eum in fortitudine tua ad habitaculum sanctum tuum. » Sicut ergo in hac historia tanquam in brevi tabella

Digitized by Google

conspicitur, quod viæ Domini sunt misericordia et veritas : sic in tota universitate judiciorum ejus « universæ viæ Domini » misericordia et veritas esse inveniuntur a fidelibus *requirentibus testamentum ejus, et testimonia ejus.* Nam de veritate, sive justitia judiciorum Dei erga Pharaonem testimonium perhibet ipse Pharao dicens : « Deus justus : ego et populus meus impii (*Exod.* IX, 27). » De misericordia vero illud est pro evidenti testimonio, quod eidem Pharaoni ac populo ejus plagæ per justitiam immissæ, per misericordiam divinam toties remissæ, vel intermissæ sunt quoties pro eo Moyses et Aaron intercesserunt.

In populo autem Dei *misericordia et veritas* manifeste conspiciuntur ab omnibus *requirentibus testamentum ejus, et testimonia ejus* cantante, ut supra texavimus, ipso Moyse : *Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti*, et portasti eum in fortitudine tua. Misericordia quippe fuit, quod gratis absque omni merito præcedente ad Abraham et Isaac, et Jacob loquens populo ex eis nascituro et fidem ipsorum suscepturo, benedictiones in semine ipsius Abrahæ gratis promisit. Veritas autem fortis, et fortitudo vera fuit, quod multis peccatis Hebræorum irritatus non cessavit illis bene facere usque ad omnimodam completionem veracissimæ promissionis suæ secundum « jusjurandum, quod juravit ad Abraham Patrem nostrum daturum (*Luç.* I, 73) » se illis terram promissionis, « terram lacte, et melle manantem (*Deut.* VI, 3). »

Amplius autem spiritalis et universalis Pharao, diabolus, rex totius Ægypti, princeps mundi hujus, judicatur per misericordiam et veritatem, non per ullam crudelitatem, quam etiam cogitare in Domino nefas est. Nonne illud magnæ Dei misericordiæ in illo fuit evidentia, quod speciosum illum fecit, ita ut esset « signaculum similitudinis » Dei, « perfectus decore, plenus sapientia (*Ezech.* XXVIII, 12), » cujus altitudinem cedri non adæquaverunt in paradiso cœlesti ? sed quia per liberum arbitrium superbus et invidus contra suum plasmatorem tumuit, sibique connaturales angelos noluit habere conservos, projectus est de medio ignitorum lapidum, id est, angelorum sancto igne divinæ charitatis ardentium et lucentium.

Verum quia non proprie dicitur misericordia, ubi non præcedit miseria : dicamus hoc fuisse divinæ bonitatis, quod et spiritalem Pharaonem in cœlo cæteris angelis clariorem, et in Ægypto carnalem Pharaonem cæteris Ægyptiis nobiliorem condidit. Ex qua claritate, seu nobilitate, quoniam illi magis superbire, quam Deo gratias agere maluerunt, peste superbiæ tumescentes miseri esse cœperunt, sed se miseros esse non senserunt. Adfuit ergo miseris divina misericordia tale illis apponens malagma, unde cogerentur aliquantulum detumescere. Nam benefaciendo in cœlo humilibus angelis et in Ægypto Hebræis humiliatis, provocavit superbos ad humilitatis gratiam, dum sentirent suæ superbiæ resisti, et humilibus gratiam dari. At illi magis, ac magis indurescentes, et præ invidia tabescentes misericordia Dei sunt abusi, dum ex beneficiis a Deo sibi collatis contra Deum superbierunt, et ex beneficio aliis collato per invidiam indurati sunt.

Quid ergo restat, nisi ut ostendat Deus in eis fortitudinem judicii, qui non receperunt medicinam sui beneficii, ut etiam in impiorum damnatione misericordia et veritas obvient sibi, dum illis misericordiam respuentibus veritatem ostendet judex justus. Ideo dicet in judicio : « Ite maledicti in ignem æternum (*Matth.* XXV, 41). » Quare ? Quia misericordia mea temporali fuistis abusi, æterna misericordia estis indigni. Propter hoc obviabit vobis veritas judicans juste non sine commemoratione misericordiæ, ut propheta meus fidelis inveniatur, qui de me dixit : « Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis (*Habac.* III, 2). » En ego in judicio iræ justæ memor sum vobis exhibitæ misericordiæ. An non fuit misericordiæ, quod vos divites feci, et ego inter vos egenus fui, ut ex mea paupertate ad misericordiam emolliti benigne mihi faceretis, atque sic justitia mea dictante pro temporalibus æterna bona recipere possetis ? At illi, Domine, inquiunt : « quando te vidimus » egentem, « et non ministravimus tibi ? » Respondebitur illis : « Quandiu non » bene « fecistis uni » ex minimis meis, « mihi non fecistis (*Matth.* XXV, 44 et 45). » Possetis vos apud vos causari, quod sola justitia sine misericordia vobis in judicio meo sit intentata, nisi quod isti minimi mei, qui inter vos fuerunt pauperes, contra vos in testimonio sunt, quod misericordiam vobis oblatam respuistis, dum noluistis illis vestra misericordia indigentibus esse misericordes, cum illi essent inopes, et vos divites. Amplius autem, et illud fuit misericordiæ, quod nec minima bona remanserunt vobis irremunerata : quia recepistis bona in vita vestra, sicut et isti minimi pro minimis malis mala receperunt in vita sua. Si ergo nunc vos una cum illis vellem recipere in æterna tabernacula, hæc esset injusta misericordia, ac proinde nec misericordia, siquidem misericordia absque justitia fatuitas est potius quam misericordia. Item si eos in mundo afflictos, et pro suis peccatis castigatos mitterem vobiscum in ignem æternum, hæc esset nimia immisericordia carens omni justitia. Sufficiat, quod isti minimi eos recipient secum in æterna tabernacula, qui de mammona iniquitatis eos fecerunt sibi amicos. Talibus ego nunc dico : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis promissum est. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare : quod enim fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis (*Matth.* XXV, 34 et 35). » Igitur quod hic dicitur : « Venite benedicti Patris mei » pertinet ad misericordiam ; quod subjungitur : « Esurivi enim, et dedistis mihi manducare, » meritum justitiæ commendat. Item quod dicitur impiis : « Ite maledicti in ignem æternum, » sententia est justitiæ ; quod additur : « Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare, » commemoratio

Digitized by Google

est misericordiæ, qua illis Deus prior benefecit, et mala recipiens ab eis patienter sustinuit.

Nonne tibi hæc omnia diligenter consideranti, etsi non clare, tamen quasi per speculum et in ænigmate apparet, quod *universæ viæ Domini misericordia et veritas*, quando nec impiis denegata est misericordia, qua præventi sunt : nec piis defuit justitia, qua castigati sunt? Justa est ergo sententia patriarchæ Abrahæ dicentis ad divitem : « Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala ; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris (*Luc.* XVI, 25). » Expertus est ille dives misericordiam, quando recepit bona in vita sua : expertus est quoque justitiam, quando pro sua immisericordia sine misericordia cruciabatur, in quo cruciatu misericordia divina cum justitia pariter operabatur: quia sicut pertinuit ad justitiam, quod dives puniebatur : sic pertinuit ad misericordiam, quod ex illius pœna requies et consolatio pauperis visa est magis dulcis. Item pauper expertus est justitiam, quando in hac vita recepit mala : expertus est quoque misericordiam, quando in sinu Abrahæ accepit consolationem, in qua consolatione justitia mistim cum misericordia divina operabatur : quia et misericordiæ fuit, quod pauper consolationem accepit, et justitiæ, quod ex conspecta illius gloria cruciatus divitis vehementius inarsit.

Quod de duabus personis diximus, de universitate piorum et impiorum dici convenit : quia ex omnium impiorum pœna justissima clarescet misericordia piis exhibita, et ex omnium piorum gloria gratiosa clarescet justitia etiam in impiorum pœnis observata. Nam « omnes, qui volunt pie vivere in Christo Jesu, » vel censu vel affectu pauperes, « persecutionem patiuntur (*II Tim.* III, 12), » et in futuro consolabuntur cum Lazaro; et via impiorum prosperatur in hoc mundo, quia mundus, quod suum est diligit, sed in futuro torquebuntur cum divite impio, cui omnes alligabuntur in uno fasciculo ad comburendum, qui vel censu vel affectu divites erga pios pauperes non erant misericordes.

In ipsis quoque infantibus ante baptismum de hac luce subtractis non operatur justitia sine misericordia : quia eorum pœna erit mitissima, ut ex justitia de originali peccato puniantur, sed ex misericordia fit ipsa pœna mitissima omnium, qui erunt extra Dei regnum. Baptizati etiam infantes, licet remissa culpa non hinc transeunt absque infirmitatis et mortis pœna justissima, quam brevem et levem pœnam sequetur æterna divinæ misericordiæ consolatio. Itaque si Deus flagellat omnem filium, quem recipit, sive parvulum, sive magnum, et flagellat quidem per justitiam, recipit vero per misericordiam : itemque si nihil odit eorum, quæ in impiis ipse fecit, sed miseretur omnium per misericordiam quæ ipse fecit, puniens tamen per justitiam in impiis peccata, quæ ipse non fecit : manifestum est, quod in omnibus operibus Dei misericordia et veritas obviant sibi, siquidem et in his, quos justitia judicis condemnat, misericordia naturam conservat, et in his, quos misericordia salvat, veritas promissionum Dei manifesta est. Liceat ergo nobis concludere, quod *universæ viæ Domini* sint *misericordia et veritas.* Hoc etsi non comparet omnibus, attamen omnino elucet *requirentibus testamentum ejus, et testimonia ejus.*

VERS. 11. *Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo : multum est enim.* Dixi paulo superius : *quia tu es Deus Salvator meus*, et hoc nomen, quod est *Salvator*, dulce est mihi super mel et favum. Nam cum inter misericordiam et veritatem constitutus timeam veritatis judicium : in hoc solo est mihi solatium quod misericordia superexaltat judicium *propter nomen tuum*, quod est *Jesus* Græce, *Salvator* Latine. Ideo dico in magna spe miserationis : *Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo*, quia ego ipse peccatum meum non defendo vel extenuo, sed accuso et magnipendo, sicut jure debeo.

Multum est enim. Videbatur quidem aliquando mihi peccatum meum parvum ; quia « cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, cogitabam ut parvulus (*I Cor.* XI, 13), » et quilibet cogitationis, locutionis, vel operationis excessus videbatur mihi parvulus. Nunc autem consideranti, quod in conspectu judicis cuncta cernentis in multis multum offendi, peccatum meum nimis grande mihi apparet, non falsa æstimatione sed vera veritatis discussione. Sciens enim, quod universæ viæ tuæ Deus sunt misericordia et veritas, nunc ago cum veritate, discutiens judice veritate me ipsum sine palpatione, atque hoc faciens invenio me multa damnatione dignum propter peccatum meum : *multum est enim.* Revera *multum* peccavi, si numerum peccatorum meorum respiciam. Valde multa sunt; quia multoties, et *multum* peccavi super numerum arenæ maris, et multiplicata sunt peccata mea, et non sum dignus videre altitudinem iniquitatis meæ, quoniam irritavi iram tuam, et malum coram te feci, non solum ante agnitionem justitiæ, sed quod magis iram tuam irritavi, etiam post acceptam veritatis et justitiæ notitiam. Si vero diuturnitatem peccati mei respicias, *multum*, diu peccavi ab ineunte infantia usque in hanc horam. Si qualitatem peccati mei appendas in statera veritatis, *multum* male feci, qui tibi Deus meus bona mihi facienti pro bonis tuis mala rependi. Si quantitatem peccati pensas, non sunt condignæ passiones hujus temporis ad expurgationem peccati mei, *multum est enim.* Passiones infernales, non hujus temporis ego merui. Passiones æternas, non transitorias ego mihi secundum duritiam meam et impœnitens cor meum thesaurizavi. Et ideo præter nomen tuum nulla est competens aut sufficiens medicina peccato meo, *multum est enim.*

Sed e contra multa spes medicantis gratiæ redundat in tuo nomine, quod est Jesus, cujus nominis

Digitized by Google

rationem angelus exponens dixit ad Joseph : « Et vocabis nomen ejus Jesus : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum (*Matth.* I, 21). » *Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo, multum est enim :* quia ego pœnitens David, ego pœnitens Psalmista de populo tuo sum. Et ego pœnitens Ecclesia sum populus tuus in multis meis infirmis multas habens iniquitates et peccata, neque in majoribus meis ita carens omni macula, ut de se jactant hæretici Novatiani, qui se Catharos, id est mundos, nominant. Auctor istorum fuit Novatus, presbyter Ecclesiæ Romanæ, qui contra Cornelium papam disceptans negabat lapsos posse reparari per pœnitentiam, quique sibi suisque sectatoribus tantam vindicavit munditiam, ut non viderentur habere necessariam pœnitentiæ medicinam. Sed cum sancta Ecclesia recepisset per pœnitentiam emundatos, qui prius lapsi fuerant, iste Novatus, et sui consentanei recesserunt ab Ecclesia quasi per talium susceptionem polluta, et se nominabant Catharos, id est mundos, quasi nulla pœnitentia indigentes, et munditiam de baptismo acceptam custodientes, et custodire valentes, ac proinde nullum in Ecclesia locum pœnitentiæ relinquentes. Istis ergo Catharis propter suam contentionem anathematizatis, ego Ecclesia catholica sciens me habere inter membra mea multos peccatores et peccatrices, pœnitentiæ remedium non abnuo, sed tibi, Domine Jesu, qui es verus medicus, dico : *Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo, multum est enim.* Nam et multæ personæ intra sinum meum foventur multis peccatis obnoxiæ, adhuc emendandæ per veram pœnitentiam : et ipsis perfectis membris meis scio tam multas inesse maculas, ut ipsi de se veraciter dicant : « Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. » Si autem confessi fuerimus, « fidelis est » Deus, « ut remittat peccata nostra. » Item : « In multis offendimus, » inquiunt, « omnes (*I Joan.* I, 8 et 9). » Ideo et perfectorum est ista vox in oratione Dominica : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris (*Matth.* VI, 12). » Ergo quia ego Ecclesia dimitto debitoribus meis, et oro pro eis, tu, qui dixisti : « dimittite, et dimittetur vobis (*ibid.*), » ut justificeris in sermonibus tuis, *propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo*, quod non defendo, vel excuso, aut extenuo, quia non valeo, etsi volo excusare peccatum meum, *multum est enim.*

Aliter : *Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo, multum est enim.* Quia *universæ viæ tuæ, Domine, sunt misericordia et veritas*, ego quoque in oratione mea misericordiam et veritatem socians intuitu misericordiæ tuæ dico : *Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo :* et intuitu veritatis dico : *multum est enim.* Revera enim hoc pertinet ad magnam misericordiam, quod *propitiaberis peccato meo ;* et hoc sonat magnam veritatem, quod dico, *multum* esse peccatum meum. Sed quia veritatem veræ confessionis nunquam deserit misericordia vel propitiatio indulgentiæ, ac remissionis, inde constanter peto, et affirmo mihi exhibendam propitiationem, quia non fictam profero confessionem de peccato meo, quod multum et magnum esse confiteor : in hoc non mentior, *multum est enim.*

VERS. 12. *Quis est homo, qui timet Dominum?* Scio peccatum meum præteritum valde multiplex esse ac magnum, et, si adhuc de cætero semper de die in diem viventi mihi in carne crescet cumulus peccatorum, quæ mihi spes esse poterit futurorum bonorum, cui quotidie augescit pondus malorum? sed quare tristis es anima mea, et quare conturbas me, quasi non sit ullum certum solatium seu firmum repagulum contra irruens in me peccatum? Nonne Deus posuit mari terminum, vectem, et ostium, et dixit hucusque venies, et hic confringes tumentes fluctus tuos? Vectis mari procelloso, et tumultuanti oppositus est ille timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi, de quo scriptum est : « Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis (*Psal.* CXI, 1). » Item : « Beati omnes, qui timent Dominum (*Psal.* CXXVII, 1). » Item : « Timenti Dominum bene erit in extremis (*Eccli.* I, 13). » Iste timor, cum sit initium sapientiæ, finis est procul dubio insipientiæ, atque ideo quasi fortissimum repagulum, quasi vectis fortissimus veteri vitæ opponitur, et ab eo vita nova inchoatur, in qua etsi absque peccato non vivatur, tamen peccatum in ea non damnatur : quia timore Domini homo innovatus jam legi Dei consentit secundum interiorem hominem, adeo ut non regnet peccatum in ejus mortali corpore, licet gravato sub lege membrorum. Sic sic omnis homo timoratus timore sancto est infrenatus, ut si peccare libeat, peccare non audeat. Nam *quis est homo, qui timet Dominum*, et audeat aliquid facere contra Dominum? Plane si eo timore, qui est initium sapientiæ, finisque stultitiæ, quis timet Dominum, non audet audacter offendere Dominum.

Et dæmones quidem credunt, et contremiscunt, ac pessimi homines timore servili gravantur socique dæmonum in tali timore in pœna quoque illis consociabuntur, nisi pœnitentia liberentur. Sed quis *est homo? Quis est homo* rationalis? *Quis est homo* a dæmonibus, dæmonumque sociis longe disjunctus? *Quis est* rationalis, ac minime dicendus pecualis? vis audire quis? certe ille, *qui timet Dominum.* Nam et alia scriptura sic dicit. « Deum time, et mandata ejus observa, hoc est omnis homo (*Eccle.* XII, 13). » Si in hoc est omnis homo, quod Deum timet, et mandata ejus observat, consequens est eum non esse hominem, qui Deum non timet, nec mandata ejus observat. Nam si Deum timere, atque mandata ipsius observare perficit hominis beatum et verum esse : constat illos nec beate, nec veraciter homines esse, qui Deum non timent, nec man-

Digitized by Google

data ipsius observant. Quærenti ergo, quis vere sit homo, apte respondetur : *Qui timet Dominum.*

Ne autem putes huic tali timori peccatum dominari, audi quod sequitur : *Legem statuit ei in via, quam elegit. In via* fidei et rectitudinis, *quam* ex propria liberi arbitrii destinatione sibi tenendam *elegit* ipse Dominus, quem timet, *legem statuit ei*, quæ dicitur lex mentis, cui etsi repugnet alia lex, quæ est in membris carnalibus, tamen sic firmiter *statuit* ei Dominus *legem* interiorem proposito mentis firmissimo, quod elegit, ut etsi legem peccati sentiat, eidem tamen sponte non consentiat, sed etsi præoccupatus fuerit in aliquo delicto ut Petrus, et ego David, ille ad negandum, ego ad fornicandum, *legem* boni propositi a Domino intus in mente statutam non penitus abjicit, vel deserit abjectam, sed amare flendo, et pœnitendo reformat ex parte deformatam. Et ideo

VERS. 13. *Anima ejus in bonis demorabitur.* In malis quidem tentatur, et interdum sauciatur, sed in eis non *demoratur :* cito vel Christo respiciente, vel Spiritu veritatis redarguente resurgit a malis, in quibus ei longa mora dulcis non est. Hic talis *homo qui timet Dominum*; et cui ipse Dominus *legem statuit in via quam elegit.* Sed et *anima ejus in bonis demorabitur.* Majoribus enim studiis potiora et majora tempora impendet, sanctæque religionis exercitium, quia in hac mortali et mutabili vita non potest jugiter servare, breviter illud aliquando intermissum sic studet reparare, ut quod non potest esse omnino continuum, sit saltem per longiores moras extensum. Non ita redibit ad ollas carnium in Ægyptum, ut diligat magis tenebras, quam lucem : sed ultro venit ad lucem per agnitionem et confessionem peccati, sicut ego David redargutus per Nathan prophetam veni ad lucem benigne audiens arguentem, nec abscondi peccatum, quod a lumine veritatis arguentis fuit manifestatum.

Non sic fecit Adam, qui fugit ad latebras in medio ligni paradisi, cupiens latere absconditus. Unde anima ipsius in bonis paradisi deliciis non diu demorata fuit, quia ejecit eum Dominus de paradiso voluptatis in terram spinis ac tribulis plenam. Qui autem facit veritatem non suis mendaciis excusans peccatum, sed vera confessione accusans illud, venit ad lucem, hic etsi ad breve tempus conscientiæ accusantis pungitur spinis ac tribulis : tamen audiet sibi Christum dicentem : « Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso (*Luc.* XXIII, 43). » Et quisquis tali promisso jucundabitur, *Anima ejus in bonis* paradisiacis *demorabitur*, quia et in præsenti vita quasi quatuor flumina paradisi evangelica documenta, pœnitentibus regnum Dei promittentia, ipsius animam in bonis demorantem irrigant, et spe futurorum bonorum lætificant, *in* quibus *bonis* tunc perfectissime *demorabitur*, cum ad matutinum Dominicæ Resurrectionis gaudium admissus perfruetur lætitia. Prius tamen « ad vesperum demorabitur fletus, » quando cum Petro amare flebit, « et ad matutinum lætitia (*Psal.* XXIX, 6), » fruens cum eodem Petro sentiet, quam vere anima ipsius in bonis demoretur inter eos, qui gavisi sunt viso ipso Domino, et gaudebat cor eorum, et gaudium illorum nemo tulit, vel tollere potuit ab eis.

Aliter : *Quis est homo, qui timet Dominum? legem statuit ei in via, quam elegit.* Multi sunt, qui se putant, vel jactant habere timorem Domini, sed pauci sunt vere timentes Dominum. Ideo res digna est inquisitione, quis vere Dominum timeat. Nam est timor qui timidos, et est timor, qui timoratos facit, quorum duorum timorum differentia ex ipsa eorum dignoscitur efficientia : quoniam timidus fugit a Domino, timoratus ad Dominum. Timidus adhuc fuit Petrus, cum viso miraculo magnæ captionis piscium dixit : « Exi a me, Domine, quia homo peccator sum (*Luc.* V, 8). » Multi huic Petro similes in perturbatione consilium non habent, dum moriuntur, et vitam timent adeo timidi, ut non audeant vias rectas aggredi, licet in invio sint pavidi. Tu autem, qui cum eodem Petro habente conscientiam testem grandis fiduciæ audes dicere : « Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas (*Matth.* XIV, 18), » cum non fugis a Domino, sed ad Dominum per multas procellas tentationum seu tribulationum, scito te jam non timidum, sed timoratum. Talis timoratus fuit ille Simeon justus, qui exspectabat cum desiderio, non pavebat cum timore anxio, Christi adventum. Talis timoratus hic inquiritur, cum dicitur : *Quis est homo, qui timet Dominum?* Vis nosse, quis est homo timens Dominum? Is procul dubio, qui constrictus timore Domini viam rectæ conversationis elegit, et cui ipse Dominus *legem statuit in* hac ipsa *via, quam elegit.* Legem scilicet firmissimi propositi, sive legem disciplinæ, cujus virga flagellat omnem filium quem recipit, ut eruditus per flagella non semel experta sciat sibi tutum non esse, si deviet a semel accepta lege *in via, quam elegit.*

Potest etiam hic versiculus continuari ad proximum antecedentem secundum Hebraicam veritatem quæ sic habet : *Propter nomen tuum, Domine, propitiare iniquitati meæ, quoniam gravis est.* Hac oratione ac peccati confessione audita, sequitur admiratio similis illi admirationi, qua dicitur : « Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii? » (*Cant.* III, 6.) Nam sicut illud dictum est in admiratione animæ innocentis cum fragrantia virtutum de hoc mundo sursum ascendentis, ita nunc de anima veraciter pœnitente, ac regno cœlorum vim faciente, atque dicente : *Propter nomen tuum, Domine, propitiare iniquitati meæ, quoniam gravis est*, Spiritus sanctus admiratur, et dicit : *Quis est iste vir timens Dominum*, quem docebit in via, quam elegerit? ac si dicatur : Quis est? quam magnus, quam admirandus est iste vir timens Dominum, qui quasi alter Jacob luctatur cum Domino in timore sancto? Nam sicut ille di-

Digitized by Google

xit : « Non dimittam te, nisi benedixeris mihi (*Gen.* XXXII, 26); » sic iste dicit : non dimittam te, nisi propitieris peccato meo. Et sicut illi fortissime secundum nomen Jacob luctanti ascendente aurora dictum est : « Nequaquam ultra vocaberis Jacob, sed Israel erit nomen tuum (*ibid.*, 28) : » sic et huic viriliter pœnitentiam agenti, indulgentiamque petenti promittitur, quod *anima ejus in bonis* demoretur, *et semen ejus* hæreditet *terram*. Revera *semen ejus*, id est bonum opus ejus, quod facit ratio, dum vomere disciplinæ terram, id est, carnem sibi subjectam diligenter excolit; illud, inquam, semen *hæreditabit terram*, id est, causa erit, ut hæreditate possideat terram viventium.

Aliter : *Anima ejus* separata a corpore, quamvis absque ipso corpore non habeat illam geminæ lætitiæ plenitudinem, quam exspectat post corporis resurrectionem, tamen interim *in bonis demorabitur* conjuncta spiritibus angelicis, *et* tandem in resurrectione *semen ejus*, id est opus ejus, *hæreditabit terram*, id est, erit causa, quare corpus ejus, quod est terra, restauretur ad solidam hæreditatem possidendam. Quia enim sancti « euntes ibant, et flebant mittentes semina sua » cum nonnulla difficultate corporis, justum profecto est, ut quando venerint « cum exsultatione portantes manipulos suos (*Psal.* CXXV, 6), » ipsum quoque corpus, quod seminatum est animale, surgat spirituale; quod seminatum est in infirmitate, surgat in virtute; quod seminatum est in contumelia, surgat in gloria; quod seminatum est in corruptione, surgat in incorruptione. Interim vero

VERS. 14. *Firmamentum est Dominus timentibus eum.* Dominus immutabilis, non homo mutabilis est *firmamentum timentibus eum*, timoratis videlicet fugientibus ad eum, non timidis fugientibus ab eo. *Timentibus eum* timore divino divinitus inspirato est ipse *Dominus firmamentum* : timidis autem et incredulis timore humano nullum est *firmamentum*. Timor enim Domini dat firmitatem, humanus diffidentiam. Et sicut, antequam positum esset firmamentum in medio aquarum, nulla fuit aquarum discretio vel distinctio, sed posito firmamento divisæ sunt aquæ superiores ab aquis inferioribus (*Gen.* I, 6) : ita priusquam timor Domini sit in hominibus, est in eis magna confusio, sed *firmamentum est Dominus timentibus eum*, ita ut in eis fiat magna distinctio desideriorum, velut aquarum superiorum et inferiorum. Nam desideria, quæ secundum Deum sunt, ut, verbi gratia, desiderium sapientiæ, honestatis, aliarumque virtutum, sunt velut aquæ superiores in supremis angelis jam versæ in crystallum, quod Ezechiel vidit supra firmamentum, quia non est illis jam timendum, utpote confirmatis, et supra firmamentum timoris Domini consolidatis. Homo autem adhuc in carne positus quasi cum uxore est, quæ nimirum uxor caro est, ad hoc spiritui rationali conjuncta et subjuncta vel subjecta, ut rationabile obsequium pariat. Atque ideo ipse interior homo, qui sic est cum uxore, quantumlibet sit fidelis, tamen divisus est, sollicitus videlicet, quomodo placeat Deo, reddendo illi debitum famulatum, et quomodo placeat uxori suæ, accipiendo et exigendo ab ea debitum subjectionis obsequium, et reddendo illi debitum gubernationis et procurationis officium. Proinde in uno, eodemque homine, cum sint aquæ multæ variorum desideriorum, necessarium est firmamentum Dominici timoris, ne aquæ illæ, quæ debent esse divisæ, sint confusæ; neve, quæ debent esse supra, sint subtus, et quæ subtus debent esse, sint supra, id est, ne vel caro spiritui, vel spiritus fiat rebellis Domino, sed caro cum suis desideriis, quæ sunt in appetitibus quinque sensuum, sub timore Domini conclusa maneat, et ratio cum suis desideriis, quæ sunt in appetitu virtutum, super timoris Domini firmamentum et fundamentum solidetur, atque ita sit firmamentum in medio aquarum dividens aquas ab aquis ipse timor Domini, quo sancta desideria fulciuntur, et carnalia comprimuntur, atque in unum locum congregantur, ita ut appareat arida caro humana, neque sit nimium aquosa, sed sit germinans herbam virentem et afferentem semen, lignumque pomiferum, id est, omnia genera et species fructuosarum virtutum. Quod totum, ut fiat, *firmamentum est Dominus timentibus eum.*

Et quia ipse Dominus et timor ipsius omnino sunt in secreto propter quod sic habet Hebraica veritas : *Secretum Domini timentibus eum*, pro eo quod nos habemus : *Firmamentum est Dominus timentibus eum*, recte sequitur : *Et testamentum ipsius, ut manifestetur illis. Testamentum* namque Vetus et Novum timentibus Dominum est *firmamentum* firmissime illis promittens esse futurum, ut manifestetur illis ipse Dominus, qui nunc est in secreto suo absconditus. Unde ipse testator in Veteri Testamento posteriora sua Moysi videnda exhibens : « Facies, » inquit, « mea non videbitur tibi (*Exod.* XXXIII, 23). » Sed in Novo Testamento eidem Moysi et Eliæ loquens in monte transfiguratus etiam faciem suam illis exhibuit, atque omni dilectori suo promisit id ipsum dicens : « Et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum (*Joan.* XIV, 21). »

Etiam per hoc *firmamentum est Dominus timentibus eum*, quod eos ita illuminat in Scripturis, ut *testamentum ipsius manifestetur illis.* Hunc sensum probat Hebraica veritas, in qua sic legitur : *Secretum Domini timentibus eum, et pactum suum ostendit ei.* Quo pacto, vel testamento illis ostenso firmantur timentes Dominum, quoniam in eo discunt, quod non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, et operatur justitiam, acceptus est illi. Propter hoc ego pœnitens David laqueos diaboli non timeo, nec pro eisdem laqueis præcavendis terram inspicere volo, sed

VERS. 15. *Oculi mei semper ad Dominum : quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* Et cum soleant in laqueos et foveas cadere, qui non intuentur ante pedes suos, ego tamen sursum *ad Dominum*

Digitized by Google

spectans, quem solum timeo, in omni via conversationis vel actionis meæ non tam hominum quam ipsius offensam cavere intendo. Neque hoc faciens humanæ, vel diabolicæ deceptionis laqueos timeo Deo me protegente, ne incidam in laqueos. Et, si incidero, dum timori et amori ejus intendo, dum in vultu ejus voluntatem ipsius exquiro, tamen securus ero : *quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* Ideo ipsius vultum vel in Scripturis vel in Christo libet inspicere, ut fiam sapiens, de quo dicatur : « Oculi sapientis in capite ejus (*Eccle.* II, 14), » id est in corde, quod est animæ quasi caput, sursumque debet elevari ad excelsius caput, id est ad Christum. « Caput enim mulieris vir, et caput viri Christus, caput autem Christi Deus (*Ephes.* V, 23), » ad quem levanda esse corda insinuat ipsa veritas Evangelica dicens : « Respicite, et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra (*Luc.* XXI, 28). » Itaque in bona spe *oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. Pedes meos*, id est affectiones, quibus terram tango, dum afficitur oculus in videndi delectatione, gustus in delectatione sapiendi, auditus in delectatione audiendi, et cum suavia delectant olfactum vel tactum, affectiones, inquam, tales laqueis delectationum captas *ipse* Dominus *evellet* eripiens me de luto, ut non infigar, neque inhæream, sed adjuvante ac sustentante me dextera sua cum Petro gradiar super fluctus marinos, quibus etsi incipiam immergi, cum delectatio mundana valido tentationis vento imminente affectiones meas tenet, tamen *ipse evellet de laqueo pedes meos.*

Est enim aqua delectationis mundanæ laqueis, et retibus plena piscante diabolo in hoc mari magno, in quo sunt « reptilia, quorum non est numerus, animalia pusilla cum magnis (*Psal.* CIII, 25 et 26). » Et hæc aqua toties nobis transvadenda est quoties aliquid incumbit nobis agendum, quod sine delectatione agi non potest, verbi gratia sine delectamento somni convenientis non possumus dormire, sine delectatione comedendi, et bibendi non possumus corpus reficere, atque iter hujus vitæ agere non possumus nisi per talium delectationum aquas transeamus : ut cum de defectu esuriei vel sitis ad satietatis portum transvadamus, transitus ille mollis et delectabilis est in ipsa refectione : sed ipsa talis mollities habet in se laqueos et retia plura, quibus implicantur facile nostræ affectiones. Atque inde fit, ut cum portui appropinquamus, laqueis et retibus delectationum capti viam ipsam finiri doleamus, ac plus nos delectet viæ suavitas, quam in portu expleta necessitas.

Hebraica veritas habet : « quoniam ipse educet de rete pedes meos. Frustra autem jacitur rete ante oculos pennatorum (*Prov.* I, 17), » ait Sapientia, et ideo retia, sive laquei tentationum non ante oculos pennatorum in evidentia tenduntur, sed callide absconduntur, ita ut sub velamine virtutis aut necessitatis obumbret interdum laqueus pravitatis aut voluptatis, sicut verbi gratia, dum verbum Dei bene dicitur, seu eleemosyna distribuitur, vana gloria insidiatur : et cum corpus cibo necessario sustentatur, sæpe sub umbra necessitatis peragitur negotium voluptatis, quia sæpe voluptas edendi, quæ velut pedissequa debet sequi necessitatem, quasi domina illam præire gestiens ultra metas eidem necessitati debitas trahit animam sponte captivam, libenter illaqueatam, voluntarie irretitam, quæ interdum se gaudet deceptam. Sic anima mea misera, et miserabilis multoties gavisa est se deceptam cogitationibus inter se accusantibus aut etiam defendentibus actum, qui videbatur ambiguus. Verumtamen laqueo pedum se arctius contrahente, ac duro nodo constringente miseram conscientiam, ita ut dissimilare [dissimulare] non posset culpam contractam, ut verbi gratia cum indisciplinatus ructus, ac tortura ventris, vel triduana cruditas, et longa indigeries testabatur in edendo modum supergressum, tum demum levatis oculis ad Dominum persensi verissime dictum : *Quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* Nisi enim fortissima evulsione fuissem expeditus laqueo gulæ, jam essem perditus, et adhuc ero perdendus, nisi oculi mei sint ad Dominum, qui solus potens est *evellere de laqueo pedes meos*, ut me honeste ac virtuose agentem aut non capiat, aut si ceperit, non teneat rete superbiæ, me laudabiliter viventem non teneat appetitus laudis vanæ, me comedentem, bibentem, dormientem, seu aliis modis naturæ necessitates explentem aut non capiat, aut si ceperit, non teneat laqueus voluptatis, latens nimirum sub velamine ipsius necessitatis. Ergo, istud mihi sit firmum consilium, fixumque propositum, ut *oculi mei semper* sint ad *Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* Hærent quidem ipsi pedes miserabiliter, sed ipse Dominus *evellet* eos misericorditer, et mirabiliter : hærent crebro, sed *evellet* eos continuo, si ab illo contuendo non deflectatur oculorum meorum jugis intentio. Igitur *oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* Oculis vero meis elevatis, et intentis ad Dominum si corabo :

VERS. 16. *Respice in me, et miserere mei, quia unicus et pauper sum ego. Respice in me.* Qui facis, ut oculi mei sint ad te, sint quoque oculi tui ad me. Quondam in Adam creando me nobilem creaturam vidisti, quando cuncta, quæ in homine ac propter hominem feceras, vidisti, « et erant valde bona (*Gen.* I, 31), » utpote a malitia peccatorum et miseriarum aliena. Sed emergente malitia, et miseria in natura humana diabolico suasu decepta, justo judicio me despexisti : quem prius inter cætera bona vidisti, juste avertisti a me oculos misericordiæ tuæ. Sed nunc per veram pœnitentiam placatus, oculos jamdiu aversos reduc super me. Qui offensus per inobedientiam primi Adam despexisti me prolem ipsius, nunc placatus per obedientiam secundi Adam *respice me* redemptum ipsius. Post longam despectionem cito *respice in me*:

Digitized by Google

in me dico, non in peccata mea, quia si hæc aspexeris, consequens est ut tu justus juste irascaris. Nunc autem « averte faciem tuam a peccatis meis (*Psal.* L, 11) » quæ feci, et *respice in me*, quem tu fecisti.

Atque ipsum tuum respectum comprobans et manifestans; *miserere mei*, miserias meas onerosas levigando, pestilentiosas curando ac plene miserando, ut gaudium meum sit plenum, cui nihil desit necessarium, nihil redundet superfluum. Habes quidem tu, Deus Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, in temetipso causas miserendi, quando vides tempus miserendi. Sed in me quoque sunt magnæ ac multæ causæ, quæ misericordiam tuam valeant provocare : *quia unicus et pauper sum ego.* Solet *unicus* plus amari, et de paupere major dolor haberi. Populus autem christianus *unicus* est, non per hæreses, aut schismata distractus, *et pauper*, a divitiis ac deliciis mundi abstractus.

Ego quoque David pœnitens, *unicus et pauper sum :* quoniam fratres mei dereliquerunt, et despexerunt me, quorum unus dixit mihi : « Quare dimisisti pauculas oves in deserto? Ego novi superbiam cordis tui, quia, ut videres prælium descendisti (*I Reg.* XVII, 28). » Itaque licet fratres septem habuerim, tamen *unicus* fui, quia indignum fraternitate sua reputaverunt, qui me despexerunt, et quasi nullum reputaverunt. Unde me in consortio suo Samueli non repræsentaverunt, quem vix illo compellente quasi abortivum novissime ad ipsius præsentiam admiserunt. Non solum vero inter eos *unicus*, verum *et pauper sum* computatus, et nullius probitatis, quem dedignabantur descendisse ad castra quasi indignum, ut viderem castra.

Similiter ego quilibet pœnitens *unicus et pauper sum :* quia omnes, qui me lascivientem dilexerunt, nunc seria tractantem deserunt ac despiciunt, et hoc est mihi cumulus miseriæ, quod inter ipsos divites *pauper sum*, cogorque interdum petere auxilium etiam ab inimicis epulantibus quotidie splendide, indutis purpura, quæ est vestis regalis et bysso, quæ est vestis pontificalis et sacerdotalis. Nam et quasi reges dominantur, et quasi pontifices vel sacerdotes de sanctitatis imagine gloriantur, dum et per gladios tyrannizant, et officia divina tanquam sancti celebrant. Ego autem quasi Lazarus *pauper*, et ulcerosus canum linguis expositus, quia peccatorum meorum purulentia per confessionem foras erupit, tegmen qualecunque peccatis meis quæro, ut sim de numero illorum de quibus dicitur : « Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata (*Psal.* XXXI, 1). » Non ergo quæro vel desidero purpuram et byssum divitis epulantis quotidie splendide. Video infantem pannis involutum, et reclinatum in præsepio. De his pannis tegmen desidero, et de feno illius præsepis pasci opto. Nam cum omnis caro sit fenum, et licet contemptibile sit « fenum, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur (*Luc.* XII, 28), » tamen illius præsepis fenum talis est caro, quæ non solum ipsa non vidit corruptionem, sed et confert se participantibus tantam ac talem incorruptionem, ut maneant in æternum : quia ipsa caro est Verbum, et « verbum Domini manet in æternum (*Isa.* XL, 8) : » poteritque se participantibus conferre in æternum manere. Et « plures quidem facti sunt sacerdotes » secundum legem bysso vestiti, quorum aliis alii succedebant, sicut feno desecto succedit aliud fenum, « idcirco quod morte prohiberentur permanere : Jesus autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Unde et salvare potest in perpetuum accedens per semetipsum ad Deum semper vivens ad interpellandum pro nobis. Non ergo habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus (*Hebr.* VII, 24 et 25), cujusque « unici et pauperis. » Nam et ipse cum dives esset, pro nobis pauper factus est, et ipse *unicus* filius Patri suo in cœlis et matri suæ in terris, talis nobis est exhibitus, qui condolere possit his, qui ignorant et errant, quoniam ipse circumdatus fuit nostra infirmitate, non nostra iniquitate. Sed Pharisæorum cœtus purpura et bysso indutus contemnebat illum quasi leprosum et percussum a Deo. « Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras (*Isa.* LIII, 5). » Ad istum *unicum et pauperem* confugio, *quia unicus et pauper sum ego*, etc.

VERS. 17. *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt* abundante iniquitate, et refrigescente charitate multorum, inter quos multos tribulatur cor meum, quia illis compellor admiscori occasione multarum necessitatum ad vitam præsentem pertinentium. *De* his *necessitatibus meis eripe me, Domine*, ut raro, vel nunquam sit mihi necesse ad talium januas mendicare, vel eorum etiam copiosis epulis interesse, in quibus non audiuntur lectiones divinæ, aut sermones ædificationum, sed fabulæ ac næniæ scurrarum et mimorum.

Aliter : Natura humana bene condita, sed ad infirmitatem vitio propriæ voluntatis lapsa in calamitatem cecidit, quia pressa innumeris necessitatibus nihil in hac vita, nisi unde affligeretur, invenit. Sed cum eisdem naturæ nostræ necessitatibus plerumque plus quam expedit, deservimus, meatisque curam negligimus, ex miseria negligentiæ infirmitati nostræ addimus squalorem culpæ. Necessitates namque naturales hoc habere valde periculosum solent, quod sæpe in eis minime discernitur, quid circa illas per utilitatis studium, et quid per voluptatis vitium agatur. Crebro enim occasione seductionis invecta, dum necessitati debita reddimus, voluptatis vitio deservimus, et infirmitatis velamine ante oculos discretionis excusatio nostra se palliat, ac quasi sub patrocinio explendæ utilitatis occultat. Infirmitates namque naturæ nostræ per negligentiam relaxare nihil est aliud, quam calamitati miseriam addere, ac vitiorum squalorem ex eadem miseria multiplicare.

Digitized by Google

care. Unde sancti viri, id omne quod agunt studiosa intentione discernunt, ne quid plus ab eis naturæ suæ infirmitas, quam sibi debetur, exigat, ne sub necessitatis tegmine in eis voluptas excrescat. Aliud enim ex infirmitate, aliud ex tentationis suggestione sustinent, et quasi quidam rectissimi arbitres inter necessitatem voluptatemque constituti hanc consulendo sublevant, illam premendo frenant. Unde fit, ut etsi infirmitatis suæ calamitatem tolerant, tamen ad squalorem miseriæ per negligentiam non descendant. Hoc ipsum enim esse in calamitate est necessitatis naturæ, et carnis adhuc corruptibilis infirmitatem sustinere. Quas videlicet necessitates cupiebat evadere, qui dicebat : *De necessitatibus meis eripe me*. Sciebat enim plerumque voluptatum culpas ex necessitatum occasione prorumpere et ne quid sponte illicitum admitteret hoc ipsum satagebat evelli, quod nolens ex radice tolerabat.

At contra pravi gaudent in his corruptionis suæ necessitatibus, quia nimirum eas ad usum voluptatum retorquent. Cum enim reficiendis cibo corporibus naturæ serviunt, per delectationem gulæ in voluptatis ingluviem distenduntur : cum tegendis membris vestimenta quærunt, non solum quæ tegant, sed etiam quæ extollant, expetunt, et contra torporem frigoris non solum, quæ per pinguedinem muniant, sed etiam quæ per mollitiem delectent : non solum quæ per mollitiei tactum mulceant, sed etiam, quæ per colorem oculos seducant. Necessitatis igitur causam in usum voluptatis vertere quia est aliud, quam calamitatis suæ squalorem miseriæ sociare?

His consideratis ego pœnitens, ac dolens de malis præteritis, et libenter volens cavere de futuris in recognitione præteritorum dico : *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt :* quia cor meum tot vulneribus est sauciatum, quot voluptatibus invenitur superatum. Item in præcautione, ac timore futurorum dico : *De necessitatibus meis eripe me Domine*, ut rara, vel nulla sit occasio necessitatis, per quam expleatur pravitas voluptatis. Scio quidem, quod me necesse est comedere, bibere, dormire, vestiri, si volo vivere, sed ut caream vinculis istarum necessitudinum, mihi mori est lucrum et ideo cupiens dissolvi, et esse cum Christo, beatam mortem peto dicens tibi, Deus meus : *De necessitatibus meis eripe me, Domine*, Dives ille, qui male mortuus est, et sepultus est in infernum, non evasit passiones harum necessitatum, quoniam sitivit guttam aquæ ardens in flammis. At ego taliter mori cupio, ut sim cum Christo. Nam si Lazarus in sinu Abrahæ, ante adventum Christi fuit liber ab istis necessitatibus, quanto magis ego, si dissolutus ero cum Christo, a talibus omnino liber ero? Et hoc ipsum peto dicens : *De necessitatibus meis eripe me, Domine.* Si autem in carne manere propter aliquos est necessarium, et hinc mihi fructus operis est augendus, si sic vivam, ut mihi vivere Christus sit in causa. O Domine ! sic de necessitatibus meis eripe me, ut quæ non possunt mihi viventi deesse, non possint obesse. Sic insint, ut non obsint ; serviant, non dominentur ; sint mihi ad usum, non ad abusionem, ut liberatus ab earum dominio, servus autem factus Deo, habeam nunc fructum bonum in sanctificatione vivendo sobrie, juste ac pie, finem vero vitam æternam certissima exspectatione sperans, et spe gaudens felici experimento cognoscam, quod non solum finalis remuneratio, sed etiam exspectatio justorum lætitia est, quando bene viventes exspectant, quod bene morientes accipiant.

Sunt etiam necessitates, quas faciunt sibi homines, ut ille, qui dixit : « Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam. » Item alius dixit : « Juga boum emi quinque, et eo probare illa (*Luc.* xiv, 18, 19) : » quasi probatio illa esset adeo necessaria, ut per illam deberet, ac posset excusari. Et alius : « Uxorem, » inquit, « duxi, et ideo non possum venire (*ibid.*, 20). » Aliquando etiam perversi vel incauti tales incidunt necessitates, de quibus nulla sit evasio sine peccato, ut verbi gratia Herodes, qui puellæ juraverat, ex eodem juramento postulatus dare caput Joannis necessitate constringebatur, aut homicidium crudele perpetrare, aut perjurium incidere. Sed ille, si sapuisset, inter duo crimina, minus et levius elegisset. Beatior autem et sapientior fuisset, si ab hac necessitate sibi præcavisset. *De necessitatibus* talibus *erue me, Domine*, ita ut eas nunquam incidam, aut si, quod absit ! incidero, majus malum per minus evadam, exemplo militum, qui hostilibus muris clausi, necessitate compulsi, ut supra murum saliendo se mittant in casum, ibi eligunt exsilire, ubi existente muro breviore casus minor putatur. Verum quia etiam casibus minimis periclitari cognoscitur claudus et fragilis quisque ac debilis, ita peto eripi de talibus necessitatibus, ut ab eis omnino liber maneam, neque per eas unquam excusationem prætendam, quo minus veniam ad nuptias, quibus ne desim, potius opto compelli per aliquas necessitates intrare, quam per necessitates excusatus foris manere. Sic efficaciter peto liberari a malis necessitatibus, ut ad nuptias compellar intrare constrictus bonis necessitatibus, ut ille, qui dixit : « Coarctor e duobus cupiens dissolvi, et esse cum Christo, multo enim melius : manere autem in carne necessarium propter vos (*Philip.* I, 23). » Item necessitate constrictus ad bonum opus ait : « Væ mihi, si non evangelizavero, necessitas enim mihi incumbit (*I Cor.* IX, 16). » Et quia sub talibus necessitatibus aliquis ad bonum opus angariatus amittit operis fructum, sic admittit has necessitates, ut excludat angarias tristes, imo ut hilarem datorem vel operatorem diligat Deus, dicit : « Eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium (*Philip.* III, 1). » Item : « Si volens hoc ago, mercedem habeo : si autem nolens, dispensatio mihi credita est (*II Cor.* IX, 17). » Exemplo illius, qui hæc dixit, cupio liberari

Digitized by Google

a malis necessitatibus et ad bonum bonis necessitatibus constringi constrictione charitatis fortiter me urgentis, ut possim dicere : « Charitas Christi urget me (*II Cor.* v, 14), » id est quibusdam fortibus necessitatum manibus trahit me.

Aliter : Sic fuit creatus homo, ut pro velle suo posset peccare ac non peccare, turbari et non turbari, mori et non mori, quod erat magna hominis libertas, in qua nulla fuit necessitas, qui si diabolo tentanti non consensisset ad peccandum prima tentatione superata, sic ab omni tentatione fuisset liberatus, ut non posset peccare, non posset turbari, non posset mori, quæ fuisset hominis angelica beatitudo. Nunc autem, quia sponte peccavit, in tantam fovcam peccati et miseriæ cecidit, ut non possit non peccare, non possit non turbari, non possit non mori, et istæ sunt miseræ necessitates hominis in carne viventis, et secundum carnem ambulantis. Sed quia nihil damnationis est his, qui, licet in carne vivant, tamen non secundum carnem ambulant, neque secundum carnem militant : ita peto de necessitatibus meis liberari, ut quandc carnis expleo necessitatem, non secundum carnem ambulem, neque secundum carnem militem, tantam videlicet habendo charitatem quæ operiat multitudinem peccatorum et excessuum, in quibus non possum non peccare, quæque sit fortis ut mors contra periculum mortis, quia non possum non mori, quæque mihi turbato erga plurima sit unum et unicum solatium, de quo dicitur : « Porro unum est necessarium (*Luc.* x, 42). » Cum ergo in hoc sensu dico : *De necessitatibus meis eripe me, Domine*, idem est ac si dicam : Domine, da mihi perfectam charitatem, quæ mihi poterit esse solatium copiosum contra omnem hujus miseræ vitæ necessitatem. Ut autem non super inane sed super solidum fundamentum ponatur magnum magnæ charitatis ædificium, similis esse cupio homini sapienti ædificanti domum, qui fodit in altum, et ponit fundamenta supra petram. Propterea humiliavi me ipsum per pœnitentiam et confessionem peccatorum præteritorum, ut super profundam meam humilitatem adhuc superexcellentem accipiam charitatis ædificationem. Verumtamen quia mihimetipsi adhuc suspecta est mea humilitas, neque enim me ipsum judico. Tu

Vers. 18. *Vide humilitatem meam.* Tu examina, tu proba, tu videndo, et probando primitus consolida in me fundamentum veræ humilitatis, cui digne supponi valeat ædificium perfectæ charitatis, cujus tegmine protectus *de necessitatibus meis* nihil damnationis habeam : et si non habeam exinde laboris, propter hunc ipsum laborem dico : *Vide humilitatem meam, Et laborem meum.* Vide per misericordiæ tuæ visitationem, quantum sustineo miseriarum laborem, *et dimitte omnia peccata mea* provocatus ad clementiam per consideratam miseriam, *et laborem meum.*

Aliter : *Vide*, id est gratam habe *humilitatem meam*, quoniam per jactantiam justitiæ meæ non me ab unitate Ecclesiæ abrumpo, atque inter malos vivendo graviter laboro subjectus omni humanæ creaturæ propter te, sive Regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis. Et esset quidem mihi hæc humilitas et subjectio absque labore, si solos dignos in dignitatibus positos super me haberem. Nunc autem, quia subjicior dominis, non solum bonis et modestis, sed etiam dyscolis, magnum sustineo pondus diei et æstus. Atque ut tuis, Domine, verbis utar : « Laboravi sustinens, iniqui sunt » enim « cœtus » eorum (*Isai.* I, 13, 14). Ergo tu *vide* non solum *humilitatem meam*, in qua bonis hominibus non solum mihi prælatis, sed etiam coæquatis vel etiam suppositis judicio humano libenter me humilio et subjaceo, arbitrans illos me meliores et majores in judicio tuo ; vide, inquam non solum tamen *meam humilitatem*, sed etiam *laborem meum*, quo indisciplinatos mihi superpositos vel appositos patienter suffero. *Vide* hanc *humilitatem meam*, et hunc *laborem meum* quasi gratum sacrificium, et placatus hoc sacrificio *dimitte universa delicta mea.* Superius oravi dicens : *Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris.* Nunc autem sacrificio humilitatis et laboris mei præsentato ante oculos tuos, Domine, præsumo plus orare dicens : *Vide humilitatem meam, et laborem meum, et dimitte universa delicta mea*, sive omnia peccata mea non tantum in juventute contracta per ignorantiam vel surreptionem, sed etiam, quæ commisi usque in hanc horam sive ignoranter, sive scienter, sive per solitaneam tentationem, sive per industriosam deliberationem.

Hebraica veritas habet : *Vide afflictionem meam, et laborem meum, et porta omnia peccata mea.* Tu es enim, de quo scriptum est : « Vere languores nostros ipse abstulit, » et infirmitates nostras « ipse portavit (*Isa.* LIII, 4). » Tu es Agnus, qui tollis peccata mundi. Sic ergo peccata mea omnia porta, ut ea tollas, tu, qui portas et tollis peccata mundi. Nolo ea sic portes, ut me peccantem supportes, quomodo portas illos, de quibus dicis : « Laboravi sustinens (*Isa.* I, 14), » sed ita porta peccata mea, ut ea tollas, et exportes, aut projicias in profundum maris, ut quondam currus Pharaonis et exercitum ejus projecisti in mare, me autem liberes ab omni dominio peccatorum, ut liberasti de manu Pharaonis populum tuum : et sicut tunc respexisti castra Ægyptiorum, ita nunc.

Vers. 19. *Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, et odio iniquo oderunt me.* Respice dæmones tanquam Pharaonis milites, *respice* turbas malignorum hominum tanquam currus, et equos ipsorum dæmonum, *respice* concupiscentias carni meæ ac sensibus insitas, *respice* illarum indisciplinatos motus, de quibus diei convenit : et « inimici hominis domestici ejus (*Matth.* x, 36). » *Respice* hos omnes *inimicos meos.* Et quia nescio, quid optem

Digitized by Google

singulis, quoniam sicut ait Apostolus tuus : « Quid oremus, nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus (*Rom.* VIII, 26), » ipse te spiritus bonus et benignus doceat, quid singulis oporteat inimicis meis fieri, sive dæmonibus, ut avertantur, sive hominibus, ut convertantur, sive concupiscentiis carnalibus, ut exstinguantur, sive his hominibus, qui converti nolunt, et in sua malitia sicut Pharao indurati sunt, ut a suis pravis conatibus impediantur, ne populum tuum de Ægypto exeuntem ultra modum persequantur.

Paulo superius dixi : *Respice in me, et miserere mei, quia unicus, et pauper sum ego.* Et nunc dico : *Respice inimicos meos quoniam multiplicati sunt, et odio iniquo oderunt me.* Tu ergo me *respice*, et illos : me *respice unicum*, illos multiplicatos : me *pauperem*, illos *odio iniquo* inflammatos contra me. *Multiplicati sunt* enim valde, cum non solum foris patior infidelium, sed et intus falsorum fratrum *odia iniqua*. Nihil est enim iniquius odio illo, quo redduntur mala pro bonis. Odium vero illud utcunque dici potest justum et non iniquum, quo redditur malum pro malo. Sed hoc est *odium iniquum*, cum quis odit diligentem se, persequitur orantem pro se. Tali odio retribuebant mihi mala pro bonis. Tu autem Domine Sabaoth, qui judicas juste, qui probas renes et corda,

VERS. 20. *Custodi animam meam* servando et consummando in ea charitatem, quam habet, et habere cupit, etiam erga eos qui oderunt pacem. *Custodi animam meam*, ne declinet ad imitationem perversorum, et sicubi vides eam declinasse post malos et irretitam per illos, tu erue illam. Sicubi me vides circumventum perplexitatibus eorum, *erue me* de medio nationis pravæ et perversæ : si me vides tempestate jactatum, et in ventre ceti coarctatum, erue me ; dic ceto, qui me devoravit propter meam incautelam sive inobedientiam, ut evomat me in aridam propter meam pœnitentiam. Si me vides in fornace ignis Babylonici, quem nutriunt prava desideria, *erue me* de ipso igne mittendo mihi angelum, qui faciat mihi quasi ventum roris flantem, ne ignis iræ, superbiæ, aut luxuriæ, seu alterius nequitiæ involvat vel exurat me. Si vides me in lacu leonum, mitte angelum tuum, qui concludat ora leonum, et erue me de ore ipsorum.

Non erubescam, quoniam speravi in te. Propter hoc ipsum *erue me*, ut *non erubescam, quoniam speravi in te*, non in mea virtute. Hoc etiam in principio psalmi rogavi dicens : *Ad te, Domine, levavi animam meam, Deus meus in te confido, non erubescam.* Et quia vultus mei non sunt amplius in diversa mutati, etiam nunc circa finem psalmi id ipsum rogo, quod rogavi in principio, scilicet ut *non erubescam, quoniam speravi in te.* Valde autem erubescerem, si spes mea frustrata me confunderet, si quod spero, non eveniret, si spes mea periret. « Spes autem non confundit, » ait Apostolus tuus. Unde hoc ? Ideo sane, quia « charitas Dei diffusa est in cordibus nostris (*Rom.* v, 5) : » ideo illa non confundit, quoniam ista infundit. Quid infundit charitas Dei diffusa in cordibus nostris ? Certitudinem utique consolationis, quæ in hoc mihi certissime constat, quantum in hac vita potest homo certificari, quod

VERS. 21. *Innocentes et recti adhæserunt mihi*, quando adversabantur nocentes, et iniqui. Quare autem innocentes et recti adhæserunt mihi ? Ideo scilicet : *Quia sustinui te. Innocentes*, qui nec sibi, nec aliis nocere volunt, *et recti*, qui etiam distorta libenter corrigunt per cordis consensionem, ideo *adhæserunt mihi* inter malos posito, quia non defeci, ut sequerer illos ad malum : *sed sustinui te* patienter exspectans judicium tuum, quo spero separari ab eis. Ergo isti quoque *innocentes et* recti non erubescant, sed

VERS. 22. *O Deus libera* totum *Israel*, id est populum, quem præparasti ad visionem tuam, *ex omnibus tribulationibus suis*, quas intus et foris patitur, dum foris pugnæ, intus timores tribulant, sicut fuit ille Israel tribulatus, qui primus hoc nomine fuit appellatus. Ille namque multas angustias passus est persequente illum fratre suo Esau (*Gen.* XXVII, 41), et in exsilium cogente (*Gen.* XXXIV, 2), defraudante illum avunculo suo Laban, lasciviente filia sua Dina (*Gen.* XXXV, 22), fornicante Ruben primogenito suo, vendito Joseph dilectissimo suo (*Gen.* XXXVII, 28), in cujus venditione pariter illum cruciavit ignorantia gestæ rei, et certa notitia de fratrum invidia contra eumdem Joseph diu habita. Sed tandem liberatus est ex omnibus tribulationibus suis ille Israel, quia tu eum peregrinantem deduxisti per vias rectas, ut transiret per locum, qui prius dictus est Bethel (*Gen.* XXVIII), et nunc dicitur Bethlehem, in quo loco super lapidem quiescenti ostendisti illi regnum Dei per visionem scalæ, cujus culmen pertingebat usque ad cœlos, per quam angeli ascendentes et descendentes honorabant Dominum innixum scalæ. Ne autem parum consolationis haberet in ista visione sicut Pharao bis septem boves, et bis septem spicas (*Gen.* XLI) videns non est lætificatus hac visione, quam ignoravit. Ne, inquam, iste Israel similiter ignorans mysterium visionis parum inde haberet consolationis, tu dedisti ei scientiam sanctorum, pandens ei mysteria in eodem loco faciendorum mirabilium tuorum. Unde cum evigilasset de somno ait : « Vere Dominus est in loco isto, pavensque, quam terribilis est, inquit, locus iste, non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cœli (*Gen.* XXVIII, 16, 17) : » ac si aperte diceret : Vere Dominus, qui mihi apparuit in scala, hic nasciturus est. In cujus typo erexit lapidem in titulum, fundensque oleum desuper, significans aperte illic nasciturum Christum « filium olei, » sicut dicit Isaias : « Vinea facta est dilecto in cornu filio olei (*Isa.* v, 1), » qui est perunctus et perfusus oleo lætitiæ. Nimirum talis visio, talisque visionis

Digitized by Google

manifestatio Jacob exsulanti magna fuit consolatio. Sed nondum fuit de omnibus tribulationibus suis liberatus, quia postmodum veniens ad Laban avunculum suum, cum serviret ei pro filia sua Rachel, laboravit. Sed tu Deus honestasti illum in laboribus, et complesti labores illius, atque in fraude circumvenientium illum affuisti, et honestum eum fecisti, potitum videlicet nuptiis optatæ dilectæ sibi Rachelis, natisque illi probis filiis de duabus uxoribus, et earum ancillis, atque amplificatis illi gregibus ovium, cæterisque divitiis, quibus in terra peregrinationis factus est homo inclytus. Attamen per hæc multa commoda Israel ille non fuit liberatus de omnibus angustiis ac tribulationibus suis. Nam revertentem illum in terram Patrum suorum persequebantur inimici sui, Laban scilicet cum suis. Et tu custodisti eum ab inimicis, et a seductoribus tutasti eum, comportato acervo lapidum in pacis ac fœderis testimonium inter ipsum et socerum. Sed nondum fuit illi plena liberatio ex omnibus tribulationibus. Nam juxta Jacob luctabatur contra illum angelus, in qua luctatione flendo et rogando fuit anxiatus. Sed tu certamen hoc fortissimum dedisti illi, ut vinceret, et extorta benedictione ab angelo sciret, quoniam omnium potentior est sapientia. Post hæc venditum filium suum justum non dereliquisti in vinculis, cui clementer adfuisti, donec afferres illi sceptrum regni et potentiam adversus eos, qui eum deprimebant. Quo audito, quia viveret atque dominaretur in tota terra Ægypti, tunc primo dixit Israel : « Sufficit mihi : vadam, et videbo eum (*Genes.* XLV, 28). » Viso ergo filio suo Joseph in gloria magna, sufficiens illi tunc primum fuit consolatio, quia tunc liberatus fuit ille Israel ex omnibus tribulationibus suis.

Ita nunc libera, Deus, totum Israel deducendo eum per vias rectas, et ostendendo illi regnum Dei, et dando illi scientiam sanctorum, honestando illum in laboribus, et complendo labores illius, in fraude circumvenientium illum assistendo, et honestum eum faciendo, custodiendo eum ab inimicis, et a seductoribus tutando illum. Et certamine forti luctantem in precibus et fletibus fac illum vincere, atque benedictionem gratam obtinere, ut sciat, quoniam omnium potentior est sapientia. Sic enim, testante Osea propheta, ille primus Israel « in fortitudine sua directus est, et invaluit ad angelum (*Ose.* XII, 3, 4). » Atque ut clarescat, quo genere luctandi invaluit ad angelum : « Flevit, » inquit, « et rogavit eum (*Ose.* IV). » Tali precum lacrymarumque luctamine superatus angelus benedixit eum in eodem loco, appellando eum Israel, qui ante dictus est Jacob. Eodem ergo modo tu Deus, qui liberasti illum Israel, totum nunc *libera Israel*, nec desistas illum consolari ostendendo ei claritatem veri Joseph dominantis in tota hujus mundi Ægypto, quoadusque illius gloria comperta et experta per gratiosa ipsius munera dicat : « Sufficit mihi : vadam, et videbo eum, antequam moriar (*Gen.* XLV, 28). » Et videbo eum nunc per speculum et in ænigmate, antequam moriar : facie vero ad faciem, postquam moriar : nunc videbo illum dominantem in tota terra Ægypti ; tunc videbo eum regnantem in cœlo, destructo regno Ægypti, nunc videbo eum in Ægypto fratres pascentem, cunctisque populis frumenta distribuentem, regiæque servituti omnia subdentem : tunc autem videbo eum panem angelorum existentem, deque sua gloriosa visione angelos et homines pascentem atque in paternæ majestatis claritate fulgentem. Ut ergo libera et læta mente talia possit fari omnis Israel, tu *Deus libera* omnem *Israel ex omnibus tribulationibus suis.* Memores nunc in fine illius versiculi, qui Psalmo præsenti coinsertus, ubi dictum est : *Universæ viæ Domini misericordia et veritas*, dicimus :

Gloria Patri Domino. *Gloria Filio* veritati. *Gloria Spiritui sancto* misericordiæ. Gloria uni Domino veraci et misericordi : metuendo propter veritatem diligendo propter misericordiam. Amen.

PSALMUS XXV.

Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum. Titulus notus est, qui talis est (VERS. 1, :

PSALMUS DAVID (57).

Non Christo mediatori vero David *psalmus* iste attribuitur, sed cuilibet perfecto, de quo hoc modo agitur. Primo commistus malis ostendit se ab eis morum qualitate divisum. Secundo petit ab eisdem in judicio etiam localiter separari. Intentio est, ut moneat vitare consortia malorum, et adhærere justis, quia mores ex convictu formantur.

Potest autem congruentissime hic *Psalmus* assignari eidem David pœnitenti, qui in persona pœnitentis Ecclesiæ, vel etiam cujuslibet unius hominis pœnitentis loquitur in *psalmo* præmisso. Nam pœnitens *David*, pœnitens Ecclesia, et unaquæque pœnitens persona post confessionem veritatis et misericordiæ præmissam convenienter orat, ut per eamdem misericordiam et veritatem Domini tandem discernatur ab impiis. *Judica me*, inquit, *Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum.* Et ut merito in futuro discernatur ab impiis, discernit se a præsenti, et dicit : *Non sedi cum concilio vanitatis,*

(57) Vulgata : *In finem, Psalmus David.*

Digitized by Google

et cum iniqua gerentibus non introibo. Nunc latius prosequenda sunt verba *psalmi*.

Judica me, Domine. Cum interdum ponatur *judicium* pro *damnatione*, ut ibi : *Qui non credit, jam judicatus est* (*Joan.* III, 18) : Interdum pro discretione, ut illic : *Judica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta* (*Psal.* XLII, 1). Non rogo judicium damnationis, sed judicium discretionis. Nunc enim sum in magna confusione, in magna Babylonia, in magna perturbatione videns bonos cum malis, grana cum paleis, zizania in medio tritici, ita ut vix aliqua discretio inter has diversitates possit notari, cum sit magna differentia inter duos dominos, quibus duobus nemo potest pariter servire, interque ultima eorum præmia. Ut ergo sicut inter ipsos duos dominos, et eorum extrema præmia, sic etiam inter eorum diversos ministros manifesta sit differentia, tu melior, Domine, cui ego elegi adhærere, *judica me*, id est discerne me a ministris alterius domini, ut non simus in una massa confusi, licet in unum vas amplum mundi istius infusi. *Oleum effusum nomen tuum* (*Cant.* I, 3) : quia tibi, Domine Jesu Christe, datum est nomen quod est super omne nomen. Sicut oleum superat omnem liquorem, cujus etiamsi una gutta esset in fundo maris, naturali motu ad superficiem emergeret, et toti mari supernataret. Multo magis in parvo vase aliis liquoribus commixtum oleum semper tenet summum, neque cum eis infusum patitur se pariter cum illis esse confusum : sic, o Domine, cui e duobus dominis elegi servire, tuum nomen est super omne nomen. Nec mirum, quia tu es perunctus oleo lætitiæ, tu es conceptus Spiritu sancto, qui in principio tanquam oleum ferebatur super aquas, jam tunc præsignando, quod id conferat sua unctio, ut quisque inde perfusus aquis abyssi non deberet esse confusus. Et tu quidem, Domine Jesu Christe, habes in te hujus olei lenitudinem, et de plenitudine tua cæteri electi tui accipiunt, unde confusionem hujus abyssi, super quam tenebræ sunt, evadunt.

Et ego pœnitens Ecclesia, vel ego pœnitens psalmista, qui in superiori psalmo lamentatione usus væ sempiternum desideravi evadere, vellem nunc tanquam de percepta venia exsultare in carmine lætitiæ, secundum quod illa tria sunt visa in libro, *lamentationes* scilicet, et *carmen et væ*. Sed quomodo cantabo canticum, vel carmen in terra aliena, permaxime in tanta Babylonicæ confusionis perturbatione, ubi nescio, utrum odio, an amore dignus sim? propterea in hoc psalmo discerni desidero, ut in subsequenti psalmo discretus ab impiis læto carmine concelebrem, quod Dominus illuminatio mea sit, et salus mea, et protector vitæ meæ. Quandiu enim perversis ita sum confusus atque commistus, ut mihi nullatenus appareat, utrum oleo illo sim perunctus, quod est, effusum nomen tuum, cum tamen dicar christianus ex nomine tuo denominatus : non audeo ex fiducia solius nominis vindicare mihi vocem carminis, ut dicam : *Dominus illuminatio mea, et salus mea* (*Psal.* XXVI, 1). Hoc ergo, ut ex bona fiducia conscientiæ audeam, tu, Domine, *judica me*, discerne me, fac ut sit differentia evidens, certa et aperta in mea et malorum conversatione, quibus etsi non renuam in area una conjungi per corporalem communionem et localem interdum commansionem, tamen desidero differentem ab eis conversationem, et conversationis intentionem, per quam discretus ab eis inveniar, et nunc secundum judicia diversorum meritorum, et in futuro secundum judicia diversorum præmiorum. Propterea clamo et dico : *Judica me, Domine*, provocatus etsi non ex merito bonorum operum meorum, tamen ex merito fidei, per quam de nocente innocens factus sum.

Quoniam ego in innocentia mea ingressus sum. Etsi nocens de utero matris egressus sum propter peccatum Adæ, in quo omnes peccaverunt, in quo et ego peccavi; etsi, inquam, nocens sum egressus de utero matris, de vulva gratiæ paradisiacæ, tamen *in innocentia mea ingressus sum* in uterum gratiæ per baptismum, in quo eos, quos aut sexus in corpore, aut ætas discernit in tempore, omnes in unam parit gratia mater infantiam, ita ut omnes hoc lavacro absoluti in novam innocentiam renascantur, et qui filius peccati est immersus, proles cœlestis emergat. Sic ego ad baptismum *ingressus sum in innocentia mea*, non quam illuc attulerim, sed quam illic acceperim. Quid enim habeo boni, quod non acceperim : Si autem accepi, nolo gloriari, quasi non acceperim quærens meam gloriam. Sed volo gloriari in te, Domine, per quem accepi hanc innocentiam, de qua nunc dico : *Quoniam ego in innocentia mea ingressus sum.*

Sic dicimus *panem nostrum quotidianum*, non quod ex nostro merito noster sit ille panis angelorum, sed ex dono gratiæ; sic dicimus : *Pater noster, qui es in cœlis, non quod simus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis* (*II Cor.* III, 5), unde ille sit Pater noster, sed quod sufficientia nostra ex ipso sit, qui nos in filios adoptavit. Ita et ego nunc dico : *Quoniam ego in innocentia mea ingressus sum*, non quod ex me mihi sit ulla innocentia, sed ille, ut agnus innocens pro me passus est, qui primitus in baptismo aquæ et Spiritus, deinde in baptismo veræ pœnitentiæ vellere me vestivit suæ innocentiæ. Ideo ex confidentia fidei nunc dico : *Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum.* Primitus ad baptismum, deinde iterum perdita innocentia mea *ingressus sum ad pœnitentiam in innocentia mea.* Vere *mea*, quia mihi per gratiam data, non quia per merita comparata fuit hæc innocentia.

Duobus etenim gressibus ad Dominum tendimus, intentionis videlicet et actionis. Per intentionem ingredimur, per actionem egredimur. Et fieri potuit quod egressus meus alicui nocuit, qui in actione mea offendiculum invenit. Sed ingressus meus, quantum ad intentionem, nullius hominis

Digitized by Google

machinatur læsionem, sed correctionem, sed emendationem, sed meliorationem, sed vitiorum prohibitionem vel cohibitionem atque virtutum ædificationem. Ideo dico quod *in innocentia mea ingressus sum*, quia intentione mea nullius malignitatis mihi conscius sum, etiam cum de meo per actionem egressu alicui aliquod evenit nocumentum.

Hebraica veritas habet : *Judica me, Deus, quia ego in simplicitate meu ambulavi.* Cui sensui satis congruit, quod de innocentia intentionis meæ dixi, quæ intelligitur ille simplex oculus, qui totum corpus lucidum reddit, cum ipse in simplicitate sua opus dirigit. In hujus oculi simplicitate ambulavi, cum intentionis innocentiam servare curavi, etiam in illis operationum gressibus, de quibus aliquis est offensus. De illo sane tempore hoc dictum volo accipi, quo me, vel post baptismum in innocentia et simplicitate servari, vel eamdem innocentiæ simplicitatem per pœnitentiam recuperare studui eo meliorationis et emendationis studio, in quo usque ad mortem perseverare volo cum divino adjutorio. Nam si in me confiderem, scio quod deficerem. Nunc autem in Domino confido, *et in Domino sperans non infirmabor*, quoniam *qui sperant in Domino, mutabunt, et habebunt fortitudinem, current, et non lassabuntur, assument pennas, ut aquilæ volabunt, et non deficient* (*Isa.* XL, 31). Ideo et ego *sperans in Domino non infirmabor*, aut movebor ut hypocritæ, aut schismatici qui, ut videantur justi et sancti, nolunt esse inter malos, cum sint ipsi pejores, qui tanquam leves paleæ jam ante ventilationem a vento superbiæ rapiuntur. Ego autem non tanquam superbus rogo sequestrari a malis per ventum elationis, ut appaream sanctior illis in conspectu hominum, sed ut inveniar innocens in conspectu tuo, Domine. Licet enim dixerim, quod *in innocentia mea ingressus sum ;* tamen quia delicta nullus intelligit,

VERS. 2. *Proba me, Domine, et tenta me.* Id est probando, non reprobando *tenta me*, sicut tentasti Abraham. Probationibus, et tentationibus ostende me, non tibi, sed me mihi, ut et ego puniam mala per secretum pœnitentiæ remedium, et non inveniar aliis pravitatis exemplum. Non sinas me tentari ab illo tentatore, qui non tentat, nisi ut seducat. Sed tu ipse, qui tentas, ut probes, *proba me, et tenta me.* Atque si quid æruginis invenis apud me, *ne tradas bestiis animam confitentem tibi* (*Psal.* LXXIII, 19). Sed tu ipse

Ure renes meos et cor meum. In renibus delectationes, in corde regnant cogitationes. Tu ergo *renes meos*, ne quid mali delectet me, *et cor meum*, ne quid mali cogitem, vehementer *ure* igne illo, quem misisti in terram, et voluisti vehementer accendi. Scio quia *fortis est ut mors dilectio, dura velut infernus æmulatio. Lampades ejus lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem* (*Cant.* VIII, 6, 7). Hujus ergo inextinguibili ardore *ure renes meos, et cor meum*, ut nihil me delectet cogitare, nisi quod ignis charitatis examinando probaverit, ita ut de me dici possit : *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Sed si igne tribulationis urendum judicas *cor meum et renes meos*, non me sinas tentari supra id quod possum ferre, sed prius *proba me* clementer pensando, quid valeam patienter et utiliter ferre in tentatione tribulationis, et *tenta me* præmissa videlicet misericordiæ probatione, ne forte reprobus inveniar, si nimiis tribulationibus oppressus fuero, quas ferre non potero cum patientia. Magis autem rogo probari, tentari et uri per ignem purificantis dilectionis, quam per ignem purgatoriæ tribulationis, quoniam in altero est opus misericordiæ, in altero opus justitiæ, quorum, cum sit utrumque laudabile, opus misericordiæ plus est amabile ac desiderabile ; ideo præcipue in igne charitatis rogo uri secundum misericordiam tuam :

VERS. 3. *Quoniam misericordia tua ante oculos meos est*, et hæc magis desiderabilis est. Veruntamen, si necesse fuerit, etiam per ignem tribulationis aliquas maculas meas emundari, non recuso etiam per hunc ignem probari, quod est opus veritatis et justitiæ, quoniam placet mihi veritas, quæ tibi, Deus, placet.

Et complacui in veritate tua. Quandiu mihi veritas justitiæ displicuit, ego quoque displicui. Sed quam cito mihi veritas placuit, quæ tibi placet, ego pariter *complacui* tibi cum ipsa *veritate*, in qua velut in speculo prælucido mihi displicui deformatus peccato et mendacio. Sed *complacui* mihi *in veritate*, detersis maculis mendaciorum a facie mentis meæ, per veram confessionem peccatorum, et veram conversionem a vanitate ad veritatem. Vultis scire quam fuerim amicus veritatis? At prius audite quam fuerim inimicus vanitatis. Cum enim vanitas et veritas inter se contraria sint, prius congruit odisse vanitatem, deinde amare veritatem : nam vanitatis et veritatis amor in eodem corde se non capit.

Atque ut utriusque rei habeas cognitionem, accipe utriusque descriptionem. Vanitas est, quæ ita, ut videtur, non permanet, sed videntium intuitus deludit, atque inter oculos videntium et videre cupientium subito evanescit. Veritas est, quæ ita, ut creditur aut videtur, permanet in æternum. Sed inter multas vanitates in mundo sub sole tumultuantes una est vanitas, quæ dicitur vanitas vanitatum, diabolicum scilicet mendacium, quod tam ita est, ut videtur, dum ipse diabolus, qui mendax est, et pater ejusdem mendacii, vel seipsum fingit similem altissimo, vel eamdem similitudinem divinæ altitudinis promittit hominibus male sibi credulis. Licet enim angelo dictum sit : *Tu signaculum similitudinis Dei* (*Ezech.* XXVIII, 12) ; et licet homo sit creatus ad imaginem et similitudinem Dei (*Gen.* I, 27) ; tamen sic appetenda est utrique similitudo

Digitized by Google

divinæ bonitatis, ut neuter sibi vindicare præsumat similitudinem divinæ altitudinis; quam quia principalis angelus vana et falsa gloriatione sibi usurpavit, jure dejectus ab altitudine cœli tenetur ligatus rudentibus inferni, quoadusque in extremo judicio præcipitetur in profundum inferni : et tunc apparebit quam vere sit vanitas vanitatum sive falsitas falsitatum illud ipsius mendacium, quo vel sibi altitudinem Dei arrogavit, vel eamdem fallaciter homini promisit; nunc interim, licet rudentibus inferni, detractus de cœlo, sit ligatus in hoc aere caliginoso, adhuc fallaciter sibi vindicat similitudinem divinæ altitudinis, cum se suadet quasi Deum adorari, et coli vel apud paganos in simulacris manu factis aliisque creaturis, vel apud christianos in simulacris missarum, quas cantant hæretici cæteri- B que anathemizati, aut officiis privati. Sicut enim pagani diabolum honorant, et Deum verum inhonorant reverentiam Deitatis exhibendo simulacris non habentibus Spiritum [*neque enim est Spiritus in ore ipsorum* (*Psal.* CXXXIV, 17)], sic etiam perversi et falsi christiani Christum verum Deum, et Spiritum sanctum inhonorant reverentiam divinam exhibendo interdictis hæreticorum ac schismaticorum officiis, habentibus quidem speciem pietatis in sacramentalibus consignationibus, quæ fiunt ritu ecclesiastico, sed virtutem pietatis, quæ Spiritus sanctus est, abnegantibus. Hujus rei testes sunt Leo papa, Gregorius papa, Pelagius papa, Cyprianus martyr, Augustinus episcopus, et il- C lustris vir Hieronymus cum aliis Patribus orthodoxis, quorum ex parte subnectimus testimonia, ne videamur sine auctoritate interdicta hæreticorum vel schismaticorum reprobare officia.

Leo papa Leoni Augusto in Epistola, quæ sic incipit : *Litteras clementiæ tuæ, plenas virtute fidei et lumine veritatis venerabiliter accepi. Apud christianissimum*, inquit, *principem et inter Christi prædicatores digno honore numerandum utor catholicæ fidei libertate, et ad consortium te prophetarum et apostolorum securus exhortor, ut constanter despicias ac repellas eos, qui se ipsos christiano nomine privaverunt.*

Et post pauca : *Nonne perspicuum est, quibus* D *pietas vestra succurrere, et quibus debeat obviare, ne Alexandrina Ecclesia, quæ semper fuit domus orationis, spelunca nunc sit latronum? Manifestum quippe est per crudelissimam immanissimamque vesaniam omne illic cœlestium sacramentorum lumen exstinctum, intercepta est sacrificii oblatio, defecit chrismatis sanctificatio, et parricidialibus manibus impiorum omnia subtraxere mysteria. Magnum ergo vobis est, ut diademati vestro etiam fidei corona addatur de hostibus Ecclesiæ triumphatis. Sacerdotale zamque et apostolicum tuæ pietatis animum etiam hoc ad justitiam ultionis accendere debet, quod Constantinopolitanæ Ecclesiæ puritatem pestilentes obscurant, in qua inveniuntur quidam clerici hæretico-* A *rum sensui consonantes, et intra ipsa catholicorum viscera assertionibus suis hæreticos adjuvantes. In quibus deturbandis, si frater meus Anatolius, cum nimis benigne parcit, segnior invenitur; dignemini per fidem vestram, et istam Ecclesiæ præstare medicinam, ut tales non solum ab ordine clericatus, sed etiam ab urbis habitatione pellantur, ne ulterius sanctus Dei populus perversorum hominum contagio polluatur.*

Gregorius papa in moralibus, libro XXXV : *Notandum magnopere est quod conversionis suæ sacrificium amici Job Domino non per se, sed per Job jubentur offerre. Ait enim :* Job autem servus meus orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia; *ac si aperte hæreticis dicat : sacrificia vestra non suscipio, petitionum vestrarum verba non audio, nisi per intercessionem illius, cujus professionis verba de me veracia recognosco.*

Et post pauca : *Salutem vestram per catholicam Ecclesiam, quam diligo, postulate. Ipsi enim volo dimittere id, quod mihi in ipsa deliquistis, ut hæc vestram incolumitatem obtineat, quæ ex vestro languore laborabat. Sola quippe est, per quam sacrificium Dominus libenter accipiat, sola, quæ pro errantibus fiducialiter intercedat. Unde etiam de agni hostia Dominus præcepit dicens : « In una domo comedetur, nec efferetur de carnibus ejus foras* (*Exod.* XII, 48). » *In una vero domo agnus comeditur; qui in una catholica Ecclesia vera hostia Redemptoris immolatur. De cujus carnibus divina lex efferri foras prohibet, quia dari Sanctum canibus vetat.*

Pelagius papa Joanni Patricio : *Noli catholicam semper mentem aliqua schismaticorum communione polluere. Unum Christi corpus, unam constat esse Ecclesiam. Divisus ab unitate veritatem corporis Christi non potest consecrare. Ab Ecclesiæ visceribus divisus, et ab apostolicis sedibus separatus dissecrat potius, non consecrat. Noli ergo quasi nulla schismaticorum, aut Ecclesiæ sit differentia, velle indifferenter utrorumque sacrificiis sociari. Non est enim Christi corpus, quod schismaticus conficit, si veritate duce dirigimur.*

Cyprianus ad magnum presbyterum. *Invenimus in tali facinore non solum duces et auctores, sed et participes pœnis destinari, nisi se a communione malorum separaverint, præcipiente Domino per Moysen:* separamini a tabernaculis istorum hominum durissimorum, et nolite tangere ab omnibus, quæ sunt eis, ne simul pereatis in peccato eorum (*Num.* XVI, 26). *Et quæ criminatus Dominus fuerat, per Moysen implevit, ut quisquis se a Core et Dathan et Abiron non separasset, pœnas statim pro impia communione persolveret. Quo exemplo ostenditur, et probatur obnoxios omnes culpæ et pœnæ futuros, qui se schismaticis contra præpositos, et sacerdotes irreligiosa temeritate miscuerint : sicut etiam per Osee prophetam Spiritus sanctus attestatur, et dicit :* sa-

Digitized by Google

crificia eorum tanquam panis luctus : omnes qui manducant eum, contaminantur, *docens scilicet et ostendens omnes omnino cum auctoribus supplicio conjungi, qui fuerint peccato eorum contaminati.*

Augustinus in sermone de blasphemia Spiritus sancti. *Potest esse visibilis forma palmitis, etiam præter vitem ; sed invisibilem vitam radicis habere non potest, nisi in vite. Proinde corporalia sacramenta, quæ portant, et celebrant etiam segregati ab unitate corporis Christi, formam possunt exhibere pietatis ; virtus vero pietatis invisibilis et spiritualis ita in eis non potest esse, quemadmodum sensus non sequitur hominis membrum, quando amputatur.*

Hieronymus in sermone De agno paschali : *Non putemus agnum istum ubique posse comedi. Præcipitur nobis, ut in una eum comedamus domo, id est ne extra Ecclesiam immolari putemus. Ex quo manifestum est quod Judæi et hæretici, et omnia conventicula dogmatum perversorum, quia in Ecclesia non comedunt, non eos agni carnes, sed draconis comedere, qui datus est in escam populis Æthiopum. Nos vero comedimus azyma sinceritatis et veritatis.*

His testimoniis munitus ego amator veritatis, ex quo *complacui in veritate*, separavi me a vanitate, atque amicus veritatis.

Vers. 4. *Non sedi cum concilio vanitatis* illius, præcipue vanitatis, quæ est vanitas vanitatum propter excellens diaboli mendacium, quo se fingit Altissimo assimilatum. Cum enim, teste Samuele, sit *quasi sceleris idololatriæ non obedire, et quasi peccatum ariolandi nolle acquiescere* (*1 Reg.* xv, 23), quis non facile animadvertat, quod omnis clericus, qui contra sedis apostolicæ obedientiam sacrificare præsumit, abnegata virtute pietatis, operatur mysterium iniquitatis, in quo signis mendacibus ita simplex seducitur populus, ut propter signorum, id est visibilium sacramentorum indifferentiam nullam putet esse differentiam inter missas catholicorum, quæ canuntur per obedientiam, et missas conductitiorum, simoniacorum publicorum, et manifeste incestuosorum presbyterorum, quæ canuntur contra Ecclesiæ interdicentis obedientiam ? Est autem permaxima differentia, quia in missis catholicorum recognoscitur veritas veritatum, quæ dicit : *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* xxii, 19). Cui dicenti : *Hoc facite*, salubriter obeditur ab eis, quibus illud dicitur. Dicitur autem hoc discipulis veritatis; non sedentibus *in concilio vanitatis*, in quo sedent super cathedras pestilentiæ, qui celebrant sacramentum summæ obedientiæ cum crimine pertinacis inobedientiæ, in quorum sub anathemate vel excommunicatione interdictis missis recognosci potest vanitas vanitatum mentiente Antichristo, quod sit ipse similis Christo, mentiente diabolo, quod sit ipse similis Altissimo. Sicut enim Pharao per suos magos in similitudine signorum certans contra Moysen et Aaron contendebat videri similis Domino : sic modo Antichristus vel diabolus per suos clericos in Ecclesia negotiantes cum Simone mago, et fornicantes cum Nicolao, atque insuper interdicta officia præsumentes contendit contra veritatem per sacramentorum similitudinem, in quibus tamen non magis operatur digitus Dei, Spiritus veritatis, quam in falsis signis magorum Pharaonis, excepto sane baptismi sacramento, quod etiam per quemlibet laicum ritu ecclesiastico celebratum sine dubio ratum est.

Huc accedit quod hujusmodi pseudoclericis non est interdictum nisi altaris officium et ecclesiasticum beneficium altaris ministris debitum. Tolerando ergo illos baptizantes, aut alia officia minora quædam administrantes, in interdicto illis altaris ministerio eis nolo communicare, ne inveniar sedens in *concilio vanitatis* contra obedientiam veritatis, quæ sedis apostolicæ præsulibus docet abstinendum a talibus.

Utrum vero conficiatur Christi corpus in eorum missis necne, superfluum est investigare, cum sine dubio illud constet quod ipsæ tales missæ sub excommunicatione sunt interdictæ a Leone IX et a papa Nicolao, sicut successor eorum Alexander papa contestatur dicens : *præcipiendo mandamus ut nullus missam audiat presbyteri, quem scit indubitanter concubinam habere, aut subintroductam mulierem. Unde etiam sancta synodus hæc a capite sub excommunicatione statuit dicens : Quicunque sacerdotum, diaconorum, et subdiaconorum post constitutum beatæ memoriæ prædecessoris nostri sanctissimi papæ Leonis, aut Nicolai de castitate clericorum concubinam palam duxerit, vel ductam non reliquit, ex parte omnipotentis Dei auctoritate beatorum apostolorum principum Petri et Pauli præcipimus, et omnino contradicimus, ut missam non cantet, neque evangelium, aut epistolam ad missam legat, neque in presbyterio cum his ad divina officia, qui præfatæ constitutioni obedientes fuerint, maneat, neque partem ab Ecclesia suscipiat.*

Hæc de incestuosis dicta sufficiant, ne quis dubitet sub excommunicatione interdicta esse illorum officia, et omnino respuenda sacrificia. Nunc de conductitiis, eorumque conductoribus, et omnibus in domo Dei negotiantibus : quod anathemati subjaceant, assertio nostra posset requiri. Sed ea est necessaria, cum hoc plenissime confirmet Paschalis papæ decretalis Epistola Mediolanensibus directa, in qua sic dicit : *Æternæ mortis crimen incurrit, quisquis, dum potest, fratrem a morte non defendit. Nos quoque qui excellentiæ vestræ summum discrimen audivimus, summi reatus pœnam incurrimus, si tacemus, Domino prophetante, qui profecto sanguinem fundit, qui iniquitatem impunitum tacendo dissimulat. Audivimus enim quod vix credi miramur, quod sacri apud vos ordines pecuniis distrahuntur, dum quicunque tale aliquid acceperint omnino hæretici comprobentur Spiritu sancto per Gregorium intonante, quia quisquis per pecuniam ordinatur, ad hoc, ut fiat hæreticus, promovetur. Et*

Digitized by Google

ut nostræ paginulæ hujus non præsumptionis, sed timoris causam fuisse monstremus, beatus idem prosequitur : Quisquis contra Simoniacam, et neophytorum hæresim pro officii sui loco vehementer non arserit, cum eo non se dubitet habere portionem, qui prius hoc piaculare commisit flagitium. *Quibus in verbis cum Simoniaca et neophytorum hæresis exprimatur, quia æterna morte dignissimum crimen sit, apertissime declaratur protestante per Augustinum divino oraculo, ac dicente :* Firmissime tene, et nullatenus dubites omnem hæreticum, vel schismaticum, quamvis multas eleemosynas faciat, vel etiam pro Christo sanguinem fundat, cum diabolo et angelis ejus æterni ignis incendiis mancipandum, nisi ante finem hujus vitæ catholicæ incorporatus et redintegratus fuerit Ecclesiæ. *Hinc est, quod Dominus vendentes et ementes de templo ejecit, Dathan et Abiron viventes terra deglutivit, Simonem quoque Magum tentantem Petrus damnavit, omnesque Simoniacos ecclesiasticis jaculis perpetuo unathemate damnavit. Et turpe nimis est, ut in plenissimo jam rigore confirmata Ecclesia tam ferali inimico succumbat, de quo in primordio suæ infantiæ tanta virtute triumphabat. Si quis autem objecerit non consecrationes, sed res ipsas, quæ ex consecratione proveniunt, vendi, videtur quidem aliquid dicere, nihil aut m penitus sapere. Nam cum Ecclesiæ aut episcopus aut abbus, aut tale aliquid sine rebus corporalibus et exterioribus in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore temporaliter vivit, quisquis eorum alterum vendit, sine quo alterum eorum haberi non provenit, neutrum invenditum derelinquit. Quam tamen objectionem sacer penitus canon exterminat, cum procuratorem, vel defensorem Ecclesiæ, vel regulæ subjectum a Deo per pecunias ordinari prohibet, ut interventores quoque tanti sceleris anathematis mucrone succidat. Quid plura? si anathemizati et excommunicati, et ut vere hæretici, Simoniaci et neophyti a numero sunt fidelium et Ecclesiæ separati, quis non videat, quod hujusmodi sacerdotum, vel clericorum missæ et orationes Deum ad iracundiam super populum provocent, quem placari talibus credebamus? Scriptum est enim : « Omne, quod non est ex fide, peccatum est (Rom. XIV, 23). » Et iterum : Veri sacrificii locus extra catholicam Ecclesiam non est. Unde dicitur : Hæreticum hominem post primam, et secundam correptionem devita. Quomodo ergo tales episcopos, vel abbates, vel reliquos clericos devitamus, si eorum missas audimus, cum quibus si vel oramus, excommunicationem subimus? Quos quidem sacerdotes esse saltem credere omnino errare est, cum Petrus Simoni dicat : « Pecunia tua tecum sit in perditione, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri (Act. VIII, 20). » Ubi cum « existimasti » dicitur, patet quia non pro eo quod fecerat, sed quia se facere posse crediderat, condemnatur. Et nos sub anathemate interdicimus id ipsum de hæresi Simonia, sicut sancta decrevit synodus, nullum aut ecclesiarum consecrationem, aut archipresbyteratum, aut commendationes altarium, aut traditiones Ecclesiarum vendere : quisquis conduxerit, aut vendiderit, aut emerit, anathema sit. Amen. Et responderunt omnes tertio : Fiat, fiat.*

Audiant ista conductitii et conductores clerici, atque ex his, quæ dicta sunt pateater animadvertant se subjacere anathemati, ac proinde in suis interdictis officiis jure debere contemni una cum incestuosis Nicolaitis. Illud sane volumus non ignorari, quod occultæ negotiationes et fornicationes clericorum servandæ sunt in judicium futurum. Quorum vero peccata manifesta sunt præcedentia ad judicium, et de quibus, ut jam præmonstratum est, jam factum est judicium, sic sunt cavendi in suis interdictis officiis, ne dum per eorum interdicta sacrificia operatur mysterium iniquitatis diabolus vel Antichristus, injurietur Deus Christus, qui, cum sit Altissimus, et Filius Altissimi vocetur, atque solus mysterium justitiæ ac pietatis in officiis licitis, et non interdictis operetur, quisquis interdictus et officio privatus præsumit sacrificare sancta Ecclesia Romana per suos pontifices contradicente, imo in ipsis Domino Jesu Christo prohibente, in eadem invenitur vanitate vanitatum se Altissimo parificare, seu præferre, in qua diabolus est locutus : *Ero similis Altissimo* (*Isa.* XIV, 14). Nempe dum interdictæ missæ non interdictis parificantur et assimilantur, vanis et falsis assertionibus vanitas vanitatum, seu falsitas falsitatum invenitur in ore fabricantium tale mendacium, quod cum primo diaboli mendacio recte censetur exsecrandum, licet in monte testamenti, in lateribus aquilonis conflatum inveniatur, dum quasi de Novo et Veteri Testamento videtur quibusdam quasi auctoritatibus communitum.

Non enim ignoramus multos valenter litteratos hoc affirmare, quod missæ interdictæ, quandiu eas episcopus quilibet in suo episcopatu tolerat, sint indifferenter audiendæ, licet Ecclesia Romana prohibente. Atque ista litteratorum clericorum assertio in tantum convaluit, *ut in errorem ducantur, si fieri potest, etiam electi* (*Matth.* XXIV, 24). Verum qui vere sunt electi, si fuerint in hunc errorem inducti, in hac vita resipiscunt, aut in futuro purgatorias pœnas tolerabunt pro eo quod contra Ecclesiam Romanam sentiunt. Mihi autem absit contra sanctam Romanam Ecclesiam credere alicui, etiamsi linguis hominum loquatur et angelorum, etiamsi fulgeat virtutibus miraculorum; quoniam qualiscunque meriti sit, qui contra fidem Petri sentit, quique successoribus ipsius legitimis in ratione fidei catholicæ non consentit, portabit judicium, quicunque est ille, etiamsi de numero fuerit electorum. Sic beatus Gregorius in Dialogo de quodam Paschasio Romanæ Ecclesiæ diacono scribit, qui, cum esset insignis Dei famulus, cultor pauperum, contemptor sui, et luculentissimos de Spiritu sancto libros ediderit, adeo sanctus, ut attactu feretri, in quo ipse defunctus ferebatur, dæmoniacus fuerit libera-

Digitized by Google

tus, tamen post mortem gravissimas pœnas exsolvit pro eo, quod contra Symmachum papam cum Laurentio sensit, non in summo negotio fidei, sed in ipsius papæ Symmachi electione, cui prædictus Paschasius voluisset, si salva pace Ecclesiæ potuisset, Laurentium prætulisse. Quanto magis ergo in summo fidei sacramento periculosa et perniciosa est dissensio, periculosa electis in errorem ductis, perniciosa malis in eumdem errorem, quos possunt, inducentibus, et ipsum errorem pertinaciter defendentibus? Nam revera errantes, et in errorem quos possunt, mittentes, nisi resipiscant, æternaliter damnabuntur. Boni autem per eos decepti, sicut prædictus Paschasius, qui culpam suam in hac vita non deflevit, quam nec culpam esse credidit, si de hac vita in hac deceptione rapiuntur, in alia purgabuntur.

Ego autem pauper David pauper et pœnitens arbitratus multo melius in hac vita emendari, quam in alia cruciari, ne forte reprobus inveniar, hoc oro ut in hac vita probes me : ideo dico tibi, Deus meus, qui es Veritas veritatum, cui displicet omnis vanitas, maxime vanitas vanitatum; tibi, inquam, dico : *Proba me* in hac vita, *et tenta me*; *ure renes meos*, ne me delectent vana : *ure cor meum*, ne libenter cogitem vana, vel credam illa esse vera, quæ vana sunt, maxime officia et sacrificia interdicta, in quibus deprehensa est vanitas vanitatum a sanctis Patribus, quorum testimonia supra posuimus, in quibus testimoniis vanitatem reprobantibus, misericordiam vero et veritatem commendantibus *misericordia tua ante oculos meos, et complacui in veritate tua*, quam sonant prædicta testimonia. Ideo acquiescens testimoniis veritatis, ex quo ea patienter intellexi, *non sedi cum concilio vanitatis* cavens interesse illorum conventiculis, in quorum sacrificiis et officiis interdictis non mysterium veritatis et misericordiæ, sed mysterium est iniquitatis et vanitatis.

Nam etsi, ut plures valenter litterati, contra Ecclesiam Romanam sentientes, contendunt, ibidem conficiatur corpus Christi, non est aliter in manibus eorum, quam fuit in manibus Judæorum crucifigentium, et ideo sunt rei sanguinis et corporis Domini. Attamen sanius hoc inde sentitur quod Ecclesia Romana inde sentit, quæ conductitios et incestuosos ecclesiastico pariter officio et beneficio abjudicavit, neve illorum officia in Ecclesia Dei sustineantur, mandavit. In cujus mandatis exsequendis, licet segnes inveniantur episcopi nonnulli, ego tamen non *sedi cum concilio vanitatis*, vel sicut in Hebræo habetur, *cum viris vanitatis, qui odientes veritatem diligunt vanitatem*, cum his non placet mihi consessio, id est consensio in eorum concilio. Nam etsi eis corporaliter aliquando commiscear, non eis consentiam, neque cum eis approbabo, quod approbant, qui se in temporalibus et vanis rebus beatos putant, quando pro commodis temporalibus et vanis officia interdicta celebrant, vel alia faciunt, quæ videntur bona et non sunt. Et quoniam vanitas ista omnium vanitatum, vanitas et radix est iniquitatum, quamvis interdum sim cum gerentibus iniqua in area Dominica, in qua cum granis palea est ferenda, tamen

Cum iniqua gerentibus non introibo. Quoniam ad ea gerenda nec initium consensionis adhibebo, atque cavebo, adjuvante divina gratia, ut non prævaleant apud me portæ inferi adversus illam fidem, quam a Petro et successoribus ejus didici, quorum testimonia ex parte superius memoravi. Ideo per illas portas inferi, quas aperuerunt hæretici, vel aperiunt, cum sedis apostolicæ interdicta contemnant, *ego cum iniqua gerentibus non introibo.* Sed

Vers. 5. *Odivi ecclesiam malignantium*, id est malignitatis consilia contra proximos machinantium. Nam si quis non dederit eis munera, vel si quis non diligit eorum facta, sanctificant super eum bellum cupientes de cœtu Ecclesiæ separare omnes, qui malignitatibus eorum vel solo verbo audent obviare. Propterea *odivi ecclesiam malignantium*. Non dico simpliciter *odivi ecclesiam;* nec dico, quod oderim ipsos malignantes, quia licet alias non improbabiliter dixerim : *Iniquos odio habui, et legem tuam dilexi* (*Psal.* CXVIII), tamen hac vice non dico ipsos malignantes me odio habere, quia non esset bonum tale odium, præsertim si contra malignos esset malignum; sed *odivi ecclesiam malignantium*, id est odivi hanc oppositionem in adjecto, hanc pugnam in vocabulo contra se diviso, quo illi dicuntur ecclesia, qui non sunt ecclesia, sed sunt malignantes. Cum enim recte dicatur Ecclesia convocatio justorum, Synagoga Satanæ indigna est hoc nomine, ut dicatur Ecclesia. Verum cum dicitur *ecclesia malignantium*, tale est ac si dicatur : animal mortuum quod, si est animal, non est mortuum; si est mortuum, non est animal. Similiter *ecclesia malignantium*, quia est *malignantium*, non est *Ecclesia*, et ideo res est odio digna, quod dicitur Ecclesia. Propterea *odivi ecclesiam malignantium* cupiens ita dici Ecclesiam, ut non sit malignantium, sed vocatio justorum.

Etiam de manufacta Ecclesia eadem stabit sententia, si per Simoniam fuerit consecrata, consonans nobis Alexandro papa, et dicente in suis decretis : *Ecclesia, quæ per pactionem pretii claruerit esse consecrata*, et *ut verius dicatur, exsecrata, nullo modo pro Ecclesia habeatur.* Hæc dicente Romano pontifice nos quoque licenter dicere possumus, quod Simoniace consecratas ecclesias malignantium, vel etiam ecclesias a schismaticis consecratas digne elogio percutiat istud præconium, quo dicit quisque Catholicorum : *Odivi ecclesiam malignantium.*

Et cum impiis non sedebo. Qui sunt *malignantes*, ipsi sunt *impii*. *Malignantes* contra proximum, *impii* contra Deum. *Malignantes* non tenendo fraternam dilectionem, *impii* sentiendo contra veritatem et fidei sinceritatem. In altero schismatica pervesitas, in altero hæretica paret impietas. Et revera : *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum* (*Psal.*

Digitized by Google

1, 1), beatior efficitur, si *cum* eisdem *impiis non sedebit* saltem ad audienda eorum consilia, quia corrumpunt mores bonos confabulationes pessimæ. Ideo hæreticum hominem post primam et secundam correptionem devitans *cum impiis non sedebo*, ne forte in periculum vertatur talis confessio, et eorum sermo, qui ut cancer serpit, etsi non possit me facere impietati consentaneum, faciat saltem contentiosum ad subversionem audientium. Propterea segregatus a cœtu malignantium et impiorum,

VERS. 6. *Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine.* Ordo bonus, primum declinare a malo, dein facere bonum. Nam cum ipsis non sedere, quid est nisi a malo declinare? Bonum vero quis esse dubitet, quod *lavabo inter innocentes manus meas?* In hac fide, quando manus in præparatione divinæ servitutis lavo, dicere soleo : Largire sensibus nostris, omnipotens Pater, ut sicut exterius abluuntur inquinamenta manuum, sic a te mundentur interius pollutiones mentium, et crescat in nobis augmentum omnium sanctarum virtutum. Et sicut ablutus, vestibusque sacris indutus *circumdabo altare tuum, Domine*, ut in sacris officiis *audiam vocem laudis tuæ, et enarrem universa mirabilia tua*, id est misericordiam et veritatem, quæ sunt universæ viæ tuæ : istarum viarum grandia et mirabilia miracula enarrabo libenter audientibus, non in Ecclesia malignantium, sed in domo tua, et in loco habitationis gloriæ tuæ. Nam sicut *odivi Ecclesiam malignantium*, sic, o Domine, *dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ.* Ideo *ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam.* Impios dico : *in quorum manibus iniquitates sunt*, præcipue avaritia, existimantibus illis quæstum esse pietatem, dum de divino servitio, quod pro æterna vita faciendum est, quæstum sæcularem quærunt : *Et dextera eorum repleta est muneribus*, pro quibus ab eis venditur et ipsa divina servitus, quæ pro sola dextera et æterna mercede facienda est. *Ego autem in innocentia mea ingressus sum*, sicut in principio psalmi dixi.

In Hebræo habetur : Ego *autem in simplicitate gradiar*, maxime ingressu meo ad contemplationem. Nam egrediens ad actionem sollicitus ero, et turbatus erga plurima. Ut ergo a pluribus perturbantibus liberatus ingrediar in locum *habitationis gloriæ tuæ, in innocentia et simplicitate mea* optimam partem capessendo, et unum, quod est necessarium, simpliciter diligendo, et ejus dulcedine fruendo, *tu redime me, et miserere mei*, unum, quod est necessarium et optimum, tribuendo, et hoc nunquam auferendo, ut dicas mihi : *Optimam partem elegit* sibi, *quæ non auferetur* (*Luc.* x, 43) ab eo. *Pes enim meus stetit in via recta. Pes meus*, id est affectio quæ facile solet labi, quamvis concuteretur scandalis, tamen *stetit in directo*, id est, non recessit a justitia tua servata dilectione tua, Domine Deus. Atque ut eamdem dilectionem proximis insinuem : *In Ecclesiis benedicam te, Domine.*

Aliter : *Lavabo inter innocentes manus meas*, pollutas *manus meas*, id est opera mea, *lavabo* per pœnitentiam, quæ si fuerit perfecta, par est innocentiæ. Nam *inter innocentes* regnum Dei possidebunt veri pœnitentes : *Qui* purus *est*, et innocens, non *indiget, nisi ut pedes lavet, sed et mundus totus* (*Joan.* XIII, 10). Ego autem totus pollutus, quia vir pollutus labiis et manibus in medio populi polluta labia habentis habito, non solum pedes lavandos offero, sed et manus et caput. Lavando enim per lacrymas *manus*, id est opera mea; etsi non innocens, tamen ero *inter innocentes*, et obtinebo regnum Dei violentus per pœnitentiam vim faciendo, quia *regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (*Matth.* XI, 22), quod innocentes non rapiunt, sed quasi hæreditarium sine violentia intrabunt.

Atque ut possim perfectius lavare *manus meas*, ero semotus a nocentibus, et conjunctus innocentibus. Nam sicut Petrus inter nocentes negavit, nec inter ipsos positus legitur flevisse, sed *egressus foras flevit amare* (*Matth.* XXVI, 75) : sic ego, qui nocens inter nocentes pollui *manus meas*, egressus ab eis, et positus *inter innocentes* amare flebo, et *lavabo manus meas*, dum intuitu alienæ innocentiæ mihi displicebit pollutio manuum mearum : Et sic *lavabo* eas inundatione lacrymarum, *et circumdabo altare tuum, Domine*, id est mentem meam fidelem vel ipsam cordis fidem circumdabo amictu virtutum perornando, vel *altare* cœleste, id est humanam naturam Christi, quam ipse Christus verus pontifex *erexit in titulum, fundens oleum desuper* (*Gen.* XXVIII, 18); *altare*, inquam, tale *circumdabo* associando me illorum numero, quibus dicit Apostolus : *Omnes qui in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Galat.* III, 27). *His omnibus velut ornamento vestieris*, ait propheta (*Isa.* XLIX, 18). Et ego post lavationem manuum mearum velut ornamentum *circumdabo altare tuum, Domine.* Altare de terra factum super omnes cœlos erectum, in cujus typo erexit Jacob lapidem in titulum, fundens oleum desuper.

Hoc altare, id est hanc altam terram *circumdabo, ut audiam vocem laudis tuæ*, qua videlicet laude tu laudaris ab angelis et hominibus. Nam et in cœlis juxta aram templi habens thuribulum aureum in manu sua stat princeps militiæ cœlestis exercitus, qui exercitus clamat *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth, plena est omnis terra gloria tua.* Et in terra similiter stante juxta aram templi sacerdote catholico chorus ecclesiastici exercitus clamat : *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth, pleni sunt cœli et terra gloria tua : Hosanna in excelsis ! Benedictus, qui venit in nomine Domini, hosanna in excelsis !* Concentus in cœlo angelicus totus est unisonus, totus consonus, quia projectus est inde antiquus ille disturbator cœlestis harmoniæ, qui reliquis angelis Trinitatem sanctam pari laude concelebrantibus dicendo : *Sanctus, sanctus,*

Digitized by Google

sanctus, voluit esse quartus, ita similis Altissimo, ut jam non Trinitas in cœlo, sed quaternitas laudaretur, in qua laude ipse par et similis Altissimo prædicaretur. Sed angelis beatis in Trinitatis laude perseverantibus, et illum quartum repudiantibus ille Trinitatis inimicus de cœlo est projectus. Eodem modo, qui in sancta Ecclesia Trinitatis laudem tenet, firmiter eam teneat, donec de medio fiat ille quartus, qui vocatur Antichristus, eo quod Christo sit contrarius, cum tamen eidem Christo cupiat videri similis in signis mendacibus, quibus deluditur Pharao et tota Ægyptus usque ad plenilunium paschale, in quo completo jam numero electorum Ecclesia integra, et sicut luna perfecta erit. Tunc apparebit, quod non nisi in una domo comeditur Paschalis Agnus. Tunc Israelitæ discernentur ab Ægyptiis. Tunc apparebit, quanta vanitas vanitatum est in signis magorum Pharaonis. Tunc in una consonantia licebit dicere populo Dei : *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem projecit in mare* (*Exod.* xv, 1). Item : *Quis similis tui in fortibus, Domine? Quis similis tui, magnificus in sanctitate tua, terribilis, atque laudabilis faciens mirabilia?* (*ibid.*, 11.) Quæ mirabilia? *Equum et ascensorem dejecit in mare. Currus Pharaonis, et exercitum ejus projecit in mari* (*ibid.*, 4). *Electi principes ejus submersi sunt in mare* Rubro. Obsecro, Domine, mitte quem missurus es, vide afflictionem populi tui in Ægypto, vide quoque afflictionem meam in Ægypto inter magos Pharaonis. Judica et discerne me ab illis, ut sanguine Agni Paschalis consignatus

Vers. 7. *Audiam vocem laudis* tuæ inter veros Hebræos te laudans, et tuæ quoque laudis vicissitudinem certa spe exspectans. Nam et laudabiliter laudantes tu in fine laudabis, dicens : *Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi;* scilicet per gratiam prævenientem; non tamen sine meritorum justitia : *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere*, nudum operuistis me, hospitem collegistis me : infirmum, et in carcere visitastis me. Nam *quandiu hæc fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis* (*Matth.* xxv, 34 et seqq.). Jucunda est hæc vox laudis tuæ, quam tu laudabis et charissimos tibi tuos minimos et eorum ministros.

Igitur non pro terreno quæstu *circumdabo altari* tuum celebrans divinum officium, sed *ut audiam vocem laudis tuæ* in cœlo, et in Ecclesia Trinitatem concelebrantis, et vocem tuæ laudis in die judicii; quem diem desiderans dico : *Judica me, Domine, ut audiam vocem laudis* tuæ inter duos minimos vel eorum laudabiles ministros. Et quia tu unus es magister, qui doces hominem scientiam, fac ut apud tuum *altare audiam vocem laudis* tuæ inter eos qui sunt docibiles Dei, et ego a te instructus absque invidia in studio charitatis ædificantis non me, sed te laudem,

Et enarrem universa mirabilia tua. Tua, inquam, non mea *mirabilia*, quia si quid laudabile ac mirabile per me agitur, tibi, non mihi est ascribendum, a quo est omne bonum. Me miserum! quid ago, cur mihi hoc officium assigno, ut ego miser homunculus *enarrem universa mirabilia tua*, Domine? Revera damnandus essem propter hujusmodi præsumptionis peccata multa, nisi quod charitas operit multitudinem peccatorum, quoniam nimirum charitas mihi testimonium perhibet, quod in laudis tuæ narratione, et mirabilium tuorum prædicatione non meam gloriam, vel terrenum quæstum ambivi, sed

Vers. 8. *O Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ.* Non dico simpliciter me dilexisse domum tuam, sed *decorem domus tuæ :* nec dico me dilexisse *locum habitationis tuæ*, sed *habitationis gloriæ tuæ*. Licet enim sit multum laudabile pectoris mundi, vel etiam Ecclesiæ habitaculum sanctum, in quo tanquam in domo tua tu, Deus, habitas : tamen amanti non sufficit, o Domine, ut *domus tua* sit firmiter ædificata; nisi etiam sit glorioso *decore* perornata. Unde in Canticis canticorum sponsæ amantis te vocem talem audivimus : *Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina : laquearia nostra cypressina* (*Cant.* i, 16). Epithalamium canit, cubile et thalamum pulchro sermone describens sponsum invitat ad requiem : hoc est enim melius quiescere et cum Christo esse : necessarium autem exire ad hæc propter salvandos. Verumtamen nunc opportunitate, ut putat, inventa, ornatum thalamum nuntiat, lectulumque digito demonstrans dilectum, ut dicit, invitat ad requiem, et cum euntibus Emmaus cordis ardorem non sustinens ad mentis attrahit hospitium, secum pernoctare compellit, et cum Petro loquitur : *Domine, bonum est nos hic esse* (*Matth.* xv, 4). Jam quid spiritualiter ista contineant, requiramus.

Et in Ecclesia quidem lectum, in quo quiescitur, claustra existimo esse et monasteria, in quibus quiete a curis vivitur sæculi et sollicitudinibus vitæ. Atque is lectus floridus demonstratur, cum exemplis et institutis Patrum tanquam quibusdam bene olentibus respersa floribus fratrum conversatio et vita refulget. Porro domos populares contextus intellige Christianorum, quos hi, qui in sublimitate positi sunt, Christiani utique utriusque ordinis principes quasi tigna parietes, justis impositis legibus fortiter stringunt, ne sua quique lege vel voluntate viventes tanquam inclinati parietes et maceriæ depulsæ dissideant a semetipsis, et sic omnis structura ædificii corruens dissipetur. Laquearia, quæ a tignis firmiter pendent, et domos insigniter ornant, puto bene instituti cleri mansuetos et disciplinatos mores, riteque administrata officia designare. Quomodo namque stabunt ordines cleri eorum et administrationes eorum, si non principum

Digitized by Google

tanquam lignorum beneficio, et munificentia sustententur, et potentia protegantur?

Quod autem tigna cedrina, et laquearia cypressina describuntur, natura absque dubio habet in his speciebus lignorum, quid congruat præfatis ordinibus. Et cedrus quidem, quoniam imputribile est, nec non et odoriferum, altæque proceritatis lignum, satis indicat quales oporteat assumi viros in vices tignorum; ergo validos et constantes necesse est eos esse, qui super alios ordinantur, nec non et longanimes in spe, atque in superna mentis verticem attollentes, qui etiam bonum fidei suæ et conversationis ubique odorem spargentes dicere cum Apostolo possunt : *Christi* enim *bonus odor sumus Deo in omni loco* (*II Cor.* II, 15). Cypressus item boni æque odoris, et imputribile similiter lignum incorruptæ vitæ et fidei etiam quemvis de clero debere esse demonstrat, ut merito decori domus, et laquearium ornatui deputetur. Scriptum est enim : *Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum* (*Psal.* XCII, 5). Ubi sane et sanctimoniæ decus, et indeficientis gratiæ expressa perseverantia est. Oportet ergo virum, qui ad ornatum et decorem assumitur domus, bonis ornatum moribus esse, et quamvis semper sit intus, bonum tamen testimonium habere, et ab his qui foris sunt. Sunt et alia in natura lignorum horum competentia his quæ spiritualiter disseruntur, sed brevitatis causa prætereo.

Notandum vero pulchre omnem Ecclesiæ statum brevi uno versiculo comprehensum, auctoritatem scilicet prælatorum, cleri decus, populi disciplinam, monachorum, sive canonicorum quietem. In horum prorsus, cum recte sunt omnia, sancta Mater Ecclesia consideratione lætatur, et tunc ea quoque offert intuenda dilecto, cum ad ejus tanquam omnium auctoritatis refert omnia bonitatem, nihil sibi ex omnibus tribuens. Nam quod ait *noster*, et *nostrarum* non usurpationis signum est, sed dilectionis, quod nimiæ videlicet fiducia dilectionis nihil ejus, quem valde diligit, a se æstimet alienum. Nec enim sponsi se contubernio, aut quietis ejus putat arcendam consortio, quæ semper non quæ sua, sed quæ illius sunt, quærere consuevit. Et hæc est causa, cur sibi et sponso simul sive lectulum, sive domos ausa sit pronuntiare communes. Dixit enim : *Lectulus noster*, et *tigna domorum nostrarum*, et *laquearia nostra*, audacter se comprehensione associans, cui juncta non dubitat in amore. Non ita illa, quæ propriæ voluntati nondum abrenuntiavit, sed per se jacet, per se habitat, magis autem non per se, sed cum meretricibus luxuriose vivendo conversatur, concupiscentias loquor carnis, cum quibus dissipat bona sua, et portionem substantiæ, quam sibi dividi postulavit.

Cæterum tu, qui has Spiritus sancti voces audis, vel legis, putasne aliqua horum, quæ dicuntur, valeas tibi applicare, et de felicitate sponsæ, quæ hoc amoris carmine ab ipso Spiritu canitur, aliquid recognoscere in temetipso, ne dicatur et tibi, quia *vocem ejus audis, et nescis unde veniat, aut quo vadat?* (*Job* III, 8.) En forte appetis et ipse contemplationis quietem, et bene facis, tantum ne obliviscaris flores, quibus lectulum sponsæ legis aspersum. Ergo cura et tu tuum circumdare similiter bonorum floribus operum, virtutum exercitio tanquam flore fructum sanctum otium prævenire. Alioquin delicato satis otio dormitare voles, si non exercitatus quiescere appetas, et Liæ fecunditate neglecta solis cupias Rachelis amplexibus oblectari. Sed et præposterus ordo est ante meritum præmium exigere, et ante laborem sumere cibum, cum Apostolus dicat : *Qui non vult laborare, nec manducet* (*II Thess.* III, 10). *A mandatis tuis intellexi*, inquit, ut scias, nisi obedientiæ mandatorum contemplationis gustum penitus non deberi. Non igitur putes de propriæ amore quietis sanctæ obedientiæ actibus, seniorumve traditioni præjudicium ullatenus faciendum. Alioquin non dormiet tecum Sponsus in lecto uno, illo præsertim, quem tibi pro obedientiæ floribus cicutis atque urticis inobedientiæ aspersisti. Propter quod non exaudiet orationes tuas vocatusque non veniet; nec enim dabit inobedienti copiam sui tantus obedientiæ amator, ut mori, quam non obedire maluerit. Sed neque approbat tuæ contemplationis inane otium, qui dicit per prophetam : *Laboravi sustinens*, significans tempus, quo exsul cœlo et patria summæ quietis *operatus est in medio terræ* (*Isa.* I, 14). Magis autem vereor ne te quoque involvat illa sententia formidolosa ita intonans in perfidiam Judæorum : *Neomenias vestras, et Sabbatum, et festivitates alias non feram* (*Ose.* II, 11). Item : *Kalendas vestras et solemnitates vestras odit anima mea, facta sunt mihi molesta* (*Isa.* I, 14), et lugebit super te propheta, et dicet : *Viderunt eam hostes, et deriserunt Sabbata ejus* (*Thren.* I, 7). Cur enim, quod dilectus repudiat, non irrideat inimicus?

Miror valde impudentiam aliquorum, qui inter nos sunt, qui cum omnes nos sua singularitate turbaverint, sua impatientia irritaverint, sua inobedientia coinquinaverint, audent nihilominus ad tam fœdum conscientiæ suæ lectulum omni orationum instantia totius puritatis Dominum invitare. At *cum extenderitis*, ait, *manus vestras, avertam oculos meos, et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam* (*Isa.* I, 15). Quid enim? Lectulus non est floridus, magis et putidus est, et tu illuc Regem gloriæ trahis? Ad pausandum hoc facis, an ad causandum? Centurio vetat illum intrare sub tectum suum propter suam indignitatem, cujus tamen fides redolet in universo Israele (*Luc.* VII, 6) : et tu ad te compellis intrare tantorum sordens spurcitia vitiorum? Clamat Princeps apostolorum : *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum* (*Luc.* V, 8) : et tu dicis : Intra, Domine, ad me, quoniam sanctus sum? *Omnes*, inquit, *unanimes in oratione estote, fraternitatem diligite* (*I Petr.* II, 17). Et Vas electionis :

Digitized by Google

Levantes puras manus, ait, *sine ira et disceptatione* (*I Tim.* II, 8). Videsne quomodo sibi concordent et eodem spiritu de pace et tranquillitate animi, quam habere debet ille qui orat, loquantur Princeps apostolorum et Doctor gentium? Perge, tota die expande ad Deum manus tuas, qui fratres tota die molestas, unanimitatem impugnas, ab unitate te separas. Et quid me vis facere, inquis? Profecto, ut primo quidem emundes conscientiam ab omni inquinamento iræ et disceptationis et murmuris et livoris, et quidquid omnino adversari cognoscitur aut paci fratrum, aut obedientiæ seniorum, de cordis habitaculo eliminare festines. Deinde et circumdare tibi flores quorumque bonorum actuum, et laudabilium studiorum, atque odoramenta virtutum, id est quæcunque sunt vera, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua laus disciplinæ, si qua virtus, hæc cogitare, in his exerceri curato. Ad istiusmodi secure vocabis Sponsum, quem cum introduxeris, cum veraciter dicere poteris et tu : *Lectulus noster floridus* redolente nimirum conscientia pietatem, sed pacem, sed mansuetudinem, sed justitiam, sed obedientiam, sed hilaritatem, sed humilitatem. Et de lectulo quidem sic.

Domum vero Dei spiritalem se ipsum quisque agnoscat, qui tamen jam non in carne ambulat, sed in spiritu. *Templum enim Dei*, ait, *sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* III, 17). Curate ergo, fratres, spiritali huic ædificio, quod vos estis, ne forte cum in superiora proficere cœperit, vacillet et corruat, si lignis fortibus non fuerit subnixum et colligatum : curate, inquam, illi tigna dare imputribilia et immobilia, timorem videlicet Domini illum, qui permanet in sæculum sæculi. Patientiam, de qua scriptum est : *Patientia pauperum non peribit in finem* (*Psal.* IX, 19). Longanimitatem quoque, quæ sub quovis structuræ pondere inflexibilis perseverans in infinita sæcula vitæ beatæ protenditur, Salvatore loquente in Evangelio : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Marc.* X, 22). Magis autem super omnia charitatem, quæ nunquam excidet, quia *fortis est*, inquit, *ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio* (*Cant.* VIII, 6). Studete deinde his tignis substernere et alligare alia lingua æque pretiosa et pulchra, cui tamen illa ad manum fuerint in opus laquearium ad decorem domus, sermonem scilicet sapientiæ, sive scientiæ, prophetiam, gratiam curationum, interpretationem sermonum, et cætera talia, quæ magis noscuntur sane apta ornatui, quam necessaria esse saluti. De his præceptum non habeo ; consilium autem do, quoniam quidem istiusmodi ligna constat et laboriose requiri, et difficillime inveniri, et periculose elaborari (nam et rara ea, præsertim his temporibus, terra nostra producere reperitur), consulo sane, et moneo non multopere ista requiriri, magis autem ex lignis aliis laquearia præparari, quæ etsi minus appareant splendida, non minus tamen valida esse probantur, insuper et facilius possidentur et tutius. Utinam mihi illorum suppetat copia lignorum, quibus hortus sponsi Ecclesia copiose densatur, pax, bonitas, benignitas, gaudium in Spiritu sancto, misereri in hilaritate, tribuere in simplicitate, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus! An non tu illam domum, quod ad laquearia spectat, satis abundeque ornatam censeas, quam talibus lignis inspexeris sufficienter, compositeque ornatam et tabulatam? *Domine, dilexi decorem domus tuæ.* Semper da mihi hæc ligna, quæso, quibus tibi semper ornatum exhibeam conscientiæ thalamum; conscientiæ dico meæ et alterius. His contentus ero : erunt, et qui meo in hac re consilio acquiescere volunt, quia et te puto esse contentum, præsertim in his temporibus novissimis, in quibus abundante iniquitate refrigescit charitas multorum.

Cæterum in sanctis apostolis, et viris apostolicis majorem *domus tuæ decorem* per multas virtutes et miracula clarescentem sufficit mihi admirari et venerari, quia non valeo imitari : sufficit mihi diligere in illis magnum *decorem domus tuæ*, quia gloriam et magnum *decorem* imposuisti super eos, dum ex illis quosdam fecisti ascensum purpureum coronando eos per martyrium : quosdam columnas argenteas in confessione veritatis illustrando per eloquia tua, quæ sunt argentum igne examinatum : quosdam reclinatorium aureum per optimam partem, quam sibi elegerunt. Media vero charitate sunt constrata propter filias Jerusalem (*Cant.* III, 10), quæ, licet pro infirmitate sui non possint accedere ad martyrium per ascensum purpureum nimis altum et arduum, ne valeant esse columnæ argenteæ vel reclinatorium aureum, possunt tamen charitate mediante in ascensu purpureo columnis argenteis atque reclinatorio aureo venerari et diligere. Magnum *decorem domus tuæ*, quem non habent in se, sed habent in aliis per charitatem, non quæ sua sunt quærentem, sed quæ aliorum sunt, bona quasi sua diligentem. In hac ipsa charitate, *o Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ. Dilexi*, valdeque gratum habeo, ut in tota Ecclesia, in qualibet congregatione monasticam seu canonicam religionem profitente atque in mea et alterius conscientia Christiani sint ad *decorem domus tuæ* tigna cedrina, laquearia cypressina, lectulus floridus, ascensus purpureus, columnæ argenteæ, reclinatorium aureum, pavimentum charitate constratum sicut decet *locum habitationis gloriæ tuæ*, in quo tibi sit gloriosum requiescere tanquam in lectulo florido, seu reclinatorio aureo.

Hunc *decorem* etsi non recognosco in me, tamen, o *Domine*, in aliis *dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ*, cupiens domum tuam non solum firmiter ædificatam esse super te firmam petram, sed decenter ornatam. Propter quod etiam zelus domus tuæ comedit me multis dehonestantibus domum tuam per negotiationem Simoniacam, et alias multas indisciplinationes, et exordinationes.

Digitized by Google

quas in domo tua vidi et video, dominante antichristo et exercitu suo, universo scilicet collegio impiorum, in domo tua vel cum Baltassar concubinis potantium, vel cum Juda latrocinantium, et cum Simone Mago negotiantium, vel cum diabolo glorianlium, quasi unusquisque illorum non debeat esse subditus Deo, sed similis Altissimo. Impiis istis mihi indignantibus, et contra me malignantibus, quia nolo illis esse consentiens in sua malitia, multa contraria sum passus, et adhuc multa timeo, illud præcipue, ne peream cum impiorum turba, cui sum admistus in area Dominica. Sed, o piissime,

VERS. 9. *Ne perdas cum impiis animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam.* Duobus modis perduntur impii, dum et in præsenti vita incorporantur filio perditionis, et in futuro judicio cum eodem perdendi præcipitabuntur in infernum. Ego autem, qui Salvatoris membrum esse desidero, et ipsum Salvatorem in judicio præmium exspecto, in timore perditionis et spe salvationis dico : *Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam.* Etiamsi terra tradatur in manus impii non cruciantis in corpore, aut etiam spoliantis in subsidiis terrenis; tamen tu custodi animam meam a perditione duplici, qua perduntur *impii* contra Deum, et *viri sanguinum* rabidi contra proximum.

VERS. 10. *In quorum manibus iniquitates sunt :* quia opera eorum sunt iniqua, et *dextera eorum repleta est muneribus*, ut jam supra exposuimus.

VERS. 11. *Ego autem in innocentia mea ingressus sum*, ut jam supra expositum est. *Redime me, et miserere mei.* Duo sunt, quæ me premunt, videlicet peccatum et pœna peccati. In peccato agnosco meam culpam, in pœna peccati agnosco meam miseriam. In peccato sum venundatus, ut non possim non peccare ; in miseria sum ligatus, ut non possim non turbari. Tu ergo, Salvator meus, *redime me et miserere mei*, ut aut redemptio sit mihi remedium contra peccatum, ne per illud efficiar membrum filii perditionis : et tua mihi subveniat miseratio, ne cum illo sim perdendus in æterna miseria, sed etsi quid peccavero, advocatum te habeam apud Patrem justum et pium, et tu sis propitiatio pro peccatis meis : et si miserias patior, te consolatorem sentiam, sicut et sensi multoties, quando impulsus et eversus sum, ut caderem, et tamen non cecidi, quia, etsi fui aliquatenus inclinatus et incurvatus ad illicitos excessus in loquendo, comedendo, bibendo, cæterisque talibus; tamen

VERS. 12. *Pes meus* ita *stetit in directo*, ita firmus fuit in tenenda via recta, ut post actam de criminibus pœnitentiam in præcedenti psalmo expressam, nulla mihi ulterius fuerit voluntatis mobilitas : imo tanta fuit et est immobilitas, ut malim occidi, quam denuo criminibus implicari, vel etiam ipsis venialibus culpis ex deliberatione inquinari. Et hoc ipsum cæteris custodiendum prædicans *in Ecclesiis benedicam te, Domine*, quia non meæ, sed tuæ virtuti attribuo, quod in via recta sto.

Gloria Patri Domino, cui dictum est : *Judica me, Domine. Gloria Filio* Domino, qui est veritas, de qua dictum est in psalmo : *Complacui in veritate tua. Gloria Spiritui sancto*, qui est misericordia, de qua dictum est : *Quoniam misericordia tua ante oculos meos est.* Gloria *uni ac trino Domino* veraci et misericordi. Amen.

PSALMUS XXVI.

Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo Titulus psalmi est (VERS. 1) :

IN FINEM, PSALMUS DAVID, PRIUSQUAM LINIRETUR (58).

Hic titulus mittit nos ad historiam. Legitur in libris Regum *David* ter fuisse unctum. Primo adhuc puerulus in Bethlehem a Samuele in domo patris sui Isai in designationem regni futuri, a qua unctione Spiritus Domini directus est in eum. Secundo, mortuo Saule, unctus est in Hebron, et regnavit super domum Juda septem annis et septem mensibus. Postea vero tertio unctus est, quando totius Israelitici populi provinciam accepit, ut regnaret super Israel universum, et ascendit in Jerusalem, et regnavit triginta tribus annis dejecta tunc a spe regnandi omni domo Saul.

Quæ unctiones mysticant nobis aliquid. Nam in isto quasi speculo tota unctionis Christi præfulget forma. Ille namque tertio unctus est. Primo videlicet, ubi Spiritu sancto conceptus est, qua unctione accepta ipse puer David non statim exercuit regale officium, sed quasi parvulus apud se latuit. Secundo, ubi cum baptizaretur veniente super illum Spiritu sancto in specie columbæ demonstratus est, qua secunda unctione cœpit regnare super tribum Juda. Nam ex tunc miracula faciens in Judæa manifestavit se Regem esse Judæorum, quod Pilatus licet minime intelligens in titulo crucis expressit. Tertio, ubi resurgens ex mortuis tantam unctionis suæ gratiam in suos fideles transfudit, quantam hic idem unctus Rex, futurus pater illius, commendare cupit his verbis : *Ecce quam bonum et quam*

(58) Vulgata: *Psalmus David, priusquam liniretur*

Digitized by Google

jucundum habitare fratres in unum; sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus (*Psal.* CXXXII, 1, 2). Ubi enim resurrexit, ipsa die stans in medio discipulorum suorum, dicensque : *Pax vobis, insufflavit*, et, *accipite*, inquit, *Spiritum sanctum* (*Joan.* XX, 22). Et postmodum sedens a dextris Dei misit eumdem, et iterato dedit Spiritum sanctum. Ita unguentum verum de capite in barbam Aaron, et in oram vestimenti ejus descendit idem Spiritus sanctus de Christo, qui caput nostrum est. Primo in illos fortes ac perfectos viros apostolos Christi, ac deinde per ministerium illorum in totam Ecclesiam descendit.

Non solum autem in Christo præ suis participibus uncto, celebrata est hæc trimoda unctio, sed etiam in quolibet christiano est idem specialiter considerandum. Sicut enim tertio unctus est David, sic quique fideles participes debent esse trinæ unctionis. Prius in baptismo, ubi Spiritus sancti gratia innovantur. Secundo, quando per impositionem manuum episcopi donis ejusdem Spiritus sancti augmentantur. Tertio, in die judicii, quando ejusdem spiritualis gratiæ perfectam dulcedinem adipiscentur. Non est credendum *David* hunc *Psalmum*, antequam in domo Patris liniretur ; sed an post illam unctionem statim, an post secundam fecerit, incertum est.

Solent autem non solum reges, sed et sacerdotes ungi, ut Aaron in figura unius Christi, qui futurus erat sacerdos et rex, qui et fecit nos membra sua. Unde ad nos quoque pertinet tam sacerdotalis quam regalis unctio, qui et in illo sumus Christi, et cum illo sumus unus Christus, caput et membra. Sicut autem David in figuram futuri regni apud patrem unctus est, ita nos in domo diaboli existentes ungimur in sacramentum futuræ impassibilitatis, in qua sicut David ante regnum laborabat sub hostibus et desiderabat regnum, ita et nos interim laboramus et gemimus adoptionem filiorum exspectantes, qua secundo liniamur in regno. Unde removens ab historia dicit *in finem*. Finis iste consummationis est, in quem dirigens *psalmus* iste attribuitur *David*, seu cuilibet fideli agens de his quæ pertinent ad ea, quæ fecit, priusquam secundo liniretur susceptus in regnum.

In prima autem parte ostenditur qualiter post primam unctionem inter adversa sæculi laborans speret in Dominum certus de secunda unctione. In altera vero parte exponitur labor, gemitus, oratio, ut secunda unctio possit haberi, ibi : *Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te*, quam etiam per Spiritum prophetiæ promittit, ibi : *Credo videre*, etc. Ultimus versus intentionem aperit, ne quis post primam torpeat unctionem, sed longanimiter exspectando secundam vel tertiam viriliter agat. Sed nunc redeamus ad principium psalmi, quod continuatur fini præcedentis. Ibi enim dixit : *In Ecclesiis benedicam te, Domine ;* hic autem ostendit, quis sit modus illius benedictionis. Hoc modo dixi ego David : *In Ecclesiis benedicam te, Domine*. Quod vovi, persolvo te Dominum benedicens, ac dicens :

Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo ? In duobus malis præoccupaverunt me laquei mortis in primis parentibus quibus, dum oculi carnis aperti fuerunt ad videndum, et concupiscendum lignum vetitum, quod erat pulchrum visu aspectuque delectabile, omne genus humanum per concupiscentiam ac eis generandum in ipsa radice vitiosæ originis ac ærumnosæ propagationis percussum est pariter cæcitate et infirmitate : cæcitate, ut bonum non videat ; infirmitate, ut malum concupiscat. Unde cum ego David in iniquitatibus conceptus, omnino cæcus et infirmus natus fuerim, cæcus per ignorantiam boni, et infirmus per concupiscentiam mali ; cæcus non videndo veritatem, infirmus appetendo vanitatem ; cæcus nesciendo æterna, infirmus concupiscendo temporalia : Dominus misit Samuelem angelum, id est nuntium suum, et tulit me de ovibus Patris mei, et unxit me unctione misericordiæ suæ, et directus est Spiritus Domini in me a die illo, et in reliquum. O quantum habet pulchritudinis et gratiæ verbum istud, quo sic dicitur, et *directus est Spiritus Domini* (*I Reg.* XVI, 13). Non sic dictum est, nec sic dici debuit de Saul æmulo meo, a quo Spiritus Domini erat recessurus, nec de alio quocunque, cujus animam fictam aut duplicem ille Spiritus amoris recto nusquam oculo dignatur, fictionem ejus post levem attactum statim effugiturus. In me vero per sacramentum visibilis unctionis invisibilis unctio sancti Spiritus directa est quasi ab ore Domini non me oblique respicientis, imo recto et fideli osculo oris sui os meum demulcentis.

Quibusnam putas ab effectibus claruit mihi, quod in me Spiritus Domini esset directus, et in Saulem non esset directus ? In hoc scilicet quia ego illum licet me odientem et persequentem rectis oculis aspexi, et non diligentem dilexi, atque milites meos compescui, ne illum dormientem interficerent, quibus dixi : *Absit a me, ut manum meam mittam in Christum Domini !* (*I Reg.* XXVI, 23.) Ita rectis ac serenis oculis illum aspexi, quia rectus et directus fuerat in me Spiritus Domini, qui me non sinebat invidere honori persequentis me inimici. At ille non rectis oculis me aspexit, ex quo audierat mulieres decantantes : *Saul percussit mille, et David decem millia in millibus suis* (*I Reg.* XXIX, 5).

Aliis quoque ab effectibus evidenter enituit, quod post primam unctionem Spiritus Domini fuerit in me directus. Primum a gratia prophetali, deinde et ab opere fortitudinis. Nam ex tunc mente serenatus et illuminatus Psaltes inclytus factus sum, prophetans et cytharizans magnalia Dei, psalmosque componens mysteria continentes Filii Dei, ejusdemque secundum carnem futuri Filii mei : et fortitudine simul ac salute secundum corpus inductus

Digitized by Google

sum per eamdem unctionem, quemadmodum dixi ad Saul : *Pascebat servus tuus patris sui gregem, et veniebat leo, vel ursus, tollebatque arietem de medio gregis, et persequebar eos, et percutiebam, eruebamque de ore eorum. Et illi consurgebant adversum me, et apprehendebam mentum eorum et suffocabam, interficiebamque eos : nam et leonem, et ursum interfeci ego servus tuus. Erit igitur et Philisthæus hic incircumcisus quasi unus exeis, qui ausus est maledicere exercitum Dei viventis* (*I Reg.* XVII, 34 et seqq.). Per hoc igitur effectus patuit, quod directus fuerat in me Spiritus Domini, qui me secundum veritatem nominis mei fecit et dictis *desiderabilem*, et factis *manufortem*, in typum videlicet Christi Filii mei vere manufortis et desiderabilis Regis futuri, et super solium meum sessuri. Ille sic prædicabit delectabiliter docendo, ut ei dicat fidelis discipulus : *Verba vitæ æternæ habes* (*Joan.* VI, 69), et admirantes dicant ipsius adversarii : Nunquam sic locutus est homo sicut hic homo. Ille nihilominus in domo paterna unctus procedet de thalamo uteri virginalis pariter et sponsus desiderabilis, et gigas fortis atque desiderabilis. Ille suas oves desiderabiliter fovendo, leonem vero diabolum sive ursum Antichristum fortiter superando suffocabit, et ovem vel arietem de ore ipsorum eruet. Jure igitur ego David psallens *in finem*, psallendo videlicet prospiciens in ipsum Christum, qui est finis legis ad justitiam, in Ecclesiis benedicam Domino, dicens : *Dominus illuminatio mea, et salus mea.*

Scriptum est quia *lex neminem ad perfectum adduxit* (*Hebr.* VII, 19). Lex enim ignorantiam docere potuit, infirmitatem adjuvare non potuit. Duo hæc mala in homine fuerunt, et ex his cætera mala hominis processerunt. Unum fuit ignorantia, aliud concupiscentia. Ignorantia boni, concupiscentia mali. Ex ignorantia venit delictum, ex concupiscentia peccatum. Hæc igitur duo in homine ab initio fuerunt. Sed ut agnosceret homo morbum suum, dimissus est totus sibi, ne forte gratiam superfluam judicaret, si prius infirmitatis suæ defectum non agnosceret. Positum ergo est tempus naturalis legis, ut natura per se operaretur, non quia per se quidquam posset, sed ut se non posse agnosceret. Illa ergo sibi relicta errare cœpit a veritate, per ignorantiam, et convicta est de cæcitate, postmodum etiam convincenda de infirmitate. Data est lex scripta, ut ignorantiam illuminaret, sed infirmitatem non corroboraret, ut in ea parte homo, qua defectum suum agnovit, juvaretur ; ubi autem per se stare putavit, derelinqueretur. Accepta ergo scientia veritatis per legem conari cœpit, ut perficeretur, sed pressus concupiscentia, quia adjuvantem non habuit, ab opere virtutis defecit. Convictus ergo est in utroque, quia videlicet per se nec veritatem potest agnoscere, nec bonum perficere. Post hoc itaque convenienter gratia data est, quæ et illuminaret cæcum, et sanaret infirmum : illuminaret ignorantiam, refrigeraret concupiscentiam ; illuminaret ad cognitionem veritatis, inflammaret ad amorem virtutis. Propterea Spiritus sanctus in igne datus est, ut lumen haberet et flammam : lumen ad cognitionem, et flammam ad dilectionem.

Igitur ego David per unctionem primam illuminatus ad cognitionem veritatis, et inflammatus ad amorem virtutis propter lumen scientiæ dico : *Dominus illuminatio mea*, et propter virtutis amorem adjungo : *Et salus mea.* Sic, inquam, dicam in Ecclesiis usque in finem sæculi resonante hoc psalmo per ora multorum fidelium, tam in mea quam in sua persona dicentium : *Dominus illuminatio mea, et salus mea.* Non ego me ipsum illuminare valeo, sed Dominus habitans in me, qui lutum fecit ex sputo, et linivit oculos meos per fidem incarnationis, quam ego David futuram credidi, et ego quilibet fidelis jam transactam credo, ipse est *illuminatio mea* contra tenebras ignorantiæ, ut jam discernere possim inter bonum et malum : *et salus mea* contra infirmitatem, ut jam possim resistere peccato, nimirum libero in me arbitrio per adjuvantem et inhabitantem in me gratiam illuminato et confirmato, quod prius in tota humana natura cæcum jacebat, et languidum.

Firmus igitur et illuminatus, ut sciam et possim hostem cavere, aut superare, *quem timebo ?* Nullum utique præter ipsum. Qui enim prima unctione me illuminavit, et sanavit, ipse me secunda vel tertia unctione sic proteget contra hostes, ut ipse, qui est *illuminatio mea et salus mea*, sit etiam defensor meus, cui in gratiarum actione dico :

Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo ? A quo visibilium hostium *trepidabo ?* Dominus ipse, qui me illuminat et sanat, ipse quoque me protegit, ne donum illuminationis et salvationis in me pereat. Nam ipse Dominus est *protector vitæ meæ.* Licet magnas illi gratias debeam, quod protegit res meas et corpus meum, prout vult : attamen inde majores gratias ago, quod est *protector vitæ meæ.* Si enim *justus ex fide vivit* (*Rom.* I, 17), quisquis homini tollit justitiam et fidem, ipse illi tollit vitam. Sed *Dominus est protector vitæ meæ*, ne adversarius meus Saul, vel Sauli similis, etiamsi mihi tollit exteriorem substantiam, tollere possit fidem sive justitiam. *A quo* ergo *trepidabo ?* Inimici mei *illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor* (*Psal.* XIII, 5), putantes me intentum ad eos lædendum. Timebat enim Saul per me amittere Israeliticum regnum, timebant ejus amici ac mei inimici ejus regno finito incidere damnum : ideo trepidaverunt, quia res perituras perdere timuerunt, quæ ab invitis auferri potuerunt. Ego autem, quia justitiam, seu fidem quasi vitam, imo vere vitam meam diligo, quæ ab invito auferri non potest, *a quo* vel dæmone vel homine *trepidabo ?* Quare trepidem, cum Dominum sciam *protectorem vitæ meæ ?* Justus est ipse non accidentali dono, sed essentiali bono et justitia, quæ vita mea est, mihi est ab ipso fonte justitiæ, ideo ipse est *protector vitæ meæ.* Etiam, qui caput

Digitized by Google

mihi absturlerit, vitam hanc mihi auferre non poterit, quia *Dominus* est *protector hujus vitæ meæ* non solum ante mortem carnis undique latronibus infestantibus, ne perdam justitiam, sed etiam in ipsa carnis morte, ne perdam justitiæ palmam. Palma quippe debetur justitiæ, quia *justus ut palma florebit* (*Psal.* XCI, 13). Cum ergo sit omnipotens *Protector vitæ meæ, a quo trepidabo?*

VERS. 2. *Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas.* Inde est : quod quidam meorum commilitonum David magni martyr, milesque fortis insultat adversario, dicens : *Assatus sum, jam versa, et manduca*, quoniam sic *appropiant super me nocentes*, quasi lupi cupientes edere *carnes meas*. *Appropiant* ergo, quia nihil mihi magis prope est, quam caro mea. Quasi enim a longe me infestarent, si sola exteriora bona mea diriperent; nunc autem non his contenti *appropiant, ut edant carnes meas* : vel quia delectantur in afflictione carnis meæ, vel quia machinationes eorum ad nocendum dispositas Deus convertit in melius, quoniam, quamvis non secundum intentionem, tamen secundum effectum ad hoc *appropiant, ut edant carnes meas*, id est carnalia desideria in me consumant, et carnalia peccata mea, quæ mihi exprobrando, vel derogando quasi dentibus laniant, omnino edant et absumant, quibus consumptis caro mea fit Spiritus. Potens enim est Deus maledictiones eorum vertere mihi in benedictiones, sicut ipse talibus dicit : *Maledicam benedictionibus vestris, et benedicam maledictionibus vestris* (*Malach.* II, 2). Potius igitur eligo talium maledictiones portare, quam benedictiones captare, quia, si de mundo essem, mundus quod suum erat, diligeret. Nunc vero istius mundi odium est mihi magnum testimonium, quod ipse, qui me per primam unctionem designavit ac præaptavit in regale sacerdotium, per secundam quoque vel tertiam confirmet, et consummet in me gratiam bene cœptam. Confirmet, inquam, in me David puero suo, ut sim rex inclytus, regis æterni pater temporalis; vel confirmet in me sancta catholica Ecclesia, ut sim *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis* (*I Petr.* II, 9), annuntians virtutes ejus, qui de tenebris vocarit me in admirabile lumen suum. Unde in hujus luminis dono illustrata dico : *Dominus illuminatio* mea.

Vel certe confirmet in me persona Ecclesiastica gratiam bene in baptismo cœptam per unam unctionem, qua mihi contulit remissionem peccatorum, de cætero per secundam unctionem daturus in profectu virtutum bona merita, et per tertiam æternæ beatitudinis præmia sempiterna. Ad hæc bona consequenda omnia cooperantur mihi in bonum, quæ, Domino juvante, vel permittente, sustineo, *dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas*. Quod enim pro sola carnalitate mea consumenda sint admissi, inde patet, quia quasi devoratis carnibus meis, peccatis videlicet ministerio eorum consumptis, etiam dum *appropiant super me*, qui scilicet se mihi præferunt, *infirmati sunt* paulatim cassata, et debilitata fortitudine illorum, secundum quod scriptum est : *Eratque longa concertatio inter domum Saul; et domum David* (*II Reg.* III, 1). David proficiens, et semper se ipso robustior; domus autem Saul decrescens quotidie. Sic, sic *infirmati sunt*, et tandem omnino *occiderunt* non tantum amici simulati, qui blanditiis volunt seducere, sed et inimici mei, qui ex odio aperto tribulant me, *ipsi infirmati sunt*, et ceciderunt, tam maligni spiritus, quam maligni homines, vel ipsæ vitiorum malignitates, quibus, dum consensi ad malum, non sensi tribulationes eorum. Sed ubi eis disposui, ac firmissime proposui non consentire, quotiescunque mihi contingit eorum tentamenta sentire, continuo quæ prius mihi erant ad delectationem, versa sunt mihi in tribulationem et dolorem, et in his, quæ prius dilexi, tribulationem et dolorem inveni. Tribulatio autem hæc patientiam operabatur, patientia probationem, probatio vero spem; spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in corde meo per primam unctionem tam copiose, ut etiam ipsos inimicos tribulantes diligam, eisque pro malis bona cupiam. Propterea *infirmati sunt, et ceciderunt* malo casu, quo cecidit maximus inimicorum meorum Saul, et filii ejus in monte Gelboe, quos ego plangens dixi : *Quomodo ceciderunt fortes in bello, aquilis velociores, leonibus fortiores? Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniat super vos* (*II Reg.* I, 23-25), ubi ceciderunt fortes Israel. Considera tu quisque sapienter psallens hunc sapientis David planctum super casu inimicorum suorum. Non enim insultat illis cadentibus, imo jam per unctionem primam doctus gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus per hoc se dignum exhibuit secundæ ac tertiæ unctionis, quod ex radice dilectionis condolendo illis, et hic in psalmo plangit dicens :

Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, et ceciderunt! Et alias dicit plorans : *Quomodo ceciderunt fortes in bello?* Plangit quisque carnalis cadentibus charis et amicis, atque gaudet in ruina inimicorum, qui, etsi prima unctione in baptismo sit unctus, per tale gaudium nisi pœnitentia purgetur, justo judicio Dei secunda et tertia unctione privabitur, ne videlicet vel in præsenti vita bonis meritis, vel in futura bonis præmiis ditatus computetur inter filios regni, sed sit filius iræ, filius gehennæ, quibus dicitur : *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis* (*Luc.* VI, 25). Tu fortasse cadentibus inimicis tuis in monte Gelboe, in alto videlicet superbiæ gaudens in eorum casu cantas, et dicis : *Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas. Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, et ceciderunt.* Sic psallendo sicut David putas te habere bonum sensum, ut sit psalmus tuus David : sed nescis te esse de numero illorum.

Digitized by Google

de quibus Amos propheta loquitur : *Sicut David putabant se habere vasa cantici, et nihil patiebantur super contritionem Joseph* (*Amos*, VI, 5). Contritio Joseph in hoc loco ponitur pro contritione cujusque fratris mala patientis, qualia ille passus est primo a fratribus, deinde a domina sua Ægyptiaca. Qui talia vel pejora patientibus ipsis quoque inimicis suis non compatitur, non ei congruit hic psalmus David, in quo cadentes inimicos plangit dicens in cordis sui contritione : *Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, et ceciderunt!* Item alibi : *Quomodo ceciderunt fortes in bello?*

Ut autem hunc ejus planctum diligentius consideratum in hoc psalmo ante oculos tuos habeas, tu qui cum David psallere ac plangere desideras, animadverte plenius, quod de planctu ejus in libro Regum continetur, ubi dicitur : *Planxit autem David planctum hujuscemodi super Saul, et Jonathan filium ejus, et præcepit ut doceret filios Juda arcum, sicut scriptum est in libro justorum : Inclyti Israel super montes tuos interfecti sunt*, etc. (*II Reg.* I, 17-18.) Quis planxerit, quid vel quare planxerit, amplius autem quid mysticum signet si rite consideres : planctus iste rationabilis, et de thesauro sapientis prolatus est. Quis planxit? Rex unctus electionis suæ non inscius, qui non ignoraret per mortem Saul vacuum factum sibi esse thronum regium, ut qui profugerat, jam repatriaret, qui exsulaverat, jam regnaret. Mira ergo innocentia, mira adversus ambitionem temperantia! Parum fuerat manibus temperasse dicendo : *Propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in christum Domini* (*I Reg.* XXIV, 7). Nam poterat et hæc dicens optare, ut aut dies mortis ejus veniret, aut in prælium descendens periret. Sed ecce occulta cordis manifestus justitiæ actus defendit, dum et ipse plangit, et per pœnam vel mortem ejus, qui nuntiaverat, nemini suorum exsultandum esse decernit. Recte igitur canat, secure canat David fortis et dicat : *Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis. Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis* (*Psal.* VII, 4 et 5).

Quid autem planxit? Illud videlicet, quod Saul, cum esset Christus Domini, propter superbiam suam hoc commeruit, ut et ipse projiceretur a facie Domini, et cum illo cunctus Israel caderet coram hostibus suis, inclytis suis interfectis. Hoc plane viro sapienti plangendum erat, qui sciret in summa sibi humilitate cavendum esse exemplum ejus, qui cum esset Christus Domini, superbiendo spiritui maligno mancipari meruit, et eo usque devolutus est, ut consulto spiritu pythonico plena prævaricatione damnabilis vitam præsentem miserabili fine concluderet.

Et quare planxit? *Ut doceret*, inquit, *filios Juda arcum, sicut scriptum est in libro justorum* (*II Reg.* I, 18). Arcum, id est, belli fortitudinem, qui profecto arcus, vel quæ fortitudo belli non est alia, quam manus vel auxilium Domini. Et recte hoc loco per arcum tota fortitudo belli significatur, quia videlicet maxime per arcum perierat Saul, sicut supra scriptum est, quia secuti sunt eum viri sagittarii et vulneratus est vehementer a sagittariis, quod utique non evenisset, si suum et ipse tenere arcum vel intendere voluisset, id est si suam in Deo spem posuisset, sine quo nunquam vicit, aut fortiter fecit Israel, *sicut scriptum est*, inquit, *in libro justorum*. Liber justorum quamvis quidam liber possit intelligi, qui hodie nusquam inveniri possit, constantius tamen liber idem hic intelligitur, de quo scriptum est in Numeris : *Unde dicitur in libro bellorum Domini : Sicut fecit in mari Rubro, sic faciet in torrentibus Arnon*, etc. (*Num.* XXI, 14.) Liber autem bellorum Domini, quis est nisi omnis Scriptura sacra, ex qua sine dubio docemur bellare bella Domini? Nec enim ante Moysen, qui illud dixit, scriptum fuerat quidpiam hujusmodi. Igitur *ut doceret*, inquit, *filios Juda arcum, sicut scriptum est in libro justorum*, id est, quia male pugnaverant filii Israel ob culpam suam, discerent saltem filii Juda contribules sui ponere Deum adjutorem suum, sicut omnes justi fecerunt, quorum omnes victoriæ Deo mirabiliter cooperante sunt peractæ, sicut testantur Scripturæ quæ, etsi pluribus libris distinctæ, uno tamen Spiritu conscriptæ sunt, et idcirco recte in unum reputantur librum, juxta illud : *Et vidi in dextera sedentis super thronum librum scriptum intus, et foris signatum sigillis septem* (*Apoc.* V, 1).

Quomodo vero per hujusmodi planctum dicendo : *Inclyti Israel super montes tuos interfecti sunt, quomodo ceciderunt fortes in bello aquilis velociores, leonibus fortiores, Jonathas in excelsis tuis occisus est!* (*II Reg.* I, 23.) Quomodo, inquam, per hujuscemodi planctum discunt filii Juda arcum prædictum? videlicet, ut sit subaudiendum : ab hoc experimento discant quicunque pugnant, quod, etsi fortes sint et inclyti multum, etsi velocitatem aquilarum atque fortitudinem habeant leonum, nullatenus tamen victoriam, adversante Deo, perficere poterunt; ab hoc, inquam, experimento istud discant. Nam ecce super montes tuos, o Saul; super montes, inquam, tuos, id est propter superbiam tuam inclyti Israel interfecti sunt, fortes ceciderunt tecum. Sed et Jonathas in excelsis tuis; tuis, inquam, non suis occisus est. Nam non propter suam, sed propter patris superbiam filius hic meliori patre dignus mortuus est. Repugnant namque quod dicitur : *Sagitta Jonathæ nunquam abiit retrorsum* (*ibid.*, 22). Sagitta Jonathæ fides fuit Jonathæ, qua cum ipso David fœdus iniit : et *nunquam retrorsum abiit*, nunquam enim fœdus illud irritum fecit. Dicendo autem : *sagitta Jonathæ* pro eo ut diceret : Fides Jonathæ, pulchre ad rem gestam respexit. Supra namque scriptum est : *Pepigit ergo Jonathas fœdus cum David. Et addidit Jonathas dejerare David, eo quod diligeret illum; sicut enim animam suam, ita diligebat eum. Dixitque ad eum Jonathas:*

Digitized by Google

Cras Kalendæ sunt, et requireris : requiretur enim sessio tua usque perendie. Descendes ergo festinus, et venies in locum, ubi celandus es in die, quo operari licet, et sedebis juxta lapidem, cui nomen est Ezel. Et ego tres sagittas mittam. Si dixero puero : ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas : tu veni ad me, quia pax tibi est, etc. (*I Reg.* xx, 16 et seqq.) Ergo sagitta Jonathæ nunquam abiit retrorsum. Id est fœdus, in quo sagittarum signo usus est Jonathas, nunquam fecit irritum.

Hæc dicens, et planctum hujusmodi plangens confertat tamen, et suadet Israel opportunam a Deo sperare consolationem. Ait enim : *Nolite nuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis, ne forte lætentur filii Philisthiim, ne exsultent filiæ incircumcisorum* (*II Reg.* i, 20). Quod est dicere : quamvis inclyti Israel interfecti sint, quamvis ceciderint fortes, et arma bellica perierint, citius resumite arcum vestrumque bona spe roborate brachium, ut non vacet hostibus æstimare, quod plenum de vobis egerunt triumphum, ut annuntient illis, quamvis fortes ceciderint, vos adhuc Deum tamen habere fortissimum.

Quare autem *montes*, inquit, *Gelboe nec ros, nec pluvia veniat super vos, neque sint agri primitiarum?* (*II Reg.* i, 23.) Videlicet, ut ipsa montis ariditas perpetua permanens posteris sit necessariæ rei documentum, ut semper præ oculis habeant, unde commoneantur futuri reges cavere superbiæ vitium, propter quod ibi *abjectus* sit *clypeus fortium, clypeus Saul*, tam ignobiliter, ac si *non esset unctus oleo* (*ibid.*, 21), ac si nunquam efficax rediisset a sanguine interfectorum, ab adipe fortium. *Filiæ*, inquit, *Israel super Saul flete :* flendus est enim : quia *qui vestiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro* (*ibid.*, 24), subauditur : de prædis hostium, quas agebat, nunc ipse nudus jacet, nunc ipse hostium visibilium atque invisibilium præda factus est.

Quid tandem planctus iste mysticum signat, nisi lamentum veri David, id est manufortis Christi, quo gentis suæ, gentis Judaicæ flevit ruinas? Ille namque per semetipsum *videns civitatem flevit super illam dicens : Quia si cognovisses et tu* (*Luc.* xix, 41). Et per Apostolum suum jam peractam deflet ruinam dicente illo, in quo sine dubio ipse loquitur Christus : *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia magna est mihi, et continuus dolor cordi meo; optabam enim ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis,* etc. (*Rom.* ix, 1 et seqq.). Plangit ergo David Saul, et eos qui ceciderant, fortes et inclytos Israel ; plangit manufortis sive desiderabilis Christus superbiam carnalis Israel, falsamque Israelitarum fortitudinem, de qua ipse in psalmo : *Et irruerunt,* inquit, *in me fortes* (*Psal.* lviii, 4), suam videlicet justitiam statuere volentes, et non in gratia Dei, sed in operibus legis, quasi inclyti gloriantes. Et væ illis qui planctum hujus David nequaquam pœnitentiæ suæ prævenerunt lamentis! Plangendo autem et hoc *præcipit, ut docerent filios Juda arcum,* ut docerent filios confessionis suæ, scilicet Christianum de gentibus populum non gloriari quasi de suis meritis, sed subjiciendo se gratiæ Dei, verum et constantem tenere supernæ fortitudinis arcum. Quod præceptum docendi Apostolus sagaciter exsequens : *Quod,* inquit, *si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem, cum oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis factus es, et pinguedinis olivæ : noli gloriari adversus ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat* (*Rom.* xi, 17 et seqq.). Hæc et cætera cum dicit, profecto docet filios Juda arcum, ut scilicet, si fortiter agere velint, non glorientur, sed humiliter stent in gratia Dei.

Nam *inclyti,* inquit, *Israel super montes tuos interfecti sunt, et ceciderunt fortes.* Inclyti videlicet *qui sunt secundum carnem Israëlitæ, quorum adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa, quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen* (*Rom.* ix, 4 et 5). Itaque secundum hæc vere quidem inclyti sunt, sed de his superbiendo falso fortes sunt. Ideirco interfecti sunt, ideirco ceciderunt, maxime ob culpam sacerdotum, deceptam plebem devorantium. Propter quod dicit : *Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniat super vos, neque sint agri primitiarum. Gelboe namque devoratio,* sive *decursus* interpretatur, quo nomine non incongrue Pharisæi, sive sacerdotes illi denotantur, quos in domo Patris latrocinantes et prædam de populo facientes Salvator cum flagello ejecit, *devoratores* et voraces, juxta illud propheticum : *Peccata populi mei comedunt* (*Ose* iv, 8). Igitur, *montes,* inquit, *Gelboe, nec ros, nec pluvia veniat super vos, nec sint agri primitiarum,* id est, universa valle gentium humilium superne irrorata et compluta, ut abundet frumento, ut edant pauperes, et saturentur et laudent Dominum, vos alti et superbi neque rorem, id est Spiritum sanctum, neque pluviam accipiatis, id est salutaris doctrinæ verbum. Nam *et nubibus meis mandabo ne pluant super vos imbre* (*Isa.* v, 6). Nubibus, inquam, meis, id est apostolis meis mandabo ut vestræ superbiæ se subtrahant, pluantque gentibus Evangelii prædicationem. Itaque non eritis agri primitiarum, non eritis primitiva messis, quæ deportetur hoc tempore de vobis in illud cœleste horreum, donec subintret plenitudo gentium. Tunc enim reliquiæ salvæ fient ex vobis, eritque non jam primitiva, sed serotina messis. Quare? quia *ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo.* Ibi, inquam, id est in superbia vestra ego abjectus sum, qui solus clypeus sum fortium, qui esse debueram clypeus Saul, id est defensio vel protectio furiosi vel arreptitii po-

Digitized by Google

puli hujus. Vestro namque suasu negavit me ante faciem Pilati, negavit, inquam, dicens : *Non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX, 15). Quid hac negatione, nisi clypeum suum, clypeum fortium abjecit, quasi non esset unctus oleo, quasi non essem ego Messias, non essem Christus, non essem unctus Spiritu sancto testimonium habens a sanguine interfectorum, ab adipe fortium, scilicet malignorum spirituum, vel impiorum hominum, quasi nullam omnino prædam tollere possem de manibus inimicorum meorum.

Igitur post hæc consuluit David Dominum, dicens : Num ascendam in unam de civitatibus Juda ? Et ait Dominus ad eum : Ascende. Et dixit David : Quo ascendam ? Et respondens, ait, in Hebron (*II Reg.* II, 1). Hactenus profugus, hactenus exsul ploravit et flevit multa amaritudine inebriatus ; nunc autem repatriare et regnare obedienter paratus in tabernaculo Dei sui cantare et psallere vult, videlicet in exemplum ejus, cujus in persona ipse loquitur : *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, cantabo et psallam in gloria mea* (*Psal.* CVII, 2). Nempe et huic consulenti, num ascendam in unam de civitatibus Juda ? Ascende, inquit, in Hebron : et illi in sepulcro velut responsum patris præstolanti, quippe qui non a semetipso venit, sed obedienter omnia fecit : *Exsurge*, inquit, *gloria mea, exsurge, psalterium et cythara* (*Psal.* LVI, 9). Et ille protinus : *Exsurgam*, inquit, *diluculo ;* et quasi jussus in Hebron ascendere libenter hoc accipiens : *Confitebor*, inquit, *in populis, Domine, et psallam tibi in nationibus* (*Psal.* CIX, 2). Hebron namque civitas sepulcrum erat Abraham, Isaac et Jacob, et maximi Adæ, sicut in libro Jesu Nave scribitur. Unde et Cariatharbe dicebatur. *Nomen*, inquit, *Hebron antea vocabatur Cariatharbe*, quod interpretabatur *civitas quatuor. Adam maximus ibi inter Enacim situs est* (*Job* XIV, 15). Hebron itaque Davidici regni principium propter Abraham quidem, et Isaac et Jacob ibi sepultos populum significat Judaicum ; propter Adam autem maximum ibidem situm universum designat genus humanum. Proinde David recte et in persona sua in Hebron ascendere jubetur, ubi secundo erat ungendus in regem super tribum Juda, quod interpretatur *confitens*, et in persona Christi cantare docetur : *Confitebor tibi*, inquiens, *in populis, Domine, et psallam tibi in nationibus.* Attamen consulens *in unam* tantum quærit ascendere *de civitatibus Juda ;* quia videlicet non nisi in una unius fidei Ecclesia Christus regnat. Et hic in psalmo isto : *Unam*, inquit, *petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Quasi dicat : Recte unam petii a Domino, qui mihi conscius fui tantæ charitatis et unanimitatis, ut etiam inimicos diligerem, ac de ruina illorum plangerem tam unanimi compassione, et tanta condolendi affectione, quanta expressa est in planctu meo de quo jam dictum est et adhuc dicendum est. Non enim frustra post planctus mei completionem statim unam petii et accepi, unam videlicet de civitatibus Juda, in qua secundam et tertiam suscepi linitionem, sive unctionem in planctus et luctus mei consolationem. Sed ideo certa ratione cautaque Dei ordinatione factum est hoc in me David, vel potius in Filio et Deo meo vero David flente super civitatem Jerusalem, et plangente inimicos suos ante exaltationem sui, ut tu, quicunque cupis bene psallere hunc psalmum David ad obtinendam secundam et tertiam linitionem in meritis virtutum et præmiis beatitudinum, scias tibi prius esse plangendum in charitativa compassione pereuntium inimicorum tuorum, et sic ascendendum in unam civitatum, in qua divina gratia largiente accipias regalem unctionem.

Noli ergo similis esse Sauli superbo et invido, qui arcum suum, divinum scilicet non habens auxilium, vehementer a sagittariis vulneratus, tandem super gladium irruit ac periit. Habeas itaque tu arcum tuum, dilectionem videlicet veritatis rigidam quasi lignum in arcu, et charitatem fraternitatis quasi chordam de carneis visceribus confectam, qua rigor veritatis temperetur et flectatur ad compassionem. De hoc arcu mitte sagittas contra inimicos tuos orando et preces assiduas fundendo pro eorum salute. Sint *sagittæ tuæ acutæ*, et tunc *populi sub te cadent* non in carnali morte, sed *in corde inimicorum regis* (*Psal.* XLIV, 6), ut videlicet corde humiliato ex inimicis regis fiant amici regis, et cuilibet parvulo in regem uncto non invideant regnum, quomodo Saul invidit mihi parvulo David uncto in regem. Si autem te pro illis orante non cadent in corde inimicorum regis, sed cadent in monte Gelboe, tu eos ita plange, ut tuo planctu doceas filios Juda arcum sicut scriptum est in libro Justorum : quia omnis Scriptura divinitus inspirata hoc docet, ut et amicos in Deo et inimicos diligamus propter Deum. Cum tibi hujus charitatis conscius fueris, cum tu non ut Saul sagittis inimicorum vulneraris, quia in improperiis et conviciis eorum non ita sauciaris, ut sanitatem charitatis perdas, imo ejusdem geminæ charitatis arcu preces assiduas velut sagittas acutas emittis pro salvandis inimicis, cumque in talis charitatis compassione videns inimicos tuos cecidisse dixeris : *Qui tribulant me inimici mei ipsi infirmati sunt, et ceciderunt ;* tunc ex magna fiducia poteris psallere in finem et dicere :

VERS. 3 ET 4. *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exsurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo. Unam petii a Domino, hanc requiram.* Igitur ego David exsul, et profugus a facie Saul ego semel unctus in regem, sed expulsus a regno mihi destinato, et habitans in Siceleg parvula sub rege alienigena ; ego, inquam, David conscius mihi et magnæ congratulationis in prosperis inimicorum, et magnæ compassionis in eorum adversis, non credo me coram inimicis ruiturum, sicut ruit Saul : *Sed credo me videre bona Domini in terra viventium* (*infra* 13). Ideo *si consistant adversum me castra* Philisthinorum, id est molimina quorumlibet

Digitized by Google

seu visibilium seu invisibilium inimicorum, *non timebit cor meum*, charitatis fraternæ sibi conscium, quod neque sagittis alienis per opprobria malignorum sauciatur, neque proprio gladio per iram suam confoditur in monte Gelboe.; quia non est in altitudine Satanæ. Et si non tantum molimina conspirationum adversum me consistant, sed etiam *exsurgat adversum me prælium*, id est manifestus conflictus impugnantium allophylorum : *In hoc ego sperabo*, sciens, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (*Rom.* VIII, 28).

Sic mihi David contigit historialiter ante secundam linitionem plerumque, ut exercitatus assiduis prælliis idoneus inveniret ad secundam et tertiam unctionem. Novissime autem consurrexit adversum me prælium, quando succensa civitate Siceleg hostes abduxerant uxores meas duas et omnem prædam captis mulieribus et parvulis, tunc ego consului Dominum, dicens : *Persequar latrunculos istos an non ? Et ait : Persequere. Sine dubio enim comprehendes eos, et excuties prædam* (*I Reg.* XXX, 8 et seqq.). Tali responso Domini confortatus dixi : *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum; si exsurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.* Nec frustratus sum in hac spe mea; nam et hostes victoriose superavi, et multam prædam tuli, de qua dicebatur : *Hæc est præda David.* Hac igitur præda ditatus, cum subito audissem cecidisse Saul regem in prælio æmulum meum, multarum civitatum dominum, ego *unam petii a Domino*, unam tantum civitatem petii, dicens : *Num ascendam in unam de civitatibus Juda ?* Et *hanc* unam *requiram*, ut ultra non compellar exsulare inter gentes idola colentes et euntes ad simulacra muta, prout ducuntur; sed *inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem Domini, et visitem templum ejus.*

Aliter : Ego Christus verus David, persequente me Saule, id est morte in ea nocte, qua tradendus eram ad mortem, superaturus ipsam mortem, unam petii a Domino, et hanc requiram, semper interpellans ego Unitas pro meorum perficienda unione usque in finem sæculi. Nempe vox mea hæc est . *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut omnes unum sint, sicut et nos unum sumus, ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum* (*Joan.* XVII, 21). Sic *unam petii a Domino* tunc moriturus pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregarem in unum, ita ut fiat unum ovile et unus pastor. Hanc *unam*, hanc videlicet unionem tunc *petii* semel moriendo : *et hanc requiram* quotidiano mortis meæ sacramento sacerdotibus meis illud celebrantibus et orantibus pro Ecclesia sancta, quam *pacificari*, *custodiri*, *adunari et gubernari* optantes unam petunt et requirunt. Imo ego, qui *hanc unam* in mea persona petii, ego idem ipse per ora sacerdotum *hanc requiram*, dum in sacramento altaris annuntiabitur mors mea, donec veniam in fine sæculi, *ut inhabitem in domo Domini* cum pace bellis undique sedatis, et membris meis perfecte mihi capiti adunatis, ac diversis lapidibus super me angulare fundamentum coædificatis, atque Deo Patri conciliatis per me lapidem angularem, ac mediatorem.

Apostolus dicit : *Mediator unius non est, Deus autem unus est* (*Gal.* III, 20). Duo enim erant, Deus, et homo, diversi, et adversi. Deus erat justus, homo erat injustus : in hoc nota adversos. Homo erat miser, Deus bonus : in hoc nota diversos. Sic igitur homo et adversus Deo erat per injustitiam, et diversus a Deo per miseriam, propter hoc necesse habuit homo primum quidem justificari a culpa, ut reconciliaretur; postea vero liberari a miseria, ut reformaretur. In hoc ergo mediatore eguit homo ad Deum, ut reconciliaretur illi, et reduceretur ad illum. Sed causam dissidentium agendam convenienter suscipere non posset, qui non aliqua societatis ac pacis amicitia utrinque familiaris, atque propinquus existeret. Propter hoc ergo Filius Dei factus est homo, ut inter Deum et hominem reconciliationis et pacis mediator esse possit. Suscepit humanitatem, per quam hominibus appropinquaret; retinuit divinitatem, per quam a Deo non recederet. Factus homo sustinuit pœnam, ut demonstraret affectum; servavit justitiam, ut conferret remedium. Verbum quidem, quod cum Deo Patre unum erat per ineffabilem unitatem, cum homine assumpto unam factum est per admirabilem unionem. Unitas in natura, unio in persona, cum Patre Deo unum in natura, non in persona, cum homine assumpto unum in persona, non in natura. Quid magis unum, quam unitas? Quod unitate unum est, summe unum est. Verbum et Pater unitate unum erant, quia natura unum erant. Et voluit ipsum Verbum unum nobiscum fieri, ut nos in se, et per se unum faceret etiam cum illo, cum quo ipsum unum erat. Assumpsit ergo ex nobis nostram naturam, ut eam sibi sociaret per unionem in persona, quæ sociata non erat per unitatem in natura, ut per id quidem, quod de nostro unum secum faceret, nos sibi uniret, ut cum ipso unum essemus per id, quod nostrum sibi unitum erat, et per ipsum unum essemus cum Patre, qui cum ipso unum erat. Pater, inquit, *sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos. Non pro eis autem rogo tantum, sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut et ipsi in nobis sint unum, et mundus credat, quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum, et cognoscat mundus, quia tu me misisti.* Rogat unitas pro unione, Verbum cum Patre unum in natura, homo cum Verbo unum in persona, membra cum capite unum primum in justitia, postea in gloria. Ut enim in justitia unum sint, *cognoscat mundus, quia tu me misisti.* Ut autem in gloria unum sint, *volo, ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti*

Digitized by Google

mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi (*Joan.* XVII, 20 et seqq.).

Hanc *unam petii a Domino, hanc requiram*, hanc *petii* semel oblatus ad multorum exhaurienda peccata per crucem et sanguinem cum aqua de latere meo exeunte delens chirographum, paci et unitati contrarium. *Hanc requiram* quotidie interpellans apud Patrem pro meis uniendis nunc in una justitia, post hoc in una gloria, ut videlicet in vita temporali sit eis unus Dominus, cui *serviant omnes humero uno* (*Sophon.* III, 9), sicut et in Isaia legitur. Sit quoque illis una fides, unum baptisma, sicut vocati sunt in una spe vocationis, ut habentes cor unum et animam unam in bono, unum denarium unanimiter exspectent nunc in vinea laborantes, posthac vero in vita æterna sint consummati in unum in societate sanctorum angelorum, quæ societas quotidie ascendentibus illuc ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum, id est in unum. Primo sint unum, ut se diligant invicem, et non sint in eis schismata, sed id ipsum dicant et sapiant omnes. Deinde mortalitatis tunica exuti adhærentes Patri spirituum, sint unus Spiritus : quoniam *qui adhæret Domino unus Spiritus est* (*I Cor.* VI, 17). Adhærentes Patri luminum sint quoque ipsi lux una in Domino ; sicut ex diversis lampadibus in una domo lucentibus una claritas perficitur, ut ipsi clari videant claritatem meam, quam dedisti mihi Pater, quia dilexisti me ante constitutionem mundi, priusquam linitus essem vel in regem, vel in sacerdotem. Etenim totam linitionem hujusmodi ad naturam assumptæ humanitatis pertinentem præcessit æternalis claritas divinitatis meæ, in qua dilexisti me ante constitutionem mundi.

Ne autem in me uno Dei et hominum mediatore divinitas et humanitas haberet claritatem diversam, ego *unam petii* claritatem meæ humanitati, quam in divinitate mea semper habui. Dixi ergo : *Clarifica me, tu Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus fieret* (*Joan.* XVII, 1). Sic *unam* claritatem mihi homini petii, quam ego Deus Dei Verbum semper habui : *hanc requiram* in membris meis desiderio desiderantibus, ut videant ipsam claritatem meam, eamque videndo sint una clara domus, de qua nunc dico : *ut inhabitem in domo Domini*, et de qua dicitur alias : *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis* (*Apoc.* XXI, 3).

Aliter : Ego David, ego fidelis cum fideli David, ego pœnitens cum pœnitente David, ego persecutionem ferens cum David, ego deperditionem inimicorum plangens cum David, ego humilis cum humili David, ego, inquam, talis et talis existens inter perfectos, aut certe saltem inter imperfectos adhuc positus talis esse concupiscens, habens talem concupiscentiam, quasi linitionem primam, ut habeam linitionem secundam et tertiam in virtute meritorum et beatitudine præmiorum, *Unam petii a Domino*. Qui in hac vita volunt esse felices, petunt multa et multiplicia. Ego vero qui post hanc vitam beatus esse desidero, unam petii, unam petitionem feci, unius tantum rei, videlicet *ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem Domini, et visitem templum ejus*. Quæ una res, quoniam indesinenter petenda est, *hanc requiram* omnibus diebus vitæ meæ : omnibus diebus vitæ mortalis requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ immortalis, in qua licet sit sola *dies una melior super millia* (*Psal.* LXXXIII, 11), tamen pro una die interminabilis æternitatis, pluraliter dico *diebus*, ut inexhaustam æternitatem quam aliter non possum, saltem humana nominum pluralitate designem. Sive dicatur *unum* neutraliter, ut in Evangelio, ubi dicitur : *Porro unum est necessarium*. Et in Apostolo *unum supernæ vocationis* postpositis multis, *quæ retro sunt*, proponitur *bravium* (*Philip.* III, 14) : sive dicatur feminino genere : *unam petii*, non differt in sensu, quia ego David fastidiens multa quæ retro sunt, quia temporalia sunt, in quibus turbatus erga plurima sollicitor, unum illud peto, quod est necessarium, unam petitionem petii, quam præ omnibus petitionibus meis cupio exaudiri, videlicet, *ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem Domini, et visitem templum ejus*. Quandiu luteam domum fragilem ego fragilis inhabito, longe sum ab illo uno, quod persequor, ab illa una, quam petii : quia *homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis ; qui quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet* (*Job* XIV, 2). Ideo contra multitudines miseriarum *unam* beatitudinem, contra instabilitatem vitæ umbraticæ *unam* vita permanentis æternalem identitatem *petii, et hanc requiram*, ut, a multis miseriis liberatus, et una beatitudine sempiterna ditatus, atque deposita mortalitatis variabilitate unitati semper invariabili configuratus, *habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*, in domo non manufacta, æterna in cœlis.

Ut videam voluntatem Domini omnibus diebus vitæ meæ, illa petitione pleniter exaudita, qua tibi Deus Pater dicimus : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra*. Hic enim, dum ab uno separati periclitamur inter multa, nos multiplices unam simplicis divinæ voluntatis identitatem videre non possumus ; quia sicut homo, qui est in motu, turres et montes immobiles putat moveri, sic nos variabiles divinam voluntatem putantes mutari et variari, ut nunc hoc, nunc illud velit, non possumus clare videre quid Deus velit, quisve mortalium in ejus judiciaria sententia odia an amore dignus sit. Ideo illius domus inhabitationem peto, in qua *videam voluntatem Domini* plene, quam nunc ex parte cognosco. Scio enim quod sim vocatus, nescio tamen utrum sim electus et ad beatitudinem prædestinatus. Una unctione jam unctus sum, quoniam ad fidem voca-

Digitized by Google

tus *credo videre bona Domini in terra viventium* (*infr. v.* 13) : sed quoniam adhuc ignoro utrum odio an amore dignus sim , adhuc *unam* unctionem *petii*, *et hanc requiram* , ut videlicet per charitatis unanimitatem fidei adjunctam sic *inhabitem in domo Domini*, ut possim cantare : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum : sicut unguentum in capite , quod descendit in barbam , barbam Aaron* (*Psal.* CXXXII, 1 et 2). *Hanc* unctionem de tali unguento peragendam *petii* , *et hanc requiram* , *ut* ex hac de beneplacito Dei, erga me certificatus *videam voluntatem Dei*, *et visitem templum ejus. Visitem*, id est cum desiderio et jugi frequentia inspiciam templum ejus, id est cœlestem Jerusalem, vel humanam ejus naturam, quæ est templum Divinitatis.

Alia translatio habet : *ut contempler delectationem Domini* , *et protegar a templo ejus.* Idem sensus est, quasi dicat : Inhabitem in domo eo utique fine, ut contempler delectationem Domini, id est facie ad faciem appareat mihi desiderabilis species Dei, et protegar, id est absorpta morte induar immortalitate non aliunde data , sed ab ipso protectore templi ejus, in quo habitat. Simulacra gentium proteguntur a suis templis; sed Deus noster in ipso templo manens proteget templum suum. Hæc autem hac fiducia peto;

VERS. 5. *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo.* Ego David persequente me Saule ad *tabernaculum* fugi, atque ibi sacerdote Abimelech donante panes accepi , quos non licebat edere, nisi solis sacerdotibus, insuper et gladium Goliath Philisthæi reconditum in tabernaculo accepi ad mei defensionem et protectionem (*I Reg.* XXI) : Sic *protexit me* Dominus *in abscondito tabernaculi sui.*

Item ego verus David, persequente me morte, *in abscondito tabernaculi* sum protectus per Divinitatem latentem *in abscondito tabernaculi*, id est carnis meæ.

Similiter ego quicunque vel innocens cum puero David, vel pœnitens cum peccatore David, confidens in Deo protectus sum *in abscondito tabernaculi sui.* Tabernaculum Deitatis est caro Christi, in qua per fidem et spem me occultat, ne videar a quærentibus me, sicut figuraliter David , cum fugeret Saul, absconditus est in latibulis, ne videretur. *Abscondit*, dico, *in die malorum* meorum, id est tempore tentationum, quod est dies vitæ, vel *in die malorum*, quo soli mali florent. Et *protexit me in abscondito tabernaculi sui. In abscondito* dicit , quasi aliæ partes ejus sint forinsecæ, et intus sit penetrale, quod utique ita est. Nos enim forinseci sumus, in quibus per gratiam habitat. Ipse vero sacerdos est *in abscondito tabernaculi* Dei, quia Divinitas de nostro tabernaculo carnem sibi personaliter univit, in qua latuit. Qui vero in eum credit corde ad justitiam, admittitur in absconditum tabernaculi. Unde Apostolus : *Vita nostra abscondita est cum Christo in Deo* (*Col.* III, 3).

Potest etiam dici : *ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ* , id est, quandiu vivo, non excludar aliqua adversitate ab unitate fidelium, ad hoc, ut *videam voluntatem Domini*, id est, ut præcepta intelligam, et si non oculis, saltem mente *visitem templum ejus*, id est corpus Christi, vel me faciam templum ejus, quod utique potero, *quoniam abscondit me in tabernaculo suo.* Inde panis mihi datur sacerdotalis per sacramentum Altaris. Inde mihi gladius, quod est Verbum Dei absconditum in panis et vini sacramento , atque tali pane saliatus, et tali gladio munitus, persequente me Saule, id est peccato, fortiter ascendam ego David super abruptissimas petras quasi caprea, quasi cervorum hinnulus, et dicam in laudibus Dei :

VERS. 6. *In petra exaltavit me, et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos. Petra* enim *Christus*, (*I Cor.* X, 4), in quem ego David prophetа credidi venturum, et ego quicunque David innocens, vel pœnitens in Ecclesia credo eum venisse in mundum, et iterum relicto mundo ivisse ad Patrem tracturum post se et ad se omnia. In hac petra, in hujus fidei soliditate *nunc exaltavit me*, quia *super hanc*, inquit, *petram*, id est, *super me ipsum ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI, 18), *et nunc* etiam in tempore peregrinationis meæ, dum fugio Saulem, id est, peccatum, *exaltavit caput meum super inimicos meos.* In eo enim, quod ipso donante corde credidi ad justitiam, *abscondit me in abscondito tabernaculi sui :* in eo vero, quod ore confessus sum ad salutem, *nunc exaltavit caput meum in petra.* Dixit enim ipsa Petra uni Petro confidenti, et in ipso cuilibet confitenti : *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI, 18). Sic *in petra exaltavit me, et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos*, qui sunt portæ inferi, de quibus promittitur firmissimæ fidei, quia *portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Neque enim dæmones, neque maligni homines, neque vitiosi motus carnalium cupiditatum, qui omnes inimici et portæ inferi possunt intelligi, super hanc Petram fundatam Ecclesiam, vel mentem cujusque fidelis poterunt movere, quia etsi illisum fuerit flumen domui tali, non poterit eam movere; *fundata enim est supra firmam petram* (*Matth.* VII, 25). *In* tali *petra exaltavit me* ponens me in fidei ac virtutum firmitate.

Decreverat enim Saul persequi me etiam super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus pervie sunt. Et ego quidem levavi oculos meos in montes multos et petras multas, unde venit auxilium mihi a facie Saulis, id est, consensu peccati criminalis fugienti, cujus manus incidissem, si peccato mortali consensissem. Unde in alio loco dixi : *Si est iniquitas in manibus meis : Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis. Persequatur inimicus animam meam, et comprehendat* (*Psal.* VII, 5 et 6). Sed inter omnes montes unus est mons montium, unde venit auxilium mihi.

Digitized by Google

Una est *Petra* petrarum, in qua *refugium* est *herinaciis* (*Psal.* CIII, 18), in qua et ego David quasi parvus herinacius refugium habui, et habeo, qui licet peccatorum spinis minutis, et quotidianis totus inveniar coopertus ut herinacius, vel ericius, tamen in foraminibus petræ, id est in vulneribus Christi, qui est agnus tollens peccata mundi, spe firmissima requiesco, dum sicut ipse in cruce, ita ego quoque pro inimicis oro, atque illis cadentibus in monte Gelboe compassionis planctum persolvo.

Ideo non solum futuram spero exaltationem post ultimam regalem unctionem, quæ beatis reposita est in finem, quando in resurrectione percipient sancti Spiritus plenam dulcedinem, ut gaudium eorum sit plenum, sed etiam *nunc exaltavit caput meum*, nunc, licet corpus mortuum, id est absque dubio moriturum sit propter peccatum, tamen *super inimicos meos exaltavit caput meum*, id est mentem, quæ condelectatur, et servit legi Dei, licet captiva teneatur in carne serviente legi peccati. Hanc exaltavit *super omnes inimicos meos*, id est super vitiosos appetitus, ut non caro spiritui, sed spiritus dominetur carni. Vel *caput meum*, id est Christum, qui est caput viri, sicut vir caput est mulieris, exaltavit super omnes cœlos, quod ego David propheta sine dubio futurum sciens enuntio quasi præteritum. Ego autem quilibet ecclesiasticus cum David fideli fidelis jam sciens præteritum confidenter dico : *et nunc exaltavit caput meum*, id est christum totius Ecclesiæ caput, *super omnes inimicos meos*, Judæos, hæreticos, paganos et falsos Christianos vel spiritus malignos. Pro his omnibus beneficiis.

Circuibo, et immolabo (59) *in tabernaculo ejus hostiam jubilationis* in gratiarum actione. Et quia ipse se mihi ducem præbet, ego me illi exhibebo militem, et ipso duce quasi miles *circuibo* in castris ejus consociatus illis de quibus alias dicitur : *Convertentur ad vesperam, famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem* (*Psal.* LVIII, 7).

In Hebræo sic legitur : *Unam petivi a Domino, hoc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam pulchritudinem Domini, et attendam templum ejus. Abscondit enim me in umbra sua, in die pessima abscondit me in secreto tabernaculi sui, in petra exaltavit me. Nunc quoque exaltabit caput meum super inimicos meos, qui sunt in circuitu meo.* Sensus hujus Hebraicæ veritatis in ante dictis explanatus est, excepto, quod nunc dicitur : *de inimicis, qui sunt in circuitu meo.* Quod minirum recte dicitur : *De inimicis :* quia *in circuitu impii ambulant* (*Psal.* XI, 9). Et ideo quanta differentia est inter centrum simplicissimum et multitudinem seu amplitudinem circulorum, centrum quidem circumdantium, sed ipsum centrum nusquam contingentium : tanta est differentia inter meum desiderium et illorum. Nam ego *unam* petii, illi multa petunt. Laborant illi in circuitu quasi rota nunc elati prosperis nunc depressi adversis. Ego vero quasi centro unitatis cohærens tam prospera hujus mundi, quam adversa despiciens in uno semper desiderio fui, et semper *unam petii, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.*

Omnes qui illicita appetunt, vel in hoc mundo videri aliquid volunt, densis cogitationum tumultibus in corde premuntur, dumque desideriorum turbas intra se excitant, prostratam mentem pede miseræ frequentationis calcant. At contra sancti viri, quia nihil hujus mundi appetunt, nullis procul dubio in corde tumultibus premuntur. Omnes quippe inordinatos desideriorum motus a cubili cordis manu sanctæ considerationis ejiciunt. Et quia transitoria cuncta despiciunt, ex his nasci cogitationum insolentias non patiuntur. Solam namque æternam patriam appetunt; et quia nulla mundi hujus diligunt, magna mentis tranquillitate perfruuntur. An non cunctos a se cogitationum tumultus expulerat, qui dicebat : *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini?* A frequentia quippe terrenorum desideriorum fugerat ad magnam solitudinem, videlicet intra semetipsum, ubi eo tutius nihil extraneum conspiceret, quo incompetens nil amaret. A tumultu rerum temporalium magnum quemdam secessum petierat quietam mentem, in qua tanto purius Deum cerneret, quanto hunc solus solum inveniret.

Et quidem sæculares hoc volubile sæculum diligentes cum ipso volvuntur, et in ipso, atque cum ipso circumeunt. Ego autem David semel unctus unctione divinæ misericordiæ per Samuelem, vel ego quilibet innocens, aut pœnitens cum David suscepta unctione prima, quæ est peccatorum indulgentia, et secundam exspectans, quæ est in virtute meritorum, ac tertiam, quæ est in beatitudine præmiorum, Deo gratias agens pro unctione jam suscepta etiam preces offerens pro unctione adhuc suscipienda, *circuibo in tabernaculo ejus.* Si enim in lectulo meo per noctem quærens dilectum non invenio, *surgam, et circuibo civitatem, quærens quem diligit anima mea* (*Cant.* III, 2). Nam ipsa civitas tabernaculum ejus est, in quo circuibo mente, et inquisitione cunctos ordines beatorum percurrens, vel etiam litanias canens incipiendo a sanctuario, ab ipso videlicet Sancto sanctorum Christo, totius Trinitatis oraculo. Hunc primo invocans, dico : *Salvator mundi, adjuva nos.* Deinde per omnes ordines electorum factis invocationibus, ut in idipsum redeat meus circuitus, circa finem litaniæ revertar ad ipsum Christum, qui est A et Ω, principium et finis, atque in ipso tali sanctuario, scilicet Incarnationis ejus mysterio circuibo, dicens : *Per nativitatem tuam libera nos, Domine*

(59) Vulgata : *Circuivi, et immolavi.*

Digitized by Google

Per baptismum et jejunium tuum libera nos, Domine. Per crucem et passionem tuam libera nos, Domine. Sic per obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro cunctis ecclesiasticis ordinibus exhibitas *circuibo et immolabo in tabernaculo* Incarnationis Dominicæ, vel totius Ecclesiæ *hostiam* jubilationis in laudibus et precibus, quibus tandem succedit mentis tanta jubilatio, quæ verbis non potest exprimi, licet non possit omnino sileri.

Non *circuibo* cum hoc volubili mundo, ut ejus adversis premar, vel prosperis extollar in modum rotæ currentis in luto. Magis *circuibo in tabernaculo ejus*, id est in tota Ecclesia gaudendo cum gaudentibus, et flendo cum flentibus, ascendens per alienæ ac fraternæ felicitatis congratulationem, descendens per fraternæ miseriæ compassionem, in motum rotarum currentium, non in hujus mundi cœno, sed *in tabernaculo*, vel potius in cœlo : quia de his ita scriptum est : *cum elevarentur animalia, elevabantur pariter et rotæ, cum euntibus ibant, et cum stantibus stabant, et cum elevatis a terra pariter elevabantur. Spiritus enim vitæ erat in rotis* (*Ezech.* I, 19). *Itaque* in modum rotarum spiritualium *circuibo in tabernaculo ejus.*

Vel sicut Martha satagebat circa frequens ministerium, et sicut Paulus ab Jerusalem usque ad Illyricum in circuitu replevit Evangelium : vel certe in contemplatione veritatis, principio et fine in modum rotarum cœlestium carentis, et omnia circumplectentis : quidquid enim vere est, in veritate est, et hoc solum est. Quidquid autem nec vere, nec in veritate subsistit, falsum est, imo nihil est. Atque ideo quæcunque intra veritatis circulum non comprehendantur, quia veræ non sunt, nihil sunt. Unde qui a veritate fugiunt, ad nihilum tendunt, dum mentitur iniquitas sibi, aut etiam mentitur aliis dicendo bonum malum, vel malum bonum. Ego autem intra veritatis circuitum constitutus veritatis luce monstrante bonum bonum et malum malum dico, atque in tali veritatis judicio *circuibo in tabernaculo Dei* omne bonum approbans, et omne malum improbans primitus in mea propria persona, deinde in aliis, qui sunt in tabernaculo ejus. Nam de his, qui foris sunt, prohibemur judicare, dicente Apostolo : *Nonne de his, qui intus sunt, vos judicatis? Quid enim mihi de his judicare, qui foris sunt? Nam de his, qui foris sunt, Dominus judicabit* (*I Cor.* IX, 12). De his ergo, qui intus sunt, licite judicamus. Itaque verum judicans, *circuibo in tabernaculo ejus et immolabo in tabernaculo ejus hostiam vociferationis*, vel jubilationis, id est laudis, consideratione bonorum, quæ vere bona sunt.

Aliter : *Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis.* Attendi exempla sanctorum, circumspexi omnia creata per diversas pulchritudinum species quasi per diversas voces Creatorem suum laudantia. Consideravi fidem orbis terrarum, per quam Ecclesia cum capite suo exaltata est. Pertractavi beneficia divina mihi specialiter, et Ecclesiæ universaliter exhibita, et propter hæc omnia in *tabernaculo ejus*, id est in tota mundi fabrica immolavi *hostiam vociferationis*, omnes creaturas invitans ad laudandum, et benedicendum Creatorem suum sicut fit in hymno trium puerorum et in ultimis tribus psalmis.

Item in tota Ecclesia, quæ tabernaculum Dei est, vel consideratione tabernaculi, id est Incarnationis Christi, qua pro nobis immolatus est, immolavi *hostiam vociferationis* in hymnis, et canticis spiritalibus, vel hostiam jubilationis in sanctis meditationibus, ubi deficiente, vel quiescente sermone sola jubilatio restat. Nam tali hostia jubilationis pro veris Dei beneficiis ipsa æterna veritas delectatur, quæ non falso, sed vere laudabilis est per omnia, quæ *in tabernaculo* totius mundanæ fabricæ vel ipsius benignitate agente perficiuntur, vel ipsius justitia disponente fieri permittuntur, cujus et operatio semper bona, et permissio semper justa est. Unde super hujus æternæ veritatis misericordia.

Cantabo, et psalmum dicam Domino; misericordiam scilicet et *judicium cantabo* (*Psal.* C, 1) credens, et ore confitens Dominum misericordem misericordibus, et judicem sine misericordia immisericordibus. Hoc non solum fide ac voce *cantabo*. Etiam in hac fide *psallam Domino* per operis evidentiam demonstrans fidem meam. Nam quia hoc verum credidi, etiam inimicis meis per misericordiam compassus ego David planxi eos planctu magno, qui planctus magnus quasi *hostia vociferationis* acceptabilis fuit in conspectu veri David suos inimicos plangentis non solum in lamentationibus Jeremiæ, aliorumque prophetarum, sed etiam in sua persona. *Videns* enim *civitatem* sibi rebellem, *flevit super illam, dicens : Quia si cognovisses et tu* (*Luc.* XIX, 41). Tandem post hujusmodi planctus ego Christus verus David pendens in cruce, ac pro inimicis reconciliandis moriens *hostiam vociferationis* et jubilationis immolavi, sanguine meo vociferante vel clamante melius quam sanguis Abel. Nam sanguis Abel clamans de terra postulavit vindictam; sanguis vero meus in ora fidelium fusus clamat de terra, de tota videlicet sancta Ecclesia postulans non vindictam, sed misericordiam, sed indulgentiam, sed gratiam, sed pacem. Propterea dico:

VERS. 7. *Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te.* Sanguine meo clamante ad te de terra, id est de tota Ecclesia, quæ per fidei confessionem aperuit os suum, et suscepit, atque quotidie suscipit sanguinem meum clamantem et orantem pro illa una impetranda, quam petii semel oblatus ad multorum exhaurienda peccata, et adhuc peto eandem *unam, quam petii*, peto in sacramentis mysticis, peto in membris meis, ideo dico : *Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te.* Vocem meam

Digitized by Google

plenam gemitibus inenarrabilibus pro unctione secunda et tertia *exaudi, Domine.*

Et est quidem inter has duas unctiones una, quæ in virtute meritorum consistit, antecedens, quam præcedentem altera, quæ in beatitudine præmiorum æternorum consistit, ita inevitabiliter consequitur, ut ex una præcedente alterius consequentis indubitabilis certitudo teneatur. Unde quidam de duabus istis unctionibus unam tenens de altera se certificatum profitetur, dicens: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. De reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex* (*II Tim.* IV, 7). Consummatio boni certaminis una unctio: corona justitiæ altera intelligitur. Sed quia de una pendet altera quasi de antecedente inevitabile consequens, recte non duas unctiones ego David, sed *unam petii a Domino*, quia si una, quæ in virtute meritorum consistit, quasi *datum optimum desursum descendens a Patre luminum* (*Jac.* I, 17) prædonata fuerit, sine dubio altera, quæ in beatitudine præmiorum consistit, quasi *donum perfectum* subsequetur. *Opera enim illorum sequuntur illos* inevitabiliter, *ut requiescant a laboribus suis, qui* fide servata et cursu consummato *in Domino moriuntur. Beati enim mortui, qui in Domino moriuntur* (*Apoc.* XIV, 13). Ideo ego David semel unctus in perceptione sacramentorum fidei, et adhuc exspectans geminam in meritis et præmiis unctionem regalem recte solummodo *unam petii, et hanc requiram*, quoniam per unam sine dubio spero alteram. *Credo enim videre bona Domini in terra viventium*, si primitus fuero de hac una petitione auditus in terra morientium. Ideo dico: *Exaudi, Domine, vocem meam, quæ clamavi ad te* pro illa una, vocem interiorem, quæ non in strepitu verborum, sed in vehementia desideriorum clamat ad te, qui audis intentionem et cogitationem, *quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi* (*Psal.* LXXV, 11), etiam lingua tacente, sed corde clamante ac dicente: *Miserere mei, et exaudi me. Miserere mei*, qui miser sum, quandiu careo illa una, quam petii, et ideo tu misericors *exaudi me* dando illam unam, quam petii. Dico: *Exaudi, miserere*; iterum dico: *Exaudi.* Nec sufficit mihi petitio una pro illa unctione, quam petii, quoniam desideria dilata crescunt et augescunt, quæ, si decrescerent, desideria non essent. Nunc autem quanto plus oro, tanto plus accendor ad orandum intus in corde, ubi tu audis, et credo, jam audisti, hoc scilicet, quod

Vers. 8. *Tibi dixit cor meum.* Quid tibi dixit cor meum? Hoc scilicet: *Quæsivit* (60) *facies mea faciem tuam. Cor* humanum sive mens rationalis, quæ significatur nomine *cordis*, habet *faciem*, et hæc *facies* habet genas, de quibus dicitur ad sponsam Verbi, mentem scilicet rationalem: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis* (*Cant.* I, 10). Putasne invisibilis et incorporea substantia mentis, nec corporeis distincta membris, nec visibilibus fucata coloribus, visibiles habet genas? Hoc delirabat hæreticus Tertullus, qui animæ formam dogmatizabat visibilem, atque in modum corporis circumscriptam. Tu vero spiritalem essentiam spiritali, si potes, attinge intuitu, et ad coaptandum propositæ similitudinis schema cogita animæ faciem mentis intentionem, ex qua nimirum rectitudo operis sicut ex facie pulchritudo corporis æstimatur. Porro inverecundiam intellige tanquam colorem in facie, quod hæc potissimum virtus et venustatem ingerat, et augeat gratiam. *Pulchræ ergo sunt genæ tuæ sicut turturis.* Poterat usitatius faciem ponere et describere pulchram, sicut solet, cujus pulchritudo laudatur, pulchra facie, seu decora facie dici. Sed nescio quid sibi voluerit, ut magis *genas* pluraliter dicendum putaverit, nisi quod minime id putaverim otiosum. Spiritus namque sapientiæ loquitur, cui non est fas, vel modicum quid omnino ascribere otiosum, aut secus dictum quam oportuerit. Est itaque sine dubio causa, quæcunque illa sit, cur pluraliter *genas* maluerit, quam singulariter faciem dicere. Et si tu melius non habes, ego, quod mihi videtur aperio.

Duo quædam in intentione, quam faciem animæ esse diximus, necessarie requiruntur: res et causa, id est quid intendas, et propter quid? Ex his sane duobus animæ vel decor vel deformitas judicatur, ut, verbi causa, anima, quæ ambo ista recta atque pudica habuerit, illi merito veraciterque dicatur: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.* Quæ vero altero horum caruerit, non poterit dici de ea: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis* propter eam, quæ adhuc ex parte erit, deformitatem. Multo autem minus illi hoc poterit convenire, quæ neutrum horum habere laudabile invenitur.

At id totum fiet planius in exemplis. Si, verbi causa, intendat quis animum inquirendæ veritati, atque id solo veritatis amore, nonne is tibi videtur, et rem et causam habere honestam, meritoque sibi vindicare quod dicitur: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis*? Quippe cui in neutra genarum nævus reprehensionis appareat. Quod si minime quidem veritatis desiderio, sed aut inanis gloriæ, aut alterius qualiscunque commodi temporalis obtentu in veritatem intenderit, jam etsi unam genarum videatur habere formosam, non tamen, ut arbitror, dubitabis judicare, vel ex parte deformem, cujus alteram genam causæ turpitudo fœdaverit. Si autem videris hominem nullis honestis studiis intendentem, sed carnis irretitum illecebris, ventri et luxuriæ deditum, quales sunt illi, quorum Deus venter est, et gloria in confusione, qui terrena sapiunt, quid istud? Nonne ex utraque parte fœdissimum judicabis, in cujus utique intentione res et

(60) Vulgata: *Exquisivit te facies mea; faciem tuam, Domine*, etc.

Digitized by Google

causa reproba invenitur? Ergo intendere non in Deum, sed in sæculum sæcularis animæ est, nec ullam prorsus genarum speciosam habentis. Intendere autem quasi in Deum, sed non propter Deum hypocritæ plane animæ est, cujus etsi facies in hoc decora videtur, quod ad Deum qualicunque intentione respiciat, ipsa tamen simulatio omne decorum in ea exterminat, et magis per totum ingerit fœditatem. Si autem vel solum, vel maxime ob vitæ præsentis necessaria ad Deum converterit intentionem, non quidem fæce hypocrisis putridam, pusillanimitatis tamen vitio dicimus subobscuram et minus acceptam.

Porro e contrario intendere in aliud quam in Deum, tamen propter Deum, non otium Mariæ, sed Marthæ negotium est. Absit autem, ut de illa, quæ hujusmodi est, quidquam dixerim deforme. Nec tamen ad perfectum affirmaverim pervenisse decoris: quippe quæ adhuc sollicita est, et turbatur erga plurima, non potest terrenorum actuum, vel tenui pulvere non respergi. Quem tamen cito facileque deterget, vel in hora sanctæ obdormitionis cassa intentio, et bonæ conscientiæ interrogatio ad Deum. Ergo solum inquirere Deum propter ipsum solum, hoc plane est utramque bipartitæ intentionis faciem habere pulcherrimam, atque id proprium, ac speciale sponsæ est, cui merito singulari prærogativa audire conveniat: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.* Ut ergo facies cordis mei tota sit pulchra, pulchras utrasque habens genas, tibi, Deus meus, qui es vera et æterna pulchritudo supernorum civium, angelorum et hominum, cujus gloria et pulchritudine pleni sunt cœli et terra, id est angelica et humana in electis natura, *tibi*, inquam, specioso forma præ filiis hominum *dixit cor meum, quæsivit facies mea faciem tuam*, et in hac inquisitione perseverabo. Nam

Faciem tuam, sive *vultum tuum, Domine, requiram*, ut *de vultu tuo judicium meum prodeat* (*Psal.* XVI, 2), faciesque mea faciei tuæ conformetur in eo quod sicut tu nihil facis, nisi bonum et propter bonum, ita intentio mea coram facie tua semper dirigatur ad bonum propter bonum, fulgens et lucens gemina pulchritudine genarum, de quarum pulchritudine supra jam dictum est. Vidisti enim tu cuncta quæ feceras in principio, et erant valde bona, utpote a te Creatore bono propter bonitatem tuam creata, quibus bonis tu summe bonus es, A et Ω, principium et finis. Itaque tibi facienti bonum propter bonum, scio esse *vultum* bonum, cui conformari desidero vultum meum, ut et ego facie tua faciem meam illuminante, sibi quoque conformante omnimoda cordis intentione ad faciendum bonum propter bonum directus et intensus obtineam pro modulo meo similitudinem vultus tui, Domine, ita ut dicere possim cum omnibus sanctis: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (*Psal.* IV, 7). Sicut enim regale sigillum plumbo vel auro impressum format in eo vultum seu faciem regis, ita A tibi omnipotenti est possibile per impressionem tuæ formæ faciem meam faciei tuæ conformare. Vel sicut facies pulchra in speculum purum intenta format in eo pulchritudinis suæ conformitatem, sic te videmus nunc per speculum, sic mentis nostræ faciem bene detersam tibi exhibebis ut speculum purum, in quo appareat vultus tuus formosus. Tu es enim verus Eliseus, et ego sum puer mortuus, neque suscitari possum a morte, nisi tu, qui vita es, venias ad me, et me tibi conformando spiraculum vitæ mihi mortuo conferas. Fiet hoc, te applicante vultum tuum vivum vultui meo mortuo, cum tu verus Eliseus posueris oculos tuos super oculos meos, et os tuum super os meum, et manus tuas super manus meas, quod ego David propheta per incarB nationis tuæ mysterium credens futurum in hoc ipso *Psalmo* dico: *Credo videre bona Domini in terra viventium.*

Ego autem David pœnitens jam in Ecclesia post Incarnationis accepta sacramenta, post vitalem in baptismo unctionem iterum peccando mortuus, jam secundam quærens unctionem, *vultum tuum, Domine*, id est Filium tuum præ participibus suis unctum *requiro*, id est iterum quæro, ut oculos suos oculis meis, et os suum ori meo, et manus suas manibus meis imponendo faciat me vivere vera vita, quæ est ipse, ita ut possim dicere: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Gal.* II, 20). Hactenus dominante mihi morte impudicus, malus et superbus oculus meus impudici, mali C et superbi cordis mei fuit nuntius. Amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis oculi mei cum sensibus reliquis, et sit pudicus, benignus et humilis oculus meus, pudici, benigni et humilis cordis nuntius, ut ex hoc tali aspectu resplendeat in vultu meo vultus tuus, Domine. Similiter quia diffusa est gratia in labiis tuis ore vultus tui super os meum posito abundet gratia in labiis meis, ut nunquam inutiliter, sed semper utiliter aperiantur ad te laudandum et proximum ædificandum. Tuæ quoque manus in manibus meis operentur, ut per opera bona fiat evidens ac manifestum sanctæ Matri Ecclesiæ, quod vultus tuus vultui meo superpositus me fecerit vivere. In hac fide et spe cum D signaculum crucis vultui meo imprimo, vultum tuum in ipsa cruce cogito, quem vultui meo applicari desidero, et dico: *Vultum tuum, Domine, requiram.* Tali desiderio æstuabo crebro in ore crebrius, in corde habens hunc versiculum: *Deus misereatur nostri, et benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri* (*Psal.* LXVI, 1). Item: *Illustra faciem tuam super servum tuum* (*Psal.* XXX, 17). Item: *Faciem tuam illumina super servum tuum, et doce me justificationes tuas* (*Psal.* CXVIII, 135). Verum quantumlibet sit clarum speculum de facie formosa informatum, tamen erit informe aversa inde formosa facie. Sic rogo tibi, o æterna sapientia et pulchritudo, conformari, et vultui bonitatis tuæ assimilari, ut in hac faciei tuæ conformitate

Digitized by Google

permanentem in æternum, non ad horam exsultans in luce tua, sed usque in finem fine carentem.

Nunquid vero a semetipsa mens humana potest habere hanc interioris faciei, et genarum invisibilium pulchritudinem? Contradicit Apostolus, et dicit : *Quid enim habes, quod non accepisti* (*I Cor.* IV, 7) : Et Joannes : *Non potest homo*, inquit, *a semetipso accipere quidquam, nisi fuerit ei datum desuper* (*Joan.* III, 27). Et alius testis veritatis ait : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* (*Jac.* I, 17). Ego enim creatus ad imaginem et similitudinem tuam secundum creationis quidem nobilem conditionem sum speculum, sed peccato et miseria nimis obscurum : ideo contra peccati æruginem peto justificationes tuas, quibus clarificatum cor meum sit quasi purum speculum capax tuæ pulchritudinis tuæque dilectionis, qua non solum pulchras, verum etiam fœdas mentes adamas, ut pulchras facias. Ut autem possim obtinere, quod peto,

VERS. 9. *Ne avertas faciem tuam a me.* Et si avertis aliquando per id, quod es incomprehensibilis, et dicis mihi, quod dixisti Moysi : *Facies mea non videbitur tibi : non enim videbit me homo, et vivere potest* (*Exod.* XXXIII, 23) : Hoc obnixe rogo. *Ne declines in ira a servo tuo.* Sicut enim, qui bona temporalia petita te largitore bonorum, non te sibi putat iratum, nisi cum negas, vel tollis ea : sic ego, qui *unam petii*, qui vultum tuum quæsivi, tunc te mihi puto, et sentio iratum, cum avertis a me vultum tuum desiderabilem, *in quem desiderant angeli prospicere* (*I Petr.* I, 12). Itaque in aliis bonis interdum præsentari, interdum absentari concedo, dum ea præstando tuam ostendis præsentiam, eamdemque tollendo, vel denegando quamdam tuæ clementiæ indicas absentiam, ut probes Job servum tuum, vel Tobiam, sive alium talem, sed in absentatione vultus tui, vel faciei tuæ iram tuam formido. Ideo dico : *Ne declines in ira a servo tuo.*

Declinas enim non *in ira*, cum avertis faciem tuam a peccatis meis, ut deleas ea, sicut ego David soleo tibi dicere : *Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele* (*Psal.* L, 11) ; sive cum labi permittis hominem, ut cautior fiat post lapsum. Sed sicut dictum est, *in ira* tunc declinas, cum vultum tuum sanctis et piis desiderabilem retro inimicitiarum parietem de peccatis constructum sic abscondis ab homine vel ab anima rationali, sponsa tua, ut non saltem per *cancellos*, aut *fenestras* (*Cant.* II, 9) prospiciendo tuam faciem etsi non deosculandam, attamen breviter contuendam et in confessionibus, vel orationibus de voluntate tua consulendam exhibeas. Cancelli ad ornatum domus quasi forinsecus domui adhærent, et de domo, vel in domum prospiciendi arcuatis interius columnis aptitudinem præbent. Fenestræ autem domui sic inhærent, ut eam illuminent lumine solis per se intromisso. Congrue itaque per cancellos Veteris Testamenti Patres, vel etiam sub lege naturali patriarchas et justos accipimus, et per fenestras apostolos aliosque viros apostolicos, quorum doctrina fulget Ecclesia, ut sole fulget luna. Cum ergo tam densus est paries peccatorum nostrorum, ut exigentibus culpis omnino simus in tenebris, intercluso aspectu nostro a facie veræ lucis, tunc nobis litanias canentibus, et sanctos antiquos et novos, ut pro nobis rogent, rogantibus interdum quasi per cancellos et fenestras facies divinæ clementiæ datur inspicienda, ut ex ipsius aspectu remota ira super nos rutilet misericordia. Quam misericordiam ego David, ego innocens aut pœnitens, ut David semper desiderans dico tibi, Deus meus, misericordia mea, illuminatio mea et salus mea : *Ne declines in ira a servo tuo.* Sed potius

Adjutor meus esto, quia licet contuleris mihi liberum arbitrium, tamen ipsum arbitrium, sicut est ab omnimoda necessitate penitus liberum, ita ut neque fatalis dispositionis, neque constellationis, neque ullius alterius rei constringatur necessitate ad inevitabilitatem peccandi, sic est omnimoda miseria miserum et infirmum, ita ut ei etiam ad minimum quodlibet bonum cogitandum, volendum, agendum, tuum adjutorium sit necessarium, cui nunc dico : *Adjutor meus esto ;* et quia cessante adjutorio tuo statim totius humanæ virtutis conatus aut nullus, aut cassus invenitur, sicut propter boni operis inchoationem et provectionem tibi dico : *Adjutor meus esto*, sic propter ejusdem perseverantiam et consummationem dico : *Ne derelinquas me*, id est non intermittas, vel dimittas inceptum.

Neque despicias me, id est non contemnas, quod ego mortalis æternum, infirmus fortissimum te adjutorem audeo invocare, quoniam ad hanc fiduciam non præsumptio, sed fides animat, quia firmissime credo, ac nullatenus dubito *quia tu es, Deus, salvator meus* (*Psal.* XXIV, 5). Tu, qui es creator meus, etiam salvator meus es. Tu, Creator, fecisti mihi arbitrium liberum ab omni necessitate ad peccatum cogente. Sed quia per abusionem libertatis incidi laqueum culpæ ac miseriæ, contigitque mihi per peccatum et pœnam peccati languor fortissimus, tu factus es mihi salvator, qui eras creator, ut arbitrii libertatem sui quidem conditione satis nobilem, sed in peccato et pœna languentem salves ab utroque, in hac vita dando remissionem peccatorum, in futuro vero beatitudinem gaudiorum æternorum. Gemina est hæc unctio : sed ego *unam petii*, vel, sicut supra dictum est, unam illam, quæ antecedit in virtute meritorum, quorum inchoatio et consummatio est remissio peccatorum primitus originalium, deinde actualium : vel certe alteram unam unctionem petii, quæ in fine subsequetur, qua peracta fidelis

Digitized by Google

anima quasi David perducetur in Jerusalem civitatem regalem, et sanctam sempiternæ pacis visionem beatam.

Sic enim sunt contiguæ sibi istæ duæ unctiones, ut una quælibet earum impetrata necessario habeatur altera. Sane infantibus, quibus nunquam fuit operandi tempus, prior unctio est originalis peccati remissio. Nam præveniente morte sine mediante unctione meritorum tales perveniunt ad unctionem sempiternorum gaudiorum. Hujus unctionem adhuc ignari apostoli audierunt veritatem sibi dicentem : *Usque modo non petistis quidquam. Petite, ut gaudium vestrum plenum sit* (*Joan.* XVI, 24). Ac si diceret : Nisi hanc *unam* petitionem faciatis, qua per unctionem sancti Spiritus ad plenum gaudium perveniatis, nihil est quod petitis : et ideo usque modo non petistis quidquam, quia non petistis hanc unam actionem, qua gaudium vestrum sit plenum. O quam pulchrum et jucundum est in omnibus orationibus hanc unam petitionem subaudire, vel subintelligere, ut gaudium nostrum sit plenum, verbi gratia, cum oramus : *Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum : fiat voluntas tua sicut in cœlo, et in terra*, etc. Pulchre subintelligimus ad singulas septem petitiones, ut gaudium nostrum plenum sit. Quid enim prodest nobis, quod sine dubio sanctificatur nomen Dei, et adveniet regnum Dei, fietque voluntas Dei sicut in cœlo, et in terra, nisi hanc unam petitionem accipiamus, ut gaudium nostrum sit plenum, plene gaudentibus nobis in adimpletione talium petitionum? Porro dæmones et maligni homines, adveniente regno Dei, in quo sanctificatur nomen ejus, et fit voluntas ejus, non habent congratulationis gaudium, sed invidiæ tormentum. Nos ergo ne talibus annumeremur, in omnibus petitionibus nostris hanc unam petitionem subintelligamus, ut gaudium nostrum plenum sit, non admittens ullum tormentum malitiæ, secundum quod scriptum est de sanctis : *Et non tanget illos tormentum malitiæ* (*Sap.* III, 1). Nequam spiritus angelici et humani tanguntur, et anguntur nimio tormento malitiæ et invidiæ, malitiæ in sua nequitia, invidiæ de felicitate aliena. Omnes iracundi et superbi torquentur nimio tormento impatientiæ, cum fit aliquid contra ipsorum velle. Charitas autem, quæ *non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati* (*1 Cor.* XIII, 6), a multis tormentis liberat, et gaudium plenum serenis mentibus confert. Hanc unam petamus, ut gaudium nostrum sit plenum. *Hanc unam petii a Domino, hanc requiram*, ut gaudium meum sit plenum. Quod gaudium, ut nemo tollat a me, *Adjutor meus esto, Domine, ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus.* Tu *ne derelinquas me*,

VERS. 10. *Quoniam Pater meus et mater mea dereliquerunt me.* Exaggeratio miseriæ humanæ affectum provocat misericordiæ divinæ. Nam qui A suam agnoscit, et confitetur miseriam, per ipsius miseriæ confessionem promeretur Dei miserationem.

Est autem non nova, sed antiqua miseria, quam sustineo ego David : *Quoniam pater meus et mater mea derelinquunt me? Pater meus Adam, et mater mea* Eva fuerunt benedicti a Deo dicente illis : *Crescite, et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam, et dominabimini piscibus maris, et volatilibus cœli, et universis animantibus, quæ moventur super terram* (*Gen.* I, 28). Sic benedicti parentes mei si permansissent in fide et obedientia, omnis posteritas eorum de benedictionibus divinæ gratiæ et virtute multiplicata esset benedicta, in qua et ego essem benedictus. Peccato vero emergente dictum est patri meo B Adæ : *Maledicta terra in opere tuo. Cum operatus fueris terram, non dabit fructus suos ; sed spinas, et tribulos germinabit tibi* (*Gen.* III, 17, 18). Ad matrem quoque meam Evam dictum est a Deo : *Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos* : in *dolore paries filios tuos* (*Gen.* III, 16). Ex hujusmodi maledictione sunt spinæ peccatorum ac tribuli pœnarum, in humano genere, in quo multiplicatis ærumnis et conceptibus mulieris multiplicati sunt super numerum prædestinatorum filii hominum. Tunc ergo *pater meus et mater mea dereliquerunt me*, quando primi parentes mei exposuerunt me peccatis et miseriis.

Dominus autem assumpsit me assumendo carnem pro me de sancta Virgine. Quod jam tunc C erat in prædestinatione divina ordinatum, quando dictum est ad serpentem : *Ponam inimicitias inter te, et mulierem, et inter semen tuum, et semen illius. Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo illius* (*Gen.* III, 15).

Etiam ad litteram *pater meus et mater mea dereliquerunt me* parvulum David, quia minimus fratrum meorum vilis et abjectus fui coram eis, ita ut requirente me Samuele vix admissus fuerim in numero fratrum meorum. *Dominus autem assumpsit me*, quoniam septem fratribus meis me majoribus contemptis, per Samuelem unxit me unctione prima, unctione misericordiæ suæ in domo paterna videntibus et invidentibus ipsis fratribus meis. Illam D primam unctionem ego David non petii, quia nec petentem, nec opinantem prævenit me Dominus in benedictionibus dulcedinis, et assumpsit me in regem super Israël. Postea vero *unam petii*, mortuo Saule, dicens : *Num ascendam in unam de civitatibus Juda* (II *Reg.* II, 1). *Et Dominus assumpsit me.* Vocans ut ascenderem in Hebron, ubi denuo unctus in regem glorior in Deo, et dico : *Dominus assumpsit me.*

Aliter : *Pater* diabolus, et *mater* Babylonia, ex quibus in infidelitate natus sum, *dereliquerunt me* quærentem te, et contemnentem se. Omnibus quippe in peccato per diabolum invento conceptis et natis dicere potest Veritas : *Vos ex patre diabolo estis* (*Joan.* VIII, 44). *Dominus autem assumpsit me in*

Digitized by Google

sua Ecclesia : cui dicit : *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui* (*Psal.* XLIV, 11). Hac vocatione facta ex ore Dei sanctam Ecclesiam filiam appellantis, et se Patrem ipsius filiæ suæ recognoscentis ego David parvulus, ego qualiscunque ipsius Ecclesiæ matris filius audeo dicere : *Quoniam pater meus* diabolus, pater superborum, imo rex eorum, *dereliquit me* humilem factum, et in filiationem Dei adoptarum, *et mater mea* Babylonia civitas, et genitrix impiorum dereliquit me derelinquentem se. *Dominus autem assumpsit me* adoptando in filium per unum hominem assumptum sibi in naturalem filium. *Dominus*, inquam, *assumpsit me*, factus mihi pater bonus pro malo patre, quia tanquam pater virga disciplinæ castigat me, sicut castigat omnem filium quem recipit. Idem quoque Dominus mihi est mater fovendo, et nutriendo maternis consolationibus, deficiam fractus paternis correptionibus.

Aliter : Ego Christus, verus David, habens patrem Judaicum populum, de quo carnaliter propagatus sum, et matrem Synagogam, cujus adhuc puer tenui observantiam circumcisus octava die, et oblatus in templo cum legali sacrificio, cum cœpissem jam adultus legales traditiones contemnere, in Sabbato curans infirmos, a tali patre ac matre derelictus sum dicentibus contra me Scribis et Pharisæis : *Non est hic homo a Deo, qui Sabbatum non custodit* (*Joan.* IX, 16). Novissime nimis crudeliter *pater meus et mater mea dereliquerunt me*, quando tradentes me ad mortem dixerunt : *Non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX, 15). *Dominus autem*, Dei Verbum *assumpsit me*, quoniam qui in conceptione assumpserat in unitatem personæ suæ, ut ego David verus homo essem et verus Deus, ipse me in Resurrectione *assumpsit* in identitatem regalis gloriæ, ita ut victor mortis gloria et honore coronatus tanquam rex inclytus possem dicere : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII, 18). Hoc ante mortem meam non dixi, quando adhuc non solum Deo Patre, sed et angelis minor exstiti. At postquam triumphata morte gloria et honore coronatus conscendi ad dexteram Patris, regis cuncta regentis, et ubique dominantis, recte possum per ora meorum psallere ac dicere : *Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me; Dominus autem assumpsit me. Dominus*, inquam, *assumpsit me*, ut ego assumptus homo in Dominum sim Dominus, Domino Deo me hominem assumente jam non solum in persona, sed etiam in omni dominio unitus; quia data est mihi non particulariter quædam potestas, sed universaliter *omnis potestas*, id est in cœlo et in terra. Potestatem hanc in divinitate mea ego verus David semper habui, sed in humanitate mea usque ad mortem crucis humiliter se inclinante data est mihi hæc omnis potestas, quam semper una cum patre meo omnipotente habuit mea divina majestas. Ego enim et Pater meus non sumus duo Domini, sed unus Dominus. Item ego verus homo, idemque Filius hominis, ita sum unus Dominus, ut in duabus meis naturis nulla sit omnino dualitas dominationis. Recte itaque dico : *Dominus assumpsit me.* Huic Domino me assumenti in naturalem filiationem, et per me meos assumenti in filiorum adoptionem ego verus psallens dico :

VERS. 11. *Legem pone mihi, Domine, in via tua. Mihi*, id est meis *legem pone in via tua*, id est in me, qui *sum via, et veritas, et vita* (*Joan.* XIV, 6). *Et dirige me;* id est meos, *in semita recta*, per angustias tribulationum *propter inimicos meos*, nomen meum blasphemantes in meis, ubi a via et semita recta exorbitaverunt. Ideo non solum propter bonitatem tuam, sed etiam *propter inimicos meos* mihi et meis insidiantes *ne tradideris me*, id est meos, *in animas tribulantium me.* Si tradideris exteriorem substantiam, vel etiam corpora meorum in manus tribulantium, tamen ne tradideris me, id est meos, *in animas tribulantium*, ita ut animæ meorum conformentur animabus inimicorum tribulantium, quod utique fieret, si martyr me Veritatem negando ad voluntatem et animam persecutoris tribulantis transiret. Scio ego verus David, quam sint proni ad blasphemandum parvulos meos inimici mei. Nam et ego talia passus sum : *Quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquas sibi* (*Psal.* XXVI, 12). Sibi quippe satis conscii fuerunt, quod mendaciter locuti sunt contra me, dicentes : *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* (*Luc.* XI, 15). Item : *Dæmonium habet, et insanit, quid eum auditis?* (*Joan.* X, 20.) Novissime autem cum duo falsi testes contra me stetissent, dicentes : *Hic dicit : Possum destruere templum hoc manufactum, et in tribus diebus aliud reædificabo* (*Matth.* XXVI, 61). Tunc plane *mentita est iniquitas sibi*, quia *non erat conveniens testimonium eorum* (*Marc.* XIV, 59). Ego enim non dixeram de templo manufacto, quamvis hoc destruere, atque in momento reædificare mihi possibile esset ; sed dicebam de templo corporis mei : *Solvite templum hoc, et post triduum reædificabo illud.* Postremo etiam tunc *mentita est iniquitas sibi*, quando a militibus mendacium ementes dixerunt : *Dicite, quia discipuli ejus nocte venerunt et furati sunt eum nobis dormientibus* (*Matth.* XXVIII, 13).

Talia orante vero David, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, ego peccator David confidens in tali talis David oratione facta pro me peccatore, *credo videre bona Domini in terra viventium. Credo* me per virtutem orationis ejus exaudiri orantem, et in ipso, atque cum ipso dicentem : *Legem pone mihi, Domine, in via tua.* Tu legem posuisti rebus, quando certa lege et gyro vallabas abyssos, et legem ponebas aquis et mari, ne transeant fines suos. Hac lege posita inter medium montium pertransibunt aquæ, et mare sentit sibi legem positam te dicente : *Huc usque venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos* (*Job* XXXVIII, 11). Tibi ergo est possibile mihi quoque legem ponere *in via tua*, id est in Christo,

Digitized by Google

qui est via, ne transeam terminos ambulantibus in via illa constitutos. *Et dirige me in semita recta*, ut sive ambulem in latitudine vitæ activæ tanquam *in via*, sive gradiar in angusta *semita* vitæ contemplativæ, non aberrem a justitia, seu veritate, neque inveniar aliquando extra viam justæ actionis et *semitam* veræ contemplationis *errans in invio, et non in via* (*Psal.* CVI, 40).

Sic dirige ad anteriora semper extendendo me obliviscentem, quæ retro sunt, *propter inimicos meos* a tergo sequentes, et retro in Ægyptum retrahere volentes. *Dirige me in via* dicente ipso, qui est via, et qui est *columna ignis* propter fortitudinem, et rectitudinem lucentis et ardentis divinitatis, et *columna nubis* propter fortitudinem et rectitudinem candidæ ac blandæ humanitatis (*Exod.* XIII, 21). Vel est *columna ignis* propter zelum veritatis et justitiæ : *columna nubis*, propter mansuetudinem gratiæ ac misericordiæ. Sic enim *vidimus eum plenum gratia et veritate* (*Joan.* I, 14), credamus ejus ducatum sufficere nobis per diem prosperitatis, et per noctem adversitatis. *Dirige me*, ne apprehenso aratro aliquando retro respiciens non sim aptus regno Dei. *Dirige me*, ne de Sodomis egressus retro respiciam sicut uxor Lot. *Dirige me*, ne imitator sim eorum qui dixerunt in Evangelio : *Durus est hic sermo, et abierunt retro jam nolentes ambulare* in via per directum *cum ipso*, qui est via (*Joan.* VI, 61, 67). *Dirige me in semita recta*, ne vadam per anfractus, ut serpens tortuosus et lubricus, neque incedam per labyrintheos circuitus curarum sæcularium.

Legem pone mihi, Domine, in via tua, quam demonstrant præcepta tua, *et dirige me in semita recta*, quam demonstrant consilia tua, ne a rectitudine viæ vel semitæ ullatenus declinem, sive ad dexteram, sive ad sinistram : ad dexteram per malum specie boni opertum, ad sinistram per malum nudum et apertum. *Dirige me*, ut per cursum directum festinem pervenire ad bravium, sic currens, ut comprehendam. *Dirige me* semper in anteriora *propter inimicos meos* a tergo sequentes et persequentes, a dextris et a sinistris insidiantes, et juxta iter scandalum ponentes, unde si vel modicum deviavero a *rectitudine viæ*, vel *semitæ* incidam in latrones, ut homo ille, qui descendebat ab Jerusalem in Jericho (*Luc.* X, 30). Latrones illi parati sunt spoliare, ac vulnerare, vel necare omnem hominem descendentem ab Jerusalem. Spoliant auferendo munera gratiæ, ut est fides, spes et charitas, ac cætera dona perfecta naturæ superaddita : plagis vero impositis vulnerant, quæ auferre non possunt optima data naturalia, ut est memoria, ratio, voluntas. Et hoc faciunt homini descendenti ad Jerusalem in Jericho. Sed ego David unctus in regem, sciensque Jerusalem civitatem esse regalem, quam rex Melchisedech antea inhabitavit, quæro ascendere in Jerusalem, ut illic *inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*, qui persequente me Saule inter gentes idola colentes diu exsulavi: Volentem ergo ascendere in Jerusalem, non descendere ab Jerusalem in Jericho, tu *dirige me in semita recta*, et omnino sursum versus Jerusalem directa, inter eos, quibus dicit verus David : *Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis* (*Luc.* XVIII, 31). Et si tradendus sum gentibus ad illudendum, et conspuendum, et flagellandum, cum sic ascendo in Jerusalem, tunc oro:

VERS. 12, 13. *Ne tradideris me in animas tribulantium me* : Ut quod desiderat malignitas eorum, perficiant in me.

Quoniam insurrexerunt in me testes iniqui Doëg Idumæus et alii mendaces, qui mentiti sunt, cum dixerunt Achimelech sacerdotem dedisse mihi consilia contra Saulem, et sacerdotes alios conjurasse mecum contra ipsum.

In Hebræo legitur : *Ostende mihi, Domine, viam tuam, et deduc me in semita recta propter insidiatores meos. Ne tradas me, Domine, animæ tribulantium me, quoniam surrexerunt contra me testes falsi, et apertum mendacium. Ego autem credam, quod videbo bona Domini in terra viventium.* Ergo per apertum mendacium *mentita est iniquitas sibi* contra suam conscientiam : *sibi* non mihi, quem non movit. Unde major mihi spes et fides, qua *credo* me visurum vera *bona Domini in terra viventium* pro malis falsis mihi objectis et improperatis in terra morientium. Si falsas objectiones, et detractiones, et iniquitatem sibi mentientem impatienter sustinuissem, nihil inde boni sperarem. Nunc autem quia patienter sustinui, ex merito patientiæ inter mendacia servatæ veraci fide *credo videre bona Domini in terra viventium*, ubi locum non habet iniquitas, aut mendacium. In terra autem morientium, quia locum habet mendacium, et iniquitas, ipsa *iniquitas mentita est sibi*, quia suo mendacio iniquus delectatur et cruciatur. Delectatur, cum sui similibus pro vero persuadet mendacium; cruciatur, dum a bonis deprehenditur apertum mendacium, quod mentita est iniquitas sibi; quia omne peccatum in suum auctorem redit, cumque potius quam innocentem proximum lædit. Sed ego David, ego pœnitens ut David, inter tot et tanta pericula fatente mihi bona conscientia de conservata patientia, vel etiam sequente pœnitentia de non servata patientia fretus aut bonæ conscientiæ aut veræ pœnitentiæ testimonio, *credo videre bona Domini* non in terra morientium, in qua granorum bonorum paucitas latet sub multitudine malarum palearum, in qua dies mali sunt multi, et paucitas dierum bonorum finitur brevi; sed *in terra viventium*, in qua melior est dies una super millia, paleis ac zizaniis de area Dominica ventilatis, et bonis granis in horreum domini congregatis.

Ego David, semel quidem unctus in domo Patris mei, priusquam linitus essem secundo vel tertio, cum essem in Siceleg peregrinus, et ejectus de terra Israel nullam habens civitatem regni mei, *unam petii* dicens ad Dominum : *Num ascendam in*

Digitized by Google

unam de civitatibus Juda? Et jussus ascendere in Hebron, diu sum dilatus ab introitu civitatis Jerusalem, in qua solium regni eram habiturus. Fuit enim longa concertatio inter domum meam, et inter domum Saul, neque mihi concessum est regnare in Jerusalem super universum Israel filio Saulis Isboseth regnante super Israel. In tanta vero dilatione, qua vivente Saule aut filios ejus prohibitus sum regnare in regno totius Israel mihi destinato, non sum fractus per vitium pusillanimitatis a longanimi exspectatione divinæ promissionis, qua dictum erat de me per Samuelem, quod abjecto Saule deberem regnare. Hoc certissime credens futurum longanimiter, et patienter exspectavi Dominum sua promissa completurum sciens in suis prædictionibus, et promissionibus nullum esse mendacium, quia quæcunque promittit, hæc et facit. Ideo diu militans ego David, vel in servitio militari sub Saule rege me mittente ad multa pericula, vel eodem me ejiciente de terra Israel non defeci per diffidentiam, sed viriliter egi magnam habens fidei certitudinem de promisso Dei. Propterea, ut dictum est, viriliter egi, et confortatum est cor meum : cogitavi mihi veracem et potentem esse promissorem, et sui promissi debitorem Deum, quem sustinui longanimiter, humiliter et patienter, quoadusque adimplevit mihi, quæ promisit non modice, sed ita magnifice, ut non solum mihi regnum stabiliret, sed etiam in futurum genus mihi successurum se juramento constringeret, quod de fructu ventris mei super solium meum talem regem suscitaret, qui sine fine regnaret, cujus thronus esset permansurus in sæculum sæculi, et virga æquitatis virga regni ejus. Exemplum dedi tibi, quicunque in baptismo es linitus in regale sacerdotium, et non statim liberaris ab omni violentia Saulis, id est mortis. Noli deficere a disciplina Domini, neque fatigeris, cum eo argueris, et castigaris etiam per ministros impii Saulis, id est mortis, quibus te affligentibus, et interdum de regno tibi debito expellentibus, ita ut vix locum invenias, ubi tuta exspectatione maneas, tamen

Vers. 14. *Exspecta Dominum*, qui non fallit, et in exspectatione tua non segniter, sed *viriliter age;* non in fortitudine carnali, quia sunt fortes, qui contra te dimicant, sed in fortitudine cordis boni et optimi. Nam qui in corde bono et optimo verbum Dei retinent, quæ præcepit amando, quæque promisit exspectando, illorum laudabilis est fortitudo spiritalis. Hanc ut habere valeas, et si caro lassescat, tamen magis ac magis de die in diem per fidem et spem *confortetur cor tuum, et sustine Dominum.* Non putes negatum, quod sentis dilatum. Non deficias desperatione, sed longanimiter exspecta quod credis, et patienter sustine quod pateris. Esto unus de turba sustinente Dominum triduo, ut merearis audire Dominum, aut si non audis carnali auditu, persentias in divinæ miserationis effectu de te dicentem : *Misereor* super istum pauperem, *quia jam triduo sustinet me.* (*Marc.* VIII, 2.) Sustine Dominum castigantem, et sine dubio senties quandoque consolantem.

Gloria Patri, qui verum David plenissime unxit, ut regnet super universum Israel. Sit ipsi gloria in talis regni providentia. *Gloria Filio* vero David præ suis consortibus uncto. Sit ipse gloriosus non solum in se, sed etiam in suis consortibus ac participibus. *Gloria Spiritui sancto*, qui est regalis ac sacerdotalis unctio, sit ipsi gloria in Sancta et uncta Ecclesia, nunc et in sæcula. Amen.

PSALMUS XXVII.

Vers. 1. *Ad te, Domine, clamabo. Deus meus, ne sileas a me : ne quando taceas*, etc. Ab isto psalmo vicesimo septimo jam quinta periocha sit, cum ad caput reditur, ad summum fidei quam de Christi Passione et Resurrectione constare credimus, et scimus. Ad te, inquit, *Domine*, *clamabo*, *Deus meus*, *ne sileas a me*, etc. Voces quippe capitis nostri sunt orantis pro Resurrectione sua, ut non sit *similis descendentibus in lacum*, simulque interponentis damnationem inimicorum sub concessione, qua dicit : *Da illis secundum opera, et secundum adinventionum ipsorum*, etc. Nam quod ait : *Dominus adjutor meus et protector meus, et in ipso speravit cor meum, et adjutus sum, et refloruit caro mea*, certissima post orationem. Resurrectionis enuntiatio est, in qua videlicet refloruit caro ejus, quæ cum de radice Jesse floruisset, sub flagellis, opprobriis visa fuerat defloruisse. Est autem titulus :

PSALMUS HUIC DAVID.

Certum est quod per David intelligitur Christus in persona capitis aut membrorum. Sed quando titulus habet : *huic*, vel *ipsi*, tunc attribuitur Christo, sicut hic, ubi per totum psalmum loquitur Christus. Est autem hic psalmus tertius eorum, qui breviter de passione et resurrectione commemorant.

Primo precatur exaudiri se tempore passionis et persecutorum, quibus pœnas, quas optare videtur, potius indicat, non studio malevolentiæ, sed contestatione vindictæ. Secundo de sua glorificatione gratias agit ibi : *Benedictus Dominus.* Et salutem credentium asserit ibi : *Dominus fortitudo.* Intentione monet eos adversa tolerare, qui glorificari

Digitized by Google

cum Christo desiderant. Se autem proponit justis exemplum confidendo in Deo, cum ipse a Deo dignus totum petit a Deo, et ait :

O Domine Deus meus, ego homo *clamabo ad te :* tu vero *ne sileas*, ita ut *a me*, id est ab eo, quod homo sum, verbum tuum separes. *Ne quando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum.* Passio mea clamor est, quia clamans exspiro, et cum clamore valido preces supplicationesque offero exaudiendus pro mea reverentia. Tu igitur, Deus Pater, *ne sileas a me ;* sed responde mihi per evidentiam tuæ protectionis in Passione, custodiens me a crurifragio, et aliis, quæ non oportet fieri de me, neque scripta sunt de me. *Ne quando taceas a me ;* sed loquere mihi posito in sepulcro : *Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cythara.* (*Psal.* CVII, 3). Nisi enim sic loquaris mihi per evidentiam resuscitationis de sepulcro, dum ego psalterium tuum jacens in sepulcro, non ero sonorum de verbo tuo, quod, licet non separetur, tamen silebit in corpore meo mortuo et sepulto. Ego ex nimium longo tali silentio *assimilabor* aliis hominibus *descendentibus in lacum*, quorum nullus habet corpus verbo tuo unitum, licet plurimi eorum, ut patriarchæ et prophetæ, ad quos factum est verbum tuum, dii vocati sint. Attamen quando mortui sunt, ipsum verbum, quod ea eos viventes factum est, ita siluit in eis, ut originali culpa obstricti per mortem descenderent in infernum, tenerentque eorum ora in sepulcro longum silentium. His dixisti : *Dii estis, et filii Excelsi omnes* (*Psal.* LXXXI, 6). Si ergo dixisti eos deos, ad quos sermo tuus factus est, et ex nomine Deitatis dedisti eis fidem, et spem divinæ immortalitatis, quanto magis me, quem tu, Pater, sanctificasti, et misisti in mundum, sic te decet glorificare veloci et festina resurrectione, ut ego psalterium tuum valde sonorum, ego Verbum tuum incarnatum, ego psalterium jucundum cum cithara, ego verbum tuum cum natura humana mihi per sancti Spiritus plectrum et operationem contemperata non diu habeam silentium in sepulcro sub lapide, militumque custodia? jubentibus enim hostibus meis custodiri sepulcrum usque in diem tertium, nisi die tertia manifesta fiat mea resurrectio, ab ipsis inimicis, et fortassis etiam ab amicis *assimilabor* aliis hominibus *descendentibus in lacum.* Itaque, o Pater, *ne sileas a me.*

Tu es enim leo fortissimus, et ego sum catulus leonis filius tuus. Est autem natura leonis, ut per vocem rugitus catulos suos mortuos vivificet. Cum ergo sim ego leo leonis catulus, tu leo, Pater meus, *ne sileas a me* in sepulcro jacente, sed rugitu verbi tui suscita me hominem ipsi verbo tuo sic unitum, ut ego ipse sim verbum tuum, sapientia tua, filius tuus, de quo dicitur in benedictionibus Judæ : *Catulus leonis Juda, ad prædam ascendisti, fili mi, requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna.* (*Gen.* XLIX, 9). *Quis suscitabit eum?* Ecce ista benedictio, ut me distinguat ab aliis mortuis *descendentibus in lacum*, dicit mihi ex voce tua Pater : *Ad prædam ascendisti, fili mi.* Et revera juxta hujus benedictionis vaticinium ego ipse, qui descendi ad deprædandum infernum, cum ipsa præda victor ascendi de inferno in paradisum, de quo dixi latroni : *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 43). Sed licet ego in anima mea victor de inferno in paradisum ascenderim, tamen nisi corpus meum resurgat in die tertia secundum Scripturas, ego *assimilabor descendentibus in lacum.* Ergo tu, Pater, *ne sileas a me*, sed cito de sepulcro voca me, et respondebo tibi. Voca tu me, dicens : *Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara*, et ego respondebo tibi. *Exsurgam diluculo.*

In Hebræo legitur : *Ad te, Domine, clamabo, fortis meus, ne obsurdescas mihi, ne forte tacente me comparer his qui descendunt in lacum.* Proprie *fortis* dicitur leo leonis pater, cui dico ego leo filius ejus : *Ad te, Domine, clamabo, fortis meus, ne obsurdescas mihi*, quasi non audiens me, vel ne obsurdescas propter sordes peccatorum, quæ ego innocens agnus tuli super me. Surdus enim dicitur, qui propter sordes in aurium foraminibus collectas non habet aures patulas. Et ego licet peccatum non fecerim, nec inventus sit dolus in ore meo, tamen habeo super me peccata et languores eorum, qui de me dicunt : *Et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulnerabatus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, et Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum* (*Isa.* LIII, 4, 6). Ne autem putetur violentia paternæ jussionis potius, quam benevolentia mea spontanea hoc factum, verissime item dicitur de me : *Oblatus est, quia ipse voluit, et peccata nostra ipse portavit* (*Isa.* LIII, 7). Igitur ego fortis filius ad te clamabo, fortis Pater meus, ne obsurdescas mihi, ne propter sordes peccatorum alienorum tanquam surdus mihi sis tardus exauditor : imo per linteum Passionis, qua sum præcinctus, quo et tersi pedes discipulorum, purgans eos a sordibus, volo jam sordes peccatorum, quibus aures tuæ ab exauditione impediebantur, de medio esse sublatas, ne me clamante sive in mea persona sive in membris meis ulla sit mora exauditionis. Esto mihi, et meis amodo exauditor promptus, et in quacunque die invocavero te, velociter exaudi me ; neque sis memor sordium, quas de auribus tuis ego tollo, qui tollo peccata mundi. Neque obsurdescas mihi. Et ego quidem sciebam quod semper me audis. Verum propter meos dico : *ne obsurdescas mihi*, quia quandiu obsurdescis mihi de minimis meis, mihi obsurdescis. Ego ne obsurdescas mihi, Pater, ne forte me jacente in sepulcro comparer his qui descendunt in lacum, sicut supra expositum est.

Aliter : Solete venire, ut pusillanimes oratores nisi cito exaudiantur, conticescant ab oratione in quodam velut sepulcro diffidentiæ. Non igitur ego Christus pro meis fortibus rogo tantum, qui, ut in præ-

Digitized by Google

cedenti psalmo suasum est, sustinent me triduo velut in sepulcro jacentem, et non eis per manifesta beneficia apparentem, quoadusque *stans in medio eorum* dicam eis : *Pax vobis* (*Joan.* xx, 19) ; sed etiam pro his rogo, qui crediturі per verbum eorum non sunt ita fortes, ut ipsi discipuli mei, quos ore proprio instruxi ad perseverantiam orandi. Nam etiamsi cuiquam talium media nocte ostium amici pulsanti dicat ipse amicus : *Noli mihi molestus esse, non possum surgere, et dare tibi* (*Luc.* xi, 7), ille tamen perseverabit pulsans, donec accipiat panes quotquot habet necessarios. Pusillanimes autem quasi cum mulieribus plangentes ad monumentum, quando sibi denegatis beneficiis per me mediatorem a te Patre speratis contristantur, quasi ego sim eis mortuus, et tu surdus, ipsi tales indigent hac oratione, quia in hoc psalmo dico : *Ad te clamabo, fortis meus, ne obsurdescas mihi, ne forte me tacente comparer his qui descendunt in lacum.* Ipsi enim per me suas preces ad te mittunt, Pater, cui dicunt : Exaudi, Pater, *per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum* : et ideo, nisi tu eos cito audias et exaudias, me mutum et te surdum putabunt. Me mutum, qui non valeam pro eis interpellare; te vero surdum, qui non audias preces tibi oblatas per me. Tali diffidentia et mœrore confecti de me dicunt in cordibus suis : *Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus Israel. O stulti, et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ.* Sperabatis in præterito, et non speratis in præsenti? *Nonne sic oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam* (*Luc.* xxiv, 21, 25, 26) ad tempus disparendo, et iterum suis apparendo? Nonne sic etiam usque in finem sæculi oportet probari fideles, an sint in fide ac spe longanimes per modicum non videndo, et iterum per modicum videndo Christum? Modicum enim non vident eum, ut sit fides de illo quod non vides. Si enim vides, jam non est fides. Et iterum modicum, et vident eum per aliquod manifestum gratiæ suæ beneficium, ut fides habeat meritum, cui non humana ratio, sed divina manifestatio præbet experimentum. *O stulti et tardi corde ad credendum!* dicendo : *sperabamus*, id significatis per verbum præteriti imperfecti temporis, quia nondum ex toto defecerit spes vestra, quæ si omnibus defecisset, non vos dicerem habere *cor stultum et tardum*, sed incredulum vel perfidum. Nunc autem *ambulate, dum lucem habetis* aliquantulæ spei, *ut non tenebræ* perfidiæ *vos comprehendant* (*Joan.* xii, 35). Dicite luci vobiscum sermocinanti et ambulanti : *Mane nobiscum, quia advesperascit* (*Luc.* xxiv, 29). Plane tunc in corde vestro advesperascit, quando fidei ac spei lumen ad defectum vergit.

Sicsic increpatis discipulis dubitantibus ac pene desperantibus, ego David fungens mediatoris officio inter discipulos et te Patrem post illorum illisque similium increpationem denuo pro illis orationem fundo, et dico :

Vers. 2. *Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ.* Prius dixi : Ne obsurdescas mihi, nunc dico : *Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ.* Hæc nempe fuit deprecatio gemina : *Ne sileas a me, et ne quando taceas a me*, sive ut Hebraica veritas habet : ne obsurdescas mihi, ne forte tacente me mihi comparer his qui descendunt in lacum. *Ne*, inquam, *tacente me mihi.* Contingit enim ut, tacente me non mihi qui æternum verbum sum, nullumque apud me admitto silentium, taceam aliis, præcipue inimicis, ut Herodi et Pilato, qui mihi dixit : *Mihi non loqueris?* (*Joan.* xix, 10.) Hoc itaque silentium non abnuo, quo inimicis taceo usque in illum diem, de quo dicitur : *Deus manifeste veniet, et non silebit* (*Psal.* xlix, 3). Hoc silentium concedo, quo huic mundo taceo, qui me mutum, et te Patrem surdum putat, sic irreverenter in conspectu meo peccans et in auditu tuo blasphemans, quasi verum sit, quod dixit in corde suo. Quid dixit? *Oblitus est Deus, avertit faciem suam, ne videat in finem* (*Psal.* ix, 11). Sic dicit insipiens hic mundus. Et ego *non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi de mundo* (*Joan.* xvii, 9), ne forte tacente me mihi, id est apud me vel meos ab oratione, vel interpellatione, qua oro et interpello pro eis apud te, tu, dum tarde audis, compareris gentium simulacris manufactis, aures habentibus, et non audientibus, et ego assimiliter descendentibus in lacum cultoribus ipsorum simulacrorum, quorum oratio et sacrificium nullum habent salutis effectum. Ne hoc malum eveniat, *Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ.* Non sileas, non taceas, non obsurdescas, sed velociter exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ, *dum oro* ante traditionem in monte Oliveti, *dum extollo manus meas* in cruce.

Quæ sit differentia *deprecationis et orationis*, jam ante dictum est. Christus dum orat, levat manus suas, ut significet orantium opera non debere esse depressa, sed elevata sursum juxta illud : *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* (*Psal.* cxl, 2). Loquitur autem secundum consuetudinem Judæorum, qui ubicunque essent, versus templum Jerosolymitanum orabant; sicut Daniel in Babylone, cum tamen ipsius tempore vix residuæ fuissent exiguæ civitatis ruinæ, ac fundamentorum templi parvæ reliquiæ : hoc significante Spiritu sancto, quia licet christianæ fidei cultu pene penitus annihilato, et templo, quod est Christus, in cordibus multorum destructo, regnante, imo tyrannizante rege Babylonico, id est diabolo, vel Antichristo, adhuc tamen *ad templum sanctum* debet fieri oratio, ut dicat quisque fidelis cum Daniele : *Exaudi, Domine, preces servi tui, illumina faciem tuam super sanctuarium tuum, quod desertum est* (*Dan.* ix, 17).

Amplius autem Christus videns templum corporis sui morte dissolvendum, et clavis in cruce suffossum, quod ipse promiserat in triduo reædificaturum; recte in cruce orans dicit : *Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum* in brachiis crucis *extollo manus meas ad templum sanctum*

Digitized by Google

tuum, poscens ego adhuc mortalis, et jam cito moriturus homo a te Patre, a tua et mea Divinitate auxilium *ad templum sanctum tuum* cito reædificandum, templum videlicet corporis mei, quod dissolutum, nisi post triduum reædificetur, meus sermo, quod absit ! falsus invenietur, quo Judæis dixi : *Solvite templum hoc, et post triduum reædificabo illud* (*Joan.* II, 19). Hoc enim dicebam de templo corporis mei.

Similiter si quando abundante iniquitate et refrigescente charitate multorum, vix in paucis remanentibus parvis reliquiis de fundamento fidei abominatio desolationis erit in loco sancto vastato, annihilato, desolato, hæc sit meis pusillis tunc magna consolatio, quod nunc orans *extollo manus meas ad templum sanctum tuum*, toti videlicet Ecclesiæ usque in finem sæculi in toto mundo permansuræ hoc optans, hoc obtinens elevatione manuum mearum, ut sit ipsa *templum sanctum tuum*. Sicut enim hoc templum corporis mei dissolvetur, sed cito reædificabitur, cum per acceleratam resurrectionem non dabis sanctum tuum videre corruptionem in carne moriente, sed minime putrescente : sic tota Ecclesia, et ipsa *templum* existens, aliquoties invalescente persecutione, vel abundante iniquitate a decore sui status videbitur imminuta, et quasi parietum compage dissoluta per schismata et hæreses putabitur destructa : sed quia ego nunc in cruce pro meis rogans levo manus meas *ad templum sanctum tuum*, ut videlicet ipsi mei sint una domus, unum ovile, unum corpus, unum *templum sanctum tuum*, super me Petram solidam fundatum, portæ inferi non prævalebunt ad ejus omnimodam destructionem, quia ego illud in triduo reædificabo, dum fide, spe atque charitate meos, ne omnino deficiant, confortabo. Ego enim nunc orans et extollens in cruce *manus meas ad templum sanctum tuum*, rogo non solum pro Petro, ut non deficiat fides ejus, sed etiam pro tota Ecclesia, et pro unoquoque fideli in Ecclesia, ut fides ejus non deficiat, sed proficiat, ita ut fundamento fidei addatur altitudo spei, et hæc altitudo consummetur in latitudine charitatis. Hæc enim tria, scilicet fides, spes et charitas est illud triduum, in quo reædificatur templum sanctum, dum Deus et creditur omnipotens ad faciendum quod vult, et speratur verax ad persolvendum quod promittit, et amatur pro eo quod in suis electis opera bona facit gratis, quibus æterna beatitudinis præmia gratis promisit. In factis suis agnosce Deum omnipotentem, et habeto ad eum timorem, contra cujus iram non invenis protectorem ipso potentiorem. In promissis suis crede illum veracem, et tu respuens vanas mundi promissiones, imo seductiones tene solam divinæ promissionis veritatem. In beneficiis suis scias ipsum esse gratuitum, et pro spontanea gratia dilige illum. Sic timor, veritas et dilectio quasi lux trium dierum illuminabit cor tuum, ut triduo sustineas Dominum, ut exeas de Ægypto per viam trium dierum, ut exspectes reædificationem templi Dominici post triduum.

Item si consideres totam hujus mundi fabricam propter hominem conditam, liquido apparet quod homo sic debuit servire Creatori suo in hoc mundo tanquam sacerdos in templo, recte utendo creaturis ad servitium Creatoris. Primus quippe homo est ille sacerdos, de quo dicitur in lege : *Si peccaverit sacerdos delinquere faciens populum, offeret* vitulum *pro peccato* (*Lev.* IV, 3). Revera iste sacerdos in suo peccato derelinquere fecit populum : quia peccatum ipsius actuale factum est originale omni populo de ipso nato et nascituro, excepto solo illo, qui tanquam vitulus erat offerendus pro eodem peccato abolendo, cujus est hæc vox : *Ad te, Domine, clamabo, Deus meus, ne sileas a me, ne quando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum. Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.* Si enim primus homo cum tota sua posteritate permansisset in Dei servitio, totus mundus fuisset ei pro templo, purumque obsequium acceptabile Deo fuisset sacrificium in hoc templo divina potentia firmiter fundato, divina sapientia per varias formas ornato, divina bonitate ad multas utilitates aptato, ac dedicato ad longam festivitatem Sabbati celebrandi sine vespere, sine fine in hujus mundi amplissimo templo. Nunc autem quia sacerdos hujus templi peccavit, ac delinquere faciens populum violavit totum templum, ut regnet peccatum per totum hoc templum, id est per totum mundum, ego Christus vitulus immaculatus pro eodem peccato abolendo, prope ipso templo instaurando et purgando nunc *extollo manus meas ad templum sanctum tuum*, Deus Pater, ut qui per me Verbum creasti mundum, nunc per me hominem crucifixum, per me vitulum immolatum restaures mundum, ita ut ipse mundus fiat, et permaneat *templum sanctum tuum*.

Nunc pensemus quam late patet sensus orationis hujus, qua dicit Patri æterno Filius coæternus homo factus. *Ad te, Domine, clamabo, Deus meus ne sileas a me : ne quando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum. Exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.* Non enim solummodo in verbis istis intelligitur vox Filii Patrem orantis, verum etiam hominis assumpti suam Divinitatem interpellantis, ut sit sensus : Ego assumptus homo *ad te clamabo, Deus meus, ne sileas a me*, id est tu Deitas mea, in qua ego Filius David, Filius Dei sum Deus æque ut Pater Deus et Spiritus sanctus Deus, tu Deitas mea, cum sis Verbum Patris, *ne sileas a me* homine, quem tu Verbum tibi personaliter univisti, tu Verbum Deus, *ne sileas a me* jam a duodecimo anno ætatis meæ, secundum quod homo natus sum de virgine, tu Deus Verbum sonuisti per me : tunc enim inventus sum in templo in medio doctorum, audiens et interrogans illos, atque respondens ita sapienter, ut stupescerent.

Digitized by Google

audiebant super prudentia, et responsis meis. Postea cœpi facere et docere usque in hanc horam passionis et crucifixionis, in qua hora tanta est potestas tenebrarum, ut non solum discipulus meus præcipuus in hac nocte sit me ter negaturus, verum ego ipse quoque sicut agnus coram tondente obmutescens non aperiam os meum coram iniquis judicibus, qui non haberent potestatem in me, nisi esset illis datum desuper. Sed licet terra data sit in manus impii, cui est permissa potestas carnem meam crucifigendi : tu tamen Verbum Deus mihi homini personaliter unitum *ne sileas a me : ne quando taceas a me*. Tunc etiam quando putabunt judices iniqui tibi Verbo Deo impositum esse silentium, propterea quia non sonabis per os meum, illorum prædamnatione, vel ipsa mea morte obclusum, *ne sileas a me : ne quando taceas a me*, sed per vocem sanguinis mei clamantis de terra tu Verbum tunc maxime sona, ita ut etiam in inferno audiaris, anima mea illuc descendente, atque talia illic dicente ac faciente, quibus manifestum fiat principibus tenebrarum, quod ego *non assimilabor descendentibus in lacum*, quos illuc trahit pondus peccatorum vel originalium, vel actualium. Ego enim carens omni peccato sic ero in inferno solus *inter mortuos liber* (*Psal.* LXXXVII, 5), ut alios quoque possim inde liberare, atque ipsi morti insultare dicens : *Ubi est mors victoria tua, ubi est mors aculeus tuus ?* (*I Cor.* XV, 55.) Ecce venit princeps et præpositus tuus quærens in me aliquid tuum vel suum, et in me non habet quidquam.

Jure igitur ego injuriose a te, o mors morsus, et quasi alter Jonas huc in ventrem tuum glutitus ero mors tua. Licet enim te mordente factum sit, ut et corpus meum sepultum jaceat in ventre terræ tribus diebus et tribus noctibus, atque anima mea sit in ventre inferi tanquam in ventre ceti : tamen, o mors ero mors tua, quia sic ero revomendus a te, ut sauciatis et mortificatis tuis vitalibus per meam doctrinam convertatur Ninive, id est mundus ad quem convertendum prius ire volui, cum dicerem discipulis meis : *In viam gentium ne abieritis*. Item : *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israel* (*Matth.* XV, 24). Talia dicendo velut alter Jonas fugiebam de via civitatis Ninive : sed in ipsa fuga tempestate Judaicæ persecutionis propter me sæviente gravi sopore mortis obdormivi secundum corpus, et secundum animam descendi in infernum tanquam in ventrem ceti. Tertia ergo die resuscitatus a mortuis juxta quod impossibile est teneri me in ventre ceti sive inferi, dicam Apostolis meis : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra : euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ* (*Matth.* XXVIII, 18, 19). Illi autem profecti prædicabunt ubique in tota Ninive me cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis, atque ita ego, qui in propria persona mea recusavi prædicare in Ninive, imo in omnibus civitatibus gentium, ego ipse in Apostolis meis loquens, et operans prædicabo in toto mundo pœnitentiam.

Si humana voce mea silente, dum ero in sepulcro, Verbum quoque humanitati meæ unitum pariter sileret, non tanta utilitas de morte mea fieret. Ideo ego moriens homo dico tibi immortali Deo Verbo mihi unito : *Ne sileas a me, ne quando taceas a me*. Fac ut promisisti dicens in propheta : *Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, et salvator ejus ut lampas accendatur* (*Isa.* LXII, 1-2). Ecce cum sim homo *justus*, et confitente ac dicente centurione : *vere hic homo justus erat* (*Luc.* XXIII, 47) : et ipso traditore id ipsum fatente cum dicit : *Peccavi tradens sanguinem justum* (*Matth.* XXVII, 4) ; consonante quoque Pilato, ac dicente : *Innocens ego sum a sanguine hujus justi* (*Matth.* XXVII, 24) ; cui uxor dixerat : *Nihil tibi, et justo illi* (*Matth.* XXVII, 19). Cum, inquam, sic homo *justus* sim ego, ut etiam ab injustis justitia mea testimonium habeat, claudendus tamen sum in sepulcro sub sepulcrali lapide magno et signato. Item cum sim ego *lampas*, de qua dicitur in Job : *Lampas contempta apud cogitationes divitum parata ad tempus statutum* a divitibus principibus sacerdotum me contemnentibus (*Job* XII, 5), ecce jam in morte mea sic ero exstinguendus, ut non habeam speciem, neque decorem, et aspectus meus in me non sit, qui quasi lampas aliis aspectum dedi, quando cæcos illuminavi, et alia opera spectabilia feci. Tu autem Verbum Dei Patris, mihi homini unitum, priusquam in carnem descenderes, prænoscens tuæ carnis passiones dixisti, quod supra est positum : *Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, et Salvator ejus ut lampas accendatur* (*Isa.* LXII, 1-2). Ut ergo justificeris in sermonibus tuis, ut justus et verax appareas, tu Deus Verbum mihi humanæ naturæ unitum *ne sileas a me*, donec ego justus egrediar de clausura sepulcri : *ne quando taceas a me*, donec ego lampas per mortem exstincta iterum accendar in resurrectionis gloria, et per ascensionem meam ponas super candelabrum totius Ecclesiæ tam in cœlo regnantis, quam in terra peregrinantis, super thronos, super cherubin, et super omnes principatus et virtutes.

Ne sileas a me, neque taceas a me, sed in clamore sanguinis mei tu Verbum clama de terra, et in clamore animæ meæ clama de ventre inferi quasi de ventre ceti, *neque sileas*, vel taceas ab hoc gemino clamore, donec me resuscites, et per gloriam resurrectionis evidentissime notum facias, quod *non assimilabor descendentibus in lacum*, sed potius ascendam in cœlum, nullum de cætero silentium habiturus, ut cupit hic mundus in maligno positus. Nam de hoc mundo illi sunt, qui discipulis meis dicunt : *Præcipiendo præcepimus vobis, ne loqueremini in nomine isto, et ecce replestis Jerusalem doctrina vestra* (*Act.* V, 28). Itane, o Judæi, vestra invidia vos torquet, quod Verbum incarnatum, cui vos putastis carneum os morte clausum, per apostolorum

Digitized by Google

ora sonat in Jerusalem? Paululum exspectate cito visuri, unde amplius torqueamini, quando *in omnem terram* exibit *sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Rom.* x, 18). Sic ad æmulationem ducendi, et in terram mittendi estis, ut sanguis ejus, quem imprecati estis vobis et filiis vestris dicendo: *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros* (*Matth.* xxvii, 25), usque in finem sæculi clamet de terra, id est de sancta Ecclesia contra vos imitatores Cain fratricidæ. Neque iste clamor aliquando admittet silentium, donec de vobis vestrisque similibus omnibus impiis, odio fraterno tabescentibus, plenum fiat judicium, in quo judicio apparebit, quod Christus filius David, idemque Filius Dei æterno Patri omnino consimilis falso a vobis est assimilatus *descendentibus in lacum*, quando cum iniquis reputastis eum tali astutia, ne ipsius magis, quam hominis iniqui doctrina esset authentica. Sic machinati estis intra vos dicendo: *quando morietur, et peribit nomen ejus?* (*Psal.* xl, 6.) Nam ut moreretur ipse manente bona fama nominis ejus, parum fuit vobis, a quibus ideo cum iniquis reputatus est, ut periret nomen et fama ejus.

Habetis in hac astutia suppares multos vestræ nequitiæ imitatores, ora justorum volentes, et studentes obcludere machinando, et diffamando multa opprobria, et vituperia contra veritatis assertores, unde vel illi obmutescant, vel illis loquentibus nulla sit eis auctoritas. O Judæi, et vos et sequaces vestri vano furore agitamini putantes possibile, ut accidat silentium Verbo æterno, et ut perdat nomen is, cui *datum est nomen, quod est super omne nomen* (*Phil.* ii, 9). Etsi ad horam tacuerit os carnis ejus in sepulcro, tamen ejus in passione agonizantis exaudita est oratio, qua dixit homo mortalis de Verbo sibi insito: *Deus meus, ne sileas a me, ne quando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum.* Et utique tanta est virtus hujus orationis, ut non solum in se ipso æternaliter, sed etiam in suis organis, electis scilicet hominibus, perpetualiter sit sonorum Dei Verbum, et non solum in se ipso Deus Homo, sed etiam in suis membris dissimilis inveniatur descendentibus in lacum: quoniam palam est, et ipsum ad cœlos, imo super cœlos cœlorum ascendisse, suaque membra omnia trahere ad se, juxta quod ipse dixit: *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum* (*Joan.* xii, 32). Item: *Volo, Pater, ut ubi ego sum, ibi sit et minister meus* (*Joan.* xvii, 24).

Redeamus nunc ad ejus orationem, qua post invocationem Patris, et Verbi sibi uniti Spiritum sanctum quoque invocat in Christo humana natura, dicens: *Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.* Ego verus David Patrem meum orans, dixi: *Ad te, Domine, clamabo.* Divinitatem quoque insiti et uniti mihi Verbi æterni orans dixi: *Deus meus, ne sileas a me, ne quando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum.* Nunc ut oratio mea trina Trinitatem totam naturæ humanæ reddat placatam et propitiatam dico ad Spiritum sanctum: *Exaudi, Domine*, sancte Spiritus, vocem *deprecationis meæ, dum oro ad te*, dum scilicet oro Patrem ad obtinendum te, non mihi, qui semper habeo te, quia tu sempiterna statione requiescis in me, cum ego sim flos egressus de virga Jesse, super quem sempiterna requiescis requie tu, Spiritus Domini, qui hactenus in tota sylva generis humani tutam requiem non invenisti. Non, inquam, *oro ad te* mihi obtinendum, sed meis, quibus tu Paracletus es necessarius in remissionem peccatorum et acquisitionem virtutum, quorum neutrum mihi est necessarium, cum ego peccatum non fecerim, nec inventus sit dolus in ore meo, cui necessaria sit remissio. Cumque sim ego ipse non tam homo virtuosus, quam ipsa Dei virtus dicenda, cui virtuti ad sui majorationem nulla est virtus adjicienda. Quando enim Spiritus sanctus supervenit in virginem matrem, et virtus Altissimi obumbravit ei, tunc ego novus homo ita sum conceptus, ut de Adam naturam, non culpam traherem, et indutus fortitudine, ac præcinctus virtute divinitatis possim a peccatis liberare, et virtutibus ornare credentes in me, et confitentes me *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam* (*I Cor.* i, 24). Proinde non propter me, sed propter meos dico tibi, sancte Spiritus: *Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ* liberando meos a peccatis et pœnis. *Dum oro ad te* pro virtutibus, et aliis bonis obtinendis non mihi, sed meis, *Exaudi me* pro meis oranten et deprecantem.

Atque ut vocem deprecationis vel orationis exaudibilem faciat virtus operationis, opus magnæ obedientiæ, magnæ humilitatis, patientiæ, atque charitatis, operor, *dum extollo manus meas* in cruce. Sic enim expiabitur peccatum Adæ suas manus extendentis ad pomum de ligno vetito comedendum, dum ego novus Adam fortis homo pro vetere homine decrepito et debili satisfaciens *extollo manus meas*. Lex naturalis hoc admittit, ut pro decrepito et infirmo patre filius fortis duellum faciat. Et ego secundum hujus legis justitiam pro infirmante genere humano, cujus ego sum filius, qui sum filius hominis, viriliter contra mortis principem pugno, *dum extollo manus meas* in cruce. Quo extollo? *Ad templum sanctum tuum.* O! tota sancta Trinitas.

Principaliter namque templum corporis mei templum totius Trinitatis est, in quo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, quia *ego in Patre, et Pater in me est* (*Joan.* xiv, 10, 11), et in ambobus est unus Spiritus, una charitas, una bonitas, una voluntas. Ego quippe sum æterna Dei sapientia, cui æterna et paterna inest omnipotentia cum benignitate, quæ Spiritus Dei est. Quocirca templum corporis mei templum totius Trinitatis est in quo templo, *qui videt me, videt et Patrem meum* (*Joan.* xiv, 9), pariterque Spiritum sanctum. Et licet quodammodo specialiter ego sapientia pa-

Digitized by Google

ficaverim mihi domum sive templum hoc non manufactum, dum solummodo ego Dei sapientia sim incarnata, non Pater aut Spiritus sanctus : tamen dum mihi æternæ sapientiæ consubstantialis creditur æterna potentia et æterna bonitas, id est Pater et Spiritus sanctus, templum corporis mei, quod ego sapientia, ego Verbum, ego Filius inhabito per susceptionem Incarnationis, Pater quoque ac Spiritus sanctus inhabitant per plenitudinem divinitatis suæ, ac meæ, omnem quidem creaturam complectentis, continentis, gubernantis et sustentantis, attamen templum corporis mei corporaliter inhabitantis, non quod corporalis sit æterna Trinitas et trina Divinitas, sed quod incorporata vel incarnata sim ego sapientia una in Trinitate persona, non in carnem mutata, sed carni adunata.

Proinde *dum extollo manus meas ad templum* sanctum tuum, o æterna Trinitas, ego unus de numero trium, qui *tres unum sunt* (*Joan.* v, 7), ego, inquam, unus, et *templum* sum et sacerdos templi et sacrificium, et Deus factor, et auctor templi. Templum sum, extra quod nullum est acceptabile sacrificium; sacerdos sum, sacrificium sempiternum sum, per quod solum fit remissio peccatorum. Deus ego sum, cui solo una cum Deo Patre ac Spiritu sancto debet offerri sacrificium vespertinum, ut solvatur templum, in quo fit sacrificium. Ideo non solum de templo jam ædificato nunc oro, et *extollo manus meas*, sed etiam ad *templum* denuo reædificandum intendit hæc oratio mea, *dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum*, id est ad hoc resuscitatum de morte corpus meum sit *templum* vivum deinceps nulla morte dissolvendum. Sit *sanctum* dedicatione illa sanctificatum, de qua dico mentione meorum præmissa : *Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate* (*Joan.* xvii, 19). Sit etiam *tuum*, secundum quod dico tibi, Pater : *Et mea omnia tua sunt, et tua mea*, vel potius eo modo, quo tu dicis mihi : *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Psal.* ii, 7). Item in Evangelio dicis de me : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Matth.* iii, 17) Sic enim vocas me Filium tuum, et ego voco te, Patrem meum, ut hoc possessivum pronomen ab omnibus adoptatis filiis omnino sit alienum, quos etiam ego a me tuo unigenito distinguo, dicens : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum* (*Joan.* xx, 17). Non dico : Ascendo ad Patrem nostrum, quia singulariter ego sum tuus Filius unigenitus consubstantialis, quod dici non convenit de aliis filiis. Neque dico : Deum nostrum, sed caute distinguens, dico: *Deum meum et Deum vestrum.* Sic enim es Deus meorum, Deus videlicet Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, sive Deus Israel, ut eis hoc sit magnum et plenum gaudium, quod tu post labores certaminum bonorum, dabis teipsum eis in præmium beatitudinis, quibus prius dedisti te in adjutorium laboris. *Deus* vero *meus* es, quia homo sum tuus Filius, tibi consubstantialis propter meam divinitatem, sicut matri virgini consubstantialis sum propter meam humanitatem. Sic tuus, ut tu sis in me, et ego in te. Nam ego et tu sumus unus Deus. Neque tu inveniris extra me *templum tuum* Filium tuum *sanctuarium tuum, quod firmaverunt manus tuæ* (*Exod.* xv, 17) ; neque ego invenior extra te Patrem meum. Judæi quærunt te extra me, ideoque non inveniunt te. Ariani secernunt me a te, ideoque non inveniunt neque me, neque te.

Vis autem tu, lector benevole, admittere quantulamcunque digressionem, qua tibi demonstretur, in templo, quod Christus est, habitare totam Trinitatem, id est æternam potentiam, æternam sapientiam, æternam bonitatem, quibus tribus vocabulis jam supra notavimus æternam Trinitatem, non quod Pater solus sit potentia, vel solus Filius sapientia, vel solus Spiritus sanctus benignitas aut bonitas; sed cum quisque trium substantialiter et æqualiter sit potens, sapiens et benignus, tamen hæc differentia notatur in tribus, ut in fide catholica solum Patrem confiteamur omnipotentem, cum æque constet Filium, Spiritum sanctum omnipotentem, nec tres omnipotentes, sed unum omnipotentem esse sciamus in tribus personis Deum. Ideo vero, ut arbitror, fatemur nos credere in Deum Patrem omnipotentem, ne subintret humana cogitatio, putans æternum Patrem jam debilitatum præ nimio senio, ex quo dicitur *Antiquus dierum* in Daniele apparens cum cano et senili capite (*Dan.* vii, 9). Filius autem hominis, qui narratur ibidem usque ad Antiquum dierum venisse, ne pro juventute sua putetur minus aliquid sapere suo antiquo Patre, recte dicitur sapientia, cum tamen et Pater atque Spiritus sanctus non minus sit sapientia. Spiritum vero sanctum poterat humana cogitatio fingere quasi nimis austerum, quia solet austeritas timeri etiam hominum spiritualium. Ne Dei Spiritus putetur austerus, dicitur benignus, et in his tribus, videlicet æterna potentia, æterna sapientia, æterna benignitate intelligitur, vel si non potest intelligi, sane creditur tota sancta Trinitas, quæ sic habitat in Christo tanquam in templo suo non manufacto, ut nulla sit trium confusio vel divisio. Nam Pater diligit Filium non extra se, sed in se. Quis enim sapientiam suam non diligit in se, quam videt et habet in se? similiter Filius diligit Patrem in se, quia videt se potentem et sapientem in Patre omnipotente. Dilectio vero, qua se mutuo diligunt Pater, et Filius, ipsa recte intelligitur Spiritus sanctus.

Audi, utrum vox Patris huic quod loquimur concordet : *Hic est*, inquit, *Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Matth.* iii, 17). Non separatim dixit : ego mihi complacui, neque dixit separatim : ille mihi complacuit, nec vero simul dixit : ego mihi complacui, et ille mihi complacuit; sed dixit : ego *mihi complacui in ipso.* Hoc est, quod de me mihi placet, in ipso est, extra ipsum non est : qui quod ego sum, ipse est, quia enim

Digitized by Google

aliud, quam quod ipse est, non sum, extra ipsum mihi placere non possem. *Hic est* ergo *Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Quidquid mihi placet, in ipso, et per ipsum placet. Ipse enim est sapientia, per quam feci omnia, in ipso æternaliter disposui, quidquid temporaliter feci. Et tanto amplius unumquodque opus meum diligo, quanto perfectius illud primæ dispositioni concordare video. Nolite putare quod ipse tantum sit mediator in reconciliatione hominum, quia per ipsum et commendabilis et placita fit aspectui meo conditio omnium creaturarum. In ipso amo cuncta opera mea, quæ facio, et non amare nequeo, quod intueor simile illi, quem amo. Solus ille me offendit, qui ab ejus similitudine recedit.

Si ergo vultis mihi placere, ei similes estote, *ipsum audite*, et si forte ab ejus similitudine male agendo recessistis, ipsum imitando, redite : et in ipso datur præceptum, et in ipso datur consilium : præceptum, ut persistatis ; consilium, ut redeatis. Utinam tenuissetis præceptum ! sed quia hoc transgressi estis, saltem audite consilium. *Ipsum audite.* Magni consilii Angelus vobis mittitur, ut qui conditis datus fuit ad gloriam, idem veniat perditis ad medelam. *Ipsum audite.* Ipse est conditor, ipse est Redemptor, ipse Deus vos mecum condidit, qui vobiscum solus homo advenit. *Ipsum audite*, ipse est forma, ipse est medicina, ipse est exemplum, ipse est remedium, *ipsum audite.* Felicius fuisset semper tenuisse ejus similitudinem ; sed jam non minus erit gloriosum ad ejus redire imitationem. *Ipsum audite.* Recognosce, homo, in illo paternam omnipotentiam, qua de nihilo factus es ; venerare in illo Verbi sapientiam, per quod factus es, et de cujus imagine rationalis formatus es. Cole in illo uno Salvatore tuo totam Trinitatem. Cole potentiam filiali et casto timore. Cole sapientiam veritatis casta inquisitione, ac falsitatis forti abdicatione. Cole benignitatem voluntaria et prompta imitatione. Sicut enim divina benignitas omnia fecit, et facit ad utilitatem ; sic etiam *unicuique datur spiritus ad utilitatem* (*I Cor.* XII, 7). Noli esse protervus, ac superbus, ne offendas Christi potentiam : noli esse fatuus, ne offendas ejus sapientiam. Noli esse malignus vel inutilis, ne offendas ejus bonitatem. Esto humilis, prudens et benignus cultor ipsius et sic non ad judicium tuum vocaris ab ipso Christo Christianus. *Ipsum audite*, o christiani, Trinitatis cultum vos docentem. Nam ut sitis humiles Patri Altissimo subditi, et non dicat quis vestrum in corde suo : similis ero Altissimo, *ipsum audite* dicentem : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). Ut sitis prudentes ad honorem vos illustrantis divinæ sapientiæ, sitisque benigni per imitationem bonitatis ipsius ; *ipsum audite* dicentem : *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* (*Matth.* X, 16). In humilitate vestra cultores eritis Patris Altissimi, cui superbus angelus noluit submitti, dicens in corde suo : *Similis ero Altissimo* (*Isa.* XIV, 14). In serpentina prudentia cultores eritis Filii, qui sicut serpens exaltatus est in eremo, ita exaltatus est in ligno, *ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam* (*Joan.* III, 16). In columbina simplicitate cultores eritis Spiritus sancti qui apparuit in specie columbæ, ubi vox Patris audita est. Hic est *Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, ipsum *audite.* Qui habet aures audiendi audiat, quod vox Patris de cœlo super Christum clamat : *Ipsum audite. Deum nemo vidit unquam, sed Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit* (*Joan.* I, 18), ipsum audite. Ipsum audite vos instruentem per manifesta opera et verba, quæ *cœpit facere, et docere* (*Act.* I, 1) a baptismo Joannis usque in diem quo præcipiens apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est. Ipsum audite vos docentem per sancti Spiritus emissionem, quo inflammati apostoli loquebantur variis linguis magnalia Dei. Ipsum audite loquentem vobis in sancto Evangelio, in quolibet suo apostolo. *An experimentum ejus quæritis, qui in me loquitur Christus*, ait unus apostolorum (*II Cor.* XIII, 3). Loquitur Veritas omne verbum veritatis. Etiam in suis inimicis vera loquentibus, loquitur veritas Christus, ipsum audite. Per omnia, quæ vere sunt veritas, Christus insinuat seipsum sicut artificiosum ingenium per opus mirificum seipsum insinuat. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi ; quæ dicunt facite, quæ autem faciunt nolite facere*, ait Christus (*Matth.* XXIII, 2-3). Ipsum audite. Ipse veritas, ipse veritatis ostium, ipse ostiarius, ipse seipsum aperit, et nemo claudit, ipsum audite.

O homo, quid causaris ignorantiam tuam ? Ecce ipsa tua natura te arguit, ipsa convincit. Nosti qualis sis, unde venias, quem factorem habeas, quo mediatore egeas, et tu adhuc impudenter te defendendo contra Deum clamas? Nosti, quia malus es, et quia a bono opifice malus factus non es, et cessas, et non clamas ad eum, qui fecit te, ut veniat et reficiat, qui creavit, ut redimat? Noli dubitare de potentia ejus, vide opera ejus, quanta sint ! Noli dubitare de sapientia ; vide opera ejus, quam pulchra sint. Noli dubitare de benevolentia ; vide opera ejus, quomodo ad utilitatem tibi serviunt. Monstrat ergo tibi in suo opere, quantum possit in tua Redemptione. Monstrat tibi idem, quam formidandum possis exspectare judicem, si nolueris habere Redemptorem. Nemo ei resistere potest, qui omnipotens est. Nemo eum fallere potest, quia sapientissimus est. Nemo eum corrumpere potest, quia omnibus bonus est. Nemo eum declinare potest, quia ubique est. Nemo eum iratum tolerare potest, quia æternus est. Nemo eum flectere potest, quia immutabilis est.

Si ergo nolumus talem sentire judicem, ipsum amemus pro nobis orantem, et dicentem :

Ad te Domine clamabo, Deus meus, ne sileas a me, ne quando taceas a me, et assimilabor descen-

Digitized by Google

dentibus in lacum. Exaudi vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum. Non enim pro culpa mea, sed pro aliis *extollo manus meas* in cruce, ad hoc scilicet, ut fiant *templum sanctum tuum* mihi cœdificari et concorporari, qui sum templum sanctum tuum Ad hoc *extollo manus meas ad templum sanctum tuum*, ut simul tota Ecclesia super me petram firmiter ædificata, et bene fundata sit *templum sanctum tuum.* Sit etiam quælibet specialis Ecclesia, verbi gratia, Romana, vel Antiochena, seu Jerosolymitana, vel altera qualiscunque manens in catholica fide *templum sanctum tuum*, neque fiat spelunca latronum, sed vocetur domus Dei habens titulum hunc superliminari suo inscriptum : *Terribilis est locus iste, hic domus Dei est, et porta cœli, et vocabitur aula Dei* (*Gen.* XXVIII, 17). Item : *O quam metuendus est locus iste, vere non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli.*

Ad hoc etiam *extollo manus meas* in cruce, ut quilibet unus catholicus cruce mea signatus, et cum omnibus sanctis, comprehendens, quæ sit ipsius crucis latitudo, longitudo, sublimitas, et profundum, sit *templum sanctum tuum*, latum, longum, sublime ac profundum : *latum* per charitatem, *longum* per fidei longanimitatem, *altum* per spei celsitudinem, *profundum* per judicioruin divinorum profundum timorem, qui hominem reddit justum et timoratum.

Postremo etiam ad hoc *extollo manus meas* non in templo manufacto, Judæorum scelerĭbus pollutο, sed extra portam sub dio, ut crux mea non unius templi Jerosolymitani, sed totius mundi sit ara, et ipse mundus, in quo idololatria grassante immolabatur dæmoniis amodo sit *templum*, non Idolium. Sit *templum*, in quo ab ortu solis usque ad occasum laudent pueri nomen Domini. Sit templum, in quo abjectis idolorum sordibus oblatio munda offeratur, non diis multis, de quibus dicitur : *Omnes dii gentium dæmonia* (*Psal.* XCV, 5), sed uni Deo sit templum, divina potentia per varias rerum figuras quasi per multas picturas et sculpturas ornatum divinæ benignitatis gratia per *omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum descendens a Patre luminum* (*Jac.* I, 16), sic illuminatum, ut *gaudeat tellus tantis irradiata fulgoribus, et æterni regis splendore illustrata totius orbis se sentiat amisisse caliginem. Lætetur et mater Ecclesia tanti luminis adornata fulgoribus* (61), ubique in toto mundo electis fulgentibus, quos expavescentes principes tenebrarum fugiant in abyssum, nunc sigillatim ac particulariter, sed in judicio universali universaliter, quando cœperint; fulgere justi sicut sol in regno Patris eorum, quando *docti fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates* (*Dan.* XII, 3). Quando æterna lux beata Trinitas, et principalis Unitas, quæ nunc videtur quasi per speculum et in ænigmate videbitur manifeste.

Antequam ara crucis esset erecta in mundi hujus templo, densissimæ tenebræ fuerunt, quoniam per creatorem creaturas adoraverunt, et coluerunt, etiam qui sapientiores in hoc mundo visi sunt. Nam gentiles philosophi pro magna cœli fabrica laudaverunt Jovem, pro temporum dispositione laudaverunt Saturnum, pro maris tempestate plácanda supplicaverunt Neptuno, pro abundantia frugum Cereri obtulerunt sacrificium. Quando vinum a Deo creatum lætificabat corda hominum, ipsum non vini Deum creatorem, sed vinitorem quemdam Bacchum laudabant. Rhetores Mercurium, bellatores Martem, pugiles Herculem, medici Asclepium [Æsculapium], venatores Dianam, fornicatores Venerem, sive Beelphegor adoraverunt, et coluerunt, quibus idololatriæ sordibus etiam polluerunt *templum sanctum tuum*, Domine, quod erat in Jerusalem, ut non esset vel unum templum in toto mundo, in quo pure sacrificaretur tibi Deo vero. Sed ego Christus verus pontifex nunc in cruce *extollo manus meas ad templum sanctum tuum*, id est ad hoc, ut mundus iste ab idolorum sordibus purgatus fiat *templum sanctum tuum ;* nunc ubique crescente vera religione, posthac autem subsequente per ignem tanta mundi purgatione, ut in novo cœlo et nova terra fulgeat claritas divina, sitque sancta et munda tota mundi fabrica quasi *templum sanctum tuum*, in quod nihil ulterius inquinatum introibit; sed immundis de mundo exterminatis, tunc sola munditia in mundo regnabit, et in toto mundo tunc innovato tanquam in templo reædificato, Trina Divinitas ita claresceat, ut regnanti Dei potentiæ nulla fiat rebellio, regnanti sapientiæ nulla fiat contradictio, regnanti bonitati nihil mali obsistens appareat. Nunc vero ante hanc universalem *templi*, id est totius Ecclesiæ purgationem tantum proficiet, quod *extollo manus meas ad templum sanctum tuum*, ut sit ipse mundus *templum sanctum tuum*, in quo etsi potentia tua inveniat rebellionem, sapientia contradictionem, bonitatem offendat impietas, tamen potens et benigna sapientia tua vincat malitiam attingens a fine ad finem fortiter et disponens omnia suaviter, ita ut non regnet peccatum idololatriæ, vel alterius nequitiæ in eorum mortali corpore, qui per totum mundum fiunt *templum sanctum tuum* per hoc meum sacrificium, quod ego nunc offero, quod meis offerendum instituo dicens illis : *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* XXII, 19).

Faciant hoc igitur illi, quibus ego dixi : *Hoc facite.* Dixi autem hoc discipulis meis, et in illis ipsorum sequacibus catholicis fidelibus : Faciant illi, et non alii. Nam si alii in schismate, vel in hæresi aliqua manentes præsumunt hoc facere, cum Nabab et Abiu ignem alienum offerentibus, sive

(61) Eccle. in benedictione cerei paschalis.

Digitized by Google

cum ducentis quinquaginta viris in contradictione Core contra Moysen et Aaron thurificantibus peribunt, nisi pœnitentiam egerint, et ritum legitime sacrificandi per me ac meos institutum tenuerint. Quem ritum fideles catholici observantes, et quanta valent munditia mundum corporis ac sanguinis mei sacrificium litantes, dum hoc faciunt, non in lucri terreni acquisitionem, sed *in meam commemorationem* ego in ipsis et per ipsos me ipsum sacrifico, ego per ipsos et in ipsis populum benedico, et sanctifico, ego in ipsis et per ipsos *manus extollo ad templum sanctum tuum*. Etiamsi tales erunt, qui me in altari sancto immolabunt, quales isti lanistæ sunt, qui ex officio sibi desuper dato me in ara crucis mactant, licet ipsi sibimet judicium manducent et bibant, non desino tamen per eorum ministeria populum meum sanctificare ea sanctificatione, quam confert virtus sacrificii, non meritum ministri.

At si ex aliquo legitimo interdicto privati sunt officio, ut manifesti Simoniaci, et manifeste incestuosi, non ego per eos *extollo manus ad templum sanctum tuum*, quia pollutum, et a me penitus alienum est eorum omne sacrificium, quod offerunt contra interdictum, præsertim si fuerit ipsum interdictum sub excommunicatione, vel anathemate promulgatum, sicut supra in alio psalmo de interdictione Simoniacorum, et Nicolaitarum plane demonstratum est. Talium præambulus est Judas pessimus mercator, qui me tradit Scribis ac Pharisæis et principibus sacerdotum. Ipsi quoque cum sint latrones, qui domum meam fecerant speluncam latronum, palliantes quodammodo suum latrocinium dicunt : *Nobis non licet interficere quemquam* tradentes me Pilato præsidi, ut illo me judicante ipsi videantur innoxii, cum sint latrones pessimi (*Joan.* XVIII, 31). Ad hoc vero me tradunt cum iniquis reputandum, et inter latrones crucifigendum, ut deleatur nomen meum. Sed tu Domine Deus Pater, qui mihi proprio Filio tuo non parcis, sed pro peccatoribus liberandis tradis me,

VERS. 3. *Ne simul tradas* (62) *me cum peccatoribus.*

Ne me tradas ea intentione, qua illi me tradunt. Et quia illi tradentes me perdere cogitant me : Tu *cum operantibus iniquitatem ne perdas me.* Nonne isti operantur iniquitatem, *qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum*, quando per osculum, quod est pacis signum, adimplent homicidium, etiam cum dicerent mihi : *Magister, scimus, quia verax es, et viam Dei in veritate doces?* sic *loquentes pacem* in ore, *mala* cogitabant *in cordibus suis* contra me, qui eram *proximus* eorum, natus de genere ipsorum, et qui non pertransivi sicut sacerdos et levita, sed ut vere *proximus* misericordia motus appropiavi, ut in eum, qui erat latronibus vulneratus, misericordiam facerem (*Luc.* X, 31 et 32). *Mala autem in cordibus eorum*, quia odium voluntarium fuit in intentionibus eorum. *Si non venissem, et locutus non fuissem eis, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccatis suis. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem et viderunt et oderunt me* veritatem, *et Patrem meum* (*Joan.* XV, 22, 24.) veracem, me veritatem peccata sua redarguentem, Patrem vero me gignentem, qui sum veritas, veracis Patris filius, qui sicut audio, veraciter judico bonum bonum, et malum malum, neque ut falsi et fallentes doctores, vel bonum malum, vel malum bonum dico, aut judico. Veritate itaque per me cognita par fuit, ut veritati acquiescerent, et de malis per me redarguti pœnitentiam agerent.

Et hoc revera facerent, si mala in manibus, vel in operibus tantum haberent, et non *in cordibus*, id est in intentionibus. Matthæus et Zachæus publicani, Maria Magdalena, et mulier Chananæa non habentes mala *in cordibus suis*, quæ tamen habuerant in operibus, cito audita veritate pœnituerunt, et veritatem se redarguentem dilexerunt, exempli gratia, cum audisset mulier Chananæa propter gentilitatis errorem se canibus comparatam, gratanter accepit veritatem auditam. Unde audire meruit: *O mulier, magna est fides tua. Mala autem in cordibus eorum* sunt, qui de suis peccatis veritatem loquentem magis eligunt odire, quam audire, sicut isti, qui non per ignorantiam peccant, sed odio boni tabescentes diligunt, *mala*, quæ sunt *in cordibus suis*, quia eis placent in corde mala perpetrata, vel adhuc perpetranda. Tam longe sunt a vera pœnitentia, qua planguntur admissa mala; nec admittuntur iterum plangenda, ut ipsi e contrario exsultent in rebus pessimis jam perpetratis, et gaudeant, cum mala fecerint. In tali gaudio dicunt mihi : *Vah qui destruis templum Dei et in triduo illud reædificas!* (*Matth.* XXVII, 40.) In tali gaudio dicent et ipsi, et sequaces eorum famulis meis : *Ubi est Deus eorum?* Quia enim gaudent, me tanquam sepulchrum non comparere, cum permitto servos meos anxiari prosperantibus servis mammonæ, ipsi servi mammonæ visibiliter ostendentes dominum suum Mammonæ servis meis in hoc mundo angustiatis et afflictis insultant, dicentes : *Ubi est Deus eorum?* Quia ergo mali sunt, et *mala* sunt in *cordibus eorum*, ideo consentiens tuæ justitiæ, Deus Pater, dico :

VERS. 4. *Da illis secundum opera eorum*, quæ fecerunt, *et secundum nequitiam adinventionum ipsorum*, quam in cordibus gerunt. Ideo dico: *Secundum opera, et secundum nequitiam*, quia ego veritas etiam in ipsis pœnis veram diligo justitiam. Est autem justitia ut eorum mala opera, manifesta manifestam accipiant vindictam, ut cæteri timorem habeant, et occulta nequitia puniatur occulta pœna. Erit autem *secundum opera ipsorum* congrua pœna, ut quia me quasi propter locum et gentem crucifi-

(62) Vulgata : *Trahas.*

Digitized by Google

gunt per ministros impii Romani, veniant Romani, et tollant ipsorum et locum et gentem non relinquentes lapidem super lapidem, qui non destruatur. Tunc propter opera, et *secundum opera ipsorum* forinseca et manifesta foris manifeste vastabit eos gladius, et intus pavor cruciabit conscientiam secundum intrinsecam, *nequitiam adinventionum ipsorum*. Neque enim vere timuerunt, sed illic trepidantes, imo terpidationem simulantes, ubi non erat timor, dixerunt: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem* (*Joan.* XI, 48). Hunc timorem sibi adinvenerunt callide machinantes, ut simplex populus hoc timore audito consentiret eorum nequitiæ contra me. Ergo, Pater juste, *da illis secundum opera ipsorum, et secundum nequitiam adinventionum ipsorum.*

Et quidem licet sit mala intentio eorum, tamen multis bona est et erit actio ipsorum. Ideo tu non secundum bonum proventum, sed *secundum opera manuum eorum tribue illis*, in ipsa retributione operum non pensans, quæ inde bona provenerunt, sed quæ ipsi mala intenderunt. Quamvis aliis ex facto illorum salus provenerit, tu tamen *secundum manum eorum tribue illis*. Nam in passionibus meis aliud est *opus eorum*, aliud est opus divinum. *Opus eorum* hoc reputatur, quod ab eis male intenditur, cum dicunt in corde suo de me: *Quando morietur, et peribit nomen ejus?* (*Psal.* XL, 6.) Opus vero divinum est, quod inde crescet nomen meum, unde ipsi putabant esse delendum: *opus eorum* est, quod ego granum frumenti per homicidales manus eorum degustata morte in terram cado; sed opus divinum est, quod resurgens a mortuis multum fructum affero. Tu ergo, qui judicas juste, et discernis opus eorum pessimum, et opus meum sive tuum bonum, *redde retributionem eorum ipsis*. Ego pro malis retribuo eis bona: sed illi *retribuebant mihi mala pro bonis* (*Psal.* XXXIV, 12). Ergo tu, qui judicas juste, *redde retributionem eorum ipsis*, ut sua fallacia, qua putant fallere, ipsi fallantur et in astutia sua comprehendantur *secundum opera manuum eorum*. Opera mala in me commissa voco propter hoc *opera manuum eorum*, quia studiose, quod cœperant fecerunt, vel ne per gentiles milites excusent se, quibus me cruciligentibus ipsi ab homicidio in me commisso volunt videri tanquam innocentes, cum sint ipsi auctores criminis, quod fit per milites, in quo facto retribuunt mala pro bonis mihi auctori totius humanæ salutis. Itaque tu judex juste *redde retributionem eorum ipsis.*

VERS. 5. *Quoniam non intellexerunt opera Domini.* Esto, ut ipsis mala facientibus de malis operibus eorum proveniat, operante Domino, utile opus humanæ salutis, quod, licet non intenderint faciendum poterant saltem intelligere ac diligere jam factum, et Apostolis prædicantibus contestatum. Ait enim Petrus: *Jesum, quem vos interemistis suspendentes in ligno, hunc principem et Salvatorem Deus exaltavit dextera sua ad dandam pœnitentiam Israeli, et remissionem peccatorum* (*Act.* V, 30, 31). *Et nunc fratres scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri. Deus autem, quæ prænuntiavit per os omnium prophetarum, pati Christum suum, sic implevit. Pœnitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra* (*Act.* III, 17 et seq.) Hæc dicente Petro et annuntiante opera Domini bona provenisse de Judæorum operibus malis, quidam eorum opera Domini bona *intellexerunt*, et de suis malis operibus pœnitentiam egerunt, atque per opera Domini bona de suis operibus malis liberati sunt. Illi vero, qui opera sua mala dilexerunt, *opera Domini* bona *non intellexerunt* magis diligentes tenebras quam lucem. Unde apparet quod in operibus malis, quæ pertinaciter dilexerunt pertinaciter quoque permanserunt, ideoque lucem oderunt. *Omnis enim, qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus* (*Joan.* III, 20). *Nam omne, quod arguitur a lumine, manifestatur* (*Ephes.* V, 13). Non dico: Omnis, qui mala egit, odit lucem, quia multi tam de numero Judæorum Christi sanguine pollutorum, quam de numerosa multitudine gentium idola colentium, seu voluptates carnis facientium mala egerunt, et de malis suis redarguti a lumine veritatis ipsam lucem, quæ veritas est, dilexerunt, suaque mala per lucem redarguta recognoverunt et oderunt. Nec rursum dico: Omnis, qui mala agit, odit lucem; sed dico, quod *omnis, qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem*. Non enim vult argui a luce. Notanda est enim caute verborum distinctio. Nam Omnis quidem, qui male facit, mala facit, sed non e converso: Omnis qui *mala* facit, *male* facit. Etenim Dominus ipse, qui nihil male facit, multa, quæ multis mala sunt, facit. Unde legitur: *Ego Dominus faciens bona, et creans mala, faciens lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans bellum* (*Isai.* XLV, 7). Similiter etiam boni homines faciunt multa, quæ malis mala sunt, nec tamen ipsi male faciunt, cum bona intentione faciunt, quod faciunt, etiamsi alicui malum est, quod faciunt. Nam si *oculus* intentionis *fuerit simplex, totum corpus* actionis *lucidum erit* (*Matth.* VI, 22). Maria Magdalena bonum opus bene operata est ungendo Christum bona intentione ac sancta devotione. Sed illud bonum opus illi fuit malum, qui dixit: *Ut quid perditio hæc?* (*Matth.* XXVI, 8.)

Similiter Judæi malum opus male operati sunt crucifigendo Christum maligna intentione. Sed illud opus malum credentibus est bonum, et ipsis quoque bonum fieret, si malignitas, qua male operati sunt, finem haberet. Nam propter malignitatem permanentem in malefactoribus impœnitentibus non dicitur: *Omnis, qui mala agit*, sed *omnis, qui male agit, odit lucem*. Tanta est virtus intentionis, ut ipsa mutata de malo in bonum faciat illud opus tibi bonum, quod tibi prius erat malum. Similiter si dedisti eleemosynam, jejunasti, orasti hac intentione, ut acquiras vitam æternam, si mutata et variata

Digitized by Google

intentione captabis inde humanam gloriam, bonum opus tibi fit malum. Si ergo lumen boni operis per malam intentionem tenebrescit, et tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt, quando mali mala intentione malum opus faciunt? Non dico: *fecerunt* secundum præteritum tempus, sed dico: *faciunt* secundum præsens tempus, quia propter malam intentionem in sua malitia permanentem ipsum opus malum, quod actu est præteritum, reatu præsens est.

Tale fuit peccatum Judæorum, qui maligna intentione Christum occiderunt, ejusque doctrinam reprobaverunt, qui tanquam mali coloni hæredem interfecerunt, ut haberent ipsi ejus hæreditatem vindicando sibi docendi et judicandi auctoritatem. De qua nimirum auctoritate secundum legem illis a Deo promissa debuerant facere hunc fructum, quasi boni agricolæ, ut prædicante veritate judicarent bonum bonum, et malum malum. At illi tam pertinaciter judicaverunt malum bonum, et bonum malum, ut Barabbam latronem quasi bonum dimitti peterent; Jesum vero quasi malum occiderent. De hoc scelere post adventum sancti Spiritus mundum de peccato et de justitia arguentis per sanctos Apostolos, quidam Judæi pœnitentiam egerunt, quidam vero in sua malitia perstiterunt, suumque opus malum dilexerunt, sed opus Dei bonum, quod inde provenit, nec intelligere, nec diligere voluerunt.

De his eorumque sequacibus nunc dicitur in psalmo: *Secundum opera manuum eorum tribue illis, redde retributionem eorum ipsis, quoniam non intellexerunt opera Domini.* Etiam cum inter eos, et in eis mirabilia opera fierent suscitatis mortuis, leprosis mundatis, claudis curatis, cæcis illuminatis, et aliis multis miraculis perpetratis, ipsi *non intellexerunt opera Domini* testimonium Christo perhibentia, sicut ipse dixit: *Pater in me manens, ipse facit opera* (*Joan.* XIV, 10). Item: *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, illa testimonium perhibent de me.* (*Joan.* X, 25). Item: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent* (*Joan.* XV, 24). Item: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (*Joan.* V, 17). Item: *Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, et credatis, quia ego in Patre meo sum, et Pater in me est* (*Joan.* X, 38). At illi *non intellexerunt opera Dei; non*, inquam, *intellexerunt*, quæ tamen per rationem sibi datam intelligere debuerunt, et potuerunt, si opera Dei quasi litteras vere significativas legere et animadvertere voluissent. *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus, et Divinitas, ita ut sint inexcusabiles* (*Rom.* I, 20), quicunque per opera visibilia noluerunt intelligere illa invisibilia Dei, quæ per ipsa visibilia facta sunt intelligibilia. Cœli eum Dominum suum indicaverunt, quando gloriam ejus enarraverunt per stellam in oriente Magis lucidam visam et intellectam. Terra se opus ejus esse indicavit, quando ipso moriente vel resurgente contremuit. Ventis et mari tanquam Dominus et Creator eorum imperavit, et obedierunt ei sicut suo factori. Nemo alius talia opera fecit imperando, sed sicut Moyses et Elias, in elementis mundi operati sunt mirabilia orando, non imperando. Sic alii multi fecerunt. Iste autem tanquam Dominus imperavit ventis, et mari, et obedierunt ei tanquam Domino suo, et ideo ejus opera fuerunt opera Domini talia, et taliter facta, qualia et qualiter non possunt operari servi ejus quantumlibet sancti. Nullus enim illorum sua propria virtute operatur miracula, sed oratione invocatus ille operatur ea per eos, qui facit mirabilia magna solus.

Nonne, inquis, et ipse Jesus oravit, quando Lazarum suscitavit? Verum est; sed cum hoc animadvertisti, hoc pariter debueras attendere, quod inter orandum dicit: *Pater gratias ago tibi, quoniam semper me audis: ego autem sciebam quoniam semper me audis; sed propter populum, qui circumstat, dixi, ut credat, quia tu me misisti* (*Joan.* XI, 41, 42). Si gratias agebat, vel orabat propter populum circumstantem, non hoc fecit propter se ipsum. Non necessitate sui, sed charitate nostri oravit, et gratias egit, ut nos instrueret, aliam personam esse patris, aliam sui: atque ut nos magna facere cogitantes præmittamus per ipsum ad Patrem orationes, quando etiam ipsum cognoscimus orasse, qui potuit facere magna, si voluisset, absque oratione, solo suæ virtutis imperio, sicut mare, ventosque solo sedavit imperio. Solo imperio lepram mundavit dicens: *volo mundare* (*Matth.* VIII, 3). Et sicut eumdem Lazarum de sepulcro exire imperavit dicens: *Lazare, veni foras* (*Joan.* XI, 43), et sicut discipulis piscantibus dixit: *Mittite in dextram navigii rete, et invenietis* (*Joan.* XXI, 6). Quid dicam de imperio? Etiam solo tacito nutu fecit mirabilia iste Dominus, qui dicitur Jesus. Nam cum in nuptiis præcepisset aquam hauriri pro vino, tacitum ejus nutum sentiens natura exhibuit aquam in vinum factam. Talia sunt opera Domini, qualia nemo alius fecit, et qualiter nemo alius fecit, aut facere potuit. Ex quibus operibus poterat ipse cognosci creaturarum Dominus. At illi *non intellexerunt opera Domini*, qui erant servi pessimi, quia talis *servus nescit, quid faciat Dominus ejus* (*Joan.* XV, 15).

Et in opera manuum ejus. Aliud est intelligere *opera*, et aliud intelligere *in opera*. *Opera* Domini intelligit, qui hæc Dominum operari intelligit, et qui ex ipsis operibus operantem Dominum intelligit, et diligit. Sed *in opera manuum ejus intelligit*, qui internas ac mysticas operum causas intelligit, ut verbi gratia; per lutum de sputo Dominici oris et pulvere terræ factum intelligitur Dominicæ incarnationis mysterium, quo sapientia ex ore Altissimi prodiens pulveream generis humani naturam sibi univit ad medicandam humani generis cæcitatem per incarnationis Dominicæ fidem et dilectionem. Ex hoc luto suavissime liniuntur interiores catechumenorum oculi, et sic mittuntur ad natatoriam Siloe, id est, ad baptismum. Similiter per u-

Digitized by Google

ctum fimbriæ mulier sanatam de profluvio sanguinis Ecclesiam ex gentibus significat a sordibus idololatriæ Sanatam per incarnationis Dominicæ prædicatorem apostolum Paulum, qui se quasi fimbriam fatetur *minimum Apostolorum*, cum sint ipsi Apostoli quasi Domini vestimentum, cui vestimento apostolus Paulus æstimat se quasi appendentem fimbriam parvam dicens : *Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus* (*I Cor.* xv, 9). Qui sic mystice intelligit, ipse non solum *intelligit opera Domini*, sed etiam intelligit *in opera* Domini, id est, in operibus exterioribus interiora *opera Domini*, quæ sunt *opera manuum ejus*, quia his perficiendis impendit se dilligentius quasi propriis suis manibus. Nam ista visibilia et exteriora miracula, quibus Ecclesiæ hortus plantatur et rigatur, etiam per manus ministrorum et servorum facit Dominus; sed illa interiora miracula, quibus incrementum datur, non nisi per se ipsum suis manibus operatur. Unde Apostolus : *Ego*, inquit, *plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit* (*I Cor.* III, 6). Per illa exteriora sanctitas interdum manifestatur : per ista exteriora sanctitas inchoatur, incrementatur et consummatur. Hæc sunt interiora *opera manuum Domini*, quæ longe superexcedunt non solum humanam, sed etiam angelicam possibilitatem, et non pertinent nisi ad Agricolam Trinitatem. In *hæc opera manuum Domini* per visibilia opera non suos intellectus intenderunt, qui me Christum Jesum operatorem talium operum occiderunt, et me occiso, ac de morte resuscitato discipulos talium operum meorum testificatores et prædicatores persecuti sunt.

Habent usque in finem sæculi utrique suos successores, videlicet tam Judæi operum divinorum negatores, quam Apostoli eorumdem operum prædicatores et laudatores, et illi istos persequuntur, quia sibi invicem adversantur. Illis inimicis et contradictoribus operum Domini, primitivis primitivæ Ecclesiæ persecutoribus, non solum dæmones et maligni homines, verum etiam carnales motus connumerantur; quia hi pariter operibus Domini adversantur. Tu ergo Deus judex juste, *destrues illos, et non ædificabis eos*, Si dicerem *destrue illos, et non ædifica illos*, poteram videri hæc dicere optantis voto, et orantis desiderio. Nunc autem non tam oro, vel opto, quam prædico enuntians pœnam, qua digni sunt, et diço : *Destrues illos, et non ædificabis eos*. Hoc dignum et justum est ex vero veritatis judicio, ut quia ipsi templum corporis mei per mortem solventes destruxerunt, et illud in triduo, sicut prædixeram, reædificari posse non crediderunt, imo quantum in ipsis fuit, ejus reædificationem jam factam credi dissuaserunt ementes a militibus mendacium, ut dicerent, me a discipulis furtim ablatum, ne quis crederet templum corporis mei reædificatum : et ipsi sic destruantur per Romanos et dæmones corpora et animas eorum vastantes, ut ulterius non reædificentur, sicut quondam per Babylonios destructi post septuaginta annos iterum sunt reædificati. Non ita nunc fiet illis post finem belli Romani, statuta desolatio non sinet eos reædificari ad cultum Judaismi, ne forte illis in loco sancto in Jerusalem judaizantibus impediatur Christianitatis religio munda et immaculata, ad quam reliquiæ illorum sunt convertendæ juxta vaticinium Isaiæ : ipsi vero, qui permanentes indurati non convertentur, in destructione ac desolatione permanebunt; quia et in hac vita *tradentur manus in gladii* (*Psal.* LXII, 11) Romani, et post hanc vitam *partes vulpium*, id est, malignorum spirituum *erunt*. Vel *tradentur in manus gladii* de corpore videlicet patriarcharum decisi, et *erunt partes vulpium*, id est, malignorum principum, qualium unus fuit Herodes, de quo dixi : *Ite, dicite vulpi illi : quia non capit prophetam perire extra Jerusalem* (*Luc.* XIII, 32 et 33). Per tales vulpes *destrues illos*, quia per Romanos principes captivi ducentur in omnes gentes, neque unquam rehabebunt civitatem, et templum ad exercendum judaismum, vel consuetum latrocinium, quo domum meam fecerunt speluncam latronum.

VERS. 6. *Benedictus Dominus, quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ.* Post orationes recte sequitur gratiarum actio, maxime ubi certa est exauditio. Et ego Filius Dei unigenitus bene scio quod Pater meus me semper audit, et exaudit, ideo exauditus in mea oratione, quam non ex diffidentia, sed ex certa futurorum præscientia fudi secundum humanitatem, et cum Patre audivi, et exaudivi secundum Divinitatem. Nunc ergo verus homo vero Deo Patri gratias ago et dico : *Benedictus Dominus, quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ.* Quæ sit differentia benedictionis, qua homo Deum laudans benedicit, et Deus hominem salvans benedicit, in alio psalmo dictum est. Sed quia hic homo Deus Dei Filius Patrem benedicit. Specialis est ista benedictio specialiter conveniens huic David, cujus mentio fuit in titulo psalmi. Est ergo hic sensus in hoc psalmo, qui et in Evangelio, ubi dicit hic David : *Pater, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te* (*Joan.* XVII, 1). Sed ego Filius me scio exauditum atque, ut oravi, per resurrectionis gloriam tanta gloria Divinitatis clarificandum, ut *non assimiler descendentibus in lacum*, sed potius videntibus discipulis in magna claritate ascendam in cœlum regnaturus in æternum, et regnum meum erit benedictum, secundum quod ex ore infantium, et lactentium perfecte me laudantium dictum est : *Benedictus qui venit in nomine Domini, et benedictum, quod venit regnum Patris nostri David* (*Marc.* XI, 9 et 10). Sic ego clarificatus et benedictus versa vice clarifico, et benedico Deum Patrem meum, sicut alias dixi : *Pater clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te* (*Joan.* XVII, 1). Ecce jam exauditus, et de mea clarificatione certissimus Patrem clarifico, et benedico, magnifico et laudo dicens : *Benedictus Dominus, quoniam exaudivit vocem de-*

Digitized by Google

precationis meæ. Per hoc me scio exauditum a Deo Patre meo, quoniam ipse.

VERS. 7. *Dominus adjutor meus, et protector meus. Adjutor* in bonis faciendis et consummandis, ita ut possim vere dicere ad ipsum : *Ego te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam* (*Joan.* XVII, 4). Ad hoc est ipse *Adjutor meus*, et ipse idem est *protector meus* a malis omnibus : et ideo *In ipso speravit cor meum, et adjutus sum, et sic refloruit caro mea* immunis a peccato, quæ defloruit in Adam ex peccato. Vel quæ prius floruit peccati immunitate, *refloruit*, id est, iterum floruit in Resurrectione. Propter quod metu mortis consumpto confitebuntur ei illi, in quibus ego sum, et ideo *Confitebor ei*, et hoc *ex voluntate mea*, non ex timore sub lege, sed libere cum lege.

VERS. 8. *Dominus*, de quo dictum est, quod *adjutor et protector meus* est, idem est contra diabolum *Fortitudo plebis suæ*, quæ confidens in eo non ostendit, vel jactat suam justitiam; et post pugnam ejus *protector salvationum Christi sui est*, id est, quas facit Christus, hoc est, post pugnam salvos factos per Christum in immortalitate proteget.

VERS. 9. *Salvum fac*, Domine, *populum* a malis sæculi *Populum tuum* dico; quia omnia mea tua sunt : *Et benedic hæreditati tuæ*, id est, numero et virtutibus auge : *Et rege eos* in temporali vita, ne declinent ad prava : *Et extolle eos* super totum sæculum, *usque in æternum* in intellectu Scripturarum, et in opere, vel a desiderio terrenorum. *Extolle illos usque in æternum*, id est, ad appetenda et percipienda æterna.

Aliter. *Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ*, quamvis ipse populus tuus sit hæreditas tua et mea, juxta quod alibi dicis mihi : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (*Psal.* II, 8), tamen recte potest intelligi populus tuus totus grex eorum, qui dicunt : *Nos autem populus ejus, et oves pascuæ ejus* (*Psal.* LXXVIII, 13). Illi vero proprie, ac speciali quadam gratia sunt hæreditas tua, quibus et tu eris hæreditas dicens ad Moysen : *Filiis Levi non dabis hæreditatem, ego enim ero hæreditas eorum* (*Deut.* XVIII, 2). Horum sectatores apostoli et apostolici viri noluerunt habere in terra hæreditatem, ut et ipsi tua, et tu eorum sis hæreditas. Secundum hanc distinctionem populi tui, et hæreditatis tuæ in primordio Ecclesiæ duæ conspiciuntur vitæ, una, qua infirmorum debilitas retinetur; altera, quæ fortiorum virtus beata perficitur. Una remanens in Segor parvula; altera ad montis altiora conscendens. Una lacrymis et eleemosynis peccata quotidiana redimens : altera quotidiana instantia spiritualis exercitii merita æterna conquirens. Una inferior, altera superior. Inferiorem tenentes rebus terrenis utuntur; superiorem sectantes terrena despiciunt. Illi sunt populus Domini, isti hæreditas. De illis dicitur : *Laudabilis populus, quem Dominus exercituum benedixit dicens : opus manuum mearum tu es :* De illis dicitur : *Hæreditas autem mea Israel* (*Isa.* XIX, 25). Tu ergo, Deus, Pater exaudi Filium tuum in eo, quod salvum facias populum tuum.

Et benedic hæreditati tuæ. Populum tuum salva salute plena et sempiterna : *Hæreditatem benedic, et* sanctifica, ut illi, qui propter te non habentes in terra hæreditatem, sunt hæreditas tua, sint benedicti et sanctificati tali benedictione, quæ omne excludat maledictionem, et tali sanctificatione, quæ omnem fugans pollutionem, sanctam et benedictam tibi exhibeat ipsam tuam hæreditatem.

De hoc populo, et de hac hæreditate tu mihi olim dixisti : *In Jacob inhabita, et in Israel hæreditare* (*Eccli.* XXIV, 13). Igitur Jacob luctans in actione ipse est populus tuus, quem rogo salvari. Israel quiescens in Dei visione ipse est hæreditas tua, quam rogo benedici : *Et ego radicavi in populo honorificato* (*ibid.*, 16), de quo dico : *Salvum fac populum tuum. Et in parte Dei mei hæreditas illius* (*ibid.*), de qua dico : *Benedic hæreditati tuæ*. Tu quondam benedixisti filios Noe dicens : *Crescite et multiplicamini, et replete terram, sitque terror vester, ac tremor super cuncta animantia terræ, et super omnes volucres cœli cum universis quæ moventur in terra* (*Gen.* IX, et seq.) Ita ergo, quoniam ego verus Noe per lignum crucis diluvium inundantium peccatorum superavi, et de latere meo, quasi de latere arcæ ostio aperto per aquam et sanguinem regeneratos exhibui alios pusillos, alios magnos : pusillos tu salva quasi munda jumenta de arca egressa, magnos benedic, ut crescant merito, multiplicentur numero, sitque terror auctoritatis eorum super cuncta animantia, et bestias terræ, id est, super omnes homines terrenos, vel brutos, et insensatos more animantium terræ, vel furiosos, et rabidos more bestiarum terræ, ut eorum terrore vel comprimantur, ne possint malum, quod volunt, vel regantur, ut declinent a malo et faciant bonum. Super omnes quoque volucres cœli sic terror ac tremor eorum sit, ut spirituales nequitiæ in cœlestibus gementes, ac tremente fugiant vulneratæ a sagittis orationum, terribili vexillo crucis, quo insigniti sunt isti filii mei benedicti et exaltati super universa, quæ moventur in terra, ut eis auctoritate regiminis præsideant.

Quia vero per eos etiam hæc sunt regenda, tu, Rex omnium sæculorum, *rege eos, et extolle illos usque in æternum. Rege* in sanctis actionibus, et *extolle* in sancta contemplatione. *Rege*, ut declinent a malo, *et extolle*, ut faciant bonum. *Rege* in præsenti vita, *et extolle* post hanc vitam *usque in æternum. Rege*, ut eant, *extolle*, ut fructum afferant, et fructus eorum maneat in æternum. Sic *rege eos, et extolle illos usque in æternum*, de præsenti vita usque in vitam æternam. Ecce qualiter interpellat resuscitatus!

Gloria Patri, quem in hoc psalmo Filius orat. *Gloria Filio*, qui orat dicens : *Ad te, Domine, clamabo. Gloria Spiritui sancto*, qui est illa salus et benedictio, quæ operatur Dei populo, ubi dicitur

Digitized by Google

Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ.

Hoc clamore ejus audito Propheta repente psalmo subsequente vicesimo octavo conclamat : *Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum*, etc. Hæc enim dicendo communiter omnes fideles adhortatur, ut imitando illum semetipsos Deo offerant, admonens perfectos velut arietes, ut perseverent et augmententur, alios vero, ut vel filii arietum bene operando ad oblationem ejusdem sacrificii cito promoveantur. Inscribitur autem sic : *Psalmus David* in *consummatione tabernaculi*. Mittitque nos ad historiam, quia sicut David post receptionem arcæ sublatæ a Philisthæis tabernaculum Domino ad orandum et sacrificandum instituit, sic quique fideles post fidei catholicæ perceptionem semetipsos præparare debent tabernaculum sanctificationis, in quo Deo offerant sacrificium laudis, videlicet fidem, spem et dilectionem.

PSALMUS XXVIII.

VERS. 1. *Afferte Domino, etc.* Titulus est : PSALMUS DAVID IN CONSUMMATIONE TABERNACULI.

Legitur in libris Regum, quod tempore Heli sacerdotis, Philisthæi tulerunt arcam Domini a loco, qui dicitur lapis adjutorii, in Azotum, et posuerunt eam juxta idolum, quod dicitur Dagon (*I Reg.* v). In crastino vero invenerunt Dagon ante arcam Domini prostratum, et erexerunt; et similiter in crastino invenerunt prostratum, quem et iterum erexerunt ; et tertio invenerunt quoque ante arcam prostratum abscisso capite, et palmis manuum. Fuit autem in regionibus Philisthinorum arca septem mensibus, et percussi sunt plaga vehementi : ebullierunt enim mures in terra, et demoliebantur eos, et computruerunt prominentes extales, id est, podices eorum. Hac igitur plaga percussi tandem retulerunt arcam in Gabaa anno vicesimo : et pro peccato miserunt cum arca juxta numerum provinciarum quinque anos aureos, et totidem mures aureos. Cum autem David, mortuo Saule et filio ejus Isboseth, prospere regnaret, tulit arcam de Gabaa in Domum Obededom Gethæi, ubi cum fuisset tribus mensibus, adduxit eam David in Jerusalem, et introduxit eam in locum suum in medium tabernaculi, quod tetenderat ei David, et obtulit holocausta (*II Reg.* vi).

Huic igitur Historiæ Propheta alludens de significato potius tabernaculo agit, quod Dominus septiformi gratia consummavit, Ecclesia videlicet reducta a jure diaboli. Etenim iste psalmus convenit David prophetæ, qui loquitur de consummatione tabernaculi, id est, in consideratione Ecclesiæ consummatæ, in qua in hoc sæculo contra diabolum militatur.

Primo monet de sacrificiis offerentis. Secundo agit de constitutione tabernaculi, ubi virtutes Spiritus sancti enumerat ibi : *Vox Domini super aquas.* Tertio ostendit, quid faciat Ecclesiæ constitutæ, secundum quod confirmat, promovet, post remunerabit, ibi : *Dominus diluvium inhabitare facit.*

In primis autem versibus aperit, quod intendit, ubi fideles admonet, ut tali consummatori se offerant, dicens : *Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum.* Sed antequam ingrediamur textum psalmi de consummatione tabernaculi, prius videtur aliquid agendum et inquirendum de causa ædificandi et consummandi tabernaculi.

Bis namque legimus Domino ædificatum tabernaculum, semel per Moysen in deserto, secundo, per David in monte Sion. Sed illud antiquius tabernaculum positum in Silo Dominus repulit in figura Synagogæ abjiciendæ ac repellendæ. Posterius vero tabernaculum per David fabricatum de pellibus non legitur a Deo repulsum, licet eidem successerit magnum templum, quod Salomon filius David ædificavit, quodque dedicavit, quando arca Domini, propter quam fuerat utrumque tabernaculum factum, in illud introduxit. Causa namque fuit utriusque tabernaculi et templi ædificandi arca Domini, arca fœderis, in qua erat urna aurea habens manna, et virga Aaron, quæ fronduerat, et duæ tabulæ testamenti.

Arca hæc significabat Christum, vel Christi corpus de virgine assumptum, in qua erat urna aurea, id est, anima rationalis purissima et divinissima, habens manna, id est, illam dulcedinem Divinitatis, quam insatiabiliter gustando vivunt angeli, de qua etiam vivit homo, quando panem angelorum manducat in sacrosancto altaris mysterio. Hæc arca fuit posita in priori tabernaculo per Moysen ædificato, quando secundum legem Moysi fides Dominicæ incarnationis observabatur in populo Judæorum sub velamento litteræ. Sed hoc tabernaculum Dominus repulit, quando Synagoga Dominum repellens, et ipsa repelli meruit. Quia enim Dominum repellentes Judæi dixerunt : *Non habemus regem, nisi Cæsarem* (*Joan.* xix, 15), juste repellente illos Domino, traditi sunt in manum Cæsaris, in potestatem scilicet Romanorum, quibus quasi placere volentes crucifixerunt Christum tanquam legibus Romanis contrarium, et tanquam prohibentem tributa dari Cæsari. Tunc Romanis populum Judæorum vastantibus et captivantibus, ipse Dominus in manus militum Romanorum ab eis traditus, *tradidit* versa vice *in captivitatem virtutem eorum, et pul-*

Digitized by Google

chritudinem eorum in manus inimici, et conclusit in gladio populum suum (*Psal.* LXXVII, 61, 62), *et arca Dei capta est* a Philisthæis, id est, ab ipsis Romanis (*I Reg.* IV, 11, 17). Nam Romani, qui Synagogam quasi tabernaculum Silo dissipaverunt, et in hoc ministri Dei fuerunt, ipsi quoque arcam Dei captivaverunt Christum persequendo, atque suis edictis prohibendo prædicari fidem Christi. Plurimi tamen Romanorum et aliorum gentilium sic acquiescebant ad suscipiendum Christi cultum, ut pariter, cum eo staret in hoc mundo cultus idolorum, quod erat statuisse arcam Domini juxta Dagon in templo. Sed coram arca Domini Dagon cecidit, quia Christi fide in toto terrarum orbe recepta Dagon excidit, cultus idolorum periit. Ecce ante arcam Domini Dagon jacet prostratus abscisso capite, et palmis manuum, quia florente cultu Christi periit idololatria non habens caput, id est, principem aliquem sui defensorem, non habens palmas manuum, quia omnis palma victoriæ Christo, non idolis militat, et ipse Christus non solum per fideles, sed etiam per infideles principes ubique triumphat.

Fuit autem arca in regione Philistinorum capta, quandiu Romanis et paganis principibus Ecclesiam Dei persequentibus non fuit pax, et libertas christianæ fidei cultoribus et prædicatoribus. Sed captivatores arcæ percussi sunt plaga vehementi, cum eos vastarent mures, id est, maligni et immundi spiritus, atque computrescerent *prominentes extales* eorum, palam apparente turpitudine ipsorum, quos Deus tradidit in reprobum sensum, ut facerent peccata ignominiosa, et naturali honestasti contraria (*I Reg.* V). Hac plaga percussi tandem dimiserunt arcam liberam trahentibus eam vaccis, id est, prædicatoribus in plaustro novo de quatuor rotis Evangeliorum composito. Quod autem ipsi Philisthæi *anos aureos, et mures aureos* (*I Reg.* V) pro peccato suo dederunt, significat, multos impiorum post fœditates et nequitias perpetratas, per condignos et præclaros fructus pœnitentiæ suas turpitudines cooperuisse, vel quotidie operire, de quibus dicitur: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* XXXI, 1). Ex tunc non est arca Dei inventa in Silo, cujus tabernaculum dissipatum est. Non enim ad Judaismum Christi fide suscepta est redeundum, sed eidem arcæ per verum David novum tabernaculum fabricatur, in quo arca ipsa collocatur cum tanta solemnitate ac lætitia, quantam significari decet per verba psalmi, quem versamus, et per facta David mystica eamdem solemnitatem præfigurantia.

Consummato enim tabernaculo *congregavit rex David omnes electos ex Israel triginta millia, surrexitque, et abiit, et universus populus, qui erat cum eo, de viris Juda, ut adducerent arcam Dei, super quam invocatum est nomen Dei exercituum sedentis in Cherubim super eam. Et imposuerunt arcam Dei super plaustrum novum*, etc. (*II Reg.* VI, 1, 2). Quæ ista festivitas fuit, prophetæ dicamus, an regis? huo melius prophetæ simul et regis. Ipse namque, qui in illum directus est, Spiritus Domini, prius illam prophetam quam regem effecit, priusque illi mysteria futuri Domini et Filii sui, magni regis, Christi ostendit, quam thronum ascendere concederet præsentis regni Israelitici. Quæ ergo fuit illa solemnitas tanta prophetæ et regis in deductione arcæ Domini? *Iverunt*, ut in Paralipomenon locupletius scriptum est, *ad portandam arcam fœderis Domini de domo Obededom cum lætitia. Cumque adjuvisset Dominus Levitas, qui portabant arcam fœderis Domini, immolabantur septem tauri et septem arietes. David autem indutus erat Ephod lineo, universusque Israel deducebat arcam fœderis Domini in jubilo et sonitu buccinæ et tubis et cymbalis et cytharis concrepantes*, etc. (*I Paralip.* XV, 25 et seq.). Num hæc frustra, vel absente sancto prophetiæ Spiritu facta sunt? Si ad cantum unius Psaltæ sanctum prophetiæ Spiritum Eliseus in pectore suo suscitavit, sicut scriptum est: *Nunc autem adducite mihi Psaltem. Cumque caneret Psaltes, facta est super eum manus Domini, et ait: Hæc dicit Dominus: Facite in alveo torrentis hujus fossas* (*IV Reg.* III, 15 et seq.); quanto magis in illo tanto jubilo, tantoque buccinæ sonitu, tubarum quoque et cymbalorum atque cythararum crepitu evigilasse credendus est idem, qui et in isto erat, Spiritus, præsertim cum ipse rex quasi regalis oblitus fastigii luderet, ac totis viribus saltaret ante arcam Domini in tantum, ut uxori suæ Michol videretur despicabilis. Num lasciviente juvenili sanguine, et non potius confringente cor humile magna Spiritus Dei fortitudine sic lusit, et sic saltavit rex magnus, rex manu fortis, tanto magnus et fortis, quanto parvus et vilis in oculis suis.

Igitur quod confirmato regno David super populum Israel tanto totius regni tripudio deducitur arca fœderis Domini, ejus rei typus est, pro qua hodie totus tripudiat orbis, quia videlicet resuscitato a mortuis rege manuforti et desiderabili, Christo, postquam gloria et honore coronatus constitutus est super opera manuum Patris, continuo per mundum universum resurrectio prædicata est ejusdem regis victoriosi. Etenim, sicut alibi plenius scriptum est, arca mirabilis, arca totos in se retinens thesauros universæ Divinitatis fabrica est humani corporis, quod Dei Filio Spiritus sanctus de virginali utero compegit, et hujus arcæ ille typus exstitit. Nam revera super hanc arcam invocatum est nomen Domini exercituum sedentis super Cherubim super eam. Imo ipsa vocatur Dominus exercituum propter plenitudinem scientiæ totiusque Divinitatis corporaliter inhabitantis in ea. Decantabat itaque populus in Israel, et universa multitudine Israel canticum laudis: David quoque cum cantoribus citharam percutiente, sonus cantantium in toto mundo auditus est. *Nam non sunt, inquit, loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exiit sonus eorum, et*

Digitized by Google

in fines orbis terræ verba eorum, subauditur dicentium : *In sole posuit tabernaculum suum*, etc. *Cœli*, qui *enarrant gloriam Dei* (*Ps.* XVIII, 4), scilicet Apostoli, ipsi sunt juxta præsentis loci mysterium Asaph, Idithun, Heman et Ethan, id est, *congregantes, et transilientes, robusti et fortes* (*I Paral.*, XV). Congregantes spiritalia, transilientes carnalia, robusti ad mala toleranda, fortes ad bona peragenda, et omni studio in cithara canentes pro octava, id est, in omnimoda mortificatione carnis resurrectionem testificantes, quæ dicitur octava.

Juxta litteram pro octava canebant, quia a sexto psalmo, qui hoc habet in titulo, incipiebant. Pro octava Judæi putabant pro circumcisione, nos autem pro illa, qua innovandi sumus, meliori circumcisione, id est, carnis resurrectione. In medio eorum stabat David tenens et ipse Psalterium, citharamque percutiens, ac totis viribus subsiliens. Ipse namque qui dixit : *sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV, 5) : Et : *ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XX, 28), pulchris digitis suis, id est, Spiritus sancti donis pectora concutiebat apostolorum, ut non tacerent, aut deficerent, quodammodo subsiliens, id est, mira quibus adjuvarentur, et sermo illorum confirmaretur, opera per ipsos faciens.

Et imposuerunt arcam Dei; inquit, *super plaustrum novum, tuleruntque eam de domo Aminadab* (*I Paral.* XIII, 7), Plaustrum novum, quo portabatur arca hæc fœderis Domini, novum est Christi Evangelium, quo resurrectio ejus, ut prædictum est, in toto mundo annuntiatur. Nam quatuor plaustri rotæ sunt Evangelistæ. Domus autem Aminadab, quod interpretatur *populi mei spontaneus*, Domus, inquam, Aminadab, id est, Christi, qui pro populo suo sponte semetipsum dedit, quondam Synagoga fuit. Nunc autem domus ejusdem Ecclesia est, quæ illa invidente fidem suscepit resurrectionis Christi. Et nunc quidem ludentem, atque subsilientem illa irridet nostrum David blasphemo non parcens ori, quemadmodum hic Michol, filia Saul, prospiciens per fenestram subsilientem atque saltantem coram Domino despexit in corde suo David, futurum autem, ut dicat : *Nesciri, anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab* (*Cant.* VI, 11) ; nescivi, inquam, nam anima mea inopinata rerum mutatione conturbata est, et non intellexi quadrigas Evangelii portantes arcam Dei Aminadab. Cum enim introierit plenitudo gentium, tunc ista Michol non jam prospiciendo per fenestram despiciet gloriosum regem David, sed ipsa sequetur, imo et suscipiet arcam Domini, id est fidem resurrectionis Christi. Nunc interim quasi per fenestram prospicit, quia tantis interesse nolens gaudiis, velut in abscondito insidians machinatur, quid vel unde blasphemare possit. Sed nos contra insidias ejus divinum habentes adjutorium, et munimen regem David favente gratia subsequamur, pariterque cum illo canamus.

Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum. O *Filii Dei*, non filii iræ, non filii gehennæ, non filii perditionis, sed filii gratiæ, filii hominum prævaricantium per naturam, quos in iniquitatibus concepit mater carnalis et genuit in peccato ; sed Filii Dei Patris per adoptionem, per gratiam regenerantem : Vos, *filii Dei*, *afferte Domino*, *afferte Domino filios arietum.*

Alia ablatio exigebatur, quando tabernaculi ædificatio incepta est in primordio nascentis Ecclesiæ, et alia nunc exigitur in consummatione tabernaculi circa finem sæculi. Tunc enim non *filii arietum* parvuli, tenelli, sed arietes fortes utroque Testamento cornuti fundaverunt Ecclesiam sanguine suo, per cornua fortitudinis eorum dirutis idolis, ventilatis hæresibus, dejectis Judaicis et Pharisaicis traditionibus et superstitionibus. Nunc autem fundata firmiter Ecclesia supra firmam petram, neque ullatenus nutante fundamento tabernaculi ad consummationem ipsius tabernaculi, in quo locanda est arca Dei, id est, corpus Christi, non jam quæruntur arietes, qui videlicet sint Apostolis coæquales, ad martyria toleranda fortes, ad destruendam idololatriam robusti, sed *filii* tantum *arietum* subpares Apostolorum, quos per Evangelium genuerunt Apostoli duces gregum, ut sint agni novelli.

Tales quæruntur in consummatione tabernaculi, ut in ipso tabernaculo conveniant in unum, et sit eis unus Spiritus et una fides, unum corpus, cor unum et anima una in Deo. De his a Christo dictum est Pastori præcipuo : *Pasce agnos meos.* Et quia bis dictum est ei : Pasce agnos meos, et tertio, *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI, 15, 17), nos quoque cantores veri David bis dicimus : *afferte, filii Dei, afferte Domino filios arietum* propter tenellos et parvos agnellos, et tertio dicimus : *Afferte Domino gloriam et honorem* propter oves magnas, propter gregem tonsarum ovium, quæ velleribus rerum suarum depositis ascendunt de lavacro pœnitentiæ vel innocentiæ, *omnes fetæ gemellis fetibus, et sterilis non est inter eas* (*Cant.* IV, 2) : gemellis fetibus, inquam, quia non sunt contentæ oves istæ servasse præceptum, sed insuper admiserunt perfectionis consilium dicente fabricatore hujus tabernaculi vero David : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* (*Matth.* XIX, 17). Hoc est præceptum. Item : *si vis perfectus esse, vade, et vende, quæ habes, et da pauperibus, et veni sequere me* (*ibid.*, 21). Hoc est consilium, *O filii Dei*, si tales oves offertis, imo, si vosmetipsos tales oves exhibetis, vere gloriam et honorem offertis. Propter quod dico :

VERS 2. *Afferte Domino gloriam et honorem.* Et ne in ista gloria quidquam vobis adscribatis, iterum dico : *Afferte gloriam nomini ejus*, in consummatione tabernaculi, in consummatione cujuscunque operis boni et perfecti, unde gloria et honor potest haberi. Dicite illi : *Non nobis, Domine non nobis*,

Digitized by Google

sed nomini tuo da gloriam (*Ps.* CXIII, 1). Sic *afferte Domino gloriam et honorem* : Sic *afferte gloriam nomini ejus*, ut sive filios arietum parvos, et imperfectos in observatione præceptorum vos, vel alios Deo afferatis, sive oves fetas in gloriam et honorem Dei per observantiam consilii vos, vel alios exhibeatis, omnia in gloriam Dei, et non vestram faciatis. In fine cujusque psalmi, et magis in fine, vel consummatione tabernaculi militantes Deo in hoc ipso tabernaculo, quod est Ecclesia, vel munda caro cujusque vestrum dicite frequenter, dicite libenter et ex corde : *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* Sic *afferte gloriam nomini ejus.* Non dico, nominibus, quasi multis, sed quasi uni, imo vere uni Trinitatis nomini, sicut baptizati estis non in nominibus, sed in *nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Afferte gloriam nomini ejus.*

Aliter. O *filii Dei* per Spiritum sanctum regenerati, atque in adoptionem Filiorum vocati, eidem Domino scilicet Spiritui sancto, per cujus operationem factum est, ut sitis Filii Dei, *Afferte filios arietum* sicut supra est expositum, et *afferte illi gloriam et honorem. Gloriam*, ut credatis, et dicatis eum non esse creaturam sicut Arius et Macedonius blasphemabant. Sed una cum Patre, ac Filio Creatorem increatum immensum, æternum et omnipotentem. *Honorem* quoque in hoc illi afferatis, ut corde credentes ad justitiam, et ore confitentes ad salutem prædicetis eum æquali honore una cum Patre ac Filio ab omnibus creaturis honorandum, ab angelis et hominibus adorandum. Atque ut operibus comprobetis, verum esse, quod docetis, vos qui eum adorandum prædicatis,

Adorate Dominum in atrio sancto ejus vel : *in aula sancta ejus*, id est, in corde per charitatem dilatato et sanctificato, quod est regalis *aula ejus* in qua *veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu et veritate* (*Joan.* IV, 23); in spiritu credendo corde ad justitiam, in veritate ore confitendo ipsam veritatem ad salutem audientium. Et si quidem volumus distinguere opera Trinitatis, quæ, licet sint inseparabilia, tamen proprietates personarum indicant; alia est præparatio ad ædificandum tabernaculum, alia ipsius tabernaculi ædificatio, atque alia consummatio. Sicut enim pater David filio suo Salomoni in auro, argento, ære, atque lapidibus pretiosis præparavit impensas multas ad ædificandum templum, sed ipse filius Salomon de talibus impensis ædificavit ipsum templum : sic Deus Pater, creando rationalem creaturam per Verbum suum propter bonitatem suam, grandes præparaverat impensas, nobilemque fecit materiam, de qua Filius suus Christus rex pacificus unam fecit, et facit Ecclesiam factus ipse angularis lapis quo paries angelorum parieti hominum copulatur, quique non solum in caput anguli est elevatus, sed etiam in fundamentum positus. Unde ipse de se petra dicit : *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI, 18). Ergo Pater, qui rationalem creaturam creavit, quique Filium suum misit in hunc mundum, ipse tabernaculi, sive templi impensas et materiam præparavit, atque immobile fundamentum posuit. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id, quod* ab ipso Patre antiquo dierum *positum est*; *quod est Christus Jesus* (*I Corinth.* III, 11), qui est Petra solida. Super hanc Petram, id est super semetipsum ædificat ipse Christus Ecclesiam suam, quæ tabernaculum est in Sion et templum in Jerusalem. Tabernaculum in tempore militiæ, templum in diebus pacis. Hujus tabernaculi consummatio, quod Pater fundavit Filius ædificavit, recte assignatur Spiritui sancto, sine cujus munere imperfecta est Patris et Filii operatio : verbi gratia, Judam apostolum Pater creavit, Filius in Apostolum elegit, sed quia gratiam Spiritus sancti non accepit, de apostolo factus est diabolus. Ipsi etiam apostoli supra Petram, quæ Christus est, per fidem ædificati, nisi post Resurrectionem et Ascensione Christi Spiritum sanctum accepissent, imperfecti et inconsummati remansissent. Caro et sanguis non revelavit Petro petram, sed Pater, qui Petram posuit, ipse hanc Petro revelavit, atque hunc ipsum Petrum ipsa petra in fundamento posita sibi sociavit. et tamen quia Spiritus sanctus nondum erat datus, neque Jesus fuerat glorificatus, Petrus adhuc erat inconsummatum tabernaculum, quando ab unius ancillæ ore flantem ventum sustinere non potuit, sed quasi ruptis fidei funiculis, et spei paxillis evulsis corruit in terram, penitusque corruisset in infernum, si per donum Spiritus sancti, ad quem specialiter pertinet remissio peccatorum, non fuisset illi subventum. Nonne quoque in illis discipulis nutabat fidei fundamentum, et spei ædificium, qui pene desperantes dixerunt : *Nos autem sperabamus, quod ipse redempturus esset Israel?* (*Luc.* XXIV, 21.) Electis etiam Apostolis prima testimonia resurrectionis quasi deliramenta sunt visa. Adhuc autem, cum staret Jesus in medio eorum, illis non credentibus, et mirantibus præ gaudio dixit : *Habetis hic aliquid, quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, et favum mellis* (*ibid.*, 41, 42), de quibus cum dedisset eis reliquias, insufflavit, et dixit eis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis* (*Joan.* XX, 23). Et tunc Spiritus sancti primitiis acceptis cœperunt convalescere in fide, sed ubi ejusdem Spiritus sancti igne illuminati et inflammati datum optimum et donum perfectum desursum acceperunt, jam in eis, et per eos quasi tabernaculo consummato, et in omnem terram exeunte sono ipsorum vox illa septiformis est audita, de qua in hoc psalmo dicitur.

1. *Vox Domini super aquas*; 2. *Vox Domini in virtute*; 3. *Vox Domini in magnificentia*; 4. *Vox Domini confringentis cedros*; 5. *Vox Domini intercidentis flammam ignis*; 6. *Vox Domini concutientis desertum*; 7. *Vox Domini præparantis cervos.*

Tunc *locuta sunt septem tonitrua voces suas* (*Apoc.*

Digitized by Google

x, 3), quoniam prophetarum scripta terribilem quidem, sed minime intelligibilem catenus habentia sonum tunc locuta sunt voces suas, et manifestas dederunt significationes intellectuum rationabilium. Nonne Petrus apostolus de sono tonitrui vocem intelligibilem expressit, cum diceret : *Viri Judæi, qui habitatis Jerusalem universi, hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba mea. Non enim*, ait, *sicut vos æstimatis hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia, sed hoc est, quod dictum est per Joel prophetam* (*Act.* II, 14). Et erit in novissimis diebus dicit Dominus : effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ, et juvenes vestri visiones videbunt, et seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super servos meos, et super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, et prophetabunt, et dabo prodigia in cœlo sursum, et signa in terra deorsum : sanguinem, ignem et vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem antequam veniat dies Domini magnus et manifestus. Et erit omnis, quicunque invocaverit nomen Domini salvus erit. His et aliis hujusmodi vocibus intelligibilibus auditis compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum, et ad reliquos apostolos : *Quid faciemus, viri fratres? Petrus autem ait ad illos : Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum* (*Act.* II, 37-38).

Non solum autem per apostolos, verum etiam per successores eorum viros apostolicos et catholicos ad consummationem tabernaculi veri, quod fixit Deus, et non homo, ejusdem tabernaculi consummator *Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis* per hominem, qualemcunque verbi ministrum, *sed nescis, unde veniat, aut quo vadat* (*Joan.* III, 8). Nescis prædestinationem, unde venit, nescis finem consummationis, quo vadat. Verumtamen hoc vere scieus quod vocem ejus audis, quotiescunque per quemcunque verbum veritatis audis, noli negligenter audire vocem, per quam tabernaculum Dei consummatur, sive tota Ecclesia, sive quælibet ecclesiastica persona. Audi principaliter ipsum Verbum incarnatum Spiritus sancti voces in Evangelio deponens. Audi post ipsum Apostolos ejus, audi post Apostolos viros apostolicos, et si quis tibi aliud evangelizat quam illi, anathema tibi sit. Quicunque autem idipsum prædicat, quod illi, per ipsum illos audi, quia vox veritatis, non vox hominis, sed *vox Domini* est, sive illa vox insinuet timorem Domini *super aquas*, fluctivagas mentes terrentem, sive pietatis virtutem mitibus blandientem, sive scientiæ *magnificentiam*, quæ beatis lugentibus præparat consolationem magnificam, sive donum fortitudinis, *cedros*, id est homines præsumptuosos et altos confringentis, sive donum consilii, quo *interciditur flamma* peccati, ne dum sentitur, eidem consentiatur, sive donum intellectus, quo *desertum Cades concutitur*, ut quasi aratro intelligentiæ terra prius deserta concutiatur, et fiat ager fecundus, et sit Cades, quod interpretatur *sanctum*, sive postremo donum sapientiæ *condensa* Scripturarum *revelantis, et cervos præparantis.*

Quodcunque horum spiritalium donorum tibi vox Domini annuntiet, audi eam libenter, ut sis benivolus auditor : audi intelligenter, ut sis docilis : audi obedienter, ut sis attentus, et caute observes quid tibi vox divina insinuet, quæ juxta vaticinium Isaiæ ab acutis incipiens primo Spiritum sapientiæ posuit, deinde intellectus, et sic descendendo usque ad timorem gravissime sonantem bene repræsentavit Christum de summis ad ima descendentem. Tibi vero ascendendum est ab imis ad summa, id est a timore ad sapientiam : ideo tibi a gravibus chordis initianda sunt septem discrimina vocis. Itaque primo audi vocem terrificam super aquas tonantem et graviter sonantem : postremo mediis chordis in hoc Psalterio sive cithara ista transcensis audies vocem acute sonantem, et condensa Scripturarum revelantem, in præsenti quidem vita ex parte, quia nunc *ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus* (*I Corinth.* XIII, 9) : In consummatione autem tabernaculi, quando Spiritus noster erit in consortio spirituum angelicorum, jam non erit ultra *condensum*, aliquid imperspicuum. Interim vero, ut dictum est, obedienter, libenter, intelligenter audiatur quid Spiritus dicat Ecclesiis per septem voces, dona septiformis gratiæ suæ commendantes. Nam

Vers. 3. *Vox Domini super aquas.* Primo de oraculo carnis Dominicæ *vox Domini* sonuit *super aquas*, id est super Judæos, qui erant fluxi et dissoluti. Deinde per Apostolos *Deus majestatis*, id est Spiritus sanctus *intonuit super aquas multas*, id est super gentes. Nam *aquæ multæ, populi multi.* Vel ipse Christus ante Ascensionem reputatus est parvulus, postea in cœlum levatus *Deus majestatis*, magnus et immensus inde *intonuit*, non *super aquas* paucas in Judæa tantum, sed in toto mundo *super aquas multas.* Ideo dico, *intonuit*, quia talibus aquis timorem incussit, sive Judæis tonando de nube carnis Christi, sive gentibus tonitrua commovendo per Apostolos, qui ut nubes volabant in toto mundo. Sic intonando immisit timorem, qui est initium et prima gratia. Postquam vero perterruit eos, aliis ad se conversis fuit habitans *super aquas multas.* Non autem destitit intonare, donec illa

Vers. 4. *Vox* tonitrui *Domini* facta est *in virtute.* Quod tunc factum est, cum adjuncta pietate timori Domini, quem timet, coluit creatura Creatorem, quod est virtus, scilicet cultus erga Deum. Huic additur *Vox Domini in magnificentia* operum, vel etiam miraculorum, in quibus Spiritus scientiæ datur, ut scilicet, qui in cultu Dei est, sciat qualiter se agat in præsenti; et addit etiam Deus *magnificentiam*, quæ magnificos facit. Hæc est etiam

Vers. 5. *Vox Domini confringentis cedros*, id est in contritione cordis humilians superbos de gentibus : *et cedros Libani*, id est magis proceros, id est superbos Judæos in ultimis temporibus, quando re-

Digitized by Google

liquiæ fiunt salvæ, *confringet*, per pœnitentiam ad patienda etiam quæcunque adversa humiliabit, ut in his, quæ Spiritu scientiæ cognoscunt, fortes sint dato Spiritu fortitudinis. Cedrus est altissima arbor, quæ non est utilis, nisi succisa, quia manens in sua radice non facit utiles fructus. Similiter succisa superbia, quæ amaros fructus peccati facit, humilitas facit dulces. Sequitur enim : et deposita altitudine.

Vers. 6. *Comminuet eos tanquam vitulos Libani.* In Libano solent impinguari vituli ad sacrificia, quia mons pascualis est irriguus fontibus. Huic comparantur humiliati superbi, qui *tanquam vitulus* parati sunt pati pro Christo. Vel ita *comminuet eos, ut vitulus Libani*, ramos eorum et virgulta confringens, calcibus verberans, id est excisa superbia ac petulantia adducet eos ad humilitatis suæ imitationem, qui *tanquam vitulus* immolatus est. Et iste est *vitulus* saginatus occisus pro salute mundi, qui etiam candidatus dicitur, quia *Libanus* interpretatur *candidatio*. Et quia dixit *confringet et comminuet Dominus*, et non determinaverat, quis Dominus, addit : *Et Dilectus*, de quo Pater : *Hic est Filius meus dilectus* (*Luc.* IX, 35). *Et comminuet eos*, id est humiliabit exemplo sui qui, cum in forma Dei esset altior omnibus, exinanivit se, ut esset *Quemadmodum filius unicornium*, id est ut esset homo, filius Judæorum secundum carnem, in qua sicut *vitulus* passus est, quoniam Judæi dicuntur *unicornes*, qui unum erigunt cornu, dum vel in una lege superbiunt, vel suam singularem justitiam jactant. Vel ita : non mirum, si ita confringuntur et comminuuntur sicut *vitulus*. Nam et *dilectus* etiam *comminuetur* ipse quoque factus *vitulus Libani*, id est ductus in victimam per principes sæculi, quos Libanus, qui *candidatio* interpretatur, significat. Unde alibi : *Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Christum Domini* (*Psal.* II, 2). Ipse igitur passus non quidem quemadmodum Deus, secundum quod videri non posset, sed *quemadmodum filius unicornium*, id est secundum quod homo, filius Judæorum.

Vers. 7. *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* *Ignis* est fomes peccati. *Flamma* consensus, actus, consuetudo. Hanc *flammam* Dominus non ex toto aufert, sed dato Spiritu consilii *intercidit*, ut consensus non veniat usque ad actum, vel actus non consuescat. Hos etiam quoslibet lapsus pœnitentia interrumpit, cum justus cadit et resurgit. *Intercidit* etiam *flamma*, cum fortes ex Spiritu consilii agunt, ne per otium *ignis* fomitis erumpat in *flammam*. Potest etiam hoc præter seriem lectionis de Domino accipi ita : *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, id est sine læsione ardorem persequentium transeuntis. Vel *intercidentis flammam*, id est dividentis iram illorum, ut illos converteret ad se, alios in malitia sua relinqueret.

Vers. 8. *Vox Domini concutientis desertum*, etc. *Desertum* simpliciter vocat gentes, quæ sine lege, sine Deo, sine prophetis erant. *Desertum Cades* vocat Judæos. *Cades*, sicut in Exodo legitur, est locus in deserto, ubi fluxit aqua de petra (*Num.* XX, 1 et seqq.). Interpretatur autem *Cades* sanctum legis, in quo erant Judæi, qui legem quidem sanctam et bonam spiritualiter non intelligebant, sed eam tamen in littera per cæremonias observabant. Hos ergo omnes tam gentes quam Judæos dato Spiritu intelligentiæ concutit sicut agricola sterilem terram, ut fructificet, et secundum anagogen, id est spiritalem intelligentiam intelligentes in Scripturis Dominum credant. Hic autem intellectus convenit eis, quibus est mens bene placata consilio. Sequitur :

Vers 9. *Vox Domini* per hunc intellectum *præparantis cervos* ad montem sapientiæ, quæ est de divina essentia. Non solum autem gentibus hanc, sed etiam Judæis in fine revelabit ea, quæ sunt de divinitate condensa, scilicet umbracula mysteriorum, ut libere pascantur, aperiet.

In Hebraica veritate legitur : *Vox Domini dividens flammam ignis. Vox Domini parturire faciens desertum : parturire faciet Dominus desertum Cades. Vox Domini obstetricans cervis, et revelans saltus, in templo ejus omnis loquetur gloriam. Dominus diluvium inhabitat, et sedebit Dominus rex in æternum.* Hæc est armilla, qua perforatur maxilla Leviathan, quo circulus per nares ejus transiens circumflectitur in se ipsum, dum vox Domini super aquas primo intonans ad hoc tonitrua sua deduxit, ut super aquas inhabitet, vel inhabitare faciat Dominus. In prima namque sæculi ætate *vox Domini super aquas intonuit*, quando famulo suo Noe timorato et justo venturas diluvii aquas prædixit. In secunda ætate *Vox Domini in virtute* sonuit ad Abraham præcipiens illi exire de terra, et de cognatione sua, quæ vox virtutis vocavit illum ad cultum veritatis, educens eum de medio impiorum idola colentium. In tertia ætate *vox Domini in magnificentia*, sive, ut in Hebræo legitur, *in decore* audita est a monte Syna, ubi per legis scientiam data est cognitio peccati, manifestata ibidem gloria Dei magnifica super verticem montis Syna. In quarta ætate vox *Domini confringentis cedros* insonuit, quando factum est verbum Domini ad Samuelem prophetam primum de confringenda elatione filiorum Heli in præfiguratione veteris sacerdotii reprobandi, et novi substituendi ; secundo de confringenda superbia Saulis per humilem David, qui *tanquam vitulus Libani* de locis pascualibus est assumptus in regem ; vere filius unicornium, id est, patriarcharum fortium, et unum Deum colentium. Quinta ætate vox *Domini intercidentis flammam ignis* in camino tribus pueris personuit, quando angelus Domini dividens flammam ignis *fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem* (*Dan.* III, 50) ; illos autem non tetigit omnino ignis, quibus adfuerat divinum consilium ne adorarent statuam auream. In sexta tandem ætate *vox Domini concutientis desertum*, vel sicut in Hæbreo legitur : *parturire faciens desertum*, hoc

Digitized by Google

ut sint *multi filii magis desertæ quam ejus quæ habet virum* (*Isa.* LIV, 1). Nam et virginalis terra nullo conjugalis copulæ aratro culta, sed spiritu intellectus per fidem illustrata dedit fructum plurimum pariendo Christum, et gentilitas eatenus inculta et deserta fructificavit faciendo dignos fructus pœnitentiæ, illustrata per donum divinæ intelligentiæ. Ad ultimum *vox Domini præparantis cervos*, vel sicut in Hæbreo legitur : *obstetricans cervis*, illa est vox divinæ sapientiæ, qua montes excelsi cervis præparantur in pascua, dum sanctis, qui serpentes consumunt, qui cornua elationis deponunt, qui pilos veteres projiciunt, et aquas vivas vehementer sitiunt, *revelantur condensa* Scripturarum, de quibus obstetricante manu Domini ejicitur coluber tortuosus, ab ipsis voratus, dum peccati venenum de B serpente antiquo conceptum a se projiciunt per confessionem, et postea pariunt prolem sanctam per bonam operationem. et quidem in hac sexta ætate isti cervi ingrediuntur in tabernaculum, sive templum Domini, sed egredientur in septima ætate corporum mortalitatem exuentes, et pascua invenient modo et tunc, Nam et modo *Dominus diluvium inhabitat*, qui animalia sua pascit in arca per donum intelligentiæ quasi alter et verus Noe, arcæ gubernator, et diluvii inhabitator, et post hanc mortalem vitam suos cervos perducet ad pascua sapientiæ, ubi *sedet ipse rex in æternum*. Vide ut charitatem enumeratis septem donis sociam intelligas ; ipsa est enim totius tabernaculi fundamentum.

Et in templo ejus omnes dicent gloriam. Hic vocat C templum ; quod in titulo *tabernaculum*. In hoc igitur tabernaculo ita consummato *dicet gloriam* Deo, non solum perfectus, sed *omnis*, id est, unusquisque secundum donum suum. Vis nosse, fidelis auditor, quid suo *tabernaculo*, suo templo ita consummato faciat Dominus ? Audi quod sequitur :

VERS. 10. *Dominus diluvium inhabitare facit.* Vere ita est, Nam sicut quondam per Noe arcam fabricatam et consummatam fecit habitare, id est, manere super diluvium, ne, vel unum periret animalium, quæ intra eam fuerunt : ita nunc ecclesiam septem sancti Spiritus donis consummatam *facit inhabitare diluvium*, ne procellæ tentationum vel persecutionum valeant perdere quemquam, qui modo fideliter permanserit in ecclesiasticæ pacis unitate. Tu autem cave ne aut foris mancas ut ethnicus, aut foras exeas, ut hæreticus, et quasi corvus ad arcam non reversurus. Etiam illud caveto ne corpore intus manendo Spiritu sis extraneus ab Ecclesia, ut illi, de quibus dicitur : *Animales, se ipsos segregantes, Spiritum non habentes* (*Judæ* I, 19). De his erant, quibus veritas dixit : *Quid autem vocatis me, Domine, Domine, et non facitis, quæ dico?* (*Luc.* VI, 46.) Intus in arca in tabernaculo, sive in templo illi esse dicendi sunt, qui exteriores, mundanasque delicias contemnendo interna et æterna gaudia quærunt. De talibus quasi de lignis levigatis arcam fabricatam et consummatam *Dominus diluvium inhabitare facit*, ut sine læsione sint inter pericula inundantis diluvii, sive tentationum, sive persecutionum.

Facit etiam suam arcam, suam videlicet sanctam Ecclesiam *inhabitare diluvium* baptismi, ut sicut octo animæ salvatæ sunt in diluvio, sic salventur in baptismo, illi, ad quos pertinet octo beatitudinum promissio, ubi dicitur in Evangelio : *Beati pauperes spiritu. Beati qui lugent*, etc. (*Matth.* V, 3).

Et sedebit Dominus rex in æternum. Cessante namque diluvio, cum nulla erit ulterius tentatio vel persecutio, neque ulterius egebit aliquis baptismo, ex tunc *sedebit Dominus rex in æternum*. Sessionis hujus magnifica erit manifestatio, quando in fine sæculi videntibus bonis et malis hominibus, et angelis *Rex* gloriæ *sedebit in sede majestatis suæ* (*Matth.* XIX, 28). Tunc.

VERS. 11. *Dabit virtutem populo suo*, Tunc *benedicet populo suo in pace*. Et erit tunc distinctio inter populum et populum, tam in electis, quam in reprobis. Nam inter ipsos reprobos erit populus minime in judicio arguendus, quia pro manifesta infidelitate, *qui non credit, jam judicatus est* (*Joan.* III, 18; *Matth.* XXV, 41) : Et erit populus taliter judicandus, ut ei dicat Dominus : *Ite, maledicti, in ignem æternum*, non quia fidem non habuistis, sed quia fidei opera facere noluistis. *Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare : sitivi, et non dedistis mihi bibere* (*ibid.*, 42). Similiter inter electos erit populus minime judicandus, eorum videlicet, qui sedebunt super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel : et erit populus taliter judicandus, ut ei dicat Dominus : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ante constitutionem mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare. Sitivi, et dedistis mihi bibere. Quandiu enim fecistis uni de his minimis fratribus meis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 34). O quantam *virtutem dabit* tunc Dominus *populo* minimorum suorum, in quibus esurientibus, sitientibus, nudis, hospitibus, infirmis, incarceratis ipse se ipsum confitebitur esuriisse, sitivisse, nudum, hospitem, infirmum et incarceratum fuisse! Qui vero tales, imo in talibus Dominum ipsum paverunt, potaverunt, vestierunt, collegerunt, visitaverunt, magnifica benedictione pacis donabuntur dicente illis Domino : *Venite, benedicti Patris mei.* Cum ergo et populus perfectorum, et populus imperfectorum sit populus Domini, *Dominus dabit virtutem populo suo* perfecto, in quo ipse honoratur, vel injuriatur, et *benedicet populo suo* imperfecto, qui et hic *seminat in benedictionibus* eleemosynas mundas, et in judicio *de benedictionibus metet vitam* (*II Cor.* IX, 6) æternam dicente illis ipso Domino : *Venite, benedicti*, etc.

Aliter : *Dominus dabit virtutem populo suo*, nunc in prælio, et posthac cessante prælio *benedicet populo suo in pace*, quando *absterget omnem lachrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luc-*

Digitized by Google

tus, neque clamor, nec ullus dolor erit ultra, quia prima abierunt (*Apoc.* XXI, 4), quando *multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis* (*Isa.* IX, 7).

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Uni Domino, cujus est hoc nomen, de quo dicitur in *Psalmo* : *Afferte Domino gloriam nomini ejus.* Hoc nomen, quod est *Pater, et Filius et Spiritus sanctus*, per cujus invocationem in baptismo ædificatur et consummatur tabernaculum, nulli unquam fuit attributum inter deos vel falsos vel adoptivos. Et quidem vario errore delusa gentilitas quælibet falsorum deorum dicebat omnipotentem ut Jovem, seu terribilem ut Plutonem, et aliud quodcunque veri Dei nomen transtulit ad suos falsos Deos, Istud vero solum nomen trini, et unius Dei, quod est *Pater et Filius et Spiritus sanctus*, nulli unquam Deorum fuit attributum, neque unquam fuit in hoc mundo auditum, antequam *Vox Domini super aquas intonuit* dicens discipulis : *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19). Quia ergo dictum est in psalmo : *Afferte Domino gloriam nomini ejus*, nos huic potissimum *nomini*, cujus notitia *intonuit super aquas multas*, per septem voces in hoc psalmo depromptas gloriam afferimus dicendo in fine psalmi: *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.*

Aliter : *Gloria Patri*, qui *super aquas intonuit ; Gloria Verbo*, per quod intonuit, quodque nubem carnis assumpsit, ut de ipsa nube tonitrua sonarent. *Gloria Spiritui sancto* septiformi septies voces suas enuntianti ad consummationem tabernaculi, sive templi, cujus mox in sequenti psalmo sequitur dedicatio. Habet enim in titulo sic : *Psalmus cantici in dedicatione domus David.* Hic titulus mittit nos ad historiam, quia sicut David impensa et apparatu suo templum Domino ædificavit, et postea cum jucunditate et solemnibus verbis ad laudem Domini dedicavit : sic corpus Christi secundum singularem nativitatem sine peccato ædificatum et per Resurrectionem in æterna impassibilitatis et immortalitatis gloria est dedicatum. Dedicatæ Domus, immutati, et ultra jam non morituri hominis Deifici voces istæ sunt : *Domine Deus meus clamavi ad te, et sanasti me.* Item : *Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem, ac* deinceps : *Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia* (*Psal.* XXIX, 3, 8, 12).

Et notandum quod septena vox Prophetæ invitatis ad dedicationem recte interposita est media inter duos psalmos, quorum prior de Passione, sequens agit de Resurrectione, quoniam ipsa Dominica passio templi quidem solutio visa est Judæis lapidem angularem reprobantibus. Attamen per ipsam passionem domus Dei, quæ est Ecclesia, firmiter est ædificata, de latere Christi profluente materia in sanguine et aqua, de qua materia fabricata est Ecclesia, ut de costa viri facta est femina. Sic nimirum per Passionem Christi ædificato *tabernaculo* sive templo sive domo (una enim res et *tabernaculum* dicitur, in quo militatur, et *templum*, in quo sacrificatur, et *domus*, quæ inhabitatur), ædificato, inquam, taliter tabernaculo, templo, domo antequam ponatur ei dedicatio, clamor insonuit Psalmistæ dicentis : *Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum.* Tali clamore vocem interrupit Christi clamantis in præcedenti psalmo pro sui corporis templo reædificando, et ejusdem clamantis in sequenti psalmo pro eodem templo dedicando, cum dicit:

PSALMUS XXIX.

Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me. Agit enim hic ipsum caput Ecclesiæ Christus de sua operatione et æterna remuneratione. Hortatur etiam suos fideles, ut suo exemplo psallentes Domino, et confitentes ad eamdem lætitiam pervenire mereantur. Licet autem in titulo habeatur (VERS. 1) :

PSALMUS CANTICI IN DEDICATIONE DOMUS DAVID.

Tamen David non legitur fecisse, vel dedicasse domum Domino, nisi forte intelligas de tabernaculo in Paralipomenon, cui diversorum officiorum constituisse ministros invenitur. De significato igitur potius intelligendum est. Totus Christus una domus Dei est, quia et in capite, quod est Christus plenitudo Divinitatis habitat, et per aliquas gratias, quas de plenitudine accipit, est Ecclesia templum ejus. Hæc autem domus, quantum ad Christum, fabricata est in ejus conceptione ; quantum vero ad Ecclesiam, semper fabricatur, dum in hac vita laborat. Dedicatio vero ejus jam in capite tanquam in fundamento facta est, quia Christus resurgens in immortalitate confirmatus est : Quantum ad Ecclesiam, fiet in futuro, quando *justi* suo capiti sociati *stabunt in magna constantia* (*Sap.* V, 1). Cum autem in superiore psalmo ageretur de consummatione tabernaculi tempore belli, recte sequitur hic *psalmus Cantici*, id est exultationis habitæ pro dedicatione, id est confirmatione domus David in æterna pace corpore innovato.

Loquitur autem totus Christus, et primo, ponit canticum pro dedicatione sua, quæ in capite facta est, et aperit quod intendit, cum in eadem parte sanctos psallere jubet. Secundo, ostendit quomodo dedicari meruit, ibi : *Ego autem.* Tertio, quomodo accepit dedicationis gloriam ibi : *Audivit Dominus.* Est autem brevis psalmus de Resurrectione commemorans et de Passione, ut non terreat Passio, quæ

Digitized by Google

spes Resurrectionis lætificat. Præmittit ergo canticum pro dedicatione, et ait :

Vers. 2. *O Domine exaltabo te*, id est altitudinem tuam laudabo, *Quoniam suscepisti me* dedicando in gloria impassibilitatis. Hanc dedicationem intelligimus etiam domus futuræ. Quod enim nunc ex persona fundamenti dicitur. *Suscepisti me*, ex persona universæ domus dicetur. Sequitur :

Nec delectasti, id est non delectari permisisti in dedicatione, quamvis ante permiseris, *super me inimicos meos* Judæos, qui me resurgente confusi sunt, diabolum etiam et angelos ejus, a quibus apud inferos teneri non potui, et quoscunque, qui variis persecutionibus per orbem me conati sunt opprimere.

Vers. 3. *Domine Deus meus* (exponit susceptionem) *clamavi ad te, et sanasti me* tollendo infirmitatem passibilitatis. Et

Vers. 4. *O Domine eduxisti* virtute tua *ab inferno animam meam*. Hoc expositione non indiget.

Salvasti me a descendentibus in lacum. Lacus est profunda conditio corruptibilis carnis : *descendentes in lacum* sunt, qui terrenis libidinibus se immergunt. Tales persecuti sunt Christum, a quibus salvatus est et remotus. Immunis etiam a peccato salvatus est a conditione profundæ cæcitatis carnis.

Videtur contrarium vel Deum orare, vel super hominem inimicos non posse delectari. Ad quod dicendum, quod Christus Deus homo non secundum quod Deus, sed secundum quod homo et infirmus est, orat, et est mediator non inter Patrem et homines, sed inter Deum Trinitatem et homines peccatores. In eo enim, quod infirmus est, appropinquat nobis; in eo vero, quod non est iniquus, jungitur Deo. Non tantum vero secundum Divinitatem, sed in eo etiam, quod homo est, præest nobis sicut caput quod, quamvis cum cæteris membris unum corpus fiat, tamen quia in eo sunt omnes sensus, dignius est cæteris membris, in quibus est solus tactus. Sic ergo caput Ecclesiæ Christus secundum hominem mediator plenus gratia major est membris, quæ de plenitudine ejus accipiunt. Super hoc in Passione jucundati sunt inimici, sed in dedicatione salvatus est ab eis.

Vers. 5. *Psallite Domino, sancti ejus*. Vos qui psalmi hujus titulum notastis; qui est *psalmus cantici in dedicatione domus David*, quique ipsam dedicationem jam scitis in fundamento, quod Christus est, impletam, et eamdem speratis implendam in vobis, *Psallite Domino* bene operando, *Et confitemini* illi in canticis per exercitia contemplationis, ut expleatis *psalmum cantici*, quo *psalmo*, vel *cantico* et laudetur Dominus pro *dedicatione* jam facta in fundamento, et exoretur pro dedicatione adhuc facienda in vobis, qui estis in fide *sancti ejus*, non in falsitate *sancti ejus*, ut quinque fatuæ virgines, quæ habentur sanctæ propter virginitatem et ardentes lampades (*Matth.* xxv, et seqq.). Attamen, quia veniente sponso inveniuntur oleum non habere in vasis, non erunt inter sanctos ejus.

A Vis nosse, fidelis anima Christo desponsata, quibus ulnis te amplectatur in vera sanctitate ornatam, non solum in thalamum futuræ beatitudinis, sed etiam modo commendatam paranymphis angelis, ac prælatis bonis? Certe ut omittam, quod *læva ejus sub capite* tuo est, *et dextera illius* te *amplexabitur* (*Cant.* II, 6), dum tibi et in præsenti vita per manum lævam auxiliantem cumulat merita bona, et in futura per manum dexteram te beatificantem conservat præmia bona bonis meritis non solum condigna, sed etiam superexcellentia; ut, inquam, talia nunc tractare omittam, ipse Christus, ipse sponsus tuus est veritas, et quasi duabus ulnis te vult amplecti demonstrando tibi se ac te. Seipsum ac te ipsam tibi Veritas, Christus demonstrat, cum te in veritate B illuminat, cum se veritatem tibi sic manifestat, ut primo te veraciter cognoscas, quale tu te fecisti, cum in mendaciis a veritate defecisti, ac deinde per miseriam tuam recognitam cognoscere incipias ipsius veram misericordiam, et misericordem veritatem sanctis ejus amabilem. De inspectione tui concipe timorem, de inspectione Dei concipe spem. Si te terret tua miseria, consoletur illius misericordia. Sed ut sis capax misericordiæ, dilige veritatem demonstratricem tuæ miseriæ. Undecunque tibi sonet veritas arguens te, tu habeto charitatem ad ipsam veritatem, atque inde tibi sit gloria testimonium conscientiæ, quod tu ipse tibi sis conscius veritatis, etiam te arguentis amicum te semper inveniri. Gloria hæc est omnibus sanctis ejus, quibus nunc dicitur : C *Psallite Domino sancti ejus.*

Quam multi aliter! Nam plus gloriantur, cum falso putantur et dicuntur *sancti*, quam cum vere creduntur et dicuntur, quod sint, videlicet injusti, indigni. Nonnunquam tamen iidem ipsi non amore veritatis, sed quasi fuco fictæ humilitatis etiam ipsi de se confitentur quid sint, non negando se indignos omni dignitate vel sæculari vel ecclesiastica. Sed si veritas ista sonuerit ab ore alieno, videres continuo supercilia corrugari, aspectum obliquari, suspiria trahi, anhelitus frequentari. Quod si tibi paterent interiora pectoris, videres in eo tanquam in idolio quoddam grande simulacrum diaboli, vel potius ipsum diabolum dicentem in corde suo, id est D in corde humano, quod jam suum est factum : Quid dicit? *Super astra Dei sedebo, et ero similis Altissimo* (*Isa.* xiv, 13, 14). Super astra enim Dei sedem collocat, qui hominibus bonis præesse affectat, a qua sede cum repellitur, quasi flamma infernalis invidiæ zelus illum torquebit, cum se digniorem exaltari videbit. Etiam bonus homo imperfectus uritur interdum hoc zelo, cum dignitate fuerit judicatus indignus, et alter quasi dignior illo fuerit electus. Contingit vero nonnunquam, ut sibi talis homo talem affectet repulsam, quæ nonnullam redolet superbiam, videlicet, ut quasi digniori dignitati servandus minore non sit occupandus, quam et ipse dedignatur accipere arbitrans ipsa dignitate se digniorem. Nonne iste habet simulacrum Dianæ in

Digitized by Google

corde suo venando et aucupando altiora se? Dianam quippe quasi deam venationis colebant gentiles; et iste ipsius Dianæ colit simulacrum fovendo apud se talis ambitionis affectum. Non est ergo tale pectus *memoria sanctitatis*, imo est memoria vanitatis. Solet vocari memoria cujusque martyris domus vel Ecclesia, in qua requiescit corpus ejus, vel reliquiæ. Similiter vocatur *memoria sanctitatis* domus, in qua requiescit sanctitas, aut ejus reliquiæ. In domo autem, seu templo corporis Dominici tota sanctitas requievit, in cæteris vero electis nonnisi quædam sunt reliquiæ sanctitatis ejus. Inde est quod, cum comedisset coram discipulis favum mellis, *reliquias* dedit illis (*Luc.* xxiv, 42, 43) : quia nimirum bene agitur cum Christianis, qui saltem reliquias accipiunt sanctitatis et dulcedinis, et fiunt memoria sanctitatis ejus digna dedicatione, quam hic psalmus insinuat dicens :

Psallite Domino sancti ejus, et confitemini memoriæ sanctitatis ejus. O sancti ejus et humiles corde, qui vere soli estis in numero sanctorum ejus, vos *Confitemini memoriæ sanctitatis ejus. Confitemini* vos injustos et indignos ante *memoriam sanctitatis* ejus. Dicite *memoriæ sanctitatis ejus*, corpori ejus, quod est *memoria sanctitatis* ejus, in quo habitat omnis plenitudo *sanctitatis* ejus : dicite, inquam illi *memoriæ sanctitatis : Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum* (*Matth.* viii, 8). Dignatio tua est, non dignatio mea hoc requirit, quod tu dignaris intrare sub tectum meum, vel potius me suscipere sub tectum tuum. *O memoria sanctitatis*, o templum sanctum celeberrime sanctificatum et dedicatum per gloriam Resurrectionis et Ascensionis.

Aliter dedicatio domus jam facta est in Christo, qui superius dicit Patri : *Domine Deus meus clamavi ad te, et sanasti me, eduxisti ab inferis animam meam. Salvasti me a descendentibus in lacum*, quibus verbis dedicatio explicatur. Igitur, o sancti ejus, qui dedicationis hujus fidem, et spem tenetis, *psallite Domino, et confitemini memoriæ sanctitatis ejus*, ut bona operando et mala vestra confitendo fiatis apti ad dedicationis celebritatem. Sicut enim in templo manufacto, quod fecit Salomon primitus processit ædificatio, deinde secuta est exornatio domus, ac postremo dedicatio : sic et in templo non manufacto corporis Dominici factum est, quod primo in virginis utero sapientia sibi ædificando septem columnas excidit, quia septiformi Spiritus omnimoda virtute illud firmavit. Postea præclaris operibus miraculorum, et gratia sermonum, quando cœpit Jesus facere et docere, domus ipsa ornata; postremo in resurrectione, dedicata est. Ita et in vobis hæc tria requiruntur, o sancti ejus, quoniam per fidem estis jam ædificati, qui in nomine sanctæ Trinitatis ex aqua et Spiritu sancto renati estis; dedicationem vero in resurrectione communi poteritis certa spe exspectare, si tamen inter dedicationem et ædificationem spatio vitæ intercurrente satagetis ipsam domum piis operibus et bona confessione ornare. Ideo ne domus jam per fidem ædificata inveniatur minus quam decet ornata, *psallite Domino, sancti ejus*, bene operando : *et cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, confitemini*, quod *servi inutiles sitis* (*Luc.* xvii, 10). Etsi rex temporis hujus non vobis exhibet sanctos, præclaros virtutibus, in quorum comparatione vosmetipsos valeatis inutiles existimare, redite ad *memoriam sanctitatis ejus*, et in ejus comparatione vos humilitate, quoniam ipse, cum Sanctus sanctorum, propria virtute fecit et facit mirabilia solus, quorum non est numerus. Vos autem pauca fecistis et facitis, neque de vestra virtute, sed de ipsius gratia bene operamini, seu loquimini. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri* (*Matth.* x, 20). Propterea quando psallitis, *psallite Domino* ad ipsius gloriam bonum opus referendo, et bene loquentes *confitemini memoriæ sanctitatis ejus*, quoniam, ut jam dictum est, non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus sanctus.

Attamen per talia opera, et per tales confessiones ornatur in vobis domus Dei, ut sit digna dedicatione in communi omnium resurrectione, quando mortui resurgent incorrupti. Et *omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* (*I Cor.* xv, 51), id est, non omnes dedicabimur. Nam illi solummodo tunc immutabuntur et dedicabuntur, in quibus fidei fundamentum, et spei ædificium per opera charitatis, et confessionem veritatis invenietur adornatum, si tamen habuere tempus operandi et confitendi. Nam baptizati, et mox ante annos discretionis defuncti pueri ab hac sententia sunt excepti, qui, licet neque psallendo, neque confitendo sint ornati, sola baptismi gratia ita sunt candidati, ut ad solemnitatem dedicationis apti inveniantur. His ergo exceptis vobis dico sanctis, qui tempus operandi et confitendi habetis, ut, si digne vultis pertinere ad dedicationem, bene operando et veritatem confitendo studeatis ornari, dum tempus est operandi et confitendi, quia descendentibus in lacum post mortem tempus non erit operandi dicente Scriptura : *Quodcunque facere potest manus tua instanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas* (*Eccli.* ix, 10. Et tu Deus in hac vita suscipis confessionem; *in inferno autem quis confitebitur tibi?* (*Psal.* vi, 6.) *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (*II Cor.* vi, 2) : quia nunc psallendi, et confitendi tempus est. *Igitur psallite Domino, sancti ejus, et confitemini memoriæ sanctitatis ejus.*

Si habetis Psalterium jucundum cum cithara, psallite Domino; si nondum habetis, *confitemini* saltem peccata vestra, et orate pro invicem, *ut salvemini*. *Confitemini* autem non Scribis et Pharisæis, non hæreticis, vel schismaticis, non blasphematoribus Christi sicut impius et desperatus Judas fecit, qui coram talibus dixit : *Peccavi tradens sanguinem justum* (*Matth.* xxvii, 4). Si confessionem istam corde contrito fecisset *memoriæ sanctitatis ejus*, quem ipse tradiderat, sine dubio salubris illa

Digitized by Google

fuisset hujusmodi confessio. Sed ipse non ivit ad *memoriam sanctitatis*, non ivit ad Christum tunc in cruce suspensum, non confessus est illi. Latro autem, qui simul pendebat vere confessus est *memoriæ sanctitatis ejus*, dum se nocentem, Christum vero confessus est nihil mali fecisse, cui et dixit : *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum* (*Luc.* XXIII, 42). Non mirum, si multum valet deprecatio justi Abel, cum tantum valuit deprecatio confitentis peccatoris, non assidua, sed una, ut statim audiret : *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXI, 43). Ad illius ergo exemplum latronis *confitemini memoriæ sanctitatis ejus*, qui et tunc appropinquante suæ domus dedicatione, imminente videlicet jam proxima Dominica Resurrectione latronem, licet sero pœnitentem, purificavit suæque dedicationis festivitati associavit, et nunc usque hodie facit idem peccata sua confitentibus in veritate ante memoriam sanctitatis ejus, quæ memoria, ut jam dictum est, corpus ipsius intelligitur, de quo ipse dixit : *Hoc facite in meam commemorationem. Quotiescunque igitur manducabitis panem hunc, aut calicem sanguinis ejus bibetis, confitemini memoriæ sanctitatis ejus* (*I Cor.* XI, 26). Et non solum Christo summo sacerdoti, in quo est omnis plenitudo sanctitatis, *confitemini*, sed etiam cuilibet sacerdoti catholico, in quo sunt reliquiæ sanctitatis ejus, *confitemini* peccata vestra. *Confitemini* veritatem, *confitemini* quod et latro confessus est, *confitemini* quod vos quidem digna factis recipiatis, quantalibet mala et molesta sustineatis, hic autem nihil mali fecit, sed nostra ferens crimina crudelem mortem pertulit. *Confitemini memoriæ sanctitatis ejus*, antequam veniat dies iræ, dies calamitatis et miseriæ, dies magna et amara valde.

A

B

C

Vers. 6. *Quoniam ira in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus.* Antequam veniat ira indignationis ejus, *confitemini memoriæ sanctitatis ejus*, id est, propter hoc ipsum *confitemini memoriæ sanctitatis ejus*, quia memor fuit sanctificare vos, qui non eratis memores ejus. Nisi memor fuisset vestri, o sancti ejus, non dixisset in oratione sua : *Et pro eis sanctifico me ipsum, ut sint et ipsi sancti in veritate* (*Joan.* XVII, 19). Item : *Pater, sanctifica eos in veritate; sermo tuus veritas est* (*ibid.*, 17). Quia ergo memor fuit vestri, ut sanctificaremini, vos sancti ejus illi attribuendo quod sancti estis, *confitemini memoriæ sanctitatis ejus*, quia *sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite* (*Joan.* XV, 4), sic nec vos poteritis a vobismetipsis habere sanctitatem, nec ullo modo vere sancti eritis, nisi de illo accipiatis, et in illo habeatis, ut sancti sitis. Præoccupemus ergo faciem ejus in confessione, antequam veniat dies iræ. *Quoniam ira in indignatione ejus.*

Ira, et *indignatio* cum sit motus animi perturbati, nullatenus Deo creditur convenire, cui vere dicitur : *tu autem, Domine, cum tranquillitate judicas, et cum magna reverentia disponis omnia : subest enim tibi, cum volueris posse* (*Sap.* XII, 18). Attamen ejus justa ultio, licet fiat cum tranquillitate judicantis, tamen his, qui puniuntur, videtur *ira* et *indignatio*, maxime iracundis et indignantibus, quia, sicut sancto sanctus, et electo electus videtur Deus, ita perverso perversus, iracundo iracundus, et indignanti videtur Deus indignans, cum ipse (ut dictum est) in tranquillitate judicet, sine ira, sine indignatione, sine omni suæ mentis perturbatione.

Vis autem tu, homo, non sentire Deum iratum tibi vel indignantem? Si hoc vis, cave tu tibi ab ira, quæ te reum facit judicio. Nam, si non exstinxeris iram, de ira longa ebullit *Raca* (*Matth.* V, 22), quod te facit reum concilio. Post Raca sequitur indignatio, qua indignaris fratri tuo quasi fatuo, unde cæcatus odio etiam in his, quæ forte simpliciter agit, vel dicit, judicas, et dicis illum fatuum, per quod dictum *reus eris gehennæ ignis* (*ibid.*). In igne gehennali senties iram, et indignationem Dei potius de tua quam de ipsius perturbatione procedentem. Sicut iratus Cain contra fratrem suum Abel ira vehementi, ita ut concideret atque tabesceret vultus ejus, audivit sibi Deum in ira loquentem et dicentem : *Quare iratus es, et cur concidit facies tua? peccasti, quiesce* (*Gen.* IV, 6). Opportune dictum est homini vehementer irato : *quiesce*, quoniam longe fuit a quiete habens rixas in corde. Verum, quia noluit quiescere, vel Deo increpanti acquiescere, per iram venit usque ad fratricidium. Quo exemplo nos monemur, ut iram vel non habeamus, vel quam celerrime finiamus, ne ira crescat in odium, et trabem faciat de festuca, et animam nostram faciat homicidam : *Quoniam qui odit fratrem suum, homicida est* (*I Joan.* III, 15).

Hic fortasse ad excusandas excusationes in peccatis tu mihi objicis, qui facile irasceris : Ego non irascor fratri ut Cain, sed vitio fratris : Bene dicis, si ita est, ut dicis. Debemus enim in fratrum vitiis inveniendis, judicandis, vindicandis diligenter satagere cum dilectione hominum, et odio vitiorum. Sed in hoc habes testimonium conscientiæ tuæ, utrum vere movearis ex charitate, si fratri peccanti nullatenus indignaris, sed ex affectu compateris. Vera enim justitia compassionem, falsa dedignationem habet. Si ergo tu ex dedignatione moveris, falso tibi arrogas quasi zelum justitiæ, cum agaris zelo nequitiæ. Unde autem probabis te habere compassionem potius quam indignationem erga fratrem? In eo scilicet, si te magis delectat pro illo fundere ad Christum propitiatorem verba orationis, quam ad hominem confabulatorem verba detractionis. Porro, si te libet vituperare, temere judicare, non orare, scias te plenum indignatione, alienum vero a compassione. Ideoque, quoniam tu *in ira* et *in indignatione* adversus fratrem tabescis, nisi pœnitentia corrigaris, et tu iratum atque indignantem tibi judicem senties. *Quoniam ira in indignatione ejus.* Verum, si tu compassione afficeris erga fratrem peccantem, ita ut sit in voluntate tua erga illum

D

Digitized by Google

bonæ vitæ desiderium, quia desideras et cupis illum beate, jucunde ac prospere vivere, tu quoque senties idem a Deo, quoniam *vita in voluntate ejus*. Ecce qualis recompensatio. Beata et honesta vita fratris jam est in voluntate tua, neque tamen continuo, ut volueris, illi talem vitam conferre, vel a Deo poteris obtinere, qualem vis. Deus autem, quia est omnipotens, et subest ei, cum voluerit posse, te tali mercede remunerat, ut *vita* tua sit *in voluntate ejus*, atque ut vivas non aliter quam ipse vult, et tibi expedit, quoniam sola vita in ejus voluntate disposita est beata.

Caveamus ergo adversus fratres iram, et indignationem, si timemus iram et indignationem Dei, *quoniam ira in indignatione ejus* irati, et indignantibus. In fratricida Cain dedimus exemplum iræ primitivæ, de qua ira multæ derivatæ vexant quemlibet malum adversus quemlibet bonum, dum quasi Cain adhuc tabescit adversus Abel. Et quia de ira primitiva manifestum dedimus exemplum inter homines (nam diabolus piis fuerat iratus pro eo, quod de cœlo erat projectus), demus quoque de primitiva indignatione manifestum exemplum, ex qua derivationes agnoscantur multarum indignationum corda humana vexantium. Prima inter homines invenitur Eva indignata pro eo, quod erat prohibita comedere de ligno scientiæ. Nisi enim talis indignatio præcessisset in ejus pectore, serpens callidus non habuisset materiam tentandi eam his verbis : *Cur præcepit vobis Deus, ne comederetis ex omni ligno paradisi?* (*Gen.* III, 1.) Verum, quia explorator astutus præsenserat illius indignationem propter unius ligni prohibitionem, tentando eam seduxit ad ejusdem ligni vetiti præsumptuosam degustationem in hac falsa promissione, quod ipsa ex tunc habens scientiam boni, et mali æque ut Deus, non haberet necessitatem quidquam a Deo discere vel ei subjacere. De hac igitur primitiva indignatione multæ indignationes derivatæ ac multiplicatæ sunt in filiis et filiabus Adæ et Evæ.

De quibus indignationibus propter cautelam suggerendam libet agere prolixius incipiendo a tentationibus, quibus humanum pectus ad indignationem provocatur, nisi et caput serpentis a femina, id est a sensualitate conteratur, et ipse postea insidians calcaneo feminæ subtilissime caveatur. Quid est autem caput serpentis, nisi initium pravæ ac seductoriæ suggestionis? Verbi gratia, primis hominibus primo suggessit vetiti edulii cupidinosum, divinæ scientiæ curiosum, divinæ similitudinis præsumptuosum appetitum, qua suggestione tanquam capite serpentis femina, id est humana sensualitas illecta in primis hominibus, ventre quoque serpentis ejusdem oblectata, et cauda est ligata. Victam ergo feminam per hujusmodi suggestionis oblectationem et consensionem quasi catenatam traxit ad indignationem. Quanta enim putas indignatione movebatur, quando illa, quæ Deo subjecta dedignata fuit, dictum sibi audivit : *Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui?* (*Gen.* III, 16.) Quia enim de latere viri erat sumpta, recte intelligitur ei socia creata. Si enim de capite viri sumpta fuisset quasi domina ; si de pede, quasi ancilla viri poterat videri. Nunc autem licet socia creata, per culpam facta est ancilla, ita ut ei dicatur : *Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.*

Verum tamen est, ubi ista subjectio per humilitatem ornatur, ita ut talis humiliatio feminæ in humilitatem convertatur ; sicut in beata virgine Maria, quæ, licet nescia viri, tamen viro Joseph desponsata comparuit inter homines tanquam viro subdita, et erga eum fuit ita officiosa, ut ipse putaretur pater Jesu, quod putantibus usque adeo non est indignata illa femina beata, ut et ipsa vocaret illum patrem ejus dicens ad ipsum filium suum : *Ecce, pater tuus et ego dolentes quærebamus te* (*Luc.* II, 48). Notandum sane, quod virum sub nomine *patris* anteposuit, seque cum esset angelorum domina, humiliter postposuit, usque adeo fuit penitus aliena ab omni indignationis vitio, ut ipsa licet impolluta non dedignaretur servare disciplinam pollutis statutam matribus, quoadusque apostolis prædicantibus comparuit, quam excelsa non solum supra homines, verum etiam super choros angelorum existit, quod ipsum et nos prædicamus, dum canimus : *Exaltata es, sancta Dei genitrix, super choros angelorum ad cœlestia regna :* hæc igitur femina inter feminas benedicta, neque capite serpentis allecta est per suggestionem, neque ventre oblectata per delectationem, neque cauda est alligata per consensionem. Unde nec timuit illum suo calcaneo insidiantem.

Verum, quia in filio feminæ hujus apparet evidentius, quomodo serpens iste sit in capite conterendus, et in cauda cavendus, per quam insidiatur calcaneo, id est fini hominis, a quo victus et calcatus in capite fuerit, illum aspiciamus in quo serpens iste nihil suum inveniens, tamen præsumpsit capite suo illi per suggestionem appropinquare, quando illum tentavit, primo, per illecebram gulæ, post jejunium quadraginta dierum et noctium, secundo, per curiositatis vitium, dicens illi : *Mitte te deorsum* (*Matth.* IV, 6); tertio, per ambitionem ostendens illi omnia regna mundi et gloriam eorum. Quia vero per has tentationes capitales in Christo nihil suum invenit princeps mundi hujus, ad contraria se convertit argumenta et tentamenta, ligare volens illum cauda sua. Nam cui per seipsum suggessit appetitum panis bene sapidi, huic postea per impios homines obtulit fel et acetum nimis amarum, ut super hoc indignari faceret illum : quem prius positum super pinnaculum templi suasit miraculo superfluo spectaculum fieri curiosis Judæorum oculis, hunc postea velata facie atque tectis oculis privavit spectaculis provocans ad motum indignationis : cui prius obtulit omnia regna mundi et gloriam eorum alliciens eum ad dignitatem, hunc postea fecit reprobari a Judæis eligentibus

Digitized by Google

magis regem Cæsarem vel etiam Barrabbam latronem, quam illum, volens hoc modo irritare illum ad indignationem.

Sicut fecit in capite serpens malignus, ita facit etiam in membris. Quos non potest vincere per illecebrosa, ut luxurientur, tentat per amara, ut ipsi amaricentur, et aliis indignentur. Quos non potest vincere per curiosa, ut eos delectet spectaculum, tollit eis aliquoties omne spectaculum, ut, dum nec ipsi curiose spectant, nec ab aliis curiose spectantur, tædio vitæ obscuræ affecti curas habeant mordaces et indignentur pro eo quod non sunt in hoc mundo spectabiles. Quos non potest vincere per ambitionem ostendendo illis omnia regna mundi, et gloriam eorum, hos irritat ad indignationem faciendo illos reprobari, et alios exaltari vel ipsis meliores, vel etiam pejores. Et quidem, quando bonis reprobatis meliores eliguntur, non magis est illis indignandum, quam indignatus est Joseph, qui cognominatus est justus, quando Barnaba electo ipse reprobatus fuit (*Act.* I, 23). Nisi talis indignatio in talibus caveatur, salus animæ periclitatur Deo indignante et irascente, *quoniam ira in indignatione ejus.* Nam tali indignatione perierunt Dathan et Abiron, electo Aaron. Tali indignatione periit Saul reprobatus, electo David, quem non rectis oculis aspexit indignatus, quod ipsi Sauli mille, et David decem millia data sunt in laude mulierum (*I Reg.* XVIII, 7). Tali indignatione perierunt Scribæ et Pharisæi audientes, quod publicani et meretrices præcederent illos in regnum Dei. Tali indignatione perierunt Judæi pridem electi, sed postea reprobati, quando repleti sunt zelo indignationis gentibus electis. Ipsi quoque apostoli tali indignatione tacti sunt, quando adversus bonam mulierem de opere bono indignati sunt, dicentes: *Ut quid perditio hæc?* (*Matth.* XXVI, 8.) Sed, quia, Domino arguente, bonum opus operatam esse mulierem recognoverunt, non perierunt. Pro tali indignatione arguitur oculus nequam illorum, qui portaverunt pondus diei et æstus, et indignati sunt, novissimos parum fatigatos ipsis multum fatigatis pares fieri in præmio, qui non erant pares in labore (*Matth.* XX, 12). Tali periit indignatione Pharisæus contra publicanum inflatus, et arguitur alter Pharisæus mulieri peccatrici pedes Domini tangenti et ungenti indignatus, qui licet sibimetipsi visus fuisset commotus quasi zelo justitiæ, Domino judicante motus fuerat zelo veræ malitiæ ac falsæ justitiæ, quia vera justitia compassionem, falsa dedignationem habet, quamvis et justi recte soleant peccatoribus indignari (*Luc.* XVIII, 11). Sed aliud est quod agitur zelo justitiæ, aliud, quod agitur typo superbiæ. Indignantur etenim justi, sed non dedignantes, desperant, sed non desperantes, quia, dum foris per increpationem sæviunt, intus per compassionem diligunt, atque ita versantur inter dilectionem hominum et odium vitiorum, ut et hominibus charitatem, et vitiis exhibeant severitatem, videlicet pro ipsorum salvatione libenter orando, quorum vitia persequuntur increpando. At contra Pharisæorum similes absque dilectionis compassione ira et indignatione commoti despiciunt peccatores, certe ipsis despicientibus tanto meliores, quanto fuerint in eorum despectu mansuetiores.

Tali pereunt indignatione multi nobiles eligente Deo ignobilia mundi et contemptibilia, ut confundat fortia, et ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destruat. Etiam soror contra sororem, videlicet Martha contra Mariam cœperat indignari, eo quod verbo Dei vacans reliquerat eam solam ministrare (*Luc.* X, 40). Sed ubi divino judicio laudata est pars Mariæ, quievit indignatio Marthæ. Agnoscamus igitur et nos laudabilem esse partem Mariæ, nec tamen vituperabilem esse partem sororis Marthæ. Mutuo nos invicem exhortemur, ne inflemur, aut indiguemur adversus alterutrum pro diversa dignitate officiorum sive ad actionem, sive ad contemplationem pertinentium. *Si quis loquitur quasi sermones Dei*, dum non est ipse, qui loquitur, sed Spiritus sanctus: *Si quis ministrat tanquam ex virtute, quam administrat Deus* (*I Petr.* IV, 11), ut in omnibus Deus honorificetur, et non alter adversus alterum inflетur, vel indignetur. Quibus in una congregatione datum est operari opus bonum, non indignentur quieti bene vacantium. Quibus datum est vacare et videre, quoniam suavis est Dominus, non indignentur bene operantibus fratribus aut sororibus; magis autem studeant non de sui spiritalis otii dignitate, sed de operantium fratrum et sororum societate gloriari: Et si non possunt facere opera fortia exemplo fortis mulieris, quæ manum suam misit ad fortia, sit in eis dilectio, quæ si in corpore mortali ac fragili fortis est ut mors, nunquam erit odiosa, etiamsi per debilitatem vel infirmitatem dissolvantur omnia membra.

Sic in homiliis beati Gregorii papæ legitur de quodam servulo, et de quadam Romula infirmatis gravissime tota membrorum dissolutione, sed, sicut sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, ita et in istis per fidem ex dilectione operantem non per opus manuum, sed per opus patientiæ, victum est regnum peccati, et consummatum est regnum justitiæ, quod aperte claruit in eorum de hac vita gloriosa migratione. Ubi ergo cum fide ac spe fuerit charitas, ibi procul erit otiositas, quoniam amor nunquam erit otiosus. Operatur enim magna si est: Si vero operari renuit, amor non est. Operatur sine cessatione interdum, cum valet, opus manuum, sed jugiter opus fidei, de quo Dominus in Evangelio Judæis sciscitantibus quid eis esset operandum, *hoc est*, ait, *opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille* (*Joan.* VI, 29). Item: *Operamini non cibum qui perit, sed eum qui permanet* (*ibid.*, 27). Hunc cibum toties operamur, quoties in lege Domini meditamur verba divina quasi grana electa conferendo, ventilando, molendo per aquas lacrymarum spargendo, et per ignem divini amoris in clibano mentis coquendo.

Digitized by Google

Operamini, inquit, *cibum qui permanet*, quia charitas veritatis in æternum permanet, sicut ipsa veritas in æternum permanet. Quam charitatem operamur, cum divinis verbis velut quibusdam facibus nos et alios accendendo in amore justitiæ inflammati proficimus. ita vt ardeamus et luceamus illius exemplo, de quo dictum est : *Ille erat lucerna ardens et lucens* (*Joan.* III, 5). Ardens videlicet charitate, lucens humilitate, in qua dixit non se dignum, ut solveret corrigiam calceamentorum divinorum. Sic semper, ubi fuerit ardens charitas, ibi erit socia lucens humilitas, quoniam a fumo superbiæ omnino aliena flamma charitatis purissimos de se mittit radios humilitatis, quam familiariter quasi de vicino respicit Dominus, qui *alta a longe cognoscit* (*Psal.* CXXXVII, 6). Donet Dominus, ut observemus humilitatem et charitatem, sive parum, sive multum operemur: quia et per humilitatem alienæ dignitates fiunt nostræ, et per charitatem aliena opera fiunt nostra.

Dum vero ab industriose operantibus et laborantibus nos litterati metimus temporalia commoda, dignum et justum est ut et ipsi metant nostra spiritalia, et Mariæ otium reputetur Marthæ ad meritum, quia illa non posset otiari, et in verbo Dei deliciari sine adjumento sororis laborantis et erga multa sollicitæ ac turbatæ ad hoc, ut altera soror vacare posset absque turbatione. *Vacate* [alias, *Gustate*], inquit Psalmista, *et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII, 9). Vacate non inquietis discursionibus, non vanis confabulationibus, aut nequissimis detractionibus, in quibus non gustatur quoniam sit suavis Dominus, sed lectionibus, orationibus, et studiosis, sanctisque meditationibus, ac aliis spiritalibus exercitationibus, maxime devotis missarum celebrationibus, et studiosis ad eas celebrandas præparationibus. Verbi gratia in scribendis libris, concinnandis luminaribus, coaptandis sacris vestibus, et aliis utensilibus ad decorem domus Dei, sive ad necessitatem famulantium in ea pertinentibus, vel mysticas in ea significationes exprimentibus, formaque visibili gratiam invisibilem symbolizantibus, in quibus omnibus gustatur, quoniam suavis est Dominus. Vere suavis est Dominus, et dulcis, qui per dulce ac suave charitatis vinculum facit, ut omnia membra sibi concordent in unum, ita ut uno membro glorificato congaudeant omnia membra, et si patitur unum membrum, compatiantur omnia membra.

In sancta ergo charitate confirmet nos divina misericordia. In sancta humilitate nobis puerilem simplicitatem habentibus adsit ille angelus, qui tribus pueris in fornace adfuit, flammamque ignis excussit, et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem. (*Dan.* III, 49). Illos autem non tetigit omnino ignis, neque contristavit, aut quidquam molestiæ intulit. Sic non tangat nos ignis iræ, amaritudinis, indignationis, aut quidquam molestiæ inferat quantislibet nutrimentis illum rex Babylonis in hujus mundi fornace adaugeat, sed, sicut illi tres quasi ex uno ore laudabant et glorificabant Deum, ita nos quoque regnante in nobis concordia quasi ex uno ore laudemus et glorificemus Deum viri cum feminis, litterati cum illitteratis, bene operantes cum bene vacantibus, unusquisque autem in suo ordine canendo hymnum trium puerorum, quem cantabant in camino ignis benedicentes Dominum. Hæc de vitio iræ et indignationis cavendo inserta nunc sufficiant, ne irascendo, vel indignando iram et indignationem Dei incurramus actualiter, quam de Adam contraximus originaliter. Quoniam *ira*, seu afflictio, seu pœna, qua primum peccatum Deus vindicavit, fuit *in indignatione ejus*. Quasi enim indignatus est, quoniam comminationem neglexerunt, qua dixerat : *In qua die, comederitis de ligno, morte moriemini* (*Gen.* II, 17).

Et vita in voluntate, id est in impletione voluntatis Dei est, quam solus ille perfecte implevit, qui pro nobis æterno patri Adæ debitum solvit, et paculi veteris cautionem pio cruore detersit. Ira vero Dei est non sine spe gratiæ, quoniam sequitur, et *vita* æterna vobis impotentibus redire ad illam, quæ datur, *in voluntate ejus*, id est non secundum vires vestras, vel merita.

Non tamen mox dabitur illa vita, sed *fletus demorabitur*, et cætera. Conferuntur singula singulis. Quoniam *in indignatione* ipsius est *ira* : ideo *ad vesperum demorabitur fletus*. Et quoniam *vita in voluntate ejus* est : ideo *ad matutinum lætitia*.

Vesperum est, quando sol per meridiem declinat ad occasum. Tunc sapientiæ lux ab homine peccante recessit, et morte damnatus est. Ex tunc dorat fletus, quam diu populus, qui natus est ex Adam, laborans expectat usque ad *matutinum* futuræ resurrectionis : et tunc erit *lætitia*, quia tunc Dominus absterget omnem lacrymam ab oculis sanctorum. In signum illius matutinæ lætitiæ Christus mane surrexit.

Significatur etiam prima resurrectio animæ in eodem. Sicut enim Christus non culpa, sed pœna in vespere sepultus, mane tertia die resurrexit ; sic homo, qui *vespere* peccans in paradiso quasi sepultus est, quia morte damnatus est, post tempus, quod fuit ante legem, et quod sub lege, tertia die, id est tempore gratiæ fidei lucem suscepit, et hoc mane a morte peccati in anima resurgit. Hæc resurrectio mane facta, qua in Christo omnes vivificantur, est causa lætitiæ, quæ demorabitur in matutino, sicut mors et sepultura secundum veterem Adam facta, in quo omnes moriuntur, est causa fletus, qui demorabitur ad vesperum.

Demorabitur enim et *fletus* et *lætitia*, quia neque *fletus*, neque *lætitia* finitur in brevi, sed longiori mora durabit utrumque. Nam ab illa tristissima vespera, qua ejectus Adam de paradiso incidit causam ploorationis, euntes ibant et flebant omnes filii ejus primam vocem fletus emittendo, cum nascerentur in hunc mundum, et sic flentes exierunt de hoc

Digitized by Google

mundo in infernum. In hujus autem vitæ spatio si aliquando riserunt, risus eorum dolore miscebatur, et extrema gaudii luctus occupavit. Inde et illa vox in alio Psalmo : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* (*Psal.* XLI, 4). Ubi dies et noctes in fletu continuantur, nonne ibi fletus demorabitur a vespera in vesperam? Nonne *fletus demoratur* ubi nulla interpolatio ridenti conceditur? Nam, etsi aliquando rident homines in hac vita ærumnis plena, hoc ipsum quod rident, vel ridere possunt, flendum est. Ad remediandum hunc fletum demorantem digitus Dei scripsit legem decem præcepta continentem, quæ, quia peccatorum vulnera monstravit, non sanavit, neque aliquid ad perfectum duxit, fletum demorantem non solum non abstulit, sed auxit. Nam, sicut in quinque porticibus apud piscinam probaticam languidi prodebantur, non sanabantur, ita per quinque libros Moysi peccatores arguebantur, non curabantur. Demoratus est ergo fletus usque ad Christum, qui in seipso demonstrans, quanta sit causa flendi in hoc mundo propter mortem et mortalitatem, quam post meridiem circa vesperam incidit Adam, et ipse mortuum Lazarum ploravit humano affectu, quem fuerat resuscitaturus virtute divina. Extendebatur enim fletus ac tristitia usque ad illam vesperam, qua propter peccata nostra mortuus ac sepultus est Christus, qui descendens ad inferna, ubi sanctorum populus detinebatur in morte captivus, voce lacrymabili salutatus est a dicentibus : *Advenisti desiderabilis quem exspectabamus in tenebris, ut educeres hac nocte vinculatos de claustris : te nostra vocant suspiria, te larga requirebant lamenta : tu factus es spes desperatis m. c. in tormentis.*

Jam tunc una inferi porta, quæ est mors animæ, destruebatur, quando sanctorum animabus in inferno eatenus lugentibus lætitiæ aurora illuxit. *Habitantibus enim in regione umbræ mortis lux orta est eis* (*Isa.* IX, 2), quando Christus per animam suam descendit ad infernum vita et lux animarum. Sed nondum plena fuit lætitia, quia stabat altera inferni porta, scilicet mors corporum, quoniam adhuc nullus resurrexit non moriturus ulterius. Ergo *in matutino*, quo Christus primogenitus mortuorum surrexit a mortuis non moriturus amplius, multis sanctorum corporibus cum eo resurgentibus, et via resurrectionis patefacta est in Christo cunctis, qui moriuntur in Adam, tunc altera mortis porta destructa dies lætitiæ plene illuxit, de qua dicitur alias : *Hæc est dies, quam fecit Dominus, exsultemus, et lætemur in ea* (*Psal.* CXVII, 24). Exultemus corporis gestu propter resurrectionem corporum, lætemur mentis affectu propter resurrectionem animarum.

Sane quidem credi potest quod media nocte surrexit verus Samson, mediaque nocte percusserit Ægyptum, id est infernum, dum medium silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet. Sed tamen usque *ad matutinum demorabitur fletus* Mariæ flentis ad monumentum, aliarumque feminarum cum ea flentium, et ipsorum apostolorum lugentium et flentium. Diluculo vero imminente ad matutinum cœpit eis lux fieri lætitiæ, *cum adhuc tenebræ essent* aliquantulæ tristitiæ. Apparentibus quippe angelis, et viso Domino devotis mulieribus, crebrescente quoque fama resurrectionis contestantibus angelis, ex tunc depulsa tristitiæ caligine *ad matutinum* demoratur lætitia, quia resurrectio in matutino ab angelis contestata nobis in finem mundi est reservata, quando omnes, qui Christo commoriuntur, ipsi quoque conresurgentes in ipso vivificabuntur, et tunc post vesperam sæculi hujus caliginosi in sereno matutino futuri sæculi perficietur magna illa totius domus David dedicatio, quæ jam facta est in fundamento, Christi corpore a mortuis resuscitato. Tunc *ad vesperum demorabitur fletus* eorum, qui tunc dolebunt mundum, quem amaverunt habere vesperum, id est finem. Tunc *ad matutinum demorabitur lætitia* eorum, qui futurum sæculum, quod mundo spreto amaverunt, gaudentes videbunt habere initium. Utrumque *demorabitur*, et fletus, et lætitia, quia et illi semper flebunt, quibus in vespero illo dicetur : *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV, 41) : et illi semper gaudebunt, quibus in illo mane dicetur : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi* (*ibid.*, 34). Unum quippe idemque judicium aliis erit vesperum, aliis matutinum. *Multi* enim tunc *de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, et alii in opprobrium, ut videant semper* (*Dan.* XII, 2). Qui *evigilabunt in vitam æternam*, illis erit resurrectio et judicium quasi matutinum et quoddam initium illius diei, de qua dicitur : *quia melior est dies una in atriis tuis super millia* (*Psal.* LXXXIII, 11). Qui autem evigilabunt *in opprobrium, ut videant semper*, illis erit resurrectio, et judicium quasi vesperum nimis obscurum, initium videlicet sempiternæ noctis, et illarum tenebrarum, de quibus dicitur : *Et impii in tenebris conticescent* (*I Reg.* II, 9).

Hæc differentia futuræ resurrectionis trahitur de differentia dissimilis conversationis. Nam alii sic in hoc mundo conversantur, ut in hujus mundi concupiscentia statuant sibi diem suam. Talis erat Jerusalem terrena, cujus interitum videns Dominus flevit super illam, dicens : *Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi* (*Luc.* XIX, 42). Diem suam hic habet anima infidelis, cui dulcis est mundana concupiscentia. Sed, quando mundus transibit, et concupiscentia ejus, tunc erit illi vesperum, qua mittetur in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium, et tunc *demorabitur fletus*, quando mora longa erit in æternis pœnis pro concupiscentiis brevissimis. Quo contra diem suam in hoc mundo non habentes, qui per noctem temporalitatis anxiæ desiderant venire in diem æternitatis, quando mundus transibit, et con-

Digitized by Google

cupiscentia ejus, audiunt sibi Dominum dicentem : *Vos autem, cum videritis hæc fieri, respicite, et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra* (*Luc.* XXI, 28). Nonne cum dicitur eis : *Respicite*, quasi matutinum lumen eis demonstratur, quo eorum cor exhilarabitur, quibus pereunte mundo appropinquabit redemptio? Tunc eis monstrabitur lætitia sempiterna pro temporali et brevi tristitia, quam in hoc mundo habuerunt, quem non dilexerunt, illucescente die æternitatis, quam suspiraverunt.

VERS. 7. *Ego autem dixi in abundantia mea, Non movebor in æternum.* Illis *demorabitur fletus*, quorum domus non dedicabitur, quia corpus eorum resuscitatum ad semper vivendum non immutabitur per gloriam ad semper gaudendum. *Ego autem* verus David per hoc mihi, et meis merui dedicationem solemnem, id est corporum resuscitatorum glorificationem, quod *ego dixi in abundantia mea : non movebor in æternum.* In aliis, qui a Deo moti sunt per pedem superbiæ, vel per manum peccatoris moventem, *demorabitur fletus ;* sed in me non demorabitur fletus, quoniam ego Christus *in abundantia mea*, id est in confidentia divinitatis, mihi abundantis, cujus plenitudo abundat in me, dixi hoc : *Non movebor* a Deo, a quo motus est Adam, *non movebor*, dico, *in æternum*, id est nunquam. Et hoc poteram confidenter dicere. Nam tu, Domine, *præstitisti decori meo virtutem.* Primo præstitisti mihi decus immunitatis a peccato, quando conceptus sum de Spiritu sancto. Illi etiam *decori meo præstitisti virtutem* ad facienda miracula. Quod autem virtus carnis meæ fuerit *ex voluntate tua*, id est de Spiritu sancto, qui est voluntas tua et mea, cujus operatione sum conceptus, inde probatur, quod caro mea in semetipsa fuit perturbata, quando, licet spiritu prompto ad Passionem, ipsa tamen fuit infirma. Unde dixi : *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* (*Marc.* XIV, 38). Tunc factus sum conturbatus, non ad peccatum, sed ad pœnam carnis infirmitas turbata fuit, quando cœpi pavere et tædere. Non habet homo, unde præsumere debeat; etiam Christus virtutem, et decorem a Domino dari confitetur. *Ad te, Domine, clamabo*, te averso conturbor, et ideo, o Domine, *clamabo ad te* de gloria carnis, *et ad te Deum meum deprecabor* de immortalitate dicens : Quæ *utilitas in sanguine meo*, etc.

Possunt hæc etiam accipi in persona membrorum, et est causa, quare demoretur fletus, scilicet ideo : *Ego* populus, qui loquebar in Adam *in abundantia* deliciarum positus in paradiso, cum Dominus diceret : *Qua die comederis, morieris*, et diabolus econtra : *Non morte morieris* (*Gen.* II, 17), credidi potius diabolo, et *dixi : non movebor* ab hoc bono *in æternum*, sed ero tanquam Deus. Tamen o Domine, quod eram, non eram ex me, sed tu

VERS. 8. *In voluntate tua præstitisti decori meo virtutem.* Ex te eram pulcher et fortis. Quod ex eo didici, quod quando *avertisti faciem tuam a me* peccante, privatus lumine notitiæ tuæ ejectus de paradiso, *factus sum conturbatus*, et qui [illegible] bonis in paradiso laudabam te, nunc, o Domine, expositus gemens *clamabo ad te*, et in me, et in capite meo, qui pro me moriturus jam dicit :

VERS. 9. *Ad te, Domine, clamabo.* Quod vero sequitur : *Et ad Deum meum deprecabor*, idem est.

VERS. 10. *Quæ utilitas in sanguine meo*, hoc est, in effusione sanguinis mei, qui sine culpa fusus est, *dum descendo in corruptionem ?* Id est, si statim non resurgo, si putredine corpus corrumpitur, si templum corporis mei morte solutum per gloriam resurrectionis non fuerit dedicatum, nulla erit utilitas, quia neminem potero lucrari, et ita peribit confessio tui. Ideo peto ut non descendam in corruptionem, quia *nunquid confitebitur tibi pulvis ?* Si remansero pulvis, peribit confessio. Perit etiam annuntiatio. Nunquid enim pulvis *annuntiabit* ad salutem cæterorum *veritatem tuam*, quam reparationi humani generis promisisti ? Vel *pulvis*, id est impiorum, qui justificandi sunt mea Resurrectione, mortua congeries, *nunquid confitebitur* tibi manens *pulvis*, etc.

Confessio gemina est, sine qua nunquam esse debemus, scilicet peccatorum, vel laudis. In tribulatione confiteamur peccata, in exaltatione misericordiæ Dei laudem. Utraque autem perit confessio in illis, ad quos non pertinet dedicatio domus, id est immutatio illa, de qua dicit Apostolus : *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* (*I Cor.* XV, 51). Item : *Mortui*, inquit, *resurgent incorrupti, et nos immutabimur* (*ibid.*, 52). Omnes quidem mortui resurgent incorrupti, id est integri, corpus habentes incorruptum, nulla videlicet naturalis integritatis parte imminutum. *Sed non omnes immutabimur* in angelicæ beatitudinis gloriam, qua sicut privatus est diabolus, et angeli ejus, cum sit natura eorum integra, sic et homines illis consociandi cum resurgant incorrupti, id est integri, eadem erunt privandi. Propterea dicit Apostolus : *Omnes quidem resurgent, sed non omnes immutabuntur.* Quia autem immutabuntur, ipsi dedicabuntur, ut sint aula regalis tantæ pulchritudinis, ut ipse Deus, qui est vera pulchritudo, habitet in eis : tantæ amplitudinis, ut ipse, quem totus non capit orbis, ambulet in eis. Unde et dicit : *Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus* (*II Cor.* VI, 16). Tunc *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus* (*Apoc.* XXI, 4).

Nunc autem ante tempus dedicationis hujus, cum domus ista fabricatur, quæ tunc dedicanda erit, crebræ sunt lacrymæ, assiduique luctus, dum semper ad vesperum demoratur fletus et ad matutinum lætitia. Nam salvo altiore sensu de hac vespere et matutino superius tractato, etiam in vicissitudine morum quotidianorum, toties anima

Digitized by Google

sentit vesperum, quoties in charitate patitur defectum, virtusque ipsa charitas urgetur ad occasum contra consilium Apostoli dicentis : *Sol non occidat super iracundiam vestram* (*Ephes.* IV, 26). Sed respirante anima per pœnitentiam sol justitiæ, cujus totus fulgor, et splendor est in charitate, quasi vespere depulso facit matutinum, quandoque ita splendidum, ut dicat homo in abundantia sua : *non movebor in æternum*. Sic ego Petrus apostolus *dixi in abundantia mea : Non movebor in æternum*. Cum enim viderer mihi abundans in charitate Christi, in hac ipsa abundantia mea dixi : *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo* (*Matth.* XXVI, 35).

Item : *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego non scandalizabor* (*ibid.*,33). Item : *Paratus sum, et in carcerem, et in mortem ire* (*Luc.* XXII, 33). Si loquens *in abundantia mea*, id est, de me præsumpta dixi : *non movebor in æternum*. Veniente vero tentatione per ancillam illisum est flumen domui meæ, et potuit eam movere, quia nondum fundata erat supra firmam petram per charitatem, quæ *fortis est ut mors* (*Cant.* VIII, 6). Hanc si tunc habuissem, non tam facile motus fuissem timore mortis, quoniam hunc mortis timorem foras misisset charitas fortis ut mors. Quia vero motus fui in atrio Caiphæ inter ministros scelerum illudentium et conspuentium Dominum meum, ipso me respiciente foras egressus flevi amare, atque tunc *ad vesperum* demorabatur mihi *fletus*, et erat mihi ploratus et ululatus magnus gravissime invalescens *ad vesperum*, quando Dominum meum cognovi mortuum ac sepultum, et me in anima cognovi mortuum. De hac gemina mea tristitia consolans me quantulacunque lætitia in illo matutino eluxit, quando angelus ad sepulcrum Domini commorans discipulos, me specialiter, et nominatim expressit, sic dicens : *Ite, dicite discipulis ejus et Petro* (*Marc.* XVI, 7), *quia surrexit* Dominus (*Matth.* XXVIII, 7). Ubi vero specialiter mihi apparuit, atque hoc verbum inter discipulos celebre fuit, ita ut dicerent : *quia surrexit Dominus vere, et apparuit Petro*, revera tunc mihi fuit lætitia plusquam matutina orto jam sole non solum per Christi manifestatam mihi resurrectionem, sed etiam per meam de me instructionem.

Ex tunc enim eruditior factus non præsumpsi de abundantia mea ulterius dicens : *Non movebor in æternum*, sed præsumptione jam transacta dixi : *Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem*, faciens me, non pro merito meo, sed pro voluntate tua, de piscatore prædicatorem, et miraculorum operatorem. Sed, quia de abundantia mea præsumpsi putans mihi abundare virtutem charitatis præ cæteris apostolis, *avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus* ter negando veritatem, quia nondum perfectam habui ipsius veritatis charitatem. Habui quidem aliquantulam tunc veritatis charitatem, sed necdum abundantem. Si enim fuissem in charitate consummatus, non negassem ullatenus.

Sunt enim tres gradus charitatis, quorum si vel unus defuerit, facile a charitate resiliunt, qui se invicem diligere cœperunt. Exemplum istorum graduum capiamus ab ipso Dei Filio, qui ad nos venit in vera et consummata charitate. Fuit enim charitas ipsius primo dulcis, dein cauta, postremo fortis : adeo dulcis, ut assumeret causa hominum, quos dilexit, non solum naturam humanam, sed et miseriam. Adeo cauta, ut communicans humanæ naturæ ac miseriæ nullatenus communicaret humanæ culpæ ; quia homo quidem fuit, sed peccatum non fecit, *nec inventus est dolus in ore ejus* (*II Petr.* II, 22), imo, cum totus arderet in dilectione hominum, tamen zelus domus Dei comedit eum propter vitia hominum. Porro, cum sic dulcis et cauta fuerit charitas ipsius, ut totus flagraret in dilectione hominum et odio vitiorum, poterat ab hac dulci et cauta dilectione averti eorum injuriis et contumeliis irritatus, quorum naturæ amicus et vitiis inimicus erat, nisi *fortis* fuisset, *ut mors* ipsius *dilectio* (*Cant.* VIII, 6). Quia vero fortis erat, ut mors dilectio, quomodo mors est languor immedicabilis, ita dilectio ipsius fuit insuperabilis, et sicut medicinæ multæ non superant mortem, sic aquæ multæ, quæ intraverunt usque ad animam ejus, non potuerunt in eo exstinguere charitatem. Hinc est, quod in cruce oravit pro interfectoribus suis dicens : *Pater, dimitte illis, nesciunt enim quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Quorum naturam per dulcem charitatem assumpsit, quorumque stultitiam per cautam et sapientem charitatem instruere curavit, pro ipsis moriens, et ab ipsis mortem sibi illatam sciens per fortem charitatem oravit. Nonne ista charitas fortis erat ut mors ? Imo dici posset fortior, quam mors, quam non superavit mors, sed ipsa mortem superavit, nisi quod et ipsa, quæ fortior est morte corporum charitas, mors est vitiorum. Est ergo fortis ut mors, quia ipsa est fortissima mors vitiorum diligens amicum in Deo et inimicum propter Deum. Nisi Christus patiens pro amicis tormenta, ipsos in Deo dilexisset, nequaquam pro illis orasset dicens : *Pater, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi* (*Joan.* XVII, 11). Quia enim eos novit esse in Deo, recte rogavit conservari eos in eo dicens : *Pater, cum essem cum eis, ego servabam eos, quos dedisti mihi. Nunc autem ad te venio. Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo* (*Joan.* XVII, 13, 15). Rursum nisi dilexissem inimicos propter Deum, non dixissem in cruce : *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quod faciunt*. Isti inimici nondum erant in Deo, ideo diligi non poterant in eo, sed diligebantur propter Deum, quando sic oratum est pro illis, ut venirent in Deum per indulgentiam peccatorum ; et quia fortis charitas hoc oravit, quod voluit, impetravit. Nam plurimi eorum, qui sanguinem Christi fuderunt, eumdem sanguinem postea fideliter bibe-

Digitized by Google

runt, et qui polluti erant sanguine, purgati sunt sanguine.

Contemplati sumus dulcem, cautam et fortem Christi charitatem in ipso tanquam in fonte. Videamus nunc eamdem quasi derivatam in discipulos, quos nimirum volens ipse sibi in charitate assimilari, cum dixisset eis : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem*, adjecit dicens : *sicut dilexi vos* (*Joan.* xv, 12). Ac si diceret : Sicut ego dulciter, caute ac fortiter dilexi vos : ita et vos diligatis invicem. Item : *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* (*Joan.* xiii, 34). Et quidem in Christo tanquam in fonte hujus dilectionis tota plenitudo simul et semel de vena paternæ pietatis infusa nullam unquam habuit imminutionem, simul manens in Verbo, simul manans in hominem Verbo unitum. Sed in discipulis erat variabilis, quibus interdum adfuit dulcedo charitatis, et defuit cautela. Interdum vero salva dulcedine charitatis, qua bonum dilexerunt, et cautela, qua malum oderunt, ipsa eis fortitudo defuit, qua destituta charitas titubavit : verbi gratia, pro magna dulcedine charitatis, ait Petrus apostolus : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te* (*Matth.* xix, 27). Sed adhuc minus cautus, et nesciens pertinere ad Christi dilectionem ipsius per omnia sequi voluntatem, volentem mori pro nobis Dominum conatus est avertere dicens : *Absit hoc a te*, cum dixisset Christus, quod esset flagellandus et crucifigendus ! (*Matth.* xvi, 22.) Item : cum lavaturus pedes discipulorum Christus venisset ad Petrum, dixit ei : *Non lavabis mihi pedes in æternum* (*Joan.* xiii, 8). Dixerat hoc in dilectione jucundus, attamen incautus, quia et Christus secundum suæ sapientiæ consilium erat moriturus, et suo sanguine cum aqua de latere suo fluente non solos Petri pedes, verum cunctos electos erat lavaturus. De qua nimirum lavatione, ait ipse Petro : *Si non lavero te, non habebis partem mecum* (*ibid.*). Poterat similiter dixisse Abrahæ, Isaac, et Jacob, etiam omni homini salvando : *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, quia non est introitus in regnum cœlorum ulli hominum, nisi per lavacrum sanguinis et aquæ de latere Christi manantis. Hoc etiam lavacrum exspectabant apud inferos electi eodem lavandi, et mundandi, ac liberandi. Unde ad ipsum Christum Zacharias propheta loquens dicit : *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua* (*Zach.* vi, 11). Hoc mysterium ignorans Petrus minus caute dixit : *Non lavabis mihi pedes in æternum* (*Joan.* xiii, 8). Et Dominus : *Quod ego*, inquit, *facio tu nescis modo, scies autem postea* (*ibid.*, 7). Item : *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, quibus verbis cautior effectus Petrus adhibuit consensum ad illum magistri actum, quem primo putaverat quasi absurdum.

Jam Petrus in dilectione dulci et cauta positus, attamen suæ infirmitatis nescius nimium fuit ultroneus et præsumptuosus : unde mortem Christi quam prius dissuasit, non solum sequi, etiam se præire posse putavit dicens : *Animam meam ponam pro te* (*ibid.*, 37). Verum, quia ejus dilectioni adhuc fortitudo defuit, quod in abundantia sua locutus fuerat, in suo defectu negavit : *Ego*, inquit, *dixi in abundantia mea : non movebor in æternum.* Ego dixi : *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo* (*Matth.* xxvi, 35). Propter hanc ipsam præsumptionem tu, Deus, *avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus*, dum mori timui, et vitam negavi. Ergo talia dicens Petrus adhuc minime habuit charitatis fortitudinem, cujus jam habuit dulcedinem. Postmodum vero confirmatus in ipsius charitatis pariter dulcedine, cautela et fortitudine, Domino requirenti tertio amorem suum confessus est, tanquam ei Dominus diceret : *Petre, amas me* dulciter, *amas me* caute vel sapienter, *amas me* fortiter? et ille responderet : *amo te* amore dulci, *amo te* amore cauto, *amo te* amore forti (*Joan.* xxi, 17). Et Dominus, approbans charitatis ejus fortitudinem, qua superaturus erat mortem : *Cum esses*, inquit, *junior cingebas te, et ambulabas ubi volebas : cum autem senueris, alius te cinget, et ducet quo tu non vis* (*ibid.*, 18).

Quod in solo Petro est ostensum, in cæteris quoque apostolis est manifestum, quia videlicet prius charitatis dulcedinem, deinde sapientiam sive cautelam, postremo fortitudinem acceperunt. Nam vivente adhuc in carne mortali Dei filio audientes ejus prædicationem et videntes mirabilia opera suxerunt *mel de petra*, ipsam videlicet dulcedinem dilectionis ejus : et postquam surrexit a mortuis jam factus immortalis iterum suxerunt *oleum de saxo durissimo* (*Deut.* xxxii, 13), quando insufflans dedit illis Spiritum sanctum in die resurrectionis, et aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. Adhuc enim caruit eorum dilectio sapientia, quando de Scripturis non intellexerunt, quia sic oportebat Christum pati, et ita intrare in gloriam suam, et prædicare in nomine ejus pœnitentiam in remissionem peccatorum. Sed ubi, sicut dictum est : aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas, *et incipiens a Moyse, et omnibus prophetis interpretabatur illis* Scripturas (*Luc.* xxiv, 27), qui prius erant stulti et tardi corde ad credendum, relicta stultitia, et accepta sapientia persenserunt se suxisse olcum de saxo durissimo, sive de petra firma, quæ prius infirma in carnis mortalitate sola eos lactaverat mellea suæ dilectionis dulcedine. Quod enim per oleum recte sapientia intelligatur, inde satis appareat, quia illæ virgines dicuntur sapientes, quibus oleum in vasis abundat, fatuæ autem, quibus oleum deest in vasis, id est in suis conscientiis (*Matth.* xxv, 4).

Vide nunc in sic ditatis apostolis per mel et oleum, id est charitatis dulcedinem, et sapientiam, quam parva sit constantia. Certe jam tunc resurrectionis veritatem visu et tactu exploraverant, Christo

Digitized by Google

illis dicente : *Videte manus meas, et pedes meos.* Item : *Palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (*Luc.* XXIV, 39). Jam, sicut dictum est, mel et oleum acceperunt, neque tamen ausi fuerunt publice confiteri, aut prædicare quod noverunt. Hanc autem eorum infirmitatem ipse Dominus cognoscens dixit eis : *Vos autem sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto* (*ibid.*, 49). Virtus ex alto sancti Spiritus erat fortitudo, quam Christus ascendens in altum misit in illud cœnaculum, ubi erant apostoli eatenus infirmi. Ex tunc accepto spiritu fortitudinis per charitatem dulcem, et cautam, et fortem fuerunt idonei ad constestandam veritatem per totum mundum in omnibus linguis, qui prius nec in sola Judæa, nec in una lingua Hebraica fuerant ausi Christum confiteri.

Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. Nam, sicut fideliter dictum, ita fideliter factum est. Dictum est de apostolis, *ut sugerent mel de petra, oleumque de saxo durissimo, et sanguinem uvæ biberent meracissimum* (*Deut.* XXXII, 13). Juxta hujus prophetiæ veritatem, sicut expositum est, melle et oleo nutricatis et alitis apostolis, cum sola defuisset fortitudo, in die Pentecostes ipse, qui petra fuderat rivos mellis et olei bibentibus apostolis *de spirituali consequente eos petra* (*I Cor.* X, 4), factus est illis uva, cujus meracissimo sanguine inebriati putabantur, et dicebantur musto pleni. Tunc Petrus reddens rationem hujus miraculi, quo variis linguis loquentes putabantur ebrii : *Non*, inquit, *sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia, sed hoc est verbum quod dictum est per Joel* (*Act.* II, 15) : Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ. Quibus dictis non eos negavit omnino ebrios, sed ita, sicut illi æstimaverant, qui terreno eos musto plenos putabant. Erant enim revera spiritali musto sancti Spiritus in sanguine uvæ meracissimo sic inebriati, ut obliviscentes, et præ nimia ebrietate immemores curam sæcularium, et quod magis erat, injuriarum, vel contumeliarum suarum; irent *gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Dei contumeliam pati* (*Act.* V, 41). Ex tunc frumento et vino stabiliti fortes et insuperabiles permanserunt, atque similes ebriis in suis adversitatibus gaudere potuerunt.

Post apostolos quicunque ad perfectionem contendunt, tali necesse est ordine procedant, ut et ipsi primitus mel de petra sugant, deinde oleum, postremo frumento, vino et oleo stabiliti accipiant panem solidum et vinum dignum dilecto ad potandum, labiisque et dentibus illis ad ruminandum, Deo illis inspirante primum suæ dilectionis dulcedinem qua spernant mundanam concupiscentiam, deinde ejusdem charitatis cautelam sive sapientiam, qua spernant prudentiam carnis, quæ inimica est Deo, neque ament regi sensu proprio, sed alieno, A qui tamen sit secundum Deum. Sic abnegando mundum et sensum suum, sequentes alienum arbitrium etiam in tali præcepto, quod sensui humano videtur absurdum, digni efficiuntur pane solido et vino forti, per quem confortentur in Domino et in potentia virtutis ejus, ita ut et ipsi cum Petro jam dicere possint Christo : *amo te* dulciter, caute, fortiter.

Sed, antequam perveniatur ad istam charitatis dulcem, sapientem et fortem plenitudinem, sæpe homo imperfectus arbitrans abundare se in charitate dicit in abundantia sua : *non movebor in æternum.* Avertente autem Deo faciem suam conturbatur, et suæ charitati, aut dulcedinem, aut cautelam, aut certe fortitudinem non abundare certissimis rerum experimentis perdocetur. Nonne huic homini congruit dicere in pœnitentia sua illud quod in præsenti psalmo versamus, ut videlicet apud se aliquid tale cogitet, et dicat : Ecce in dilectione mea non invenio tantam delectationem, vel sapientiam, vel fortitudinem, seu constantiam, qualem me habere putavi. Nam putans me aliquid esse, cum nihil sim, ipse me seduxi dicens apud me : *In abundantia mea non movebor in æternum.* Sed tu, *Domine, in voluntate tua*, cum voluisti, quandiu voluisti, ad quod voluisti, propter quod voluisti *præstitisti, decori meo virtutem*, et erat virtus decoris mei non in mea potestate, sed in tua voluntate : *Ego autem dixi in abundantia mea : non movebor in æternum*, quasi vel stare, vel cadere meum esset secundum prium meum dispositum, et non secundum tuum propositum. *Dixi* hoc *in mea abundantia*, in mea sapientia. Sed hæc sapientia inventa est stultitia, qua stultitia præsumptuosa tu offensus *avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.*

Ego rex David ante peccatum commissum in uxorem Uriæ *dixi in abundantia mea : non movebor in æternum;* quia nunquam putavi tam fœdo lapsu me casurum, neque domum meam, licet necdum dedicatam putavi patere ad illius peregrini introitum, qui sibi esset expostulaturus apud me tale convivium, ut parcens ovibus meis alienam ovem raperem et Dominum ovis occiderem. Sed tu, *Domine*, qui non in mea, sed *in tua voluntate præstitisti decori meo virtutem*, videns in me tam superbam præsumptionem, *avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus* per exsecrabilem culpam duplicis reatus, adulterii scilicet et homicidii. Similiter quando præcepi numerare populum, de multitudine populi gaudens *dixi in abundantia mea :* non movebor in æternum. Sed tu Deus, humiles, ac timoratos diligens et superbis resistens a me superbo *avertisti faciem tuam, et factus sum conturbatus.* Dixique, cum vidissem *angelum cædentem populum : Ego sum, qui peccavi, ego inique egi, isti, qui oves sunt, quid fecerunt ?* (*II Reg*, XXIV, 17.) Propemodum tale est, quod hic dicitur : *Ad te, Domine, clamabo, et ad Deum meum deprecabor. Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem ? Nunquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit*

Digitized by Google

veritatem tuam ? (*Psal.* XIX, 9 et 10.) Sic me in pœnitentia mea clamantem.

VERS. 11, 12 et 13. *Audivit Dominus, et misertus est mei, Dominus factus est adjutor meus. Convertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia. Ut cantet tibi gloria mea*, etc. Tibi, inquam, confitebor, quia tibi, non mihi unquam assignabo abundantiam meam, si videor abundare in aliqua virtute. Ubi autem non abundo, et hoc tibi confitebor, quasi medico infirmitatem meam.

Aliter : Ego Christus verus David pro dedicatione domus meæ jam superius Patrem laudavi, et alios ad laudandum, ac psallendum in laude ipsius invitavi, dicens : *Psallite Domino, sancti ejus, et confitemini memoriæ sanctitatis ejus.* Nunc circa finem psalmi causas explicabo, quare sit laudandus ipse Pater meus. Inde scilicet, quoniam deprecatus sum Dominum. *Dominus* autem *audivit, et misertus est mihi.* Vere tu, Domine, *factus es adjutor meus*, id est, non dedisti Sanctum tuum videre putredinem ; quoniam *convertisti planctum meum in gaudium*, id est dolentes pro me apostolos gaudere fecisti, per hoc scilicet, quia *conscidisti saccum meum.* Viderant illi me magistrum et Dominum suum in sacco mortalitatis quasi frumentum electum, et propter frumentum sibi dilectum voluissent integrum permansisse saccum, ut videlicet non morerer ego, sed viverem in corpore nunquam morituro. Ego autem dixi eis : *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert* (*Joan.* XII, 24). Ergo contra eorum carnalem voluntatem, sicut ego volui, saccus carnis in passione scissus est, et frumentum cadens in terram mortuum est. Inde fuit *planctus* apostolis, et mulieribus, et iste planctus fuit *meus*, id est propter me habitus. Sed tu Pater *convertisti planctum meum in gaudium mihi.* Nam, cum inde fuisset planctus, quia tu *saccum meum conscidisti*, per hoc planctum istum convertisti in gaudium, quod resuscitans carnem meam a mortuis *circumdedisti me lætitia*, ita *ut non compungar.* Ulterius, quemadmodum lancea et clavis in cruce fui punctus pungentibus me militibus, qui tandem me judicaturum in gloria *videbunt, in quem transfixerunt* (*Joan.* XIX, 37). Et tunc plangent super me omnes tribus terræ, et qui me pupugerunt, sive in membris meis, vel etiam in sacramentis, quæ male tractaverunt, ipsi tunc amplius plangent. Plangent juxta vaticinium Zachariæ, sicut doleri solet *in morte primogeniti* (*Zach.* XII, 10). O Judæi tunc et vos plangetis, quia me primogenitum Dei perdidistis. Unum filium primogenitum simul et unigenitum Deus Pater æternaliter habuit me in sinu suo. Sed pro salute hominum exivi a Patre meo, et veni in mundum. Vos autem reprobastis me Dei unigenitum, et exspectastis alium. Sed Pater meus præter me alium non habet. Primogenitus ego simul, et unicus illi sum, et hoc vos in die judicii videbitis, atque tunc super me primogenitum plangetis, quando alium frustra vos exspectasse cognoscetis. Tunc, ut in Zacharia legitur : *Plangent familiæ et familiæ seorsum, et mulieres eorum seorsum* (*Zach.* XII, 12). Discipuli vero mei, et eorum similes, quorum tristitia convertetur in gaudium, sic lætabuntur, et gaudebunt gaudio consummato, sicut nunc sunt gavisi viso me Domino in die dedicationis et resurrectionis, in qua illis lætificatis tu, Pater, *convertisti planctum meum in gaudium mihi, et circumdedisti me lætitia*, cum starem in medio eorum, et dicerem eis : *Pax vobis* (*Luc.* XXIV, 36). Sicut enim illis flentibus et plangentibus circumdatus eram sacco tristitiæ, ita illis consolatis et lætificatis per manifestationem resurrectionis meæ *circumdedisti me lætitia* illis circa me stantibus, et gaudentibus tali gaudio, quale de illis expressum est in Evangelio, ubi dicitur : *Gavisi sunt discipuli viso Domino* (*Joan.* XX, 20).

Aliter : Planctum meum, quo dixi : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38), convertisti commutans planctum mortis in gaudium resurrectionis. Vere nam *conscidisti saccum meum.* Saccus est vestis aspera in usum laborum, vel in signum tristitiæ. Unde Ninivitæ saccis induti pœnitentiam egerunt. Fit autem de pilis caprarum, et significat mortalitatem, quam de peccatoribus Christus accepit. Hoc sacco Divinitas tanquam frumentum occultabatur. Unde in alio psalmo : *Ego induebar cilicio* (*Psal.* XXXIV, 13), ut occulta lateret in carne Divinitas. Scissus est autem saccus moriendo, et quæ prius celabatur, manifestata est resurrectione Divinitas, sicut saccus integer celat, scissus aperit frumentum. Quod autem pro tristitia mortalitatis accipiendum sit, quod dico : *Conscidisti saccum meum*, significo in contrario dicens : *Et circumdedisti me*, vel præcinxisti me, *lætitia* immortalitatis : ut *gloria mea cantet tibi*, id est, Resurrectio mea sit causa, quare lauderis. Et hoc ideo : quia semel passus *non compungar*, id est, non ulterius moriar.

Aliter : Cum dixerit Christus : *Dominus est adjutor meus* suscitando me, Ecclesia primogenitum ex mortuis consecuta est, et dicit : O Domine, jam nunc in resurrectione tua *convertisti planctum meum in gaudium* ideo, quia jam *conscidisti saccum meum* in velamentum peccatorum meorum, et tristitiam mortalitatis meæ, *et circumdedisti me lætitia*, id est, cinxisti me stola prima, ut anima ante judicium frueretur beatitudine sua, ut jam non plangat humilitas, sed *cantet tibi gloria mea.* Jam enim ex humilitate mea exaltasti me, *et non compungar* conscientia peccati, neque timore mortis, aut judicii, sciens corpus resurrecturum ad gloriam. Ergo, o *Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi*, id est, laudabo te. Hæc est enim gloria mea, ut confitear nihil esse mihi ex me, sed *tibi* confitendum est, quod omnia ex te, qui es Deus omnia in omnibus.

Digitized by Google

Hæc de illa dedicatione domus David dicta sufficiant, in qua fundamentum, quod est Christus dedicatum, et gloria resurrectionis illustratum est, atque planctus ipsius in gaudium conversus est gaudente ipso, pariterque congaudentibus apostolis in die resurrectionis, in die solemnitatis et lætitiæ. Verum, quia universalis dedicatio totius domus David, totius scilicet Ecclesiæ futura exspectatur, in qua totus planctus electorum convertetur in gaudium, quando absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum : non ab re videtur latius explicare capitulum Zachariæ prophetæ de planctu illius diei partim convertendo in gaudium, partim perseveraturo in æternum.

Et erit, inquit, *in die illa, quæram conterere omnes gentes, quæ veniunt contra Jerusalem. Et effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem Spiritum gratiæ, et precum : et aspicient ad me, quem confixerunt : et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon. Et planget terra, familiæ, et familiæ seorsum : familiæ domus David seorsum, et mulieres eorum seorsum : familiæ domus Nathan seorsum, et mulieres eorum seorsum : familiæ domus Levi seorsum, et mulieres eorum seorsum : familiæ domus Semei seorsum, et mulieres eorum seorsum. Omnes familiæ reliquæ, familiæ, et familiæ seorsum, et mulieres eorum seorsum* (*Zach.* XII, 9 et seq.) *In die illa, dicit Dominus exercituum, disperdam nomina idolorum de terra, et non nominabuntur ultra. et prophetas, et spiritum immundum auferam de terra* (*Zach.* XIII, 2).

Manifestum est, hæc dicta esse de ultima die, in qua Dominus *conteret omnes gentes, quæ veniunt contra Jerusalem*, id est, contra Ecclesiam, sive sint pagani, sive Judæi, sive sint hæretici, vel schismatici, sive falsi christiani, de quibus, quia dubitari poterat propter nomen christianum, quo signati sunt, quod ipsi pertineant ad planctum illius diei tremendæ, signanter exprimit excellentiores familias, videlicet *familiam domus David*, quæ regalis fuit, *familiam domus Nathan*, quæ prophetalis exstitit : *familiam domus Levi*, quæ sacerdotalis fuit : *familiam domus Semei*, quæ scribis et doctoribus insignis exstitit. *Reliquas* autem *familias* nullis dignitatibus notabiles nominatim non ponit, sed illas digniores nominavit, eisque planctum magnum assignavit, qualis fuit ad *Adadremmon in campo Mageddon* occiso ibidem rege Josia, in cujus occisione, occisionem Christi præfigurante, planctus magnus fuit in Jerusalem. Nam et Jeremias propheta lamentationis quadruplicis, alphabeti propter eamdem occisionem edidit, in quibus de morte Christi patenter prædixit : *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus : In umbra tua vivemus in gentibus* (*Thren* IV, 20). » Sicut ergo tunc planctus magnus fuit etiam tribubus excellentioribus, eo quod peccatis eorum exigentibus captus et occisus esset Christus Domini rex Josias, rex inclytus, in quo tunc pendebat Judæorum temporalis victoria et salus, cum tamen longe superexcellat ejus personam, quod in lamentationibus dicitur : *Spiritus oris nostri Christus Dominus, cui diximus : Sub umbra tua vivemus in gentibus ;* neque enim spiritus oris nostri fuit ipse, aut unquam regnavit in gentibus ; sicut, inquam, tunc, ita et nunc planctus magnus est in Jerusalem effundente Domino super domum David, et super habitatores Jerusalem *Spiritum gratiæ et precum*, et plangent in suis precibus excellentiores *familiæ seorsum*, et *mulieres eorum seorsum* aspicientes in eum, quem confixerunt Jesum Christum qui captus est atque mortuus in peccatis nostris, non suis. Atque ideo nos eum confiximus, qui causa exstitimus, quare sit crucifixus. Ista consideratio toties compungere debet corda fidelium, quoties vel corporali intuitu per oculos, vel spiritali per cogitationes aspiciunt lignum sanctæ crucis exaltatum quasi lignum procerum, frondosum et fructuosum, sub cujus umbra vivimus in gentibus nos, qui credimus in Crucifixum. Tanto autem beatius in illo vivimus, quanto attentius peccata nostra, propter quæ ille crucifixus est, plangimus.

Plangendum vero est *familiis, et familiis seorsum, et mulieribus eorum seorsum*, ita ut juxta prophetam alium *egrediatur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo* (*Joel.* II, 16), vivantque in tali continentia, qualis est in primitiva Ecclesia præostensa, ubi *multitudinis credentium erat cor unum et anima una* (*Act.* IV, 32) in Domino, quibus pœnitentiam de suis peccatis agentibus plangebant familiæ, et familiæ seorsum, et mulieres eorum seorsum. Nam, sicut in Actibus apostolorum Lucas commemorat, etiam viventium virorum feminæ tunc vixerunt in sancta viduitate *seorsum* a suis, et aliis viris separatæ. Philo quoque historiographus refert Alexandriam sub Marco discipulo Petri apostoli seorsum viros, et seorsum feminas cælibem duxisse vitam in sancta conversatione. Et mundus quidem gaudebat, quoniam abscondita erant ab oculis ejus peccata sua et peccatorum supplicia. Familiæ autem domus David planxerunt planctu magno. Sicut enim David planxerat planctu magno super Saul christum Domini occisum, sic multi ex principibus, qui convenerant in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus, postea pœnitentia compuncti planxerunt planctu magno. Et *mulieres eorum* planxerunt *seorsum*, quia vel omnimodam continentiam servaverunt, vel juxta doctrinam Apostoli *habentes uxores tanquam non habentes* fuerunt (*I Cor.* VII, 40). Ex his fuit princeps Constantinus, qui quasi rex David cum esset rex inclytus, post neces martyrum, in quibus utique Christum spiritum oris nostri persecutus est, per planctum pœnitentiæ salvatus est. Hic pio et religioso aspectu aspexerat in eum, quem confixerat, quia crucem Dominicam suo

Digitized by Google

tempore inventam per matrem suam Helenam sic honoravit omni cultu venerationis, ut per illam victor mereretur existere contra Maxentium tyrannum, et alios hostes, quandoque magis erat gloriosum, contra ipsum diabolum.

Similiter *familiæ domus Levi planxerunt seorsum*, qui in clero communem vitam ducentes, et in terra hæreditatem non habentes longe seorsum a mulieribus habitaverunt, quorum Pater Augustinus informator eximius, licet canones permittant clericis cohabitare feminas propter vicinam consanguinitatem a suspicione alienas, tamen ipse neque cum sorore sua consensit sibi cohabitandum dicens : *Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt.* Habitavit autem soror eadem *seorsum* regens congregationem feminarum sub regula communis vitæ ad exemplum illorum institutæ, quibus legitur in Actibus apostolorum *cor unum et anima una* in Deo fuisse, quibusque septem diaconi leguntur in unum ministerium constituti ab apostolis, ut ministrarent mensis earum. Similiter enim beatus Augustinus prædictæ sorori suæ in sui regiminis adjutorium deputaverat presbyterum, cujus esset major auctoritas ad regendas una cum sorore sua ipsas Deo devotas feminas. Si ergo hinc aspicias beatum Augustinum cum suis clericis communi, et religiosa vita viventem : istinc vero sororem ipsius cum Deo devotis feminis nihilominus religiose conversantem, nonne tibi videtur impleri prophetia, qua dicitur : *Familiæ domus Levi plangent seorsum et mulieres eorum seorsum?* Longum esset enumerare familias domus Levi in clero communis vitæ plangentes seorsum, et mulieres eorum seorsum. Cum autem hæc forma disciplinæ a sanctis apostolis ad nostra usque tempora derivata sit, ut clericorum, et Deo devotarum feminarum ab invicem distinctæ sint mansiones, quanto magis ab eis longe debent esse feminæ sæculares ?

Item *familiæ domus Nathan planxerunt seorsum, et mulieres eorum seorsum.* Nathan iste propheta fuit, qui regem David de incestu increpavit quique una cum Sadoch sacerdote Salomonem unxit in regem. Per hunc ergo sicut per Levi potest ordo clericalis intelligi, cujus nimirum est officium non solum plebeios, sed etiam reges increpare, atque regibus aliis descendentibus alios ordinare. Si placet hic sensus, non alia est lex plangendi familiæ domus Nathan seorsum, et mulieribus eorum, quam illa de familia domus Levi exposita, quæ non est iterum exponenda, cum æque per Nathan sicut per Levi clericalis continentia sit expressa in planctu eorum familiæ plangentis seorsum, et mulierum eorum seorsum. Neque vero est absurdum in unius ordinis designatione duas personas cum suis familiis hic poni, unam regalem, alteram sacerdotalem, videlicet Nathan de tribu regali, et Levi de tribu sacerdotali, cum apostolus eamdem conjunctionem regiæ ac sacerdotalis dignitatis commendet dicens fidelibus : *Vos estis genus electum, regale sacerdotium* (*I Petr.* II, 9). Nimirum in hoc regali sacerdotio comprehenditur etiam ordo monachorum, qui per sacras ordinationes asciti sunt in clerum per injunctum sibi altaris ministerium et prædicationis officium.

Post Nathan et Levi sequitur : *Familiæ domus Semei seorsum, et mulieres eorum seorsum*, subauditur, *plangent.* Iste Semei de tribu Benjamin existens in sua persona nulla dignitate insignis exstitit, sed ideo in bonum hic assumitur ejus memoria, quia fuit de tribu electa, et quia rex suscepit ejus pœnitentiam post maledictionem sibi ab eo illatam. Potest ergo per hunc Semei apte significari ordo pœnitentium, et peccata sua plangentium, ita ut *mulieres eorum plangant seorsum.* Potest etiam per familiam domus David significari ordo pœnitentium. Neque vero illud est in divinis dispositionibus inconsuetum, quod familia domus David posita est hic ante cæteras tribus, non solum propter dignitatis regiæ excellentiam, sed etiam propter insignem, quam egit pœnitentiam. Sic enim et in Evangelio adolescentior filius pœnitens illi est antepositus, qui dixit patri : *Ecce tot annis servio tibi, et nunquam mandatum tuum præterivi* (*Luc.* XV, 29). Et publicani et meretrices pœnitentiam agentes præcedunt Pharisæos de sua justitia præsumentes, atque inter ipsos apostolos omnes electos, omnes pios et sanctos illos videmus in apice collocatos ante cæteros apostolos, Petrum videlicet et Paulum, quos constat esse de numero pœnitentium. Neque vero indignatur inde Joannes apostolus, cujus Deo placuit innocentia et munditia, quod ei antelatus est Petrus et Paulus, in quibus Deo placuit non tam innocentia quam pœnitentia. Sic etiam adhuc erunt *novissimi primi, et primi novissimi* (*Matth.* XIX, 30), quando *majus gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia* (*Luc.* XV, 7). Est ergo magnæ dignitatis ordo pœnitentium qui, dum plangunt seorsum, et mulieres etiam seorsum, suo planctu adaugent gaudium angelorum. Ex his quidam junguntur cœnobiis, quidam vero extra cœnobia pœnitent sub regulis ecclesiasticis, quibus castitas indicta est pœnitentibus de criminibus mortalibus, ita ut aut conjugio penitus careant, aut si eis jam conjugatis datur pœnitentia, simul quoque noverint injunctam sibi continentiam, quam tam poterunt servare, servata pariter uxorum fragilitate, quas nisi ex consensu non debent fraudare.

Eorum vero pœnitentium, qui adjuncti fuerint societati communiter et claustraliter viventium quanta sit habenda cura de observanda continentia, ut videlicet ipsi plangant seorsum, et mulieres eorum seorsum, docent instituta cœnobiorum, quæ cum longum sit inserere, tamen, quia de illo planctu agitur, qui adveniente Domino convertendus est in gaudium, ut tunc quisque nostrum possit dicere : *Convertisti planctum meum in gaudium, conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia* : non pe-

Digitized by Google

geat quemquam de salute sua sollicitum summatim audire legem claustralis et cœnobialis disciplinæ, in qua pene sola nunc servatur distinctio fructuosæ pœnitentiæ. Nam qui adhuc in sæculo manentes, vel odium in corde retinent, vel injustas acquisitiones habent, vel sic de uno crimine mortali pœnitent, ut in alio maneant, vel si habent uxores, non eas habent tanquam non habentes, isti non dicendi sunt agere, sed fingere pœnitentiam, neque talis est eorum planctus, ut in gaudium sit convertendus, neque talis est eorum saccus, ut illo conscisso exspectandum sit eis indumentum lætitiæ.

Quæ vero sit institutio cœnobiorum, breviter comprehendit Isidorus episcopus in libro De officiis ita dicens. *Inter cœnobium autem, et monasterium hoc interest, quod monasterium possit unius monachi habitatio nuncupari; cœnobium nonnisi plurimorum. Quorum quidem conversationem, ut Patrum decet institutio, breviter intimabo. Illi quippe contemptis primum atque desertis hujus mundi illecebris in communem vitam sanctissimam congregati simul agunt viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus, in vigiliis, in jejuniis. Nulla superbia tumidi, nulla invidia lividi, sed modesti, verecundi, placati concordissimam vitam sectantur, cogitationes suas alterutrum revelantes invicem discutiunt, corrigunt. Nemo terrenum sorte peculium possidet. Pretiosis ac coloratis vestibus non induuntur, sed vilissimis atque sinceris. Lavacro nunquam utuntur delectatione corporis, sed raro propter necessitatem languoris. Sine consultu abbatis nunquam progrediuntur, nec aliquid ab eis sine nutu paternæ jussionis assumitur. Operantur autem manibus ea, quibus corpus pasci poscit, et mens impediri non possit. Canunt autem manibus operantes, et ipsum laborem tanquam divino celeusmate consolantur. Opus autem suum tradunt eis, quos decanos vocant, eo quod sint denis præpositi, ut neminem illorum cura sui corporis impediat a proposito mentis neque in cibo, neque in vestimento, neque si quid aliud opus est vel quotidianæ necessitati, vel mutuæ, ut assolet, valetudini. Ipsi autem decani tradunt ea præposito, præpositus autem cum magna sollicitudine omnia disponens præsto facit, quidquid illorum vita propter imbecillitatem corporis postulat : rationem tamen reddet ipse ei, quem Patrem vocant. Illi vero Patres intellectu, tolerantia atque discretione insignes omnibus rebus excelsi nulla superbia consulunt iis, quos filios appellant, magna sua in jubendo auctoritate, illorum in obediendo voluntate. Conveniunt autem omnes frequenter nocte dieque dato signo festina cum properatione ad orationem solemnium horarum, celebrantes fixa intentione cordis, et usque ad consummationem Psalmorum sine fastidio persistentes. Item conveniunt diebus singulis interpositis, dum adhuc jejuni sunt, in collatione ad audiendum Patrem. Audiunt autem incredibili studio, summo silentio affectusque animorum suorum, prout eos provocaverint dissertes, oratione, vel gemitu, vel fletu significantes per corpus. Deinde cum silentio magno reficiunt tantum quantum saluti necesse est, coercente unoquoque per parcimoniam concupiscentiæ gulam, ne gravetur cor eorum, vel in ea ipsa, quæ præsto sunt, parce et vilissime. Itaque non solum a carnibus et vino abstinent pro sufficientia domandarum libidinum, sed etiam ab omnibus, quæ ventris et gutturis provocant appetitum. Sane quidquid necessario victui superest ex operibus manuum et epularum restrictione, tanta cura egentibus distribuitur, ut nihil remaneat, quod superabundaverit. Ad cujus sanctæ militiæ propositum veniunt non solum liberi, sed etiam plerumque ex conditione servili, vel propter hoc potius liberandi. Veniunt quoque ex vita rustica, et opificum exercitatione, et ex plebeio labore tanto utique felicius, quanto fortius educati. Qui si non admittantur, grave delictum est. Multi enim ex eo numero viri magni, imitandique exstiterunt. Nam, propterea, et infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortia, et ignobilia elegit, ut confunderet sapientes et ignobilia mundi, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt evacuaret; ut non glorietur omnis caro coram Deo. Simili quoque modo exstant et cœnobia feminarum Deo sollicite et caste servientium, quæ habitaculis suis segregatæ, ac remotæ a viris quam longissime pia tantum sanctitatis charitate junguntur, et imitatione virtutis : ad quas nullus juvenum accessus est, neque ipsorum quamvis gravissimorum et probatissimorum virorum, nisi usque ad vestibulum necessaria præbendi, quibus indigent, gratia. His, quæ præsunt, singulæ gravissimæ ac probatissimæ non tantum instituendis mentibus, componendisque moribus, sed etiam instruendis peritæ atque paratæ. Lanificio etiam corpus exercent, atque sustentant, vestes ipsas monachis tradunt, ab his invicem, quod victui opus est sumentes. Hos mores, ac vitam, et hanc institutionem tenere videntur cœnobia virginum, sicut monachorum.*

Hæc de dictis Isidori excerpta interposuimus, ut evidens esse monstraremus, quam vere prædictum est in prophetia, quod plangant familiæ virorum *seorsum*, et *mulieres eorum seorsum. Omnes*, inquit, *familiæ reliquæ : familiæ, et familiæ seorsum, et mulieres eorum seorsum* (*Zach.* XII, 12). Nimirum istud propheticum præconium consonat Apostolo dicenti : *Reliquum est ut et qui habent uxores, tanquam non habentes sint, et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur, et qui gaudent, tanquam non gaudentes* (*I Cor.* VII, 31), etc. Ad hujusmodi planctum nos invitans ipse primogenitus, qui plangitur nunc occisus, dicit in Evangelio : *Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis* (*Luc.* VI, 21). Item : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V, 5). Item : *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis* (*Luc.* VI, 25). Est ergo necessarium super istum primogenitum, peccatis nostris exigentibus occisum, plangere nunc, ne ploremus in æternum. Qui enim rident modo, cum tempus est flendi, fle-

Digitized by Google

bunt sine spe consolationis, cum venerit tempus ridendi. *Flebunt* seorsum, separati videlicet a societate sanctorum angelorum et hominum : *et mulieres eorum seorsum*, quia non eis tunc vacabit in cubilibus et impudicitiis pollui et polluere, corrumpi et corrumpere, sed procul ab eis erunt mulieres, id est omnes illecebræ, omnes pompæ mundanarum deliciarum, quando plangent in tenebris, ubi erit fletus et stridor dentium. Quo contra sancti, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, ab illecebris videlicet carnalibus, nomine mulierum significatis, puri et sine macula inventi, tunc in æternis et cœlestibus deliciis jucundabuntur in thalamo cœlestium nuptiarum, ubi tota Ecclesia erit sponsa, et Christus erit sponsus procul inde pulsis non solum corruptoribus, et corruptricibus in sua turpitudine inventis, verum etiam fatuis virginibus olei defectum nimium tunc sero plangentibus. Flebunt autem, *et plangent sicut doleri solet in morte primogeniti*, qui vel nunc bene plangunt, vel in futuro pœnaliter plangent. Nam, sicut primogenitus plus omnibus filiis diligitur : sic ab eis, qui nunc bene plangunt, Christus primogenitus mortuorum super omnia diligitur : et ideo planctus eorum in die resurrectionis et dedicationis universalis *convertetur in gaudium*, et tunc *sacco* mortalitatis eorum *scisso circumdabuntur lætitia* immortalitatis et gloriæ, quando corpus eorum seminatum in contumelia surget in gloria. Quisque talium tunc in illa dedicatione poterit canere, quod hic in psalmo de dedicatione dicitur : *Convertisti planctum meum in gaudium mihi : conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia.*

Ut cantet tibi gloria mea, in qua surrexit corpus meum seminatum in contumelia : *ut non compungar*, quia *mors ultra non erit neque luctus, neque clamor* (*Apoc.* XXI, 4).

Domine, Deus meus, qui corpus meum sic dedicasti, ego in eodem corpore tanquam in templo tibi dedicato *in æternum confitebor tibi* sociatus angelicis choris te laudantibus, et separatus a spiritibus malignis, et hominibus plangentibus nunc nimium sero, quando eis ablato primogenito non erit spes de altero.

O Ariani, qui Christum Filium Dei primogenitum negastis, cum in illa dedicationis festivitate illum primogenitum cognoscetis, inconsolabiliter super ipsum primogenitum plangetis, quia illo reprobato alterum non invenietis : neque enim est alius extra illum primogenitum Dei Filius, in quo filiis adoptatis ulla sit salus. Deus Pater cum introducit hunc primogenitum in orbem terræ dicit : *Et adorent eum omnes angeli Dei* (*Hebr.* I, 6). Vos autem prædicastis illum esse creaturam, neque angelis, neque hominibus adorandum sicut Pater adoratur. Vos enim dixistis eum Patre minorem, neque ab illo gentium, sed factum. Nos autem genitum, non factum, consubstantialem Patri hunc primogenitum adoramus, atque una cum Patre adorandum, et colendum prædicamus, detestantes omnes errores paganorum, judæorum, hæreticorum, falsorum christianorum, huic primogenito contradicentium, vel non obedientium. O vos omnes, qui hunc primogenitum Rachelis, cum sitis vos filii Liæ vel ancillarum, non amatis, qui dominationi ejus invidetis, quique illum, quantum in vobis est, impeditis, ne regnet in mundo, cum adhuc tempus est fructuosæ pœnitentiæ, ad ipsum primogenitum redite jam dominantem in tota terra Ægypti, imo in cœlo et in terra juxta illud ipsius dictum : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII, 18). Plangite coram illo, quod in illum peccastis, et ille misertus vestri replebit saccos vestros frumento, ne fame pereatis priusquam ad ipsum perveniatis. Et quidem juxta modum culpæ vestræ sinet vos aliquandiu plangere, donec dicatis : *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum* primogenitum (*Gen.* XLII, 21). Sed tandem conscindet saccos vestros, adeo vos ditando, ut nullus vestrum indigeat sacco, et circumdabit vos lætitia dando singulis vestrum stolas decoras, quibus induti et ornati, atque jam a saccorum onere liberati positis exsultare, ita ut quisque vestrum dicat eidem primogenito : *Convertisti planctum meum in gaudium mihi : conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia ; ut cantet tibi gloria mea, et non compungar.* Quandoquidem et illud versum est in bonum, quod cogitatum fuit in malum, sicut tu bone Joseph, dixisti fratribus : *Vos cogitastis de me malum, et Deus vertit illud in bonum* (*Gen.* L, 20).

Domine, Deus meus, in æternum confitebor tibi. Hoc dicamus omnes et singuli, quia non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo danda est gloria, quod fame non perimus, quod saccos vacuos ad te portantes eosdem frumento plenos reportamus, quando te granum frumenti mysterialiter manducamus, quoadusque saccus mortalitatis nostræ conscindatur et jam non per mysterium in sacco habearis, sed sacco conscisso tu adeps frumenti saties in bonis desiderium nostrum.

Gloria Patri domum David festive dedicanti. primitus in fundamento resuscitato et glorificato primogenito mortuorum, deinde universaliter in generali mortuorum resurrectione ac bonorum glorificatione. *Gloria Filio*, qui in hoc psalmo laudat Patrem pro suæ domus dedicatione, in se jam dedicato, et in suis adhuc dedicandis. *Gloria Spiritui sancto*, cujus opus est hæc ipsa dedicatio. Nam, sicut Pater David in auro, argento, ære ac lapidibus pretiosis impensas ædificandæ domus filio suo Salomoni dedit, ac proinde ipsa domus, quam ædificavit Salomon filius, in hoc psalmo intitulata est domus David propter materiam et expensas ejus, quas præparavit David : sic Deus Pater de nihilo creans omnia, materiam et impensas præparavit, unde Filius ejus, æterna videlicet Sapientia, ædificavit sibi domum, cujus domus dedicatio recte attribuitur Spiritui sancto, qui hanc domum septem

Digitized by Google

columnis fulcit, septem lampadibus ante thronum Dei lucentibus ornat et illuminat, ipsumque hominem Deo Verbo unitum quasi aureum candelabrum septem lucernis exhibet coruscum ad dedicandam et illustrandam totam domum David, sanctam videlicet Ecclesiam, in qua sit *Gloria Patri*, qui materiam ejus per Verbum de nihilo creavit; *et Filio*, qui eam una cum Patre de præordinata materia ædificavit; *et Spiritui sancto*, qui eam nunc jam in fundamento dedicavit, et adhuc in fine totam dedicabit, sic scilicet, ut opus creationis, quod Patri est assignatum, non intelligatur a Filio et Spiritu sancto alienum, neque opus ædificantis Filii dubitetur, et opus esse Patris et Spiritus sancti, nec opus Spiritus sancti domum dedicantis alienum putetur a Patre ac Filio, quia, sicut Patris, et Filii, et Spiritus sancti substantia est inseparabilis, ita et opus eorum est inseparabile, licet in opere ipso discreto, ut præostensum est, notetur personarum discretio, ut in hac domus præparatione, ædificatione, dedicatione, vel sanctificatione. In cujus consideratione dicimus : *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto : sicut erat in principio*, quando domus hæc præordinabatur, *et nunc* est, cum ædificatur, *et erit* in sæcula sæculorum per æternum dedicationis ejus festum. Amen.

PSALMUS XXX.

In te, Domine, speravi. Titulus hujus psalmi est (Vers. 1) :

IN FINEM, PSALMUS DAVID PRO EXSTASI.

Pro *exstasi*, inquit, id est pro consideratione profundissimi intellectus David, id est Christi de reparatione humani generis, quam per mortem et resurrectionem suam disposuit, qui intellectus omnium creaturarum intellectum excedit, ita ut *exstasis* recte dici possit. Exstasis Græce, Latine dicitur *excessus*. Fit autem excessus mentis duobus modis : vel quando mens pavet terrena, vel quando cœlestibus intenta cætera obliviscitur, quæ communium negotiorum cura pertractat. In hoc autem *psalmo exstasis* maxime accipitur pavor populi Dei de gentium persecutione, et de fidei defectu turbati.

Primo, contra pavorem præmittitur spes et oratio, certitudo liberationis et gaudii. Secundo, enumerantur, quæ et quanta perturbant; ibi : *Miserere.* Contra quæ sequitur oratio ibi : *Eripe.* Tertia est, in qua quid intendit, aperit, exemplo sui nos admonens bene operari cum spe et dilectione; ibi : *Diligite.* Loquitur autem totus Christus. Et prima quidem conveniunt Redemptori. Deinde populus redemptus gratias agit; ibi : *Redemisti me.* Postea idem populus diu suam perturbationem enarrat in secunda parte. Circa finem vero, et in fine interponitur vox Prophetæ; ibi : *Quam magna.* Et ibi : *Diligite.*

Et attendendum quod propter tantam varietatem personam non mutat, sed quacunque capitis, aut membrorum mutatione dicit : *Ego, mei, me, mihi.* Et maxime mirum videtur, si unitas Christi et Ecclesiæ, quam fecit charitas, attendatur. Sicut enim lingua, quamvis in corpore sit alia pars, quam pes, tamen pedis suscipit vocem, quando pes dolet, non dicens : Calcas pedem, sed calcas me : sic Christus verba membrorum dignatur transfigurare in se, ut et nos verbis ejus loquamur. Inde est, quod morituro ex nostro, scilicet ex carne, quam habebat, nostram exstasim in se transformans, non in se, sed in nobis cœpit pavere. Fit igitur una persona caput et membra, Christus et Ecclesia. Sunt sponsus et sponsa duo in carne una. Ergo et in voce una. Secundum hanc unitatem dixit Christus : *Saule, Saule quid me persequeris* (*Act.* IX, 4). Non dixit : *meos*, sed *me*, cum tamen non illum, qui erat in cœlo, sed suos persequeretur in terra. Hanc quoque Isaias commendat, in quo loquitur Christus et ait : *Sicut sponso alligavit mihi mitram, et sicut sponsam ornavit me* (*Isa.* LXI, 10). Se unum in carne una dicit sponsum et sponsam voce una, quæ est : *mihi* et *me.*

Iste psalmus quartus est eorum, qui breviter de Passione et Resurrectione commemorant, in quo et martyrum humiliatio describitur et exaltatio, ut videns se nemo superbiat, videns misericordiam non paveat; incipit ergo in persona capitis, et ait :

VERS. 2. *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum.* Nam quod hæc illius verba sint, ipse orbi universo auditum et notum fecit clamando voce magna : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* (*Luc.* XXIII, 46). Ipse igitur est, qui secundum formam servi speravit in Dominum, ut non confunderetur in æternum, quemadmodum illum inimici confundere voluerunt, juxta quorum æstimationem *factus sum*, ait, *tanquam vas perditum, quoniam audivi vituperationem multorum*, verbi gratia dicentium (*Psal.* XXX, 13) : *Vah, qui destruis templum Dei, salvum fac temetipsum* (*Marc.* XV, 30). Igitur contra hujusmodi vituperationes inimicorum volentium illum confundere orat, et dicit : *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum :* nunquam *confundar*, dum insultabitur mihi habenti similitudinem carnis peccati.

Digitized by Google

In justitia tua libera me de morte. *Inclina ad me aurem tuam*, id est me humilem exaudi proximus mihi per verbum quod unitum est carni. *Accelera, ut eruas me*, id est non differas usque in finem sæculi me a peccatoribus segregare, et animas ab inferno eripere. Quod ut sit, *esto mihi in Deum protectorem, quoniam* tu es *fortitudo mea* ad tolerandos persecutores : *et refugium meum* ad derelinquendos in morte? *Et propter nomen tuum*, per me innotescendum in gentibus, *educes me*, vel dux mihi eris, id est per omnia sequar voluntatem tuam : *et enutries me*, paulatim aggregando mihi sanctos adimplebis corpus meum. *Educes me de laqueo*, vel de muscipula, *quam absconderunt mihi*, id est ab insidiis, quas occultaverunt mihi, *educes* suscitando, et ad superna elevando frustratis Judæorum consiliis. Unde jam ante Passionem *commendo spiritum meum in manus tuas*, id est tuæ potestati *commendo* cito recepturus eum. Hæc sunt verba, quæ in cruce dixit, unde docet se in hoc Psalmo locutum esse :

Redemisti me, etc. Hæc verba populo Passione redempto conveniunt. Non enim Redemptori, sed populo redempto dicere congruit : *Redemisti me.*

Possunt etiam præcedentia de eodem populo accipi, qui in *extasi* pavens, a spe tamen incipit ita : *O Domine, speravi in te*, non in me. Non est pavor sine misericordia, quia sperat humana natura : *Non confundar in æternum.* Non ait simpliciter : *Non confundar*, quia de peccatis ad horam confundi utile est; sed ait : *Non confundar in æternum.* Et, quia non statuo meam justitiam, in qua damnares, *in tua justia*, quæ est mea, a te data, *libera me.* Ecce oro,

Vers. 3. *Inclina ad me aurem tuam*, id est misericordiam : in mittendo Filium *accelera.* Significat se exauditum, sed moram timens in ipsius exauditionis effectu dicit : *Accelera ut eruas me* a peccatis. *Esto mihi in Deum protectorem*, id est protege, *et esto in domum refugii.* Servus ab irato domino fugit, ubi non est dominus suus; sed a Deo fugiens, quocunque divertat, Deum iratum invenit. Placatum vero invenit quicunque volens evadere Deum fugit ad ipsum. Ipse enim est *refugium* in domo, quæ est Ecclesia, in qua salvantur homines, sicut in arca Noe. Unde sequitur : *Ut salvum me facias.* Ideo autem te, non alium quæro :

Vers. 4. *Quoniam tu es*, non alius est *fortitudo mea, et refugium meum.* Et quidem non sum dignus ego, sed *propter nomen tuum*, ut scilicet glorificeris, *deduces me*, ne aberrem a te, *et enutries me.* Unus est cibus, quem et pater et mater trajicit in carnem, et factum lac parvulus accipit, qui est accepturus in mensa. Sic Dominus ut suam sapientiam nobis faceret lac, indutus est carne et hoc lacte nutrit nos, ut tandem escam validi, qua pascuntur angeli, manducemus.

Vers. 5. *Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi.* Hic affirmat liberationem. *Laqueum* vocat duas portas, per quas diabolus tentat, quæ sunt cupiditas et timor. Per cupiditatis portam prius tentavit Dominum tribus modis, scilicet gula, avaritia, vana gloria. Qua porta clausa tentavit per timorem Passionis. Per easdem portas tentat omnes homines, ideo totum corpus dicit : *Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi*, Christo dicentes : *Magister, scimus, quia verax es, et viam Dei in veritate doces* (*Marc.* xii, 14). Talia quippe dicendo mihi *laqueum absconderunt*, ut si negarem tributa Cæsari danda, inde me accusarent quasi Cæsaris adversarium, et inimicum Romani imperii. Si autem danda concederem, quasi contra libertatem et nobilitatem peculiaris Dei populi docens offensam incarrerem. At ego eductus sum de hoc laqueo dicens : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.* Item, cum ad me duxissent mulierem in adulterio deprehensam, *laqueum* talem *absconderunt* mihi, ut si eam lapidandam dicerem secundum legis austeritatem, divulgatam de me misericordiæ famam perderem. Si autem eam defenderem, quasi legis transgressor famam justitiæ perderem. Sed tu, Deus Pater, *eduxisti me de hoc laqueo, quem absconderunt mihi.* Dixi enim : *Qui sine peccato est vestrum, primus in illum lapidem mittat.* Et ad ipsam mulierem dixi : *Nemo te condemnavit, mulier?* Et illa : *Nemo, Domine. Nec ego te*, inquam, *condemnabo : vade, et amplius jam noli peccare* (*Joan.* viii, 7 et seq.). Sic loquendo, et sic faciendo eductus sum de laqueo eorum, neque in Cæsarem, neque in Deum peccando, pariterque justitiam, et misericordiam servando. Nam quod dixi : *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari*, a Cæsaris offensa me custodivit, quod dixit : *quæ Dei sunt, Deo* (*Marc.* xii, 17), a Dei offensa liberum exhibuit. Item quod dixi ad mulierem : *Nemo te condemnavit, mulier? nec ego te condemnabo*, misericordiæ præconium fuit, quæ inter me misericordem et illam miseram mediatrix et conciliatrix erat : quod autem dixi Judæis : *Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat*, itemque quod mulieri dixi : *Amplius noli peccare*, justitiæ fuit enuntiatio, quæ non aliter indulget peccata præterita, nisi de ipsis doleatur, et de futuris cautela teneatur. Sic *laqueus* insidiantium mihi contritus est, et ego justus comparui tam erga Cæsarem quam erga Deum, pariterque inventus sum justus et misericors. Nec mirum quod ego *laqueos* eorum evasi. Si enim *frustra jacitur rete ante oculos pennatorum* (*Prov.* i, 17), quanto magis ante oculos aquilæ acutius videntis? Ego autem sum aquila, et electi mei ante ac retro sunt oculati et undique pennati. Unde, tu Pater, qui *educes me* ipsum *de laqueo*, etiam eos, qui mei sunt, vel erunt, *educes de laqueo.*

In Hebræo legitur : *Et educes me de rete, quod absconderunt mihi.* Itaque sive *rete*, sive *laqueum* illi absconderunt. Sed tu, qui vides omnia, et omnia, quæ vis, potes, *educes me*, ac meos *de laqueo* sive *de*

Digitized by Google

reti abscondito coram oculis humanis non coram oculis divinis, quibus meos ita oculabis, ut scientes reddere Cæsari, quæ Cæsaris sunt, et quæ sunt Dei Deo, non admittant contra se justæ accusationis occasionem in prætoriis, vel conciliis : itemque scientes conservare justitiam cum misericordia prudentes ut serpentes, simplices ut columbæ inveniantur, quatenus et justam severitatem, ne crudelis fiat, misericordia condiat, et piam misericordiam, ne remissa fiat, justitiæ zelus accendat, atque ita sint liberi tam, e laqueo nimiæ crudelitatis homines odientis, quam a laqueo nimiæ pietatis vitia hominum fovents. In illis enim sicut semper parata est justa severitas ad ulciscendum quod perperam geritur, sic pia charitas optat non inveniri quod juste debeat puniri.

Etiam in fovendis vel castigandis propriis corporibus illis interdum laqueus, vel rete ponitur, ut aut per nimiam austeritatem castigando carnis petulantiam debilitent ipsam carnis naturam, aut per nimiam condescensionem fovendo carnis naturam foveant quoque pariter ipsius petulantiam. Sed tu *educes me*, ac meos, *de* ancipiti hoc *laqueo*, *quem absconderunt mihi* diabolus et homines. Nam diabolus blanditiis in deserto me provocavit ad nimiam carnis condescensionem, tentans de gula : postmodum per homines tentatus sum de austeritate nimia, porrecto mihi vino acido cum felle misto. Sed ego et diaboli panem suggerentis detestatus blandimentum, et hominum fel porrigentium exsecratus machinamentum docui ab utroque laqueo meis cavendum, et per medium blandimentorum et austeritatum sic incedendum, ut neque prosperis demulcentibus fiat homo remissus, neque amans irritantibus fiat acediosus. Taliter per victoriam tentationis meæ *tu*, Pater, placatus et propitiatus, *quoniam tu es* in eisdem tentationibus *protector meus*, *educes* meos *de laqueo* tentationum, quarum victor ego pro eis offero tibi *spiritum meum*, dicens :

Vers. 6. *In manus tuas commendo spiritum meum*, id est animam meam, de qua dictum est in propheta : *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur* (*Isa.* LIII, 10). Igitur propter semen longævum de me grano in terram projecto proventurum, et propter voluntatem tuam, Domine, in manu mea dirigendam, ego nunc pro peccato meorum abolendo in cruce pono animam meam, et *in manus tuas*, Pater, *commendo spiritum meum*, id est ipsam animam meam, sciens quod cum lucro longævi seminis cito ad corpus meum remittes eam, spoliatis primo per eam inferis, multisque animabus inde liberatis. Imo ego pono eam, et iterum sumo eam : pono eam nunc in tuæ commendationis sinum, et inde iterum sumo eam peracta Redemptione totius Ecclesiæ meæ, quæ tibi accepta Redemptionis gratia dicit in gratiarum actione : *Redemisti me, Domine, Deus veritatis. Ecce enim veritatem dilexisti* (*Psal.* L, 8), in eo ipso quod me redemisti, sicut veraciter locutus es ad patres nostros, quibus absque mendacio promisisti, quod mihi Ecclesiæ absque dolo exhibuisti. Promisisti veraciter, exhibuisti efficaciter, propterea in ista gratiarum actione voco te Deum veritatis, quia nisi constans in veritate fuisses, redemptionem promissam non misisses, qui tot peccatis fuisti irritatus hominum, servorum tuorum, ut pro ipsis redimendis minime Filius dilectissimus daretur, nisi veritas promittentis ad hoc suffragaretur.

Notandum tamen quod sic servatur ista promissionis veritas, ut ab ea destruatur contrariæ promissionis vanitas. Sicut enim verum est quod verax Deus promisit homini obedienti, dicens ad Abraham post exhibitam obedientiam : *In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ* (*Gen.* XXII, 18) : sic falsum est, et omnino vanum, quod diabolus ab initio mendax, et pater mendacii promisit inobedientibus, dicens : *Eritis sicut dii* (*Gen.* III, 5). Hujus falsæ promissionis vanitatem usque adeo quidam observant, ut in sua licet inobedientia permanentes, tamen arbitrentur esse se æquales diis, id est hominibus piis et sanctis. Multo rectius isti facerent, si cum filio prodigo a vanitate ad veritatem redirent, et veraci confessione dicerent : *Pater, peccavi in cœlum, et coram te; jam non sum dignus vocari filius tuus* (*Luc.* XV, 18, 19), jam non dignus associari sanctis tuis, quibus dicis : *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes* (*Psal.* LXXXI, 6). Si sic veraci confessione dicerent, et ulterius obedire parati essent, veritas liberaret eos. Nunc autem nimis exosam habentes veræ confessionis et in futurum bonæ sponsionis veritatem, diligunt vanitatem, et falsitatem vana spe Divinitatis illos decipientem, dicente illis diabolo : Facite quod suadeo, comedite vetitum, id est committite peccatum vobis interdictum, et per multam Dei misericordiam vos tandem circa finem vitæ conversi *eritis sicut dii :* vel, Deo dissimulante vestram iniquitatem propter insitam vobis fragilitatem, *eritis sicut dii*, sanctis videlicet et castis, ac religiosis hominibus assimilandi. Non enim tam crudelis est Deus, ut perdat multitudinem hominum in peccatis jacentium, et in ipsis morientium. Talia serpentis vanitatem insibilantis fallentia susurria libenter interdum accipit et observat fragilitas humana, quasi decepta femina. Sed novus Adam non audit eam, quia ipse est ipsa Veritas, cui exosa est vanitas et falsitas. Et tu Deus verax, Pater veritatis in ipso Filio tuo, et in omnibus membris ipsius eamdem vanitatem respuis, eamque diligentes tu non diligis, quod probatur a contrario, quoniam, cum sint contraria odium et dilectio, usque adeo dilectores vanitatis non diligis, ut etiam odio habeas eos. Tibi enim vere dicitur :

Vers. 7. *Odisti observantes vanitates supervacue.* Poterat utcunque tolerari, si homo vanitati similis in se habens vanitatem non observaret, vel defenderet eam. Ideo non dico tibi, *Deus veritatis*, quod odio habeas illos, qui habent vanitates. Quis

Digitized by Google

est enim homo filius hominum, de quibus dicitur : *Universa vanitas omnis homo vivens* (*Psal.* xxxviii, 6), qui non ex aliqua parte careat veritate, illusus a vanitate? Verumtamen ubi *vanitati creatura subjecta est non volens* (*Rom.* viii, 20), ibi vanitas non observatur vel amatur, quoniam talis creatura sub vanitatis gravamine ingemiscit, et parturit fructum *veritatis* etiam per usum ipsius vanitatis, qua utuntur in bonum omnes, qui ei non consentiunt ad malum. Unde adhuc illud sane concedi potest, ut vanitatem quis observet, quam etsi malam non ignoret, usus tamen ipsius utilis vel necessarius sibi constet : sicut stimulus carnis, cum sit magna pars mundanæ vanitatis, tamen quoniam Paulo apostolo fuit utilis, ipse tandem edoctus est illum observare, ac portare quoadusque quasi cauterio quodam illius vanitatis vitium sanaretur habilitatis ad extollentiam propter revelationem veritatis. Nisi datis primitiis *veritatis* remansissent in Apostolo adhuc adolescente quædam reliquiæ vanitatis ad custodiam humilitatis, non utique dixisset : *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ*, etc. (*II Cor.* xii, 7.) Vanitati ergo subjectus erat Apostolus certe non volens, neque *supervacue*, sed exigente necessitate pro conservanda humilitate. Credendum vero est absque dubio consummatum postea in humilitate Apostolum non eguisse hoc stimulo, sed in magna libertate dixisse : *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Gal.* ii, 20). Verissime igitur atque cautissime dictum est tibi *Deus veritatis : Odisti observantes vanitates supervacue*, quoniam illi *supervacue observant vanitatem*, qui non diligunt veritatem.

Est autem veritas in rebus, quæ manent, ut est Pater et Filius et Spiritus sanctus, unus Deus, et virtutes, quæ in illo tanquam in fonte stant et manent, atque inde in electam rationabilem creaturam quasi rivos et radios extendunt, sicut ipsi fatentur, qui vera et humili confessione dicunt : *Domine, apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen* (*Psal.* xxxv, 10). Vanitas vero est in rebus, quæ non manent, sed inter manus volentium tenere penitus evanescunt, et deficiunt, ut omnes illecebræ mundanæ, quia *mundus transibit, et concupiscentia ejus* (*I Joan.* ii, 17). Cum enim sit *omnis caro fenum, et omnis gloria carnis quasi flos feni* (*Isa.* xl, 6). absque dubio in brevi arescet fenum, et flos ejus cadet : *Verbum autem Domini manet in æternum*, hoc est Verbum, de quo ait Joannes apostolus : *Quod vidimus, et audivimus, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ, et vita manifestata est.* (*I Joan.* i, 1.) Contrectemus, adjuvante gratia ipsius, et nos illud verbum quasi margaritam solidam, contrectemus meditando, legendo, discendo, docendo, et maxime orando, innitamur illi tanquam fundamento solidissimo, et nunquam casuro, quia verbum Domini manet in æternum. Videamus quid hoc verbum promittat, et cui promittat, perspiciamus quid promittat, et quid præcipiat, atque tunc demum firmissime speremus promissum, cum diligamus præceptum. Solis enim præcepti sui amatoribus ipse Deus in præmium est promissus. Si enim præcepta ejus negligimus, et promissa speramus, frustra *vanitatem observamus*. Vanitatem, inquam, non veritatem, quia spem tenemus inanem, non de veritate Verbi manentis in æternum conceptam, sed aliunde menti vanitatis amanti afflatam. Propterea tu, Domine, *odisti omnes observantes vanitates supervacue*, quia non solum vacue, sed et *supervacue* vita speratur, ubi veritas non solum non promittit vitam, sed insuper minatur mortem æternam.

Ego autem in Domino speravi. Ego redemptus populus, qui nuper dixi : *Redemisti me, Domine Deus veritatis*, veritatem diligendo, et vanitatem illi oppositam respuendo *in Domino speravi*, quem scio non posse mentiri. Namque ut cætera ejus dicta taceam, in quibus omnibus gaudeo esse veritatem solidam, unum ejus dictum penso, in cujus veritate spem multam habeo. Dictum hoc tale est : *Dimittite, et dimittetur vobis : date, et dabitur vobis* (*Luc.* vi, 37). Dimittam ergo vindictam, et dabo veniam cunctis me offendentibus, et in Domini veritate sperans ero securus, quod et mihi dimittatur, sicut dimitto, et detur, sicut do. De hac fortasse aliqui dubitant : *Ego autem in Domino speravi*, qui non potest mentiri. Sed quia sine misericordia veritas mihi esset severitas, ego magis *exsultabo et lætabor in misericordia tua*, quæ veritati comes est individua. *Exsultare* est cum magna animi alacritate corporis gestu gaudium mentis prodere. *Lætari* est temperata mentis affectione mulceri. Est ergo mihi causa magna exsultandi, et lætandi super misericordiam tuam.

Quoniam respexisti humilitatem meam. Magnum fuit quod videns vidisti afflictionem populi tui, qui erat in Ægypto, et descendisti liberare eum. Sed multo majus est, quod nunc *respexisti humilitatem meam* tali respectione, ut per illam expietur superbia veteris hominis, quem cum sua posteritate jure despexisti tu, qui superbis resistis. In eo enim, quod dico : *respexisti*, non : aspexisti, noto, faciem tuam fuisse aversam propter odiosam tibi superbiam. Sed ego Christus humiliavi me ipsum factus obediens tibi Patri usque ad mortem, mortem autem crucis, in qua pendens dixi : *In manus tuas commendo spiritum meum.* Provocavi etiam alios ad discendum a me, quia mitis sum et humilis corde, atque expiata hominum superbia per meam humilitatem tu *respexisti humilitatem meam;* et *salvasti de necessitatibus animam meam.* Non dico : *de necessitatibus meis*, quia necessitates humanas dormiendi, comedendi, bibendi, et alia hujusmodi nulla mea necessitate, sed spontanea voluntate ac potestate sustinuit anima mea, id est, vita mea usque ad horam illam, qua dixi : *Pater, in manus tuas commendo*

Digitized by Google

spiritum meum; et tu statim exaudiendo suscepisti spiritum meum, id est, *animam meam*, ita ut extunc omnino careat mortalis vitæ necessitatibus, quas propterea præter peccatum tulit anima mea in corpore mortali, ut eas destrueret, ne ullatenus essent in corpore immortali omnium mihi commorientium, et conresurgentium. Nam cæteri homines, qui non sunt complantati similitudini mortis et resurrectionis meæ, passiones humanarum necessitudinum habebunt etiam post mortem, sive in pœnis nondum receptis corporibus, ut anima divitis guttam aquæ sitiens, licet extra corpus ardens, et illi, quorum juxta vaticinium Scripturarum in inferno post judicium vox illa est : quando rursum vina reperiam? et quibus dicitur in Evangelio : *Væ vobis, qui saturati estis nunc, quia esurietis.* (*Luc.* VI, 25.) Omnis autem *anima mea*, quæ animæ meæ conformata in carne mortali efficitur mea, post mortem efficitur a necessitatibus humanæ possibilitatis omnino libera, per hoc scilicet, quod anima mea his necessitatibus erat subdita volens, cum quæreret creaturam, quæ necessitatum talium vanitati subjecta erat non volens. Ergo non tantum pro *anima*, et spiritu meo, quem *in manus tuas* commendavi, sed etiam pro qualibet anima eidem spiritui per fidem, per humilitatem, per charitatem et per mansuetudinem conformata in gratiarum actione dico : *Quoniam respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus animam meam.*

Aliter : Ego populus redemptus, qui superius dixi : *Redemisti me, Domine, Deus veritatis*, etiam nunc ago gratias, quia sentio me salvatum partim in spe, partim in re, de multis necessitatibus, quibus fragilitas humana subjacens clamat in alio psalmo : *De necessitatibus meis eripe me, Domine.* Sunt autem necessitates multæ, quas in hac vita omnino caveri est inevitabile, sicut est cor alterius suspicari non bene de bono, vel bene de non bono, nescire, qualis erit cras vita tua vel aliena, mori contra voluntatem, velle bonum quod non possis, urgeri ad malum quod nolis, difficulter ascendere ad bonæ vitæ novitatem, facile descendere, ac sequi veterem peccandi consuetudinem, ad quam si quis trahitur lege membrorum captivante, quæ legi mentis repugnat, clamet humiliter ac suppliciter : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII, 24.) Et sic humilis liberabitur, et salvabitur, poteritque tibi, Deus, dicere in gratiarum actione : Gratias tibi ago, Domine : *Quoniam respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus animam meam.*

Necessitas etiam timoris cogebat animam servire sub lege, ac sustinere grave jugum cæremoniarum, *quod neque nos*, ait Petrus, *neque patres nostri portare potuimus.* (*Act.* XV, 10.) Nunc autem ab hujusmodi necessitatibus liberati audimus apostolum Paulum nobis dicentem : *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba* (*Pater*) (*Rom.* VIII, 15). In ipso ergo spiritu filiationis quisque nostrum vel appropinquans ad exitum, vel etiam cum se ponit dormitum, dicat : Pater, *in manus tuas commendo spiritum meum ; redemisti me, Domine Deus veritatis* : qui ut servum redimeres, Filium tradidisti, sicut veraciter in Scripturis promisisti : per ipsum quoque *salvasti de necessitatibus* legalium observationum *animam meam*, faciens eam liberam, semperque in promptu habentur sacrificia, quæ offerat, quæ cum prius non posset habere, culpis gravabatur interdum, vellet, nollet. Si enim pro peccato suo quis debuit offerre tunc hircum, et non potuit habere illum, seu vitulum, seu agnum, seu turtures, vel pullos columbarum, sive de simila coctum sacrificium, vel olei sextarium, tandiu reus tenebatur, quandiu habere non potuit, quod pro peccato tali, vel tali offerendum fuit. Nunc autem cessantibus hujusmodi necessitatibus, post peccatum si pœnitet, in omni loco, in omni tempore, sacrificium acceptabile persolvere potes, tantummodo cures habere spiritum tuum talem, de quo dicere valeas : *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.* Hic spiritus tuus, si fuerit innocens, et pius, acceptabilior est agno legali; si fuerit absque felle amaritudinis in dulcedine fraternæ dilectionis, acceptior est pullis columbarum : si fuerit amator castitatis, vel de castitate amissa luctuosus, acceptior est castis et luctuosis turturibus : vitulum quoque in se mactavit, si fastum cervicosæ superbiæ superavit; hircum immolavit in se mortificata omni libidine prava. Talium sacrificiorum si homo habet copiam, poterit per singula dicere : *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*, quem tu digneris habere sacrificium acceptabile, pro innocentia quasi agnum, pro simplicitate quasi columbam, pro castitate vel pœnitentia quasi turturem, pro puritate quasi similam, pro misericordia quasi olei sextarium sex operibus misericordiæ refertum et coagitatum et supereffluentem, quando major est miserendi voluntas quam facultas. *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*, quoniam de necessitatibus persolvendi carnales hostias tu *salvasti animam meam*, qui pro multis hostiis accepisti unam in crucis ara tibi, Pater, immolatam, quæque adhuc immolatur quotidie in sancto altari, cujus assistens ego redemptus, et a necessitatibus legis liberatus tantummodo spiritum meum offero, et dico : *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*, quia *in me*, non extra me, *sunt, Deus, vota tua, quæ reddam tibi* (*Psal.* CXV, 14.) ego Ecclesia, ego populus redemptus et salvatus a legis necessitatibus, mancipatus vero sacrificiis melioribus et facilioribus. Unde quidam tam scolastico, quam ecclesiastico sensu de his loquens metrice inter cætera dixit :

Quidquid enim fit in Ecclesia, tantummodo prosit
Moribus, aut fiaei, victima grata Deo est.
Offerimus vitulos linguæ, mactamus et hircum,
Solvimus in cineres thus, oviumque virum.

Digitized by Google

Dum canimus, vel dum legimus, quod prava refrenet,
Quod populum, quod nos ad meliora vocet :
Tunc etiam vitulus, tunc sacrificatur et hircus,
Cum fastum calcas, luxuriamque premis.
Agnus ab innocuis, a simplicibusque columba,
Turtur ab his, qui flent, præmia summa procul.
In clibano coctos panes altaribus offers,
Si robur mentis nulla flagella movent.
Conspersos oleo si vis, pietas moderetur.
Inque reos infra, quam liceat, libeat.
Non fermentatos, si mens tibi purior adsit,
Excoquat et carnis fluxa supernus amor.
Offers et similam, si quos diviserat error,
Colligis, inque fidem jungis, idemque facis.
Hos catechizans molis in baptismate mergis,
Unis informans aspera ferre coquis.
Sic eadem, moresque docent, Christumque figurant.
Sic geminos usus cætera legis habent.

Cum ergo veterum sacrificiorum sit ablata necessitas, et sit novæ gratiæ libertas, dicant nunc qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici, dicant omnes, et dicant singuli suo Redemptori : *Salvasti de necessitatibus animam meam.*

VERS. 9. *Nec conclusisti me in manibus inimici*, in potestate vel cupiditate vitæ illaqueantis, vel timore mortis me constringente; sed ab angustiis mortis liberando *statuisti in loco spatioso pedes meos*, id est gressus justitiæ meæ. Non enim accepi spiritum servitutis iterum in timore angustiante, sed ablato jugo timoris gressum fecisti mihi facilem in lata via charitatis, qui quandoque fuit difficilis in angustia servilis timoris, in quo erat etiam terror mortis, nondum cognita gloria Resurrectionis. Nunc autem ex quo Christi spiritus in manus Patris commendatus ab eodem Patre ad corpus reductus manifestavit gloriam Resurrectionis transactæ in Christo, futuræ autem in toto corpore suo, timor mortis non angustiat, sed spes magis dilatat viam justitiæ, qua etiam per mille pericula mortium eundum est in *locum spatiosum*, id est in paradisum, sive in patriam virtutum, in charitatis latitudinem, quæ est regio beatorum, et liber locus a potestate diaboli, in quo *loco spatioso statuisti pedes meos.* Illi enim in terra solida fixa est anchora spei meæ, illuc attingit funis navis meæ. Unde propter certitudinem rei futuræ dico quod jam *statuisti in loco spatioso*, id est in cœlesti paradiso *pedes meos.*

Ipsa quoque sancta catholica Ecclesia per orbem terrarum dilatata est mihi *locus spatiosus* ad manendum in ea, sive currendum in ea usque ad bravium supernæ vocationis. Curritur autem in ea non gressibus pedum, sed gressibus morum ad illud bravium. Et in illo cursu sciendum est a quo, cum quo, ad quem curratur. *Omnes enim currunt, sed unus* ille *accipit bravium* (*I Cor.* IX, 24), qui ab hoc mundo currit festinanter avertens amorem suum ab eo, et cum proximo currit socialiter copulans amorem suum cum eo, quem pariter secum recognoscit fugere de mundo. Sic autem a mundo cum proximo fugientem et currentem *in loco spatioso*, in hujus vitæ stadio, quis locus tutus accipiat nisi ad solum A Deum charitatis cursu tendat, atque illi dicat : *Esto mihi in Deum protectorem et in locum munitum, ut salvum me facias?* Ad quem cum pervenerit veraciter et efficaciter, cantare poterit : *Statuisti in loco spatioso pedes meos.* Nunc autem antequam ad hunc locum perveniatur, dum et mundus, a quo curreus fugio, quasi alter Pharao post tergum sequitur et persequitur, et proximus, cum quo socialiter currere volo, interdum est mihi adversarius in via traditurus me judici, nisi concordem illi, præsertim bene currenti; et locus æternæ stationis ad quem fugio dum interdum creditur fieri prope, fit longe.

VERS. 10. *Miserere mei, Domine, quoniam tribulor.* Ego Ecclesia in capite quidem jam glorificato, B et quibusdam membris una secum glorificatis jam sto *in loco spatioso* sed in infirmis membris meis diversis angustiis *tribulor*, timens ne mundus aut blandiens me vel meos alliciat, aut persequens comprehendat, timens etiam ne socius viæ meæ discordans a me tradat me judici, nisi concordavero illi aut amando aut imitando illum, si bonus est, aut miserando et orationibus adjuvando, si necdum bonus est. Insuper etiam illum timeo, ad quem vado, ne forte in ejus judicio reprobus inveniar; a terge timor, ex latere timor, ante faciem timor. Timor mundi persequentis, timor proximi comitantis, timor Dei ad se vocantis. Timor iste tam multiplex adeo tribulat et anxiat me, ut compellar dicere : *Miserere mei, Domine, quoniam tribulor*, maxime in C infirmis meis necdum in charitatis pace firmatis. Pacem enim habentibus in animo suo spatiosus est locus, sed rixarum angustias habentibus arcta est via, quæ amantibus est lata. Est ergo nunc tempus miserendi, quoniam tribulor propter multas causas, quas enumerans dico : *quoniam tribulor*, non quoniam morior, quia non jam de morte quæ in causa justitiæ optabilis esset, sed negata mihi morte et cruciatibus terreor : adeo *conturbatus est in ira* oculus, vel mea *oculus meus.*

Oculus est oratio quæ in Deum intendit. Hic in *ira* Dei, qua permittit sanctos affligi, turbatur. *Anima mea* etiam, quæ quasi in ventre escas, ita in memoria rerum tenet notitias, tenet etiam quanta D pro nobis passus est Christus, et quæ fidelibus suis promiserit, ipsa *in ira turbatur.* Vel *anima* sensualitas est, *venter* caro, quæ in tribulatione turbantur. Vel *oculus*, scilicet hi per quos alii vident : *anima*, quorum exemplo alii vivunt; *venter* infirmi in Ecclesia, *in ira* persecutorum turbantur. Vel *in ira* tua, quæ per zelum de peccatis palearum est non exstinctus, *sed conturbatus est oculus meus.* Vel levis *ira* mente concussa et turbata dissipat contemplationem, quæ non est nisi in mente quieta; quæ vero longa est, et crescit in odium, non zelum, sed judicium damnationis habet, quo mentis oculus excæcatur. Per *animam* et *ventrem* interiora possunt accipi, quæ turbantur quando videntes impios non posse corripi intus irascimur, palam vero clamare

Digitized by Google

non licet. Ipse etiam Christus turbatus est, ne sancti in tribulationibus turbati desperent.

Vers. 11. *Quoniam defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus. Vita* justorum, qui dissolvi cupiunt et esse cum Christo, nisi propter alios manere in carne necessarium esset, *vita*, inquam, illorum est profectus aliorum. Unde Apostolus : *Nunc vivimus, si vos statis in Domino* (*I Thess.* III, 8). His ergo non proficientibus, propter quos vivitur *vita* justorum, *deficit in dolore*, et recte dicit quisque illorum, *Quoniam defecit in dolore vita mea.* Vel *vita* est Dominum confiteri, et confessio Domini *defecit in dolore.* Vel ad litteram : *vita* deficit *in dolore*, id est virtus animi infirmatur tormentis, ita ut tædeat etiam vivere ; quia humana fragilitas nihil boni habet in se. *Et anni mei*, tempora vitæ hujus, non morte tolluntur, sed sunt *in gemitibus* pro continuis cruciatibus, vel abundante iniquitate, cum clamare non licet, *anni mei* sunt *in* occultis *gemitibus. Infirmata est in paupertate virtus mea*, vel in egestate vigor meus. Eget sanitate corpus, nec parcitur cruciatibus ; eget resolutione, et parcitur morti, et de hoc dico : *Infirmata est virtus mea*, id est fiducia mea. Vel *in paupertate* aliorum ; quia refrigesceet charitas multorum, *infirmata est virtus mea, et ossa mea*, id est fortes, qui persecutionibus non turbantur, conturbata sunt tantum in iniquitatibus fratrum.

Vers. 12. *Super omnes inimicos meos*, id est plusquam iniqui, qui juste pro sceleribus usque ad confessionem torquentur, *factus sum opprobrium*, vel factus sum opprobrium valde pro inimicis, qui sunt super omnes inimicos meos, id est pro falsis Christianis et hypocritis, qui sunt deteriores paganis et Judæis atque publicanis, quos hypocritas Ezechiel comparat sarmentis de vite præcisis, quæ deteriora sunt silvestribus lignis (*Ezech.* XV, 2). Et quidem meliora sunt sarmenta in vite manentia et facientia fructum, sed præcisa solus ignis exspectat. Silvestria vero etiam præcisa sunt utilia, quia possunt venire in fabricam. Quibus autem propter falsos Christianos Ecclesia fiat *opprobrium* determinat dicens : *Vicinis meis*, id est volentibus credere, et jam proximis fidei, sed deterriti sunt mala vita gravantium navem. Vel *vicinis*, parentibus. Et *factus sum* etiam *timor notis meis*, quibus exemplo horribili tribulationibus timorem incussi, vel illis de quibus bene sperabatur, cadentibus in scelera. *Timor factus sum notis meis*, id est in dubium veni familiaribus meis, qui timent, ne omnes mei tales sint. *Qui vident me*, id est qui noverunt quid sit Ecclesia, et quæ spes mea invisibilis, *fugerunt a me* foras ad visibilia, vel ad facienda schismata et hæreses.

Vers. 13. *Oblivioni datus sum* ab illis, tanquam sim *mortuus a corde* eorum ; vivens autem ego usibus Domini *factus sum tanquam vas perditum*, id est visus sum mihi periisse nullum lucrifaciens, vel acquisitos non retinens. Hoc autem ideo dico : *Quoniam audivi vituperationem multorum in circuitu*, id est in appetitu temporalium.

Aliter : *Oblivioni datus sum tanquam mortuus a corde.* Ego quidem *factus sum opprobrium vicinis meis valde, et timor notis meis ;* atque inde pulsabat cor meum quædam ad tempus recordatio de me ipso, quasi non essem dignus tantis opprobriis coram *vicinis et notis meis.* Cum sic in me ipso tabescerem, subito visitante gratia Dei memor fui Dei, et delectatus sum, atque mei oblitus præ dulcedine memoriæ Dei *oblivioni datus sum tanquam mortuus a corde*, id est propria voluntate, qua mortificata in me *factus sum tanquam vas perditum* nihil esse arbitrans me ipsum, præcipue fugiens ambitiones dignitatum, propterea,

Vers. 14. *Quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu*, id est in Scripturis audivi eos vituperari, qui ambiunt in terrenis ditari et honestari, atque tali ambitione *commorantur in circuitu* ad modum rotæ volubilis in anterioribus cadentes, in posterioribus vero ascendentes, vel potius ascendere se somniantes. Propter tales quosdam vituperantur omnes Christiani, quorum vituperatores circumeunt Ecclesiam, et non intrant, quia et ipsi rotam temporalium amant, et dum in eo vituperio *convenerunt simul adversum me*, conciliati sunt *accipere animam* meam, ad vitam scilicet, ut non sinerent mori, quod tamen magis vellem. Vel *conciliati* sunt abjicere me ab Ecclesia, et *accipere in eo*, id est in suo circuitu, *animam meam*, id est meum consensum.

Aliter. *Qui videbant me*, Christum, *foris*, id est purum hominem, *fugerunt a me* non intelligentes in homine latentem Divinitatem. Ipsi *foras fugerunt a me*, et excidi ab eis tanquam mortuus excidit a corde hominum, qui cum corpore memoriam quoque sepeliunt. *Factus sum tanquam vas perditum ;* quia mortuus abjiciendus existimor ; quoniam audivi *vituperationem multorum* Judæorum *commorantium in circuitu*, id est errantium extra in lege circa carnalia, et spiritualiter non intelligentium punctum veritatis. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* II, 8). Occiderunt autem ex consilio, quod est : *In eo, dum convenirent simul adversum me*, etc. Ita illi *consiliati sunt.*

Vers. 15. *Ego autem* Christus sciens quia potestas talium nulla est, *in te speravi*, Pater, etc. Vel ego Ecclesia intelligens non esse sperandum in homine, *speravi in te, Domine, et dixi*, quia tu, qui es immutabilis, *es Deus meus*, qui salvum facies, quem emendas, et

Vers. 16. *In manibus tuis sortes meæ*, id est, in potestate tua, non hominum meritis sunt *sortes meæ*. Quærendum est cur in legibus ecclesiasticis sortibus uti prohibeamur, cum sortibus legatur usus Josue in distributione terræ. Ad quod respondetur : Homicidium lege prohibitum est, et tamen cum sinente Deo quis occiditur, contra legem non peccatur, quia Deus non sub lege, sed supra legem.

Digitized by Google

est. Similiter cum, Domino permittente, sortibus utebatur Josue, per sinentis auctoritatem defenditur. Apostoli quoque Spiritu sancto latenter suggerente per sortes elegerunt Mathiam ante Pentecosten (*Act.* I. 26). Sed tunc plenius illuminati in electione Stephani, et aliorum diaconorum non quæsieruut indicia sortium, quod eis antea quasi minus perfectis fuerat concessum. Similiter audientes quia Samaria recepisset verbum Dei, miserunt Petrum et Joannem non per sortium electionem, sed per divinam auctoritatem consentiente Scriptura, quod gentilitas esset convertenda. Quia ergo legis umbra transivit, et lumen verum jam lucet, non sortium sed Scripturarum testimoniis et indiciis dirigenda est qualitas humanæ conversationis in rebus dubiis.

Hic objicitur, quod sanctus Augustinus dicit: *Sors non est aliquid mali, sed est gratia, quæ sine meritis, quos vult, eligit, et in humana dubitatione divinam indicat voluntatem* (63). Ad quod respondemus: Nec arboris in paradiso interdicta fuit mala; sed malum fuit homini interdictum transgredi. Similiter de sortibus dicendum est. In hoc autem loco dicente Psalmista: *In manibus tuis sortes meæ*, sensus hic est: Quamvis justus et occultus electionis ordo apud te est, tamen ego, quem hoc latet, ad tunicam Domini, id est ad charitatem sorte perveni. Vel *sortes meæ*, id est tempora vitæ meæ sunt *in manibus tuis*, quia quando vis, vivimus et morimur. Hunc sensum vult Hebraica veritas, in qua legitur: *In manu tua tempora mea*. Et alia quoque translatio habet: *In manibus tuis tempora mea. Ideo eripe me de manu inimicorum et a persequentibus me.* Persequentes diabolum vocat et ejus ministros.

Vers. 17, 18, 19. *Illustra faciem tuam super servum tuum.* Modo enim est confusio mistis malis cum bonis; sed appareat qui pertinent ad te, id est notum fac illis qui putant me negligi, quod facies tua super me intendat, et quod servio tibi. Unde in alio psalmo: *Discerne causam meam de gente non sancta* (*Psal.* XLII, 1). Tu quia vera salus es, ut de tua medicinali efficacia sit facies mea illustrata, *Salvum me fac* non in mea justitia, sed *in misericordia tua*, ita ut *non confundar*, id est non commiscear impiis. *Non confundar*, non erubescam insultantibus mihi ex eo, *quoniam invocavi te*, te, inquam, non aliud. Vel hæc est causa, quare *non confundar, quoniam invocavi te.* Vel Christus dicit ad Patrem: *Illustra faciem tuam*, etc., id est manifesta benevolentiam tuam super me, ut sicut de moriente discipuli desperant, ita de resurgente confidant.

Impii vero potius, qui lapides invocant, *erubescant*, contra quod dixi: *Non confundar. Et deducantur in infernum*, id est umbris socientur, contra quod dixi: *Illustra. Et labia dolosa*, garrula et falsa, A quæ hic non timent judicium, manifestatis tuis in me sacramentis *muta fiant* in pœnis, ut potius dicant: *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam*, etc. (*Sap.* v, 4.) *Labia* dico, *quæ loquuntur iniquitatem adversus justum*, id est Christum, caput et membra; *in superbia*, quia creatura contra Creatorem; *et in abusione* vel contemptu, quia contra usum, quo de beneficiis solent homines esse grati, fecerunt, cum eum, qui propter salutem eorum venerat, crucifixum et hominem contempserunt, contra quos Propheta admirans exclamat

Vers. 20. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine*, qua diligis quos emendas! Ut autem dulcedo ipsa plus desideretur, et ne securi negligentius agant, *abscondisti dulcedinem* tui amoris. Sed in B futuro patebit solis *timentibus te*, non communis impiis. Hanc autem *dulcedinem perfecisti eis*, qui viventes secundum Filium Dei non timent servili timore, sed *sperant in te* usque in finem. *Sperant* dico, *in conspectu filiorum hominum* confitentes. Unde in Evangelio: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo* (*Matth.* x, 12). Exponit autem perfectionem dulcedinis, et ait:

Vers. 21. *Abscondes eos* a conturbatione hominum, ne scilicet turbationem patiantur humanam. Vel dum mali turbabuntur, ipsi erunt *in abscondito faciei tuæ*, id est notitiæ, videntes te. Nam electus quisque in judicio per internum visum in vultu C Divinitatis absconditur, dum reproborum foris ceitas districta animadversione justitiæ repulsa turbatur. Sancti itaque viri ab importunitate desideriorum temporalium, a tumultu inutilium curarum, a clamore perstrepentium perturbationum semetipsos sacri verbi gladio mortificare non desinunt, atque intus ante faciem Dei in secreto mentis abscondunt. Unde recte per Psalmistam dicitur: *Abscondes eos in abscondito vultus tui a conturbatione hominum.* Quod quamvis perfecte post judicium fiat, et nunc ex parte magna agitur, cum a temporalium desideriorum tumultibus delectatione in interiora rapiuntur, ut mens eorum, dum in amorem Dei tota tenditur, nulla inani perturbatione laceretur. Hinc est, quod Paulus per contemplationem mortuos, et quasi in secreto Divinitatis absconditos discipulos viderat, quibus dicebat: *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Col.* III, 3). Qui enim mortificare se appetit, valde ad inventam requiem contemplationis hilarescit, ut exstinctus mundo lateat, et a cunctis exteriorum rerum perturbationibus intra sinum se intimi amoris abscondat. Dicente namque Veritate: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum* (*Matth.* VI, 22.), sicut cor avari pecuniam suam diligentis est reconditum juxta thesaurum suum, vel in arca reclusum, vel etiam terræ suffossum: sic nimirum cor hominis veram vitam veramque

(63) August. in Ps. XXX, v. 16. Enarrat. IV.

Digitized by Google

sapientiam perfecte diligentis ibi est absconditum, ubi sapientiæ ac vitæ verum thesaurum, quem diligit, novit reconditum. Hic autem thesaurus *in abscondito* divinæ *faciei* est occultatus. Attamen sicut sapientia hominis lucet in vultu ejus, et habitus enuntiat de illo id quod latet in illo, sic in Scriptura sacra, Veteri ac Novo Testamento quasi duabus genis vultuata Dei elucet sapientia, et actus ejus, vel habitus utroque Testamento notificatus hominibus denuntiat de illo. Est ergo sacra Scriptura secundum historialem sensum intellecta quasi facies Dei superficietenus considerata. Mysticus vero ac moralis intellectus absconditum est hujus *faciei*. Intrabunt vero in illud absconditum, qui diligunt internum Scripturæ sensum, vitamque suam dirigunt secundum illum, semper fixum habendo cor suum juxta hunc thesaurum suum. Cumque de sua vita sic disposita, sic de hoc thesauro inaurata et gemmata, sic murenulis aureis argento vermiculatis ornata conturbantur homines ab humo nomen trahentes, et sola terrena diligentes : ipsi ab hac hominum *conturbatione* absconduntur *in abscondito faciei suæ* pro maximo habentes munimine, quod se sciunt secundum tuam voluntatem dispositos etiam in his, quæ hominibus fiunt interdum causa conturbationis.

Absconduntur vero nunc ex parte; in futuro autem perfecte, quando nullum in se sentient motum extra tuæ, Deus, voluntatis beneplacitum. De Cain vero legitur, quod *egressus est a facie Domini* (*Gen.* IV, 16), quia secundum ejus beneplacitum noluit disponi, sed contabuit in sua malitia, et ad illius malitiæ solatium sola trahebatur delectatione terrenorum. Ideo sibi civitatem primus in terra condidit, quia in solis terrenis munimen sibi, atque solatium posuit. Imitantur autem illum, qui prava quæ faciunt, exemplis terrenorum sibi consimilium defendunt et muniunt, in quorum consuetudine ac multitudine confidentes tanquam in civitate munita securi existunt. O Deus, *quis deducet me* in hanc *civitatem munitam*, quis dabit mihi expugnare illam? *nonne tu, Deus* (*Psal.* LIX, 11, 12), expugnabis illam, *qui repulisti nos* ab illius expugnatione, docens nos tantum exire de medio ejus dicens : *Exite de illa, populus meus?* (*Isa.* LII, 11.) Doces etiam nos orare pro pace hujus civitatis, ut in ejus pace sit pax nostra. Propterea tui fideles *in abscondito faciei tuæ* requiescere cupientes, et non habentes hic manentem civitatem, scientes quod in tabernaculis habitare feceris filios Israel, et quod in casulis habitabant sancti patriarchæ, illorum exemplo cupiunt in tabernaculo tuo habitare potius, quam in illa civitate munita materialiter, sequi exempla paucorum bonorum, de quibus habeant contextum sibi tabernaculum, quam exempla multorum ad faciendum malum talium auctoritate ac multitudine munitum. Igitur quoadusque *in* absconditum *faciei tuæ* admittantur, te dicente singulis : *Euge serve bone, et fidelis, intra in gaudium* (*Matth.* XXV, 21), quod est *faciei tuæ* absconditum : *Proteges eos* hic *in tabernaculo tuo*, id est in Ecclesia præsenti, vel in umbraculo sacramentorum et fide *a contradictione linguarum* hæreticarum, et schismaticarum, dolosarum, iniquarum, quibus interdum clamantibus, interdum susurrantibus *audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu. Commorantium* videlicet cum morosa deliberatione sibi concordantium *in eo, dum convenirent simul adversum me.* Licet enim in aliis causis essent inter se discordes, tamen convenientes in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus in eo consilio commorati et concordati sunt, quod versabant, *dum convenirent simul adversum me.* In his scilicet sibi mutuo consentientes, quæ fuerunt *adversum me*, maxime, ubi *accipere*, id est rapere *animam meam consiliati sunt* cum illo, qui sedet in occultis, ut interficiat innocentem. *Oculi ejus in pauperem respiciunt, insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua, insidiatur ut rapiat*, sciens se *rapere pauperem, dum attrahit eum* (*Psal.* IX, 9, 10) ad suæ perversitatis consensum. Hujus isti satellites *accipere animam meam consiliati sunt*, id est rapere, unde aves rapaces dicuntur accipitres; et Apostolus dicendo : *Si quis accipit* (*II Cor.* XI, 20.), vult intelligi : si quis rapit, quoniam *accipere* interdum pro *rapere* ponitur, ut etiam in hoc loco, ubi ego de persecutoribus, vel insidiatoribus meis conqueror, qui dum *convenirent simul adversum me, accipere animam meam consiliati sunt.*

Aliter : Ego Christus perfectus Deus et homo ex divinitate atque anima rationali et humana carne subsistens, vere humanam habui et habeo *animam*. Hanc Apollinaristæ mihi voluerunt *accipere*, id est auferre, dicentes me non habere animam rationalem, sed carnem meam vivere solummodo per divinitatem. Isti et eorum sequaces hæretici, *dum convenirent simul adversum me, accipere animam meam consiliati sunt.* At ego, Pater, *in manus tuas* commendavi *spiritum meum*, id est hanc animam meam, sicut in hoc ipso psalmo præmissum est. Et tu bene servans commissum veritatis catholicæ assertores excitasti ad defensionem animæ meæ damnatis hæreticis asserentibus, quod solam carnem humanam, non animam assumpserim.

Etiam illi, qui me crucifixerunt *accipere animam meam consiliati sunt. Ego autem in te speravi, Domine; dixi: Deus meus es tu; in manibus tuis tempora mea*, quæ sic erant præordinata, ut nemo tolleret, vel acciperet, sive raperet a me *animam meam:* sed ego finitis temporibus meis in manu tua dispositis posui, et deposui eam *in manus tuas* quasi pretiosum depositum commendando eam, et iterum de manu tua sumens eam, et habens eam non timeo illos qui, *dum convenirent simul adversum me, accipere animam meam consiliati sunt.* Mors enim, quæ solet separare animam a corpore, mihi ultra non dominabitur, et hæresis Apollinaristarum volens ac-

Digitized by Google

cipere, id est, rapere vel auferre mihi animam, per catholicos Patres auctoritate Spiritus sancti damnata ulterius non resuscitabitur, gaudentibus Catholicis, quod ego auctor salutis humanæ, ut totum hominem sanum facerem, totum in unitatem personæ assumpsi hominem, id est, animam rationalem et carnem de virgine acceptam de Spiritu sancto conceptam.

Nequius autem cæteris Pharisæi ac Scribæ voluerunt accipere animam meam, conantes eam facere consentaneam suis malis traditionibus, legi Dei repugnantibus. Ego autem nolens accommodare talibus consensum animæ meæ, dixi eis : *Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram ? Nam Deus dixit : Honora patrem tuum, et matrem tuam. Vos autem dicitis : Donum quodcunque est ex me, tibi proderit, et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. Hypocritæ ! Bene prophetavit de vobis Isaias propheta dicens : Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Sine causa autem colunt me docentes doctrinas et mandata hominum* (*Matth.* xv, 5 et seqq.) Contra hujusmodi animarum raptores, qui habet aures audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis : *Audite, et intelligite traditiones quas Deus dedit vobis.*

Eripe me de manu inimicorum meorum, et a persequentibus me. Quia *in manibus tuis sortes meæ*, vel *tempora mea* sunt posita et disposita. Manibus autem tuis manus inimicorum meorum est contraria. Hoc a pietate tua exigo ut, quia ego *in manus tuas* commendavi *spiritum meum*, et *in manibus tuis* sunt *tempora mea*, nihil in me habeat potestatis manus contraria, manus inimicorum meorum. Interdum secundum quod scriptum est : *Terra data est in manus impii* (*Job* ix, 24), possunt aliquid in corpus nostrum vel etiam in terrenam substantiam nostram potestas et manus impiorum. Sed illud magno voto cordis quæro, ut ego ipse omnino ereptus et liber de manu impiorum, et a persequentibus me, sicut liberatus est quondam famulus tuus Moyses a persequente se Pharaone, ut neque illum, neque populum sibi commissum posset nocere, imo persequendo inventus est profuisse illuc fugando Moysen, primo, ubi in flamma rubi apparuisti ei ; secundo, ubi super verticem montis Sinai apparuisti ei loquens ad eum quasi amicus ad amicum, et ex consortio sermonis tui, dum respiceres in eum, sic illustrasti faciem ejus, ut claritatem vultus ejus non posset ferre mortalis oculus, imo quasi in extasi admirantes et stupentes timuerunt valde seniores Israel, cum non possent intendere in faciem ejus propter gloriam vultus ejus : quæ gloria vultus comparata illi gloriæ, quam idem Moyses, et Elias in monte cum Domino habuit, sic evacuatur sicut lumen lampadis in comparatione solaris luminis evacuatur. Attamen illa prior Moysi gloria sequentis et majoris fuit præparatoria, quæ hoc ordine fuit in illo completa. A filia Pharaonis puer ipse nutriebatur in deliciis. At ipse grandis effectus negavit se filium filiæ Pharaonis, eligens magis affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem inter Ægyptios. Deinde percusso Ægyptio in defensione fratris sui, hominis Hebræi, timens Pharaonem, illo fugit, ubi effectus pastor ovium Sephoram unam de septem filiabus sacerdotis Madian accepit uxorem, de qua duos filios genuit. In hac pastorali cura positus in flamma rubi visionem magnam vidit, et magna præcepta Dei de flamma loquentis audivit, jussus agere legationem ad ipsum suum persecutorem Pharaonem, ad quem veniens non veritus animositatem ejus, denuo eum persequente ipse cum toto populo Israel transivit mare Rubrum, et venit ad montem Sinai, ubi apparente et loquente sibi Domino resplenduit facies ejus in magna claritatis gloria, quæ gloria et claritas fuit alterius claritatis præparatoria et præcursoria, quam in Evangelio recognoscimus, ubi præsente ipso Moyse cum Elia transfiguratus est Jesus.

Nonne si ordinem istum consideramus, manifeste noscimus quod ad perficiendam et consummandam claritatem vultus Moysi pariter sibi cooperabantur circa illum et inimicorum Ægyptiorum persecutiones, et inter adversa ipsa divinæ apparitiones, ac post adversa plenæ Dei consolationes, quarum illa fuit præcipua, quod facies ejus tam in austera legis acceptione, quam in evangelicæ gratiæ inchoatione fuit illustrata in tanta claritate, qualem nec sub lege filii Israel, nec in Evangelio apostoli poterant intueri aspectu immediato? Hinc est, quod in lege velamen positum est ad splendorem vultus ejus temperandum, et in Evangelio nubes lucida obumbravit apostolos adhuc minus idoneos ad videndam, vel etiam referendam talem visionem. Propterea dictum est eis : *Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat* (*Matth.* xvii, 9).

Itaque principaliter ego Christus, qui *non veni legem solvere, sed implere* (*Matth.* v, 17), omnia, quæ præfigurata sunt a Moyse, recte in hoc psalmo pro me ipso tibi, Deus, in cujus manus spiritum meum commendo, sic loquor, ut optem de manu inimicorum, et a persequentibus me liberari exemplo quondam liberati Moysi, atque ipsis persecutionibus, tuisque consolationibus cooperantibus ita illustrari, sicut illustrata fuit facies Moysi, et tanto differentius præ illo, quanto differentius præ illo nomen habeo, et quanto major est Dominus servo, Deus naturalis Deo adoptato. Nam illi quidem dictum fuit a Deo : *Ecce constitui te Deum Pharaonis* (*Exod.* vii, 1) : mihi autem dicit Pater : *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Psal.* ii, 7). Ergo ille Deus erat per gratiam super unum regem constitutus : ego Deus sum naturaliter a Deo genitus, et super omnia opera manuum ejus constitutus. Attamen pro servis liberandis in forma servi humiliatus, ita ut aspectus meus non sit in me, sed videant me amici et inimici non habentem speciem, neque decorem, sic oro ad te, Pater : *Eripe me de manu inimicorum meorum et a persequentibus me*, qui non haberent po-

Digitized by Google

testatem ullam adversum me, nisi illis esset datum desuper, et nisi ego exinanita in me claritate Domini mei humiliatus essem forma servi non habens in mea facie speciem neque decorem. Tu ergo, in cujus mandato sic despectus appareo, ego speciosus forma præ filiis hominum, post mortis et crucis ignominiam *illustra faciem tuam super servum tuum.* Facies tua clarissima et divinissima est illa lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Sed hæc facies per hoc fuit exinanita, quod formæ servi est unita. Volens igitur ego Christus formam et naturam servilem, in qua despectus apparui, claritate, quam habui priusquam mundus fieret, illustrari, et nunc dico tibi, Pater, in hoc psalmo : *Illustra faciem tuam super servum tuum,* et iterum dico in Evangelio : *Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, prius quam mundus esset apud te* (*Joan.* XVII, 5). Hoc est, super servum tuum hominem mihi Verbo tuo unitum, sic *illustra faciem tuam,* ut sit eadem claritas hominis assumpti, quæ est apud te ipsius æterni Verbi, quod ego sum Filius tuus, ad hanc servilem formam propterea inclinatus, ut regnet in excelso throno ad dexteram tuam sedens homo glorificatus. In hoc enim erit salus et spes homini reo, quod in me Filio tuo conregnare et consedere tibi Deo Patri creditur humana natura divinæ claritatis lumine splendida, plus quam facies Moysi fuerit splendida. Si enim vultus illius digne resplenduit, ad quem factus est sermo Dei, quem ipse sermo Dei, ipsum scilicet æternum Verbum, sibi univit in unam personam clarissimæ Trinitatis, quomodo lux summa beata Trinitas, quæ non admittens quaternitatem, hominem sic admisit ad unam in Trinitate personam, ut geminando in ea naturam non geminaret personam, credenda est quidquam subtrahere de sua summa claritate humanæ naturæ sic exaltatæ?

At ego Christus adhuc in forma servi despectus, postquam dixi, quod præmissum est : Pater, *in manus tuas commendo spiritum meum*, recte pro clarificando etiam corpore servili consequens fuit ut dicerem : *Eripe me de manu inimicorum meorum* custodientium sepulcrum meum, *et a persequentibus me* in me ipso, et in meis per mendacium a militibus comparatum, quo affirmare nituntur meum servile corpus furto ablatum, et nulla resurrectionis gloria illustratum. Tu autem, Pater, *illustra faciem tuam super servum tuum*, virtute magna reddentibus apostolis testimonium resurrectionis meæ, illorum aliquo dicente : *Ecce video cœlos apertos, et Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei.* Deinde gloria illustratæ faciei meæ prædicetur ubique, ac manifestetur te, Domine, cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.

Aliter : Ego qualiscunque Christianus redemptus, cujus illa vox est superius : *Redemisti me, Domine Deus veritatis*, adhuc in medio inimicorum positus, et eorum potestate iniqua tanquam Pharaonis tyrannide gravatus dico tibi, *Domine Deus veritatis,* qui per immolationem paschalis agni *redemisti me* de Ægyptiaca servitute, ut soli tibi debeam servire : tu *respice* super castra Ægyptiorum in hac vigilia matutina, qua propinquat lux in æternum permansura. *Respice* quoque me servum tuum ad hoc dispositum, et tale habentem propositum, ut et legem in claritate vultus Moysi, et gratiam in claritate vultus Christi coruscantem sine interpositione velaminis videam. Sed hoc mihi est impossibile, tantumque legis et gratiæ lumen est mihi penitus inaccessibile, nisi tu, qui *redemisti me*, audias, et exaudias me dicentem : *Eripe me de manu inimicorum meorum, et a persequentibus me*, illos in mari Rubro submergendo, et me servum tuum in monte legis et gratiæ statuendo. Non rogo ut in hoc mari, quod sanguis Testamenti Novi rubricavit, submergas, vel exstinguas homines inimicos meos me persequentes, quia non cupio aliud in eis exstingui, nisi quod sunt persequentes inimici. Salva in eis naturam, sed exstingue culpam. Cura et sana in eis, quod ipse fecisti : dele, atque sanguine Testamenti Novi ablue, quod ipsi faciunt : nesciunt enim quid faciunt arbitrantes obsequium se præstare me persequendo, quem non judicant esse servum tuum. Tu autem, Domine, ut evidens facias me servum tuum esse, primitus me confirma in servitute tua, ne ab hac unquam possim deviare, atque hoc manifestum fac persequentibus me, ne scandalizentur in me arbitrando se tibi obsequium præstare persequendo me, quem non putant servum tuum, vel si putant, se putare dissimulant, habentes inde occasionem dissimulandi, quod tu nondum illuminasti faciem tuam super servum tuum. Hinc est, quod etiam ego ipse interdum fluctuo in servitio tuo, nesciens utrum odio an amore tuo dignus sim. Tu igitur, Domine, qui *non dabis in æternum fluctuationem justo* (*Psal.* LIV, 23), *illustra faciem tuam super servum tuum*, sic approbando servitium meum, ut non possit magis esse dubium placere me tibi in numero servorum bonorum, quam inde fuit ulla dubitatio, quin Moyses fuerit servus tuus, postquam illustrata fuit facies ejus.

Illustra similiter *faciem tuam super* quemlibet *servum tuum*, ne aliquis ignarus peccet in illum putans obsequium se præstare tibi. *Illustra faciem tuam super* quemlibet *servum*, ut sit discretio et manifesta distinctio inter servientem tibi et non servientem, inter Hebræos et Ægyptios, inter circumcisionem et occisionem, inter pueros Trinitatis nomine insignitos, quos non urit flamma fornacis Babylonicæ et ministros regis, qui eam incendunt, quique incendium, quod augent, pœnaliter sentiunt. Filius tuus, o Deus Pater, est facies tua. Hanc *faciem tuam illustra super me servum tuum*, et super alium quemlibet servum tuum. Tu es quasi aurea substantia, et Filius tuus cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ tuæ, tanquam regalis aut pontificalis imago in auro purissimo exhibet se ipsum pro incorruptibili sigillo cuilibet servo suo sibi con-

Digitized by Google

formando se imprimens. Tuque, Pater, hoc ipsum sigillationis opus per ipsum, et cum ipso, et in ipso perficis in servis tuis eidem filio configurandis.

Ut autem hoc ipsum, quod facis, facias valde velociter non in ira, sed in misericordia tua, ideo dico : *Illustra faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericordia tua.* Per *faciem tuam* intelligo Filium tuum : per *misericordiam tuam* intelligo Spiritum sanctum. *Illustra* ergo *faciem tuam*, id est, Filium tuum super me, ut complantatus similitudini mortis et resurrectionis ejus per veteris hominis mortificationem, et novitatem justæ vitæ inveniar in unaqualibet illius formosa facie. Habet namque formosam faciem hominis, bovis, leonis et aquilæ volantis. Conforma me homini, bovi, leoni et aquilæ volanti per ipsius Dominicæ incarnationis, passionis, resurrectionis et ascensionis fidem ex dilectione operantem. Per mysterium sanctæ incarnationis mihi sit facies hominis habenti prudentiam, quæ faciat rationabile obsequium meum. Per mysterium Dominicæ passionis mihi sit facies vituli, sive bovis, hostiæ scilicet victimalis, habenti temperantiam, qua carnem meam cum vitiis et concupiscentiis crucifigam. Per mysterium Dominicæ resurrectionis mihi sit facies leonis habenti fortitudinem, in qua viventi mihi mors peccati ultra non dominetur. Per mysterium Dominicæ ascensionis mihi sit facies aquilæ volantis, habenti non meam justitiam, quæ deorsum trahit, sed justitiam Dei, quæ sursum vehit.

Ita, Domine, *illustra faciem tuam super me*, atque ut omnino sim tutus a quatuor contrariis faciebus, quæ sunt, aspis, basiliscus, leo et draco, *in abscondito faciei tuæ* conserva me, et *salvum me fac in misericordia tua*, id est in Spiritu sancto Paracleto, tale opus, quod operatus es in me, confirmando, ne semel distinctus a consortio perfidorum et impiorum iterum confundar, id est, commiscear illis : non sim confusus ac simul fusus cum impiis in unum vas perditum, quale illi me autumant, in quorum oculis ego *factus sum tanquam vas perditum*. Non sim cum illis in una Babylonica confusione. Vel *non confundar*, id est, non erubescam, *quoniam invocavi te*. Non tua, sed *te invocavi*, quia te potius quam tua in me venire desideravi. Super hac invocatione confundor, quoties non valens demonstrare te habitare in me, audio mihi dici : *Ubi est Deus tuus* (*Psal.* XLI, 4)? Etiam in principio psalmi dixi in extasi, vel in pavore meo : *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum :* et nunc iterum in pavore meo dico : *non confundar, quoniam invocavi te.* Repetitio affirmatio est. In hac oratione, qua peto tutus fieri a confusione, ita scilicet, ut neque *confundar in æternum, neque confundar, quoniam invocavi te.* Non rogo simpliciter ut non confundar, quoniam est confusio adducens gloriam, cum quis confunditur ad pœnitentiam, sed hoc rogo ut *non confundar* in æternum, et *non confundar*, id est, in eo, *quoniam invocavi te. Invocavi* enim te auxiliatorem, consolatorem, salvatorem et conservatorem. Sed tu interdum subtrahis consolationis et salutis auxilium speratum et rogatum, atque per hoc absentas quodammodo te invocatum. Nonne tunc necessario confundor, cum sic te invocans non exaudior?

Sed esto sit concessum, ut non exaudiar interdum, quoniam lego Paulum apostolum tertio rogantem non exauditum, poteratque inde ad tempus confundi, nesciens non ad insipientiam se non exauditum. Nondum quippe scivit psallere : *Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies, et nocte, et non ad insipientiam mihi* (*Psal.* XXI, 3). Revera hinc ad tempus Apostolus confundebatur, quod non exaudiebatur ; sed non est confusus *in æternum*, quia cito accepit responsum divinum, quo instruebatur, non esse tunc utile, quod petebatur. In aliis vero Apostoli precibus et orationibus, quibus petebatur æterna salus, ipse in nomine Salvatoris potens ita fuit exauditus, ut nunquam legatur inde confusus, quasi æternus adjutor incassum fuerit invocatus. Ita et ego clamans per diem et noctem, si non exaudiar æquanimiter, fero talem confusionem, dummodo sit *non ad insipientiam mihi*, sed ad eruditionem, quod virtus in infirmitate perficiatur, virtus scilicet firmæ humilitatis in infirmitate infirmæ orationis, maxime ubi tale quid rogatur, per quod, si datum fuerit, salus æterna impediatur. Ubi autem tale aliquod peto beneficium, quod prodesse possit ad solatium æternum, quæso, *non confundar in æternum*, non mihi denegetur, quod negatum esse noceat in æternum. *Non confundar, quoniam invocavi te* bonorum cordium habitatorem æternum, qui si invocatus non veneris, et me vacuum dimiseris, ero confusus in æternum. Sed, quæso, *non confundar in æternum, quoniam invocavi te*, imo liberatus a tali confusione gaudeam, et exsultem non ad horam in luce nocivæ mihi exauditionis, sed *in æternum* de bonis mihi profuturis ex hoc, nunc, et usque in sæculum, in æternum.

Aliter : Tu es Sacerdos in æternum, tu es Pontifex futurorum bonorum, Domine Jesu Christe. Itaque secundum officium tuum et pontificium futurorum bonorum, quæ manent in æternum, quæso *non confundar in æternum* denegatis mihi bonis mansuris in æternum. Quod enim Scriptura vocat confusionem cujusque petitionis denegationem, locus ille pro testimonio est, ubi Bethsabee, mater Salomonis, ad regem ingressa dixit : *Petitionem unam ego peto a te : quæso, ne confundas faciem meam* (*III Reg.* II, 16), ac si dicat : Faciem meam confundis, nisi quod peto feceris. Rex autem Salomon faciem tunc matris confudit, quia non sapienter petivit petens Abisag Sunamitidem dari uxorem Adoniæ, quod rex prudens regno suo intelligens non expedire, noluit facere. Sic et modo Ecclesia, vel unaquæque fidelis anima interdum *confunditur*, cum non exauditur, in his maxime, quæ verus Salomon scit non expedire, si fiant juxta vota petitio-

Digitized by Google

nis alicujus ad hæc temporalia bona pertinentis. Ne autem et in his confundatur, quibus æterna beatitudo conferenda non dubitatur, dicit : *In te speravi, non confundar in æternum.* Item : *Non confundar, quoniam invocavi te.* Quod idem est ac si dicatur : Non denegetur mihi effectus petitionum bona æterna quærentium, teque potius quam tua invocantium.

Quo contra *erubescant impii, et deducantur in infernum, muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur adversus justum iniquitatem in superbia et in abusione.* In hoc scilicet *erubescant*, ne desiderium suum obtineant cassatis eorum petitionibus et obmutescentibus eorum labiis dolosis, *quæ loquuntur adversus justum iniquitatem*, petentes bona temporalia, quæ vane consumant *in superbia et in abusione*, quibus alias dicitur : *Concupiscitis, et non habetis ; petitis, et non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis* (*Jac.* IV, 3). Concupiscentiæ autem pravæ regnant permaxime *in superbia et in abusione*, cum pro libidine excellendi superbit terra et cinis, atque in corruptelam corporis et mentis audet creaturis abuti, quibus in laudem Creatoris debuit uti. Per hujusmodi *superbiam et abusionem* gloriantur quasi exaltati super cœlum similes facti sint Altissimo, dum nullius reguntur obedientiæ jugo. Quo contra, qui reguntur sub sancta obedientia, non *in superbiam et in abusionem* vertuntur sibi vel temporalia vel spiritualia dona concessa. In talium cujusque persona supradixi : *Non confundar in æternum*, id est, non degeneturmihi quodcunque donum prodesse valens per humilitatem, et usum bonum ad obtinendum gaudium æternum. Sed *impii erubescant* sibi denegatis donis tuis, quibus corrumpi affectant *in superbia et in abusione.*

Ne autem per obstinatam impœnitentiam hi tales pereant, *erubescant* etiam per veram pœnitentiam confusi, *et deducantur in infernum* per judicium proprium. *Si* enim *nosmetipsos judicaremus*, ait Apostolus, *non utique judicaremur* (*I Cor.* XI, 31). Illi ergo *deducantur in infernum* per judicium proprium, ne priventur cœlo per judicium divinum. Sic latro dignum pœnali judicio semetipsum judicans dignus factus est paradiso.

Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine. Dulcedo fuit, quod latro confitens audivit : *Eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 43) : etiamsi hoc illi esset futurum post multa millia annorum ; sed *multitudo dulcedinis* fuit, quod additum est : *Hodie. Hodie*, inquit, *mecum eris in paradiso. Multa* revera in his verbis *dulcedo*, sed non esset *magna* sine ipsius commanentia, qui est fons æternæ dulcedinis. Unde cum addidit : *Mecum*, plenæ dulcedinis est enuntiatio in hoc dicto : *Amen dico tibi : Hodie mecum eris in paradiso. Amen*, id est, ego veritas vere dico tibi : non ultra magnum tempus, sed *hodie :* non cum qualicunque angelo meo, sed *mecum : eris in paradiso*, id est, in vero deliciarum horto, ubi *magna multitudo dulcedinis.* Quis pensare, vel satis admirari valeat *quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te* servili ac non filiali timore. *Perfecisti* autem *eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.* Timidis abscondisti, quod sperantibus, et in *conspectu filiorum hominum* confitentibus perfecisti. Quasi enim quædam est absconsio dulcedinis tuæ, quod dicis : *Qui me erubuerit coram hominibus, et ego erubescam eum coram Patre meo* (*Luc.* IX, 26). Perfectio vero dulcedinis est in eo, quod dicis : *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo* (*Luc.* XII, 8), qui est in cœlis.

Versiculus Psalmi hujus, qui est : *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*, fuit in cruce auditus : ideo in toto sensu psalmi hujus libenter circa crucem versamur, dum magnam multitudinem dulcedinis in eadem cruce latroni confitenti exhibitam, itidem in hoc psalmo commendatam asserimus, ubi dictum est : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine.* Solus iste latro sit cunctis pro magno documento, quod *magna* sit *multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te : perfecisti autem eos, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.* Nempe iste latro fuit confessus Dominum *in conspectu filiorum hominum*, quos timentes apostoli omnes, relicto eo, fugerunt. Sed et ipsi postea per Spiritum sanctum confortati veritatem confessi sunt *in conspectu filiorum hominum* parvipendentes terrorem humanæ formidinis præ magna multitudine *dulcedinis tuæ, Domine*, quam *abscondisti* eisdem apostolis adhuc *timentibus*, et timidis : *perfecisti* autem eis jam confortatis, et sperantibus in te, atque confitentibus tibi *in conspectu filiorum hominum.*

Similiter Christianis adhuc timidis dulcedinem tuam abscondis : eisdem vero sperantibus in te, atque confitentibus te *in conspectu filiorum hominum* perficis hanc dulcedinem, imo jam in tua prædestinatione *perfecisti.* Sed ut ad eam perveniant, neque in conturbatione hominum pereant, *abscondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum. Protteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum.* Sensum versiculi hujus, prout potuimus, Deo donante jam superius exposuimus. Sequitur :

VERS. 22. *Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.* Ego David propheta prænoscens, et quasi facta, et jam præterita videns tanta Dei beneficia, vel etiam ego quilibet Psalmista considerans ea jam completa, nihil inde assigno humanæ virtutis merito, sed in his omnibus gratuitam gratiam Dei magnificans dico : *Benedictus Dominus, quoniam* non pensavit merita humana secundum justitiam, sed dato Spiritu sancto *mirificavit*, id est, mirabilem fecit *misericordiam suam.* Quis enim ego sum, aut quæ domus Patris mei, ut mihi homini prædamnato in culpa originali, nec justificato virtute actuali, mihi, inquam, cineri et pulveri dignaretur misereri? sed in hoc ipso est mirificata, et mirabilis facta circa me Dei miseri-

Digitized by Google

cordia, quod eam nulla præcesserunt bona merita gratiam provocantia, sed multa mala merita iram exigentia.

Mirificavit autem hanc misericordiam primo *in civitate munita*, id est in Jerusalem, quæ civitas erat angelorum præsidio communita, cui nimirum juxta vaticinium Isaiæ *sepe* Dominus *circumdedit*, eamque *circumfodit* (*Isa.* xxxiv, 15). Sepis in altum porrecta fuit angelica protectio, quæ custodit ex alto. Circumfossio in imo fuit humilitas patriarcharum, et prophetarum, aliorumque justorum, sanctorum et humilium, quibus dicitur in hymno trium puerorum: *Benedicite, sancti et humiles corde, Domino* (*Dan.* III, 87). Sic civitas et gens Judæorum fuit munita, de qua per mirificatam et mirabilem Dei misericordiam primitiva Ecclesia est electa, cujus est ista vox laudis et gratiarum actionis. *Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.*

Similiter Ecclesia de gentibus collecta civitas est munita, quam in alto circumsepiunt angeli fortissimo præsidio contra potestates aereas, contra principatus mundi, rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis per martyrum prælia, imo per vexillum crucis in terra defixum provenieus quædam circumfossio munit hanc civitatem in imo. Et quoniam hoc est mirabile in oculis nostris, jure in laude gratiæ dicit quisque nostrum: *Benedictus Dominus, qui mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita*, sive ut alia translatio habet: *in civitate circumstantiæ*, id est quam circumstant, ut jam dictum est, angelorum et sanctorum præsidia, ut sit civitas munita. Vel quia per circulum orbis Ecclesia dilatata circumstat unumquemque fidelium quasi fortissimum præsidium, ne possit fieri præda dæmonum, quem circumstat communio sanctorum, quam in fide catholica profitetur unusquisque, dicant singuli Ecclesiæ filii apud se: *Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.*

VERS. 23. *Ego autem dixi in excessu mentis meæ: Projectus sum a facie oculorum tuorum. In civitate* quidem bene *munita*, mirificata me custodit misericordia divina. *Ego autem David*, cum persequeretur me Saul, *dixi in excessu mentis meæ*, sive in pavore meo: *Projectus sum a facie oculorum tuorum.* De mentis excessu in titulo psalmi dictum est, quia duobus modis fit, videlicet, cum mens vel in altum excedit super ista temporalia per contemplationem, vel inferius excedit per nimium pavorem. Quia vero in una translatione habetur: *Ego dixi in excessu mentis meæ;* in altera vero: *Ego dixi in pavore meo*, recte hic accipitur excessus ille, qui fit ex nimio pavore. Nam valde pavescentis est, quod se iste David dixisse fatetur: *Projectus sum a facie oculorum tuorum.* Videlicet cum persequente me Saule interdum desperarem posse me evadere. Tunc *dixi in pavore meo: Projectus sum a facie oculorum tuorum,* sciens et confitens non esse mihi ullum meritum tuæ faciei respectione dignum.

Ideo exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te. Ideo, quia sic humiliatus ad te clamavi, *exaudisti vocem orationis meæ dum clamarem ad te.* Dum clamarem non ad obtinenda ista temporalia, sed *ad te*, qui es æternus adjutor ad te clamantibus, et te ante omnia diligentibus. Propterea exemplo meo instructi *Diligite Dominum, omnes sancti ejus.*

Hebraica veritas habet: Ego *autem dixi in stupore meo: Projectus sum de conspectu oculorum tuorum.* Vox ista potest convenire Petro, quando in repentina captura piscium stupor circumdederat eum, et dixit: *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum* (*Luc.* v. 8). Igitur ego Petrus apostolus a Domino electus *in civitate munita*, super fundamentalem petram proximo loco positus, et inde Petrus nominatus, revera electorem meum benedicens dico: *Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam mihi* piscatori *in civitate munita*, dicens ad me: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni cœlorum* (*Matth.* xvi, 18). Nonne mirabiliter mirificata est misericordia mihi *in civitate munita*, dum in ea ego sum Petrus a principali petra denominatus, et tanta potestate ligandi ac solvendi muneratus, ut quodcunque ligavero super terram, sit ligatum et in cœlo, et quodcunque solvero, sit solutum, et hoc in *civitate munita* contra portas inferi, quæ non prævalebunt adversus eam sic munitam, ut fundamentum ei aliud nemo possit ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus, et claves illi datas nulla potestas valeat frangere, vel de manu ejus extorquere. Sed cum tantus essem ego Petrus, tamen videns ventum validum, timui (*Matth.* xiv, 30), et cum cœpissem mergi, dixi in pavore vel stupore meo: *Projectus sum a facie oculorum tuorum. Ideo exaudisti vocem orationis meæ, dum sic* humiliatus *clamarem ad te*, dicens: *Domine, salvum me fac.* Continuo enim extendens manum apprehendisti me, sciens quod diligerem te, sicut postea explorasti me, dicens: *Petre, amas me?* (*Joan.* xxi, 17.) Dixisti hoc tertio quia et ego in pavore vel stupore meo negaveram tertio, ut negationem trinam, qua *projectus sum a facie oculorum tuorum*, purgaret in conspectu oculorum tuorum trina dilectionis confessio. Oculi tui vident omnia, sicut ego dixi tibi: *Domine, tu scis omnia, tu scis quia amo te* (*ibid.*). Sed *a facie oculorum tuorum* omnia videntium *projectus* fui meo arbitratu, cum tu sciens et videns, ac prædicens me te negaturum, ego e contrario dicerem: *Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo* (*Matth.* xxvi, 35). Sic præsumens de mea constantia *projectus sum a facie oculorum tuorum.* Et ideo postquam ter negavi inter impios, egressus postea foras flevi amare, dicens intra me in pavore meo: Domine, *projectus sum a facie oculorum*

Digitized by Google

tuorum. Ideo exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te flens amare. Inde autem scio quod exaudisti me, quia post negationem trinam probasti me in trina dilectionis confessione. Nihil dilectione vel amore jucundius; quia quod vere ac perfecte diligitur, nunquam in fastidium vertitur. Elegeram vero ego mihi in pavore meo flere amare in luctu et planctu pœnitentiæ meæ. Tu autem, Domine, sicut in præcedenti psalmo (v. 12) cantatum est: *Convertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia* post fletus amaros dando mihi dulcissime jucundari in tua dilectione, ut jam cessante fletu amaro in magna jucunditate: *Cantet tibi gloria mea, et non compungar* (*Psal.* XXIX, 13) stimulo mordentis conscientiæ de trina negatione, cum tu mihi sis conscius de trina in te dilectione, qua te diligo toto corde, tota anima, tota mente, seu tota virtute. Ad quam dilectionem cupiens exemplo meo et agnos et oves, quibus constitutus sum pastor, provocari, dico: *Diligite Dominum, omnes sancti ejus.*

Aliter: *Ego autem dixi in excessu mentis meæ, Projectus sum a facie oculorum tuorum.* In illo superiore mentis excessu, ubi conversatio sanctorum in cœlis est, ubi audiuntur arcana verba, quæ non licet homini loqui, ubi sentitur sibilus auræ lenis et tenuis, in quo est Dominus; in illo, inquam, excessu supra me ipsum levatus, me ipsum de alto respexi, et despexi, atque miseriam, et exsilium meum recognoscens, tibi, Deus meus, dixi: *Projectus sum a facie oculorum tuorum*, quia, dum *sumus in corpore, peregrinamur a Domino* (*II Cor.* v, 6): *Ideo exaudisti vocem orationis meæ.* Ideo scilicet, quia in alto contemplationis memor fui humiliationis, qua in protoplasto *projectus sum a facie oculorum tuorum. Ideo exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.* Non exspectasti ut me exaudires post clamorem, sed *dum clamarem*, in ipso clamore meo exaudisti me clamantem *ad te*, id est amantem te, quoniam qui te amat, ipse ad te clamat. Ipse namque amor est cordis, non oris clamor, quem tu libenter audis, uti Moysen famulum tuum te amantem exaudisti, cui te amanti et tacenti dixisti: *Quid clamas ad me?* (*Exod.* XIV, 15.) Ideo quicunque vultis a Domino exaudiri,

Vers. 24. *Diligite Dominum*, quia ipsa dilectio est efficacissima oratio. *Diligite Dominum, omnes sancti ejus.* Qui servi sunt mali, et serviunt ad oculum, ipsi non diligunt, sed timent dominum. Vos autem *diligite Dominum, omnes sancti ejus*, ita ut dulce ac dilectum habeatis ejus dominium super vos, nec ex timore, sed ex amore vestrum illi exhibeatis obsequium. *Jam non dicam vos servos*, sed sanctos, et *amicos* ejus, *quia servus nescit quid faciat dominus ejus* (*Joan.* XV, 15). Vos autem omnes sancti ejus bene scitis quid in vobis faciat Dominus. Vestra enim vox est: *Fiduciam talem habemus per Christum ad Dominum, non quod simus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (*II Cor.* III, 5). Quia ergo Dominus est, qui operatur in nobis et velle, et perficere pro bona voluntate, ideo non alta sapientes, quasi de vera virtute aliquid valentes, sed humilibus consentientes *Diligite Dominum, omnes sancti ejus*, quia sanctitas vestra est opus ejus. Diligite Dominum veritatem loquendo, id est mala vestra vobis, bona vero illi tribuendo: vos accusando de malis, illum laudando de bonis. Loquimini veritatem, quoniam

Veritatem requiret Dominus, et retribuet abundanter facientibus superbiam. Veritatem requisivit ab Adam dicens: *Adam, ubi es?* (*Gen.* III, 9). At ille non est locutus veritatem, ita ut diceret: In peccato sum, Domine. Sed peccato prævaricationis addidit peccatum superbiæ defensionis, et *retribuit* illi tunc Dominus *abundanter* facienti *superbiam*, quoniam ejecit eum de paradiso voluptatis in exsilium mortalitatis et multarum miseriarum. Filiis quoque illius et filiabus adhuc patrem suum imitantibus, et *facientibus superbiam retribuet abundanter.* Esset peccatum utcunque tolerabile in bona, et honesta operatione pati superbiam, eamque pulsantem sentire, sed ei minime consentire. Nam Deus, qui neminem vult perire, dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam, quæ pœnitentia excludit ab ipsis peccatis superbiam. Sed illi, qui faciunt superbiam, per impœnitentiam sentiunt quam vere dictum sit de Domino, quod *retribuet abundanter facientibus superbiam. Deus* enim, qui *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jac.* IV, 6), non solum de peccato, sed etiam de virtute sua gloriantes et superbientes humiliat: et e converso non solum de virtute, sed etiam de peccato suo se humiliantes exaltat

Est, qui habet in se superbiam, sed ipse non facit eam, quando eam vexantem sentit, sed et non consentit, nec in se illam diligit. Iterum est, qui facit superbiam nutriendo illam in se, peccata sua non accusando, sed defendendo. Attamen *abundanter* non facit *superbiam* si cito derelinquit suorum peccatorum defensionem superbam confugiens ad humilem pœnitentiæ medicinam. Pessimum vero genus est peccantium in peccatis suis perseveranter et obstinate superbientium. Isti *abundanter* faciunt *superbiam*, ideoque illis retribuetur abundanter in supplicio futuro nunquam finem habituro. Retribuit etiam hic Deus quandoque, cum aliquos puniendo humiliat, quod ideo facit, quia, si nullum nunc humiliaret, non videretur vigilare divina providentia: Si vero omnes, non servaretur divina patientia.

Vers. 25. *Viriliter agite et confortetur cor vestrum, omnes qui sperutis in Domino.* Audistis quia dictum est: *Diligite Dominum, omnes sancti ejus.* Verum, ne sit otiosa dilectio, *viriliter agite.* Neque putetis illam esse veram dilectionem, quæ renuit operari ad fraternæ salutis ædificationem. Unde

Digitized by Google

cum dixisset Petrus Domino: *Amo te*, audivit consequenter: *Pasce agnos meos* (*Joan.* xxi, 13). Sicut ergo Petrus Dominum fideliter dilexit, et in pascendis ovibus viriliter egit, sic et vos gemina charitate ferventes, Dei videlicet et proximi, ipsum Dominum ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota virtute diligite, atque proximum sicut vosmetipsos diligendo ad ejus ædificationem, *viriliter agite*, arguendo, obsecrando, increpando eumque in suis necessitatibus adjuvando pro viribus, et ultra vires adjuvare cupiendo, atque pro salute ejus orando. In his omnibus ac cæteris officiosis negotiis, prout locus, tempus et opportunitas admittit, *viriliter agite*, et inter agendum si occurrunt adversa superius memorata, ita ut audiatis vituperationem multorum commorantium in circuitu, *in eo, dum convenirent simul adversum vos*, in Domino confidite, *et confortetur cor vestrum*, ut bonum operantes sine defectu tempore suo metatis *omnes qui speratis in Domino*, ea spe, quam in principio psalmi audistis, ubi dictum est: *In te, Domine, speravi.* Singulariter dictum est: *In te, Domine, speravi*: pluraliter nunc dicitur: *Omnes qui speratis in Domino*, quia granum frumenti, quod in spe messis multæ seminatum est, ubi dicebat: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*, nunc fructum multum attulit, et ideo nunc multis dicit: *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino*, atque in ea spe cantatis: *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum*, etc. Sic finis psalmi connectitur principio, ut isto quasi circulo in naribus regis Assur posito fatuus trahatur, et retro captus ducatur ab eorum infestatione, qui sperant in Domino, et psallunt cum Christo, et in Christo, dicentes: *In te, Domine, speravi.* Item: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.* Item: *Illustra faciem tuam super servum tuum*, etc.

Gloria Patri, cujus Filius dicit in hoc psalmo: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.*

Gloria Filio, qui hoc dicit: quique Redemptionem illam perfecit, de qua dicit Ecclesia: *Redemisti me, Domine Deus veritatis.*

Gloria Spiritui sancto, qui est illa dilectio, et sanctitas, de qua dilectis et sanctis dicitur: *Diligite Dominum, omnes sancti ejus*: et etiam illa fortitudo, de qua dicitur: *Confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.* Sit *Gloria Patri* glorificante illum spiritu Christi *in manus* ejus commendato. Sit *Gloria Filio* glorificante illum populo redempto, qui dicit: *Redemisti me, Domine Deus veritatis.* Sit *Gloria Spiritui sancto*, glorificantibus illum dilectis, et sanctis, ac confortatis in ipso. Amen.

PARS TERTIA.

Ex Honorii Augustodunensis Commentario nondum edito suppleta.

PSALMUS XXXI.

Vers. 1. — *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates*, etc. Hic psalmus est secundus de septem Pœnitentialibus, et repræsentat spiritum pietatis, qui est secundus gradus de septem spiritibus. Primus namque psalmus septem Pœnitentialium est de timore, et spiritum timoris insinuat, per quem peccator a malo declinat. Hic autem secundus, qui est de confessione, spiritum pietatis innuit, per quem pœnitens bonum facit.

Psalmus hic in ordine tricesimus primus computatur, qui per senarium et quinarium multiplicatur, sive enim sexies quini, seu quinquies seni, triginta faciunt. Per senarium nova lex propter sex opera Evangelii; per quinarium accipitur vetus lex propter Pentateuchum Moysi. Cui monas additur, quia totum per cultum unius Dei completur.

Materia psalmi est populus pœnitens et peccata confitens. Intentio est nos hortari ad confessionem, ut per remissionem pertingamus ad beatitudinem.

Verba sumpta videntur de pœnitentia David, cui Dominus peccatum pro uxore Uriæ non imputavit, quia adversum se injustitiam suam Domino pronuntiavit. Dominum refugium posuit, quando tribulatio de Absalon circumdedit. Multa flagella peccans sustinuit; pœnitentem autem misericordia Domini circumdedit. Significat autem pœnitentem populum, cui Dominus peccatum cum carne commissum non imputat, si ipse per confessionem injustitiam suam adversum se pronuntiat, et si flagella sustinet, misericordiam a Domino inveniet. Titulus Psalmi est:

INTELLECTUS HUIC DAVID.

Hoc est: *huic* populo est *intellectus*, qui est peccata confitens, sicut David, qui hic loquitur, et est intelligens, id est sapiens. Superior psalmus dixit redemptionem Ecclesiæ factam ex gratia Dei. Et quia multi ex operibus legis et libero arbitrio se justos reputabant, non ex gratia divina; conveniter supponitur iste psalmus, qui dicit nullam justi-

Digitized by Google

ficari nisi per remissionem peccatorum, quæ non fit nisi a Deo. Unde repræsentatur hic persona Publicani in templo peccata confitentis, qui a Domino justificatur, dum jactans de meritis Pharisæus refutatur, qui exprimit vocem populi pœnitentis, et reatum suum in templo eidem confitentis, qui per Christum justificatur, dum arrogans per falsam justitiam reprobatur.

Psalmus hic quatuor modis per tria Diapsalmata distinguitur, quia corpus ex quatuor elementis constans, et anima ex tribus viribus per pœnitentiam affligitur. In prima parte est remissionis beatitudo, in secunda pœnitentis confessio, in tertia beatitudinis commendatio, in quarta indultoris consolatio. Est itaque sensus : dum populus ad regiam urbem properaret, quidam a recta via deviarant, qui denuo ad viam reversi adhuc errantes ad viam invitant. Ad urbem properant, qui per fidem Christi ad cœlestem Jerusalem ambulant. A recto itinere deviant, qui criminalia peccata perpetrant. Ad viam redeunt, qui peccata deserunt, et se nisi per Christum salvari diffidunt. Hi per gratiam justificati alios errantes ad justitiam invitant, quibus et clamant :

Beati, quorum remissæ sunt iniquitates. Beatitudo est immortalitas. Sunt ergo *beati*, qui ad immortalitatem sunt vocati. Qui sunt hi? *Quorum remissæ sunt iniquitates.* Per quid? per baptismum, ut scribitur : *Baptizate eos in remissionem peccatorum* (*Act.* II, 38). *Et quorum tecta sunt peccata.* Per quid? per charitatis opera. *Charitas* enim *operit multitudinem peccatorum* (*I Petr.* IV, 8).

VERS. 2. — *Beatus vir, cui non imputabit Dominus peccatum.* Per quid? per martyrium. Qui enim sanguinis effusione pro Christo immolatur, huic peccatum non imputatur. Trinitas hic notatur. Per Spiritum sanctum iniquitates remittuntur; per Filium peccata teguntur; a Patre non imputantur. *Iniquitates* sunt, quæ ante baptismum geruntur; *peccata*, quæ post baptismum committuntur. Per confessionem et pœnitentiam remittuntur *peccata.* Nemo autem facit confessionem, nisi qui se cognoscit peccatorem. Ille autem se peccatorem agnoscit, qui non ex propriis meritis, sed per gratiam Christi se salvandum intelligit. Est ergo prima intelligentia se peccatorem agnoscere. Pura confessio est absque humana verecundia confiteri quæ absque divina verecundia commisisti. Vera pœnitentia est et commissa deflere, et flenda non committere. Remittuntur etiam peccata per misericordiam, si remittimus in nobis peccantibus. *Peccata* sunt fœditates animæ, quæ teguntur bona actione. Quod enim videri erubescimus, hoc superducta veste tegimus. Peccata ergo eleemosynis velentur, ne in judicio revelentur. Peccatum non imputatur, si homo gratiæ Dei confitens ex corde confitetur, etiamsi desit tempus pœnitentiæ morte spatium ei præoccupante, sicut scriptum est : *In quacunque hora ingemueris, salvus eris.*

Nec est in spiritu, vel *in ore ejus dolus*, ut in Hebræo. *In* hujus *spiritu est dolus*, qui, cum sit coram Deo nequam, coram hominibus se justificat. Deum accusat, vel qui de justitia sua se, ut Pharisæus, jactat : vel qui se peccatorem confitetur, ut ab hominibus laudetur. *In* hujus vero *spiritu dolus non est*, qui corde et ore se peccatorem confitetur, hic gratiam Dei, ut Publicanus, promeretur. Sequitur confessio.

Diapsalma. — VERS. 3. — *Quoniam tacui* confessionem, *inveteraverunt ossa mea*, id est virtutes in peccatis. Quod inveteratur, hoc vetustate consumitur. Qui peccata confiteri differunt, inveterascunt, et hi a nova vita deficiunt. *Dum clamarem tota die* prævaricando legem omni tempore. Prius dixit : *Tacui*, nunc dicit : *Clamavi :* quia tacuit a confessione, tacuit a bona prædicatione, tacuit a bona operatione. Clamavit vero bona sua jactando, clamavit mala verbis et exemplis prædicando. Et hoc *tota die*, hoc est, tota vita sua. Cum enim homo vivit, quasi *dies* est, quia potest bonum operari : venit nox, id est mors, cum nemo potest operari. Multi tacent ore, et *tota die* corde clamant, dum malum vel bonum cogitant. Unde dicit Moysi : *Quid clamas* (*Exod.* XIV, 15)? cum nihil ore diceret.

VERS. 4. — *Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua.* Hoc est, potestas vindictæ tuæ ut grave pondus incubuit mihi in prosperis et in adversis, et compressit me ad confessionem. Ideo *conversus sum* ad te ab errore, *in ærumna mea*, id est in miseria pœnarum, *dum configitur spina*, id est dum pungit me conscientia peccatorum.

In alia translatione habetur : *Dum confringitur spina.* Spina dorsi, quæ totum corpus erigit, superbiam significat, quæ hominem in vanitatem elevat. Hæc *spina confringitur*, dum superba mens per terrorem judicii dejicitur. Tunc ærumnosum se intelligens convertitur ad confessionem, et meretur peccati remissionem. Unde sequitur :

VERS. 5. — *Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi. Delictum* est mandatum negligere, et *injustitia* est vetitum facere. *Delictum* Deo cognitum facit, qui injunctum sibi a Deo mandatum dereliquisse se confitendo ingemiscit. *Injustitiam* non abscondit, qui commissa crimina pœnitendo punit.

Dixi, id est in corde deliberavi : *Confitebor adversum me injustitiam meam Domino.* Hoc est, non Deum, non fatum, non stellas; sed me ipsum de injustitia mea accusabo, et ipse judex me in malis puniens condemnabo. *Et tu remisisti impietatem peccati mei.* Cum homo reatum punit, Deus remittit. Cum homo erubescendo celat, Deus puniendo revelat. Magna gratia! Cum homo confiteri adhuc deliberat, Deus peccata relaxat. *Impietas peccati* est defensio peccati. *Peccatum* fuit, quod Adam vetitum præsumpsit. *Impietas* fuit, quod commissum superbe defendit.

In alia translatione habetur : *Cordis mei*, quod

Digitized by Google

est velle abscondere, et non confiteri. Sequitur commendatio pœnitudinis.

Diapsalma. — Vers. 6. — *Pro hac orabit ad te omnis sanctus.* Hoc est : *Pro hac* remissione, vel *pro hac* impietate *orabit ad te*, qui solus peccata remittis, *omnis*, qui voluerit esse *sanctus*. Et hoc facit *in tempore opportuno*, hoc est, in ista vita, ubi est opportunum orare, et tempus acceptabile : nam in inferno nemo confitebitur Domino.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt. Diluvium aquarum multarum est inundatio doctrinarum philosophorum, vel hæreticorum in quibus homines Deo *non approximabunt*, nec sancti esse poterunt. *Diluvium* quoque *aquarum multarum* sunt variæ purificationes Judæorum, in quibus Deo non appropinquabant, a quo longe per superstitionem recedebant. *Diluvium* etiam dicitur judicium, quia subito veniet, sicuti diluvium insperate venit. Et sicut illud diluvium aquarum multarum super omnes montes quindecim cubitis ascendit, ita diluvium igneorum fluviorum eodem modo excrescet. Et sicut tunc omnes perierunt præter illos, qui erant in arca, ita in die illa omnes peribunt præter eos, qui erunt in Ecclesia. Et qui hic per remissionem sancti fuerint, tunc summa facilitate sine læsione illud igneum diluvium pertransibunt, et ad Deum se sanctificantem pervenient; impii vero pondere peccatorum gravati in igne remanebunt, *non approximabunt.*

Vers. 7. — *Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me* sive in diluvio hæresum, sive in diluvio tentationum : vel in diluvio anxietatum, vel in diluvio tormentorum impios in judicio involventium : *Exsultatio mea*, quia non gaudeo in mundo, sed in te. *Erue me a circumdantibus me* inimicis vel peccatis vel adversis. Hactenus pœnitens se accusando, et judicem justificando peroravit; deinceps judicis clementia respondit :

Diapsalma. — Vers. 8. — *Intellectum tibi dabo*, ut quæ mala erga me vel erga teipsum feceris, intelligas, et quæ bona neglexeris, quæ amodo facias, intelligas. De hoc intellectu psalmus intitulatur, quia per intellectum anima illuminatur. *Et instruam te in via hac, qua gradieris*, hoc est : *in via* confessionis, quam nunc ingressus es, docebo te bene vivere, ut possis mea arcana intelligere. *Firmabo super te oculos meos.* Hoc est, firmum te faciam in lumine intelligentiæ meæ. *Oculi* Domini sunt misericordia et pietas. Hos super conversum hominem firmabit, quando eum de malis exemptum in conspectu suæ visionis locabit. Sequitur admonitio divina ad eos, qui adhuc per devia erroris vagantur, ut quantocius corrigantur.

Vers. 9. — *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.* Hic exprimitur liberum arbitrium. Si enim fato vel necessitate homo coactus quidquam faceret, nequaquam Dominus, *Nolite*, diceret. Sed cum arbitrium sit in hominis voluntate liberum ab omni necessitate, utrum Deo jubenti velit obedire, an diabolo persuadenti consentire, jure dicitur ei : *noli.* Sed et Deus nihil impossibile jubet : si enim homo ita creatus esset, ut non nisi male viveret, impossibile sibi esset malum devitare, imo necesse esset eum peccare, et sequeretur quod Dominus injustus esset, si ei peccatum imputaret. Sed et nullus prohibetur ab impossibili. Nemini dicitur : Nolite ab Italia in Africam volare; sed omnibus dicitur : *nolite* peccare. Illud enim est homini non impossibile, istud possibile.

Per *equum* et *mulum* intelliguntur luxuriosi. Dicitur ergo fidelibus : *Nolite fieri sicut equus et mulus*, hoc est, sicut illi, qui non Dei voluntate, sed propria ad irrationabiles motus more belluino feruntur. Per *equum* quoque gentiles, per *mulum* Judæi in lege pigri denotantur. Vos, Christiani, nolite esse sicut Judæi et gentiles luxuriantes, et a vero Deo fornicantes.

Cum canis dominum suum recognoscat, et equus vel bos præsepe repetat, quæritur quomodo dicatur : *Quibus non est intellectus?* Sed sciendum est quod bestiæ sensum, in imaginatione memoriam habent, intellectu penitus carent. Per sensum corporis, quo magis quædam quam homo vigent, homines recognoscunt, absentes catulos imaginantur, per memoriam aves nidos, boves præsepia repetunt. Porro sola rationalis creatura bonum et malum per rationem discernit, virtutes et vitia per intellectum conspicit, quod nulla bestia facit. Vox conversorum ad Deum :

In camo et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. Camus, qui est ponderosior, ad mulos, *frenum* pertinet ad equos. Per mulos immundi, per equos significantur superbi. Per camum interior exspiratio, per frenum accipitur exterior disciplina. Vel per camum contritio, per frenum intelligitur prædicatio. Vel per camum vehemens invectio, per frenum moderata innuitur correctio. Per *maxillas*, quibus manditur, victualis copia intelligitur. Superbi Deo non approximant, qui luxuriæ et ebrietati vacant. *In camo et freno*, Deus, *maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te*, dum superbis, luxuriosis, ebriosis copiam rerum subtrahis, adversitatibus premis, prædicationibus corripis. *Nolite* ergo *fieri sicut equus et mulus*, ne forte in camo tribulationis et freno correptionis constringat vos Deus, quia

Vers. 10. — *Multa flagella peccatoris.* Verba ista tracta sunt ab indomitis animalibus, quæ camum, frenum et *flagella* tandiu patiuntur, donec recto tramite viam carpere consuescant. Sic vitiis indomiti, recalcitrantes Christo insessori, tandiu adversitatibus flagellantur, donec mundi incommodo victi rectoris imperio subdantur. *Sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.* Qui fidem et spem in Deo habent, et de meritis suis non præsumunt, hi misericordiam remissionis a Deo habebunt. In die judicii eos *misericordia circumdabit*, ac diluvium ignis eis nocere non sinet. Post correptionem et

Digitized by Google

rantium sequitur admonitio in justitia conversantium.

Vers. 11. *Lætamini in Domino*, non in terrenis, *et exsultate justi*, non ex meritis vestris, sed per gratiam justificati. *Et gloriamini* non in vestris virtutibus, sed in Domino *omnes recti corde*, hoc est : *Justi. Recti corde* dicuntur, quibus omnia judicia Dei placent, de peccatis se accusant, Deum in prosperis et in adversis laudant. Lætitia ad animam, exsultatio pertinet ad corpus, gloria ad utrumque. *Justi* in anima lætantur, cum in gaudio Domini deliciantur : in corpore exsultant, cum ut sol fulgidi angelis æquales dulci concentu de bonis Domini jubilant. In utroque gloriantur, cum in omnimoda gloria visione Dei satiantur. Ideo hic psalmus de sanctis cantatur, quia eis lætitia, exsultatio et gloria sempiterna præparatur.

Notandum quod decem versibus, ut quibusdam placet, pœnitens se accusans loquitur, et quinque versibus ei a judice respondetur, quia videlicet transgressionem decalogi delet quinquepartita passio Christi.

PSALMUS XXXII.

Vers. 1. *Exsultate, justi, in Domino, rectos decet collaudatio*, etc. Magnificæ deliciæ de promptuario hujus libri proferuntur, per quæ esurientes et sitientes justitiam abunde reficiuntur. Prior psalmus justificatos (reficit) : hic psalmus in trigesima secunda ordinis statione locatur, qui numerus per quater multiplicatur. Sunt enim quatuor octoni, seu octies quaterni summam hujus numeri perficiunt, quia omnes justi de quatuor partibus orbis collecti in octo beatitudines conveniunt. Titulus psalmi est :

PSALMUS DAVID.

Hoc est : Iste hymnus canitur Christo *desiderabili* a populo fideli, contra vitia *manu forti*. Materia psalmi est laus justorum a peccatis justificatorum. Intentio est nos invitare ad laudem Christi pro collatis beneficiis. Verba videntur sumpta de Josue, qui et Jesus, qui populum Dei de deserto exemptum terræ repromissionis induxit, hunc que in Domino exsultare monuit, in cujus vociferatione Jericho corruit. Et Dominus consilia gentium dissipavit, quæ Balac rex et Balaam sacerdos contra eos excogitavit; cogitationes populorum, consilia principum contra eos bellantium reprobavit; beatam gentem Israeliticam in hæreditatem sibi elegit, super quam de cœlo signis et prodigiis respexit, quando rex Seon per multam virtutem non est salvatus, et Og gigas, rex Basan, in multa fortitudine non est ab eis liberatus, quando aluit eos in fame per quadraginta annos cœlesti pane. Significat autem verum Jesum, qui populum de errore exemptum Ecclesiæ induxit, quem exsultare monuit, quia mundi concupiscentia in ejus jubilatione corruit, consilia gentium contra Ecclesiam dissipavit, consilia principum persecutorum eam impugnantium reprobavit, beatam gentem Christianorum sibi in hæreditatem elegit, super quam de cœlo per Filium suum respexit, quando rex superbiæ, et gigas diabolus est superatus, fidelis populus pane angelorum cibatus. Nemo miretur quod de tam diversis et præposteris historiis verba trahuntur Psalmorum, quia hic non quæritur ordo gestorum, sed mysteriorum. Psalmus habet duas sectiones : una est *exsultate, justi, in Domino*, in qua est justorum collaudatio : altera est *beata gens*, in qua est Ecclesiæ de omnibus gentibus coadunatio. Vox est Spiritus sancti ad justificatos.

Exsultate, justi, in Domino. Hic psalmus præcedenti continuatur, quia populus ab errore conversus in sanctos per Christum commutatur. In fine illius scribitur : *Lætamini in Domino, et exsultate, justi;* in capite istius idem repetitur : *Exsultate, justi, in Domino.* Ibidem : *Gloriamini, omnes recti corde.* Hic similiter : *Rectos decet collaudatio.* Prior versus est in sequentem mutatus, quia pœnitens populus in justificatum est translatus. Unde et Publicanus, qui in templo pœnituit, a templo justificatus descendit. *Justi* dicuntur, qui non suam, sed Dei voluntatem in omnibus sequuntur. Tales *justi, exsultate* vel gaudete *in Domino*, non in rebus terrenis. Nam pravorum exsultatio cum caducis finitur : justorum exsultatio nunquam finitur. *Recti sunt*, qui cor in regulam veritatis dirigunt. Hos *rectos decet collaudatio. Collaudatio* est multorum in Christo concordium laus. *Non* est autem *speciosa laus in ore peccato peccatoris* (*Eccli.* xv, 9).

Vers. 2. *Confitemini Domino in cithara, in psalterio decem chordarum psallite illi. Cithara* est musicum instrumentum inferius cavatum, sex chordis distentum, quæ percussæ inferius dulcissimum sonum reddunt superius. Et quædam chordæ bene cantant, quædam murmurant. Citharæ Dei sunt sancti, qui quasi inferius percussi superius resonant, dum in terrenis laborantes superna desiderant. Sex chordæ sunt sex opera misericordiæ, esurientem pascere, sitientem potare, nudum vestire, hospitem colligere, infirmum visitare, captum redimere. Hæc in terris fiunt, sonum in cœlis reddunt. Quædam chordæ bene cantantes sunt spirituales hæc hilariter operantes, quædam murmurantes sunt sæculares hæc eadem cum aliquo scru-

Digitized by Google

pulo sectantes. Dicitur ergo : *Confitemini Domino in cithara*, hoc est, laudate Deum, per hujuscemodi opera. Deo citharizamus, cum carnem nostram cum vitiis et concupiscentiis crucifigimus, et Deo in prosperis et in adversis gratias agimus.

Psalterium est musicum instrumentum superius cavatum, decem chordis distentum inferius reddens sonum. Psalterium sunt sancti de supernis edocti, qui quasi superius tacti inferius resonant, dum supernam doctrinam in terris prædicant. *Decem chordæ* sunt decem legis præcepta. Ex his tria pertinent ad dilectionem Dei, septem ad dilectionem proximi. Tria sunt hæc, Deus unus est : Non adorabis Deum alienum. Non perjurabis nomen Dei. Observa diem Sabbati. In his Trinitas veneratur. Septem hunc hæc : Honora patrem et matrem. Non occides. Non mœchaberis. Non furtum facies. Non falsum testimonium dices. Non concupisces rem proximi. Non uxorem et omnia, quæ illius sunt. In his proximus amatur. Hæc in duabus tabulis erant scripta, quia in duobus præceptis dilectionis universa lex pendet et prophetæ. In hoc psalterio decachordo sancti Domino psallunt, dum decem præcepta in dilectione Dei et proximi perficiunt. Deo in psalterio decem chordarum psallimus, dum in quinque sensibus carnalibus et quinque spiritualibus probabiliter vivimus.

Vers. 3. *Cantate ei canticum novum. Novum canticum* est nova lex, scilicet Evangelium. *Novum canticum est : Gloria in excelsis Deo*, quod angeli novo homine nato Christo, nato cantaverunt. *Novum canticum* cantat ; qui inimicum diligit ; qui omnia quæ habet relinquit. *Bene psallite ei in vociferatione*, hoc est, in cantu laudate. In Hebræo scribitur : *Psallite in jubilo*. Jubilum est gaudium animi, quod non potest voce exprimi. Bene psallit, qui implet, quod cantat. In jubilatione psallit, qui ineffabilem Deum laudans credit.

Vers. 4. *Quia rectum est verbum Domini*, hoc est, justum est præceptum Domini. *Et omnia opera ejus in fide*, hoc est, *opera ejus* recta sunt, quod hi intelligunt, qui *in fide* sunt. Vel illa *opera* Dei sunt, quæ in fide fiunt, quia *justus ex fide vivit* (*Gal.* III, 11), et fides per dilectionem operatur. Quæ sunt opera Dei ?

Vers. 5. *Diligit misericordiam et judicium*. Deus est dilectio, ideo omnia ex dilectione facit. *Misericordiam diligit*, cum miseris misericordiam impendit. *Judicium diligit* cum justos ab impiis sequestrabit. Hic exhibet misericordiam : ibi judicium. Diligit misericordes, diligit justos judices. Misericors est, qui in se peccantibus ut David parcit : justus, qui in Deum peccantes ut Phinees punit. Misericordes audiant : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* v, 7). Judices audiant : *In quo judicio judicaveritis, judicabimini* (*Matth.* VII, 2). Et iterum : *Judicium sine misericordia ei qui non fecit misericordiam* (*Jac.* II, 13). Sequitur : *Misericordia Domini plena est terra*, hoc est, totus mundus, quia in universa Ecclesia prædicatur Evangelium, et remittuntur peccata. Et qualiter Ecclesia quasi nova creatura effulserit per novam mundi creationem, mystice describit.

Vers. 6. *Verbo Domini cœli firmati sunt*. Hæc verba tracta sunt de historia, quando Deus dixit : *Fiat testamentum in medio aquarum* (*Genes.* I, 6), et vocavit firmamentum cœlum. *Et spiritu oris ejus omnis virtus eorum*, quando dixit : *Fiant luminaria in firmamento cœli* (*ibid.*, 14), et fecit Deus solem, et lunam, et stellas, et posuit eas in firmamento cœli, ut lucerent super terram.

Vers. 7. *Congregans sicut in utre aquas maris*, quando dixit : Congregentur aquæ in locum unum et congregationes aquæ appellavit maria. De his involucris evolvitur Ecclesia. Inprimis Trinitas apertissime scribitur cum in *Domino* Pater, in *Verbo* Filius, in *spiritu oris* Spiritus sanctus exprimitur. *Cœli* sunt apostoli, in quibus celantur secreta Dei. Hi *Verbo Domini firmati sunt*, quia per Filium Dei in fide solidati sunt.

Et spiritu oris ejus omnis virtus eorum, hoc est, omnis virtus apostolorum per Spiritum sanctum firmata est. Quod enim totum mundum prædicatione converterant, quod signa et miracula fecerant, totum a Spiritu sancto acceperant. Os Patris est Filius : per ipsum enim dixit quæcunque fieri voluit. Ideo dicitur *spiritus oris*, quia Spiritus sanctus est Patris et Filii communis virtus.

Dico : *congregans sicut in utre aquas maris*, hoc est, littoribus circumdans mare. *Uter*, qui fit ex corio mortui animalis, est Ecclesia, quæ mortificat carnem in vitiis. *Aquæ maris* sunt populi in vitiis fluidi, in peccatis amari. Hæ aquæ in utre congregatæ sunt, dum populi in infidelitate amari per virtutem apostolorum in unitatem Ecclesiæ confluxerunt. Non solum est *aquas in utre congregans* ; sed etiam *ponens in thesauris abyssos*. *Abyssus* est profunditas aquarum, *thesauri* in abysso sunt margaritæ, quæ tolluntur de conchis maris. Mystice *abyssus* est profunditas Scripturarum. *Thesaurus* autem Dei sapientia et scientia. *Virtus* ergo apostolorum in thesauris abyssos posuit, dum profunditatem Scripturarum per sapientiam et scientiam a Spiritu sancto acceptam exposuit. Et quia *misericordia Domini plena est terra*.

Vers 8. *Timeat Dominum omnis terra*. Hoc est, omnes inhabitantes terram *Dominum* ut servi *timeant* recedentes a malo, ut filii patrem diligant adhærentes bono. *Ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem* de infidelitate ad fidem, de iniquitate ad justitiam. Vel *omnes* creaturæ a Deo *commoventur*, dum vel prospera vel adversa ejus nutu fiant. Vel *ab eo* commoventur *omnes inhabitantes orbem*, dum in perfectione positi per eum de virtute in virtutem ibunt. *Orbis* est etiam Ecclesia, quæ in circulo mundi est posita. Qui hunc orbem

Digitized by Google

inhabitant, a Deo commoventur, dum Christiani instinctu Dei ad pœnitentiam convertuntur. Ideo timeant Deum cuncta.

VERS. 9. *Quoniam ipse dixit, et facta sunt* omnia : *ipse mandavit, et creata sunt* universa. *Dixit* per Filium : *mandavit* per imperium. Voluntate sua de nihilo fecit materiam informem, materiam formavit in variam speciem. Vel Christus *dixit*, quæ a Patre audivit, et *facta sunt* in Ecclesia, quæ *dixit*. *Ipse mandavit*, per prophetas legem, per apostolos Evangelium, *et creata sunt* scilicet ecclesiastica instituta et fideles vasa regno Dei apta. Ideo etiam terra, id est, terreni Deum timent, quia

VERS. 10 et 11. *Dominus dissipat consilia gentium.* Hæc verba tracta sunt de turri, quando Dominus ædificantes dissipavit, cum in diversas linguas eos divisit. *Reprobat cogitationes populorum*, scilicet Pharisæorum et Sadducæorum, qui cogitaverunt Christum interficere. *Et reprobat consilia principum* Annæ et Caiphæ, qui consiliati sunt ut Christus crucifigeretur et in sepulcro custodiretur. Hæc omnia destruxit, dum de morte surrexit. *Consilia* etiam *gentium* contra Ecclesiam dissipavit, dum idololatriam destruens Christianæ religioni eos subjugavit. *Cogitationes populorum* Ecclesiæ adversantium reprobavit, dum per doctores eos fidelibus sociavit. *Consilia* principum tyrannorum Ecclesiam impugnantium reprobavit, cum ipsos persecutores jugo fidei, ut Constantinum colligavit. Et quia *non est consilium contra Dominum* (*Prov.* XXI, 20), *consilium autem Domini manet in æternum. Consilium Domini* erat, ut per hominem Christum archangelus diabolus damnaretur, et homo a paradiso seductus angelicæ dignitati adæquaretur. Hoc *consilium manet in æternum* : quia et homo redemptus gaudium, et angelus malignus habet exitium. *Cogitationes cordis ejus in generationem et generationem. Cor* Dei est ejus sapientia ; *cogitationes ejus* æterna prædestinatio, in qua omnia reposita sunt, quæ vel fuerunt vel adhuc futura sunt. Hæ *cogitationes ejus manent in generationem et generationem*, quia omnia quæ de generatione rectorum vel de generatione pravorum prædestinavit, fixa manebunt. Et quia consilium Domini de salvatione humana in æternum manet.

VERS. 12. *Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus. Gens* Christiana ex omnibus gentibus ad cœlestem Jerusalem collecta est, *beata* quæ ad æternam beatitudinem vocata, a qua Deus verus colitur, Dominus omnium adoratur. *Populus* fidelium beatus, *quem* Dominus *elegit* de Judæis et gentibus repulsis infidelibus *in hæreditatem sibi*, ut et ipse sit hæreditas ejus. Hæc hæreditas erat amissa, sed per Christum recepta. Unde sequitur :

VERS. 13. *De cœlo respexit Dominus.* Hoc est, Pater de cœlo, id est, de Christo humanum genus clementer respexit, a quo indignanter offensus faciem avertit. *Vidit omnes filios hominum* miserando eorum.

In Hebræo habetur : *Super filios Adam et Evæ*, hoc est, super Judæos et gentiles. Per Christum enim utrosque visitavit, utrosque ad gratiam per pœnitentiam vocavit.

VERS. 14. *De præparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram.* Corpus Dominicum est *tabernaculum* Divinitati ab æterno *præparatum.* De hoc in cruce extenso Dominus *respexit*, quia omnibus terram inhabitantibus per Christi passionem gratiam suam tribuit. Vel *tabernaculum* est primitiva Ecclesia, per Christum *præparatum*. De quo Deus *super omnes qui habitant terram, respexit*, quando per apostolos omnes ad fidem convertit.

VERS. 15. *Qui finxit sigillatim corda eorum.* Hoc est, singulis dat proprias voluntates. Similitudo est a figulo, qui facile de molli terra fingit formam quam vult. Sic facile est Deo fingere bonas voluntates in singulis fidelibus. Vel qui fidelibus singula dona tribuit alii sermonem sapientiæ, alii sermonem scientiæ, alii gratiam sanitatum, alii operationem virtutum. Vel *qui finxit sigillatim corda eorum*, hoc est : in singulis creat proprias animas. *Qui intelligit omnia opera eorum*, qua intentione quisque bonum faciat, an pro Deo, an pro humana laude. *Homo videt in facie, Deus autem in corde.* Et quia omnes peccaverunt, et egent gloria Dei, et omnes per gratiam salvantur.

VERS. 16. *Non salvatur rex per multam virtutem, et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ* Tria hic ponuntur. *Rex, gigas, equus.* Per regem sæculi potentes; per gigantem fortes; per equum intelliguntur veloces. *Rex* per magnam potentiam, *et gigas non salvatur* per multam fortitudinem, et miles non salvatur, per equi velocitatem, sed omnes per Deum salvantur, de quo scribitur : *Domini est salus* (*Psal.* III, 9). *Rex* vocatur, qui carnem suam ab illicitis motibus regit. Hic si *virtute sua* præsumpserit, *non salvatur ;* si gratiæ Dei confidit, salvabitur. *Et gigas non salvabitur.* Hoc videtur tractum de Golia gigante, qui in fortitudine sua non est salvatus, sed a David est prostratus. *Gigas* dicitur ille, qui est contra diabolum et vitia fortis. Hic salvatus non erit, si suæ fortitudini multum se commiserit.

VERS. 17. *Fallax equus ad salutem.* Qui corpus jejuniis refrenat, vigiliis castigat, *equus* est dictus, quod possit alios vehere in virtutibus. Hic per se *fallax* est ad *salutem*, quia *vana salus hominis* (*Psal.* LIX, 13). *In abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.* Multi eremitæ erant plerisque virtutibus præclari; sed quia de se præsumebant, non sunt salvati. Quare? *in abundantia virtutis suæ* nemo *salvabitur.* Unde ergo erit salus, si nec rex se ipsum regens, nec gigas fortis contra vitia militans, nec equus alios in virtutibus portans per se salvabitur? a Domino. Sequitur enim :

Digitized by Google

VERS. 18. *Ecce oculi Domini super metuentes eum.* A *Oculi Domini* sunt misericordia et pietas. Hi *oculi* sunt *super timentes* Dominum et recedentes a malo. *Et in eis, qui sperant* non in meritis suis, sed *super misericordiam ejus.* Ad quid?

VERS. 19. *Ut eruat a morte* æterna *animas eorum, et alat eos in fame:* verbi Dei, pane vitæ. Vel esurientes et sitientes justitiam pascit intellectu spirituali, ne deficiant in via. Hæc est salus justorum. In Deum sperantes et justitiam esurientes subjungunt :

VERS. 20. *Anima nostra sustinet Dominum* exspectans misericordiam ejus, ut cibo incorruptibili vescatur. *Quoniam adjutor* noster ad bene operandum, *et protector noster est* ab impedientibus ad Deum perveniendum.

VERS. 21. *Quia in eo lætabitur cor nostrum.* Hoc est, anima nostra habitans in eo æterna lætitia perfruetur. *Et in nomine sancto ejus*, hoc est in Christo, qui est nomen Patris, *speravimus.* Sequitur oratio justorum :

VERS. 22. *Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te,* hoc est, secundum quod spes nostra fuit in tua misericordia, sit in die judicii corporis et animæ nostræ salvatio, et cum angelis in tua visione glorificatio.

PSALMUS XXXIII.

Benedicam Dominum in omni tempore, etc. Clave B janua aperitur, clausa cernuntur : titulo psalmus recluditur, mysteria panduntur. Titulus hujus psalmi est (VERS. 1) :

PSALMUS DAVID, CUM IMMUTAVIT VULTUM SUUM CORAM ABIMELECH, ET DIMISIT EUM, ET ABIIT.

Historia talis est. Saul persecutus est David, qui ad Achis regem Philistinorum fugit. Quem Philistei cognoscentes dixerunt regi, quod ipse esset, qui Goliam signiferum et principem illorum occidisset (*I Reg.* XXI). Quem rex jussit adduci et interfici. Quod David cognoscens ad artem confugit, epilepticum se simulavit, tympanizavit ad portam civitatis, ferebatur manibus, salivæ de ore in barbam cadebant. Quem Abimelech æstimans arreptitium, *dimisit eum, et abiit ;* et *homo* [*forte legendum,* C hoc modo] psalmum Domino pro ereptione cecinit. Saul diabolum, David significat Christum, *Achis* dicitur *quomodo est.* Abimelech *regnum Patris mei,* et erat commune nomen regum Philisthiim, sicut *Pharao* Ægyptiorum, et *Cæsar* Romanorum. Propter significationem ponitur in titulo *Abimelech* commune nomen, et non proprium *Achis. David* venit ad *Abimelech,* quando Christus venit in regnum Israel, quod erat *regnum patris* sui. *Vultum suum coram Abimelech* mutavit, quia cum in forma Dei esset, formam servi a Judæis accepit. *Vultum suum* mutavit, quando vetus sacrificium Aaron sacrificio novo Melchisedech, scilicet corpore et sanguine suo permutavit. Ergo immutatio *vultus,* est immutatio prioris sacrificii in novum sacrificium D corporis et sanguinis Christi. Agnus namque et hircus vel rufa vitula significativa erant nostri sacrificii. Et cum Christus hæc se significasse aperiret, et coram Judæis diceret : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI, 54), septuaginta discipuli cum multa turba Judæorum, qui prius crediderant, dimiserunt eum, dicentes : *Durus est hic sermo* (*Joan.* VI, 61). Et alii : *Nunc diximus vobis, quia insanit, et dæmonium habet?* (*ibid.*, 20.) Achis erant qui dicebant : *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* (*Ibid.*, 72.) Et Christus dimisit eos et abiit a cordibus eorum ad gentes, hoc est, gratiam suam subtraxit et contulit gentibus. David tympanizavit. Tympanum est corium in ligno extentum. Significat autem Christum in cruce extensum. Christus tympanizavit, cum mortem suam apostolis prænuntiavit. Et hoc ad portam civitatis fecit, quia apostoli erant porta Ecclesiæ civitatis Dei. Porta etiam sunt corda nostra, quæ Christus tympano crucis aperuit, et per fidem ad nos intravit. Quasi ad portam civitatis catechumenis tympanizamus, dum eis ante baptismum, quod est introitus Ecclesiæ, sacramenta passionis Christi prænuntiamus. Per salivam infirmitas carnis : per barbam intelligitur fortitudo divinitatis. Saliva etiam de ore erant verba ejus, quæ visa sunt infantilia, quando dixit : *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum* (*Joan.* VI, 57). Sed saliva in barbam cadebat, quia apostoli, qui erant robusti, verba vitæ esse dicebant. Quod autem David manibus ferebatur, significat quod Christus in cœna manibus suis inestimabiliter se ipsum ferebat. David inter manus se comprehendentium concidit, et Christus inter manus crucifigentium pro nobis occubuit. Pro hoc mysterio canitur psalmus Domino. Unde in tricesimo tertio loco computatur, quota annorum ætate Christus novum et verum sacrificium a Patre in ara crucis immolatur. Hic numerus a ternario surgens in denarium ascendit, et verum in ternario finit, significans quod opera decalogi per Trinitatem sunt inchoanda, et per Trinitatem consummanda. Ideirco Christus hoc annorum numero completo mori voluit, quia et pro Judæis, qui sub decalogo legis erant, et pro gentibus, qui gratiam Trinitatis exspectabant, occubuit.

Digitized by Google

Materia psalmi est laus Ecclesiæ pro susceptione novi sacrificii. Intentio est ut Christum laudemus, quem in sacrificium suscepimus. Verba sumpta sunt de laude David, quando manus inimicorum evasit, et significat laudem fidelis populi, quod manus persecutorum evasit. Nota quod titulus est de sacrificii immutatione, et psalmus de laude Ecclesiæ pro Christi susceptione. Christus enim Judæos *dimisit*, ad Ecclesiam *abiit*. Unde ipsa jubilans canit : *Benedicam Domino in omni tempore*. Similiter in aliis psalmis observa, ubi psalmus est de Resurrectione, titulus est de Passione, ut in *Domine, quid multiplicati sunt :* ubi vero psalmus est de Passione, ibi titulus est de Resurrectione; ut in *Deus meus*. Quæ figura dicitur synodoche, cum per id, quod sequitur, quod præcedit, intelligitur; ut cum dicimus *mane*, intelligimus noctem præcessisse.

Hic psalmus secundum ordinem litterarum alphabeti apud Hebræos scribitur, et maxima doctrina divinæ institutionis innuitur. Sexta littera, id est Vau deest, qui numerus perfectus est, quia quibusdam in Ecclesia perfectio non adest. In ter aut quatuor species distinguitur. Prima est : *Benedicam Domino in omni tempore*, in qua est Ecclesiæ laudatio, quæ quatuor litteris contexitur. Secunda : *Accedite ad Deum*, in qua est fidelium admonitio, quæ sex litteras complectitur. Tertia : *Venite, filii*, in qua est adhuc errantium vocatio, quæ quatuor litteris connectitur. Quarta : *Oculi Domini*, in qua est bonorum et malorum retributio, quæ septem litteris comprehenditur. Nota diligenter singula. In psalmo *Beati quorum* erat laus ab errore conversorum; in psalmos *Exsultate, justi*, laus a peccato justificatorum; in isto est laus justorum pro susceptione sacrificii, quo peccatores emundantur, et justitiæ præmia donantur. Vox est Ecclesiæ Deum laudantis.

ALEPH.

Vers. 2. *Benedicam Domino in omni tempore.* Hoc est, in prosperis et in adversis : vel accepta Christi sacramenta laudibus instituam. *Semper laus ejus in ore meo. Laus* dicitur a *lauro*, qua victores solebant coronari. *Semper* laudabo Deum victorem *ore* interiore et exteriore : *ore* cordis, fide et devotione : *ore* corporis et confessione et jubilatione. Hæc laus in sacrificio mutato celebratur, insuper Deo sacrificium laudis ab Ecclesia sacrificatur. Semper Deum laudat, qui jugiter eum ore et mente gestat.

BETH.

Vers. 3. *In Domino laudabitur anima mea.* Hoc est, laudabilis erit vita mea, et ab his, qui Domini sunt, collaudatur. Et quod ego in Domino facio vel dico : *Audiant mansueti, et lætentur*. Qui in Domino nolunt laudari, non sunt *mansueti*, sed truces, asperi, elati, superbi. *Mansueti* autem, in quibus Dominus quasi in domito jumento sedet, *audiant*, id est addiscant sacramenta Ecclesiæ, *et lætentur* videntes salutem animæ in hoc sacrificio digne accepto constare. Et postquam sacramenta Ecclesiæ intellexeritis.

GIMEL.

Vers. 4. *Magnificate Dominum mecum.* Hoc est, celebrate mecum divinum sacrificium : vel nolite me solum in Domino laudare, sed et ipsum *Dominum mecum* magnum prædicate. *Et exaltemus nomen ejus in idipsum*, id est in unum vel in invicem. Nomen Dei in unum exaltatur, cum choris invicem alternantibus Christus laudatur.

DELETH.

Vers. 5. *Exquisivi Dominum*, non aurum, *et exaudivit me.* Si vos eum exquirite, non spatio terrarum, nec angustia locorum; sed in corde fida dilectione : et non pecuniam, nec terrenam substantiam, sed ipsum Dominum, et exaudiet vos sicut *me.* In quo ? *ex omnibus tribulationibus meis eripuit me*, scilicet de fame, siti, mortalitate. Trinitas hic notatur? in *Magnificate Dominum* Pater, in *Exaltemus nomen* Filius, in *Exquisivi Dominum* Spiritus sanctus intelligitur. Postquam Ecclesia laudes præmisit, choros ordinavit, nunc ad ipsam communicationem populum accedere hortatur.

HE.

Vers. 6. *Accedite ad eum* fide *et illuminamini* intelligentia, quid significet ipsum sacramentum. Ebriosi, adulteri, superbi non accedant; sed sobrii, casti, humiles, qui conscientiam pœnitentia mundant. *Et facies vestræ non confundentur;* sicut illorum confusi sunt, qui non intelligentes abierunt retrorsum. Vel *accedite ad eum* non loco, sed appropinquate Deo per vitæ munditiam, et appropinquabit vobis per gratiam : *et illuminamini* ab ejus luce per sapientiam, *et facies vestræ* non erubescent de peccatis jam remissis in die judicii. Dixisti quod te Dominus exaudierit. Unde hoc appareat? Quia

SAI.

Vers. 7. *Iste pauper*, hoc est Christianus populus, *pauper* spiritu *clamavit* credendo, intelligendo, magnificando. *Et Dominus exaudivit eum.* In quo? *et ex omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.* Hoc perfecte faciet, quando animas ex omnibus angustiis mundi redimet, et de confusa sæculi clade ad perennem securitatem transferet. Vel *iste pauper*, Christus pro nobis pauper factus, in cruce *clamavit, et Dominus exaudivit eum* resuscitans eum a mortuis : *et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum* instituens in dextris suæ majestatis.

HETH.

Vers. 8. *Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum et eripiet eos.* In Hebræo habetur. *Circumdat angelus Domini in gyro timentes eum et eruet eos.* Christus magni consilii *angelus immittet* se *in circuitu timentium* se, *et eripiet eos* ab angustia. Sed et singulis fidelibus dicuntur angeli esse custodes, ne maligni angeli noceant eis, sicut scriptum est : *Angeli eorum semper vident faciem Patris*,

Digitized by Google

qui in cœlis est (*Matth.* XVIII, 10). Hi in gyro justos circumdant, circa Deum diligentes se immittunt, et a dæmonibus, vel malis hominibus eruent eos. Iterum ad communicationem invitat, in qua tota salus animæ constat.

DETH.

VERS. 9. *Gustate*, id est, sumite ipsum sacramentum, *et videte*, id est experimento probate, *quoniam suavis est Dominus*. Hoc est jucundus cibus et salubris. *Gustate* cordis palato, *et videte* intelligentia, *quoniam suavis est Dominus* angelis et animabus, qui amarus visus est Judæis et gentilibus.

Sciendum quod solis Christi dilectoribus *suavis est Dominus*, et soli crucifixi vescuntur carnibus crucifixi. *Qui* enim *Christi sunt, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifixerunt* (*Gal.* v, 24). Hæc crucifixio non ad exteriorem, sed ad interiorem pertinet hominem. Porro illa crux est charitas. Sicut crux duobus lignis compaginatur, sic charitas genuina dilectione copulatur. Tria cornua crucis erecta est fides Trinitatis, quartum reliqua sustinens est veneratio unitatis. In hanc crucem interior homo extenditur, dum per omnia mandatis Christi obedienter subditur. In altum crucis se extendit, dum fide et spe semper Deum intendit tota anima, tota virtute, tota mente eum diligit, nihil divinæ voluntati præponit. In latum crucis se extendit, dum amicos in Deo, inimicos propter Deum diligit; proximum suum, quod est homo, homo ut se ipsum diligit, dum nulli, quod non vult, facit pati, et omnibus, quod sibi cupit exhiberi, impendit. In longum crucis se extendit, qui in his usque in finem pro Christo perseveraverit. Clavi pedibus affectionum infixi sunt duo serviles timores : unus, quo timet divinum judicium, quia injuncta mandata neglexit; alter, quo metuit incidere æternum supplicium, quia contra præcepta Domini mala gessit. Clavi per manus actionum transfixi, sunt duo sancti timores : unus, quo timet, ne per negligentiam seu per ignorantiam quidquam committat, unde Deus offendatur; alter, quo metuit, ne diu a visione Dei differatur. Qui sic vitiis et concupiscentiis crucifixerit se, Christi cibo reficitur et crucifixo, cohæres Christi regno Patris inducitur. Sequitur : *Beatus vir qui sperat in eo*, et non in incerto divitiarum, quia hic æterna beatitudine perfruatur.

JOD.

VERS. 10. *Timete Dominum, omnes sancti ejus.* Hoc est, omnes sanctificati per eum, *timete Dominum*, a malo recedentes, diligite eum bono adhærentes. *Quoniam non est inopia timentibus eum.* Sæpe Deo servientes magnam inopiam rerum patiuntur, substantia exterior deest, salute corporis carent, bonis suis a tyrannis proscribuntur, ipsi in exsilium mittuntur. Et quomodo verum est : *nihil deest timentibus eum?* In interiori utique homine nullam inopiam patiuntur, cum cibo spirituali, sicut corporis Christi, vel verbo Deo reficiuntur. In futura vita nihil eis deerit, ubi Deus omnium bonorum abundantia præmium erit.

CAPH.

VERS. 11. *Divites eguerunt et esurierunt.* Summum bonum *esurierunt*, et tamen egebunt, id est carebunt, quia non recta via incedunt. Quinque sunt in quibus filii hujus sæculi gloriantur. Divitiæ, gloria, dignitas, potestas, voluptas. Divitiæ, ut abundantia rerum, firma munitio ædificiorum, copia pecuniæ, frequentia familiæ, multitudo et fecunditas animalium, ubertas agrorum, fertilitas vinearum. Gloria, ut est claritas famæ, pulchritudinis, fortitudinis, velocitatis, sapientiæ, eloquentiæ. Dignitas, ut sunt magistratus, præsidatus, comitatus, ducatus. Potestas, ut est regnum, imperium. Voluptas, ut sunt speciosæ mulieres, nati elegantes, præclaræ vestes, deliciæ cibi et potus. Qui hæc habere sitiunt, et corpus Christi, vel verbum vitæ non esuriunt, semper egeni erunt. Nam divitiæ poterunt igne, pestilentia furibus auferri; gloria infamia obscurari, senectute dilabi, dignitas imminui, potestas adimi, voluptas amaritudine inficiari. *Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Nullo bono carebunt, quando Deum, qui est omne bonum, habebunt, quem solum quærunt. Nunc autem vita illorum abscondita est cum Christo in Deo, cum Christus gloria eorum apparuerit, similes ei in corporis claritate erunt, quoniam eum, sicuti est, in Deitate, facie ad faciem videbunt. Argumentum ex contrario sumitur. Contrarium est enim divitiæ et pauperes. Argumentum dicitur argutæ mentis judicium. Est autem argumentum ratio dubiæ rei faciens fidem. Duobus modis attrahit ad dilectionem : per præmium et per pœnam. Pauperes Deum timentes omnibus bonis abundabunt; divites Deum contemnentes omnibus bonis carebunt. Postquam dixit, quod pauperes esu corporis Christi reficiantur, divites ab hoc edulio repellantur, convertit se Spiritus sanctus vel Ecclesia ad filios regni adhuc deviantes, et ad salutaria sacramenta eos invitat dicens : Ego dixi : *Timete Dominum*. Et ut ostendam vobis, quid sit timor Domini,

LAMETH.

VERS. 12. *Venite, filii*, quos in fide genui, per studium discendi *venite*, obedienter *audite me, timorem Domini docebo vos*, per quem ad sapientiam possitis pervenire, de servitute ad libertatem, de exsilio ad regnum conscendere. Postquam omnes congregati sunt, omnibus intente auscultantibus dicit :

MEM.

VERS. 13. *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* Hoc est, quis vestrum vult aeternam vitam consequi, et omnibus bonis perfrui? Omnibus respondentibus : Ego, ego, ait :

NUN.

VERS. 14. *Prohibe linguam tuam a malo.* Cohibete, ne dicas aliquod malum, *et labia tua ne loquan-*

Digitized by Google

tur dotum. Quod dicis ore, hoc habe corde. *Mors* enim *et vita in manibus linguæ* (*Prov.* XVIII, 21). Et *qui putat se religiosum esse non refrenans linguam suam, hujus vana est religio* (*Jac.* I, 62). Custos autem justitiæ silentium.

LAMETH.

VERS. 15. *Diverte a malo*, hoc est, sis innocens, *et fac bonum*, hoc est, sis justus. Destrue vitia, ædifica virtutes. Relinquas omnia, quæ diabolus instigat, fac quæ Christus mandat. *Inquire pacem, et persequere*, hoc est valde sequere *eam.* Cum omnibus hominibus habe pacem et concordiam, imitare Christum, qui est pax vera, et habebis *pacem* in æterna vita. Talia facere est Deum timere. Et quid, aiunt, consequuntur hæc agentes? Istud.

SIN.

VERS. 16. *Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum.* Hoc est, misericordia et pietas super hæc facientes redundabunt, benignitas et largitas Dei super preces abundabunt. Quod est dicere : Deus semper justos aspicit quid velint, et quidquid petierint, præstabit. Quid autem fiet his, qui hæc non faciunt? Hoc quod sequitur :

THE.

VERS. 17. *Vultus autem Domini super facientes mala*, hoc est, vindicta cuncta cernentis veniet super peccatores. Ad quid? *Ut perdat de terra* viventium *memoriam eorum*, ut nulla mentio, nullæ preces fiant pro eis a sanctis, qui erunt ibi. Justi autem semper a Deo exaudiuntur.

SAIN.

VERS. 18. *Clamaverunt justi* Abraham, Moyses, Joseph et alii in Ægypto, *et Dominus exaudivit eos et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.*

SADE.

Porro septem Machabæi et alii martyres quam plurimi *clamaverunt*, et temporaliter non sunt exauditi, sed pœnis momentaneis consumpti ; et tamen in occulto *exaudivit eos* Dominus ab æternæ mortis cruciatu liberando, et optata gloria coronando.

COPH.

VERS. 19. *Juxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde.* Hoc est, prope est his, qui pro ipso sunt in tribulatione, sicut fuit cum Joseph. *Et humiles spiritu salvabit* in cœlesti regno. Nam qui se hic humiliant, a Deo exaltantur.

RES.

VERS. 20. *Multæ tribulationes justorum.* Qui tribulationem non patitur, justus non est. *Omnes* enim, *qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patiuntur* (*II Tim.* III, 12). Multas molestias sustinent justi in hac vita, plures etiam quam mali. *Et de omnibus his liberabit eos Dominus* in futuro, de fame, de persecutionibus et cæteris omnibus. Tunc judicabunt nationes, et dominabuntur populis. Juxta est eis Dominus, quia

VERS. 21. *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.* Videndum quomodo hoc sit verum. Multorum namque martyrum ossa sunt confracta, et conflagrante incendio in cinerem redacta, quædam in undam sparsa injecta, quædam minutatim per campos disjecta. Hic liber spiritualis est, et per similitudines interiori homini loquitur, et nostro more non loquitur. *Ossa* sanctorum sunt firmitates animæ, hoc est patientia, mansuetudo et cæteræ virtutes. Hæc *ossa* Dominus in sanctis ita custodit, quod nec unum, id est minima virtus in eis deperit. Justos omnes Dominus in fine salvabit. Sed

MEM.

VERS. 22. *Mors peccatorum pessima*, quamvis videatur stultis bona, cum viderint funera divitum purpura et serico vestiri, marmorea sepulcra auro gemmisque insigniri ; sed animæ tartareo carceri includuntur, et sulphureo profundo immerguntur. *Et qui oderunt justum, delinquunt. Qui* Christum *justum oderunt, delinquunt*, id est peccant, et qui justos propter justitiam odio habentes persequuntur, propter hoc delictum pessima morte, scilicet æterna puniuntur. In Hebræo habetur : *Interficiet impium malitia.* Et quid erit de bonis ?

THAU.

VERS. 23. *Redimet Dominus animas servorum suorum.* Quos pretio sanguinis sui de potestate diaboli redemit, hos sibi servientes de potestate secundæ mortis liberabit. *Et non delinquent omnes, qui sperant in eo.* Qui justum oderunt, delinquunt ; qui sperant in Deo, non delinquunt, ideo illi supplicia, isti habebunt sempiterna gaudia. In alia translatione habetur : *Non derelinquet omnes, qui sperant in eum*, scilicet bonus pastor oves, quas redemit, non relinquit, sed sedula pietate custodit, corpore suo pascit, ad promissum gloriæ præmium perducet. Hunc psalmum ideo vindicat sibi festum apostolicum, quia ipsi importaverunt Ecclesiæ novum Christi sacrificium

PSALMUS XXXIV.

VERS. 1. *Judica, Domine, nocentes me*, etc., etc. In hoc opere aliquando lilia albescunt, aliquando rosæ a spinis surgentes rubescunt : quia nunc læta animum diffundunt, nunc tristia mentem pungunt. Superior psalmus tractavit de mutati sacrificii institutione, hic tractat de Ecclesiæ ejusdem sacrificii imitatione. Hujus autem sacrificii imitatio est obedientiæ et Passionis Christi imitatio. Qui obedien-

Digitized by Google

tiam Christi patienter imitatur, hic de sacramentis Christi vere participat. Idcirco autem tot psalmi de passione Christi ad formam patientiæ fidelibus proponuntur, quia per patientiam gaudia adipiscuntur. *Si enim compatimur, et conregnabimus* (*Rom.* VIII, 17).

Hic psalmus in ordine tricesimus quartus locatur, et huic rei convenienter aptatur. Tricenarius surgit a ternario. Per ternarium fides Trinitatis; per quaternarium Ecclesia de quatuor plagis mundi collecta; per denarium exprimitur æternæ retributionis præmium. Si ergo Ecclesia sub quatuor Evangeliis constituta in fide Trinitatis Christi obedientiam patiendo imitatur, vitæ denario remuneratur. Per ternarium quoque fideles in activa vita, per quaternarium designantur quatuor virtutibus prudentia, justitia, fortitudine, temperantia fundati in contemplativa vita, quibus in vinea Ecclesiæ laborantibus dabitur in præmio a Christo vitæ denarius. Titulus est:

PSALMUS IPSI DAVID.

Ubi *ipsi* apponitur, Christi proprie persona intelligitur: ubi vero *psalmus David* tantum scribitur, populus fidelis accipitur. *David* interpretatur *manufortis* vel *desiderabilis*. Ergo hic psalmus, id est hymnus, canitur Christo manuforti et desiderabili, qui nostram mortem vicit, qui nobis vitam æternam repromisit. In hoc *manufortis*, quia mortem vicit; in hoc *desiderabilis*, quia vitam promisit. Quid fortius hac manu, quæ mundum vicit non ferro armata, sed ligno transfixa? Quid desiderabilius eo, quem non videntes martyres mori voluerunt, ut ad illum venire et videre possent?

Materia psalmi est oratio Dominici hominis pro Passione, pro Resurrectione, pro inimicorum conversione, pro obstinatorum damnatione. Intentio est nos exemplo Christi ad obedientiam et patientiam informare. Quotquot psalmi sunt de Christi passione, horum verba tracta sunt de illa, quam David a Saul, vel aliis pertulit persecutionem. David in propria terra passus est persecutionem a comprovincialibus; in terra aliena inpugnatus est a gentilibus. Contra utrosque cecinit hoc carmen Domino. Christus pertulit persecutionem a Judæis et gentibus, contra quos Patri hanc orationem fudit. Ecclesia a persecutoribus et hæreticis impugnatur, contra quos hoc carmine armatur. Quisque fidelis a proximis et fratribus falsis adversa patitur, contra quos hac oratione utitur.

Psalmus habet tres sectiones: Prima est, *Judica, Domine, nocentes me*, in qua est inimicis Christi imprecatio; secunda, *Anima autem mea*, in qua est Resurrectionis gratulatio et Passionis enarratio; tertia, *Confitebor tibi in ecclesia magna*, in qua est liberati confessio, et persecutorum confusio, et justorum exsultatio. Vox est Christi in Passione desudantis, et vox Ecclesiæ in passione laborantis, et vox cujuslibet fidelis in tribulatione ad Deum clamantis.

Judica, Domine, nocentes. O *Domine*, Verbum vel o Trinitas, *judica* per judicium, damna nocentes dæmones me hominem tentationibus, *expugna*, id est repugnando subjice pœnis *impugnantes me* Pharisæos et principes sacerdotum persecutionibus.

VERS. 2. *Apprehende arma et scutum.* Arma sunt cœlestia adjutoria; *scutum* divina protectio. *Apprehende arma*, id est mitte mihi homini angelica munimenta, *et scutum*, hoc est, defende me tua protectione. Hæc enim oranti, et præ angustia sanguinem sudanti apparuit ei angelus de cœlo confortans eum. *Scutum* ei Pater perhibuit, dum quisque eum comprehendere volentium quasi umbone repulsus retrorsum corruit. Vel *apprehende* per me eos, qui erunt *arma* contra dæmones et vitia terribilia, ut apostoli: *et scutum* alios protegens, ut Paulus. Et qui Judæis in mea Passione dormire [*supple* videor], expergiscere, *et exsurge in adjutorium* mihi. Pater *in adjutorium* Christi surrexit, cum homo per Deum diabolum vicit, hominem perditum reduxit.

VERS. 3. *Effunde frameam*, id est evagina gladium, *et conclude adversus eos, qui persequuntur me*, hoc est, interfice eos. *Framea* Dei est anima Christi: hujus vagina fuit caro humana. Hæc *framea* est effusa, dum Christi anima a carne est soluta. Hac persecutores Christi sunt conclusi, dum dæmones victi, Judæi sunt confusi. Hanc *frameam* Pater extraxit, et caput malorum diabolum ab Ecclesia amputavit, et idololatriam Christianæ religionis adversatricem trucidavit. *Dic animæ meæ*, postquam per eam pugnaveris, et hostes straveris, recondi eam in vaginam corporis resuscitans illud: *Salus tua ego sum.*

VERS. 4. *Confundantur* dæmones, *et revereantur* Judæi et gentiles *quærentes animam meam*, id est consiliantes perdere vitam meam. Tunc enim sunt dæmones confusi, quando per unam animam Christi multas animas amiserunt: Judæi et gentiles reveriti, quando hominem a se occisum, et in tumulo custoditum vivere, et multa signa per eum fieri audierunt. *Avertantur* non in ante, ut proficiant, sed *retrorsum*, ut cadant, et pereant, *et confundantur* in futuro judicio *cogitantes mihi mala*, sicut Pharisæi et alii Judæi. Vel *confundantur* in pœnitentia, *et revereantur* de peccatis, *avertantur* ab idololatria *retrorsum*, id est non præcedant in superbia, sed retro sequantur Christum in humilitate, et *confundantur* pœnitendo de priori conversatione. Sequitur:

VERS. 5. *Fiant tanquam pulvis ante faciem venti.* Hoc est, sicut *pulvis* a vento spargitur, sic hostes Christi a tentationibus dæmonum vagi in concupiscentiis circumferantur. *Et angelus Domini*, id est diabolus, *coarctans eos*, hoc est, magis instiget eos. Vel ita angelo persequente disperdantur, ut nihil prorsus ex his vel exiguum relinquatur. Et cum sint ut pulvis aridi, et pondere bonitatis vacui, in die judicii a vento tempestatis iræ Dei tollantur, et sal-

Digitized by Google

plureo turbini involvantur, et tunc *angelus Domini*, scilicet diabolus, ad vindictam Dei constitutus, sit *coarctans eos*, id est crucians in æternis suppliciis.

In Hebræo habetur : *Et angelus Domini impellit eos, qui ejusmodi sunt.* Vel aliter : *Fiant tanquam pulvis ante faciem venti*, hoc est, ad fidem conversi vento Spiritus sancti a terrenis desideriis sublevantur, et a pondere criminum leves in æthereas virtutes perducantur. *Et angelus Domini* bonus *coarctans eos*, ad pœnitentiam constringens eos adversitatibus ad sanctimoniam. Sequitur :

Vers. 6. *Fiat via illorum tenebræ et lubricum*, id est ignorantia et luxuria vel inconstantia. Lumen veritatis non cognoscant, nec firma statione consistant ; sed de vitio in vitium cæci lubrico gressu labantur, qui in mea passione grassantur, atque ab angelo claritatis Dominicæ affligantur. Qui enim in ista vita graditur, hunc diabolus persequitur. Unde subditur : *Et angelus Domini persequens eos* æternis tormentis. Si *angelus Domini*, cur malus ? si malus, cur *Domini ? Angelus* per naturam, *Domini* per creationem, malus per propriam voluntatem. In hoc etiam *Domini*, quia Domino servit, dum malos punit, justos in camino tribulationis, ut faber aurum a sorde excoquit.

Aliter : *Fiat* conversis *via* peccatorum *tenebræ*, scilicet per lucem veritatis tenebrosam videntes exhorreant, *et lubrica*, ut diutius in eadem stare nequeant. *Et angelus Domini* Christus, magni consilii angelus, id est Patris nuntius, *persequens eos* castigando et corripiendo a malis, ne hæreant in terrenis desideriis, sed festinent ad viam salutis. Hoc modo, ut dixi, persecutores mei perdantur.

Vers. 7. *Quoniam gratis*, id est sine mea culpa *absconderunt mihi interitum laquei sui*, hoc est, absconse paraverunt mihi mortem, qua illaquearer. *Laquei*, dico, *sui*, quo ipsi illaqueabuntur. Vel mea mors erat interitus *laquei sui*, quod sunt peccata, quæ per mortem meam sunt destructa. *Supervacue exprobraverunt animam meam. Supervacue*, id est in vanum dicentes me blasphemum, cum dixi : Filius Dei sum ; vel falso accusantes, quod templum Dei possem destruere, et aliud non manufactum reædificare. Ideo

Vers. 8. *Veniat illi laqueus, quem ignorat*, scilicet illi populo eveniat illa mors, quam ignorat per meam mortem evenire. Quod ita contigit. Nam subito venit Romanorum exercitus, et circumdedit eos congregatos ad solemnitatem. *Venire* dicitur *laqueus*, cum aliquis se præcipitat in laqueum. Et quia non omnes interfecti fuerunt, dicit quid aliis contingat : *Et captio, quam abscondit, apprehendat eum*, hoc est, *captio*, quam absconse paravit mihi, sit causa suæ captionis, et hujusmodi *captio apprehendat eum. Et in laqueum cadat in ipso* [al., *in ipsum*], id est in Christo, repentinam, quam mihi paravit, et incidat in foveam, quam fecit.

Aliter. *Veniat illi laqueus, quem ignorat*, hoc est, A nexus veritatis, quem ignorat, illum astringat : *et captio, quam abscondit*, id est mors Christi occultis insidiis machinata *apprehendat eum* a Deo fugientem ; *et in laqueum cadat in ipso*, id est, in Christo, scilicet a priori vita *cadat* in vinculum dilectionis absolutus a laqueo dæmoniacæ captionis. Quia hoc est judicium discernere inter bonos et malos, ideo istud totum in bono et in malo intelligitur, et Christus verus judex pro suis dilectoribus ante Passionem, et in Passione pro suis crucifixoribus oravit, et in cruce quasi in tribunali residens unum de latronibus sicut in judicio sinistros damnavit, alterum sicut adhuc dextros vitæ adjudicavit. Sequitur gratulatio Resurrectionis. Pro morte mea illis sic eveniet:

Vers. 9. *Anima autem mea exsultabit in Domino*, B hoc est, ego resurgam, et *anima mea* lætabitur in Resurrectione facta per Dominum : *et delectabitur super salutari suo*, id est, delectatio erit illi de salvatione, quæ per illam fiet aliis ; hoc est *suo salutari*. Salus enim mundi erat anima Christi, vel *salutare* animæ Christi erat majestas verbi, unde salus egreditur, et vita præstatur, fons misericordiæ, supplicantium remedium, remissio peccatorum.

Vers. 10. *Omnia ossa mea dicent*, hoc est fortitudo mea et robur et omnes animæ virtutes jubilando clamant : *Domine, quis similis tui ?* Vel *ossa* Christi sunt apostoli, infirma carnis, scilicet Ecclesiam adhuc in fide teneram portantes, videntes eum de morte revixisse clamaverunt præ nimia admiratione : *Domine, quis similis tui ?* Nullus. *Eripiens inopem de manu fortiorum ejus*, hoc est, humanum genus de potestate diabolorum : *Egenum et pauperem a diripientibus eum*, hoc est, a dæmonibus in diversa vitia eum distrahentibus, deinde in diversa supplicia eum rapientibus. C

Nota tria : *Inops, egenus, pauper.* Alia translatione habetur : *Mendicus* pro *pauper.* Humanum genus erat *inops*, quia mortale effectum aliunde non habebat auxilium neque a lege neque a propheta neque ab alio. *Egenum* erat, quia in labore et sudore panem quæsivit. *Pauper* erat, quoniam de illa sapientia et puritate dejectum solam tenuem et umbratilem ratiunculam possidebat. *Mendicum* etiam erat, quia adjutorium implorabat. Dæmones ei fortiores erant, quia in omnibus ei prævalebant. Et quia eum in potestate habebant, ad quæque Deo contraria rapiebant. Vox est etiam Christi Patri gratias agentis : *Eripiens* me *inopem de manu fortiorum*, scilicet Judæorum. Christus pro nobis factus est *inops*, ut ejus inopia nos divites essemus. Annas, Caiphas, Pilatus et Pharisæi fortiores ei erant, qui ei mortem carnis inferebant. Ipse *egenus*, quia nullus in Passione eum juvit ; ipse *pauper*, quia ab omnibus suis derelictus : hunc diripuerunt, quando cum fustibus et gladiis tanquam latronem compræhenderunt. Quid deinde fecerint, ipse exsequitur. D

Vers. 11. *Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me. Testes iniqui*, id est falsi, *surgentes*, hoc est, violenter insurgentes, *quæ ignorabam*

Digitized by Google

per conscientiam, id est, quæ non feceram, *interrogabant me* accusantes : *Nos audivimus, quia hic dixit : Possum destruere templum Dei, et in triduo aliud reædificare* (*Matth.* XXVI, 61). Sed Pharisæi de multis falso accusabant eum ad Pilatum et ad Herodem. Et illi interrogabant eum : *Nihil respondes ad ea, quæ tibi objiciuntur ab his?* (*Marc.* XIV, 60.) At ille quasi nescius tacuit, quia per conscientiam ignorabant, si filius Dei esset. Quod cum diceret : *Ego sum*, sciderunt vestimenta dicentes eum blasphemasse. Et cur hoc? quia ignorabant quæ eum interrogabant. Credunt enim Judæi Deum, sed filium Dei non credunt. Ergo quod non credunt, hoc ignorant.

VERS. 12. *Retribuebant mihi mala pro bonis.* Pro miraculis opprobria et flagella, pro vita mortem. *Sterilitatem animæ meæ.* Ego bonum semen verbi Dei in eis seminavi, bonis operibus eos fecundavi, ipsi *sterilitatem* reddiderunt, dum spinas malitiæ protulerunt. Vel animam meam virtutibus fecundam nitebantur facere sterilem, dum mortuus nullum opus facerem.

VERS. 13. *Ego autem, cum mihi molesti essent, induebar cilicio. Humiliabam in jejunio animam meam.* Dominus non legitur in Passione *cilicium* induisse vel jejunasse ; sed quia hic liber spiritalis est, spiritaliter loquitur. Cilicium, quod solet morituris substerni, significat mortalitatem. Mors est pœna peccati. Sed quia Christus absque peccato conceptus sine peccato vixit, naturaliter immortalis fuit. Qui quasi *cilicium* induit, dum mortalis esse voluit. Si enim non moreretur, non resurgeret, et sic exemplum æternæ vitæ non præberet. *Cilicium* contexitur de pilis caprarum, et est aptum in pœnitentia et luctu positis. Sicut per oves justi, ita per capras designantur peccatores. Unde oves a dextris, hædi statuentur in judicio a sinistris. Christus ergo *cilicium* induit, quando a peccatoribus natus mortalem carnem sumpsit, et de peccato damnavit peccatum. Dum *mihi molesti essent* sputis, colaphis, flagellis, induebant me *cilicio*, id est mortalitate, sub qua non agnitus latebam. *Et humiliabam in jejunio animam meam.* Cibus Christi est bona operatio. Salutem illorum esuriebat. Sed cum illi nefanda scelera patrarent, jejunus permanebat. *In* tali *jejunio* suam *animam* humiliabat, dum se illuc ad satiandam insaniam ipsorum tradebat.

Et oratio mea in sinum meum convertetur. Hoc tractum est de historia. Manus Moysi de sinu prolata apparuit leprosa, in sinum reposita inventa est sana (*Exod.* IV, 6, 7). Manus Moysi est prophetia legis de Christo. Sinus est secretum Patris. Manus de sinu extracta leprosa apparuit, dum Christus de sinu Patris descendens infirmam carnem induit. Unde Judæi dixerunt : *Vidimus eum non habentem speciem, neque decorem*, sed *tanquam a Deo percussum et leprosum. Unde nec reputavimus eum* (*Isa.* LIII, 2 et *seqq.*). Sed manus in sinum recepta sana est inventa, quia, dum Christus ad Patrem redit, Deus majestatis claruit. Sinus Christi est secretum Verbi, in quo sinu est Pater, et ipse in eo. *Deus enim erat in Christo reconcilians mundum sibi.* (*II Cor.* V, 19). *Oratio* ergo ejus *in sinum suum est conversa*, dum oratio humanitatis intravit in secretum paternæ Deitatis pro interpellatione humanæ liberationis.

VERS. 14. *Quasi proximum, et quasi fratrem nostrum sic complacebam*, hoc est, quasi proximo et quasi fratri sic complacui. Alia translatio habet : *Quasi erga proximum, quasi erga fratrem nostrum sic ambulabam apud eos*, hoc est, ita eos diligebam, sicuti aliquis amicum et fratrem suum. Vel Judam tali affectu habebam *quasi proximum*, id est cognatum Joannem vel Jacobum, *quasi fratrem nostrum*, scilicet Petrum vel alium apostolum. Unitatem Deitatis ostendit, cum dicit *nostrum* ; vel unitatem Ecclesiæ propter communicationem humanitatis. Etenim secundum divinitatem est cum Deo Deus, secundum humanitatem cum Ecclesia homo. *Quasi lugens et contristatus sic humiliabar*, hoc est, sic dolebam de perditione eorum, sicut dolet pater de morte filii. In Hebræo scribitur : *Quasi lugens mater et incurvata*, scilicet quando ad corpus unici filii lugens et tristis incurvatur. Hæc cuncta pertinent ad ereptionem in opus, quæ sequuntur ad mala, quæ retribuebant sibi.

VERS. 15. *Et adversum me lætati sunt, et convenerunt. Convenerunt* quippe Judæi, ut eum caperent. Capto eo *lætati sunt*, quasi crudelem latronem, sævum hostem cepissent. *Congregata sunt super me flagella*, hoc est, simul coacervata sputa, colaphi, verbera, spinæ : *et ignorari* per conscientiam culpam, propter quam talia solent fieri.

VERS. 16. *Dissipati sunt, nec compuncti*, hoc est in malitia excæcati, a luce veritatis separati ; ideo ad parcendum non sunt flexi. Vel per invidiam et avaritiam sunt *dissipati*, et a vinculo charitatis relaxati ; ideo ad misericordiam non sunt *compuncti*. Vel etiam nunc de terra sua per omnes gentes sunt *dissipati*, et tamen ad pœnitentiam *non compuncti*. *Tentaverunt me* dicentes : *Prophetiza, quis est, qui te percussit?* (*Luc.* XXII, 64.) *Subsannaverunt me subsannatione*, hoc est, irriserunt me magna irrisione, quando faciem meam relevaverunt, alapas dederunt, insuper ut immundum conspuerunt (*Matth.* XXVI, 66). *Frenduerunt super me dentibus suis* dicentes : *Reus est mortis.*

VERS. 17. *Domine, quando respicies?* hoc est, ipsi me taliter tractabant ; sed tu, *Domine, quando respicies* me ita patientem? quandiu toleras hæc super unigenitum tuum tibi unice placentem? quandiu non vindicas in gentem sic crudeliter sævientem? *Restitue animam meam a malignitate eorum*, id est a sævitia Judæorum, et ereptam redde corpori, ut resurgam. *A leonibus*, id est, a diabolicis rugientibus *restitue unicam meam.* Anima Christi erat *unica*, id est, singularis ab omni labe peccati

Digitized by Google

immunis, et ideo receptaculum Divinitatis. Si me resuscitaveris,

Vers. 18. *Confitebor tibi*, id est, laudabo te *in ecclesia magna*, in toto mundo diffusa, non parva paucorum Synagoga. *In populo gravi*, scilicet *in populo* Christiano virtutibus *gravi laudabo te*, non in populo Judæorum levi in vanitatibus. His interpositis redit ad Passionem.

Vers. 19. *Non supergaudeant mihi, qui adversantur mihi inique*, hoc est, non inde gaudium habeant, quod occidunt me injuste. In alia translatione est : *Non insultent mihi.* Si non resurrexero, adversarii mei gaudebunt, et meis mortem meam insultabunt. *Qui oderunt me gratis*, hoc est, absque culpa, sed pro benefactis, *te annuunt oculis.* Hoc est, dolis in me usi sunt. Mecum amabiliter agebant, interim oculorum nutibus alterutrum innuebant quasi dicentes : Seductor est, magus est. Unde sequitur :

Vers. 20. *Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur* dicentes : *Magister, scimus, quia verax es, et viam Dei in veritate doces* (*Matth.* xxii, 16). *Et in iracundia terræ loquentes dolos cogitabant*, hoc est, mihi irati propter terrena retinenda hæc pacifice loquentes exterius, *dolos* interius *cogitabant*, quomodo me in sermone caperent, ligarent, occiderent. Et postquam me ceperunt et ligaverunt

Vers. 21. *Dilataverunt super me os suum*, hoc est, valde late aperuerunt quasi me devorare vellent clamantes : *Crucifige, crucifige eum. Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris* (*Joan.* xix, 6 et 12). *Si hic non esset malefactor, non tibi tradidissemus eum* (*Joan.* xviii, 30). Et in cruce : *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Si filius Dei est, descendat de cruce* (*Matth.* xxvii, 42). Insuper *dixerunt : Euge, euge, viderunt oculi nostri*, hoc est, bene, bene videmus oculis nostris, quod videre desideravimus, ut seductor plebis inter latrones *penderet.* Nunc vident oculi nostri, quod prius diximus, quia signa tua magica erant. In Hebræo scribitur : *Vah, vah* qua voce insultantes ei in cruce usi sunt.

Vers. 22. *Vidisti, Domine*, Pater, illusiones eorum et meam obedientiam : *ne sileas* a vindicta illorum, et ne differas dare sententiam in eos puniendos. Cum judex silet, reis parcitur ; cum sententiam profert, puniuntur. Pater quasi tacuit, dum Filium in Passione de homicidio non vindicavit ; quasi judex sententiam protulit, dum omnes per Romanos perdidit. *Domine, ne discedas a me*, id est, da mihi constantiam, ne deficiam, et tuæ dexteræ adhæream, donec digna ultione punientur.

Vers. 23. *Exsurge* mihi in adjutorium, *et intende judicio meo*, hoc est, diligenter considera, quam injusto judicio me inter latrones damnaverunt. *Deus meus*, qui me creasti, *et Dominus meus*, quia formam servi indui, intende *in causam meam*, non in pœnam, quia par pœna, sed dispar culpa. Nam mea causa, propter quam judicor, est reparatio humani generis.

Vers. 24. *Judica me secundum justitiam tuam, Domine Deus meus*, hoc est, *Judica me* secundum hoc quod justitia mea exigit a tua justitia. Fac mihi quod mereor, et illis, quod merentur. *Et non supergaudeant mihi* in hoc, quod ipsi bona, ego habeam mala.

Vers. 25. *Non dicant in cordibus suis : Ecce euge animæ nostræ*, hoc est, bene *animæ nostræ*, impletæ sunt voluntates nostræ in illo. *Nec dicant : Devoravimus eum.* Hoc est, postquam ei fecimus omnia, quæ voluimus, occidimus eum. Hoc tunc dicere possent, si non resurrexisset, tunc bene *animæ* eorum esset, si satisfactum esset animæ eorum, tunc gauderent super eum.

Vers. 26. *Erubescant* de mea Resurrectione, qui gaudent de mea occisione ; sed *et* omnes consentientes *revereantur simul*, id est, valde timeant, *qui gratulantur malis meis.*

Induantur confusione et reverentia, id est, erubescentia et timore circumdentur, *qui maligna* [*Vulg.* magna] *loquuntur super me. Maligna* loquebantur, dum eo occiso et sepulto dixerunt : Seductor ille, dum adhuc viveret, se resurgere promisit. Sed quia magica arte apud vulgus magnus apparuit, hæc ars ei ultra prodesse non poterit. Custodite sepulcrum, ne discipuli ejus furentur eum. Post talia verba multum coram militibus erubuerunt, quando eum de sepulcro potenter exiisse audierunt. Valde reveriti sunt, quando eis pecuniam obtulerunt, quia mox se perituros timuerunt. *Confusione* induti sunt, quando apostolis idiotis hominibus respondere non potuerunt, insuper et signa per nomen Christi fieri viderunt. *Reverentia*, id est, timore perfusi sunt, qui Romanos in suum interitum moverunt.

Aliter. *Erubescant* de hoc, quod in me fecerunt ; *et revereantur simul*, id est ad pœnitentiam timentes convertantur, *qui gratulantur malis meis*, hoc est, qui lætati sunt de mea morte, contristentur pœnitendo se consensisse, in pudore et *reverentia*, scilicet cilicio pœnitentiæ quasi lugubri veste. Pudor est contra audaciam crudelitatis : *reverentia* contra impudentiam falsitatis. *Reverentia* est timor Domini cum amore permistus. Duabus curent virtutibus, quod duobus commisere criminibus, *qui maligna loquuntur adversum me*, hoc est, qui superbe dixerunt contra me.

Vers. 27. *Exsultent* in corpore, *et lætentur* in animo apostoli et alii fideles in Resurrectione mea, *qui volunt justitiam meam*, id est, qui volunt imitari in justitia, vel qui volunt mihi justitiam fieri de Judæis. *Et dicant* ore et corde : *Semper magnificetur Dominus*, hoc est in æternum subdatur sibi omnis mundus, *qui volunt pacem servi ejus*, id est, qui appetunt illam *pacem*, quam ego servus tuus habiturus sum pro mercede, quod tibi in Passione carnis pro humani generis redemptione servivi, ut nullos motus sustineant in carne neque in anima.

Digitized by Google

Vers. 28. *Et lingua mea meditabitur justitiam tuam*, scilicet prædicatores mei cum studio proferent aliis veritatem promissionis tuæ; *tota die*, id est jugiter proferent *laudem tuam* per bonam vitam. Hoc modo de capite, nunc videamus de corpore et membris.

Ecclesiæ non est colluctatio adversus carnem et sanguinem tantum, id est adversus homines quos videmus, sed adversus principes et potestates et rectores mundi, id est diabolum et angelos ejus quos non videmus. De his clamat :

Vers. 1. *Judica, Domine, nocentes me.* Hoc est : O Christe, *judica* per tuum judicium dæmones *nocentes me* noxiis suggestionibus ; *expugna* tua gratia *impugnantes* me tentationibus. Vel *judica nocentes me*, id est, discerne me ab infidelibus qui me nocere cupiunt ; *expugna* per signa et virtutes, ad te convertendo *impugnantes me* persecutores et hæreticos.

Vers. 2. *Apprehende arma et scutum. Arma* dicuntur eo quod armos tegant, et significant virtutes, quibus animæ armantur, ne eis insidiæ dæmonum prævaleant. *Scutum* dicitur quasi sculptum, eo quod fortium virorum gesta olim in clypeis sculpterentur, et significat fidem per quam ignea tela nequissimi, id est ignitæ concupiscentiæ repelluntur. Dicitur ergo : *Apprehende arma et scutum*, hoc est, fac me apprehendere fidem, et virtutibus contra dæmones armari, ut possim in die malo, id est in die tentationis vel tribulationis resistere, et vitia revincere. Et quia per me non possum hoc facere, *exsurge* per gratiam *in adjutorium mihi.*

Vers. 3. *Effunde frameam, et conclude adversus eos, qui persequuntur me*, hoc est, gladius iræ tuæ decidat super eos, atque concludat, ne ad nocendum evagari valeant. Vel *framea* est verbum Dei. Hoc effunditur, dum per scripturam malis resistitur. *Framea* est etiam anima justi. Hæc a Deo effunditur, et inimicus concluditur, dum per animam justi peccator plectitur, sicut per animam Petri Ananias et Saphyra sunt occlusi, et per animam Eliæ quinquagenarii consumpti. *Dic animæ meæ*, ut te intelligat : *Salus tua ego sum*, a me eris post mortem vivificanda. Framea quoque effunditur, cum sancta conversatio animæ undique per bonam famam vibratur. Tunc adversarii concluduntur, cum de bonis operibus eis silentium imponitur, ut nihil habeant de bonis male loqui, framea sanctitatis illorum transfossi. Horum salus erit utique Dominus.

Vers. 4. *Confundantur et revereantur* dæmones *quærentes animam meam* ad perdendum eam. Dæmones confunduntur, cum a sanctis vincuntur. Tunc reverentur, cum pro sanctis judicio Dei torquentur. *Avertantur retrorsum* Judæi, qui perverso cursu in præcipitium eunt ; *et confundantur* gentiles in idololatria, et hæretici in sua versutia, *cogitantes mihi mala*, id est machinantes consiliis mihi persecutiones et tribulationes.

Vers. 5. *Fiant tanquam pulvis ante faciem venti.* Non dicit maledicendo, sed prædicendo ; dæmones, Judæi, persecutores, hæretici erunt in die judicii tanquam pulvis ante faciem venti, quando a vento iræ Dei ut palea a frumento Dei, id est, a cœtu justorum tollentur, et camino æstuantis incendii involventur. Tunc *angelus Domini*, scilicet Christus, magni consilii *angelus* erit eos persequens, dum dicet : *Discedite a me, maligni, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* xxv, 41) ; vel angeli Dei eos tunc persequentur, quia per eos in stagnum ignis et sulphuris præcipitabuntur.

Vers. 6. *Fiat via illorum tenebræ et lubricum*, quia in tenebras exteriores projicientur, et labili flammarum vertigine rotabuntur ; vel pro varietate criminum nunc ignis ardore, nunc frigoris algore cruciabuntur, ut scribitur : *Transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium* (*Job* xxiv, 19). Ibi erit *Angelus Domini coarctans eos*, id est districtum judicium Christi premens eos.

Vers. 7. *Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui :* sine justa causa Judæi, pagani et hæretici occultis consiliis et insidiis *interitum* Christianis paraverunt, quod fuit *laqueus* illorum, quia ipsi æterna morte illaqueati sunt. In Hebræo habetur : *Absconderunt insidias retis sui*, in quo a dæmonibus ut pisces sunt capti in sulphureo torrente diabolo ad pastum coquendi. *Superfecerunt exprobraverunt animam meam*, dicentes : Vos magum, et pro suis magicis inter latrones damnatum aberatis, et ab hoc bona speratis ?

Vers. 8. *Veniat illi*, id est tali populo, *laqueus quem ignorat*, hoc est repentina perditio, quam non sperat : *et captio quam abscondit apprehendat eum*, id est, fraude, qua decipere voluit, decipiatur : *et in laqueum cadat in ipsum*, hoc est, in foveam mortis, quam fodit, incidat, et funiculus peccatorum manibus et pedibus constringatur, et de consortio sanctorum in ignem æternum mittatur.

Vers. 9 et 10. *Anima autem mea exsultabit in Domino*, cum eum facie ad faciem sicuti est, viderit : *et delectabitur super salutari suo*, id est super Christum delectationem habebit, cum ei conformis in claritate fuerit, et eum in gloria æqualem Patri conspexerit. Tunc *omnia ossa mea*, id est omnes justi firmi corde, fortes in persecutionibus, non cedentes tentationibus dicunt gratulantes : *Domine, quis similis tui ?* Hic ineffabile gaudium sanctorum exprimitur. *Domine*, quem semper desideravimus, quem semper sitivimus, *quis similis tibi* inter choros angelorum, inter cœtus sanctorum ? *Eripiens inopem*, scilicet Christianum populum *de manu fortiorum ejus*, id est tyrannorum, *egenum et pauperem a diripientibus eum*, hoc est, a tortoribus ad diversa supplicia distrahentibus *eum*. Populus fidelium est inops humana ope, id est, auxilio destitutus, egens in rebus necessariis, et pauper spiritu pro Christo

Digitized by Google

Ideo de manibus se opprimentium et de potestatibus tenebrarum eripietur, et super omnia bona Domini constituetur.

VERS. 11. *Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me.* Sicut falsi testes in Susanna, sic multi *iniqui testes* in Ecclesiam insurgentes de multis falsis criminibus Christianos accusabant, quæ ipsi per conscientiam ignorabant.

VERS. 12. *Retribuebant mihi mala pro bonis.* Ecclesia tribuit bona temporalia, persecutores retribuebant ei supplicia. Ipsa tribuit orationes, illi retribuebant persecutiones. *Sterilitatem animæ meæ.* Ecclesia fertilitatem fidei et bonæ operationis ut oliva fructifera protulit : ipsi ut sterilis ficus sine fructu justitiæ æterno igni habiles aruerunt, insuper et justos a fecunditate pietatis ad *sterilitatem* suam tormentis trahere studuerunt.

VERS. 13. *Ego autem, cum mihi molesti essent minis, præmiis, tormentis, consiliis, induebam* me *cilicio*, et *humiliabam in jejunio animam meam*, hoc est, ornatum sæculi abjeci, divitias contempsi, aspera in corpore et animo pertuli. *Et oratio mea in sinum meum convertetur. Sinus* sanctorum est conscientia ipsorum. Cum pro suis persecutoribus preces fundunt, sed ipsi semper in pejus proficiunt, tunc *oratio in sinum* eorum *convertetur*, quia bona voluntas illorum plena mercede attolletur. Hæc sunt arma justorum, scilicet *cilicium, jejunium, oratio*, ut Martini et eremitarum. Vox in oratione perfectorum dicit.

VERS. 14. *Quasi proximum, quasi fratrem nostrum sic complacebam*, hoc est, in secreto orationis Christo complacui quasi fratri cohæredi, quasi propinquo meo cognato, quasi amico consecretali. Vox vero pœnitentium in cilicio et jejunio : *Quasi lugens et contristatus sic humiliabar.* Remotus et longe positus a Deo luget, quia non habet, quod desiderat. Qui autem in corde habet, quem desiderat, gaudet, quia ei placet. Deus ubique est, et nullo loco continetur. Ideo ei per loca non appropinquamus, nec per loca ab eo removemur. Luce veritatis ei appropinquamus, nubilo carnis elongamur. Deo propinquare est illi similem fieri, recedere ab illo dissimilem fieri. Aureus nummus et argenteus in uno simul loco ponuntur, et tamen longe ab invicem specie, qualitate, genere separantur. Sic in Deo vivimus, movemur et sumus, et tamen *longe a peccatoribus salus* (*Psal.* CXVIII, 15), *et prope est Dominus omnibus eum invocantibus* (*Psal.* CXLIV, 18). Ego quidem jejunabam, et orabam, et contristabar.

VERS. 15. *Et adversum me lætati sunt, et convenerunt.* Persecutores adversus Christianos congregati sunt, et cum bona eorum diripuissent, insuper ipsos exquisitis pœnis affecissent, *lætati sunt. Congregata sunt*, hoc est multiplicata sunt *super me flagella.* Revera super Ecclesiam *flagella congregata sunt*, dum alii in persecutione flagellati, alii membris truncati, alii incensi, alii suspensi, alii undis injecti, alii bestiis objecti, alii in rotis confracti, alii indomitis equis distracti, alii serris divisi, alii gladio sunt occisi. *Et ignoravi*, id est non feci crimina, pro quibus inventa sunt hæc supplicia, quia causa Christi passa sum talia. Vel *ignoravi* alium Deum præter te.

VERS. 16. *Dissipati sunt* inimici mei Judæi et pagani et hæretici bellis, contriti sunt multis flagellis, *nec compuncti* ad pœnitentiam; sed indurati ad malitiam *tentaverunt me* minis, terroribus, blanditiis, promissionibus; *subsannaverunt me subsannatione* irridentes maxima irrisione, ludibrio habentes, et vitam meam ad amaritudinem perducentes. *Frenduerunt super me dentibus suis* multis modis insultantes, et ad varia tormenta damnantes.

VERS. 17. *Domine, quando respicies* me sponsam tuam tot malis laborantem, me viduam desolatam ad te justum judicem clamantem? Quandiu non vindicas me ab his, qui mihi propter te insultant, et tot mala super te exaggerantur? Porro justus judex hoc audiens non tædio, sed amore differt salutem fidelium et vindictam crudelium, donec numerus electorum impleatur, et tunc omnibus simul ex justo judicio spectaculum de adversariis præbeatur. Sed Ecclesia afflicta et anxia clamat : *Restitue animam meam a malignitate eorum*, hoc est a sævitia persecutorum. In Hebræo habetur : *A calamitatibus suis*, hoc est ereptam ab angustiis *restitue* paradisi gaudiis. *A leonibus unicam meam*, scilicet Ecclesiam, non hæresibus multiplicem, sed fidei integritatem *unicam*, a dæmonibus sive a sævientibus potestatibus erue, et regno tuo *restitue.* Si hoc feceris,

VERS. 18. *Confitebor tibi in ecclesia magna.* In cœlesti Jerusalem, ubi erit magna congregatio angelorum et sanctorum : ibi *in populo gravi* virtutum *laudabo te.* Populus fidelium, qui hic non fuit levis moribus tanquam pulvis, quem ventus tentationum per concupiscentias spargit, hunc ventus iræ Dei, ut paleam in judicio a granis ignem non projiciet, sed potius ut grave triticum recondet in cœleste horreum. Subsequitur Ecclesia plorans, divinum auxilium implorans.

VERS. 19. *Non supergaudeant mihi, qui adversantur mihi inique.* Impii *supergaudent* bonis, dum se viderint diffluere divitiarum copia, istos autem angustiari omnium rerum inopia. Cum hoc sit in ista vita dispositione tua ordinatissima, in illa vita *non supergaudeant mihi*, ut illis sit bene, mihi autem male. *Qui adversantur mihi inique*, id est injuste, quia propter justitiam me persequuntur : *qui oderunt me gratis*, hoc est quibus nihil nocui : *et annuunt oculis*, hoc est hypocritæ simulati, qui aliud vultu, aliud corde innuunt; aliud nutibus, aliud operibus gerunt.

VERS. 20. *Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur* hæretici vel falsi fratres ad decipiendum, *et in iracundia terræ*, hoc est mihi irati propter terrena tantum adipiscenda hoc *loquentes dolos* in corde co-

Digitized by Google

gitubant quomodo me perderent. Et postquam mihi prævaluerunt,

VERS. 21. *Dilataverunt super me os suum*, hoc est magno cachinno insultaverunt mihi. *Dixerunt : Euge, euge*, id est *bene, bene : viderunt oculi nostri*, quod desideraverunt te affligi, te tribulari, te cruciari, qui mortuum pro Deo adorasti, qui magum cum latronibus crucifixum ut Deum coluisti, et ab eo tibi omnia bona promisisti, mihi autem immortales Deos exprobrasti, æternas pœnas intentasti. Præ dolore exclamat :

VERS. 22. *Vidisti, Domine*, et illorum insultationem et meam afflictionem, *ne sileas* a judicio, quin potius profer celerius in eos sententiam damnationis et meæ liberationis. Et donec judicium veniat, *Domine, ne discedas a me*, sicut promisisti : *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Deus a justis lapsis recedit, et non discedit : recedit, dum miracula per eos non facit, vel ab adversariis tribulari sinit : non discedit, dum eos flagellis ut filios castigat, et purgando a sorde vasa misericordiæ et hæredes regni præparat.

VERS. 23. *Exsurge*, Domine, ad judicium, qui tandiu patienter vidisti meum injustum exitium. *Et intende judicio meo*, quam injuste ab eis morti adjudicatus sum, non pro sceleribus, sed pro justitia, sed pro æquitate, sed pro tui cultura. *Deus meus*, quem ego colo, *et Dominus meus*, cui obedienter deservio, *in causam meam intende*, non in pœnam meam. Eadem quippe patior, quæ fures, quæ latrones. Pœna est similis, sed causa dissimilis : illi pro injustitia, ego pro justitia.

VERS. 24. *Judica me secundum justitiam tuam, Domine Deus meus*. Judicare est bonos a malis discernere, id est segregare. *Judica me*, id est discerne ab his, qui similia patiuntur pro sceleribus, qualia ego patior pro sanctis moribus. Et hoc *secundum justitiam tuam*, qua malis mala, bonis retribuis bona. *Et non supergaudeant mihi*, ut ipsi ibi, sicut hic, bonis perfruantur ; ego autem malis ibi sicut hic afficiar.

VERS. 25. *Non dicant in cordibus suis : Euge, euge, animæ nostræ*. Hoc est persecutores non insultent mihi dicentes sibi : *Animæ nostræ*, gaudete, voluntates vestræ sunt impletæ : Illis maleficiis Christianis prævaluistis, despoliastis, omnibus pœnis affecistis. *Nec dicant, devoravimus eum*, hoc est consensum nostrum eos pertraximus, aut non consentientes occidimus, de terra memoriam eorum delimus. Ostende per meum præmium et illorum exitium, quod sibi nocuerunt, mihi autem profuerunt. Hæc verba tracta sunt de aureo vitulo, quem populus in eremo adoravit, quem Moyses comminuit, combussit, in aqua populo potandum tribuit (*Exod.* XXXII, 20). Vitulus factus in idolum est corpus impiorum colens diabolum. Moyses, quod sonat de *aqua sumptus*, est Christianus populus de baptismate in regnum Dei sumptus. Hic vitulum comminuit, comburit, in aquam potandum porrigit, dum corpus diaboli, scilicet malos pulsibus prædicationis conterit, igne dilectionis excoquit, aqua baptismatis, vel lacrymis pœnitentiæ tinctum in corpus Ecclesiæ devorandum trajicit. Quid malis contingat, prosequitur :

VERS. 26. *Erubescant* in die judicii, *et reverentur simul, qui gratulantur malis meis*. Vel sicut in Hebræo scribitur : *Qui lætantur in afflictione mea*, demones, Judæi, persecutores, hæretici, et non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. *Induantur confusione* æterna, *et reverentia*, id est timore, cum dices : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV, 41). *Qui maligna loquuntur super me* post mortem meam dicentes : Ecce perivăna spes illorum, cum Christo mago exterminati sunt, ultra non resurgent, ut sibi falso promiserunt. Sed quid bonis contingat, subjungitur :

VERS. 27. *Exsultent* in mortali corpore, *et lætentur* in anima perenni felicitate, *qui volunt* justitiam meam, hoc est qui diligunt præmium pro justitia mihi repositum. *Et dicant* lætantes : *semper magnificetur Dominus*, id est in æternum glorificetur Deus, *qui volunt pacem servi ejus*, id est qui non aliud quærunt, quam *pacem* Christiano populo, Deo in hoc mundo servienti, præparatam.

VERS. 28. *Et lingua mea meditabitur justitiam tuam*. Hoc est lingua cordis mei jugi cogitatione et benedicens apud se volvet, quam justus tu es, et quam juste justos coronaveris. *Tota die* jubilans *laudem tuam*, illa, quæ non habet vesperum, scilicet *tota* æternitate sine fine laudans te cum angelis cantabit, et hymnum jubilationis resonabit.

PSALMUS XXXV.

Dixit injustus, ut delinquat in semetipso, etc. Titulus psalmi hujus de fine præcedentis sumitur, ubi : *Qui volunt pacem servi ejus* scribitur. Titulus namque hujus est (VERS. 1) :

IN FINEM SERVO DOMINI PSALMUS DAVID (64).

Psalmus est bona operatio, *servus Domini* Christianus populus serviens Domino, qui populus est *David*, id est *manufortis* ad bene operandum et vitiis resistendum, *in finem* perseverans in bono per hoc, quod in fine mundi dabitur, vitæ præmio. In

(64) Vulgata : *In finem servo Domini ipsi David.*

Digitized by Google

ergo hymnus bonæ operationis attribuitur populo, Deo servienti usque *in finem*.

Hic psalmus est de libero arbitrio et gratia Dei, de impiis et justis : de impiis, qui erubescent et confusione induentur, de justis qui exsultent et lætentur. Utraque pars in hoc psalmo describitur, sed titulus meliori parti ascribitur. Per liberum arbitrium et justitiam Dei tendunt illi ad æternam confusionem ; per gratiam Dei et voluntatis libertatem pertingunt isti ad perennem exsultationem. Per liberæ voluntatis arbitrium impii iniquitatem operantur ; per justitiam Dei in malitia excæcantur, ut de vitio in vitium, in profundum peccatorum, ut rota de alto in imum præcipiti saltu devolvantur. Per gratiam vero justi ad bonum velle excitantur, et ipsi huic gratiæ per liberum arbitrium cooperantur. Illi proprio arbitrio a sacrificio Dei se elongant, isti per gratiam ei appropinquant. Unde et congrue hic psalmus de libero arbitrio illic continuatur, in quo de sacrificii mutati non in mutatione tractatur.

In tricesimo quinto loco calculum ponit, qui per quinarium et septenarium multiplicatus crescit. Sive enim quinquies septem, seu septies quini summam hujus numeri restituunt. Quinarius carnalem populum sub Pentateucho servientem exprimit, qui quinque sensibus corporis libera voluntate a Deo recessit. Septenarius vero spiritualem populum, qui per septiformis Spiritus gratiam ad fidem accessit. Unde iste fonte vitæ generatur, ille a vero lumine obtenebratur.

Materia hujus psalmi est populus libero arbitrio ad malum declinans, et populus per gratiam bono adhærens. Intentio est, ut bonum facientes non deficiamus, quatenus fonte vitæ inebriati in lumine lumen videamus. Verba sumpta videntur de Achitophel, qui iniquitatem in cubili suo est meditatus, dum exitium David est consiliatus. Qui malitiam non odivit, et ideo laqueo vitam finivit. Davidi autem Deus misericordiam prætendit, quem de hostibus eripuit, dum eum impugnantes in bello ceciderunt, et contra eum stare non potuerunt. Significat autem Judam, qui iniquitatem in cubili cordis est meditatus, dum mortem Christi est consiliatus. Qui malitiam non odivit, et ideo animam laqueo extorsit. Deus autem misericordiam Christo prætendit, quem de Judæis persequentibus in Resurrectione eruit, et operantes iniquitatem a Romanis victoribus ceciderunt, et coram eis stare non potuerunt. Significat autem omnes impios, qui contra justos mala meditantur, et ideo a fonte et a vero lumine sequestrantur. Psalmus habet duas partes. Unam : *Dixit injustus*, in qua populus impiorum ; alteram : *Domine in cœlo*, in qua exprimitur populus beatorum. Vox Spiritus sancti est :

Vers. 2. *Dixit injustus, ut delinquat in semetipso.* Justitia est Deum diligere et proximum. Hanc justitiam habere est justum esse. *Injustus est*, qui hanc sponte deserit et mandata Dei, ac proximum odit et iniquitatem diligit. Hic talis *injustus dixit in semetipso*, hoc est statuit in propriæ voluntatis arbitrio, ut delinquat, id est ut male faciat. Idcirco hic *in semetipso*, id est in corde deliberat, quia non Deum, sed homines formidabat, unde sequitur : *Non est timor Dei ante oculos ejus.* Deum ubique præsentem oculis cordis non attendit, et ideo judicium legis prævaricatoribus futurum contemnit.

Vers. 3. *Quoniam dolose egit in conspectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.* In Hebræo habetur : *Quia dolose egit adversus eum in oculis suis, ut inveniret iniquitatem ejus ad odiendum. In conspectu* Dei *dolose egit*, qui inquirit quid *iniquitas* sit, quasi eam habere odio velit, et hoc est inveniri *ad odium*, qui tamen inventam non odit, sed diligit : et hoc est *dolose* agere, quia dissimulat se, quid bonum quidve malum sit, scire. Vel *iniquitas* illi *ad odium* invenitur, quæ a Deo punitur. Illa non invenitur *ad odium*, quæ deletur per pœnitentiæ remedium. Sequitur :

Vers. 4. *Verba oris ejus iniquitas, et dolus. Iniquitas est*, quod in corde dixit, ut delinquat. *Dolus* est, quod bonum se scire, et malum nescire dissimulat. *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Non dicit : non potuit, sed *noluit*, quia homo non coacte, sed sponte malum facit. Deus homini intellectum dedit, quo Creatorem intelligere possit. Sed ipse libero arbitrio bonum in malum commutat, dum terrenis inhians bonum scire recusat. De his dicitur : *Sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem facere nescierunt* (*Jer.* IV, 22). Quidam bonum *intelligere* cupiunt ; sed præ carnis fragilitate non possunt, quia *corpus corruptibile aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15). Quidam acri ingenio pollentes poetarum figmenta, philosophorum deliramenta summopere inquirunt, divinæ legis sacramenta, æternæ vitæ instrumenta intelligere nolunt. Quidam etiam ipsis verbis dicunt : Melius est nos bona ignorare, quam scienter peccare. Hi, sicut in Job scribitur, Domino Deo dicunt : *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus* (*Job* XXI, 14). Et quia Deum a se repellunt, a Deo repellentur, ac duplici pœna plectentur, quoniam malum libere faciunt, et bonum scire superbe despiciunt.

Vers. 5. *Iniquitatem meditatus est in cubili suo*, hoc est, in corde suo longa meditatione cogitavit malum perficere. Quidam etiam meditati sunt libros contra veritatem componere, et non solum præsentes exemplo, sed etiam absentes et adhuc futuros conati sunt scripto perdere. *Astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non audivit*, hoc est, omnem viam iniquam meditando, consiliando, operando ambulavit, alios verbo et exemplo malo attraxit, et in hoc studio firmiter usque in finem perseveravit : insuper bonum in aliis odio habuit, malitiam dilexit.

Nota corpus impiorum per quinque membra distinctum, per quinarium in titulo expressum, quod sunt injusti, Deum non timentes, dolosi, iniquitatem se nescire dissimulantes, iniqui, bonum intelli-

Digitized by Google

gere nolentes, perversi, iniquitatem ad peragendam jugiter in lecto meditantes, malevoli, in pravitate durantes, insuper malitiam amplexantes. In malis est, ut ex se peccent; justi autem non per se, sed per gratiam bonum habent. Quidam contra vitia pugnant, et quia de propriis viribus diffidunt, gratiæ Dei se committunt, adversarium vincunt. Quidam vero pugnare incipiunt; sed quia propriis viribus præsumunt, in hora tentationis victi succumbunt, et propria voluntate ad vomitum redeunt. Quidam non pugnant, sed desideriis trahuntur, et ipsa per omnia sequuntur. Quidam nec trahuntur, sed potius incantationibus vel maleficiis dæmones invitant, et pro adipiscendis terrenis vel desideriis carnis explendis se dominio illorum mancipant. Hoc totum arbitrio ascribitur. De gratia autem sequitur :

Vers. 6. *Domine, in cœlo misericordia tua.* Ex arbitrii libertate quidam angeli in cœlo corruerunt, ex gratia autem Dei alii firmati non ceciderunt. *In cœlo* ergo est *misericordia* Domini, per quam sancti corroborati sunt angeli. *Cœlum* etiam Ecclesia vocatur, in qua mysterium Christi celatur. *Misericordia* autem *Domini* est Christus, per quem miseris est misertus. *Misericordia* ergo Domini est *in cœlo*, id est, Christus in Ecclesia, cujus gratia justi dæmones vincunt, qui de *misericordia* ejus præsumunt. Hic describitur multiplex gratia peregrinanti Ecclesiæ prærogata, et ineffabilis gloria, quæ regnaturæ est præparata, quod videlicet *oculus non vidit*, quia non est color, ut videri possit; *nec auris audivit*, quia non est sonus, ut audiri possit; *nec in cor hominis ascendit*, quia non est forma, ut imaginari possit, *quæ præparavit Deus diligentibus se*, quæ sunt pax, et gaudium, quæ sola mente intelliguntur (*I Cor.* II, 9). Sequitur :

Et veritas tua usque ad nubes, subauditur : constituendas, id est doctores. *Veritas* est Christus, *nubes* doctores, quia sicut de nubibus pluit pluvia, sic de illis fluit doctrina. *Veritas* ergo Dei *usque ad nubes* esse dicitur, quia Christus misericorditer homini subvenisse per doctores cognoscitur. Vel sicut in cœlo misericordia Domini angelis confirmatis apparuit : sic in Ecclesia veritas Dei olim repromissa per prophetas et apostolos claruit.

Vers. 7. *Justitia tua sicut montes Dei.* In Hebræo scribitur : *Justitia tua sicut montes, Domine.* Christus est Dei misericordia, quia per eum angeli confirmantur in gloria, per ipsum etiam liberantur homines a miseria. Ipse quoque veritas Dei : quia quidquid per prophetas est repromissum, per Christum constat completum. Ipse etiam *Dei justitia*, quia per illum justi justa præmia, injusti justa sortiuntur supplicia. *Justitia* hic nominantur apostoli, qui per Christum justi facti sunt, et justitiam Dei mundo innotuerunt. Hi erant sicut montes alti in virtutibus, quos oriens sol justitiæ irradiavit, et per eos convalles, id est humiles, illustravit. Hoc totum ad commendandam gratiam dicitur. Inprimis misericordia Dei voluntatem hominis prævenit, ut bonum velit. Volentes bonum veritas illustrat, ac arbitrium ejus esse liberum demonstrat. Quo cum libere utitur, justitia perfunditur. In hac perseverans salvabitur. Et quia multi nullis præcedentibus meritis per solam gratiam, ut Paulus, vocantur; quidam vero per occultam justitiam, ut ille in Evangelio volens sequi Dominum, reprobantur, sequitur :

Judicia tua abyssus multa. Abyssus est profunditas aquarum quæ nec metiri nec pervideri possit. Tres abyssi scribuntur. Una abyssus altitudo Dei judiciorum, altera profunditas peccatorum, tertia infinitas suppliciorum. De prima dicitur : *Judicia tua abyssus multa*, quia nimis occulta. De secunda scribitur : *Peccator cum in profundum malorum venerit, contemnit* (*Prov.* XVIII, 3). De tertia rogaverunt dæmones, ne eos Dominus mitteret *in abyssum* (*Luc.* VIII, 31). Qui in unum mediæ abyssi sponte descendit, hunc pondus desuper pendentis abyssi premit, et in profundum subter patentis abyssi demergit. Merito dicuntur, *judicia Dei abyssus multa*, quia sicut magni pelagi interna minime perspicere, nec latissima ejus spatia possumus comprehendere : sic divina judicia nec mente complecti, nec ratione diffinire prævalemus, cur illum sequi volentem non permittat, istum nolentem attrahat; illum in malis inveteratum ad vitam assumat, istum in bonis decrepitum abjiciat; infidelis infantem eligat, fidelis vero respuat, duos in malitia æquales unum ad bonum convertat, alterum in malo relinquat. Ergo quidam misericordia præventi, veritate illustrati in montem justitiæ conscendunt; quidam per justitiam deserti occulto Dei judicio in profundum abyssum descendunt. Et cum sint omnes ejus factura, providit omnibus hujus vitæ necessaria. Ideo subditur :

Vers. 8. *Homines et jumenta salvabis, Domine.* Hoc est, intellectuales et bestiales corporali salvatione, qua pluis super justos et injustos. Unde cum admiratione exclamat : *Quemadmodum*, hoc est, quam mirifice *multiplicasti misericordiam tuam, Deus*, qui peccatoribus promittis veniam, et justis præparas coronam! Sed jumenta tantum appetunt corporalem salutem : *Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt. Homines* absolute dicuntur peccatores. *Filii hominum* justificati. Adam homo erat, sed non filius hominis. Hujus imitatores dicti sunt *homines*. Christus autem erat *filius hominis*. Apostoli et fideles *filii hominum*, quia per gratiam renascuntur. Tegmen Dei alarum est protectio Scripturarum. Duæ alæ sunt duo testamenta. Similitudo tracta est ab avibus, quarum pulli sub alis matris se tegunt. Dei sapientia est nostra gallina, cujus pulli omnes fideles : duæ alæ misericordia et pietas. *Filii* ergo *hominum in tegmine alarum* Dei sperabunt, dum fideles non in meritis suis confidunt, sed spem suam in misericordiam et pietatem Christi ponunt, a milvis hæreticis sub alas geminæ legis confugiunt, a milvis dæmonibus alas geminæ dilectionis petunt, et crucis alis se tegunt. Ili tales

Digitized by Google

VERS. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.* *Domus* Dei est Ecclesia, cujus ubertas est sacræ Scripturæ affluentia. De hac *ubertate inebriabuntur*, quia fideles in Ecclesia de redundantia Scripturæ replebuntur. *Et torrente voluptatis tuæ potabis eos*, hoc est inundantia Spiritus sancti, qui irrigat omnem animam spiritualibus fluentis, ut fructum exhibeant sanctitatis. Unde scribitur : *Spiritus tanquam torrens replevit totam domum* (*Isa.* XXX, 28, et *Act.* II, 2). Tu dabis fidelibus Spiritum sanctum.

VERS. 10. *Quoniam apud te est fons vitæ.* Hoc est, tu es *fons* et origo omnium bonorum, tu das fontem baptismatis, qui est *fons vitæ*, per quem datur vita æterna. Vel *fons vitæ* est doctrina Dei, animæ vita. Hæc verba tracta sunt de paradiso, ubi est lignum *vitæ* et *fons* quasi *torrens* de loco *voluptatis* profluit, qui nemus paradisi irrigat. Paradisus est Ecclesia, lignum vitæ Christus, locus *voluptatis* Pater, *fons* inde fluens paradisum irrigans Spiritus sanctus a Patre procedens, Ecclesiam fecundans. De hac Trinitate sequitur : *Et in lumine tuo videbimus lumen*, hoc est, o Pater, æternum *lumen in tuo lumine* Christo *videbimus lumen* Spiritum sanctum.

Nota corpus piorum per septem virtutes descriptum in titulo per septenarium numerum expressum. In his namque regnat misericordia, veritas, justitia, judicium, spes, sapientia, Spiritus sancti abundantia. Hæc faciunt eos misericordes, veraces, justos, juste judicantes, in Deo sperantes, in Scriptura sapientes, dulcedine Spiritus sancti redundantes. Hi tales *inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*. Similitudo trahitur ab his, qui nimio vino ingurgitantur, et inebriati afflictionum obliviscuntur. *Domus* Dei est cœlestis Jerusalem. Hujus ubertas est affluentia omnimodæ gloriæ. Qui hac ubertate inebriantur, omnium malorum obliviscuntur. *Et torrente voluptatis tuæ potabis eos. Torrens voluptatis* est vehemens inundantia claritatis divinæ visionis. Hoc *torrente* potantur, qui in pleno gaudio redundantia omnimodæ voluptatis deliciantur. *Quoniam apud te est fons vitæ*, hoc est, o Pater, apud te est Christus in Deitate tibi coæternus, sapientia, et *fons vitæ*, de cujus profluentia profundis Verbum, omnium bonorum dulcedinem et gaudiorum plenitudinem.

De hoc fonte vitæ et lucis justi lætabundi subjungunt : *Et in lumine tuo videbimus lumen*, hoc est, in Christo, qui est splendor æternæ lucis, *videbimus lumen* ineffabile Patrem et Spiritum, non oculis corporis, sed mentis. Nam alia lux est animæ, alia corporis ; sicut alia aqua sapientiæ manans de fonte vitæ, alia necessaria huic vitæ. Lux corporalis per noctem mundo subducitur, clausis oculis subtrahitur, ab aliquibus animantibus, ut ab aquilis et lyncibus plus quam ab hominibus cernitur : illa vero, quæ lux vera veritas vel sapientia dicitur, a solis mundis cordibus intuitu intellectus conspicitur. Hic est aliud *fons*, aliud *lux*. Nam *fons* sitim, lux enebras fugat; *lux* algorem, *fons* ardorem mitigat.

A Apud Deum vero idem est *lux*, quod *fons*. Ipse est *fons* plenitudinis gaudiorum, cujus voluptatis impetu sitientes justitiam *inebriabuntur*. Ipse *lux* æternæ claritatis, cujus fulgore mundi corde illuminabuntur. Hæc est promissio beatorum. Pro hac spe sancti labores vitæ subeunt, pro hac gloria adipiscenda carnem a desideriis restringunt, dura pati non refugiunt. Sequitur oratio justorum, ut illuc perveniamus.

VERS. 11. *Prætende, Domine, misericordiam tuam scientibus te, et justitiam tuam his, qui recto sunt corde. Scientes* Deum sunt contemplativi, qui Deum et spiritualia intelligunt. *Recti corde* sunt activi, qui in mandatis Domini voluntatem ejus implere satagunt. *Prætende misericordiam tuam scientibus te*

B Hoc est, cum per te bonum sciamus, et futura gaudia intelligamus, præveni voluntatem nostram misericordia tua, ut bonum velimus, et subsequere, ut libero arbitrio implere possimus, quia sic recti corde, id est, recta voluntate erimus, quando nihil nisi quod tu vis volumus. Hanc rectitudinem præveni tua justitia, hoc est, arbitrium meum in bono corrobora, ne de me præsumens ut Adam repromissa amittam præmia. Misericordia ad gratiam, justitia pertinet ad liberum arbitrium. Igitur *prætende* nobis *Domine misericordiam*, ut per bonam voluntatem pertingamus ad gratiam et per liberæ actionis justitiam percipiamus coronam. Et ne perdam merita justitiæ,

C VERS. 12. *Non veniat mihi pes superbiæ*, id est, affectus malitiæ : *Et manus peccatoris non moveat me a bono*, id est, mala actio non dejiciat me a statu meo. *Superbia* est amor privatus. Hic est superbus, qui sibimet nimis placet, et Deum contemnit, et proximum despicit. *Pes superbiæ* est mali affectus, quo homo per illicita graditur, dum scienter præcepta Dei transgreditur. *Pes superbiæ* est diaboli investigatio, *manus peccatoris* Adæ prævaricantis operatio. Ergo in bono me confirma per gratiam, ne a proposito sanctitatis decidam per superbiam, sicut diabolus de libertate superbiens de cœlo corruit, et homo de libero arbitrio glorians de paradiso cecidit. Unde sequitur :

D VERS. 13. *Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem*, scilicet in via superbiæ angeli et homines, *qui* nunc *operantur iniquitatem*. Quisquis exterius male agit, prius interius per superbiam cecidit. Nam initium omnis peccati superbia. Magna quippe est superbia servum Dominum, creaturam Creatorem in mandatis ejus spernere, et ejus judicium peccantibus propositum contemnere. Diabolus namque superbivit, cum similis Altissimo esse, scilicet Deus adorari voluit, et hoc pede claudicans cecidit, quia stare non potuit. Homo superbivit, cum ut Deus esse concupivit, et similiter in hoc pede nutans corruit. De his sequitur : *Expulsi sunt* a gloria dæmones, a voluptate homines, *nec potuerunt stare* post lapsum. Prior ille, qui in veritate non stetit, deinde illi, quos de paradiso dejecit. Per se

Digitized by Google

cadere potuerunt, per se resurgere non potuerunt.

Videndum quid hic dicat *stare*. *Stare* est in quieto statu manere. Sicut terra est lapidis locus, sic Deus est animæ locus. Et sicut lapis ab alto dimissus non habet requiem, sed est semper cadens, donec ad locum suum terram perveniat: sic anima vel angelus a Deo dimissus nullam habet requiem, sed semper est cadens scilicet in infinitam abyssum, nisi manus Dei cadentem excipiat, et in proprium locum restituens requiescat. Ideo solemus dicere pro defunctis: *Requiescant in pace*, hoc est, in cœlo, et ideo, cum sit Deus summum bonum, Deus regnum cœlorum, pax et gaudium, quia nisi anima in illa pace requiescat, semper in abysso multa cadens laborat.

Summam psalmi breviter concludamus. In primis angelus et homo per liberum arbitrium ad injustitiam declinasse demonstratur, et corpus impiorum quinquepartitum denotatur. Deinde stantes angeli per misericordiam in cœlo firmati, et homines non ex meritis, sed per gratiam reparati. Promissa Dei per prophetas, per Christum, qui est veritas, impleta, et præmia bonis ac malis per Christum, qui est justitia, adhuc reddenda, et multi vocati, pauci vero electi occulto Dei judicio, commemorantur. Homines et jumenta, id est, sapientes et insipientes per misericordiam Dei necessaria vitæ habere; filii autem hominum, id est, justi futura bona sperare narrantur; quorum corpus septiforme denotatur, cui ineffabile bonum præparatur, scilicet ubertas domus Dei, torrens voluptatis, fons vitæ, lumen luminis. Ad extremum oratio, ut tantum bonum per misericordiam gratiæ, et per justitiam proprii arbitrii obtineat; nec illud per superbiam de propriis præsumendo, vel quidquam male agendo amittat, dum et diabolus et angeli ejus, et Adam et posteri ejus per superbiam ceciderunt, et nonnisi homines per gratiam redire potuerunt. Nota quatuor, quæ justis in regno promittuntur: ubertas, voluptas, fons, lumen. Per ubertatem et voluptatem ineffabile gaudium corporis, per fontem vitæ et lumen inenarrabilis gloria animæ exprimitur, quibus semper beatorum cœtus feliciter perfruitur.

PSALMUS XXXVI.

Vers. 1. *Noli malignari* (65) *in malignantibus*, etc. Hujus psalmi titulus est:

PSALMUS IPSIUS (66) DAVID.

Hoc est: Hic hymnus ascribitur Christo, angelis et sanctis *desiderabili*. Attribuitur etiam populo fideli contra vitia *manuforti*. Materia psalmi est correctio eorum qui de malis divitibus scandalizantur. Intentio est nos ab hujusmodi scandalo avocare, ne velimus malos propter bona mundi adipiscenda imitari. Verba sumpta putantur de Saul et David. David in animo scandalizatus, quod Saul superbus et malignus gloria et divitiis floruit, ipse vero humilis et benignus ipsis etiam vitæ necessariis eguit, a Spiritu sancto corrigitur, et Saulis dejectio, sua vero erectio prædicitur. Nam gladius cor Saulis intravit, dum proprio ense occubuit. Salus autem David a Domino fuit, qui eum in tempore tribulationis protexit. Saul significat populum Babyloniæ hujus mundi, David populum fidelem Jerusalem. In priori psalmo lectum est quia Deus homines et jumenta salvat, dum bonis et malis bona mundi subministrat, et quia sicut quædam bestiæ aliis fortiores infirmiores invadunt, lacerant, devorant: sic quidam bestiales homines aliis potentiores inferiores opprimunt, bona illorum diripiunt, et in malitia grassantes rebus sæculi florent, justi autem inedia, penuria, egestate languent. Imperfecti in Ecclesia de hac confusa permutatione scandalizantur, se infelices, se miseros, illos felices, illos beatos, imo imitandos arbitrantur. Qui a perfectis in hoc carmine Spiritus sancti corrigantur, et supplicia malorum, atque gaudia bonorum eis prædicetur.

Psalmus hic in trecesimo sexto loco gressum figit, qui numerus a ternario surgens in duodenarium conscendit. Ter enim duodeni, duodecies terni triginta sex fiunt. Ternarius tres partes mundi Asiam, Africam et Europam innuit, quas duodena apostolorum vel totidem prophetarum doctrina de gloria mundana ad superna sectanda corrigit. Vel etiam per ternarium tres ordines Ecclesiæ, scilicet virgines, viduæ, conjugati exprimuntur, qui per duodecim apostolos, sæculi judices, in cœlestem Jerusalem introducuntur. Hic numerus sexies in se replicatur, quia ad perfectionem hortatur. Sexies enim seni eumdem numerum consummant, et utriusque hominis perfectionem intimant. Secundum ordinem litterarum Alphabeti distinguitur, et sedecima *Ain*, quæ *fons* vel *oculus* sonat, deesse deprehenditur; quia ad fontem vitæ non perveniunt, nec lumen in lumine videbunt, qui magis terrena quam æterna appetunt.

Tres sectiones habet: prima, *Noli æmulari*, in qua prohibetur malorum imitatio, quæ sex litteris complectitur; secunda, *Observabit peccator justum*, in qua malorum invidiosa cruciatio, septem litteris

(65) Vulg. *æmulari*.

(66) Vulg. *ipsi*.

Digitized by Google

contexitur; tertia; *Junior fui*, in qua malorum damnatio et bonorum remuneratio, octo litteris connectitur. Vox perfectæ Ecclesiæ :

Aleph.

Noli æmulari in malignantibus. Per *noli* notatur liberæ voluntatis arbitrium : *æmulari* est imitari vel indignari vel inimicari. *Malignantes*, qui et mala faciunt, et bona oderunt. *Zelare* est invidere. *Facientes iniquitatem* sunt, qui lucris, rapinis, fraudibus insistunt. Per *malignantes* intelliguntur potentiores, per *facientes iniquitatem* inferiores. Dicitur ergo : *Noli æmulari in malignantibus*, hoc est, non velis imitari divites malignos; *neque zelaveris facientes iniquitatem*, hoc est, non invideas iniquis, si abundent in divitiis. Quare?

Vers. 2. *Quoniam tanquam fenum velociter arescent : Et quemadmodum olera herbarum cito decident.* Per *fenum* flores prati, per *olera* agrestes herbas vult intelligi. *Flores* designant divites, qui hic gloria et divitiis ad tempus florent; sed cum per malitiam sibi iram in die iræ Dei thesaurizent, *velociter arescent*, cum repentinus et inopinatus eis interitus surperveniet et sicut dolor in utero habentis, et non effugient. *Olera* vero designant pauperiores iniquitatem facientes, qui *cito decident*, quando subita et insperata mors eos rapiet. Herbarum radices magis in hieme virent, in æstate vero solis ardore marcent. Arbores autem in hieme quasi aridæ visuntur, in æstate floribus et fructu vestiuntur. Hiems est præsens vita, æstas futura. Herbæ sunt sæculi amatores hic radicati, hic virentes, sed in futura æstate ardore æterni ignis arescentes. Arbores sunt Christi dilectores in bonis mundi aridi, in radice charitatis solidi, in futura æstate gloria et honore floridi. De his scribitur : *Mortui estis*, hoc est, in hac vita aridi estis, *et vita vestra*, id est, viriditas gloriæ, *absconditu est cum Christo in Deo* (*Colos.* III, 3). Et quando florebit? Cum post hiemem hujus mundi Christus vita vestra quasi æstas apparuerit, et tunc vos apparebitis cum illo in gloria. Ergo *noli æmulari malignantes* divites, *iniquitatem facientes*, qui sperant in incerto divitiarum, qui erunt quasi ligna arida pabulum flammarum. Sed

Vers. 3 et 4. *Spera in Domino*, non in divitiis, *et fac bonitatem*, non malitiam, quam respicis in male florentibus; *et inhabita terram*, id est, Ecclesiam, quam Pater agricola colit, ut sis arbor fructifera, fide, spe et charitatis opere, *et pasceris in divitiis ejus*, hoc est, delicieris in omnibus bonis Domini. *Pasceris* pertinet ad saturitatem et ad perennem suavitatem. *Divitiæ* Ecclesiæ sunt hic sacræ Scripturæ, et æterna spes vitæ futuræ. *Divitiæ ejus* est beata animæ immortalitas, corporis incorruptibilitas, ut solis claritas, angelorum æqualitas, præsens Dei visio, omnium bonorum perfruitio. In his divitiis pascetur ad saturitatem, qui hic pro Christo patitur egestatem. Ideo *delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.* Non delecteris in caducis, in transitoriis, sed *in Domino* : ipsius recordatio sit tibi suavis, non concupiscentia carnalis. *Et dabit tibi petitiones cordis, non carnis*, scilicet sapientiam, intellectum, et quam dixi divitiarum saturitatem.

Vers. 5. *Revela Domino viam tuam.* Velamen quoddam est densitas peccatorum, quorum via, id est, vita nostra quasi tenebroso amictu vestitur. Hanc revelamus, dum peccata confitendo denudamus. *Revela Domino viam tuam*, id est, confitere peccata Domino, *et spera in eo*, non in merita tua, et ipse faciet tibi veniam. Vel *revela Domino viam tuam*, id est, indica illi quid patiaris, aperi ei quid velis. Quid pateris? Caro concupiscit adversus spiritum. Quid vis? *Infelix ego homo, quis liberabit me de corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII, 24.) *Spera in eo*, quia ipse faciet hoc : *gratia Dei per Christum Jesum.* Et quid amplius faciet?

Vers. 6. *Et educet quasi lumen justitiam tuam*, hoc est, vitam tuam justam faciet cunctis imitabilem, ut luceat lux tua coram hominibus, ut videant opera tua bona et glorificent Deum. *Et judicium tuum tanquam meridiem.* Meridies est clarum lumen. *Judicium* Christiani est magis eligere pauperem Christum sequi, quam malos in divitiis imitari. Hoc *Judicium* Dominus *tanquam meridiem educet*, cum hoc aliis quasi puram lucem in exemplum proponet. *Educere* est aliquid de tenebris ad lumen trahere. Justitia est, quod in Domino speras, quod bonitatem facis, quod in Domino delecteris, quod bona æterna ab eo petis, quod ei peccata revelas, quod veniam postulas. Hanc Dominus de caligine istius sæculi *quasi lumen educet*, cum ad futuri judicii claritatem perducet, ubi te de fonte vitæ satiabit, et in lumine Filio lumen Patrem demonstrabit. Et judicium tuum, quo judicasti melius esse cum Christi pauperibus inopiam sustinere, quam cum malignantibus copia rerum florere, *tanquam meridiem Dominus educet*, cum te ut solem in meridie fulgentem, perspicuum et angelis coæqualem faciet. Pro hac spe

Vers. 7. *Subditus esto Domino*, hoc est obedi præceptis ejus, *et ora eum* pro delictis præsentibus et antiquis, *et ora* ut hæc bona consequaris. *Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua*, hoc est noli indignari ei, cui arridet prosperitas in malis, *in via sua*, id est in injustitia, quæ est *sua via;* et noli imitari hominem facientem injustitias. In via Dei, id est in dilectione labora, quia ver peccatorum peribit. Ideo

Vers. 8. *Desine ab ira, et derelinque furorem. Ira* est brevis animi commotio, *furor* magna indignatio. *Desine ab ira*, qui contra Deum murmuras, *et derelinque furorem*, quo Deum blasphemas, quasi injuste faciat, quod malos hic permittit divitiis abundare, et bonos inedia squallere. *Noli æmulari in malignantibus*, hoc est noli eos imitari, ut male facias, quasi tunc cum illis ad tempus floreas

Vers. 9. *Quoniam qui malignantur, exterminа-*

Digitized by Google

buntur. Duplex causa, scilicet timoris et muneris proponitur, ut pessimos imitari nolimus. *Exterminari* est extra terminos projici, id est exhæredari, scilicet a civitate Dei fraudari. Ergo qui malignantur, exterminabuntur, id est maligni, qui mala operantur, a regno Dei exhæreditantur. *Sustinentes autem Dominum*, hoc est in paupertate patientiam habentes, et Domini Salvatoris adventum perseveranter sustinentes, *ipsi hæreditabunt terram* cœlestis Jerusalem, *terram* fluentem lacte et melle, hoc est omni dulcedine refertam. Hoc trahitur de his, qui in eremo per malitiam exterminati sunt, et de his, qui terram repromissionis possederunt.

VERS. 10. *Et adhuc pusillum, et non erit peccator. Pusillum* dicitur exiguum, quod pugillo clauditur. Sustinentiam longissimam putas? sustine modicum, et accipies sine fine quod sustines. *Pusillum* tempus, quod adhuc futurum est, sic transiet, quemadmodum totum, quod præteritum est. *Et non erit peccator*, quia nullus tunc peccabit. Et qui hic divitiis elatus peccavit, quem tu imitari noluisti, tecum *non erit*, sed in pœnis erit. *Quæres locum ejus, et non invenies.* In domo magna habent suum locum vasa aurea, habent suum fictilia. Aurea sunt in loco honoris, fictilia in loco laboris. In Dei republica habent suum locum justi, suum injusti. Justi sunt in loco filiorum Dei, impii in loco servorum. Filii hic a pio Patre flagellantur, hæredes regni disciplinæ moribus informantur. Servi Domino serviunt, dum vasa misericordiæ ipsi fabri Dei ut aurum in camino tribulationis excoquunt. In hoc loco nunc necessarii sunt, dum electis per adversa serviunt. Sed quia ibi necessarii non erunt, locum inter electos non habebunt. Igitur qui *locum* peccatoris in regno Dei quæret, non inveniet, quia aurum excoctum igne non indiget. Maligni ab hæreditate expellentur.

VERS. 11. *Mansueti autem hæreditabunt terram* viventium cœlestis Jerusalem. *Mansueti* dicuntur quasi manu consueti, et sunt mites et patientes, qui alienam iniquitatem tolerant et neminem sua gravant. Hi quia terrena despiciunt, *terram* supernæ patriæ *hæreditabunt. Et delectabuntur in multitudine pacis.* Delectatio eorum erit frui summa pace, summa quiete, ubi nullus furor exagitat, nulla concupiscentia inflammat, nil adversum, nil potest esse contrarium, sed uno modo cœptum suavissime perseverat gaudium. Et quia torquet malos vita justorum, sequitur :

VERS. 12. *Observabit peccator justum.* Cum viderit scelestus justum honestis moribus pollere, timet se ejus collatione vilescere. *Observat* ergo eum, si in aliquo dicto vel facto possit eum reprehendere, quo suam vitam valeat defendere, quia æstimat sibi omnia jam licere, si in minimo viderit eum delinquere. Et si non invenerit, *stridebit super eum dentibus suis*, quia cujus non potest mores subvertere, vitam ipsam protinus conatur auferre.

VERS. 13. *Dominus autem irridebit eum*, per sanctos scilicet, qui irridentes minas impiorum ut Laurentius Decii; *quoniam prospicit, quod veniet dies ejus*, videlicet *dies* vindictæ, quo reddet unicuique secundum opera sua. Et quid fecerunt impii sanctis?

VERS. 14. *Gladium evaginaverunt peccatores*, id est persecutionem in eos excitaverunt, *intenderunt arcum suum*, id est insidias paraverunt eis. *Gladii* namque *evaginatio* est aperta oppugnatio, *arcus intentio* sunt occultæ insidiæ. Ad quid : *ut decipiant* insidiis vel consiliis *pauperem, et inopem*, id est justum, spiritu pauperem et ope hujus mundi egentem, *ut trucident rectos corde*, hoc est innocentes diversis pœnis occidant. Sequitur sententia judicis :

VERS. 15. *Gladius eorum intret in corda ipsorum*, hoc est vindicta *intret in animas eorum, et arcus eorum confringatur*, id est insidiæ eorum frustrentur. Impii gladiis suis tunicas tantum carnis in sanctis sciderunt, imo a vinculis carceris eos absolverunt, animas ad cœli palatium transmiserunt, sibimet vero mortem animæ intulerunt, et claustris inferni immerserunt. Vel *gladius eorum intret in corda eorum*, hoc est mors justorum exterior sit mors interior : *et arcus eorum confringatur*, hoc est dolus eorum annihiletur. Peccatores arescent, exterminabuntur, occidentur, justi autem hæreditabunt terram. Idcirco

VERS. 16. *Melius modicum justo* in hac vita *super divitias peccatorum multas* per iniquitatem acquisitas. *Modicum* etiam justi est humilitas; *divitiæ peccatorum multæ* criminum et abundantia delictorum. Illud *modicum* perducit ad regna cœlorum, istud autem pondus demergit in tartarum.

VERS. 17. *Quoniam brachia peccatorum conterentur*, hoc est divitiæ, per quas fortes sunt, annihilabuntur, et superbæ actiones comminuuntur. *Confirmat autem justos Dominus*, dicens : Ad tempus laboras, in æternum requiesces. Brevis est molestia tua, æterna erit beatitudo tua.

VERS. 18. *Novit Dominus dies immaculatorum*, hoc est præscit quam lucem eis præparavit in tabernaculis justorum. *Immaculatos* vocat innocentes, qui impiis nec minis nec præmiis flexi consentiunt. Horum *dies*, quæ non habent vesperum, *novit Dominus*, id est disposuit eis dare æternitatem. Unde sequitur : *Et hæreditas eorum in æternum erit*, id est cœlestis Jerusalem. De modico enim perveniunt ad æternum gaudium.

VERS. 19. *Non confundentur in tempore malo. Malum* tempus est dies judicii, quando mala malis occurrent. In hoc tempore immaculati non confundentur, cum impii malis subacti æterna confusione plectentur. *Et in diebus famis saturabuntur. Dies famis* justorum sunt nunc, quia sæpe corporaliter esuriunt, dum eis necessaria desunt; sed tamen pane cœli vel exemplis sanctorum vel scripturis vel spe futuræ promissionis *saturabuntur. Dies* etiam *famis* nunc sunt, quia justitiam esuriunt, sed

Digitized by Google

quandoque visione ejus *saturabuntur*. *Dies* autem *famis* malorum tunc erunt, quando gaudia esurient, quæ habere non poterunt, quibus tunc justi sine fine satiabuntur :

VERS. 20. *Quia peccatores peribunt* quando in ignem æternum ibunt. *Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint, et exaltati, deficientes, quemadmodum fumus deficient. Inimici Domini* sunt omnes, qui resistunt veritati. Qui ut ab hominibus *fuerint honorificati*, et dignitatibus *exaltati, mox ut fumus* interius *deficient*, et a luce veritatis decident. *Fumus* oculis caliginem inducit, in altum surgens evanescit. Sic honores et dignitates mundi visum mentis obscurant, a luce Dei alienant, et quanto altius ascendunt, tanto magis a vero bono evanescunt. Et qua causa pereant, subjungit :

VERS. 21. *Mutuabitur peccator, et non solvet*, quia mutuo accepit a Domino rationem, liberum arbitrium, bona temporalia : *et non reddet*, id est non expendet ad honorem. Tunc etiam *mutuatur* quando verbum Dei audit, *et non solvit*, cum illud bonis operibus non repræsentat. *Mutuatur*, quando diversa bene beneficia accipit, *et non solvit*, cum nullam gratiarum actionem reddit. *Justus autem miseretur et tribuet. Miseretur* sibi bene vivendo, *tribuit* aliis bene docendo. *Miseretur* etiam pauperum et *tribuit* necessaria. Hoc ideo facit,

VERS. 22. *Quia benedicentes ei hæreditabunt terram*, id est pro acceptis beneficiis laudantes Dominum possidebunt *terram* viventium. *Maledicentes autem ei disperibunt*, id est blasphemantes Deum male vivendo ab illa patria peribunt corpore et anima.

In Hebræo sic legitur : *Fœnus accipit impius, et non reddit, justus autem donat et tribuit;* quia qui benedicti fuerint ab eo *hæreditabunt terram*, et qui maledicti, interibunt. Ibi manifeste describitur ultimum judicium. Justi enim hic pauperibus tribuentes tunc ab eo benedicentur, quando dicet : *Venite, benedicti Patris mei* (*Matth.* XXV. 34) : et tunc *hæreditabunt terram* viventium, quando ibunt in vitam æternam. Impii autem, qui bona mundi quasi pro fœnore a Domino accipiunt et eleemosynas non reddunt, tunc maledicti ab eo peribunt, quando audient : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum* (*ibid.* 41). Et quia justi *terram hæreditabunt*, ne quis putaret ex proprio merito sine gratia hoc se adepturum, subjungit :

VERS. 23. *Apud Dominum gressus hominis dirigentur*, hoc est per Dominum, non per se dirigitur homo ad bonum opus, scilicet misereri et tribuere ; *et* cum per gratiam ad bonum directus fuerit, tunc *viam ejus volet*, hoc est per liberum arbitrium justitiam, quæ est *via* Domini, *volens* faciet. Vel *apud Dominum gressus hominis dirigentur*, id est Deus diriget affectiones hominum, et sic homo *volet viam* Domini, id est diliget virtutes. Hunc non permittit Dominus deficere in tribulatione, quia,

VERS. 24. *Cum ceciderit* in aliquam tribulationem vel angustiam exterius, *Dominus supponit manum suam*, id est auxilium præbet, solatio sustentat, ne cadat. In alia translatione est : *Cum ceciderit, non conturbabitur, quia Dominus firmat manum ejus*, id est confirmat eum. Vel *Cum ceciderit* fragilitate carnis, quia septies in die justus cadit, non collidetur, sed resurget, *quia Dominus supponit manum suam*, id est pœnitentiam agenti manum misericordiæ, sicut dedit et Petro, porrigit. Et quod justi a Deo non deserantur, subdit :

VERS. 25. *Junior fui* ego Ecclesia primis temporibus sæculi, *etenim senui* novissimis temporibus mundi, *et non vidi justum derelictum* in anima, *nec semen ejus*, id est imitantes eum, *quærens panem*, hoc est verbum Dei. Porro juxta litteram multi justi a Deo corporaliter derelicti sunt, qui ab impiis diversis tormentis, ut Machabæi consumpti sunt. Multi etiam panem in magna fame, ut Abraham quæsierunt; plurimi quoque ut martyres fame interierunt. Sequitur :

VERS. 26. *Tota die*, hoc est omni tempore *miseretur* eleemosynas pauperibus erogando, *et commodat* mutuum petentibus præstando, *et semen ejus in benedictione*, id est progenies ejus, in abundantia *erit*. Hoc secundum litteram nullo modo potest esse, ut homo omni tempore aliis gratis det, aliis mutuo commodet, et tamen abundet. Justus *tota die*, scilicet toto vitæ tempore *miseretur* animæ suæ juste vivendo, *et commodat* doctrinam proximis impendendo requirens mutuum, videlicet opus bonum, *et semen ejus*, id est operatio ejus *in benedictione erit*, quando per illud : *Venite, benedicti*, benedictionem hæreditate possidebunt. Sed *et semen* ejus imitatores ipsius sunt, qui *in* æterna *benedictione* erunt. Qualiter benedictio consequenda sit, subinfert.

VERS. 27. *Declina a malo, et fac bonum*, id est diverte ab omni malo, et fac bona opera; *et inhabita in sæculum sæculi*, id est per bonum quod facis, in æternum cum Deo regnabis.

VERS. 28. *Quia Dominus amat judicium*, hoc est videlicet, quo [*cod.* qui] malum reprobas, bonum eligis : *et non derelinquet sanctos suos* in malis mundi, vel in futuris pœnis, *in æternum conservabuntur* a malo in vita æterna. Idcirco declinandum est a malo, quia *injusti punientur* in futuro judicio *et semen impiorum peribit*, sequaces eorum vel opera eorum dicent : *Quid nobis profuit superbia, vel quid divitiarum jactantia contulit nobis? Transierunt omnia tanquam umbra* (*Sap.* v, 8). Justorum semen in benedictione erit : *Semen* autem *impiorum peribit*. Ideo faciendum est bonum, quia

VERS. 29. *Justi autem hæreditabunt terram* viventium, *et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam*, hoc est sine fine in vita regnabunt. Istud cœlum, et ista terra transibunt; novum autem cœlum et nova terra in æternum stabunt, quæ justi novis corporibus immortalibus et incorruptibilibus *in sæculum sæculi inhabitabunt*. Non dicit *habitabunt*

Digitized by Google

in ea, sed *super eam*, quia corpora tunc levia, ut puta, spiritualia erunt, et non gravi mole, ut nunc, terræ inhærebunt. Quid sancti in illa terra acturi sint, sequitur :

VERS. 30. *Os justi meditabitur sapientiam. Os*, cordis cogitatio hic accipitur : non enim lectione, sed purissima cordis visione sapientia ibi colligitur, et omnia Deum in sapientia fecisse manifeste cognoscitur. *Et lingua ejus loquetur judicium. Judicium* dicitur quasi *juridicium*, id est juste dictum. *Justi lingua* tunc *judicium loquetur*, quia per omnia justitiam in judiciis Dei comprobans cum angelis eum laudans collætatur. Tunc enim clare videbunt, quam juste quosdam hic Deus exaltavit, quosdam humiliavit, quosdam ditavit, quosdam paupertie castigavit, quosdam vocavit, quosdam reprobavit.

VERS. 31. *Lex Dei ejus in corde ipsius. Dei ejus* dicit, quia eum de mundi istius clade liberavit. *Lex Dei* est dilectio. Hæc *in corde*, id est in anima justi semper erit, qui Deum pro omnibus judiciis et beneficiis tota intentione diligit, et in hac dilectione dulciter gaudebit. *Et non supplantabuntur gressus ejus. Supplantare* est plantis foveas prætendere. Ibi gressus justi nemo supplantare prævalebit, quando et originale peccatum desinet, et diabolus decipiendi licentiam non habebit. Ergo *justi*, qui hic *sapientiam* corde meditantur, *judicium* rectum ore loquuntur, et quorum *gressus*, id est affectiones a vitiis non supplantantur, hi terram novam in sæculum sæculi habitabunt. Sed qui velint eos supplantare, subditur :

VERS. 32. *Considerat peccator justum*, id est inspicit bonam vitam ejus, et ex dolore, et invidia *quærit, ut mortificet* (67) *eum*, id est cogitat quomodo occidat eum interius in anima, vel exterius in corpore.

VERS. 33. *Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus*, id est non permittet eum in potestate sua, ut conformet eum sibi; *nec damnabit eum, cum judicabitur illi.* Stulti putant quod hi damnentur, qui hic flagellantur. Sed Dominus in judicio *non damnabit eum*, qui hic *judicabitur*, id est, qui ex judicio Dei hic flagellabitur. Vel justum Dominus in judicio non damnabit, cum illi de impio judicabitur; quia justum beatitudo suscipiet, impium debita pœna torquebit. Et quia videtur longum esse in tribulatione, confortat eum :

VERS. 34. *Exspecta Dominum* ad judicium venturum patienter; *et custodi viam ejus*, id est observa præcepta ejus : *Et* veniens *exaltabit te* a terra ad cœlum, *ut hæreditate capias terram* viventium. *Cum perierint peccatores, videbis* illam terram et tuam exaltationem et adversariorum tuorum perditionem. Vel *videbis*, quod tibi placet, te ereptum a suppliciis. Vel cum peccatores damnati fuerint, *videbis* quem exspectasti Deum, pro qua visione viam ejus custodisti, adversa sustinuisti. Quod autem impii perituri sint, probat.

VERS. 35 et 36. *Vidi impium superexaltatum*, id est multum exaltatum, ut Neronem, *et elevatum sicut cedros Libani*, id est super alios impios elevatum, ut Antiochum. *Et transivi* mente ad ultima ejus, *et ecce non erat* exaltatus. Et si iste non, multo minus alii. *Quæsivi eum* ratione, si haberet locum exaltandi, *et non est inventus locus ejus* exaltationis. *Libanus* dicitur *nitor*. *Cedri* sunt proceræ arbores, quas ventus facile dejicit. *Cedri Libani* sunt sæculi potentes, gloria et divitiis hic nitentes, quos ventus tentationis facile de monte virtutum evellit, et ad terram cupiditatum prosternit. Hos transibit, qui ad culmen virtutum tendit. Hos quoque in itinere hujus vitæ deviantes justus transibit, cum pelagus mundi transiens ad judicium Dei pervenerit. Ibi peccator *non erit* in gloriæ bravio, qui hic non cucurrit in stadio. Ibi *quæretur*, id est ad memoriam reducetur; et *locus ejus* non invenietur, hoc est, ordo, quem habet in rebus humanis, videlicet, ut multi ei obsequantur, ut jubeat, ut audiatur; sed hæc potestas illo pereunte non invenietur. Vel *locus* peccatorum est iste mundus, in quo scelera perficiunt, in quo divitiis affluunt. Sed *locus* iste cum eorum prosperitate dissolvitur, quando totius orbis corruptibilis gloria terminatur. Cum ita impio sit futurum,

VERS. 37. *Custodi innocentiam*, id est ne irascaris contra te tribulantes, ne odio habeas, non invitus patiaris, *et vide æquitatem*, hoc est, *vide* hoc æquum esse, cum Dominus jubeat diligere inimicos. Vel *vide æquitatem* Dei, qui justis gaudia, impiis irrogabit supplicia. *Quoniam sunt reliquæ homini pacifico*, hoc est, inimicum diligenti erit vita æterna. *Reliquiæ* vocantur corpora et corpora bona; quæ ab anima relinquentur. *Pacificus* est, qui discordantes concordat, et cum omnibus hominibus, quantum in ipso est, pacem habere desiderat. His *reliquiæ*, id est bona corporis et animæ esse dicuntur, quoniam *pacifici filii Dei vocabuntur* (*Matth.* v, 9).

VERS. 38. *Injusti autem disperibunt* in corpore et anima *simul; reliquiæ impiorum interibunt* cum eis, temporalia bona, quæ noluerunt spernere, ut reciperent æterna. *Reliquiæ* etiam sunt memoria et laus post mortem posterius relictæ. Hæc justis permanebunt, qui in memoria æterna erunt; impii autem peribunt, cum æternam confusionem subibunt. Unde in Hebræo habetur : *Novissima ipsorum peribunt.*

VERS. 39. — *Salus autem justorum a Domino* et nunc per Redemptionem corporis et sanguinis sui, et generalem resurrectionem, cum corpora vestimento salutis et immortalitatis vestientur, et animæ indumento justitiæ et stola jucunditatis induentur.

(67) Vulgata *Mortificare.*

Digitized by Google

Et protector eorum in tempore tribulationis, id est in die judicii, quando tribulatio et angustia impios involvet, tunc eos Dominus a malo ?protegeret.

VERS. 40. *Et adjuvabit eos Dominus* in bonis operibus et in judicio contra adversarios, *et liberabit eos* tunc a diabolo et suppliciis, *et eruet a peccatoribus*, quando grana a paleis, frumentum a zizaniis, agnos ab hœdis segregabit, *et salvabit eos* perducens in æternæ salvationis perennitatem: *quia speraverunt in eo*, non in mundo. Ideo mundo pereunte cum suis amatoribus hæreditabunt ipsi cœlum, imo Deum cum suis dilectoribus

PSALMUS XXXVII.

Domine, ne in furore tuo arguas me, etc. Superior psalmus tractavit de correctione scandalizatorum ob prosperitatem malorum; hic vero agit de pœnitentia, quam correcti agunt, quia propter caduca et transitoria scandalizati sunt. Ideo hic psalmus est unus de septem pœnitentialibus, in quibus notantur septem dona sancti Spiritus. In primo pro Spiritu timoris a malo declinant; in secundo pro Spiritu pietatis bona facere non cessant, in isto per Spiritum scientiæ scandala devitant et pro peccato suo cogitant. In hoc psalmo commemoratur pœnitentium afflictio, per quam dabitur peccatorum remissio. Titulus est:

VERS. 1. PSALMUS DAVID IN REMEMORATIONEM DIEI SABBATI (68).

Psalmus est bonum opus, *David* dicitur *manu-fortis*, *Sabbatum requies*, quia illa die requievit Deus a mundi operibus, et præfigurat illam requiem, quam habitura erit Ecclesia post judicium ab hujus vitæ operibus. In hujus *Sabbati* recordatione canitur hic psalmus, id est pro hujus requiei exspectatione facit fidelis populus in laudem Dei bonum opus.

Materia psalmi oratio et afflictio pœnitentium. Intentio, ut per pœnitentiam a ventura ira fugiamus. Verba sumpta sunt de Job, cui sagittæ, id est plagæ Domini sunt infixæ, nec sanitas est in ejus carne, non fuit pax ejus ossibus, anima ejus impleta est illusionibus, amici sui et proximi adversus eum steterunt, vanitatem locuti sunt. Ipse vero in flagella erat paratus, et dolor ejus in conspectu ejus. Quem Deus non dereliquit, sed sanato omnia duplicia restituit. Significat autem Christum, cui infixæ sunt peccatorum nostrorum sagittæ, quando pro nobis vulneratus est. Unde *Job* dicitur *dolens*, quia Christus pro nobis doluit, in cujus carne non erat sanitas, quæ est flagris dilacerata et clavis transfixa. Amici sui Judas et alii falsi amici et proximi ejus Judæi adversus eum cum gladiis et fustibus appropinquaverunt et vim faciebant, quando eum comprehendentes ligaverunt. Et qui juxta eum erant Apostoli, de longe steterunt, quando fugerunt. Qui quærebant animam suam, id est vitam auferre, et quærebant mala sibi, id est mortis supplicia. Dolos tota die meditabantur, quando eum crucifigere consiliabantur. Ipse autem tanquam mutus non aperuit os suum, sed in flagella paratus pro nobis siluit. Super quem inimici gavisi sunt, magna locuti sunt dicentes: Si hic est Christus, descendat de cruce. Post mortem vero sibi detrahebant, qui ei mala pro bonis retribuebant seductorem, dicentes, et sepulcrum mortui custodiri præcipientes; sed Deus eum non dereliquit, quia eum suscitavit, et salutem per eum hominibus donavit. Significat etiam fidelem populum, qui hic aut ad purgationem aut ad probationem flagellatur, et multis doloribus ut Job atteritur. Ergo pro inquietudine, quam habet in laboris afflictione, canit hunc *psalmum* in illius *sabbati*, æternæ requiei commemorationem.

Psalmus tricesimum septimum locum occupat, et præsentem rem nobis mysticat. Quater enim noveni cum monade hunc numerum restituunt. Quaternarius Ecclesiam hominum de quatuor mundi plagis collectam, novenarius angelorum multitudinem in novem ordinibus distinctam exprimit, quæ utrorumque societas in uno Deo gaudium et requiem habebunt.

Quadrifaria est hujus psalmi divisio. Prima est: *Domine ne in furore*, in qua notatur pœnitentis exoratio; secunda, *Putruerunt et corruptæ sunt*, in qua est bipertitæ calamitatis corporis et animæ narratio; tertia, *Quoniam in te, Domine, speravi*, in qua habetur medicinalis consolatio; quarta, *Non derelinquas me, Domine*, in qua est exsultativa conclusio. Totus Christus hic loquitur: in primis corpus peccatis et ærumnis involutum, deinde caput nostris miseriis indutum.

VERS. 2. *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Furor* intelligitur hic horribile judicium, *ira* extrema damnatio. *Arguere* est verbis, *corripere* flagellis. Populus fidelium futurum judicium intelligens, et magni *Sabbathi*, quod judicium sequitur, recordans se de felicitate malorum scandalizatum, expavescens clamat: *Do-*

(68) Vulgata: *de Sabbato*.

Digitized by Google

mine, ne in furore tuo arguas me. Hoc est, in judicio cum his, quibus dices : *Esurivi, et non dedistis mihi manducare*, etc. (*Matth.* xxv, 42). *Neque in ira tua corripias me* cum his, quibus dices : *Ite in ignem æternum* (*ibid.*, 41). *Argue* me hic in misericordia, ut emendes ; *corripe* flagellis, ut purges, ne postea opus sit purgatorio igne qui, quamvis multum differat ab illo æterno igne in quo in æternum cruciandi sunt impii, tamen gravior erit, quam quidquid homo potest pati in hac vita.

Vers. 3. *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi. Sagittæ* Dei sunt verba doctrinæ. In priori namque psalmo sunt Dei sagittæ divinitus missæ, quæ cordi pœnitentis sunt infixæ. Sunt autem hæ : *Adhuc pusillum, et non erit peccator. Brachia peccatorum conterentur. Peccatores peribunt. Injusti disperibunt simul, reliquiæ impiorum interibunt* (*Psal.* xxxv, 10). Hæ sagittæ sibi inhæserant, ideo se peccasse dolebunt. Sagitta erat : *Morte morieris ;* alia : *In sudore vesceris pane ;* alia : *In dolore paries filios* (*Gen.* III, 16-19). *Sagittæ* ergo sunt mortalitas et corruptibilitas, quas sibi humanum genus gemit infixas. *Et confirmasti super me manum tuam. Manus* Dei est vindicta. Quæ super hominem confirmatur, dum multis miseriis et ærumnis gravatur.

Vers. 4. *Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ. Ira* Dei est peccatorum offensio ; ab hac *non est in* hominis *carne sanitas*, quam tot morborum jugiter vastat immanitas. Morbi etenim sunt fames, sitis, labor, frigus, æstus : medicamenta vero cibus, potus, somnus, vestes. Inter hæc medicamenta est semper deficiens et ad interitum tendens. *Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.* Hoc est, vires meæ debilitate et senio deficiunt, quia hanc pœnam peccando incurrerunt.

Aliter : *Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ*, hoc est, *iram tuam* in Scripturis comminantem peccatoribus intellexi, et ideo carnem meam graviter affligo, adversis subjicio. *Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum*, id est nullam quietem *ossibus* vel membris indulsi, donec pœnitendo purgarem, quæ peccavi.

Vers. 5. *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum*, quia invalescentibus flagitiis anima victa succumbit. *Caput* animæ est ratio. *Iniquitates super caput* elevant se, cum amplius sibi vindicant quam ratio vel justitia patiatur, cum anima irrationabilibus motibus subjacet, et concupiscentiæ rationem vincunt. *Sicut onus grave gravatæ super me*, quoniam peccata velut plumbum deorsum deprimunt ac demergunt. Qui enim *iniquitatibus* elevatur, onere afflictionum *gravatur*. Sequitur vox eorum, qui post pœnitentiam ad vomitum relapsi sunt.

Vers. 6. *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ.* Per quinque versus describuntur hic pœnæ corporis, per quinque passiones animæ. *Cicatrix* dicitur, quod in se cæcum vulnus ostendat. *Cicatrices itaque* præcedentium vulnerum sancta vestigia sunt, quas gravius constat affligere, quando eas contigerit ad transacta pericula remeare. Peccata sunt animæ vulnera. Hæc vulnera sanantur, dum peccata emendantur. *Cicatrix* apparet, dum commissi memoria remanet. *Cicatrices* putrescunt, dum concupiscentiæ in memoria recrudescunt. Quæ corrumpuntur, dum iterum crimina committuntur. *A facie insipientiæ meæ. Insipientia* est quemquam periculum sponte repetere, quod constat eum vix evasisse. Hanc *insipientiam* homo incurrit, dum veram sapientiam in paradiso amisit. Unde sequitur :

Vers. 7. *Miser factus sum*, quia sapientiam et scientiam amittens insipientia et miseria repletus sum. *Et curvatus sum usque in finem*, id est dolore trahor in mortem, quia enim per superbiam fui erectus volens esse ut Deus, ideo *sum* in mortem *curvatus*. Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam. *Tota die*, hoc est, tota vita *contristatus* ingrediebar et de peccatis quæ feci, et de malis quæ patior.

Vers. 8. *Quoniam anima mea impleta est illusionibus, et non est sanitas in carne mea*, hoc est, in *anima* et in corpore affligor : *in anima illusiones*, in corpore patior *infirmitates*. *Illusiones* sunt variæ phantasmatum imaginationes, quæ animam pro veris illudunt, sicut qui supernam Jerusalem quamdam urbem, in qua Deum quasi regem, angelos quasi milites forma conspicuos, veste splendidos in animo fingunt, vel qui formas mulierum delectando in mente concipiunt. *Infirmitates* vero sunt variæ defectus et diversi dolores, qui carnem consumunt. In alia translatione habetur : *Lumbi mei impleti sunt illusionibus.* Per *lumbos* intelligitur carnalis delectatio, quam multimoda illudit carnis titillatio.

Vers. 9. *Afflictus sum* in animo, *et humiliatus sum nimis* in cinere et cilicio. *Afflictus sum* malis mundi, *et humiliatus sum* ab alta gloria cœli : idcirco *rugiebam a gemitu cordis mei. A gemitu cordis*, non corporis rugit, qui vehementiam doloris non valens voce proferre lacrymis tabescit, et interdum vocem inconditam emittit. *Gemitus* dicitur quasi *gemitus luctus. Gemitus* corporis est pro terrenis, pro morte gemere ; *Gemitus cordis* pro peccatis propriis vel aliorum fletus Ecclesiæ. Cum pœnitens ingemit, aliquis dicit : Forsitan hoc vel hoc ei accidit, ideo subditur :

Vers. 10. *Domine, ante te omne desiderium meum.* Non ante homines, non terrena, sed cœlestia desidero, te videre concupisco. Non cum impiis in mundo divitiis florere, sed in illo *Sabbato* desidero requiescere. *Et gemitus meus ante te non est absconditus*, licet sit ab hominibus *absconditus*. Ille *gemitus* a Deo non absconditur, qui pro animæ liberatione effunditur. Corporeis ærumnis flebiliter decursis, animi quoque gravissimos dolores prosequitur.

Vers. 11. *Cor meum conturbatum est*, quia in Adam corrui ; *dereliquit me virtus mea*, quam in libero arbitrio habui, *et lumen oculorum meorum*, id

Digitized by Google

est lumen sapientiæ illuminans rationem et intellectum, *et ipsum non est mecum* propter originale et actuale peccatum.

VERS. 12 ET 13. *Amici mei et proximi mei*, scilicet angeli mihi familiares quasi *amici et proximi*, in gaudio quasi vicini *adversum me appropinquaverunt*, cum Dominus super me lugubrem sententiam protulit. Adversum me *steterunt*, cum me de paradiso expulit. *Et qui juxta me erant* in loco voluptatis et deliciorum *de longe steterunt* cum angelo, qui accepit flammeum gladium, ut intercluderet mihi redeundi aditum. *Et vim faciebant* dæmones in vitia et in desideria noxia me impellentes, *qui quærebant animam meam*, ut perderent eam. *Et qui inquirebant mala mihi*, præsentia et futura supplicia, *locuti sunt vanitates* id est vana et superstitiosa, docentes se pro Deo coli, æterna oblivisci, transitoria amplecti instigantes, et *dolos tota die meditabantur*, hoc est omni tempore dolis me circumveniebant, *dolos* docebant, quibus me ad dolorem pertrahebant.

VERS. 14. *Ego autem tanquam surdus non audiebam*, hoc est a laudibus Angelorum obsurdui, *et sicut mutus non aperiens os suum*, id est a divinis laudibus obmutui.

VERS. 15. *Et factus sum sicut homo non audiens* concentum angelorum, *et non habens in ore suo redargutiones*, id est excusationes, quia dignus eram. Hæc quoque ad caput referuntur cujus patientia afflicto corpori proponitur. Qui *miser factus* est, quando pro miseris in cruce inter latrones pependit. *Incurvatus* est usque *in finem*, quando pro nobis levandis se in mortem curvavit. *Tota die contristatus* est ingressus, quando a cœna egressus dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38). *Anima* ejus *completa est illusionibus*, quando ei in domo Caiphæ velata facie ut prophetæ et quando apud Herodem alba veste induto ut pontifici illudebant, et quando in prætorio spinea corona, purpurea chlamide, arundine pro sceptro ut regem ludentes salutabant. Et sanitas in carne ejus non fuit quando crudelitas impiorum flagellis et clavis dilaceravit. Afflictus erat secundum humanitatem, quando sensit imminere passionem. Humiliatus erat nimis, quando pedes lavit discipulis. A gemitu cordis rugiebat, quando in cœna turbatus spiritu dicebat : *Amen amen dico vobis, unus vestrum me tradet* (*Joan.* XIII, 21). Ante Patrem omne desiderium suum fuit, quando dixit: *Pater, si vis, transfer a me calicem hunc : verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat* (*Luc.* XXII, 42). Desiderium suum erat, ut per se hominem diabolus vinceretur, et homo perditus redimeretur. Suum desiderium erat, ut a morte resurgeret, et exsul homo paradisum reciperet. Gemitus ejus a Deo non erat absconditus, qui in monte gemens oravit, quod humana natura tantæ calamitati subjacuit, pro qua ipsum mori necesse fuit. Cor ejus conturbatum est, quando cœpit pavere et tædere. Virtus ejus dereliquit eum, quando in agonia factus sanguinem sudavit, et angelus eum confortavit. Vel virtus, id est potentia sua eum dereliquit, quando nil adversi furentibus contigit. Lumen oculorum, hoc est, claritas Deitatis quasi secum non fuit, dum tot indigna ut peccator pertulit. Amici ejus, scilicet Judas et alii simulatorii amici, et proximi, hoc est, Judæi ejus cognati adversus eum appropinquaverunt, cum facibus et laternis ad comprehendendum adversus eum steterunt cum gladiis et fustibus tanquam ad latronem perdendum. Et qui juxta eum erant Apostoli, de longe steterunt, quia eo relicto fugerunt. Et vim faciebant, qui quærebant animam, hoc est, vitam ejus perdere violenter ut furem vincientes et ut reum ad judicem pertrahentes. Et qui inquirebant sibi mala, id est mortis supplicia, locuti sunt vanitates, hoc est falsa testimonia. Et dolos tota die illa meditabantur, quibus possent eum accusare et neci tradere. Ipse autem tanquam surdus non audiebat, quia nihil respondebat. Sicut mutus os non aperuit, sed sicut agnus coram tondente obmutuit. Et factus est sicut homo non audiens quia accusantibus, blasphemantibus nihil respondit. In ore suo redargutiones non habuit, quia se falso criminantes non redarguit. Talia pro hominibus suis participibus sustinuit; de gloria vero Resurrectionis subjungit :

VERS. 16. *Quoniam in te speravi, Domine*, ut me resuscitares; *tu exaudies, Domine Deus meus, humilitatem meam* (69) pro resurrectione mea et meorum redemptione.

VERS. 17. *Quia dixi* in oratione : *Nequando supergaudeant mihi inimici mei.* Supergauderent, si ipse non resurgeret. Gavisi quidem sunt, quando eum occiderunt. Sed supergavisi non sunt, quando eum resurrexisse audierunt. *Et dum commoventur pedes mei* de terra in crucem, *super me magna locuti sunt* dicentes: *Si Filius Dei est, descendat de cruce. Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere* (*Matth.* XXVII, 42). In Hebræo scribitur : *Dum vacillaverunt pedes mei, non magnificentur super me*, hoc est, non inde diu glorientur, quod apostoli pedes mei in passione mea titubaverint. Sed hæc omnia patienter sustinui :

Quoniam ego in flagella paratus, hoc est, ad hoc natus *sum*, ut flagella sustinerem et crucem, lanceam, fel, acetum ; *et dolor meus in conspectu meo semper. Dolor in conspectu* ejus fuit, quando matrem conspexit plorantem, turbam impiorum sibi insultantem, latronem improperantem. Subsequitur vox Ecclesiæ. Hæc omnia passus es pro me,

VERS. 19. *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo.* Hæc vox centurionis expressit, quæ in confessionem Dei erupit. Post resurrectionem Christi iniquitatem suam populus jam fidelis annuntiabat, quando per apostolos credidit in illum, quem occidit. *Pro peccato* hoc gravi cogi-

(69) Vulgata : *Quoniam in te Domine speravi : Tu exaudies me, Domine Deus meus.*

Digitized by Google

tavit, quando pœnitentiam de Christi occisione egit. Subjungitur vox capitis : Tu quidem ad pœnitentiam converteris :

VERS. 20. *Inimici autem mei vivunt*, quia non statim puniti sunt, sed florent, *et confirmati sunt super me*, hoc est, prævaluerunt mihi, *et multiplicati sunt, qui oderunt me inique*, scilicet pro bono, pro doctrina, pro sanitate : multi, quia Judæi, Pharisæi, Sadducæi, Pagani. Et post mortem meam

VERS. 21. *Qui retribuunt mala pro bonis*, hoc est Judæi, qui mihi mortem pro vita reddiderunt, *detrahebant mihi* dicentes : *Seductor ille, dum adhuc viveret dixit : post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulcrum, ne forte veniant discipuli ejus et furentur eum* (*Matth.* XXVII, 63 et 64). Hoc ideo factum est : *Quoniam sequebar bonitatem*, id est, in dilectione perseverabam.

VERS. 22 et 23. *Non derelinquas me, Domine Deus meus*, in morte : *Ne discesseris a me* in inferno. *Intende in adjutorium meum*, dum infernum despoliavero. *Deus salutis meæ* resuscitans me a mortuis, et dans per me salutem hominibus.

Hoc etiam Ecclesiæ congruit, cujus amici, et proximi adversus eam in persecutione appropiaverunt, et contra eam in accusatione steterunt. Et qui juxta illam erant, de longe steterunt, quia ejus familiares ab ea recesserunt. Et vim faciebant persecutores animam ejus quærentes. Et qui inquirebant sibi mala, locuti sunt vanitates, id est, mendacia objicientes ei falsa crimina. Et dolos tota die, hoc est, toto tempore meditabantur vel pagani vel hæretici, quomodo Christianos perderent, bona eorum diriperent. Populus autem Christianus tanquam surdus non audiebat, quia futuram spem intendebat. Sicut mutus os non aperuit, quia conviciis et contumeliis non respondit. Et factus est sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones, quia cum posset redarguere veris criminibus se fallaciter criminantes, non fecit, sed patienter exemplo Christi siluit. Quare ? Quia in te, Domine, non in terrenis speravi. Tu exaudies, Domine Deus meus, dans mihi promissum præmium, perducens me a labore in *Sabbatum*. Quia dixi orans : *Ne quando*, id est, nunquam *supergaudeant mihi inimici mei*. Inimici Ecclesiæ sunt dæmones. Hi super eam gaudent, si fideles in peccatis comprehenderint. Inimici quoque ejus sunt persecutores et hæretici. Hi gaudent, si fideles in consensum suum pertraxerint. *Et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.* Pedes Ecclesiæ sunt affectiones. Si qui fideles de statu rectitudinis in carnales affectus moti fuerint, mox inimici magna loquuntur super ruina ejus exsultantes. Hic est ille sanctus, ille prædicator, ille abstinens, ille totum populum convertens ! Talia insultant lapsis. Sed hæc pœnitens patienter tolerat dicens : *Quoniam ego in flagella paratus.* Flagella persecutionum, verba detrahentium, maledicentium, blasphemantium, insultantium suffero, quoniam *Deus flagellat omnem filium, quem recipit* (*Hebr.* XII, 6), subaudi : pœnitentem. *Et dolor meus in conspectu meo semper*, quem habeo, quia de gaudiis paradisi expulsus sum, et quia in multis Deum meum offendi, et quia recordor illius *Sabbati. Quoniam iniquitatem meam annuntiabo* humili confessione, *et cogitabo pro peccato meo* faciens eleemosynas, fundam lacrymas, dimittam in me peccantibus, obsistam errantibus. *Inimici autem mei vivunt*, id est, boni mundi florent, pagani et hæretici, et me oppressum malis deridentes. *Et confirmati sunt super me* potentia et divitiis, *et multiplicati sunt qui oderunt me inique*, quia propter justitiam,

Vel aliter : Ego in flagellis et doloribus consumor, quia mortalis sum. *Inimici autem mei* dæmones *vivunt*, quia immortales sunt, *et super me* confirmantur, quia dii immortales vocantur : *et multiplicati sunt, qui oderunt me inique* propter te dicentes, quod mortuum adorem, immortales non colam. *Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi*, scilicet hæretici. Ecclesia dat spiritualia charismata, hæretici retribuunt schismata : Ecclesia virtutes, ipsi hæreses : Ecclesia dilectionem, ipsi detractionem. *Quoniam sequebar bonitatem* imitans te per charitatem. *Ne derelinquas me, Domine*, in adversitatibus, *Deus meus, quem colo, ne discesseris a me* propter quæ commisi. *Intende in adjutorium meum*, ut digne ea pœniteam, et digne pro eis satisfaciam. *Domine Deus salutis meæ*, quia tu es Salvator, et non est aliud nomen datum sub cœlo hominibus, in quo oporteat salvari.

PARS QUARTA.

INCIPIT PROLOGUS GERHOHI.

Tribus jam partibus in Psalmorum expositione adjuvante Deo expletis, quartam a nobis exigunt avidi convivæ, quibus in illis tribus Trinitatis dulcedo sapuit, et sapit afficiente illos, ac delectante Sapientia, quæ dicit : *Qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient* (*Eccli.* XXIV, 29). Hoc de convivis dictum est. Porro ad ministros, et dapiferos, vel pincernas in isto convivio satagentes circa frequens ministerium pertinet, quod ibidem subjungitur ex persona Sapientiæ. *Qui operantur in*

Digitized by Google

me, non peccabunt, et qui elucidant me, vitam æternam habebunt (*Eccli.* XXIV, 30 et 31). Revera istos fructus quasi primitias carpunt, qui operantur in sapientia, scribendo scilicet, seu legendo, quod laudabiliter et instanter occupatis hac operatione minime vacat pœnaliter peccare. Hic est fructus temporaneus.

Porro serotinus erit, quod quisque sapientiam dictis ac factis elucidans vitam æternam habebit, cum de vita mortali exibit. Nonne operantur in sapientia, et elucidant eam non solum sapientes, quorum lingua ornat scientiam per dulcem ac nitidam eloquentiam, sed etiam infantes, atque lactentes, quorum ex ore Deus laudem suam perficit? Non ego pusillus annumerare me audeo magnis doctoribus, qui Psalmos ante me tractaverunt, et quasi messores magni magnos manipulos in horrea Domini comportaverunt : sed cum Christi discipulis adhuc parvulis et necdum consummatis, cum *Spiritus nondum fuit datus, quia Jesus necdum fuerat glorificatus* (*Joan.* VII, 39), fame cogente spicas vellicare, atque fricare ipsorum exemplo audeo.

Et hoc agens in nomine Domini hunc librum quartum quasi fasciculum spicarum de sententiis Patrum collectum vobis porrigo, quos in hac mensa Domini convivas me habere gaudeo, petens et expectans a Domino, ut hoc ipsum gaudium nostrum sit plenum, quo tunc recte gaudeamus inter epulandum, si Domini pietas concesserit nostris epulis interesse tantam symphoniam et chorum, quantam congruit haberi filio invento, qui perierat, et resuscitato, qui mortuus fuerat. Quis ille putatis est Filius? Ego, ego sum ille adolescens, qui in regione longinqua fui, sed reversus, Deo gratias, ad Patrem, stolam sacerdotalem per superabundantem gratiam accepi, et ex tunc siliquis, porcorum cibis, omnino spretis in Psalmorum pascuis libenter maneo, symphoniam et chorum diligo, atque pro fratre invido, super hoc indignante, Patrem piissimum rogo. Sed eidem fratri altercare cupienti minime respondendum deliberans *dixi* : *Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me.* Ab hoc igitur psalmo sit hujus quartæ partis initium.

PSALMUS XXXVIII.

Dixi : custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Titulus est :

(VERS. 1) IN FINEM CANTICUM DAVID PRO IDITHUN.

Legitur in libro Paralipomenon quod David, cum a Philisthæis reportasset arcam Domini in Jerusalem, præfecit cantoribus Idithun, Asaph, Eman et Ethan. Dum autem senuisset David, Salomonem constituit regem. Et congregatis principibus sacerdotum, Levitis, elegit de Leviticis in ministerium domus Domini viginti quatuor millia, de quibus constituit janitores quatuor millia et totidem cantores. Reliquos vero in cætera ministeria divisit. Præfecit autem janitoribus filios Chore; cantoribus vero præfecit filios Asaph, Eman et Idithun cum fratribus suis, qui omnes fuerunt ducenti octoginta octo. Hæc autem nomina frequenter posuit Esdras in titulo, tum propter honorem ministerii, tum maxime propter nominum significationes, per quas suppositorum Psalmorum intellectus panduntur. Sicut hujus psalmi patet arcanum per *Idithun*, quod interpretatur *Transiliens eos*. Docet enim iste psalmus hinc a delectatione sæculi ad legem Dei transilire, et hunc ad æternitatem. Habet autem titulus *Canticum pro Idithun*, pro eo, quod licet grave sit carni de mundana conversatione exire : tamen menti jucundum est humanas illecebras transilire pro æternitate.

Primo posuit linguæ continentiam, et rixarum devitationem per prudentiam inter blasphemos, et optat finem, ubi non est necessarius hujus prudentiæ labor. Secundo dicit vanitati omnes esse subjectos : et se Dominum exspectare, et petit ab iniquitatibus liberari ibi : *Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens.* Tertio petit inter mala sæculi Deum sibi adesse, et peccata dimitti, ut prospero fine exeat, ibi : *Exaudi orationem meam, Domine, et deprecationem meam.* Iste Idithun mundana transiliens de bono suo contrahit invidiam, et tamen propter eos, qui etiam bona pervertunt, deliberat inter malos tacere, et ait : *Dixi : custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.*

In superiori quidem psalmo pro pœnitentibus oravit Christus compatiendo infirmitatibus eorum, et condolendo his, qui ignorant, et errant utpote tentatus per omnia pro similitudine absque peccato. In isto autem psalmo suum justis innocentibus, et justificatis pœnitentibus exemplum commendans : *Dixi*, inquit, *custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me. Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis*, etc. Hoc exemplum justis quoque est imitandum. Nam et juxta alium prophetam (70) : *Cultus justitiæ silentium* (*Isa.* XXXII, 17). *Quod si*, ut in regula sua B. Benedictus ait, *a*

(70) *Reg. S. Ben.* cap. 6.

Digitized by Google

bonis, et ædificationum colloquiis interdum propter taciturnitatem debet taceri, quanto magis a malis propter pœnam debet cessari?

Verumtamen ne obstinate, et indiscrete taceamus, continuo subjunxit : *Et dolor meus renovatus est*, etc. Sicut, inquit, prius peccabam nimis loquendo, ita modo nimis tacendo. Bene igitur habet in titulo : *In finem pro Idithun Canticum David. Idithun* transiliens interpretatur. Significat autem titulus hic *Canticum* hoc *David* illis cantari, qui ad virtutes transilierunt a vitiis, a multiloquio usque ad moderamen linguæ, a temporalibus usque in finem, usque ad illum, ultra quem transiliendum non est, usque ad ipsam æternitatem, quæ Deus est, quam qui adeptus fuerit, nihil ulterius quæret. Maxime autem congruit, ut se a multiloquio compescat, qui ad hunc finem canendo, vel psallendo tendit. Hoc fine consummationis ego David contentus, eique intentus

Vers. 2. *Dixi : custodiam vias meas. Dixi*, id est apud me deliberavi sicut rem difficilem, *ut custodiam vias meas. Dixi*, id est verbis propriis me quasi voto constrinxi hoc proponens ; *ut custodiam vias meas. Custodiam* in silentio coram Deo *vias meas*, id est opera mea congrua. *Custodiam vias meas*, in quibus non more serpentis repere, vel serpere, sed more cervi decretum est mihi saltus dare, atque transilire silendo dumeta rixarum, et spinas contentionum, ita ut *non delinquam in lingua mea* pro maledictis maledicta reddendo, vel obloquentibus indisciplinate obloquendo. Talia *dixi* apud meipsum in corde, ubi sapiens deliberat, quid, quando, cui, quantum, quomodo, quare loquatur, vel taceat. *Dixi*, inquam, talia, *ut non delinquam in lingua mea*, quod cavere nimis est difficile, maxime inter contentiosos. Nam *si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir* (*Jacob.* III, 2) : et est rara avis in terra homo non offendens in lingua quæ, ut vulgo dicitur : in udo est, et facillime labitur, *quam*, ut Jacobus apostolus ait : *nullus hominum domare potest* (*ibid.* 8), cum omnia bestiarum genera domita sint a natura humana. Difficile itaque fuit propositum, *ut non delinquam in lingua mea.* Facilius esset omnino silere, quam loqui suo tempore, tacere suo tempore, atque in neutro delinquere. Hoc ipsum est, quod proposui, ut neque tacendo, neque loquendo *delinquam in lingua mea.* Propter hoc

Posui ori meo custodiam, ut *tempus tacendi et tempus loquendi* observetur apud me (*Eccli.* III, 7); non quia bonos timeam, qui quæ approbant, laudant, et dant veniam lapsui linguæ in his, quæ improbant, sed propter malos elegi mihi magis tacendum, quam loquendum etiam illo tempore, cum taceri erat difficile, videlicet, *cum consisteret peccator adversum me.* Cum peccator non percipiens ea, quæ sunt Spiritus Dei, *consisteret* quasi cum mora stabiliter durans in contentione *adversum me* quærens calumniandi occasionem.

A Ad augmentum quoque meriti dictum est : *Cum consisteret peccator adversum me.* Ac si diceret : Non grande meritum esset, si arguente me, vel loqueate contra me homine justo patientiam exhiberem juxta illud : *Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me* (*Psal.* CXL, 5), imperante mihi silentium hinc proprii peccati conscientia, hinc arguentis innocentia, quem viderem mihi superiorem in causa. Nunc vero ego in causa superior, innocens, contra peccatorem consistente peccatore, *adversum me*, cui possem contra falsas criminationes vera multa et magna crimina objiciendo blasphemum os obstruere, tamen propter patientiæ et humilitatis conservantiam *posui ori meo custodiam*, videlicet, ne viderer ultionem expetendo reddere maledictum
B contra maledictum, simul et sperans Dominum humilitatem meam respecturum, ac redditurum mihi benedictionem pro maledictione. Sic et ego verus David quasi agnus coram tondente, coram Pilato tonsore obmutui, et non aperui os meum, ita ut miraretur Pilatus. Discipulis etiam loquens multa inter loquendum transilivi. Unde et dixi : *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo* (*Joan.* XVI, 12). Adeo autem *posui* ori meo custodiam quod

Vers. 3. *Obmutui, et humiliatus sum. Obmutui*, hoc est, ita tacui, ut nec mutirem contra obloquentes. Et quia tacent aliqui per superbiam dedignantes respondere his quos despiciunt : ego non
C solum *obmutui*, sed etiam *humiliatus sum*, ita ut esset purum et humile silentium meum, non dolosum vel superbum, seu indignationis fermento permixtum, quia tacui ex humilitate in simplicitate. Vel *humiliatus sum* ad improperia sustinenda, *et silui a bonis* quoque annuntiandis, ne *sanctum darem canibus, et mitterem margaritas ante porcos* (*Matth.* VII, 6). Vel *silui* etiam *a bonis* auditoribus alloquendis, dum eisdem intermistus *consisteret peccator adversum me.* Vel *silui a bonis* eloquiis, ne in his annuntiandis inciderem vitium loquacitatis, et excederem in verbis vitia hominum vel animis exaggerando, vel nimis increpando. Timui enim scripturam dicentem : *Lingua placabilis lignum vitæ, quæ autem immoderata est, conteret spiritum* (*Prov.*
D XV, 4). Timui ergo ne lingua mea immoderata immoderate arguens potius contereret, quam ædificaret auditores, et ideo *silui* etiam *a bonis* et ædificationum colloquiis, eligens magis tacendo et taciturnitate orando ipsos malos transilire, quam eos insilire, atque confligere cum ipsis in tantum linguosis, ut vere dictum illud conveniat eis : *Vir linguosus non dirigetur in via* (*Psal.* CXXXIX, 12). Hos caveri volens Apostolus instruit dilectum discipulum dicens : *Noli verbis contendere, in nihilum utile est, nisi ad subversionem audientium* (*II Tim.* II, 14). Item servum Domini, ait, *non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes* (*II Tim.* II, 24). Ut ergo mansuetus essem ad omnes, interdum *silui, et obmutui.*

Pro *obmutui* alia translatio habet : *Obsurdui*, et

Digitized by Google

est sensus : Ego Idithun statuens tacere, ut non delinquam loquendo, peccavi tacendo, experimento verum comprobans quod dicit ethnicus :

In vitium ducit culpæ fuga, si caret arte.

Nam vitium fugiendo vitium incidi, dum timens noxiam loquacitatem incidi noxiam taciturnitatem. Positus enim inter Dominum divitem et conservum pauperem curro inter hos hinc inde saliens, et media transiliens, nunc ad Dominum divitem contemplationis volatu, aut saltu propinquans, nunc inde per compassionis condescensionem proximans conservo pauperi, ut hinc audiam vocem sponsi, atque istinc erogem pecuniam Domini mei. Dum autem incautus loqui timui, male tacui, et cavens esse prodigus apponendo escam fastidiosis, factus sum tenax non erogando famelicis. In ipsa quoque tenacia surrepsit pigritia. Piger vero servus damnatur, ut, quia non erogat, non accipiat, imo et quod habuit auferatur ab eo, quod et mihi accidit. Cum enim scriptum sit : *Qui audit, dicat : Veni* (*Apoc.* XXII, 17), quotiescunque nimis tacendo ad proximum non dixi : *Veni*, ego quoque auditum perdidi, ut non audirem vocem vocantis me Domini, quia ego alios vocare nolui. Sic dum nimium silens obmutui, auditum quoque perdens *obsurdui*, et sub talibus flagellis *humiliatus sum*, propterea maxime, quod *situi a bonis*, et ob hoc *dolor meus renovatus est*. Qui enim prius dolui me dixisse tacenda, postea magis dolere cœpi, eo quod tacueram dicenda. Et quia dolor est in loquendo, et zelus domus Dei comedens in tacendo, non dico : *Caluit*, sed ab utraque parte

VERS. 4. *Concaluit cor meum* hinc urente me igne Dei, et desiderio cœlestium, ubi tutum erit silentium, quia nemo ibi loquetur post universale illud completorium, finale videlicet judicium completivum cunctorum divinorum operum, in quo *dimittes* quemlibet *servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace* (*Luc.* II, 29), ac silentio quietissimo nulla ibi existente necessaria docendi vel discendi occupatione, quia *erunt omnes docibiles Dei* (*Joan.* VI, 45), quando videbunt omnes electi *salutare tuum, quod parasti* tunc exhibendum *ante faciem omnium populorum lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel* (*Luc.* II, 32). Quia ergo nondum est mihi hora vel vitæ, vel sæculi extrema, in qua dimittes me servum tuum in pace, ut spero : nunc interim *concaluit cor meum*, dum neque loqui, neque silere invenio mihi tutum.

Fuit aliquando, ut pro mea paulo amplius persona veritatem confitendo loquar ; fuit, inquam, ignitum eloquium meum vehementer : sed quoniam abundavit iniquitas refrigescente charitate multorum, frigescere quoque jam cœpit mea culpa eloquium meum, ita ut præmortuis pene cunctis membris meis vix calor vitalis in pectore meo sit relictus. Quo tamen adhuc aliquatenus vigente *concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis*, uti mihi hæc scribenti testimonium perhibent litteræ sedis Apostolicæ ad me directæ, quarum textus ita se habet :

Eugenius (71) *episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Gerhoho Reicherspergensi præposito salutem, et Apostolicam benedictionem.*

Scripta devotionis tuæ benigne recepimus, et fervorem tuæ religionis ex eorum inspectione manifeste cognovimus. Concaluit enim cor tuum intra te, et in meditatione tua exardescit ignis. Ignitum quoque eloquium tuum vehementer. Super hoc itaque, quod contra pessimas novitates, commotiones quoque, quæ contra Ecclesiam Dei, et personas ecclesiasticas oriuntur, te zelo charitatis exardescere cognoscimus, paterno affectu gaudemus, et devotionem tuam in Domino collaudamus. Verumtamen quoniam bonum est incipere, sed multo melius consummare, dilectionem tuam in Domino commonemus, ut in bono proposito firmiter perseveres. Quia nos personam tuam tanquam litteratum, et religiosum virum paterna charitate diligimus, et, in quibus secundum Deum possumus, honorare, et manutenere volumus. Data Sutrii, XVII Kalend. Junii.

Has litteras huic operi placuit hoc loco inseri, ut in eis valeat animadverti, quod ego G. dictaminis hujus minister testimonium habeo non solum a mea propria conscientia, sed etiam a sede Apostolica, veraciter me in hoc psalmo dicere posse non solum ex persona David, sed etiam propria mea persona : *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea* exardescet ignis. Fuit aliquando, ut præmissæ litteræ testantur, ignitum eloquium meum vehementer ; sed nunc præfocata eloquii flamma, et ore meo pene penitus concluso, dum loqui, ut solitus eram, inutile puto, et ideo taceo, *ignis* pridem in eloquio flammescens, nunc se ad interiora cordis contraxit, atque inde *concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis*, præ cujus magnitudine conceptum sermonem interdum non valeo tenere. Nam etsi voluero tacere, non valeo, neque hoc mihi permitti scio, et bene sentio, atque in hoc ipso gaudens gaudebo propter vocem sponsi, quam audire desidero etiam per os asinæ, quanto magis per os Prophetæ. Desideranti mihi audire hanc vocem sponsi contigit per ipsius gratiam, ut aliquando per os proprium audirem eam, ita ut verum esse persenserim, quod ipse ait suis discipulis : *Ego enim dabo vobis os, et sapientiam, cui non poterunt resistere, et contradicere omnes adversarii vestri* (*Luc.* XXI, 15). Item : *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus sanctus* (*Matth.* X, 20). Unde unus talium confidenter ait : *An experimentum ejus quæritis, qui in me loquitur Christus ?* (*II Cor.* XIII, 3.) Longe quidem sub talium pedibus ego jaceo vinctus peccator longo et multiplici funiculo. Unde

(71) Eugenius III, creatus anno 1145, 27 Februarii, mortuus est anno 1153, 8 Julii.

Digitized by Google

quod Ezechieli dictum est, mihi quoque utcunque dici convenit : *Et tu, fili hominis, ecce data sunt super te vincula ;* item : *Adhærere faciam linguam tuam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est* (*Ezech.* III, 25 et 26). Attamen veracem esse didici, si virtutem discretionis habuisset, amicum beati Job, ubi dixit : *Sed conceptum sermonem tenere quis possit?* (*Job.* IV, 2.) Et quidem conceptum sermonem superfluum, sive malum non posse tenere, vitiosum est et stultum juxta illud sapientis : *Sagitta infixa in femore canis, sic verbum in corde stulti* (*Ezech.* XIX, 12). Sed econtra conceptum sermonem bonum, et necessarium non posse tenere gloriosum est, quemadmodum Jeremias tenere non valens, cum dixisset : *Et factus est mihi sermo Domini in opprobrium, et in derisum tota die, et dixi : non recordabor ejus, neque loquar in nomine ipsius*, ita subjunxit : *Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans clausus in ossibus meis, et defeci ferre non sustinens* (*Jerem.* XX, 8 et 9). Sed æmuli mei nolentes, imo et dedignantes credere, quod istiusmodi ardeam igne, moventur contra me addentes igni fervoris ignem doloris : unde non solum caluit, sed igne gemino *concalescit cor meum intra me*, dum peccat aliquis, ac pene scandalizatur in me, quod scribo, quod in Psalmorum tractatu ex dictis Patrum quædam colligens aliquid supererogo, præsumptioni deputans, et vanæ gloriæ. Verumtamen quomodocunque volunt, præsentes de nobis judicent, futuri clementius judicabunt. Dum enim vivimus, ait vir illustris beatus Hieronymus, et vase fragili continemur; videntur amicorum prodesse studia, et nocere æmulorum opprobria. Postquam autem reversa fuerit terra in terram suam, et tam nos, qui scribimus, quam eos; qui de nobis judicant, pallida mors subtraxerit, et alia venerit generatio, primisque cadentibus foliis virens sylva succreverit, tunc sine nominum dignitate sola judicantur ingenia. Nec considerat qui lecturus est, cujus, sed quale sit, quod lecturus est, sive ille episcopus, sive laicus, imperator et dominus, miles et servus, aut in purpura et serico, aut in vilissimo panno jaceat, non honorum diversitate, sed operum merito judicabitur. Nunc cœpta prosequamur.

Concaluit cor meum intra me. Non simpliciter caluit, sed *concaluit* cor meum, dum, sicut dictum est, accessit ignis ad ignem. Num ignis ille, quo ardentes dicunt discipuli : *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum nobis loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas?* (*Luc.* XXIV, 32.) Cor meum calefecit in amore veritatis obscura illuminando. Huic accessit ignis doloris, qui me tabefecit, ita ut dicerem : *Vidi prævaricantes, et tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt* (*Psal.* CXVIII, 158). Sic sic gemino igne amoris, et doloris *concaluit cor meum intra me*, ubi loquitur homo interior cum Deo suo in secreto soliloquio, et ignis iste geminus exardescet non æstuatione insana, vel tumultuosa, sed *in meditatione*, id est, ex consilio prudenter accensus, unde animus meus reddebatur valde anxius loquererne, an tacerem. Periclitans autem in hac fluctuatione dicendi et tacendi hoc elegi, ut cavens effundere sermonem, ubi non erat auditus, in secreto soli Deo loquerer, cui etiam

Vers. 5. *Locutus sum in lingua mea*, ita ut exemplo Annæ linguam, labiaque moverem, sed vox penitus non audiretur. Ergo tacite *locutus sum in lingua mea* (*I Reg.* I, 13), non forinseco auditori, sed intrinseco exauditori dicens : *Notum fac mihi, Domine, finem meum.* O Domine, dominator vitæ meæ, mihi transilienti, qui a delectatione sæculi ad meliorem, scilicet spiritalem delectationem transilivi, ut me non jam delectet voluptas mundana, sed veritas, misericordia, pietas, justitia et mansuetia, mihi, cui sapit sapientia non terrena, sed quæ desursum est, mihi transilienti ea, quæ videntur, et concupiscenti cœlestia, quæ non videntur, *fac notum finem meum*, quo apprehenso non sit ultra transiliendum, quo dum inter scandala curro, mihi sit jugiter tendendum quasi ad bravium certum, bene currentibus destinatum, quo accepto non ulterius transiliam, sed ibi quiescam dicens : *Omnis consummationis vidi finem* (*Psal.* CXVIII, 96), in eo quiescam : *Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti.*

Hunc *finem notum* habent oves de quibus ipse ait : *Et cognosco meas, et cognoscunt me meæ* (*Joan.* X, 14). Hunc Petrus cognovit, qui dixit : *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 16). Item : *Verba*, inquit, *vitæ æternæ habes, et nos a te quo ibimus!* (*Joan.* VI, 69.) Novit etiam Paulus Christum *Dei virtutem, et Dei sapientiam* (*I Cor.* I, 24). Unde licet inter parvulos et infirmos non prædicaret nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum, tamen sapientiam loquens inter perfectos : *Etsi cognovimus*, ait, *Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus* (*II Cor.* V, 16). Ac si diceret : Etsi crucifixus ac mortuus est ex nostra, quam portavit infirmitate, vere tamen dicit : *Ego sum resurrectio et vita* (*Joan.* XI, 25). Resurrectio videlicet hominum de morte animæ corporisque reviviscentium : vita vero sanctorum angelorum sempiternaliter viventium. Vel : *Ego sum resurrectio* meorum cadentium et cito resurgentium in hac vita juxta illud antiquis dictum : *Septies in die cadit justus, et resurgit* (*Prov.* XXIV, 19). Nunc autem non dico : usque *septies, sed usque septuagies septies* (*Matth.* XVIII, 22). Ego sum *resurrectio* meorum ante judicium, et *vita* invariabilis, atque interminabilis post judicium. Item ait : *Ego sum via, et veritas, et vita* (*Joan.* XIV, 6). Me viam norunt *beati immaculati in via, qui ambulant in lege mea* (*Psal.* CXVIII, 1). Me veritatem norunt *beati, qui scrutantur testimonia* mea (*Psal.* CXVIII, 2), verissimam me vitam norunt, qui in me vite quasi palmites vivunt, et bonos fructus faciunt, quique me radicem habentes, mihique adhærentes arescere, vel mori non poterunt in anima, neque

Digitized by Google

ipsam carnis mortem gustabunt, donec videant in se regnum Dei. Item ait : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI, 51). *Ego sum lux mundi* (*Joan.* VIII, 12). Soli ergo hunc panem norunt, qui habent sanum palatum ad ipsum gustandum et sapiendum. Soli solem justitiæ sive lucem mundi hunc esse norunt, qui habent cordis oculum sanum ad ipsum in sua claritate videndum. Nam omnes quidem homines, etiam qui eum pupugerunt, videbunt eum venientem in nube cum potestate magna et majestate, sed nube corporalis manifestationis post judicium remota soli solem justitiæ in claritate videbunt, et notum habebunt, quorum nunc vota et desideria exaudientur dicentium : *Notum fac mihi, Domine*, finem meum, id est *notum fac mihi* Christum.

Sed si tu vis illum notum habere, primitus cognosce te ipsum. Nam *si ignoras te*, dicet tibi : *Egredere et abi post vestigia gregum* (*Cant.* I, 7). Item talibus, fatuis virginibus præ nimia fatuitate se ipsas ignorantibus dicet : *Amen dico vobis : Nescio vos* (*Matth.* XXV, 12). Unde prudenter ac sapienter orans beatus Augustinus ait : *O Domine, noverim me : noverim te :* gemina hæc scientia usque adeo est necessaria omni homini, ut eis alia nulla debeat anteponi. Et est quidem prius tempore, vel ordine, ut agnoscat te, ac deinde finem tuum Christum psalleudo in finem, et dicendo ad Patrem : *Notum fac mihi, Domine, finem meum, quia caro et sanguis* hunc *non revelat, sed Pater* (*Matth.* XVI, 17) : attamen hic est ordo præposterus, et necessario commutatus, dum iste Idithun sapienter psallens et inferiora transiliens primo petit notitiam Christi, quæ dignitate ac fructu potior est, ac deinde notitiam sui, *ut sciam*, inquiens, *quid desit mihi*, ac si dicat : Primo regnum Dei quærens dico : *Notum fac mihi, Domine, finem meum.* Sed quoniam ad illud pervenire non valeo, si me ipsum ignoro, ante omnia : *Notum fac mihi finem meum.*

Et numerum dierum meorum quis est, ut sciam quid desit mihi. Non videatur absurdum, quod prius est in petitione id quod speratur in fine cum dico : *Notum fac mihi, Domine, finem meum.* Idithun, quod interpretatur *transiliens*, ego sum, qui sic psallo, qui in psalterio decachordo priores et inferiores chordas prætermittens, et quasi transiliens tango summam dicendo : *Notum fac mihi, Domine, finem meum.* Sed regredior secundum quod animalia ibant et revertebantur ad inferiora, per quæ ascensus est ad summa, et dico : *Notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum dierum quis est, ut sciam quid desit mihi.* Ad summa transiliens, quorum necdum capax invenior, compellor inde redire ad ea, quæ subteriora sunt.

Sic Isaias cum delectaretur inhærere visioni altissimi Domini sedentis super solium excelsum et elevatum, nimietate luminis reverberatus reflexit intuitum ad *ea, quæ sub ipso erant*, et *replebant templum*. Seraphim, inquit, *stabant super illud, sex alæ uni, et sex alæ alteri, et clamabant : Sanctus sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth, plena est omnis terra gloria ejus* (*Isa.* VI, 1, 2 et 3). Nota ordinem transilientis primo ad videndum sedentem Dominum super solium excelsum ; deinde quasi resilientis ad contemplandum, quæ sub ipso erant, et replebant templum : postremo inhærentis visioni gloriæ, qua plena erat, non solum templum, sed et omnis terra, quia creatoris gloria sanos oculos habenti conspicua est in omni creatura sua etiam infima, ut est ista, quam calcamus, terra, quod dictum sit salvo altiore et sacratiore sensu, quo mystice intelligitur *terra* hæc terrestris et in hac vita peregrinans Ecclesia : *templum* in ea spiritalium sancta, et ad modum templi sacris ordinibus vita dedicata : *Solium excelsum et elevatum* Ecclesia jam regnans in cœlo partim consistens de angelis in excelso creatis et firmatis, partim de hominibus ab imo per gratiam sursum elevatis. Unde jure hoc *solium* dicitur *excelsum et elevatum : excelsum* videlicet in angelis ab initio sanctis ; *elevatum* in hominibus per gratiam sanctificatis et de inferno inferiori ad alta sublevatis. Quorum si te delectat societas, ut in ipsis Dominum sedentem, id est quiescentem, regnantem et judicantem videas, imitare animalia euntia et revertentia, ut prius in laudibus Dei exercearis in terra corde, ore, opere canendo sanctus, sanctus, sanctus in sancta fide, spe, charitate, corde credens ad justitiam, ore confitens ad salutem. Per charitatem, quod bonum est, operando ad omnes, maxime ad domesticos fidei, et sic exercitatus piis operibus eris in numero exercituum Domini Sabaoth, quod interpretatur *exercituum*, tandemque fies et tu solium Domini excelsum et elevatum : *excelsum* in spiritu angelis coessentiali et coæquali secundum *mensuram hominis, quæ est angeli* (*Apoc.* XXI, 17) ; *elevatum* in corpore glorificato, cum id, quod seminatur in infirmitate, surget in gloria. Non itaque moleste feras, quod in transiliendo rogans notum tibi fieri finem tuum non cito exaudiris. Est ubi nunc interim exercearis, notitia videlicet dierum tuorum. Hanc pete, ut accipias, et ex tali notitia dicere Deo valeas : *Ecce mensurabiles posuisti dies meos, et substantia mea tanquam nihilum ante te.* Sic proficies per notitiam dierum tuorum mensurabilium, in quibus agnosces te ipsum ad notitiam dierum immensurabilium et interminabilium, in quibus agnosces finem tuum, quem nunc agnoscere *labor est ante te*, donec intres in sanctuarium Dei, et intelligas in novissimo, quis finis tuus, quisque sit finis omnium in finem psallentium, et in finem transilientium, atque in scala Jacob nunc ascendentium, nunc descendentium (*Gen.* XXVIII, 12), donec inveniant finem suum, Dominum scilicet, summitate scalæ innixum, de quo et hic transiliens dicit : *Et nunc, quæ est exspectatio mea ? Nonne Dominus ?*

Multa sunt in Scripturis exempla sanctorum ascendentium et descendentium in hac scala Ja-

Digitized by Google

cob : Ascendentium ad cognitionem Dei, descendentium ad recognitionem sui. Sic (72) *olim sanctus Moyses, quoniam multum præsumebat de gratia et familiaritate, quam invenerat apud Deum, aspirabat ad quamdam visionem, ita ut diceret Deo : Si inveni gratiam in oculis tuis, ostende mihi te ipsum* (*Exod.* XXXIII, 13). *Accepit autem pro ea visione longe inferiorem, ex qua tamen ad ipsam, quam volebat transiliendo capere, posset aliquando pervenire. Filii quoque Zebedæi in simplicitate cordis sui ambulantes magnum et ipsi aliquid ausi sunt, quasi transiliendo appetere. Sed ad gradum nihilominus sunt reducti, per quem fuerat ascendendum dicente illis Domino :* Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? (*Matth.* XX, 21.) *Ac si diceret : Si delectat mecum sedere in culmine honoris, exerceat prius certamen laboris. Ita et sponsa in Canticis canticorum, quoniam rem grandem postulare videtur dicens ad sponsum :* Indica mihi, quem diligit anima mea (*Cant.* I, 6) : *ubi pascis, ubi cubas in meridie? ne incaute saliendo cadat, reprimitur sane austeriori responsione, sed plane utili et fideli, cum ei a sponso dicitur : si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum. Oportet namque humiliter sentire de se nitentem ad altiora se, ne, dum supra se attollitur, cadat a se, nisi in se firmiter per veram humilitatem fuerit solidatus. Et quia nisi humilitatis merito maxima maxime obtinentur, propterea, qui provehendus est, correptione humiliatur, humilitate meretur. Tu ergo cum te humiliari videris, habeto id signum in bonum omnino argumentum gratiæ propinquantis. Nam sicut ante ruinam exaltatur cor, ita ante exaltationem humiliatur* (*Prov.* XVI, 18). *Sane utrumque legis, Deum scilicet superbis resistere, et humilibus gratiam dare* (*Jac.* IV, 6). *Nonne denique servum suum Job, cum post insignem triumphum tantam et tam probatam ipsius patientiam larga remunerandam benedictione censeret, prius in multis et districtis percunctationibus humiliare curavit, et sic parare viam benedictioni?*

« *At parum est, cum per se ipsum humiliat nos Deus, si tunc libenter accipimus, nisi quando et per alium hoc facit, sapiamus similiter. Quam ob rem accipe hujus rei mirabile documentum in sancto David. Aliquando maledictum est illi, et a servo. At ille nec cumulatam injuriam sensit, quia præsensit gratiam.* Quid mihi, ait, et vobis, filii Sarviæ? (*II Reg.* XVI, 10.) *O vere hominem secundum cor Dei, qui se ulciscenti potius, quam exprobranti succensendum putavit! Unde et secura conscientia loquebatur :* Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis (*Psal.* VII, 5). *Vetuit ergo prohiberi maledicum convitiantem, quæstum æstimans maledicta. Et addidit : Dominus misit illum ad maledicendum David. Prorsus secundum cor Dei, qui de corde Dei ferebat sententiam. Sæviebat lingua maledica, et ille intendebat quid in occulto ageret Deus. Vox maledicentis in auribus, et animus inclinabat se ad benedictionem. Nunquid in ore blasphemi Deus? absit! sed eo usus est ad humiliandum David. Nec latuit prophetam, quippe cui incerta et occulta sapientiæ suæ manifestaverat Deus. Et ideo dicit :* Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas (*Psal.* CXVIII, 71). *Vides quia humilitas justificat nos? Humilitas, dixi, et non humiliatio. Quanti humiliantur, qui humiles non sunt! Alii cum rancore humiliantur, alii patienter, alii libenter. Primi rei sunt, sequentes innoxii, ultimi justi. Quanquam et innocentia portio justitiæ est, sed consummatio est apud humilem. Qui autem dicere potest : Bonum mihi, quia humiliasti me, is vere humilis est. Non potest dicere, qui invitus portat : minus, qui murmurat. Neutri horum promittimus gratiam, quod humiliatur, etsi sane longe hi duo a se differant, et alter quidem in patientia sua possideat animam suam, alter in suo murmure pereat. Sed enim etsi unus iram, neuter tamen gratiam promeretur, quoniam non humiliatis, sed humilibus dat Deus gratiam. Est autem humilis, qui humiliationem vertit in humilitatem, et ipse est, qui Deo dicit : Bonum mihi, quod humiliasti me. Nemini prorsus, quod patienter fert, bonum est, sed molestum. Scimus autem, quia* hilarem datorem diligit Deus (*II Cor.* IX, 7). *Unde et cum jejunamus, jubemur caput nostrum ungere oleo, et faciem lavare, ut nostrum scilicet opus bonum spiritali quodam gaudio condiatur, et holocaustum nostrum pingue fiat. Etenim sola gratiam, quam præfert, meretur læta et absoluta humilitas. Quæ enim coacta fuerit vel extorta, qualis utique est in viro patiente illo, qui possidet animam suam, hæc, inquam, humilitas, eam vitam obtinet propter patientiam, propter tristitiam tamen gratiam non habebit. Non enim congruit ei, qui ejusmodi est, illud Scripturæ : Glorietur humilis in exaltatione sua* (*Jac.* I, 9); *quoniam non sponte humiliatur, neque libenter.*

Vis autem videre humilem recte gloriantem, et vere dignum gloria? Libenter, *inquit*, gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi (*II Cor.* XII, 9). *Non dicit patienter se ferre infirmitates suas, sed gloriari et libenter gloriari in illis, probans etiam sibi bonum esse, quod humiliatur, nec sufficere omnino, ut possideat animam suam tanquam patienter humiliatus, nisi et gratiam accipiat tanquam sponte humiliatus. Generalem vero hanc audi regulam : Omnis qui se humiliat, ait, exaltabitur. Significat profecto non omnem exaltandam esse humilitatem, sed eam tantum, quæ de voluntate venit, non ex tristitia, nec ex necessitate. Nec enim per contrarium omnis qui exaltatur, humiliatus erit, sed tantum, qui se exaltat humiliabitur, eorum ob voluntariam vanitatem. Ita ergo non qui humiliatur, sed qui sponte se humiliat exaltabitur, atque*

(72) Ex sermone 34 S. Bernardi in Cantica.

Digitized by Google

ob meritum voluntatis. Esto enim, quod humilitatis materia per alium ministratur, verbi gratia : probra, damna, supplicia, non tamen idcirco recte ab alio, quam a semetipso humiliatus ille dicitur, qui illa omnia, tacita et læta conscientia causa Dei subeunda decreverit.

Ad hanc sane humilitatem per suimet cognitionem et sponsus in Canticis canticorum, ut paulo superius tetigimus, sponsam revocat dicens : *Si ignoras te, egredere.*

(73) *Dura et aspera increpatio, quod dicit : egredere. Hoc quippe verbum servi audire solent a valde irascentibus et indignantibus dominis suis, cum graviter illos offenderunt : Exi hinc, exi a me, egredere a conspectu meo, et a domo ista. Hoc ergo verbo aspero, atque amaro satis nimium increpatorio utitur sponsus contra dilectam sub conditione tamen, si se ipsam ignoraverit. Nil quippe validius efficaciusve ad terrendum potuit in eam intendere, quam ut egredi minaretur, quod et tu advertere potes, si bene attendas, unde egredi jubetur. Unde enim ? quo putas, nisi de spiritu ad carnem, de bonis animi ad sæcularia desideria, de interna requie mentis ad mundi strepitum, et inquietudinem curarum exteriorum ? In quibus omnibus nonne nisi labor, et dolor, et afflictio spiritus ? Quæ enim anima semel a Domino didicit, et accepit intrare ad se ipsam, et in intimis suis Dei præsentiam suspirare, et quærere faciem ejus semper (spiritus enim est Deus, et qui quærunt eum, oportet eos in spiritu ambulare, et non in carne, ut secundum carnem vivant) ; talis, inquam, anima, nescio an vel ipsam gehennam ad tempus experiri horribilius pœnaliusve ducat, quam post spiritalis studii hujus gustatam semel suavitatem exire denuo ad illecebras, vel potius ad molestias carnis, sensuumque inexplebilem repetere curiositatem dicente Ecclesiaste :* Oculus non impletur visu, nec auris auditu (*Eccle.* I, 25). *Audi enim hominem expertum, quæ loquimur.* Bonus es, Domine, *inquit*, sperantibus in te, animæ quærenti te (*Thren.* III, 25). *Ab hoc enim si quis animam sanctam avertere conaretur, puto haud secus accepisset, quam si se de paradiso, et ab ipso introitu gloriæ conspiceret deturbari. Audi adhuc et alium similem huic.* Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram (*Psal.* XXVI, 8). *Unde et dicebat :* Mihi autem adhærere Deo bonum est. *Et item loquens ad animam suam dicit :* Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi (*Psal.* CXIV, 7). *Dico ergo vobis : nihil est, quod in tantum formidet, quisquis hoc beneficium semel accepit, quam ne gratia derelictus necesse habeat denuo egredi ad carnis consolationes, imo desolationes, rursumque carnalium sensuum sustinere tumultus.*

Terribilis proinde, et nimis formidolosa comminatio : Egredere, et pasce hædos tuos, *quod est : indignam noveris te illa tua familiari et suavi rerum contemplatione cœlestium, intelligibilium et divinarum visionum. Quam ob rem egredere de sanctuario meo, corde tuo, ubi secretos, sacrosque veritatis ac sapientiæ sensus dulciter haurire solebas, et magis tanquam una de sæcularibus pascendis, et oblectandis tuæ carnis sensibus intricare. Hædos quippe, qui peccata significant, et in judicio collocandi sunt a sinistris, dicit vagos ac petulantes corporis sensus, per quos peccatum tanquam mors per fenestras intravit ad animam. Cui et bene congruit, quod sequitur in scriptura : juxta tabernacula pastorum. Non enim supra sicut agni, sed juxta tabernacula pastorum hœdi pascuntur. Pastores siquidem, qui veri pastores sunt, licet tabernacula habeant de terra et in terra, corpora videlicet sua his diebus, quibus nunc militant, non tamen de terra, sed de cœlestibus pascuis greges Dominicos pascere consueverunt. Neque enim suam eis, sed Domini prædicant voluntatem. At hædi, qui sunt corporis sensus, cœlestia non requirunt, sed juxta tabernacula pastorum, in omnibus videlicet bonis sensilis* (74) *hujus mundi, quæ est regio corporum, sumunt, unde sua desideria non tam satient, quam irritent.*

Turpis mutatio studiorum, ut cui ante studio fuerat peregrinantem et exsulem animam suam sacris meditationibus tanquam cœlestibus pascere bonis, Dei beneplacitum et mysteria voluntatis ejus exquirere, penetrare devotione cœlos, et mente supernas circuire mansiones, salutare Patres, Apostolos et choros Prophetarum, martyrumque admirari triumphos, ac stupere pulcherrimos ordines angelorum, nunc omnibus his omissis turpi se corporis mancipet servituti ad obediendum carni, ac satisfaciendum gulæ et ventri, ad mendicandum in universa terra, unde ex ea, quæ præterit, figura hujus mundi suam semper famelicam curiositatem aliquatenus consoletur ! Exitus aquarum deducant oculi mei super hujusmodi animam, quæ cum nutriretur in croceis, demum amplexatur stercora. Pavit *enim, juxta beati viri sententiam,* sterilem, quæ non habebat filios, et viduæ non benefecit (*Job* XXIV, 21). *Et vide quia non simpliciter egredere, sed egredere, inquit, et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos. In quo, ut mihi videtur, magnæ cujusdam rei nos admonet. Quid istud ? Heu quod egregia creatura olim, jam facta de grege, et nunc in pejus miserabiliter proruens non saltem inter greges remanere permittitur, sed post abire jubetur. Quomodo inquis ? Quomodo legis :* Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis (*Psal.* XLVIII, 13). *Ecce quomodo de grege facta est egregia creatura ! Puto dicerent jumenta, si loqui fas esset :* Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis (*Gen.* III, 22). *Cum in honore esset, inquit. In quo honore quæris ? Habitabat in paradiso, et in loco voluptatis conversatio ejus, nihil molestiæ, nihil indigentiæ sentiebat odoriferis stipatus malis, fulci-*

(73) Ex Serm. XXXV S. Bernardi in Cantic.

(74) Edit. *sensibilibus.*

Digitized by Google

tus floribus, gloria et honore coronatus, et constitutus super opera manuum Plasmatoris. Magis autem ob insigne divinæ similitudinis præcellebat, et erat illi sors et societas cum plebe angelorum, et cum omni militia cœlestis exercitus.

Sed mutavit istam gloriam Dei in similitudinem vituli comedentis fenum. Inde est, quod panis angelorum factus est fenum positum in præsepio, appositum nobis tanquam jumentis. Verbum caro factum est (*Joan.* I, 14), *et juxta Prophetam omnis caro fenum. At fenum istud minime desiccatum est, nec ex eo cecidit flos; quia requievit super ipsum Spiritus Domini. Propter hoc namque aliquando venit finis universæ carnis, quia Spiritus recesserat vitæ. Denique ait :* Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est (*Gen.* VI, 3). *Carnis nomine hoc loco vitium designari intellige, non naturam. Propter vitium ergo* omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos feni. Exsiccatum est, *inquit,* fenum, et cecidit flos (*Isa.* XL, 6). *Sed non ille flos, qui de virga et radice Jesse descendit, eo quod requievit super eum Spiritus Domini. Nec illud fenum, quod fenum factum est, pro eo, quod sequitur in propheta :* Verbum autem Domini manet in æternum. *Si enim fenum verbum, et verbum manet in æternum, fenum quoque necesse est, maneat in æternum. Alioquin quomodo vitam præbet æternam, si ipsum minime manet in æternum? Ait autem :* Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum (*Joan.* VI, 52). *Et quem panem dicat, aperit, cum subjungit :* Et panis, quem ego do, caro mea est pro mundi vita (*Joan.* VI, 52). *Quomodo ergo æternum non est, quo æternaliter vivitur?*

Sed recole nunc mecum vocem Filii ad Patrem loquentis in ipso : Non dabis, *inquit,* Sanctum tuum videre corruptionem (*Psal.* XV, 10). *Haud dubium, quin de corpore dicat, quod in sepulcro jacebat exanime. Hoc enim sanctum, et angelus, qui nuntiavit Virgini, locutus est dicens :* Et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei (*Luc.* I, 35). *Quo igitur pacto sanctum fenum videre poterat corruptionem, quod de incorrupti uteri perpetuo virore vernantibus vascuis ortum, et jam avidos angelorum in se figere posset obtutus perpetualiter et insatiabiliter oblectando? Perdat sane fenum viriditatem, si Maria virginitatem amiserit. Ergo cibus hominis mutavit se in pabulum pecoris, homine mutato in pecus. Heu tristis et lacrymosa mutatio, ut homo paradisi accola, terræ dominus, cœli civis, domesticus Domini Sabaoth, frater beatorum spirituum, cœlestium cohæres virtutum, repentina se conversione invenerit et propter infirmitatem jacentem in stabulo, et propter pecorinam similitudinem indigentem feno, et propter indomitam feritatem alligatum præsepio, sicut scriptum est.* In camo et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te (*Psal.* XXXI, 9). *Agnosce tandem, o bos, possessorem tuum, et tu, asine, præsepe domini tui, ut prophetæ Dei fideles inveniantur, qui ista Dei mirabilia sunt prælocuti. Cognosce pecus, quem non cognovisti, homo. Adora in stabulo, quem fugiebas in paradiso. Honora præsepium, cujus contempsisti imperium. Comede fenum, quem panem et panem angelicum fastidisti. Sed quænam causa, inquis, tantæ dejectionis? Profecto quod homo, cum in honore esset, non intellexit. Quid non intellexit? Non dicit, nos dicamus. Positus in honore non intellexit, quod limus esset, honoris delectatus fastigio, et continuo in se expertus est, quod tanto post tempore homo de filiis captivitatis et prudenter advertit, et veraciter protulit dicens :* Qui se putat aliquid esse, cum non sit ipse se seducit (*Gal.* VI, 3). *Væ misero, quod non fuit, qui jam tunc diceret ei :* Quid superbis, terra et cinis? (*Eccle.* X, 9.) *Hæc egregia creatura gregi admista est. Hinc bestiali similitudine Dei similitudo mutata est. Hinc societas cum jumentis pro consortio angelorum inita est. Vides quam sit fugienda nobis hæc ignorantia, de qua tot millia malorum universo nostro generi provenerunt : Ait enim propterea hominem jumentis insipientibus comparatum, quia non intellexit. Cavenda proin omnimodis ignorantia, ne forte si adhuc sine intellectu et post vexationem inventi fuerimus, multo plura et graviora prioribus mala inveniant nos, dicatque de nobis :* Curavimus Babylonem, et non est sanata (*Jer.* LI, 9). *Merito quidem, quod nec vexatio intellectum dederit auditui.*

Et vide etiam ne forte sponsus, cum dilectam ob ignorantia tanto increpationis tonitruo deterreat, propterea minime dixerit : Egredere cum gregibus, aut : Egredere ad greges, sed : Egredere, ait, post greges sodalium tuorum. Ut quid hoc? Sane ut secundam perinde ignorantiam priore magis pavendam, pudendamque ostenderet, quod illa hominem parum bestiis fecisset, ista et posteriorem. Nam homines merito quidem ignorantiæ ignorati, id est reprobati ad tremendum illud judicium stare, et igni perpetuo tradi habent; non autem et pecudes. Nec dubium fore deterius his, qui tic erunt, quam qui omnino non erunt. Melius, *inquam,* fuerat ei, si natus non fuisset homo ille (*Marc.* XIV, 21). *Non utique si natus non fuisset homo, sed verbi gratia aut pecus, aut alia creatura quæpiam, quæ quoniam judicium non habent, ad judicium non veniret, ac per hoc nec ad supplicium. Sciat ergo anima rationalis, quæ se ob priorem ignorantiam erubescit, pecudes habere sodales in perfruendis utique bonis terræ, usu etiam similiter socias habituram in perferendis tormentis gehennæ, et tum demum etiam ab ipsis gregibus sodalium jumentorum cum dedecore exturbandam, nec jam vel cum ipsis ituram, sed plane post, quando illis nihil mali sentientibus ipsa malis omnibus exponetur, a quibus non liberabitur in æternum, si secundo quidem ignorare adjecerit. Egreditur quippe homo, et solitarius abit post greges sodalium suorum, cum solus in inferno inferiori retruditur. An non tibi posteriorem videtur tenere locum, qui ligatis manibus et pedibus, projicitur in tenebras exteriores? Et erunt profecto novissima hominis illius pejora*

Digitized by Google

prioribus, quando qui prius bestiis æquabatur, nunc et postponitur.

Puto quod in præsenti vita si bene advertas posteriorem ire pecoribus hominem judicabis. Annon siquidem tibi videtur ipsis bestiis quodammodo bestialior esse homo ratione vigens, et ratione non vivens? Nam pecus quidem si se ratione non regat, excusationem habet a natura, a qua ei hoc penitus munus negatum est. Non habet homo, cui ab ipsa speciali prærogativa donatum est. Merito proin eo ipso censetur homo egredi, et postire gregalibus animantibus, quod solum hoc animal conversatione degeneri jura naturæ transgrediens rationis compos, rationis expertis moribus, et affectibus imitatur. Convincitur autem post greges ire homo, et nunc quidem depravatione naturæ, postmodum autem et extremitate B *pœnæ.*

Ecce sic maledicitur homo, qui ignorantiam Dei habere inventus fuerit; Dei dicam an sui? Utrumque sine dubio, quia, cum utraque ignorantia damnabilis sit, utralibet sufficit ad perditionem. Vis scire, quia ita est? sed de Dei minime dubitas, si tamen constat tibi non aliam vitam esse æternam, quam ut Patrem cognoscas Deum verum, et quem misit Jesum Christum. Audi ergo sponsum liquido, et aperte in anima etiam animæ ignorantiam condemnantem. Quid enim dicit? Non utique si Deum, sed si ignoras te inquit, etc. *Patet ergo quia ignorans ignorabitur* (*I Cor.* XIV, 18), *sive se, sive Deum ignorare contingat. De qua utraque ignorantia erit nobis, si tamen Deus manum apponat,* C *utilis admodum disputatio.*

(75) *Sed prius quærendum existimo, sitne omnis ignorantia damnabilis. Et mihi quidem videtur non esse. Neque enim omnis ignorantia damnat, sed multa, et innumera esse, quæ nescire liceat absque diminutione salutis: verbi gratia, si ignoras fabricæ artem, seu carpentariam, et cæmentariam, et quæcunque istiusmodi sunt artes, quæ ad usus vitæ præsentis ab hominibus exercentur, nunquid impedit ad salutem? Etiam absque omnibus illis artibus, quæ liberales dicuntur, quamvis honestioribus, utilioribusque studiis discantur et exerceantur, quam plurimi hominum salvi facti sunt placentes moribus atque operibus. Quantos enumerat Apostolus I Epist. ad Timotheum* (I, 5) *factos dilectos non scientia* D *litterarum, sed in conscientia pura et fide non ficta? Petrus, et Andreas, et filii Zebedæi, cæterique conscipuli omnes non de schola rhetorum, aut philosophorum assumpti sunt, et nihilominus tamen Salvator per ipsos operatus est salutem in medio terræ, non in sapientia, quæ in ipsis esset plus, quam in unctis viventibus: quemadmodum sanctus aliquis de semetipso confessus est, sed in fide, et lenitate ipsorum salvos fecit illos, et jam sanctos, etiam magistros. Denique notas fecerunt vias vitæ non in sublimitate sermonis, aut in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed sicut placuit Deo* (*I Cor.* II, 1), *per stultitiam prædicationis salvos fecit credentes, quia mundus eum in sua sapientia non cognovit.* A

Videar forsitan nimius in suggillatione scientiæ, et quasi reprehendere doctos, ac prohibere studia litterarum? Absit! Non ignoro quantum Ecclesiæ profuerint, et prosint litterati sui, sive ad refellendos eos, qui ex adverso sunt, sive ad simplices instruendos. Denique legi: Quia tu repulisti scientiam, repellam et ego te, ut non fungaris mihi sacerdotio (*Osee.* IV, 6). *Legi:* Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas æternitates (Dan. XII, 3). *Sed et scio ubi legerim:* Scientia inflat (*I Cor.* VIII, 1), *et rursum:* Qui apponit scientiam, apponit dolorem (*Eccle.* I, 18). *Vides quæ scientiarum est differentia, quando alia inflans est, alia contristans? Tibi vero velim scire, quænam harum videatur utilior, seu ad salutem necessaria* (76): *illane, quæ tumet, an quæ dolet? Sed non dubito, quin dolentem tumenti præferas quia sanitatem, quam tumor simulat, dolor postulat. Qui autem postulat propinquat saluti quoniam qui petit accipit. Denique qui* sanat contritos corde, (*Luc.* IV, 18), *execratur inflatos, dicente sapiente quod* Deus superbis resistit, humilibus dat gratiam (*Jac.* IV, 6). *Et Apostolus aiebat*: Dico autem per gratiam, quæ data est mihi omnibus, qui sunt inter vos, non plus sapere, quam oportet sapere ad sobrietatem (*Rom.* XII, 3). *Non prohibet sapere, sed plus sapere, quam oportet. Quid est autem sapere ad sobrietatem? Vigilantissime observare, quid scire magis, priusve oporteat; tempus enim breve est. Est autem quod in se est omnis scientia bona, quæ tamen veritate subnixa sit. Sed tu, qui cum timore et tremore tuam ipsius operari salutem pro temporis brevitate festinas, ea scire amplius, priusque curato, quæ senseris viciniora saluti. Nonne medici corporum medicinæ portionem diffiniunt eligere in sumendis cibis, quid prius, quid posterius, et ad quem modum, quodque sumi oporteat? Nam etsi bonos constat esse cibos, quos Deus creavit, tu tamen ipsos tibi si in sumendo modum, et ordinem non observes, reddis plane non bonos. Ergo quod dico de cibis, hoc sentite et de scientiis.*

Sed melius mitto vos ad magistrum. Non est enim nostra sententia, sed illius, imo et nostra, quoniam veritatis. Qui se, *inquit*, putat aliquid scire, nondum scit quomodo oporteat eum scire (*I Cor.* VIII, 2). *Vides quoniam non probat multa scientem, si sciendi modum nescierit? Vides, inquam, quomodo fructum et utilitatem scientiæ in modo sciendi constituit? Quid ergo dicit modum sciendi? Quid nisi ut scias, quo ordine, quo studio, quo fine quæque nosse oporteat? Quo ordine? Ut id prius, quod maturius ad salutem. Quo studio? Ut non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile, sed tantum ad ædificationem tuam vel proximi. Sunt namque, qui scire volunt eo fine tantum, ut sciant, et turpis cu-*

(75) Ex Serm. XXXVI S. Bernardi in cantic.

(76) Ita Cod.

Digitized by Google

riositas est. Et sunt, qui scire volunt, ut sciantur ipsi, et turpis vanitas est. Qui profecto non evadent subsannantem satiricum, et ei, qui ejusmodi est decantantem :

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.
PERSIUS Satir. 1.

Et sunt item, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant : verbi causa, pro pecunia, et honoribus, et turpis quæstus est. Sed sunt quoque, qui scire volunt, ut ædificent, et charitas est : et item qui scire volunt, ut ædificentur, et prudentia est.

Horum omnium duo ultimi non inveniuntur in abusione scientiæ. Quippe ad hoc volunt intelligere, ut benefaciant. Denique intellectus bonus omnibus facientibus eum (*Psal.* CX, 10). Reliqui omnes audiant : Scienti bonum, et non facienti peccatum est illi (*Jac.* IV, 17). Ac si per similitudinem dicat : Sumenti cibum, et non digerenti perniciosum est illi. Cibus siquidem indigestus, et qui non bonam habet concoctionem, malos generat humores et corrumpit corpus, non nutrit. Ita et multa scientia ingesta stomacho animæ, quæ est memoria, si decocta igne charitatis non fuerit, et sic per quosdam artus animæ, moresque transfusa, atque digesta, quatenus ipsa de bonis, quæ noverit vita, et moribus bona efficiatur, nonne illa scientia reputabitur in peccatum tanquam cibus conversus in pravos noxiosque humores? An non malus humor peccator an non mali humores pravi mores? An non inflationes, et tortiones in conscientia sustinebit, qui hujusmodi est, sciens videlicet bonum, et non faciens? An non responsum mortis, et damnationis toties in semetipso habebit, quoties in mentem venit sermo, quem Deus dixit : Quia servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens, plagis vapulabit multis (*Luc.* XII, 47). Et vide, ne forte in persona talis animæ Propheta plangeret dicens : Ventrem meum, ventrem meum doleo (*Jer.* IV, 19). Nunquid non ipsa ingeminatio geminum videtur innuere sensum, ut præter hunc, quem diximus, etiam alium requiramus? Puto enim quod et in sua persona hoc dixisse poterat propheta, quod videlicet scientia plenus, et æstuans charitate, et omnino effundere cupiens non inveniret, qui curaret audire, et sic quasi oneri sibi sua scientia erat, quam communicare non poterat. Plangit itaque pius Ecclesiæ doctor tam illos, qui scire contemnunt quomodo sit vivendum, quam illos, qui scientes male nihilominus vivunt. Et hoc pro eo, quod eumdem propheta planctum repetit.

Advertisne jam, quam verum sensit Apostolus, quia scientia inflat? Volo proin animam primo omnium scire se ipsam, quod id postulet ratio et utilitatis et ordinis. Et ordinis quidem, quoniam quod nos sumus, primum est nobis. Utilitatis vero, quia talis scientia non inflat, sed humiliat, et est quædam ad ædificandum præparatio. Nisi enim super humilitatis stabile fundamentum, spirituale ædificium stare minime potest. Porro ad se humiliandum nihil jam vivacius seu accommodatius potest, quam si se in veritate invenerit, tantum non dissimulet, non sit in spiritu ejus dolus. Statuat se ante faciem suam, nec se a se avertere abducatur. Nonne ita se intuens clara luce veritatis inveniet se in regione dissimilitudinis, et suspirans misera, quam jam latere non poterit, quod vere misera sit? Nonne cum propheta clamabit ad Dominum : In veritate tua humiliasti me? Nam quomodo non vere humiliabitur in hac vera cognitione sui, cum se perceperit oneratam peccatis, mole hujus mortalis corporis aggravatam, terrenis intricatam curis, carnalium desideriorum fæce infectam, cæcam, infirmam, curvam, implicitam multis erroribus, expositam multis suspicionibus, obnoxiam mille necessitatibus, ærumnosam, proclivem ad vitia, invalidam ad virtutes? Unde huic jam extollentia oculorum, unde levare caput? Nonne magis convertetur in ærumna sua, dum configitur spina? (*Psal.* XXXI, 4.) Convertetur, inquam, ad lacrymas, convertetur ad gemitus et planctus, convertetur ad Dominum, et in humilitate clamabit : Sana animam meam, quia peccavi tibi (*Psal.* XL, 4). Porro conversa ad Dominum recipiet consolationem, quia pater est misericordiarum, et Deus totius consolationis.

Ego quandiu in me respicio, in amaritudine moratur oculus meus. Si autem suspexero, et levavero oculos ad divinæ miserationis auxilium, temperabit mox amaram visionem meam lætitia Dei, cui et dico : Ad me ipsum anima mea conturbata est, propterea memor fui de terra Jordanis (*Psal.* XLI, 7). Non mediocris Dei visio pium et deprecabilem experiri, sicut revera est benignus, et misericors, et præstabilis super malitia, cujus natura est bonitas, et cui proprium est misereri semper, et parcere. Tali itaque experimento, et tali ordine salubriter innotescit Deus, cum prius se homo noverit in necessitate positum, et clamabit ad Dominum, et exaudiet eum, et dicet : Eruam te, et honorificabis me (*Psal.* XLIX, 15). Atque hoc modo erit gradus ad notitiam Dei, tui cognitio, et ex imagine sua, quæ in te renovatur, ipse videbitur, dum tu quidem revelata facie gloriam Dei cum fiducia speculando in eamdem imaginem transformaris de claritate in claritatem tanquam a Domini Spiritu sancto.

Jam demum adverte quomodo utraque cognitio sit tibi necessaria ad salutem, ita ut neutra carere valeas cum salute. Nam si ignoras te, non habebis timorem Dei in te, non humilitatem. An vero sine timore Dei, et sine humilitate de salute præsumas, tu videris.

Item : Si ignoras Deum, non amas eum, quia non tibi videbitur totus desiderabilis, nisi gustes et videas quam suavis est et mitis. Ut ergo utramque scientiam Deo donante acquiras, cum Psalmista omnes reliquas scientias transiliendo *Idithun* fias, et dicas : *Notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum quis est, ut sciam quid desit mihi.*

Notum fac mihi, Domine, finem meum mea culpa

Digitized by Google

mihi deputatum. Scio enim quod inter omnia, quæ possideo, vel possessurus ero, nihil est meum, nisi peccatum, et pro peccato supplicium debitum. Peccatum quidem via est ad supplicium, sed tamen delectat ante supplicium. Volens autem Apostolus hanc noxiam delectationem suis discipulis amaram facere, ingessit eorum memoriæ talium finem dicens : *Quem ergo fructum habuistis tunc in his, in quibus nunc erubescitis ? Nam finis illorum mors est* (*Rom.* VI, 21). Igitur ut mihi quoque amarescat noxia delectatio, quam in peccatis habui, *notum fac mihi Domine finem meum. Finem* scilicet peccatis meis debitum, quo notificato *sciam* me ipsum, neque ulterius extollar supra me ipsum. Etiamsi adulantium lingua vel propria existimatio me ad hoc provocat, ut putem me aliquid esse, cum nihil sim, per notificatum mihi *finem meum* sciam, quid desit mihi de his, quæ mihi falso attribuuntur. Sciam quid desit mihi aliud non habenti proprium, nisi peccata, et finem eorum pessimum. Nam *finis illorum mors est* (*Rom.* VI, 21), et mors non qualiscunque, sed mors pessima, quia *mors peccatorum pessima* (*Psal.* XXXIII, 22). Notum fac mihi, Domine, finem meum, ita ut nunquam obliviscar illum finem meum, quem mea culpa promerui, etiamsi misericordia tua præveniente fuero destinatus meliori fini, qui non proprie dicendus est *meus*, quia gratuitus et gratis datus ipsius gratiæ donantis erit proprius. Ne autem per jugem memoriam noti mihi finis mei ampliori absorbear tristitia, *notum fac mihi*, Domine Deus meus, etiam hunc *finem meum* gratis dandum, quem sic dico *meum*, sicut panem *nostrum* dicimus, quem quotidie manducamus dicendo : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

Notum fac mihi, Domine, hunc *finem meum*, Christum videlicet, qui est A et Ω, *initium et finis. Initium* sine initio, *finis* sine fine. *Notum fac mihi hunc finem meum*, sicut illis erat notus, quibus in veritate dicit Apostolus : *Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam* (*Rom.* VI, 22). *Hæc est* autem, ait Veritas, *vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3). *Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X, 4), quem notum habet, quisquis vere dicere potest : *Omnis consummationis vidi finem* (*Psal.* CXVIII, 96). Notum fac mihi, Domine, utrumque finem meum, et illum scilicet, qui peccatis meis debetur, et illum, qui per gratiam speratur, ut ex alterius notitia humilis ac timoratus permaneam, quantascunque posthac virtutes accipiam. Ex alterius vero cognitione ferveam sanctæ charitatis ardore, cujus geminis fultus alis valeam transilire omnia, quæ sunt infra hunc finem meum Dominum Jesum Christum.

Fac etiam *notum numerum dierum meorum*, non istum, qui, quamvis videatur *esse* huic mundo adhærenti, tamen *non est* homini mundana omnia transilienti ; sed illum, qui *est* numerus innumerabilium dierum, neque per mane incipientium, neque per vesperam desinentium, de quibus alias dicitur : *Cogitavi dies antiquos et annos æternos in mente habui* (*Psal.* LXXVI, 6). Horum dierum antiquorum, et annorum æternorum numerus est immutabiliter permanendo : verbi gratia, semel locutus est Deus : Fiat lux, et facta est lux, et permanet dies illa in lucida angelorum substantia, sed non immutabiliter, quoniam quidam eorum tenebrescentes ceciderunt, et principes tenebrarum facti sunt ; quidam vero ex eorum casu profecerunt, et adhuc proficiunt, dum et numerus eorum crescit, accedentibus ad eorum societatem sanctis hominibus, et innotescit eis, ut Apostolus ait, per Ecclesiam *multiformis sapientia Dei* (*Eph.* III, 10). Si ergo in opere primæ diei reperta est mutabilitas in cœlestibus, quanto magis in creaturis reliquorum dierum corporeis, et corruptibilibus non stat numerus dierum invariabilis ? Transcendenda igitur, et transilienda sunt omnia creata huic Idithun, ut cognoscat *numerum dierum, qui est*, quem etiam se cognovisse indicat dicens alibi : *Semel locutus est Deus : duo hæc audivi, quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia* (*Psal.* LXI, 12). Duo isti dies æterni sunt, et *numerus eorum, qui est*, non imminuetur, vel augebitur quantalibet diversitate creatura varietur sub istis duobus diebus, *potestate* scilicet ac *misericordia*, quoniam *universæ viæ Domini misericordia, et veritas*, sive *potestas, et misericordia*, vel justitia, et pax (*Psal.* XXIV, 10). Isti sunt duo crura sponsi, quæ sponsa commendans in Canticis canticorum dicit : *Crura ejus columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas* (*Cant.* V, 15). Numerus iste dierum duorum vel crurum sive columnarum non variatur, quoniam et in sæculum sæculi veritas manet, cui est, vel potius, quæ ipsa est potestas æterna, et misericordia ejus ab æterno, et usque in æternum super timentes eum. Hinc est, quod ego Idithun transiliendo dies mutabiles, istos *dies* immutabiles dico *meos* per donum gratiæ, quia et *potentiam* timeo, *et misericordiam* spero, ac diligo.

Sed *ut sciam quid desit mihi* ad perfectionem timoris, et spei, ac dilectionis, *notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum* qui est apud te invariabilis, licet varietur in nobis, quibus nunc potentiam, nunc misericordiam ostendis terrendo seu feriendo per potentiam, sanando et consolando per misericordiam. Qui te feriente humiliatur, et per humiliationem, quæ via est ad humilitatem, in ipsa humilitate consummatur, ut sit mitis et humilis corde, huic dies *potentiæ* notificatur, et per gratiam dies divina sua quoque dies efficitur. Quoniam autem humilibus das gratiam, cum sic humiliato et humili præstatur, ut in charitate et humilitate radicatus ferat

Digitized by Google

virtutum fructus ad dantis honorem, et videntium ædificationem, tunc intelliget se ab æterno dilectum per divinæ prædestinationis indicia talibus fructibus enitentia. Et quia *misericordia Domini ab æterno, et usque in æternum super timentes eum* (*Psal.* CII, 17), qui sentit se ab æterno in prædestinatione dilectum, gratia Dei præventus diligit in æternum, et sic notum habere incipit *finem suum, et numerum dierum suorum, qui est*, in *potestate* Dei æterna, et in *misericordia* nihilominus æterna in æternum cantanda. Hoc totum, et tantum bonum brevi oratiuncula opto ego *Idithun*, cum transiliendo inferiora summum bonum intendo dicens : *Notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum quis est, ut sciam quid desit mihi.* Et ecce in mediis precibus exauditus, licet necdum *notum* habeam *finem meum, et numerum dierum meorum, qui est*, tamen scio quid desit mihi de numero dierum stantium, et immensurabilium, qui totus versor sub diebus instabilibus et mensurabilibus. Unde et dico :

VERS. 6. *Ecce mensurabiles posuisti dies meos, et substantia mea tanquam nihilum ante te. Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui* (*Psal.* LXXVI, 6), cupiens et optans mihi notificari *finem meum, et numerum dierum meorum qui est.* Sic omnia inferiora transiliendo summe concupivi. Sed *ut sciam quid desit mihi*, priusquam ipsum bonum, quod deest, accipiam, hic demonstratur mihi dierum meorum brevitas, ut ego videns multum mihi deesse de antiquorum dierum æternitate, humilior fiam, et de præsentis justitiæ gloria, quæ evacuatur, minime superbiam, sed in vera humilitate dicam : *Ecce mensurabiles posuisti dies meos.*

Et in Hebræo legitur : *Ecce breves posuisti dies meos, et vita mea quasi non sit, in conspectu tuo : omnia enim vanitas, omnis homo vivens semper.* Sive itaque *mensurabiles*, sive *breves* dicantur *dies* hominis, idem sensus est, hoc significante Spiritu sancto, nondum prolatam esse viam ad dies immensurabiles et æternos, quandiu *in imaginem pertransit homo, et frustra conturbatur, thesaurizat, et ignorat cui congregat ea.* Dico ergo : *Ecce mensurabiles et breves posuisti dies meos.* Nam et ante peccatum positus mihi fuit numerus mensurabilis et brevis dierum, quibus transactis essem transferendus ad diem unum, diem longum, nulla vespera claudendum. Quanto magis post peccatum *dies mei breviabuntur, et solum mihi superest sepulcrum ? (Job* XVII, 1.) Licet enim interior homo renovetur de die in diem, de die temporali in diem æternum, tamen exterior, et vetus homo corrumpitur sicut vestimentum quod comeditur a tinea usque adeo ut vere possim dicere : *Ecce breves posuisti dies meos, et substantia mea tanquam nihilum ante te. Substantia mea*, dum cito transit ex se vel ad comparationem substantiæ tuæ vel ex comparatione claritatis tuæ, *tanquam nihilum est*, quod ita verum esse, quamvis humanis oculis non pateat, tamen intus utcunque sentitur, ubi tu vides, et a mundis cordibus videris. Est ergo *tanquam nihilum ante te*, in tuo videlicet conspectu, quod ante homines magnum quid apparet. Nam quilibet in hoc mundo potens et abundans divitiis magnus putatur.

Verumtamen universa vanitas est *omnis homo vivens*, quantumlibet crassus et dives. *Omnis homo vivens*, vita scilicet mortali, non solum vanus, sed etiam *vanitas*. Alibi dicitur : *Homo vanitati similis factus est* (*Psal.* CXLIII, 4). Hic plus dicitur, dum *universa vanitas omnis homo* esse affirmatur. Dicitur autem evanescere, quod inter manus contrectantium, vel sub oculis contuentium subito disparet. Unde et de Domino dicitur, quod post resurrectionem discipulis apparens ad horam *evanuit ex oculis eorum* (*Luc.* XXIV, 31). Et ille quidem licet evanuisset ex oculis eorum, non tamen evanuit de cordibus ipsorum. Unde et postmodum dixerunt : *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur nobis in via, et aperiret nobis Scripturas ? (ibid.*, 32.) Est enim *vanitati* contraria veritas. Et ille homo veritas est, sicut ipse dicit : *Ego sum via, veritas, et vita* (*Joan.* XIV, 6). Neque ad illum pertinet ullo modo quod dicitur : *Universa vanitas omnis homo vivens.* Est quippe veritas, et non vanitas, homo qui desursum est, ubi veritas est ; non deorsum, ubi vanitas est omne, quod sub sole est. Licet enim *veritas de terra orta* sit (*Psal.* LXXXIV, 12) : tamen ipse, qui de cœlo venit, super omnia est constitutus, videlicet super omnia, etiam super solem, longe in infinitum superexcellens omnia vana sub sole posita, cum sit ipse ipsa veritas, cui opposita est vanitas. Ipsi ergo adhærens omnis homo verax est : ab ipso recedens omnis homo mendax, et proin vanus, sive *vanitas* est, et non solum *vanitas*, sed *universa vanitas*. Vanitati enim universa creatura subjecta est in homine solo ; quia omnis creatura homo. Unde cum homini soli annuntiatur Evangelium, dicitur ipsum prædicari omni creaturæ. Similiter cum solus homo similis esse *vanitati*, seu ipsa *vanitas* dicitur, universa creatura vanitatis in homine arguitur pro eo quod evanescit, *qui quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet* (*Job* XIV, 2).

VERS. 7. *Verumtamen in imagine pertransit homo.* Fuit quidem creatus homo ad imaginem et similitudinem Dei, ut videlicet in hominis libero arbitrio refulgeret divina imago, in bonitate vero ejus Dei similitudo. Sed ille per malitiam diaboli depravatus venit in longinquam regionem dissimilitudinis, alienatus videlicet a similitudine divinæ bonitatis. *Verumtamen in imagine pertransit* sive ad æternam beatitudinem, sive ad interminabilem pœnam, quia liberum in eo arbitrium non perimetur, sive illo bene utens beatificetur, sive male utens damnetur. Libertas quippe arbitrii, qua liberum est a necessitate indifferenter Deo universæque tam bonæ quam

Digitized by Google

malæ rationali convenit creaturæ, nec peccato, nec miseria amittitur, vel minuitur, nec major in justo est quam in peccatore, nec plenior in angelo, quam in homine. Quomodo namque ad bonum conversus per gratiam humanæ voluntatis consensus eo libere bonum, et in bono liberum hominem facit, quo voluntarius efficitur, non invitus pertrahitur : sic sponte devolutus in malum, in malo nihilominus tam liberum quam spontaneum constituit suæ utique voluntatis ductum, non aliunde coactum, ut malus sit. Et sicut cœlestis angelus aut etiam ipse Deus permanet libere bonus, propria videlicet voluntate, non aliqua necessitate : sic profecto diabolus æque libere in malum corruit, et persistit suo utique voluntario nutu, non alieno impulsu.

(77) *Manet ergo voluntatis libertas, ubi etiam fit captivitas mentis, tam plena quidem in malis, quam in bonis, sed in bonis ordinatior, tam integra quoque pro suo modo in creatura, quam et in Creatore, sed in illo potentior.*

Quod autem solent homines conqueri, et dicere : Volo habere bonam voluntatem, et non possum, nequaquam huic præscribit libertati, ut quasi vim, aut necessitatem in hac parte voluntas patiatur, sed plane illa libertate, de qua dicitur, a peccato, se carere testatur. Nam qui vult habere bonam voluntatem, habet voluntatem; non enim vult habere bonam, nisi per voluntatem. Quod si voluntatem, et libertatem, sed libertatem a necessitate, non a peccato. Nempe ut non valeat, cum velit habere bonam, sentit quidem sibi deesse libertatem, sed profecto libertatem a peccato, quo utique dolet premi, non perimi. Quanquam iam procul dubio utcunque bonam habet, ubi habere vult : bonum quippe est quod vult. Nec posset bonum velle, nisi bona voluntate, sicut nec velle malum, nisi mala voluntate. Cum bonum volumus, bona est voluntas, cum malum volumus, est voluntas mala. Utrobique voluntas, et utrobique libertas. Cedit siquidem voluntati necessitas. Cum autem non valemus, quod volumus, sentimus quodammodo ipsam libertatem peccato esse captivam, vel miseram, non tamen amissam.

Ex hac ergo tantum libertate, qua liberum est se ipsam voluntati judicare, vel bonam, si bono, vel malam, si malo consenserit (quippe quæ in neutro nisi certe volendo consentire se sentit) liberum arbitrium credimus nominari. Dicitur enim tribus modis libertas in Scripturis, videlicet libertas a necessitate, sicut jam dictum est, libertas a peccato, libertas a miseria. (78) Est enim *libertas a peccato sicut Apostolus ait : Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitæ æternæ. Quis vero in carne peccati a peccato sibi vindicat libertatem ? Hac ergo libertate nequaquam opinor dictum liberum arbitrium. Est item libertas a miseria, de qua videlicet Apostolus : Et ipsa, inquit,* creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertate gloriæ filiorum Dei. *Sed nunquid et istam sibi quispiam in hac mortalitate præsumit ? Et hac itaque liberum nominari arbitrium non immerito abnuimus. Est ergo quam magis ei congruere arbitror, libertas, quam dicere possumus a necessitate, eo quod necessarium voluntario contrarium videatur, et e converso.*

(79) *Nam ex illa, quæ dicitur a peccato, congruentius forsitan liberum consilium; et item ex illa, quæ dicta est a miseria, liberum potius complacitum posset dici, quam liberum arbitrium. Arbitrium quippe judicium est. Sicut vero judicii est discernere, quid liceat, vel non liceat : sic profecto consilii probare, quid expediat,* vel non expediat. *Sic complaciti quoque experiri, quid libeat, vel non libeat. Utinam tam libere nobis consuleremus, quam libere de nobis judicamus, ut quemadmodum libere per judicium licita, illicitaque discernimus, ita per consilium et licita tanquam commoda nobis eligere, et illicita tanquam noxia respuere liberum habemus. Jam enim non solum liberi arbitrii, sed liberi procul dubio consilii, ac per hoc et a peccato liberi essemus. Sed quid si totum, solumque quod expedit, et licet, etiam liberet ? Nonne liberi quoque esse complaciti merito dicerem ? quippe qui ab omni proinde, quod displicere potest, hoc est ab omni miseria liberos nos sentiremus ? Nunc autem, cum multa per judicium vel admittenda, vel omittenda esse discutiamus, et decernamus, quæ per consilium nequaquam pro judicii rectitudine aut eligimus, aut contemnimus, rursumque non omnia quæ tanquam recta et commoda consulte observamus, etiam ut beneplacita libenter amplectamur, sed insuper quasi dura ac molesta vix æquanimiter ferre perduramus, liquet, quia nec liberum consilium habemus, nec complacitum.*

Certissime autem habituri sumus, cum Deo miserante obtinemus, quod oramus : Fiat voluntas tua sicut in cœlo, et in terra (*Matth.* VI, 10). *Hoc nempe complebitur, quando idipsum, quod nunc cunctæ passim rationali, ut jam dictum est, creaturæ commune videtur, liberum scilicet a necessitate arbitrium, erit etiam in electis hominibus uti jam in sanctis angelis, et cautum a peccato, et tutum a miseria, probantibus tandem triplicis libertatis felici experientia, quæ sit bona voluntas Dei, ac beneplacens, et perfecta. Quod quia necdum est, sola interim plena, integraque manet in hominibus libertas arbitrii. Nam libertas consilii ex parte tantum, et hoc in paucis spiritalibus, qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis, quatenus jam non regnet peccatum in eorum mortali corpore. Porro ut non regnet, libertas facit consilii, ut tamen non desit ex integro, captivitas est liberi arbitrii. Cum autem venerit quod perfectum est, tunc evacuabitur quod ex parte.*

(77) S. Bernard. lib. *De grat. et lib. arbitr.*, cap. 4.

(78) S. Bernard. *De grat. et lib. arbitr.*, cap. 3; *Rom.* VI, 20. *Rom.* VI, 22.

(79) Idem, *ibid.*, cap. 4.

Digitized by Google

te est. Hoc est, cum plena fuerit libertas consilii, nulla jam erit captivitas arbitrii. Et hoc est, quod quotidie petimus in oratione, cum dicimus : Adveniat regnum tuum (*Matth.* VI, 10). *Regnum hoc necdum ex toto pervenit in nos, quotidie tamen paulatim adventat, sensimque in dies magis ac magis dilatat terminos in his duntaxat, quorum per adjutorium Dei interior homo renovatur de die in diem. In quantum ergo gratiæ regnum dilatatur, in tantum peccati potestas minuitur. In quantum vero minus est adhuc propter corpus mortis, quod aggravat animam, et ob necessitatem terrenæ inhabitationis utique deprimentis sensum multa cogitantem, necesse habent etiam, qui perfectiores in hac mortalitate videntur, confiteri, et dicere :* In multis offendimus omnes (*Jac.* III, 2). *Et :* Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est (*I Joan.* III, 8). *Quapropter orant et ipsi sine intermissione dicentes :* Adveniat regnum tuum. *Quod non erit vel in ipsis consummatum, quousque peccatum non solum non regnet in mortali eorum corpore, sed nec sit, nec esse possit omnino in immortali jam corpore.*

(80) *Jam de libertate complaciti in hoc sæculo nequam quid dicemus, ubi vix sufficit diei malitia sua, ubi omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc, vanitati nimirum subjecta non volens, ubi vita hominis tentatio est super terram, ubi quoque viri spirituales, qui primitias spiritus jam acceperunt, ingemiscunt et ipsi intra semetipsos exspectantes redemptionem corporis sui ? Nunquidnam inter ista ullus locus est hujuscemodi libertati ? Quid unquam liberum nostro relinquetur complacito, ubi totum videtur occupare miseria ? Neque enim vel innocentia, seu justitia, quemadmodum a peccato, ita etiam a miseria tutæ esse poterunt. Hic ubi justus exclamat :* Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ? (*Rom.* VII, 24.) *Et iterum :* Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte (*Psal.* XLI, 3). *Ubi dies et noctes in mœrore continuantur, nullum profecto temporis spatium complacito vacuum relinquitur. Denique qui volunt pie vivere in Christo, ipsi persecutionem magis patiuntur (II Tim.* III, 12), *quoniam judicium a domo Dei incipit, quod et præcepit : A meis, inquiens, incipite (Ezech.* IX, 6).

Sed etsi non virtus, vitium forte in tuto est, et aliqua interim ex parte potest vacare complacito, cavere miseriam. Absit. Nam qui lætantur, cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis tale est, quod faciunt, quale cum rident phrenetici. Nulla autem verior miseria, quam falsa lætitia. Denique in tantum est miseria, quod videtur felicitas in hoc sæculo, ut sapiens dicat : Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii (*Eccl.* VII, 3). *Est quidem in bonis corporeis nonnulla jucunditas, videlicet in edendo, bibendo, calefaciendo, cæterisque talibus fo-*[illegible]*tis, vel tegumentis carnis. Sed nunquid vel ista*

vacant aliquotenus a miseria ? Bonus est panis esurienti. Potus delectat, sed sitienti. Futuro cibus et potus jam nequaquam sunt gravia. Tolle famem, et panem non curabis. Sitim et limpidissimum fontem, ac si paludem. Similiter umbram non quærit nisi æstuans, non curat, nisi algens, aut caligans. Aliorum horum libebit, si non præcesserit urgens. Quæ si perfecte tollatur a rebus, statim in atque molestiam convertitur ipsa, quæ videbatur esse jucunditas. Fatendum igitur, et in omne, quod præsentis vitæ est, occupare nisi quod in communibus tribulationibus laborum leviores utique qualescunque sunt nes, et dum forte pro tempore, ac rerum cessim sibi gravia, leviaque succedunt, perientia aliqua miseriæ videtur interpolari aliquando post experta plura gravissima forte molesta evaditur, felicitas putetur.

Attamen fatendum est eos, qui non templationis, rapti quandoque in spiritu cunque de supernæ felicitatis dulcedine sufficiunt, toties esse liberos a miseria, excedunt. Hi plane quod negandum non hac carne, raro licet raptimque, complafruuntur, qui cum Maria optimam partem quæ non auferetur ab eis. Qui enim jam auferendum non est, experiuntur utique, rum est ; sed quod futurum est, felicitas et miseria eodem tempore possunt. Quoties igitur per spiritum pant, toties istam non sentiunt. Itaque soli contemplativi possunt utcunque complaciti, et hoc ex parte, et parte viceque rarissima. Porro libertate etiam quilibet justi ex parte quidem, Cæterum libertas arbitrii, ut supra cunctis pariter ratione utentibus quantum in se est, in malis, quam in in hoc sæculo, quam in futuro.

(81) *Sed et in hoc aperte monstratur quod hæc ipsa libertas tandiu premitur lam aliæ duæ libertates minime, comitantur. Nec aliunde noster ille de quo Apostolus :* ut non quæcunque faciatis (*Gal.* V, 17). *Velle siquidem libero arbitrio, non etiam posse, quod dico velle bonum, aut velle malum, Velle etenim bonum profectus est, fectus. Velle vero simpliciter ipsum ficit, vel deficit. Porro ipsum, fecit ; ut proficiat, salvans gratis ipsum se dejecit. Itaque liberum volentes, gratia bene volentes. Ex le, ex ipsa bonum velle. Quemadmodum est timere simpliciter, aliud amare simpliciter, aliud amare*

(80) Idem Bern. loc. cit. cap. 5.

(81) Idem Bernard., ibid., cap. 6.

Digitized by Google

et amare simpliciter quidem prolatæ affectiones, cum additamento autem virtutes significant), ita quoque aliud est velle, aliud velle bonum.

Simplices nempe affectiones insunt naturaliter nobis tanquam ex nobis; additamenta ex gratia. Nec aliud profecto earum profectus est, nisi quod gratia ordinat, quas donavit creatio, ut nil aliud sint virtutes, nisi ordinatæ affectiones. Scriptum est de quibusdam, quod illic trepidassent timore, ubi non erat timor (*Psal.* XIII, 5). *Timor fuit, sed inordinatus. Ordinare illum volebat Dominus in discipulis, cum diceret :* Ostendam vobis, quem timere debeatis (*Luc.* XII, 5). *Et David ait :* Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos (*Psal.* XXXIII, 12). *Item de amore inordinato arguebat homines, qui dicebat :* Ego lux veni in hunc mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem (*Joan.* III, 19). *Idcirco postulat sponsa in Canticis dicens :* Ordinate in me charitatem (*Cant.* II, 4). *Similiter quoque de inordinata voluntate arguebantur, quibus dicebatur :* Nescitis quid petatis (*Marc.* X, 38), *sed ad lineam rectitudinis edocti sunt distortam reducere voluntatem, cum audierunt :* Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum ? (*Matth.* XX, 22.) *Et tunc quidem verbo, postmodum etiam exemplo voluntatem ordinare docebat, cum orans instante Passione, ut transferretur ab eo calix, statim subjecit :* Verumtamen non quod ego volo, sed quod tu vis (*Matth.* XXVI, 35). *A Deo igitur velle quomodo et timere, quomodo et amare accepimus in conditione naturæ, ut essemus aliqua creatura. Velle autem bonum, quomodo et timere Deum, quomodo et amare Deum, accepimus in visitatione gratiæ, ut simus Dei creatura.*

Creati quippe quodammodo nostri in liberam voluntatem, quasi Dei efficimur per bonam voluntatem. Porro bonam facit, qui liberam fecit, et ad hoc bonam, ut simus initium aliquod creaturæ ejus, quoniam expedit profecto nobis magis omnino non fuisse, quam nostros permanere. Nam qui voluerunt sui esse, utique sicut dii scientes bonum et malum, facti sunt non tantum jam sui, sed et diaboli. Ad hoc pertinet, quod dicitur : Novit Dominus qui sunt ejus (*II Tim.* II, 19). *Nam illi, qui non sunt ejus :* Amen dico vobis, *inquit,* nescio vos (*Matth.* XXV, 12). *Dum ergo per malam voluntatem sumus diaboli, quodammodo interim non sumus Dei, sicut cum per bonam voluntatem efficimur Dei, desinimus jam esse diaboli.* Nemo *siquidem* potest duobus dominis servire (*Matth.* VI, 24). *Cæterum sive Dei sumus, sive diaboli, non tamen similiter desinimus esse et nostri. Manet quippe utrobique libertas impii, per quam maneat et causa meriti, quatenus merito vel puniamur mali, quod tanquam liberi ex propria voluntate efficimur : vel glorificemur boni, quod nisi æque voluntarii esse non possumus.*

(82) *Manet ergo etiam post peccatum liberum arbitrium, etsi miserum, non tamen non integrum, et quod se per se homo non sufficit excutere a peccato sive miseria, non liberi arbitrii signat destructionem, sed duarum reliquarum libertatum privationem. Neque enim ad liberum arbitrium, quantum in se est, pertinet, aut aliquando pertinuit posse vel sapere, sed tantum velle, nec potentem facit creaturam, nec sapientem, sed tantum volentem. Non ergo si potens, aut sapiens, sed si volens esse desierit, liberum arbitrium amisisse putanda erit. Ubi enim non est voluntas, nec libertas. Non dico, si velle bonum, sed si velle omnino creatura desierit, fatendum sine contradictione, ubi jam non ex voluntate bonitas, sed ipsa ex toto voluntas perit, etiam liberum deperire arbitrium. Quod si velle bonum tamen non poterit, signum est, quod ei desit liberum non arbitrium, sed consilium. Si autem non quidem velle, sed ad id quod jam vult bonum, ei posse defuerit, noverit sibi deesse liberum complacitum, non liberum periisse arbitrium. Si ergo liberum arbitrium ita ubique sequitur voluntatem, ut nisi illa penitus esse desinat, isto non careat, voluntas vero sicut in bono, ita etiam in malo æque perdurat : æque profecto et liberum arbitrium tam in bono quam in malo integrum perseverat, et quomodo voluntas etiam posita in miseria non desinit esse voluntas, sed dicitur et est misera voluntas, sicut et beata voluntas : ita nec liberum arbitrium destruere, sive, quantum in se est, aliquatenus immiuere poterit quæcunque adversitas, vel necessitas.*

Sed licet ubique pariter sine sui diminutione perduret, non tamen pariter sicut de bono potuit per se in malum corruere, ita quoque per se de malo in bonum poterit respirare. Et quid mirum, si jacens non valet per se resurgere, quod stans in aliquid melius nullo suo conatu valebat proficere ? Denique dum adhuc duas alias libertates ex aliqua parte secum haberet, non potuit de inferioribus illarum gradibus ad superiores ascendere, hoc est, de posse non peccare, et de posse non turbari ad non posse peccare, et non posse turbari. Quod si libertatibus illis etiam utcunque adjutum, non prævaluit tamen se de bono in melius extendere, quanto minus eisdem prorsus destitutum de malo jam in id, quod fuit bonum, poterit per se ipsum emergere.

Habet ergo necessarium homo Dei virtutem, et Dei sapientiam Christum, qui ex eo, quod sapientia est, verum ei sapere reinfundat in restaurationem liberi consilii, et ex eo, quod virtus est, plenum posse restituat in reparationem liberi complaciti, quatenus ex altero perfecte bonus peccatum jam nesciat, ex altero plene beatus adversum nil sentiat. Sed sane ista perfectio in futura vita exspectetur, quando utraque nunc amissa libertas libero arbitrio plenarie restaurabitur, non quomodo justo cuivis in hoc sæculo quantumcunque perfecto, non quomodo vel ipsis primis hominibus datum fuit habere eas in pa-

(82) Idem Bernard., ibid., cap. 8.

Digitized by Google

radiso, sed sicut eam nunc angeli possident in cælo. Interim vero sufficiat in hoc corpore mortis, atque in hoc sæculo nequam ex libertate quidem consilii peccato non obedire in concupiscentia, ex libertate autem complaciti adversa non formidare pro justitia. Est autem in hac carne peccati, et in hac diei malitia non mediocre sapere, peccato, etsi non ex toto carere, certe non consentire, et est posse non parvum adversa, etsi necdum omnino feliciter non sentire, viriliter tamen pro veritate contemnere.

Discendum sane hic interim nobis est ex libertate consilii jam libertate arbitrii non abuti, ut plene quandoque frui possimus libertate complaciti. Sic profecto Dei in nobis reparamus imaginem, sic antiquo honori illi capessendo, quem per peccatum amisimus, per gratiam præparamur, et beatus qui de se audire merebitur: Quis est hic, et laudabimus eum, fecit enim mirabilia in vita sua, qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit (*Eccle.* XXXI, 9).

(83) *Puto autem in his tribus libertatibus ipsam, ad quam conditi sumus, auctoris imaginem atque similitudinem contineri, et imaginem quidem in libertate arbitrii, in reliquis autem duabus bipartitam quamdam consignari similitudinem. Hinc est fortassis, quod solum liberum arbitrium sui omnino defectum seu diminutionem non patitur, quod in ipso potissimum æternæ et incommutabilis Divinitatis substantiva quædam imago impressa videatur. Nam etsi habuerit initium, nescit tamen occasum, nec de justitia, vel gloria capit augmentum, nec de peccato, vel miseria detrimentum. Quid æternitati similius, quod non sit æternitas? Porro in aliis libertatibus quoniam non solum ex parte minui, sed ex toto amitti possunt, accidentalis quædam similitudo sapientiæ ac potentiæ divinæ imagini superducta cognoscitur. Denique et amisimus illas per culpam, et per gratiam recuperamus, et quotidie alii quidem plus, alii minus aut in ipsis proficimus, aut in ipsis deficimus. Possunt etiam sic amitti, ut jam non valeant recuperari, possunt et ita possideri, ut nec amitti queant aliquomodo, nec minui.*

Hujus bipartitæ similitudinis sapientiæ et potentiæ Dei non quidem gradu summo, sed qui ipsi esset proximior, homo in paradiso est conditus. A quo illo per peccatum imo nobis in illo, et cum illo corruentibus, rursus per gratiam non quidem ipsum, sed pro illo quemdam inferiorem gradum recepimus. Neque enim hic possumus esse absque peccato et miseria, possumus tamen gratia juvante nec peccato superari, nec miseria, quanquam tamen Scriptura loquatur: Omnis qui natus est ex Deo, non peccat (*III Joan.* III, 9). *Sed hoc dictum est de prædestinatis ad vitam, non quod omnino non peccent, sed quod peccatum ipsis non imputetur, quod vel punitur condigna pœnitentia, vel in charitate absconditur.* Charitas quippe cooperit multitudinem peccatorum (*I Pet.* IV, 8). *Et:* Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata (*Psal.* XXXI, 1). *Et:* Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum (*ibid.* 2). *Divinæ igitur similitudinis summum gradum summi angeli, nos infimum, Adam tenuit medium. Porro dæmones nullum. Supernis nempe spiritibus datum sine peccato et miseria perdurare; Adæ autem absque his quidem esse, sed non etiam permanere; nobis vero nec esse quidem absque his, sed ipsis tamen non cedere. Cæterum diabolus et membra ejus sicut nunquam volunt reluctari peccato, sic nunquam possunt declinare pœnam peccati.*

Cum igitur duæ istæ libertates consilii atque complaciti, per quas rationabili creaturæ vera sapientia et potentia ministratur, ita Deo, prout vult, dispensante, quibusque pro causis, locis, temporibus varientur, quatenus in terris modice, in cœlestibus plenarie, mediocriter in paradiso, apud inferos nullatenus habeantur: libertas vero arbitrii de ipso, quo condita est statu aliquatenus non mutetur, sed æqualiter, quantum in se, semper in cœlis, in terris, et inferis possideatur: merito illæ similitudini, hæc imagini deputatur. Et quod apud inferos quidem utraque libertas pereirit, illæ scilicet, quæ ad similitudinem pertinere dicuntur, Scripturarum testatur auctoritas. Nam verum illic sapere, quod utique de consilii libertate concipitur, omnino non esse locus ille manifestat ubi legitur: Quodcunque potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia est apud inferos, quo tu properas (*Eccle.* IX, 10). *Porro de potentia, quæ per libertatem complaciti datur, Evangelium sic loquitur:* Ligatis manibus et pedibus, mittite eum in tenebras exteriores (*Matth.* XXII, 13). *Quid est namque manuum pedumque ligatio, nisi omnimoda potestatis ablatio?*

Sed dicit aliquis: Quomodo non est ibi aliquid sapere, ubi mala, quæ tolerantur, cogunt pœnitere malorum, quæ facta sunt? Nunquid aut in tormentis quispiam non pœnitere, aut pœnitere mali non esse sapere potest? Hoc autem recte opponeretur, si non opus tantum peccati, sed etiam voluntas mala puniretur. Nulli quippe dubium est, quod nemo in tormentis positus actum iterare peccati delectetur. Verumtamen si voluntas etiam in tormentis mala perdurat, quid ponderis habet operis abnegatio?

Et ideo sapere quis putetur, quod jam in mediis flammis luxuriari non libeat? Denique in malevolam animam non introibit sapientia (*Sap.* I, 4). *Unde autem probabimus quod mala et in pœnis voluntas perseveret? Certe, ut cætera omittam, nollent omnino puniri. Justum est autem puniri eos, qui punienda gesserunt. Nolunt igitur, quod justum est. Sed qui non vult, quod justum est, ejus justa non est voluntas. Eo igitur injusta, ac per hoc mala est voluntas, quo justitiæ non concordat. Duo sunt, quæ*

(83) Idem Bernard., ibid., cap. 9

Digitized by Google

injustam comprobant voluntatem : vel cum peccare, vel cum impune peccasse libet. Quibus ergo peccare libuit, quandiu licuit, et cum jam non possunt, inultum remanere volunt, quod peccaverunt, quid in his veræ sapientiæ, quid bonæ voluntatis apparet ? Sed esto, pœnitet eos peccasse. Nunquid enim si optio detur, malint adhuc peccare, quam pœnam sustinere peccati ? Et tamen illud iniquum est, hoc justum. Quomodo vero voluntas bona magis quod iniquum, quam quod justum est, eligeret ? Cæterum non vere pœnitent, qui tam non dolent se sibi vixisse, quam hoc ipsum jam non posse. Denique foris ostenditur, quid intus agatur. Nam quandiu corpus vivit in flamma, tandiu constat in malitia persistere voluntatem. Itaque de similitudine, quæ in consilii, et item complaciti libertate continetur, apud inferos penitus nihil est, nec esse potest, imagine tamen etiam illic per liberum arbitrium immobili permanente.

(84) *Sed neque in hoc sæculo æque inveniri uspiam posset similitudo, sed adhuc fœda, et deformis jacuisset imago, si non evangelica illa mulier lucernam accenderet, sapientia in carne appareret, everteretque domum, videlicet vitiorum drachmam suam requireret, quam perdiderat, hoc est, imaginem suam, quæ a nativo spoliata decore sub pelle peccati sordens tanquam in pulvere latitabat, inventam tergeret, et tolleret de regione dissimilitudinis pristinamque in speciem reformatam similem faceret in gloriam Sanctorum, imo sibi ipsi per omnia redderet quandoque conformem, cum illud Scriptura videlicet impletur :* Scimus, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III, 2). *Et revera cui potius hoc operis congruebat* (85) *quam Dei Filio, qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ Patris portans verbo universa, ex utroque facile munitus apparuit, et unde reformaret deformem, et unde debilem confortaret, dum splendore figuræ fugans tenebras peccatorum redderet sapientem, et ex virtute verbi contra tyrannidem dæmonum potentem efficeret.*

Venit ergo ipsa forma, cui conformandum erat liberum arbitrium, quia ut pristinam reciperet formam, ex illa erat reformandum, ex qua fuerat formatum. Forma autem est sapientia : conformatio, ut faciat imago in corpore, quod facit forma in orbe. Porro illa attingit a fine usque in finem fortiter, et disponit omnia suaviter (*Sap.* VIII, 1). Attingit a fine usque ad finem, *hoc est, a summo cælo usque ad inferas partes terræ, a summo angelo usque ad minimum vermiculum. Attingit autem fortiter, non quidem mobili discursione, vel locali diffusione, vel subjectæ creaturæ tantum administratione officiali, sed substantiali quadam, et ubique præsenti fortitudine, qua utique universa potentissime movet, ordinat, administrat. Et hæc omnia nulla sui cogitur facere necessitate. Nec enim aliqua in his laborat difficultate, sed disponit omnia suaviter placida voluntate. Vel certe attingit a fine usque ad finem, hoc est, ab initio creaturæ usque ad finem destinatum a Creatore, sive in quem urget natura, sive quem accelerat causa, sive quem concedit gratia. Attingit fortiter, dum nil horum evenit, quod non potenti providentia disponit.*

Sic ergo liberum arbitrium suo conetur præesse corpori, ut præest sapientia orbi, attingens et ipsum a fine usque ad finem fortiter, imperans scilicet singulis sensibus et artubus tam potenter, quatenus non sinat regnare peccatum in suo mortali corpore, nec membra sua det arma iniquitatis, sed exhibeat servire justitiæ. Et ita jam homo non erit servus peccati, cum peccatum non fecerit, a quo utique liberatus jam libertatem recuperare consilii, jam suam vindicare dignitatem incipiet, dum divinæ in se imagini condignam vestierit similitudinem, imo antiquam reparaverit venustatem. Curet autem hæc non minus suaviter quam fortiter, hoc est : non ex tristitia, aut necessitate, quod est initium, non plenitudo sapientiæ, sed prompta et alacri voluntate, quod facit acceptum sacrificium : quoniam hilarem datorem diligit Deus (*I Cor.* IX, 7). *Sicque per omnia imitabitur sapientiam, et dum vitiis resistet fortiter, et in conscientia requiescet suaviter. Verum cujus ad talia provocamur exemplo, indigemus et adjutorio, quo ipsi videlicet per ipsum conformemur, atque in* eamdem imaginem transformemur a claritate in claritatem tanquam a Domini Spiritu (*II Cor.* III, 18).

Unde si a Domini Spiritu non adjuvatur, quanquam in imagine pertranseat homo, tamen *frustra conturbatur.* Sic enim habet alia translatio.

In Hebræo ante hunc versiculum ponitur diapsalma, quo significatur distinctio antecedentium a subsequentibus. Recte nimirum. Nam in anteriori versu agitur de universa vanitate, quæ in solo redarguitur homine, pro eo, quod vita ejus vapor est ad modicum parens, et cito evanescens. Nunc vero subinfertur de illa imagine, quæ sine defectu permanebit in homine libero, videlicet arbitrio ejus nullum defectum penitus admittente, quasi dicatur : *Universa* quidem *vanitas omnis homo* dicitur pro eo, quod instabilis est vita hominis super terram. *Verumtamen in imagine pertransit homo,* in imagine scilicet stabiliter et immobiliter permanente, quantum ad arbitrii libertatem indestructibilem, quæ tamen, si non a Domini Spiritu adjuvatur, non solum in otio torpescit, dum non eam spiritus excitat, *sed et frustra conturbatur,* si per spiritum solummodo excitatur ad bene volendum, nisi eodem spiritu trahatur ad fortiter currendum. *Igitur non volentis, neque currentis* est virtus, *sed miserentis Dei* (*Rom.* IX, 16) est munus, ut et volens bonum quod vult accipiat, et currens quo tendit, perveniat. Alioquin, ut dixi, volens et currens *frustra contur-*

(84) Idem Bernard. ibid., cap. 10.

(85) Cod. *ingrucbat.*

Digitized by Google

batur; frustra conatur, cujus conatus nulli sunt, si a gratia non excitentur, et cassi sunt, si a Domini Spiritu non adjuventur. Ipse enim Spiritus adjuvat infirmitatem nostram. Proinde qui absque Spiritu Domini sola sua virtute conatur, *frustra conturbatur.*

In Hebræo legitur : *Quantum in imagine ambulat homo, tantum frustra conturbatur. Congregat, et ignorat, cui dimittat.* Quod idem est, ac si dicatur : Quantum in solo suo libero arbitrio sine gratia juvante ambulat homo, tantum frustra conturbatur, quia solis temporalibus et transitoriis intendit flammante avaritia, quæ radix est omnium malorum, quæque sic divinæ imaginis in homine lumen exstinguit, ut in tenebris ambulet nesciens quo eat. Inde est, quod *congregat, et ignorat cui dimittat.* Nescit enim, si filius ejus possidebit eam, qui forte non nascetur ei, aut luxuriando consumet, aut extrema morte accedente amittet : forte etiam auferetur, ut ad filii possessionem non transeat.

Beatus Gregorius in Job locum istum perstringens dicit inter cætera : *Quanquam in imagine Dei ambulet homo, tamen vane conturbatur. Plerumque agitur, ut conturbetur vir sanctus exterius, et inturbabilis duret interius, et quod vane conturbari potest, de infirmitate carnis sit, quamvis quidem in imagine Dei ambulat de virtute mentis, quatenus et roboretur intus divino adjutorio, et tamen adhuc foris farcina prematur humana. Magna namque est securitas cordis nil concupiscentiæ habere sæcularis. Nam si ad terrena adipiscenda cor inhiat, securum tranquillumque nullatenus esse potest, quia aut non habet, et concupiscit, ut habeat; aut adepta metuit ne amittat, et dum in adversis sperat prospera, et in prosperis formidat adversa, huc illucque quasi quibusdam fluctibus volvitur, ac per modos varios rerum alternantium mutabilitate versatur. At si semel in appetitione supernæ patriæ forti stabilitate animus figitur, minus rerum temporalium perturbatione vexatur. A cunctis quippe externis motibus eamdem intentionem suam quasi quemdam secretissimum secessum petit, ibique commutabilia cuncta transcendens ipsa jam tranquillitate quietis suæ in mundo extra mundum est. Excedit profecto ima omnia intentione summorum, et cunctis rebus, quas non appetit, libertate quadam superesse se sentit, nec tempestatem rerum temporalium intus sustinet, quam intuetur foris, quia terrena omnia, quæ concupito opprimere mentem poterant, despecta subterjacent.* Et nunc *Idithun* super terrena infra cœlestia positus, videns infra se vanitatem, quam transilivit, et super se veritatem, ad quam se extendit, exclamat :

Vers. 8. *Et nunc quæ est expectatio mea?* Postquam cætera transilivi, *quæ est expectatio mea? nonne Dominus?* Ego *Idithun* ante legem, vel sub lege Dominum Jesum Christum expectavi Redemptorem primo adventu, et judicem secundo adventu venturum, visaque mihi erat longa mora expectanti, et desideranti illum. Verbum *expecto* compositum est a verbo frequentativo *specto, spectas.* Nam sicut frequenter legens dicitur lectitare, sic frequenter aspiciens dicitur *spectare.* Solent autem desiderantes adventum domini vel amici sui crebro spectare versus loca, unde speratur venire, quem præstolantur. Aliquoties etiam per fenestras, vel cancellos prospiciunt, et inde dicitur *exspectatio* actus exspectantium, id est, extra per fenestras, vel cancellos crebro spectantium. Sic Abraham pater exsultavit exspectans, ut videret diem Christi, et a longe vidit, et gavisus est. Qui vidit, gavisus est : qui exspectat et spectare desiderat, quandoque afficitur tædio moræ, quandoque desiderio spectandi quod exspectat, ideoque frequenter spectat ad omnem sonitum vel motum, spectat et exspectat, si quod indicium ejus, quem spectare desiderat, inveniat. Sic sancti antiqui exspectaverunt Christum in carne venturum Salvatorem; sic ego *Idithun* exspecto eum judicaturum. Sanctorum sic exspectantium mors recte dicitur *obitus*, quia tales moriendo obviant ei, quem exspectant cupientes dissolvi, et esse cum Christo : multo enim hoc est melius, permanere tamen in carne aliquandiu est necessarium sanctis quoque sive propter se ad sui meliorationem, sive propter alios ad eorum ædificationem.

Verumtamen quantalibet exempla bonitatis videat in imagine, tamen pertransit homo, qui contentus propriæ voluntatis libertate, de qua dicitur liberum arbitrium, sic pro libitu suo ambulat, ut a similitudine divinæ bonitatis alienus in longinquam regionem dissimilitudinis pertranseat. Ibi dissipat substantiam suam cum meretricibus, illecebrosis videlicet serviendo voluptatibus, et fit pastor porcorum cibaria vitiorum præbendo spiritibus immundis. Etiam talis aliquando in se reversus bono saltu transilit porcos. Post hæc etiam transiliendo se ipsum revertitur ad patrem, et dicit : *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! surgam et ibo ad patrem meum!* (*Luc.* xv, 17 et 18.) *Quæ est enim exspectatio mea? nonne Dominus?* Non enim sum dignus vocari filius, ut illum audeam exspectare, quasi Patrem consolantem. *Quæ est ergo exspectatio mea? nonne Dominus?* Nonne saltem inter servos, aut mercenarios me recipiet, et tanquam Dominus me servum suum pascet? Ego enim hic fame pereo, dum ad imaginem Dei creatus in imagine quidem ambulo, sed similitudine Dei careo, quandiu in regione dissimilitudinis habito. Surgam ergo, et ibo ad Patrem meum, vel potius ad Dominum meum, quem Patrem vocare non audeo. Surgam, et transiliam cuncta, quæ me ab illo disjungunt, et dissimilem faciunt. Ille sanctus est, et ego jam desidero cum sancto sanctus esse, sicut ipse dicit filiis suis : *Sancti estote, quia ego sanctus sum* (*Lev.* xi, 44). Tædet me ulterius in regione dissimilitudinis esse cum populo, qui a sanctis longe factus est : felicem judico eum, de quo dici potest veraciter. *Similem illum fecit in gloria sanctorum* (*Eccli.* xlv, 2). Item ait Veritas : *Qui se-*

Digitized by Google

dit verba mea, et facit ea, assimilabo eum viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram (*Matth.* VII, 24). Cui hoc dicitur, ille non solum ad imaginem Dei formatus, verum etiam ad similitudinem Dei reformatus recte prædicatur, quia cum sancto sanctus, et cum electo electus, insuper etiam cum Deo Deus, cum Deo naturali Deus adoptivus recognoscitur, cum tali ejusque similibus Deus dicit : *Ego dixi : Dii estis, et filii excelsi omnes* (*Psal.* LXXXI, 6). Isti sunt dii, quorum Deus stat in medio deos dijudicans juxta illud : *Deus stetit in medio eorum* (*Psal.* LXXXI, 1), *deos* dijudicans (86). A diis istis ego separatus, et comparatus jumentis insipientibus, et similis factus illis positusque in villa, ut pascam porcos, quid faciam ? Scio quid faciam, scio quid dicam ; surgam, et ibo, atque transiliam ad patrem meum, et dicam ei : Domine, substantia quidem mea tanquam nihilum ante te, imo penitus in nihilum redacta est, ac dissipata cum meretricibus : attamen hæc est exspectatio mea, ut, quia non sum dignus vocari filius, maneam inter servos, tu dicaris dominus meus, et tunc substantia mea apud te est, quæ apud me periit. Nam quod dissipavi ego vivendo luxuriose, tu restaurabis, tu meliores vestes, quam ego perdiderim dabis, tu dices conservis meis : *Cito proferte stolam primam, et induite illum, et date annulum in manus ejus, et calceamenta in pedes ejus* (*Luc.* XV, 22). Tu me famelicum reficies occiso propter me vitulo saginato. Qui ergo meam substantiam mihi datam perdidi, sed mihi apud te reservatam perdere non potui, nonne recte dico :

Substantia mea apud te est ? Scio enim quia copiosa est apud te redemptio, cui canimus : *Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio* (*Psal.* CXXIX, 7). Sic ergo et tu Dominus meus es, cui servire ulterius volo. Et substantia mea apud te est. Jam quippe sum de numero eorum, qui dicunt : *Spe salvi facti sumus* (*Rom.* VIII, 24). Ubi ergo est anchora spei meæ, illuc mente transilire cupiens adhuc retardor peccatorum meorum compede gravi. Propter quod dico tibi, Domine :

VERS. 9. *Ab omnibus iniquitatibus meis erue me.* Scio enim quia nullus est hominum super terram sine peccato natus de peccato, quantacunque transilierit peccata, reluctans peccato ; ideo dico : *Erue me ab omnibus iniquitatibus meis*, præteritis, præsentibus et futuris, ne videlicet revolvar in ea mala, quæ transilivi, præsentibus, ne dominentur mihi : quia *si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero* (*Psal.* XVIII, 14) ; futuris, ut aut non veniant, aut si venerint, me sic munitum ac protectum sub alis tuis inveniant, ne nocere valeant, et tu contra ea scapulis tuis obumbres mihi, et sub pennis tuis ego sperabo, inde quoque mihi adaucta spe in te, quod *opprobrium insipienti dedisti me.* Dum enim fecisti terrena et vana transilire, tunc *opprobrium insipienti dedisti me.* O quanta opprobria, quantas irrisiones inde sustinui, quod consuetudines pravas pravorum transiliens factus sum illis dissimilis, quibus placui, dum essem eis consimilis ! Sed si adhuc hominibus talibus placerem, Christi servus non essem. Dum vero illis placere non studeo, imo tibi Deus meus amodo placere cupiens eorum decipulas libenter transilio, tu, qui mihi hoc propositum dedisti, *opprobrium insipienti me* fecisti.

Aliter. *Et nunc quæ est exspectatio mea ? nonne Dominus ?* Dixit patriarcha Jacob : *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium* (*Gen.* XLIX, 10). Antequam veniret, erat exspectatio Judæorum Christus in lege illis promissus. Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis ad confirmandas promissiones Patrum, sibi promissum Messiam exspectantium. Gentes autem super misericordia Deum honorant, non quia eis promissus, sed quia eis datus est Christus a Judæis repulsus. *Scitis*, ait Apostolus, *quoniam cum gentes essetis, ad simulacra muta prout ducebamini, euntes* (*I Cor.* XII, 2). Non ergo tunc sibi Dei omnipotentis Filium in carne venturum exspectabant, quando ad simulacra muta, prout ducebantur, ibant, sed nunc dicit quilibet ex illis conversus ad Deum. *Quæ est exspectatio mea ? Nonne Dominus ?* ac si diceret : Ego transiliens muta simulacra tempore martyrum, quid exspectem, nisi Dominum Jesum Christum de cœlo venturum, et etiam priusquam veniat suos martyres coronaturum ? Item in temporibus hæreticorum ego transiliens falsas doctrinas eorum quid exspectem nisi Dominum, catholicæ fidei confessores clarificaturum ? Similiter in extremo nunc tempore Antichristo vel aperte regnante, vel mysterium iniquitatis latenter operante, præcipue in officiis clericorum synodaliter interdictorum, cum talium missas interdictas transilio, et solas Catholicorum missas libenter audio, et ob hoc opprobria sustineo, *quæ* inter hæc *exspectatio mea ? Nonne Dominus ?* Nonne ipse Dominus Jesus destruit Antichristum *illustratione adventus sui ?* (*II Thess.* II, 8.) Nonne *interficiet spiritu labiorum* suorum eum, cujus est operatio secundum operationem Satanæ in omni virtute, ac prodigiis, et signis mendacibus ? Contra tyrannos valuit, et prævaluit martyrum fortis constantia. Contra hæreticos valuit, et prævaluit confessorum docta et doctrix eloquentia. Contra mysterium iniquitatis, refrigescente multorum charitate, per Antichristum abundantis, nihil valet, nisi Spiritus labiorum Christi, et illustratio adventus Dominici. Et nunc ergo abundante iniquitate *quæ est exspectatio mea ? Nonne Dominus ?* Nonne illustratio adventus ejus ? Nonne Spiritus labiorum ejus Antichristum interfecturus, et contra omnes impietates ejus per suam pietatem potenter triumphaturus ?

(86) Vulgata : *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat.*

Digitized by Google

Ne autem incassum talia exspectem, recenseo fidem, per quam teneo fideijussorem te, Domine Deus, qui contra desolationes abominationum Antichristi tales consolationes promisisti, et ego tuis promissionibus credidi, atque in pignus certitudinis tuam substantiam substantiæ meæ per mysterium Incarnationis unitam teneo, partimque credo corde ad justitiam, et ore confiteor ad salutem, quod *substantia mea apud te est.* Assumpta quippe est a Filio tuo substantia mea, non culpa mea, et hæc *substantia mea apud te est. In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 1 et 3). Nunc autem in fine sæculorum, *Verbum caro factum est, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre* (*ibid.* 4). In hoc Unigenito caro mea, sive *substantia mea apud te est.* Minor quidem te in natura, sed non minor in gloria, quia gloria Unigeniti, quam in Christo habet mea substantia, non est minor gloria Genitoris, neque tu, qui hunc Unigenitum genuisti, et paulo minus ab angelis minuisti, aliquid ei gloriæ tuæ subtraxisti, quem et in tua substantia virtutem et sapientiam tibi consubstantialem genuisti, et cui in mea substantia tuam virtutem, tuamque sapientiam plenissime dedisti etiam in ipsa conceptione secundum hominem, quanto magis in ejus exaltatione, quæ facta est per Resurrectionem et Ascensionem? Dico ergo quia sicut Verbum in principio erat apud te in summa gloria; ita nunc *substantia mea apud te est* in eadem gloria, quia gloria Verbi assumentis, et hominis assumpti una est et eadem, quanquam natura Verbi et hominis non sit una et eadem.

Hinc recte confitetur omnis lingua, *quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris* (*Philipp.* II, 11), et est apud Patrem in gloria coæquali, imo in gloria una, et penitus indifferenti. Unde nequaquam homo assumptus Verbo assumenti est coadorandus, aut conglorificandus, quasi alter alteri, sed una et simplici adorandus adoratione in una gloria, in una omnipotentia, in una et individua claritate, quam ipse sol justitiæ habuit apud Patrem priusquam mundus fieret, in sua divinitate, quamque nunc habet in sua humanitate juxta orationem ipsius dicentis ad Patrem : *Clarifica me, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui priusquam mundus esset, apud te* (*Joan.* XVII, 5). Recte itaque dico tibi, Deus meus, quod *substantia mea* in Filio *apud te est* in eadem gloria, qua Verbum erat apud te. *Omnia per ipsum* Verbum *facta sunt* (*Joan.* I, 3) : omnia per ipsum hominem restaurata, vel restauranda sunt. *Sine ipso* Verbo *factum est nihil :* sine ipso homine salvatur nemo. *Quod factum est in ipso* Verbo, *vita erat :* quod salvatum, vel salvandum est in ipso homine, qui ante omnes prædestinatus est Filius Dei in virtute, prædestinatum erat. Verbum erat *lux hominum :* mortem hominum moriendo destruxit homo, qui de se veraciter dicere potuit : *O mors, ero mors tua* (*Osee.* XIII, 14). Recte igitur una et indifferens debetur adoratio et glorificatio Verbo assumenti, et homini assumpto. Quod sancti Patres in Ephesina synodo perpendentes circa finem concilii dixerunt : *Si quis audet dicere, assumptum hominem a Verbo coadorari, cum Deo Verbo oportere et conglorificari, et connuncupari Deum tanquam alterum alteri* (*adjectio enim unius syllabæ, id est co, hoc cogit intelligi*), *et non magis una reverentia veneretur Emmanuel, unamque glorificationem dependerit secundum quod Verbum factum est caro, anathema sit.*

Quidam versuti argumentatores conantur astruere, quod natura humana in Christo nihil habeat gloriæ divinæ præter in persona, propterea quod assumpta creditur non in naturam, sed in personam divinam. Unde quidquid gloriæ divinæ ascribitur Christo, sic assignant ejus naturæ divinæ atque personæ, ut inde sequestrent essentiam naturæ humanæ. Hujus assertionis videntur sibi habere patronum beatum Augustinum, cujus prætendunt scriptum super Epistolam ad Ephesios in eo loco : *Qui descendit ipse est, qui ascendit* (*Ephes.* IV, 10). Hic, inquiunt, Augustinus docet quid naturæ, quidque personæ singillatim conveniat. Ait enim : *Hic dicendum, quod inter personam et ejus substantiam ratio dividit, eo quod sæpe multarum substantiarum est una persona. Substantia autem uniuscujusque dicitur forma substantiæ ejus, ut Divinitus Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et sua cujuslibet corporalitas corporis. Ex his personæ, et omnia, in quibus illæ formæ sunt, dicuntur substantiæ generaliter, et secundum specialem earum diversitatem hoc corpus, hic spiritus appellatur. Sæpe autem aliquid ex ita diversis compingitur, ut ex corpore atque spiritu unus homo, de quo utriusque non solum substantias, sed earum propria convenit dici. Homo namque et coloratus corpore, et intelligens spiritu dicitur vere. Nec minus constat ratio veritatis, si verborum significatio præter congruentiam sit proprietatis, ut coloratus intelligit, quandoquidem unus est, qui coloratus corpore intelligit mente. Sic igitur Christus, quoniam ejus substantia est Divinitas, qua ipse est Deus, et omnia illa, ex quibus homo substantia est, recte dicitur non solum Deus, et homo, sed et esse ubique secundum Divinitatem, et loco contineri secundum substantiam corporis humani, et quæcunque illius sunt naturaliter propria, nec præjudicat veritati dictorum inconsequens connexio dictionum. Quia namque sæpe unius personæ est diversa substantia, non est contra rationem veritatis supposita persona per nomen, quod est illius ex una substantia, vel ex proprio ejus, dici de ipsa vel substantiam aliam, vel proprium ejus, ut : Deus est homo, et qui ubique est, loco continetur. Juxta hanc ergo rationem Christus et altus est secundum divinitatem, et ascendit secundum humanitatem, secundum quam ille, qui prius erat altus, descendit.*

In his dictis primo notandum quod, licet beato attribuantur Augustino, multum diversa sunt a stylo

Digitized by Google

ejus, et in collectario ejus dictorum super Apostolorum hæc non reperire potuimus. Unde verisimile animadvertimus quod hæc dicta (87) non sint ipsius. Attamen si sunt ejus, ita sunt intelligenda, ut aliis ejus dictis catholico sensu promulgatis minime inveniantur contraria. Quisquis enim putat illum beatum virum sensisse hominis in Christo solam personam, non etiam naturam Divinitatis habere gloriam, quasi non magis Divinitas possit esse humani spiritus et corporis, quam color mentis, vel intelligentia corporis, ac proinde non magis proprie dicatur homo Deus esse, quam coloratus intelligere, prout se habere videtur illa, quam dicunt beati Augustini assertio præmissa, hic sine dubio fallitur, quod ex aliis illius beati scriptis evidentissime comprobatur. Dicit enim in Tractatu (88) de verbis Domini : *Homo Christus dicitur Filius Dei, quod etiam sola caro ejus in sepulcro meruit appellari.* Item : *Christus est Deus, et anima rationalis et caro. Christum in his omnibus, Christum in his singulis confitemur.* Item exponens (89) illud : *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem* : *Naturæ*, inquit, *humanæ gratulandum est, eo quod sit assumpta a Verbo unigenito, ut immortalis constitueretur in cœlo, atque ita fieret terra sublimis, ut incorruptibilis pulvis sederet ad dextram Patris. Hoc enim modo se iturum ad Patrem dixit. Quis non hinc gaudeat, qui sic diligit Christum, ut et suam naturam immortalem gratuletur in Christo, atque id se speret futurum esse per Christum?* Item : *Adveniens divinitas in uterum virginis Mariæ auctoritate illa, qua in paradiso Adam de limo formavit, carnem sibi ex substantia ipsius Mariæ fabricavit, quam pro salute nostra suscipiens, et sibi coadunans natus est Deus et homo.* Item : *Hanc beatitudinem Spiritus sanctus Paracletus attulit, ut ab oculis carnis servi forma remota, quam de virginis utero accepit, in ipsam Dei formam, in qua Patri æqualis, cum in carne dignatus est apparere, purgata mentis acie tenderetur, ut eodem Spiritu repletus Apostolus diceret :* Etsi noverimus Christum secundum carnem, sed jam non novimus (*II Cor.* v, 16) : *quia et carnem Christi non secundum carnem, sed secundum Spiritum novum, qui virtutem Resurrectionis ejus non palpando curiosus, sed credendo certus agnoscet non dicens in corde suo :* Quis ascendet in cœlum, hoc est Christum deducere, aut quis descendit in abyssum, hoc est Christum a mortuis reducere. Sed prope est, inquit, verbum in ore tuo, quia Deus est Christus, et si credideris in corde tuo, quia Dominus illum suscitavit a mortuis, salvus eris (*Rom.* x, 6 et 7). Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (*Rom.* x, 10).

Item in libro Retractationum dicit : *Exposui Apostoli Epistolam ad Galatas non carptim, id est aliqua prætermittens, sed continuanter, et totam. Hanc autem expositionem uno volumine comprehendi. In quo illud, quod dictum est :* priores ergo Apostoli veraces, qui non ab hominibus, sed a Deo per hominem missi sunt, per Jesum Christum, scilicet adhuc mortalem : verax etiam novissimus Apostolus, qui per Jesum Christum totum jam Deum post Resurrectionem ejus missus est, *propter immortalitatem dictum est : « totum jam Deum, » quam post resurrectionem habere cœpit, non propter divinitatem semper immortalem, a qua nunquam recessit, in qua totus Deus erat, et cum moriturus adhuc erat. Hunc autem sensum sequentia manifestant. Adjunxi enim dicens :* priores sunt cæteri Apostoli per Christum adhuc ex parte hominem, id est mortalem : novissimus est apostolus Paulus per Christum jam totum Deum, id est omni ex parte immortalem. *Hoc enim dixi exponens quod ait Apostolus* : non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem, *quasi jam Christus non sit homo. Sequitur enim :* Qui suscitavit illum a mortuis (*Gal.* I, 1), *ut hinc appareret, cui dixerit :* neque per hominem. *Proinde propter immortalitatem jam nunc non homo Christus Deus ; propter substantiam vero naturæ humanæ, cum qua ascendit in cœlum, etiam nunc mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, quoniam sic veniet, quomodo viderunt eum, qui viderunt euntem in cœlum.* Idem in Epistola ad Philippenses (II, 9) : *Homini donavit nomen super omne nomen, non Deo, ut cum forma servi nominetur unigenitus Filius Dei.*

Quisquis hæc dicta beati Augustini fideliter legendo perspexerit, sane intelligere poterit, quia tantus doctor nunquam sensit, quod isti eum arbitrantur sensisse in præmissa ipsius, ut dicunt, sententia. Si enim, ut ipsi volunt, non magis proprie natura humana divinitatem habere intelligitur, cum homo Deus prædicatur, quam coloratum corpus intelligens enuntiatur ; sique ut astruunt, ad solam personam, non etiam ad naturam pertinet assumpti hominis celsitudo et claritas æternæ Divinitatis, quomodo stare poterit, quod beatus Augustinus, ut præmisimus, dicit, *pulverem sedere ad dexteram Patris?* Nonne pulvis est nomen inferioris portionis in humana substantia? Quæ si non est ad dexteram Patris collocata nisi tantum in persona, ut dictum, frustra et sine causa dicit beatus Augustinus gaudendum, cum illud, pro quo gauderi suadet, non sit verum. *Quis*, inquit, *non hinc gaudeat, qui sic diligit Christum, ut et suam naturam immortalem gratuletur in Christo, atque id se speret futurum esse per Christum?* Item : *Propter immortalitatem*, inquit, *dictum est : totum jam Deum, quam post Resurrectionem habere cœpit, non propter divinitatem semper immortalem, a qua nunquam recessit, in qua totus Deus erat, et cum moriturus erat.* Nonne

(87) *In margine perantiqua manus hæc notat :* Glossis magistri Gisilberti super Apostolum inserta, et a discipulis ejus B. Augustino attributa.

(88) S. Aug. Tract. 78 in Joh

(89) Idem ibid. Joan. XIV, 28.

Digitized by Google

sic loquendo beatus Augustinus manifeste dat intelligi, talem in Christo naturam hominis accepisse immortalitatem, per quam deificata sit plene ac taliter sicut Verbum ab æterno Deus fuit.

Absit enim, ut intelligatur talis, et non major in Christi humana natura immortalitas, quam nunc habent angeli, et habituri sunt homines beati. Illi etenim etsi propter beatam immortalitatem sibi collatam vel conferendam dicantur dii et filii Excelsi, non tamen naturales dii vel filii Dei possunt nominari. Hic autem, cui a mortuis propria virtute resurgenti æterna et sua divinitas contulit suam immortalitatem, non adoptatus in Deum, sed natus naturalis Deus, et Dei Filius habet nomen, quod est super omne nomen. Unde non injuriose creditur sedere ad dexteram Dei Patris omnipotentis data sibi omnipotentia divina, ut judicium faciat, quia filius hominis est et ratio divinæ justitiæ requirit, ut in ea quoque natura judicet, in qua judicatus est, atque per omnia illi conregnet, cujus ad dexteram sedet. Hoc est unde suis discipulis asseruit gaudendum dicens ante suæ humanitatis glorificationem. *Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem* (*Joan.* XIV, 28). Summa quippe gaudii nostri est, quod vera carnis nostræ natura in illo nos hominis filio præcedens consedit a dextris Dei, quem venientem, juxta Danielem, in nubibus cœli venerandus ille antiquus dierum cum millibus millium sibi ministrantium, et decies millies centenis millibus sibi assistentium in illo throno suo flammeo suscepit, dignam cano capiti suo sententiam elocutus, juxta patrem ipsius secundum carnem David : *Sede a dextris meis*, etc. (*Psal.* CIX, 1).

Quod si non sic accipimus, ut humaniformii putant, quod Deus ita, ut nos, dexteram hinc atque inde habeat sinistram, et humana forma circumscriptus sit, aut hoc ipsum, quod Deus sedere dicitur, flexis poplitibus fieri putandum est : *ne illud incidamus sacrilegium*, inquit Augustinus, *in quo exsecratur Apostolus eos, qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis*. Tale simulacrum Deo nefas est christiano in templo collocare, multo magis in corde nefarium est, ubi vere Dei templum est. Sedere ergo quod dicitur Deus, non membrorum positionem, sed judiciariam significat potestatem. Et quod ait Christo Domino : *Sede a dextris meis*, id est, in mei æqualitate, quod idem est ac si dixisset : Conregna mecum. Et hoc secundum humanam naturam illi dictum est, quia secundum illam datum est ei regnum, et honor, et omnes populi, tribus, et linguæ servient ipsi. Unde est illud : *Psallite Domino; qui ascendit super cœlos cœlorum ad Orientem* (*Psal.* LXVII, 33, 34). Humana quippe Christi natura dignitatem virtutum omnium, et sanctitatis omnem excessit naturam in tantum, ut ascenderet usque *ad Orientem*, id est, usque ad Verbum sibi personaliter unitum, quia post Deum nihil transcendendo dimisit. Ubi notandum est, quia non dixit ad ortum, vel oriturum, sed *ad orientem*. Illa enim ineffabilis genitura non secundum præteritum vel futurum consideratur, sed sempiterno præsenti Filius a Patre generatur. Verumtamen hoc localiter quoque accipiendum est, quia ascendit super firmamentum cœli, et hoc versus orientalem plagam. Nam quod dictum est usque *ad orientem*, id est, usque ad Verbum sibi personaliter unitum, non utique secundum locum, sed secundum humanæ naturæ immutationem dictum est, qua in mutatione et nos juxta Apostolum pro modo nostro immutabimur.

Nec vero sic immutata est, ut in illam orientis substantiam vera carnis substantia transiret, sed accessit gloria, non decessit natura, absorpta est passibilitas, accesit impassibilitas, periit mortalitas, acquisita est carni Verbi immortalitas. Sic in similitudinem lapidis durantur aquæ. Crystallus namque similitudo lapidis est, non suapte natura lapis, qui durata gelu aquæ substantia, sicut aiunt physici, speciem hanc efficit. Quod ad prædictam immutationem carnis apta similitudine referri Gregorius perhibet in Ezechielem, dum dicit : (89*) *Corpus Redemptoris nostri, quia usque ad mortem passioni subjacuit, aquæ simile juxta aliquid fuit, quia nascendo, crescendo, lassescendo, et esuriendo, sitiendo, moriendo usque ad Passionem suam per momenta temporum decurrit. Sed quia per Resurrectionis suæ gloriam ex ipsa corruptione in incorruptionis virtutem convaluit, quasi crystalli more ex aqua duruit, ut in illo et hæc eadem natura, et ipsa jam quæ fuerat, corruptionis mutabilitas non esset. Aqua ergo in crystallum versa est, quando corruptionis ejus infirmitas per Resurrectionem suam ad incorruptionis firmitatem solidata.*

Notandum quia cum species crystalli perpulchra sit, dicitur in hac significatione quasi aspectus crystalli horribilis, quia Redemptor noster unus idemque serenus justis, injustis autem apparebit terribilis. Igitur sicut aqua non pereunte substantia, vel substantiæ quantitate, sed sola qualitate, quæ fluxa fuerat, in soliditatem transeunte in similitudinem lapidis duratur : sic assumptus homo, cui psallimus, non pereunte substantia membrorumque servato numero, vel quantitate ascendit, primum quando resurrexit; ascendit, inquam, illocaliter ad orientis, id est, Divinitatis, de qua supra dictum est, conformitatem, atque immutabilitatem, sub penitus absorpta quasi fluxa qualitate, secundum quam timuit, potuitque tædere, et pavere, et dixit : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38), et cætera talia. Secundo autem

(89*) Lib. I. in Ezech. Hom. 7.

Digitized by Google

ascendit, etiam localiter, videntibus apostolis, super firmamentum cœli, ut supra dictum est, ad orientalem plagam. Ubi autem et quomodo Dominicum corpus in cœlo sit curiosissimum et supervacuum est quærere, inquit Augustinus in libro De fide catholica. Tantummodo in cœlo esse credendum est. Non enim est fragilitatis nostræ cœlorum secreta discutere. At illi argumentatores, qui, ut putant, omnia rimando vident invisibilia, comprehendunt incomprehensibilia, deridentsimplicitatem fidei Christianæ, in qua psallimus, et psallendo cum Idithun transilimus omnia sub Deo posita, atque in ipsius Deitatis altissima gloria veneramur substantiam humanam dicendo : *Et nunc quæ est exspectatio mea? Nonne Dominus? Quæ*, inquam, *est exspectatio mea*, qui sum servus? *Nonne Dominus?* Nonne ut intrem in gaudium Domini mei? Sed unde hoc mihi servulo, ut veniat gloria, vel gaudium Domini mei ad me? Inde scilicet, quod, o Domine mi, *substantia mea est apud te*, quod in summa gloria, Rex æternæ gloriæ, Deus Pater, *substantia mea apud te est.* Sub te quidem secundum essentiam, sed *apud te* secundum gloriam, sicut in principio Verbum erat apud te, non sub te secundum naturam et gloriam. Quid est enim esse *apud te*, nisi in tuæ gloriæ coæqualitate? Hoc erat in principio apud te Verbum Deus. Sed et nunc in fine sæculorum *apud te* propitiatio est, ubi etiam interpellat pro me Homo Deus mihi consubstantialis in eo quod homo ; tibi consubstantialis in eo quod Deus. Ipse propitiatio, et propitiator, inquantum homo; ipse propitiationis largitor, inquantum Deus. Quia igitur in illo *substantia mea apud te est* apparens vultui tuo pro me Idithun, vel pro me tota catholica Ecclesia, tu per eum placatus,

Vers. 9. *Ab omnibus iniquitatibus meis erue me.* Volenti quippe mihi transilire universam vanitatem, iniquitates meæ mihi sunt impedimento quasi compedes gravissimæ. Sed tu, *ab omnibus iniquitatibus meis erue me*, ut similis capreæ ninnuloque cervorum dumeta omnium vanitatum, te juvante, transiliam. Dum in imagine pertransivi contentus libertate arbitrii, ad imaginem tuam, Deus, conditi, multas iniquitates contraxi manens in regione dissimilitudinis, quia factus ad æternæ rationis imaginem æternæ sapientiæ ac bonitatis nolui habere similitudinem. Et liberum quidem retentans arbitrium penitus amisi liberum consilium, liberumque complacitum, quia liber utique permansi a necessitate, sed compeditus peccato, et miseria carui libertate gemina, consilii videlicet et complaciti. Nunc autem volens transilire omnia vana, sentio me gravatum peccatis, atque pœnis per liberum arbitrium contractis. Unde ad te omnipotentem liberatorem clamo : *Ab omnibus iniquitatibus meis erue me.*

Proprie dicitur iniquitas, ubi ea quæ Deus æquat homo non æquat. Est autem Deus trinus et unus in trina unitate et una trinitate : neque in hac trinitate ulla est inæqualitas, quia nihil est in Deo trino majus, aut minus, sed est æqualis Patri Filius, Patri et Filio Spiritus sanctus. Unde recte damnatus est Arius, qui Filium Patri, et Macedodonius, qui Spiritum sanctum Patri et Filio pestifero errore inæqualem dogmatizavit. Hic trinus Deus in antiquo suo consilio propositum habuit formare hominem ad imaginem et similitudinem suam, ita videlicet, ut divinæ imaginis expressio esset in hominis libero arbitrio; in libero vero consilio et libero complacito bipartita esset sapientiæ ac bonitatis divinæ similitudo, essetque in homine trina libertas, arbitrii, consilii, complaciti, a necessitate, a peccato, a miseria in tanta æqualitate, ut quam libere per arbitrium bona malave discerneret, tam liber per consilium bona eligeret malaque respueret, ac nihilominus per suæ bonitatis complacitum totius miseriæ gravamine careret, atque sic æternæ ac summæ Trinitatis imaginem in arbitrio, similitudinem in consilio et complacito repræsentaret. Factus vero ad imaginem Dei, in ipsa creatione provehendus erat ad similitudinem per ipsam quæ in imagine fuit rationem, qua si recte usus fuisset, ad similitudinem Dei sine interpositione iniquitatis profecisset, ac tres libertates jam prænotatas æqualiter obtinuisset, tam liber a peccato per consilium, et a miseria per complacitum, quam liberum a necessitate acceperat arbitrium. Sed quoniam libertate arbitrii fuit abusus, inde peccanti subrepsit iniquitas, quod harum trium libertatum non remansit æqualitas. Nam permanente arbitrii libertate in sua prorsus integritate, parva in hoc mundo, nulla vero in inferno est homini libertas consilii, vel complaciti, sicut superius ostensum est.

Ergo dum tempus est in hac vita, ut destruatur iniquitas seu inæqualitas ista, et fiat summa æquitas et æqualitas trium in homine libertatum, sine cessatione per juge sacrificium cordis illi est postulandum, ut eruatur ab iniquitatibus, et fiat liber æque a peccato et pœna, sicut liber est a necessitate. Ergo qui prius in imagine sola pertransivit, similitudinem autem divinam minus plene habuit, maxime in regione dissimilitudinis, nunc recapessat (90) æquitatem penitus abnuendo iniquitatem seu inæqualitatem, quæ in hoc deprehensa est, quod homo in imagine ambulans et pertransiens in regionem dissimilitudinis, integram quidem habet rationem, sed non integram habet sapientiam vel bonitatem. Trahit autem Pater ad Filium, quando eo donante ratio ducit ad sapientiam. Dat Pater et Filius donum suum, sanctum videlicet Spiritum, quando ratio sapiens in homine accipit bonitatem. Quanto vero magis in homine ad imaginem Dei creato crescit similitudo sapientiæ ac bo-

(90) *Cod.* recapesset.

Digitized by Google

nitatis divinæ, tanto magis liberatur ab iniquitate, ut coæquetur similitudo cum imagine, nec jam homo in imagine sola pertranseat in infernum, sed in similitudinem Dei provectus transiliat infernum, transiliat mundum similis capreæ hinnuloque cervorum, similis illi de quo dicitur in Canticis canticorum : *Ecce iste venit saliens in montibus, et transiliens colles* (*Cant.* II, 8). Fiat quoque similis homini sapienti et ædificanti domum suam supra petram. Dum assimilatur sapienti, recuperat libertatem consilii ; dum assimilatur ædificanti, recuperat libertatem complaciti, quoniam et in consilio verum sapere, et in ædificio supra petram firmato bonum et complacitum posse significatur, dum et qui assimilatur viro sapienti, bene sibi consulit, et firmiter ædificans prodit se intellexisse quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta. Tunc autem bona, et beneplacens, et perfecta Dei voluntas in homine completur, cum iniquitas illa omnino destruetur, qua nunc in homine minor invenitur Dei similitudo ipsius imagine. Quia vere non veniet imaginis et similitudinis æqualitas vel inæqualitas, dicat Idithun : *Ab omnibus iniquitatibus meis libera me, Domine.*

Multæ sunt iniquitates de prænotata iniquitate venientes. Nam quia homo de paradiso in imagine pertransivit perdita similitudine Dei, inde est et illa iniquitas, quod etiam, cum spiritus promptus est ad transilienda omnia vana, tamen caro est infirma, quæ, si homo non peccasset, æque ut spiritus, esset prompta. Item est alia iniquitas, ubi esse deberet æquitas vel æqualitas. Sicut enim exhibuimus membra nostra serviré immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, cum servi essemus peccati, et liberi a justitia : ita nunc exhibenda sunt membra nostra servire justitiæ in sanctificationem, ut serviamus Deo liberi a peccato. Sed inquantum nunc minus est in nobis justitiæ studium, quam fuerit ante ad peccandum, non est in studio nostro æquitas vel æqualitas ; quia pœnitentia nostra non est intantum fructuosa, inquantum perversitas nostra fuit damnosa. Ab hac iniquitate jam liberatis loquitur Apostolus dicens : *Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam* (*Rom.* VI, 20-22). Item cum Dominus in lege dicat : *Non habebis in sacco diversa pondera, sit tibi æquus modius, æquusque sextarius* (*Deut.* XXV, 13), contra istiusmodi æquitatem grandem committimus iniquitatem, cum pondus et pondus, majus et minus habemus, nec æquali lance nostram proximique causam pensamus : cumque nobis mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem dari a Deo velimus, nos non tali mensura proximis indigentibus damus, etiam cum suppetit facultas, quæ si deesset, sola sufficeret larga voluntas. Utinam saltem in voluntate nostra sit æquitas, ut sic proximo indigenti subvenire velimus, quemadmodum nobis a Deo subveniri cupimus, eadem scilicet mensura, eodem modio, eodemque sextario ! Nam et per sex opera misericordiæ merebuntur audire : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est* (*Matth.* XXV, 34), isti bonum sexterium sex operibus misericordiæ plenum dederunt, et ideo plenam retributionem accipient, exigente justitia et æquitate, ut eis remetiatur eadem mensura qua mensi sunt Christum in suis minimis pascendo, potando, vestiendo, colligendo, visitando, consolando. Item dignum et justum est, æquum et salutare, nos illi semper et ubique gratias agere, nosque illi gratos exhibere, qui nos gratis, cum non essemus, creavit, cum perditi essemus, pretio magno redemit. Cum ergo simus emptitii servi pretiose comparati, æquum est ut simus pretiosi. Proinde contra nostrum Redemptorem grandem committimus iniquitatem, si non æquam illi retributionem rependimus, a quo empti sumus. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ?* (*Psal.* CXV, 12). Si me ipsum dabo, parum est, quia pretium pro me datum valde magnum est. Scio tamen quid faciam. *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo* (*ibid.*, 13). Sic recte fiet æqualitas inter pretium pro me datum, et pretiosum calicem pro me illi oblatum. Si sic fecero, æquitatem utcunque servabo, maxime, si post acceptum calicem salutaris nomen Domini invocabo. *Omnis enim quicunque invocaverit nomen Domini salvus erit* (*Act.* II, 21).

Est etiam grandis iniquitas vel inæqualitas, cum nobis volumus plene dimitti debita nostra, et nos plene dimittere nolumus debitoribus nostris. Cum ergo tam multæ sint iniquitates in conversatione humana et mundana, bene hanc transilire cupiens ego Idithun dico tibi : Deus meus, *ab omnibus iniquitatibus meis erue me*, in summa æquitate confirmans me, ita ut mihi sit æque liberum consilium, quam liberum arbitrium, æque prompta caro et spiritus juxta illud : *Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum* (*Psal.* LXXXIII, 3). Item : *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea* (*Psal.* LXII, 2).

Sit mihi æquus modius, æquusque sextarius, ut fiat æqualitas, dum mea abundantia impleat aliorum inopiam, et aliorum copia meam. Calicem quoque salutaris taliter accipiam, ut illum Redemptori offerens gratias agam, sicut dignum et justum est, æquum et salutare, quatenus per omnia servans æquitatem vel æqualitatem non præpediar ulla iniquitate in transiliendo mundum cum sua vanitate. Fateor tibi, Deus meus, quia corripiendus eram pro iniquitatibus meis magnis et multis, ac proinde gratias ago tibi, quia per linguas canum curasti me quasi alterum Lazarum nimis ulcerosum, et ulceribus peccatorum plenum. Bene tamen illi erat, quia canes veniebant, et lingebant ulcera ejus. Lingebant, non mordebant, ac proinde curabant. Mea vero ulcera non solum boni canes linxerunt, sed et

Digitized by Google

mali dentibus suis laceraverunt exprobrando, detrahendo, vituperando. Poteram ergo interdum talibus respondisse, sed tacitus attendi, quod illi nihil possent contra me, non te disponente, atque ideo penitus *obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti.* Quid fecisti? scilicet *opprobrium insipienti dedisti me.* Propterea licet in aliis, quæ dicebant, essem paratus et promptus respondere, atque veritati catholicæ resistentes redarguere, tamen ubi ventum est ad vituperia, ego animadvertens, quod tu *opprobrium insipienti dedisti me,*

Vers. 10. *Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti.* Tu justo judicio tuo non sine misericordia per linguas eorum putredines vulnerum meorum secasti : nam *lingua eorum gladius acutus* (*Psal.* LVI, 5). Tu dentibus eorum rimatus es quasi medicus medicinalibus ferramentis purulentias ulcerum meorum : nam *dentes eorum arma, et sagittæ* (*ibid.*). Recte igitur inter hæc *obmutui, quoniam tu fecisti.* Beatus Gregorius in expositione Job super hunc locum dixit : (91) *Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti. Flagellatus homo considerans quia illo major est Deus, in omni quod patitur ejus judicio se postponit, cui se minorem esse non dubitat. Et quod a meliore patitur, justum credit, etiamsi ejusdem justitiæ causas ignoret. Quisquis enim pro peccato percutitur, nisi murmurando renitatur, eo ipso jam justior esse inchoat, quo ferientis justitiam non accusat. Homo namque sub Deo est conditus, et ad conditionis ordinem redit, quando sibi æquitatem Judicis sui, etiam quam non intelligit, anteponit, ut considerata potentia Creatoris deferveat tumor mentis per memoriam conditionis. Unde David propheta, cum percussionis pondere in excessum vocis erumpere cogeretur, ad considerationem conditionis suæ se recolligens ait :* Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti me (*Psal.* XXXVIII, 10). *Pensavit enim conditionis suæ ordinem, et justitiam percussionis invenit, quia qui benigne eum, qui non erat, condidit, eum profecto, qui erat, non nisi juste percussisset.*

Aliter : *Obmutui,* vel obsurdui, sicut alia translatio habet, et quasi opprobria mihi facta non audierim, tacui, cavens mihi, et a contentione indisciplinata contra homines, et a murmuratione contra te Deum meum, factorem meum, *quoniam tu fecisti* et me ipsum, et meum flagellum, tu *qui fingis laborem in præcepto* (*Psal.* XCIII, 20). Fingis laborem sive dolorem in præceptum. Fingere enim componere dicimus, unde et compositores luti figulos vocamus. Et tu, factor sive fictor noster, qui nostram substantiam finxisti, adhuc fingis et formas dolorem flagelli tui in præceptum, ut inde instruas hominem quasi per præceptum. Propter hoc *obmutui* a contentione ac murmuratione, sed non ab oratione : imo flagellis tactus attentius oro, et dico :

Vers. 11. *Amove a me plagas tuas. — Manus tuæ, Domine, fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu, et sic repente præcipitas me?* (*Job* X, 8.) *Nolo multa fortitudine contendas mecum* (*Job* XXIII, 6), quoniam

Vers. 12. *A fortitudine manus tuæ ego defeci.* Scriptum est quod *manus Moysi erant graves* (*Exod.* XVII, 12), quia lex graviter feriens peccatores per illum data est. Sub hujus fortitudine atque gravitate defeci ego Idithun ante gratiam. Nunc vero quia *gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* I, 17), *Amove a me plagas tuas; amove,* quæso, manus Moysi graves, nec magnitudinis tuæ mole me premas, ita ut deficiam omnino, sicut jam ex parte *defeci a fortitudine manus tuæ* fortiter verberantis increpationibus, quæ sive per justos, sive per injustos administratæ sint, ipsæ tamen prorsus justæ sunt, quia

Propter iniquitatem corripuisti hominem. Nam quando, te disponente, corripuit me vel justus in misericordia, vel injustus in nequitia, seu duritia, correptio tua per illos administrata fuit justa, quia *propter iniquitatem corripuisti hominem.* Sunt peccatores, qui *cum hominibus non flagellabuntur : idco tenuit eos superbia* (*Psal.* LXXII, 5). Sed tu, *propter iniquitatem corripuisti hominem* transilientem culmina superbiæ, ut magis proficiat in humilitate, qua consummata parcis tu, qui superbis resistis, humilibus autem das gratiam. Quod ergo dico : *Amove a me plagas tuas,* ita volo accipi, ac si dicam : Fac ut sim perfecte humilis, cui debeas gratiam; non superbo, cui debeas plagas tuas tibi consuetas, qui semper soles resistere superbis, colaphizare pronos ad extollentiam, deponere de sede ac dispergere superbos mente cordis sui.

In Hebræo legitur : *In increpationibus pro iniquitate corripuisti virum.* Est qui corripitur in damnatione, diabolus scilicet, et quilibet obstinatus, qui dum corripitur, non emendatur : sed virum sive hominem rationabili consilio utentem pro iniquitate sua emendabili corripuisti in increpationibus, id est in eruditionibus, ut per ipsam correptionem acciperet correctionem.

Et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus. Iste est modus eruditionis, quod *tabescere fecisti sicut araneam animam ejus,* quem corripuisti. Aranea, dum pro capiendis muscis texit telas inanes, siccatur et evisceratur et moritur : sic homo dum in congregatione rerum temporalium laborat, totus evisceratur, et ab humore virtutum siccatur et moritur, quod ita esse inter flagella divinæ increpationis cognoscitur. Propterea dico : *In increpationibus pro iniquitate corripuisti hominem,* et per hoc agnovit, quod ipse sit, quod *tabescere fecisti,* id est : permisisti *sicut araneam animam ejus.*

Aliter : In Hebræo habetur : *Et posuisti quasi tineam desiderabilia ejus.* Tinea desiderabilia et pretiosam vestem reddit vilem : sic tu hominem crea-

(91) Lib. XXIII Moral. c. 18.

Digitized by Google

tum ad beatam et desiderabilem gloriam æternitatis vilificasti per infirmitatem corruptionis et mortalitatis. Vel desiderabilia ejus posuisti, ut sint homini quasi tinea. Si enim sibi conscius est operum, seu virtutum laudabilium et desiderabilium, talis conscientia per suggestionem gloriæ inanis latenter et silenter eum quasi tinea demolitur, maxime si desiderabilia sua thesaurizavit in terra, sinens scire sinistram suam quod fecit dextera sua, id est cupiditatem vanæ gloriæ intermiscens intentioni vel operationi sanctæ. Contra hujusmodi tineam volens esse cautos discipulos suos ait Veritas : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur* (*Matth.* VI, 20). Item : *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua* (*Matth.* VI, 3). Cœlum dicitur a celando, quia celata sunt a prospectu hominum, quæ in cœlo sunt. In cœlo ergo thesaurizamus, cum nostra laudabilia celamus, non ut proximi opera nostra non videant ad sui ædificationem et Dei gloriam, sed ne cupiamus ea sciri ut nos videamur inde laudabiles ; alioquin mercedem non habebimus apud Deum, quia tinea inanis gloriæ consumit desiderabilia nostra. Quod quia Deo juste judicante fit, recte illi dicitur : *Et posuisti quasi tinea desiderabilia ejus.* Vel posuisti quasi tineam desiderabilia ejus, quæ illi vertuntur in tineam valde nocivam, qui de ipsis desiderabilibus captat humanæ laudis inanem gloriam. Quæ nimirum tinea illi non nocet, qui in cœlo thesaurizat, id est qui cœleste, ac celatum vel secretum judicium timoratus exspectat, nesciens utrum illic odio vel amore dignus judicetur, maxime cum de fine bono vel malo divinum judicium pendeat, nec ipse homo ante finem suum perfecte sciat, etiamsi frequenter orans dicat : *Notum fac mihi, Domine, finem meum.*

Aliter : *Et posuisti sicut araneam animam ejus.* In compositione hominis ex anima et carne compositi, anima est pretiosior res carne. Unde per illud hominis quod est in eo pretiosius, potest notari et significari pretiosior et laudabilior conversatio ejus, maxime contemplatio, vel officiorum spiritalium laudabilis administratio, quæ quasi anima vivificat opera et officia inferiora et terrena, quibus vel in una persona vel in una congregatione, vel etiam in universali Ecclesia per vinculum charitatis inserta, vel cohærens fuerit talis anima vitam illis administrans, et ea secundum se ordinans. Ponitur autem hæc anima *sicut aranea*, quia nisi præcaveatur, mordet, venenumque infundit, unde tumor inanis gloriæ vehementer excrescit ; et tabe superbiæ introrsus latente anima ipsa inde tabescit sicut aranea, dum per inanem et vanam gloriam inanescunt et evanescunt in hominis vita ipsa quoque spiritalia exercitia, ita ut non sint pro anima vivificante, sed pro aranea mortificante. Propter quod recte dicitur : *Et tabescere fecisti ;* vel sicut in Hebræo legitur : *Posuisti sicut araneam*, vel *tineam animam ejus.*

Aranea, quæ in Septuaginta Interpretum translatione ponitur, cito mordet, nec homo sic invenenatus mortem celerem potest effugere, nisi medicina competenti succurrente. Non est enim venenum aranee sicut venenum aspidis insanabile, quia peccatum extollentiæ seu jactantiæ aliquoties uno colapho medicatur, vel interdum secreta seu manifesta satisfactione facile curatur. *Tinea* vero, quæ in Hebræo ponitur, lenta et diuturna clade vestem pretiosam demolitur, nisi fortiter excutiatur : caput quoque tineosum fœdari non desinit, quod semel tinea invaserit, nisi forte lavetur, et pectinibus assiduis radatur. Unde apte per *araneam* Septuaginta significaverunt manifestam, facileque curabilem superbiam. Veritas vero Hebraica per *tineam* notat lentam et latentem, nec se per tumores jactantiæ ostendentem, ac proinde minus facile medicabilem, quæ sive in veste, id est in actione, sive in capite, id est in intentione, deprehensa fuerit, fortiter est et vestis hujusmodi excutienda, ne a tinea lædatur, et caput hujusmodi lavandum lacrymis, ac pectendum confessionibus assiduis, ne tineosum permaneat, suaque turpitudine totum corpus fœdum reddat. *Tu ergo, cum jejunas*, ne ab hac tinea lædaris, *unge caput tuum oleo, et faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi* (*Matth.* VI, 17, 18). Oleum supernatat cunctis liquoribus : et merces æterna superexcellit et pretiosior est cunctis opibus mundi, et omnia quæ in sæculo desiderantur, huic non veniunt comparanda. Oleo ergo purissimo caput ungimus, cum solo intuitu mercedis æternæ bonum opus agimus. Et in capite nostro sic uncto nulla tinea locum habet inter nostra desiderabilia et laudabilia opera, quibus merces in cœlo est reposita. Hinc est quod caput viri, dum sanctificatur, aut raditur aut etiam ungitur oleo sancto, ut pontificis et regis, quia forti et virili actioni magis aptum quam *aranea* insidiatur, contra cujus læsionem intentio quasi caput viri servatur sanum et pulchrum, si lacrymis lavatur, non solummodo caput, sed et lectulus, ubi caput reclinatur, quod totiens fit, quoties viro sancto contingit veraciter dicere : *Lavabo per singulas noctes lectum meum* (*Psal.* VI, 7). Caput quoque viri sacerdotali vel regali unctione perfunditur, cum solummodo ad honorem summi sacerdotis et regis actio fortis agitur, et appetitus privatæ gloriæ quasi rodens tinea prorsus excluditur.

Porro dum femina sanctificatur, ejus caput sacramentali velamine tegitur, cui etiam capilli pro velamine dati sunt, quia minus fortis actio minori eget contra superbiam tutamento, quæ illi non quasi *tinea*, sed quasi *aranea* insidiatur. Et scimus quod aranea lenissimo velamine secluditur, et leni tactu seu etiam flatu abigitur, quæ non calcaneo, ut serpens repens in terra, verum capiti desursum, videlicet pendens insidiatur. Et ideo velum nigrum, quod est humilitatis indicium, capiti

Digitized by Google

sanctificatæ mulieris imponitur, quod nullo modo congruit nuptis feminis, quia dum tribulationem carnis habent hujusmodi concipiendo in ærumna, et pariendo in dolore, magis indigent calceamento contra serpentinam fornicandi pravitatem, earum calcaneo insidiantem, quam velamento capitis contra superbiæ *araneam* : quæ, quia maxime sanctis et bonis operibus insidiatur, ut pereant, contra eam non tam nuptæ quam sanctimoniales pugnant, quæ humilitatis velum non incassum portant. Nuptis quoque in desponsatione sua imponitur velamen, non utique nigrum ad signum humilitatis, sed album in signum consolationis, ut videlicet non desperent, sed firmiter sperent se posse salvari, ut Apostolus ait, *per filiorum generationem, si permanserint in fide* (*I Tim.* II, 15). Hæc propter differentiam intentationum alias *tineam*, alias *araneam* in psalmo habentium placuit innectere. Accipiat sibi lector in psalmi hujus meditatione de diversis, quod ei magis placet, cavens *araneam* pariter et *tineam*.

Aliter : *Corripuisti* hominem superbientem, et per flagella fecisti humilem, quod inde patet quia *tabescere fecisti sicut araneam animam ejus*. Nimirum hoc illi ostendisti quod anima ejus fragilis est sicut aranea, quæ adeo tabida est, ut leviter tacta cadat, nec etiam contra hominis flatum stare valeat. Unde sapiens David sedens in cathedra, qui octingentos interfecit impetu uno, ipse tamen *quasi tenerrimus ligni vermiculus* fuisse scribitur (*II Reg.* XXIII, 8), ideo scilicet, quia tu, Deus, propter iniquitatem, quam in Uriam et uxorem ejus commisit, *corripuisti hominem* illum, et *tabescere fecisti sicut araneam animam ejus*. Inde est quod sicut aranea in alto suspensa fila subtilia facit, in quibus faciendis viscera sua egerit, usque dum tota desiccatur : sic homo divina correptione tactus, et tabescens, quia quasi tabem visceribus araneæ consimilem suam horret conscientiam, egerit eam per confessionem et orationem, totusque in alto suspenditur, usque dum per veram pœnitentiam desiccatur et mortificetur. Sic discipulos suos Apostolus voluit mortificari, quibus ait : *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam et avaritiam* (*Coloss.* III, 5).

Verumtamen vane conturbatur omnis homo. Etsi omni exercitio pœnitentiæ se desiccet et evisceret atque mortificet, dum in imagine pertransit homo in regione dissimilitudinis, frustra conturbatur cupiens implere ventrem suæ avaritiæ de siliquis, porcorum cibariis ; frustra, inquam, conturbatur, quia unde saturari et impleri cupit, inde nunquam saturabitur congregans, et ignorans cui dimittat. Quia ergo tunc frustra et vane conturbatur in avaritia, quæ interdum non obtinet concupita, nec etiam servare valet acquisita, justo judicio agitur, ut propter iniquitatem correptus, et tabescens velut aranea interdum timeat etiam non timenda. Et sic vane conturbatur in incerto nondum exaudita oratione, qua supra dixit : *Notum fac mihi, Domine, finem meum*. Quantislibet enim polleat virtutibus, tamen quandiu nescit homo utrum odio an amore dignus sit, merito *conturbatur*, interdum *vane*, interdum non vane. Timens namque timenda non vane conturbatur. Timens vero non timenda, vane conturbatur. Vane conturbatus est Petrus, quando stupor eum circumdederat in captura piscium, ita ut diceret : *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum* (*Luc.* V, 3). Timuit non timenda, timuit Salvatoris præsentiam, cujus potius absentia timenda est peccatori, quia si te peccatorem consideras, ait sapiens quidam, oportet ut a te Dominum non repellas. Si velut aranea tabescis in amaritudine spiritus contriti, in amaritudine animæ tuæ, noli vane conturbari, ut timeas non timenda, ut timeas non arctioris vitæ vias aggredi, et velut in perturbatione consilium non habeas eos imitans, qui vane conturbantur, dum moriuntur, et non mortem, sed vitam timent. Si anima tua timore Domini tabefacta subtiles meditationes et operationes desursum ad similitudinem tunicæ Dominicæ desuper contextæ per totum contexit sicut aranea, quæ corpore tenus in alto, non in terra operatur, et egestione internorum viscerum extenuatur, noli conturbari per salvationis tuæ diffidentiam, sed habeto confidentiam, et dic animæ sic tabefactæ : *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?* (*Psal.* XLI, 12.) Multæ sunt hujusmodi consolationes animæ tabescentis : *Verumtamen vane conturbatur omnis homo* rationalis et sensatus, *vane* utique, sine causa videlicet interdum, quandiu nescit finem suum.

Diapsalma hic interponitur, quia de conquestione ac lamentatione habita super incertitudine finis transitur ac transilitur hic ad petitionem, qua petit Idithun, priusquam abeat, sibi notum fieri, etsi non finem suum, attamen refrigerium suum, ne ulterius vane conturbetur, sed ita de remissione peccatorum certificetur, priusquam abeat, ut securus de bona fine post multas anxietates refrigeratus finem suum cum gaudio exspectet. Ait ergo :

VERS. 13. *Exaudi orationem meam, Domine, et deprecationem meam*. Supra orans dixi : *Notum fac mihi, Domine, finem meum*. Cum hoc oravi, aliud pro alio accepi, quia pro notitia vel certitudine finis mei accepi notitiam de incerto esse meo, de fragilitate substantiæ meæ, quæ tanquam nihilum est ante te. Sic, sic eram erudiendus per scientiam minorem ad scientiam majorem : per notitiam mei ad notitiam tui, Deus, qui es finis meus. Et ideo non sine causa fui dilatus in prima mea petitione, quia desiderium crevit ex dilatione, quod excrescens, et in lacrymis liquescens iterum erumpit in orationem, cum dico : *Exaudi orationem meam, Domine, et deprecationem meam : — orationem*, qua in votis piis opto bonum finem ; *deprecationem*, qua malum finem devotare non cesso, quandiu illum timeo. Bonum finem oro, ut veniat ; malum de-

Digitized by Google

precor, ne veniat. Tu ergo, cui etiam tacens omnis voluntas loquitur, sive oret, sive deprecetur, *exaudi orationem meam et deprecationem meam.* Et quia lacrymæ quoque habent vocem suam coram te.

Auribus percipe lacrymas meas. Licet enim plura mala transilierim, tamen quandiu ignoro, an transilire valeam finem malum, flere magis quam ridere libet. Plorans ploro in nocte hujus ignorantiæ, in qua non valeo videre finem meum, et lacrymæ in maxillis meis potius quam in genis meis. Pulchræ namque sunt genæ meæ sicut turturis, quia, cum in genis notetur voluntas vel intentio, ita ut ex certo voluntatis indicio, quod in genis est, ipse locus genarum vultus dicatur; ex quo transilivi hujus mundi fœditates, voluntas et intentio mea pulchra est quasi turturis, castissimæ videlicet aviculæ, quia semel amputatas immunditias nunquam ulterius volo vel intendo reiterare, sed volo et intendo castus permanere, sobrie, et juste, ac pie vivendo in hoc sæculo. Et sic habeo, ut spero, pulchras genas, quanquam in maxillis meis adhuc inveniatur tanta edacitatis fœditas, ut jure propter hanc fundam lacrymas, quoties invenior modum necessitati debitum nimis excessisse usque ad vitium crapulæ, vel indigeriei, quæ, cum gravet omnem hominem in via Dei ambulantem, permaxime impedit me Idithun, ne saltu alacri valeam transilire in sanctam contemplationem alios ambulantes in actione bona. Inde aliquoties lacrymæ sunt in maxillis meis, quia ut sapienter comedam et bibam, non quantum cupiditas exigit, sed quantum necessitas rationabiliter exposuit, velle adjacet mihi, perficere autem non invenio.

Item : Sicut in principio psalmi dixi, licet posuerim custodiam ori meo, necdum tamen habeo adhuc moderamen verborum tam discretum, quin interdum dicam tacenda, taceam dicenda. Usque adeo indisciplinata est maxilla mea, ut inter edendum, seu loquendum indiscrete moveatur. Atque inde mihi est luctus multus, et assiduæ lacrymæ, quibus pulso aures tuas, clemens Deus. Tu ergo *auribus percipe lacrymas meas*, præcipue illas quæ sunt in maxillis meis, ita ut des mihi transilire culpas maxillæ indisciplinatæ. In camo et freno maxillas meas constringe ab edacitate et loquacitate, quæ duo vitia non approximabunt ad te. O si mihi sic oranti, tu piissime, respondeas verba bona et consolatoria! O si dicas animæ meæ : *Salus tua ego sum!* (*Psal.* XXXIV, 3.) Quia enim tuam consolationem desidero in exsilio vitæ præsentis, ita dico :

Ne sileas : quoniam advena ego sum apud te, et peregrinus. Fratres Joseph, licet in Ægypto advenæ fuerint, attamen non omnino fuerunt peregrini, ubi per fratris sui potentiam pariter, et clementiam tuti fuerunt, ipso dicente ad eos : *Nolite timere, ego pascam vos, et parvulos vestros* (*Gen.* L, 21). Adhuc autem illo silente, ac per interpretem durius loquente, vere peregrini et advenæ fuerant, quia, licet cogniti ab ipso, ipsum tamen non agnoscebant, quando magnam anxietatem ferentes, et majorem timentes mutuo loquebantur : *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, et non audivimus, idcirco venit super nos tribulatio* (*Gen.* XLII, 21). Isti fratres nescierunt finem rei, propterea erant anxiati, quandiu Joseph siluit, nec se, quis esset, aperuit. Tandem Joseph loquente ac dicente : *Ego sum Joseph, quem vendidistis in Ægyptum* (*Gen.* XLV, 4); priusquam verba consolatoria his dictis adjungeret, aliquantulum quidem consternati sunt, sed continuo exhilarati dicente illo : *Non sit vobis durum, quod vendidistis me in his regionibus, nolite timere. Vos cogitastis de me malum, et Deus vertit illud in bonum, sicut in præsentiarum cernitis* (*ibid.*, V; L, 20).

Sicut ergo illi fratres tacente Joseph tristes fuerunt, sed loquente ipso exhilarati sunt : sic et ego Idithun te, magne Joseph, qui dominaris in tota terra Ægypti, erga me tacente, jure contristor, et quia tuæ locutionis consolationem spero, dico tibi : *Ne sileas a me, quoniam advena ego sum apud te, et peregrinus* in hac terra Ægypti apud te verum Joseph. *Advena sum et peregrinus apud te* clementem, *apud te* bona pro malis rependentem, *apud te* injuriarum tuarum penitus immemorem, si videris hominem vere pœnitentem, suasque culpas absque dolo confitentem, sicut illi qui dixerunt : *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum.* (*Gen.* XLII, 21). Quæso te, *ne sileas, quoniam advena ego sum apud te, et peregrinus, sicut omnes patres mei.* Sicut illi patres, et patriarchæ in Ægypto peregrini et advenæ fuerunt, vel antequam cognoscerent Joseph, vel postquam mortuo Joseph surrexit novus rex in Ægypto, qui ignorabat Joseph.

Aliter : *Advena sum et peregrinus*, quoniam *quandiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino* (*II Cor.* V, 6), *sicut omnes patres mei*, quibus hic mundus erat exsilium, et cœlum patria. Vel *advena sum apud te*, non apud diabolum, quia nolo esse in consortio advenarum, qui veniunt ad diabolum, et manent cum illo, sed eorum qui ad te, Deus, veniunt, ac tecum permanere volunt. Hoc modo : *Advena sum apud te, et peregrinus sicut omnes patres mei*, qui in hoc mundo peregrini fuerunt, et ideo hinc abierunt, unde certum est quod et ego abibo; sed abire timeo, nisi prius mihi fiat plena et certa peccatorum remissio. Dico ergo :

VERS. 14. *Remitte mihi, ut refrigerer, priusquam abeam.* Plus ego in te peccavi quam fratres Joseph in eum. *Remitte* itaque *mihi*, ut *refrigerer*, sicut illi post remissionem et indulgentiam sunt refrigerati ab æstu cordium, et ab anxietatum suarum gravi sarcina relevati. *Remitte mihi* debita mea, sicut et ego dimitto debitoribus meis, quibus ego veram pœnitentiam, et largam ac celerem indulgentiam, nullam de his quærens vindictam, nisi forte illis necessariam et sic emendatoriam. Ut

Digitized by Google

emendari et salvari non possint, nisi per eam. *Remitte mihi, ut refrigerer* ablatis tentationibus, et datis mihi consolationibus copiosis, *priusquam abeam* de hac vita, *et amplius non ero.* Quidam de hac vita sic abierunt, ut iterum redirent, et in hac vita essent, sicut illi, quos resuscitatos legimus. At ego sic me cogito abiturum, ut non sim in hac vita, et ideo peto refrigerari, *priusquam abeam, et amplius non ero.* Si enim cum peccatis ab hac vita recessero, neque in hac vita ero amplius, neque in illo vero esse, quod est esse cum Deo. Ergo *remitte mihi, Deus meus, priusquam abeam, et amplius non ero.* Tale est, quod dicit, ac si latro sibi conscius, quod digna factis reciperet, si in carcerem truderetur amplius inde non exiturus, ante introitum carceris diceret Judici : *O Judex, remitte mihi, priusquam* in carcerem *abeam, et amplius non ero,* si illuc ibo, ubi non est bonum seu verum esse. Non tamen reus in carcerem iret, si debitum ei remitteretur. Sic et ego Idithun timens eum debito illuc abire, ubi *amplius non ero,* si illuc non refrigeratus venero priusquam abeam, vel obeam, peto mihi dari veniam plenam et certam, sciens pro certo quod si accepta indulgentia refrigeratus abibo, illuc ibo ubi amplius in æternum ero in vero et beato esse, unde ulterius nusquam transiliendum erit, quia ibi numerus dierum, qui est, non transibit, sed stabilis in æternum permanebit, notusque homini beato suus finis erit, ultra quem transilire, vel aliud quid petere non libebit eum, qui felici saltu illuc transilierit, ubi omnis consummationis finis erit ipse, qui dicit : *Ego sum* α et ω (*Apoc.* XXII, 13).

Gloria Patri, qui sic ad imaginem sui creavit hominem, ut in imagine pertranseat, nec eam ullo modo amittat. *Gloria Filio,* qui finis est hominis in imagine sic pertranseuntis, ut imagini divinæ in se divinam quoque coaptet similitudinem per æternæ sapientiæ conformitatem et bonitatis divinæ claritatem. *Gloria Spiritui sancto,* cujus opus est illa remissio, et refrigeratio, quæ optatur in psalmo, ubi dicitur Deo : *Remitte mihi, ut refrigerer, priusquam abeam.* Sit Trinitati gloria regnanti super omnia, cujus fides per opera in nobis sit clarissima. Amen.

PSALMUS XXXIX.

Exspectans exspectavi Dominum, etc. Sexta jam periocha in hoc psalmo formosum caput habet. Hic enim Propheta ad fidei nostræ principium, id est ad passionem Christi, redit, quod maxime versiculus iste innuit : *Sacrificium et oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam : Deus meus volui. Noluisti,* ait, *sacrificium et oblationem,* quæ in lege præcipiebatur offerri : *aures autem perfecisti mihi,* id est, intellectum dedisti mihi, ut solus perfecte intelligerem, cur illa nolles, quodque magis velles, *tunc dixi : Ecce venio.* Ecce incarnatus viam obedientiæ ingredior paratus, *ut faciam voluntatem tuam,* sicut *in capite libri scriptum est,* id est sicut in sapientia tua, mihi personaliter unita, dispositum est ab æterno tunc præordinante consilium antiquum, quod in fine sæculorum, sexta videlicet ætate mundi, quæ finis est et consummatio temporum, esset complendum. Finis iste notatur in titulo, qui talis est :

(VERS. 1.) IN FINEM PSALMUS DAVID

Quamvis enim per *in finem* intentio psallentis dirigatur semper ad Christum, tamen diversis modis loquendo nunc agit de passione, nunc de resurrectione Christi, nunc de Novo Testamento per Christum dato, nunc de fide catholica per ipsum inspirata. Hic autem per *in finem* plenitudo temporis, quo Novum Testamentum datum est, notatur, in quod Vetus esse mutatum demonstratur, hac intentione, ut dimissis superstitionibus idolorum, et veteris legis, quæ nihil ad perfectum adduxit, amemus Testamentum Novum, Testamentum consummans.

Loquitur autem totus Christus primo ostendens Ecclesiam exspectasse et accepisse Deum, et Novum Testamentum ab eo. Secundo enumerat mirabilia facta per Deum, ibi : *Annuntiavi.* Et quoniam difficile erat Judæos a consuetis cæremoniis, et gentiles ab idololatria revocare ad Novi Testamenti confirmationem, utitur Propheta auctoritate Patrum, qui illud prædixerunt, sicut Abraham et alii. Utitur etiam testimonio Christi, et universalis Ecclesiæ, quod asserit esse impletum. Ait ergo Christus in persona membrorum :

VERS. 2. *Exspectans exspectavi,* id est assidue exspectavi in promissionibus prophetarum non legem, non hominem, qui potest fallere et falli, qui etiam indiget medico, sed *Dominum,* qui, quamvis differat, tamen salvat. Unde bene sequitur : *Et* Dominus non avertit se, sed benevolus *intendit,* non me, sed *mihi.* Non me, ut perdat, propter quod vultus ejus est super facientes mala, sed *mihi* ut prosit.

VERS. 3. *Et* qui abscondit se a prophetis *exaudivit preces meas,* ut in Novo Testamento mihi fulgeat, quod multi prophetæ videre voluerunt, et non viderunt. *Et eduxit me de lacu miseriæ,* id est de inferno, *et de profundo* concupiscentiarum carnalium ; *et de luto fœcis,* id est de malis operibus, quæ pedes inquinant et fœtent et mergunt in hoc lacu, et retinent, et sunt vilia ut fæx ad comparationem

Digitized by Google

vini. In hoc lacu et luto sunt colentes idola, ut pagani, vel amantes terrena, ut Judæi.

Beatus papa Gregorius Ezechielem (92) pertractans locum istum dicit : *Quicunque adhuc ex superbia gestimus, jam de æternitatis timore aliquid videntes, dignum est ut per pœnitentiam cadamus. Et cum infirmitatem nostram subtiliter cognoscentes humiliter jacemus, per divini verbi consolationem surgere ad fortiora opera debemus. Et cum jam in bonorum operum soliditate persistimus, necesse est ut unde nosmetipsos corrigimus, inde jam prædicantes et alios revocemus. Nam jacenti non præcipitur ut ad prædicationem pergat, ne infirmus quisque hoc quod verbo ædificare potest, opere destruat. Recte ergo Propheta, postquam se de luto fœcis eductum asseruit, statutosque pedes suos supra petram conspexit, immissum in os suum canticum novum asseruit. Prius enim de luto pravitatis educitur, ut ejus pedes in petra solidentur, et postquam boni operis pedes et gressus jam in petra fixerit, tunc prædicationis canticum accipit, ut hymnum Deo dicere possit et operibus et vocibus. Sic Saulus, dum superbus Damascum pergeret, Redemptoris voce prostratus jacuit, et qui prædicator futurus erat, non tamen mox ut prædicaret, quod viderat, audivit, sed ei jacenti dicitur :* Ingredere civitatem, et dicetur tibi, quid te oporteat (*Act.* IX, 7) *facere. Jacens ergo hoc solum audire potuit, ut surgens disceret; surgens vero hoc didicit, ut quæ dedicerat prædicaret.*

Aliter : *Ego Abraham exspectans exspectavi Dominum*, qui mihi promisit quod in semine meo benedicèndæ forent omnes tribus terræ, *et* ipse Dominus *intendit mihi et exaudivit preces meas, et eduxit me de lacu miseriæ*, quoniam eductum de Ur Chaldæorum fecit me divitem non solum in possessionibus, verum, quod majus est, in benedictionibus, quas per meum semen dilatavit, quod quasi *petram* solidam in fundamento Ecclesiæ conspexi, quando exsultavi, ut viderem diem ejus, vidi, et gavisus sum gratias agens ei qui *statuit supra petram pedes meos*, fidem scilicet ac spem meam consolidans in Christo : *et direxit gressus meos*, non solum dum ego peregrinarer in Geraris vel in Ægypto propter famis nimietatem, sed multo magnificentius *direxit gressus meos*, id est seminis in Ægypto peregrinantis, et inde ad terram promissionis ducatu Moysi et Aaron revertentis. Tunc revera

VERS. 4. *Immisit in os meum*, id est in [os] gentis meæ, *canticum novum, carmen Deo nostro*, Moyse præcinente ac dicente : *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est* (*Exod.* XV, 1). Item : *Audite, cœli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei* (*Deut.* XXXII, 1). Similiter meo semine terram mihi promissam possidente, atque in ea promissam benedictionem exspectante, qua in semine meo erant omnes gentes benedicendæ, non semel *immisit in os meum*, id est cognatorum meorum, *canticum novum carmen Deo nostro*. Hinc eadem ipsa *cantica* sunt, quæ in psalterio decachordo deprompta sunt. Hinc etiam *Cantica canticorum* et alia *cantica* legalia, quæ ob hoc dicuntur *vetera*, quia per occasionem terrenorum beneficiorum sunt cantata, licet spiritalium beneficiorum fuerint significantia. Verbi gratia, cum dicitur in hujusmodi canticis : *Currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare* (*Exod.* XV, 4). Quoniam *sterilis peperit plurimos, et quæ multos habebat filios, infirmata est* (*I Reg.* II, 5), per terrena quidem beneficia significantur cœlestia, sed quia populus veteris testamenti non intellexit nisi terrena, *cantica* illa recte dicuntur eis fuisse *vetera*, quibus non illuxit novi testamenti gratia.

Porro *cantica* evangelica omnino sunt *nova*, ut canticum virginis Dei genitricis Mariæ, canticumque Zachariæ, atque Simeonis canticum, qui *exspectans exspectavit Dominum, et intendit* ei, et exaudivit eum de luto fæcis et de lacu miseriæ, statuitque supra petram pedes ejus, et immisit in os ejus canticum novum, quod est hujus modi : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace; quia viderunt oculi mei salutare tuum* (*Luc.* II, 29, 30). Dicat nunc non solus ille Simeon justus et timoratus exspectans consolationem Israel, sed omnis homo justus et timoratus, exspectans et ipse consolationem Israel, dicat, inquam : *Exspectans exspectavi Dominum, et intendit mihi, et exaudivit preces meas.* Dicat hoc toties quoties intelligit exauditum se in aliqua consolatione Israel, ut nunc in anno Dominicæ incarnationis 1148 magna provenit consolatio Israel. Fuerat in annis præteritis magna desolatio in eo quod persæpe reges et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus ; nunc autem reges et principes conveniunt in unum ad faciendam vindictam in nationibus Ecclesiam Dei vastantibus et civitatem Jerusalem, in qua sepulcrum Domini est, impugnantibus. En lectulum veri Salomonis multi fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi, lectulum, scilicet sepulcrum Domini defendere, ac munire parati! Uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos ; quia Christiano exercitui lex continentiæ indicitur, ut sint castra Dei munda et bene ordinata. Inde mihi cuilibet fideli et catholico jucunda est in hoc psalmo præteritorum temporum commemoratio, et cum præsentibus eorum collatio. Nam ego Ecclesia in Abraham, ut dictum est, *exspectans exspectavi Dominum, et intendit mihi, et exaudivit preces meas.* Ego in multis prophetis et justis, qui voluerunt videre consolationem Israel, *exspectans exspectavi Dominum, et intendit mihi*, mittens tandem quem missurus erat ad consolationem Israel.

Ego item in sanctis novi testamenti post ascensionem Christi, *exspectans exspectavi Dominum*, pro-

(92) Lib. I homil. 9.

Digitized by Google

missum videlicet Paracletum, *et intendit mihi*, quia subito inter exspectandum *factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes* (*Act.* II, 2), et exspectantes Paracletum septiformem, fortissimum tutorem contra septem draconis capita, septem videlicet mundi hujus principalia regna in regno Romanorum conglobata. Ibi regnum Ægyptiorum, quod Augustus, victo Antonio et Cleopatra, subjugavit; ibi regnum Judæorum, quod per Machabæos fuit Romanis confœderatum, et tandem sub eis in tetrarchias comminutum. Ibi Chaldæorum sive Assyriorum, ibi Medorum sive Persarum, ibi Macedonum sive Græcorum fortitudo imperialis tota convenit, ubique terrarum tunc imperantibus et dominantibus Romanis. Ex his regibus nascente primitiva Ecclesia quinque ceciderant, videlicet rex Ægyptius, rex Israeliticus, rex Assyrius vel Chaldaicus, rex Persicus vel Medus, rex Græcus. Jam sextus erat ipse imperator Romanus, qui per bestiam quartam in Danielis visione significatus est, quoniam a regno Chaldæorum, sub quo visio illa fuit, post regnum Persicum et Græcum quartum tenet locum ipsum Romanum imperium, recte assimilatum bestiæ terribili et forti, quia terribiliter et fortiter Ecclesiam Dei pressit primitus in torculari passionis Dominicæ, in quo pressus est ille botrus, quem in vecte crucis per fidem duorum populorum ad nos deportatum cognoscimus, deinde in passionibus martyrum, quibus a Nerone usque ad Maximianum et Diocletianum decies repetitis quasi per decem cornua bestia illa fuit terribilis.

Tunc imminentibus pressuris nimiis, ego Ecclesia *exspectans exspectavi Dominum, et intendit mihi, et exaudivit preces meas, et immisit in os meum canticum novum*, dans mihi spiritum sapientiæ contra philosophos mundi resistentes Christianæ simplicitati, spiritum intellectus vivificantem contra Judæos legem carnaliter tenentes et litteræ occidenti nimis inhærentes, spiritum consilii contra Pharisæos, qui consilium Dei spreverunt non recipientes baptismum vel Joannis vel Christi, quorum alterum gratiæ præcursorium, alterum vero gratia et veritate plenum ego Ecclesia per spiritum consilii monita recepi, et jam cessante præcursionis officio solum Christi baptismum teneo. Datus est etiam spiritus fortitudinis, quo confirmante multimoda tyrannorum tormenta sperni ac superari possent, quibus illa bestia secundum Danielem quarto loco, et secundum Joannem sexto loco posita Ecclesiam Dei vexavit. *Septem*, ait Joannes, *montes septem reges sunt; quinque ceciderunt, et unus est, alius nondum venit* (*Apoc.* XVII, 9, 10), quia tempore Joannis regna quinque, videlicet Ægyptiacum, quod populum Dei afflixerat; Israeliticum a domo David scissum, et regno Dei adversarium; Chaldaicum, quod populum Dei captivaverat; Persicum sive Medicum, quod in Aman hoste Judæorum fuit infestum populo Dei; Græcum, quod Antiocho Epiphane Machabæos aliosque bonos Judæos vexaverat. Ista quinque regna tempore Joannis ceciderant, et sextum, Romanorum, tunc stabat. Septimum, quod est Antichristi, nondum venerat, quamvis jam tunc antichristi multi fuerunt. Hujus præcones erant hæretici, quibus in Ecclesia grassantibus, et errorum suorum nebulas diffundentibus, ego Ecclesia catholica *exspectans exspectavi Dominum, et intendit mihi, et exaudivit preces meas, et eduxit me de lacu miseriæ et de luto fœcis, et statuit super petram pedes meos, et direxit gressus meos*, dans mihi spiritum scientiæ, quo contra errores et falsitates hæreticorum triumphante, *immisit in os meum canticum novum*, quia tunc in Nicæna synodo cœpi cantare: *Credo in unum Deum*, et Athanasio docente cœpi frequentare canticum novum: *Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est ut teneat catholicam fidem*, etc.

Post hæc invalescente multimoda impietate, ac multiplicatis in Ecclesia vel mundo fornicatoribus, raptoribus, homicidis, perjuris, incendiariis, latrocinantibus, non solum in sæculo, sed etiam in domo Dei, quam fecerunt speluncam latronum, item ego Ecclesia *exspectans exspectavi Dominum, et intendit mihi, et exaudivit preces meas*, quia ecce, dum hæc scribimus contra nequitias et impietates, manifestum spiritus pietatis opus in Ecclesia Dei videmus, quod et supra tetigimus, et si Dominus voluerit, alias plenius exsequi Domino annuente parati sumus, cum tantæ commotionis finem viderimus, cujus nunc initium videmus multis millibus ultro currentibus in expeditionem contra paganos, Dominico sepulcro inimicos. Certatim curritur ad bellum sanctum cum jubilantibus tubis argenteis papa Eugenio II et ejus nuntiis, quorum præcipuus est Bernardus, abbas Clarævallensis, quorum prædicationibus contonantibus, et miraculis nonnullis pariter coruscantibus, terræmotus factus est magnus. Multa millia Teutonicorum cum rege suo, multa millia Francigenarum cum rege suo in frontibus suis et galeis, in scutis et vexillis præferunt signum victoriosissimæ crucis. Præter hos turbæ magnæ, quas dinumerare nemo potest, ex diversis tribubus et linguis, et populis currunt in procinctum rapto signo, et vexillo Dominicæ crucis. Neve sit infructuosum quod agunt, exemplo Zachæi multi ex eis primitus ablata seu fraudata restituunt, et quod majus est, exemplo Christi suis inimicis osculum pacis offerunt, injurias ignoscunt, et ultro ad prælium vadunt, ubi cupiunt aut immolari pro Christo quasi victimæ, aut non sibi, sed Christo vivere, dicente unoquoque apud se: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* (*Philipp.* I, 21). Nonne illi est mori lucrum, qui moriendo lucratur Christum? Nonne illi est Christus vivere, qui destinavit non sibi sed Christo vivere? Et quidem non dubitamus in tanta multitudine quosdam vere ac sincere Christo militare, quosdam vero per occasiones varias, quas dijudicare non est nostrum sed ipsius

Digitized by Google

qui solus novit corda hominum sive recte, sive non recte militantium. Hoc tamen constanter affirmamus quod multi ad hanc militiam vocati, pauci vero electi sunt.

Ita quondam in exitu Israel de Ægypto paucis Deo fidem servantibus multi eum irritaverunt, quorum corpora in deserto prostrata sunt. Gedeone quoque duce filiorum Israel cum multitudine magna procedente ad bellum contra Madianitas, pauci cum eo remanserunt, soli trecenti videlicet, multis retro abeuntibus. Beati qui sic Deo militant, ut ipsum suæ militiæ præmium requirant. Beati qui vivunt non sibi, sed Domino. Multo magis vero *beati, qui moriuntur in Domino* (*Apoc*, XIV, 13). Pretiosa in conspectu Domini pugna militum ejus, et multo magis *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Psal.* CXV, 15). Quis enim dubitet in numero sanctorum computandos, qui et pugnantes ac triumphantes lucrantur Christo, et morientes lucrantur Christum? Qui securi hostes Ecclesiæ interimunt, securiores ab illis intereunt, qui non faciunt animam suam pretiosiorem quam se, dummodo consumment cursum suæ militiæ, habituri secum in prælio verum Josue. Porro sacerdos Aaron cum tota tribu Levitica sociatus est vero Moysi oranti sursum, ubi pro nobis interpellat: et est grande spectaculum videre hinc milites in campo pugnantes duce Josue, hinc vero beatum Augustinum quasi alterum Aaron stipatum Levitis, et sanctum Benedictum quasi Hûr stipatum religiosis monachis orantes et agonizantes in monte alto, videlicet proposito, quod verus Moyses in capite Novi Testamenti posuit, quando suis discipulis a turba semotis non in loco campestri, sed in monte beatitudines capessendas proposuit dicens: *Beati pauperes spiritu*, etc. (*Matth.* V, 3.) Hæc sunt pia de Spiritu pietatis provenientia spectacula, cujus operationi et hoc assignamus, quod in diebus istis magna est libertas canonicis electionibus episcoporum, abbatum, præpositorum, et aliarum ecclesiasticarum personarum provehendarum in dignitatibus, quas per multos annos pene a tempore Ottonis primi imperatoris usque ad imperatorem Henricum IV vendere solebant ipsi reges, vel imperatores regnante ubique Simonia, dum per Simoniacos episcopos in cathedra pestilentiæ positos mortifera illa pestis dilatata est usque ad infimos plebanos, et capellanos, per quos valde multiplicatos Ecclesia pene tota fœdabatur usque ad Gregorium papam septimum, qui se opposuit murum pro domo Israel, reparando in Ecclesia canonicas electiones juxta pristinas canonum sanctiones. Sic ordinatis in Ecclesia episcopis et reliquis prælatis per canonicam electionem sancta universitas populi Christiani adjuvatur per eorum rectas prædicationes, et pias orationes.

Hinc post longam Simoniæ hiemem vernali suavitate spirante reflorescit vinea Dominica, constituuntur cœnobia et xenodochia, et nova crebrescunt laudum cantica, ita ut videamus, et gaudeamus impleri quod dicitur: *Jubilate Domino omnis terra, servite Domino in lætitia* (*Psal.* XCIX, 1). Nam et in cœnobiis canticum novum celebratur, cum a tempore prædicti papæ septimi Gregorii cursus beatæ Mariæ frequentatur, ut Dei servitio duplicato quasi duplum manna jam proximante sabbato magno, et ultimo festivitatis die fidelibus abundet. Atque in ore Christo militantium laicorum laus Dei crebrescit, quia non est in toto regno Christiano, qui turpes cantilenas cantare in publico audeat, sed ut diximus, tota terra jubilat in Christi laudibus etiam per cantilenas linguæ vulgaris, maxime in Teutonicis, quorum lingua magis apta est concinnis canticis. Inter hæc etiam hoc auget miraculum, et sanctam spectaculum, quod sanctæ mulieres in cœnobiis Deo vacantes, per continua orationum et supplicationum studia parant aromata cum Maria Magdalena, et mulieres conjugatæ, quarum filii vel mariti vadunt ad bella contra paganos agenda. Sic plorant cum Rachele, ut nolint consolari, quia non sunt earum filii, vel mariti a tali militia revocandi, ac proinde ipsa Rachelis vox plorantis auditur in Rama, id est in excelsis.

Anno præterito, ab incarnatione Domini millesimo centesimo quadragesimo septimo, ploratus et ululatus multus auditus est in terra nostra, paganis cum Boemis et Ungaris tyrannizantibus et Christianos captivantibus, ac mulieres eorum crudeliter pariter ac turpiter vexantibus. Item anno Dominicæ incarnationis millesimo centesimo quadragesimo quinto a paganis capta civitate Edissa, quæ altero nomine Roas dicitur, ploratus et ululatus multus auditus est et exauditus in excelsis. Unde permotus papa Eugenius misit litteras Christianis principibus ac militibus, ut convenirent ad faciendam vindictam in nationibus. Et ideo raptim convolatur ad arma, quia promittitur militantibus et pœnitentibus indulgentia peccatorum a sede apostolica, permaxime his qui morientur in tam sancto prælio, reddentes vicem Salvatori suo, qui pro eis mortuus est.

Igitur fidelis Psalmista, qui *exspectans exspectavit Dominum*, pietatis opera mirifica facturum in ordine septem spirituum, quorum jam quinque, ut prælibatum est, operati sunt, sicut evidenter apparet in opere sapientiæ contra philosophos, in opere intellectus contra Judæos, in opere consilii contra Pharisæos, in opere fortitudinis contra tyrannorum violentiam, in opere scientiæ contra hæreticorum fraudulentiam, recte nunc in operibus piis per spiritum pietatis provenientibus, psallens dicere potest: *Exspectans exspectavi Dominum, et intendit mihi, et exaudivit preces meas, et eduxit me de lacu miseriæ et de luto fœcis, et statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos, et immisit in os meum canticum novum carmen Deo nostro. Statuit supra petram pedes meos*, ut Christum, qui est petra, sperarem suæ pietatis opera evidenter facturum post

Digitized by Google

evidentia opera quinque spirituum, priusquam veniat judicium, quod in spiritu timoris est peragendum : et ideo *direxit gressus meos*, quoniam ascendenti mihi per scalam septem graduum, septem videlicet spirituum post opus fortitudinis, quod in martyribus, et opus scientiæ, quod in confessoribus enituit, opus pietatis *exspectans exspectavi*, et in hac exspectatione Dominus *immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro*. Cursum sanctæ Mariæ, in quo *carmen Deo nostro*, frequentatur, pietatem atque clementiam ipsius provocans, cum dicitur assidue :

Rex Christe clementissime,
Tu corda nostra posside,
Ut tibi laudes debitas
Reddamus omni tempore.

Quod idem est ac si dicatur : O Rex gloriæ, qui fortissime sanctos martyres, et scientissime beatos confessores gubernasti, tu nunc piissime atque clementissime, dispone regimen Ecclesiæ regnans in ea per evidentissima tuæ pietatis opera, ut tibi laudes debitas reddamus omni tempore, sicut laudes debitas reddiderunt apostoli et evangelistæ per spiritum sapientiæ, intellectus et consilii triumphantes in tempore suo : et sicut martyres per spiritum fortitudinis, beatique confessores per spiritum scientiæ suis temporibus victoriose agentes reddiderunt congruas laudes, ita nos, gubernante clementia pietatis summæ, reddamus laudes debitas omni tempore.

Dicat quisque nostrum in experientia operum de divina pietate procedentium : *Exspectans exspectavi Dominum, et intendit mihi, et exaudivit preces meas*, quod in effectu apparet, quoniam primo *eduxit me de lacu miseriæ et de luto fœcis*, liberans a malis, deinde firmando in bonis, et consolidando in præceptis atque consiliis Christi, *statuit supra petram pedes meos*, id est sensus meos, qui prius erant cum diabolo, et in luto vacillantes in lubrico, *statuit supra petram* solidam (petra enim est Christus), *et direxit gressus meos*, id est opera, ut ea quæ retro sunt obliviscens, in ea quæ ante sunt extentus sequar ad palmam supernæ vocationis, manuque missa in aratrum, non respiciam retro, ut uxor Loth. Post hæc duo beneficia ordine competenti addidit tertium, quia *immisit in os meum canticum novum, carmen* sive hymnum *Deo nostro*. Judæus et quilibet sæcularis terrenorum appetitor canticum vetus non tam cantat, quam rauco gutture mussitet, unde et dicitur ad illum in Isaia : *Et erit quasi Pythonis vox tua, et de humo eloquium tuum mussitabit* (*Isa.* XXIX, 4). Quasi enim de humo eloquium illius mussitat, qui de terra est, et de terra loquitur, solaque terrena concupiscit in his quæ loquitur et agit, vel in ecclesiasticis vel etiam in sæcularibus negotiis. Dominus vero *immisit in os meum canticum novum*, quia in omnibus quæ loquor et ago veterem hominem cum actibus suis deponere, ac novum induere cupio, ac proinde omnia turpia et theatralia cantica quasi pannos putridos abjicio, et nova laudum cantatione me ornare intendo, non vetera canens cum Judæis terrena quærentibus, vel cum gentilibus idola colentibus, sed jucundum Novi Testamenti canticum cantabo *Deo nostro*, Deo videlicet nostram naturam induto, nostras culpas per mysterium suæ passionis expianti, et nos a vetustate in novitatem vitæ transformanti, cum Deus Pater holocaustum et pro peccato non postularet, sed novum solummodo sacrificium expeteret. Tunc dixit Deo Patri Deus Filius : *Ecce venio. Videbunt multi* venisse illum, qui dixerat : *Ecce venio. Videbunt* venisse in suæ præsentiæ manifesta exhibitione, qui in æterna prædestinatione dixit : *Ecce venio*. Viderunt Judæi, et inviderunt, viderunt, et oderunt et ipsum et Patrem ejus, mortuumque est granum per odium ipsorum, quod multiplicatum est in fide multorum populorum ex omni tribu et lingua credentium in ipsum. Viderunt Pharisæi, et oderunt, sed *videbunt multi* ex gentibus conversi, *et timebunt. Videbunt* annuntiatum venisse, *multi* præcedentium imitatores, *et timebunt*, audita prædicatione illius, quia se peccatores intelligent, et judicium futurum expavescent, propter quod latam viam iniquitatis dimittent, et per angustam ire contendent, quæ ducit ad vitam, quam diligentissime requirent, et tamen *sperabunt in Domino* potius quam in suis operibus, aut in suæ virtutis fiducia. *Sperabunt in Domino*, non sine fructu magno. Nam

Vers. 5. *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus. — Beatus vir*, a virtute denominatus, *cujus spes est nomen Domini. Nomen Domini* est in præsenti loco Dominus, quo nomine innuitur quod ipse dominatur in omnibus et super omnia. Unde in solo illo habenda est fiducia, et spes firma, quia ipse veraciter dicit in cantico Moysi : *Ego percutiam, et ego sanabo, et non est qui de manu mea potest eripere* (*Deut.* XXXII, 39). Percutiam dando cor pœnitens, et sanabo dando indulgentiam peccatorum. *Beatus* ergo *vir, cujus est* firma *spes nomen Domini* dominatoris omnium. Et ideo illi adhærens nullum timet adversarium, quia nullus prævalere potest contra ipsum; et ideo, *qui confidunt in Domino, sicut mons Sion non commovebitur in æternum* (*Psal.* CXXIV, 1), sic et ipsi non commovebuntur in æternum.

Cum dicitur : *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, ejus* est in littera superfluum, quia sufficeret dixisse : *Beatus vir cujus est nomen Domini spes*. Hoc frequenter contingit in translationibus ab Hebraica veritate aliquantulum discrepantibus, ut aliquid superfluum positum, vel necessarium prætermissum inveniatur, sicut est hic. Nam in Hebraica veritate sic legitur : *Beatus vir qui posuit Deum confidentiam suam, et non est aversus ad superbias, pompasque mendacii*. Attamen sic legi potest, ut *ejus* non sit superfluum hoc modo : *Beatus vir, cujus est spes nomen Domini ejus*, quia, cum

Digitized by Google

sit ipse Domini sui specialis famulus, ille qui est communiter omnium Dominus, est specialis Dominus *ejus* qui et in Prophæta dicit ei : *Servus meus es tu, Israel, quia in te glorificabor* (*Isa.* XLIV, 21) ; item : *Noli timere, serve meus Jacob* (*ibid.*, 2). Item *Magnum tibi est vocari servum meum. Beatus* ergo *vir*, qui est ita fidelis et specialis Domini omnium servus, ut sit ipse illi specialis Dominus, et tunc recte Dominus *ejus*, vel nomen Domini *ejus* est fiducia et spes *ejus*.

Aliter : *Nomen Domini* Salvator est, et ideo : *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus*, qui non aliquid temporale sperat a Domino, sed ipsum tantummodo sperat sibi dominaturum, seque salvaturum juxta nomen suum, quo dicitur *Salvator* omnium hominum, et maxime fidelium. Unde ab illo solo sperat salutem, imo ipsum sibi sperat fore salutem qui dicit : *Salus populi ego sum* (*Psal.* XXIV, 3). Ita vero Dominus et Salvator est firma spes ejus in futurum, si postquam per pœnitentiam eductus est de lacu miseriæ et de luto fæcis, atque per bonam conversationem statutus a Domino super se petram, carmen laudis vel prædicationis in os accepit, ad relictas pravitates pedes directos non reflexit, et non respexit in vanitates, id est in terrena, quæ omnia vana sunt, ut ait Ecclesiastes : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas* (*Eccle.* I, 1).

Non respexit etiam *in insanias falsas*, id est ludicras, vel theatrales ac scenicas, in quorum spectaculis est quidem insania vera, sed ob hoc recte dicitur *falsa*, quod, dum aut similantur nuptiæ, amatoriæque næniæ, ut in comœdiis, aut amaræ historiæ, ut in tragœdiis, personæ larvatæ, quæ illic introducuntur, non hoc sunt quod dicuntur : verbi gratia, qui dicitur illic Davus aut Parmeno, non est quod dicitur, neque Thais meretrix illic, aut miles Thraso vere nominantur, sed omnia in falsitate aguntur, imo simulantur. Porro illæ sunt omnino veræ insaniæ, ubi turpia vel crudelia serio aguntur, nec personæ falsæ introducuntur, sed veraciter illic insaniæ perpetrantur dominante, imo insaniente ira in rixis ac pugnis, et lasciviente prava libidine in actibus fœdis et immundis. Cum ergo sit nocivum falsas quoque insanias histrionum respicere, quanto magis perniciosum est veras, aut in se, ac per se Christianum perficere, aut in aliis *respicere*, id est amare? Ponitur enim *respicere* pro amare, quia quod amatur, hoc frequenter et libenter aspicitur. Unde jure *beatus* prædicatur qui, eductus de lacu miseriæ stansque supra petram, et carmen Deo canens, minime *respexit* vel dilexit *insanias falsas*, quas qui odit, illum constat magis odisse veras. Ut autem consueti in spectaculis non priventur spectaculis, imo vera et salubria spectacula, si volunt, habeant pro vanis et nocivis,

VERS. 6. *Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua.* O *Domine Deus meus*, tu *fecisti mirabilia* A non pauca, *sed multa* in corporalibus et spiritualibus. Qui delectatus in spectaculis miratur insignes hominum fabricas et aurigas et funambulos, miretur potius cœli ac terræ mirabilem fabricam. Qui miratur aurigam, equos in camo et freno regentem, potius miretur hominem continentem, sibique insitæ libidinis varios et erroneos impetus bene regentem, et cohibentem ad castitatis angustum limitem. Qui miratur funambulum, potius miretur Petrum mariambulum in signo, et nos una cum ipso in re calcantes *hoc mare magnum*, totum videlicet sæculi hujus fluxum procellosum, in quo sunt *reptibilia, quorum non est numerus* (*Psal.* CIII, 25).

In eo enim sunt ista salubria illis vanis miralioria spectacula, quod illa studiose didicit homo ab B homine : *Tu* autem, *Domine Deus meus*, qui facis *mirabilia* magna solus, nullum habes in hoc doctorem, sed in consiliis ab æterno dispositis, *et cogitationibus tuis* fecisti illa *mirabilia multa*, de quibus cognoscitur quod *non est qui similis sit tibi* etiam *in cogitationibus*, nedum in operationibus. Beatus papa Gregorius (93) in expositione Job libro sexto dicit : *Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua. Quis omnipotentis Dei mirabilia perscrutari sufficiat, quod cuncta ex nihilo creavit, quod ipsa mundi fabrica mira potentiæ virtute disposita est, et super aera cœlum suspenditur, et super abyssum* terra libratur : *quod ex rebus invisibilibus omnis hæc universitas visibilium existit, quod hominem fe-* C *cit, ut ita dixerim, in breve colligens mundum alterum, sed rationalem : quod hunc ex anima et carne constituens, investigabili virtutis dispositione permiscuit spiritum et lutum. Ex his itaque aliud novimus, et aliud sumus, sed tamen mirari negligimus, quia ea quæ comprehensibili indagatione mira sunt, humanis oculis usu viluerunt. Unde fit, ut si mortuus homo suscitetur, in admiratione omnes exsiliant. Et quotidie homo, qui non erat, nascitur, et nemo miretur, cum procul dubio omnibus constet quia plus sit creasse quod non erat quam reparare quod erat. Quia arida Aaron virga floruit cuncti mirati sunt : Quotidie in arescente terra producitur arbor, virtusque pulveris in lignum vertitur, et nemo miratur. Quia quinque sunt panibus quinque millia hominum* D *satiata, crevisse escas in dentibus cuncti mirati sunt : quotidie sparsa grana seminum plenitudine multiplicantur spicarum, et nemo miratur. Aquam simul vino permutatam videntes cuncti mirati sunt : quotidie humor terræ in radicem vitis attractus per botrum in vinum vertitur, et nemo miratur. Mira itaque sunt omnia, quæ mirari negligunt homines, quia ad considerandum, ut prædiximus, usu torpescunt.*

Item in libro vicesimo quinto (94) : *Annuntiavi, et locutus sum, multiplicati sunt super numerum. Vocante Domino super numerum multiplicantur fideles, quia etiam hi ad fidem veniunt, qui ad electorum numerum non pertingunt. Hinc enim fidelibus per*

(93) S. Greg. Mag., lib. VI Moral., cap. 15.

(94) Cap. 8.

Digitized by Google

confessionem admisti sunt, sed propter vitam reprobam illic numerari in sorte fidelium non merentur. Prophcta itaque intuens tantos hoc Ecclesiæ tempore specie tenus credere, quantos nimirum certum est electorum numerum summamque transire ait : Multiplicati sunt super numerum, *ac si diceret : Multis Ecclesiam intrantibus, etiam ad fidem specie tenus veniunt, qui nimirum a regno cœlesti excluduntur, quia electorum summam sua videlicet multiplicitate transcendunt.*

Possumus etiam ad statum temporis hujus aptare quod dicitur : *Videbunt multi, et timebunt, et sperabunt in Domino.* Videbunt *multi mirabilia*, quæ facta sunt retroactis temporibus, et quæ modo fiunt. *Videbunt* septiformem sancti Spiritus operationem pene totam expletam usque ad ultimam factorum ventilationem. Nam, ut supra taxatum est, per spiritum sapientiæ hujus mundi philosophi confutati, per spiritum intellectus carnales cæremoniarum ritus in spiritales commutati, per spiritum consilii Pharisæi consilium Dei spernentes repudiati et gentes assumptæ sunt; per spiritum fortitudinis tyranni a martyribus triumphati, per spiritum scientiæ arioli et hæretici a confessoribus præfocati sunt. Et nunc ecce in diebus nostris, uti superius monstratum est, manifeste spiritus pietatis operatur, post quem solus spiritus timoris exspectatur operaturus terribile pariter ac desiderabile opus examinationis ultimæ, terribile impiis, desiderabile piis, imo etiam sanctis terribile simul ac desiderabile. Nam *virtutes cœlorum movebuntur* (*Luc.* XXI, 26) timore pariter ac amore. Timore, quia videbunt pœnas malorum; amore, quia videbunt præmia beatorum. Talia considerantes, et novissimum tempus instare arbitrantes, *videbunt multi et timebunt*, atque timore compuncti et meliorati postea *sperabunt*, experimento suæ spei probantes, quod vere *beatus vir qui sperat in Domino*, et *beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus*, et *beatus qui non respexit* retro, qui semel extentus et intentus in anteriora non respexit sicut uxor Loth, *non*, inquam, *respexit in vanitates et insanias falsas.*

Nota quod aliud est videre vanitates, aliud respicere vanitates, atque aliud respicere *in vanitates.* Nam qui videt mulierem, sed non ad concupiscendum eam, videt quidem vanitatem, et etiam respicit eam, si delectat aspectum ejus carnis pulchritudo et cutis decus, quod est quasi flos feni (quoniam *omnis caro fenum*) sed non respicit in vanitatem, si non ad concupiscendum eam studio trahitur, imo ab ea retrahitur, dum etiamsi jaciuntur oculi ejus in carnis pulchritudinem, figuntur in neminem (*Isa.* XL, 6). Neque enim pulchrarum facierum personas prohibemur videre, sed appetere, aut ab ipsis appeti velle criminosum est, quia dum se mutuo contra se figunt oculi curiosi et libidinosi, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de mente. Nec putare debet, qui in feminam figit oculum, et illius in se diligit fixum, quod a nemine videatur. Videtur omnino, et a quibus se videri non arbitratur, ab angelis scilicet bonis et malis, et ab hominibus astutis. Qui, etsi a nemine videatur, quid faciet de illo desuper inspectore, quem nihil latere potest, qui non ideo putandus est non videre, quia tanto videt sapientius quanto patientius? Illi ergo vir sanctus timeat displicere, ne delectet, cum vanitates videt, illum cogitet omnia respicere, ne velit in vanitates respicere. *Deus* enim *de cœlo prospexit super filios hominum, ut videret, si est intelligens, aut requirens Deum* (*Psal.* LII, 3), ut videat, si est intelligens per se, aut requirens per alium docentem cognoscere *multa mirabilia*, de quibus hic dicitur tibi, Deus : *Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua, et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.*

Fecit Moyses mirabilia. Elisæus et Elias quoque fecerunt mirabilia, et multi sanctorum fecerunt mirabilia in vita sua, sed non fecerunt mirabilia sua, quia non sua virtute fecerunt mirabilia, sed virtute aliena. Unde Petrus in Actibus apostolorum claudo sanato : *Quid*, inquit, *nos intuemini, quasi nostra virtute, aut pietate* (95) *fecerimus hunc ambulare? Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum, et in fide nominis ejus hunc, quem videtis et nostis, confirmavit nomen ejus, et fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum* (*Act.* III, 12). Si omnes electi Dei mirabilia facientes in nomine Christi, quem aut futurum prædixerunt ut prophetæ, aut venisse nuntiaverunt, ut apostoli, mirabilia ipsa quæ fecerunt non sua, sed Dei esse recognoverunt. Tu autem, *Domine Deus meus, multa fecisti mirabilia tua* per virtutem tuam propriam, *et cogitationibus tuis* propriis, ea prædictantibus. Unde *non est qui similis sit tibi.*

Hoc ego David *credidi, propter quod locutus sum*, et *annuntiavi* aliis, *et multiplicati sunt super numerum*, quia innumerabiles sunt homines, Deo tamen numerabiles, qui receperunt hoc verbum juxta illud in Apocalypsi : *Post hæc*, inquit, *vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, et populis, et tribubus, et linguis stantes ante thronum, et palmæ in manibus eorum* (*Apoc.* VII, 9)

Aliter : *Annuntiavi, et locutus sum.* Incipit hoc loco pars secunda psalmi hujus, in qua enumerantur mirabilia cæteris mirabilibus mirabiliora, quæ sunt incarnatio Verbi, prædicatio justitiæ in Ecclesia magna annuntiatæ, liberatio hominum ab iniquitatibus, confusio inimicorum, lætitia superantium. Quid enim plus mirum quam incarnationis Dominicæ sacramentum, quod annuntiatum est ab angelis, creditum est in mundo, assumptum est in gloria? Non solum vero annuntiatum est ab angelis, prophetis et apostolis, verum, quod omni acce-

(95) Ita Cod.

Digitized by Google

ptione dignum est, ab ipso Domino incarnato, qui nunc dicit in psalmo : *Annuntiavi, et locutus sum.* Non solum per prophetas prænuntiavi, sed etiam per me ipsum præsentialiter *annuntiavi, et locutus sum* Judæis, quibus [qui], *si non venissem, et locutus fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo* (*Joan.* xv, 22), quia cum ego eos vocassem in unum, ut esset eis cor unum et anima una in Deo, illi a fructu frumenti et vini et olei *multiplicati sunt super numerum* illorum paucorum qui mihi credentes habebant cor unum. Nam dum ego *annuntiavi, et locutus sum* de novo sacrificio, ideo quia tu, Deus Pater, sacrificium vetus et *oblationem* veterem *noluisti*, dixerunt : *Durus est hic sermo, quis potest eum audire ?* (*Joan.* vi, 61.) Et ex hoc multi discipulorum meorum abierunt retrorsum. Multi abierunt, quia *multiplicati* erant discipuli *super numerum* electorum, et beatorum discipulorum, quibus mecum remanentibus ego tandem sermonem durum exposui, et mollem atque manducabilem quasi panem feci. Illi multi dentem fregerunt, quibus durum fuit quod annuntiavi et locutus sum. Unde per duritiam offensi ablerunt retrorsum, quia erant super numerum. Sed Petrus, qui vere pertinebat ad numerum, dixit mihi : *Verba vitæ æternæ habes, et nos a te quo ibimus ?* (*Joan.* vi, 69.) Postea per eosdem apostolos in omnem terram exeunte sono prædicationis annuntiavi eumdem ritum novi sacrificii, et multi receperunt verbum, ita quod super numerum prædestinatorum, qui certus est, multiplicati sunt admistis falsis fratribus : *Multi enim vocati, pauci vero electi* (*Matth.* xxii, 14).

Vel *multiplicati sunt* gentiles credentes *super numerum* Judæorum credentium olim, quando numerati sunt in deserto per Moysen, sicut in libro Numeri legitur. Vel *multiplicati sunt super numerum*, quia Deo quidem numerabiles, hominibus tamen facti sunt innumerabiles. Ideo autem Judæis per me ipsum et gentibus per apostolos meos *annuntiavi* ritum novi sacrificii, quia tu, Deus Pater,

Vers 7. *Noluisti* ulterius *sacrificium* de animalibus, quorum pars comburebatur, *et oblationem* panum, olei, thuris et hujusmodi, quæ de fructibus terræ obtulit Judaicus populus, quasi alter Cain terræ cultor, et non cœlestium appetitor.

Constat etiam quod nunquam ea voluisti, sed ad tempus permisisti. Unde in Isaia dicis : *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum ? plenus sum. Holocausta arietum, et agnorum, et hircorum nolui, quis quæsivit hæc de manibus vestris ?* (*Isa.* i, 11, 12.) Item in Jeremia : *Holocaustomata vestra addite victimis vestris, et comedite carnes, quia non sum locutus cum patribus vestris et non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocaustomatum et victimarum : sed hoc verbum præcepi eis dicens : Audite vocem meam, et ero vobis* A *Deus, et vos eritis mihi populus, et ambulate in omni via, quam mandavi vobis, ut bene sit vobis* (*Jerem.* vii, 21 et seq.). Item alias dicis : *Nunquid manducabo carnes taurorum, et sanguinem hircorum potabo ?* (*Psal.* xlix, 13.) Attamen hæc permisisti tibi offerri, ne populus Judaicus ad idololatriam pronus eadem offerret idolis aut dæmonibus, quemadmodum in deserto fecerunt, ubi *commutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fenum* (*Psal.* cv, 20), atque immolantes ei hostias dixerunt : Iti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Ideo ut in Ezechiele dicis : *Dedisti eis præcepta non bona* (*Ezech.* xx, 25) de sacrificiis tibi offerendis, quæ non diligis. Attamen quia malis quoque hominum malorum, tu summe bonus, bene uteris, prout B vis, in eisdem sacrificiis tibi molestis præfigurasti unum sacrificium quod diligis, quo præsentato tibique oblato, illa vetera omnino cessare deberent, maxime te reclamante, ac verbis Isaiæ dicente ; *Neomenias vestras, et sabbata vestra odivit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. Ne afferatis ultra incensum frustra* (*Isa.* i, 13, 14). Qui aures audiendi habuit in populo tuo, ipse te in prophetis hujusmodi sacrificia repudiantem audivit, potuitque in veritate dicere : *Si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis* (*Psal.* l, 18). Attamen ille populus, de quo in Isaia dicis : *Educ foras populum cæcum, et oculos habentem, surdum, et aures ei sunt* (*Isa.* xl, 8). Ille, inquam, populus cæcus et surdus neque te audivit in prophetis neque me, cum præsens *annuntiavi et locutus sum* illis. C

Mirum dictum, quod populus ille oculos habuit, et tamen cæcus fuit : aures habuit, et tamen surdus permansit. Sed sciendum quod oculos habuit in eo quod veritatem videre potuit : sed in hoc cæcus fuit, quia videre noluit. Similiter aures habuit, quia audire vel obedire potuit : sed in hoc surdus permansit, quia obedire noluit. Propterea, quod solus rex illius populi Sedecias passus est in corpore, totus ille populus, reliquiis exceptis, passus est in mente. Sicut enim illum rex Babylonis, effossis primitus oculis, quibus bene uti noluit, in Babylonem captivum duxit et incarceravit : sic D iste populus non solum præpeditur velamine veteris Moysi, ne videat, sed etiam, perditis omnino interioribus oculis, captivitatem sustinet Babylonici regis. Insuper quod Spiritus loquens in Ezechiele comminatus est meretrici Oollæ, sive Oolibæ, constat huic genti peccatrici accidisse. *Suscitabo*, inquit, *contra te amatores tuos, et denudabunt te vestimentis tuis, nasum tuum et aures tuas præcident, et quæ remanserint, gladio concidentur* (*Ezech.* xxiii, 22). Illa igitur justo judicio tuo, Deus Pater, suas aures amisit, quibus bene uti noluit, cujus etiam filii *continuerunt aures suas et stridebant dentibus in eum* (*Act.* vii, 54, 56), qui annuntiavit eis bonum nuntium. Juste igitur privati sunt auribus, ut eis omnino induratis jam non sit ullus auditus. Hujus in-

Digitized by Google

teriorum sensuum mutilationis auris illa dextera servi pontificis per Petrum abscissa signum visibile exstitit. Ex tunc etenim etiam si qua de Scripturis testimonia Christi audiunt, aure solum sinistra ad odiendum, non etiam dextra ad diligendum audire possunt. At ego novus homo aures perfectas habeo. Nam illis quidem aures justo judicio abstulisti.

Mihi autem *aures perfecisti*, id est perfecte fecisti me intelligere quid velles. Vel, ut in alia translatione habetur, *Corpus aptasti mihi*, ne populus tuus, ablato veteri et umbratico sacrificio, careret novo, quod sic antecellit vetus, ut umbra corpus. *Corpus* enim *adaptasti mihi*, quo velut solari corpore surgente aspiret dies, et inclinentur umbræ, imo, cum sicut a summo cœlo egressio ejus, ita erit ad summum cœli occursus ejus, deficiant umbræ penitus, et tunc indicari sibi poscet sponsa mea ubi pascam, ubi cubem in meridie, quando umbræ sunt brevissimæ, nec adeo densæ, ut sunt umbræ nocturnæ. Remanebunt enim quædam reliquiæ umbrarum in signum, quod positum est Cain, id est populo fratricidæ, ut nemo illum occidat. Quid est enim circumcisio et azyma Judæorum undique dispersorum, nisi quoddam signum de reliquiis umbrarum antiquarum? Umbram enim habuit lex futurorum, non ipsam imaginem rerum. Sed umbra sub lege densa et quasi nocturna fuit : nunc autem, solari corpore justitiæ in altum levato, vix apparent modicæ umbrarum reliquiæ.

In Hebræo legitur : *Aures fodisti mihi*, quod idem est ac si dicatur : Perfectæ obedientiæ virtutem et meritum indidisti mihi in eo quod me Deum sublimem, et hominem humillimum genuisti, ut videlicet ego Filius et servus tuus non solum scirem voluntatem tuam ex eo quod Filius, sed et paratus essem ad obediendum ex eo quod servus. Vere enim Filius, siquidem de tua substantia in eo quod Deus genitus, et per amorem tuum in eo quod homo sum natus. Vere etiam servus, siquidem ancillæ tuæ filius, nec ideo degener ex aliqua parte, quod ancillæ filius, sed magis ingenuus totus, utpote in eo quod homo sum ex homine in Deum natus.

Etenim et matrem meam prærogativa tui Spiritus nobilitasti adeo, ut a facie olei jugum in ea servilis timoris computresceret, et ex ancilla in sponsam proficeret, nec tamen ideo non ancilla, quia sponsa, nec ideo non sponsa quia ancilla. Neque enim ideo non humilis, quia sublimis : nec ideo non sublimis, quia humilis. Nam quod sublimis sponsa, provehentis se dignitatis privilegium est ; quod vero humilis et ancilla, non solum naturalis conditionis, sed et devotionis voluntariæ, ac proinde virtutis est. In sua enim fundatissima humilitate permansit etiam tunc, cum per amoris spiritum in sponsam Dei et reginam cœli profecit. Erat namque ipsa, sed non ipsa, ipsa quidem per naturæ humanæ humilem conditionem, quam in ea virtus tua obumbrans ei conservavit : sed non ipsa per sponsalis et nuptialis amoris dignitatem, quo tibi Domino Deo suo, et amico tanquam consorti thori dicere potuit : *Osculetur me osculo oris sui*, etc. (*Cant.* I, 1.)

Ex tali sublimitate simul et humilitate *mihi* homini, ac Deo servo, et filio nato *aures* tu, Deus Pater, *perfecisti*, id est perfectam tuæ voluntatis intelligentiam simul et obedientiam indidisti, ut ex eo vellem ac deberem quod homo servus : ex eo scirem et possem, quod Deus ac tibi consubstantialis filius, causam hominis suscipere, et tuæ Deus voluntati in ejus liberatione deservire. Neque enim aures mihi perfectæ essent, si horum aliquid, videlicet voluntas vel potentia, debitum vel scientia deesset. Nunc vero *aures mihi perfecisti*, in eo quod me Deum hominem, filium ac servum genuisti, cui nec debitum, nec scientia, nec voluntas, nec potentia tibi obediendi in causa hominis exsequenda deesset. Sic tu, Deus Pater, *aures perfecisti mihi*.

Præceperas in lege Moysi ut victima, quæ cauda vel auribus amputatis esset mutilata, non reciperetur in sacrificio ad votum persolvendum, significans in hoc mandato nullum tibi acceptum sacrificium, cui desit vel obedientia, quæ significatur per aures, vel perseverantia, quæ significatur per caudam, quæ finis est corporis, ut perseverantia finis est boni et bene consummati operis. Propterea quia vetus homo neque sub lege naturali, neque sub lege scripta obedientiæ aures habuit, neque in bono cœpto perseveravit, *sacrificium et oblationem* ejus *noluisti*, *aures* autem *perfecisti mihi* novo homini, qui obediens tibi usque ad mortem, mortem autem crucis, hostia perfecta fui, non mutilata vel in auribus vel in cauda, quia mihi neque obedientiæ, neque bonæ perseverantiæ virtus defuit. Quod non tamen attribuo mihimetipsi, quia ego a me ipso non sum, sed tibi Deo Patri meo, qui me Deum genuisti, et hominem fecisti, quique *mihi* Homini Deo *aures perfecisti*, quia virtutem perfectæ obedientiæ mihi dedisti, ut essem idonea victima pro totius mundi peccatis abolendis in his qui credunt in me ac per me mediatorem in te, pro quibus in crucis ara semel immolatus, in altaris quoque ministerio frequenter immolabor usque ad finem sæculi ad salutem credentium. Incredulorum autem Judæorum

Holocaustum et pro peccato non postulasti. Holocaustum de vitula rufa, quæ tota incendebatur, *et pro peccato*, id est hircum emissarium (*Lev.* XVI, 10), cui peccata imponebantur, et mittebatur in solitudinem, *non postulasti*, sed a me Filio tuo sacrificium perfectum exegisti, et ego, *quæ non rapui, tunc exsolvebam* (*Psal.* LXVIII, 5), quia

VERS. 8. *Tunc dixi : Ecce venio.* Dixeram hoc ab æterno in prædestinatione qua prædestinatus eram Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis concipiendus, non in concupiscentia carnali, sed in spiritu sanctificationis. Distuli au-

Digitized by Google

tem facere quod prædestinatum erat, usque dum venit tempus miserendi. At ubi venit plenitudo temporis, non ultra distuli, sed *tunc dixi : Ecce venio.* Tunc figuris cessantibus *dixi* non jam prædestinando, sed obediendo : *Ecce venio. Ecce* in evidenti : non dico per verbum futuri temporis : *Veniam*, sed sine mora præsentialiter dico, quia *venio*. Tempus est ut veniant promissa, quia auferuntur promittentia.

Notandum quod ex hoc loco immutationem veteris legis probat Apostolus dicens : *Ideo ingrediens mundum dicit : Hostiam et oblationem noluisti* (*Hebr.* x, 5). Sciendum quod vetera sacrificia erant quasi verba Dei promittentis, qui cum in figuris diceret : *Dabo*, et : *Mittam* Filium meum, postquam res venit, mutat verba, et non dicit : *Dabo*, sed : *Dedi*, et : *Misi*. Ipso ergo veniente noluit ea quæ erant ejus figura. Si quis autem dicat adhuc apud Judæos durare veterem ritum, et ita figuras non esse ablatas, non est verum. Non enim habent regem, neque sacerdotem, et ablata sunt sacrificia, quamvis sicut Cain Deus posuit signum, ut nemo eum occideret, ita Judæus retinuerit circumcisionem et azyma, et hujusmodi, et habens hoc signum non occiditur, sed maledictus est Cain a terra, quæ sanguinem fratris, quem ipse fudit, excepit, id est maledictus est ab Ecclesia, quæ excepit sanguinem Christi. Hæc est enim terra, de qua dixit Deus : *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra* (*Gen.* iv, 10). Clamat utique, sed Judæus, qui fudit, qui spiritaliter non bibit, non audit, neque enim aures audiendi habet. Similiter gentilis, qui sacrificat idolis, clamorem sanguinis hujus non audit. Falsus etiam Christianus, qui confitetur se nosse Deum, factis autem negat, nec ipse vocem sanguinis hujus clamantis audit. Si enim audiret, utique obediret. Quid enim clamat aspersio sanguinis hujus melius clamans quam sanguis Abel, nisi pœnitentiam, obedientiam, et peccatorum indulgentiam ? Ille sanguis vindictam clamavit contra impœnitentem, contra desperantem, et ex desperatione dicentem : *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear* (*Gen.* iv, 13). Iste autem sanguis in obedientia et pœnitentia fusus remissionem peccatorum postulat omnibus obedientibus et pœnitentibus, pro quibus Deo Patri obedivit Christus, pro quibus etiam pœnitentiam quadraginta dierum in deserto fecit, quam demum suæ passionis doloribus consummavit pro nobis dolens, et vulneratus propter iniquitates nostras, quia non simulatorie, sed vere *languores nostros ipse tulit, et peccata nostra ipse portavit, et disciplina pacis nostræ super eum* (*Isa.* liii, 4). Mira res ! Nos propter peccata nostra eramus castigandi et disciplinandi, ut redderetur nobis pax et gratia Dei. Si omnes infernales et temporales pœnæ in nobis disciplinandis et castigandis expenderentur, non sufficerent ad disciplinam pacis nostræ consummandam. Ideo cum nos flagellaremur multis miseriis, ipse innocens medium se interposuit, et disciplinam pacis nostræ operatoriam super se accepit. Quid ergo faceret pius et justus Pater videns innocentem, sibique coæqualem Filium ad hoc humiliatum, ut non solum pro nequam servis intercederet orando, sed etiam disciplinam eorum exciperet vapulando, et mortem illis non sibi debitam gustando? Qui *in diebus carnis suæ preces offerens cum clamore valido exauditus est pro sua reverentia* (*Hebr.* v, 7), dignus videlicet a Patre audiri, et exaudiri, quem et ipse audivit, sicut ait : *Non possum ego a meipso facere quidquam : sicut audio, judico* (*Joan.* v, 30). Item : *Omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*Joan.* xv, 15). Item : *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio* (*Joan.* xiv, 31). Hæc sunt verba Filii Patrem suum libenter et obedienter audientis. Ac proinde constat quod ille, qui sic audivit, aures perfectas habuit. Unde nunc dicitur : *Aures autem perfecisti mihi*, ut clare audirem quod *holocaustum et pro peccato non postulasti*, sed ut ego in mundum venirem, et sacrificium fierem voluisti. *Tunc dixi : Ecce venio* paratus, ut faciam voluntatem tuam, Deus meus, volui. Perfecta fuit hæc obedientia mea, non tarda, non pigra, quia te dicente, imo scribente *in capite libri*, hoc est in meipso, qui sum caput libri, totius videlicet sacræ Scripturæ, cujus est caput sive initium, ubi ego nominor *principium*, dicente Moyse : *In principio creavit Deus* cœlum et terram (*Gen.* i, 1), scribente, inquam, te in illo *capite libri*

Vers. 9. *Ut facerem voluntatem tuam, tunc dixi : Ecce venio.* Vox dicentis *Ecce venio* innuit obedientiæ alacritatem remota omni pigritia. Item vox dicentis : *Voluntatem tuam, Deus meus, volui*, notat voluntariam obedientiæ hilaritatem. Qui enim voluntatem Dei præcipientis patienter sustinet, et facit quod ille jubet, in patientia quidem possidebit animam suam, sed non meretur illam dilectionem qua hilarem datorem diligit Deus : nec dicere potest : *Voluntatem tuam, Deus meus, volui*, cum potius dicere veraciter possit : Voluntatem tuam sustinui. Ego autem Christus unus pro meis omnibus perfectam solvens obedientiam *voluntatem tuam, Deus meus, volui*, sicut *scriptum est de me in capite libri*, id est in divinitate insita mihi, qui sum liber vitæ, qui sum Verbum tuum tibi coæternum, qui sum verbum per os omnium, qui a sæculo sunt, prophetarum prænuntiatum, et per os apostolorum annuntiatum, qui sum liber scriptus intus et foris, id est in divinitate simul et humanitate mea. Quod in divinitate per æternam prædestinationem scriptum est, hoc in *capite libri scriptum* esse dicitur. Attamen et in pelle humanitatis calamo scribæ velociter scribentis tota sapientia divinitatis inscripta est. Insuper etiam *in capite libri* hujus Psalmorum primo psalmo, qui est caput et quasi titulus aliorum, scriptum est de me viro beato, *ut faciam voluntatem tuam*, quam et ego *volui*, quia non

Digitized by Google

invito mandatum dedisti mihi obediendi usque ad mortem : sed ego *voluntatem tuam volui*, quia unius voluntatis ego et tu sumus. Unde quod tu, Pater, vis, ego etiam volo divina quidem voluntate divinitus, humana vero humanitus. Unde et dixi : *Non quod ego volo, sed quod tu vis fiat* (*Marc.* XIV, 36), subdens videlicet humanam meam voluntatem tuæ ac meæ voluntati divinæ, in qua neque naturaliter neque actualiter discrepamus ego et tu, quia unum sumus. Humana vero mea voluntas a divina discrepat in natura, et ante mortem discrepabat actione, qua renuebat calicem passionis. Post resurrectionem vero et ascensionem licet sit alterius naturæ quam divina, ipsa tamen est in omnimoda virtute divina sine dissonantia, ita ut ego novus homo dicere possim : *Voluntatem tuam, Deus meus, volui*, id est voluntati divinæ voluntate humana omnino consensi, *et legem tuam in medio cordis mei* habeo, sicut *in capite libri*, id est in primo psalmo scriptum est de me, ubi dicitur : *Sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte* (*Psal.* I, 2). Quod enim *in capite libri* dicitur : *In lege Domini voluntas ejus*, consonat verbo hic dicto : *Voluntatem tuam, Deus meus, volui :* et quod ibi dicitur : *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte*, idem est cum eo, quod hic sonat : *Et legem tuam in medio cordis mei.*

VERS. 10. *Annuntiavi justitiam tuam in Ecclesia magna.* Quod legem tuam in medio cordis mei habui, quodque voluntatem tuam volui, hoc erat mihi plantatum esse me tanquam lignum secus decursus aquarum. Quod autem *annuntiavi justitiam tuam in Ecclesia magna*, hoc erat mihi fructum dare in tempore opportuno, secundum quod scriptum est in capite libri de me, ubi dictum est de me : *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo* (*Psal.* I, 3).

Aliter : Ego Christianus, vel ego David pœnitens, vel psaltes, qui *exspectans exspectavi Dominum*, corde credidi ad justitiam, quia *voluntatem tuam, Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei* habui. Ore quoque confessus sum ad salutem, quoniam *annuntiavi justitiam tuam in Ecclesia magna.* Justitiam tuam, quæ ex fide est, quam tu inspiras, non justitiam operum, quæ in lege sunt. *Annuntiavi justitiam tuam in Ecclesia* non parva ut prius, sed *magna*, toto terrarum orbe dilatata. Et *Ecce labia mea non prohibebo* a locutione veritatis territus eorum timore, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. Inter hæc aliquoties blasphemor tanquam simulator, sed, o Domine, *tu scisti.* Tu mihi testis es, quod non propter timorem prohibeo labia mea loqui cum taceo, neque in hypocrisi loquor ea, quæ loquor. Vel *tu scisti*, id est ab æterno ita futurum disposuisti. Unde patet hanc annuntiationem justitiæ tua fieri auctoritate, non in dolo, sed in veritate. Hoc *tu scisti*, qui vides cor meum, quo id ipsum credo ad justitiam, quod ore confiteor ad salutem. *Tu scisti* quoties labia mea non prohibui, quod non in corde et corde locutus fui per duplicitatem, sed in puritate cordis per intentionis bonæ simplicitatem. Non enim abscondi in corde meo, quando loquendum credidi, quod justum intellexi.

VERS. 11. *Justitiam tuam non abscondi in corde meo*, sicut illi faciunt, qui dicuntur canes muti non valentes latrare. Sciens enim quia justus ex fide vivit, justitiam fidei cordetenus tenui, sicut eam tenendam credidi, propter quod et locutus sum. Quid locutus sum?

Veritatem tuam, et salutare tuum dixi. Non abscondi misericordiam tuam, et veritatem tuam a concilio multo. Veritatem tuam in promissionibus per Christum, qui est veritas, partim impletis, partim adhuc implendis, *et salutare tuum*, id est eumdem Christum, qui est veritas ad confirmandas promissiones Patrum, et Salvatorem non solum Judæorum, sed et gentium *dixi. Dixi* enim *Jesum Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum, gentes autem super misericordia honorare Deum* (*Rom.* XV, 8). *Et* ideo *non abscondi misericordiam tuam, et veritatem tuam a concilio multo. Non abscondi a concilio multo*, id est propter multos obloquentes, *misericordiam tuam*, qua peccata dimittis vere pœnitentibus, *et veritatem tuam*, qua peccata punis in his, qui non vere pœnitent, aut quod pejus est in defensione peccati et in affectione peccandi manent. Sic ego, prout expedire credidi, utrumque, misericordiam scilicet et veritatem dixi. Attamen pro sola misericordia mihi vel aliis conferenda in oratione supplicavi, et adhuc supplico dicens :

VERS. 12. *Tu autem, Domine, ne longe facias miserationes tuas a me.* Sicut enim finitis nocturnalibus in Ecclesia lectionibus in fine subjungitur. *Tu autem, Domine, miserere nobis*, ita quoque finitis prædicationibus et enuntiatis contra noctis filios increpationibus ego, qui veritatem et misericordiam annuntiavi, misericordiam solam mihi, et auditoribus optavi. Nam justitia quidem semper vigilat, quam propheta Jeremias *virgam vigilantem* vocat, neque ad hoc est oratio necessaria, ut excitetur justitia reddens cuique sua, sed pro misericordia excitanda, quæ in navicula etiam discipulorum dormit, aliquando necessaria est oratio. Unde nunc dico : *Tu autem, Domine, ne longe facias miserationes tuas a me.* Utrumque nuntiavi ego, misericordiam scilicet et justitiam. Tu autem, Domine, solam primo exhibe misericordiam peccata remittendo, et emendationem fructuosam tribuendo, ut justitiam tuam ferre possit homo reus et miser, qualis ego sum David pœnitens vel psallens, cui ultro vicina est justitia tua parata ulcisci, quod male feci.

Tu autem, Domine, ne longe facias miserationes tuas a me. Ostende in me primo ad informationem credentium, et me audientium, quod ego te veraciter misericordem testatus sum. Fac ut miseratio-

Digitized by Google

nes tuæ appareant in me, ut possim dicere : *Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Sed misericordiam consecutus sum* (*I Tim.* I, 15). Sic ne longe petantur exempla de tua misericordia, rogo, *ne longe facias miserationes tuas a me*, ut de miserationibus tuis exemplum capiant in me, qui audiunt me loquentem de te.

Quando enim ego te prædico misericordem dicens, quod tu es patiens et multum misericors, et præstabilis super malitia, cum econtra videatur hominibus, quod tu velut immisericors perire sinas innumerabiles homines in sua malitia, pro quibus convertendis orat Ecclesia : ego de vicino vellem demonstrare tuæ miserationis evidentia testimonia, ne dicatur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus, quem prædicas misericordem ? Hæc dicentibus ego monstrare soleo illa Scripturarum gazophylacia, ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ repositæ ac signatæ. Verbi gratia, sic dicens : *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus. Qui facit mirabilia magna solus. Qui fecit luminaria magna : solem in potestatem diei : lunam et stellas in potestatem noctis. Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum. Qui eduxit Israel de medio eorum* (*Psal.* CXXXV, 1 et seqq.) et cætera fecit mirabilia multa, et antiqua, in quibus manifestavit, quod *in æternum misericordia ejus.* Hujusmodi vero tuæ Deus miserationis exempla quasi a longe videntur mutuata, nisi ad præsens demonstrari valeant vel illis consimilia, vel illis majora. Tu ergo *ne longe facias miserationes tuas a me*, ut de vicino in evidenti possim demonstrare novas miserationes tuas, quas præsignaverunt misericordiæ tuæ antiquæ. Verbi gratia : *Qui firmasti terram super aquas*, firma Ecclesiam tuam super Scripturas. *Qui fecisti luminaria magna, solem et lunam*, fac in diebus nostris ut luminare magnum clarescere sacerdotium *in potestatem diei*, spiritalis videlicet sanctimoniæ ac regiminis, et fac regnum quasi lucidum plenilunium *in potestatem noctis*, temporalis videlicet militiæ ac regiminis. *Qui percussisti Ægyptum cum primogenitis eorum*, percute infernum cum suis primogenitis dæmonibus. Percute hunc mundum cum suis primogenitis, malis principibus : et educ Israel populum tuum de medio eorum in manu potenti et brachio excelso, ut non tam pro antiquis, quam pro novis, præsentibus et evidentibus miserationibus *cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum* enim *et ascensorem projecit in mare* (*Exod.* XV, 1 et 21), et quisque nostrum præsentialiter liberatus a dæmonibus, et malis hominibus, vel etiam a vitiis, et moribus Ægyptiacis dicat pro misericordia sibi vicina : *Fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. Iste Deus meus, et glorificabo eum* (*Psal.* CXIV, 14). Ne igitur ulterius dicatis mihi, ubi est Deus tuus, ecce dico : *Iste Deus meus, et glorificabo eum*, qui mihi antiquas misericordias facit novas, et prius occultas et longinquas nunc facit manifestas et proximas, meo tempore, in mea persona, et quod majus mihique gratius est, *in Ecclesia magna* mihi contemporanea manifestas, prout ego annuntiavi justitiam in Ecclesia magna, non abscondens misericordiam istam a concilio multo. Unde qui prius oravi dicens tibi Domino Deo meo : *Ne longe facias miserationes tuas a me*, in mediis precibus, aut in spe, aut in re clementer et evidenter exauditus muto vocem orationis in vocem gratiarum actionis dicens :

Misericordia et veritas tua semper susceperunt me. Gratias tibi ago, Domine, quia misericordiæ tuæ, quæ prius videbantur longinquæ, nunc ecce inveniuntur mihi propinquæ. Recognosco enim, et sentio, quod *misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me.* Misericordias tuas prius in aliis attendi, et consideravi opera tua et expavi, ne forte remanerem expers miserationum tuarum, quas in aliis cognovi. Sed nunc tua gratia revelante cognosco, quod *misericordia tua et veritas tua susceperunt me* semper in æterna prædestinatione, ut nunc appareat in tempore.

Aliter. Tu autem, Domine, fac ut non careat effectu quod dixi : *Ne longe facias miserationes tuas* a me misero, et miserationibus indigente. Perfice opera misericordiæ tuæ semper mihi præparatæ ab origine mundi, ut audiam in fine mundi quod audituri sunt benedicti, quibus dices : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV, 34). *Semper* enim, ab origine mundi, a primo justo susceperunt me ducendum ad te *misericordia*, qua bonus, et *veritas* tua, qua justus es. Consideratis enim retroactis mirabilibus tuis attendo te bonum et amo, video justum et timeo, atque sic amor, et timor producunt me. Securus enim de remissione convertor, securus de veritate pollicentis præmia perseveranti usque in finem, contendo perseverare usque in finem. Contendo quidem pro viribus mihi a te, Deus, concessis : attamen scio quod stare non valeo, nisi tuo adjutorio liberer ac muniar a malis me undique circumdantibus.

VERS. 13. *Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus.* Cum essem filius iræ, totus in maligno positus, repleverunt me *mala quorum non erat numerus.* Nunc autem quia princeps mundi hujus foras ejectus non habet locum in meo corde propter pacem, quæ data est hominibus bonæ voluntatis, quorum unus ego esse cupio, foris me impugnat, foris infestat per suæ nequitiæ satellites, dæmones et pravos homines. Unde nunc dico : *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus.*

Aliter : *Circumdederunt me mala, quorum* non est numerus, peccata scilicet, ac pœnarum diversa genera, quorum non est numerus apud homines, etsi est apud Deum, qui omnia in mensura, et numero, ac pondere dispensat non solum bona, sed etiam mala, quæ bene bonus irrogat, quando per talia castigat emendando, vel punit condemnando

Digitized by Google

quosque, prout novit misericorditer aut juste tractando. Bene dico *mala, quorum non est numerus.* Quis enim dinumeret peccata, quæ sunt nobis a nobis, et quæ suggeruntur ab alienis? *Delicta quis intelligit?* Quis autem enumeret, quæ non intelligit? Peccavi super numerum arenæ maris, et multiplicata sunt peccata mea. Si arenæ minuta sunt innumerabilia, quanto magis peccata super arenam multiplicata ego dinumerare non valeo, nec etiam quod minus est, videre sufficio? Unde hoc? Inde scilicet, quia

Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui, ut viderem. Sicut enim regem Sedeciam comprehenderunt Chaldæi, et excæcaverunt eum prius interfectis filiis ejus, ipso vidente : ita *comprehenderunt me iniquitates meæ*, meque cæcaverunt, virtutibus, quas habui, primo exstinctis me vidente, quia quod virtutes habitas amisi, non accidit per ignorantiam. Sed his amissis ad tantam ignorantiam deveni, ut mente cæcatus non possim videre in quantis malis jaceo sub rege Babylonico incarceratus ab illo, quia peccatis exigentibus carcer mihi est etiam corpus proprium, quod corrumpitur et aggravat animam, dum *terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15).

Aliter : *Comprehenderunt me iniquitates meæ*, sicut Philisthæi comprehenderunt Samsonem, eumque cæcaverunt, et molere fecerunt fallente illum femina, quia blandiente mihi vel carne mea propria vel aliena illiciente *comprehenderunt me iniquitates meæ*, oculosque mentis mihi abstulerunt, et me quasi asinum posuerunt ad molam circumagendam ad molendam farinam, non de qua fiant panes azymi ab Israelitis comedendi, sed de qua fiant panes fermentati Ægyptiis, vel etiam Philisthæis apti. Quid enim sunt cogitationes vanæ, quas aliquoties molo, nisi farina Philistinorum, spirituum scilicet malignorum? Qui nisi primo mihi abstulissent oculos interiores, non eis suggerentibus molerem curas exteriores et inutiles, quibus me prementibus *non potui, ut viderem. Non potui* aliquo conatu efficere, *ut viderem*, vel me peccatorem, vel te Deum peccatores justificantem. Tanta infirmitas inde mihi provenit per iniquitates meas, quod ipsæ iniquitates

Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei. Caput meum Christus est, capilli capitis hujus sunt sancti in illo radicati, super quos multiplicati sunt iniqui. Vel capilli sunt hujus capitis universæ virtutes de illo procedentes, *super* quos *capillos multiplicatæ sunt iniquitates*, quia plures inveniuntur vitiorum phalanges, quam virtutum sint acies, cum unamquamque virtutem duo vitia impugnent, ut, verbi gratia, humilitatem impugnat superbia vera, et humilitas falsa. Pietatem impugnat impietas vera, et pietas falsa. Hoc idem in cæteris patet. Unde recte dicitur, quod iniquitates *multiplicatæ sunt super capillos capitis mei*, super virtutes scilicet, quas caput meum Christus in se radicatas habet.

Aliter : *Multiplicatæ sunt iniquitates meæ super capillos capitis mei.* Ego Nazaræus, ego Samsoni similis tandiu eram fortis, quandiu non sunt præcisi capilli capitis mei. At ubi per carnem propriam, vel alienam quasi per Dalilam meretricem deceptus, et rasus sum, perditis videlicet sanctis meditationibus, quibus quasi capillis pulchris ornatur principale hominis, quod est mens rationalis, continuo cæcatus molere cœpi cogitationes inutiles, vel noxias, aliquoties inter psallendum versando aliud ore, aliud corde, quoniam et ipsum *cor meum dereliquit me* ita, ut essem persæpe immemor Dei et mei, quasi columba non habens cor. *Ephraim*, ait Oseas propheta, *factus est quasi columba non habens cor* (*Ose.* VII, 11). Hoc improperium proinde mihi recte convenit, quia cor meum dereliquit me. Non eram sane absque corde, ut columba non habens cor ; sed cum essem cordatus et rationalis conditus, *cor meum dereliquit me.* Unde pejus est mihi, quam columbæ cor non habenti, et etiam felle carenti, quia ego et felle plenus, et corde vacuatus undique malis premor, nec est, qui de manu opprimentium malorum possit eruere me, nisi complaceat tibi, Domine, ut eruas me.

Aliter : *Cor meum*, id est ratio mea, *dereliquit me*, qui non appetit profutura, et se etiam non cognoscit. Sicut Petrus cor suum non comprehendit cum dixit : *Non te negabo* (*Matth.* XXVI, 35). Et nota, quod dicit : *Cor meum dereliquit me.* Non enim naturaliter erat sine corde creatus, vel natus homo, sed quod ante peccatum erat naturaliter in homine, culpa primi hominis ipsum et posteros ejus dereliquit, ita ut sit comparatus jumentis insipientibus, et cor sive rationem non habentibus. Et ita homo non est cæcus natura, sed cæcatus ex culpa sicut Sedecias a Chaldæis, et Samson a Philisthæis leguntur sua culpa cæcati.

Aliter : *Multiplicatæ sunt iniquitates meæ*, id est meorum, *super capillos capitis mei.* Nam ego Christus caput sum corporis mei, quod est Ecclesia, et sunt capilli mei, sive barba mea electi, qui mihi vicinius inhærent, qui sunt adeo pauci, ut in eorum comparatione iniqui sint multi. Non dico de iniquis hujus mundi, sed de his, qui sunt in Ecclesia, de quibus jam supra dixi : *Annuntiavi, et locutus sum : multiplicati sunt super numerum.* Insuper *et cor meum dereliquit me*, id est, homo pacis meæ, in quo speravi, in quo cor meum fiduciam habuit, *me dereliquit*, quod grave nimis est, quia nihil nocentius, quam sustinere illum inimicum, quem diligis quasi cor tuum. Sic ego Judam dilexi, quantum in me fuit, quandiu inter apostolos apparuit. Sed ille me dereliquit, suæque fraudis multos imitatores post se in Ecclesia futuros reliquit, a quibus omnibus

Vers. 14. *Complaceat tibi, Domine* Deus Pater, *ut eruas me* unicum Filium tuum cum omnibus membris meis talium fraude gravatis, atque ut in loca malorum palmitum præcisorum inserantur boni et fructuosi, utque non solum in locum Judæ Mathias positus fructum faciat, sed et omnium similium Ju-

Digitized by Google

cæ mercatoris pessimi loca similes Mathiæ apostoli obtineant, et fructum afferant. Tu, *Domine, ad adjuvandum me respice.* Me veram vitem *respice* tu, Pater agricola, tuoque respectu me adjuva inutiles palmites amputando, quia *tempus putationis advenit* (*Cant.* II, 12), bonosque purgando, ut fructum plus afferant.

VERS. 15. *Confundantur, et revereantur, qui quærunt animam meam, ut auferant eam. Confundantur,* me resurgente, *qui quærunt animam meam,* non ut fruantur ea in bono, sed *ut auferant eam,* quam tamen nemo tollet a me, sed *ego pono eam, et iterum sumo eam* (*Joan.* X, 17). Cum ergo eam resumo, illi *confundantur et revereantur, qui volunt mihi mala,* non solum qui faciunt, sed et qui volunt.

VERS. 16. *Et ferant confestim confusionem suam,* id est, agant pœnitentiam, *qui dicunt mihi: Euge, euge.*

In Hebræo legitur: *Pereant post confusionem suam qui dicunt mihi: Vah, vah.* Quod idem est, ac si dicatur: Illi, qui mihi dicunt: *Vah, qui destruit templum Dei, et in tribus diebus reædificat* (*Matth.* XXVII, 40), sic pereant, ut hujusmodi subsannationes vel timore ac reverentia constricti non audeant efflare contra me ac meos, vel amore devincti nolint.

Aliter: *Confundantur,* id est, miraculis per me ac meos coruscantibus turbentur ad pœnitentiam. Et ne sit infructuosa eorum pœnitentia deinceps, *revereantur* me, ac meos reverenter audiendo, *qui* nunc, dum est potestas tenebrarum, *volunt mihi mala* nescientes quid faciant, seducti videlicet per eos, qui me seductorem dicunt et malefactorem. *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum* (*Joan.* XVIII, 30), aiunt ad Pilatum. Item ad eumdem: *Domine,* inquiunt, *recordati sumus, quia seductor ille dixit: post tres dies resurgam.* Dicentes de me tanta mala *volunt mihi mala,* et faciunt, ut alii quoque per ipsos decepti velint mihi mala. Sed ego novi, et decipientem et eum, qui decipitur. Decipientem per malitiam, et eum qui decipitur per ignorantiam. Dico ergo: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34), signanter pro illis orando, qui per ignorantiam potius, quam per malitiam peccant in me. Unde audient posthac a discipulo meo Petro: *Et nunc, fratres, scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri* (*Act.* III, 17). Et addet: *Pœnitemini igitur, et convertimini, ut deleantur vestra peccata* (*ibid.*, 19).

Aliter: *Confundantur* et induantur sicut diploide confusione sua, *et revereantur* pudore et reverentia pœnalis timoris, nisi qui aliquando voluerunt, et nunc desierunt, seu aliquando desinent velle mihi mala; sed *qui* perseveranter et obstinate *volunt mihi mala* scienter et nequiter, qualibus et dico: *Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nunc autem quia dicitis: Videmus, peccatum vestrum manet* (*Joan.* IX, 41). Tales *volunt mihi mala,* etiam cum dicunt mihi bona, verbi gratia: *Magister, scimus, quia verax es, et viam Dei in veritate doces; licet censum dare Cæsari, an non?* (*Matth.* XII, 16.) Sic dicentes mihi bona *volunt mihi mala* captando sibi occasiones, per quas me accusent quasi hostem regni, et Cæsari contradicentem. *Confundantur et revereantur,* qui sic loquentes bona volunt mihi, et mala. Sæpe enim quis mala intendit, etiam cum benedicit, sicut maledicentes cæco illuminato ipsi mente cæcati dicebant: *Tu discipulus illius sis* (*Joan.* IX, 28). Bonum dicebant, sed malum volebant. Sæpe etiam a nesciente bono animo laudatur peccator in desideriis animæ suæ, quod est excusabile per ignorantiam. Sed cum dolose illud fit, peccatum est inexcusabile, quoniam ambo isti volunt mihi Christo mala, tam ille, qui sciens me bonum, dicit me malum: quam ille, qui sciens quemlibet adversarium meum esse malum, dicit eum bonum. *Confundantur* ambo isti manifesta bonitate illorum, quos malos, et malitia eorum, quos bonos dicunt. Nam ille iracundus est, iste dolosus; iracundus vituperat bonum, dolosus laudat malum. Uterque malus et cavendus, et contra utrumque orandum est, ut *confundantur,* sicut dictum est, et *revereantur.* De iracundis jam dixi, et oravi, ut *confundantur.* De dolosis adhuc dico: *Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi: Euge, euge.* In iracundis bene sustineo moram, quia expedit nonnunquam vel mihi, vel meis talium invectio, ut mihi David fuit utile audire maledictiones et improperia Semei, pro cujus maledictionibus ego sperans benedictiones, graviter accepi æmulationem filiorum Sarviæ pro me, atque patienter et longanimiter sustinui vituperia contra me jaculata, quæ mihi erant utilia. Sed in adulatoribus audiendis noxia est mora. Et ideo rogo, ut illi sine mora *ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi: Euge, euge.*

Aliter: *Complaceat tibi, Domine, ut eruas me.* Non dico: *Placeat,* sed *complaceat tibi, Domine,* quia ego pœnitens David intelligo Dominum meum trinum et unum. Propter Trinitatem personarum dico: *Complaceat,* optans, ut simul tota Trinitas in salvatione mea consentiat, et non unius personæ, vel duarum solummodo in me opus enitescat, sed omnibus tribus *complaceat, ut eruar* a malis cavendis, et adjuver in bonis faciendis. Neque rursum dico: *Complaceat vobis,* sed *tibi* propter trium unitatem, quia tres unum sunt. Dico ergo: *Complaceat tibi, Domine, ut eruas me* a malis. Et quia non sufficit declinare a malo, nisi faciam bonum, juxta quod alibi dicis mihi: *Declina a malo et fac bonum* (*Psal.* XXXVI, 27). *Domine, ad adjuvandum me* in bonis faciendis *respice.* Te trinum et unum invoco in adjutorium meum secundum tuum complacitum, quia te per speculum et in ænigmate video trinum pariter et unum. Speculum est creatura. Ænigma vero sacra Scriptura. Et utique in speculo creaturæ appares tu, Pater omnipotens, qui magna et multa de nihilo facere potuisti, et fecisti, atque per hoc

Digitized by Google

te omnipotentem Creatorem demonstrasti. Similiter tu, Fili, Dei æterna sapientia, te manifestas in creaturarum sapientissima ordinatione attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter. Tu quoque, Spiritus sancte Paraclete, per hoc appares in hoc speculo totius creaturæ quod omnia potenter a Patre creata, sapienter per Filium disposita, facis utilia sanctis et electis, quibus omnia cooperantur in bonum, quod est bonitatis tuæ magnum et evidens judicium in speculo creaturarum. Adhuc in trina rerum machina cœli, terræ, maris, tu, trine Deus, agnosceris, quoniam et tu, Pater, in cœlo esse diceris, cum tamen ubique sis : et tu, Fili, carne de terra facta indutus in terris visus es, et cum hominibus conversatus es : tu quoque, Spiritus amborum, qui in principio super aquas ferebaris, et nunc animabus vivificandis aquas fecundas, quique invisibilem Pharaonem cum suo exercitu in aquis baptismi, sanguine Christi rubricatis, mortificas, et per idem mare Rubrum populo Dei facis transitum ad terram promissam : qui etiam per aquas lacrymarum super nivem dealbas vitam pœnitentium, recte in aquarum elemento tibi familiari agnosceris, cum tamen æque ut Pater et Filius ubique sis omnia replens interius, et omnia continens exterius ; quia tu es ille Spiritus, de quo scriptum est : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis* (*Sap.* I, 7).

Convertentibus ergo vobis oculos ad inspectionem trinæ rerum machinæ, quasi per speculum videmus te ipsius fabricatorem trinum in unitate, atque unum in Trinitate, Patrem venerantes in cœlo, Filium incarnatum in terra, Spiritum sanctum in aquarum sibi familiari elemento, cum tamen tu, Deus trinus, totus ubique sis in tua majestate, qua complentur, continentur, gubernantur omnia. Pleni sunt cœli et terra gloria tua, qui dicis : *Cœlum et terram ego impleo* (*Jerem.* XXIII, 24), qui cœlorum contines thronos et abyssos intueris, terram palmo concludis, montes ponderas, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter. Qui mundum movens non moveris, visibilia regens non videris, continens omnia non contineris, et tamen in his, quæ moves, regis et contines, cognosceris, ut in speculo solis contemplamur imaginem, cujus oculi nostri ferre non possunt, ut videant in se ipso claritatem. Ipse quoque solaris corporis globus, de quo nascitur splendor, ac procedit calor, splendor terram illuminans, calor eam fecundans, ipse, inquam, globus, qui est mundi oculus, quoddam speculum Dei est, in quo apparet splendor paternæ gloriæ ipse Filius, et de quo procedit calor charitatis fecundæ in totum corpus Ecclesiæ, qui non est aliud, quam Spiritus sanctus in eo maxime conspicuus, quod in igne super apostolos visus adhuc sentitur in eorum linguis igneis, quoties audimus eos loquentes in scripturis vel epistolis suis.

Amplius autem in speculo angelicæ atque humanæ creaturæ tu, Pater, ostendis tuam potentiam, dando eis vitam usque adeo potentem, ut sive in æterna beatitudine sive in æterno supplicio sit mansura, nulli (96) obnoxia morti vel defectui sit in æternum duratura, quia, etsi ad tempus moriantur hominum corpora, spiritus tamen rationalis tam humanus quam angelicus non amittit semper vivere, etiam cum amittit bene vivere, quod in speculo rationalis creaturæ magnum est indicium tuæ, Pater, omnipotentiæ, cui nihil omnino valet resistere. Similiter et tu, Fili Dei, æterna sapientia clare appares in rationali creatura, quæ non habet aliunde, quod est rationale, nisi quod tu ratio æterna eam illuminas, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum. Inde est, quod ratio angeli vel hominis discernit lucem a tenebris etiam in his, qui dilexerunt magis tenebras quam lucem, quia tu, lux incircumscripta, circumscribis omnia corda sive te odientium, sive te diligentium. Sicut ergo lux diurna tangit æqualiter claros et lippos oculos, attamen illos delectat, istos cruciat; sic tu, lux vera, tangis pariter omnes rationales mentes, alias in adjutorium, ut fiant probabiles, et alias in testimonium, ut sint inexcusabiles, dum magis diligunt tenebras, quam lucem sibi ostensam in eo, quod discernunt mala et bona per eam. Sicut Pharao, qui dixit : *Dominus justus, ego autem, et populus meus impius* (*Exod.* IX, 27), et tamen sic noluit intelligere, ut bene ageret. Sic etiam Judæi et viderunt, et oderunt, et te lucem veram et Patrem tuum, Patrem luminum. Quid de cæteris impiis filiis tenebrarum dicam ? Nonne tu, lux indeficiens, luces, etiam in tenebris, licet ipsæ tenebræ te non comprehendant, dum se potius quam te amant ? Nonne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem, quod tu, lux vera, improbas iniquitatem, sive per legem naturalem cogitationibus invicem accusantibus aut etiam defendentibus cujusque vitam vel opus, sive etiam per legem scriptam præceptis evidentibus mala interdicentibus et bona præcipientibus? Per hæc omnia tu, lux vera, cognosceris in speculis creaturæ sensatæ ac rationalis : magis autem clare illa te specula mentium repræsentant in se, quæ a vitiis detersa, et usque ad purum decocta, seu limata et polita sunt. Tu autem, Spiritus sancte, qui disciplinæ effugies fictum, nec habitabis in corpore subdito peccatis, et aufers te a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, solas bonas mentes inhabitas, et in his tanquam in speculis pellucidis te manifestas esse Spiritum timoris, faciendo participes tui timoratos et pauperes spiritu. Tu quoque, Spiritus pietatis, in beatis mentibus ; Spiritus scientiæ, in beatis lugentibus et iniquitatem suam cognoscentibus ; Spiritus fortitudinis, in beatis esurientibus et sitientibus justitiam ; Spiritus con-

(96) Cod. *nullique*.

Digitized by Google

silii, in beatis misericordibus; Spiritus intellectus, in beatis mundo corde videntibus Deum; Spiritus sapientiæ, in beatis pacificis manifestaris tanquam in speculis puris et claris.

Qualiter itaque tu, trine Deus, per speculum videaris, exemplificandi gratia, quæ dicta sunt, modo sufficiant. Sed qualiter ænigmate Scripturarum trinus et unus cognoscaris, qui legit, intelligit, si prudenter animadvertit, quod non sine causa tu, Deus unus, dixisti : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26). Item dicis : *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, hoc nomen est mihi in æternum* (*Exod.* III, 15). Pluralis numerus, et nomen Dei tertio repetitum tunc insinuat esse trinum, cum dicis : *Faciamus*. Et : *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob*. Sed cum dicis : *Hoc nomen mihi est in æternum*, te insinuas unum. Alioquin diceres : Hæc nomina nobis sunt in æternum, si per nomen Dei tertio repetitum velles intelligi pluralitatem deorum, nec diceres : *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob*, sed nos sumus dii tres. Item cum dicis : *Audi, Israel, Deus tuus unus est* (*Deut.* VI, 4), fidem doces unitatis in Divinitate. At cum dicis : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua* (*Matth.* XXII, 37), trinum te insinuas, quia trina dilectione te colendum demonstras. Et hæc aliaque hujusmodi trinæ majestatis tuæ indicia sub velamento legis in ænigmate obscuro investigata vix elucent, sed in prophetis aptius clarent summæ Trinitatis testimonia, ubi manifeste agnoscitur Pater, cujus puer nobis natus, et cujus Filius nobis datus asseritur, qui et illic de se loquitur : *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me. Ad evangelizandum mansuetis misit me* (*Luc.* IV, 18). Ecce in prophetia summæ Trinitatis clara inveniuntur nomina, imo unum nomen Patris, et Filii, et Spiritus sancti, quia tres unum sunt. Unde in Evangelio apparens in carne veritas dicit : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Item : *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ ; qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit* (*Marc.* XVI, 15). Atque ut regula baptizandi constaret firma et perfecta : *Ite*, inquit, *docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19). Non ait : in nominibus, ne pluralitas deorum in tribus intelligeretur, sed *in nomine*, ait, *Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, ut unum Deum trinum sciant sibi colendum, qui acceptum servare volunt baptismum.

O summa Trinitas, quomodo eris colenda, quæ, sicut dictum est, in speculo creaturæ, atque in ænigmate Scripturæ agnosceris? Puto, imo firmissime credo, ac nullatenus dubito, quia sic te oportet coli, sicut ibidem prædicaris colendus, ubi et monstraris agnoscendus. Et tu quidem videris illic in ænigmate, sed qualiter sis colendus, non tam in ænigmatis obscuritate, quam in tuæ lucis claritate videtur, ubi dicitur : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua* (*Matth.* XXII, 37). Item : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Matth.* IV, 10). Quare illi soli : Audi Evangelium · *Nemo potest duobus dominis servire*. Item : *Non potestis Deo servire et mammonæ* (*Matth.* VI, 24). Uni ergo ac trino Deo serviamus colendo illum fide atque charitate. Fide ad Patrem, spe ad Filium, charitate ad Spiritum sanctum religati religione sincera. Colamus illum tres patriarchas : Abraham, Isaac et Jacob; tres justos : Noe, Daniel et Job; tres reges : David, Ezechiam, Josiam; tres pueros : Ananiam, Azariam, Misaelem; tres filios Mathathiæ : Judam Machabæum, Jonathan et Simonem; tres apostolos, Petrum, Jacobum, Joannem a Domino in montem assumptos diligenter imitando, et illorum exemplo. Colamus illum sobrie, juste ac pie vivendo : in sobrietate Patrem, in justitia Filium, in pietate venerando Spiritum sanctum. Colamus illum audiendo verbum illius obedienter, intelligenter, et libenter, sive delectabiliter. Obedientia Patrem, qui reverendus est, intelligentia Filium, qui sapientia est, ac delectatione libentissima venerando Spiritum sanctum, qui æterna verbi Dei dulcedo est. Colamus illum, sic loquendo, verbum Dei, ut moveamus, ut doceamus, ut delectemus auditorem attentum, docilem, benevolum reddendo, attentum Patri, docilem Filio, benevolum Spiritui sancto exhibere studentes inter audiendum Dei verbum. Colamus illum caute investigando et intelligendo, quæ sit voluntas ipsius trini Dei bona, et beneplacens et perfecta : bona in cultu Patris, beneplacens in cultu Filii, perfecta in cultu Spiritus sancti. Colamus illum rationis imagini ab ipso nobis impressæ addendo bipartitam similitudinem sapientiæ ac bonitatis ejus, ut sicut immutabilis in nobis rationis imago Patrem in nobis exprimit, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio : ita sapientia Filium, et bonitas in nobis exprimat Spiritum sanctum. Colamus illum dilectione gemina, quæ sit fortis, cauta, dulcis. Fortis ut mors ad honorem paternæ omnipotentiæ, cauta in devitandis malis ad honorem Filii, qui est sapientia, dulcis in adimplendis bonis ad honorem Spiritus sancti, qui est æterna bonitas. Colamus trinum Deum præteritæ vitæ memoriam per pœnitentiæ lamenta purificando, præsentis affectionem de terra in cœlum levando, futuræ intentionem simplici pietatis oculo illuminando, ut videlicet memoria candidata Patrem, affectio cœlestis inde nascens Filium unigenitum, qui de cœlo venit et super omnes est, de ambobus procedens, intentio simplex et pura glorificet Spiritum sanctum. Colamus illum cogitatione munda, locutione casta, operatione benigna. Colant eum in choro virorum senes, juvenes et pueri, atque in choro feminarum, turba martyrum, virginumque, ac simplices pectoralæ voci concordes pudicis in concentibus, ut in senibus et matronis antiqui dierum cana maturitas, in juvenibus et virginibus nostri Salvatoris et pu-

Digitized by Google

pugnatoris alacritas, in pueris ac puellulis beata sancti Spiritus honoretur munditia et simplicitas. Colamus eum jejunantes, orantes, et eleemosynas facientes nesciente sinistra quid faciat dextera, ut non hujus mundi, sed solius trini Dei captetur gratia per hæc tria christianæ religionis exercitia, Patre non incarnato approbante nostrum jejunium, quo purgamur a fæce carnalium desideriorum, Filio incarnato suscipiente in suæ carnis thuribulum nostræ orationis incensum, Spiritu sancto, qui est amborum charitas, acceptante nostras eleemosynas non ex tristitia vel necessitate, sed ex hilaritate charitativa datas.

Colamus trinum Deum in nostro pariter eloquio et silentio. Nam Pater dixit, et facta sunt ista omnia, quibus indiget vita nostra super terram. Filius docuit vitam alteram sua resurrectione testificatam, quæ non est in hoc mundo. Spiritus sanctus loquendo in sanctis postulat gemitibus inenarrabilibus. Loquendo igitur de necessariis hujus vitæ in servitio Dei transigendæ, honoramus Patrem, quia ipse scit, quod his omnibus indigemus; loquendo vero de gloria vitæ futuræ in Christi resurrectione præostensæ Filium honoramus. Porro in laudibus, et gratiarum actionibus, vel orationibus honoratur Spiritus sanctus, quia ipse per talia vel soliloquia in secreto, vel symphonias in choro postulat in sanctis et pro sanctis gemitibus inenarrabilibus, dum quod profertur ore, hoc versatur in corde. Colamus etiam trinum Deum in silentio, quo a reliquis locutionibus labia et linguam frenamus, ut hæc tria membra in supra notatis tribus bonis locutionibus impolluta semper Deo exhibere valeamus.

Colamus trinum Deum tribus digitis pingendo crucem ejus in facie nostra sub fide ac nomine Trinitatis. Colamus eum tribus digitis de illo scribendo. Colant eum feminæ tribus et ipsæ digitis non solum bona et sancta scribendo, sed etiam tribus digitis apprehendendo et tornando fusum, sicut laudatur mulier fortis, eo quod *digiti ejus apprehenderunt fusum* (*Prov.* XXXI, 19). Item in Ecclesiaste dicitur : *Tempus scindendi, et tempus consuendi* (*Eccle.* III, 7) : hoc nimirum excepto intellectu sacratiore, quo acus intelligitur vel timor Domini acutus, subtilis, omnia penetrans, vel ipse Christus. Unde in Evangelio diviti negatur facilis transitus per foramen acus, quia divitias amantem non recipit angusta porta, quæ est ipse Christus (*Matth.* XIX, 24). Hoc, inquam, tempus consuendi etiam ad opus manuum fortis mulier adaptare potest, quæ vestes pauperum consuendo tribus digitis acum tenendo operatur opus, unde in pauperibus Trinitas glorificatur. Non solum autem de tribus digitis bene operantibus, verum etiam de tribus farinæ satis, in tota substantia hominis Trinitas glorificatur et colitur, si fit, quod Apostolus orat dicens : *Deus pacis sanctificet nos per omnia, ut integer spiritus vester et anima, et corpus sine querela in adventu Domini Jesu Christi servetur.* (*1 Thess.* V, 23).

Quod ego David psallens, vel pœnitens opto in me compleri. Propterea non unam personam Trinitatis, sed totam Trinitatem invoco dicens : *Complaceat tibi, Domine.* Complaceat, id est simul placeat omnibus tribus, qui tres unum sunt, ut eruat a malis, quæ non expediunt, vel quod pejus est, impediunt me a vero cultu summæ Trinitatis, atque adjuver in bonis operibus et virtutibus ad honorem ipsius æternæ ac summæ Trinitatis ita viriliter exsequendis, ne me irrideant inimici quasi pigrum operarium et inutilem servum, sed videntes te, summa Trinitas, perfecte a me coli, *confundantur, et revereantur* præcipue illi, *qui volunt mihi mala*, et qui adulantes dicunt mihi : *Euge, euge*, quorum alii sunt Gogitæ, alii Magogitæ ampliantes exercitum Antichristi, qui dicitur Gog et Magog. Qui enim simulantes bona mea se amare subdolo corde dicunt mihi : *Euge, euge*, quasi applaudentes mihi de bonitate, ipsi sunt Gogitæ videlicet sic tecti, ut malitia eorum non valeat facile agnosci. Qui autem vituperant aperte, ipsi sunt Magogitæ, quia detecti sunt esse inimici, cum prius forsitan putarentur amici. Tolerandi sunt isti Magogitæ ad tempus, quia exercent patientiam, purgant culpam, suaque iracundia divinam sæpe avertunt iram, dum nocere affectantes prosunt inviti eis, maxime, quibus omnia cooperantur in bonum, etiam, quæ illis intenduntur ad malum. Sed illi Gogitæ, qui simulantes amicitiam *dicunt mihi : euge, euge, ferant confestim confusionem suam* deprehensa ipsorum adulatione, ut illius Gogitæ, qui me verum David, cum doloso corde nominasset magistrum bonum, confestim repercussus est a me dicente : *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi solus Deus* (*Luc.* XVIII, 19). Ita omnes, *qui dicunt mihi*, id est meis per adulationem, bene, bene actum est a te, *ferant confestim confusionem suam* clarissima rerum evidentia confutati, quod nemo bene operatur, nisi solus Deus. Nam cæteri *omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (*Psal.* XIII, 3) et solum Deum, qui faciat bene, vel bonum, quia ipse solus est, qui operatur et velle et perficere pro bona voluntate. Unde sobrius operator dicit : *Non autem ego, sed gratia Dei mecum* (*I Cor.* XV, 10), subaudis : operata est.

Ferant igitur *confusionem suam*, qui mihi Christiano, mihi palmiti attribuunt bonum, quod in me cernunt, cum fructus omnis, quem vitis vera per me vel in me operatur, licet videatur in me, non tamen mihi sit ex me, sed ex vite Christo, vitisque radice Deo, quia caput Christi Deus, ex quo per ipsum vivit omnis palmes fructuosus. Neque enim Christus vera vitis palmitibus in se manentibus vitam dare posset, nisi idem, qui homo est hominibus connaturalis et consubstantialis. Inde mihi manenti in eo bona est cogitatio quasi pampinus, bona intentio quasi flos præcedens fructum, bona operatio quasi fructus bonus, pro quo cum dicitur mihi : *Euge, euge*, quia gloria Dei transfertur in me, qui

Digitized by Google

hoc dicunt, *ferant confestim confusionem suam* repercussi operum bonorum tanta magnificentia, quam nullus humanus intellectus mihi valeat vel dignetur ascribere, lucente in operibus meis divinæ gratiæ manifesta et sola operatione, atque illa dignatione, qua cum essem indignus, dignata est operari per me, ac mecum suum opus divinum, et divinitus ita magnificatum, ut me quoque tacente cogatur ferre confusionem suam, qui mihi homunculo præsumpserit attribuere gloriam divinam soli Deo debitam, qui facit mirabilia magna solus, et in quo solo recte gloriandum est omni sancto, qui facit mirabilia in vita sua; quæ non aliunde fecit, nisi quia ille in eo fecit, qui facit mirabilia magna solus. In quibus faciendis bonorum meorum non indiget, sed tamen per me fecit, et facit bonum, quod sibi placet. Tu ergo solus in me lauderis, et glorificeris, qui, cum ego videor bene facere, tu bene facis per me. Quia vero illud commune est bonis et malis, ut per eos bene ac bona tu bonus opereris, cum solis autem illis operari diceris, quos per bonam intentionem tui boni operis consortes efficis. Inde magis

VERS. 17. *Exsultent, et lætentur super te omnes quærentes te, et dicant semper : Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum*, qui amant Christum Salvatorem verum, quod cum dives sis, ego vero egenus et pauper sim, tu tamen gratiæ tuæ dona non deserens etiam per me pauperem et egenum, atque mecum sic operaris opera mirifica, ut si quis ea mihi assignaverit aliquo sobrio auditore audiente, confestim ferat confusionem suam, dicatque illi : Quare attribuis peccatori homini opus justitiæ, opus virtutis, opus Domini? Quare homunculo exiguo assignas opus magnificum, quod constat fieri non posse, nisi a solo Deo?

Aliter : *Exsultent, et lætentur. Exsultent* corporis alacritate : *lætentur* mentis hilaritate *super te omnes quærentes te, super te* fundati : *quærentes te* glorificare, non me, atque glorificantes te in me : *et dicant semper : Magnificetur Dominus. Dicant semper* interdum labiis, jugiter autem clamore cordis, quid *dicant? Magnificetur Dominus*, vel semper *magnificetur Dominus* in servo suo, quem justificando ac magnificando se ipsum demonstrat magnum, seu magnificum. *Semper* itaque *magnificetur Dominus* in eo, quod multiplicetur servorum ejus numerus, ac *magnificetur* non ad horam, sed *semper* quilibet servus ejus, cujus respectu ipse magnificetur et glorietur appellari Dominus. Est namque apud homines quoque usitatum, ut, cum videtur honestus et pretiosus cujusquam Domini servus, inde honorabilis ac magnificus appareat ipse Dominus. Ergo ut in servorum suorum clarificatis ac magnificatis virtutibus *magnificetur Dominus, dicant semper : Magnificetur Dominus*, qui volunt *salutare tuum, Domine.*

VERS. 18. *Ego vero egenus et pauper sum, Deus, adjuva me.* Illi, qui mihi dicunt : Euge, euge sive adulando, sive, ut putant, veraciter laudando quasi divitem bonisque multis vel spiritualibus, vel etiam temporalibus abundantem glorificant et exaltant me suis laudibus. *Ego vero egenus et pauper sum*, judicio meo proprio, quia ego me ipsum cognosco melius quam ipsi, et scio quod *egenus et pauper sum. Egenus*, quia multis indigeo : *pauper*, quia non habeo, quibus indigeo. Est, qui multis indiget, et multa quoque habet, quibus indiget, hic licet sit *egenus*, non tamen est *pauper*. Est item qui paucis indiget, et pauca, quibus indiget, habet, neque hic pauper est, imo ille se ditioribus, qui pluribus indigent, pluraque habent, copiosior est, quia melius est minus agere quam plus habere, divesque satis est illa paupertas, quam nulla coangustat egestas. Unde est illud : *Sufficiebat nobis paupertas nostra, ut divitiæ computarentur* (*Tob.* v, 25). *Ego vero egenus et pauper sum*, quia multis indigeo, quæ non habeo, multis indigeo propter me ipsum, quia fragilis ego sum, neque modicis vel paucis hujus vitæ adminiculis contentus esse possum. Gravis quoque sum : nam *factus sum mihimetipsi gravis* (*Job* VII, 20), neque ad superna levari possum paucis aut modicis virtutum vehiculis, aut raris morum sanctorum pennis. Ita in me ipso propter me ipsum pluribus indigeo, quæ quia non habeo, *pauper sum.*

Præterea propter alios per me juvandos et consolandos item pluribus egeo quæ non habeo. Illi quidem clamant vel respiciunt ad me quasi ad divitem se consolari vel adjuvare valentem ac debentem. *Ego vero egenus et pauper sum.* Scio me debere illis adjutorium, et solatium, sed inde miserabilis *egenus et pauper sum*, quod constringor debito ad alios juvandum, qui nec mihimetipsi prodesse possum, quia *egenus et pauper sum.* Est autem in hoc mihi spes unica salutis et consolationis, quod *Dominus sollicitus est mei.*

Hebraica veritas habet : *Egenus et pauper sum*, quod jam est expositum. Nostra translatio habet : *Mendicus sum et pauper*, quod ita exponi potest. Alii cum se laudari audiunt apud se intumescunt, et cum Pharisæo dicunt : *Gratias tibi ago, Deus, quia non sum sicut cæteri hominum* (*Luc.* XVIII, 11). *Ego autem mendicus sum* dicens cum publicano suos pollutos oculos ad cœlum non levante : Quid dico? *Deus propitius esto mihi peccatori.* Sic *mendicus sum et pauper* judicio proprio, etiam cum extollor judicio alieno. *Mendicus* sum pro impetranda peccatorum indulgentia, qui magnificor apud alios de virtutum copia. *Mendicus* sum, non ut avarus, qui petit etiam superflua, sed ut pauper petens necessaria. *Mendicus et pauper sum* quia peto, et nec dum sufficienter exauditus sum. *Mendicus sum*, quia peto; *et pauper*, quia mihi non sufficio. Ut adhuc mendicans dico :

Adjutor meus et protector meus tu es; Deus meus, ne tardaveris. O Domine, *adjutor meus* es, qui hactenus in multis bonis adjuvisti me; *protector meus* es, qui a malis multis protexisti me; *Deus meus*

Digitized by Google

es, qui fecisti me. Hoc totum constat. Sed ne deficiam in via, peto, *ne tardaveris* adjuvare in bonis, protegere a malis, ac deificare in præmiis participatione tuæ Deitatis. *Tu adjutor meus, protector meus, Deus meus*, dico tibi : *Ne tardaveris*, quia nisi festines dies malos breviare, in errorem inducentur, si fieri potest, etiam electi, quanto magis ego mihi timeo, qui utrum sim electus, ignoro. *Væ prægnantibus et nutrientibus in illis* (*Matth.* XXIV, 19), vel potius in istis *diebus* malis, in quibus ego egenus vel mendicus et pauper angustor undique videns prægnantibus et nutrientibus incumbere magnum væ. Nam væ prægnantibus, id est alienarum rerum desiderio intumescentibus, et væ nutrientibus, id est male acquisita diligentibus, et reddere nolentibus. Ego vero *egenus sum et pauper*, quia dum omnia, quæ juste habere potui et potero, dedi et do pauperibus, et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum, *pauper et mendicus* ego sum factus. Pauperes juvando *pauper* factus sum : mendicos juvando *mendicus* factus sum, mendicans a divitibus, quod darem pauperibus.

Legi dictum : Melius est non habere quod tribuas, quam impudenter petere quod des. Quod pensans nolui mendicare impudenter, sed mendicavi humiliter cum magno pudore. Nunc autem ne mendicans existimer lucra turpia congerere sub eleemosynarum specie, *adjutor meus esto, Domine*, ut te juvante, atque in adjutorio tuo minime tardante sufficiens inveniar, et jam ulterius in mendicitate et ferro non constringar, sed in omnibus necessitatibus meis et meorum beatum consolatorem experiar, qui intelligat super me egenum et pauperem; intelligat, dico, non audiat : vel me mendicantem audire opus habeat, sed per seipsum pietate motus intelligat super me, vel alium egenum et pauperem et tacentem. Præcipue talem consolationem *exspectans exspectavi* a te, Domine, ut in principio psalmi dixi : Tu ergo, *Domine, ne tardaveris*, quin sine mora semper ut *exspectans exspectavi*, mihi et meis auxilieris.

Aliter : *Dicant semper : Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.* Hoc dicant in laudando et magnificando te, Domine, sed in suimet consideratione dicat unusquisque : *Ego vero egenus et pauper sum.* Hoc de se quisque dicat, et, ut dicit, verum esse intelligat, quia *beatus qui intelligit super* seipsum *pauperem et egenum*, cumque se pauperem dicit vel peccatorem, sic intelligit, ut dicit : Ego de me intelligo, quoniam paupertatem et iniquitatem meam ego cognosco. Unde pariter et hoc intelligo quod *Dominus sollicitus est mei*, a quo hunc intellectum habeo, cui et dico : *Adjutor meus et protector meus tu es : Deus meus, ne tardaveris.*

Aliter : *Ego autem mendicus sum et pauper.* Cum ego verus David, qui loquor in hoc psalmo, satiassem de quinque panibus quinque millia hominum, illi satiati volebant me rapere ac regem facere (*Joan.* VI, 15). Sciens autem ego quia *regnum meum non est de hoc mundo* (*Joan.* XVIII, 36), fugi ab eis in montem solus orare ac mendicare, quia, cum dives essem, propter alios ditandos *egenus et pauper* in hoc mundo visus sum, et *mendicus* inter homines, a quibus mendicavi per me vel meos ista temporalia, ut eis darem cœlestia. Sic mendicavi aquam a muliere Samaritana, ut eam potarem longe meliore aqua. Per amplius autem et perfectius mendicavi pro meis orando ad Patrem dicens : *Pater, serva eos quos dedisti mihi, non pro his autem rogavi*, et mendicavi tantum, *sed etiam pro his, qui credituri erant per verbum eorum in me, ut omnes unum sint in me, sicut ego et Pater unum sumus* (*Joan.* XVII, 11, 12), qui cum sit Pater meus, quia Deus Dei Filius ego sum, est etiam Dominus meus, quia memetipsum exinanivi formam servi accipiens et illi fideliter serviens, quia *sicut mandatum dedit mihi, sic facio* (*Joan.* XIV, 31). Unde et ipse Dominus, cujus in servitio ego humiliatus sum, non obliviscitur mei vel meorum, sed *sollicitus est mei* et meorum, cui et dico : *Adjutor meus et protector meus es, Deus meus. Adjutor* in persolvenda obedientia ; *protector* contra mala, quæ occurrunt in ipsa obedientiæ arcta via ; *Deus meus* et meorum, quibus dixi : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum* (*Joan.* XX, 17). Scio quod me ac meos adjuvas et protegis, sed peto : *Ne tardaveris*, imo ita velociter adjutorium et protectionem meorum opereris, ut notum fiat omni mundo, quod velociter currit sermo tuus, per quem tuos adjuvas et protegis, in quo faciendo rogo, Pater, ne moreris, *ne tardaveris.* Tu quidem per prophetam de me puero tuo loquens, dixisti : *Voca nomen ejus : Accelera velociter Spolia detrahere, Festina prædari* (*Isa.* VIII, 3). Et ego secundum nomen meum cupiens opera mea celeriter, velociter, festinanter in obedientia mea et meorum consummari, te adjuvante ac protegente me in meis, rogo, *ne tardaveris, ne moreris.*

Gloria Patri Domino, quem *exspectans exspectavi*, et intendit mihi. *Gloria Filio*, qui dicit in hoc psalmo : *Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus. Gloria Spiritui sancto*, qui est illa voluntatis paternæ ac filialis unio et communio, in qua Deo Patri Deus Filius homo factus dicit : *Voluntatem tuam, Deus meus, volui.* Cum enim dicit Patri Filius : *Voluntatem tuam volui*, significat se Patrem diligere, ac se a Patre diligi, quia idem velle idemque nolle in bonis amicitia firma est, etiam in contractibus hominum : quanto magis inter Patrem et Filium, quibus idem volendi sempiterna unio est illa dilectio, quæ Spiritus sanctus recte intelligitur, qui affirmante Joanne apostolo amor est? Glorietur Pater et glorificetur, quod illo intendente mihi exauditus sum, et eductus de lacu miseriæ, et de luto fæcis. Glorietur Filius, et ab omni creatura glorificetur, quod aures perfectas habuit, quibus Patrem perfecte audivit, eique pro nobis obedivit. Glorietur

Digitized by Google

et glorificetur Spiritus amborum, quo apostolos inflammante pariter et illuminante annuntiata est justitia in Ecclesia magna gentium, quæ ante sancti Spiritus adventum clausa fuit in parva synagoga Judæorum. Glorietur et glorificetur summa Trinitas cui dicitur : *Complaceat tibi, Domine, ut eruas me*, quia salus mundo non provenisset, nisi tribus in unum complacuisset, qui tres unum sunt. Unde non dicitur : *Complaceat vobis Dominus*, sed : Complaceat tibi, Domine, ut agnoscatur unitas in trinitate, ac trinitas in unitate, cui sit honor et gloria semper ubique sine fine, sine defectu in Ecclesia magna, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS XL.

Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, etc. Titulus est :

(Vers. 1) IN FINEM PSALMUS DAVID.

Vel secundum Hieronymum : *In finem intellectus filiis Core.* Core, sicut in libro Numeri (xxvi, 11) legitur, cum Dathan et Abiron altercantibus contra Moysen et Aaron surrexit, quibus absorptis a terra cum omni substantia sua, Core cum ducentis quinquaginta incensum offerens cum eisdem igne consumptus est, in figura perditionis eorum, qui Christi sacerdotio contradicunt. Quidam autem filii Core patris sui nequitiam non sunt imitati. Unde et a David postea in ministerio domus Domini ordinati sunt et a Domino æterno gaudio benedicti. Unde etiam psalmi, qui præscribuntur filiorum Core, nihil triste habent. Interpretatur enim Core *Calvaria*, qui locus fuit Resurrectionis, cujus, quicunque filii, tristes esse non possunt. Nam et ipsa Passio Christi, quæ per Calvariam designatur, gloria nostra est. Unde Apostolus ait : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Galat.* vi, 14). Hæc Calvaria in Elisæo præsignata est, qui, cum de Jericho ascenderet in Bethel, egressi sunt de Bethel quadraginta duo pueri, qui, cum Elisæum irriderent dicentes : *Ascende, calve* (*IV Reg.* ii, 23), jussit Eliseus duos ursos exire de saltu, a quibus pueri interfecti sunt. Sic et Christus, cum ascenderet in Bethel, id est *in domum Dei*, quæ erat Synagoga, irrisus a parvulis jussit exire duos ursos, hoc est diabolum et angelos ejus, vel Vespasianum et Titum, a quibus quadraginta duo interfecti sunt, quia post resurrectionem anno quadragesimo secundo destructi sunt qui, hoc annorum numero dato sibi ad pœnitentiam non pœnituerunt. Hujus ergo Core filii sunt, qui humilitatem ejus imitantes signum crucis, quod fuit ignominiæ, susceperunt, quorum *intellectus in finem* Christum dirigitur, a quibus creditur esse Deus, quamvis pauper et passus, quod est intentio psalmi, et est gloria eorum etiam Calvaria Passionis.

Nota quoties *intellectus* titulo ascribitur, aliud, quam videtur, superintelligendum est. Loquitur autem ipse Christus in isto psalmo. Quis enim alius hoc dicit : *Homo pacis meæ, in quo sperabam, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem. Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me, et retribuam eis.* Nempe dubitare de hoc non sinit, qui cum dixisset sub ipso Passionis articulo : *Ego scio, quos elegerim*, continuo subjunxit : *Sed ut impleatur Scriptura : Qui manducat panem meum, levabit contra me calcaneum suum* (*Joan.* xiii, 18) ; ipse igitur, qui cum dives esset, egenus et pauper pro nobis factus est, et in fine præcedentis psalmi dixit : *Ego autem mendicus sum et pauper, Dominus sollicitus est mei ;* et hic in principio sequentis : *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem*, etc. Ostendens etiam damnationem miseriamque eorum, qui scandalizantur in eum reputantes eum tantum egenum et pauperem, id est hominem : et illorum beatitudinem, qui non scandalizantur in eum, credentes eum verum esse hominem, et verum Deum.

Distinguitur autem psalmus iste in tres partes, quarum in prima sonat vox prophetæ, vel cujusque doctoris orthodoxi docentis, illum esse beatum, qui Christi videns infirmitatem intelligit, quod ejus virtus divina etiam in infirmitate humana perfecta fuit. Secunda sonat vox capitis de sua Passione agentis ibi : *Inimici mei dixerunt mala mihi.* Tertio de Resurrectione ibi : *Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me.* Hunc textum psalmi latius explicemus.

Vers. 2. *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem.* Christus in superioris psalmi fine dixit : *Ego egenus et pauper sum.* Sed, *beatus, qui intelligit super egenum et pauperem* (*II Cor.* viii, 9) istum. Ipse enim, *cum dives esset, pro nobis pauper factus est, ut nos illius paupertate divites essemus.* Nam cum *in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* (*Philip.* ii, 6). Erat igitur æqualis in divitiis Deo Patri semper in sua divinitate. Ipse quoque homo factus dicit : *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo* (*Matth.* xi, 27). Erat ergo dives, qui et in divinitate sua semper habuit omnia, et cui in humanitate sua tradita sunt omnia quæ habet Pater. Habet Pater omnia condita in potestate sua visibilia et invisibilia, sive thronos sive dominationes, principatus, et virtutes, aliaque angelorum agmina, et cuncta quæ intelligi et sentiri possunt, vel quæ intellectus angelicos et humanos excedunt, et soli Deo nota sunt, ut illa incomprehensibilia judicia ejus et viæ investigabiles, in quibus ei nemo est consiliarius, et pax Dei, quæ exsuperat omnem

Digitized by Google

sensum. Cuncta hæc habuit semper et habet Pater, atque omnia simul tradita sunt Homini Deo a Patre suo. In eo enim, quod homini divinitus concepto dedit hoc, ut ipse sit Pater ejus non adoptando, sed generando, pariter illi dedit omnia, quæ idem filius prius una secum habuit in divinitate sua. Quid habuit? omnia utique habuit, quæ Pater, non solum in possessione, sed etiam in gloria, qua gloriosus fuit ante sæcula. Gloriam hanc egenus et pauper homo de virgine genitus ab ipsa conceptione habuit plene, sed noluit in ea manifeste apparere occultans gloriam suam pro nostra salute. Si enim hunc Dominum gloriæ homines vel principes cognovissent, nunquam illum crucifixissent.

Apparuit ergo *egenus et pauper*, ita ut non haberet ubi caput suum reclinaret, carens hospitio proprio in hoc mundo. *Beatus* tamen, *qui intelligit super egenum et pauperem*. Beatus erat Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit ei, sed Pater cœlestis, ut intelligeret super egenum et pauperem illum. Non *super egenum et pauperem* istum, sed longe *sub eo* intellectum habuerunt homines quorum alii dicebant eum esse Joannem Baptistam, alii Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis (*Marc.* VIII, 28). *Beatus* vero discipulus, quem Pater summus docuit, *super egenum et pauperem* hunc intellexit, hoc scilicet, quod ei Pater ipse revelavit. In eo enim, quod se Patrem egeni ac pauperis hujus, et illum non adoptivum sed naturalem Filium suum Deus Altissimus revelavit, illud quoque pariter innotuit, quod ipse non ut unus ex prophetis egenus et pauper sit. Quis enim prophetarum sic est in se ipso dives, ut sua virtute possit, non dico bona maxima vel bona omnia, sed bona pauca vel minima? Quis de numero sanctorum omnium dicere in veritate potest: *Omnia possum*, nisi addat: *in eo, qui me confortat?* (*Philip.* IV, 13.) Quis autem confortat electos nisi Christus, *Dei virtus, et Dei sapientia* fortiter attingens a fine usque ad finem, et disponens omnia suaviter? (*Sap.* VIII, 1.) Et quis vel quid *egenus et pauper* iste, quem in sua pauperate a Judæis derisum vidimus non habentem speciem neque decorem, nisi Dei virtus, et Dei sapientia? Joannes, Elias, Jeremias, aut unus quilibet ex prophetis poterat vocari et intelligi sapiens et virtuosus: nullus tamen eorum dici poterat *sapientia* seu *virtus Dei*, quia nulli eorum data fuit hæc altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, ut esset ipse ipsa sapientia Dei. Sed huic egeno et pauperi, quem dicunt homines esse Filium hominis proprie, Dei autem non proprie pro assumpta mortalitate, omnino datum est æque proprie Filium Dei, ut Filium hominis esse. Alioquin de Filio hominis interrogatus Petrus non vere dicere potuisset: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, nisi Filius hominis esset et Filius Dei (*Joan.* VI, 70). Quod si Filius Dei est homo non per adoptionem sed per generationem, divitias utique Patris jure possidet, non sicut *egenus et pauper* admissus per solam gratiam in hæreditatem sibi alienam, sed sicut filius naturalis ingressus in hæreditatem propriam de qua egressus videbatur ad horam, quando *a summo cœlo egressio ejus* (*Psal.* XVIII, 7) excursum fecit usque ad inferos, quibus despoliatis, et multis divitiis inde ablatis, *egenus et pauper* iste regressus est ad Patrem sibi recipiens hæreditariam divitiarum sempiternam claritatem, quam habuit, priusquam mundus fieret.

Etenim hæreditas ejus in præclaris divitiis fuit, etiam quando egenus et pauper in hoc mundo apparuit. Fuit quidem egens et pauper natura humana necdum in Deum assumpta, cum esset in massa sua indistincta; sed ubi per Spiritum sanctum segregata, et in Deum hominem novum formata est, jam segregatus a peccatoribus egenis et pauperibus, et excelsior cœlis factus recte dives intelligitur; non ut ille, qui partem divitiarum Dei acceperit, sed ut ille, cui Pater omnia dedit, et qui veraciter dicit: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*. Hoc Petrus agnovit, qui super *egenum et pauperem* bene intelligens dixit: *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Super hunc locum beatus Ambrosius in Lucam dicit: *Licet cæteri apostoli sciant, Petrus tamen respondit præ cæteris:* Tu es Christus Filius Dei vivi (*Matth.* XVI, 16). *Complexus est itaque omnia, qui et naturam et nomen expressit, in quo summa virtutum est.* Item ipse post pauca: *Scivit Petrus, quod in Filio Dei omnia sint. Omnia enim dedit Pater Filio. Si omnia dedit, æternitatem, quam habet, dedit, majestatemque transfudit.*

Hæc dicente sancto Ambrosio, et nos consona sentiendo *super egenum et pauperem*, de quo hic agitur, sic intelligimus, ut eum æque divitem asseramus, ut est Pater ipsius. Unde in summa suæ pauperatis in humiliatione commemorans Evangelista, qualiter suis discipulis pedes lavit, ait inter cætera: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, surgit a cœna, et ponit vestimenta sua* (*Joan.* XIII, 3 et 4). Ecce is, cui Deus Pater dedit omnia, *ponit vestimenta sua*, linteoque præcinctus cœpit lavare pedes discipulorum suorum. Nisi enim semetipsum exinanisset, nisi linteo nostræ passibilitatis cinctus fuisset, nos a peccatis non lavisset. Attamen in ipsa humiliatione exinanitionis suæ scivit, *quia omnia dederat ei Pater in manus;* omnia, inquam, sine omni exceptione dederat ei Pater quando illud dedit, ut ipse sit ei Pater, cui et dicit: *Ego ero ei in Patrem, et ipse erit mihi in filium* (*I Paral.* XVII, 13). Item: *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Psal.* II, 7). Genui ait, non adoptavi ut alios filios, ideoque recte pauper et egenus iste super omnes intelligitur filios Altissimus altissimi, ditissimus ditissimi Patris Filius omni altitudine divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ditatus in humanitate non minus, quam semper dives erat in sua et Patris divinitate; quoniam homo in Deum, Dei Filius natus nihil non habere potest, quod Deus Dei Filius habet, cum Filius hominis idem sit, qui Filius Dei. Habet Filius Dei Deum Patrem, similiter Filius hominis habet

Digitized by Google

eumdem Patrem. Habet Filius Dei divinitatem, in qua Deus perfectus est : Filius quoque hominis habet divinitatem, in qua ipse idem Deus perfectus est. Licet enim Deus assumendo humanitatem non sit mutatus in hominem, qui semper mansit et manet idem, nunquam se ipso minor vel major : tamen humanitas accipiendo æternam divinitatem sic profecit ad æternæ gloriæ majestatem in Dei Filio, ut non sit homo inferior aut pauperior Deo in omnimoda gloria sibi data, licet minor divinitate sit natura humana, quæ non crevit in sui conditione, crevit autem in suæ gloriæ confirmatione in qua eum Pater confirmavit sibi coæqualem, sicut ei dicitur : *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, et super filium hominis, quem confirmasti tibi* (*Psal.* LXXIX, 18). Fragilis enim etiam in Filio Dei erat natura humana, quoadusque per divinitatem sibi insitam firmata est, quæ in conceptione supervenientе Spiritu sancto et virtute Altissimi obumbrante confirmata est latenter, sicut etiam David latenter primo fuit unctus in regem, postea mortuo Saule unctus est manifeste. Sic et Christus, ubi mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit, confirmatus est manifeste omni fragilitate, quam pro nobis gessit, absorpta, et gloria ejus revelata, quæ in conceptione quidem data, sed per Resurrectionem et Ascensionem, sanctique Spiritus distributiones manifestata est. Unde illi Pater pro suæ humanitatis clarificatione oranti dicit : *Et clarificavi ; et iterum clarificabo* (*Joan.* XII, 28). Quasi dicat : Clarificavi in conceptione latenter, et iterum clarificabo evidenter. Tunc te unxi regem in domo virginalis uteri dicente angelo ad virginem : *Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris sui, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.* Item : *Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur* (*Luc.* I, 32). Posthac manifestabitur in toto mundo, non quidem omni populo, sed testibus præordinatis, quod tu es ille, de quo scriptum est : *Dixit Dominus Domino meo : sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal.* CIX, 1). Nonne homo pauper et egenus, cui vel de quo hæc dicta sunt, intelligendus est *super egenum et pauperem*, id est, longe in infinitum supergressus egeni et pauperis hominis habitudinem, qui licet sit *habitu inventus ut homo, humiliatus usque ad mortem, mortem autem crucis :* tamen habet *nomen, quod est super omne nomen?* (*Philip.* II, 7, 9.)

Beatus qui intelligit hoc nomen, cujus intellectus est *super egenum et pauperem*. Nam in habitu egeni et pauperis non solum intelligi, sed et videri, ac male tractari potuit, et beatus erat, qui non fuerat scandalizatus in eo, intelligens Deum impassibilem qui in habitu egeni et pauperis sustinuit Passionem. *Nos*, ait Apostolus, *prædicamus Christum crucifixum Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam* (*I Cor.* I, 23). Quare aliis est stultitia, vel scandalum Christus crucifixus, aliis autem Dei virtus et Dei sapientia ? Ideo scilicet, quia illi non intelligunt *super egenum et pauperem*, non intelligunt in eo aliquid *super* quam visum est in eo, nihil *super egenum et pauperem*, nihil *super* hominem, neque credunt esse Deum, quem audiunt crucifixum. Isti vero intelligunt eum non solum egenum et pauperem pro nobis factum (tam et hac intelligentia accedenti ad Deum opus est, si quidem, ut ait Apostolus, *pro nobis pauper factus est, ut illius inopia divites essemus* [*I Cor.* VIII, 9], *et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus, et quod stultum est Dei, sapientius est hominibus* [*I Cor.* I, 25], non inquam, eum solum pauperem intelligunt, sed multum per omnem modum *supra* intelligunt eum, scilicet divitem, æternum et omnipotentem esse ac fuisse Deum, quo moriente sol obscuratus est, velum templi scissum est, petræ scissæ sunt, et terra contremuit, quo item resurgente terræ motus factus est, et multa corpora sanctorum surrexerunt cum eo, et apparuerunt multis, quo etiam ascendente, atque spiritum promissum suis mittente loquebantur variis linguis magnalia Dei ; contestantibus signis, prodigiis et virtutibus, et Spiritus sancti distributionibus, quod non esset pauper et egenus solum, qui ascendens in altum captivam duxit captivitatem, deditque dona hominibus, qualia dare non posset pauper solum et egenus, qualia non posset dare, nisi ditissimus Deus, qui etsi crucifixus tanquam pauper et egenus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei, nec pro paupertatis inopia contemnendus, sed magis glorificandus et diligendus est, siquidem pauper erat non necessarie, sed voluntarie, non conditione, vel generis indignitate, sed dignatione, non casu fortunæ, sed rationabili ac sapientissima electione.

Beatus igitur, *qui intelligit super egenum et pauperem*, qui intelligit, id est diligit. *Quod enim operor*, ait Apostolus, *non intelligo*, id est non diligo, non approbo, *sed quod odi malum, hoc facio* (*Rom.* VII, 15). Si Apostolus recte dicit se non intelligere, quod non diligit, suumque interiorem hominem per hoc excusat, quod non intelligit sed odit malum, quod illi adjacet, cum non habitat in carne ipsius bonum : et nos eadem licentia possumus dicere beatum, *qui intelligit*, id est diligit in egeno et paupere Christo id, quod *super egenum et pauperem intelligit*, videlicet Deum Altissimum corde credendo ad justitiam, et ore confitendo ad salutem, qui propter nos homines, et propter nostram salutem, cum dives esset, pro nobis pauper et egenus factus est, ut nos illius inopia divites essemus : *Beatus* est, *qui* hoc *intelligit*, id est diligit. Nam qui viderunt et oderunt et ipsum et Patrem ejus, beati non fuerunt ex eo, quod cum essent mali coloni, satis intellexerunt, ipsum hæredem esse dicentes : *Hic est hæres, venite, occidamus eum, et nostra erit hæreditas* (*Marc.* XII, 7). Qui ergo fide per dilectionem operante ultra humanitatem ejus tendens *super* hoc, quod erat in hoc mundo, egenus et pauper, eum intelligit esse

Digitized by Google

Deum, et hoc intelligens colit, hic *beatus* in facto suo erit. Nam *in die mala liberabit eum Dominus. In die mala*, in die scilicet judicii, quæ malis mala et amara erit, *liberabit eum Dominus* ille, quem Dominum intellexit, cum vel in cruce vel in præsepi eum quasi *pauperem* conspexit, quemque in altari videns in specie panis et vini panem vivum et veram vitem Dominumque vineæ suæ *intellexit*, in qua operarios tanquam Dominus conducit, quos in die malo liberabit, qui denario æternæ remunerationis ditabit illos, qui eum divitem intellexerunt, quando quasi *pauperem et egenum* in cruce conspexerunt, atque illo conducente in vinea laboraverunt, quia denarium promittenti crediderunt.

Aliter: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem.* Nimis egenus et pauper fuit Christus in Passione, suis quoque vestibus illi ablatis nudatus (*Gen.* IX, 21). Tunc verus Noe rector arcæ, sanctæ videlicet Ecclesiæ, obdormiens in vinea sua nudus conspectus, et irrisus est a Cham filio maledicto, Judaico videlicet populo. Sed *beatus* est populus gentium, *qui intelligit super egenum et pauperem* istum nudum, cujus etiam nuditatem pallio decentissimæ honestatis operit, quia in sacris ministeriis in commemorationem faciendis cultu sacro et sacris vestibus ornato illum honorat, ac nuditatem ejus velat exemplo bonorum filiorum Noe, qui patris nuditatem superjecto pallio cooperuerunt faciebus aversis. Et nos quidem facies nostras a scelere Judæorum, qui Christum nudum irriserunt, avertimus, cum eorum facta improbamus. Attamen illius nuditatem per hoc velamus et honoramus, quod sacramenta Passionis ejus apud sanctum altare non solum religiose in secreto, sed honorifice ac pompose interdum celebramus circumstante populo, conjubilante choro in ornatu vestium sacrarum splendido et mundo, cujus etiam angelos delectat pulchritudo, si extrinseco vestium decori non contradicit vitæ ac morum turpitudo. Alioquin si ut ethnicus ait:

Introrsum turpes, speciosi pelle decora

foris et non intus nitidi apparemus, dicitur nobis: *Væ vobis, Pharisæi, qui mundatis quæ deforis sunt calicis et paropsidis, intus autem pleni estis rapina et immunditia* (*Matth.* XXIII, 25). Porro cum Dominus dicat: *Mundate prius quæ intus sunt, et quæ foris sunt munda erunt* (*ibid.*, 26), satis indicat quod ei forinseca vestium et calicum placet munditia, si præcesserit ministrantium puritas intrinseca; et tunc decenter in vestitu deaurato vel nitido altari assistimus, cum sicut Petrus apostolus ait: *Fides nostra multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, invenitur in laudem et gloriam Christi, in quem nunc non videntes credimus, videntes autem exsultabimus lætitia inenarrabili, reportantes finem fidei nostræ, salutem animarum nostrarum* (*I Petr.* I, 7), beatitudine illa in nobis completa, de qua nunc dicitur: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem.*

Aliter: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem*, quia, dum in quolibet suo paupere Christum intelligit esurientem cibari, sitientem potari, nudum vestiri, hospitem colligi, infirmum vel in carcere positum visitari, sic pauperibus et egenis causa Christi ministrat, ut in ipsis ipsum Christum intelligens et credens opus bonum sano intellectu et fide sancta gratiosum reddat, dum Christi pauperibus tanquam ipsi Christo reverenter et libenter ministrat, sive dum in infirmis membris illius pedes ungit et capillis tergit, sive dum sanctos illius, vel ipsum per obsequia divina, mystica et fidelia honorando caput ejus perfundit unguento pretioso. In utroque ministerio intellectus bonus omnibus facientibus eum. Nam et ille beatus est, qui in pauperibus Christi pedes ejus intelligit, quos per elecmosynas ungit. Et ille ter quaterque beatus est, qui in altari Christum intelligit, cujus caput ungit, qui ejus divinitatem credit, et colit, vel ipsius cultores, ministros videlicet sanctos ad hoc sustentat et procurat vel adjuvat, ut eis vacet libere Deo servire in sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus suis. Hujusmodi enim sacri altaris ministri, maxime qui laborant in verbo, sunt illi minimi Christi, de quibus ipse dicet in die judicii: *Quamdiu fecistis uni de minimis meis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 40).

Beatus ergo, *qui intelligit super* hujusmodi *pauperem et egenum*, cui, qui tribuit petenti, bene facit. Sed qui tacentis, et non petentis intelligens necessitatem spontaneam illi exhibet charitatem juvans eum pro posse, volensque juvare ultra posse, melius facit, quoniam nullo monente per se *intelligit super egenum et pauperem* thesaurizans illam sibi beatitudinem, qua *beatus* prædicatur *qui intelligit super egenum et pauperem.* Hunc *in die mala Dominus liberabit*, cui fideliter in suis pauperibus ministravit. Prius autem, quam veniat illa dies mala præ omnibus diebus malis, nunc in temporali vita

Vers. 3. *Dominus conservet eum*, quoniam dies mali sunt, in quibus conservari opus habet quisque in extrema die mala judicari timet. Dominus igitur *conservet eum* qui habet hunc bonum intellectum *super egenum et pauperem*; ne inter mala sæculi ab hoc intellectu recedat, sed usque in finem firmiter permaneat. Et in hoc manentem *vivificet eum*, *et beatum faciat eum in terra. Vivificet* per fidem et justitiam, ut ipse justus ex fide vivat, et mortem animæ nunquam incidat. *Vivificet* quoque illum in resurrectione cum suis pauperibus glorificandum, quibus ministravit. *Et beatum faciat eum* non solum tunc æternaliter in cœlo, sed etiam nunc temporaliter *in terra*, ut beata vita ejus *in terra* beatioris vitæ in cœlo sit prævia, et præparatoria, et salus temporalis in terra salutis æternæ sit præcursoria. Vel *beatum faciat eum in terra* viventium, de qua dicitur: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.*

Digitized by Google

Aliter: *Beatum faciat eum in terra*, ut *terra*, id est caro ipsius non gignat ei spinas et tribulos vitiorum, sed germinet illi herbam virentem, et afferentem semen lignumque pomiferum, et omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave in operibus bonis aspectu delectabilibus, et ad imitandum gustu suavibus, ut tam in ipso, quam in suis imitatoribus terra det fructum suum centesimum, sexagesimum, et tricesimum. Bene optat Propheta intelligenti *super egenum et pauperem*. Talis autem optatio vel oratio certissima est promissio. Pietas enim, quæ in bono intellectu *super egenum et pauperem* exercetur, ad omnia valet promissionem habens vitæ, quæ nunc est et futuræ. Promissionis autem verbum hoc est: *in die mala liberabit eum Dominus.* Ut ergo in die mala penitus ab omnibus malis liberetur, Prophetæ sive cujusque psallentis oratio subjungitur, cum dicitur: *Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra.* Et nos cum orante oremus, cum prophetante prophetemus optando, ut illum beatum virum, *qui intelligit super egenum et pauperem, Dominus conservet, et vivificet, et beatum faciat eum in terra*, quæ orantis, vel prophetantis verba cum sint supra exposita, videamus nunc sequentia:

Et non tradat eum in animam inimicorum ejus. Et si tradiderit eum corporaliter vexandum in manus inimicorum, qui corpus occidunt vel affligunt, *non* tamen *tradat eum in animam*, id est in voluntatem inimicorum ejus, ut voluntas illorum de illo fiat: et si aliquando infirmabitur, virtus in infirmitate illius perficiatur. Quod ut fiat

Vers. 4. *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus. Lectus doloris* est infirmitas carnis. In hoc lecto paralyticus jacet, ac male torquetur, quando corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, quæ tunc male torquetur, quando per carnis molestiam vel ad impatientiæ vel murmurationis vel alterius iniquitatis consensum perurgetur. Quod me huic beato viro accidat, *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus*, ut sanatus paralyticus lectum portet, sanatus animus carni dominetur et imperet, neque illa jam sit ei lectus doloris ulterius, imo sit ei suavissimus lectus quietis, ita ut possit dicere: *Caro mea requiescet in spe* (*Act.* II, 26). Item: *In pace in idipsum dormiam, et requiescam* (*Psal* IV, 9).

In Hebræo legitur: *Beatus qui cogitat de paupere: in die malo salvabit eum Dominus. Dominus custodiet eum, et vivificabit eum, et beatus erit in terra, et non tradet eum animæ inimicorum suorum. Dominus confortabit eum in lecto infirmitatis.* Quæ igitur in nostra translatione sunt verba orantis, ibi sunt verba prophetantis vel promittentis.

Aliter: *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus*, uti contigit Ezechiæ, cui oranti additi sunt anni quindecim (*IV Reg.* XX, 6). Numerus iste mysticus est. Nam si ab uno usque ad quindecim per incrementa numerandi procedas, habebis centum viginti, qui numerus eorum fuit, quibus in primitiva Ecclesia commorantibus et orantibus in cœnaculo Spiritus sanctus datus est, cujus paracliti lectus doloris eorum versus est in lectum quietis, quando Ecclesia prius infirma numero et merito crescebat et confortabatur ambulans in timore Dei, et consolatione Spiritus sancti replebatur. *Beatus* ille discipulorum Christi cœtus, qui bene cogitavit super egeno et paupere illo, quem Deum esse intellexerunt, quando eum in cœlos ascendentem viderunt! *Beatus*, inquam, *populus, cujus Dominus Deus ejus!* (*Psal.* CXLIII, 15.) *Beatus qui intellexit super egenum et pauperem!* Ideo Dominus conservavit eum, et beatum fecit eum in terra, et non tradidit eum in animam inimicorum ejus, et Dominus opem tulit ei super lectum doloris ejus. Attamen prius universum stratum ejus in infirmitate versaverat, quando in Passione tristati et turbati omnes, relicto Domino, fugerunt, et pene ab illo intellectu exciderunt, quo egenum et pauperem divitem intellexerunt, quem Filium Dei voce unius Petri confessi sunt. Sed *Dominus opem tulit illi super lectum doloris ejus* adjiciens ei quindecim annos, ut prædictum est, quando Spiritum sanctum super centum viginti discipulos misit. Item per quindecim annorum in infirmitate adjectionem significatur promissio bonorum vitæ, quæ nunc est, et futuræ. Habet enim in se numerus iste septem et octo. Septenarius propter septem dies, quibus totum tempus vitæ præsentis volvitur et revolvitur, promissionem continet vitæ, quæ nunc est. Octonarius vero propter octavam Resurrectionis promissionem habet vitæ futuræ. Cum ergo pro infirmo dicitur: *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus*, competenter intelligi potest Dominus, qui Ezechiæ in lecto doloris posito adjecit quindecim annos. Ipse quoque huic *beato viro, qui intelligit super egenum et pauperem*, talem *ferat opem super lectum doloris ejus*, ut et vitæ præsentis obtineat solatium per quotidiana incrementa virtutum ac meritorum, et vitæ futuræ possideat gaudium plenum et solidum quod in octonario numero solido significatur, qui primus parium numerorum solidus invenitur. Nam cum dicitur bis bini, bis primus par numerus sit æqualis et solidus, quo bene (ut in sexto psalmo demonstratum est) significatur dies Resurrectionis octavus. Beatus Gregorius in Job (97) super hunc locum dicit: *Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus. Quid hoc loco per stratum, nisi requies temporalis accipitur? Cum enim quisque curis sæcularibus fatigatus deserere per divinam gratiam hujus mundi itinera laboriosa compungitur, cogitare solet, quomodo præsentis vitæ desideria fugiat, et ab ejus laboribus requiescat, sibique mox desideratæ quietis ordinem quærit, et velut quoddam stratum,*

(97) S. Greg. M., lib. XXIII Moral., cap. 24.

Digitized by Google

sic a cunctis laboribus cessationis locum invenire concupiscit. Sed quia in hac vita adhuc positus in cujuslibet ordinis secreto recessu vivere sine tentationibus nullatenus potest, plerumque in eo, quod ad requiem construitur, major dolor tentationis invenitur. Unde et recte per Prophetam dicitur : Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus. *Ac si diceret : Omne quod sibi hic paravit ad requiem, hoc ei mutasti occulto judicio ad perturbationem. Quod pio quidem consilio agitur, ut hujus peregrinationis tempore electorum vita turbetur. Via quippe est vita præsens, qua ad patriam tendimus : et idcirco hic occulto judicio frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro patria diligamus. Solent enim nonnulli viatores, cum amœna fortasse in itinere prata conspiciunt, pergentes moras innectere, et a cœpti itineris rectitudine declinare, eorumque gressus tardat pulchritudo itineris, dum delectat. Unde electis suis ad se pergentibus Dominus vitæ hujus mundi iter asperum facit, ne, dum quisque vitæ præsentis viæ amœnitate pascitur magis, eum diu pergere quam citius pervenire delectet, nedum oblectatur in via, obliviscatur, quod desiderabat in patria.*

In Hebræo legitur: *Totum stratum ejus vertisti in cogitatione sua*, quod ita intelligi potest : *Totum stratum*, quod sibi disposuerat ad requiem, vertisti ei ad laborem, non *in cogitatione tua*, sed *in cogitatione sua*. Si enim tua, non sua cogitatione se homo regeret, sine dubio requiem suæ animæ inveniret, secundum quod tu dicis : *Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* xi, 29). Qui ergo sub jugo tuo non vult esse mitis et humilis corde, sed intumescit *in sua cogitatione*, tu *stratum ejus* ad requiem sibi excogitatum *vertisti* in contrarium, ut tandem suis cogitationibus et infirmitatibus defatigatus, cum sola vexatio intellectum dabit auditui, quo intelligat se in sua culpa infirmari, desinat vana et præsumptuosa cogitare, discatque peccata sua confitendo frequenter orare, ac dicere

Vers. 5. *Ego dixi : Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi.*

Notandum sane quod *beatus vir, qui intelligit super egenum et pauperem*, ita in strato suo inquietatur, ut prædictum est. Sed ille, *qui non intelligit super egenum et pauperem*, sinitur aliquando in hoc mundo habere, ut sibi videtur, magnam in strato suo quietem, Deo illum reservante ad æternam damnationem. Sic ille dives, qui *epulabatur quotidie splendide* (*Luc.* xvi, 19), in strato suo fultus multa congerie palearum, terrenarum videlicet copiarum quievit mollissime recipiens bona in vita sua, quia dignus non fuit castigari et emendari, cum non haberet ullum pietatis intellectum *super egenum et pauperem* Lazarum ante januas ejus jacentem. Porro illius pauperis et egeni, qui in hac vita pro strato requietionis habuit lectum doloris, talis intellectus fuit *super* se ipsum *pauperem et egenum*, ut in oratione ac peccatorum suorum confessione diceret assidue tale aliquid, quale his verbis exprimitur : *Ego dixi : Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi.* Unde non incongrue in Dominica, qua legitur Evangelium de divite ac Lazaro paupere, Gradualis cantus de hoc psalmo sumptus est : *Ego dixi : Domine, miserere mei, sana animam meam, quoniam peccavi tibi. Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Ad introitum quoque illius officii, dum cantatur : *Domine, in tua misericordia speravi*, vox pauperis et egeni repræsentatur, qui non respiciente illum divite per misericordiam ullam, divinam tanto magis misericordiam speravit, quanto ab humana destitutus, etiam canibus eum lingentibus fuit expositus.

Contingit nonnunquam, ut quasi ulcera in cute appareant, cum peccata cujusque pauperis in confessione se manifestantis nuda sunt et libere tanguntur linguis detrahentium seu redarguentium, per quod interioris hominis sanitas acquiritur. Sed dives introrsum turpis, exterius quasi purpura et bysso vestitus molliter cubat in lecto quietis, paupere se hac et illac versante in lecto doloris, cujus tu, Deus, *universum stratum versasti in infirmitate ejus* immittendo ipsam infirmitatem, vel inde non liberando. Sicut enim diceris indurasse cor Pharaonis non duritiam immittendo, sed a duritia non liberando, vel defendendo : et sicut diceris inducere in tentationem, quem non liberas, vel defendis a tentatione : sic non incongrue diceris *versare stratum in infirmitate* privans infirmum sanitate vel quiete, ut non possit jacere in uno latere, sed præ doloris magnitudine versetur assidue a latere in latus, ita ut lectus ejus totus versatus non sit quieti aptus. Cum hæc aguntur vere *beatus* est *qui intelligit super egenum et pauperem*, qualemcunque pro posse illi conferens consolationem et opem super lectum doloris ejus. Nam *beati misericordes, quoniam et ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* v, 7). Qui autem talibus micas consolationum denegant, *in die mala* non liberabuntur, sed istis consolationem pro mœrore transactæ pœnitentiæ recipientibus ipsi cruciabuntur, quoniam et si qua eorum fuerunt bona merita, pro eis receperunt bona in vita sua, et pauper similiter mala in hac vita recepit pro his maxime peccatis, quæ confessione ac pœnitentia purgavit dicens : *Ego dixi : Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi.*

Igitur ego David, vel ego quivis pœnitens in hoc Psalmo jucundo cum cithara, carne videlicet in lecto doloris afflicta dico libenter, dico intelligenter; vexatione strati mei versati dante intellectum auditui meo. Quid dico? Verbum confessionis, et orationis, hoc scilicet : *Ego dixi : Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi.* Ego sum, qui peccavi, ego inique egi, ego *peccavi tibi*, hoc dico, et crebro dixi, quando strato meo versato etiam innocentes personas inquietari contigit, cum quibus mihi suaviter quiescendi optatum fuit. *Ego dixi : Ego sum, qui*

Digitized by Google

peccavi, isti, qui ovesunt, qui simplices et innocentes sunt, *quid fecerunt?* (*II Reg.* XXIV, 17.) Ego *peccavi tibi soli*, cum in abscondito, te solo sciente, Deus meus, commisi mala cavenda, vel omisi bona facienda : verbi gratia, cum ego David concupivi alienam uxorem in solario, solo te vidente; vel cum delectatus in corde meo numerositate militum volui, ut numeraretur populus. Tunc antequam vel carnis concupiscentia, vel mentis elatio ad effectus venisset, ita ut vel alienam uxorem polluerem, vel populum numerari præciperem, dicere debui, et potui : *Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi*, quia necdum proximos læseram, sed in animam meam solam peccaveram tibi, hoc est, ad injuriam tui, Deus meus, quia malum coram te feci, quod coram hominibus necdum feceram. Sed tunc illud non dixi, quia vulnus animæ quasi nullum despexi. Propterea *universum stratum meum*, totum videlicet regnum meum, in quo mihi erat jam Saule mortuo quiescendum, *versasti in infirmitate mea*, ita ut ego manu fortis David graviter infirmatus, et robore meorum destitutus filio meo Absalon persequente fugerem sicut infirmus, qui antea lusi cum leonibus quasi cum agnis, gigantes in bello straveram. Tunc ego egenus et pauper non solum de actibus manifestis, verum etiam de illicitis cogitationibus intime pœnitens dixi : *Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi.* Tunc etiam

VERS. 6. *Inimici mei dixerunt mala mihi*, quorum præcipuus erat Semei maledicens, et dicens mihi : *Egredere, vir sanguinum*, etc. Non solus autem Semei, sed et alii complures inimici mei Absaloni adhærentes et me odientes dixerunt mihi, et de me : *Quando morietur, et peribit nomen ejus?*

VERS. 7. *Et si ingrediebatur* aliquis fautor filii mei Absalonis, *ut videret, vana loquebatur cor ejus*, etiam cum bona loquebatur os ejus. Intus manens *congregavit iniquitatem sibi.* Qua congregata *egrediebatur foras, et loquebatur in id ipsum.*

VERS. 8 et 9. *Adversum me susurrabant omnes inimici mei, adversum me cogitabant mala mihi. Verbum iniquum constituerunt adversum me* dicentes : Iste David non surget nunc depressus, amodo non dominabitur. Hoc dixerunt de me, quasi omnino essem mortuus, nec in me ullus esset vitalis spiritus. At ego dormiebam quidem in peccato vel concupiscentiæ in uxorem alienam vel superbiæ in numerando populum, sed tamen per Nathan prophetam increpatus, et flagellis tactus os meum aperui confitendo peccatum, et attraxi spiritum bonum, per quod apparuit me non mortuum in peccato, quoniam a mortuo perit confessio, sed soporatum et ideo evigilatum. *Nunquid* enim, *qui dormit*, qui non industrioso malitiæ studio, sed obrepente peccati somno cadit, *non adjiciet, ut resurgat?* Sed illi hoc non credunt, qui me stantem et vigilantem ficte dilexerunt, et nunc jacentem non solum non levant, sed ut amplius cadam, supplantant.

VERS. 10. *Etenim homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, ampliavit adversum me supplantationem*, dans consilium, ut ego ejectus ab urbe regia non permitterer quiescere, nec in silva.

VERS. 11. *Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me* reddendo mihi gloriam regni mei, *et retribuam eis* bona pro malis, qui mihi retribuebant mala pro bonis.

VERS. 12. *In hoc cognovi quoniam voluisti me, quoniam*, etsi ad horam gavisus est, non tamen diu *gaudebit inimicus meus super me*, sed videlicet unde doleat, quando manifestum erit, quid tu reprobato Saule ob nequitiam, propter

VERS. 13. *Innocentiam suscepisti me : et confirmasti me in æternum* dicens : *Juravi David servo meo, usque in æternum præparabo semen tuum* (*Psal.* LXXXVIII, 4). Et ego confirmatori meo gratias agens dicam :

VERS. 14. *Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo, et in sæculum : fiat, fiat.*

Aliter : Ego verus David, qui sine peccatis originalibus natus, et sine peccatis actualibus conversatus sum, tamen dixi : *Domine, miserere mei, sana animam meam*, quæ tristis est usque ad mortem. Sana eam a languore tristitiæ, quam tristitiam perinde habeo, quia peccata multorum super me tuli, et pro eis dico nunc : *Peccavi*, pro quibus alias dico : *Verba delictorum meorum. Peccavi*, id est, peccata meorum super me accepi, et hoc tibi ad honorem, cui obedio usque ad mortem, quia imminente jam tristis et langulda est anima mea, et quidem volens, attamen vere dolens, vere tristis non torquente conscientia, sed attrahente benevolentia et compassione super peccatis meorum, pro quibus ego innocens a peccatis, dico tamen : *Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi.* Quod cum pro membris meis dicam confitendo, mihique assignando eorum culpam, ut eis conferatur mea justitia, *beatus qui intelligit super* me *pauperem et egenum*, quem non gravat peccatum proprium, sed alienum, quod super me tuli ego agnus, qui tollo peccata mundi.

Sed hoc nolentes intelligere *inimici dixerant mala mihi.* Videntes enim populum post me abire, clamaverunt me seductorem et malefactorem. Unde dixerunt Pilato : *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum* (*Joan.* XVIII, 30). Item : *Ne forte veniant Romani et tollant nostrum et locum, et gentem. Expedit, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat* (*Joan.* XI, 48). Potius, aiunt, expedit, ut moriatur unus et pereat quam tota gens pereat. Sic avide inhiantes morti meæ inimici mei dixerunt : *Quando morietur et peribit nomen ejus?* Non sufficit nobis, ut moriatur, nisi etiam *nomen ejus* ita deleatur, ut non sit fama de illo. Ideo aiunt : *Morte turpissima condemnemus eum* (*Sap.* II, 20), quia de morte quidem gloriosa solet provenire bona fama, sed de *morte turpissima*, ut est mors latronum, provenire non solet bonum nomen. Propterea inter latrones medium suspenderunt me virum justum condemnantes injuste, ut pariter cum vita mea

Digitized by Google

periret etiam fama mea. Sed hoc in contrarium cessit; non enim periit nomen meum. Nam sicut non periit granum seminatum, quod in bona terra projectum facit fructum multum, sic et nomen meum de morte mea magis crevit in copiosam segetem fidelium confitentium nomen meum, quod est super omne nomen, ita ut in nomine meo recte omne genuflectatur cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia ego Dominus Jesus Christus in gloria Dei Patris sum, nominatus et inclytus æque ut Pater super omnia gloriosus (*Philipp.* II, 9, 11). Concitat tamen adhuc diabolus in Ecclesiam persecutiones, ut vel sic pereat nomen meum. Sed ossa martyrum seminata germinant, ut fidei magis calescat fruges in terra de sanguine illorum incrassata. Unde et dicunt : *Sicut crassitudo erupta est super terram, dissipata sunt ossa nostra* (*Psal.* CXL, 7).

Est autem aliud malum occultum gravius hoc aperto malo, quia non solummodo *mala dixerunt mihi inimici mei* aperti, sed etiam simulati amici. Nam etsi *ingrediebatur* aliquis eorum, *ut videret*, id est exploraret, et cum lingua ejus vera loqueretur; verbi gratia : *Magister, scimus, quia verax es, et viam Dei in veritate doces* (*Matth.* XXII, 16), tamen *vana loquebatur cor ejus* magistrum vocans, cujus noluit subesse disciplinatui. Quod exinde patuit quia, cum ego doctor justitiæ docuissem discipulos meos ab iniquitate abstinere, ille, qui fictus intravit contra doctrinam meam, *congregavit iniquitatem sibi*. Sicut *mentita est iniquitas sibi* (*Psal* XXVI, 12), non mihi : sic etiam *congregavit iniquitatem sibi*, non mihi. Postea iniquitate congregata gravante illum regula æquitatis in domo æquitatis, cum sua iniquitate *egrediebatur foras, et loquebatur in idipsum*, quod intus congregavit sibi augmentandum. Fictus amicus *ingrediebatur*, ut congregaret iniquitatem sibi, sed apertus inimicus *egrediebatur foras, et loquebatur in idipsum*. Vel tacente ore *eor ejus congregavit iniquitatem sibi*, et inventa occasione per locutionem *egrediebatur foras, et loquebatur in idipsum*, quod prius cogitaverat, quando vana loquebatur cor ejus, tacente lingua ejus. Uno igitur aliquo insigniter et aperte contra me loquente vel clamante, reliqui *adversum me susurrabant*, quibus placuit quod adversum me audiebant. Unde in idipsum, quod aperte audierunt, ipsi occulte susurraverunt.

Aliter : *In idipsum*, id est pariter et concorditer *adversum me susurrabant omnes inimici mei*. Nam etsi antea erant inimici, ubi *adversum me* agendum vel susurrandum fuit, *in idipsum* concordantes *adversum me* convenerunt in unum. Sic principes Herodes et Pilatus, qui antea erant inimici, ad invicem sibimet in morte mea conciliati convenerunt in unum, *in idipsum* susurrantes, sibique mutuas legationes mittentes *adversum me*. Hoc fecerunt *omnes inimici mei* ad detrahendum et susurrandum semper parati et prompti latenter et insidiose. Ideo universaliter hoc de omnibus inimicis meis dico, quia magna est murmurantium vel susurrantium turba, qui, etsi clamare non audent contra doctrinam veritatis, attamen audent susurrare.

Isti habent aliquem unum signiferum singularem ferum, de quo et ego singulariter dico : *Egrediebatur foras, et loquebatur in idipsum*. Unus aperte loquebatur, et multi occulte susurrabant, quia pauci sunt auctores sceleris audentes manifeste agere, quæ mala sunt, quibus *in idipsum* concordantes multi susurrant, non audentes evidenter detegere consilia cordium congregantium mala sibi. Revera sibi, non mihi mala, quia mihi et meis bona sunt, quæ contra me cogitata pro malo malorum voto sibi mala sunt, mihi vero bona propter effectus bonos, qui de malis eorum provenerunt et adhuc provenient usque in finem, sicut psalmus iste attitulatus est *in finem*. Nam ipsi quidem *congregaverunt iniquitatem sibi;* sed mihi et meis provenit iniquitas eorum ad magnam utilitatem.

Tandem post omnia mala susurria *verbum iniquum constituerunt adversum me*, hac videlicet intentione, ut periret nomen meum salutare de memoria hominum, dicentes ad Pilatum : *Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens : Post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulcrum usque in diem tertium, ne forte veniant discipuli ejus, et furentur eum, et dicant plebi : Surrexit a mortuis, et erit novissimus error pejor priore* (*Matth.* XXVII, 63, 64). Hoc *verbum iniquum* contra fidem resurrectionis excogitatum *constituerunt* et confirmaverunt militibus dando pecuniam copiosam coementes ab eis falsum testimonium, quod illis dormientibus corpus meum sublatum sit, nec a morte surrexerim. Hoc est consilium malignantium pessimorum colonorum de suo domino sui Domini filio, legitimo hærede dicentium cum viveret : *Venite, occidamus eum* (*Marc.* XII, 7). Et postquam mortuus est, in malo adjicientium : *Habebimus hæreditatem ejus* (*ibid*). Habebimus, inquiunt, secure, quia *mendacium posuimus spem nostram, et mendacio protecti sumus*, divulgato verbo isto, quod is, quem occidimus non resurrexit, sed furto a discipulis suis ablatus sit. Ita-ne vos, pessimi coloni, putatis, quod flagellum inundans non tangat vos mendacio isto protectos? Dicitis enim, sicut in Isaia (XXVIII, 15) de vobis legitur : *Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans, cum transierit, non veniet super nos : quia posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus.* Vos, coloni pessimi, denotati estis in hac prophetia, quia, ut ibidem legitur : *flagello inundati eritis in conculcationem*, venientibus Romanis, et tollentibus vestrum et locum et gentem. Nam sine dubio delebitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit, quia neque mors, neque infernus vobis parcere poterit, cum per ipsam mortem corporis a Romanis, et animæ in inferno Deus vos flagellari vo-

Digitized by Google

luerit cassato mendacio, quo vos protegendos putabatis. Neque enim sic recipietur pro vero mendacium vestrum, sicut vos putatis. Imo incredibile judicabitur, quod prædicatis.

Nunquid enim *qui dormit non adjiciet, ut resurgat?* Qui *dormit* sponte, non ita mortuus, ut putatis, *non adjiciet ut resurgat* cito evigilaturus? Mortuus dormivisse dicitur, quia sponte posuit animam cito iterum accepturus eam, et sicut Adam, qui forma erat futuri, dormivit, ut de latere ejus Eva fieret, sic Christus in cruce dicitur dormivisse, de cujus latere sacramenta fluxerunt, unde formata est sponsa ejus Ecclesia. Qui ergo habet potestatem ponendi animam suam, nonne habet resumendi? Ipse namque utrumque dixit: *Potestatem*, inquit, *habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam* (*Joan.* x, 18). Ecce posuit animam suam. Nonne adjiciet. ut iterum sumat eam?

Quomodo autem contigerit ut poneret animam suam dormiendo in cruce, qui nosse vult, ipsum audiat dicentem: *Homo pacis meæ* præcipuus eorum qui verbum iniquum constituerunt adversum me, finxit se hominem pacis meæ, quia signo pacis tradendo me per osculum adimplevit homicidium, de quo ista est prophetia: *Qui edebat panes meos*, id est doctrinam, vel buccellam, de qua iterum est prophetia, *in quo speravi*, id est meos discipulos permisi sperare, cum ego nossem illum esse diabolum. Homo, inquam, ille *magnificavit*, id est magnificam fecit *super me supplantationem*, vel *levavit contra me calcaneum suum*, id est pedem suum, ut me conculcaret, erexit, mira supplantationis pertinacia. Nam cum ego illum paratus fuerim redimere, ille me cogitavit vendere, atque ita me supplantavit faciens de me quod ipse voluit, non sinens per me seipsum redimi, quod ego volui, qui omnes homines volo salvos fieri. Vendidit me Redemptorem, cum ego illum sub peccato venundatum redimere voluissem. Vendendo ille me supplantavit, quem ego redimendo volui erigere.

In Hebræo legitur (98): *Inimici mei loquuntur malum mihi, quando morietur, et peribit nomen ejus? Et si venerit, ut visitet, vana loquetur cor ejus, congregavit iniquitatem sibi, egrediens foras detrahet. Simul adversum murmurabant omnes odientes me, contra cogitabant mala mihi. Verbum diaboli infundebant sibi: qui dormivit, non addet, ut resurgat? Sed homo pacificus meus, in quo habui fiduciam, qui manducabat panem meum, levavit contra me plantam.* Revera nimis alte levavit plantam suam, qui me altissimum videns egenum et pauperem, sic voluit conculcare, ut morte obdormiens non adjicerem, ut resurgerem.

Vers. 11. *Tu autem, Domine, miserere mei* egeni et pauperis. *Miserere* in affectu, *et resuscita me* ostendens in effectu, quod vere beatus est qui intelligit super me pauperem et egenum, qui, cum pauper et egenus videar in cruce, dives apparebo in resurrectione; qui, cum petam ut homo, faciam ut Deus, quod peto, ut alibi dico: *Solvite templum hoc, et ego post triduum resuscitabo illud* (*Joan.* II, 19). Igitur ego quidem resuscitabo templum corporis mei, quia resurgam propria virtute. Sed tamen, ut doceam petere meos, et ego peto dicens: *Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me. Et retribuam eis* partim per misericordiam bona pro malis, partim per justitiam mala pro malis. Nam pœnitentibus inimicis meis, ac super me pauperem et egenum intellectum hunc recipientibus, quod sim Deus copiosus in misericordia omnibus invocantibus me, remissis peccatis reddam bona pro malis dando eis vitam æternam, quibus propinantibus ego de torrente bibi mortem temporalem; sed impœnitentibus interfectoribus meis *retribuam* retributionem justitiæ, auferendo eis locum et gentem secundum vanum timorem, quo dixerunt: *Ne forte veniant Romani, et tollant nostrum locum et gentem*, etc. (*Joan.* XI, 48). Igitur castigabo quidem omnes, sed alios ad emendationem, alios vero ad damnationem; alios de inimicis amicos faciendo per indulgentiam peccatorum lætificando, alios pertinaciter inimicantes in tristitiam et in iram mittendo juxta illud in Isaia: *Ego ad æmulationem, vos adducam in non gentem, in gentem insipientem, in iram vos mittam* (*Rom.* x, 19). Peccator enim, qui me pauperem et egenum usque ad mortem odit, ipse meam gloriam post resurrectionem dilatari videbit, et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet præ nimia tristitia, quæ mihi et meis erit causa lætitiæ.

Nam *In hoc cognovi, quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me.* Tunc inimicus meus gauderet, si me semper pauperem et egenum videret, si contingeret quod ipse optavit dicens: *Quando morietur, et peribit nomen ejus?* Verum quia post resurrectionem et ascensionem meam dives ego apparebo, meos quoque ditabo accipiens dona in hominibus, et dans dona hominibus, intellectum bonum super me habentibus, qui [*f.* quibus] prius videbar pauper et egenus, intellectum verum super me non habentibus. Ideo *non gaudebit inimicus meus super me*, quod mihi est causa lætitiæ, qui *in hoc* ipso *cognovi*, et meos cognoscere feci, *quoniam voluisti me*, id est quod semper dilexisti me, quia talia de me ac meis ordinabis misso Paracleto, quibus visis *non gaudebit inimicus meus super me*, imo erubescet cognita glorificatione mea et meorum.

Nam in convertendo inimicum meum retrorsum, illum quidem propter malitiam suam repulisti, *Me autem propter innocentiam suscepisti, et confirmasti me in conspectu tuo in æternum. Me*, inquam,

(98) Ita Cod.

Digitized by Google

suscepisti, quem ad horam dereliquisti, cum dicerem tibi : *Ut quid dereliquisti me?* (*Marc.* xv, 34.) Dereliquisti enim me, non a me recedendo, quia ego maneo in te ac tu in me inseparabiliter, sed mihi proprio filio tuo non parcendo, et manibus impiorum me tradendo. Verum quia peccatum non feceram, nec inventus est dolus in ore meo, imo innocens tanquam ovis ad victimam ductus non aperui os meum, cum ego innocens immolarer pro nocentibus, justus pro injustis, tu *propter innocentiam suscepisti me* in resurrectione, qui dereliqueras in passione, *et confirmasti me in conspectu tuo in æternum. Confirmasti me* non quomodocunque; *sed in æternum*, videlicet dando mihi nomen æternum, quod est super omne nomen, ita ut mihi in vitam æternam confirmato, et super omne nomen exaltato infirmitas mortalitatis ultra non dominetur. *Confirmatio* ista, qua *me in æternum confirmasti*, etsi hominibus super me pauperem et egenum non intelligentibus est abscondita, tamen est manifesta *in conspectu tuo*, et in conspectu beati cujusque viri, qui intelligit super me pauperem et egenum, ad tempus quidem infirmatum, quando infirmata est virtus mea in manibus inimicorum meorum, sed nunc ea fortitudine firmatum, de qua alias dicitur : *Firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua* (*Psal.* lxxxviii, 14). Item : *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, super filium hominis, quem confirmasti tibi* (*Psal.* lxxix, 18). Ego enim, licet egenus et pauper sim visus in infirmitate mea, tamen sum ille dives, et fortis, de quo scriptum est : *Et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, princeps pacis* (*Isa.* ix, 6). Ego etiam sum fortis, et potens in prælio, qui fortior fortem armatum debellabo, ac despoliabo, ejiciens illum de atrio suo quantumlibet fortiter munito, et spolia ejus auferens meos ditabo, atque pro intellectu illo beatificabo, quo super me pauperem et egenum intellexerunt, quod oculis videre non potuerunt. Videndo namque me pauperem et egenum hominem secundum carnis mortalitatem, crediderunt, atque per signa et doctrinas meas intellexerunt me Deum omnipotentem omnia scientem. Unde aliquis eorum dixit mihi : *Domine, si vis, potes me mundare* (*Matth.* viii, 2). Item alius : *Domine*, inquit, *non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus* (*ibid.*, 8). Illi super me pauperem et egenum intellexerunt, quia potentiam meam confessi sunt, non qualem habent sancti mei, qui orando sanitates impetrant, sed qualem solus Deus habet, qui omne quod vult potest, quique jubet, et fit quod jubet. Alius etiam divinam intelligens in me scientiam dixit mihi : *Domine, tu omnia scis, tu scis quia amo te* (*Joan.* xxi, 17). Qui ergo me hominem confessus est omnia scire, utique intellexit me Deum esse, quia nonnisi solius Dei est omnia scire. Sic super me pauperem et egenum divinas magnificentias intelligentibus tu, Pater, *confirmasti me in æternum*, dans effectum fidei vel intellectui ipsorum, dum alter a lepra mundatur, alterius puer in domo sanatur; alterum præsens, alterum absens non prece, sed imperio sanavi, quia in duobus illis duorum populorum salutem præfiguravi, scilicet Judaici et gentilis populi, quorum alterum præsens per me ipsum curavi, alterum per apostolos meos absens verbo sanavi. Quisquis ergo super me pauperem et egenum intelligit, si bonum intellectum verbis competentibus depromere cupit, ipse dicat :

Vers. 14. *Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo, et in sæculum fiat, fiat.*

Læta conclusio psalmi est, cum in laudem pauperis et egeni hujus dicatur : *Benedictus Dominus*, qui revera Dominus est dives in omnes, qui invocant illum Dominum, volentes esse servi ejus, qui est *Deus Israel*, id est videntium se, qui videntes in cruce Christum pauperem et egenum, dicunt apud se, quod dixit Israel : *Vidi*, inquit, *Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea* (*Gen.* xxxii, 30). Ille videns angelum sic infirmum, ut in lucta illi prævaleret, tamen confessus est se vidisse Dominum, quia intellexit in angelo aliquid super angelum. Et tu videns in cruce Christum pauperem et egenum, confitere te vidisse Dominum, intelligens videlicet supra id quod vides. Intellige, quia nec Deus est, nec homo pendens, quam cernis imago, sed Deus est et homo, quem certa figurat imago. Dum igitur oculis cernis hominis pauperis et egeni pendentis in cruce vivificam imaginem, intellige intus in corde te videre Dominum facie ad faciem, dum sana fide sapis illum esse Deum, quem cernis hominem; esse Dominum divitem, quem cernis egenum et pauperem; esse omnipotentem, cujus in cruce vides infirmitatem; esse vitam mortuorum, quem cernis mortuum; esse Salvatorem, quem cernis vulneratum. Sic videns Dominum facie ad faciem et tu mereberis audire : *Nequaquam ultra vocaberis Jacob, sed Israel erit nomen tuum* (*Gen.* xxxv, 10). Israel namque interpretatur *vir videns Deum*. Cum ergo tu in depicta imagine Christi crucifixi Deum intelligis, Israel dici poteris, et ad te pertinet quod hic dicitur : *Benedictus Dominus Deus Israel*, id est videntium Deum; videntium, non invidentium : videntium fidelium revelata facie, non invidentium Judæorum, quibus est velamen super cor; ipsa egeni et pauperis humilitas, in qua non eis apparet altissima ipsius divinitas. Attamen populus ille major servit minori. Sunt enim Judæi capsarii nostri, qui nobis codices portant, quorum testimonio ipse et pagani et hæretici confutantur, si quando quod de Christo vel Ecclesia dicimus, contradicunt. De chartis enim inimici Judæi convincitur adversarius paganus, ut dicere non audeat, quod sibi testimonia confinxerit Christianus, cujus assertioni testimonium porrigit etiam inimicus Judæus. Si enim de isto egeno et paupere, qui sub Pontio Pilato judicatus est injuste, fiat quæstio a pagano aliquo : An

Digitized by Google

Dominus Deus ipse sit, Judæus Christiano assertori chartam porrigit, qua paganum convincit esse indubitanter verum, quod is qui in principio psalmi hujus egenus et pauper describitur, est *Benedictus Dominus Deus Israel*, sicut in fine psalmi nunc dicitur: *Benedictus Dominus Deus Israel*. Quomodo, ais, est homo hic Deus intelligendus? Nunquid recens: Nunquid initium et finem habens? Absit! Imo Dominus Deus ipse est *a sæculo, et in sæculum*. A sæculo præterito carens initio, et in futurum sæculum carens fine. Licet enim iste pauper et egenus cœperit esse pauper et egenus, tamen nunquam cœpit esse Dominus Deus, imo semper fuit Dominus Deus, licet non semper fuerit homo. Sicut enim aliquando vere dicimus novum episcopum, qui est homo senex, quia videlicet factus noviter episcopus non desiit esse homo senex, ita nimirum, quia Deus existens æternus novus factus homo, Deus, ut erat, permansit, recte homo novus, Deus antiquus antiquo dierum Patri suo coæternus, et Deus antiquus homo novus dicitur, qui est *benedictus a sæculo*, ex quo creata omnia cœperunt administrari, et erit *benedictus in sæculum* futurum, ubi temporalitatis cursu finito, æternitatis regnum erit immobile, pacatum et sine fine quietum. *Fiat, fiat*. Hæc geminatio significat his quæ dicta sunt a nemine contradicendum, sed ab omnibus annuendum.

Pro *Fiat, fiat*, in Hebræo scribitur: *Amen, amen*, quod interpretatur *vere* seu *fideliter*, quia vere ac fideliter dicitur: *Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo et in sæculum*, is, qui propter nos pauper et egenus fuit in sæculo ad modicum tempus, et est dives Dominus Deus *a sæculo et in sæculum*. Per hoc enim, quod *benedictus* prædicatur, dives esse significatur. Sic servus Abraham dominum suum *benedictum* (*Gen.* XXIV, 34) a Deo probavit, cum divitias ejus in argento et auro, et pecudibus, aliisque possessionibus Rebeccam filio domini sui sponsaturus narravit. Similiter Isaac filio suo benedicens amplas illi divitias imprecatus est dicens: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cœli, et de pinguedine terræ abundantiam, serviant tibi tribus populi, esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ* (*Gen.* XXVII, 27). In agro pleno, multis fructibus odorifero, apparet benedictio. Similiter e contrario, maledicta terra est, quam cum operatur homo, non dabit fructus suos, sed spinas et tribulos germinat. Cum ergo egenus et pauper in sæculo visus prædicatur *benedictus a sæculo et in sæculum*, o quanta significatur altitudo divitiarum, quæ *a sæculo* sunt, et *in sæculum* durabunt, quia non habent initium neque finem!

Magnum quoddam et admirabile cœlisque ac cœlorum virtutibus venerabile spectaculum apparet in illa hujus pauperis et egeni ditatione, qua eum Deus Pater sic ditavit, ut omnia ei dederit, sicut ipse: A *Omnia*, inquit, *mihi tradita sunt a Patre meo* (*Luc.* X, 22), omnia scilicet, et quæ in se habet naturaliter, et quæ sub se condidit potentialiter. Amplas ergo divitias accepit iste pauper et egenus, qui etiam in diebus paupertatis suæ dicere potuit, et dixit veritatem: *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt* (*Joan.* XVI, 15). Habet Pater in se naturaliter Verbum de se natum; sed hoc eructante illo habet homo ille in se incarnatum. Habet Pater Spiritum sanctum a se procedentem: nihilominus habet homo ille Spiritum sanctum semper in se requiescentem, et de se procedentem. Ipse namque thronus est, de quo canitur: Spiritus sanctus procedens a throno, apostolorum pectora invisibiliter penetravit. Si enim anima justi sedes est sapientiæ, multo magis anima Christi B thronus Divinitatis corporaliter se inhabitantis est. Condidit sub se Pater cœlum potentialiter et terram et omnia quæ in eis sunt, angelos et archangelos, thronos et dominationes, principatus, potestates, virtutes, cherubim atque seraphim, drachmamque decimam, id est hominem: conjunxit vero in se ipso et pacificavit hæc omnia verus hic homo Christus, et super hæc omnia constitutus est, et omnia subjecta sunt sub pedibus ejus. Sedet super thronum Pater ille antiquus dierum: sedet et agnus hic Filius hominis. Imo *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* V, 22), et sicut alibi dicitur: *Potestatem dedit illi, et judicium facere, quia Filius hominis est* (*ibid.* 27). O altitudo divi- C tiarum, quas egenus et pauper iste accepit a Deo Patre suo plene ditatus, non ad mensuram!

Sed et de plenitudine ipsius divitiarum dona divisiva pauperes cives ejus accipiunt, et pro modulo suo divites fiunt habendo sempiternos thesauros, qui non veterascunt. Tale quid et in beati Laurentii responsis invenimus, qui dum Decio pauperes ostendisset, non de panniculis vel morbidis eorum corporibus, sed de donis sancti Spiritus, quem credentes acceperant, dixit: *Ecce isti sunt thesauri æterni, qui nunquam minuuntur, nec decrescunt, qui in singulis asperguntur, et in omnibus inveniuntur*. Divisiones namque gratiarum pauperes Christi accipiunt, suoque singuli munere funguntur, sed suam singuli divisivam gratiam omnibus impertiuntur, D verbi gratia, Spiritus scientiæ Spiritusque pietatis bonæ partes thesauri cœlestis in singulis, Petro et Paulo aspersæ sunt, sed in omnibus inveniuntur, dum ab ore Pauli scientia cunctis auditoribus pro captu auditorum affluit: pietas autem Petri suorum erudita lapsu cunctis peccatoribus rite pulsantibus misericordiæ competentis januas aperit. Sic universo corpori et oculus videt, et auris audit, nec potest dicere oculus manui: Opera tua non indigeo, neque caput pedibus: non estis mihi necessarii.

Si vere fratres divites esse cupitis, veras divitias amate, ait quidam sapiens (99): quia fallaces divitiæ non inveniunt, sed augent egestatem, quæ si distri-

(99) S. Greg. M. Hom. 15 in Evang.

Digitized by Google

buentur, minuuntur : si autem servantur, possessores earum frustra sollicitantur, et fructus non capient ex eis. Ille autem veræ divitiæ sunt, quæ, ut dictum est, in singulis asperguntur, et in omnibus inveniuntur, quæ distributæ non minuuntur, neque tinea eas demolitur, neque fures effodiunt, neque ut vestimentum veterascent, aut aliquando deficient. Omnes, qui eas accipiunt et custodiunt in præsenti sæculo, divites erunt per merita virtutum, et in futuro per gloriam beatitudinum. Fiat, fiat utrumque bonum.

Aliter : *Dominus Deus Israel*, qui propter nos egenus et pauper factus est in ipsa natura humana, in qua pauper fuit, per Patris et suam sanctique Spiritus divinitatem *benedictus* est in regem et pontificem : In *regem* omnium sæculorum : in *sacerdotem* magnum. Rex autem benedictus ad regendum populum debitor est, ut regat populum : sic et pontifex ad officium pontificale benedictus debitor est, ut sibi commissum benedicat populum. Igitur et Christus *rex benedictus a sæculo et in sæculum*, id est ita ut sit rex omnium sæculorum, debitor est ut regat populum suum. Similiter quia benedictionem omnium gentium dedit illi Pater faciens illum pontificem non Judæorum tantum, sed et gentium, debitor est, ut ipse pontifex benedictus benedicat nos, qui sumus populus ejus et oves pascuæ ejus. *Fiat, fiat. Fiat* ut nos regat, ne peccemus, sed etsi quis peccaverit, *fiat* ipse pontifex propitiatio pro peccatis nostris.

Quidam Psalterium distinguentes in quinque libros, primum librum volunt hic esse finitum, et hoc signaculo gemino per *Fiat, fiat*, vel : *Amen Amen* communitum.

Gloria Patri, cui dicitur : *Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me. Gloria Filio*, qui propter nos dormiens in cruce hoc dicit. *Gloria Spiritui sancto*, qui est illa misericordia, quæ postulatur, cum dicitur Patri a Filio incarnato : *Tu autem, Domine, miserere mei.* Gloria Trino, et uni Deo, qui est *benedictus Dominus Deus Israel a sæculo et in sæculum. Fiat fiat.* Amen. Amen.

PSALMUS XLI.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum. Titulus est :

(Vers. 1.) IN FINEM INTELLECTUS FILIIS CORE

Et est sensus : *Intellectus* designatur his subsequentibus vocibus ascribendus filiis *Core*, id est imitatoribus crucifixi Domini nostri Jesu Christi, qui per ipsam imitationem tendunt *in finem*, id est in bonum consummatum et summum, ultra quod nihil est appetendum. *Core* enim interpretatur *calvitium*. Et ponitur pro ipso loco, ubi Dominus fuit crucifixus, qui Hebraice dicitur Lithostrotos (100), Latine autem Calvariæ, videlicet propter calvarias decollatorum ibidem sparsim jacentes. Verumtamen eamdem interpretationem competentius posuit per nomen *Core*, quam per nomen ipsius loci : quia *Core* persona fuit, et multos filios habuit. Dicuntur autem *filii Core* filii calvi, quem, qui irrident, a diabolo et angelis ejus devorantur, ut pueri a bestiis, qui Eliseum deriserunt, dum dixerunt : *Crucifige, crucifige.* Hoc fuit puerili fatuitate dicere : *Ascende, calve, ascende, calve* (*IV Reg.* II, 23).

Agit hic psalmus de desiderio invisibilis Dei, quod non solum catechumenis fontem baptismi desiderantibus convenit, sed etiam baptizatis adhuc in vita hac a Deo peregrinantibus, qui quanto magis bibunt, tanto magis sitiunt fontem beatitudinis æternæ, de quo scriptum est : *Quoniam apud te est fons vitæ* (*Psal.* XXXV, 10). Ad hunc ergo fontem baptismi, vel vitæ monet Propheta relictis idolis et depositis vitiis currere.

Primo desiderium suum ostendit, cui quoniam malorum insultatio obviat dicentium : *Ubi est Deus tuus*, ne a tristitia sæculi in desperationem vel tædium trahantur, secunda parte sensualem animam consolatur. Ratio ibi : *Quare tristis es, anima mea?* Cavendum ne qui suavitatem Domini gustaverunt, solos in hoc cantico se esse putent, sed potius hanc vocem credant unanimitatis Christianæ ita dicentis :

Vers. 2. *Quemadmodum desiderat cervus*, etc. Cervus, perempto serpente, desiderat ut medicetur et refrigeretur *ad fontes aquarum*, ita ardenti desiderio anima mea, relictis idolis, consumptis vitiis, amplius *desiderat ad Deum vivum.* Exquisito exemplo figurat desiderium suum. Cum autem cervis fideles multis similitudinibus conferantur, præsens locus illud principaliter exigit in comparationem adduci, quod serpentem cervus naribus haurit, et æstuans veneno acrius desiderat fontem, quo hausto, pilos et cornua deponit. Similiter anima, ubi se cognoscit avaritiæ, fornicationis, idololatriæ, et aliorum hujusmodi vitiorum æstuare veneno, currit ad fontem aquarum Christum, qui bene dicitur fons, quia semper est irriguus, et ab ipso quæcunque fluunt, reficiunt; perempto autem in se antiquo serpente diabolo, exstinctis vitiis quasi depositis pilis, eradicatis superbiæ cornibus, item quærit fontem salientis aquæ in vitam æternam, quo cum se noverit transituram, ardentius inflammatur. Unde quia poterat cervus desiderare, causa lavandi vel bibendi, determinat desiderium suum esse causa bibendi dicens :

Vers. 3. *Sitivit anima*, id est ratio non jam ad

(100) *Golgotha.* Nam locus ubi Pilatus sedit pro tribunali, dicebatur *Lithostrotos* (*Joan.* XIX, 13).

Digitized by Google

simulacra mortua, sed *ad Deum fontem vivum*. Igitur *filii Core*, id est imitatores Crucifixi, et egeni pauperis supradicti, qui super paupertatem humanitatis ejus intelligunt divitias divinitatis ejus dicunt omnes, dicunt singuli : *Quemadmodum cervus*, consumpto serpente, summa agilitate *desiderat* venire *ad fontes aquarum* valde sitiens : tanto desiderio, tanta festinatione æstuat *anima mea*, hausto veneno diaboli per multas tentationes carnis, venire ad te potandum, et tibi comparticipandum, ut sic juvenescat facta tibi conformis, qui es fons aquæ frigidæ indesinentis, in quo est omnis plenitudo jucunditatis. Hæc dicenti primum fonte baptismi refrigerari convenit. Dicit enim in sequentibus ejusdem psalmi : *Propterea memor ero tui de terra Jordanis*, id est ex eo quod sum terra Jordanis facta per baptismum irrigua, et fertilis, quæ prius eram arida et sterilis. Nunc textum psalmi latius exposituri, adjuvante Domino, ab exordio incipiamus.

Serpens decepit me (*Gen.* II,, 13), ait mater mea Eva. Revera decepta fuit, quæ serpenti divinitatem promittenti credidit, quando illo suadente cibum vetitum comedit, et viro suo, patri meo, comedendum porrexit. Quid enim consecuti sunt in illo cibo? utique tantum veneni, quantum si comedissent corpus ipsius serpentis vel draconis, qui postea datus est in escam populis Æthiopum. Continuo enim vestibus innocentiæ nudati per concupiscentiam, cæteraque vitia persenserunt in se vim grassantis veneni de corpore serpentis in se transfusi, et in omnes posteros eorum, quorum unus ego sum, ego David vel ego pœnitens. Et quidem cum essem solummodo filius parentum venenatorum, non dolui grassante in me concupiscentia vel superbia et reliquis venenosis motibus, imo adauxi vim veneni, cum talibus motibus per consensum mentis me subdidi. Sed nunc ex quo cœpi esse *filius Core*, filius Crucifixi, et Sathanæ omnibusque suggestionibus ejus venenosis contradixi, primo *in terra Jordanis*, quando baptismum in remissionem peccatorum accepi, deinde *in monte modico Hermoniim* quando incendium et ruinam Sodomæ fugiens in monte modico cum Lot salvari optavi, ex tunc ego interior homo, vel ego filius *Core* condelectatus legi Dei secundum interiorem hominem, graviter et ægre tuli venenum peccati, venenum serpentium sentiens, quia *non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum* (*Rom.* VII, 18). Pili quippe vitiorum, et elationis cornua sunt in carne mea, licet per baptismum in terra Jordanis lota.

VERS. 3. Sed *anima mea*, condelectata legi divinæ, *sitivit in te Deus, quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum*.

• Sicut enim cervus, devorato serpente, veneno illius moreretur, si non cito per aquas fontales medicaretur, et ideo velociter currit ad fontes aquarum, ut aquis bibitis refrigeretur in eo fervor æstuantis veneni mortem operantis : ita *desiderat anima mea ad te, Deus*. Cum enim sim homo natus de muliere, per serpentem corrupta, repletus multis miseriis, infectus (101) multis venenis, absque dubio moriar, nisi te natum de virgine incorrupta, te panem verum, terræ sanctæ fructum, te granum *in terra Jordanis* mortuum et rursus multiplicatum pro antidoto accipiam, ut te manducato venenum mortiferum non sentiam, et cornibus elationis ac pilis vitiorum caream. Licet enim caro mea langueat, multisque infirmitatibus tabescat : attamen quia spiritus promptus est, anima mea sitit, et jam diu *sitivit ad Deum fontem vivum*.

Putavi aliquando in regione ista longinqua inveniri plenam refectionem et refrigerationem, sed quia sentio non esse hic nisi cibum porcorum, siliquas inutiles, jam reversus ad me ipsum, cognoscendo me ipsum, tendo super me ipsum ad Deum vivum, ad patrem meum dicens illi : *Pater, peccavi in cœlum, et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus* (*Luc.* XV, 18). Item : *Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen : prætende misericordiam tuam scientibus te, et justitiam tuam his qui recto sunt corde* (*Psal.* XXXV, 10). Talia in orationibus me dicente, licet caro sit infirma, tamen *sitivit anima mea ad te Deum fontem vivum* longe dissimilem cisternis manufactis, quarum aquas qui biberit iterum sitiet, quoniam satisfaciens quis desiderio suo per mundanæ vel prudentiæ vel concupiscentiæ oblectamenta iterum sitiet, nec unquam siti suæ in talibus remedium stabile inveniet. Qui autem *Deum fontem vivum* inveniet, semel de illo potatus ultra non sitiet, quoniam *fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* (*Joan.* IV, 14). Propterea cisternis mundanæ sapientiæ vel concupiscentiæ spretis, *anima mea sitivit ad Deum fontem vivum*.

In Hebræo legitur : *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum*, quod ita exponi potest. Multi dicuntur dii, quorum est falsa deitas, parva fortitudo, nulla vita, quia sunt simulacra muta, deitate, fortitudine ac vita carentia, nisi quod in hoc est eis fortitudo quantulacunque, quod aliqua eorum sint lapidea, vel metallina, quæ luteis ac ligneis aliquantulum sunt fortiora, sed tamen ignis domat omnia. Deus autem verus est fortior omnibus, qui solus veraciter dicere potest : *Vivo ego, quia mihi flectetur omne genu* (*Rom.* XIV, 11). Item : *Nemo potest rapere de manu mea* (*Joan.* X, 29). Prædicatur quidem apud gentes ad simulacra muta, prout decuntur, euntes, quod Hercules eorum deus erat fortis, et in fortitudine sua multum celebris, eo quod leonem Nemeæum interfecerit, quod hydram Lernæam superaverit, quod Antæum luctando suffocaverit, quodque alia multa fortia gesserit : sed fortior eo fuit amor muliebris, qui eum usque ad muliebria deflexit opera, et fortius eo fuit ven[illegible]

(101) Cod., *interfectus*.

Digitized by Google

Nessei sanguinis, quo amisit fortis iste vitam pariter et fortitudinem, quam non potuit ullatenus recuperare, quoniam non habuit potestatem sic animam suam ponendi, ut iterum posset eam resumere surgendo a mortuis. Itaque dum anima mea sitit in Deum vivum, talem deum nolo, cui mortem, seu aliquid aliud prævaluisse, vel adhuc prævalere posse invenio : ad Deum fortem vivum suspiro, cui vere conveniat ista invocatio : *Sanctus Deus, sanctus fortis*, sanctus *immortalis, miserere nobis*. Item : *Deus invictæ virtutis auctor, et insuperabilis imperii rex, ac semper magnificus triumphator*. Item. *Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse prænoscis.*

Hujusmodi sempiterna et omnipotens Deitas non invenitur extra illum Core, extra illum calvum in loco Calvariæ crucifixum, quem pro suo calvitio irridentes Judæi puerili fatuitate meruerunt in manus bestiarum tradi. Non est sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis extra illum pauperem et egenum, cui supra cecinimus : *Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem.* Ipse est enim, cui alias canitur : *Non est sanctus ut est Dominus, neque est enim alius extra te, et non est fortis sicut Deus noster* (*I Reg.* II, 2). Est quidem alius Filius, alius Pater, alius Spiritus sanctus, sed non est alius Deus, alius fortis, alius immortalis Pater et Filius et Spiritus Sanctus, quorum una est deitas, una fortitudo, una immortalitas. Neque enim est alius extra te, pauper et egene Core, tibi compar, vel major in fortitudine, quoniam Pater æque fortis, æque omnipotens, æque Deus vivus, ut tu, non est extra te, sed in te, ut tu dicis : *Ego in Patre, et Pater in me est* (*Joan.* XIV, 10). Item : *Qui videt me, videt et Patrem* (*ibid.* 9). Item : *Ego, et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Ergo tu et Pater et Spiritus sanctus estis unius deitatis, unius fortitudinis, unius immortalitatis. Nam etsi *memor ero tui de terra Jordanis*, in qua mortuus, tuoque sanguine baptizatus es, in qua sicut ovis coram tondente non aperit os suum, sic non aperuisti os tuum coram judice Pilato, vel milite illius te flagellante, ac decalvante, vestibusque tuis te nudante, ut non solum calvus tanquam Eliseus, sed etiam nudus tanquam Noe derisui habereris : attamen oblivisci nolo, quod tu idem in eadem terra Jordanis opera divina, opera fortia operatus es, quæ nemo alius fecit. Tu illic non infirmitatem habuisti, per quam tibi nolenti posset mors inferri, sed potestatem habuisti, per quam pro velle tuo animam tuam posuisti et iterum sumpsisti. Etsi ad tempus in terra Jordanis particeps fuisti nostræ infirmitatis : attamen deposita infirmitate ista ibidem fortissimus es et potentissimus, vel potius omnipotens apparuisti discipulis tuis, quibus te post resurrectionem videntibus dixisti : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII, 18).

Dixeras et ante illius tuæ voluntariæ infirmitatis depositionem : *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo* (*Luc.* X, 22). Item : *Nemo potest rapere de manu mea* (*Joan.* X, 29). Unde constat quod in terra Jordanis, maxime in loco Calvariæ, tu Homo Deus divina fortitudine non caruisti, sed ibi abscondita est fortitudo tua, ibi sub edulio nostræ infirmitatis latuit fortitudo invictissimæ Divinitatis, quæ tibi Verbo Dei naturalis tibi homini data est, non ut Deus nuncupative, vel adoptive dicaris ut angelus vel homo particeps Divinitatis. Non enim te Deus Pater adoptavit in Deum seu filium suum, sed genuit non solum ex utero suo ante Luciferum, sed etiam in utero Virginis eructando in ea Verbum suum semen suum fecundando, eam per amorem suum, Spiritum sanctum, cujus operatione semini Dei semen Virginis ita est unitum, ut quod natum est in ea, recte vocetur Filius Dei. Audi angelum hæretice, si mihi non credis. *Spiritus sanctus*, inquit, *superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi : ideoque et quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I, 35). Ideo, inquit, quia Spiritus sanctus amor Dei Patris desursum veniet in te fecundans te, et quia virtus Altissimi obumbrabit tibi, ne sentias æstum carnalis delectationis, in qua concepit Eva, et in qua concipiunt reliquæ mulieres : tu sola benedicta es inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui, non benedictione plebeia, sed benedictione illa, in qua benedicendæ sunt omnes tribus terræ. Non benedictione, in qua benedicendi sunt aliqui inter omnia, sed benedictione qua recte prædicatur super omnia Deus benedictus ipse tui ventris fructus benedictus. Et non solummodo Verbum sanctum, divinum, quod venit in te, sed etiam Sanctum tuum de tua carne sumptum, quod semini Dei, Verbo Dei unitum, nascetur ex te *Sanctum, vocabitur Filius Dei*, non quod sint duo Filii Deus et homo, sed unus Filius Deus Homo, cui et ex Patre naturalis est divinitas, et ex matre naturalis humanitas. Nam et humanitati data est divinitas, et divinitati sic unita est humanitas, ut idem sit homo, qui Deus, idemque Deus, qui homo : idem Filius Dei, qui Filius Virginis, et Filius hominis, qui Filius Dei Patris.

Et de Verbi quidem æterna divinitate pauci unquam, exceptis Arianis, dubitaverunt. De hominis autem Verbo uniti divinitate non solum Nestorius cum suis complicibus olim dubitavit, sed usque hodie multi dubitant, qui Hominem Deum non proprie, sed figurative dici affirmant. Contra quorum insaniam, quoniam alias responsum est, ut puto, sufficienter introductis testimoniis orthodoxorum Patrum hominem proprie Dei Filium ac Deum affirmantium, et aliter sentientes anathematizantium, nunc sufficiat animæ meæ flagranti desiderio suo in hoc satisfacere, ut *quemadmodum desiderat cervus* venenatus ad fontes aquarum propter medicinam de aquis vivis capiendam, ita desideret ipsa venire ad illum *Core*, quem cum sciat esse hominem in Calvaria derisum, scit nihilominus esse *Deum fore*

Digitized by Google

tem vivum. Non dicat illi : *Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis* (*Joan.* XIV, 8.), quasi non ipse sufficiat, imo in ipso sibi omnem sufficientiam constituat, quoniam qui habet Filium, habet et Patrem, qui videt Filium, videt et Patrem. Sufficiat animæ meæ veneno serpentino intoxicatæ antidotum de vera humanitate veraque divinitate confectum, sufficiat ei manna cibus angelorum, cujus est gustus quasi similæ cum melle vel quasi panis oleati, quia simila mundissimæ humanitatis cum melle vel oleo divinitatis ita est sapienda, ut ex duabus, et in duabus naturis panis unus Emmanuel intelligatur, in quem, non ultra quem desiderant angeli prospicere, quoniam ultra ipsum nihil est, in quo et Pater et Spiritus sanctus est, quique unus Deus fortis et vivus est una cum Patre suo, qui ante sæculum illum genuit, quique in fine sæculorum suo amore, sancto videlicet Spiritu, Virginem fecundavit, ut hominem gigneret, cujus Pater ipse Deus esset.

Non ergo ultra ipsum, sed ad ipsum recte *sitivit anima mea*, quæ nec infra ipsum requiem invenire poterit, nec ultra ipsum quærere aliquid opus habebit. Unde et credit ipsi dicenti : *Venite ad me, omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI, 28). Item : *Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (*ibid.* 29). Item : *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat, et de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII, 37). Audiens hæc *anima mea*, non inveniens requiem in se neque in sæculo, *sitivit ad Deum fontem vivum*, sive *ad Deum fortem vivum*, quo invento non sitiat ultra, quia nihil est ultra, qui etiam sufficit unus, quia non est solus. Neque enim vel homo solus est absque divinitate, neque Filius solus est absque Patre, vel Spiritu sancto, cum et homo, salva naturæ suæ indestructibili essentia, sit Deus Altissimus, ac Filius Altissimi vocetur, et Filius una cum Patre ac Spiritu sancto unus Altissimus recte nominetur. Non enim vel homo, et Verbum duo Altissimi, vel Pater, Filius, ac Spiritus sanctus tres Altissimi sunt, sed unus Altissimus, quomodo non tres dii, vel tres omnipotentes, sed unus Omnipotens dicitur, neque Trinitas Deitatis, vel omnipotentiæ in numero personarum crevit per id, quod homo factus est omnipotens Deus, imo Deus Homo una cum Patre, ac Spiritu sancto est unus Altissimus, unus omnipotens, unus Deus, unus fortis, unus immortalis ; quia sicut Deus non moritur, sic homo sua divina virtute resurgens ex mortuis jam non moritur, et mors illi ultra non dominabitur. Sicut Deus habet immortalitatem, id est immutabilitatem, sic homo in dextera Dei sedens habet immortalitatem. Nam omne quod a statu suo in alium statum mutatur, non incongrue mori dicitur. Unde solus Deus proprie immortalis dicitur, *qui solus habet immortalitatem* (*I Tim.* VI, 16), id est immutabilitatem, quam dedit homini ad dexteram suam sedenti, et exaltato non solum super omnia accidentia mutabilitatem in rebus facientia, sed etiam super omnia subjecta mutabilitatum et accidentium susceptibilia.

Igitur anima mea carnalis, fragilis, mutabilis, ardens, sitiens Deitatem, fortitudinem, immortalitatem recte intendit ad *Core*, id est ad Christum *Deum fortem, vivum*, ut et ipsa deificetur, confortetur, vivificetur. Deificetur inhærendo suo superiori, et confortetur ad bene regendum suum inferius; vivificetur, ne a tali vita, quam desursum accepit, et inferiori tribuit, quandoque mutetur. Similiter anima totius Ecclesiæ, vita scilicet religiosa officiis divinis mancipata, et ipsa deificetur inhærendo suo superiori, et confortetur ad regendum suum inferius, totius scilicet Ecclesiæ corpus; et vivificetur, ne sanctum vivere desursum accipiens, et inferiori administrans quandoque amittat noxia mutabilitate vel morte.

O anima mea, sitiens ad Deum fortem vivum ecce invenisti florem virgineum plenum divinitatis, fortitudinis et vitæ, gratia et veritate! suge illum tanquam sagax apicula, suge tibi, suge toti Ecclesiæ dicens assidue in oratione ad ipsum Deum fortem vivum : Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis. Sanctus Deus cui thus, sanctus cui aurum, sanctus immortalis cui myrrha offertur, miserere nobis tibi thus offerentibus, quia te Deum adorandum et sacrificiis honorandum credimus ; aurum, quia regem divitem et fortem fatemur ; myrrham, quia mortale quoddam corpus tuum myrrha immortalitatis et incorruptionis conditum prædicamus. Miserere nobis singulis et universis : singulis, ut spiritus cujusque nostrum et anima et corpus te colat, te diligat, te venturum sitiat, ita, ut integer spiritus noster et anima et corpus sine querela in adventum tuum servetur. Integer spiritus tibi Deo thus offerat in sanctuario mundi pectoris habens illic altare thymiamatis plenum semper igne dilectionis. Integra etiam anima tibi fortissimo regi offerat aurum de tuo dono ad tui laudem bene disponens regimen suum per omnes artus membrorum. Integrum quoque corpus tibi myrrham semper offerat, dum spe immortalitatis a mortalibus culpis et corruptelis omnino se alienat, et quasi terra sitiens imbrem matutinum et serotinum te vivificatorem suum nunc et in futurum exspectat. Ita rogo singulis misericordem fore *Deum fortem vivum.*

Universis autem, toti videlicet Ecclesiæ tu sancte Deus, sancte fortis, sancte immortalis, ita miserere, ut totum totius Ecclesiæ sacerdotium sanctum tibi Deo vero thus offerat lucidissimum per orationis incensum purissimum : et totum totius Ecclesiæ regnum Christianissimum tibi Regi vero et forti offerat aurum per exteriorem divini cultus ornatum, qualis est in sacris vestibus, aureis calicibus, templis vel ecclesiis deauratis, ac bene fi-

Digitized by Google

tatis regali munificentia, pariterque securis regali tutela expurgata inde tota scoria per Antichristi regnum conflata, ne ultra dicatur Ecclesiæ : *argentum tuum versum est in scoriam* (*Isa.* I, 22), sed sit Ecclesiæ tam argentum quam aurum purissimum, id est regnum Christianissimum, et thus lucidissimum, id est sacerdotium mundissimum, ita, ut in auro ostendatur Regis regum potentia, in thure sacerdotum pontificis magnificentia, et in myrrha Dominica sepultura, consepulta nimirum Domino suo inter mortuos libero tota Ecclesia, ita videlicet, ut sicut ejus corpus liberum fuit a corruptione conditum myrrha, et præventum celeri vivificatione : sic tota Ecclesia per myrrham continentiæ a vitiis castigata, et virtutibus vivificata, sit a corruptione ac fœtore peccatorum libera, etiam nunc inter mortua, putrida et fœtentia ipsius Antichristi membra, *quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui* (*II Thess.* II, 8), non mortem inferendo, sed mortuum, et a vera vita penitus alienum illum ostendendo, ac tandem in judicio suo sempiternæ pœnarum eum morti tradendo. De illo scriptum est : *Faciem ejus præcedet egestas* (*Job.* XLI, 13) : quoniam semper avarus eget, qualem illum fore non dubitamus, cujus in tempore *quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum* (*Matth.* XXIV, 12). Quænam rogo est illa iniquitas, per quam refrigescet charitas non quærens quæ sua sunt, nisi avaritia quærens quæ sua sunt? Hac igitur abundante ante faciem Antichristi præcedet egestas, quoniam avarus quilibet Antichristo militans dum quærit quæ sua sunt, quanto de die in diem se ipso ditior, tanto etiam se ipso fit avarior, ut semper ante faciem ejus præcedat egestas, per quam refrigescet charitas multorum, faciem hujus avari antecedentium, revera quidem egentium, sed sua æstimatione ac superbia, spiritu semper et interdum rebus divitum. Quo contra faciem Dei fortis vivi processio sanctorum antecedit, in quorum fronte *beati pauperes spiritu* (*Matth.* V, 3) ponuntur, quos reliqui beatorum ordines continuatim subsequuntur, inter quos loco sexto ponuntur *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*ibid.* 8) — *O quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* quando veniam per gradus beatitudinum usque ad illum statum, in quo inter beatos mundo corde videam Deum?

Aliter : *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* id est quando mihi sic apparebit facies Dei ut et ego libenter appaream ei? Quando ero certus esse me de numero illorum quibus dixit Apostolus : *Cum enim Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum Christo in gloria?* (*Col.* III, 4.) *Quando* exuam totum veterem hominem cum actibus suis, cum cervinis cornibus, et pilis de peccati vetustate nimium excrescentibus? *Quando* sic rejuvenescam cervus innovatus, cornibus elationis et vitiorum pilis dejectis, ut non fugiam vel abscondam me cum vetere homine inter ligna paradisi, timens faciem Dei? *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* Deus meus lux est vera, et tenebræ in eo non sunt ullæ. Ego autem vetustate caligosos, et lippitudine peccati saucios habens oculos adhuc timeo lumen, quoniam qui male agit odit lumen. Unde et ego fugio lumen adhuc filius tenebrarum et noctis, quasi vespertilio libenter volitans in obscuro conscientiæ malæ angulo. Sed Deus meus quando erunt mihi oculi sani, oculi aquilini, cum quibus delectabiliter *appeream ante faciem Dei* mei, solis æterni, et luminis incircumscripti, ut ille qui securus veniebat *ante faciem Dei* dicens : Cupio *dissolvi et esse cum Christo?* (*Philip.* I, 23.) Vetus homo fugit, et abscondit se a facie Dei, eo quod nudus esset. *O quando* ero sic vestitus veste nuptiali, ut nuditatem meam non erubescens confidenter *veniam et appeream ante factem* Dei? Cain quoque fratricida, egressus a facie Domini, vagus et profugus fuit in terra, nec est reversus ante faciem Domini sibi placandam per veram pœnitentiam, quam nec agere voluit, quia desperationis abysso immersus *faciem Dei* non quæsivit. Ego autem licet peccati mihi conscius ut ille, tamen non desperans veniam ut ille. Scio quod abyssus peccati abyssum gratiæ invocat, ut ubi abundavit peccatum, superabundet gratia. Unde post magnam peccati abundantiam sperans abundantem gratiam, non dico : *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear* (*Gen.* IV, 13), sed dico : *Quando veniam* per veram pœnitentiam, *et apparebo ante faciem Dei* accipiens veram indulgentiam? Scio quod sancti *venientes venient cum exsultatione portantes manipulos suos* ante faciem Dei, sed prius est, ut euntes eant, et fleant *mittentes semina sua* (*Psal.* CXXV, 6). Præcedunt ergo semina lacrymarum : sequuntur manipuli gaudiorum portandi *ante faciem Dei*. Hujus ordinis et ego memor jam flevi assiduc, jam seminavi lacrymans, per ipsas lacrymas agrum cordis mei rigans. Parum est quod lacrymas seminavi, qui non solum potum meum cum fletu temperavi, sed etiam lacrymas quasi panem delectabilem manducavi. *Nam*

VERS. 4. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte*, dum in lacrymis meis erat mihi refectio, non amaritudo vel defectio, sicut homini Christiano, et vero *Core* filio. Qui enim talis est, afflictionibus eruditur, lacrymis pascitur, opprobriis exercitatur, et luctu suo anima pascitur, cum ad superna gaudia flendo sublevatur, quæ intus quidem doloris sui gemitum tolerat, sed eo refectionis pabulo pascitur, quo hic vis amoris per lacrymas emanat. Sic et ego lacrymis meis quasi pane reficior *die ac nocte*, id est omni tempore, vel *die* prosperitatis, et *nocte* adversitatis.

Dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus? Hæc enim jugis insultatio pravorum causa est lacrymarum, dum quisque paganus Deum suum lapideum vel argenteum seu aureum digito monstrare potest, aut etiam dum avarus nummum, luxuriosus

Digitized by Google

Beelphegor quasi Deum suum demonstrans mihi insultat dicens: *Ubi est Deus tuus?* Ubi est Deus, quem tu prædicas amatorem et auctorem justitiæ, munditiæ ac totius honestatis morum et vitæ, cum in toto mundo regnent, nimiumque abundent vitia injustitiæ, immunditiæ, malitiæ, et nequitiæ, ac totius exordinationis morum et vitæ?

Aliter. Qui seorsum greges faciunt, sibique discipulos a mundo segregatos colligunt, quia sibimet quiete vivunt, pacemque habentes cum mundo nullas ei leges imponere contendunt, bonos et malos diligunt, quorum et munera indifferenter accipiunt, ac per hoc in bonis et in personis crescunt, quia multi partim lenitate ipsorum, partim novitate observationum tracti libenter eis vel sua, vel etiam se ipsos tribuunt, isti revera in Deo suo gloriari possunt dicentes: *Magnificavit Dominus facere nobiscum* (*Psal.* CXXV, 3), quia *magnificavit Dominus facere cum eis*, ita ut interdum per eos etiam miracula fiant, quibus non se, sed Deum suum magnificant, per quem hujusmodi magnalia evidenter sibi adesse demonstrant. At tu, Fili *Core*, Fili hominis in cruce derisi per hoc in derisu haberis et in similitudine improperii, quod illum *Core* imitaris, qui maledixit pueris insensatis dicens eis: *Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui comeditis domos viduarum oratione longa orantes. Væ vobis Scribæ et Pharisæi, qui circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum, et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos. Væ vobis, duces cæci. Væ vobis, qui decimatis mentam, et rutam, et anethum, et cyminum, et reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium et misericordiam et fidem. Hæc oportuit facere, et illa non omittere. Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes. Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis est calicis et paropsidis, intus autem pleni estis rapina et immunditia. Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia. Sic et vos a foris quidem paretis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate* (*Matth.* XXIII, 13, et seqq.). Quia vero taliter, tam personaliter increpati se increpantem et ejus discipulos erant persecuturi, consequenter subjunxit interpositis paucis: *Ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem*, et reliqua. Notandum sane in verbis hujus *Core*, pueros fatuos maledicentis, quod non solum vitia exsecratus est, verbi gratia immunditiam, nequitiam, et avaritiam, qualia et nos libere vituperare sine offensa hominum possumus, verum, quod amplius est, ipsas personas ex nomine tetigit, in quibus hæc vitia reprehendit, quod nullus doctor potest facere sine magna hominum offensione. Tu ergo, qui istum *Core* in hoc imitaris, quod personas vitiosas demonstrative tangis, et mundi consuetudines immutare contendis, qui malorum suas iniquitates defendentium, et verbum Dei non recipientium respuis munera, excutiens etiam pulverem de pedibus tuis in eos qui te non audiunt, crimina detestantem, et leges Christi non solis monachis, vel solis canonicis, sed cunctis populis Christianis pariter servandas intimantem: tu, inquam, taliter agens et docens, quem facis in Ecclesia fructum? Quis episcoporum te audit, ut secundum canones Ecclesiam sibi commissam regat? Quis regum te audit vel ducum seu aliorum principum, ut suum regimen pure absque nævo avaritiæ impendat ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum? Quis clericorum te audit, ut clericaliter vivat caste ministrans altari, et sobrie vivens de altari, ita ut habens victum et vestitum necessarium his contentus sit? Qui monachorum te audiunt, ut solitudinem sectando multitudines hominum sæcularium fugiant, et vel nunquam vel raro se curiis principum immisceant? Quæ sanctimoniales te audiunt, ut exemplum Dinæ vagantis caveant, et exemplum Mariæ sedentis ad pedes Domini teneant? Qui milites te audiunt, ut neminem concutiant, neque calumniam faciant, sed contenti sint stipendiis suis? Qui uxorati te audiunt, ut suas uxores diligant, sicut Christus Ecclesiam? Quæ mulierum te audiunt, ut subditæ sint viris suis in Domino, sicut Sara obedivit Abrahæ dominum illum vocans? Qui dominorum te audiunt, ut servis suis præstent quod justum est? Qui servorum te audiunt, ut fideliter subditi sint dominis non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis? Quis innocentum te audit, ut suam innocentiam custodiat? Quis pœnitentium te audit, ut dignos pœnitentiæ fructus faciat? Quis divitum te audit, ut de duabus tunicis unam tribuat, et de cibis similiter faciat? Quis pauperum te audit, ut cum Lazaro paupere divitias mentis possideat? Longum esset nimis per singula evagari, et cuncta dinumerare hominum genera, quæ t tibi fecisti et facis infesta, docens quæ illis minime sunt accepta. Unde miror te non quiescere, ac tui solius curam gerere vel te libenter audientium tibique voluntarie obedientium, seu tibi commissorum. Quid ad te arguere, quæ non pertinent ad te? Quis tibi commisit vel injunxit vituperationem multorum commorantium in circuitu, dum conveniunt simul adversum te? Qui etiam interdum accipere animam tuam consiliati sunt volentes tibi mortem, vel membrorum truncationes machinari timentes per te infestari. Si Deus tuus appareret, sermonem tuum confirmando sequentibus signis, aut si ostenderet se inimicum inimicis tuis, recte sufferretur quod a te dicitur. Nunc autem *ubi est Deus tuus? Ubi est Deus*, qui exsecratur quod tu exsecraris, qui detestatur quod tu detestaris? Ubi se ostendit velle ut mundus tales habeat episcopos, tales reges, tales clericos, mona-

Digitized by Google

chos, milites, et alias hominum manerias tales, quales tu ex auctoritate verbi ejus commendas? *Ubi est Deus tuus?* Ubi latet, quod suam potentiam secundum tuam, imo suam doctrinam non exercet?

VERS. 5. *Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam. Hæc* opprobria, et eis consimilia, quia multoties audivi, nunc inter psallendum *recordatus sum*, et non me præparavi ad respondendum, ubi non est auditus, neque cogitavi reddere opprobriis opprobria, sed patientiam servavi, et *effudi in me animam meam. Anima* enim *mea liquefacta est, ut dilectus locutus est* (*Cant.* v, 6) sive per me, sive per alium de sollicitudine omnium Ecclesiarum, de statu et ornatu earum, de singulis ordinibus in ea distinctis, de picturis, aut sculpturis palmarum, cherubim in parietibus templi Ecclesiam significantibus (102) de leonibus, et bubus, et cherubim in basibus expressis, de omnibus lapidibus eis quadratis et serratis ad regulam quandam, de duabus columnis mirifice ornatis, quarum altera *Jachim*, id est firmitas, altera *Booz*, id est in robore vocabatur in præfiguratione sacerdotalis et regalis potentiæ, vel misericordiæ et justitiæ, quæ verus Salomon disposuit ad fulcimentum et ornatum totius Ecclesiæ: de tribus templi tabulatis tres ordines, videlicet conjugatorum, continentium, atque rectorum significantibus, deque aliis templi ornamentis, de quibus scriptum est: *Omnia ex lapidibus pretiosis, qui ad normam quamdam, atque mensuram tam intrinsecus, quam extrinsecus serrati erant a fundamento usque ad summitatem parietum, et intrinsecus usque ad atrium majus. Fundamenta autem de lapidibus pretiosis, lapidibus magnis decem, sive octo cubitorum* (*III Reg.* VII, 9, 10). Lapides isti lapides pretiosi, et fundamenta hæc illa sunt, quibus vel de quibus Apostolus dicit: *Jam non estis hospites, et advenæ, sed estis cives sanctorum, et domestici Dei superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum*, etc. (*Ephes.* II, 19). Et illa quidem ædificatio manu facta, sicut omnis terrena constructio, fundamenta deorsum habens tendebat sursum: hæc autem ædificatio spiritualis fundamenta sursum habet, quemadmodum Psalmista: *Fundamenta*, inquit, *ejus in montibus sanctis* (*Psal.* LXXXVI, 1). Etenim fundamentum fundamentorum est Christus. Nulli dubium quin sit ipse Altissimus lapis, *ad quem accedentes*, ait Petrus, *lapidem vivum et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini* (*I Petr.* II 4, 5). Neque tamen eo tendit, ut super illum debeamus elevari. *Ad normam*, ait, *quamdam, atque mensuram tam intrinsecus quam extrinsecus serrati erant.* Ac deinceps: *Æqualis mensuræ secti erant* (*III Reg.* VII, 9, 11). Hoc plane secundum unam eamdemque fidem intelligendum est. Nam fide quidem omnes isti lapides v.vi, lapides pretiosi æquales sunt, et tam intrinsecus quam extrinsecus serrati sunt, quia tam coram Deo, quam coram hominibus idem dicunt, et idem sapiunt, unde et tanquam serrati, sive secti bene conjungi et sibi cohærere possunt: operatione autem vel potentia plurimum differunt. Unde et Apostolus. *Hæc autem*, inquit, *omnia operatur unus, atque idem Spiritus dividens singulis prout vult* (*I Cor.* XII, 11). Et bene *ad normam quamdam atque mensuram.* Unus enim, et solus, qui sine ullo mensura omne datum optimum et omne habeat donum perfectum, ille est de quo Joannes Baptista: *Non enim*, inquit, *ad mensuram dat Deus Spiritum* (*Joan.* III, 34). Illi omnia Pater dedit in manus: nos autem omnes ad mensuram de plenitudine ejus accepimus.

Similiterque de cedro (*III Reg.* VII, 12), inquit, tam in atrio majori, quam in atrio domus Domini interiori, sive in porticu domus cum lapidibus, vel super lapides ordinantur et cedri: quia videlicet in ædificatione Dei decet ut et tanquam lapides simus per patientiam stabiles et firmi, et tanquam cedrus imputribilis bonis eos qui foris sunt provocemus exemplis, dicamusque cum Apostolo: *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco* (*II Cor.* II, 15). Sane atrium domus hi sunt qui propter charitatem intus positorum ad exteriora se extendunt, ut, eis excludentibus importuna quæque, sanctum non inquietetur otium illorum qui religioni et sanctæ contemplationi magis idonei sunt. Usque ad illud atrium pertingit opus Salomonis accuratissimum: quia profecto, quidquid operatur Christus in eis, qui sibi intus assistunt, illis proficit, qui, ut prædictum est, propter eos fideliter laborando ad exteriora sese negotia distendunt. Similiter in tabernaculo per Moysen ædificato, et in ejus atrio multa erant ornamenta, Ecclesiæ decorem præfigurantia, de quibus non est modo dicendum per singula. Hoc dixisse me nunc sufficiat, quod *anima mea* ingrediens *in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei* liquefacta est igne amoris, ut dilectus locutus est de talibus, et ideo *effudi in me animam meam*, cum non possem forinsecus ostendere talia ornamenta in re, qualia leguntur in præfiguratione. Si aliquando foras *effudi animam meam* quærendo exterius quæ de tabernaculo, vel domo Dei memoriter tenebam interius, quærebam in opere suo verum Salomonem cuncta mirabiliter et visibiliter ornantem, verbi gratia, leones, et boves, et cherubim in basibus templi, hoc est in prælatis exprimentem, sicut in Stephano protomartyre, qui erat *plenus gratia, et fortitudine* (*Act.* VI, 8): *gratia* videlicet bovinæ mansuetudinis erga bonos, quibus ministravit; *fortitudine* leoninæ austeritatis contra malos, quos increpavit, et *sapientia* cherubim, cui non poterant resistere disputantes cum illo. In opere, inquam, suo forinseco et manifesto quæsivi verum Salomonem, et non inveni illum; vocavi, et non respondit mihi.

Amplius autem et hoc animam meam per ignem

(102) Cod., *significans.*

Digitized by Google

compunctionis liquefecit, vel etiam tabefecit, quod igne Babylonico domum Dei destructam, columnasque illius dejectas vidi, vel stantibus utcunque parietibus ejus dominabatur in ea rex profanus, rex Antiochus Macchabæis, id est omnibus catholicis interdum fictus amicus, interdum manifestus inimicus. Quoniam sicut Antiocho vendente sacerdotium impio Jasoni ignis sacrificii, qui per septuaginta annos Babylonicæ captivitatis, in qua vixerat, extinctus est : ita regnante nunc Simonia domus Dei facta est spelunca latronum et domus negotiationis, atque, ut verbis utar Leonis papæ IV ad Leonem Augustum scribentis, *exstincta est virtus sacrificii.* Et beatus Augustinus dicit : *Ignis sancti Spiritus non lucet in eorum sacrificiis, quia domum Dei domum negotiationis fecerunt.*

Inter hæc omnia *dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus ?* Ubi est qui dixit : *Zelus domus tuæ comedit me ? (Psal.* LXVIII, 12.) Ubi est qui, facto de restibus flagello, cœpit ejicere vendentes et ementes de templo ? Ubi est qui dixit Petro : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam : et portæ inferi non prævalebunt adversus eam ?(Matth.* XVI, 18.) Nonne vides portas inferi, portas principum infernalium stare in altum subrectas, et quid valet, quod contra easdem portas psallitis, et dicitis : *Tollite portas, principes, vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit Rex gloriæ ? (Psal.* XXIII, 9.) *Quis,* vel ubi *est iste rex gloriæ ? Ubi est* iste *Deus tuus ? Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam,* ut intra me ipsum tacite pensarem, ubinam Deum meum demonstrare possem. Meditatus sum sicut docet psalmus titulatus *in finem intellectus filiis Core.* Unde quoniam *invisibilia Dei,* sicut ait Apostolus, *per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur (Rom.* I, 20), effudi animam meam, id est ad intelligentiam dilatavi, et per sensuum fenestras exteriora collustrans ipsa quidem ad affectiones sensuum propriis qualitatibus variata distinxi. Deum vero, quia qualitatibus istis non subjacet, his sensibus non cognovi. Relictis ergo sensuum instrumentis per se ipsum cœpit animus meus ea quæ non subjacent sensibus, contemplari sicut sapientiam et se ipsum et hujusmodi. Sed et variabilia hæc invariabilis Deus excedit. Ut ergo eum aliquatenus attingerem, qui est ultra me, *effudi animam meam* super me. Et quare hoc feci?

Quoniam transibo, vel ingrediar *in locum tabernaculi admirabilis,* id est per Ecclesiam, in qua sunt admirabiles sancti, ad cœlestem Jerusalem perveniam. Præsens Ecclesia *tabernaculum* est, extra quam si quis quærat Deum, errat. Hoc est *admirabile tabernaculum,* quoniam in corpore fidelium non regnat peccatum, sed anima facit corpus arma justitiæ, et ipsa dominans corpori obedit Deo sibi dominanti, cujus adjutorio spernit illecebras, tolerat aspera, tendit ad alta, transit ultra omnia transitoria. Ipsius enim vox est : *Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei,* æternam in cœlis, ad quam suspirans in hoc tabernaculo præsentis Ecclesiæ gemens ego anima solatia multa interim habeo.

In voce exsultationis et confessionis : quia *vox exsultationis et salutis est in tabernaculis justorum (Psal.* CXVII, 15) tam consona, tam dulcis ut non solum spiritalis auditor in ea jucundetur, et corde sursum elevetur *usque ad domum Dei,* sed etiam sæcularis aliquis adhuc militans huic mundo admiretur, et afficiatur in voce exsultationis et confessionis, dum auditur sonus epulantis Ecclesiæ, dum saginatus vitulus manducatur, dum symphonia et chorus auditur, de quo frater invidus miratur etiam ille, qui non desiderat vitulum jugo destinatum obedientiæ, sed hædum petulcum, et fetidum cum suis amicis manducare, quem foris exspectans dari sibi non vult intrare, nisi forte Patre invitante, quem pro talibus orare debemus, ut etiam his introductis ad societatem multitudinis epulantis impleatur gaudium Patris neminem volentis perire, sed omnes ad agnitionem veritatis venire. Tunc enim in voce exsultationis et confessionis *sonus epulantis* familiæ celebrior audietur, cum plenitudine gentium primo introducta ipse Pater familias reliquias Judæorum colliget, vel carnales et litterales Judæos a littera occidente vocando ad spiritum vivificantem, vel eos, qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant, perfecte convertendo, ut sicut nomine tenus dicuntur Judæi, id est, *confitentes,* ita sint in veritate non solum verbis, sed etiam factis Judæi, id est confessores Christi.

In Hebræo legitur : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes per diem ac noctem, cum diceretur mihi tota die : Ubi est Deus tuus ? Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam, quia veniam ad umbraculum, tacebo usque ad domum Dei, in voce laudis, et confessionis multitudinis festa celebrantis.* Nonne qui dicit : *tacebo usque ad domum Dei,* satis indicat : extra domum Dei manentibus non posse apte responderi, dum dicunt Christiano fideli : *Ubi est Deus tuus ?* Veniant in *domum Dei,* auscultent non foris a longe, sed intus de prope Scripturas et cantica divina *in voce laudis, et confessionis multitudinis epulantis, ac festa celebrantis.* Cantent semel in veritate canticum graduum usque ad quartum decimum, et quintum decimum canticum graduum, ne semper extra positi dicant mihi : *Ubi est Deus tuus?* Certe ibi eum invenient, quoniam *illic mandavit Dominus benedictionem, et vitam usque in sæculum (Psal.* CXXXII, 3). Illic sentient *unguentum, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion (ibid.* 2). Ibi per gratiam Dei ego filius *Core* jam positus *in finem* psallo, et sicut cervus desidero adhuc ultra gradus istos ascendere in finem dicens : *Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei* non manufactam, æternam in cœlis, ad quam ducor in voce exsultationis, et confessionis, dum spiritali aure ac-

Digitized by Google

ditur sonus epulantis, ac festa celebrantis multitudinis.

Trahitur hic forma loquendi ab illa similitudine, qua cum homines festa vel nuptias celebrant, organa introducunt et alia musica instrumenta voluptati aurium servientia. Et si quis quærit quid illic agatur, ne videantur inepta cantica, dicunt se nuptias, aut festum diem celebrare palliantes honesto nuptiarum seu festi nomine rem luxuriæ. Sic ergo sonus æternæ festivitatis mulcet aures cordis, et excusatur delectatio exteriorum aurium, si major est interiorum, si videlicet delectat plus sensus intellectum, quam cantus auditum. Nam cum mihi accidit, ut me plus delectet cantus, quam res quæ canitur, pœnaliter peccare me confiteor, ait in libro Confessionum beatus Augustinus (103). Mulceat ergo auditum cantus, nunc suavis, nunc altisonus, nunc psalmorum, nunc hymnorum, vel canticorum spiritualium; sed plus mulceat spiritum spiritalis intellectus, dum quod profertur ore vel percipitur aure, hoc ipsum spiritaliter intellectum versetur in corde. Inter hujusmodi symphonias et psalmodias rapitur cervus, ipse videlicet rationalis animus ad fontes aquarum, quas interdum bibens ita compungitur et perfunditur, ut etiam exterior homo inde habeat aquas lacrymarum : attamen corpus, quod corrumpitur aggravat animam ex infirmitate carnis ad consueta relabentem, et phantasias cogitationum inutilium quasi muscas importunas sustinentem. Igitur animus animam, ratio sensualitatem, vir mulierem confortat, dicens :

Vers. 6. *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?* Ego animus, ego ratio, ego vir, ego interior homo ad imaginem Dei creatus, jam spe introgressus in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei te animam, te sensualitatem, te feminam visibilibus et carnalibus detentam volo mecum trahere. Sed quia tu retraheris per corpus corruptibile aggravans te, in hoc *conturbas me*, quod non comitaris me, ut tibi sapiant invisibilia, quæ sunt veritas, bonitas, justitia, sapientia, cæteraque domus Dei fercula invisibilia quidem tibi, sed mihi visibilia, quia intus video et sapio illa. Etiam in hoc valde *conturbas me*, quod mihi talibus ferculis avide inhianti maxime inter psallendum et orandum tu quasi Eva serpenti consentanea, vel per carnem languida phantasticas turbas cogitationum de visis, auditis, gustatis, olfactis, et tactis, extra sensibilibus conceptas importune ingeris memoriæ, quæ mihi homini interiori cum sit quasi os aut venter, recordationibus inutilium cum recordationibus rerum utilium repleta sic conturbatur sicut venter tuus exterior carneus turbatur, quando cibis non solum utilibus, sed etiam inutilibus aut etiam venenosis repletur. Hoc autem quoties contingit, tu anima carnem sensificans, valde turbaris, quia cum tui sit officii carnem animare, cibosque illius in stomacho decoquere, multus tibi labor incumbit, non solum quæ utilia sunt in cibis, per artus corporis digerenti, sed etiam furfures per secessum, et maxime venenosa per vomitum egerenti. Cum ergo tibi animæ sit onerosa hujusmodi turbatio, *quare* tu *conturbas me* ingerendo mihi phantasias cogitationum inutilium et noxiarum ? Scio quod inde *conturbas me*, quia tu conturbaris a carnalium quinque sensuum delectatione tanquam a serpente mala suadente et illicita ingerente vel suggerente. Ab isto serpente conturbata *conturbas me*, contristata contristas me suggerendo et ingerendo inutilia et noxia, quodque tu pateris in rebus, me pati cogis in cogitationibus. Nam sicut tu ad res per oculos visas, per aures auditas, per gustum, odoratum et tactum sensas moveris et turbaris, eisque, cum delectent, subtractis, cum offendunt, ingestis contristaris : ita per rerum phantasticas imagines *conturbas me* tu *anima* prius turbata per res. Beata esses tu anima, si esses imperturbabilis ad res : et ego animus essem beatus, si essem imperturbabilis ad cogitationes. Nunc autem quia tu conturbaris ad res, et ego turbor ad cogitationes, *infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum* (*Rom.* vii, 24), istum videlicet *Core*, qui in loco Calvariæ passus est pro me animo, ac pro te anima, insuper etiam pro humana carne liberanda. Hoc sciens

Spera in Deo, quia Deus fortis vivus assumpsit et me spiritum, et te animam, et carnem nostram, tria videlicet sata farinæ, id est naturæ humanæ fermentando in unum, ut per divinitatis fermentum in his tribus satis absconditum fiat, quod Apostolus ejus dicit : *Deus*, ait, *pacis sanctificet vos per omnia, ut integer Spiritus vester, et anima, et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur* (*I Thess.* v, 23). Quia enim tria hæc assumpsit, utique tria hæc liberabit. Serpens autem, id est libido carnalis ab illo non fuit assumpta, quia non illum Eva libidine infecta concepit, sed Virgo inviolata sancto Spiritu obumbrata, et ab æstu carnalis concupiscentiæ omnino aliena. Ideo ipse non ut cervus invenenatus pro sui remedio desiderabat ad fontes aquarum, quia non erat in eo ullus pravæ libidinis motus, aut venenum, qui nunquam ex prava libidine videndi, audiendi, gustandi, olfaciendi, tangendi aliquid vidit, audivit, gustavit, olfecit, tetigit.

Spiritus tamen malignus in deserto illum tentans hoc efficere voluit, ut ipsum de pane loquentem gustandi aviditate audiret, de omnibus regnis mundi et gloria eorum suggerentem libenter adoraret, quasi cupidus videndi, audiendi, gustandi, olfaciendi, tangendi pulchra, et delectabilia quinque sensuum irritamenta regibus mundi abundantia : *Hæc*, inquit, *omnia dabo tibi, si cadens adoraveris me* (*Matth.* iv, 9). At ille quinque limpidissimos

(103) Lib. x, cap. 33.

Digitized by Google

lapides habens in pera sua, de uno tentatorem stravit, quoniam quinque sensus in carne sua mundos ab omni libidine habens verba quidem diaboli auditu simplici percepit, sed verbis ejus deceptoris verba veritatis respondit, et sic verus David magnum Goliam stravit. Quid enim contra istum virginis Filium virtutis haberet ille malignus, qui mulierem primam in serpente deceperat, quam pomo vetito monstrato videndi et gustandi libidine infecerat? *Vidit* enim, ait Scriptura, *mulier lignum, quod esset pulchrum visu, aspectuque delectabile, et ad vescendum suave* (*Gen.* III, 6). Sic delectabiliter videns, audiens, gustans, olfaciens et tangens fructum ligni vetiti ex toto corrupta et conturbata seu contristata est, pariterque virum corrumpi, conturbari et contristari fecit, ut ille pariter cum illa sententiam mortis exciperet, quæ ad posteros eorum in libidine serpentinæ suasionis conceptos, et in dolore genitos propagata nihil suum in isto *Core* habuit, quia, etsi spiritum et animam et corpus naturæ humanæ assumpserit, vitiosa tamen libido quinque sensuum longe ab illo fuit. Quid ergo proficeret in illo spiritus malignus tentando sine suo instrumento, sine libidine scilicet quinque sensuum, per quam veluti per serpentem lubricum deceperat primam mulierem primumque virum? Nempe in ista tentatione spiritus rationalis quasi vir, sensualitas animæ quinquepartita quasi mulier viro subdita in carne mundissima velut in terra paradisiaca fuit. Sed serpens defuit, quia libido carnalis in carne illius non fuit. Ut ergo serpentem nostrum interficeret per crucem in carne sua, vetus homo noster simul cum illo crucifixus est, et ille velut serpens æneus ab omni veneno libidinis alienus in ligno suspensus, omnibus pia fide illum aspicientibus et in ipso sperantibus, dat medicinæ salutaris effectum.

Hunc aspexi ego rationalis spiritus credendo in eum, et liberatus sum per eum partim in re, partim in spe, ita ut condelecter legi Dei liberatus a delectatione peccati, et aversus ab omni mortifera voluntate peccandi, dolens de peccato præterito, et libenter cavens de futuro. Erit autem perfecta mihi libertas a peccato, consummato in me regno justitiæ, quod oro dicens: *Adveniat regnum tuum* (*Matth.* VI, 10). Et quia te animam quasi mulierem meam, et carnem quasi terram in spinis et tribulis doleo esse sub maledicto per serpentem illato, adjungo ex doctrina *Core* in quotidiana, et assidua oratione: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, et in terra* (*ibid*). Hoc autem dico vehementer quasi cervus ad fontes aquarum sitibundus desiderans, ut quomodo ego spiritus liberatus a peccato servusque factus Deo condelector legi Dei secundum rationis virtutem interiorem: sic etiam tu sensualitas, et tu caro mea, libereris a peccato, et serviens Deo sentias voluntatem divinam fieri in te, sicut ego spiritus eam sentio fieri in me, adimpleto petitionis effectu, quem sicut cervus desiderans ad fontes aquarum tibi Deo forti vivo, quem in hoc psalmo sitio, dico assidue: Fiat voluntas tua sicut in cœlo, et in terra. *Quare ergo tristis es, anima mea, et quare conturbas me*, dum quasi desperans te posse ascendere post me ad condelectationem legis Dei, vis me trahere ad infima post te, ut quomodo tu delectaris in rebus visibilibus, ita ego spiritus delecter in earum imaginibus, meo sensui occulte se ingerentibus multo importunius, quam visibilia ipsa se ingerant quinque sensibus tuis? *Quare* per tales imagines, maxime in oratione *conturbas me*? Aut *quare tristis es* quasi desperans te posse ascendere post me? *Spera in Deo.*

Quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei et Deus meus. Jam *confitebor* eum Salvatorem meum, quia spe salvus factus sum ego spiritus, jam ex parte in re salvatus. Adhuc restat illi denuo confiteri etiam pro tua salvatione, o anima mea, pro qua non dico, quia jam confiteor, *sed adhuc confitebor*, quia futurum est bonum, de quo loquor, videlicet salus animæ meæ cum carne sibi adhærente. Quæ salus, dum completa fuerit, plena laude *confitebor illi*, quod ipse est *salutare vultus mei* dando salutem plenam, quæ non erit eo absente, ac per speculum et in ænigmate apparente in tabernaculo isto admirabili, sed eo præsente et facie ad faciem, vultu ad vultum se conspiciuum nobis exhibente: nobis dico, id est mihi spiritui, et animæ, et carni. Cum hoc fuerit, tunc *confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus*, quia tunc vultus ejus vultui meo quasi mundo speculo insignitus erit mihi salutaris, dando vultui meo salutem plenam in domo Dei æterna: quod in tabernaculo peregrinantis Ecclesiæ non complebitur in re, fit tamen in spiritu. *Ideo spera in Deo*, anima mea, spera et sperando semina modo in tabernaculo, quod metas et comedas in domo, præsentialiter facie ad faciem apparente, vultu ad vultum arridente Salvatore meo et tuo, depulsa tristitia, in qua nunc turbaris et tristis es anima mea. Tunc implebitur quod ipse dicit: *Beati, qui nunc fletis, qui ridebitis* (*Luc.* VI, 21). Itaque tristari quidem te dissuadeo, sed flere concedo, dum dicitur mihi et tibi quotidie: Ubi est Deus tuus? Tristitia namque tua me tabefecit, sed fletus tuus aliquoties quoties me refecit, quia *fuerunt mihi lacrymæ meæ* vel tuæ *panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?* Plora ergo, sed absque mordaci et sæculi hujus tristitia mortem operante, atque desperationem salutis generante. Plora, sed in spe gaudendi, quando apparebit *Core*, qui est *salutare vultus mei, et Deus meus*. Ex eo enim quod vultum meum, videlicet formam servi accepit, salutem vultui meo tribuit, et ipse est *salutare*, vel salvator *vultus mei*; ex eo autem quod ipse idem creator meus inspiravit in faciem meam vultum meum, spiraculum vitæ, creans me in primo parente, confiteor quod est Deus meus.

VERS. 7. *Deus meus*, quia creavit me: *Salutare*

Digitized by Google

meum, quia redimendo salvavit me. Spera in Deo salutari meo, anima mea, ut et ego spiritus exsultem in Deo salutari meo, et tu anima, magnifices Dominum sperando et credendo in ipsum. Spera, inquam, in Deo, non in me, nulla enim vel tibi vel mihi salus in me, aut ex me; sed potius *ad me ipsum anima mea conturbata est*, ad me ipsum refero, mihimetipsi attribuo, quod *anima mea* turbata est, quoniam inde factus sum mihimetipsi gravis ego spiritus rationalis, et causa turbationis animæ, et carni meæ, quod elatus in superbia, dum tibi Deo meo salutari vultus mei, superiori meo nolui humiliter et obedienter subesse, inferiori meo videlicet sensualitati et carni non potui utiliter præesse. Juste namque in inferiora mea perdidi concessum mihi dominium, qui te superiorem meum non recognovi Dominum meum. Juste ancillam sensualitatem et carnem meam inveni mihi spiritui rebellem, qui Domino meo rebellis exstiti superbiendo et alta sapiendo nec humilibus consentiendo.

Propterea memor ero tui de terra Jordanis et Hermoniim, a monte modico.— Jordanis, ubi tu, Domine, *salutare vultus mei*, et Deus meus, baptisma consecrasti, interpretatur *descensio* : et Hermoniim nomen montis est, qui est juxta Jordanem, et interpretatur *anathema*. Propterea ego spiritus per superbiam turbatus, et jure domini mei in sensualitatem et carnem propter elationis culpam juste privatus *memor ero tui de terra Jordanis*, ubi per tuam humilitatem baptizatus a servo tuo mihi per superbiam tumenti medicinam providisti, ubi tu, descendens in aquas, me quoque descendere et humiliari docuisti; ubi hominem, qui similitudinem divinæ altitudinis perverse ambierat, et similitudinem divinæ bonitatis, ad quam creatus fuit, neglexerat, revocasti ad suæ conditionis ordinem, locum et modum. Ordo quippe rectus est, ut homo de infimo elemento sumptus, de terra scilicet plasmatus, et elemento aquæ se recognoscat inferiorem, nec Deo altissimo se affectet in altitudine consimilem fore, cum non solum angelorum corpora spiritalia vel ignea, in quibus apparent, ut angelus in rubo, sed etiam volucrum et piscium corpora de aquis creata in sui conditione locum teneant homine superiorem, qui de terra sumptus est, et terra est, atque in terram ibit. Homo erga locum suum non tenuerat, qui, diabolo suadente, Altissimo similis esse affectaverat.

Quo contra Sapiens dicit: *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris* (*Eccle.* x, 4). Nam spiritus malignus toties ascendit super nos volens equitare nos, quoties per superbiam tentat nos : qui cum in alta semper tendat, suos etiam equos per stimulos superbiæ quasi calcaribus urget, ut se in altum elevent. Sed homo, qui locum suum non deserit, qui se terram vel pulverem cognoscens, non dico sub ignem vel aerem, sed etiam sub aquam deprimit spiritu superbiæ illum suis calcaribus urgente, cito ab equite maligno et superbo deseritur, et ab illo sessore in humilitate gradiens in humo, velut homo regetur qui dicit : *Super quem requiescit Spiritus meus, nisi super humilem, et quietum, et trementem verba mea?* (*Isa.* LXVI, 2.)

Igitur non equum saltibus elationis assuetum, sed humilem humiliter gradientem equitavit asellum Core noster tendens ad locum Calvariæ, ubi evidentissimam dedit formam suæ humilitatis, mansuetudinis et patientiæ. Ibi revera fluxit Jordanis aqua baptismalis, cum decurrente unda pretiosi sanguinis et omnes, ad quos pervenit aqua ista, salvi facti sunt, qui humiles facti sunt, suumque ordinem, locum et modum tenere didicerunt. Unde quasi terra Jordanis irrigua fructus magnos fecerunt, quorum primi fuerunt, quos Ecclesia primitiva Patres et magistros habuit, a quibus et ipsa *terra Jordanis* irrigua et fructifera esse didicit, sicut scriptum est : *Ecclesia crescebat, et confortabatur ambulans in timore Dei, et consolatione sancti Spiritus replebatur* (*Act.* IX, 31). *Ambulans*, inquit, *in timore Dei*, non volans, aut saltans in tumore diaboli, *consolatione sancti Spiritus replebatur*, ne terra inanis et vacua, sed *terra Jordanis* fructifera esset.

Propterea memor ero tui de terra Jordanis, qui *humilia respicis et alta a longe cognoscis* (*Psal.* CXII, 6). *Alta* dico per elevationem, non *alta* per virtutem. Sicut enim campis et vallibus, aut alveis Jordanis vicinus est ad litteram mons *Hermon*, sic vere humilitati vicina est virtutum constantia, quam significans mons *Hermon* dicitur *anathema*, quia virtus humilitatis anathematizat peccata, cavente ratione discretionis, ne, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Ipsa ergo regendi vel increpandi auctoritas humilitati conjuncta est quasi mons Hermoniim, quia vitia detestatur et anathematizat. Est et *mons modicus*, vel sicut in Hebræo legitur : *Mons minimus*, quoniam renati per baptismum et rigati per Spiritum sanctum, pœnitentia quidem parvuli sunt et humiles ac minimi suo judicio apud se, sed virtutibus alti apud Deum. Esto igitur tu *terra Jordanis*, descende ut eleveris. Esto *Hermon* anathematizando te ipsum et displicendo tibi, ut placeas Deo. Beatus Gregorius in Job (104) super hunc locum dicit : *Hermon* anathema, *id est* alienatio *interpretatur*. De terra *ergo* Jordanis et Hermoniim *Dei reminiscitur, qui in eo, quod semetipsum dejecit, atque a se alienus existit, ad Conditoris sui memoriam revocatur. Hinc est enim, quod voce Veritatis dicitur :* Si quis vult post me venire, abneget semetipsum (*Luc.* IX, 23). *Semetipsum enim abnegat qui, calcato typo superbiæ, ante Dei oculos esse se alienum demonstrat.* Sic David parvus apud se, magnus apud Deum dixit : *Li-*

(104) S. Greg. M. Lib. XXXIII. Moral. cap. 6.

Digitized by Google

dam et vilior fiam, et ero humilis in oculis meis (*II Reg.* VI, 12). Qui cum esset apud se humilis, erat quasi mons immobilis in constantia regiminis. Item Joannes Baptista humilis quidem quasi terra Jordanis non se dignum judicavit solvere corrigiam calceamentorum Christi, sed magnus coram Domino dignus habitus est baptizare Dominum in Jordane. Ipse itaque non solum de terra Jordanis fuit per humilitatem, sed etiam mons *Hermon* per auctoritatem, qua peccatores anathematizavit dicens : *Genimina viperarum, quis vobis ostendit fugere a ventura ira?* (*Luc.* III, 7.)

Hic mihi occurrit quorumdam fatua humilitas, et aliorum stulta procacitas. Nam sunt, qui sic humiliantur, ut boni æmulatores non sint neque audeant manifeste aliquid loqui ad emendationem vitiorum. Et sunt alii tam protervi, et ad reprehendendum prompti, ut eis onerosum sit non habere quod reprehendant. Priores *de terra Jordanis* aliquid habent, sed de monte modico *Hermoniim* nihil habent. Secundi de *monte* aliquid videntur habere, sed procul sunt *a Jordane*. Medio tutissime incedunt, qui dilectione hominum et odio vitiorum pariter ardentes neque super homines extolluntur, neque vitiis aliquando ita subduntur, ut aliena vitia tacendo faciant sua, quod est crudelitas maxima. Si enim frater tuus vulnus haberet in corpore, quod vellet occultare, cum timeret secari, nonne crudeliter abs te sileretur et misericorditer indicaretur? Quanto ergo potius eum debes manifestare arguendo primo inter te et ipsum solum, deinde coram testibus, postremo coram Ecclesia, ne perniciosius putrescat in corde! Talis Deo placet humilitas, quam comitatur charitas *non agens perperam* (*I Cor.* XIII, 4), id est perverse contra propriam conscientiam, bonum malum vel malum bonum dicendo, aut loquenda tacendo, seu tacenda loquendo, quæ usque adeo *non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati*, ut impugnando iniquitatem, defendendoque veritatem concitet sibi plerumque adversa : quæ non *irritatur, sed omnia suffert, omnia sustinet*, et inter hæc *nunquam* sic *excidit*, ut vel ab impugnatione iniquitatis, vel defensione veritatis propter adversa cesset, inter quæ *patiens est et benigna*. Patiens, ut nolit vinci a malo ; benigna, ut vincat in bono malum.

Est ergo virtus humilitatis quasi *terra Jordanis* irrigua, quia Deus humilibus dat gratiam, et custodiens parvulos Dominus dicit : *Sinite parvulos venire ad me : talium est enim regnum cœlorum* (*Marc.* X, 14). Item : *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum* (*Matth.* XVIII, 3). Item : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V, 3). Item : *Omnis, qui se humiliat, exaltabitur* (*Matth.* XXIII, 12). Ipse *respexit humilitatem ancillæ suæ* (*Luc.* I, 48), quasi *terram Jordanis* frugiferam, spinas et tribulos non habentem. Ipse *exaltavit humiles* (*Ibid.*, 52) quasi terræ illi vicinos montes, inter quos et ipse illius terræ fructus et lilium convallium crevit in montem excelsum, ita ut impleat mundum universum. Cum enim primo esset *lapis* parvulus *de monte sine manibus abscisus* (*Dan.* II, 34), et haberetur sicut mons *Hermon*, mons anathematizatus, factus pro nobis maledictum, ut nos de maledicto legis liberaret, nunc elevatus est super omnes colles in verticem montium, et fluent ad eum omnes gentes in aquis *Jordanis* per navem sanctæ crucis. Præclara est valde virtus humilitatis, per quam venitur usque ad verticem montis. Pulchre huic sociatur ardor charitatis quasi mons *Hermon* modicus, qui quasi mons immobilis manet, et nunquam excidit : quasi *Hermon* pravitates anathematizat, quasi modicus non inflatur.

Propterea memor ero tui, Domine Jesu, qui es verus *Core*, cujus filiis attitulatur psalmus iste ; *memor ero*, inquam, *tui de terra Jordanis*, in qua nobis exemplum dedisti summæ humilitatis, *et de monte modico Hermoniim*, ubi pro nobis maledictum factus quasi anathematizatus inter latrones pependisti, cum iniquis reputatus : quo facto maximam tui erga nos charitatem commendasti, quia *majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (*Joan.* XV, 13). *Propterea*, quia in nocte, qua tradebaris, discipulorum pedes abluens, et quasi aquis Jordanicis rigans, commendasti eis humilitatem dicens : *Exemplum dedi vobis, ut et vos ita faciatis* (*Joan.* XIII, 15), *memor ero tui de terra Jordanis*, et quia in eadem nocte per totam cœnam præcipue charitatem docens ipsius quoque in te ipso exemplum dedisti ponens animam tuam pro amicis tuis, non quia jam erant amici, sed ut de inimicis fierent amici. *Propterea memor ero tui de monte modico Hermoniim*, de monte Moria, ubi quondam Isaac patri obedivit, ut immolaretur, ubi et David in area Areuna sacrificium obtulit, et Salomon templum ædificavit, ubi tandem Calvariæ locum passio et maledictio, seu anathematizatio, ac derisio sacravit, quia tu noster Pater *Core* passus, maledictus, anathematizatus, atque derisus pro nobis filiis tuis commendasti charitatem tuam nobis, qua majorem nemo habet. *Propterea memor ero tui de terra Jordanis* humilitatem servando, *et de monte modico Hermoniim* charitatem sectando, quia in oculis tuis despecta est humilitas, quam non commendat socia charitas, et nulla est charitas, quam destituit humilitas. *Propterea memor ero tui* non de sola humilitate, ne, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas ; nec de tali humilitate, qua sic diligantur homines, ut eorum pariter diligantur errores, sed de humilitate per amorem charitatis maritata, et de amore Dei et proximi per humilitatem quasi uxorato, quia de tali tam spirituli duarum præcipuarum virtutum conjugio multarum aliarum virtutum propagatio veniet, in qua multi filii *Core*, ac deridendi ut calvi, erunt per humilitatem quasi mitra candida de humili materia contexta infulati.

Digitized by Google

et per charitatem quasi aurea lamina gloriose coronati, quia ineffabile nomen Dei tali coronæ inscriptum (*Deus* enim *charitas est* [*I Joan.* IV, 16]) glorificat subter humilitate mitratum, et desuper charitate coronatum. Humilitas quippe, ut dixi, de humili materia contexitur, dum et corpus per abstinentiam, ne lasciviat, et anima per pœnitentiam præteritorum, seu timorem futurorum peccatorum, ne superbiat, caute humiliatur, tanquam si de stamine ac subtegmine pannus byssinus ornamento sacerdotali aptus contexatur, de quo non solum tiara, sed et reliqua Levitica vestimenta fiant. Quæ sicut bene contexta, et diligenter candidata levitam, sacerdotem, vel pontificem condecorant in habitu corporis : sic et multo amplius mens humiliata, et caro candidata pariterque humiliata honestant habitum interioris hominis, cum in conspectu Dei apparebit humilis in mente quasi mitratus in capite, humilis quoque in toto suo esse tanquam indutus atque opertus alba et talari tunica.

Porro aurea lamina de pretiosa fit materia, cum et de auro, quod est inter metalla pretiosius, fabricatur, et eidem pretiosum Dei nomen inscribitur. Sic et charitas de pretiosa re in corde nascitur et augetur, cique inscribitur nomen Dei, dum propterea libenter Deum diligimus, quia ipse prior dilexit nos, et quia ipse Deus charitas est. Hujus fulgor in mente similitudinem habet coronæ, cujus circulus est absque fine, quia Deus diligendus est ex toto corde et ex tota anima et ex tota virtute sine fine per omnia sæcula, sicut ipse nos prior dilexit absque initio ante omnia tempora sæcularia in Filio suo, in quo nos prædestinavit, sicut Apostolus ait, *ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati* (*Ephes.* I, 4). *Sancti* videlicet per charitatem, *immaculati* per mentis et corporis humilitatem; *sancti* per Spiritum *sanctum*, qui amor est; *immaculati* per exempla Christi Filii propter nos humiliati usque ad mortem, mortem autem crucis. Cui si commoriendo carnem nostram cum vitiis et concupiscentiis mortificamus, dum non in angaria, ut Simon Cyrenensis, sed in voluntaria humilitate crucem hujusmodi portamus, vere sacerdotes Dei erimus, justitia induti secundum quod dicitur : *Sacerdotes tui induantur justitia* (*Psal.* CXXXI, 9). Justum quippe est, ut quomodo noster *Core* in loco Calvariæ crucifixus humilis inventus est, qui cum esset Deus, habitu inventus est ut homo humiliando se ipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis : ita nos filii Core humiles et obedientes mancamus usque ad mortem, mortem autem crucis, annitendo comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit ipsius crucis latitudo, longitudo, sublimitas et profundum.

Latitudo crucis reliquis dimensionibus ejus anteponitur, quia charitatis latum mandatum nobis ante omnia indicitur, cum per Apostolum dicitur : *Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum* (*I Petr.* IV, 8). Audis, quia charitas non solum in capite operit calvitium filiorum *Core*, ut aurea corona, sed etiam totius corporis operit maculas de multitudine peccatorum inflictas tanquam vestis aurata, qua et regina illa ornatur, quæ ad dexteram sui sponsi stans conspicitur *in vestitu deaurato circumamicta varietate* (*Psal.* XLIV, 10), juxta quod scriptum est, quoniam universa delicta operit charitas, et quia charitas operit multitudinem peccatorum. Bona vestis charitas, qua non solum confusionis operiuntur maculæ, sed in qua regii decoris insuper ornatus agnoscitur. Sic ornari decet genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, populum acquisitionis, omnes videlicet filios *Core*, id est imitatores passionis Dominicæ, quibus psalmi hujus intellectus assignatur, qui ejusdem *Core* irrisoribus est impenetrabilis quasi abyssus, cujus non invenitur fundus : quia intellectus Psalmi hujus est valde profundus, ut abyssus. Attamen

VERS. 8. *Abyssus abyssum invocat*, quia profundum intellectum profundum crucis aperit, eumque profunda humilitas filiorum *Core* capit. Sicut enim pupilla nigra profunde videt, alba non : sic humile cor profunde intelligit, quia Spiritus sanctus electos fugiens et humile cor inhabitans omnia scrutatur etiam profunda Dei. Sic *abyssus abyssum* invocat, quia profunda humilitas in se Spiritum sanctum invitat scrutantem profunda Dei et administrantem filiis *Core* profundum intellectum.

Aliter : *Abyssus abyssum invocat*, dum filiorum *Core* intellectus per hoc adjuvatur et illuminatur, quod Testamentum Vetus per Novum exponitur. Nam duæ abyssus, duo Testamenta propter intellectus profunditatem possunt intelligi, et *abyssus abyssum invocat*, dum lex Evangelio concordat. Lex Evangelium vocat, quando prædicit, quod impletur in Evangelio, ut est illud : *Prophetam suscitabit Dominus Deus de fratribus tuis, ut petisti in Horeb* (*Deut.* XVIII, 15, 16), quod in Evangelio impletum invenimus, ut protomartyr Stephanus contestatur. Item : Evangelium vocat legem, quoniam legis testimoniis utitur, ut est illud : *Os non comminuetis ex eo* (*Joan.* XIX, 36). Item : *In ore duorum vel trium testium stat omne verbum* (*Matth.* XVIII, 16). Item lex dicit : *Non alligabis os bovi trituranti* (*I Tim.* V, 18; *Deut.* XXV, 4), quod Apostolus docet dictum de prædicatoribus Evangelii. Hæc autem mutua Testamentorum invocatio fit

In voce cataractarum tuarum Deus, qui sedes super Cherubin et abyssos intueris, in cujus manu sunt *voces cataractarum tuarum*, id est prophetarum, qui bene dicuntur cataractæ, id est foramina secreta, qualia dicuntur esse in nubibus, per quæ descendit pluvia, vel etiam in cœlo, per quæ creditur emanasse quondam diluvialis aqua. Unde legitur : *Dirupti sunt fontes abyssi, et cataractæ cœli apertæ sunt* (*Gen.* VII, 11). Bene itaque prophetæ, vel apostoli dicuntur *cataractæ*, de quibus fluenta

Digitized by Google

Dei manant. Nam *in vocibus* hujusmodi *cataractarum tuarum*, Domine, continentur judicia tua, quæ sunt abyssus multa. Duas vero abyssos principales duo judicia intelligimus, unum præsens, alterum futurum. Præsens, quo dicitur homini : *Maledicta terra in opere tuo, cum operatus fueris terram, non dabit fructus suos, sed spinas et tribulos germinabit tibi. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es* (*Gen.* III, 17, etc.). Futurum, quo dicetur impiis : *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41). *Abyssus* ergo *abyssum invocat in voce cataractarum*, id est, prophetarum, vel apostolorum docentium quod homo, nisi præsentis judicii pœnis emendetur, in futuro judicio pœnis æternis tradetur. Hoc ergo pensans, Deus fortis et immortalis, quem laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates, contremisco totus, et *ad me ipsum anima mea conturbata est. A judiciis enim tuis timui* (*Psal.* CXVIII, 120), sciens quod multi a pœnis præsentibus transeunt ad pœnas æternas, dum *abyssus* præsentis et nunc imminentis judicii quando negligitur, *vocat* alteram *abyssum*, judicium videlicet extremum, quo inemendabiles mittantur in profundum inferni. Vel *abyssus abyssum invocat*, quando per judicium aquæ in diluvio factum prænuntiatur judicium, quo Deus judicaturus est vivos et mortuos, et sæculum per ignem. Hoc et arcus in nubibus cœli positus testatur, qui colore cæruleo judicium aquæ significat præteritum : Colore vero coccineo judicium ignis futurum.

Aliter : *Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum* Deus fortis, cum de Scripturis hominem docet homo. Docet namque homo divinitus doctus alium sæpe hominem in voce Prophetarum et Apostolorum, qua in re *abyssus abyssum invocat*, quando secundum profundam fidem profundumque audiendi vel discendi desiderium datur sensus profundus in cor, et sermo profundus in os doctoris. Unde Apostolus ait Corinthiis : *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est* (*II Cor.* VI, 11). Quo contra ubi verbum Dei non recipitur nec amatur, abyssus ista in ore docentis ita siccatur, ut etiam bono doctori propter malos auditores dicatur : *Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est* (*Ezech*, III, 26). Ubi hoc evenit, ibi non *abyssus abyssum*, sed ariditas ariditatem invocat, quia vel nullus, vel siccus erit sermo in ore doctoris ob meritum indevoti auditoris.

Aliter : *Abyssus abyssum invocat*, quia vel profunda devotio doctoris profundam devotionem in animo auditoris, vel e converso profunda devotio auditoris profundam devotionem vocat, id est, merito suo exigit in animo doctoris.

Aliter. Cum Scriptura dicat : *Pravum est cor hominis et inscrutabile, quis cognoscet illud* (*Jerem.* XVII, 9), recte cor hominis *abyssus* dicitur. Unde Apostolus : *Mihi pro minimo est, ut a vobis judicer. Sed neque me ipsum judico* (*I Cor.* IV, 3). De hac abysso ille *memor* Dei *de terra Jordanis*, admiratus ait : *O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei : quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* (*Rom.* XI, 33.)

Aliter : *Abyssus abyssum invocat*, id est, homo hominem, dum aliquid fidei et veritatis illi prædicat quod non facit in sua voce : sed, o Deus, in voce *cataractarum tuarum*, id est in voce sibi a te per occultas spiritus tui vias immissa.

Aliter : *Abyssus abyssum invocat*. Natura siquidem nostra, et maxime rationalis animæ substantia, quæ sibimetipsi penitus incomprehensibilis secundum physicam rationem, et quasi quidam *abyssus* est, Divinitatis in se substantiam et cognitionem *invocat*, quæ item, imo vero major *abyssus* est, siquidem Divinitatis essentia omni creaturæ incomprehensibilis est, quamvis creaturæ rationali capabilis est. Unde Pater Augustinus in orationibus suis ad Deum clamat dicens : *Noverim me, noverim te.*

Aliter : Cum quis quasi cervus desideranti ad fontes aquarum desiderat ad Deum fontem vivum, si multo afflictur desiderio, multo viventium aquarum satiabitur abysso, quoniam omni habenti desiderium bonum et magnum dabitur bonum desideratum ; ab eo autem, qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo.

Aliter : *Propterea memor ero tui de terra Jordanis et Hermoniim a monte modico* servando, ut supra dictum est, humilitatem et charitatem, quoniam *abyssus abyssum invocat*, id est, multa dilectio multorum peccatorum indulgentiam impetrat juxta illud : *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (*Luc.* VII, 47).

Aliter : Ideo ad me ipsum anima mea conturbata est, quoniam *abyssus abyssum invocat*, id est, multa peccata, multas pœnas requirunt per *judicia tua*, quæ sunt *abyssus multa*, quibus dictantibus et in præsenti vita punimur, et nisi emendati fuerimus, post mortem in anima, post resurrectionem in corpore simul, et anima torquebimur (*Psal.* XXXV, 7). Et de futuris quidem pœnis quid judicia tua in sua profunditatis abysso super me reservent ignora, quas *vocibus cataractarum tuarum* comminantibus timeo, sed de præsentibus pœnis tam multas jam peccatis meis exigentibus expertus sum, ut veraciter dicere possim :

Omnia excelsa tua, et fluctus tui super me transierunt. Ego enim, sicut Jonas inobediens per inobedientiam sorbente ceto voratus in profundum maris et abyssi deveni, et ibi tanquam in fundo maris, tanquam in regione longinqua in me ipsum pœnitendo reversus dixi : *Fluctus tui super me transierunt.* Et ego dixi : Expulsus sum ab oculis tuis. Putas videbo templum sanctum tuum? Putas transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei? Quanti mercenarii in domo patris mei

Digitized by Google

abundant panibus, ego autem hic in ventre ceti cibus ejus factus absque cibo fame pereo. Dixi talia intra me ipsum non indulgentiam desperando, sed pœnas futuras meditando, quas timere cogebar de præsentium grandi experimento. Nam *omnia excelsa tua*, sive, ut in Hebræo habetur *omnes gurgites tui et fluctus tui semper me transierunt. Excelsa tua*, id est, mirabiles elationes maris in magnis tentationibus vel tribulationibus *transierunt super me, et fluctus tui* in pœnis vel tentationibus minoribus venerunt super me. Sed in hoc mihi consolatio est et in medio tribulationum, quod jam *transierunt* ex parte, unde mihi spes est, quod ex toto transibunt.

Alia translatio habet : *Suspensiones tuæ, et fluctus tui super me transierunt. Suspensiones* ad futuram spectant abyssum, quam Deus minatur. Qui enim minatur, non premit nos magnitudinis suæ mole, nec multa fortitudine contendit nobiscum, sed volens nos emendari quasi manu extenta suspendit percussiones abyssi futuræ. Fluctus autem, quos in præsenti sentimus, est antecedens abyssus, in qua, si non purgabimur, altera dehinc abyssus, quæ nunc suspensa est, veniet super nos. Verum si nos modo purgabimur, veniet quidem futuræ tribulationis abyssus, non tamen super nos, sed super tribulantes nos. Unde, ut affirmat Apostolus, nunc *sustinemus tribulationes in exemplum justi judicii Dei* (*II Thess.* I, 5). Si enim, ut ait Petrus, nunc *tempus est, ut judicium a domo Dei incipiat, et hoc incipit a nobis juxta illud : A sanctuario meo incipite, quis finis eorum, qui non credunt Evangelio ? Et si justus* præsenti flagello justificatus *vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt* (*I Petr.* IV, 17, 18) ? Si nunc Deus *flagellat omnem filium, quem recipit* (*Hebr.* XII, 6), quomodo in futuro flagris tartareis cruciabitur, qui modo non recipitur ? Tunc enim in judicio extremo revelabitur ira Dei de cœlo super omnem impietatem eorum, qui veritatem Dei in justitia detinent. Nunc autem suis filiis, qui disciplinam paternam disciplinate recipiunt, inter ipsa flagella dulcescere et elucescere facit misericordiam suam, de qua subjungitur :

Vers. 9. *In die mandavit Dominus misericordiam suam.* Super hunc locum Gregorius in Job dicit : *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et in nocte declaravit.* (106) *Unusquisque superni doni gratiam in tranquillitate quietis percipit : sed quantum percepit, in adversitate perturbationis ostenditur.* (107) *Misericordia ergo Domini in die mandatur, quia in tranquillo tempore cognoscendo percipitur. In nocte vero declaratur quia donum, quod in tranquillitate sumitur, tribulationibus manifestatur.*

Aliter : In nostra translatione sic legitur : *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus.* Hoc est, *in die*, manifesta scilicet Scripturarum cognitione, arridente quoque pacis et prosperitatis luce, *mandavit Dominus misericordiam suam*, in gratiarum actione cantari, et *in nocte*, id est, in tribulatione *mandavit canticum* frequentari ejusdem misericordiæ. Unde Apostolus : *Gloriamur*, inquit, *in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientia operatur, patientia probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit* (*Rom.* V, 3). Et psalmographus alias *misericordiam*, inquit, *et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* C, 1).

Aliter : *In die* prosperitatis *mandavit Dominus misericordiam suam* sperari, quod videlicet suos misericorditer et castiget in tribulatione, et opportune liberet de tribulatione secundum quod ipse est adjutor in opportunitatibus, in tribulatione : sed *in nocte declaravit*, id est, in ipsa tribulatione manifestavit, quam fuerit verax in sua promissione. Ergo, ut formica in æstate colligit quod in hieme prosit, et nos in die prosperitatis discere debemus, quam Dei misericordiam in nocte adversitatis sperare debeamus, ut ea veniente canticum ejus frequentare sciamus. Didicerat Job in prosperitate quid cantari oporteret in adversitate. Unde quasi doctus cantor non murmuravit *in nocte*, sed bene cantavit dicens : *Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus ? Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino placuit, ita factum est : Sit nomen Domini benedictum* (*Job* II, 10). Similiter nautæ providendum est in tranquillitate, quomodo navis gubernetur in tempestate, quam quia semper ventorum instabilitas et temporum volubilitas minatur, nihil restat, nisi orare sine intermissione. Unde in Hebræo legitur : *Per diem mandavit Dominus misericordiam suam, et in nocte canticum ejus. Mecum oratio Deo vitæ meæ. Dicam Deo : Petra mea, quare oblitus es mei ?* Nostra vero translatio sic habet : *Apud me oratio Deo vitæ meæ.*

Vers. 10. *Dicam Deo : Susceptor meus es.* Quid ergo agam ego filius *Core* timens vel sustinens tribulationis noctem ? quid offeram Deo meo ? certe orationis incensum non extra me in thuribulo metallino, sed intus apud me positum, et charitatis igne conflagratum, quo *apud me oratio mea Deo vitæ meæ* talis offeretur in tribulatione, ut non murmurem contra Deum, sed dicam Deo : *Susceptor meus es.*

Quare oblitus es mei ? quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus ? O Deus vitæ meæ, qui mihi dedisti vitam creando me, atque inspirando mihi spiraculum vitæ, tu etiam *susceptor meus es*, quia naturam meam suscepisti, quando tu Verbum caro factum est, et habitasti in nobis. Tu quoque suscepisti me in baptismo consepultum tibi. *Consepulti enim sumus Christo*, ut ait Apostolus, *per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus* (*Rom.* VI, 4). Ergo suscepisti me in baptismo, ut dixi, consepultum tibi, ut quomodo tu surrexi-

(106) S. Greg. M. lib. XXXIII Moral. c. 26.

(107) Idem Præf. in lib. I Moral. cap. 2.

Digitized by Google

sti a mortuis per gloriam Patris, ita et ego in novitate vitæ ambulem. Et cum ita susceperis me, *quare oblitus es mei?* Quare pateris me fluctibus maris opprimi? Quare non dicis ceto, qui me in ventre suo habet, ut evomat me in aridam sicut cetus evomuit Jonam? *Et quare contristatus incedo*, qui ad te gaudium verum, sicut cervus ad fontes aquarum, venire desidero, sed multum conturbor in eundo, *dum affligit me inimicus?* Affligit me tentationibus, tribulationibus et scandalis. *Quis* enim *infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* (*II Cor.* XI, 29.) Maxime autem affligor, crebrescentibus hinc inde scandalis,

VERS. 11. *Dum confringuntur ossa mea*, id est, cum fortes in Ecclesia cedunt, et retrorsum abeunt, vel cum virtutes majores deficiunt, abundante iniquitate ac refrigescente charitate, deficiente constantia et patientia illorum etiam, qui videbantur columnæ esse. Quod videntes *exprobraverunt mihi inimici mei, qui tribulant me*, dum ab eis dicitur mihi quotidie *ubi est Deus tuus?* Quasi dicatur : Deus tuus vel nullus est, vel liberare suos non curat, aut non potest. Et quia propter hoc anima mea turbata est, quid ei nunc aliud consulam, nisi quod et supra consului dicens :

VERS. 12. *Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me?* Supra dixi : *Spera in Deo :* iterum dico : A *Spera in Deo.* Repetita itaque confirmatione contra turbationes frequentes dico tibi, anima mea, sicut jam dixi : *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, et Deus meus.*

Gloria Patri Deo, cujus faciem desidero, dicens : *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei. Gloria Filio*, qui est facies Dei in sua divinitate, et est *salutare vultus mei* in sua humanitate, habere dignatus conformitatem vultus mei. *Gloria Spiritui sancto*, qui, cum sit aqua viva, replet *fontes aquarum*, quos *cervus desiderat*, et terram *Jordanis* irrigat, Jordanemque in baptismo fecundat, ut filios *Core* gratia mater de illo pariat. Gloria uni ac trino Deo, qui est Deus *fortis, vivus*, quique hominem, quem toti sibi inhabitandum elegit, fecit esse Deum fortem, B vivum, qui etiam filios *Core* in ipso *Core* Domino Jesu Christo Deo forti, vivo deificat, confortat et vivificat. Glorietur ipse in nobis filiis *Core* deificatis, confortatis et vivificatis. Gloriemur nos in illo nos deificante, confortante ac vivificante. Simus nos tales, tam divini, tam fortes, et ita viventes in illo, ut ipse Deus fortis, vivus habeat gloriam de nobis filis *Core*. Sit ejus divinitas, fortitudo, et vivacitas in nobis ita conspicua, ut in nobis sit gratia sufficiens, et illa plena permanens in sæcula sæculorum Amen.

PSALMUS XLII.

Judica me, Deus, etc. Titulus :

(VERS. 1.) IN FINEM PSALMUS DAVID (108).

Patet. Loquitur hic fidelis quilibet positus inter zizania et frumentum, habens cum malis communiter nasci et mori, adversa, prospera et hujusmodi. Petit in prima parte hic secundum causam, et in futuro secundum locum separari. In secunda confidit se ad beatitudinem intraturum. Unde inter molestias hujus sæculi confortat animam ibi : *Et introibo*, in quo patet intentio. Ergo contra pressuras hujus sæculi ne trahatur ab illis, clamat :

Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta, etc. Superius locuti sunt martyres illi, qui patiebantur ab extraneis tribulationes, referendo suum desiderium. Hic vero orant generaliter omnes fideles, tam martyres quam confessores, qui D commisti sunt in area cum paleis, id est, qui patiuntur probra et tribulationes ab illis, qui intra Ecclesiam sunt, falsis christianis, et cupiunt dissolvi, et esse cum Christo, ut in futuro a massa infidelium, cum quibus hic in area Ecclesiæ commisti sunt, discernantur sicut grana a paleis, et hic cito eripiantur ab illis. Igitur ego David, ego Ecclesia, C vel ego pœnitens confidens veraciter ab Apostolo dictum : « Quod si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur (*I Cor.* XI, 39), quia me ipsum judicavi pœnitendo et peccata lugendo, cum fuerint mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, jam de misericordia in divino judicio mihi exhibenda præsumens, te Deum, quem prius judicem timui, nunc judicaturum exspecto. Recte ut arbitror. « Nam si cor nostrum non reprehenderit nos, » ait Joannes apostolus et evangelista, « fiduciam habemus, » in die judicii (*I Joan.* III, 20). Non ego assimilare me audeo illi, qui dixit : « Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea (*Job* XXVII, 6), » quia ille hoc dixit, cui veritas attestatur non fuisse similem in terra. Ille homo simplex et rectus ac timens Deum, et inter flagella servans patientiam poterat in Deo, id est, in veritate gloriari de innocentia totius vitæ suæ. Non sic impii ; non sic, non sic ego impius et peccator in omni vita mea dicere, vel gloriari possum in Deo, id est, in veritate. Attamen quia credo remissionem peccatorum de terra Jordanis et Hermoniim a monte modico mihi provenisse, dum fuissent mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte,

(108) Vulgata tantum, *Psalmus David.*

Digitized by Google

jam de gratia tua, Deus meus, confidens judicium, quod prius timui, nunc opto fieri, et dico : *Judica me, Deus,* a malis hominibus et angelis me separando, quod judicium nunc incipi, et in ultimo examine peto consummari, ut videlicet illis euntibus in supplicium æternum ego eam in vitam æternam. Nunc autem interim dum in area simul cum paleis grana sunt, et in torculari simul cum acinis vinum, simul cum amurca est oleum, pariterque in agro imbrem solemque habent communem triticum et lolium : *discerne* tu, Deus, *causam meam.*

Est judicium damnationis, et est judicium separationis. Judicium damnationis est, cum dicitur : « Quia princeps mundi hujus jam judicatus est (*Joan.* XVI, 11). » Item : « Nolite judicare, et non judicabimini (*Luc.* VI, 37). » Cujus dicti expositio additur, cum subjungitur : « Nolite condemnare, et non condemnabimini (*ibid.*). » Hoc judicium non est optabile, sed multum formidabile non solum peccatoribus, sed etiam his, qui se justos vel justificatos æstimant : Nam « virtutes cœlorum movebuntur, » appropinquante illo judicio ac præ illius magnitudine toto mundo contremiscente (*Luc.* XXI, 26). Ne igitur ego David judicium damnationis videar optare, quod magis timeo, judicium separationis me velle significo, cum *de gente non sancta* distingui rogo dicens : *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta. Judica me,* id est, separa me de gente non sancta, in quantum fieri congruit localiter simul et causaliter. Sed quia separatio localis interdum non est utilis, omnimodis oro, ut fiat semperque maneat separatio causalis, ut, etsi actio mihi sit communis cum gente non sancta, non tamen sit causa communis. Comedunt, bibunt et dormiunt communiter boni et mali, sed alia istis, alia illis est causa comedendi, bibendi et dormiendi, vel aliud quid agendi. Nam boni manducant, ut evangelizent, seu alio modo utiliter Deo ministrent ; mali e converso evangelizant, vel aliud opus utile, vel quod pejus est, inutile agunt, ut manducent. Sapiens comedit, ut vivat ; insipiens vivit, ut comedat.

Igitur sapientes et insipientes, etiamsi habent vitam in actu vel habitu consimilem, non tamen causa est illis eadem, quia sapiens ita disponit vitam temporalem, ut per eam obtineat æternam, totumque usum temporalium rerum vel bene bonis, vel etiam malis bene utendo sic ordinare intendit, ut ex usu præsentium firma sit illi exspectatio futurorum bonorum. Quocontra insipiens vel malis male, vel etiam bonis male utendo, dum suæ aut voluptati aut curiositati aut avaritiæ satisfacere intendit, malam semper habet causam, etiamsi actio ejus aliqua videatur habere bonam speciem, bonorum vitæ consimilem, quibus habet intentionem dissimilem.

Rogo ergo sic separari de gente non sancta, ut si alia quædam sint mihi cum non sanctis communia, nunquam tamen sit mihi cum eis communis causa. Et ideo Deus meus nunc interim, dum loco non discernis me a malis, dum bona temporalia communiter donas, dum virtutes quoque animi, ut est mansuetudo, misericordia, prudentia et virtutum exercitia, ut sunt orationes, jejunia et cætera talia, quæ omnia præter charitatem solam bonis et malis inveniuntur communia ; dum ergo talia das communiter, Deus meus, *discerne causam meam de gente non sancta.* Duobus modis rogo discerni causam meam, ut videlicet nec mihi sit intentio malorum intentioni consimilis, nec tibi Deo meo dona tua bonis et malis distribuenti, prout vis, intentio sit ad me talis qualis ad gentem non sanctam. Malis enim, licet pertinacibus et obstinatis in malitia, tamen hac intentione, vel hac pro causa bona quædam tribuis, ut sint inexcusabiles, cum te in judicio tuo illos arguente, non potest quisquam eorum dicere : Talentum non accepi, unde aliquid boni potuerim lucrari. Bonis autem hac intentione, vel hac pro causa bona minora prærogas, ut pro eis bene habitis majora et potiora tam in præsenti quam in futuro tribuas, dicens cuiquam talium : « Euge serve bone, et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam (*Matth.* XXI, 23). » Causa hæc discreta est ab illa causa, pro qua malis tribuuntur bona, quod in effectu apparet, dum illi perceptis bonis bene utendo merentur potiora semper accipere, de virtute in virtutem eundo, de die in diem, quæ retro sunt obliviscendo, atque in anteriora se semper extendendo ; et isti quasi mali coloni vineam donorum Dei non bene colendo merentur apud Deum ut malos male perdat, et vineam suam locet aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.

Tu autem, Deus meus, inter causas et causas discernis, qui cum nihil sine causa opereris, finales causas rerum et actionum temporalium supra tempus æternaliter intueris. Item primordiales rerum causas tibi notas apud te habes discretas, quæ humanas mentes latent, nisi quantum per manifestos motus cognosci valent : verbi gratia, tu Pharaonem regem in hoc ipsum excitasti, ut ostenderes in eo fortitudinem tuam. Item tu sustines in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostendas divitias gratiæ tuæ in vasa misericordiæ. Sive autem, sicut in his exemplis patet, per malos ostendas fortitudinem tuam, sive misericordiam tuam quasi causam primordialem seu finalem, non illis hoc proficit ad salutem. Propterea rogo discerni *causam meam de gente non sancta,* ut videlicet mihi prosit primordialis causa, propter quam creasti me, ut essem, propter quam redemisti me, ut bonus essem : et finalis, ad quam creasti me, quamque titulus psalmi hujus innuit, qui sic se habet : *In finem psalmus David. Judica* ergo *me, Deus, et discerne causam meam* finalem *de gente non sancta.*

Quod non dico, ut quasi alter Balaam desiderem sola novissima mea fieri bonorum similia. Nam ille de futuro loquens « moriatur, » ait, « anima mea

Digitized by Google

morte justorum, et fiant novissima mea horum similia (*Num.* XXIII, 10). » Ego autem de præsenti dico : *Judica*, id est, separa me Deus, *et discerne causam meam de gente non sancta. Judica et discerne* ad præsens causam meam finalem, vel etiam primordialem *de gente non sancta*, ostendens videlicet per dona præsentia et evidentia quam dissimilis a malorum causis est *causa mea* et primordialis, propter quam fecisti me, et finalis, ad quam fecisti me. Gens autem non sancta in sui numerositate multos habet aperte iniquos, et multos fictos bonos ac dolosos. Ideo dico :

Ab homine iniquo, et doloso erue me. Sicut pastor bonus et fortis, verbi gratia, David manufortis eruit ovem de ore ursi aut leonis : ita, Deus meus, Jesu Christe, Pastor bone, *ab homine iniquo, et doloso erue me;* nequando dicant : Devoravimus eum, ne videlicet sibi me incorporent ; sed potius ego illos mactando et manducando incorporem genti sanctæ, secundum quod dictum est Petro : « Macta, macta et manduca (*Act.* X, 13). » Non semel os meum loquens vel orans aperui, cum gentem non sanctam comedere affectavi dicens : Genti peccatrici, populo pleno peccatis miserere, Domine Deus. Item fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra, ut, quomodo cœlestes quorum conversatio in cœlis est, ita etiam terrestres quorum cor in terra est, ministrent tibi frangendo suam et faciendo tuam voluntatem, qui omnes homines vis salvos fieri. Sic loquendo, vel orando ego *iniquos et dolosos* manducare, mihique David pœnitenti incorporare volui.

Sed illi, quasi leo vel ursus aperto rictu, sæviunt contra me, ut vel devorent sibique me incorporent, vel si hoc non valent, saltem dentibus et unguibus detrahendo me lacerent, suique oris immundo sputo sic me deforment, ut nullatenus appareat *causa mea* similis *causæ* bonorum. « Tu autem, Domine, qui judicas juste, et probas renes et corda, tibi revelavi causam meam (*Jerem.* XI, 20), » quæ licet fuerit ante pœnitentiam meam causæ malorum similis, jam pœnitens de peccatis rogo, ut fiat dissimilis, et ut *eruar ab homine iniquo et doloso :* primum ne sim ego ipse *iniquus*, vel *dolosus* in me ipso ex nequitia propria : deinde ne *iniquus* aut *dolosus* efficiar ex aliena nequitia, bene dico tibi, Deus meus : *Erue me*, quia fortitudinem, qua iniquitati aut dolis resistere valeam, non mihi arrogo, sed in veritate fidei ac spei meæ confiteor :

VERS. 2. *Quia tu es, Deus, fortitudo mea.* Tu qui *es Deus meus, es* etiam *fortitudo mea*, sine quo nihil boni possum, et in quo juvante, atque confortante fortiter agere possum sicut aliquando fortiter egi cum Elia zelo zelando pro domo Israel contra simoniacos, et alios *iniquos ac dolosos*, qui altaria tua suffoderunt, prophetas tuos occiderunt, meamque animam sæpe quæsierunt, ut me vel interficerent, seu truncarent, vel sibi conformarent. Quod cum ita sit, *quare me repulisti*, qui ad tempus *fortitudo mea* fuisti? Ut quid dereliquisti me, persequente me Jezabele impia ; id est, hujus mundi superbia, vitiorum regina. Vel quia Jezabel *sterquilinium*, seu *fluxus sanguinis* interpretatur, dum carnalis immunditia me persequitur, *quare me repulisti* tu, Deus, fortitudo mea, ut infirmitatis meæ mihi conscius non audeam illi cominus resistere, ne vincar ut David, Salomon et Samson, sed consilium teneam Apostoli dicentis : « Fugite fornicationem? » (*I Cor.* VI, 18.) Sic fugit Elias Jezabelem ; sic fugit Joseph dominam suam ; sic de gente non sancta fugerunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt, et in ore ipsorum non est inventum mendacium ; et si fuit, non tamen est inventum mendacium, quod abolente pœnitentia est emendatum. Fugiens igitur et ego talia, vel innocentiam servando, vel pœnitentiam de hujusmodi cum dignis pœnitentiæ fructibus faciendo, vellem, Deus meus, quod tu esses tanta *fortitudo mea*, ut non sentirem in membris meis legem repugnantem legi mentis meæ. Sed tu *repulisti me*, quia video aliam legem in membris meis captivantem me in lege peccati, licet mente condelecter legi Dei secundum interiorem hominem. Et *Quare sic repulisti me?* Ut perdas, an ut exercens? Non puto, ut perdas, quia si tu perderes me, non incederem ad anteriora, sed caderem retrorsum, et a bono cœpto desistens, ferem apostata. Nunc autem etsi

Tristis, tamen *incedo* anteriora petens, et posteriora obliviscens. *Incedo*, quia retrorsum non abeo ab eo, quod traditum est mihi, sancto mandato : *tristis* tamen, quia pericula multa sustineo et plura vel pejora timeo, *dum affligit me inimicus* innumeris tentationibus et tribulationibus, inter quas merito contristor, quia finalis *causa* eorum, quæ circa me fiunt omnino me latet, nec a me investigari potest, quia « posuit tenebras latibulum suum (*Psal.* XVII, 12), » ne videri valeat per humanum sensum. Ut ergo aspiret dies lætitiæ vel inclinentur umbræ tristitiæ, tu Deus, qui lucem inhabitas inaccessibilem,

VERS. 3. *Emitte lucem tuam, et veritatem tuam. Emitte lucem* justitiæ, quæ depellat peccatum, quod est nebula densa et causa tristitiæ, sicut e converso justitia est causa lætitiæ. Unde dicitur : « Lætamini in Domino, et exsultate justi (*Psal.* XXXI, 11). » Item : Exsultate, justi, in Domino : rectos decet collaudatio (*Psal.* XXXII, 1). » Item : » Justi epulentur, et exsultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia (*Psal.* LXVII, 4). » Quo contra peccatum esse *causam tristitiæ*, quam inquiro dicens : *Quare tristis incedo*, vel *quare tristis es, anima*, testatur Isaias dicens : « Omnem flatum ego feci, propter peccatum modicum quid contristavi illum (*Isa.* LIV, 7). » Et Apostolus propter unius hominis peccatum totam Ecclesiam Corinthiorum provocavit ad luctum dicens : « Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis, ut tolleretur de medio vestrum, qui hoc opus fecit? (*I Cor.* V, 2). »

Porro tristitia vel sua vel aliena peccata fugientium convertitur in gaudium, si tu, Deus, eruis

Digitized by Google

lucem tuam et veritatem tuam in tenebrosum ac triste cor eorum. Lux est namque ipsa peccati manifestatio et redargutio, Nam « omne quod arguitur, a lumine manifestatur (*Ephes.* v, 13), » dum is, qui peccata sua veraciter accusando venit ad lucem, vult, ut manifestentur et arguantur opera ejus. Sicut enim is, qui male agit, odit lucem et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus : ita is, qui male jam agere cessavit recteque deinceps agere disponit, libenter venit ad lucem, ut, in præsenti arguantur opera ejus. Quis autem cæcatus per se ipsum venire valeat ad lucem, nisi tu, lux vera, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, quæque in tenebris luces, primo venias ad ipsum illuminandum? quis eorum, cui tu, sol justitiæ occubuisti propter iracundiam longam vel aliud opus tenebrarum, potest lucem videre, nisi te sole justitiæ illi oriente atque lucem radiorum justitiæ mittente in cor ejus? Ideo dico tibi : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam.* Te namque *lucem tuam* emittente et cor triste illuminante, omnis noxia tristitia penitus auferetur. Et quia sicut humilitas tristitiæ pœnitentialis exaltat, eo quod omnis, qui se humiliat exaltabitur, sic veritas confessionis liberat : ego David pœnitens, quem et tristitia intus afficit, et inimicus exterius affligit, ego qui *tristis incedo, dum affligit me inimicus*, contra geminum malum geminum quæro solatium dicens tibi Deo meo : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam :* lucem quæ me tristem lætificet, veritatem quæ ab inimico affligente liberet. Quod enim lux tua mœstitiam depellens lætitiam tribuat, hoc pro testimonio est, quod alibi dicitur : « Lux orta est justis, et rectis corde lætitia (*Psal.* xcvi, 11). »

Igitur, Dominus Deus, *emitte lucem tuam* in cor meum velut in carcerem tenebrosum, ut peccatum meum primo ipse videam, et per lucem rationis et judicii redarguam et molestum habeam. *Emitte* etiam *veritatem tuam*, ut veritatem confitendo et ori meo non parcendo fidelibus auribus peccatum meum patefaciam. Sic enim Petro in Herodis carcere vincto emisisti lucem tuam. Angelus namque tuus astitit, et « lumen refulsit in habitaculo (*Act.* xii, 7). » Emisisti, inquam, lucem tuam, quæ tristem lætificaret, humilemque erigeret dicente sibi angelo : *Surge velociter.* Nam continuo ceciderunt catenæ de manibus ejus. Emisisti quoque veritatem tuam per ipsum angelum, dum inclusum per iniquitatem eduxisti per judicii tui veritatem, ita ut porta ferrea veritatis tuæ judicio obstare nequierit. Justum enim erat, ut affligentis eum inimici Herodis claustra non tenerent, quem Lux veritatis irradians præconem sibi ac testem delegerat. Ita miles tuus erectus et eductus est per lucem tuam et veritatem tuam, *psaque* lux tua et veritas tua eum *deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum*, ut veniens videlicet in domum congregationis sanctorum non parum suo eos adventu lætificaret. Sic, Domine, ut ne hu tristis incedam, dum affligit me inimicus, *emit-*

te lucem tuam in cordis mei carcerem tenebrosum, et hoc per Angelum magni consilii Jesum, ut primo fœditatem meam ac tenebras ipse videam et ex lumine tuo arguam, sicque cadentibus duabus catenis de manibus meis, una scilicet delectatione, altera consuetudine peccandi, sopitis quoque veluti quatuor militaribus custodiis, quæ sunt ignorantia et infirmitas, peccatum et miseria, lux tua, Deus, et veritas, compunctio videlicet et confessio deducant me de isto Herodis carcere, de angusto ac tenebroso specu malæ conscientiæ, et adducant me per boni operis perseverantiam *ad montem sanctum tuum* Sion, ad sanctorum tuorum in cœlesti regno consortium.

Item Lux ipsa de se ipsa testimonium perhibens, « Abraham, » inquit, « Pater vester exsultavit, ut videret diem meum, vidit, et gavisus est (*Joan.* viii, 56). » Sine luce igitur, quæ reddit innocentiam lapsis, mœstis lætitiam, non est verum gaudium. Item cum scriptum sit : « Si Filius vos liberaverit, veri liberi eritis (*ibid.*, 36), » cumque ipse Filius sit Veritas, quæ de se dicit : « Ego sum via et veritas et vita (*Joan.* xiv, 6), » et alibi : « cognoscetis, » inquit, « veritatem, et veritas liberabit vos (*Joan.* viii, 32), » absque veritate liberante non ero liber, dum affligit me inimicus. Ideo contra tristitiam peto lucem justificantem pariter et lætificantem, et contra inimicum affligentem peto veritatem liberantem, dicens tibi Deo Patri ego David : *Emitte lucem tuam*, id est; mitte quem missurus es Filium tuum, qui est lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, et est æterna veritas. *Emitte lucem tuam, et veritatem tuam.* Veniat in mundum Filius tuus in carne apparens, qui est lux et veritas.

Aliter : Lux vera Christus, justitiæ sol, cognovit occasum suum, atque ideo interdum subtrahit mundo lumen suum, et fit nox, in qua pertransibunt omnes bestiæ sylvæ, catuli leonum rugientes, ut rapiant et quærant a Deo escam sibi. Hoc ego David, ego pœnitens, cum video fieri, per totam hujusmodi noctem laboro, et *tristis incedo, dum affligit me inimicus* princeps tenebrarum diabolus, vel aliquis de satellitibus ejus. Dum ergo sic *tristis incedo*, affligente me per totam noctem inimico, diem Christi, quem Abraham a longe vidit et gavisus est, ego quoque, ut gaudio implear, videre desidero manifestata claritate solis, de quo scriptum est : « Ortus est sol, et congregati sunt, et in cubilibus suis collocabuntur, » videlicet bestiæ sylvæ; sed « homo exibit ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperam (*Psal.* ciii, 22). » Igitur quandiu nox est, ego tristis incedens affligente me inimico assidue clamo : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam*, per quam spero ad præsens causam meam discerni de gente non sancta, ut tristitia mea convertatur in gaudium, et tandem prorsus eruar ab homine iniquo, et doloso inimico meo me affligente, ut sim liber ab ea libertate, qua sola veritas, quæ Christus est, liberare potest. Qui nunc causam suorum discernit, et in fine mittens messores angelos eruet ab

Digitized by Google

impio et doloso, de quo certus sum, quia jam pignus habeo per multa dona jam prærogata lucis et veritatis.

Ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua. Duo petivi, quoniam « duo hæc audivi, » scilicet « quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia (*Psal.* LXI, 12). » Hæc duo, misericordia videlicet et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt; quoniam « universæ viæ Domini misericordia et veritas (*Psal.* XXIV, 10). » Hæc duo peto, cum dico : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam.* Lucem, misericordiam et pacem voco Dominum meum Jesum Christum filium olei, de quo scriptum est : « Vinea facta est dilecto in cornu filio olei (*Isa.* V, 1). » Item : « Oleum effusum nomen tuum (*Cant.* I, 2). » Valet quippe oleum ad lucem, ad medicinam, sive misericordiam, et ramus olivæ diluvio cessante in ore columbæ significabat istum Filium olei de Spiritu sancto concipiendum, qui est Pater futuri sæculi, princeps pacis. Ergo istum filium olei, cujus nomen est oleum effusum, sub nomine lucis et pacis ac medicinæ intelligo, cum dico : *Emitte lucem tuam.* Similiter quia ipse veritas, justitia et potestas Dei est, per quem judicat et operatur Deus Pater, cum dico tibi, Deus Pater : *Emitte veritatem tuam*, eumdem filium tuum peto, vel mihi David sub lege posito nasciturum, vel mihi David sub gratia viventi oriturum secundum quod scriptum est : « Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus (*Mal.* IV, 2). » Semel ortus est, quando ascendendo super occasum surrexit calcata et victa morte. Et quidem resurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur, quod enim vivit, vivit Deo, qui ascendens in altum jam deinceps non descendet ad mortis occasum, sed tamen adhuc multoties mihi occidit super iracundiam vel aliam iniquitatem meam. Hoc ubi accidisse persentiens tristis incedo affligente me inimico, necessarius est clamor, ut dicam : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam.* Veniat in adjutorium mihi Filius tuus, lux vera, sol justitiæ oriens ex alto, illuminare his, qui in tenebris, et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. *Emitte lucem tuam et veritatem tuam.* Ipse lux vera me illuminet, nocte peccati ac tristitiæ depulsa. Ipse veritas me liberet, ne ulterius affligat me inimicus, qui dum affligit me, cogit me assidue clamare tibi, Deus meus : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam*, id est Filium tuum, qui est lux et veritas.

Aliter : Per duo hæc Dei dona lucis et veritatis, justitiæ ac pacis, potestatis et misericordiæ significata nominibus Christum Dei Filium et Spiritum sanctum intelligere possumus. Etenim sicut dicit Isaias : « Filius datus est nobis (*Isa.* IX, 6) » quasi unum donum Patris, « et charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, » ait Apostolus, « per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* V, 5) : » hæc duo Dei dona ego David sub lege optavi dicens : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam.* Nondum enim erat veritas de terra orta. Nondum miserat Deus misericordiam suam et veritatem suam, ut eriperet animam meam de medio catulorum leonum. « Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus (*Joan.* VII, 39), » imo nec natus in mundum, qui tamen in mundo erat, et mundus per ipsum factus est. Ideo dixi Deo Patri : *Emitte lucem tuam*, id est mitte Spiritum tuum et creabuntur, pariterque illuminabuntur prædordinati ad vitam. Ut autem possit ad nos venire Spiritus tuus in igneis linguis illuminans pariter et incendens, *emitte veritatem tuam*, id est Filium tuum, qui est veritas.

Aliter : Ego David pœnitens jam sub gratia duo hæc dona mihi et Ecclesiæ peto dicens : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam. Emitte* Spiritum tuum illuminatorem, pariterque inflammatorem fidelium. Et quia Filius tuus, licet jam natus in carne passus et glorificatus non dubitetur (hujus enim rei testimonia credibilia facta sunt nimis), quia tamen ipse veritas est, cui nulla conventio ad Belial, nulla prorsus communio cum mendacio, toties a nobis absentatur, quoties mendaces invenimur, maxime in bonis promissionibus, quas in baptismo vel post baptismum fecimus, et nobis positis in mendacio spiritus veritatis adesse non potest, nisi veritas eidem viam præparet, quæ in vera confessione peccatorum, de qua in sequentibus dicitur : *Confitebor tibi in cithara, Deus meus*, principatum tenet, si confitens peccata præterita et de ipsis veraciter dolet, et de futuris veraciter intendit cavere; quia, inquam, veritas a nobis mendacibus fugit, revoco, ego David pœnitens, illam crebro dicendo. *Emitte*, Deus, *veritatem tuam.* Fac ut simus veraces in votis et promissionibus bonis, atque ita gaudemus Filium tuum *veritatem tuam* semper habitare in nobis.

Ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, quod Hebraica veritas indicat intelligendum de futuro, in qua sic legitur : *Mitte lucem tuam et veritatem tuam, ipsa ducent me, et introducent ad montem sanctum tuum, et ad tabernaculum tuum.* Nostra vero translatio de præterito habet sic : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam, ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum. Emitte lucem tuam*, ut quæ agenda sunt, clare videamus, illuminante nos Spiritu tuo. *Emitte veritatem tuam*, quæ de terra orta est quasi granum frumenti et panis effecta nos ita confortet, ne fallacia peccatorum decipiamur aut supplantemur. *Emitte lucem tuam*, id est Spiritum tuum, *et veritatem* tuam, id est Filium tuum, quorum circa me operationem et futuram spero, et jam transactam ex parte persensi : ideo quod restat fiducialiter expeto. Nam ipsa duo data tua *me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabe-*

Digitized by Google

nacula tua. Hoc jam tui gratia factum est. Sequitur :

Vers. 4. *Et introibo in altare Dei, ad Deum, qui lætificat juventutem meam.* Hoc spero et peto adhuc mihi proventurum. De præteritis bonis gratias ago, pro futuris preces offero. Gratias tibi ago et Filio tuo et Spiritui sancto pro datis tuis optimis et perfectis, quoniam ipsa *me deduxerunt* a malo, *et adduxerunt* ad bonum dando mihi, ut declinarem a malo, et facerem bonum. *Deduxerunt me* ab infidelitate, a profundo erroris *in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.* Christus, vel ejus corpus est iste mons, qui secundum Isaiam est « in verticem montium elevatus, et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent : Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus (*Isa.* II, 2, 3). » Ipse docebit nos vias communium præceptorum ; sed nos ad perfectionem consiliorum ejus tendentes ambulabimus in semitis ejus non contenti servare quod dictum est antiquis : Non occides, non mœchaberis, etc., hujusmodi, sed addemus, ut non irascamur, non videamus mulierem ad concupiscendum eam, non juremus omnino, et cætera perfectionis instituta evangelica satagemus observare, vel si eam transgressi fuerimus ut Petrus jurans et mentiens, flebimus amare sicut ille. Ad hoc namque a valle mandatorum legalium deducti sumus in montem evangelicum, ut audiamus cum discipulis ibidem sermonem illum egregium, qui ab octo beatudinibus incipiens deducit et adducit auditores benevolos et attentos a veteribus ad nova, sic loquente veritate : « Audistis quia dictum est antiquis : Non occides. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. » Item : « Audistis quia dictum est antiquis : Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te; expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum mittatur in gehennam. Et si dextera manus tua scandalizat te, abscide eam, et projice abs te; expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam. Dictum est autem : Quicunque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis quia omnis, qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mœchari : et qui dimissam duxerit, adulterat. Iterum audistis quia dictum est antiquis : Non perjurabis; reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum ejus, neque per Jerosolymam, quia civitas est magni regis ; neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester : est, est ; non, non : quod autem his abundantius est, a malo est. Audistis quia dictum est : Oculum pro oculo, et dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram : et ei, qui vult tecum judicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. Et quicunque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo. Qui petit a te, da ei : et volenti mutuari a te, ne avertaris. Audistis quia dictum est : Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos : et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est (*Matth.* v). »

Post hæc iterum deducit et adducit. Deducit a jejunio tristi et oneroso hypocritarum suas facies exterminantium ad jejunium lætum, cum oleo lætitiæ docet caput ungendum. Facile in illo sermone animadverti potest deductio et adductio usque in montem sanctum, qui secundum Danielem de lapide parvo crescit, ut regna terrarum confringat et impleat universam faciem terræ. In hoc monte positi manemus, in tabernaculis Dei videlicet vel in corporibus ad Deo militandum bene aptatis, vel etiam in cœnobiis regulariter ordinatis, ubi nihil videbis, nisi choros castrorum Deo militantium. In hoc monte, in his tabernaculis ego David vel *desiderabilis* per innocentiam ut Maria mater virgo et Joannes apostolus virgo, vel *manufortis* per pœnitentiam ut Petrus et Paulus, quorum per pœnitentiam nimis confortatus est principatus ; ego, inquam, David vel desiderabilis vel manufortis constitutus in monte sancto, licet in tabernaculis propter anceps pugnandi periculum nonnunquam tristis incedam, dum affligit me impugnans inimicus, tamen peracta pugna in finem, hoc est, in victoriam, quia victoria finalis causa est pugnæ, scio quod, consummata ipsa victoria, tandem plicato ac deposito per mortem tabernaculo meo, *Introibo ad altare Dei*, hoc est, *ad Deum qui lætificat juventutem meam.*

Tabernaculum Ecclesiæ præsentis habet *altare*, quod est commune bonis et malis, in ipso tamen tabernaculo non extra sacrificantibus et communicantibus. Nam qui extra sacrificant, nec ipsi fidelibus nec ipsis fideles in sacrificando communicant, etiamsi ipsi excommunicati officia interdicta præsumendo *ad altare Dei* visibile accedant. Est aliud *altare* sublime invisibile, solisque bonis accessibile, ad quod sicut solus pontifex et semel non sine sacrificio intrat in Sancta sanctorum, solus justus intrat semel secundum corpus et animam in holocaustum assumptus, ut ibi totus juvenescat, neque ulterius vetustate hominis exterioris interiorem affligente tristis incedat, sed totus ex toto adhæreat ad Deum, *qui lætificat juventutem* suam. *Ad* hoc *altare* tandem *introibo* ego pœnitens ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

Digitized by Google

Non dico *lætificabit*, sed *lætificat juventutem meam*, quia jam lætitia mea incipit, quæ de die in diem tanto magis augescit, quanto magis veterem hominem exuo et novum induo, *qui lætificat juventutem meam*, dum renovatur ut aquilæ *juventus mea*. Istam *juventutem* sicut officio, ita et habitu suo monstravit ille juvenis, de quo dicitur in Evangelio secundum Marcum : « Viderunt juvenem in dextris coopertum stola candida, et obstupuerunt (*Marc.* XVI, 5). » Recte nuntius ac testis resurrectionis angelus apparuit in habitu juvenis, quoniam in resurrectione universali Salvatorem exspectamus, qui sicut nunc reformat animas nostras justificando et innovando illas, ita tunc reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, ut non simus in vetustate peccati aut supplicii, sed in juventute ac novitate gaudii sempiterni. Quod cum fuerit impletum, non jam *tristis incedam*, quia tunc non *affliget inimicus :* imo gaudens gaudebo, et *confitebor tibi in cithara, Deus meus*, quia gratias agam pro carne mea crucifixa et bene castigata.

Etiam nunc utcunque *confiteor tibi, Deus meus, in cithara* crucifigendo carnem cum vitiis et concupiscentiis, quæ inhæserunt ex consortio veteris hominis, in quo omnes peccavimus. Verum tunc in plena et beata juventute *confitebor* jucundius et perfectius *in cithara*, quando nulla inerunt vetustatis contagia, cum nostræ humilitatis corpus, quod « nunc seminatur in infirmitate, surget in virtute, » quod « seminatur in ignobilitate, surget in gloria, » quod « seminatur animale, surget spiritale (*I Cor.* XV, 43, 44). » O anima mea, quam adhuc aggravat corpus corruptibile, in quo, dum cupis citharizare, aliquoties distemperatæ vel ruptæ impediunt chordæ quæ, manente corruptibilis mortalitatis varietate, non possunt intendi perpetua stabilitate, noli ultra modum *tristis* esse, *quoniam adhuc confitebor Deo in cithara* per immortalitatis beatitudinem consolidata, atque octo beatitudinibus velut octo chordis irremissibilibus ornata. Non enim sola tunc anima his octo beatitudinibus perfruetur, sed ipsa etiam caro plene beatificabitur. Igitur cum hoc indubitanter exspectes futurum,

VERS 5. *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi vultus mei, et Deus meus.* Hoc in superiori psalmo expositum, non est iterata expositione repetendum.

Solet hic psalmus cantari a sacerdote ad missam ingrediente, cui cum sensus ejus jam expositus apte congruat, sicut omni bono christiano, est tamen aliquid speciale tunc sacerdoti cogitandum quando ad altare accessurus præmittit hunc psalmum, verbi gratia quasi dicat :

Ego pro *gente non sancta* intercessurus, ut fiat sancta, rogo primum separari, hoc est, actibus et moribus discerni et sequestrari *de gente non sancta;* ne si ego non sanctus pro non sanctis intercedere præsumpsero, ingrata et minime accepta sit mea intercessio. Nam si non placebo, non placabo, et potius iram quam misericordiam provocabo, dicente mihi Domino : « Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundavit malitia, et lingua tua concinnabat dolos (*Psal.* XLIX, 16, 19). » Non ergo tuum sacrificium tot malitiis et nequitiis fermentatum, sed sacrificium laudis honorificabit me in azymis sinceritatis et veritatis. Ut ergo ego sacerdos missam cantaturus in azymis veritatis, et sinceritatis offeram sacrificium laudis, *Judica me, Deus, et discerne causam meam*, vetus fermentum penitus expurgando. *Judica, et discerne me, atque causam meam de gente non sancta.* In gente non sancta sacerdotes non discernuntur a populo, sed « erit sicut populus, sic sacerdos (*Isa.* XXIV, 2). » Hujusmodi sacerdotes quando sacrificant causa lucri terreni, hoc agunt quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. Ab istorum causa *discerne Deus causam meam*, ut videlicet ego in sacrificando id potissimum quæram, quod optabile in psalmo præsenti continetur, scilicet, ut tu sis fortitudo mea, tu emittas lucem tuam et veritatem tuam, ipsa me deductum et adductum in montem sanctum tuum et in tabernacula tua tandem introducant *ad* supercœleste *altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam*, qua completa confitear illi in cithara octo chordarum canendo jugiter : *Salutare vultus mei, et Deus meus.* Ante istud visibile altare nondum canere valeo : *salutare vultus mei*, quia necdum facie ad faciem video quod offero, cui offero, sed in nocte pascha comedo non nudas carnes Agni, sed sacro velamine tectas, attamen lucis et veritatis gratiam sine mensura plene habentes, et se manducantibus mensurate conferentes. Hujus lucis et veritatis virtutem ego cupiens exire de carne Agni, qui dixit : « Ego sensi virtutem de me exisse (*Luc*, VIII, 46) », dico tibi : Agne Dei, qui tollis peccata mundi, *emitte lucem tuam et veritatem tuam.* Emitte lucis et veritatis thesaurum quem specie panis et vini tectum intus habes. Emitte in omnia membra tua, quæ in te capite sunt, charismata dividendo singulis prout scis et vis.

Gloria Patri cui dicitur : *Emitte lucem tuam*, Spiritum sanctum, *et veritatem tuam*, id est, Filium tuum, sicut superius est expositum. *Gloria Filio* veritati. *Gloria Spiritui sancto*, qui est lumen, quod in lumine tuo videbimus, cum lumen tuum, Filium scilicet, in vultu nostro glorificatum cernemus. Tunc etiam quisque nostrum dicere poterit : *Salutare vultus mei, et Deus meus.* Ipsi gloria in sæcula. Amen.

Digitized by Google

PSALMUS XLIII.

Deus auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis, etc. Psalmi hujus versiculo Apostolus utitur sic : « Quis nos separabit a charitate Christi ? Tribulatio, an angustia, an persecutio an fames, an nuditas, an periculum, an gladius, sicut scriptum est : quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis (*Rom.* VIII, 35, 36). » Igitur voces istæ : « Deus auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum et in diebus antiquis », voces sunt perfectorum martyrum valde admirantium, cur non cito gentes disperdidit, sicut olim gentes, inquiunt, *disperdidisti et plantasti eos : afflixisti populos et expulisti eos.* Hoc nempe morientes desiderabant pii martyres, uti eadem manus Domini cito disperderet gentes, id est, impios gentiliter viventes, et plantaret fideles, ita ut ubique terrarum pacifice fides christiana floreret. At nunc *vendidisti populum tuum*, aiunt, *sine pretio, et non fuit multitudo in commutationibus eorum*, quod est dicere : Et tuos occidi permisisti, et ex illis nullum acquisisti. Sane si quos acquisisti, non tamen digna commutatione est factum, quia *non fuit multitudo in commutationibus eorum.* Ubi mille interficiebantur, vix unus vel duo convertebantur. Sed nunquid sic frustra ingemuerunt ? Nunquid vane desideraverunt ? Non utique. Nam, exsurgente Domino, qui videbatur dormire, gentiles cum idolis suis disperditi sunt, et multitudines credentium ex plantatione martyrum mundum impleverunt. Bene ergo hic psalmus hunc habet titulum:

VERS. 1. *In finem filiis Core ad intellectum.* Et est sensus : Hæc verba proponuntur filiis *Core* tendentibus *in finem*, id est, imitatoribus Crucifixi tendentibus in consummatum bonum. Proponuntur inquam, *ad intellectum*, ad hoc, ut intelligant quid significet quod Deus cum patribus antiquis tam benigne egit ; istos autem e contrario permittat tribulari, et esse in omnibus miseriis. Ante tempus gratiæ pluribus et abundanter quasi rudibus temporalia bona concessit, sicut quod filii Israel mare sicco vestigio transierunt, quod manna et coturnicibus in deserto pasti sunt, quod pauci et plurimos sæpe vicerunt : paucis autem et raro temporalia subtraxit et affligi permisit. Nunc vero tempore gratiæ e contrario paucis confert prospera, ne desperent. Pluribus infert adversa, per hoc filios *Core*, id est, martyres Christi ad hunc provocans *intellectum*, ut sola æterna desiderent. Sciendum quod per illa, quæ populo rudi fiebant, ut crederent, hæc spiritalia præfigurabantur.

Ait igitur in hoc psalmo de martyribus, et primo distinguit beneficia Dei, ostendens quæ incipientibus data sunt in mundo et quæ perfectis in cœlo. Secundo, quæ martyres in mundo patiantur, ibi : *Nunc autem repulisti.* Tertio, qualiter precantur auxilium ibi : *Exsurge.* Admirans ergo propheta in persona martyrum se quasi in his temporibus derelinqui, præterita recolit, et ait :

VERS. 2 *Deus auribus nostris audivimus. Deus* qui vere Deus es, cujus deitatem quia confitemur, idola respuendo, adversa in mundo patimur, cujus divinas leges quia iniquis regum edictis anteponimus, reges regumque amicos patimur inimicos, cujus traditiones ac mandata quia traditionibus Pharisæorum, scribarum ac Sadducæorum præferimus, nos eisdem similibusque illorum contemptui sumus, et quasi tu non velis, aut non valeas nos defendere, aut liberare, *propter te mortificamur tota die.* Sed nos de omnipotentia, qua tuos liberare vales cum vis, minime dubitamus, quam non indoctas fabulas secuti credidimus, aut ipsi per nos confinximus, imo certis auctoribus omnipotentiam tuam contestantibus fidem firmiter adhibuimus. Est autem *fides ex auditu* (*Rom.* X, 17), et nos auditui eorum credidimus, quorum unus dicit : *Domine, quis credidit auditui nostro* ? (*Isa.* LIII, 1.) Auditu oris illi audierunt te intus loquentem sibi, et nos illos audivimus, non per internuntios ambiguos, sed *auribus nostris*, non tantum exterioribus, verum etiam interioribus, quia quod foris audivimus, discretione rationis intus pensavimus, et scimus cui credidimus, ita ut quisque nostrum dicere possit : *Scio cui credidi, et certus sum* (*II Tim.* I, 12). Non enim falsi prophetæ, sed *patres nostri annuntiaverunt nobis. Patres* ætate reverendi, non juvenes ex levitate sua contemnendi ; *patres*, inquam, *nostri*, non alieni *annuntiaverunt nobis* tanquam filiis charissimis. Unde certum est eos nonnisi certa dixisse, cum *patres* non soleant filios suos decipere, lapidem pro pane, serpentem pro pisce, scorpionem pro ovo atque ut evidentius dicamus, mendacium noxium pro veritate utili eis porrigendo. Isti ergo *patres* digne audiendi a filiis narraverunt nobis filiis non fabulosa poetarum figmenta de diis falsis conficta, sed *opus, quod operatus es in diebus eorum, in diebus antiquis. Opus* egregium, *opus* divinum, diis falsis impossibile, *opus* tibi soli Deo vero possibile, *opus*, quod non homo vel angelus absque te facere posset, sed quod tu ipse tua virtute *operatus es in diebus eorum et in diebus antiquis.* Nam *dies eorum dies antiqui fuerunt*, qui novos dies antecesserunt, sicut lex gratiam, sicut præco regem, sicut in creatione mundi vespera mane, secundum quod dicitur : *Factumque est vespere et mane dies unus* (*Gen.* I, 5). Prius vespera commemoratur, deinde mane subjungitur, quia non aspirat dies, nisi prius

Digitized by Google

inclinentur umbræ : non essent dies novi, nisi transissent jam *dies antiqui*.

Et *opus* quidem dierum novorum nos ipsi oculis nostris perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt, *quod operatus es* in nobis, a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem, incipiens, atque inde operando procedens usque ad extremum terræ. Sed *opus, quod operatus es in diebus antiquis*, nos ipsi non vidimus, *auribus* tamen *nostris audivimus*, patribus veridicis annuntiantibus, *opus, quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis*, quoniam cum essent ipsi antiqui antiquæ legis alumni, *dies* quoque ipsorum recte dicuntur *antiqui*. Omne autem quod antiquatur et senescit, prope interitum est : et ideo *dies antiqui* præterierunt ac novi successerunt. Unde non mirum, si operibus antiquis opera succedunt, opera stabilia interitum vel antiquationem nescientia, quæ tu Deus, operatus es in nobis multo salubrius quam operatus fueris in diebus patrum nostrorum, *et in diebus antiquis*.

Aliter : *Patres nostri* Moyses, Josue ac cæteri *annuntiaverunt* nobis opus quod operatus es in diebus eorum, in quibus mare divisisti, manna dedisti ac gentibus robustis ejectis ipsos patres nostros in terram promissam posuisti. Narraverunt etiam nobis « opus quod operatus es in diebus antiquis », quando cœlum et terram fecisti, firmamentum in medio aquarum posuisti, maria congregasti, aridam germinare fecisti, solem et lunam ac stellas in firmamento posuisti, volatilia et natatilia de aquis creasti, gressibilia et reptibilia de terra produxisti, hominem ad imaginem tuam fecisti. *Dies* isti, quibus hæc omnia fecisti, diebus patrum nostrorum antiquiores fuerunt, et tamen *opus* dierum illorum quantumlibet antiquorum *narraverunt patres nostri*. Primus Moyses indicando nobis, quid etiam ante creationem hominis feceris, deinde reliqui patres, verbi gratia David, dicens : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum, congregans sicut in utrem aquas maris* (*Psal.* xxxii, 6). Et post pauca : *Ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt* (*ibid.* ix). Et Isaias in persona Domini, *quis*, inquit, *formavit hæc omnia ? nonne manus mea ?* Sic multa nobis veraciter *annuntiaverunt patres* homines, etiam de illorum dierum antiquorum opere, in quibus non erant homines. Quanto magis de illis operibus eis est credendum, quæ *operatus es in diebus eorum*, sub oculis eorum, quorum pauca enumeramus ; illa potissimum, quæ a nobis *filiis Core intellectum* requirunt, quia in oculis nostris mirabilia sunt, pro eo, quod tu modo non egrederis in virtutibus nostris, et dedisti nos tanquam oves escarum, et in gentibus dispersisti nos, qui olim in diebus patrum nostrorum gentes disperdidisti, patres nostro adjuvando et mirabili et visibili triumpho. Nam

Vers. 3. — *Manus tua gentes disperdidit. Manus tua*, potestas tua, virtus tua, fortitudo tua *disperdidit*, id est diversis modis perdidit interficiendo, vel ejiciendo de terra promissionis gentes, id est Chananæos, Hevæos, Amorrhæos, Hethæos, Pherezæos, Jebusæos, Gergesæos, et in earum loco *plantasti eos*, patres videlicet nostros. *Plantasti eos*, ut quasi paradisus voluptatis, quem plantaveras a principio, crescerent in numero et merito, quousque lignum vitæ, quod est Christus Jesus, in medio sui haberent natum de virgine, factum sub lege. Hanc legem postquam patres nostri acceperunt, si quandoque illam neglexerunt, traditi sunt in manus gentium, et dominatæ sunt eorum. Sed cum occideres eos, iterum quærebant te, et revertebantur, et diluculo venerunt ad te confitendo peccata sua, et pœnitendo, et rememorati sunt, quia tu, Deus, adjutor eorum es, qui *affixisti populos et expulisti eos* de terra promissionis, quibusdam tamen reservatis ad flagellandum et exercendum famulos tuos patres nostros, ne desuescerent ab usu præliandi, atque insolescerent nimia securitate, sicut nunc spiritualiter agis plantando virtutes interius, explantatis et exterminatis vitiis, relictis tamen aliquantis vitiorum reliquiis ad humilitatis custodiam, et exercitium virtutum de tali exercitio augmenta capientium. Vere *manus tua* et illud nunc spiritaliter facit, et illud tunc historialiter fecit, utrobique mirabiliter operando, videlicet virtutes plantando nunc in sancta Ecclesia, et patres plantando tunc in sancta terra.

Vers. 4. — *Nec enim in gladio suo possederunt terram, et brachium eorum non salvavit eos.* Imo cum te offenso ascenderent ad pugnam, prohibente Moyse, gladius eorum nihil profuit. Sed ubi multitudine illorum, qui terræ detraxerant abolita, et ira Domini placata sanctam terram ingredi cœperunt, sine gladiis circuitu dierum septem corruerunt muri Jericho, et hoc miraculo divulgato cæterisque tuis miraculis pariter auditis *conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan*, et sicut Moyses in cantico suo præcinnerat, *irruit super eos formido, et pavor in magnitudine brachii tui, donec transiret populus tuus* patres nostri scilicet, quos « introduxisti, et plantasti in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine, sanctuarium tuum, quod firmaverunt manus tuæ (*Exod.* xv, 17). » Vere itaque dictum est, quod *non in gladio suo possederunt terram*, quam nec propria virtute acquisierunt, nec fortitudine sua tenuerunt, quia *brachium eorum non salvavit eos. Brachium* quippe illorum carneum non erat robustius brachiis gentium. *Sed dextera tua* excelsa, *et brachium tuum* divinum, potentia tua illis *dextera*, id est clemens, gentibus autem sinistra et infesta salvavit eos, et *brachium tuum*, id est fortitudo tua. Cum enim gentes multo majores numero, et fortiores essent eis, quos, illis ejectis, introduxisti, manifestum est non humana, sed divina fortitudine peractas victorias, quando unus fugabat mille, et duo fugabant decem millia, vel quando ipsi hostes in-

Digitized by Google

pidibus grandinis interfecti sunt sub duce Josue, vel mutuis concidérent vulneribus ; Gedeone cum trecentis multa millia fugante, ac postea rege Josaphat per orationes triumphante. In talibus bellis cum patribus nostris operata est manus, vel *dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui*, id est Filius tuus, qui est manus tua, per quam cuncta creasti ; *dextera*, per quam creata in melius restauras ; *brachium*, per quod hostes expugnas, ut alibi dicitur, et « in virtute brachii tui dispersisti inimicos tuos (*Psal.* LXXXVIII, 11). » Ipse quoque vultus tuus est, quem, qui videt, te videt, sicut ipse ait : « Qui videt me, videt et Patrem (*Joan.* XIV, 9). » Illuminatio autem vultus tui, Spiritus sanctus est, quoniam *in lumine tuo*, id est in luminoso vultu tuo, *videbimus lumen* (*Psal* XXXV, 10), id est Spiritum sanctum, cujus erga tuos miseratio et consolatio in operatione aliqua mirifica, quid est nisi tui vultus illuminatio, per quam tu ac Filius tuus agnosceris esse misericors et potens, qui cum patribus nostris mirabilia magna fecisti, non quia ipsi hoc meruerint, sed *quoniam complacuisti in eis*, id est ipsa tua et *tui vultus illuminatio*, tibi complacuit *in eis*, tu tibi *complacuisti*, id est simul placuisti, quia trinæ omnipotentiæ tuæ pariter in eis opus et benevolentiam ostendisti, per quod etiam aliis gentibus tuam, potentiam, sapientiam et clementiam circa patres nostros exhibitam videntibus, *complacuisti in eis*, vel sicut in Hebræo legitur : *Placuisti eis ;* id est ipsis *patribus*. Nam inde apparet illuminationem vultus tui eis ostensam in tuis beneficiis, quod *placuisti eis*, ac deinde reliquis gentibus beneficia tua videntibus erga ipsos patres nostros *complacuisti* in eis, ita ut dicerent : Magnificavit Dominus facere cum illis. Et vere Dominus est in populo suo. Item : « Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus, populus quem elegit in hæreditatem sibi (*Psal.* XXXII, 12). » Item : « Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos (*Exod.* XIV, 25). »

VERS. 5. — *Tu es ipse Rex meus et Deus meus. Tu ipse*, qui illos regendo in temporalibus extollebas usque in æternum, *es Rex meus*, quia ego filius *Core*, juxta hujus psalmi titulum spero me regendum *in finem ad intellectum* tuo regimine. *Tu es* Deus patrum meorum, *es Deus meus*. Non enim erit in me Deus recens, sed tu, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, *Deus meus es ;* tu, inquam, Deus Jacob, *qui mandas salutes Jacob*, quia omnia, quæ *mandas* observanda *Jacob*, salutaria sunt. Ipse namque fratre suo Esau abjecto propter gulam et nequitiam *salutes*, id est salutares benedictiones accepit patre ad illum dicente : « Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, etc. (*Gen.* XXVII, 27). » Hæc tu ita fieri *mandasti*, qui ipsum *Jacob* dilexisti, Esau autem odio habuisti, nimirum in typum junioris populi, cui nunc *mandas* assidue *salutes*, dicente apostolo tuo Paulo his, quos de gentibus conversos alloquitur dicens : « Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo (*II Thess.* I, 2). » Item in Evangelio per te ipsum tu, *Core*, noster *mandas salutes Jacob*, id est juniori populo dicens apostolis tuis : « Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ, qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. (*Marc.* XVI, 15). » Sic te dicente de quolibet Jacob : « Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit. » Item : « Per me, si quis introierit, salvabitur. (*Joan.* X, 9) » Salutes mandas Jacob in Evangelio æternas, qui ante tempus istud acceptabile, ante diem salutis æternæ *salutes* mandabas temporales, non præsens dando, sed per creaturam ut in columna ignis vel nubis loquendo et per angelos, patriarchas et prophetas mandando salutaria mandata.

Hæc transgredientes filii *Jacob*, salute ac prosperitate amissa, traditi sunt multoties in manus gentium, et dominatæ sunt eorum. At ubi convertebantur ad ipsum, continuo misit eis salvatores et propugnatores, quales erant Jephte, Gedeon, Samson et cæteri tales, per quos operatus es salutes in medio terræ ; quoadusque veniret salus ex Judæis, non solis Judæis, imo et gentibus, populo videlicet juniori, cui *mandas salutes* duas : unam, qua centuplum accipiet in præsenti vita ob omnia dimissa propter te et propter Evangelium ; alteram, qua post hanc vitam, vitam æternam habebit. Sed carnalis Esau, terrenus et pilosus unam solummodo in vita præsenti quærendo salutem perdet utramque salutem, præsentem scilicet et futuram. Quem enim fructum habet in suis venationibus, aucupando sola temporalia et fugitiva bona, in quibus erubesceet, cum se benedictione salutis æternæ privatum intelliget ? Nos vero filii *Core* liberati a peccato, servi autem facti Deo, habemus fructum nostrum in sanctificatione, finem vero vitam æternam. Sanctificatio ergo vitæ nostræ, qua in præsenti fruimur *salus* una est : vita æterna *salus* altera et major est. Quas utique *salutes* ambas tu *mandas Jacob*, qui diligis *Jacob* simplicem in tabernaculis Ecclesiarum, seu regularium cœnobiorum cum Rebecca, quod interpretatur *patientia* commorantem. Esau vero in silva mundi hujus venationibus occupatum odio habes. Attamen *salus* una plerumque dabitur illi dicenti ad patrem : « Num unam tantum habes benedictionem ? (*Gen.* XXVII, 38.) Unam Esau petit benedictionem contentus in pinguedine terræ et in rore cœli desuper terrenarum frugum accipere ubertatem. Sed Jacob gemina benedictione beatificatus intelligitur à *filiis Core*, qui nimirum intelligunt in odore agri pleni, quem benedixit Dominus, eam benedictionis plenitudinem, quæ continet duas *salutes mandatas Jacob*. Cum enim frumento et vino stabilitas prædicatur, stabilitas æternorum fructuum in illo commendatur. Item cum dicitur ei : « Det tibi, Deus, de rore cœli et de pinguedine terræ (*ibid.*), » abundantiam temporalis ei felicitas prærogatur, per cujus usum veniatur ad æternam in semine illius repositam, de quo jam tunc erat illi vestimentorum

Digitized by Google

fragrantia, geminæ salutis prænuntia, corporis scilicet et animæ, non illi soli, sed etiam nobis *filiis Core*, qui secundum nomen *Jacob* luctamur contra vitia, non in nostra virtute, sed in tua Deus *Jacob*. Nam in nobismetipsis quidem infirmi ac debiles, fortes autem.

VERS. 6. — *In te inimicos nostros ventilabimus cornu, et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.* Sedecias filius Chanaan fecit sibi duo cornua ferrea, in quibus prædicabat Syriam totam ventilandam (*III Reg.* XXII, 11), nobis autem *filiis Core*, id est imitatoribus Christi propter nos in Calvaria humiliati, nobis, inquam, sufficit unum cornu, quo in calvitio nostro muniti cantare solemus : « Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ, et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui (*Luc.* I, 68-69). » *Cornu* istud Christus est *in te*, Pater, et *in nobis* robustum : *in te*, quia in principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum ; *In nobis*, quia « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 14). » *In te* igitur *cornu* habentes, unde sumus fortes, *inimicos nostros ventilabimus* eodem *cornu*, *et in nomine tuo*, id est in Filio tuo, per quem tu nominatus et inclytus haberis, *in nomine tuo*, inquam, *spernemus insurgentes in nobis.*

Vel *in nomine tuo*, Christe, quo dicimur christiani, *spernemus insurgentes in nobis*. Qui insurgunt in nos, non solum extra nos ut pagani et reliqui hostes extranei, sed etiam *in nobis*, ut falsi fratres qui, cum sint in nobis, non sunt ex nobis. Vel stimuli vitiorum, qui sunt *in nobis*, ut libido in carne, ira in animo, vincere non poterunt nos *filios Core* tam excelso tam robusto *cornu* in calvaria nostra munitos. Ideo *spernemus insurgentes in nobis*, quia non prævalebunt nobis *filiis Core* hostes Ecclesiæ, derisores calvitii nostri, quo pariter omnes intus gloriamur, dum pilis vitiorum caremus in capite, id est in ipsa mente, quotquot sumus *filii Core*. Quidam vero nostrum forinsecus etiam decalvati tonsura et rasura clericali vel monachica, dum repræsentant in capite similitudinem Elisei, gaudent se cum illo derideri, neque tamen suos derisores, ut ille, maledicunt : quia nunc austeritatem legis transisse ac suavitatem gratiæ venisse scientes irridentibus et maledicentibus e contrario benedicunt, atque ad te verum *Core* conversi assidue dicunt : *In nomine tuo spernemus insurgentes* in nobis. Etsi ad præsens eos omnino spernere non possumus, dum fragiles sumus, et casum inter hostes timemus, attamen in futuro *spernemus*, cum tempus, de quo illi nunc sunt *insurgentes in nobis*, omniuo transisse agnoverimus. « Oportet enim corruptibile hoc, » in quo hostes patimur « insurgentes, induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc inducrit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est. Absorpta est mors in victoria, » et tunc « spernemus » nunc « insurgentes in nobis » dicendo : « Ubi est mors victoria tua? Ubi est, mors, aculeus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est, virtus vero peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum (*I Cor.* XV, 53-57). » Mihi autem absit de victoria gloriari nisi in cruce Domini mei Jesu Christi.

VERS. 7. *Non enim in arcu meo sperabo*, sicut nec patres mei speraverunt in suo, *et gladius meus non salvabit me.* Arcus minor, gladius major virtus accipitur. Vel per arcum, qui longinqua, dum non videtur, ferit, significatur oratio, qua pugnamus in occulto jacula precum mittendo ad amicos et inimicos non solum prope, sed etiam longe positos vel situ loci vel disjunctione animi. Per gladium vero, qui præsentes cominus percutit, sermo veritatis arguens mundum de peccato et de justitia et de judicio accipitur. « Vivus est enim sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus (*Hebr.* IV, 12). » In illo igitur, et non in *gladio*, vel *arcu meo sperabo*, quia neque orationis meæ arcus chordam habet intensam ad mittendas efficaciter precum sagittas absque tuo adjutorio, neque sermo meus, sed sermo tuus Domine ancipiti gladio comparatur, de cujus ore procedit romphæa utraque parte acuta potens ad damnandum pariter et salvandum. Unde recte dico ego, filius *Core*, quod *gladius meus non salvabit me.* Quia non est mihi salus, nisi de te vero Salvatore.

VERS. 8. *Salvasti enim nos de affligentibus nos, et odientes nos confudisti. Salvasti*, hoc est, sine dubio salvabis nos. Præteritum namque pro futuro ponitur, cum nimia certitudo futuri exprimitur *Salvasti*, inquam, *nos*, id est salvabis, cum dicis nobis *filiis Core* : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est (*Matth.* XXV, 34). Et odientes nos confudisti, » id est confundes dicens eis : « Ite maledicti, in ignem æternum (*ibid.*, 41). » Vel per hoc scimus quod salvabit nos gladius tuus in futuro judicio, quia jam in hoc sæculo *de affligentibus nos* immundis spiritibus, qui tentationibus et afflictionibus fatigant, *salvasti nos*, ne valeant nostrarum mentium consensum trahere post se, quantumcunque affligant impugnando, quos evertere nequeunt expugnando. Et *odientes nos confudisti* pudore confusionis perfundendo facies eorum, cum non possent perficere de nobis, quod volebant.

In Hebræo legitur : *Tu es ipse rex meus Deus : præcipe pro salutaribus Jacob. In te hostes nostros ventilabimus. In nomine tuo conculcabimus adversarios nostros. Non enim in arcu meo confidam, neque gladius meus salvabit me : quia salvasti nos de hostibus nostris, et eos, qui oderant nos, confudisti.* Hujus Hebraicæ litteræ veritas a præmissa expositione in hoc solo discrepat, quod, cum ibi dictum sit : *Qui mandas salutes Jacob*, hic dicitur : *Præcipe pro salutaribus Jacob*, et est sensus : Cum tu sis rex meus, qui Deus es, neque mihi, neque alii

Digitized by Google

commilitonibus meis expedit sine tuo regali præcepto in acie procedere ad pugnam, quia sine tuo nutu et jussu pugnantibus, aut vexillum prælationis ambitiose rapientibus non provenit victoria. Igitur ne vel nulla vel cassa sit pugna, *præcipe*, Domine *pro salutaribus Jacob*, manda evangelizare, ac sicut Ecclesiæ quoque lectores quotidie expetunt a te : *Jube benedicere*, mitte, ac præcipiendo ejice operarios in messem tuam, præcipiens illis ne in viam gentium abeant, id est ne gentiliter viventibus in vitiis consentiant, sed *pro salutaribus Jacob* sollicite satagant ex gentibus juniorem populum supplantatorem vitiorum colligere, atque in æternæ salutis viam dirigere. Sic te præcipiente nos milites tui, nos operarii tui, nos piscatores tui, qui sine jussu tuo frustra pugnavimus, et per totam noctem laboravimus nihil proficientes aut capientes, tandem in verbo tuo laxabimus rete, atque in te confortati *hostes nostros ventilabimus*, et *in nomine tuo* conculcabimus adversarios nostros. Et quia non in nostra, sed in tua divina virtute triumphabimus, ideo non in nobis, vel in nostra virtute, sed

Vers. 9. *In Deo laudabimur tota die, et in nomine tuo confitebimur in sæculum.* Quia enim non in arcu meo, et gladio, sed in virtute brachii tui dispersisti inimicos meos, quia salvasti nos de affligentibus aperte impugnantes expugnando, et odientes nos latenti odio tu confudisti, dum non sicut illi volebant nobis fecisti, recte non in nostra virtute, sed *in Deo laudabimur tota die.* Futuri temporis verbo dico : *laudabimur*, ne ante tempus laudemur, quia scriptum est : « Ne laudaveris hominem in vita sua (*Eccli.* xi, 30). » Laudanda est virtus in bello strenua, sed consummata victoria. Laudanda navigantis felicitas, sed cum perductus est ad portum. Ergo nondum in præsenti laudamur, sed in futuro *laudabimur tota die*, quæ vesperam non habebit, cui nox ultra non succedet. Ævi enim perpetuitas vel æternitas, in qua *laudabimur*, non erit interpolata noctibus, sed *tota dies* erit, quæ sicut dictum est, vespera carebit.

Et in nomine tuo confitebimur in sæculum. Nos quidem laudabimur, sed nos totam laudationis causam *confitebimur* tibi ascribendam *in sæculum*, sive ut in Hebræo habetur *in æternum*, quia in nomine tuo, quo *Salvator* nominaris, peracta erit consummatio nostræ salvationis, non ad horam exsultantibus nobis in brevi gaudio salutis temporalis, sed *in sæculum* sive *in æternum*, id est sine fine, semper.

Hic in Hebræo *Sela* interponitur, quod Latine interpretatur *semper*, pro quo in Græco *diapsalma*, quod nos distinctionem psalmi dicere possumus, habemus. Abhinc enim pars psalmi secunda incipit, quam docte psallens David satis evidenter a prima distinguit. Enumeratis enim bonis, quæ Deus fecit patribus et quæ facturus est nobis, ostendit quæ inter illorum præteritum et nostrum futurum beati martyres patiantur; ut *filiis Core* mittat *ad intellectum* hunc scitu dignum, quod Deus, a quo gratis homo est creatus et gratis liberatus, ab ipso creato et liberato suo gratis est colendus. Licet autem colatur ac diligatur cultu et amore gratuito, non tamen sine præmio diligitur Deus, etsi absque præmii sit intuitu diligendus. Vacua namque, vel infructuosa veracitas esse non potest, nec tamen mercenaria est. Quippe non quærit quæ sua sunt, sponte afficit, et spontaneum facit. Verus amor se ipso contentus est, habet præmium, sed quod amatur. Nam quidquid propter aliud amare videaris, id plane amas, quo amoris finis pertendit, non per quod tendit. Paulus non evangelizat ut comedat; sed comedit ut evangelizet, eo quod amet non cibum, sed Evangelium. Verus amor præmium non requirit, sed meretur. Præmium sane necdum amanti proponitur, amanti debetur, perseveranti redditur. Denique in rebus inferioribus, suadendis invitos promissis, vel præmiis invitamus, et non spontaneos. Quis enim munerandum putet hominem, ut faciat, quod et sponte cupit? Nemo verbi causa conducit aut esurientem ut comedat, aut sitientem ut bibat, aut certe matrem ut parvulum lactet filium uteri sui. An vero quis putet prece vel pretio quempiam commonendum suam ipsius vel sepire vineam vel arborem circumfodere, vel structuram propriæ domus erigere? Quanto magis Deum amans anima aliud præter sui amoris præmium non requirit! Aut si aliud requirit, illud pro certo nondum diligit.

Quidam legentes centuplum reddenda Christi cultoribus propter ipsum relicta, putant non cum gratis colendum, qui tantum dabit præmium, verbi gratia, ut qui pro una domo nunc relicta centum pro Christo dimisit, centum accipiat : et qui unam pro Deo reliquit uxorem, in resurrectione centum recipiat, quarum libidini satisfaciat; hujusmodi sane *intellectum filii Core* non recipiunt, qui scientes in vita æterna solius justitiæ, quam nunc esuriunt, se deliciis fovendos et saturandos, non indigent præmiis conduci ad hanc appetendam et quærendam, sicut nullus esuriens, ut comedat, nullus sitiens, ut bibat, conducitur. Ergo *filii Core* Deum videre sitientes gratis eum colunt, et colendum suadent his, qui eos audiunt. Gratis dico, ne pro temporalibus aut pro temporalium similibus colatur. Qui enim divini cultus mercedem in temporalibus ponit, cum Judæis reprobatur; qui autem in æterna vita quærit pro temporalibus bona æternalia, sed ipsis temporalibus consimilia, ut, verbi gratia, thalamos delicatos, nulla molestia perturbandos, lucidas et quietas mansiones visui corporeo delectabiles et istis visibilibus mansionibus consimiles, omnino similis est homini somnianti, de qualibus dicitur : « Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis (*Psal.* lxxv, 6). » Nihil enim tale, quale illi somniant, invenietur in regno cœlorum, ubi omnia et

Digitized by Google

in omnibus Deus erit. In omnibus enim et omnibus in regno illo gaudentibus non erit alia gaudendi causa, nisi Deus. Quisquis ergo cogitat illic se deliciaturum in epulis aut vestibus ornatis aliisque delectamentis infra Deum positis, nondum perductus est *ad intellectum filiis Core* in hoc psalmo commendatum, et per hoc insinuatum, quod sancti affliguntur in hoc sæculo, ut eorum gaudium sit in solo Deo.

Erant quidam hæretici Cerinthiarii, ab auctore Cerintho sic nominati, post resurrectionem docebant mille annos in voluptatibus agendos, unde apud Græcos Chiliasti, apud Latinos Milliasti vocati sunt. Isti, quia pro afflictionibus temporalibus mille annorum delicias vel sibi speraverunt, vel aliis promiserunt, ab Ecclesia damnati sunt. Verumtamen fæx eorum non est exinanita, quam bibunt omnes peccatores terræ, qui mallent, si optio daretur, pro temporalibus et brevibus deliciis abnegatis in hoc mundo, longas aut interminabiles recipere in futuro sæculo, quam cunctis omnino immunditiis et deliciis nunc et in æternum carendo gaudere de solo invisibili, et summo bono. Nam quod summum sit invisibile, non solum divina, sed mundana quoque affirmat philosophia. Ad hujus boni delectamentum provocatur cui dicitur : « Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui (*Psal.* xxx, 4). » Perfecti ergo viri vox est : « Renuit consolari anima mea (*Psal.* lxxvi, 4), » omnibus videlicet oblectamentis, quæ infra Deum sunt vel cogitari possunt, quorum si aliquoties memor ero, tædium super eis habebo. Ubi est ergo, sancte vir, delectatio tua? In præsenti quidem vita memoria Dei delectat, quod experimento didici, quia *memor fui Dei, et delectatus sum ;* sed in futuro sæculo delectabit ipsa invisibilis Dei visio. Nam « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* v, 8). »

Notandum sane quod, licet sola invisibilis Dei memoria nunc sanctos, qui renuunt alias consolari, delectet, tamen etiam visibilia vel intelligibilia, quibus visis vel cogitatis excitatur et augetur hæc ipsa memoria, in tantum fiunt eis delectabilia, in quantum sentiunt se per hæc exercitari aut conservari ad habendam jugiter Dei memoriam. Propterea sancti diligunt se mutuo, quia dulcis est eis ad invicem Dei recordatio. Hinc placet eis lectio, vel psalmodia, seu cætera divina officia, et spiritalia exercitia, quia in eis crebrescit et magis ac magis dulcescit præsens Dei memoria, futuræ ipsius visionis præparatoria. « Memoria mea in generatione sæculorum (*Eccli.* xxiv, 28), » ait Sapientia. Quod quam sit verum, probat experientia sanctorum, quia quandiu stare præsens cernitur sæculum, in quo generatio advenit et generatio præterit, non deerit electis consolatio de memoria, quibus nondum de præsentia plena refectio indulgetur. Unde scriptum est : « Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt (*Psal.* cxliv, 7), » haud dubium quin hi, quos paulo superius dixerat : « Generatio, et generatio laudabit opera tua (*ibid.*, 4). » Memoria ergo in generatione sæculorum, præsentia in regno cœlorum. Ex ista jam glorificatur assumpta electio : de illa interim peregrinans generatio consolatur.

Sed interest quænam generatio ex Dei accipiat recordatione solamen. Non enim generatio prava et exasperans, sed quæ veraciter dicere potest : « Renuit consolari anima mea (*Psal.* lxxvi, 3), huic plane credimus, si secuta adjecerit : « Memor fui Dei, et delectatus sum (*ibid.*). » Justum quippe est ut quos præsentia non delectat, præsto eis sit memoria futurorum; et qui de rerum fluentium qualibet affluentia despiciunt consolari, recordatio illos delectet æternitatis. Et « hæc est generatio quærentium Dominum ; » quærentium, non quæ sua sunt, sed « faciem Dei Jacob (*Psal.* xxiii, 6). » Dei ergo quærentibus et suspirantibus præsentiam præsto interim et dulcis memoria est, non tamen qua satientur, sed qua magis esuriant, unde satientur. Hoc ipsum de se cibus ipse testatur ita aiens : « Qui edit me, adhuc esuriet (*Eccli.* xxiv, 29). » Et qui eo cibatus est : « Satiabor, inquit, dum manifestabitur gloria tua (*Psal.* xvi, 15). » Beati tamen jam nunc, qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam quandoque ipsi, et non alii saturabuntur. Væ tibi, generatio prava atque perversa! Væ tibi, populo stulte et insipiens, qui et memoriam fastidis, et præsentiam expavescis. Merito quidem. Nec modo enim vis liberari de laqueo venantium, siquidem « qui volunt divites fieri in hoc sæculo, incidunt in laqueum diaboli (*I Tim.* vi, 9), nec tunc a verbo aspero poteris. O Verbum asperum, o sermo durus : « Ite, maledicti, in ignem æternum? (*Matth.* xxv, 41.) Durior plane atque asperior illo, qui quotidie nobis de memoria passionis in Ecclesia replicatur : « Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, habet vitam æternam (*Joan.* vi, 55), » hoc est, qui recolit mortem meam, et exemplo meo mortificat membra sua super terram, habet vitam æternam, hoc est, si patimini, et conregnabitis. Et tamen plerique ab hac voce resilientes, et abeuntes hodieque retrorsum respondent non verbo, sed facto : « Durus est hic sermo, et quis potest eum audire? (*ibid.*, 61.) Itaque generatio quæ non direxit cor suum, et non est creditus cum Deo spiritus ejus, sed magis sperans in incerto divitiarum, verbum modo crucis audire gravatur, ac memoriam passionis sibi judicat onerosam. Verum qualiter verbi illius pondus in præsentia sustinebit : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus? » (*Matth.* xxv, 41) Super quem profecto cecidit lapis iste, conteret eum.

At vero « generatio rectorum benedicetur (*Psal.* cxi, 2), » qui utique cum Apostolo abeuntes, sive præsentes contendunt placere Deo. Denique audient : « Venite, benedicti, Patris mei, percipite regnum, etc. (*Matth.* xxv, 34). » Tunc illa, quæ

Digitized by Google

non direxit cor suum, sero quidem experietur, quam in illius comparatione doloris jugum Christi suave et onus leve fuerit, cui tanquam gravi et aspero duram cervicem superbe subduxit. Non potestis, o miseri, Deo servire et mammonæ, simul gloriari in cruce Domini nostri Jesu Christi et sperare in pecuniæ thesauris : post aurum abire et probare quam suavis est Dominus. Proinde quem suavem in memoria non sentitis, asperum procul dubio in præsentia sentietis. Cæterum fidelis anima et suspirat præsentiam inhianter, et in memoria requiescit suaviter, et donec idonea sit revelata facie speculari gloriam Dei in crucis ignominia gloriatur. Sic profecto sic sponsa et columba Christi pausat sibi interim, et dormit inter medios cleros sortita jam in præsentiarum de memoria abundantiæ suavitatis tuæ, Domine Jesu, pennas deargentatas, innocentiæ videlicet, et pudicitiæ candorem, et sperans insuper adimpleri lætitia cum vultu tuo, ubi etiam fiant posteriora dorsi ejus in pallore auri, quando in splendoribus sanctorum introducta cum gaudio, sapientiæ fuerit plenius illustrata fulgoribus. Merito proinde jam nunc gloriatur, et dicit : « Læva ejus sub capite meo, et dextera ejus amplexabitur me (*Cant.* II, 6) : » In læva ejus reputans recordationem illius charitatis, qua nulla major est, quod animam suam posuit pro amicis suis : in dextera vero beatam visionem, quam promisit amicis suis, et gaudium de præsentia majestatis. Merito illa Deo et deifica visio, illa divinæ præsentiæ inestimabilis delectatio in dextera deputatur, de qua et delectabiliter canitur : « Delectationes in dextera tua usque in finem (*Psal.* XV, 15). » Merito in læva admirabilis illa memorata et semper memoranda dilectio collocatur, quo, donec transeat iniquitas, super eam sponsa recumbat et requiescat. Merito ergo læva sponsi sub capite sponsæ, super quam videlicet caput suum reclinata sustentet, hoc est mentis suæ intentionem, ne incurvetur et inclinetur in carnalia et sæcularia desideria, quia « corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (*Sap.* IX, 15). » Quid aliud faciat considerata tanta et tam indebita miseratio, tam gratuita et sic probata dilectio, tam inopinata dignatio, tam invicta mansuetudo, tam stupenda dulcedo, quid, inquam, hæc omnia faciunt diligenter considerata, nisi ut considerantis animum ab omni penitus pravo liberatum amore ad sui amabilem contemplationem rapiant mirabiliter, alliciant vehementer, faciantque præ sui dulcedine contemni, quidquid nisi in contemptu et oblivione horum peti vel haberi non potest? Nimirum proinde in odore unguentorum horum sponsa currit alacriter, amat ardenter, et parum sibi amare sic amata videtur, etiam cum se totam in amore perstruxerit. Proinde nihil immorari sinit pectori suo, per quod impediatur illius, quem amat recordatio. Unde et dicit dilectus meus : « Inter ubera mea commorabitur (*Cant.* I, 13), « quia videlicet illius nunc memoria pectus amantis occupat, quem in futuro facie ad faciem videre desiderat. Dulce illi est in præsenti, quidquid auget in ejus pectore dilecti memoriam et amorem. Dulce quoque illi erit in futuro videre novum cœlum et novam terram, in quibus cum habitet justitia, conspicua quoque tunc erit justitiæ vena seu fons, qui est ipse Deus.

Hunc in terra maledicta spinas ac tribulos germinante, quia sponsa non potest clare videre *sicut lilium inter spinas* (*Cant.* II, 2) posita multas patitur molestas punctiones, de quibus ei proveniunt multæ salubres compunctiones. Nam quoties a spinis pungitur, toties apud se compungitur, quia parum sibi videtur pati passione Christi redempta, etiamsi millies pro illo moriatur, qui cum esset immortalis, mori dignatus est pro ovibus suis, quorum balatus auditur in hoc psalmo dicentium : De disti nos *tanquam oves escarum*. Ut autem clare appareat, quod etiam inter adversa, et cruciatus amarissimos delectat sanctos memoria Dei, præmissis, quæ dura patiuntur, subnectunt post aliqua : *Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te*, nimirum quia Dei memoria dulcis est inter adversa propter ipsum illata. Quæ omnia venerunt super vos, o Martyres Dei, quæ vos non potuerunt separare a charitate, vel memoria Dei. Dicitis enim : *Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, et inique non egimus in testamento tuo, et non recessit retro cor nostrum*. Vultis audire, o benevoli auditores, quanta sustinemus pro Deo nostro? Auscultate quod eidem loquimur, pro quo patimur, dicimus enim illi :

Vers. 10. *Nunc autem repulisti, et confudisti nos.* Tu, Domine Deus noster, qui cum patribus nostris mirabilia magna fecisti, sicut *auribus nostris audivimus, et patres nostri annuntiaverunt nobis*, quique nobis filiis eorum, filiis *Core* multa bona reservas in futurum, in quibus advenientibus in Deo laudabimur tota die, et in nomine tuo confitebimur in sæculum, quantum ad præteritum et futurum, tuis demonstras magnum solatium. *Nunc autem*, in præsenti tempore subtrahendo antiquitus auxilia consueta et differendo futura solatia *repulisti nos, et confudisti*, non quidem in conscientia, quia gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod mala patimur non pro malitia nostra, sed pro bonitate, attamen in facie iniquorum *nos confudisti*, quibus hic habemur opprobrio, dum dicitur de nobis : *Ubi est Deus eorum?* Non enim putant nos te Deum fortem vivum propitium habere, vel nusquam te putant esse, dum *non egredieris Deus in virtutibus*, vel, sicut in Hebræo legitur : *In exercitibus nostris*, sicut olim solebas, quando te in exercitibus nostris egrediente, unus e nostris persequebatur mille alienos, et duo fugabant decem millia. Tunc nostri patres erant inimicis potentiores. At nunc

Vers. 11. *Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros*, ut illi victores, nos victi deputemur : illi

Digitized by Google

dignitatibus fulti anteriores, nos facultatibus et dignitatibus privati posteriores, illi in caput, nos in caudam reputemur.

In Hebræo legitur : *Vertisti terga nostra hosti*, id est qui prius fugavimus hostem, nunc fugamur ab hoste. *Et qui oderunt nos* propter te, *diripiebant sibi* vel facultates nostras vel etiam corpora in servitium suum, vel quod adhuc nequius est, *animas nostras diripiebant* ad iniquitatis castra trahendo refrigescente charitate multorum de numero nostro, qui exierunt a nobis, quia non erant ex nobis. Illi *qui oderunt nos, diripiebant nos* et nostra, sua quidem perversitate, sed non sua potestate. Nam tu, qui omnia tenes in manu tua, secundum quod alibi dicitur : « in manu tua, Domine, omnes fines terræ (*Psal.* XCIV, 4). »

VERS. 12. *Dedisti nos* in manus gentium *tanquam oves escarum*, quibus in cæde non parcitur sicut ovibus ad fetum servatis. Vel *sicut oves escarum*, quæ transeunt in corpus comedentium. Quasi enim a gentibus manducati sunt multi ex nobis, qui sic passi sunt, ut in corpus gentium verterentur, quos tanquam membra sua devorata plangit Ecclesia.

Aliter diversa genera martyrum nos, *filii Core*, commemoramus, quorum alii ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres, ipsorum in hoc psalmo vox est, et illorum voce nos, *filii, Core* psallentes dicimus : *Nunc autem repulisti nos, et confudisti nos, et non egredieris Deus in virtutibus nostris, avertisti nos retrorsum post inimicos nostros, et qui oderunt nos, diripiebant sibi.* Pro his autem qui lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt, recte lamentamur dicentes : *Dedisti nos tanquam oves escarum.* Vel sicut in Hebræo legitur : *Tanquam gregem ad potandum*, quia non parcebatur cædibus talium, vel quia in occisione gladii mortui sunt, vel quia sicut oves esca fuerunt leonibus, ursis et aliis bestiis vivi expositi ad devorandum. Pro his vero, qui tormentis victi ad gentilitatis ritum transierunt, non contenti sumus dicere nos *tanquam oves escarum*, sed addimus : *Et in gentibus dispersisti nos*, quia multi nostrorum traditi sunt gentibus in servitutem de quibus aliqui sic dispersi sunt ab Ecclesiæ unitate, ut viverent aliquandiu, seu etiam ex toto perseverarent in vanitatibus gentium variis erroribus delusarum.

VERS. 13. *Vendidisti populum tuum sine pretio*, quem quasi gratis manibus impiorum tradidisti. Videmus enim, quos dedisti, magnos merito, et multos numero ; quos autem pro eis accepisti, aliquoties inveniuntur pauci numero : « quia multi vocati, pauci vero electi (*Matth.* XX, 16) : » et quando multi sunt numero, parvi sunt merito. Dum enim sancti vel ad probationem vel ad correctionem dantur alienigenis, vel nullus inde acquiritur, vel pauci, qui eisdem sanctis in sanctitate sint comparandi. Unde recte conquerimur, quod *non fuit multitudo in commutationibus eorum*, id est in compensatione tantæ rei.

In Hebræo legitur : *Nec grandis fuit commutatio eorum.* Alia translatio habet : *Non fuit multitudo in jubilationibus eorum.* Non enim persequentibus idololatris congregabatur multitudo fidelium ad jubilandum Deo more solito in ecclesiis, sed latebant in montibus et speluncis et in cavernis terræ atque in cryptis aliisque secretis locis convenerunt ad plangendum potius, quam ad jubilandum, quia tunc « vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus (*Matth.* II, 18), » quando aliquos martyrum sepelierunt viri timorati et fecerunt planctum super eos. Multi vero magis illos planxerunt, quos nec sepelire ausi fuerunt prohibentibus paganis, ut corpora sanctorum devorarentur a bestiis et volucribus in terra, vel a piscibus in mari, aliisque tetris ac profundis gurgitibus, quibus corpora sanctorum perdenda committebantur. Quoties ergo sic venerunt gentes in hæreditatem Dei, ut pollucrent « templum Dei sanctum quod estis vos (*I Cor.* III, 17), » ait Apostolus, vel ut servorum Dei, quos polluere non poterant, morticinia ponerent « escas volatilibus cœli (*Psal.* LXXVIII, 3), » ac bestiis terræ, toties erat in Ecclesia planctus magnus, et ululatus multus, nulla vero, aut parva jubilatio. Bene itaque dicitur : *Vendidisti populum tuum sine pretio, et non fuit multitudo in jubilationibus eorum.*

Fuit tamen inter eos aliqua jubilatio quibusdam illorum gaudentibus, quoniam digni habiti sunt pro nomine tuo contumeliam pati, quorum vox est : « Gloriamur in tribulatione scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* V, 3-5). » Isti nimirum spe gaudentes, in tribulatione patientes, cum inter adversa Deum laudaverunt, ubicunque jubilaverunt, et quasi ventum roris flantem sentiendo in medio fornacis trium puerorum canebant hymnum jubilantes Deo salutari suo. Sed *non fuit multitudo in jubilationibus eorum*, quia perfectio ista paucorum est, ut jubilent et lætentur, cum maledixerint eos homines et persecuti fuerint. Ergo etsi fuit perfectio in jubilationibus sanctorum, non tamen *fuit multitudo in jubilationibus eorum*, quia paucissimi contumeliam passi euntes a conspectu concilii gaudebant, multi vero euntes ibant, et flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exsultatione portantes manipulos suos. Et tunc non paucorum, sed multorum erit jubilatio, quia tristitia eorum vertetur in gaudium, qui nunc pro veritate sustinent opprobrium. Unde sequitur :

VERS. 14. *Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem et derisum his, qui in circuitu nostro sunt.* Gravis est afflictio, et derisio a vicinis, quia non cito transit, quod ipsum conquerimur nos filii *Core* cum Eliseo calvo irrisionibus expositi, atque utinam expositi ad horam longævis hostibus, et non

positi in longum tempus irridendi a vicinis persecutoribus. Tu autem, Domine, cujus judiciis obmurmurare non audemus, *posuisti*, et velut immobiliter fixisti nos in signum, cui contradicitur, et quod irridetur a vicinis. Sunt namque « inimici hominis domestici ejus (*Matth.* x, 36) » tanto intolerabiliores, quanto viciniores interdum loco, quia in una domo duo in tres et tres in duos dividuntur, interdum qualitate vivendi, quia monachi contra monachos, clerici contra clericos, christiani contra christianos, religiosi contra religiosos, ficti contra veros, inquieti contra quietos, imperfecti contra perfectos tanto rixantur cum majori periculo, quanto pugna hæc agitur de vicino. In hujusmodi contentione, cui opprobria, subsannationes et derisiones inferunt, in parte diaboli sunt; qui autem ferunt, in parte Dei sunt, cujus causa hæc ferunt. Cui et dicunt : *Posuisti nos opprobrium vicinis nostris subsannationem, et derisum his, qui in circuitu nostro sunt.* Subsannatio naso, derisus ore fit, et est derisus confusa vox lætitiæ insultatione immoderata hilaritatem denuntians : contemptus vero est abjecta vilitas.

Vers. 15. *Posuisti nos in gentibus in similitudinem Core*, crucifixi Christi et martyrum. Maledicentes enim nobis *similitudinem* dant de eo, quod detestantur dicendo. Sic moriaris sicut Christus tuus, et sicut Laurentius aut alius quilibet. *Posuisti nos* etiam *commotionem capitis in populis.* Sicut enim in passione tua transeuntes et insultantes movebant capita sua : sic et in passione martyrum.

Vers. 16. *Tota die verecundia mea contra me est.* Solet *verecundia* cito deficere. Gravem ergo verecundiam ego *filius Core* sustinui, quæ tota die perdurans contra me est, contraria videlicet conscientiæ meæ, vel quia rem verecundam non feci, vel quia dignos pœnitentiæ fructus me fecisse credo.

Aliter : *Verecundia mea contra me est*, id est contra me, faciei meæ semper opposita, dum cogor assidue attendere, quantas, quam ignominiosas et dedecorosas molestias piis infert malorum impietas, quas dum considero, *confusio faciei meæ cooperuit me.* Quodam enim pallio confusionis vultum suum operit verecundus, dum sanguinea nube facies ejus rutilat inflammata, id agente natura in homine verecundo, ut sanguineus humor sub vitrea cute faciei collectus faciat hominem rubescere, unde et dicitur *erubescere*, quia internus rubor sanguinis apparet exterius, etiam quando nihil mali habet conscientia interius. Unde ad sponsam sponsus dicit : « Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ absque eo, quod intrinsecus latet (*Cant.* IV, 3). » Non est magnæ laudis, quando culpa, quæ intrinsecus latet, genas facit rubescere ad similitudinem punici mali, sed quando absque *eo, quod intrinsecus latet*, id est quando nihil turpe intrinsecus latet, et tamen inter opprobria facies in genis rubet ad similitudinem fragminis mali punici, hoc est revera laudabile, sponsoque in sponsa sua decus amabile indicans eam illi dissimilem, cui dicitur : « Frons meretricis facta est tibi, nescis erubescere (*Jer.* III, 3). »

Notandum vero confusionis esse duo genera. Nam, ut Sapiens ait : « Est confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam (*Eccli.* IV, 25). » Peccatum adducit confusio, quando erubescimus non erubescenda, verbi gratia humilem in fratrum necessitatibus administrationem, sicut est pedum lavatio, vel quando verecundamur confiteri et emendare coram hominibus peccatum, cujus in conspectu Dei non erubescimus ferre turpem reatum. Confusio autem tunc adducit gloriam, cum de peccato in conspectu Dei sic erubescimus, ut de qualibet peccati purgatione minime confundamur, sicut Maria, quæ convivantes non erubuit, quando ut lavaretur a Domino, pedes ejus lacrymis lavit; ut tergeretur, tersit; ut ungeretur, unxit, atque in domo exprobrantis et indignantis Pharisæi subsannationes et murmurationes ejus non sine rubore confusionis pertulit. Sed ista confusio magnam illi gloriam adduxit; dimissa enim sunt ei peccata multa, confusionis et verecundiæ plena, quia dilexit adeo multum, ut non erubesceret humile ministerium lavationis et unctionis pedum in conspectu convivantium, ad quod ille, cui minus donatum fuerat, ac proinde minus amaverat humiliare se non cogitabat, imo istam in corde suo sic ministrantem dominumque tale ministerium suscipientem sinistre judicavit. Sed humile istud ministerium provexit illam ad altum et gloriosum, quoniam postea legitur caput ejus unxisse unguento nardi pistico pretioso. Quid hoc altius ministerio? Baptista ex utero sanctificatus contremuit, et non audet tangere sanctum Dei verticem, nisi ipso Domino præcipiente. Sed hæc mulier injussa non ex temeritate, sed ex charitate ac bona conscientia per indulgentiam purificata præsumens, caput angelis reverendum perunxit. Quid gloriosius hoc ministerio? Nempe a pedibus ad caput Christi ascendisse magna est gloria, sive quis per fidem veræ humanitatis ejus proficiat ad cognitionem Divinitatis ejus, sive per misericordiam eleemosynas ministrando minimis ipsius in terra positis appropinquet altitudini super cœlestis Divinitatis. Inter hujusmodi sancta ministeria si audiuntur detractiones falso justorum, Pharisæis consimilium, vel murmurationes discipulorum de perditione unguenti conquerentium, non potest non confundi vultus audientis et videntis contra se talia verba vel sputa jaculari. Sed ista confusio adducit gloriam, et excitat innocentium vel de peccatis pœnitentium cor ad orandum.

Ut autem exaudiatur attentius fusa oratio, interponitur precibus opprobrium, et subsannationum nonnunquam commemoratio *filiis Core* Deo dicentibus : *Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem et derisum his, qui in circuitu nostro sunt.* Possent esse vicini derisores nostri, sed ita pauci, ut licet *e vicino* urgerent subsannando, tamen dum hoc fieret ex latere uno, esset alibi locus diver-

Digitized by Google

tendi, et subsannationes eorum declinandi. Iterum possent esse *in circuitu nostro*, sed ita longinqui, ut in medio eorum esset locus respirandi. Sed cum pariter sunt et vicini et undique circumpositi, non est locus quoquam divertendi, nisi sursum ad te Deum altissimum, qui cum nobis intellectum *filiis Core* congruum in corde habere, atque ore depromere dedisti, tunc *nos posuisti opprobrium vicinis nostris*. Nam si inter eos tacuissemus, philosophi haberemur. Nunc autem quia te donante credimus, propter quod et loquimur, *posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem et derisum his, qui in circuitu nostro sunt. Posuisti nos in similitudinem gentibus, commotionem capitis in populis*, ut est supra expositum. Quandiu enim vel intellectum sanum non habui, vel habens eum non enuntiavi ego *filius Core*, tandiu fui gratus et acceptus *vicinis* meis *in circuitu* positis. At cum loquebar illis, impugnabant me gratis exprobrando, vituperando. Ideo *tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meæ cooperuit;* non dico *vultum* solum, quod esset utcunque tolerabile, sed *me* totum cooperuit : quia totus inhorrui.

A

B

Vers. 17. *A voce exprobrantis* crimina seu vera et emendata, seu per mendacium conficta. Inhorrui etiam a voce *obloquentis*, id est veritati contradicentis. *A voce* dico, quia vocis horrisonæ contra me tanta interdum fuit exsultatio, ut mihi videret audire clamantes : « Tolle, tolle, crucifige, crucifige (*Joan.* xix, 15). » Nonnunquam vero tantis vocem cachinnis intermiscuerunt, quando colaphos post tergum non videnti, vel palmas etiam in faciem exprobrationibus cædendo multiplicaverunt, ut mihi viderentur clamare : « Quis est, qui te percussit? (*Matth.* xxvi, 68.) » Sic enim colaphis a tergo cædebar, ut et contumelia inferretur, et auctor contumeliæ inlatæ interdum nesciretur.

C

Aliter : *Confusio faciei meæ cooperuit me a voce exprobrantis*, id est in faciem maledicentis, *et obloquentis*, id est eloquium meum dolose in absentia mordentis. Tolerabile fuit, quando amici obloquebantur indignantes mihi, eo quod ego velut alter Job tonso capite *filius Core* sedens in sterquilinio auderem loqui de summa Dei majestate, vel de altis principibus Ecclesiæ homo nullius excellentiæ. Sed cum insignis aliquis vituperator, vel disputator Eliu arroganti consimilis, totus inimicus, insurrexit contra me, quia talis volebat solummodo audiri, et non audire, vel si audivit, noluit acquiescere veritati auditæ seu intellectæ, tunc ultra modum, supra quam dici possit, *confusio* faciei meæ cooperuit me, non solum *a voce exprobrantis et obloquentis*, sed etiam *a facie inimici et persequentis*, a *facie* torva, stridore dentium tremore, labiorum, pallore seu rubore genarum, jactibus oculorum notabili et formidabili, etiamsi esset hæc facies amici per iram conturbati. Verum cum esset hujusmodi *facies inimici et persequentis*, *inimici* per odium inveteratum, *persequentis* per assiduum *Raca* vel alium latentis odii manifestum actum, quis enarrare valeat, quanta imminente mihi hac *facie* faciei meæ fuit confusio usque adeo gravata super me, ut operiret me : non tamen sicut illi operiuntur confusione, de quibus dicitur : « Operiantur sicut diploide confusione sua (*Psal.* cviii, 29). » Nam illos operit confusio duplex, per diploidem vestem duplicem significata, dum et intus confunduntur accusante conscientia, et foris perdita fama. Etenim licet ad tempus glorientur de bona fama, quibus inest mala conscientia, in proximo tamen est, ut de talium quolibet dicatur : « Ecce, jam fetet, quatriduanus enim est (*Joan.* xi, 39). » Quod idem est, ac si dicatur : Ecce merito fetet per infamiam, qui longa peccandi consuetudine mortuam, imo et putridam habet conscientiam. Ego autem, *filius Core*, per infamiam, et bonam famam regia via gradiens, nec de bona fama extollor, nec de mala deprimor. Et recte per infamiam nolo deprimi. Nihil enim mihi conscius sum de ullo crimine, quod non aut vitaverim Deo me protegente, aut eo medicante sic judicaverim, ut inde sperem non me denuo judicandum, quoniam præveniens faciem ejus in confessione, jam judicari me ipsum. Credo enim illi, qui dixit : « Si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur (*I Cor.* xi, 31). » Non autem extolli acquiesco per bonam famam, quia, licet sim judicatus, non tamen in hoc justificatus sum proprio judicio, quia neque me ipsum judico. Pro minimo est ergo mihi, si ab inimicis judicor aut ab humana die : atque ideo non operior sicut diploide confusione duplici, intus per malam conscientiam, foris per malam famam, sed sola *confusio faciei meæ cooperuit me*, non ab accusante conscientia, sed *a voce exprobrantis* et *obloquentis*, a facie *inimici et persequentis*.

D

Vers. 18. *Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te. Omnia* molesta et contraria superius enumerata *venerunt super nos*. Nullis ea criminibus vel magicis artibus, ut imponebatur nobis, ea meruimus vel attraximus. Ultro *venerunt* per se solo diabolo concitante ; sicut bestia rugiens aut torrens intolerabilis. *Venerunt autem super nos*, ut opprimerent, ac memoriam tuæ bonitatis Deus de cordibus nostris excuterent. Sed nos filii *Core* intelligentes non propter hujus mundi prospera, consequenda, vel adversa vitanda esse te colendum, gratis te coluimus inter prospera, *nec obliti sumus te* inter adversa. Inde namque patet, quod te coluimus gratis prosperitate rerum fluentium affluente, quia non dimisimus, *nec obliti sumus te* illa recedente et adversitate imminente. Si vir simplex et rectus Job te coluisset propterea, quia bona suscepit de manu tua, mala non sustinuisset patienter, neque te coluisset ac laudasset inter adversa. Similiter et nos, *filii Core*, gratis amore spontaneo inter prospera coluimus te, ideo nec inter adversa *obliti sumus te*, quia intelligimus colendum te non pro terrenis, sed pro te.

Inde autem constat, quod nec inter adversa ob-

Digitized by Google

liti sumus te, quia *inique non egimus in testamento tuo*, id est in lege tua, cujus præcepta servavimus, et promissa speravimus, quæ aliis quoque servanda et speranda prædicavimus inimicis obloquentibus et contradicentibus, nosque ob id ipsum persequentibus. Vel *inique non egimus in testamento tuo*, id est in illo pacto, quod tecum in baptismo pepigimus, ubi filii Novi Testamenti effecti sumus.

Vers. 19. *Et non recessit retro cor nostrum, et declinasti semitas nostras a via tua. Cor nostrum*, id est ratio et interioris hominis intentio *non recessit*, etsi homo exterior claudicavit ; *non recessit*, dico, sic, ut iret retro ad apostasiam, et quo ingressi sumus viam justitiæ in baptismo vel in arctioris vitæ proposito. *Non*, inquam, *recessit cor nostrum*, ex quo manu ad aratrum missa posteriora obliti ad anteriora nos extendere cœpimus. Intelleximus enim nos, *filii Core*, quod si non est aptus regno Dei, qui retro aspicit, ex quo viam rectitudinis cœpit ingredi : multo minus, qui non solum retro aspicit voluntate prava, sed etiam retro recedit gressibus actionis perversæ, aptus est regno Dei. Ideo *non recessit retro cor nostrum* vel ad crimina vel ad idola semel perfecte abnegata, etiamsi aliquando recessit cor nostrum secundum quod scriptum est : « Ibant animalia et revertebantur (*Ezech.* I, 14), » dum a contemplationis alto ad ima redierunt actionis ministeria, ut Petrus, accepto apostolatu, rediit ad piscationem, quotidieque sancti redeunt ab alta speculatione Patriæ cœlestis ad curam sui vel alieni corporis. Non est hoc retro recedere, sed in anteriora sic tendere, ut trahas infirmos comites post te. Ordinatus est iste incessus, quando mentes rationales trahente Deo ad alta gradientes non reliquunt membra infirma sibi adhærentia. Proinde *non recessit retro cor nostrum*, et cum redivimus a contemplatione ad actum postponendo interdum Rachel pulcherrimæ amplexus jucundos et admittendo Liæ fecundos.

Et inter hæc agendum tu *declinasti semitas nostras a via tua*, de lege tua nostras actiones pendere fecisti quasi rivos de fonte, quasi palmites de vite. Vel *via tua*, per quam venis ad homines, et homines veniunt ad te, Christus est, qui dicit : « Nemo venit ad Patrem, nisi per me (*Joan.* XIV, 6). » *De hac via tua declinasti semitas nostras*, quando exemplo illius docuisti nos ire per arctas et angustas vias. Licet enim sit una via arcta et angusta ducens ad vitam, tamen quoniam in ea alius sic, alius autem sic incedit, varias habet semitas arctas et angustas, in quibus revera nos posuisti.

Vers. 20. *Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis. Locus afflictionis* corpus est infirmum, quo gravati affligimur, vel mundus in maligno positus in quo, dum per malos affligimur, ad bonitatem quasi virga disciplinæ informamur. *Et cooperuit nos* insurgens undique *umbra mortis*, id est illi, qui per ignorantiam morientes nos ad suæ mortis tenebras trahunt. Vel præsens mortalitas est *umbra* duræ *mortis*, quæ est damnatio cum diabolo.

Super hunc locum beatus Gregorius in Job dicit : « Humiliasti nos in loco afflictionis, et operuit nos umbra mortis (109). Locus afflictionis est vita præsens. Qui ergo ad æternam patriam tendunt, nunc semetipsos temporaliter in afflictionis loco despiciunt, ut tunc in loco gaudii veraciter sublimentur. Electorum namque animas modo dies afflictionis possident, quia dies lætitiæ post sequuntur ; scriptum quippe est : Timenti Deum bene erit in extremis. Et rursum de Ecclesia dicitur : Ridebit in novissimo die. Nunc enim tempus afflictionis est bonis, ut sequatur eos exsultatio, quandoque sine tempore. » Sequitur : « Et operuit nos umbra mortis. » Quid hoc loco per umbram mortis, nisi mors carnis accipitur ? (110) « Quia sicut vera mors est, qua anima separatur a Deo, ita et umbra mortis, qua caro separatur ab anima. De hac itaque nunc voce martyrum Propheta dicit : *Humiliasti nos in loco afflictionis, et operuit nos umbra mortis.* Quos enim constat non spiritu, sed sola carne mori, nequaquam se vera morte, sed umbra mortis dicit operiri. »

Idem (111) : « Quid per umbram, quæ tamen cum adjectione mortis ponitur, nisi mors carnis exprimitur, vel quilibet reprobi, qui antiqui hostis tenebras studio pravæ operationis imitantur ? Unde voce martyrum per prophetam dicitur ? *Humiliasti nos in loco afflictionis, et operuit nos umbra mortis.* Quos enim constat non spiritu, sed sola carne emori, umbra mortis electos Dei opprimit, cum mors carnis, quæ imago mortis æternæ est ab hac eos vita disjungit, quia sicut illa a Deo animam, ita hæc ab anima separat corpus. Vel certe umbra mortis eos opprimit, quia de antiquo hoste scriptum est : *Nomen illi mors* (*Apoc.* VI, 8). Umbra ergo mortis sunt omnes reprobi, qui illius nequitiam elationis imitantur, ejusque imaginem quasi umbram exprimunt, dum ejus in se malitiæ similitudinem trahunt, qui electos Dei operiunt, dum contra illos in atrocitate persecutionis temporaliter convalescunt.

Vers. 21. *Si obliti sumus nomen Dei nostri, et si expandimus manus nostras ad Deum alienum, nonne Deus requiret ista ?* Supra diximus nos filii Core intellectum nostrum significando, quo intelligimus Deo serviendum gratis, nec a cultu ejus recedendum cessantibus prosperis et imminentibus adversis : Diximus, inquam : *Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, et inique non egimus in testamento tuo.* Iterum eundem intellectum replicamus dicendo : *Si obliti sumus nomen Dei nostri, et si expandimus manus nostras ad Deum alienum,*

Vers. 22. *Nonne Deus requiret ista ? Si* vel pro-

(109) S. Greg. M. lib. XXXVI Moral. c. 28.
(110) Idem, ibid. lib. III, cap. 16.
(111) Ibid. lib. XXXIII, cap. 3.

Digitized by Google

speris affluentibus per insolentiam, vel imminentibus adversis per impatientiam *obliti sumus nomen Dei nostri*, in quo salutem speramus, scientes non esse aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo sit ulla salus præter *nomen Dei nostri : Si hoc nomen obliti sumus, et si expandimus manus nostras ad Deum alienum*, id est si opera nostra, quæ significantur per *manus*, ad honorem alieni Dei fecimus : verbi gratia, Jovis, Mercurii, vel alterius falsi Dei, *nonne Deus requiret ista ?*

Aliter : Dum nos *filii Core* in memoria nostri Core in loco Calvariæ Crucifixi, oramus interdum vel missam canendo, ut ipse docuit, in sui commemorationem, vel absque missa intente orando crucem, qua in fronte signati sumus, gestu corporis totius repræsentamus, assidue *manus expandimus*. Hoc ergo si fecimus ad Deum alienum, sicut multi hæreticorum, *Nonne Deus requiret ista ?* Hæretici enim sibi Deum finxerunt, non qualis est, sed qualem ipsi voluerunt. Alii dicentes Filium Patre minorem, alii asserentes Christum Deum nostrum ante Mariam non exstitisse, alii phantasticum corpus eum dicentes habuisse, alii aliter de Deo vero non vera loquendo multa mendaciorum idola conflaverunt, quæ pro Deo vero coluerunt, quandiu talibus mendaciis irretiti *manus suas* orando *expanderunt*. Similiter qui evangelizant vel missas cantant, ut comedant, seu alios terrenos quæstus inde habeant, et ipsi *manus* suas *expandunt ad Deum alienum*, quia pro Deo vel potius pro idolo illis reputatur, quod plus Deo ab illis vel habendum desideratur, vel habitum diligitur : qui etiam orando, vel missas canendo non Deum verum colunt, sed illud lucrum caducum, quod in servitio divinitus instituto humanitus concupiscunt, commutantes gloriam Dei non jam in similitudinem vituli, comedentis fenum, quod esset peccatum Judaicum, sed in similitudines tot idolorum, quot in servitio Dei habent appetitus emolumentorum terrenorum similes gentibus ad simulacra muta, prout ducuntur, euntibus. Conceptio namque terreni lucri, verbi gratia, vestis pretiosæ, cibi delicati, auri et argenti, cum in principali appetitu est hominis orantis vel missam canentis, quasi quoddam simulacrum rebus forinsecis assimilatum statutum est in cordis oraculo, si tamen, ut dixi, principalis et finalis est orantis intentio ad illud lucrum foris obtinendum, cujus in corde habet simulacrum, scilicet ipsum intellectum de tali re conceptum.

Longe, longe sit iste intellectus a nobis *filiis Core*, quibus etsi obrepunt, hujusmodi simulacra in cogitationis forinseco vestibulo ! absit ut ea collocemus in intentionis intimo sanctuario, quin potius ea debemus confringere malleo pœnitentiæ, præcipue Beelzebub Deum muscarum, cui militant muscæ immundarum, vagarum et superbarum cogitationum, quæ inter orandum fortissime abiguntur per hunc *intellectum filiorum Core*, quo intelligunt non esse Deum colendum, nisi propter se. Hic namque *intellectus* hoc in eis operatur, ut quidquid eis orantibus in memoriam venit præter ipsum Deum et ea, quæ juvant ad colendum eum, continuo velut musca vel apes abigatur, et solus Deus in memoria teneatur, dum hoc versatur in corde, quod profertur ore. « Corde » namque « creditur ad justitiam, ore autem confessio, » vel oratio « fit ad salutem (*Rom.* x, 10). » Quæ autem est justitia vel salus nostra, nisi Deus noster ? Proin cum orantes hoc intendimus, ut in hac vita juste vivamus, et in æterna vita salutem plenam obtineamus, rectus est noster *intellectus*, qualem nobis *filiis Core* insinuat hic psalmus. Hujus ergo intellectus nobis conscii dicimus in bona fiducia : *si*, ex quo *filiorum Core intellectum* semel accepimus, *manus nostras expandimus ad Deum alienum, nonne Deus requiret ista ?* Ipse quippe contra talia simulacra se indicans habere magnum zelum dicit : « Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, et quæ in terra deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra : non adorabis ea, neque coles. Ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filiis in tertiam et quartam generationem eorum, qui oderunt me, et faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, et custodiunt præcepta mea (*Deut.* v, 7 et seqq.). » Qui ergo Deum fortem zelotem contra simulacra loquendo se nocinavit, *nonne* cum zelo magno *ista requiret, si expandimus manus nostras ad Deum alienum* more gentium simulacra muta colentium, vel more falsorum christianorum et hæreticorum seu Judæorum, de quorum simulacris jam dictum est ? *Nonne*, inquam, *requiret* ista, quantumlibet fiant in occulto ?

Ipse enim novit abscondita cordis. Ipse non habet opus, ut ei quis testimonium perhibeat de homine, quia *ipse novit*, quid sit in homine. *Ipse novit*, quis religionis et bonæ intentionis affectus maneat interius, quando labia moventur, manus expanduntur, genua flectuntur, vel totum corpus prosternitur exterius. *Novit quoque abscondita cordis* perfecte dignoscens, propter quam causam quisque *filiorum Core* agonizet in passione, approbans vel improbans qualitatem pœnæ secundum qualitatem causæ, quia non pœna, sed causa facit martyrem, neque purgatorium vel emendatorium est supplicium, quando inter pœnas placeat peccatum. Solummodo per veram innocentiam per fructuosam pœnitentiam inter tormenta servatam, venitur ad coronam martyrii propter justitiam illati. Propter justitiam dico vel innocentiæ vel pœnitentiæ, quæ utraque apparent in nostro *Core*, qui et in sua persona tenuit justitiam innocentiæ, quia « peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (*I Petr.* II, 22), » et pro nobis dolens, ac peccata nostra portans jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus, ac postea propter nos multis pœnitentiali-

Digitized by Google

bus afflictionibus usque ad crucis mortem se humiliavit. Nam « Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrorum, et disciplina pacis nostræ super eum (*Isa.* LIII, 5). Propterea persecuti sunt eum Judæi, quia et innocentiam servavit, et pœnitentiam verbo et exemplo docuit. Qua doctrina dicebant eum commovere populum : Hunc, aiunt, « invenimus subvertentem gentem nostram (*Luc.* XXIII, 2). » Item : « Commovet populum docens per universam Judæam incipiens a Galilæa usque huc (*ibid.*). » Qui ergo servare intendit innocentiam et pœnitentiam, quam Christus verbo et exemplo monstravit, atque ob hoc adversa patitur, hic similitudini passionis Christi complantatur, atque ideo similitudini quoque resurrectionis complantabitur, quia « si compatimur, » ait apostolus, « et conregnabimus : si commorimur, et convivemus (*II Tim.* II, 11). »

Aliud est pati, aliud Christo compati. Non omnis, qui adversa patitur, Christo compatitur, neque omnis, qui moritur, Christo commoritur. Multi adversa patiuntur, sed beati soli, qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Omnes quidem dormiemus, et moriemur, sed beati mortui, qui in Domino moriuntur : nam solos eos, qui dormierunt per Jesum, adducet Deus cum eo. Patiuntur innocentes, ut Christus innocens. Patiuntur pœnitentes, ut latro confessus et pœnitens. Patiuntur et impœnitentes, ut latro blasphemus. Cum ergo tanta sit diversitas adversa sustinentium, et secundum solas causas pensetur passionis utilitas vel inutilitas, nos *filii Core* optimam partem de omnibus causis nobis elegimus, *quoniam propter te mortificamur tota die*, Deus noster. Tu, qui nosti abscondita cordis, tu scis quia amamus te. Nam etsi non verbis interrogas unumquemque nostrum sicut Petrum dicens : « Amas me ? » tamen rebus interrogas nos, an diligamus te, dicitque nostrum quisque tibi : « Amo te (*Joan.* XXI, 17). » Unde sicut Petrus in argumentum tui amoris audivit se ab alio cingendum et ducendum, quo nollet, significante te hoc sibi sermone, qua morte clarificaturus esset te : ita et nos in argumentum certi amoris habemus causam, pro qua patimur, quoniam *propter te mortificamur tota die : propter te* in mundo notificandum et clarificandum vel spontanea carnis mortificatione vel alio nos cingente ac ducente, quo nolumus. *Propter te mortificamur tota die*, id est longa et diuturna passione. Quando etiam per obedientiæ mandatum cingimur, ab alio ducimur, quo nolumus, quia voluntatem nostram frangendo abscondita cordis holocausta mactamus. recte in cruce tua gloriamur, *quoniam propter te mortificamur tota die* obedientiæ, ut non tenebræ nos comprehendant inobedientiæ.

Magnus et rarus est e numero nostro, qui ad hoc inveniatur idoneus, ut dicatur ei tertio : « si diligis me, pasce agnos, » vel « oves meas (*Joan.* XXI, 15). » Attamen etsi non omnes ovium pastores, universi procul dubio filii *Core* sumus oves pascuæ tuæ, atque ab inimicis tuis *æstimati sumus sicut oves occisionis*. Unde jam de cæde nostra maduerunt campi, respersa sunt ovilia sanguine nostro, dum pariter interficimur nos oves cum pastoribus nullo resistente vel auxilium ferente. Ne igitur inter pericula ista pereamus, ne navim nostram te dormiente absorbeat fluctus aquilone flante contra nos concitatus.

VERS. 23. *Exsurge quare obdormis, Domine ? Exsurge, et ne repellas in finem. Exsurge* ad confortandum stantes, ne cadant. *Exsurge* ad erigendum eos, qui ceciderunt. Vel *exsurge* ut imperes ventis, magnis videlicet, spiritibus. Item *exsurge*, ut imperes mari, hoc est amaris hominum cordibus. Te dormiente magna tempestas inhorruit tentantibus immundis et malignis spiritibus, quorum afflatus est nobis contrarius ventus. Mare quoque tali vento agitatum contra nos intumuit, qu'a totus mundus in maligno positus mirabiles elationes ac despumationes ad opprimendum nos jactat, nunc in faciem nostram, nunc super caput quando non solum a coæqualibus, verum etiam a magnis mundi principibus infestamur.

Inter hujus mundi pericula *quare obdormis, Domine ?* In temetipso non dormitabis, neque dormies, qui custodis Israel, sed nobis *dormis*, quando in tribulatione non succurris; *dormis*, quando ad te clamantes non cito audis. Quomodo enim qui dormit, vocatus non cito respondet, neque animadvertit, quod ei dicitur, nisi primo evigilet : sic tu aliquando peccatis exigentibus in teipso vigilans *dormis* nobis, quia non demonstras te videre tribulationes, vel audire preces nostras. Equidem juste : nam digna factis recipimus, et in omnibus quæ patimur, justum judicium tuum recognoscimus. Attamen quia interdum latet, qua de causa flagellemur, indica nobis, cur nos ita judices ? Si, ut virtus in infirmitate perficiatur, hoc indica, quatenus libenter gloriemur in infirmitatibus nostris, et sufficiat nobis gratia tua. Si, ut purges peccata, et hoc manifesta, ne a tuo judicio discordet nostra sententia, sed cito concordans nos justificet ac lætificet. Si ad exercendum patientiam, cito eam in nobis consumma, ut, sicut beato Job fecisti, reddas nobis omnia, quæ machinante Satana sunt ablata. Si pro gloria tua manifestanda, quod neque nos, neque parentes nostri meruimus, immisisti per angelos malos pondus afflictionis, et hoc nobis indica, ut sicut novimus absque dubio te nobis obdormivisse, ita quoque indubitanter cognoscamus causam talis obdormitionis tuæ, qua non solum tanquam « dormiens crapulatus a vino (*Psal.* LXXVII, 65) soporatus es nobis alto somno, sed etiam cum te precibus excitare molimur, et parumper evigilare incipis dando nobis modicum quid salubris compunctionis, id ipsum cito subtrahendo faciem tuam avertis more potentis, amplius dormire volentis, precesque se pulsantium et excitan-

Digitized by Google

tium suæ faciei aversione repellentis. O Deus noster, quare sic obdormis, et

VERS. 24. *Quare sic faciem tuam avertis?* Nonne olim patribus nostris afflictis ultro excitatus es tanquam potens crapulatus a vino, et percussisti inimicos eorum in posteriora, opprobrium sempiternum dans illis? *Quare* ergo nunc ita obdormis, et sic *faciem tuam avertis* a nobis, atque ad parietem peccatorum nostrorum convertis quasi penitus excitari nolis? Averte faciem tuam, quæsumus, a peccatis nostris, et ne avertas eam a nobis. Hoc assidue clamamus; et tamen tu *avertis faciem tuam* a nobis, et non a peccatis nostris. Quare hoc facis, Domine, qui nihil facis injuste? *Quare obdormis*, cum *oblivisceris inopiæ nostræ et tribulationis nostræ?* Inopiam grandem sustinemus, qui opes mundanas aut inviti amisimus, aut volentes propter te dimisimus, vel acquirere noluimus et nolumus, atque in tanta inopia te, qui suscitas a terra inopem, et de stercore erigis pauperem, non sentimus nobis clementem, sed *oblivisceris inopiæ nostræ*, qui ope tua et humana destituimur, *et tribulationis* nostræ, qua nos affligunt hostes nostri et tui. Ergo tandem exsurge perficiendo virtutem, propter quam in infirmitate perficiendam colaphizas. *Exsurge* dimittendo peccatum, propter quod expurgandum flagellas. *Exsurge* consummando patientiam in tribulatione, secundum quod apostolus ait: « Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit (*Rom.* v, 3). » *Exsurge* manifestando gloriam tuam, si infirmitas nostra non est ad mortem, sed pro gloria tua manifestanda, ut infirmitas Lazari fuit. Quomodocunque se habeat causa, pro qua nobis obdormiens, et faciem tuam avertens *oblivisceris inopiæ nostræ et tribulationis nostræ*, nunc tandem *exsurge, et ne repellas in finem*, sed da nobis patientiam, de qua dicitur: « Patientia pauperum non peribit in finem (*Psal.* IX, 19), » ut, etsi tribulandi sumus justo judicio tuo usque ad mortem tibi complantari, qui dixisti: « Tristis es anima mea usque ad mortem (*Matth.* XXVI, 38), » non tamen tribulemur vel tristemur post mortem.

Aliter: Nobis *filiis Core* jam peracta est resurrectio, quia credimus et sentimus te, Christe, mortuum propter delicta nostra mortificanda, et resurrexisse propter justificationem nostram suscitandam, ac proinde nobis mortuus es, nobis etiam resurrexisti. Sed illis, qui nos tribulant, nondum resurrexisti, quia mortuum quidem ac sepultum non contradicunt, sed te hominem resurrexisse, ac super omnia una cum Patre Deo regnare minime acquiescunt, dum nos famulos tuos a te non magis audiri sentiunt, quam si dormias aut mortuus jaceas: *Exsurge* igitur, id est ostende te pastorem bonum, licet pro tuis ovibus occisum victa morte surrexisse, ac super nos oves tuas jugiter vigilare. Demonstra inimicis, quoniam quos illi mactare intendunt sicut oves occisionis, ut nullus de nobis proveniat fructus, tu, pastor bone, qui pro grege tuo mori dignatus es, ita procuras, ut licet facultatibus detonsæ ascenderimus de lavacro baptismi seu lacrymarum, tamen non est in nobis sterilis, imo sumus oves pascuæ tuæ omnes gemellis fetibus, dum et in hac vita centuplam cum persecutionibus accipimus utilitatem rerum prætereuntium, et in futuro vitam æternam exspectamus. Hoc manifestando inimicis *exsurge*, ne te putent omnino sic dormire, ut non cures de nobis ovibus tuis. Hoc persentiant in gemellis fetibus nostris, quod non sumus, ut illi putant, *oves occisionis* tantum et non resurrectionis; dum sub te pastore a mortuis resuscitato et ultra non morituro habemus et nunc fructum nostrum in sanctificatione, finem vero vitam æternam. Hoc apud illos ideo non creditur,

VERS. 25. *Quoniam* nunc avertente te faciem tuam *humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster. Anima nostra*, cum sit spiritus rationalis, et solis deberet intendere cœlestibus illuminante illam veritatis agnitione atque inflammante virtutis amore, in lumine vultus tui, sol justitiæ, nunc subtracta tui visione, aversa facie tua, *humiliata est in pulvere*, id est in terrenis cogitationibus, quæ *pulveri* comparantur: *et venter noster conglutinatus est in terra*, quia sensualitas, ob mollitiem ventri comparata, penitus adhæsit *in terra*.

Aliter: *Anima nostra*, id est vita nostra per animam significata ut ibi: « qui amat animam suam, perdet eam (*Joan.* XII, 25), » *anima*, inquam, *nostra humiliata est in pulvere*, quia vita nostra inveteravit inter omnes inimicos suos impios, qui sunt tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ. *Conglutinatus est* vel adhæsit *in terra venter noster*. Sicut venter corporis cibos excipit, qui per os intrant, sic memoria quasi *venter* animæ visa, audita, gustata, odorata, tractata servat apud se. Sed cum cœlestium penitus oblita, sola versat apud se terrena, tunc adhæret *in terra venter noster, conglutinatus* quasi tenacissimo glutine in hujus mundi pice, quam qui tetigerit, inquinabitur, quanto magis, qui eidem conglutinatus diu in ea tenetur?

Aliter: *Humiliata est in pulvere anima nostra*, id est illi, quia spiritales et membrorum carnalium rectores et vivificatores esse deberent, humiliati sunt *in pulvere*, in eorum videlicet societate, qui sunt pulvis, dum idem dicti rectores non excutiunt « pulverem pedum (*Luc.* IX, 5) » secundum præceptum evangelicum illis in testimonium, qui non recipiunt eos et verbum Dei per eos evangelizatum, sed in medio populi polluti sic habitant, ut non solum pedes pulvere fœdatos, sed etiam labia per taciturnitatem polluta inveniatur habere, dum nolunt arguere, quæ arguenda intelligunt. *Venter* autem *noster adhæsit in terra*, quia hi, qui omnino in societate nostra erant carnales, intelligentiæ spiritualis minime capaces adhæserunt sive

Digitized by Google

conglutinati sunt *in terra* non solo pulvere terrenitatis respersi ut spiritales per *animam* significati, sed ex toto affectu et consensu inhærentes pravorum terrenitati aut eos imitando aut eis assentando.

Aliter : Anima nostra recordatione peccatorum *humiliata est in pulvere*, aut visibiliter in signum pœnitentiæ super caput sparso, aut invisibiliter menti, quæ caput est animæ, imposito per illius recordationem sententiæ, qua dictum est primo peccatori homini : « Pulvis es, et in pulverem reverteris (*Gen.* III, 19). » Hanc sententiam nobis hæreditariam quoties mente retinemus, quasi pulverem super caput habemus, et ideo vere dicimus : *Humiliata est in pulvere anima nostra*, de illius elationis vulnere medicata per pulverem, qua se incaute sursum extulerat ad Dei similitudinem dicente diabolo : *Eritis sicut dii scientes bonum, et malum* (*Gen.* III, 5). Ut ergo humilitas animæ interior per corporis exteriorem gestum decenter exprimatur, *adhæsit in terra venter noster*, quo humiliationis gestu non est major. Qui enim caput inclinat, vel genua flectit in terram, habet, quo plus humiliet corpus suum. Cum autem venter ejus adhæret terræ, non se potest ultra humiliare, salubriterque jacet, vel sedet in sterquilinio, si humilitas corpore ostensa regnat intus in animo : sic jacenti non dormit Dominus, nec ab eo avertit faciem suam. Unde non dicit nunc, ut supra : *Exsurge, quare obdormis, Domine, quare avertis faciem tuam*, sed absque mentione dormitionis et aversionis pœnitentes *filii Core* humiles, et humiliati per jam commemoratas afflictiones dicunt in orationibus suis :

Vers. 26. *Exsurge, Domine, adjuva nos, et redime nos propter nomen tuum. Exsurge*, id est resurrectionis tuæ gratiam et gloriam in nobis ostende, ut non solum dicamur et simus *filii Core* per imitationem passionis tuæ, sed simus quoque ac dicamur filii resurrectionis tuæ, complantati videlicet similitudini tuæ resurrectionis comedendo favum mellis, ut fuimus complantati similitudini passionis comedendo partem piscis assi. Tunc bibendo amaritudinis acetum seu vinum cum felle mistum potum nostrum cum fletu temperavimus, et cinerem tanquam panem manducavimus, quia saturati opprobriis amaris parum vel nihil inter hæc omnia dulcedinis habuimus, quando repleti et inebriati sumus amaritudinibus. Nunc autem quasi transacto parasceve, imminente jam nobis paschali solemnitate, orto jam sole, audiat Maria plorans ad monumentum : « Noli flere (*Joan.* XX, 15). » Imo audiat Ecclesia de gentibus collecta, qualiter consolata est Maria, qualiter gavisi sunt discipuli viso Domino, ut et ipsa consolatione accepta cum discipulis gaudeat bibens vinum lætificans cor hominis nunc in regno; regnante videlicet in se Christo, et tota tristitia ejus vertatur in gaudium, et gaudium ejus nemo tollat ab ea. Cujus filiis adhuc in vita præsenti peregrinantibus, cum reliquiæ piscis assi, A quem ipsa plenarie in tempore persecutionis cum Christo comedit, apponuntur, non diffidant de auxilio divino, sed confidenter dicant : *Exsurge, Domine, adjuva nos*, quod etiam fecisti surgendo, et imperando ventis et mari, ita ut facta sit nobis tranquillitas magna pace data Ecclesiis, et his, qui terræ adhæserant, elevatis, juxta illud : « Elevare, elevare, Jerusalem, excutere de pulvere, solve vincula colli tui (*Isa.* LII, 2). » Dicant ergo hujus Jerusalem filii, pacis visione lætificati : *Exsurge, Domine, adjuva nos* in bonis alacriter quærendis ac firmiter tenendis, *et redime nos* a malis, ut per adjutorium tuum beatissime fruamur bonis, et per virtutem redemptionis tuæ liberi simus a malis. *Adjuva et redime nos*, dicimus, *propter nomen tuum.* Non enim B in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis, per quas tu nominatus et inclytus haberis.

Hunc sensum veritas Hebraica insinuat, in qua sic legitur : *Quoniam incurvata est in pulvere anima nostra, adhæsit in terra venter noster : surge auxiliare vobis, et redime nos propter misericordiam tuam.* Sive igitur *misericordiam tuam*, sive *nomen* tuum Domine ostendamus, cum te adjutorem et liberatorem invocamus, palam est, quod non in meritis nostris, sed *in misericordia tua* sive *in nomine tuo*, Salvator et miserator, speramus, cui aliquoties ore, multoties cordis dicimus : *Exsurge, Domine, adjuva nos, et redime nos propter nomen* C *tuum*, sive *propter misericordiam tuam.*

Gloria Patri Deo, de quo *auribus nostris audivimus*, de quo *patres nostri annuntiaverunt nobis*, ut in principio psalmi commemoratum est. *Gloria Filio* Deo adjutori et redemptori nostro, cui dicimus in fine psalmi : *Exsurge, Domine, adjuva nos et redime nos propter nomen tuum*, sive *propter misericordiam tuam. Gloria Spiritui sancto*, qui est illa misericordia, quæ in fine psalmi secundum Hebraicam veritatem est commemorata, quæque per *nomen* Dei in aliis translationibus est notata. *Gloria* summæ Trinitati, quæ tota notatur, ubi de Patribus dicitur, quod *brachium eorum non salvavit eos, sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis.* Cui enim dicitur : *Dextera tua,* D *et brachium tuum et illuminatio vultus tui*, Deus Pater *est* : ipsa vero *dextera, brachium et vultus ejus* Filius ejus est : *illuminatio* autem *vultus ejus* intelligitur Spiritus sanctus, de quo ipse dicit : « ille me glorificabit (*Joan.* XVI, 14). » Gloria ista sit nunc et semper, et in sæcula sæculorum. *Sicut erat in principio*, ut in principio prædestinata erat salus nostra, et redemptio, sic exhibeatur nunc in affectu manifesti adjutorii, per quod evidenter apparcat. Dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui : *Dextera tua* nos a sinistris hædis evidentissime discernens *atque* amplexans, ut, in Canticis canticorum dicit sponsa : « Et dextera tua amplexabitur me (*Cant.* II, 6) : » *Brachium tuum* dispergens inimicos superbos mente cordis

Digitized by Google

sui, deponens potentes de sede et exaltans humiles, esurientes implens bonis, et divites dimittens inanes. *Illuminatio vultus tui*, qua insigniti valeamus dicere : « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, dedisti lætitiam in corde meo (*Psal.* IV, 7). » Amen.

PARS QUINTA.

PSALMUS XLIV.

Eructavit cor meum verbum bonum. Hic psalmus de sancti nuptiis, de sponso et sponsa, de rege et plebe, de Salvatore et salvandis. Hoc canticum *Epithalamium*, id est laus thalami notatur, quia sponso cœlesti et sponsæ Ecclesiæ a vocatis ad nuptias offertur. De hoc cantico Salomon materiam scribendi Cantica canticorum sumpsisse traditur. Tres nuptiæ Domini leguntur. Inprimis nuptias cum hominibus fecit, quando de cœlo veniens humanam naturam Deitati copulavit. In his nuptiis virginis uterus thalamus fuit, de quo tanquam sponsus processit. Secundo nuptias cum angelis celebravit, quando novus homo ad cœlos veniens angelicam multitudinem sibi sociavit. Tertio nuptias cum angelis et hominibus celebrabit, quando Ecclesiam, de Babylonia mundi in cœlestem Jerusalem eductam suæ gloriæ copulabit, et se ipsum eis, ut est, Patri æqualis manifestabit. De primis nuptiis scriptum est : « Quidam rex fecit nuptias filio suo (*Matth.* XXII, 2). De secundis dicitur : « Vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis (*Luc.* XII, 36). » De tertiis dicitur vel scribitur : « Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias (*Matth.* XXV, 10). » De his iterum dicitur : « Beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt (*Apoc.* XIX, 9). » In his nuptiis angelorum lyræ dulce jubilant, tympana prophetarum sancta exsultatione conclamant, in his apostolorum organa dulcissima societate resultant, in his martyrum citharæ non chordis, sed virtutibus consonant, in his virginum cymbala concrepant, in his sanctorum populus fistulis spiritualibus, omnium electorum chorus dulcisonis vocibus gratissima modulatione auditum permulcet. In his talis musica geritur, per quam cuncta humana lætitia vincatur. Ergo dum quidam fontes aquarum ut cervus sitibundus peteret, et admirabile tabernaculum pertransiens quaquaversum Deum quæreret, audiens sonoritatem hujus concentus foras cucurrit, aliis in strepitu et tumultu positis nuntiavit. Et dum quidam tepidius agerent, illucque tantum orando venire optarent, martyres moram non ferentes elevato vexillo in locum certamimis catervatim perruperunt, ac potita victoria amicti stolis albis, id est veste nuptiali, palmis et coronis redimiti has nuptias violenter intraverunt, ac triumphale carmen a feste celebrantibus promeruerunt. Unde titulus psalmi est :

VERS. 1. IN FINEM PRO HIS QUI COMMUTABUNTUR FILIIS CORE AD INTELLECTUM, CANTICUM PRO DILECTO.

Id est hoc *Canticum* nuptiale proponitur *filiis Core*, id est imitatoribus Christi, *ad intellectum*, hoc est, ut intelligant arcana, quæ sunt in eo de ineffabili genitura Filii Dei, de speciositate humanitatis, de admirabili copulatione. Ipsius et Ecclesiæ, de decore Ecclesiæ, quod *Canticum* est habitum *pro his, qui commutabuntur* de infidelitate ad fidem, de impietate ad justitiam, de quibus in priori psalmo dicitur : *Non fuit multitudo in commutationibus eorum*, vel qui de mortalitate, de tristitia hujus mundi in gaudium sempiternum commutabuntur *in finem*, id est imperfectam commutationem, in angelorum æqualitatem de omnibus miseriis ad perfectam gloriam, et *pro dilecto* Patris nostro et Ecclesiæ, dilecto sponso. Ideo vocatur iste psalmus *canticum*, quia tractat de conjunctione sponsi sponsæ, ubi tantum summa jucunditas est ; sicut et in sæcularibus nuptiis nulla tristitia, sed tantum lætitia est.

Materia psalmi est sponsus et sponsa et vocati ad nuptias, Christus et Ecclesia et omnes electi vocati ad æternas epulas. Intentio est nos monere, ut vestem nuptialem nobis provideamus, quatenus his nuptiis interesse queamus. Verba videntur sumpta de David, quando Salomonem in regnum constituit, cui regi opera sua de ædificando templo dixit, cui a dextris regina Saba Beroia nomine stetit, quæ de finibus terræ audire Sapientiam Salomonis venit.

Psalmus habet duas partes : Unam, *Eructavit cor meum*, quæ continet laudes sponsi quatuor modis : a forma, a potestate, a causa judicii, a persona sponsæ, alteram, *Audi, filia*, quæ continet laudes sponsæ quatuor modis : a specie, a potentia, a membris, a prole.

Hic psalmus est in ordine quadragesimus quartus, quod sunt sexies septem et duo. Per senarium activi propter laborem sex operum Evangelii, per septenarium contemplativi propter requiem septiformis Spiritus designantur, per binarium vero geminæ dilectio, quæ est vestis nuptialis, notatur. Ideo igitur hic numerus, quod activi dilectione proximi

Digitized by Google

et contemplativi dilectione Dei vestiti admittuntur nuptiis Agni. Vox est Patris :.

VERS. 2. *Eructavit cor meum verbum bonum.* Satietas stomachi procreat eructationem corporis ; plenitudo vero sapientiæ generat eructationem cordis. Deum de corde eructare est de plenitudine Divinitatis Filium sibi æqualem generare; per hoc sponsi nobilitas prædicatur, cum a summo Deo genitus memoratur. Verbum componitur a *ver et bombo*, dum illud significat, quod loquimur. Dum vero significat Dei Filium, componitur a *vere et bono*, et dicitur *Verbum*, quasi *vere bonum*. Illud *Verbum bonum* cor Patris eructavit, dum ipsum summum, et verum bonum Filium de se genuit. De hoc *Verbo* scribitur » In principio erat verbum (*Job.* I, 1), » hoc est, Filius in Patre.

Quæritur qua similitudine Filius Dei *Verbum* dicatur. Tribus modis fit verbum, ore, corde, mente. Verbum oris est sonus litteralis, ut homo ; verbum cordis est similitudo soni homo; Verbum mentis est intellecta substantia homo : omne quod facere volumus, prius verbo mentis dicimus, dum facienda cogitatione disponimus. Et quamcunque rem cogitamus, ejus similitudinem in mente imaginamur. cum ergo veritas se tatem, qualis est, dixit, tunc *Verbum* sibi simile genuit. Et ideo Filius et *Verbum* et imago et similitudo Dei dicitur.

Item quæritur, cum Pater, *Verbum*, Spiritus sanctus sit una individua essentia, quomodo solum *Verbum* sit incarnatum? In una anima est intellectus, consilium, voluntas. Intellectus quasi Pater gignit consilium quasi prolem, ex utroque procedit voluntas. Consilium autem est verbum, quia, cum consilium cogitamus, mente illud dicimus, cum aliis illud notificamus, tunc ore dicimus. Itaque verbum consilii in intellectu manens invisibile, ut aliis appareat visibile, corpus vocis induit, et ad aures, cum dicitur audibile ; ad oculos, cum scribitur visibile procedit. Sicut ergo nec intellectus, nec voluntas, sed solum consilium vel verbum corpore vocis indutum procedit, sic nec Pater, nec Spiritus sanctus, sed solius Filius, quod est *Verbum* Dei, indutus hominibus apparuit, et a Patre non recessit. Inde scriptum est : « Verbum caro factum est (*Job.* I, 14), id est hominem induit. Et quia Pater in hoc *Verbo* cuncta fecit, sicut scribitur : « Omnia per ipsum facta sunt (*ibid.* 3), *per Patrem* subditur : *dico ego opera mea regi*. Filius proprie *rex* dicitur, quia Pater per eum omnia regit, quæ creavit. Unde ipse dicit : « Ego autem constitutus sum rex ab eo (*Psal.* II, 6). Huic *regi* Pater *opera* sua dixit, dum in sapientia Filii omnia facienda ab æterno disposuit. Unde scribitur : « Quod factum est in ipso, vita erat (*Job.* I, 3). « quia sicut ædificium prius est in artificis ingenio, sic omnis creatura, antequam creatur, erat disposita in Filio. Cuncta etenim quæ fecit Deus, non extra se, sed intra se videt. Nos vero quæ facimus ad exemplum extra visorum facimus, dum omnia per ipsum facta narrantur. Vel Deus Pater dicit : *Eructavit cor meum verbum bonum*, id est nobilem Filium genui ; et Ecclesia subjungit : *Dico ego opera mea regi*, hoc est *opera* fidei notifico per dilectionem Filio tuo meo *regi*. Superiora sunt de æternitate *Verbi*, et archetypo mundo : sequitur Pater de senili mundo.

Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Similitudo trahitur a scriptore, qui scribendo facit visibile, quod occultum latebat in corde. Sic Pater per Filium invisibili creatione protulit quidquid invisibili sapientia faciendum disposuit. Per *linguam*, quæ latens consilium profert, jussio Patris intelligitur, qua dixit, et facta sunt, mandavit, et creata sunt. Per *calamum*, per quem scribitur quod mente concipitur, Filius accipitur, per quem est visibiliter prolatum quod in mente Dei per conceptionem fuerat formatum. Per *scribam*, qui scribenda dictat, Spiritus sanctus denotatur, per quem omnibus creandis genera, species, formæ, ornatus dantur.

Hic in genituram mundi Trinitas notatur. Dicitur ergo : *Lingua mea calamus scribæ*, hoc est sicut *scriba* per *calamum* profert quæ dictat, ita ego per *Verbum* meum cuncta, quæ concepi, protuli, et per Spiritum formis et figuris ornavi. *Velociter scribentis.* Hoc est cito cogitata proferentis. Nullus tam cito scribit, quin mora in scribendo sit. Per velocitatem ipsa velocitas exprimitur, qua cuncta sine mora creantur. Nam in momento sunt omnia creata, quæ in *Verbo* Dei erant vita. Hic velocitas sponsi prædicatur. Jam machina mundi creata, et quasi domo convivii præparata procedit sponsus,

VERS. 3. *Speciosus forma præ filiis hominum.* Vox est Spiritus sancti de Christo. Et quare non dixit : *Speciosus forma præ angelis?* Quia de humanitate Christi hoc dicit, quæ *formam* habuit, angeli enim formam non habent : quod autem de Christo dicitur : « Qui cum in forma Dei esset (*Philipp.* II, 6), æqualitas Patris notatur, quia in Deo nulla forma cognoscitur. *Speciosus* dicitur, qui habet pulchram conjunctionem membrorum ; formosus, qui habet pulchrum colorem. Formum (112) quippe est ferrum, quod in igne candens rubet : inde denominatur *formosus* venusto vultu rubens.

Sed quæritur, cum propheta dicat : « Vidimus eum non habentem speciem neque decorem (*Isa.* XLIII, 2), » quomodo hic dicatur *speciosus forma præ filiis hominum.* Illud propheta sub persona Judæorum dixit, qui eum in Passione despectum habebant; istud autem de naturali ejus forma dicitur, quia talis naturaliter fuit, qualis in monte apparuit. Sed quia infirmus humanus visus claritatem vultus ejus ferre non potuit, talem se præbuit, qualis ab hominibus videri potuit. Nec hoc mirum de illo, qui peccatum non fecit, cum etiam de Moyse legatur, quod a colloquio angeli facies ejus resplenduit,

(112) Ita codex.

Digitized by Google

et populus in faciem ejus intendere non potuit. Unde et velum ante se suspendit. Sed quæritur, cum Dominus justis splendorem solis in resurrectione repromittat, cur ipse post resurrectionem ut sol non fulserit. Splendidior utique, quam sol in corpore fuit : sed, ut dictum est, humana infirmitas hanc gloriam videre non potuit, et ideo solitam formam suis exhibuit.

Sponsus ingrediens osculatus est sponsam, quod jam diu desideravit dicens : « Osculatur me osculo oris sui (*Cant.* I, 1). » Quæ dulcedinem osculi sentiens clamat exsultans : *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Plenitudo *gratiæ* est a Spiritu sancto labiis Christi infusa, sed a labiis ejus humano generi effusa, quando remissionem prædicavit et pacem. De hac *gratia* scribitur : *Unguentum effusum nomen tuum.* Unde in Hebræo legitur : « *Effusa est gratia in labiis ejus* (*ibid.*, V, 3). » Venit enim ad nos cum verbo *gratiæ* et osculo pacis. *Propterea*, hoc est propter illam gratiam, qua promittis regnum cœlorum, quod non transit, sed permanet. *Benedixit te*, speciosum, *Deus* Pater *in æternum*. Per te enim credentibus in se benedicet, quando dices in judicio : « Venite, benedicti Patris mei, possidete præparatum regnum (*Matth.* XXV, 34) : » et hæc benedictio manebit *in æternum*. Quæ sequuntur, possunt esse verba Patris ad Filium ; sed proprie sunt Spiritus sancti in persona vocati populi ad nuptias laudantis sponsum.

VERS. 4. *Accingere gladium tuum* (113) *super femur tuum, potentissime.* Metaphora a bellatore trahitur, qui dimicaturus *gladio* accingitur. *Gladius* est Christi anima, qua diabolum trucidavit. *Gladius* est etiam sermo prædicationis, quo mundum rebellem expugnavit. De hoc in Canticis scribitur : « Uniuscujusque ensis super femur suum (*Cant.* III, 8). Per *femur* assumpta humanitas notatur, quæ de femore Abrahæ generatur. Unde historia hic tangitur, quando Abraham servum suum sub femore jurare jussit, quod erat super circumcisum membrum, quod Abraham sanctum computavit, quia a Deo circumcisionem accepit, et quia Christum de hoc membro processurum cognovit (*Gen.* XXIV). Et nota, quod servus pro nuptiis Isaac et Rebeccæ juravit, quod Christi et Ecclesiæ copulam prætulit. O nomen *potentissime* omnium, qui jam speciosus tanquam sponsus de thalamo processisti, sponsæ osculum præbuisti, quando humanam naturam in Deitatem assumpsisti, *Accingere gladio* prædicationis, et notifica mundo mysterium tuæ incarnationis, et aggredere ense tyrannum, qui invasit regnum tuum, et hoc fac *potentissime*, id est valde potenter.

VERS. 5. *Specie tua et pulchritudine tua intende prospere, procede et regna.* Hoc est tractum a David, qui pulcher et decora facie fuit, qui populum cum Saul in procinctu belli afflictum *intendit*, *prospere* adversus Goliam *processit* quo prostrato *regnavit*. Sic Christus præ filiis hominum speciosus populum afflictum misericorditer *intendit*, id est aspexit, adversus diabolum *prospere* processit, quo devicto in Ecclesia *regnavit*. *Species* ad humanitatem, *pulchritudo* pertinet ad divinitatem. Unde dicitur in Canticis : « Species ejus ut cedri, electus ut Libani (114), *guttur ejus suavissimum, et totus desiderabilis* (*Cant.* V, 15). » Porro sic continuatur. Qui accinctus gladio es speciosus et pulcher, id est qui incarnatus es in humanitate absque peccati macula, pulcher in divinitate Patris gloria : hac *specie* et hac *pulchritudine intende*, hoc est humanum genus aspice, ad populum contra sævum hostem *prospere procede*, et eo superato in nobis regna.

Propter veritatem, quam doces, *et mansuetudinem*, qua adversa patienter sustines, *et justitiam*, qua bona operaris et nos justificas : *et deducet te mirabiliter dextera tua*, hoc est potentia tua extendet te in amplitudinem regni per miracula, *et deducet te* in latitudinem cœli. Per ista laudatur fortitudo sponsi et pulchritudo. Nunc prædicatio ejus vel militum efficacia magnificatur.

VERS. 6. *Sagittæ tuæ acutæ*, hoc est sententiæ tuæ sunt efficaces, corda penetrantes : per has deduceris in latitudinem mundi. Superius dixit *gladium*, nunc dicit *sagittas*. Gladio cominus pugnatur, *sagittæ* longius mittuntur. Gladius erat ipsius prædicatio, qua caput malorum diabolum transfixit ; *sagittæ* erant apostoli, quos longe in orbem misit, et corda infidelium cuspide compunctionis sauciavit. Unde sequitur : *populi sub te cadent*. Hoc est omnes populi subdentur tibi, et adorabunt te. Ubi *cadent*? *in corde* (115) : de superbia ad humilitatem, de infidelitate ad fidem, de impietate ad justitiam. *In corde* dico *inimicorum regis*, hoc est de inimicis regis, qui est Christus, *commutabuntur*, et erunt amici ipsius. De his scribitur in titulo : *Pro his, qui commutabuntur*. De his *sagittis* dicitur in Canticis : « Omnis armatura fortium (*Cant.* IV, 4). » Hæc prædicatur firmitas regni Regis.

VERS. 7. *Sedes tua, Deus, in sæculum. Sedes* est judicium, thronus, qui et solium est regum. Propterea sedes ei ascribitur, quia ipse est judex vivorum et mortuorum. De qua *sede* scribitur : « Dabit ei Dominus Deus sedem David patris sui, et regnabit in domo Jacob, » id est in populo christiano « in æternum (*Luc.* I, 32). » Nota, hominem descripsit pugnaturum, Deum vocat regnaturum. *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi*, hoc est regnum tuum erit et in hoc sæculo et in futuro. De æquitate regni sequitur : *Virga directionis, virga regni tui.* Virga dicit regale sceptrum, et designat regulam justitiæ, hoc est rectitudinis regula gubernabis regnum tuum, et non patieris in eo quemquam iniquum. Unde sequitur :

VERS. 8. *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem.* Idcirco justos tibi in regno associabis, iniquos abdicabis.

(113) Vulgata : *gladio tuo.*

(114) Vulgata : *Species ejus ut Libani, electus ut cedri*, etc.

(115) Vulgata : *in corda.*

Digitized by Google

regno longe fugabis. Sequitur regalis et sacerdotalis junctio sponsi. Et ut justis regnum, iniquis des supplicium, *propterea unxit te, Deus*, Christe, *Deus tuus* Pater *oleo lætitiæ*, id est Spiritu sancto *præ consortibus tuis*, hoc est præ omnibus unctis regibus, sacerdotibus et prophetis. Hi enim in lege ungebantur oleo, sed visibili : Christus autem præ illis unctus, quia oleo invisibili, oleo spirituali, oleo lætitiæ. Unde et Christus, id est *unctus* dicitur, quia rex et sacerdos a Spiritu sancto ungitur, in cujus regnum omnes fideles oleo chrismatis unguntur. Oleum quippe visibile in signo est ; oleum invisibile in sacramento. Per hoc sunt fideles ejus *participes*, quia a Christo christiani dicti, et *consortes* ejus, id est cohæredes regni ejus. Præ omnibus ergo est unctus, quia præ omnibus nomen hæredis et Filii Dei specialiter hæreditavit. Sequitur laus vestis nuptialis.

A

B

Vers. 9. *Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis. Myrrha* corpora mortuorum condiuntur. *Gutta* est herba quæ dicitur ammoniaca, quæ reprimit tumores carnis. *Casia* est virgula aromatica quæ et fistula dicitur, et crescit in aquosis locis. De his scribitur in Canticis : « Cypri cum nardo, crocus et fistula et cinamomum (*Cant.* IV, 13). » Vestis sponsi fuit corpus Dominicum, in quo erat Verbum Dei velatum. De hac veste fragrabat *myrrha*, id est mortalitas pro nobis suscepta. *Gutta*, id est humilitas reprimens tumores superbiæ. *Casia* suave redolens, hoc est fides per baptismum nos odori vitæ restituens. De his unguentis scribitur in Canticis canticorum : « Odor vestimentorum tuorum super omnia aromata (*ibid.* XI). » — « Post te in odorem unguentorum tuorum currimus (*Cant.* I, 3). » Unde et congrue Ecclesia est vestis Christi, de qua redolet *myrrha*, hoc est virgines carnem mortificantes. Fragrat *gutta*, hoc est viduæ per humilitatem tumores superbiæ reprimentes. Stillat *casia*, hoc est conjugati baptisma eleemosynis conservantes. Ideo autem pluraliter dicit : *vestimentis tuis :* quia sunt multæ Ecclesiæ, quæ Christum circumdant sancta devotione. Hæc et una vestis tunica inconsutilis, quia est una Ecclesia catholica. Hanc vestem lavit Christus in baptismate, ut esset sine macula. Hanc extendit in cruce, ut esset sine ruga. Hæ unguentariæ species sunt.

C

A domibus eburneis. Ebur est os elephantis, quod animal est castissimum et naturæ frigidissimæ. Unde et a dracone, qui calidæ naturæ est, vehementer appetitur, sed ab eo opprimitur. *Domus eburnea* est corpus Dominicum de casta virgine genitum, de quo dicitur in Canticis : « Venter ejus eburneus (*Cant.* V, 14). » Hunc draco diabolus importune appetiit ; sed in cruce moriens eum oppressit. De hac domo redolent suavia aromata. Per domos eburneas vult amplas et magnas ac regales domos accipi a similitudine elephanti, super quem solent turres construi. Domus ergo eburneæ sunt castæ animæ, quæ, ut ebur lima et serra, multis adversitatibus sunt politæ.

Vers. 10. *Ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo. Reges* apostoli exstiterunt, qui populum Dei justitiis rexerunt. Horum *regum filiæ* sunt fideles animæ. Hæ *delectaverunt te in honore tuo*, id est delectamina virtutum præbuerunt ad honorem tuum. Vel etiam ita ad litteram : *filiæ regum* sæpe palatium causa Christi relinquerunt, et ad honorem Christi pauperibus servierunt. Laudato rege, introducitur regina cum canticis sternuntur flores, adhibentur suavissimi odores, ipsa laudatur pretiosis virtutibus ornata, ad dexteram regis collocatur, sicque ei a convivis cantatur :

D

Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato : circumdata varietate. Hæc *regina* est catholica Ecclesia, quæ regit sua vitia vel peccata. De hac scribitur in Canticis, quod « sit pulcherrima mulierum : viderunt eam filiæ Jerusalem, et beatissimam prædicaverunt reginæ, et concubinæ laudaverunt eam (*Cant.* VI, 8). » Et quia non jacet in vitiis, sed stat in virtutibus, ideo non a sinistris, sed *a dexteris* ejus stare dicitur. *In vestitu deaurato*, hoc est in veste charitatis, fulgore sapientiæ decorata, *circumamicta* (116) *varietate*, hoc est *circumdata* in laudibus Dei omnium linguarum diversitate. Ornatur enim auro apostolorum, argento prophetarum, gemmis virginum, cocco martyrum, purpura pœnitentium. Ista est *varietas* unitatis, quæ ex omnibus gentibus pia conversatione oculis Domini placitura contexitur. Hæc in judicio a dextris stabit, et cum sponso suo gaudium Domini et supernam Jerusalem intrabit. Nunc Pater sponsi alloquitur sponsam, socer admonens nurum suam :

Vers. 11 et 12. *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui. Et concupiscet rex decorem tuum*, quod est dicere : Bona puella subdita est Filio meo, sponso tuo, et dilige eum, et non cures patriæ tuæ *populum*, et faciam te regni mei hæredem ; sed et Filio meo placebis, quem constitui hæredem, et altera non indiget. Nota singula. Deus Pater Ecclesiam vocat *filiam*, quia in baptismo per gratiam sancti Spiritus eam genuit. *Audi*, id est Filio meo obedi, *et vide*, hoc est intellige quid velit, *et inclina aurem tuam* ad præcepta ejus audienda, *et obliviscere populum tuum*, scilicet paganum, infidelem, impium, idololatram, *et domum patris tui*, id est Babyloniam mundi, civitatem diaboli. Pater gentilitatis fuit diabolus, qui eam in civitate Babyloniæ, id est in domo confusionis immundæ idololatriæ genuit, siliquis porcorum, id est figmentis poetarum nutrivit, sed filius regis Jerusalem eam in conjugium tulit. *Patrem* ergo diabolum, et *domum* idololatriæ, et *populum* vitiorum deserendo *obliviscere*. *Et concupiscet rex decorem tuum*, quem habueris in virtutibus, cum

(116) Vulgata : *circumdata.*

Digitized by Google

dicet tibi : « Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te (*Cant.* IV, 7), » *quoniam ipse*, tuus sponsus, *est Dominus, et Deus* creator *tuus*, qui te ex ancilla liberam, ex captiva sponsam, ex abjecta fecit dominam : non ille, quem dicebas patrem, qui te fecerat fœdam, tenebrosam, horridam; sed iste, qui tibi nuptialem contulit pulchritudinem. *Et adorabunt eum* omnes populi, qui in te congregati fuerint, quia in illo est honor tuus, beatitudo tua, gloria sempiterna.

VERS. 13. *Et filiæ Tyri in muneribus*, subauditur, *adorabunt eum*. Hic notantur, qui munera sponso et sponsæ offerunt, scilicet *filiæ Tyri*. *Tyrus* est civitas gentilium, et dicitur *angustia*, et significatur gentilitas in angustia et miseria constituta. Hujus *filiæ* sunt fideles animæ : ex quibus illa mulier Chananæa fuit, quæ Dominum pro filia obsessa rogavit (*Matth.* XV, 22).

Alia translatio habet : *Et fortissimi in muneribus*, et significat fortes in tribulatione. Ergo illi fortes et illæ *filiæ* adorabunt sponsum *in muneribus*, quando fideles eleemosynas pro Christo nomine dant pauperibus, vel quando seipsos hostiam vivam, sanctam, Deo placentem offerunt in tribulationibus. Ad has nuptias illi tres Magi *munera* obtulerunt, et illi, qui omnia vendentes pretia ad pedes apostolorum posuerunt. Acceptum Deo sacrificium martyres obtulerunt, dum seipsos in odorem suavitatis præbuerunt. *Vultum tuum deprecabuntur divites plebis*, hoc est non solum pauperes tibi subjecti erunt, sed etiam divites, ipsi principes, ipsi reges, ipsi imperatores optant consequi speciositatem tuam, recipere religionem tuam. Nunc convertit se ad convivas et laudat ornatum sponsæ interiorem :

VERS. 14, 15 ET 16. *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus*. Hic Ecclesia *filia* Christi nominatur, quia per Evangelium eam genuit; ipsa sponsa, quia de ea carnem sumpsit; ipsa soror, quia cohæres regni erit. *Omnis gloria*, id est omnis decor *ejus*. Et cujus *ejus ? filiæ Regis* Christi est *intus* in anima, in ornatu virtutum. Unde dicitur in Canticis canticorum : « Quam pulchra est in deliciis filia principis ! (*Cant.* VII, 1.) » *in fimbriis aureis*. *Fimbriæ* sunt fines vestimentorum, et significant perseverantiam virtutum. *Circumamicta varietatibus*, id est circumdata variis charismatibus, diversis gratiarum muneribus. Exterius resplendet regina veste deaurata, id est religione christiana, circumdata linguarum varietate : interius omnis gloria ejus rutilat *in fimbriis* aureis perseverantiam habens in omnibus operibus dilectionis, *circumamicta varietatibus* virtutum. Unde dicitur in Canticis : « Pulchra es, amica mea, pulchra es et decora, oculi tui columbarum absque eo quod intrinsecus latet (*ibid.*, 15). » Hoc significavit, vestis Aaron, quæ auro, purpura, bysso, cocco, hyacinthoque contexta est, de qua in Canticis scribitur : « Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris (*Cant.* IV, 11), » sequitur laus de pedissequis reginæ. Ipsa ducetur in aulam regiam dicens : « Introduxit me rex in cubiculum suum (*Cant.* I, 4). »

Adducentur regi virgines post eam, hoc est post reginam Ecclesiam *adducentur* per doctores virginum integritatem virginis Mariæ incorruptæ, vel integritatem fidei Ecclesiæ imitantes in animo Christo regi. *Proximæ ejus*, id est viduæ et castæ *afferentur tibi*, o fili, per prædicatores : *Afferentur* omnes ad ultimum per sanctos angelos *in lætitia* animæ, *et exsultatione* corporis. *Adducentur* cum cantu *in templum regis*, id est in cœlestem Jerusalem in plenum gaudium. Hæ sunt prudentes virgines, quæ vigiles cum lampadibus sponsum et sponsam excipiunt, cum eo ad nuptias intrabunt, et impiis clausa janua ipsæ intus in æternum exsultabunt. De his dicitur in titulo : *Pro his, qui commutabuntur*. Jam sponsæ filii nascuntur, et in horum laudem nunc canitur :

VERS. 17. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii*. Patres Ecclesiæ sub lege erant prophetæ, *pro quibus nati sunt* apostoli, qui constituti sunt *principes super omnem terram*. *Patres* Ecclesiæ erant apostoli, *pro quibus* Ecclesiæ *nati sunt filii* fideles, quos sibi constituit *principes super omnem terram*, scilicet episcopos, pastores, doctores, rectores in loco apostolorum. Vel *patres* ejus erant idolorum cultores, pro quibus *nati sunt* ei *filii* Christi veneratores. Et si tu oblivisceris populum tuum, et domum Patris tui, isti

VERS. 18. *Memores erunt nominis tui*, o Ecclesia, *in omni generatione et generatione*, hoc est in omnibus populis docent catholicam Ecclesiam. Vel ista verba sunt Ecclesiæ gratias agentis pro dulci soceri admonitione, et pro talis sponsi conjunctione. Memor ero *nominis tui*, o Domine socer, hoc est Filii tui, qui est nomen tuum, intima dilectione *in omni generatione et generatione*, hoc est per omnes successiones hominum usque in sæculum. *Propterea* quod ego tui nominis memor ero dilectione et prædicatione, omnes *populi confitebuntur tibi in æternum et in sæculum sæculi*, hoc est laudabunt te usque in finem mundi; deinde sine fine, cum omnis adversitas conquiescet, et pax ac justitia regnabunt in sæcula.

Hic psalmus ideo in nativitate Domini cantatur quia ejus utraque generatio in hoc psalmo commemoratur. Ideo hunc sibi apostoli vindicant, quos ipsi principes super omnem terram constituti populum ad has nuptias invitabant.

Digitized by Google

PSALMUS XLV.

Deus noster refugium, et virtus, etc. Antecedens psalmus nuptias regis et reginæ celebri plausui personuit : hic vero invitatis ad nuptias plaudit, et qui sint invitati, vel per quos vocati sint, canit. Hic est quadragesimus quintus, quod quinquies novem vel novies quinque sunt. Per quinarium quinque prudentes virgines exprimuntur, quod omnes electi intelliguntur, qui cum lampadibus bonorum operum sponso et sponsæ ad judicium occurrent, et cum eis ad æternas nuptias intrabunt. Rex novenarium novem ordines angelorum expressi sunt, qui jugiter laudes in his nuptiis concinunt. Titulus est :

(VERS. 1.) IN FINEM FILIIS CORE PRO ARCANIS, PSALMUS DAVID (117).

David dicitur *manufortis*, et significat illos fideles, qui de primitiva Ecclesia remanserant in Judæa in maxima angustia apostolis transeuntibus ad gentes. Ab his canitur hic hymnus *filiis Core*, id est imitatoribus passionis Christi, ut sint perseverantes in patientia *in finem :* quatenus in fine percipiant gaudium sine fine : compositus *pro arcanis*, id est pro occultis, quod Dominus gloriæ in carne latuit, et ut latro ab impiis occubuit : et pro his occultis, quod Judæi secundum carnem Christi cognati a convivio sunt repulsi, ethnici idololatriæ intromissi; et pro occultis, quod justi multis tribulationibus sunt pressi; pauci enim intelligunt ad quid justi tribulentur. Sed crux hujus arcani clavis fuit, quæ nobis in passione Christi hoc secretum reseravit. Unde et velum scissum est, quod occulta velavit.

Materia psalmi est gentium ad Christi nuptias vocatio, Judæorum repulsio. Intentio est ne in tribulatione deficiamus, sed ad Dominum confugiamus, quem nobiscum in afflictione sciamus. Verba sumpta sunt de filiis Israel, quos tribulationes nimis invenerunt dum eos Ægyptii graviter oppresserunt. Sed non timuerunt, dum montes, id est Ægyptiorum, principes in cor maris Rubri translati sunt, et aquæ sonuerunt, dum super fugientes ruerunt. Impetus autem fluminis de petra educti liberatos lætificavit, et Dominus tabernaculum a Moyse factum sanctificavit. Gentes Chananæorum ab eis conturbatæ sunt, regna Og et Seon regum inclinata sunt. Dominus virtutum cum eis fuit, qui eis terram gentium tradidit. Significat autem populum primitivæ Ecclesiæ, quem tribulationes a Judæis nimis invenerunt, dum montes apostoli in cor maris gentium transierunt, quos fluminis impetus Spiritus sancti lætificavit, dum tabernaculum suum Ecclesiam de gentibus flumine baptismatis sanctificavit.

(117) Vulgata omittit *David*.

Psalmus in tres partes per duo diapsalmata distinguitur. In prima pro Christo tribulatorum consolatio; in secunda civitatis et Dei lætificatio; in tertia bellorum ablatio describitur. Vox est in tribulatione pro justitia :

VERS. 2. *Deus noster refugium, et* laborantium *virtus : Adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.* Plenus est mundus ærumnis atque pressuris. In his sunt Judæis et paganis adjutoria regum virtutes potentium, refugia civitatum. Fideles autem, qui de civitate in civitatem ab impils pelluntur, in nullo loco tuti esse sinuntur, clamant : *Deus noster refugium et virtus.* Cum nos homines exterius adversitatibus tribulant, dæmones tentationibus pulsant, *Deus noster*, scilicet Christus, quem colimus, *refugium* nobis est. Cum corporis tormenta per patientiam, animæ tentamenta superamus per continentiam, Christus fide et dilectione *Deus noster* factus *virtus* nostra est. Nulla major est *tribulatio*, quam dilectorum conscientia. *Tribulationem* et dolorem homo invenit, dum mala, quæ conscientia accusat, pœnitentia punit. *Tribulationes* autem *nimis* ipsum invenerunt, dum tormenta inopinata sævæ conscientiæ ingruunt. In his erat Deus *refugium* evadendi, *virtus* resistendi, *adjutor* devincendi.

VERS. 3. *Propterea* autem (quod) Deus sit refugium, virtus, adjutor, *non timebimus, dum turbabitur terra*, id est dum caro nostra tribulabitur : *et transferentur montes in cor maris*, hoc est dum fortissimi sanctorum *in mare* angustiarum truduntur. *Terra* quoque Juda vomere legis culta, *mare* vero gentilitatis infidelitate amara. Hæc *terra* est turbata, dum sapientia Dei venit incarnata. Audiens namque *Herodes* novum regem natum, *turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo* (*Matth.* II, 3). Hæc etiam turbata, dum vidit Christum miracula facientem et populum eum sequentem, valde turbata est, dum eum post mortem revixisse, et multa signa in ejus nomine per apostolos fieri vidit, et omnes ejus sequaces perdere voluit. Tunc *montes* apostoli ab eis expulsi *in cor maris*, id est in gentilitatem sunt translati. Et tunc fideles a turbatione illius terræ non timuerunt, qui *Deum refugium* suum posuerunt. Apostoli per simile dicti sunt *montes*, quia sicut montes lumen orientis solis excipiunt, et vallibus transfundunt, sic apostoli æterni *montes* splendorem solis justitiæ excipientes vallibus gentium transmiserunt. *Cor maris* sunt principes et philosophi gentilitatis, a quibus pagani ita constituta vivendi acceperunt, sicut membra corporis vigorem

Digitized by Google

vitæ a corde sumunt. *Montes in cor maris* sunt translati, quando apostoli ab ipsis principibus et ab ipsis philosophis gentium sunt venerati. Mox

Vers. 4. *Sonuerunt, et turbatæ sunt aquæ eorum.* Similitudo inde trahitur. Quando a terræ motu magnus mons marinus visceribus injicitur, grandis sonus de fragore repercussi fluctus redditur, et populus in circuitu habitans terrore concutitur. Sic cum apostoli magni montes in cor maris gentium missi sunt, procellosæ *aquæ* insonuerunt et *turbatæ sunt.* Cum enim novum Deum gentibus prædicarent, per signum crucis multa signa facerent, dæmones *sonuerunt*, quia cum diro ululatu diu inhabitata simulacra reliquerunt, et *aquas*, id est populos perturbantes in persecutionem christianorum concitaverunt. Tunc *aquæ* conturbatæ sunt, quando populi a dæmonibus instigati eversoribus simulacrorum obstiterunt, et ipsos occidere voluerunt. Tunc conturbati sunt montes, id est principes, et dederunt leges contra christianos. Ubi turbati sunt? *In fortitudine ejus*, scilicet Dei, qui erat virtus et adjutor apostolorum, per quem reges et principes vicerunt, et rebellem mundum sub jugum Christi traxerunt.

Diapsalma. Dæmones per consilia impiorum sonuerunt; *aquæ*, id est populi in desideriis fluxui, pro novitate miraculorum, pro destructione templorum, pro insoliti ritus prohibitione sacrificiorum turbati sunt; montes, id est tumidi principes persecutionibus fremuerunt; sed

Vers. 5. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*, hoc est, redundantia Spiritus sancti lætificat Ecclesiam Dei. De hoc flumine scribitur : « Qui in me credit, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joh.* VII, 38). » Hoc *flumen* cum magno *impetu* de fonte vitæ, Patre et Filio venit, quando credentes scientia omnium linguarum replevit. *Civitas* dicitur, quasi *civium unitas.* Ecclesia dicitur *civitas Dei*, quia omnes fideles in ea in unam fidem conveniunt, et in unanimitate dilectionis vivunt. Hanc *fluminis impetus lætificat*, dum eam abundans gratia, et consolatio sancti Spiritus de lætitia æternæ vitæ exhilarat, et *flumen* baptismatis fecundat. Unde sequitur : *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Tabernaculum* Dei est Ecclesia, quandiu in itinere hujus vitæ laborat, in quo tabernaculo martyres contra persecutores, quique fideles contra vitia et dæmones militant. Hoc *tabernaculum Altissimus sanctificavit*, dum Ecclesiam baptismate mundavit, quam sanguine Filii sui dedicavit. *Tabernaculum* quoque Dei est corpus Dominicum, in quo habitavit Dei Verbum. *Tubernaculum* etiam Dei fuit virginis uterus, in quo mansit Dei Filius. Nota, *tabernaculum* sanctificat, *civitatem lætificat*, quia Ecclesia hic in pulvere carnalium, quasi tabernaculum a sordibus diluit, in superna autem patria in Jerusalem *civitatem Dei* collectam perenni lætitia perfundit. Unde subditur :

Vers. 6. *Deus in medio ejus.* Similitudo hæc trahitur a centro, id est a puncto circuli, qui circulum regit, et eum æqualiter componit. Sicut illud, quod *in medio* est, paria spatia habet ad omnes fines, ita *Deus* medius civitatis suæ dicitur, quia omnibus æqualiter consulit, et in superna patria omnium commune gaudium erit. Ideo illa civitas a sonitu ventorum, a turbatione aquarum de illo centro non *commovebitur*, quia supra firmam petram Christum fundatur. *Adjuvabit eam Deus vultu suo*, id est inspectione sancta, vel *mane diluculo*, id est illuminatione sua; vel sicut in Hebræo legitur : *In ortu matutino*, quando *mane* resurrectionis clarescente separatam a paleis et ab omnibus tribulationibus liberatam æterna beatitudine et immortalitate donabit. Et quia illa civitas nullo adversitatis impulsu potuit destrui,

Vers. 7. *Conturbatæ sunt gentes* in pœnitentia, *et inclinata sunt regna* sub sanctorum vestigia. Jam enim gentes de pristino errore conturbatæ fidem Christi receperunt, *et regna* terrarum christianæ religioni *inclinata* Regi regum Christo serviunt. Hoc inde contigit, quia Dominus *vocem suam dedit*, id est prædicationem quasi mirabile donum, quasi præmiale beneficium dedit. Et tunc *mota est terra*, id est gentilitas ad compunctionem *est mota*, et facta est terra arabilis, semini verbi Dei habilis, fide et dilectione fructificabilis dicens :

Vers. 8. *Dominus virtutum nobiscum susceptor noster Deus Jacob*, hoc est Deus angelorum est *nobiscum*, Deus populi *Jacob*, qui et Israel, *susceptor noster* gentilium est. De novem ordinibus sunt *virtutes;* sed hic omnes angelorum chori intelliguntur, per *Jacob* autem Israeliticus populus accipitur. Gratias ergo agit Ecclesia, quod Deus angelorum cum ea habitavit, Deus Israel Judæos relinquens se susceptit.

Diapsalma. Vers. 9. *Venite et videte opera Domini.* Filii Core, id est imitatores Christi videantur hæc loqui : *Venite*, omnes gentes ad fidem, *et videte* intelligendo *opera* Dei, *quæ prodigia posuit super terram*, quod virgo peperit, occisus Christus tertia die resurrexit, Spiritus sanctus scientiam omnium linguarum hominibus contulit. *Prodigium* dicitur, quod aliquod mirum portendit.

Vers. 10. *Auferens bella usque ad finem terræ. Bella* erant impietas et infidelitas quæ fidem Christi impugnabant, veritati contradicebant. Hæc bella usque *ad finem terræ* Dominus abstulit, quia pro gratias ubique cessaverunt contradictiones hæreticorum, sedatæ sunt impugnationes paganorum, floret ubique religio christianorum. Ad litteram etiam Dominus *bella ad fines terræ* abstulit, quando in Nativitate Christi, regnante Augusto, pax in toto mundo fuit, quæ æternam pacem portendit.

Quod autem bella cessabunt, hoc inde est quod Dominus *arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni.* Hoc tractum est de historia, ubi David devicta Syria equos subnervavit, currus et arma concremavit (*II Reg.* VIII). *Arcus* sunt insidiæ infi-

Digitized by Google

delium, quæ a veritate contritæ sunt, quando insana vota ad nihilum redacta sunt. *Arma* sunt publicæ oppugnationes iniquorum, quæ confractæ sunt patientia justorum. *Scuta* sunt præsumptuosæ defensiones perfidorum, quæ *igni* combustæ sunt, quia Spiritu sancto devictæ et manifesta ratione consumptæ sunt. His toxicatis armis confractis armabit milites suos Rex cœlestis præclaris armis veritatis, continentiæ, spei, salutis, fidei, charitatis. Sequitur vox Dei homines monentis ad intelligentiam sui.

VERS. 11. *Vacate et videte quoniam ego sum Deus.* Quandoquidem bella persecutionum sunt ablata, arma hæresum confracta, *vacate* a tumultibus vitiorum, a contradictionibus litigiorum, *et videte* oculis mentis, id est intelligite, *quoniam ego sum Deus*, qui talia prodigia feci, bella abstuli, arma confregi, non illi, quos decepti deos putabatis, quos colentes nullam pacem habere poteratis. Ego *exaltabor in gentibus*, hoc est, adorabor Deus ab omnibus gentibus. *Et exaltabor in terra*, hoc est adorabor, in Judæa scilicet, et in mari et in terra. Hoc erit, « quando plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus erit (*Rom.* XI, 25); » quando per Eliam et Henoch fidem Christi receperint, tunc gratulanter dicent :

VERS. 12. *Dominus virtutum nobiscum. Emmanuel* dicitur *nobiscum Deus*, quia *Dominus* angelorum habitavit in carne *nobiscum*, sicut scriptum est : « In terris visus est, et cum hominibus conversatus est (*Baruch* III, 38). » *Susceptor noster Deus Jacob*, hoc est Christus, qui est Deus populi nostri supplantatoris et vitiorum victoris, est *noster susceptor*, quia nostram conversionem et pœnitentiam suscepit, et in militiam suam prius sibi rebelles recepit, et ad convivium suum invitavit. Hic versus superius est positus, et pertinet ad gratulationem gentium conversarum : hic est ordo repetitus, et pertinet ad exsultationem Judæorum conversorum. Hunc psalmum ideo Ecclesia in Epiphania Domini canit, quia tunc flumen Jordanis civitatem Dei Ecclesiam lætificavit.

PSALMUS XLVI.

Omnes gentes, plaudite manibus, etc. Titulus psalmi hujus est :

(VERS. 1.) IN FINEM PRO FILIIS CORE PSALMUS DAVID (118).

Hoc est, ista laus Dei canitur ab Ecclesia pro credentibus in Crucifixum, ut sint, *filii in finem*, id est perfecti *filii*. *Core* dicitur *calvus*, et verba sunt tracta de historia, quando Eliseo ascendente pueri clamaverunt : *Ascende calve, ascende calve* (*IV Reg.* II, 23), et duo ursi de saltu venientes quadraginta ex eis dilaceraverunt. Eliseus Christum, pueri designant Judæos, qui Christo in crucem in Calvaria ascendente puerili sensu insultaverunt, et forsitan hæc eadem verba irridendo : *Ascende, calve*, clamaverunt, qui eum in crucem levaverunt. Leguntur tamen dixisse : « Si Filius Dei es, descende de cruce (*Matth.* XXVII, 40). » Solebant enim crucifigendos decalvare, quod forsitan et Domino fecerant. Duo ursi de saltu quadraginta pueros devoraverunt, quia post quadraginta annos duo reges Titus et Vespasianus de gentilitate Judaicum populum pueriliter sapientem occiderunt. Sed et dæmones sævi ursi eos devoraverunt. Horum participes sunt omnes qui crucem Christi irridentes : qui vero passionem Christi venerantur, hi *filii Core*, id est *filii calvi*, nominantur.

Materia psalmi est prædicatio apostolorum, gentes ad laudandum Deum exhortantium. Intentio etiam nos hortari ad intelligentiam psalmorum, ut possimus pervenire ad promissa eorum. Verba sumpta videntur de Josue, qui filios Israel Deo plaudere monuit, qui eis populos subjecit, et gentes sub pedibus eorum stravit, hæreditatem Jacob promissam eis elegit. Et significat Christum, qui apostolis populos subjecit et gentes pedibus eorum, Ecclesiam in hæreditatem elegit.

Hic psalmus est quadragesimus sextus, quot annis templum Jerosolymis ædificatum est, quia Ecclesia de gentibus per hunc numerum Domino templum ædificat. Quadraginta namque pertinent ad pœnitentiam gentium; sex vero ad evangelicam perfectionem. Quadragies quoque senis vel sexies quadragenis diebus templum corporis Dominici in utero virginis ædificatur, cui Ecclesia incorporatur.

Hic psalmus in duas partes per *diapsalma* secatur : in una gentium ad laudem Dei adhortatio, in altera Christi ascensio prædicatur. Quando montes in mare emissi sunt, aquæ maris conturbatæ sunt; quia quando apostoli in gentes venerunt, eas ad perturbationem pœnitentiæ pertraxerunt; sed aquæ limpidatæ post vestigia eorum fluxerunt. Ipsi namque illi servi fuerunt, qui invitatos ad nuptias vocare missi sunt, quando rex nuptias filio suo fecit, scilicet Deus Pater Christo humanam naturam conjunxit. Gentibus ergo ad convivium introductis dicunt apostoli :

VERS. 2. *Omnes gentes, plaudite manibus.* Similitudo trahitur ab his qui inter epulas manibus plaudunt et læti canunt. *Omnes gentes* totius orbis, quæ

(118) Vulgata omittit *David*.

Digitized by Google

per fidem ad nuptias regales intrastis *plaudite manibus*, hoc est, gaudete in bonis operibus. *Jubilate Deo in voce exsultationis*, hoc est, *voce, corde, opere* laudate eum, qui vos invitavit ad suum convivium.

VERS. 3. *Quoniam Dominus*, qui hic apparuit humilis, est *excelsus* vel summus super omnes choros angelorum, et qui ab impiis fuit perterritus et irrisibilis modo est *terribilis* et judicio timendus omnibus malis. *Rex magnus super omnem terram*, non solum super Judæam, cui scriptum erat in titulo *Rex Judæorum;* sed est super omnes populos terræ, quia ei data est omnis potestas in cœlo et in terra. Vel *Rex magnus super omnem terram*, id est super omnem Ecclesiam, per omnem terram diffusam. Vere rex magnus, quia

VERS. 4. *Subjecit populos nobis* piscatoribus et contemptibilibus; *et gentes subdidit pedibus nostris* (119). Hoc dicitur secundum magisterium, non secundum dominationem. *Pedes* etiam significant sanctas prædicationes, quibus subjectæ sunt omnes gentes. Sed et ad litteram totus orbis properat Romam adorare vestigia Petri piscatoris, non visitare sepulcrum Neronis imperatoris. Et merito sunt *gentes* legibus Christi subditæ, quia per gratiam sunt ad epulas Dei vocatæ. Unde subditur :

VERS. 5. *Elegit nobis hæreditatem suam*, subauditur *dare*. Pater dedit ei gentes in hæreditatem; hanc *elegit nobis* sociandam *speciem Jacob quam dilexit*. Hic historia tangitur, ubi Rebeccæ dictum est: « Duo populi in utero tuo sunt, et major serviet minori (*Gen.* XXV, 23). » De his dicitur: « Jacob dilexi, Esau odio habui (*Rom.* IX, 13). » Hæc *species*, id est hæc figura fuit signum hujus rei, quod Dominus per gratiam gentes *elegit*, Judæos per justitiam reprobavit. Ideo major non numero, sed propter superbiam legis et prophetarum servit minori Christiano populo propter humilitatem. Tangitur et alia historia : *Jacob* cum esca primogenita Esau emit, et a patre benedici promeruit (*Gen.* XXV). Esau pro esca primatum vendidit, et mater eum a benedictione patris repulit. Hæc *species*, id est figura, signum exstitit, quod Christianus populus, qui carnalia pro spiritualibus deserit, benedictionem per illud : « Venite, benedicti Patris mei (*Matth.* XXV, 34), » hæreditate possidebit. Judaicus autem populus, qui carnalia appetit, spiritualia contemnit, a benedictione separatus cum maledictis in supplicium ibit. Notatur hic tertia historia. *Jacob* duas uxores duxit, Liam lippis oculis, et Rachel pulchram claris oculis, quam dilexit. Lia est synagoga lippis oculis Scripturam tantum carnaliter videns, Rachel vero Ecclesia pulchra in virtutibus, claris oculis in spiritualibus. Hanc *speciem Jacob* Dominus diligit, quia spirituales epulas vitæ eligit.

Diapsalma. Non solum inde plaudite, quod ad nuptias regis convenistis, sed etiam inde laudate quia

VERS. 6. *Ascendit Deus in jubilo. Jubilum* est immensa cordis exsultatio, quæ nec litteris, nec syllabis, nec verbis potest comprehendi, sed vix quadam mira voce ostendi, quale in *Alleluia* solet proferri Idcirco Deus *in jubilatione* ascendisse memoratur: quia apostoli stupentes tale miraculum ineffabili cordis lætitia replebantur videntes hunc cœlos corporaliter penetrare, quem nuper viderant in cruce cum latronibus pendere, in sepulcro occisum latere. *Et Dominus in voce tubæ.* Hoc tractum est de historia, ubi in monte Sinai *voces tubæ* auditæ sunt, et postquam Dominus legem dedit in clangore tubarum, et clamore jubilantis populi ad cœlos ascendit (*Exod.* XIX, 16). Sed istud præfiguravit quod Christus in jubilo apostolorum, et in clara voce angelorum cœlos *ascendit*, qui quasi altisona tuba personabant : « Tollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ (*Psal.* XXIII, 7). » Hoc in cœlestibus intonabant, apostolis autem in terra mirantibus buccinabant: viri Galilæi, hic Jesus, quem videtis in cœlum euntem, sic videbitis ad judicium redeuntem. Judæi Christum in crucem ascendentem irriserunt, in cœlum ascendentem non viderunt; adhuc videbunt in quem transfixerunt. Et cum in passione homo apparuerit, in ascensione Deus claruerit.

VERS. 7. *Psallite Deo nostro, psallite* Patri coæquali. *Psallite regi nostro*, Christo, *psallite*, pro nobis facto homini. *Psallite*, hoc est bonis operibus eum celebrate. Per quatuor *psallite* quatuor partes mundi insinuat, de quibus Ecclesia gentium ad nuptias confluxerat. *Psallite* qui venistis ab oriente; *psallite*, qui venistis ab occidente ; *psallite*, qui venistis a meridie ; *psallite* qui venistis ab aquilone, quia debetis recumbere cum Abraham, Isaac et Jacob, et filii regni ejicientur foras, qui audientes symphoniam et chorum propter prodigum filium in convivium receptum noluerunt introire. Et jure debetis psallere :

VERS. 8. *Quoniam rex omnis terræ Deus.* Hoc est Christus *Deus* noster, ipse est factus *rex omnis terræ*, et ideo *psallite sapienter*, id est intelligenter, ut quod ore psallitis corde intelligatis. *Psallere* etiam *sapienter* est cum discretione bona operari, suo tempore orare, suo tempore legere, suo tempore jejunare, suo tempore pauperibus ministrare. Prius *quater psallite* dixit, et pueros, adolescentes, juvenes, senes de quatuor mundi partibus credentes innotuit; semel *psallite* subjunxit, et unanimitatem Ecclesiæ intelligi voluit. Hactenus notus in Judæa tantum Deus, jam amodo

VERS. 9. *Regnabit Deus super gentes* et in præsenti super Ecclesiam de gentibus conversam, et in futuro super cœlestem Jerusalem, quæ ex omnibus nationibus adunatur. Unde sequitur : *Deus sedet super sedem sanctam suam*, id est super Ecclesiam, quam sibi sanguine suo sanctam fecit. Vel super agmina angelica, super thronos et virtutes. Nota,

(119) Vulgata : *Et gentes sub pedibus nostris*

Digitized by Google

rex in excelso solio in dextera Dei Patris residet, præsentiam suam convivis exhibet, quatenus regem in decore suo videant, qui cum veste nuptiali intraverant. Et qui veniunt illuc?

Vers. 10. *Principes populorum*, hoc est apostoli *congregati sunt cum Deo Abraham*, id est cum Christo de semine Abrahæ genito, ut mundum judicent, electos ad convivium regale introducant, et reprobis januam claudant, imo in caminum ignis paleas a granis mittant. Vel *principes populorum*, qui prius conturbati sunt, et apostolos et alios Christianos persecuti sunt, nunc per apostolos in fide ad regales nuptias *congregati sunt*, cum non recenti, sed cum Antiquo dierum *Deo Abraham*, fidem Abrahæ imitando filii Abrahæ facti, et ideo ad convivium cum Abraham recumbere introducti. Et cur hoc? *Quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt*, hoc est apostoli, carnalium dii, *fortes* in bona vita, multum exaltati sunt per miracula, et sapientiam et facundiam. Justi enim ad comparationem malorum dicti sunt *dii*. Unde et Moyses « Deus Pharaonis » scribitur (*Exod.* VII, 1). Vel Judæi olim populi Dei, gentium *dii fortes* in terrenis nimium *elevati sunt* in superbiam contra Deum, et ideo convivio ejus non admittentur, sed in tenebras exteriores mittentur.

Hic psalmus ideo in Epiphania Domini canitur, quia per hunc gentes ad nuptias Christi et Ecclesiæ introducuntur, et magi de gentibus venerunt ad Sponsum cum muneribus. Hunc Ascensio Domini sibi assumit; quia *in jubilo* cœlos Christus *ascendit*. Hunc vindicat sibi festum apostolorum, quia ipsi judices cum Deo *congregati sunt principes populorum*.

PSALMUS XLVII.

Magnus Dominus, et laudabilis nimis, etc. Qualiter gentes ad nuptias introductæ ad laudem Dei ab apostolis adhortentur, præcedens psalmus commemorat, hic vero laudem earum repræsentat. Hic psalmus est quadragesimus sextus. In quadraginta denarius quater multiplicatur. Quaternarius exprimit omnes justos sub perfectione quatuor Evangeliorum degentes; denarius vero omnes justos sub decalogo legis servientes. Septenarius dividitur in tria et quatuor. Ter autem quatuor vel quater tria duodecim. Duodenarius vero significat duodecim apostolos septiformi Spiritu plenos. Et quia hic agitur de Ecclesia utriusque populi, quæ a summo opifice, ut civitas ædificatur, et per apostolos vivi lapides et de Judæis et de gentibus ad hoc ædificium comportantur, merito tali numero hic psalmus decoratur. Titulus est :

(Vers 1.) PSALMUS CANTICI FILIORUM CORE SECUNDA SABBATI.

Psalmus cantici est una dictio, et sic vocatur cantus, quem prius organa resonant, deinde voces chori conclamant. Psalmus operationem, *canticum* significat lætitiam. *Filii Core* sunt Christiani imitatores crucifixi. *Secunda Sabbati* est secunda dies hebdomadæ. Prima Sabbati, hoc est Dominica die fecit Deus lucem, *secunda* firmamentum, id est cœlum. Significat autem quod prima die Christus lux vera resurrexit, et *secunda* die Ecclesiam quasi firmum cœlum instituit, quam contra hæreses firmavit, et in ea secreta sua celavit. *Secunda* autem *Sabbati* est omne tempus a resurrectione Domini usque in finem mundi. In qua die civitas Dei quasi cœlum in mediis aquis baptismatis et sancti Spiritus fluentis firmatur. Prima etiam Sabbati synagoga accipitur, quæ Sabbatum carnaliter servabat. *Secunda Sabbati* Ecclesia intelligitur, quæ ad spirituale Sabbatum, id est ad æternam requiem, quod *Sabbatum* sonat, transferetur. Iste ergo hymnus est *psalmus cantici*, id est laus spiritualis lætitiæ *filiorum Core*, id est filiorum passionis et crucis Christi, quæ lætitia contingit *secunda Sabbati*, hoc est isto tempore, quo Ecclesia fundatur, et in fine mundi consummatur.

Materia psalmi est laus Ecclesiæ de gentibus ad nuptias regis Christi introductæ. Intentio est nos filios sponsi ad laudem ejus hortari, ut in civitate Domini mereamur fundari. Verba videntur sumpta de historia, ubi regina Saba et alii cum ea Jerosolymam venerunt, et viso templo dixerunt : *Magnus Dominus, et laudabilis nimis; sicut audivimus, sic vidimus in civitate Dei. Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.* Significat autem Ecclesiam et fideles, qui ad cœlestem Jerusalem pervenientes dicent : *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Dei nostri.* Nec te moveat, quod hæc regina non tempore Davidis, sed tempore Salomonis fuisse scribitur. Sed memento quod libri hujus auctor Spiritus sanctus est, cui omnia præterita et futura sunt præsentia, qui aliquando de præteritis, aliquando de futuris verba sumit, quibus mysticum opus Christi et Ecclesiæ contexuit.

Psalmus hic habet duas sectiones : una est, *Magnus Dominus*, in qua Ecclesiæ laus repræsentatur; altera est, *Suscepimus Deus*, in qua diversi gradus Ecclesiæ Deum laudantium notantur. Gentes ad nuptias regis ingressæ ab apostolis monentur ut plaudant et Deo jubilent, quem plausum sic jubilando inchoant. Est autem vox sacerdotum :

Vers. 2. *Magnus Dominus et laudabilis nimis.*

Digitized by Google

Magnus, id est potens, quia omnia potenter fecit. *Laudabilis*, quia pulchra et mira fecit. *Nimis*, vel valde, hoc est, ultra quam possit laudari ab hominibus. Et ubi? *In civitate*, id est in catholica Ecclesia, quæ *civitas* est *Dei nostri*, scilicet Jesu Christi, qui est *Deus noster* Christianorum, non Judæorum, nec paganorum. *In* hac *civitate* est *laudabilis*, non in Babylonia, civitate diaboli, ubi est valde exsecrabilis. Et ubi plus *laudabilis? In monte sancto ejus*, hoc est in Christo Jesu Filio ejus. Christus dicitur *mons*, quia est inexpugnabilis, et ipse continet ædificium hujus civitatis, quam Ezechiel vidit in monte ædificari, cujus nomen erat *Deus ibidem* (*Ezech.* XLVIII, 35). Scribitur in Daniele, quod lapis sine manibus de monte abscissus crevit, et totam terram implevit (*Dan.* II, 34). Hoc erat Christus de populo Judæorum sine viri semine natus, qui per prædicationem apostolorum crevit et per fidem totam terram implevit. Super hunc *montem* hæc *civitas* construitur, de qua subditur :

VERS. 3. *Fundatur exsultatione universæ terræ montis Sion, latere aquilonis, civitas regis magni.* Ecclesia ideo vocatur *civitas*, quia in ea convenit fidelium civium unanimitas. Cujus *rex magnus* Christus vocatur, quia per eum et cœlestia et terrestria reguntur. *Sion* est arx in Jerusalem, et dicitur *specula vitæ*, et significat primitivam Ecclesiam, quæ cœpit in *monte Sion*, quia ibi Dominus cœnavit, corpus suum tradidit, ibi Spiritus sanctus scientiam linguarum contulit. Hæc ideo *mons* dicitur, quia alta est in virtutibus contra hæreses munita et fortis. *Aquilo* est ventus frigidus, et significat diabolum, qui dixit : « Ponam sedem meam ad aquilonem (*Isa.* XIV, 13), » id est in infidelitate. Hujus *latus* est gentilitas, quia ei per infidelitatem cohæsit, per impietatem eum constipavit. *Latera* enim principum dicuntur eis cohærentes et constipantes. Igitur per *montem Sion* primitiva Ecclesia de Judæis, per *latus aquilonis* Ecclesia de gentilibus intelligitur, ex quibus *civitas magni regis* una catholica Ecclesia constituitur, in cujus ædificio ille pretiosus angularis lapis ponitur, qui ab hominibus murum iniquitatis ædificantibus reprobatus, ab opifice Deo in junctura anguli eligitur, in quo uterque paries ex diverso latere veniens ex circumcisione, alter ex præputio connectitur, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum, in quo ipse rex et sacerdos manebit in æternum.

Hic versus hoc modo construitur : *Civitas magni regis*, id est Ecclesia Christi *fundatur* per apostolos in *latere aquilonis*, id est in gentilitate, diabolo per idololatriam cohærenti, cum *exsultatione universæ terræ*, hoc est, cum magna lætitia omnis populi in terra, quæ est *montis Sion*, id est ad exemplum primitivæ Ecclesiæ de Sion.

Alia translatio habet : *Fundatur exsultatione mons Sion. latera aquilonis civitas regis magni.* Quod sic legitur : Ecclesia, quæ est *civitas regis magni* Christi, quæ est *mons Sion* existens de Judæis, et quæ *latera aquilonis*, constans de gentibus, hæc *fundatur* cum *exsultatione universæ terræ*, hoc est, congregabitur in unam fidem cum summa jucunditate de omnibus populis.

VERS. 4. *Deus in domibus ejus cognoscetur.* Unde et magnus videtur. *Domus* hujus civitatis sunt singulæ Ecclesiæ, sicut Romana Ecclesia, Jerosolymitana Ecclesia, Alexandrina Ecclesia et cæteræ in hunc modum. Domus etiam hujus civitatis sunt singuli fideles in quibus Deus per fidem cognoscitur et laudabilis magnificatur. *Cum suscipiet eum* in tutelam, ut custodiat eam. Vel *cum suscipiet eam* ad curandum, ut medicus suscipit ægrotum. Venit enim medicus curare ægrotos, et ægroti receperunt medicum.

Alia translatio habet : *Deus in gradibus ejus cognoscetur*, et futura resurrectio intelligitur, quando secundum gradus meritorum in diversas mansiones constituentur gaudiorum, cum sicut stella a stella differt in claritate, ita unusquisque differt in gloriæ diversitate. In his gradibus *Deus cognoscetur, cum suscipiet eam* de hoc mundo in cœlum, quando nemo docebit proximum, dicens : Cognosce Dominum, quia omnes a minimo usque ad maximum eum cognoscent, quia oculo ad oculum eum sicuti est, videbunt. Hanc civitatem principis mundi, cives Babyloniæ evertere volebant, sed non valebant, quia supra firmam petram fundata erat, et defensorem Deum habebat. Unde sequitur :

VERS. 5, 6 et 7. *Quoniam ecce*, hoc est, in præsenti *reges congregati sunt* ad destruendam eam : sed videntes eam firmam ut puta firmamentum cœli *secunda Sabbati* a Deo firmatam, *convenerunt in unum*, subauditur, ipsius consortium, et facti sunt cives ejus, qui erant impugnatores ut Constantinus et alii sequaces ejus. *Ipsi* reges videntes sic esse, scilicet tam firmam, tam munitam, *admirati sunt*, id est stupuerunt. *Conturbati sunt* timentes pœnas sibi de hoc, quod eam persecuti sunt. *Commoti sunt* transeuntes de errore ad fidem. *Tremor* futuri judicii *apprehendit eos* quasi Deum fugientes. *Ibi*, hoc est in judicio erunt *dolores ut parturientis*. Quod ipsi considerantes, dolorem parturientis in pœnitentia imitati sunt, quando bonam voluntatem conceperunt, optimum opus peperunt, et veterem hominem deponentes novi geniti sunt. Ideo vox Ecclesiæ in laude Dei sequitur :

VERS. 8. *In spiritu vehementi*, id est impetu Spiritus sancti, *conteres naves Tharsis*, hoc est negotia in quibus solebant explorare mundi gaudia, per quæ negotia acquirebant divitias, unde lætarentur. *Tharsis* enim interpretatur *exploratio gaudii*.

Quæritur a doctis, quæ civitas dicta sit *Tharsis*? Et quibusdam visum est esse Ciliciam quæ a Thar-

Digitized by Google

so metropoli *Tharsis* dicatur. Alii affirmant esse Carthaginem, quæ olim dicta est *Tharsis*, inclyta navibus a Didone adductis et egregia negotiationibus. Hæc civitas absque dubio est hic *Tharsis* appellata, quia et ab interpretibus de Isaia et Ezechiele Carthago est *Tharsis* translata. Significat autem *superbiam gentium*, quæ sperat in incerto divitiarum et circumfertur vento concupiscentiarum. Sed Dominus *naves Tharsis in spiritu conteret*, quando per gratiam Spiritus sancti potentes caducas divitias et mundi gaudia despicere, sed æterna appetere tribuit.

In Hebræo legitur : *In vento uredinis confringes naves Tharsis*, id est in timore forti divites humiliabis. *Tharsis* quoque interpretatur *mare*, et significat sæculum. *Naves Tharsis* sunt civitates mundi, quæ populum ut *naves* vehunt in salo sæculi. Harum gubernatores sunt principes. Quæ naves *spiritu vehementi* conteruntur, dum urbes cum suis principibus per Spiritum sanctum Christo subjiciuntur, vel furore justi judicii ab hostibus subvertuntur.

Possunt et hæc ad Christi nativitatem referri. *Deus in domibus ejus cognoscetur, cum suscipiet eam*, hoc est, Deus in Christo cognitus a fidelibus, cum carnem suscepit ab hominibus. Et unde cognitus? *Quoniam ecce reges*, scilicet magi *congregati sunt*, et *convenerunt in unum* consensum cum muneribus adorare eum. Vel principes Judæorum per Herodem *congregati sunt*, ut inquireret ab eis ubi Christus nasceretur. Qui *convenerunt in unum* dicentes eum in Bethlehem nasciturum. *Congregati sunt*, ut dicerent, quod legerunt : *in unum convenerunt*, quando unam sententiam protulerunt. *Ipsi videntes*, hoc est, Scribæ in prophetis *sic* scriptum intelligentes, *admirati sunt*, sic impletum esse. *Conturbati sunt* cum Herode, *commoti sunt* de magorum adventu. *Tremor apprehendit eos* de cœlesti signo. *Ibi dolores ut parturientis*, quia Herodes successorem regni suspicatus dolorem cordis concepit, iniquitatem peperit, quando dolorem parturientibus auxit, dum partus recentes occidit. De quo subditur : *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis*, quia in furore magno Herodes naves Tharso-Ciliciæ confregit, per quas magos in suam provinciam occulte transpositos credidit. Magi autem ad suos reversi dicunt :

Vers. 9. *Sicut audivimus* dictum per Balaam : « Orietur stella ex Jacob (*Num.* xxiv, 17), » ita *vidimus in civitate Domini* Bethlehem. Gentes ad nuptias invitatæ, et Ecclesiam civitatem Dei ingressæ dicunt : *Sicut audivimus* in promissionibus, *sic vidimus* in exhibitionibus. *Sicut audivimus* in prophetia, *sic vidimus* in Evangelio. *Sicut audivimus* antea prophetatum, tali modo et eo ordine *videmus* totum esse completum *in civitate Domini virtutum*, id est angelorum. Vel ut alia editio habet : *exercituum*, id est supernorum et inferiorum civium, scilicet *in civitate Dei nostri*, id est Jesu Christi, qui est *Deus noster*. Totum quippe et ita factum est in constitutione Ecclesiæ, ut prophetæ prædixerunt. De qua subditur : *Deus fundavit eam in æternum* mansuram. Babylonia interibit, civitas Dei in æternum stabit. Et qualiter sit fundata, exponitur :

Vers. 10. *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.* Templum Dei synagoga intelligitur, cujus *medium* Jerusalem accipitur, in qua templum fuit, in quo Deus a Judæis colebatur. *Misericordia* Dei erat Christus, qui ad liberandam Synagogam est missus. Hanc *misericordiam* gentes *in medio templi* susceperunt, dum Christum in Synagoga natum, in Jerusalem hostiam vivam immolatum, per fidem recipere meruerunt. *Templum* etiam Dei virgo Maria fuit, *in* cujus *medio* misericordia Dei Christus in carne latuit, quem Ecclesia suscepit, dum eum de virgine natum credidit. *Templum* quoque Dei est Ecclesia, cujus *medium* est apostolicus ordo et alii perfecti, ambitus ejus imperfecti. *Misericordia* autem Dei Spiritus sanctus intelligitur, qui non ex debito, sed ex gratia datur. Hæc *misericordia* in medium *templi* descendit, dum Spiritus sanctus in igneis linguis super apostolos et alios credentes venit. *In medio templi* hanc *misericordiam* gentes susceperunt, dum Spiritum sanctum per apostolos accipere meruerunt. *Medium* etiam hujus *templi* sacerdotes sunt, per quorum ministerium hodie fideles Spiritum sanctum accipiunt, vel pœnitentes *misericordiam* reconciliationis suscipiunt. Unde et in persona sacerdotum hic psalmus canitur. Et nihilominus *templum* Dei quilibet fidelis, sicut scribitur : « Templum Dei sanctum est, quod estis vos (*I Cor.* iii, 17). » Hujus *templi medium* cor intelligitur, in quo misericordia Spiritus sancti suscipitur. Et quod pro hujus misericordiæ susceptione ubique Deus laudetur, subditur :

Vers. 11. *Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ*, id est, tam ample laudabilis quam ample colitur *nomen tuum*, quod est Deus. Per *omnes fines terræ* colitur illud nomen *Deus*, quamvis ab ignaris creaturæ imponatur ut a paganis. Sed quia Ecclesia per omnes *fines terræ* diffunditur, *nomen* Dei ubique terrarum laudatur, a qui bus laus Dei sit acceptabilis, sequitur : *Justitia est plena dextera tua*, id est misericordia tua, est referta justis. Nam tu constitues justos in omni terra, a quibus lauderis. Et quia per misericordiam justos ex massa perditorum segregasti,

Vers. 12. *Lætetur mons Sion*, id est primitiva Ecclesia, *et exsultent filiæ Judæ*, id est Ecclesiæ gentium, filiæ primitivæ Ecclesiæ de Judæa, quæ eos genuit in fide : *propter judicia tua, Domine*, quod propter justitiam vasa iræ præparasti in contumeliam, et propter gratiam vasa misericordiæ præparasti ad gloriam.

Aliter : Quidam prave viventes, sunt etiam perverse sic loquentes : si omnes, qui talia agunt, peribunt ; ergo pauci salvi erunt. His respondet Spiri-

Digitized by Google

tus sanctus : *Justitia plena est dextera tua.* Hoc est, numerus electorum tantus erit, quod *dextera* Dei in judicio *plena* erit de justis, qui regnum vitæ hæreditabunt, et omnes impii peribunt. Tunc *lætetur mons Sion*, id est contemplativi, in virtutibus alti, gloriam Domini speculantes, *et exsultent filiæ Judæ*, id est animæ in activa vita nomen Dei confitentes, *propter judicia tua, Domine*, qui ventilabro judicii tui sic zizania a tritico segregabis, ut nec unum granum tritici cadat in acervum paleæ comburendum, nec una arista paleæ transeat ad massam in horreo recondendam. Et cum hoc sit futurum, vos *filiæ Judæ*, id est Ecclesiæ gentium

Vers. 13. *Circumdate Sion*, id est, imitamini Ecclesiam de Sion, *et complectimini eam*, hoc est, diligite eam : *Narrate in turribus ejus*, hoc est, prædicate aliis in apostolis, qui sunt *turres Sion*. Non discrepet prædicatio vestra a prædicatione apostolorum, qui *turres* civitatis Ecclesiæ fuerunt, qui eam ab hæresibus munierunt.

Vers. 14. *Ponite corda vestra in virtute ejus*, id est in charitate *ejus*. Ex corde imitamini eam in omni bona vita. *Et distribuite domus ejus*, hoc est, urbes per provincias dividite inter vos ad prædicandum, sicut apostoli regiones sibi distribuerunt, dum Petrus Italiam, Paulus Græciam, Joannes Asiam, Matthæus Æthiopiam, et alii alias provincias sortiti sunt.

Alia translatio habet : *Separate palatia ejus*, hoc est. discernite orthodoxos prædicatores a pseudo- A prædicatoribus, cognoscite qui sint turres Sion civitatem Dei defendentes, et qui sint machinæ eam destruentes, *Ut enarretis in progenie altera*, hoc est, ut aliam progeniem adhuc futuram aliis narretis, et posteri vestri aliis *enarrent* quod vos eis narrastis.

Alia translatio habet ; *Distribuite gradus ejus*, hoc est, distincta officia in Ecclesia, civitate Dei, gratis ordinate. In clero disponite ostiarios, lectores, cantatores, acolythos, subdiaconos, diaconos, presbyteros, episcopos : in populo præfectos, comites, duces, patricios, reges, imperatores, ut per hos gradus consummetur opus civitatis Dei. *Ut enarretis in progenie altera.* Una progenies est Hebræorum, altera Christianorum. In hac altera progenie narrant hi gradus magnalia Dei dicentes :

Vers. 15. *Quoniam hic* Jesus Christus, qui *est Deus* et homo, est *Deus noster*, et eum colimus. Hic rex Dominus hujus civitatis *est Deus*, et Dominus *noster in æternum et in sæculum sæculi*, id est, et in hoc sæculo et in futuro. Non novus, sed *Deus* creator *ipse reget nos in sæcula*, hoc est, idem *ipse Deus* rex *noster erit in æternum*. Per hoc, quod isti gradus in altera progenie ista narrant, alii et alii in hanc civitatem ad nuptias segregatim properant.

Hic psalmus ideo in Nativitate Domini psallitur, quia Christus tunc de templo virginalia mundo excipitur. Ideo hunc Ecclesia in Pentecoste canit, quia tunc spiritus vehemens totam domum replevit.

PSALMUS XLVIII.

Audite hæc, omnes gentes ; auribus percipite, etc. In superiori psalmo gradus in Ecclesia distribui sunt jussi, ut enarrent in altera progenie magnalia Dei. Qui in hoc psalmo futuro populo Dei prædicant et mundi amatoribus damnationem, ipsius vero contemptoribus vitæ remunerationem prænuntiant. Hic psalmus in quadragesimo octavo loco calculatur, qui per senarium et octonarium multiplicatur, significans quod hi, qui in sex ætatibus sæculi mittunt justitiæ semina, in octo beatitudinibus æterna metent gaudia. Titulus est :

(Vers. 1.) IN FINEM FILIIS CORE PSALMUS DAVID (120).

David, quod sonat *manu fortis*, designat hic clerum in varios gradus dispositum contra vitia fortem. Ad hoc canitur hic hymnus *filiis Core*, id est omnibus Christianis, ut sint *in finem*, id est perfecti. *Finis* enim significat hic perfectionem. Materia psalmi sunt mundanis inhiantes, et ad nuptias Christi venire recusantes. Intentio est nos deterrere ab appetitu terrenorum, et accendere animum nostrum ad desiderium æternorum. Verba sumpta videntur de Balaam sacerdote gentilium, qui aurem in parabolam inclinavit, quando multa parabolice populo ventura prænuntiavit (*Num.* XXIII, XXIV). Quem iniquitas calcanei sui circumdedit, dum pro iniquo consilio gladio occubuit, ubi insipiens populus Israel et stultus populus Madian perierunt, divitias suas alienis reliquerunt, et ipse Balaam comparatus est jumentis insipientibus, quando ei asinus est locutus increpans stulti prophetæ insipientiam, et cætera hujus psalmi eis conveniunt, qui ibi perierunt. Significat autem stultum ordinem sacerdotum, qui avaritia excæcati sunt, et populum pravo exemplo decipiunt.

Psalmus quadriformis est. Prima pars est : *Audite hæc, omnes gentes*, in qua regis et sponsi allocutio. Secunda : *Simul insipiens et stultus peribunt*, in qua pravorum perditio. Tertia : *Sicut oves in inferno*, in qua malorum damnatio et bonorum eruptio. Quarta : *Ne timueritis*, in qua justorum consolatio et iniquorum notatur desolatio. In Psalmo *Eructavit* rex fecit nuptias filio suo ; in Psalmo *Deus noster refugium* misit servos suos invitatos vocare ; in Psalmo *Omnes gentes* invitati convenerunt ;

(120) In Vulgata *David* omittitur

Digitized by Google

in Psalmo *Magnus Dominus* laudes Sponso cecinerunt; in hoc psalmo alloquitur rex convivas pro his, qui ob terrenas divitias ad nuptias venire neglexerunt, et, quæ eis ventura sunt, prædicit.

Vers. 2. *Audite hæc, omnes gentes*, quæ dicturus sum, *auribus percipite omnes qui habitatis orbem. Audire* est, quæ dicuntur, auscultare : *Auribus percipere* est diligenter intendere. Per *omnes gentes* pagani, per *habitatores orbis* intelliguntur Christiani. *Orbis* Ecclesia vocatur, quia in rotundo mundo posita in circulum æternæ coronæ vocatur.

Vers. 3. *Quique terrigenæ, et filii hominum*, id est carnales et spirituales. *Terrigena* est, qui de terra genitus est ut Adam. *Terrigenæ* dicuntur omnes Adæ imitatores, mundi amatores. *Filius hominis* est Christus de virgine natus. *Filii hominum* sunt omnes justi imitatores Christi. *In unum dives et pauper*, hoc est, servi vel liberi, vel humiles et superbi. Nota totum genus humanum in sex genera hic distributum : In *gentes*, quod sunt infideles, in *habitatores orbis*, quod sunt fideles; in *terrigenas*, quod sunt carnales; *in filios hominum*, quod sunt spirituales; in *divites* et *pauperes*, quod sunt liberi et servi. Vos omnes auribus cordis verba mea obedienter audite; operibus, quæ auditis implete, quatenus ventura mala evadatis, et bona futura percipiatis. Inprimis scitote, quod hic *simul in unum dives et pauper*, id est, Christus dives in divinitate, pauper in humanitate.

Vers. 4. *Os meum loquetur sapientiam, et meditatio cordis mei prudentiam.* Per *cor* fides, per *os* confessio notatur. «Corde enim creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem (*Rom.* x, 10).» *Sapientia* ad mysteria divina declaranda, *prudentia* vero pertinet ad mores probabiles instruendos. Occulta mysteria, quæ *corde* concipio, *ore* vos docebo.

Vers. 5. *Inclinabo in parabolam aurem meam : aperiam psalterio propositionem meam. Parabola* est comparativa similitudo, et evangelica doctrina intelligitur, quæ ex maxima parte parabolice contexitur. *Psalterium*, quod decem chordas habet, vetus lex propter decem præcepta accipitur. *Propositio* est ænigma, quod proponitur ad solvendum. *Aurem meam in parabolam inclinabo*, hoc est, intellectum meum in evangelicis parabolis manifestabo : *Aperiam in Psalterio propositionem meam*, id est proposita legis ænigmata aperte solvam. Et quæ sit illa propositio, subsequitur :

Vers. 6. *Cur timebo in die mala?* Hoc est, quæ est causa, ut ego homo, vel cæteri homines timeant in die judicii, quæ est mala malis, quæ est dies miseriæ et calamitatis? Hæc est causa : *Iniquitas calcanei mei circumdedit* [*circumdabit*] *me. Calcaneus* est talus, per quem stamus, et intelligitur animæ status. *Iniquitas calcanei* hominem circumdat, cum eum de statu bonæ vitæ peccatum dejiciens obligat. Vel talus est affectio, quia sicut talo incedimus corporaliter, ita affectione spiritualiter. Talus etiam, qui est ultima pars hominis, significat perseveran- A tiam usque in finem in malis. Inde timendum est mihi et omni homini, si *iniquitas calcanei mei circumdabit me*, id est, perseverantia in peccatis in fine comprehenderit me. Unde mulieri dictum est de serpente. «Tu conteres caput illius,» id est, primam suggestionem peccati supprimes, «et ipse insidiabitur calcaneo» tuo, id est fini tuo (*Gen.* III, 15). Isti poterunt timere,

Vers. 7. *Qui confidunt in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur.* Qui de fortitudine sua vel de amicis vel divitiis præsumunt, hi in die mala timebunt, quia in die ultionis divitiæ non proderunt, nec amici amicum, nec servi dominum ibi de pœnis liberabunt. Nam

Vers. 8. *Frater non redimet* [Vulg. *redimit*], *redimet homo?* B Christus est frater humani generis, qui credentes fecit fratres et cohæredes, qui resurgens a mortuis dixit : «Ite, nuntiate fratribus meis (*Matth.* XXVIII, 10).» Hic *frater non redimet* tales, et *redimet* eos aliquis *homo* peccator? Nequaquam. Christus frater *non dabit Deo placationem suam.*

Vers. 9. *Et pretium redemptionis animæ suæ* non dabit pro tali homine. Christi *placatio* est sua ad Patrem oratio, qua interpellat pro nobis. *Pretium redemptionis animæ* est Christi sacrificium, scilicet corpus suum pro mundi salute passum, quod jugiter Patri pro redemptis ostentat. Ergo iniquis timendum est in die mala, quia nec divitiæ nec aliquis *homo redimet* eos, nec ipse Christus frater hominum passus pro eis redimet eos, nec orabit C pro eis. Ideo alia translatio habet : *Sic fratrem redimens non redimet virum, non dabit Deo placationem pro eo, et pretium redemptionis animæ eorum.*

Aliter : *Frater non redemit*, id est Christus non redemit hic malos : *redimet homo* Adam eos? Vel *frater* Moyses *non redemit* Hebræos : Christus *homo* factus *redimet* homines. *Non dabit placationem suam* nec *pretium redemptionis animæ*, nec Adam pro posteris suis, nec Moyses pro Hebræis. Aliter : iniquus *non redimet* se in die mala, quia hic non fecit. *Non dabit* Deo tunc *placationem suam*, id est pœnitentiam, per quam placatur Deus. Nec *pretium redemptionis animæ suæ*, id est eleemosynam, per quam anima in morte redimitur. Et quia nec pœ- D nitentiam de malis suis hic egit, nec eleemosynis peccata sua redemit, ideo *laborabit in æternum*, id est in æterno labore erit. Quid autem hic?

Vers. 10. *Vivet adhuc*, id est aliquantulum floret, et, sicut stultis videtur, feliciter *vivet in finem* suum; sed hic finis erit sibi ad perpetuam damnationem. Vel qui hic nocte ac die pro congregandis divitiis laborat, in quibus spem suam ponat, nec ad modicum in Deo requiescere curat, hic *in æternum* in pœnis *laborabit*, et nunquam requiescet. Si quis diceret : quid nocet sibi, cum erit mortuus? *Et vivet adhuc in finem*, id est : nolit, velit, vivet in æterno cruciatu *in finem*, id est sine fine, ubi quæret mortem, et fugiet mors ab eo. In deliciis autem positus.

Digitized by Google

VERS. 11. *Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes.* Qui enim hic sapienter vixerunt, moriendo non interibunt, quod ipse putabat; sed a miseriis liberati gaudium Domini sui intrabunt. Cum enim impius viderit hominem in Deo sapientem ab hoc sæculo migrare, dicit: Quid huic jejunia, quid castitas, quid eleemosynæ profuerunt, nonne mortuus est? Faciam ergo mihi bene dum vivo. Sic *non videt* ipse *interitum*, id est non intelligit imminere sibi mortem. Putat enim illos solummodo felices, qui hic divitiis florent; illos vero infelices, qui his carent, et cui se videt parem, non putat se fore dissimilem post mortem. — *Simul insipiens et stultus peribunt. Insipiens* est, qui non intelligit futuras pœnas; *stultus* qui intelligit et non cavet. Vel *insipiens* est, qui Dei notitiam habere contemnit; *stultus* est, qui in divitiis, et non in Domino sperat. Hi *simul*, id est æqualiter, peribunt.

Quæritur quomodo pereant, qui esse non amittunt. Omnis anima aut in amicitia hominum, aut in rebus mundi, quæ diligit, aut in bona conscientia quasi in loco requiescit. Sed mali non in conscientia, quæ sæva est, sed in mundi gaudiis requiescunt. Cum hæc in morte ablata fuerint, nec in exterioribus, nec in interioribus requiem inveniunt; idcirco in æterna tristitia erunt, qui de bonis corporis et animæ pereunt.

Quæritur cur *perditi* dicantur? Perditum dicitur, quod habitum amittitur. Deus homines in paradiso habuit, quos tunc perdidit, cum diabolo furante amisit. Quos in mundo quæsivit et invenit. De inventis multos perdidit, quia eos inter habita non habet. Illud autem, quod perditum non requiritur, illius obliviscitur. Postquam impii in infernum decident, Deus eos amplius non requiret, et ideo perditi et oblivioni traditi dicuntur, quos jam in prædio non habet. *Insipientes et stulti peribunt, et relinquent alienis divitias suas;* quia, quamvis filiis et nepotibus relinquant, ut in eleemosynas pro eis expendant, tamen non proderit eis plus quam si dimitterent alienis, qui nullas eleemosynas facerent.

Quæritur, cum homines divitias filiis suis relinquant, quomodo dicatur quod *alienis relinquant.* Vivi a mortuis sunt alieni. Vel filii male viventes a mortuis parentibus alienati sunt, quia eis subvenire non poterunt. Dives ille in Evangelio quinque fratribus divitias suas reliquerat; sed alieni ab illo erant, quia ardentem in flamma refrigerare non poterant (*Luc.* XVI, 19 et seqq.).

Aliter: Judæi insipientes fuerunt, qui prophetis de Christo non crediderunt. Stulti dicendi sunt, qui Christum venientem recipere noluerunt. Hi simul peribunt, quia et illi, qui prophetas, et isti, qui Dominum prophetarum occiderunt, in judicio damnandi sunt. Alienis divitias suas reliquerunt, quia Scripturæ legis et prophetarum ad gentes transierunt. Sequitur:

VERS. 12. *Et sepulcra eorum domus illorum in æternum. Tabernacula eorum in progenie et progenie.* Hoc est, in magnis domibus construendis laboraverunt, in quibus non habitabunt, sed *sepulcra* erunt eis *domus* perpetuæ, non palatia. Domus vero elaboratæ erunt eis *tabernacula*, de quibus transmigrabunt ad *sepulcra.* Vel divites ædificant sibi sepulcra quasi *domos æternas* magnis sumptibus, ut memoriam habeant post mortem ab hominibus. Palatia vero, in quibus temporaliter manent, sunt eis quasi *tabernacula*, quæ relinquent filiis et nepotibus tanquam *in progenie et progenie*, ut jam mortuis vocentur nomina in terris suis, id est ut laudentur a vivis. *Vocaverunt nomina sua in terris suis*, id est nominatos et famosos se fecerunt. Num in tota terra? Non, sed tantum *in terris suis* sibi vicinis. Vel divites mortui a viventibus ut Alexander invocari voluerunt. Pagani namque super sepulcra mortuorum epulantur, et in nomine eorum, qui mortui sunt, bibunt, inania cantant, nomina eorum invocant; sed hæc omnia in inferno positis nihil prosunt, sed facientibus nimium obsunt.

VERS. 13. *Et homo*, qui mortuus est, *cum in honore esset vivens*, honoribus et divitiis esset affluens, *non intellexit* Deum, qui ei bona mundi concessit. Vel *non intellexit* bona et mala futura, ut per rationem vitam suam a bestiali vita corrigeret. Ideo *comparatus est jumentis insipientibus* terrena solummodo appetendo, *et similis factus est illis* irrationabiliter vivendo. Ferox enim urso, raptor lupo, petulans asino, litigiosus cani, immundus sui, dolosus vulpi comparatur. Vel homo Adam, cum in honore paradisi esset, dignitatem suam, scilicet ut ad imaginem Dei formatum, *non intellexit. Comparatus est jumentis insipientibus* mortalitate et corruptibilitate, et *similis factus est illis* in vitæ miseriis et carnis passionibus. Et quia divitiæ excæcant stultos, et prosperitas perdet illos. Sequitur:

VERS. 14. *Hæc via illorum scandalum ipsis*, quia si aliquando ad fidem conversi fuerint, hypocritæ fiunt: quando illis laudatur æterna vita, contemptus divitiarum, in corde suo torquentur. Ergo via divitiarum est illis *scandalum*, quia in ea corruunt et ad interitum pergunt. Remanent illis in ore benedictio, et in corde maledictio. Unde subditur: *Postea in ore suo complacebunt.* Cum enim desideria sua impleverint vel assequantur, quæ volunt, tunc Deum benedicunt. De his scribitur: « Populus hic labiis me honorat, cor autem illorum longe est a me (*Isa.* XIX, 13). » Vel postquam ipsi tales sunt, tales et alios esse persuadent, quibus in suasione sua complacebunt.

Alia translatio habet: *Et post eos juxta os illorum current*, hoc est, alii imitabuntur esse juxta persuasionem illorum.

Aliter. *Hæc via illorum*, id est vita jumentorum, quam sibi elegerunt, est eis *scandalum*, id est causa futuræ damnationis, quia eos de judicio ducet ad supplicium. Unde aperte subditur:

VERS. 15. *Sicut oves in inferno positi sunt.* Similitudo

Digitized by Google

trahitur ab ovibus detonsis vel pinguibus. Sicut enim oves a lana detonduntur, ita ipsi ab omnibus divitiis suis exuuntur ; et sicut pingues oves comeduntur, sic ipsi ab incendio consumuntur. *Mors depascet eos*, hoc est, non ita consumet eos pœna, ut finiantur, sicut oves comestæ finiuntur; sed ita *mors depascet eos*, ut bos non radicitus herbam vellit, sed summitatem abscindit, substantiam eorum non imminuat, sed semper discruciando torqueat.

Alia translatio habet : *Mors est pastor eorum*, et diabolus intelligitur. Sicut enim Christus vita est pastor justorum, ita diabolus mors pastor erit impiorum.

Vers. 16. *Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi*, hoc est, de potestate Tartari, *cum acceperit me*, id est cum meam naturam in suam Deitatem sumpserit, et me ei consimilem fecerit. Sequitur vox Christi monentis :

Vers. 17. *Ne timeas* [Vulg. *timueris*] *cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus. Dives* dicitur a *divo*, id est qui post mortem ut deus habetur, qui quasi Deus nihil creditur indigere. *Homo* hic pro peccatore ponitur, qui se formidabilem aliis facit, dum jura æquitatis contemnit. Divitiæ hic intelliguntur in pecuniis, *gloria domus* in honoribus et dignitatibus. Hos tales timent pauperes. Vel etiam multi, cum nequam homines viderint *gloria* et divitiis florere, se autem egere, *timent* res humanas a Deo negligi, et omnia fortuito casu fieri. His dicitur : *ne timueris* hominem, quia *dives* est, et quia est *gloriosus*, nec propter divitias, nec propter multiplicem familiæ potestatem.

Vers. 18. *Quoniam cum interierit, non sumet omnia*, id est nihil omnium divitiarum suarum *sumet* secum ; *neque descendet cum eo gloria ejus* ad inferos. Nota duo *quasi*, unum injustis, aliud justis ascribitur. Cum quis de somno evigilaverit, dicit : Vidi me *quasi* manducare, *quasi* bibere. Ita impiis post mortem est, *quasi* in somnis viderint se divitias habuisse, *quasi* in gloria et honore fuisse. Tunc autem in vera miseria se sentient esse, et ista omnia *quasi* somnia evanuisse. Justi autem sunt hic *quasi* tristes, ibi autem veraciter semper gaudentes. Hic *quasi* nihil habentes, ibi omnia possidentes. Impius moriens *non sumet* secum *omnia*, quæ hic habuit, præter sola peccata, in quibus in illa patria cruciabitur; qui in ista super pauperes pretiosis vestibus gloriabatur, nec *gloria ejus cum eo descendet* in abyssum profundissimam, quo solus descendet inglorius, inops, fœdus, nudus.

Vers. 19. *Quia anima ejus in vita ipsius benedicitur*, id est in hac tantum vita, quæ est *ipsius*, scilicet sibi concessa, exaltatur, a suis complicibus laudatur, a garrulis in suis desideriis benedicitur. *Confitebitur tibi, cum bene feceris ei*, id est laudabit te, cum temporalia dederis ei. Et non solum his bonis carebit, sed et pœnas habebit. Nam

Vers. 20. *Introibit usque in progenies patrum suorum*, id est, descendet usque ad illum locum, quo descenderunt imitatores priorum impiorum, qui eos in peccatis generaverunt. Progenies malorum cœpit a Cain, quæ quotidie in tenebrosam abyssum descendit, usquedum in ultimis tota simul in tenebras exteriores mittetur. Unde sequitur : *Usque in æternum non videbit lumen.* Quia impii hic lumen veritatis refugiunt, ideo in perpetuis tenebris erunt, ubi ratione exuti sine cognitione Dei semper erunt. Et merito. Quia

Vers. 21. *Homo cum in honore esset, non intellexit* Deum, *comparatus est* in vita *jumentis insipientibus*, et in morte *similis factus est illis.* Et quia ut pecus vixit, et nec moriens Deum æternum lumen cognovit, ideo sine fine in tenebris et pœnis erit. Hæc sunt, quæ rex omnes gentes audire voluit, hoc est ænigma, quod in lege et in Evangelio proposuit. Hac solutione omnes homines ad nuptias Ecclesiæ præparare monuit.

PSALMUS XLIX.

Deus deorum Dominus locutus est, etc.

DE EXPULSIS A NUPTIIS.

Superior psalmus egit de his, qui ad nuptias venire nolebant ; hic vero tractat de his, qui non cum veste nuptiali intraverant, quos rex ejici præceperat. Ibi dicitur quod in die mala timeant, qui in divitiis confidunt, quæ dies hic scribitur, quando Deus manifeste veniet et ignis in conspectu ejus exardescet. Summa psalmi circa hunc cardinem versatur, quod primus Christi adventus hic quasi sponsi nuptias instituentis prænuntiatur ; deinde secundus Christi adventus, et bonorum malorumque separatio describitur, et quasi regis ingressus ad discumbentes, ac non vestitos veste nuptiali ejici præcipientis exprimitur ; postremo Christi prædicatio inter homines quasi regis allocutio ad convivas, quid agendum quidve devitandum sit, notatur. Titulus est :

(Vers. 1.) PSALMUS ASAPH.

Asaph erat magister cantorum, optimus musicus a David psalmis canendis adhibitus. Dicitur autem *Asaph congregatio*, et significat synagogam fidelis populi patriarcharum et prophetarum adventum Christi prænuntiantis. Hic psalmus, id est iste hym-

Digitized by Google

nus, ascribitur Asaph, hoc est synagogæ fidelium, quæ utrumque Christi adventum prænuntiavit, et utriusque populi separationem ac veteris sacrificii abjectionem novique instructionem præcantavit.

Hic psalmus in quadragesimo nono loco calculum ponit, quem numerum septenarius septies repetitus componit et significat quod hi, qui veste septiformis Spiritus vestiuntur, ad æterni festi nuptias recipiuntur. Materia psalmi est bonorum malorumque separatio, et fidelium Deifica institutio. Intentio est ut nos bonis actibus ornemus, quatenus in die mala gaudium Domini imitemur.

Verba sumpta videntur de historia, ubi Dominus in monte Sinaï locutus est, et terram, id est synagogam vocavit, quando ignis in conspectu ejus exarsit, et valida tempestas fulgurum et tonitruorum exstitit, ubi legem dedit, et populum suum a gentibus discrevit (*Exod.* XIX, 16). Et sicut hic dicit: *Audi, populus meus, et loquar:* ita ibi dixit: *Audi, Israel, Deus tuus unus est.* Significat autem diem judicii, quando Dominus manifeste omnibus loquetur, ubi ignis impios exuret, tempestas involvet, quando justos a malis ut paleas segregabit a granis.

Tres sectiones habet: prima est, *Deus deorum*, in qua uterque Christi adventus et bonorum malorumque diremptio describitur; secunda est, *Audi, populus meus*, in qua veteris sacrificii abjectio et novi institutio exprimitur; tertia est, *Peccatori autem dixit Deus*, in qua malorum reprobatio innuitur. In priori psalmo gradus in Ecclesia distribuit quasi *filii Core* futura populo cecinerunt. In hoc psalmo prophetæ in synagoga quasi *Asaph* præcinuit.

Deus deorum Dominus locutus est. Deus Græce dicitur Θεὸς, id est *videns*, scilicet omnia præterita, præsentia, futura simul inspiciens. *Deus* etiam dicitur *timor*, eo quod omnibus sit timendus. *Dii* dicuntur homines a Deo electi et participes Divinitatis effecti. Unde scribitur: « Illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus (*Joan.* X, 35). » Angeli non dicuntur *dii*, quia non angelus, sed homo assumptus est in Deum, ut esset Deus. « Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit (*Hebr.* II, 16). » Unde angeli, qui voluerunt *dii* appellari et ab hominibus adorari, a summo Deo sunt damnati. *Deus* igitur *deorum* sua participatione deificatorum, qui est *Dominus* in rebus, *locutus est* in propria persona, qui olim *locutus est* per angelos, per patriarchas, per prophetas. *Dominus* ideo ponitur, ne servus audeat reprehendere, si Domino placeat, quod ad tempus instituit, mutare. Ut sicut sacrificium animalium suo sacrificio permutavit, et qui sacerdotibus legis nuptias concessit, sacerdotibus Ecclesiæ carnale conjugium vetuit. Christus, qui est cum Patre *Deus*, omnium rerum *Dominus locutus est*, quando *Deus* et homo in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. Quid *locutus est?* Illud quod sequitur: *Audi, populus meus*, etc. Et post suam locutionem *vocavit terram a solis ortu usque ad occasum*, id est, per apostolos *vocavit* ad fidem universam *terram*, omnes inhabitantes terram ab oriente in occidentem ad nuptias suas per missos servos invitavit. Et quo ordine, ostendit.

VERS. 2. *Ex Sion species decoris ejus*, hoc est de Jerusalem, in qua est arx vel mons *Sion*. *Species decoris* erat splendor evangelicæ prædicationis, quæ ex *Sion*, id est ab Jerusalem cœpit et ad ultimum terræ pervenit. Unde scriptum est: « De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem (*Isa.* II, 3), » quia in *Sion* per Spiritum sanctum data est lex charitatis, et Verbum Domini, id est Evangelium primitus post acceptum Spiritum sanctum prædicatum est in Jerusalem populis. *Species* quoque *decoris* est institutio Dominici corporis, quæ in *Sion* in cœnaculo magno strato facta est, qui fuit speciosus forma præ filiis. Vel *species decoris* erant innocentia et virtutes, quæ de *Sion*, id est de primitiva Ecclesia, præcesserunt, cum totam terram vocaverunt. *Et* quomodo loquitur?

VERS. 3. *Deus manifeste veniet*, id est Deus, qui est occultus in sua natura, homo fiet, et omnibus conspicabilis veniet, et in propria persona loquetur, non alius Deus, quam *Deus noster*, id est creator *noster*, vel qui est *noster Deus* singulari modo. *Et non silebit*, id est, non tacebit se esse Deum deorum et *nostrum Deum*. Et cum venerit, *ignis in conspectu ejus exardescet*, hoc est, charitas in illis ardebit, qui eum aspicient, id est, intelligent Deum esse. *Et in circuitu ejus tempestas valida*, hoc est, illis qui conspicient tantum *circuitum ejus*, id est, humanitatem ejus, erit excæcatio et inconstantia, quæ impellet eos in diversa vitia.

VERS. 4. *Advocabit cœlum desursum*, hoc est apostolos, qui sunt *cœlum*, ut ipse sit *desursum*, id est super eos et per eos vocabit *terram*. Vide similitudinem. Cœlum pluit super *terram*. Sic doctrina de apostolis super Ecclesiam. Quare vocavit? *discernere populum suum*, id est, ad discernendam *terram* suam a non sua. Nunc prosilit persona Asaph ad eos cœlos hortandos.

VERS. 5. *Congregate illi sanctos ejus*, hoc est, apportate illi eos, qui sunt futuri sancti per eum. *Qui ordinant testamentum ejus super sacrificia*, id est, majus sacrificium reputant, quod ipse instituit, quam *sacrificia* legis. Vel *qui ordinant*, id est, fundant Novum Testamentum super Vetus, in quo scripta sunt *sacrificia*.

VERS. 6. *Et annuntiabunt cœli*, id est iidem apostoli, *iustitiam ejus*, videlicet justificationem ab eo esse. *Quoniam Deus judex est*, hoc est, illud etiam annuntiabunt, *quoniam* ille idem est *Judex*, et remunerabit, quos hic justificat, et qui nolunt ab eo justificari, damnabit.

Istud etiam de secundo Christi adventu intelligitur. *Ex Sion species decoris ejus*, hoc est, de Sion nascetur et humilis apparebit et in illo suo adventu non exercens potestatem in malos. Sed tandem *Deus manifeste veniet. Manifestus* dicitur, quasi a manu

Digitized by Google

dies festus, eo quod tota die vacatur sacrificiis. Dies judicii erit dies festus bonis ; sed dies infestus malis. Qua die non veniet occultus, ut prius in humilitate ; sed *manifeste* ostendet se Deum esse. *Deus noster* Christianorum *veniet, et non silebit* a vindicta, qui hic siluit in pœna. *Ignis in conspectu ejus exardescet*, id est, in præsentia ejus ardebit ignis, in quo impii sceleribus graves remanebunt, qui ignis ut dicitur, usque eo attinget, quo diluvium ascendit. *Et in circuitu ejus tempestas valida*, hoc est, angeli erunt in servitio ejus, qui separabunt malos de medio justorum, sicut *tempestas* separat paleas a granis. Hæc *tempestas* non fit ventis nec procellis, sed divina potentia consurgit Spiritus vehemens angelici officii, qui aream Domini ventilet, malos a bonis separet. Quæ judicatio *tempestas* dicitur, quia improvisa veniet. Quæ erit *valida*, id est potens, quia omne hominum genus momentanea celeritate pro suis meritis discernet. In judicio quatuor ordines erunt, duo a dextris et duo a sinistris. Unus ordo perfectorum cum Christo judicantium, ut apostoli, martyres, monachi, virgines. Alter imperfectorum per judicium regnum percipientium, ut conjugati, pœnitentes. Tertius ordo impiorum sine judicio pereuntium, ut sunt pagani vel Judæi. Quartus malorum per judicium pereuntium, ut sunt mali Christiani, vel ante Christi adventum Judæi. De his ordinibus hic subditur : *Advocabit cœlum desursum, et terram discernere populum suum*, hoc est, *desursum* veniens *advocabit* per angelos suos *cœlum et terram* ad discernendum cœlum a terra, et terram a terra non sua. *Cœlum* sunt perfecti, qui judicabunt : *terra* sunt fructuosi, qui ad vitam per hæc verba judicabuntur : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum vobis ab initio præparatum. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare, etc. » (*Matth.* xxv, 34 et 35.) Terra spinosa sunt infructuosi, in bonis operibus steriles, qui per judicium his verbis damnabuntur? « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare, etc. » (*Matth.* xxv, 41 et seqq.) Pessimi sine judicio ab inferno deglutiuntur.

Vel *Advocabit cœlum desursum et terram* deorsum, id est omnes angelos secum de cœlis ad judicium adducet : et omnes homines de terra sibi obviam venire faciet, et tunc populum suum discernet a populo non suo, quando justos ut agnos a dextris, impios ut hædos a sinistris constituet. Hoc totum fit per angelos, quibus nunc dicitur : *Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.* Hoc est, vos angeli colligite sanctos de medio malorum repræsentantes illi, qui intelligunt promissiones ejus super opera sua, et reputant majorem remunerationem in futuro, quam sua opera in hac vita. Tunc angeli colligent eos qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis. *Et annuntiabunt cœli justitiam ejus, quoniam Deus judex est*, hoc est, justi non voce, sed sua glorificatione ostendent eum justum judicem esse, quando ibunt in vitam æternam, impii autem in supplicium æternum. Licet enim tempestas sit valida, nullum tamen granum tollit a parte tritici ad paleam, quia non quilibet rusticus cum tridente, sed Deus Trinitas justo judicio ventilabit, quæ zizania in ignem inexstinguibilem, triticum autem in horreum congregabit. Ejectis de nuptiis, qui sine veste nuptiali intraverant, rex alloquitur invitatos, qui intus remanserant :

Vers. 7. *Audi, populus meus, et loquar*, hoc est, populo *meus* meo nomine vocatus, non populus Pharaonis, *audi* obediendo, *et loquar* profutura tibi præcipiendo. *Israel*, id est *videns Deum*, doctus a lege et prophetis, esto fide et dilectione *Israel* electus et benedictus, *et testificabor tibi*, id est testimoniis comprobabo, quod ego, quem vides hominem, *sum Deus*, et non alius quam *Deus tuus*. *Sum* Divinitati congruit, quod utraque lex innuit. Vetus, quæ dicit : « Ego sum, qui sum (*Exod.* III, 14) : » nova, quæ conjungit, « Antequam Abraham fieret, ego sum (*Joan.* VIII, 58). » *Sum* habet tres litteras et unam syllabam : et præfert trinitatem in unitate, quod etiam ipsæ litteræ innuunt : quia *sator* Pater, *veritas* Filius, *munus* Spiritus sanctus invenitur. Sibimet ipsi *sum*, nobis autem *est* nominatur. Sequitur :

Vers. 8. *Non in sacrificiis tuis arguam te*, hoc est, ulterius *non arguam te* in omnibus *sacrificiis tuis*. Sacrificia legis prohibet, ut suum sacrificium instituat, sicut pater familias invitatos pecudes, et aves offerre ad convivium prohibet, ut a se præparata consumant. De *sacrificiis* legis *non arguam. Holocausta tua in conspectu meo sunt semper*, hoc est, si tu totum consumpseris in servitio meo, hoc placuit, et semper placebit mihi. Propter interpretationem tantum posuit *holocausta*, non propter sacrificium, quia *holocaustum* dicitur totum incensum. Quæ respuat, sequitur :

Vers. 9. *Non accipiam de domo tua vitulos*, id est si habueris, non offeras : *neque de gregibus tuis hircos* offeras. Per hæc duo sacrificia designat cætera omnia veteris legis excludenda, quæ propter signum erant instituta ; tamen pro decima sunt offerenda. Idcirco promisit etiam templum destrui, quod erat locus sacrificii, quia voluit omnia spiritualiter offerri. Causam reddit, quare non accipiat :

Vers. 10. *Quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum, jumenta in montibus et boves.* Sicut sunt *jumenta* domestica, ita sunt silvestria : et sicut sunt boves domestici, ita sunt et boves silvestres. Hæc omnia sunt Dei, quia ipse condidit omnia.

Vers. 11. *Cognovi omnia volatilia cœli : et pulchritudo agri mecum est*, id est aves meæ sunt, et fruges apud me sunt, hoc est, in mea potestate. Alia est cognitio Dei, alia hominis. Antequam essent, cognovit Deus omnia, ut hodie sunt, quia, si non cognovisset, minime creasset. Omnia enim in

Digitized by Google

ipso vita erant, et omne quod unquam et est et erit, semper secum sunt, ita ut, si omnia in nihilum redigerentur, cuncta in eo integra invenirentur. Nota quod de avibus et de frugibus offerebant. Ista sacrificia non vult Deus amplius pro peccatis accipere, sed sacrificium justitiæ.

Potest et hoc alio modo intelligi. *Feræ silvarum* significant gentes, quæ in nemoribus sæculi feroci superstitione versabantur. *Jumenta in montibus* sunt simplices in catholica Ecclesia constituti, qui in cacumine fidei habitare noscuntur. *Boves* indicant apostolos et prophetas, qui in agro Domini assiduo labore versati sunt. *Volatilia cœli* sunt supernæ virtutes, ut sunt angelicæ potestates, quæ motu celeri sancta voluntate spiritualiter transferuntur. *Species agri* est decus Ecclesiæ. Hæc omnia Dei sunt, et hæc omnia sigillatim cognoscit, quia omnia in mensura et in numero et pondere disposuit. Unde sequitur :

Vers. 12. *Si esuriero non dicam tibi : meus est enim orbis terræ et plenitudo ejus.* Dominus non esurit nec sitit, sed more nostro hoc dicit : pro peccatis tuis nihil terrenum expeto, quia mea est terra, et omnia, quæ in ea sunt, mea sunt. Et ne quis putaret Deum his delectari, dicitur :

Vers. 13. *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Quis insanus hoc credat? Non gustabo. Per ista dicta a legali sacrificio fideles prohibentur, et ut talia in acceptum sacrificium pauperibus erogentur. Quid a populo suo nolit, jam dixit; quid ab Israel velit, subjungit :

Vers. 14. *Immola Deo sacrificium laudis*, id est offer mihi Deo tuo devotionem cordis, confessionem oris, instantiam boni operis, quo sacrificio laudatur Deus. *Et redde Altissimo vota tua*, hoc est reputa te hoc habere a Deo potentissimo. *Reddere* enim illud dicimus, quod ab eodem accepimus.

Vers. 15. *Et invoca me in die tribulationis*, id est si hoc feceris, tunc secure me invocare poteris *in die* tuæ mortis, et *eruam te* a tribulatione, quam tunc videbis, *et honorificabis me.* Ita te liberabo, ut ulterius faciam te semper laudare me. In discessu cujusque ab hac vita statim occurrunt maligni spiritus accusantes animam, et tunc quoddam judicium fit animæ, sicut animæ Moysi legitur ab immundis spiritibus obviatum. Qui tunc liberabitur, in æterna requie collocabitur. Qui bene vixit, tunc eruitur a tribulatione, quam videt imminere : qui male, mancipatur pœnis, donec solvat novissimum quadrantem, hoc est, luat minimum peccatum. Sed quia multi laudant Deum ore, non opere, subditur :

Vers. 16. *Peccatori autem dixit Deus.* Asaph verba Dei repræsentat. *Quare tu enarras justitiam meam?* id est cur *enarras* aliis Scripturas ubi continentur justitiæ meæ, quibus justifico et promoveo et remunero? Quare *et assumis testamentum meum per os tuum?* id est Scripturam meam, ubi testor meas voluntates? Aliud est aliis enarrare, aliud propter se assumere, sicut horas psallere, orationem facere, quod non facit nisi pro se. Os debet rem justam, quod justitias Domini enarret, quia « non est speciosa laus in ore peccatoris (*Eccli.* xv, 9). » Hoc specialiter de hæreticis accipitur et de his, qui bene dicunt, et male vivunt, dicentes : Non perdet nos Deus, per quorum os tanta bona voluit dici populo suo. De his subditur :

Vers. 17. *Tu vero odisti disciplinam. Disciplina* est correptio. Deus quos amat, arguit et castigat : « Flagellat » enim « omnem filium, quem recipit (*Hebr.* xi, 6). » Dum bene docentem et male viventem Deus flagellat, et *disciplinam* Dei odit et pro illata misericordi pœna murmurat. Inde sequitur : *Et projecisti sermonem meum retrorsum*, id est ore narras, operibus spernis præcepta mea. Qualiter?

Vers. 18. *Si videbas furem, currebas cum eo*, id est consentiebas dando consilium vel hortando vel pariter operando. *Et cum adulteris portionem tuam ponebas*, in illud consentiendo. Similiter de omnibus peccatis intelligitur. Et non solum in factis, sed etiam in dictis me sprevisti.

Vers. 19. *Os tuum abundavit malitia.* Aperte dixisti omnem malitiam fratri tuo recte viventi, vocando eum simulatorem, hypocritam, deceptorem. *Et lingua tua concinnabat dolos. Concinnare* est artificiose componere. Composite per artem miscebas dolos bonis verbis.

In Hebræo habetur : *Os tuum dimisisti ad malitiam, et lingua tua amplexata est dolositatem*, hoc est corde fuisti malignus et verbis dolosus.

Vers. 20 et 21. *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris.* Sedere morantis est. *Fratrem* vult omnem hominem intelligi. Nam omnes de Adam et Eva nati sumus, et ideo fratres sumus. *Sedens loquebaris*, hoc est, studiose et perseveranter malitiam et dolos proximo tuo ingessisti. *Et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum*, hoc est, contra filium Ecclesiæ, quæ falso putatur mater tua, ponebas offensionem male loquendo tu dolose : *hæc* et his similia *fecisti et tacui* a vindicta. Et quia non statim punivi,

Existimasti inique quod ero tui similis. Si Deo placeret iniquitas, esset homini similis, cui placet quod facit. Injuste putasti quod essem tibi similis in hoc, quod mihi iniquitas placeret sicut tibi, cum eam non punivi. Erit quandoque, quod apparebo tibi similis, cum *arguam te*, id est cum convincam te male vixisse, *et statuam contra faciem tuam*, qui modo ponis te post dorsum tuum.

In Hebræo sic legitur : *Existimasti futurum me similem tui : arguam te, et ponam te ante oculos tuos.* Nunc peccatores peccata sua post tergum projiciunt, et per pœnitentiam aspicere nolunt : in judicio fœditatem suam ante oculos videbunt. Unde in perpetuum confusi dolebunt.

Vers. 22. *Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum*

Digitized by Google

hoc est, qui estis obliti Deum judicaturum, animadvertite quod arguam vos de peccatis, et statuam vos contra faciem vestram, id est per vos ipsos convincam vos. Ideo nunc corrigite vos, *ne quando rapiat, et non sit qui eripiat*, hoc est, ne tandem faciat vos rapi suo judicio a diabolo, et tunc nullus eripiet vos, qui nunc potestis eripi ab eo. Et quid vis nos facere? Dicam :

VERS. 23. *Sacrificium laudis honorificabit me*, hoc est, volo ut facias mihi *sacrificium laudis*, non pecudis : crede corde, lauda ore, manibus bene operare. *Et illic iter, quod ostendam illi salutare Dei*, hoc est, in illo *sacrificio* est iter, quo itinere ducam illum usque ad visionem Filii Dei, hoc est, per hoc sacrificium perveniet ad cognitionem mei.

In Hebræo legitur : *Qui immolat confessionem glorificat me, et qui ordinat viam, ostendam ei salutare Dei.* Hoc est, qui ordinate per viam dilectionis laudando Deum ambulat, ad videndam faciem Dei perveniet, ubi Filium Dei in æqualitate Patris conspiciet sicut scribitur : « Qui diligit me, diligam eum, et manifestabo ei meipsum (*Joan.* XIV, 21). » Hæc sunt quæ Deus deorum Dominus populo suo Israel locutus est.

PSALMUS L.

Miserere mei, Deus, secundum, etc. Hic psalmus quartus de pœnitentialibus scribitur; quia per quatuor virtutes, prudentiam, fortitudinem, justitiam, temperantiam, homo perfectus efficitur. Septem autem pœnitentiales psalmi ideo ponuntur, quia per septem dona Spiritus sancti peccata remittuntur. Primus Spiritui timoris, secundus Spiritui pietatis, tertius Spiritui scientiæ, hic quartus Spiritui fortitudinis ascribitur, quæ una de quatuor principalibus virtutibus ponitur. In hoc psalmo præcipue humilitas et oratio notantur, per quas maxime peccata relaxantur.

In quinquagesimo loco ponitur quotus numerus dierum ad Pentecosten scribitur, et significat lætitiam, quam pœnitens assequitur per veniam. Hoc expressum est per annum quinquagesimum, qui dictus est jubilæus, id est, jubilatione plenus, in quo recepit populus amissam hæreditatem, et venditus rediit ad perditam libertatem. Sic per pœnitentiam amissa hæreditas paradisi recipitur, et ad pristinam libertatem reditur. Homo enim concupiscentia victus sub peccato venundatur, cum omnis qui facit peccatum servus peccati efficiatur. In quinquagesimo numero denarius quinquies multiplicatur, quia post quinque sæculi ætates Christus salus hominum et vitæ denarius generatur, per quem Spiritus sanctus, qui est remissio peccatorum, datur. Titulus hujus psalmi est :

(VERS. 1, 2.) IN FINEM, PSALMUS DAVID, CUM VENIT AD EUM NATHAN PROPHETA, QUANDO INTRAVIT AD BETHSABEE.

Nota est historia : Urias unus de ducibus David pulchram uxorem habuit, quam rex se balneantem conspiciens concupivit, adduci præcepit, cum ea concubuit. Interim vir ejus in obsidione cujusdam civitatis cum exercitu consedit, sed Davidis consilio occisus interiit. Hoc facto misit Dominus Nathan prophetam ad David, qui ei paradigma de ove et hospite proposuit, per quod ei culpam perpetratam objecit. David vero commissum scelus agnoscens et comminationem Domini terribilem expavescens, pœnitentiam ex corde egit, et hunc psalmum pro satisfactione composuit, et pristinam gratiam a Domino promeruit (*II Reg.* XII).

Hic ergo *psalmus* ascribitur *David* regi et prophetæ, qui erat respiciens *in finem*, id est in Christum, per quem vidit sibi remittendum peccatum : *dum venit ad eum Nathan propheta, quando intravit ad Bethsabee*, hoc est, quando eum Nathan propheta increpavit pro adulterio commisso Bethsabee et homicidio Uriæ.

Nathan, qui David de pœnitentia monuit, dicitur *dedit*, et significat ordinem doctorum, qui populo fidelium consilium de pœnitentia dat. Qui paradigma de ovibus proposuit, quia bonus pastor animam pro ovibus posuit. Porro ad litteram homo, qui multas oves habuit, David fuit, qui multas uxores habuit. Pauper, qui unam habuit, Urias fuit, qui unam tantum uxorem habuit. Hospes, cui pauperis ovis occiditur, est illicitus amor, qui de copulatione uxoris reficitur. Et nota quod luxuria apud David hospes fuit, apud Salomonem vero regnum tenuit.

Lapsus sanctorum ideo scribuntur, ut potentia medici in salutem desperati ægroti commendetur, et lapsi exemplo illorum ad spem veniæ animentur. Sed stulti formam peccandi de sanctis sumunt, formam pœnitendi refugiunt.

Cum Davidi sicut aliis hominibus peccatum sit a Deo imputatum, et etiam districte in eo sit vindicatum, quæritur cur in figura ponatur. Sed sciendum est quod Deus de toto humano genere Israeliticum populum in figuram elegerit, qui populus Christiani populi umbra fuit. Nam quidquid vel inscius fecit, futurum aliquando prænotuit. Specialiter tamen Spiritus sanctus, quod de illis vel de cunctis retro populis per prophetas scribi voluit, figura futuri fuit. Unde scribitur : « omnia in figura contingebant illis (*I Cor.* X, 11). » David itaque Christi figuram, Bethsabee Ecclesiæ, Urias diaboli imaginem gessit. Et sicut illa, dum in fonte Cedron lava-

Digitized by Google

retur exuta vestibus suis, Davidi placuit, et ad regios meruit venire complexus ; maritus quoque ejus principali jussione est trucidatus : ita et Ecclesia, id est congregatio fidelium per lavationem sacri baptismatis mundata a sordibus peccatorum, Christo Domino noscitur esse sociata, et diabolus, apostolis impugnantibus, est annihilatus. Hoc et ipsa nomina innuunt. David namque *desiderabilis*, Bethsabee *puteus testamenti*, Urias dicitur *gloria Dei mei*, et designat diabolum, qui sibi gloriam Dei sui usurpavit, dicens : « Similis ero Altissimo (*Isa.* XIV, 14). » Dicitur etiam : « Lux mea Deus, » significans illum qui « transfigurat se in angelum lucis (*I Cor.* XI, 14). »

Sicut Bethsabee non est passa concubitum prioris mariti, postquam copulata est David, ita Ecclesia non est conjuncta diabolo, postquam venit ad Christum desiderabilem qui fuit exspectatio gentium. Hæc *puteus testamenti* fuit, quia abyssus veteris legis in ea latuit. Urias consilio David occubuit ; et diabolus Christi consilio gentilitatem amisit. Nec mireris per adulterum figurari Christum, per adulteram denotari Ecclesiam, et per castum designari diabolum, quia nihil confert turpitudini, si litteris designetur aureis : nihil derogat honestati, si litteris denotetur atramentariis.

Materia hujus psalmi est oratio pœnitentis David. Intentio est, nos exemplo David informare ad pœnitentiam et orationem. Magna utilitas in hac oratione fidelibus confertur, ut justus de justitia sua non confidat, cum justissimum David cecidisse videat ; et peccator non desperet, dum tantum peccatorem veniam consecutum audiat.

Verba sumpta sunt de pœnitentia ipsius David, et cuique fideli congruunt, qui post lapsum ad Dominum cum satisfactione et oratione recurrunt. *Quoniam si voluisses*, de historia trahitur, ubi Deus sacrificium Cain respuit, quia justitiam non obtulit (*Gen.* IV). Vel de historia accipitur, ubi Dominus sacrificium Saul despexit, quia obedientiam conferre neglexit. Designat autem quod Deus hujus oblationem spernit, qui charitatem et humilitatem offerre contemnit. *Benigne fac*, de futura tunc historia trahitur, ubi Jerusalem a Babyloniis destruitur, sed iterum a Zorobabel et Jesu sacerdote construitur, et acceptum sacrificium Deo offertur : vel de historia, ubi Jerusalem a Romanis est destructa, sed ab Adriano imperatore denuo reædificata, in qua Christiani nunc acceptabilia Deo offerunt sacrificia. Significat autem quod Sion, id est Ecclesia, hic a paganis et hæreticis destruatur, sed per Jesum summum sacerdotem et regem Christum in cœlestem Jerusalem vivis ex lapidibus reædificatur.

In quinque membra hic psalmus dividitur, quia pro reatu quinque sensuum pœnitentia agitur. Primum est : *Miserere mei, Deus*, in quo pœnitentis satisfactio. Secundum est : *Asperges me hyssopo*, in quo misericordiæ confidentia. Tertium : *Averte faciem tuam*, in quo Trinitatis veneratio. Quartum : *Docebo iniquos*, in quo pœnitentis futura prædicatio. Quintum : *Benigne fac*, in quo pœnitentiæ acceptio notatur.

In priori psalmo terribile judicium describitur, et blanda regis admonitio subjicitur. Unde peccator cum dixit Jesus : *Quare tu enarras justitias meas?* perterritus ad judicem cum sacrificio pœnitentiæ currit, dicens :

VERS. 3. *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Misericordia* Dei tanta est ut de cœlo mundi Creatorem deposuerit, terreno corpore induerit, Patri æqualem æternitate nobis cœquaverit mortalitate : formam servi Domino mundi imposuerit, ut ipse panis vivus esuiret, fons vitæ sitiret, virtus infirmaretur, omnipotens vita moreretur. *Magna misericordia* fuit propter nos eum creatorem, servire dominatorem, vendi redemptorem, humiliari exaltatorem, occidi vivificatorem. *Secundum* modum hujus *magnæ misericordiæ miserere mei*. Christus est fons misericordiæ, in quo lotus est David, Petrus, Zachæus, Paulus, Maria, latro et alii innumerabiles, de quo sequitur :

Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Major est *multitudo* Dei miserationum, quam multitudo omnium peccatorum. Quia multiplex est tua misericordia, et magna mea miseria, ad modum tuæ multæ miserationis *dele* magnitudinem meæ iniquitatis. Similitudo trahitur a cera, cui impressa est deformis imago, qua deleta reformatur cera ad exprimendam pulchram imaginem. Ille namque solus in vitæ libro scribitur, cujus omnis iniquitas deletur.

VERS. 4. *Amplius lava me ab iniquitate mea.* Prius lavasti me de fonte baptismatis : jam *amplius lava me* de fonte lacrymarum. *Et a peccato meo munda me. Lavasti me* in baptismo ab originali, *munda me* nunc *a peccato* actuali.

VERS. 5. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco*, ideo tu ignosce, quia ego lacrymis punio, ideo tu misericorditer parce. *Et peccatum meum contra me est semper*, hoc est, quasi imago horribilis stat contra me, quam *semper* apertis et clausis oculis aspicio, et orando et plorando annihilare cupio. Superius dicitur : *arguam te et statuam* peccata *contra faciem tuam*. Hoc pœnitens præoccupat, et ponit peccatum suum contra se, *semper* illud aspiciens et illud deflens. Est autem vera pœnitentia, et commissa deflere et deflenda non committere. Ideo tu oro, quia

VERS. 6. *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci*, qui solus es sine peccato, et qui solus es bonus. Nota : ipsum misericordiæ parentem, scilicet Christum alloquitur : omnes homines vinculis peccatorum constricti tenentur : tu solus es verax et justus. *Ut justificeris in sermonibus tuis*, cum dicas : « Quis ex vobis arguet me de peccato? » (*Joan.* VIII, 46.) Et Propheta de te : « Peccatum non fecit (*I Petr.* II, 22). » Et : « Princeps mundi veniet ad te, et in te nihil de suo inveniet (*Joan.* XIV, 30). » *Et vincas* je-

Digitized by Google

stitia omnes homines, *cum judicaris* ab injustis dicentibus : « Reus est mortis (*Matth.* XXVI, 6). » Et : « Si hic non esset malefactor, non tibi tradidissemus eum (*Joan.* XVIII, 30). »

Aliter : *Tibi soli*, qui es Rex regum, *peccavi, et malum coram te feci*, qui omnia inspicis, qui de mea stirpe te nasciturum promisisti. Sed nunc omnis populus dicit : de David non nascetur Christus, qui tale peccatum commisit, et ideo fit irritum promissum tuum in opinione hominum. Ideo dimitte peccatum meum, *ut justificeris in sermonibus tuis* implendo promissum tuum, ne fallax, sed verax appareas : *et vincas, cum judicaris* a mundanis, non debere te reddere ea propter multa peccata mea; et manifesta, non ex meritis meis, sed sola justitia tua sermones de promissione mihi facta fore complendos. Tu solus justus es in te, alii per te.

VERS. 7. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, id est in originali peccato, quia omnes in Adam peccaverunt. *Et in peccatis concepit me mater mea.* Non erat David de adulterio natus, sed de Jesse justo viro et conjuge ipsius, nec est peccatum commistio conjugii. Sed quia mortalis de parentibus propagatur, merito in peccatis concipi memoratur. Mors enim est pœna peccati, quæ a parentibus quasi hæreditas possidetur, sed per concupiscentiam carnis ministratur. Christus autem, qui sine concupiscentia est conceptus, sine peccato est generatus; mortalis autem non natura sed voluntate fuit, ideo vincens omnia.

VERS. 8. *Ecce enim veritatem dilexisti*, id est confessionem. *Ecce* apparet quia tu prior *dilexisti veritatem* in me facere, id est cognitionem peccati; et pœnitentiam, quia tu prius me voluisti. *Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*, id est revelasti mihi mysteria Filii tui, quæ multis quidem revelasti, sed mihi certa monstrasti, primo ut agnoscerem te habere Filium; deinde ut ipsum noscerem ex semine meo venturum, ita ut passionem ejus et resurrectionem quasi visam prænuntiarem. Ideo

VERS. 9. *Asperges me hyssopo et mundabor*, id est mundabis me per sanguinem Filii Dei. Historia tangitur. Fasciculo hyssopi aspergebatur sanguis super leprosum, et mundus fiebat (*Levit.* XIV). Sanguis iste significavit sanguinem Filii Dei, quo leprosi corpore et anima sunt mundati. Hyssopus herba parva est reprimens tumorem pulmonis. Significat humilitatem Christi, qui se obtulit Deo. Hyssopus dicitur radice petram penetrare, quæ petra est Christus.

Lavabis me, et super nivem dealbabor, id est purificabis me per lavationem baptismi, et ero albus *super nivem.* Anima habet candorem suum, sicut corpus suum. Et inter omnes visibiles creaturas nihil albius est nive, super quam in corpore est candor animæ. Et postquam hoc feceris :

VERS. 10. *Auditui meo dabis gaudium et lætitiam.* Superius dixisti : *Audi, populo meus, et loquar.* Ecce audio obedienter quid præcipias, nec contradico : et huic *auditui meo dabis gaudium et lætitiam. Gaudium* pertinet ad peccati absolutionem : *lætitia* ad perennis vitæ perceptionem. *Auditui gaudium et lætitiam dabit*, quando dicet : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, etc. » (*Matth.* XXV, 34.) Audita hac voce *exsultabunt ossa humiliata*, scilicet animi firmamenta in pœnitentia debilitata. Per *ossa* etiam intelligitur ratio et liberum arbitrium, in peccatis inclinata. Hæc *exsultabunt*, cum restitues vim rationis et facultatem liberi arbitrii. Dum enim homo peccatis delectatur, ratio excæcatur, liberum arbitrium debilitatur. Ut *auditui meo* des *gaudium et lætitiam.*

VERS. 11. *Averte faciem tuam a peccatis meis.* Deum peccata nostra aspicere vel recordari est velle punire : *faciem a peccatis avertere* vel oblivisci est nolle punire. Cæterum Deus semper aspicit omnium hominum actus vel cogitationes, nec unquam obliviscitur, cui omnia præterita et futura sunt præsentia. *Et omnes iniquitates meas dele.* Originales et actuales *dele*, hoc est dimitte, quia crimen nostrum admissum in quibusdam quasi tabulis scribitur, dum divina notitia continetur. Et non tantum peccata dimitte, sed etiam

VERS. 12. *Cor mundum crea in me, Deus.* Qui hoc potes facere, purga animam ab ignorantiæ caligine, ut te possim pure intueri et intelligere. *Creare* positum est hic pro *restaurare. Crea cor mundum*, hoc est, da mundum intellectum. *Cor* ideo pro intelligentia ponitur, quia in hoc fons cogitationum esse dicitur. « De corde, » inquit Dominus, « exeunt cogitationes (*Matth.* XV, 19). » Unde et cor conoides est, quæ ignis habet imaginem, ut merito tali positione sit plasmatum, unde nobis potest venire consilium. Traditur etiam a physicis cor in primis in homine formari.

Et spiritum rectum innova in visceribus meis. Iterato da sapientiam, id est, intellectui meo Filium tuum, ut bene possim operari, quia ipse est linea omnis rectæ operationis. Non spiritus, sed homo innovatur, dum a vetustate peccati reformetur.

VERS. 13. *Ne projicias me a facie tua. A facie Dei projicitur*, qui curari contemnitur. Ita *innova*, ut amplius *non projicias* a conformitate ejus, quæ est *facies tua*, per quam cognosceris et non permittas ulterius excedere lineam tuam. *Et Spiritum sanctum ne auferas a me*, scilicet Spiritum prophetiæ vel dilectionis.

VERS. 14. *Redde mihi lætitiam salutaris tui*, hoc est, me fac habere *lætitiam* de salvatione Filii tui. Gratiam Spiritus sancti se amisisse cognoscit, quia Spiritus sanctus peccantes fugit, et non habitat in corpore subdito peccatis : *et spiritu principali confirma me*, ne iterum peccem, nec animi mutabilitate a te discedam. Hic Trinitas expresse ponitur : In *Spiritu principali* Pater, in *Spiritu recto* Filius, in *Spiritu sancto* ipse Spiritus sanctus accipitur. Non tamen ideo *Spiritus principalis* dicitur, quod ipse sit

Digitized by Google

prior tempore vel major, sed quia ab eo et Filius et Spiritus sanctus, non ipse ab illis dicitur. Si hoc feceris, mihique illa, quæ petii, dederis,

VERS. 15. *Docebo iniquos vias tuas*, hoc est, alios peccatores verbo et exemplo misericordiam et justitiam tuam instruam : et per me *impii ad te convertentur* ab errore.

VERS. 16. *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ. Sanguis* singulari numero pars corporis vel ipse homo vel progenies accipitur. Pars ut ibi : « Sanguis de latere Domini exivit. » Homo ut ibi : « caro et sanguis non revelavit tibi (*Matth.* XVI, 17). » Progenies ut : *alto sanguine*, hoc est; nobili stirpe *natus est. Sanguines* vero plurali numero peccata vel mortes intelliguntur. *Deus salutis* est Christus, per quem *salus* datur credentibus. O *Deus* omnium, qui es *Deus salutis meæ*, *libera me* de mortibus. Ideo ponit *sanguines* pro mortibus, quia per effusionem sanguinis fit mors. Multas mortes habuit : unam, qua seipsum peccando occidit; alteram, qua Bethsabee in anima; tertiam, qua Uriam dolo interfecit.

Et exsultabit lingua mea justitiam tuam, hoc est, si hoc feceris, tunc exsultanter proferet aliis *lingua mea justitiam tuam*, qua peccata remittis, et in bonis operibus promoves. Superius dicitur. « Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? » (*Psal.* XVI.) Nunc a culpa absolutus *justitiam* Dei exsultans narrat. Unde subditur :

VERS. 17. *Domine, labia mea aperies.* Quæ reatus occluserat, idonea et munda facies ad proferendum justitiam tuam. *Et* tunc *os meum annuntiabit laudem tuam*, id est præconia justitiæ tuæ. Peccantes non audent loqui, ne redarguantur, et peccata eis improperentur. Illis *labia* ad loquendum *aperiuntur*, dum a peccatis resipiscentes justificantur; et tunc Spiritu Dei animati gloriam humanam despiciunt, laudes et improperia hominum æque contemnunt, peccantes libere, ut Paulus redarguunt. Horum ora laudem Dei annuntiant, cum peccata sua coram hominibus pronuntiant, ut de sua salvatione exemplum conversionis sumant. Laudem Dei sacrificio, non sacrificium animalium offero :

VERS. 18. *Quoniam si voluisses sacrificium dedissem.* Sed intelligo te *Sacrificium* de peccatoribus nolle, quia dixisti superius : « Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos (*Psal.* XLIX, 9). » *Utique holocaustis non delectaberis*, scilicet de animalibus oblatis. Sed quia talia in figura offerebantur, quæ nunc pro peccatis recipere recusas : scio quale sacrificium accipias.

VERS. 19. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, id est, pro peccatis contristatus erit delectabile *sacrificium. Cor contritum*, id est pœnitentia afflictum *et humiliatum*, hoc est, pia confessione devotum, *Deus non despicies*, sicut sacrificia legis. Tale *sacrificium* prævideo tibi fieri a Sion. Et ideo

VERS. 20. *Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri tui Jerusalem.* Per *Sion* denotatur cognitio Dei, per *Jerusalem* charitas. Una est civitas Jerusalem composita ex angelis et hominibus, cujus pars destructa erat per Adam, pro qua orat : *Benigne fac*, id est, largiter fac dando fidem et omnem bonam vitam his, qui sunt futuri *Sion* : et hoc *in bona voluntate tua*, id est, et gratia tua. *Ut ædificentur muri Jerusalem* per electos homines, qui destructi sunt in apostatis angelis. Vel *benigne fac Sion*, id est primitivæ Ecclesiæ de Judæis : *et ædificentur muri Jerusalem*, id est per eam constitue Ecclesiam de gentibus. Vel *ædificentur muri Jerusalem* de Judæis et gentibus fide et dilectione, quibus *benigne fac* dando perseverantiam et remunerationem. *Sion*, quod dicitur *speculatio*, est præsens Ecclesia; *Jerusalem*, quod sonat *visio pacis*, est Ecclesia regnans in cœlis, quæ construitur vivis de lapidibus. *Benigne* ergo *fac Sion*, id est præsenti Ecclesiæ, dando peccantibus veniam et confessionem, *ut* per eos *ædificentur muri Jerusalem*, id est, per tales lapides numerus electorum in Jerusalem cœlesti redintegretur. *Muri Jerusalem* sunt angeli et homines.

VERS. 21. *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ*, hoc est, *tunc* maxime erit tibi acceptabile *sacrificium* spiritus contribulati et cordis contriti. *Tunc* accipies *oblationes et holocausta*, scilicet fideles se totos tibi offerentes, et res suas pauperibus distribuentes. Vel *sacrificium justitiæ* est corpus Dominicum pro nobis, ut agnus, immolatum; *oblationes* sunt confessores vel quique fideles se Christo per fidem et operationem offerentes; *holocausta* sunt martyres per ignem passionis vel quolibet cruciatu corporis absumpti.

Tunc imponent super altare tuum vitulos, scilicet Ecclesiæ sacerdotes. *Altare* Dei est Christus; *vituli* sunt Christiani in fide novelli, in baptismate renovati, et sicut vituli ungulam findentes, ita inter bonum et malum discernentes; et sunt ruminantes, id est percepta verba Dei in memoriam revocantes et sunt cornibus armati, id est, fortibus sanctorum exemplis roborati. Hi vituli *super altare* ponuntur, cum per sacerdotes Ecclesiæ Deo per Christum offeruntur, ac sic *muri Jerusalem* per hoc reficiuntur.

Aliter : Modo in præsenti acceptas *sacrificium* pro iniquitate spiritum contribulatum; in futuro *sacrificium justitiæ* laudis solius, ubi in domo tua habitantes in sæcula sæculorum laudabunt te, hoc est enim *sacrificium justitiæ*. Tunc justi erunt *oblatio et holocaustum*, quando eos totos divinus ignis absumet, et animæ sapientia, corpora immortalitate induentur, et mors in victoria absorbebitur. Tunc erunt omnes electi a vinculis legis et miseriæ soluti, et nova ætate juvenes, positi *super altare* Christum, in quo sine fine requiescent.

Hic psalmus ideo a pœnitentibus frequentatur, ut per vitulum hujus, sicut David, in muros cœlestis Jerusalem ædificentur. Et nota quod pœnitens primitus sua commissa deplorat, deinde aliis mise-

Digitized by Google

cordiam Dei prædicat, postremo pro errantibus exorat. Ideo autem in Quadragesima ad Laudes canitur, quia per pœnitentiam ad æternam laudem pervenitur. Et ideo privatis diebus ad Laudes cantatur, quia qui tenebras peccatorum evadunt, ad lucem veram et æternam lætitiam perveniunt. Idcirco ad horas sæpe iteratur, ut quisque fidelis vivus lapis, ut David, cœlesti ædificio imponatur.

PARS SEXTA.

INCIPIT PROLOGUS GERHOHI.

In psalmis primis quinquaginta, ut longe supra ostensum est, *fidei* mysteria decantantur. In secundo quinquagenario *spes*. In tertio *charitas* declaratur. Primo igitur quinquagenario velut monte umbroso et condenso per auxilium Dei transcenso, et expeditis quæstionum perplexitatibus quæ de *fidei* mysterio solent fieri, dum illa, ut insignis ac divinus poeta dicit :

Prima petit campum dubia sub sorte duelli,

Pugnatura scilicet contra hæreses, aliasque objectiones, ad planiora et campestria loca descendimus. In quibus, non ut supra, per anfractus quæstionum vel digressionum, sed omnino per directum Deo ducente, eupimus incedere. Noli ergo, lector, hic exspectare aliquos excursus contra novitates et abusiones temporis hujus, vel contra cavillatores hujus nostri operis, quibus utcunque obviatum est in primo quinquagenario, sed animo benigno ita fave currenti stylo, ut auribus obduratis contra sirenarum cantus, dissimulatis videlicet stultorum objectionibus, quibus jam satis responsum videtur, ad littus properemus invocato primum Spiritu sancto, qui nobis flatu secundo adesse dignetur, ne nobis ad portum festinantibus aliquo spiritu erroris iter nostrum præpediatur vel tardetur.

Primi quinquaginta psalmi hominem in fide catechizant ; ultimi eumdem in charitate jam pacatum post bella recreant, et in laudem sui adjutoris excitant. Media vero psalmorum, id est quinquaginta psalmi, quos nunc sumus, Deo juvante, canituri, ad illum maxime hominis statum medium respiciunt, de quo Apostolus sub persona infirmorum et adhuc ambiguo certamine pugnantium : *Condelector*, ait, *legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, etc. (*Rom.* VII, 22, 23). Renati namque et per fidem Christi præteritorum remissione accepta peccatorum, licet hyssopo aspersi ac mundati ac super nivem dealbati egrediamur de baptismo, nondum tamen securi sumus, quippe qui cum hoste atrocissimo pugnam certamenque ingredimur. Plane in tali duello spe pariter et metu opus est, ut videlicet qui pugnat, speret vincere ac metuat vinci, præsertim in tali discrimine, ubi victori patebit aula cœlestis, et victo carcer infernalis. Igitur congrue in hoc Psalmorum medio ad spem, quæ post fidem necessaria est, nos vocari competenter advertimus, atque idcirco repetitiones, quas periochas dicimus, non a primo, ut hactenus, sed secundo Christi adventu habent exordia, cujus tunc maxime ira metuenda et misericordia speranda est, quando et victis dicitur : *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV, 41). Et victoribus : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV, 34). Tunc præcipui victores erunt cum Deo judices : qui autem nunc turpiter victi non credunt, jam judicati sunt, et ideo non resurgunt impii in judicio tunc judicandi, quia, ut dictum est, jam judicati sunt.

Respice sursum victores in cœlo jam coronatos, intuere quoque in carcere tartareo victos in bello ac sepultos nunc in supplicio, et tu inter hos medius adhuc stans in prælio spe pariter ac metu armare, a dextris et a sinistris arma cape ac tene, sicut in psalmis istis mediis tu melius instrueris. Namque ut evidenter agnoscas, quia, ut ait Apostolus, *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem* (*Rom.* V, 3, 4), tribulationes David præcipuæ in psalmis istis præmittuntur, quæ septem persecutionibus ipsius comprehenduntur.

Hic jam persecutiones quas pertulit David numerandæ sunt. Prima est, ubi mittente Saul lanceam, ut eum configeret cum pariete, declinavit et fugit (*I Reg.* XVIII, 11). Secunda, ubi postquam Philisthæos percussit plaga magna, itidem psallentem nisus est Saul configere, et eo declinante lancea casso vulnere perlata est in parietem (*I Reg.* XIX, 10). Tertia, ubi cum fugisset David et venisset ad Achis regem Geth, interfecit Saul propter illum sacerdotes Domini (*I Reg.* XXII). Quarta, ubi nuntiaverunt Ziphæi dicentes : *Ecce David latitat apud nos, et surrexit Saul, et persecutus est David in desertum Maon* (*I Reg.* XXIII, 19 et seqq.). Cumque desperaret David se posse evadere, nuntius venit ad Saul dicens : *Festina et veni, quoniam infuderunt se Philisthæi super terram* (*I Reg.* XXIV). Quinta, in deserto Engaddi, ubi cum ingressus in speluncam Saul, ut purgaret ventrem, surrexit David, et præcidit oram chlamidis ei silenter. Sexta, ubi iterum nuntiave-

Digitized by Google

runt Ziphæi dicentes : Ecce David absconditus est in valle Achile, et surrexit Saul, et descendit in desertum Ziph, ubi cum dormiente illo dixisset Abisai: *Conclusit Deus hodie inimicum tuum in manus tuas. Nunc ergo perfodiam eum lancea in terra semel, et secundo opus non erit, dixit David : Ne interficias eum* (*I Reg.* XXVI, 8). Et deinceps : *Propitius mihi sit Dominus, ne extendam manum meam in christum Domini. Nunc igitur tolle hastam, quæ est ad caput ejus, et scyphum aquæ, et abeamus* (*ibid.* XI), et reliqua. Septima, quæ ultima, ubi ait David in corde suo : *Aliquando incidam una die in manus Saul : nonne melius est, ut fugiam, et salver in terra Philisthinorum, et desperet Saul, cessetque me quærere in cunctis finibus Israel ? Fugiam ergo manus ejus. Et surrexit David, et abiit ipse et sexcenti viri cum eo ad Achis filium Maoch regem Geth* (*I Reg.* XXVII, 1, 2).

Septem istis persecutionibus David universæ significantur persecutiones, quas excitavit diabolus contra Christum et Ecclesiam ejus. Septenario quippe numero plerumque universitas designatur. Unde et in Apocalypsi draco ille magnus rufus serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas, *septem* habere *capita* scribitur, quibus universi reges, qui contra Christum et Ecclesiam ejus sanctam persecutiones excitavere, significantur (*Apoc.* XVII, 7). Cæterum et in propria persona sua quas pertulit Christus persecutiones septem fuerunt.

Prima fuit, ubi secundum Matthæum mox nati ejus animam funestus Herodes quæsivit et propter eum infantes occidit. Secunda fuit, ubi secundum Lucam cum venisset, ubi erat nutritus, cum jam citharizaret, id est, prædicaret ad mitigandum furorem Saul, scilicet, ut conquiesceret, qui contra eum jam furere cœperat, possessor vel agitator Judæorum malignus spiritus : *Surrexerunt*, inquit, *et ejecerunt illum extra civitatem, et duxerunt illum usque ad supercilium montis, supra quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium eorum ibat* (*Luc.* IV, 29, 30). Tertia fuit, ubi secundum Joannem fugit a facie Judæorum irridentium. Fugit, inquam, dicendo : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI, 54). Nam revera hæc dicendo fugit et abscondit se ab illis secundum titulum psalmi tricesimi tertii, qui sic inscribitur : *Psalmus David, cum commutavit vultum suum coram Abimelech, et dimisit eum, et abiit.* Quarta fuit persecutio, quando miserunt principes et Pharisæi ministros, ut apprehenderent eum, qui reversi, cum diceretur eis : Quare non adduxistis eum ? Responderunt : *Nunquam sic locutus est homo, sicut homo hic loquitur* (*Joan.* VII, 46). At illi in intentione persistentes adduxerunt mulierem in adulterio deprehensam tentantes ut eum possent accusare. Quinta persecutio fuit, ubi cum dixisset : *Amen, amen dico vobis, antequam fieret Abraham, ego sum : tulerunt lapides, ut jacerent in eum* (*Joan.* VIII, 59). Sexta, ubi cum dixisset : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30), sustulerunt lapides Judæi, ut lapidarent eum. Septima, quæ et ultima, ubi collegerunt adversus eum concilium, nec destiterunt, donec crucifigerent eum.

Notandum sane quia tam in persecutionibus David, quam in persecutionibus Christi semper tribulationem comes gloria sequebatur, quod utriusque gestis facile animadvertitur. Verbi gratia ubi primum misit lanceam Saul putans, quod configere posset David cum pariete, continuo subsequitur : *Vidit itaque Saul, quod prudens esset nimis, et cœpit cavere eum : Omnis autem Israel, et Juda diligebat David* (*I Reg.* XVIII, 15, 16). Similiter, qui diligenter quæret in cæteris persecutionibus ejus, comitem gloriam semper inveniet. Item in Christi persecutionibus invenitur semper finis gloriosus, ut verbi gratia in ultima ipsius persecutione, qua se humiliavit usque ad mortem, mortem autem crucis, propter hoc ipsum Deus illum exaltavit, et donavit ei nomen, quod est super omne nomen. Quod idcirco animadvertere hoc in loco utile videtur, ut cuilibet in sua lucta contra carnem et sanguinem vel diabolum sperare liceat post tribulationem suam subsecuturam gloriam.

Sciendum præterea quia secundum prædictarum persecutionum numerum David iste septem psalmos cecinit, videlicet : tricesimum tertium, quinquagesimum primum, quinquagesimum secundum, quinquagesimum tertium, quinquagesimum quintum, vel sextum, quinquagesimum octavum. Quod ex titulis ipsorum animadverti promptum est. Nam titulus primi hic est : *Psalmus David, cum commutavit vultum suum coram Abimelech, et dimisit eum, et abiit.* Titulus secundi : *Psalmus David, cum iret Doeg Idumæus, et annuntiavit Saul, et dixit : Venit David in domum Abimelech.* Titulus psalmi tertii : *In finem pro Amalec intelligentia David.* Hic ad ultimam ejus fugam respicit, quando confugerat ad Achis filium Maog regem Geth, et venerunt Amalecitæ, absente David, et percusserunt Siceleg, et succenderunt eam igni. Titulus quarti : *In finem in carminibus intellectus David, cum venissent Ziphæi et dixissent ad Saul : nonne David absconditus est apud nos?* Titulus quinti : *In finem pro populo, qui a sanctis longe factus est David in tituli inscriptione, cum tenuerunt eum Allophyli in Geth.* Titulus sexti : *In finem, ne dispersas David in tituli inscriptione cum fugeret a facie Saul in speluncam.* Titulus septimi : *In finem ne disperdas David in tituli inscriptione, quando misit Saul custodiendam domum ejus, ut interficeret eum, et abiit.*

Hic ad secundam persecutionem respicit, qua cum declinasset a facie Saul, lancea casso vulnere perlata in pariete, misit Saul satellites suos nocte in domum, ut custodirent eum, et interficeretur mane. Quod cum annuntiassent David, Michol uxor sua deposuit eum per fenestram, et abiit, et aufugit

Digitized by Google

atque salvatus est. Mysterium tituli psalmi primi quomodo David, id est, Christus vultum suum immutaverit supra perstrinximus. In titulo psalmi secundi, qui nunc tractandus occurrit, *Doeg* motus, Doeg, inquam, Idumæus, id est *motus terrenus* Antichristum significat. Nam quod ille annuntiavit Sauli venisse David in domum Abimelech, et propter hoc interfecit sacerdotes Domini, illud præsignavit, quia Antichristus Ecclesiam usque in mortem persequendo dilaniabit. Contra hunc psalmus iste invenitur et dicit :

PSALMUS LI.

Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate ac deinceps. *Propterea Deus destruet te in finem*, etc. Illo destructo videbunt justi, et dicent singuli : *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei speravi in misericordia Dei in æternum et in sæculum sæculi. Confitebor tibi in sæculum, quia fecisti, et exspectabo nomen tuum quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.* Hæc loquitur David in persona justi contra Doeg Idumæum, qui mysterium egerat Antichristi. Sic enim habet in titulo :

(Vers. 1, 2). IN FINEM, INTELLECTUS DAVID. CUM VENIT DOEG IDUMÆUS, ET NUNTIAVIT SAULI : VENIT IN DOMUM ABIMELECH (121) (*I Reg.* XXII, IX).

Et est sensus : Intellectus Prophetæ est in hoc psalmo loqui de adventu Antichristi, qui multorum corda commovens persequetur et occidet fideles Christi. Sed ideo ad historiam nos mittere voluit, ut quod historice scriptum est, ostenderetur spiraliter debere intelligi. Primo itaque videamus historiam, quæ talis est : Legitur in primo libro Regum, quod cum fugisset David a facie Saul, venit in Nobe ad Abimelech sacerdotem, a quo cum quæsisset gladium et panes, dedit ei panes propositionis et gladium Goliath, et recessit David ad regem Achis. In die illa Doeg Idumæus, potentissimus pastorum Saul, erat ibi intus in tabernaculo. Cum autem Saul quadam die quereretur, quod nullus sibi renuntiaret, ubi esset David, dixit Doeg : Vidi filium Isai in Nobe apud Achimelech, qui pro eo consuluit Dominum, et dedit ei cibaria et gladium Goliath. Misit ergo rex, et accersivit Achimelech, et omnes sacerdotes, qui erant in Nobe, et cum præcepisset emissariis, ut occiderent eos, noluerunt illi extendere manus in sacerdotes Domini. Et ait rex ad Doeg : Irrue in sacerdotes Domini, et irruit Doeg et trucidavit in die illa septuaginta quinque viros vestitos ephod, viros quoque qui erant in Nobe, et mulieres, et parvulos, bovem et asinum occidit. Solus Abiathar filius Achimelech fugit ad David.

Attende quod, cum historia habeat *Achimelech*, titulus psalmi habet *Abimelech*. Sed sicut Hieronymus ait, quoniam Beth et Caph litteræ modico apice distinguuntur, ideo error facilius obrepsit. Vel fortassis, sicut in alio psalmo habet titulus, non coram *Achis*, sed mutato nomine coram *Abimelech*, ut non historiam, sed mysterium attendamus, ita et hic. Ergo *Doeg* interpretatur *motus*. Idumæus *terrenus*, ab eodem, quo nomine appellatus est Esau, eo quod edulio lentis primogenita vendidit. Saul *petitio* est nomen mortis, eo quod homines peccantes mortem verbis et manibus appetunt sicut populus regem a Deo extorsit, et datus est Saul. Abimelech *Patris mei regnum*, David *manu fortis*. Hic ad permanendum electus regnum æternæ salutis significat. Quem antequam regnet, Saul persequitur, qui non est ad permanendum electus, quia mors, quæ novissima destruetur, nos Christo conregnaturos maxime persequitur. Nisi enim mortales essemus, non esset quid nobis faceret inimicus, qui nil angelis immortalibus nocet.

Item David cum accepit sacratum gladium, et panes propositionis edit, quos non licebat edere nisi sacerdotibus, Christum non tantum regem sed et sacerdotem significavit. Ergo David Christum et corpus ejus significat ; Doeg vero Idumæus totum corpus malorum cum suo capite Antichristo, quia mali etiam sicut et boni hic peregrinantur, *movendi* migraturi sunt quidem, sed quales sunt permansuri, id est *terreni* et corruptibiles et homines in æternum. Iste Doeg nuntiavit Sauli hoc : *Venit David in domum Abimelech*, quia tunc Christus proditus est morti, cum venit ad Judæos, quos Pater sibi regnum instituit. Vel specialiter Doeg Antichristus, qui per miracula ante judicium veniens totum orbem movebit, et petens auxilium a diabolo nuntiabit venisse Christum ad Ecclesiam, quæ est domus Patris. Vixit David post mortem sacerdotum, quorum sanguinem effudit Doeg, in quo resurrectio præfigurata est, sicut cum immolato ariete Isaac liberatus est. Hic autem commisti sunt regni cœlestis et terreni cives. De his duobus generibus hominum cantat Propheta in hoc psalmo.

Et primo invehitur in Doeg, secundo celerem ejus finem ostendit ibi : *Propterea Deus destruet te in finem ;* tertio, quod justi videntes ejus dejectionem ridebunt ibi : *Videbunt justi, et super eum ridebunt ;* quarto est laus contrariæ partis ibi : *Ego autem sicut*

(121) Vulgata, *Achimelech.*

Digitized by Google

oliva fructifera. Intendit per hoc corroborare fideles, maxime qui futuri sunt temporibus Antichristi, quæ adeo periculosa sunt futura, ut in errorem inducantur etiam si fieri potest, electi.

Opponitur autem iste psalmus primo, quia sicut in eo prius de beato viro et post de impiis ; sic in isto prius de impiis, postea de bonis. Ergo Propheta demonstrativo genere utitur, honestate finis laudans bonos, et fine inhonestatis Doeg primo vituperans ita :

VERS. 3. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate.* O Doeg, o Antichriste, cui congruit nomen *Doeg Idumæus*, quod interpretatur *motus terrenus*, quia tu moveris non sursum, ut flamma ignis tendens in cœlum, sed deorsum ut terra cadens in ima, quia tu amans terrena ipso terreni amoris pondere urgeris ad infernum! *Quid gloriaris*, cum sic moveris *in malitia*, quæ quasi plumbum te trahit in infernum? Quænam gloria fuit præambulo tuo Pharaoni, quod quasi plumbum in aquis vehementibus cum suo exercitu suffocatus est ? nonne rectius gloriando Moyses famulus Dei cecinit : « Cantemus Domino : gloriose enim magnificatus est (*Exod.* xv, 1). » Ita et nunc inaniter *gloriaris* tu cum tuo exercitu, qui motu terreno mergeris in infernum ; et recte gloriantur viri orthodoxi canentes Domino, qui gloriose honorificatur, dum tu equus diaboli cum ascensore tuo diabolo in infernum demergeris. Ille tuus ascensor, quando projectus de cœlo, et cadens quasi fulgur in sua licet brevi coruscatione utcunque gloriari potuit, quia in caliginoso isto aere adhuc manere permissus, atrium sibi hujus mundi quasi fortis armatus per rapinam vindicavit. Nunc vero tu equus illius una cum ipso tuo sessore de atrio hujusmodi casurus in infernum per malitiæ tuæ quasi plumbeum pondus illuc trahendus, *quid gloriaris in* ipsa tua *malitia*, quæ potius plorandi quam gloriandi est materia ? In bonitate, quæ paucorum est, et in tempore malo difficile servatur, non est inanis gloria, dum quis inde gloriatur in Domino, cui soli gloria debetur de omni bono, cujusque solius auxilio, cum dies mali sunt, boni bonitatem servabunt. *In malitia* vero, quam quivis facile operatur, cujusque perniciosus affectus ultro erumpit in suos effectus, ita est absurda gloriatio, ac si quis phreneticus gloriaretur se potententem in ea fortitudine, qua posset interficere seipsum vel fratrem suum uterinum. *Quid* ergo tu *gloriaris in malitia, qui potens es* non bona potentia, sed mala ? Potentia enim tua roboratur sola *iniquitate* vel tua vel etiam aliorum, cui robur datum est contra juge sacrificium propter peccata populi.

Ergo *potens es* mala potentia proveniente tibi de sola iniquitate, ut exhibeas membra tua servire immunditiæ et *iniquitate* ad iniquitatem. *Potens es* non contra iniquitatem, sed *in iniquitate* non solum concipienda, sed etiam parienda, sicut alibi de te scriptum est : « Concepit dolorem, et peperit iniquitatem (*Psal.* vii, 15). » Nam quia tu concepisti ex patre diabolo malitiæ intrinsecum dolorem, ideo *gloriaris in malitia;* et quia in actu forinseco peperisti iniquitatem, ideo gloriaris tanquam *potens in iniquitate.* Stulta prorsus gloriatio in tali prole, quia, sicut ait Jacobus apostolus : « Concupiscentia cum concepit, parit peccatum, peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem (*Jac.* i, 15). » Vade nunc et gloriare in malitia, seu concupiscentia generante peccatum sive iniquitatem, quia ut ait Joannes apostolus : « Omne peccatum est iniquitas (*I Joan.* iii, 4). » Gloriare itaque, si potes, in peccato, quod consummatum generat mortem, non eam quæ pretiosa est in conspectu Domini, sed eam de qua dicitur : « Mors peccatorum pessima (*Psal.* xxxiii, 22), » quam sine dubio subsequetur confusio sempiterna et opprobrium sine fine. « Multi enim de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, et alii in opprobrium, ut videant semper (*Dan.* xii, 2). Quid videbunt semper? Opprobriosam certe ignominiam suam sine fine mansuram post gloriam sive gloriationem brevissimam, qua gloriati sunt *in malitia.* Nam cessante tunc inani et vana gloria permanebit illis confusio sempiterna. Sicut enim confunditur adulter et corruptor alienæ uxoris a viro legitimo deprehensus et comprehensus, quando ab eodem viro catenatus trahitur in judicium publicum, deinde trahendus in carcerem tenebrosum, unde se nunquam speret exiturum, sed horribiles pœnas inibi semper passurum : sic omnis corruptor naturæ humanæ, Verbo Dei sponsatæ, quando creata est ad imaginem et similitudinem Dei, vel etiam quando restaurata est a Filio Dei, ab ipso eodem Filio Dei comprehensus in judicio sempiterno tradetur opprobrio, ita ut a sanctis mundum judicantibus ei dicatur : « Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum. » *Quid* tu *gloriaris,* qui gloriando in malitia sempiterna confusionem tibi thesaurizas in die iræ, et revelationis justi judicii Dei, qui manifestabit consilia cordis tui pessimi machinantis cogitationes pessimas, et per linguam fabricantis eas? Nam

VERS. 4. *Tota die injustitiam cogitavit lingua tua. Tota die,* id est sine intermissione, *lingua tua cogitavit injustitiam.* Non dico : mens *cogitavit,* et postea intercedente aliqua mora lingua loquebatur *injustitiam,* sed dico quod *lingua tua cogitavit injustitiam,* ad eorum similitudinem, de quibus scriptum est : « Cor stultorum in ore eorum, » quia mens et lingua in una eademque præcipiti levitate sibi cooperantur, ut cogitationes injustæ verbis nihilominus injustis ebulliantur juxta illud : « Os fatuorum ebullit stultitiam (*Prov.* xv, 2). Nam tales etsi non possunt facere, saltem dicunt injustitiam. Quod si nec dicere possunt aliquando, interdum præpediente aliqua causa, saltem cogitant. In tali-

Digitized by Google

bus nimirum cogitationibus, locutionibus et operationibus iniquis tu *gloriaris, qui potens es* in hujusmodi.

Sed vide quam nihil tibi proficiat et sanctis nihil officiat malitia tua, quibus potius in bonum cooperatur. Nam tu quidem *fecisti dolum* intentus ad nocendum, sed *sicut novacula acuta* crines radit et cutem innovat; sic maligne, in cujus manu dirigitur dolus, persequendo electos bona exteriora, ipsa quoque membra corporis auferre aliquando permitteris ut festina morte abstulisti sacerdotes abradendo eos de præsenti vita tanquam crines novacula. Sic in sola corpora piorum sævire permitteris, animas autem non potes occidere, secundum quod Veritas dicit : « Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere (*Matth.* x, 28). »

Aliter : *Sicut novacula acuta fecisti dolum*, id est ita expedite, sicut *novacula acuta*, quæ facile radit. Unde in Job : « Qui bibit quasi aquam iniquitatem (*Job.* xv, 16). » Potus quippe aquæ a sitiente facile ac fortiter bibitur : sic et iniquitas ab iniquo facile atque audacter perpetratur. Vel *sicut novacula acuta*, dum promittit innovationem, incidit, sic tu dolose ac malitiose per exteriorum jucunditatem promittendo felicitatem pertrahis ad æternam infelicitatem, cum tu infelix nullas pœnas emendatorias persensisti, quando impune peccans illam prosperitatem habuisti, de qua legitur : « Prosperitas stultorum perdet illos (*Prov.* i, 32), » non tibi sufficit malum facere, nisi insuper adderes et malum diligere.

Neque vero illud visum est tibi malum sufficiens, ut malum faceres et diligeres, nisi *malitiam super benignitatem* diligendo sic extolleres, ut malitia sursum elevata, benignitas premeretur in imo demersa, quod erat quasi levare aquam super oleum, terram super cœlum, casso certe conamine, quia oleum effusum nomen Christi superexcellit semper acetoso nomini Antichristi, et « qui de terra est, de terra loquitur, qui autem de cœlo venit, super omnes est (*Joan.* III, 31). »

Vers. 5. *Dilexisti malitiam super benignitatem.* Duobus videlicet contrariis tibi propositis, malo et bono, ut ad quodcunque velles, manum mitteres, et in alterutro eligendo libertatem arbitrii tui adhiberes, etiamsi benignitas pariter cum malitia mentem tuam tetigit, tu tamen *dilexisti malitiam super benignitatem* reprobans in corde tuo bonam suggestionem, desursum a Patre luminum in te descendentem, qui pluit stillas rorantis gratiæ super bonos et malos, atque amplectens ulnis approbationis meretricem Babylonem, videlicet mundanam concupiscentiam, libidinosam pariter et furiosam, sicut reges Babylonici leguntur fuisse libidinosi pariter et furiosi vel rabidi. Unde in Daniele ipsum regnum Babylonicum per leænam significatum est, quam describunt physici magis libidinosam, quam sit ipse leo magisque rabidam, permaxime, si catulos nutriat. Mundi ergo hujus cupiditatem libidinosam pariter et furiosam *super benignitatem*, castam pariter et mansuetam *dilexisti*.

Nec tantum *dilexisti malitiam* facere ad tuimet condemnationem, sed et *loqui iniquitatem magis quam loqui æquitatem.* Hoc fecisti prorsus intentus ad aliorum seductionem et corruptionem, sicut scriptum est : « Corrumpunt mores bonos confabulationes pessimæ (*I Cor.* xv, 33). »

Vers. 6. Neque vero solum *dilexisti* verba iniquitatis, sed quod pejus est, etiam *omnia verba præcipitationis.* Noluisti enim malitiam tuam vel per compositæ locutionis decorem celare, sed nude atque irreverenter cor tuum eructavit verba mala, tuos adjutores una tecum præcipitantia deorsum. Sic illa Jezabel quondam præcipitata est deorsum, quæ *verba præcipitationis* locuta est *lingua dolosa* contra Naboth Jezraeliten, quem præmissis verbis dolosis per falsos testes exposuit lapidandum : « Prædicate, » inquit, Jezabel, « jejunium, et sedere facite Naboth inter primates populi, et submittite duos viros filios Belial contra eum, et falsum testimonium dicant : Benedixit Deum et regem, et educite eum, et lapidate, sicque moriatur (*III Reg.* xxi, 10). » O hypocrisin Deo odibilem juxta ipsam litteræ superficiem : « Prædicate, » inquit, « jejunium (*ibid.* 9). » Quam ob causam? Ob magnum piaculum, ob immane sacrilegium, quia Naboth maledixit Deum, quia Naboth blasphemavit Deum, insuper et regem, cum sic dicat lex : « Principi populi tui non maledices, et qui blasphemaverit Deum, morte moriatur (*Exod.* xxii, 28; *Lev.* xxiv, 16). » Idcirco prædicate jejunium et dicite : Omnes jejunemus, omnes humiliemur, quia tantum diebus nostris nefas audivimus, ne forte cum blasphemo pariter a terra deglutiamur.

Plane hoc illi simile est, quod princeps sacerdotum, cum dixisset : « Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei, » illo respondente : « Tu dixisti, scidit vestimenta sua » magnus et fortis æmulator, et dixit : « Blasphemavit, quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam, quid vobis videtur? At illi dixerunt : Reus est mortis (*Matth.* xxvi, 63 et seqq.) : » Illi, inquam, simile est hoc. Quare autem sedere fecerunt Naboth inter primates populi, et tunc demum submiserunt testes contra eum? Nimirum quia Naboth de primatibus populi erat; et ut totus videretur speciosus ordo judicii primum in suo ordine sedit, ut, postquam testes locuti fuissent, tunc demum honore privatus postremo vita privaretur. Hoc etiam modo pulchre palliata incessit nequitia hypocrisis. Quid multa? Duxerunt eum extra civitatem, et lapidibus interfecerunt : imo duxerunt extra civitatem, et crucifixerunt. Sed ad hæc Dominus : « Occidisti, » inquit, « insuper et possedisti. » Et post hæc addidit : « in loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque tuum sanguinem. » Ac deinceps : « Canes comedent Jezabel in agro Je-

Digitized by Google

zrahel, etc (*III Reg.* xxi, 19, 23). » Juxta historiam hæc ita facta sunt. Jehu introeunte respexit Jezabel per fenestram oculis suis stibio depictis, atque ornato capite, et ait : « Nunquid pax potest esse Zambri, qui interfecit Dominum suum? » (*IV Reg.* ix, 31.) Videlicet, ut quantum hora permittebat interfectorem castigaret, et de proximo territum exemplo a nece sua compesceret, sic locuta est, atque ut placere interim posset, oculis atque capite ornata est. At ille dixit eunuchis : « Præcipitate eam deorsum. Et præcipitaverunt eam (*ibid.*, 33). » Postmodum cum requireretur indulta sepultura, quia filia regis erat, non invenerunt, nisi calvariam et pedes et summas manus, reliqua namque canes comederant. Hæc nimirum vindicta sanguinis Naboth, vindictæ sanguinis Christi portentum fuit.

Hoc præcipitium Jezabel illud præcipitium præsignavit, quod Jeremias prævidens lamentando dicit sub specie Babylonicæ quæ præsens erat, captivitatis : « Præcipitavit Dominus nec pepercit, omnia speciosa Jacob destruxit in furore suo, munitiones virginis Juda dejecit in terram, polluit regnum et principes ejus (*Thren.* ii, 2). » Item : « Præcipitavit Dominus Israel, præcipitavit omnia mœnia ejus, replevit in filia Juda humiliatum et humiliatam (*ibid.*, 5). » Præcipitium illud toto orbe auditum est. Ecce Synagoga illa, quæ Christum occidit, ubi est? Nempe quidquid superesse videtur, tale vel tantum est, quale vel quantum quod de corpore Jezabel supererat canibus. Mortuum est omne tam regnum quam sacerdotium ejus, canes, id est maligni spiritus devorant, quidquid religionis sabbatizando aut sacrificando Deo sese conferre arbitrantur. Quid vero profecisse arbitrandum est regnaturo vero David, quem persequitur Doeg Idumæus, id est Antichristus, quid præcipitavit Dominus omnia speciosa Jacob, quid præcipitavit Israel, sive quid præcipitata est impia Jezabel, si non præcipitaberis, tu maligne, tu homo peccati, tu filli perditionis, qui, fugato de regno suo vero David sacerdotibusque illi faventibus occisis usque ad unum, id est usque ad paucitatem minimam, sic dominaberis, ut proposuisti, sedens in templo Dei, ostendens te tanquam sis Deus, imo etiam extolleris super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur? Quid, inquam, prodest sacerdotibus multis occisis adhuc superstitem esse David regem, et Abiathar sacerdotem, si tu Doeg permitteris ita dominari cum Saule rege furioso, ut et tu Antichristus, et peccati regnum furiosum stetis in excelsis vestris, quæ contra David regem verum statuistis? O quam multi etiam boni occisi sunt in excelsis istis! Unde in planctu magno David ad Saulem dicitur : « Jonathas in excelsis tuis occisus est (*II Reg.* i, 25). » Jonathas quippe vir bonus et fidelis exstiterat, cujus utique sagitta nunquam abiit retrorsum, quia fœdus cum David initum, cujus in contractu signo sagittarum legitur Jonathas fuisse usus, nunquam fecit irritum. Sed tamen quia una cum Doeg Idumæo adhæsit regi furioso regem David persequenti, cecidit super montes Gelboe in excelsis impii patris, furiosi regis, videlicet propter superbiam patris occisus ab inimicis, morte quidem pœnali propter impios, quibus adhærebat, sed et purgatoria propter fidelitatem, quam erga David consecraverat.

Non tali morte cecidit ille Doeg Idumæus, quem Hebræi arbitrantur fuisse armigerum Saul, qui videns corruisse ipsum Saulem super gladium suum, corruit etiam ipse super gladium suum præcipitante ambos condigna ultione in infernum, quo præcipitata est Jezabel interfectrix Naboth, persecutrix Eliæ, fautrix prophetarum Baal, interfectrix prophetarum Domini (*I Reg.* xxii, 51. Illuc etiam præcipitata est impia Synagoga interfectrix Domini nostri Jesu Christi et persecutrix apostolorum Domini. « Ecce, » inquit, « mitto ad vos prophetas, et scribas, et sapientes, et ex illis occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem, ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ (*Matth.* xxiii, 34, 35). » Omnis, inquit, sanguis justus, ut fuit sanguis Abel, sanguisque Naboth, quorum uterque significat Christum, sicut occisores eorum significant Antichristum.

Cum ergo in infernum sint præcipitati effusores omnis sanguinis justi, mirum est valde quod tu, malignissime, qui novissimus et præcipuus omnium impiorum pios persequentium revelaberis, te stare posse arbitraris. Aliter erit. *Nam quia tu dilexisti verba præcipitationis*, quibus dictas præcipitationem sanctis, Naboth similibus, hæreditatem patrum suorum contra te defendentibus, ne videlicet de vinea Domini sabaoth facias tibi hortum olerum, succisis inde virtutum et virtuosorum vitibus ac palmitibus, plantatisque, ut tu desideras, vitiorum, et vitiosorum olcribus, continget tibi sine dubio, sicut contingit impiæ Jezabeli, quæ deorsum præcipitata est. Cui nimirum, tu nequissime, assimilaris, in eo quod sacerdotes lucorum deliciose pascis de mensa tua, sanctis vero, et religiosis Christi sacerdotibus tu existis omnino contrarius et adversarius, Eliæ similes tu persequeris, illi dissimiles, incontinentes scilicet atque avaros prophetas, vel sacerdotes tu amas ut Jezabel, sacerdotes vero David regi faventes tu occidis, et ipsum David, Christum scilicet, in suis membris tu persequeris ut Doeg Idumæus et Saul rex furiosus.

Vers. 7. *Propterea Deus destruet te* sicut destruxit Jezabelem, sicut destruxit Doeg et Saulem, sicut destruxit impiam Synagogam Jezabeli assimilatam, sicut destruxit cœtum Scribarum et Pharisæorum, Doeg Idumæo vel Sauli assimilatum : *destruet te*, sicut illos destruxit, id est præcipitabit te sicut Jezabelem præcipitavit. In monte Gelboe, id est in superbia devorationis cades ut Saul aut

Digitized by Google

Doeg ceciderunt. Gelboe quippe *devoratio*, sive *decursus* interpretatur, quo nomine voracitas et instabilitas illorum significatur, de quibus verus David conqueritur dicens : « Qui devorant plebem meam sicut escam panis (*Psal.* XIII, 4). » Item : « Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens (*Psal.* LVII, 8). » In talium superbia velut in monte Gelboe destructum est regnum Saulis, et potestas armigeri ejus Doeg Idumæi. Tu autem nequior illis es in tantum, ut cum quis eorum peccator aut servus peccati valeat recte appellari, tu solus inter omnes peccatores « homo peccati (*II Thes.* II, 3) » nomineris, quod nomen soli tibi congruit, qui omnino contrarius es illi homini, qui inter omnes homines non solum justus, verum etiam *justitia* juste nominatur. Unde ait Apostolus : « Qui factus est nobis a Deo sapientia, justitia et sanctificatio et redemptio (*I Cor.* I, 30).

Propterea Deus destruet te in finem. Destruet te tunc, non utcunque, sed *in finem*, id est perfecta et consummativa destructione. Quando regnum Pharaonis destruxit ipse Deus, aliud regnum regno suo nihilominus contrarium in tribu Ephraim adversus tribum Juda surrexit, et illo destructo regnum Babylonicum surrexit. Item illo destructo regnum Persicum sive Macedonicum surrexit, quo etiam destructo regnum Græcorum surrexit. Post quod regnum stat Romanum sine dubio etiam destruendum, quoniam a Nerone ad tempora Constantini graviter impugnabat regnum Christi, neque tamen destructum est omnino, sive *in finem*, quia semper, uno tyranno vel tyrannico imperio destructo, remansit quasi radix tyrannidis in posteris, nec erat *finis* crudelitatis etiam crudelibus regibus vel regnis destructis. Ut ergo tandem sit *finis* totius tyrannidis, *propterea destruet te in finem*, ita ut tu homo peccati, qui hactenus in tuis membris, in tuis præambulis invicem sibi succedentibus, regnasti vel potius tyrannizasti, ulterius nullum successorem tuæve impietatis hæredem habeas, neque tu ipse unquam resipiscas, aut in regnum tuum redeas.

Quando auferendus erat Nabuchodonosor de regno suo, dictum est de illo per quemdam vigilem de cœlo : « Succidite arborem, et præcidite ramos ejus : verumtamen germen radicum ejus relinquite in terra (*Dan.* IV, 11, 12). » Quo dicto significabatur quoniam de regno, licet projectus ad tempus, tamen erat quandoque reversurus, et germen suæ posteritatis in regno eodem derelicturus, ac proin non erat tunc *in finem* destruendus, cui filius erat successurus. Ultimus quoque regum Babyloniorum Balthasar interfectus a Dario Medo licet non habuerit successorem suæ consanguinitatis, attamen successores multos habuit suæ impietatis; quorum omnium generatio mala et adultera, generatio prava et perversa in te homine peccati sic est finienda, ut ulterius neque in genere consanguinitatis, neque in genere perversitatis, mancat ullum germen tuæ radicis. *Propterea Deus destruet te in finem*, ut omnis tua generatio in te succisa jam habeat *finem*; *Deus*, inquam, *destruet te* per se ipsum, non per alium regem tibi successurum, sicut Balthasar destructus est per Darium sibi successurum. *Destruet te* non aliquis tyrannus, sed ipse *Deus* in æternum regnaturus. *Destruet te* non alium tibi similem tibi substituendo, sed seipsum regem verum David clarificando, quem tu Doeg persequeris in suis membris. Ipse te interficiet spiritu labiorum suorum, spiritu oris sui, et *destruet* illustratione adventus sui. *Destruet*, dico, *in finem*, ut crudelitas tua tandem habeat *finem*.

Vel *in finem*, termino seu fine mundi hujus imminente : licet modo parcat, quandiu per te suos electos probat. His per te castigatis, ipse te virgam suam projiciet in ignem æternum, ne tua impietas ullum de cætero faciat surculum suis palmitibus noxium.

Quia enim tu velut alter Achab vineam suam depravare, atque in ea, succisis vitibus, olera tua plantare præsumpsisti : *propterea* ipse non solum *destruet*, sed etiam *evellet te* cum tuis oleribus. *Evellet te* prorsus, ut nunquam germines ulterius. Hic est enim, cui vere dictum est a Deo Patre suo : « Ecce constitui te super gentes et super regna, ut evellas et destruas et disperdas et dissipes, ædifices et plantes (*Jer.* I, X). » Ideo ex quo data est illi potestas regalis in cœlo et in terra, quam in divinitate sua æternaliter habuit, sed in humanitate sua temporaliter accepit, multa zizania tritico suo nociva evulsit, multa ædificia suis civibus contraria destruxit. Sed aliquod germen radicum pessimarum dereliquit in terra et de castello, quod contra suos cives erat, quibus et dixit : « Ite in castellum, quod contra vos est (*Matth.* XXI, 2) », aliqua sustinuit ædificia. Nunc autem in tempore messis dicet messoribus : « Colligite » omnia *zizania* penitus evulsa, « et alligate ea in fasciculos ad comburendum (*Matth.* XIII, 20) » : quia non est eis ulterius parcendum, sicut aliquando eis peperci cum dicerem : « Sinite utraque crescere, ne forte colligentes zizania simul eradicetis et triticum. Levate, » inquit, « oculos, et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem (*Matth.* XIII, 29, 30; *Joan.* IV, 35). » Quia ergo messis jam cito imminet, in qua Dominus messis tritico suo jam adulto non timet, *Propterea destruet te in finem, et evellet te* de medio tritici sui et post *emigrabit te de tabernaculo tuo*, ut sicut tu Doeg fecisti emigrare David regem cum suis commilitonibus de regno suo, ita tu ejectus de regno in exsilium sempiternum, non habeas ibi tabernaculum tuum.

Quidam codices habent absolute *de tabernaculo* quidam *de tabernaculo suo*, quidam *de tabernaculo tuo*. Istud postremum probat Hebraica veritas, in qua legitur *de tabernaculo tuo*. Singula videamus.

Digitized by Google

Emigrabit te de tabernaculo, ut tibi sustinenti exsilium nullum sit omnino tabernaculum, sicut fugitivus David a facie tua vel Saulis una tecum persequentis illum, cum lateret in silvis ac montibus, non habuit tabernaculum.

Aliter : *Emigrabit*, id est, *Emigrare te* faciet *de tabernaculo tuo*, in quo tibimetipsi, non sibi militasti, tua videlicet, non sua lucra quærendo, cum esses armiger Saulis, id est, mortis et persecutor David regis.

Aliter : *Emigrabit te de tabernaculo suo*, id est faciet, ut excommunicatus, et *de tabernaculo suo*, quod est Ecclesia projectus, ulterius illic insidiando non prodas David, neque occidas Domini sacerdotes, in servitio Saulis, in ministerio mortis. Etiamsi aliquando in hoc ipso tabernaculo dicis quæ sunt Jesu Christi, mercedem hic terrenam recipis, quam et quæris juxta nomen tuum, quo diceris *Idumæus*, id est *terrenus*. Pro terrenis quippe servis in hoc tabernaculo insidians pariter David regnaturo. Talis servus non manebit in domo in æternum, quia in insidiis suis capietur, et gladio proprio confodietur. Ideo *emigravit te de tabernaculo suo.*

Et radicem tuam de terra viventium. Radix nostra charitas est, per quam radicati et fundati sumus in *terra viventium*. Inde radix tua *Doeg* eradicabitur, quia non est in altum fixa, sed quomodo semina supra petram jacta, etsi aliquam radicem faciunt, tamen quia non habent humorem, orto sole arescunt: ita etiam tu *Doeg*, etsi cum gaudio interdum suscipias verbum, faciasque germen aliquantulum, tamen de illis es et inter illos principatum geris, « qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt (*Luc.* VIII, 13). » Unde *radix tua* exstirpabitur *de terra viventium*. Et tu ipse tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ, moveberis juxta proprietatem tui nominis, quo *Doeg* id est *motus* nominaris.

Aliter : Sicut *radix* electorum est charitas, quæ nunquam arescet, quia « charitas nunquam excidit (*I Cor.* XIII, 8), » ita *radix tua* est cupiditas mundana, quæ mundo arescente ipsa quoque arescet, quia « mundus transit et concupiscentia ejus (*I Joan.* II, 17). » Hæc *radix tua*, etsi quandoque ad tempus germinat in *terra viventium* peccantibus electis, ut peccavit rex David, cito per pœnitentiam eradicabitur.

Aliter : Mysterium iniquitatis, quod per ministros tuos operaris in omni seductione secundum operationem Satanæ in signis mendacibus, est *radix tua*, per quam germinas in *terra viventium*, in Ecclesia scilicet subvertens corda simplicium tanta versutia, ut in errorem inducantur si fieri potest, etiam electi. Sed hæc *radix tua* eradicabitur *de terra viventium*, de cordibus videlicet sanctorum tua signa ita spernentium, sicut Moyses et Aaron spreverunt signa magorum Ægyptiorum (*Exod.* VIII, 18, 19). Licet enim illi fecerint suis incantationibus quædam signa signis Moysi et Aaron similia, tamen compulsi sunt fateri, in signis Moysi operari digitum Dei, qui non operabatur cum ipsis vel in ipsis aut eorum signis.

Habeant ergo licet ministri Satanæ projecti *de tabernaculo* et privati officio ecclesiastico sacramentalia signa quasi *radicem suam*, per quam germinant et lucrantur temporalia commoda, interdicta exercentes officia, contradicente sancta Romana Ecclesia : « nos, qui vivimus, benedicimus Domino (*Psal.* CXIII, 18), » qui nos talem fecit esse terram *viventium*, in qua hæc *radix* Antichristi non invenietur, etsi quando illic videbitur latitare, cito eradicabitur, cum tecta per hypocrisin malitia Deo revelante manifestabitur. « Revelabunt cœli iniquitatem tuam (*Job* XX, 27), » ita ut videant et cognoscant justi, quod injustus noluit intelligere, ut bene ageret, qui oculos habet et non videt. Attamen quantascunque nebulas errorum diffundat iste *Doeg* filius noctis et tenebrarum,

VERS. 8 *Videbunt justi et timebunt, et super eum ridebunt.* Nunc in carne mortali *videbunt et timebunt:* posthac in carne immortali *videbunt et super eum ridebunt.* Super hunc locum beatus Gregorius dicit in Job : « (122) Justus cum iniquos omnes extrema ultione percuti conspicit, ipse de gloria dignæ retributionis hilarescit ; nec damnatis jam tunc ex humanitate compatitur, quia divinæ justitiæ per speciem inhærens inconcusso districtionis intimæ vigore solidatur. Erectas namque in claritate supernæ rectitudinis electorum mentes nulla misericordia afficit, quia has a miseriis altitudo beatitudinis alias reddit. Bene ergo dicitur : *Videbunt justi et timebunt, et super eum ridebunt.* Iniquos enim nunc justi vident et metuunt : tunc visuri sunt et ridebunt. Quia enim modo ad eorum imitationem labi possunt, hic habent formidinem ; quia vero damnatis tunc prodesse nequeunt, illic non habent compassionem. Æterno itaque supplicio non esse miserendum, in ipsa, qua beati sunt, justitia judicantes legunt, quia, quod suspicari fas non est, qualitatem sibi perceptæ felicitatis imminuunt, si, in regno positi, volunt, quod implere nequaquam possunt. Sed quisquis ad vitæ se præcepta dirigit, priusquam æterna præmia percipiat, hic jam initia securitatis in perpetuum securitatis degustat, ut antiquum hostem non timeat, ut interveniente mortis articulo violentos ejus impetus nullatenus perhorrescat. Justis namque initium retributionis est ipsa plerumque in obitu securitas mentis. » Quid enim mali sit in fine venturum, vident hic justi et timent sibi, ne et ipsi cadant. Ambulant namque hic in nocte intendentes, ut ait Petrus : « Prophetico sermoni tanquam lucernæ lucenti in loco caliginoso, donec dies illucescat, et lucifer oriatur in cordibus nostris (*II Petr.* I, 19), id est, donec lux vera Christus exhibea

(122) S. Greg. M. lib. VI Moral. cap. 30.

Digitized by Google

se videndum sicut est, ostendens etiam suum adversarium Antichristum videndum, sicut et ille est, si tamen dicendus est esse, qui amisit verum atque beatum *esse*. Videbitur plane uterque in ultimo judicio, Christus et Antichristus. Nam et ille sedebit manifeste judicaturus, et iste, videntibus cunctis, præcipitabitur. Tunc *justi* omnino securi *videbunt* illum præcipitari, *et super eum ridebunt, et dicent;* qui nunc flendo eunt mittentes semina sua, tunc *ridebunt*. Qui nunc lugent, ipsi tunc facti sicut consolati de omnibus infestationibus Antichristi *super eum ridebunt et dicent :*

VERS. 9. *Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum. Ecce homo*, non Deus, qui se nimis extollendo supra omne, quod dicitur Deus, in templo Dei sedebat, tanquam si esset Deus. *Ecce homo* peccati, filius perditionis, *qui non posuit Deum adjutorem suum*, putans omnia quæ voluit, se posse per vires proprias et auxilium diaboli, cujus intentus erat voluntati. Unde *non Deum posuit adjutorem suum*, contra cujus voluntatem laborabat.

Sed speravit in multitudine divitiarum suarum. Habuerunt quidam sanctorum divitias, non tamen speraverunt in eis, imo recte illis utendo, facileque tribuendo spem sibi bonam thesaurizaverunt in Deo. Non ergo culpandus est, qui divitias habet et non amat eas in tenacitate servando, sed seminat eas in benedictionibus large dispensando. Econtra non est laudandus qui non habet divitias, dum in eo ardet cupiditas habendi eas. Non enim damnantur divitiæ, sed cupiditas avaritiæ; nec laudatur paupertas, quæ est in penuria, si desit illa paupertas, quæ est in humili ac pia patientia, de qua dicitur : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* v, 3). »

Talis paupertas longe fuit ab isto *Doeg* Idumæo, qui non solum habuit divitias, *sed* etiam coacervavit sibi *in multitudine divitiarum*, insuper et *speravit in* ipsa *multitudine divitiarum suarum; suarum* dico, quia sibi, non pauperibus eas collegit, sibi suisque voluptatibus eas insumendas custodivit. Quo contra suos discipulos instruit Veritas, ut omnes terrenas divitias cognoscant sibi alienas : « si in alieno, » inquit, « fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis? » (*Luc.* xvi, 12.) Dispensatio ergo divitibus credita est rerum alienarum, in qua dispensatione si fideles erunt, suas et nunquam sibi auferendas æternas divitias pro alienis temporalibus accipient. Hoc iste *Doeg* noluit intelligere, ut de divitiis affluentibus bene ageret, verasque divitias de fallacibus, et suas de alienis acquireret, sed spretis æternis, et veris divitiis in vanis divitiis evanuit, et *speravit in multitudine divitiarum suarum* sicut ille dives, qui dicebat : « Destruam horrea mea, et majora faciam, et illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, et bona mea, et dicam animæ meæ : Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare (*Luc.* xii, 18, 19). » Non erant hæc dicta in veritate rebus adimplenda, sed in vanitate non habente solidum esse. Dixit enim illi Deus : « Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te : quæ autem parasti, cujus erunt? (*ibid.*, 20). »

Multi sic evanuerunt, et in vanum divitias congregaverunt, quarum post mortem nullum fructum habuerunt. Sed iste *Doeg*, iste Antichristus *prævaluit in vanitate sua*, id est, præ cæteris multum vanus fuit. Nihil enim vanius eo, qui plus diligit nummum quam Deum. In hac vanitate multi malo suo valuerunt, id est, validi et fortes fuerunt. Nam de hujusmodi validis et fortibus etiam illi fuerunt, de quibus pauper in hoc mundo Christus conqueritur dicens : « Irruerunt in me fortes, et fortes quæsierunt animam meam (*Psal.* lviii, 4; liii, 5). » Omnium fortium istorum princeps quasi « fortis armatus » custodivit atrium suum, atque in hoc diu valuit, quoadusque fortior illo superveniens vicit illum (*Luc.* xi, 21). Sed iste *Doeg*, ut putabat, omnibus istis *prævaluit*, id est, plus valuit, quia ipsi fortissimo triumphatori mortis, quem nullus unquam superare potuit vel poterit, se opponere ausus fuit, quod quia non veritate fultus sed vanitate deceptus fecit, recte nunc irridetur, cum ei dicitur : *Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et prævaluit in vanitate sua*, deceptus videlicet atque decipiens multos vanitati ejus potius quam veritati Dei credulos.

VERS. 10. *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei speravi in misericordia Dei in æternum et in sæculum sæculi.* Maxime hic apparet psalmi hujus oratoria declamatio pertinere ad demonstrativum genus causæ, in quo pars honesta laudatur, et inhonesta vituperatur. Nam hucusque vituperatio *Doeg* exaggerata est : nunc pars contraria laudatur, cum dicit justus et bonus : *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei speravi in misericordia Dei in æternum.* Ille *Doeg speravit in multitudine divitiarum suarum : ego autem sicut oliva fructifera*, ego populus Dei existens oliva, unde *fracti* sunt *rami* superbi et per superbiam arefacti, quorum in locum insertus est oleaster (*Rom.* xi, 17) : ego illa oliva, de cujus germine Christus natus *filius olei* dicitur : ego fertilis oliva, quæ virens hieme simul et ætate fructum facio tam in adversitate quam in prosperitate (*Isa.* v, 1) : ego non arbor evellenda sicut illa, cui superius dictum est : *Propterea Deus destruet te in finem, evellet te, et emigrabit te de terra*, sed *sicut oliva fructifera* manens *in domo Dei*, non solum in tabernaculo ejus ipsi militando in tempore belli, sed etiam *in domo Dei* ipsum laudando in tempore pacis, non in divitiis, ut *Doeg*, *speravi*, sed *in misericordia Dei*, non temporali, sed mansura *in æternum*, de qua dicitur et alias : « Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus (*Psal.* cxxxv, 1). »

Est alia ejus misericordia brevis et levis, in qua, tu *Doeg*, superbivisti. Unde in Hebræo legitur : *Quid*

Digitized by Google

gloriaris in malitia potens misericordia Dei, pro quo in nostra translatione legitur : *Potens in iniquitate;* quia videlicet misericordia hæc intelligitur de mammona iniquitatis, in qua potens fuit *Doeg*. Ille *Doeg* in tali misericordia superbivit et gloriatus est. Ego autem et si aliquando hujusmodi misericordia bene utendo sive ad meam sive ad aliorum consolationem gratias agebam : non tamen in tali misericordia Domini in æternum cantando *speravi in misericordia Dei* duratura *in æternum, et in sæculum sæculi.*

Cum dico : *In æternum et in sæculum sæculi*, ejusdem sensus repetitio ac proinde confirmatio est. Nam cum dico : *Speravi in misericordia Dei in æternum*, ut confirmem, quod sum fundatus in dilectione regni cœlorum, quod manet *in sæculum seculi*, repeto idem et dico : *et in sæculum sæculi.* Quod autem sum *oliva*, quod sum *fructifera*, quod sum *in domo Dei* sperans *in misericordia Dei*, non mihi attribuo, sed gratiæ tuæ Deus, et ideo

Confitebor tibi in sæculum, quia tu fecisti. Quid *fecisti?* Totum videlicet quod sum, quod boni unquam potui vel possum. Tu me discernendo a massa perditionis, a corpore, vel membris Antichristi associasti membris Ecclesiæ, ramis *olivæ fructiferæ.* Tu me fecisti consortem nominis boni, nominis christiani. Unde *et* ego *exspectabo nomen tuum* super A me invocatum, quandoque in me clarificandum, ut tu Deus omnia, et in omnibus clareas, et ejecto *Doeg* tu solus monarchiam teneas, et nominis tui gustum jucundissimum tuis exhibeas, *quoniam* suave est, quoniam *bonum est*, non *in conspectu Doeg* aliorumque inimicorum, sed *in conspectu sanctorum tuorum*, qui soli gustant, quam suavis est Dominus, quam suave est nomen ejus, et quam magna multitudo dulcedinis ejus.

Aliter : *Confitebor tibi in sæculum, quia fecisti* multa jam præterita beneficia contra fraudes *Doeg* ad exaltationem regni Davidici. Adhuc etiam vel ante judicium vel in ipso judicio extremo facturus es multa nomen David glorificantia. *Exspectabo* igitur, et non ero præproperus, *exspectabo nomen* B *tuum*, quo tu Salvator nominaris, ut mihi te per patientiam exspectanti salutem largiaris secundum *nomen tuum*, quod *est bonum in conspectu sanctorum tuorum.*

Gloria Patri Deo, in cujus misericordia speravi. *Gloria Filio* Deo, qui destruet illustratione adventus sui *Doeg Idumæum. Gloria Spiritui sancto*, qui est illa misericordia, in qua sperandum est in æternum. Gloria uni trium æternitati, quæ per hoc exprimitur, quod dicitur : *In æternum, et sæculum sæculi.* Amen.

PSALMUS LII.

Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus. Titulus ejus psalmi hic est : C

(VERS. 1.) IN FINEM PRO AMALECH INTELLECTUS DAVID.

Nota autem historia est, quod David fugiens Saulem venit ad Achis regem Geth, et sub eo militavit, uxoribus ac filiis collocatis in parva civitate Siceleg, veneruntque Amalecitæ, et incenderunt civitatem, abstuleruntque uxores et filios David. Quo audito, David persecutus est latrunculos illos et liberavit captivos (*I Reg.* XXX).

Amalec interpretatur *lingens terram*, et significat populum terrena diligentem : *Siceleg conversio*, et significat Ecclesiam. In uxoribus sanctas animas, per filios bona opera, per *David* intelligimus Chri- D stum.

Potest credi *David* eumdem intellectum habuisse in hoc psalmo, quem habuit, cum prius ipsum composuit. Sed ideo repetiit, quia quod historice ab Amalecitis sibi contigit, spiritaliter in Christo et in Ecclesia futurum intellexit. Nam ipse *Amalec* est insipiens Judæus vel hæreticus, quicunque blasphemando Christum dixit in corde suo : *Non est Deus.* Contra hunc sapientis cujusque animam confortat spes audito quod dicitur : *Cum converterit Dominus captivitatem plebis suæ, exsultabit Jacob, et lætabitur Israel*, sicut in jam dicto *David* facto præfiguratum est.

Potest tamen psalmus iste a tertio decimo non inconvenienter distingui, ut, licet verba illius et istius eadem sint, materia tamen diversa intelligatur, quod ex amborum titulis inter se diversis insinuatur. Nam prior habet hunc titulum. *In finem psalmus David.* Sed hic dicitur : *In finem pro Amalec intellectus David.* Augustinus ponit *pro Melech* (123), quod interpretatur *dolens* vel *parturiens*, et significat Christum caput cum membris, maxime autem quemlibet charitatis æmulatorem Paulo apostolo cousimilem, qui dolet refrigescente charitate in tempore novissimo, et parturit filiolos, donec formetur Christus in eis. Ergo pro parturiente corpore Christi de tempore malorum Propheta quoque parturiens cantat contra stultum Antichristi populum hunc psalmum, supra decantatum contra stultum Judaicum populum. Unde in Hebræo uterque psalmus ita incipit : *Dixit stultus in corde suo : Non est Deus.*

Pulchrum genus dicendi est eisdem verbis aliam

(123) Ita Cod. Sed edita referunt : *pro Maëlech*, quam lectionem etiam Vulgata retinet.

Digitized by Google

sensum exprimere, duosque insipientes vel stultos populos in hoc parificare. Nam et ille populus insipiens, qui Christum in carne fragili cernens propter ipsam carnis fragilitatem dixit in corde suo : *Non est Deus*, recte superius est redargutus tanquam cæcus et fatuus, quia miraculis, quæ vidit, non est eruditus, ut intelligeret esse Deum, qui verba Dei loquebatur, et opera Dei operabatur. Et nunc iterum recte arguitur populus Antichristi, qui videns abundante iniquitate et refrigescente charitate christianam religionem deficere, dicit *in corde suo : Non est Deus* Christus, cujus ita labascit cultus, ut vix inveniatur verus Christi cultor, verus christianæ disciplinæ servator. Sicut enim populus Judaicus per hoc cæcabatur in primo adventu Christi, quod scandalum crucis et ignominiam mortis in Christo viderunt, ac proinde ipsum Deum esse negaverunt : sic in fine temporum, dum prosperantibus iniquis et oppressis bonis non sentitur judex vivorum et mortuorum, Christus putabitur non esse Deus a populo stulto et insipiente, qui dicit in corde suo : *Non est Deus.*

In prima parte psalmi est increpatio populi insipientis ; in secunda comminatio judicii cum dicitur : *Nonne scient omnes, qui operantur iniquitatem.* In tertia salus Ecclesiæ parturientis, quæ ad spem confortatur ubi dicitur : *Quis dabit ex Sion salutare Israel?*

Notandum sane, quod sicut in præcedenti quinquagenario tota psalmorum versabatur intentio circa ædificandam fidem : sic in isto principalis est intentio ad confortandam spem, ne videlicet, invalescente carnis vel impiæ multitudinis impetu contra se, desperet christianus, cujus adjutor est judex vivorum et mortuorum Christus. Ideo etiam semper in singulis periochis a judicio incipit, unde spes cum metu procedit, ut metum quasi molarem inferiorem et spem quasi molarem superiorem simul coaptet in corde uno sive in populo uno, in populo scilicet christiano. Quia vero populus insipiens neque metum neque spem recipit, Christum regnare non credit. Cujus insipientiæ improperatur cum dicitur :

Dixit insipiens in corde suo : quia ore non audet. Quid dixit? *Non est Deus.* Hoc prius dixit insipiens populus Judaicus ; hoc postea dixit *insipiens* nihilominus ille populus, qui falso dicitur christianus, quia respuit legem Christi, et amat leges Antichristi. Propterea pares inveniuntur in scelere populus *insipiens*, qui Christum negavit, et iterum populus *insipiens*, qui Christum recipit. Uterque namque *dixit in corde suo* : *Non est Deus*, ille videlicet, quem Maria peperit. Hoc dicunt, sed non est recipiendum testimonium eorum ; tum quia falsum est, tum etiam quia vita ipsorum testium vituperabilis est. Nam

Vers. 2. *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in iniquitatibus*, adeo quod *non est* inter illos, *qui faciat bonum.*

De falsitate autem testimonii per id constat, quod is, quem Deum negant, quasi *Deus*, imo vere manens,

Vers. 3. *Deus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens.* Quis enim præter solum Deum potest videre corda omnium hominum, vel intellectus eorum ? Si Christus non esset Deus, falso diceret ei Petrus : « Domine, tu omnia scis (*Joan.* xvi, 30). » Item Joannes evangelista cum dixisset, quia non credebat semetipsum quibusdam, licet credentibus in eum propter signa, quæ viderant, adjecit, « eo quod ipse nosset omnes, et non erat ei opus, ut ei quis testimonium perhiberet de homine : ipse enim sciebat quid esset in homine (*Joan.* II, 24, 25). » Hinc est, quod respondit [Christus] ad cogitationes frequenter, verbi gratia : « Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? (*Matth.* IX, 4.) » Et post resurrectionem suam discipulis apparens : « Quare, » inquit, « ascendunt cogitationes in corda vestra ? (*Luc.* XXIV, 38.) » Existimabant enim se spiritum videre, non corpus. Et hanc eorum tacitam existimationem sciens Jesus increpavit eos, et emendavit præbens illis palpandam carnem et ossa, qualia spiritus non habet. Hoc etiam suis discipulis, in quibus ipse loquitur, concedit. Unde in spiritu ejus loquens Petrus apostolus ad Simonem dixit : « In felle amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse (*Act.* VIII, 23). » Paulus quoque apostolus de prophetis in nomine Christi loquentibus et occulta cordis manifestantibus affirmat, quod vere Deus in illis sit, qui et per eos loquitur. Hinc etiam de se dicit : « An experimentum ejus quæritis, qui in me loquitur Christus ? (*II Cor.* XIII, 3.) » Nonne itaque vere Deus est, qui non solum *de cœlo*, id est, de habitaculo suæ carnis, verum et *de cœlo* quolibet inferiore, videlicet sancto suo, cujus conversatio in cœlis est, *prospexit* sæpe atque quotidie prospicit *super filios hominum, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum ?*

Vel *prospexit*, id est, misertus est, *super filios hominum, ut videat*, id est, videri faciat, *si est intelligens* corde, *aut requirens* opere ipsum *Deum*, de quo *dixit insipiens in corde suo : Non est Deus.* Et tanquam invenerit, quod quæsivit, sententiam depromit dicens :

Vers. 4. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt.* Primo *declinaverunt* a via veritatis, et *simul* cum ipsa declinatione, vel *simul*, id est, pariter *inutiles facti sunt.* Generaliter vero *non est, qui faciat bonum*, quod quia *pro Melech*, id est pro *parturiente* loquor ego quoque velut parturiens, et cum dolore verba concepta ejiciens repeto et dico : *Non est usque ad unum.* Dixi : *Non est, qui faciat bonum*, iterum dico : *Non est*, quod usque adeo verum est, ut nec unus inveniatur in populo insipiente, *qui faciat bonum.* Propterea dico : *Non est usque ad unum.* Si enim vel unum bonum vellem intelligi, dicerem : *Præter unum.* Modo quidem non est inter eos, qui intelligat aut requirat Deum. Sed velint nolint, « co-

Digitized by Google

gnoscetur Dominus judicia faciens (*Psal.* IX, 17). » Tacui diu et silui, nunc autem quasi parturiens loquor cum increpatione atque comminatione ad eos, qui me audiunt, de illis, qui me non audiunt. Dico ergo :

VERS. 5. *Nonne cognoscent ? Nonne scient*, nonne intelligent *omnes qui operantur iniquitatem* saltem in judicio manifesto Christum Deum pro plebe sua ipsos arguentem ? *Qui devorant*, inquit, *plebem meam sicut escam panis.* Plebs mea parturit et dolet, ac proinde consolatione ac refectione indiget. Sed ipsi divites, qui eam consolari ac reficere deberent, non pascunt *plebem meam*, sed *devorant* eam vel deprædando ac depauperando eam, vel certe, quod nequius est, incorporando eam sibi, quantum in ipsis est, ut *cibum panis*, qui licet quotidie comedatur, non tamen in fastidium vertitur ita facile ut alia quævis esca, verbi gratia, caro vel piscis vel ova seu cætera talia, quæ si quis absque pane assidue comederet, cito in fastidium verterentur. *Devorant* ergo *plebem meam* sicut *escam panis*, quia talis devoratio multum sapit illis quotidie. Sicut enim etsi aliquibus diebus abstinetur a carnibus, nulla tamen die solet abstineri a pane, ita isti *omnes, qui operantur iniquitatem*, etsi aliquando alias iniquitates intermittunt, a vexatione tamen plebis nunquam cessare volunt. Et hoc ideo fit, quia

VERS. 6. *Deum non invocaverunt.* Etiam si quando precibus clamaverunt ad Deum, *non* tamen *invocaverunt* ipsum *Deum*, quia hoc in oratione sua quisque invocat, quod maxime adipisci affectat. Isti ergo, quia de terra sunt, et terrena maxime desiderant, etiam in illis officiis, in quibus videntur Deo ministrare, *non* ipsum *Deum*, sed aliud *invocant*, quod potius quam ipsum desiderant. Ergo nullatenus habent vel habere volunt spem cœlestium bonorum sicut boni filii.

Sed neque timorem habent sicut boni servi. Nam bonus est ille servus, qui per timorem Domini habens initium sapientiæ timet timenda, quoad usque nutriatur ad filialem nobilitatem, in qua speret speranda. Isti vero *qui devorant plebem* dolentem et parturientem, iste populus *insipiens*, qui *dicit in corde suo non est Deus*, isti principes insipientis populi insipientes et ipsi nec initium sapientiæ recipere volunt, ut videlicet futuras et æternas pœnas timendo a momentanea vitiorum jucunditate se abstineant. Habent tamen alium timorem, qui non est initium, sapientiæ, sed indicium stultitiæ. Nam *illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Super hunc locum beatus Gregorius dicit in Job : (124) « Sunt plerique qui Veritatem jam libere defendere appetunt, sed tamen in ipso suo appetitu trepidi indignationem potestatis humanæ pertimescunt. Cumque in terra hominem contra Veritatem pavent, ejusdem Veritatis iram cœlitus sustinent. Sunt item nonnulli, qui peccatorum suorum conscii, ea, quæ possident, indigentibus jam largiri desiderant ; sed tamen ne datis rebus egeant, ipsi formidant. Cumque subsidia carnis reservando trepidi præparant, ab alimentis misericordiæ animam necant : et cum pati in terra inopiam metuunt, æternam sibi abundantiam supernæ refectionis abscidunt. De quibus recte per Psalmistam dicitur : Illic trepidaverunt timore, ubi non fuit timor, quia profecto, qui conculcanda in infimis metuunt, a summis metuenda patiuntur ; et cum transire volunt quod calcare poterant, judicium de supernis excipiunt, quod tolerare nequaquam possunt. » Unde recte dicitur : « Qui timent pruinam, irruet super eos nix (*Job.* VI, 16). » Timent videlicet non timenda, sicut et Judæi, qui timentes perdere locum et gentem Christum occiderunt.

Aliter : *Trepidaverunt timore, ubi non erat timor*, quia revera in corde ipsorum *non erat timor*, quo timerent ipsi pontifices perdere locum et gentem ; sed tamen, ut plebem simplicem, quam devorabant, in necem Christi accenderent, *illic trepidaverunt* simulando timorem, *ubi non erat timor.* Dicebant enim : « Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem (*Joan.* XI, 48). » Sic loquendo plebem simplicem deceperunt, sibique illam quasi devorando incorporaverunt, ut omnibus in nece Christi, minoribus atque majoribus fieret unus consensus. Propemodum talibus assimilantur, qui, recepto Antichristo vel quolibet ejus præcipuo ministro, trahunt populum in ejus obsequium, simulando et intentando illis timorem vanum, trepidando scilicet, *ubi non est timor* exemplo Pharisæorum Christum occidentium. Sed si non esset hic populus insipiens, et si principes populi istius saperent et intelligerent ac novissima providerent, possent magis terreri a malo, quam animari ad malum exemplo Judæorum, quoniam justo judicio Dei timor, quem timebant, evenit illis, et quod verebantur, accidit, non quia Christum dimiserunt, sed quia eum non admiserunt. Nam si eum dimisissent, locum suum non amisissent. Quia vero eum non dimiserunt, ideo locum et gentem perdiderunt, sicut quidam eorum simulate, quidam vere timuerunt.

Neque hoc ad vindictam sanguinis Christi sufficit, quod a loco suo projecti sunt : pejus illis accidit, *quoniam Deus* ipse, quem crucifixerunt ; ipse, inquam, *Deus dissipavit ossa eorum* per duces Romanos Titum et Vespasianum, quando traditi sunt in manus gladii, secundum corpora gladiis trucidantibus exposita, et partes vulpium sunt effecti secundum animas vulpibus, id est, malignis spiritibus datas. Ita nimirum et istis Antichristi ministris

(124) Lib. VII Moral. cap. 26.

Digitized by Google

eveniet, quod aut vero aut simulato timore trepidantes timent.

Quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent; Deus, inquam, ille, de quo in corde suo dicunt : *Non est Deus*, ipse Deum se comprobavit esse ultione manifesta sui repudii et susceptionis Antichristi, quoniam sicut illos *dissipavit*, qui noluerunt ipsum regnare super se dicentes : « Nolumus hunc regnare super nos (*Luc.* XIX, 14), » magisque Cæsarem elegerunt : ita etiam dissipabit, imo, ut enuntiatio rei futuræ certior fiat, per verbum præteriti temporis dico : *Dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent.* Unde namque putas esse quod Christum, Christique ministros oderunt, neque illos in aliqua dignitate vel spirituali vel sæculari acquiescunt exaltari ; Antichristum vero, sive ministros ejus Christo contrarios gaudent in Ecclesia vel in regno principari, nisi quia magis volunt placere hominibus quam Deo ? Sicut enim Judæi voluerunt placere Cæsari dicendo : « Non habemus regem nisi Cæsarem (*Joan.* XIX, 15), » sic et isti volunt placere Antichristo vel cuilibet ejus ministro, dicendo, verbi gratia, in exaltatione pontificis, aut principis maligni : Non habemus alium, nisi istum.

Etiam in hoc *hominibus placent*, quia sibimetipsis placent insipientes et maligni, cum sint homines et ipsi, hoc est carnales æque ut ipsorum principes. Quocontra sancti et justi sibimetipsis displicent, neque hominibus aliis placent, quorum unus et præcipuus Paulus apostolus dicit : « Si hominibus placerem, Christi servus non essem (*Gal.* I, 10). » Si, inquit, *hominibus*, id est, carnalibus placerem, Christi servus non essem. Nam de spiritalibus ipse alias dicit : « Sicut et ego omnibus placeo (*I Cor.* X, 33), » non tamen addit, *hominibus*, quia non curavit placere carnalibus. Huic simile est, quod Dominus dicit : « Quem dicunt homines esse Filium hominis ? (*Matth.* XVI, 13.) » Postea vero discipulos suos ab hominum generalitate distinguens annectit : « Vos autem quem me esse dicitis ? (*ibid.*, 15.) » Item Paulus apostolus, cum de præmio sanctorum dixisset, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit : « Nobis autem, » inquit, « revelavit Deus per Spiritum suum (*I Cor.* II, 10), » se videlicet, suique consimiles ab hominum generalitate discernens. Ipsi namque ultra homines acceperunt, ut angeli dicantur, qui angelicam vitam, in quantum possunt, imitantur caste vivendo ut angeli, seu caste annuntiando verbum Dei ut angeli. Talibus placere non est hominibus placere, sed angelis. *Qui* autem *placent*, et placere affectant *hominibus*, id est, carnalibus, vel sibimetipsis vel aliis, *confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.*

Parum est ut dicam in futuro confundendos, imo jam *confusi sunt*, amplius confundendi posthac. Etenim confusionis magnam portionem hic acceperunt, *quoniam Deus sprevit eos*, id est, fecit sperni eos etiam in hac vita, plus confundendos et spernendos in futura. Justa nimirum vicissitudo hæc est, ut, quoniam spernunt sanctos mali, et ipsi spernantur ab illis, ita Christum « sprevit Herodes cum exercitu suo (*Luc.* XXIII, 11), » et ipse illum sprevit, quia neque loqui, nec aliqua signa coram eo facere voluit. Sic Joram regem Israel sprevit Eliseus, dicens : « Quid mihi et tibi est ? Vade ad prophetas patris ac matris tuæ. » Item : « Vivit Dominus, in cujus conspectu sto, quod si non vultum Josaphat regis Judæ erubescerem, ne attendissem quidem te nec respexissem (*IV Reg.* III, 13, 14). » Igitur *qui hominibus placent*, et angelis ac Deo displicent, *confusi sunt, quoniam Deus sprevit*, et sperni fecit ac facit *eos.*

VERS. 7. *Quis dabit ex Sion salutare Israel ?* O tu parturiens Ecclesia, noli deficere inter tot scandala, sed ora et supplica Deo Christo, quem tu esse Deum credis. Atque ut vehementior sit oratio, sub interrogatione capta judicis attentionem capessendo tibi spem, certamque salutis exspectationem. Sic Apostolus cum gravissime urgeretur molestis tentationibus ait : « Quis me liberabit de corpore mortis hujus ? (*Rom.* VII, 24.) » Clamor istiusmodi admirationis et interrogationis est oratio fortis Jacob cum Deo luctantis. Quod vero postea subnectit dicens : « Gratia Dei per Jesum Christum (*ibid.*, 25), » læta est gratulatio Israel Deum videntis, et fructum orationis percipientis. Ita et tu, parturiens atque in parturitione vires pariendi non habens, assidue clama dicens : « Quis dabit ex Sion salutare Israel ? » (*Psal.* XIII, 7.) Quod pene idem est, ac si cum Apostolo dicas : « Quis me liberabit de corpore mortis hujus ? » Oratio quippe fortis est pro convertendis reliquiis Israel, pro quibus orat in multis locis Scripturarum Spiritus sanctus in sanctis gemitibus inenarrabilibus. Unde Isaias : « Convertere, Domine, propter servos tuos, tribus hæreditatis tuæ (*Isa.* LXIII, 17). » Item sponsa in Canticis canticorum sponso suo ab Israel averso dicit : « Revertere, dilecte mi, revertere, similis esto capreæ, hinnuloque cervorum super montes Bethel (*Cant.* II, 17). » Velocem petit reversionem sponsi, quem in revertendo assimilari optat agilitati capreæ hinnulique cervorum. Et Jeremias ait : « Converte nos, Domine, ad te, et convertemur. Innova dies nostros sicut a principio. Sed rejiciens repulisti nos, iratus es contra nos vehementer (*Thren.* V, 21, 22). » Quia ergo tu, Domine, iratus es contra Israel, *quis dabit salutare Israel ?* Quis reducet Salvatorem ad Israel ? Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo illuc, ubi inveniam *salutare Israel ?* Quis me liberabit de corpore mortis hujus, in quo non possum videre Deum facie ad faciem sicut eum vidit Israel, et salva facta est anima ejus ? Magna est velut mare contritio tua, o parturiens anima vel Ecclesia : quis medebitur tui ? *Quis dabit* tibi *salutare Israel ? Salutare* dico *ex Sion*, quia non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat salvos fieri præ-

Digitized by Google

ter illud *salutare* quod, conceptum de Spiritu sancto et Maria Virgine, natum est in *Sion*. Unde et « Dominus diligit portas Sion, quia homo natus est in ea, ipse fundavit eam Altissimus (*Psal.* LXXXVI, 1, 5). » Ipse natus in *Sion* postea recessit de illa terrena *Sion*, imo et de illa terrena portione *Sion*, id est Ecclesiæ, quæ *Sion* censetur solo nomine. *Quis* ergo *dabit*, vel reducet eum semel aversum, imo quis nos convertet ad illum semel aversos? Ipse namque dicit : « Convertimini ad me, et ego convertar ad vos (*Zach.* I, 3). » Quis autem nos aversos et perversos convertet? Nemo certe nisi ipse, nemo nisi gratia ipsius. Ipse ligatus est, ut solveret mundi ruentis compedes (125). ipse captivus erat in prætorio Pilati, ut solvat captivitatem plebis suæ.

Ideo tu parturiens atque dolens portio Ecclesiæ, portio spiritalium, quæ doluisti populum Christi a populo Antichristi captivatum quasi populo lingente, Amalech captivante uxores David ac filios militumque illius, item uxores ac filios; tu, inquam, parturiens et dolens hactenus propter adversos casus, quibus populus Israel a populo Amalech, exercitus Christi ab exercitu Antichristi est afflictus, gaude nunc, et lætare, quia ecce rex tuus, rex David venit tibi cito in auxilium, et liberabit populum suum captivum, sicut in historia factum est, liberante David captivitatem factam in Sieeleg ab Amalech.

Tunc igitur, *cum converterit Dominus captivitatem plebis suæ*, quæ non per ultroneam voluntatem, sed per violentam *captivitatem* comitatur Amalech, *exsultabit Jacob, et lætabitur Israel*, id est ille minor populus, cui major servit, ille simplex et lenis frater, qui fratre piloso in venationibus occupato accepit benedictionem; ille, inquam, *Jacob* simul et *Israel* nominatus, quia de actionis lucta usque ad contemplationis profecit suavitatem, *tunc exsultabit* corpore alacri in servitio Dei, *et lætabitur* mente devota in contemplatione sancta.

In Hebræo legitur : *Cum reduxerit Deus captivitatem populi sui, exsultabit Jacob, et lætabitur Israel.* Recte hic locus illud respicit, quod secundum quosdam codices habet titulus *pro Amalech*, quia tunc facta est lætitia magna fautoribus David, quando captivum populum cum præda magna de Amalec reduxit, interemptis Amalecitis et duabus uxoribus cæterisque suis omnibus cum sospitate receptis. Nullum quippe de illis occiderant Amalecitæ, sed abduxerant eos tantum in captivitatem.

(125) *Cod.* complices.

A Quo facto significatur quod nullus electorum peribit, sed omnes liberabuntur, etiamsi ad horam corpore, non corde malos in invio comitantur. Quibus omnibus in finem liberatis erit exsultatio et lætitia magna, ita ut gaudium plenum sit illis, qui salvati fuerint de Israel. Exsultationem et lætitiam istam Jacob sive Israel hoc valde magnificat in liberatione hujus captivitatis, quod Ægyptium puerum Amalecitæ in itinere deserunt, quem David cibo reficit, ducem sui itineris facit, Amalecitas persequitur, epulantes reperit, et funditus exstinguit. In hoc enim facto mirandum spectatur supernæ gratiæ donum erga peccatores convertendos. « Quid (126) enim est, quod Ægyptius Amalecitæ puer in itinere lassatur, nisi quod amator præsentis sæculi, peccati sui B nigredine opertus, sæpe ab eodem sæculo infirmus despectusque relinquitur, ut cum eo nequaquam currere valeat, sed fractus adversitate torpescat? Sed hunc David invenit, quia redemptor noster veraciter manu fortis nonnunquam, quos despectos a mundi gloria reperit, in suo amore convertit; cibo pascit, quia verbi scientia reficit; ducem itineris eligit, quia suum etiam prædicatorem facit; et qui Amalecitas sequi non valuit, dux efficitur David, quia is quem indignum mundus deseruit, non solum conversus in sua mente Deum recipit, sed prædicando hunc etiam usque ad aliena corda perducit. Quo videlicet duce David Amalecitam convivantem invenit, et exstinguit, quia ipsis prædicantibus C Christus mundi lætitiam destruit, quos mundus habere comites despexit. »

Cum ergo ita *converterit Dominus captivitatem plebis suæ*, ut per infirma hujus mundi confundat fortia, et per ignobilia et contemptibilia mundi operetur sua mirabilia in plebe sua convertenda et a captivitate Amalecitarum, diabolo vel Antichristo militantium, liberanda : non est mirum quod *exsultabit Jacob et lætabitur Israel*, quia « gaudium erit etiam angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente (*Luc.* XV, 10). » Imo et ipse Pater cœlestis epulari et gaudere suadet, præcipueque ipse gaudet, quando Filius, qui perierat invenitur; qui mortuus fuerat, vivus conspicitur.

Gloria Patri hanc exsultationem et lætitiam in D Jacob et Israel dilatanti. *Gloria Filio* ejus, Deo vere et vivo, de quo *dixit insipiens in corde suo*, quod *non* esset *Deus* qui etiam est illud *salutare* de quo dicitur in Psalmo : *Quis dabit ex Sion salutare Israel? Gloria Spiritui sancto*, qui est illa exsultatio et lætitia, quo *exsultabit Jacob et lætabitur Israel.*

(126) S. Gregorius M. lib. V Moral. cap. 41.

PSALMUS LIII.

Deus in nomine tuo salvum me fac, etc. Psalmi hujus titulus est :

(VERS. 1, 2) IN FINEM IN CARMINIBUS INTELLECTUS DAVID, CUM VENISSENT ZIPHÆI AD SAUL, ET DIXISSENT : NONNE DAVID ABSCONDITUS EST APUD NOS?

Legitur in primo libro Regum, quod cum David

Digitized by Google

fugeret a facie Saul, venit in desertum Ziph et venerunt Ziphæi ad Saul dicentes : « Ecce David latitat apud nos : Descende; nostrum est ut tradamus eum in manus regis. » Quod cum audisset Saul, persecutus est in desertum Maon. « Porro David desperabat se posse evadere a facie Saul. Itaque Saul et viri ejus in modum coronæ cingebant David et viros ejus, ut caperent eos. Et nuntius venit ad Saul dicens : Festina et veni, quoniam infuderunt se Philisthiim super terram. Reversus est ergo Saul desistens persequi David, et perrexit in occursum Philisthinorum. Propter hoc vocaverunt locum illum petram dividentem (*I Reg.* XXIII, 19, 20 et seqq.). Ascendit ergo David inde : et habitavit in locis tutissimis Engaddi (*I Reg.* XXIV, 1). » Ita non profuit Ziphæis sua proditio, et David non nocuit.

Ziphæi, qui David prodiderunt Sauli, significant Judæos, qui verum David Christum morti tradiderunt. Ziphæi namque *florentes* interpretantur, quo nomine Judæi apte notantur, qui temporalibus bonis florere certabant, et secundum carnem de germine stirpis nobilissimæ descendentes etiam per hoc *florentes erant*, quia cognati Christi, qui « Flos campi et lilium convallium (*Cant.* II, 1) » est, fuerunt.

Item per Ziphæos, id est *florentes*, recte significatur totum corpus malorum, quorum gloria carnalis tanquam flos feni ad tempus virescit et cito arescit. Inter hos latet David, id est *mortui* mundo, quorum « vita abscondita est cum Christo in Deo (*Coloss.* III, 3). » Hos produnt *Ziphæi* furioso regi Sauli, cum ad mortem sive animæ sive corporis eos trahere moliuntur. Talium namque pacem zelando æmulantur infirmi et pene moventur pedes eorum usque ad scandalum. Sed ingrediendo per fidem in sanctuarium Dei hoc intelligunt in novissimis eorum *in finem*, secundum quod psalmus iste titulatus est : *In finem*. Hoc, inquam, intelligunt, quod « tanquam fenum velociter arescent, et quemadmodum olera herbarum cito decident (*Psal.* XXXVI, 2). Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus tanquam flos feni. Exaruit fenum et decidit flos : verbum autem Domini manet in æternum (*I Petr.* I, 24; *Isa.* XL, 6). » Exorietur enim sol justitiæ apparens in claro fulgore suo extremo judicio, et tunc Ziphæis arefactis, et regno Saulis ac mortis omnino destructo, David, qui modo inter Ziphæos latitat, cum gloria suscipietur.

Cujus rei absconditus intellectus non patet omnibus. Attamen iste est *intellectus David*, et est, *in carminibus*, vel hymnis, quia hoc intelligens *David*, quod nunc a facie Saulis *absconditus*, posthac Saule mortuo, id est morte mortua sit in gloria ipse regnaturus, in hymnis et confessionibus benedicit Dominum. Cumque tria legat in libro Domini, « lamentationes scilicet et carmen et væ (*Ezech.* II, 9), » intellectus ejus post lamentationes pœnitentiæ, quibus evaditur æternum *væ*, per maxime occupatur *in carminibus*, id est in psalmis et hymnis et canticis spiritalibus assiduisque laudibus et gratiarum actionibus etiam inter adversa, juxta illud : « Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo (*Psal.* XXXIII, 1). »

Est quoque notandum quod, licet in modum coronæ David et viri ejus a viris Saul cincti fuissent, cum suis tamen evasit ipse David, et ascendens inde habitavit in locis tutissimis. Hoc igitur exemplo quisquis videt aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, non desperet se posse evadere de manu Saul, id est mortis sive diaboli sive Antichristi, de insidiis et fraudulentiis ac violentiis Ziphæorum, id est *florentium*, subauditur vitiorum, sed oret frequenter dicens : *Deus, in nomine tuo salvum me fac.* Sic a nominis Domini assidua vel continua invocatione minime cesset, donec liberatus de corpore mortis hujus habitet in locis tutissimis Engaddi, quod interpretatur, *fons hædi*, quo nomine significatur vel gratia remissionis peccatorum, quæ data in fonte baptismatis facit agnos ex hædis, vel fons lacrymarum, quo post baptismum coinquinatis, et inter hædos, qui ad sinistram statuendi sunt, computatis redditur denuo gratia remissionis peccatorum, ut redeant ad greges agnorum. Talibus de tali fonte ascendentibus convenit illud, quod ad sponsam dicit sponsus : « Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascendunt de lavacro omnes gemellis fetibus, et sterilis non est inter eas (*Cant.* IV, 2). » David ergo, et viri ejus habitant in locis tutissimis Engaddi, dum aut servant post baptismum veram innocentiam, vel si eam perdiderint, amare flendo ut Petrus (*Matth.* XXVI, 75), « miserere mei, Deus » canendo ut David (*Psal.* L, 1), lacrymis pedes Domini rigando ut Maria (*Luc.* VII, 38), studeant illam recuperare per veram pœnitentiam. Quisquis non est aut vere innocens aut vere pœnitens, non habitat in locis tutissimis Engaddi. Ad hæc loca tutissima studiose tendentibus quasi celeusma sonorum et jucundum frequentanda est invocatio nominis Dei.

Dicat ergo unusquisque talium : *Deus, in nomine tuo salvum me fac.* Prima hujus psalmi parte David pauper latens inter Ziphæos, inter divites florentes orat nunc judicari et discerni ab eis per dissimilitudinem vitæ, ac postea plene liberari ultimo examine. Secunda, quid sibi et Ziphæi eveniat ostendit ibi : *Ecce enim Deus adjuvat me.* Tertia in hymnis vel carminibus Deum laudat ibi : *Voluntarie sacrificabo tibi.* Incipit ergo ab oratione dicens :

VERS. 3. *Deus* Pater, *in nomine tuo*, id est in Filio tuo, per quem tu nominatus et inclytus haberis in mundo, sicut ipse ait : « Ego te clarificavi super terram, » in eo scilicet quia « manifestavi nomen tuum hominibus (*Joan.* XVII, 4, 6) : » *Deus* Pater, cujus nomen solummodo in Judæa notum, nunc toti mundo innotuit per Filium tuum, tu *in*

Digitized by Google

nomine tuo salvum me fac. Oleum effusum nomen tuum prius in angustia Judææ clausum, jam sufficit ad sanandum vulneratum illum, qui descendebat ab Jerusalem in Jericho (*Luc.* VII). Ego David, ego pœnitens, ego pauper inter divites florentes absconditus, neque divitiis neque virtutibus famosus aut floridus; ego vulneratus a latronibus, qui plagis impositis abierunt me semivivo relicto, ad te, Deus meus, clamo et dico: *Deus*, qui ex eo, quod Deus es, omnia scis, omnia potes, tu *in nomine tuo salvum me fac.* Quandiu fuit nomen tuum quasi oleum inclusum, quandiu Verbum tuum necdum incarnatum, languidus iste mundus ignorabat, licet in quinque porticibus nonnulla portio languoris ejus proderetur, non erat, qui languido triginta et octo in infirmitate habenti diceret: « Surge, tolle grabatum tuum, et ambula (*Marc.* IX, 11). » Nunc autem: « Quia viderunt oculi mei » David per prophetiam, vel mei pauperis per evidentiam rebus completam « salutare tuum, quod parasti » ante faciem omnium populorum (*Luc.* II, 30), quia *nomen tuum*, id est Filius tuus, hominum salvator, toti mundo innotuit, in eodem Filio tuo, *in* eodem *nomine tuo*, in eodem salutari tuo, *salvum me fac*, eo modo, quo totum hominem sanum facis in Sabbato, etiam illum, qui triginta et octo annos habet in infirmitate, dum neque præsens vita, cujus robur usque ad annos triginta proficit, neque futura vita, cujus tota spes in octava resurrectionis et octo beatitudinibus existit, sana vel fortis invenitur.

Talis ego sum, qui et secundum præsentis vitæ statum langueo et marceo inter Ziphæos fortes et *florentes* atque virtutibus bonisque moribus carens languidam spem futuræ beatitudinis habeo. Sicut enim pauperes spiritu, mites, lugentes, esurientes justitiam, misericordes, mundicordes, pacifici, persecutionem pro justitia patientes recte habent robustam spem sibi promissarum octo beatitudinum (*Matth.* V): sic e contrario languida spes est ipsarum beatitudinum, ubi languida est custodia prædictarum virtutum, et nulla prorsus ibi spes beatitudinum est vel esse potest, ubi regnant vitia virtutibus istis contraria. Est enim spes fiducia futuræ beatitudinis concepta de veritate promissoris, qui hanc promittit bonis meritis: ergo non spes est sed præsumptio confidere in Domino sine virtutum exercitio. Est autem spes tunc sana et robusta, quando mens viget ex virtutum scientia, quibus beatitudo est promissa. Quia vero languidus ego in carne simul et mente triginta octo annos habeo in infirmitate, neque in præsenti vita cum Ziphæis florens, neque de bona conscientia futuram gloriam sperans, in qua « justus ut palma florebit (*Psal.* XCII, 13), » clamo ego languidus et dico: *Deus, in nomine tuo salvum me fac*, ut salvatus est languidus, cui dictum est: Tolle grabatum tuum, et ambula (*Marc.* II, 9).

Aliter: *In nomine tuo*, id est in Filio tuo *salvum me fac*, ut videlicet sim in ipso membrum ejus validum et sanum. Vel *salvum me fac in nomine tuo*, ut tuum nomen, tua gloria per meam salutem clarificetur inter Ziphæos tuæ gloriæ ignaros et suæ gloriæ avidos. *Salvum me fac in nomine tuo*, hoc est, in Filio tuo. *Et in virtute tua*, id est in Spiritu sancto qui est virtus Altissimi, libera vel *judica me*. Libera me dando mihi non « spiritum servitutis iterum in timore, » sed Spiritum sanctum in libertate. « Ubi » enim « Spiritus Domini, ibi libertas (*II Cor.* III). » Item: « Quod si Spiritu ducimini, non estis sub lege. Qui enim Spiritu Dei agunatur, hi filii Dei sunt (*Rom.* VIII), » ac proinde liberi, quos jam non dicis tu servos tuos, sed amicos, utpote indutos virtute ex alto. *In* hac *virtute tua libera me*, ut per Spiritum tuum liberatus a peccato, servus autem factus tibi Deo, nunc habeam fructum in sanctificatione, finem vero vitam æternam, tam liber nunc a peccato, quam liber fui prius a justitia. Cum enim servus essem peccati, liber fui justitiæ: nunc vero liberatus a peccato tibi soli servire opto, cui servire est regnare, cujus esse famulum superexcellit omnem gloriam, seu florem Zyphæorum in hoc mundo florentium.

Quidam codices habent *judica me*, quidam *libera me*. Sed Hebraica veritas habet: *In fortitudine tua ulciscere me*. Idem est in sensu. Nam quem Deus judicat, id est discernit, a Ziphæis hunc liberat: quemque liberat, hunc ulciscitur, ea videlicet ultione, qua ipse Deus ultionum Dominus libere agit reddendo retributionem superbis vel dæmonibus eos condemnando, vel hominibus eos emendando, vel si omnino sunt inemendabiles, etiam ipsos condemnando. Reddit quoque ultionem sive *retributionem* vitiis annihilando ea, sicut ipsa, in quantum prævalent, annihilant omnia bona.

Aliter: *Deus*, Fili Dei, qui Salvator nominaris, quique *salutare Israel* in præcedenti psalmo invocaris, tu *in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me*, quia si in tuo nomine, quod prædicatum est mundo, salvatus fuero, non timebo judicari in virtute futuri judicii. Ut me salvares, venisti parvulus et infirmus portando scilicet infirmitates nostras. Vere namque languores nostros tulisti, et iniquitates nostras portasti factus infirmis infirmus. Ut autem judices me omnesque homines venturus es *in virtute tua* cum potestate magna et majestate. Præoccupans ergo faciem tuam in confessione confiteor me non posse videre irreverberato aspectu te solem justitiæ tunc fulgentem *in virtute tua*, nisi modo, cum tempus miserendi est, me salves *in nomine tuo*. Ideo dico: *Deus, in nomine tuo salvum me fac*, antequam discutias me, ac postea, cum sanatus fuero, cum sanos oculos habuero, tunc *judica me in virtute tua*. Sic enim judicandi erunt homines *in virtute tua* sicut pulli aquilarum judicantur *in virtute* solis hujus lucentis *in virtute* sua. Ferunt physici, quod aquila sic pullos suos examinet, ut, qui ex eis irreverberata oculorum acie solem *in virtute* sua lucentem aspexerit, hunc velut proprium suum reco-

Digitized by Google

gnoscens fovet ac nutrit : qui autem a radiis ejus claritatem lucis ferre non valens oculos avertit, hunc projicit quasi adulterinum. Et tu, Salvator, habes faciem quasi aquilæ volantis, filiosque seu pullos suos dijudicantis in ultimo examine, atque tunc lucebis tu, splendor paternæ gloriæ, *in virtute tua.* Præcedunt vero hanc faciem tuam tres aliæ facies operantes salutem in medio terræ. Facies hominis, bovis et leonis, in quibus tribus faciebus cognoscitur hoc *nomen* tuum, quod est Jesus, dum tu factus homo nos visitasti, bos immolatus propter delicta nostra, leo resurrexisti propter justificationem nostram. Sic ergo visitati et ablutis peccatis justificati faciem tuam aquilinam videbunt securi. In qua facie tu apparebis tunc non Salvator sed Judex. Unde, cum velut aquila in altum ascendisti videntibus apostolis, electis pullis tuis, « ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt : Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum (*Act.* I, 10, 11). » Quia ergo venturus es ut « aquila provocans ad volandum pullos suos et super eos volitans (*Deut.* XXXII, 11), « quibus et dices : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est. » Et item adulterinis pullis : « Ite, maledicti, in ignem æternum, » quæ vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia tantæ fortitudinis tunc erit, ut nullus contra eam stare possit, quia « ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam (*Matth.* XXV). »

Priusquam sic me *judices in virtute tua, salva me in nomine tuo*, quo diceris homo, bos, leo, visitando me hominem tu homo in ægritudinis lecto, expiando tu bos victimalis ab iniquitatis lepra, justificando virtutibus collatis tu leo, rex justitiæ, Domine virtutum, rex gloriæ. Postea, quando placet majestati tuæ, *in virtute tua judica me* sicut aquila pullum suum, *judica me in virtute tua*, sol justitiæ, quia spero me posse videre faciem tuam *in virtute*, si nunc virtus de te procedat ad me sanandum, sicut legeris dixisse, quando mulier tacta fimbria tua sanata est : « Tetigit me aliquis, ego enim novi virtutem de me exisse (*Matth.* IX, 20), » tu dixisti. Cui etiam sanctus evangelista perhibet testimonium, quia « virtus » de te « exibat, et sanabat omnes (*Luc.* VI, 19). » Hoc est, o Salvator, quod peto, ut virtus nunc de te ad sanandum exeat, et postquam sanaverit me omnesque languidos tua ope indigos, tunc demum virtus pridem salvatrix, fiat salvatorum dijudicatrix, etiam localiter et corporaliter separando in extremo judicio pridem spiritaliter [*f.* specialiter] separatos occulto. Nam et hoc ipsum occultum judicium, quod nunc agitur, peto dicens : *In virtute tua judica me.*

Ziphæi, florentes scilicet in hoc mundo, habent aliquando speciem pietatis, virtutem vero ejus abnegando in solis vacuæ speciei floribus gloriantur, dum pro sanctitatis, licet falso, nomine honorantur. Hi sunt, qui se discernunt ab hominibus dilatando A philacteria et magnificando fimbrias. Ego autem peto discerni ab his florentibus vel etiam in flore divitiarum gloriantibus *in* sola *virtute tua :* ideo dico : *In virtute tua judica*, hoc est, discerne *me* a sic florentibus, ut sicut illi gloriantur in ostentatione virtutum, quas non habent, seu divitiarum, quas habent : sic ego libenter glorier in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus tua, de qua mihi sit non vana sive inanis gloria per jactantiam, sed gloria constans per bonam conscientiam ut illis, quibus dicitur : « Gloriamini, omnes recti corde (*Psal.* XXXI, 11) : » qui et dicunt : « Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ (*II Cor.* I, 12). » Unde autem recte gloriantur orthodoxi, id est recte gloriosi, nisi de virtute tua inhabitante in se? B Quo contra *Ziphæi* gloriantur de virtute sua vel sicut ille Pharisæus (*Luc.* XVIII), qui orans in templo sprevit publicanum computando flores, ut putabat, virtutum, vel, sicut ille dives, qui epulabatur quotidie splendide vestitus purpura et bysso, florido indumento (*Luc.* XVI) ; sed, quia tua virtute carentes, et de sua virtute gloriantes humilias, uterque illorum reprobatus est non habens virtutem tuam.

Occurrit hoc loco tripartita divisio florentium. Florent namque aliqui ostentationibus virtutum ut ille Pharisæus : et florent aliqui affluentibus divitiis, ut ille dives purpuratus et splendide convivans. Inter hos medii sunt, qui ut palma florebunt non hic, sed in domo Domini. Medios proin istos dixerim, C quia latitant inter eos destituti floribus in hoc mundo, quibus et dicit Apostolus : « Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo (*Coloss.* III, 3). » Mortui, inquit, estis, unde et in planctu, sive in cantu suo familiare habent ita dicere : « Media vita in morte sumus, quem quærimus adjutorem, nisi te, Domine, » etc. Alii suæ sanctitatis nimietate florent facti notabiles et honorabiles in conspectu hominum. Alii vero suæ dissolutionis nimietate, dum epulantur quotidie splendide, florent et splendent in hujus mundi gloria. Nos milites David cavendo utramque nimietatem vita media vivimus, et sumus inter istos et illos florentes quasi mortui, quia « vita nostra, » ut ait Apostolus, « abscondita est cum Christo in Deo. D Cum autem Christus apparuerit vita nostra tunc et nos apparebimus cum ipso in gloria. » Quem ergo recte « quærimus adjutorem, nisi te, Domine, qui peccatis nostris juste irasceris, sancte Deus, sancte fortis, sancte et misericors Salvator amaræ morti ne tradas nos (*ibid.*). » Amara mors esset, si nos miserabiliores omnibus hominibus in hoc efficeremur, ut sicut hic præsenti gloria, ita et tunc mansura gloria privaremur. Unde Apostolus : « Si in hac vita tantum sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus (*I Cor.* XV, 19). » Ermus enim velut arbores autumnales eradicatæ bis mortuæ, si neque in frondibus per gloriam præsentem floremus, neque in radice, ubi vita nostra cum Christo abscondita esse debet, virtutum virore vige-

Digitized by Google

mus. Vivat nunc radix nostra, ne proveniat nobis amara mors, cujus amaritudinem nulla saltem præsentis jucunditatis temperet lætitia. Mors ita nimis amara est, quæ a miseria præsenti ad æternam durus transitus est. Sancte Deus, sancte fortis, sancte et misericors Salvator, huic amaræ morti ne tradas nos. Fac potius ut in charitate radicati, et in humilitate fundati, vivamus intus coram te, licet sine frondium forinseco flore.

Non tamen recusamus omnem florem, sed florem splendidum, qualem in feno videmus, et florem album vel roseum, qualem in spina cernimus. Nam et divitem splendide vestitum et epulantem quotidie splendide recte feno florido comparamus, et Pharisæum gloriantem spinæ, flores invidos, amaros autem fructus habenti assimilamus. Neque enim de spinis hujusmodi colligunt ficus, de rubo tali vindemiant uvas. Est aliud genus florentium, flores obscuros et fructus bonos facientium sicut vitis et spica et palma. Hujusmodi flores, quia fructus parturiunt, nec tamen splendidi sunt, peto, Domine, ut in me facias germinare sufficienter. Nolo flores nimium splendidos et infructuosos.

Nempe ille Pharisæus multis, ut putabat, virtutum floribus venustatis ascendit in templum, ut oraret, sed non habuit humilitatem, quæ tua virtus est, quam valde commendas ubi dicis: « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* xi, 29). » Illi quoque dives non intelligens marcescere se in itineribus suis, divitiis affluentibus tanquam floribus ornatum se gloriatur. Sed non habuit erga pauperem Lazarum charitatem, quæ tua virtus est, quam præcipue commendas ubi dicis: « Hæc mando vobis, ut diligatis invicem (*Joan.* xv, 17). » Item: « In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem: (*Joan.* xiii, 35). » Item: « Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem (*Joan.* xv, 12). » Item: « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem (*Joan.* xiii, 34). » Atque ut hanc ipsam dilectionem intelligas ipsius Christi propriam virtutem, addidit: *Sicut dilexi vos.* Nam, qui aliter se invicem diligunt, quam illius documenta et exempla monstrant, illorum dilectio vitium est non virtus.

Ergo, Domine virtutum, Rex gloriæ, *in virtute tua judica me* discernendo a Ziphæis. Non quæro flores absque fructu, sed virtutes in fructu. Non quæro flores nimium fulgidos et infructuosos, quales habet spina et zizanium; sed quæro flores fulgore ac nitore carentes et fructus parturientes. Vis nosse flores, qui fructus bonos parturiunt? Audi magistrum virtutum flores fulgidos Ziphæorum reprobantem, et flores obscuros vinearum laudantem: « Cum, » inquit, « facis eleemosynam, noli tuba canere » sicut hypocritæ. Item: « Cum jejunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes; exterminant enim facies suas ut appareant hominibus jejunantes. Omnia enim opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus (*Matth.* vi, 2, 16). » Ecce flores nimium fulgidi et infecundi, quos in te, o David, o pœnitens, o Christiane Christus non requirit. Idcirco tibi dicit: « Tu autem, cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua (*Matth.* iii, 17). » Cum jejunaveris « unge caput tuum oleo, ne videaris hominibus jejunans. Cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum (*ibid.*, 6). » In eleemosyna tali usus divitiarum, in jejunio tali contemptus divitiarum, in oratione tali desiderium æternarum divitiarum quasi flores boni commendantur. Appetitus vero et amor temporalium divitiarum flores vani et transitorii sunt, usus et contemptus earum fructus, et virtus manens computatur.

Hujus virtutis conscius sibi Paulus apostolus dicit: « Scio abundare, et penuriam pati, scio saturari, scio esurire (*Philip.* iv). » Atque ut hæc scire ac posse non de humana sed de divina virtute illi scias fuisse, ait: « Omnia possum in eo, qui me confortat (*ibid.*, 13). » Ubi virtus hæc abundat, non obest homini, si flores divitiarum perdat, quia virtus ipsa divina in semetipsa constat, sicut de beato Job legimus, cujus patuit virtus non solum cum divitiarum flores habendo magnus et coram Deo laudandus exstitit, sed etiam cum eisdem floribus decidentibus major in eo virtus enituit, qua non solum abundare, sed etiam penuriam et miseriam pati scivit et potuit in eo, cujus illum virtus ad utrumque confortavit atque a cæteris divitibus florentibus ita separavit, ut non esset ei similis in terra, cujus virtus virtuti ejus esset comparanda. Unde signanter quasi a virtute *vir* nominatur, et vir, non qualiscunque, sed « vir simplex et rectus ac timens Deum et recedens a malo (*Job* i, 1), » ac retinens innocentiam etiam inter adversa, quando nec prosperis alludentibus, nec adversis irritantibus imminuta sed magis ac magis aucta est virtus ipsius. Vere non erat ei similis in terra inter homines, videlicet radicatos et florentes in terra, quorum pessimi fuerunt Judæi, qui amantes caduca, et terrena atque in his florentes Christum verum Job deriserunt, sicut ipse ait: « Nunc autem derident me juniores tempore, quorum virtus manuum erat mihi pro nihilo (*Job* xxx, 1). » Igitur, ne virtus quoque manuum mearum sit pro nihilo, tu, Domine Deus virtutum, converte me, atque *in virtute tua judica me*, ut virtus tua manens in me ab his discernat me, quorum virtus manuum est pro nihilo, etiamsi flos eorum videatur pro magno. Flos eorum decidet, flos vero meus in terra marcidus, in atriis domus Domini virens permaneat. Dixi: *Deus in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me.* Repeto iterum nomen potentiæ, ac dico:

Vers. 4. *Deus, exaudi orationem meam*, quia peto a te non flores Ziphæorum, sed virtutem tuam. Si non solum tacitam cordis exaudi orationem, sed etiam *verba oris mei auribus percipe. Percipe* auribus, scilicet clementiæ ac potentiæ, ut videlicet clementer ac potenter salves me. Tu percipe verba

Digitized by Google

mea; quia, etsi Ziphæi audiunt ea, non tamen intelligunt, qui non nisi temporalia norunt. Hoc autem ideo rogo :

VERS. 5. *Quoniam alieni insurrexerunt in me. Alieni* scilicet non genere sed affectione. Ziph erat vicus Syriæ pertinens ad tribum Juda, unde ortus est rex *David*. Ergo non *alieni* civitate vel tribu, sed *florentes, et fortes*, qui me *David* prodiderunt *Sauli*, vel me verum *David* Christum prodiderunt morti, vel me *David* pœnitentem Christianum prodiderunt peccato, ipsi *quæsierunt animam meam*, non corpus interimere. Novo modo volunt prodere sanctos Ziphæi, cum eos ad hoc provocant, ut in pacis suæ zelo et temporalium spe illos corrumpant. Et hoc facientes *non proposuerunt Deum ante conspectum suum*, putantes Deum nescire, vel non curare, quod agunt. Diapsalma hic interponitur.

VERS. 6. *Ecce enim Deus adjuvat me*, non extra in flore, sed intus, ubi gloria nostra est testimonium conscientiæ, quod ipsi tamen nesciunt, inter quos lateo, qui, ut dictum est, non proponunt Deum ante conspectum suum, quem si ante oculos ponerent, utique viderent, quod *Deus adjuvat me*, ut ea, quæ ipsi Ziphæi moliuntur contra me, sustineam patienter et fortiter. Nam, etsi corporis virtus deficit, tamen *Deus susceptor est animæ meæ*. Iosi multa mala vertunt super me, sed tu

VERS. 7. *Averte* a me *mala* super ipsos, ut sicut ipsi vitam meam bonam quærunt exstinguere; sic mala eorum vita exstinguatur, et flore suo spoliati non superbiant ultra. Et quia ipsi gloriantur in florum suorum cassa vanitate, tu *in veritate tua disperde illos*, quia melius est illis castigari veris pœnis, quam deliciari in falsis et fallacibus bonis. *Disperde illos in virtute tua*, quos tolerasti in infirmitate tua.

Aliter : *Averte mala inimicis meis*, ut nihil mali sustineant manentes in vanitate, sed venientes ad veritatem in ipsa veritate disperdantur a pristina intentione. *Disperde illos in veritate tua*, quos tolerasti in vanitate sua. *Disperde*, id est diversis modis perde *illos*. Nam sunt inter eos quidam convertibiles ut Saulus, qui tactus flagello divino statim dixit : « Domine, quid me vis facere? » (*Act.* IX, 6.) Cumque diceretur illi, quid esset ei faciendum, festinanter obedivit, et qui erat doctor legis, factus est discipulus, non cujusquam magni apostoli, sed Ananiæ discipuli apostolorum. Tales tam facile convertibiles ita perde, ut perdidisti Saulum, faciens inde Paulum. Sunt item, qui adhuc facilius convertuntur, quia sine flagello divino aliqua revelatione commoniti libenter acquiescunt veritati, ut Cornelius centurio, qui commonitus oraculo angelico a ritu gentilitatis confestim recessit et venit ad cultum Christianæ religionis (*Act.* X). Hos ita perde, ut perdidisti in illo hominem paganum faciens inde hominem Christianum. Sunt etiam, qui nulla penitus vel castigatione vel admonitione acquiescunt veritati ut Judas traditor. Hos, ne diutius et ultra, quam expedit, vexent Ecclesiam, sic perde, ut Judam perdidisti. Propterea dico : *Disperde illos*, quia dispariter et dissimiliter sunt perdendi, non in quantum sunt homines proximi mei, sed in quantum sunt hostes proditores inimici mei Ziphæi. *Disperde* igitur *illos* diversis modis. Quos illos? Inimicos scilicet, ut desinat esse inimici, et fiant amici mei *in veritate*, quem oderunt pro veritate. *Disperde illos* non a veritate, sed *in veritate*, ut desinant esse veritatis adversarii, et sint in veritate veritatis tuæ amici. Quod si nullatenus acquiescere volunt veritati, ut sint ejus amici, qui sunt inimici, sic *disperde illos in veritate tua*, ut, licet sint inimici, sic sint, quasi non sint, ut videlicet nocere non possint. Huic simile est, quod alibi dicitur : « Pereant peccatores a facie Dei (*Psal.* LXVII, 3). » Item : « Deficiant peccatores a terra et iniqui, ita ut non sint (*Psal.* CIII, 35), » subauditur, peccatores et iniqui. Sint homines, et non sint iniqui, sicut in parabolis dicitur : « Verte impios, et non erunt (*Prov.* XII, 7). »

Ego autem in nomine tuo salvatus, et in virtute tua liberatus vel judicatus, a Ziphæis discretus tam pro mea salute, quam pro inimicorum conversione

VERS. 8. *Voluntarie sacrificabo tibi* non in sanguinibus hircorum aut vitulorum, sed *in carminibus* hymnorum, psalmorum canticorumque spiritualium, in quibus *confitebor nomini tuo, quoniam bonum est. Confitebor nomini tuo*, id est laudabo nomen tuum *voluntarie*, id est dilectione gratuita et ultronea : non propter flores Ziphæorum consequendos, sed propter ipsius *nominis tui* bonitatem, *quoniam bonum est* ipsum *nomen tuum*. Qui enim propter aliud laudat *nomen tuum*, non gratis hoc facit, sed ex necessitate atque appetitu alicujus rei, quam si haberet, non laudaret. Ego autem juxta psalmi hujus titulum *in carminibus* vel hymnis laudabo *nomen tuum*, de quo in principio psalmi dixi : *Deus, in nomine tuo salvum me fac :* et laudabo non propter meam necessitatem solummodo, sed multo magis propter sui bonitatem, *quoniam bonum est* ipsum *nomen tuum*, quod ex hoc intellexi et gustavi,

VERS. 9. *Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me*, quæ tribulatio ad hoc data est, ut invocarem te, ac tu me liberares, et ego liberatus *in carminibus* honorificarem te. Alibi namque dicis : « Invoca me in die tribulationis : eruam te, et honorificabis me (*Psal.* XLIX, 15). » Sic ego David, ego quivis pauper inter Ziphæos desolatus, et ad modum coronæ ab inimicis undique cinctus, in tribulatione mea invocavi te dicens : *Deus in nomine tuo salvum me fac*, etc. Tu vero invocatus a me in *tribulatione* mea, *ex omni tribulatione* eripuisti me, ut ex ipsa ereptione mea intelligerem, *bonum esse nomen tuum*, quod fortasse minus intelligerem, si tribulatus non fuissem, neque *in tribulatione* te invocassem. Nunc autem rerum edoctus experimento bene intelligo *nomen tuum, quoniam bonum est*, et bene mihi sapit ejus dulcedo, quoniam propter illud et per illud *ex omni*

Digitized by Google

tribulatione eripuisti me statuendo in locis tutissimis Engaddi, de quibus in titulo supra dictum est.

Ideo *super inimicos meos despexit oculus meus.* Inimici mei *Ziphæi* pridem super me fuerunt, quando me Sauli prodiderunt. Sed, quia de medio eorum liberatus in locis tutissimis Engaddi maneo, nunc tanquam de alto *super inimicos despexit oculus meus*, despectui habens omnes flores Ziphæorum in carnis virore gloriantium nimis vane, quoniam « omnis caro fenum, et omnis gloria ejus tanquam flos feni (*I Petr.* I, 24). » « Si autem fenum, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur (*Matth.* VI, 30), » florem suum, quo nunc vestitur, plusquam Salomon in omni gloria sua, tam cito perdet, ut nonnisi hodie, hoc est, in præsenti, et momentaneo tempore sit : quis non facile perpendat esse despiciendum, quod quantumlibet sit formosum, non potest esse diuturnum ? Ideo *super inimicos meos despexit oculus meus*, quia, nisi conversi fuerint, et ex inimicis amici fiant, fenum carnis eorum breviter hodie florebit, et cras, id est in sempiterno futuro, in clibano infernali ardebit.

Potest hic psalmus totus in persona Christi convenienter legi, ut dicat ipse in die tribulationis suæ imminente sibi passione inter Ziphæos, id est, Judæos in carnis gloria floridos : *Deus* Pater, *salvum me fac in nomine tuo* glorificando missum : quia ego veni in nomine tuo, et non susceperunt me *Ziphæi*. Alius posthac veniet in nomine suo, illum suscipient, qui me nunc *Sauli*, id est morti tradent. Tu ergo, Pater, in cujus nomine veni ego, *salvum me fac in* eodem *nomine tuo* a morte suscitando, non sicut quemlibet mortuum, sed sicut unicum filium tuum tecum regnaturum et super solium David sessurum, velint, nolint inimici mei *Ziphæi*. Ipsi me cæteris mortuis connumerant et commiscent in infirmitate mea humana, sed tu me *judica*, id est, discerne ab illis *in virtute tua*, ostendens scilicet per meam resurrectionem et ascensionem, quod ego sum Filius tuus, virtus tua, sapientia tua æque omnipotens, ut tu Pater omnipotens. *Deus, exaudi orationem meam.* Tu, qui Pater meus es, in cujus nomine veni ego Filius, tu idem quoque Deus meus es, quia homo sum virginis Filius, et ego, qui tanquam Deus orationes fidelium exaudio, tanquam homo pro ipsis oravi et interpello. Ideo dico : *Deus, exaudi orationem meam*, quam in monte Oliveti pro meis fudi prolixius orando, et sanguineum sudorem fundendo.

Auribus percipe verba oris mei pro his quos dedisti mihi de mundo, *quoniam* Judæi sive *Ziphæi* secundum carnem proximi, sed affectione *alieni* facti *insurrexerunt adversum me*, ut me perderent, *et* ipsi *fortes* falsa fortitudine, ut phrenetici adversantes mihi medico *quæsierunt animam meam* vel in suæ perversitatis consensum trahere vel tollere a me. Attamen solus ego potestatem habens pro meo velle ponendi animam meam, et iterum sumendi eam, per hanc ipsam potestatem satis ostendi me Deum esse potenter moriendo, et potenter a morte resurgendo. Sed illi *non proposuerunt Deum ante conspectum suum* non proposuerunt ante conspectum suum flagellatum et occisum me hominem, sic habere divinitatem, ut credendus essem Deus : noluerunt intelligere super egenum et pauperem. Hoc namque libenter intellexerunt, quod essem egenus et pauper : supra vel ultra hoc noluerunt intelligere aliquid de mea Divinitate, sed puniendum censuerunt me quasi testem falsum, Dei blasphemum, eo quod dixerim, Filium Dei vel Deum esse me.

Quod si hoc dicendo falsus testis fuissem, aut blasphemus in Deum, non haberem utique adjutorem Deum, sicut nullus unquam blasphemus legitur a Deo adjutus : verbi gratia, Pharao se Deo parificavit et opposuit volens contra ipsum tenere ipsius populum. Sed illo merso cum suo populo et evadente populo Dei, recte in laudibus Dei canebatur : « Quis similis tui in fortibus, Domine, quis similis tui ? Magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, et faciens mirabilia (*Exod.* XV, 11). » Quæ ? Ista videlicet : Extendisti manum tuam contra Pharaonem blasphemum et satellites ejus, et devoravit eos terra. Item Nabuchodonosor blasphemus falso arrogando sibi celsitudinem divinam projectus est ex hominibus, et fenum quasi bos comedit, donec cognosceret Altissimum dominantem in regno hominum (*Dan.* IV). Longum est enarrare Dei blasphematores ab ipso Deo confutatos et humiliatos.

Et ego itaque si Deum vel Dei Filium dicendo me, falsus aut blasphemus fuissem, similiter a Deo derelictus ipsum Deum non habuissem vel haberem in omnibus, quæ volui et volo, adjutorem, sicut habui semper et nunc habeo. *Ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animæ meæ*, cujus in manus commendavi Spiritum sive animam meam in cruce. Ecce nunc adjuvat me reddendo animam sibi commendatam, ut a morte suscitatus et ad dexteram ipsius exaltatus regnem sicut ipse Deus Pater meus. Unde nunc etiam, cum infirmata est virtus mea in manibus inimicorum meorum, quasi rea inter ipsos dijudico alios addicens morti æternæ, alios reservans indulgentiæ. Dico enim : *Averte mala inimicis meis, et in veritate tua disperde illos*, ut et malos male perdas obstinatos in malitia damnando, et eos, qui nesciunt quid faciant, ad pœnitentiam conservando. Nam pro his in cruce oravi æque, ut pro aliis, quos dedisti mihi, *voluntarie sacrificabo tibi* spontaneum passionis et mortis holocaustum. Pro talibus quoque in sacerdotibus meis *voluntarie sacrificabo tibi*, ut nemo ex hominibus pereat, nisi mali male perdendi, quos et in oratione mea excepi dicens : « Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi de mundo (*Joan.* XVII, 9). » His ergo salvatis in eis ipsis *confitebor nomini tuo* faciens eos laudatores nominis tui, *quoniam bonum est*, non inter omnia bona, sed super omnia

Digitized by Google

bona ipsum nomen tuum, vel *quoniam bonum est* confiteri nomini tuo bono. Quod exinde patet, *quoniam* in me ae per me meos *eripuisti*, id est, absque dubio eripies *ex omnibus tribulationibus : et* ideo *super inimicos meos* Ziphæos *despexit oculus meus*. *Gloria Patri* Deo, cui dicitur : *Deus in nomine tuo salvum me fac. Gloria Filio*, qui venit in nomine Patris. *Gloria Spiritui sancto* illi Dei virtuti, de qua dicitur Deo : *Et in virtute tua libera, vel judica me.* Amen.

PSALMUS LIV.

Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam, etc. Psalmus iste oratio est capitis nostri agentis de præsenti Judæorum repulsa et de damnatione illorum æterna et de assumptione gentium et de securitate fidelium in æternum. Inscribitur autem sic :

(Vers. 1) IN FINEM, IN CARMINIBUS INTELLECTUS IPSI DAVID.

Et est sensus : *Intellectus* hujus psalmi est attribuendus vero David, id est, Christo perseveranti *in finem* vel consummationem obedientiæ suæ. Et hoc *in carminibus*, id est, in jucunditate. Maxime autem informat ad spem, quod ex parte boni certatoris dicitur : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam*, etc., usque ad finem ubi dicitur : *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos : ego autem sperabo in te, Domine.* Ideo autem dicitur in titulo : *In carminibus*, quia spe gaudentes delectat in carminibus laudare Deum. Dicitur etiam *intellectus David*, quia magnus David, id est, integer Christus, caput et corpus hic loquitur, cujus membra monentur intelligere, in quo vel quanto sint malo. Quod cum intellexerint, recte in hymnis vel carminibus laudant Deum non solum consolantem lætis et prosperis, verum etiam castigantem et disciplinantem duris et adversis.

Quia vero spes velut mola superior inutilis est absque timore, quæ est mola inferior, homo justus et timoratus, verbi gratia Petrus adhuc pusillanimis, in tempestate fluctuans, hic inducitur plangens mala hujus sæculi, qui cum aliis prodesse non possit, deliberat se a tot scandalis, ne sibi noceant, separare. In cujus rei figura David, cum eum Saul persequeretur et cives sui, pro molestiis eorum sæpe fugit in solitudinem in montibus et speluncis, et in cavernis terræ latitando, unde et dicit : *Ecce elongavi fugiens et mansi in solitudine.* Hoc nemo facit, ut solitudinem villis et civitatibus præferat nisi qui intelligit hanc regionem umbræ mortis, in qua sumus, non esse locum gaudii sed mœroris.

Per totum vero psalmum integra proprietas formæ servilis in Christo describitur, in quo nobis datur exemplum patientiæ simul et humilitatis, quoniam et ipse humiliter sentiendo et patientiam tenendo, cum lapidare vellent eum Judæi, fugit in solitudinem, et ibi morabatur cum discipulis suis. Ibi exspectabat eum, qui salvum se fecit a pusillanimitate spiritus et tempestate. Namque, cum ibi esset, ut ait Joannes, in civitate, quæ dicitur Ephrem juxta desertum, erat quidam languens, Lazarus a Bethania, quæ sita est in Judæa, et metropoli summæ Judæorum Jerusalem vicina est. Cumque ipse vocaretur a sororibus Lazari, velut immemor tempestatis Judaicæ, qua paulo ante quasi lapidandus fugit, et paulo post crucifigendum se non ignoravit, reversus est in Judæam, venitque Bethaniam, ubi Lazarum suscitando et palam prædicando, atque Jerosolymam veniens in asina, et pullo ita constanter incessit, et bene omnia fecit, ac si nihil unquam pusillanimitatis habuerit. Quasi diceret : Quando vos Judæi voluistis me lapidare, quia tali morte mori nolui, et quia nondum venerat hora mea, ego tanquam pusillanimis et infirmus elongavi fugiens et mansi in solitudine. Ibi orans et discipulos informans exspectabam eum, qui salvum me faceret a pusillanimitate spiritus et tempestate : quod jam factum est, quia ecce manifeste ingrediente me in sanctam civitatem Hebræorum pueri me regem David glorificant, et ego quasi rex potens, imo rege quovis in infinitum fortiqr facio, quod infinitus non posset contra vos exercitus fecisse, per hoc ostendens me salvatum a pusillanimitate spiritus humani, quod in fortitudine spiritus divini zelo domus Dei me comedente mensas vestras evertens et æs effundens vendentes et ementes ejeci de templo (*Joan.* x et xi).

Sed nunc redeamus ad psalmum, qui ab oratione incipit, quod cum aliis psalmis de passione agentibus habet commune, quia hi omnes ab oratione inchoant. Secunda parte adversariis dignas pœnas imprecatur dicens : *Præcipita, Domine, divide linguas eorum.* Tertio, quid sibi, et quid adversariis faciat, alternatim procedendo affirmat ubi dicit : *Ego autem ad Deum clamavi, et Dominus salvabit me.* Laborans ergo totus Christus inter fluctus sæculi orat dicens :

Vers. 2. *Exaudi, Deus, orationem meam*, qua bona mihi meisque necessaria et utilia posco, *et deprecationem meam*, qua noxia removeri peto, *ne despexeris*, id est, ne despectam seu vilem habeas orationem, ut deprecationem eorum despicis, etiam cum eos exaudis, qui ad te clamant pro solis temporalibus vel bonis consequendis vel malis amovendis ad hoc tantum, ut in hac die, quæ ad pacem

Digitized by Google

sibi arridet, nulla illis appareant molesta, quæ tamen licet nunc abscondita sint ab oculis suis, omnia conservantur inposterum. Et ideo despiciuntur orationes et deprecationes eorum, quibus non petitur summum bonum, nec fugitur summæ miseriæ incommodum. Ego autem verus David, quia mihi et meis contra summa mala, pro summis bonis oro et deprecor, hoc digne peto a te Pater, *ne despexeris deprecationem meam.* Et si despicienda videtur propter meos adhuc indignos, pro quibus, ut digni fiant, oro : Interim, dum illi sunt indigni, non eos intende, vel aspice, sed intende in me Christum Filium tuum, qui dignus et digne sum exaudiendus pro mea reverentia.

VERS. 3. *Intende in me* vel *mihi, et exaudi me,* adjutor in opportunitatibus, in tribulatione, quoniam tribulatio proxima est usque adeo, quod *contristatus sum in exercitatione mea,* dum « tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth.* XXVI, 38). » Ipsam tribulationem meam voco *exercitationem meam,* quoniam et ego candelabrum aureum inter tribulationum crebros ignes et malleos perficior et consummor, et mei electi velut calami ejusdem candelabri sic perficiendi sunt *exercitationibus* tribulationum sicut et ego. Vel *contristatus sum in exercitatione mea,* dum terra, quam exerceo, non dat fructus suos, sed spinas et tribulos germinat mihi sicut in vinea mea, de qua exspectavi, ut faceret uvas, et illa fecit labruscas. Exspectavi, ut faceret justitiam, et ecce clamor dicentium : Crucifige, crucifige eum. Item : Reus est mortis. Inde *conturbatus sum.*

VERS. 4. *A voce inimici* contra me clamantis, et sola voce seu lingua me crucifigentis, Judaici videlicet populi, *et a tribulatione peccatoris* gentilis manu sua me flagellantis et crucifigentis. *Quoniam declinaverunt in me iniquitates, et in ira molesti erant mihi.* Non suffecit illis occidere me, nisi et cum iniquis reputarent me. Nam propterea in medio duorum latronum suspenderunt me in cruce quasi malefactorem, quasi ambobus illis iniquis nequiorem. Non tamen fuit iniquitas in manibus meis, neque reddidi retribuentibus mihi mala, sed pro illis oravi dicens : « Pater, ignosce illis, nesciunt enim, quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34). » Hæc oratio mea pro illis duntaxat fusa est, qui per ignorantiam peccaverunt in me, non pro illis malis colonis, qui me cognoscentes hæredem projecerunt extra vineam, qui non fuerunt digni, ut ullatenus consequerentur veniam, *quoniam declinaverunt in me iniquitates,* non per ignorantiam ; sed mentita est iniquitas sibi cum dicerent, quod ego in Beelzebuth ejicerem dæmonia, quodque dæmonium haberem. Ita studioso et industrioso mendacio *declinaverunt in me iniquitates, et in ira molesti erant mihi.* Sola quippe ira malitiosa illis fuit causa, pro qua in iracundia terræ loquentes molestarent me. Quibus molestantibus

VERS. 5 et 6. *Cor meum conturbatum est in me,* A *et formido mortis cecidit super me,* quia, cum tristis esset anima mea usque ad mortem, corpi pavere et tædere, quia *timor et tremor venit super me* instante hora passionis, quam naturaliter exhorruit humana infirmitas, licet spiritu prompto manente. Infirmæ humanitatis vox erat : « Pater, si fieri potest, transfer calicem hunc a me ; » spiritus prompti vox erat : « Pater, fiat voluntas tua (*Marc.* XIV, 36). » Et potui quidem, si voluissem non pavere vel tædere, sed factus infirmis infirmus hoc volui, ut *timor et tremor venirent super me,* quatenus mei pusilli inde sperarent, etiamsi inter hujusmodi [*f.* hujus mundi] pericula trepidarent, in quibus ego prior tremorem corporis ac timorem cordis habui, non infirma necessitate ut illi, sed firma potestate, qua B sic fieri volui. Nam quantum et quandiu ego volui, *timor et tremor venit super me. Et contexerunt me tenebræ,* dum pendente me in cruce ab hora sexta, usque ad horam nonam sole obscurato tenebræ factæ sunt per universam terram (*Luc.* XXIII, 44, 45). Etiam in hoc *tenebræ contexerunt me* verum Samsonem, quod oculi mei contenebrati sunt per mortem non solummodo visum, sed omnes quinque sensus meos in corpore simul exstinguentem.

VERS. 7. *Et dixi : Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* In paradiso scilicet, quo et animam latronis ad requiescendum perduxi.

VERS. 8. *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine.* Anima mea sola sine corpore in paradiso C cum solis animabus beatis, ac per me de inferno tractis requiescente ac sabbatizante.

Diapsalma. VERS. 9. Sic *exspectabam eum, qui de* morte suscitans corpus meum et multa corpora sanctorum *salvum me fecit a pusillanimitate spiritus, et tempestate,* data mihi omni potestate in cœlo, et in terra. Unde judicium justum expostulo adversus inimicos meos dicens :

VERS. 10. *Præcipita, Domine* in alto positos, et *divide linguas eorum* in malo unitas, *quoniam vidi iniquitatem, et contradictionem in civitate.* Antea miseram prophetas aliosque nuntios meos. Novissime dicente Patre meo : « Verebuntur Filium meum (*Matth.* XXI, 37), » veni ergo ipse, atque præsens D *vidi iniquitatem et contradictionem in civitate* non ad horam, sed

VERS. 11 et 12. *Die ac nocte,* id est omni tempore *circumdabit eam super muros ejus iniquitas, et labor in medio ejus, et injustitia,* quoniam occidit prophetas et lapidat eos, qui ad se missi sunt. *Iniquitas et labor in medio ejus,* quoniam, ut inique agerent, mendacia fabricando laboraverunt, quia qui mentitur, laborat. Ubi autem et in circuitu, et in medio civitatis abundat iniquitas, quis ibi locus est justitiæ, quando et principes quasi *murus* in circuitu populum defendentes, et populus in *medio* eorum simul omnes machinantur *injustitiam?* Præcipue autem student avaritiæ tam principes, quam populus civitatis hujus, quia *non defecit de plateis ejus*

Digitized by Google

usura, et dolus. Quid dico *de plateis*, cum etiam in templo sancto exercuerint machinamenta *usuræ* facientes domum Dei domum negotiationis? Sed ego ejiciens inde vendentes et ementes templum quidem purificavi a sordibus avaritiæ convertens ex eis nonnullos templi nomine dignos, utpote ab æterno ad sanctitatem prædestinatos. Attamen *de plateis ejus*, extra omnem sanctitatem luto fæcis deputatis, *non defecit usura et dolus*, id est intentio vel studium sibimet lucrandi et proximos decipiendi. Ad hanc plateam simul *usura* et *dolo* repletam etiam tu pertinuisti, qui cum discipulus et Apostolus vocatus fueris, mihi propter *avaritiam* et *dolum* tuum factus es intolerabilis.

VERS. 13. *Quoniam si inimicus maledixisset mihi, sustinuissem utique, et si is*, qui manifeste *oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo*, sicut abscondi me ab Herode alienigena fugiens in Ægyptum, et latens ibi usque ad obitum Herodis. Postea quoque cum diceretur mihi, quod Herodes filius prioris Herodis vellet me occidere, qui et Joannem Baptistam occidit, non ei me præsentavi, quoniam ab illo tunc occidi nolui, cum esset ipse tetrarcha Galilææ, nihilque potestatis haberet in Jerusalem, in qua eram ab ipsius judicibus et pontificibus occidendus, quia nec ipse Pilatus habuisset illic potestatem adversum me ullam, nisi fuisset illi datum desuper. Propterea cœtus Pharisaicus, qui me tradidit ei, majus peccatum habet.

VERS. 14 et 15. *Tu vero*, Judas, mercator pessime, *homo unanimis*, homo pacis meæ, *dux meus*, apostolus meus, princeps et *dux* a me rege David constitutus, *qui simul mecum dulces capiebas cibos* etiam in ultima cœna mea, quando ego desiderio desideravi manducare pascha legis consummativum et gratiæ inchoativum. *Tu*, inquam, talis et taliter habitus apud me gravius peccasti contra me, cum nihil mihi profuerit apud te, quod *in domo Dei ambulavimus cum consensu.* Quid ergo dicam talibus tam nequiter agentibus in tanta obstinatione, ut neque beneficiis valeant molliri ullatenus?

VERS. 16. *Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes*, ut fiant similes in pœna his, quibus inveniuntur similes in culpa. Legitur, quia Dathan et Abiron erectos contra Moysen terra vivos absorbuit cum tabernaculis et omni substantia eorum. Core vero et ducentos quadraginta seorsum ab Aaron offerentes incensum ignis egressus a Domino interfecit. Deinde quatuordecim millia, et septingentos de populo vastavit incendium, qui studio contentionis resipiscere noluerunt, licet visa pœna prævaricatorum, et ideo justo judicio venit ignis consumptionis super ignem dissensionis. Taliter illi primi schismatici perierunt, ut duces scienter peccantes vivi absorberentur a terra, et postea super eorum sequaces, licet forsitan ignoranter, tamen pertinaciter peccantes veniret incendium nullo modo exstinguendum, nisi per ignem sanctum (*Num.* XVI, 31 et seqq.). Grassante namque tunc incendio sacerdos magnus, et legitimus Aaron sumpto thuribulo cum igne sancto stetit inter viros et mortuos, posuitque terminum currenti vastationi (*Num.* XVI, 47, 48). Sic eveniat omnibus eorum sequacibus, *Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes*, his duntaxat exceptis, pro quibus ego Christus vere sacerdos magnus thuribulum carnis igne dilectionis plenum offero in cruce. Non enim pro mundo rogo, qui positus est in maligno, sed pro his, quos dedisti mihi de mundo Pater, quem mundus iste non novit. Pro transgressoribus rogo, ut non pereant : pro contemptoribus autem pertinacibus non rogo.

Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, dum nequiter et turpiter vivunt privati in suis *habitaculis*, et *in medio eorum* similiter sunt nequitiæ, dum pariter omnes in commune student publicæ injustitiæ. Vel *in medio eorum*, id est in corde sedes est nequitiarum, quæ inde procedentes replent omnia ipsorum habitacula.

VERS. 17. *Ego autem ad Deum clamavi, et Dominus salvabit me.* Audistis benevoli auditores, quod juste sim imprecatus inimicis? audite nunc etiam, quid orans in cruce obtinuerim vobis amicis. Nam illi quidem non clamant ad Deum, sed contra Deum. *Ego autem ad Deum clamavi, et Dominus salvabit me.* Dixi enim : « Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? (*Matth.* XXVII, 46.) » Sic ego *clamavi* semel in cruce, et Dominus salvavit me resuscitans me a morte.

At vero sanguinis mei vox clamans de terra non compescetur a clamore suo pro toto corpore meo, donec omnia membra inveniantur salvata in animabus pariter et corporibus. Hoc enim requirit clamor meus trimodus, passionis videlicet, resurrectionis et ascensionis meæ, quæ tria sacramenta

VERS. 18. *Vespere, mane et meridie* sunt consummata. Nam *vespere* in cruce pependi mortuus consummata passione mea, sed *mane* surrexi, *et meridie* videntibus discipulis ascendi. Hoc ita factum non tacebo, sed misso de cœlis Paracleto in apostolos, per ipsos omnium linguarum scientia imbutos *narrabo et annuntiabo*, ita ut in omnem terram exeat sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. *Narrabo et annuntiabo. Narrabo* præterita, et *annuntiabo* futura sive mensura ipsa tria sacramenta. Licet enim præterita sint actu, futura tamen semperque mansura sunt virtute ac fructu. Nec mirum. Si enim per unius hominis inobedientiam licet actu præteritam, sed reatu manentem peccatores constituti sunt multi, multo magis per meæ passionis, resurrectionis et ascensionis, obedientiam licet actu præteritam, sed virtute ac fructu manentem justi constituentur multi sacramentis istis imbuti, mihique complantati per similitudinem mortis crucifixa carne sua cum vitiis et concupiscentiis, per similitudinem resurrectionis dum in novitate vitæ ambulant, per similitudinem asceusionis, dum eorum conversatio in cœlis est. Ideo

Digitized by Google

narrabo, quæ circa me *vespere* ac *mane*, *et meridie* actu sunt præterita, passionis videlicet, resurrectionis et ascensionis meæ sacramenta, *et annuntiabo*, qualiter eadem sua virtute ac fructu sunt manentia. *Et exaudiet vocem meam* Deus meus, Pater meus, ad quem clamo. Est quippe hic fructus orationis exauditæ, quod

VERS. 19. *Redimet in pace animam meam*, id est ita *redimet* ut sit *in pace* sempiterna, dum et hic inter illos, qui oderunt pacem, ero pacificus, et post hac in visione pacis, quæ est Jerusalem superna, requiescam plene liberatus *ab his, qui appropinquant mihi*, dum labiis me honorant, cor autem eorum longe est a me. *Quoniam inter multos erant mecum, Erant mecum*, sed *inter multos* vocatos, non inter paucos electos; inter multas paleas, non inter pauca grana. Vel *in multis erant mecum*, quia solliciti erant erga plurima bona, bonis malisque communia. Porro in uno, quod erat necessarium, non erant mecum. Vel *in multis* observationibus Ecclesiasticis *erant mecum*, videlicet in baptismo, in fidei confessione, in Evangelii lectione, in solemnitatum celebratione cæterisque talibus; at non in charitate, sine qua multa bona pereunt sive linguæ sive scientia sive prophetia vel cætera talia, quæ si carent charitate sola, inveniuntur prorsus inutilia. Prius dixi, quod *exaudies Deus vocem meam*, in eo, quia redimet in pace animam meam. Iterum dico :

VERS. 20. *Exaudiet Deus, et humiliabit illos, qui est ante sæcula.* Gemina hæc exauditio geminum facit fructum, dum et mihi meisque pacem, et inimicis operatur humiliationem. Hoc est quod dico : *Exaudiet Deus* orationem meam super inimicos, *et humiliabit illos, qui est ante sæcula.* Ipsi exaltati sunt per Cæsaris vel alterius principis mortalis familiaritatem, verbi gratia, cum dicunt : « Non habemus regem nisi Cæsarem (*Joan.* XIX, 15). » Sic elati gloriantur in homine mortali qui cinis et pulvis est. Sed *humiliabit illos, qui est ante sæcula.* Non dico : Qui fuit ante sæcula, quia in Dei essentia nihil est præteritum, quod esse desierit, nihil futurum, quod necdum sit, sed *est* omnino simpliciter *ante* omnia *sæcula* et per omnia sæcula. Quos mortalis princeps exaltat, illo mortuo nonnunquam successor ejus humiliat, et e converso ab illo humiliatos exaltat. Iste vero princeps, *qui est ante sæcula*, non habens antecessorem vel successorem, ita *hunc humiliat*, qui superbus est, *et hunc exaltat*, quis humilis est (*Psal.* CXXIV, 5), ut nemo, præter ipsum possit alternare factum suum.

Videtur hic mutatio personæ, quoniam quæ deinceps dicuntur, aptius prophetæ vel alteri electo, quam Christi personæ attribuuntur, ut verbi gratia loquitur vel David vel Petrus apostolus aut alius orator præcipuus, cui attribui potest etiam totus hic psalmus hoc modo :

Exaudi, Deus, orationem meam pro impetrandis bonis temporalibus pariter et æternis. *Et ne despexeris deprecationem meam* pro avertendis malis temporalibus pariter et æternis. Nam despicienda esset oratio seu deprecatio, quæ pro solis temporalibus fieret. Ne autem propter peccata mea despexeris deprecationem meam, noli attendere quod ego contra te fecerim, sed *intende in me* vel *intende mihi*, quem fecisti, ut operi manuum tuarum parigas dexteram. Mali operis, quod ego feci, tu oblivisce, ac de libro memoriæ tuæ dele, sed *intende mihi* vel *in me*, quem tu ad imaginem et similitudinem tuam fecisti. Specie tua et pulchritudine tua intende in me tanquam in speculum, neque desinas polire, donec videas in me relucentem tuæ imaginis ac similitudinis pulchram faciem. Tua facie *intende* in faciem meam avertendo tamen faciem tuam a peccatis meis, et ne avertas faciem tuam a me, sed intende in me, *et exaudi me*, ut exauditus possim gaudere in te, qui quoties orans non exaudior, in memetipso contristor, et hoc est quod dico : *Contristatus sum in exercitatione mea.* « Corporalis exercitatio ad modicum utilis est (*I Tim.* IV, 8), » ait Apostolus, ideo non mirum, si quis contristatur, dum de magna corporali exercitatione fructus modicus proveniet.

Sic Esau contristatus est post magnam venationis corporalem exercitationem vix obtinens inde modicam benedictionem. Cum enim ejulatu magno fleret, non tamen nisi in pinguedine terræ et in rore cœli de super erat benedictio ejus, in terrena videlicet solummodo felicitate. Jacob autem frater ejus pietatis exercitatione, qua matri obedivit, copiosam benedictionem tam in cœlestibus quam in terrestribus obtinuit patre ad illum dicente : « Ecce, odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus, etc. (*Gen.* XXVII, 27). » Hoc sciens ego David serviens Deo *in finem in carminibus*, prout habet hujus psalmi titulus, corporali exercitatione ad modicum utili postposita matri Ecclesiæ obedivi, cum Jacob inhabitans in tabernaculo, sive monasticis sive ecclesiasticis disciplinis ordinato. Ubi cum instarem non tam corporali quam spiritali exercitio, non venationibus deditus ut Esau, sed hymnis et carminibus intentus ut Jacob, qui Deo hymnizans dixit : « Vere Dominus est in loco isto (*Gen.* XXVIII, 16), » ipsa mea exercitatio toties mihi peperit Lætitiam, quotiens orationem vel deprecationem meam sensi exauditam. Etiam nunc parturio in carminibus orationum lætitiam non parvam, sed in finem bene consummativam dicens : *Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam, intende mihi, et exaudi me.* Sed, quia virtus non ex pariendi gaudium, quod parturio (neque enim non exauditus gaudere potero *in finem*, dum nescio, quæ sit fortitudo mea, aut quis finis meus, ut patienter agam) valde *contristatus sum in exercitatione mea.*

Duobus præcipue modis in exercitatione carminum vel hymnorum contristatus sum. Nam contingit plerumque peccatis exigentibus, ut remissa vel

Digitized by Google

intermissa mentis exercitatione nequaquam, sicut Apostolus monet, vigilem in oratione : « Estote, » inquit, « prudentes, et vigilate in orationibus (*I Petr.* IV, 7). » Ego autem vel mente vel carne interdum sic dormio, ut non psallam sapienter, etiamsi psallam vocaliter. Inde multoties *contristatus sum in exercitatione mea* dicens : « Dormitavit anima mea præ tædio (*Psal.* CXVIII, 28). » Item : « Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! » (*Psal.* CXIX, 5.) Iterum, quando utcunque vigilo et sapienter psallo, prout mihi aspirat gratia divina, quia etiam tunc aliquando non sentio exauditionem, dum timeo repulsam esse a divinæ clementiæ auribus orationem meam, quam non patet esse auditam vel exauditam, *contristatus sum in exercitatione mea.* Inde est illa vox plangentium, et in sua contristatione dicentium : « Sustinuimus pacem, et non venis, Domine; quæsivimus bona, et ecce turbatio (*Isa.* XVII, 14). »

Nimirum sic ego David pœnitens, verbi gratia, ego Petrus apostolus *contristatus sum in exercitatione mea*, qui, postquam flevi amare in exercitatione mea, necdum sentire potui exauditam esse vocem fletus mei. Ideo *conturbatus sum a voce inimici*, diaboli, qua per os ancillæ tentatus cecideram, *et a tribulatione peccatoris*, videns ventum validum Judaicæ tempestatis, qua me peccator Satanas tribulavit, qui nos expetivit, ut cribraret sicut triticum. Talis utique tribulatio magna est electis exercitatio, in qua perfectus gaudet, quem nulla conscientia malæ causæ remordet, quia sustinens tristia propter justitiam de ipsis tristibus magnam concipit lætitiam, et velut alter Samson de forti angustia quasi de ore leonis mel dulcissimæ consolationis accipit juxta illud Jacobi apostoli : « Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis, scientes quia tribulatio patientiam operatur (*Jac.* I, 2, 3) ; » item Paulus ait : « Sed et gloriamur in tribulationibus scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientiæ probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit (*Rom.* V, 4, 5). » Ita nimirum spe gaudentes in tribulatione patientes exsultant justi et perfecti. Ego autem cum David pœnitente pœnitens, cum Petro adhuc tristi tristis incedens *contristatus sum in exercitatione mea* inter tribulantes et exsecrantes me, vel quia sentio me non plene diligere ipsos inimicos, vel quia timeo potius deficere quam proficere me inter ipsos tribulantes, dum ego, qui conturbari nec volo nec debeo, tamen contra deliberationem meam *conturbatus sum a voce inimici et a tribulatione peccatoris.* Hæc est exercitatio, in qua brevis et levis ira tanquam festuca oculum turbat. Sed oro, ne exstinguatur odii trabe, ne videlicet ira in odium crescat, et trabem faciat de festuca, fiamque homicida, sicut scriptum est : « Qui odit fratrem suum, homicida est (*I Joan.* III, 15). »

Nec mirum, si ego tentor ira contra inimicos meos, *quoniam* ipsi *declinaverunt in me iniquitates, et in ira molesti erant mihi*, ut supra expositum est, quoniam sicut contra Christum, ita contra meipsius qualecunque membrum scienter mentita est iniquitas sibi struens mihi falsas calumnias, et non habentes aliam causam præter iram suam, *in* hac *ira molesti erant mihi*, non intendentes me in aliquo emendare, sed solummodo molestare.

Ideo, dum luctor mecum studens illis reddere bona pro malis, et illi econtra mihi reddunt odium pro dilectione, *cor meum conturbatum est in me, et formido mortis cecidit super me.* Nam, quia turbatur interdum præ ira oculus meus, *formido mortis*, id est odii, quod est mors animæ, cujus vita dilectio, *cecidit super me*, id est valde timui, ne ira mea inveterata fieret odium. Et quia vicinum sensi periculum, *timor* mentis, *et tremor* corporis *venerunt super me, et contexerunt me tenebræ. Contexerunt* quasi forinsecus, quia scintilla dilectionis ardebat et lucebat interius, qua oravi pro persequentibus : attamen quia « qui odit fratrem suum, in tenebris est, et tenebræ obcæcaverunt oculos ejus (*I Joan.* II, 11), » ipsæ *tenebræ contexerunt me*, quia nimia inimicorum odia pene usque ad reodiendum provocaverunt me, atque charitatis ignem, quem non poterant omnino exstinguere, quia « charitas nunquam excidit (*I Cor.* XIII, 8), » saltem quasi cinere ac pulvere suæ malitiæ *contexerunt*, ne luceret coram hominibus, dum non sinebat aliquam benignitatem exhibere malignantibus, utpote nimium dedignantibus recipere aliquot manifestum beneficium contra maleficium suum.

Unde, quia nec amicos ædificare, nec inimicos lucrari potui, secretum solitudinis optavi et dixi : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* Volens namque pie vivere in Christo, persecutionem passus sum aliquando manifestam, aliquando secretam, de qua dicit Apostolus : « Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? » (*II Cor.* XI, 29.) Dolens igitur, quod non potui malos corrigere ac timens eorum convictu perturbari et pejorari, vitæ communis præsentis nimio tædio et solitudinis vel mortis affectus desiderio, ut effugerem scandala, optavi mihi pennas non corvi, qui semel emissus de arca non est reversus ad eam vel cadaveribus illectus, vel aquis interceptus. Petivi ergo pennas non corvi, sed columbæ, quæ, dum foris non invenit, ubi requiescat pes ejus, fugit intus, et rursum, prout causa exigit, foris missa pacis insignia reportat inclusis. Sic fidelis anima Spiritu sancto arrhata, ut in ipso Spiritu, qui est columba, sit, etiam ipsa columba desideriorum cœlestium pennis fugit in solitudinem, sed pacis, et charitatis officio non deserit bonorum societatem, propter quos etiam patitur malorum vicinitatem.

Quare autem petit *pennas*, cum talis animæ charitas habeat geminas alas? Habet quidem, sed forte ligatas, non fisco cupiditatis, sed cura et officio fra-

Digitized by Google

ternæ sollicitudinis, quas utique dat, qui solvit eas. Verum si adeo ligatas habet officio, fratrum saluti pernecessario, ut propter illud implendum avolare non possit et illos deserere, crescit meritum ex tali desiderio, et tunc dicat, qui ejusmodi est: « Cupio dissolvi, et esse cum Christo, multo enim melius; manere autem in carne necessarium propter vos (*Philipp.* I, 23). » Ita ego David, ego pœnitens quæsivi *pennas*, atque interdum gratia Dei donante illis acceptis. *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine.*

Super hunc locum beatus Gregorius dicit in Job: (126*) « Fugiens elongat, qui a turba desideriorum temporalium in alta Dei contemplatione se sublevat. Manet vero in solitudine, qui perseverat in remota mentis intentione. Mens namque appetens illicita quasi quemdam populum patitur, quæ insolenti cogitationum tumultu vastatur. At contra sancti viri, quia nihil mundi hujus appetunt, nullis procul dubio in corde tumultibus premuntur, sed, appetendo solam æternam patriam mentis tranquillitate perfruuntur. » Magna quippe ac tranquilla mentis est solitudo, ubi sola ipsa est cum solo Deo tanquam sponsa cum sponso in lectulo cordis florido, sicut ipsa dicit in Canticis canticorum: « Lectulus noster floridus est (*Cant.* I, 15). » Plus abundant hujusmodi flores *in solitudine*, quam in multitudine. Omnes enim, qui illicita appetunt, vel in hoc mundo videri aliquid volunt, densis cogitationum tumultibus in corde comprimuntur, cumque desideriorum turbas inter se excitant, prostrata mens pede miseræ frequentationis calcatur, atque in lusum redigitur. Quomodo in tali mente crescant virtutum flores, de quibus fiat lectulus floribus nuptialibus deliciis aptus? Ut ergo flores haberem, super quos cum Deo et in Deo requiescerem, separatus etsi non corpore, tamen corde a tumultuosa multitudine fugiens *mansi in solitudine*, ubi requiescens in lectulo florido *exspectabam eum, qui salvum me fecit.*

Quia vero manens in solitudine fruebar aliquantula requie intentus paci sempiternæ, recte hic diapsalma interponitur, pro quo in Hebræo *Semper* invenitur, qui sempiterna pax in solitudine mentis prægustatur. Sequitur.

Exspectabam eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus et tempestate. Videns namque prius ventum validum timui quasi pusillanimis, quasi pusillæ vel modicæ fidei. Sed, me clamante: « Domine salvum me fac (*Matth.* XIV, 30), » in ipso periculo cum cœpissem mergi, *salvum me fecit a pusillanimitate spiritus et tempestate* Deus ipse, ad quem clamavi. Hoc est, quod in principio psalmi petivi, orationem videlicet meam exaudiri, quam quia pro mea salute sentio exauditam, salvatus scilicet a pusillanimitate spiritus et tempestate, nunc etiam pro inimicis oro dicens: *Præcipita, Domine, divide linguas eorum.* Duo sunt, per quæ maxime contra bonos invalescunt mali: et in hoc mundo sublimati honoribus ac potestatibus dominantur, et mutuo multorum assensu in mendacio contra veritatem roborantur. Sic olim contra Deum filiis Adam inter se consentaneis cœpit illa turris ædificari, de cujus altitudine illi sunt quasi præcipitati, qui simul divisione et confusione. Linguarum prohibiti ab ejus peragenda ædificatione. Sic etiam nunc *præcipita, Domine*, omnes operarios iniquitatis, *et divide linguas eorum. Præcipita* in præsenti ad pœnitentiam, ne in futuro judicio præcipites eos ad pœnam æternam: et *divide linguas eorum* nunc inter se, ne in futuro dividantur sicut hædi ab agnorum societate. Dividantur nunc inter se per gladium spiritus, quod est verbum Dei, ne tunc dividantur per eumdem gladium a regno Dei.

Super hunc locum beatus Gregorius dicit in Job (127) « Sicut perniciosum est, si unitas desit bonis, ita perniciosius est, si non desit malis. Reproborum quippe unitas bonorum viam tanto durius impedit, quanto se ei per collectionem durior opponit. Hanc unitatem reproborum perniciosam sibi Paulus conspexerat, cum in medio Sadducæorum, Pharisæorumque deprehensus dicebat: » *De spe resurrectionis mortuorum ego judicor* (*Act.* XXIII, 6). « Qua nimirum voce percussa protinus contra se vicissim audientium turba dissiliit. Cumque in duas partes tumultuantium multitudo divideretur, Paulo via ereptionis aperitur, quia quem turba persequentium unita constrinxerat, divisa laxabat. Eripiuntur enim justi, cum dividuntur injusti, et electorum vota ad perfectum veniunt, dum reproborum agmina per discordiam confunduntur. Quod bene etiam maris rubri scissione signatur. Dum enim in duas partes unda dividitur, ab electo populo ad terram promissionis tenditur, quia, dum malorum unitas scinditur, bonæ mentes ad hoc, quod appetunt, perducuntur. Si malorum unitas noxia non fuisset, nequaquam divina providentia superbientium linguas in tanta diversitate dissipasset. »

Hanc ergo unitatem reproborum dissipari desiderans propheta de sanctæ Ecclesiæ hostibus dicit: *Præcipita, Domine, divide linguas eorum.* Intus jam sunt præcipitati, quoniam dejecisti eos interius, dum allevarentur exterius. Quo contra illis opto nunc præcipitari exterius, ut eleventur interius. Ita quondam præcipitatus est rex Nabuchodonosor ab alto elationis exterius, donec humiliaretur cor ipsius. Ita quoque præcipitatus est rex Manasses de solio regni propter peccata sua ductus in Babylonem positusque in carcerem, quoadusque humiliaretur, et vera pœnitentia purgaretur. Præcipitata est etiam superba et impia Jezabel dicente Jehu ad eunuchos: *Præcipitate eam deorsum.* Quod revera illi utile fuit, non quia pœnitendo salvata sit, sed quia sic præcipitata iram Dei, quam eatenus irritaverat, sibique thesaurizaverat, ulterius vel sibi thesaurizare non

(126*) S. Greg. M., lib. IV Moral, cap. 30.

(127) S. Greg. M., lib. XXXIV Moral., cap. 4.

Digitized by Google

poterat (*IV Reg.* IX, 33). Quia igitur omnino est utile sic elatos præcipitari ab alto, ut vel pœniteant, vel saltem peccare ulterius non valeant, *præcipita, Domine*, illos modo in carne viventes, ne in superbia defunctos, posthac resurgentes, facias in ima præcipitari. Præcipita nunc eos cum festinatione humiliando, quæ festinantia notatur in verbo temporis præsentis, quo dicitur: *Præcipita*. Nam verum quidem est, quod Veritas dicit: « omnis, qui se exaltat humiliabitur (*Luc.* XIV, 11), » id est qui se exaltat in præsenti, humiliabitur in futuro. Sed, quia tunc sera et pœnalis humiliatio erit infructuosa, ego David vel malorum conversionem vel saltem bonorum liberationem desiderans accelerari, dico: *Præcipita, Domine*, festinanter illos dejiciendo, ut vel illis ad conversionem vel bonis ad liberationem proficiat eorum festinata dejectio.

Præcipita elatos, *et divide* unitos in malo, *divide*, inquam, non manus vel opera eorum, quia « omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti (*Rom.* VIII, 28), » quique per talia sunt consummandi. Sed quia unitas linguarum in fabricando mendacium vel defendendo peccatum peramplius nocet, quando ad subversionem audientium videtur constare verbum iniquum et dolosum, quasi verum sit et justum: *divide*, quæso *linguas eorum*, ne turris malitiæ, quam ædificare intendunt, ultra surgat in altum, neve corrumpant mores bonos confabulationes eorum pessimæ. *Divide linguas eorum*, ut se mutuo impugnent, seseque destruant, quod in hæreticis persæpe contigit. Sic Arius et Sabellius, alter nimis dividendo, alter nimis uniendo Patrem et Filium se mutuo destruunt. Arius dicit: Non idem est Pater, quod Filius, contra illud: « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* X, 30). » At contra Sabellius dicit: Pater est idem, qui Filius. Quod si verum esset, non posset vere dicere Filius de se ac Patre: *Sumus*. Inter hos media triumphat Veritas dicens: *Ego et Pater unum sumus*, dicendo *unum*, destruit Arium, dicendo: *Sumus*, destruit Sabellium. Sic Nestorius et Eutyches, alter nimis dividendo, alter nimis uniendo Verbum et hominem in Christo contra se divisi fuerunt.

Adhuc tamen licet jam destructis hæreticis multi falsiloqui et maliloqui sive magniloqui sibi mutuo consentiunt, multosque auditores auribus prurientes habent sibi consentaneos in malo contra bonos. O Domine, *divide linguas eorum*. Linguæ ipsorum, sicut Jacobus apostolus asserit, « inflammatæ a gehenna (*Jac.* III, 6), » simul junctæ magnum faciunt ignem gehennalem, quibus ab invicem dijunctis, et dissipatis deficit iste malus ignis, ut materialibus quoque lignis ab igne subtractis deficit ipse ignis. Ideo ergo, ut ignis avaritiæ, qui nunquam dicit: sufficit, ignis luxuriæ, superbiæ, invidiæ aliorumque vitiorum, qui corda maligna exurit, omnino deficiat, *linguas* a gehenna inflammatas *divide*, aliasque linguas igneas, quales apostoli acceperunt, in unum congrega, ut sit sub multis hujusmodi linguis cor unum et anima una in Deo, id est in veritate, in charitate, quæ Deus est.

Causa non modica est, quare optem elatis præcipitationem linguarumque divisionem: *Quoniam vidi iniquitatem* superbiæ, *et contradictionem* proterviæ contra humilitatem et obedientiam *in civitate* illa Babylonia, quæ turrim contra Deum ædificare intendit. *Vidi* hæc mala non ad horam, sed *die ac nocte*, id est assidue vel continue. Nec mirum, si videtur iniquitas *in civitate*, ubi opera iniqua non fiunt solummodo in occulto, sed etiam *super muros*, nec in una quavis parte murorum, sed *in circuitu*, quoniam *circumdabit eam super muros ejus iniquitas et labor in medio ejus et injustia*, ut supra expositum est. *Et non defecit de plateis ejus usuræ* seu pecuniæ, qua quisque commodans vult amplius recipere, seu vindictæ, qua læsus quisque vult amplius lædere non contentus talione. Super *muros*, id est principes apparet manifesta iniquitas et rapacitas: *in plateis* vero, id est in popularibus *non defecit usura et dolus* usque adeo regnante seu grassante dolo, ut amicus quoque decipiatur ab amico, quod est malum nimis intolerabile.

Quoniam inimicus apertus *maledixisset mihi*, apertas contumelias irrogando, *sustinuissem utique*, quia minorem dolorem mala ingerunt, quæ ab extraneis inferuntur: plus vero in nobis ea tormenta sæviunt, quæ ab illis patimur, de quorum mentibus præsumebamus, quia cum damno corporis damna nos cruciant amissæ charitatis (128). Hinc est, quod de Juda traditore suo Dominus dicit: *Si inimicus meus maledixisset mihi*, supportarem utique; ac si aperte dicat: Transgressionem ejus tanto gravius pertuli, quanto hanc ab eo, qui meus esse videbatur, sensi. Et ego David, ego quicunque fidelis ut David, similitudini passionis Christi complantatus dico: *Quod si inimicus meus aliquis* apertus, ut ille, de quo superius dixi: *Conturbatus sum a voce inimici et a tribulatione peccatoris, maledixisset mihi* apertis injuriis, *sustinuissem utique*, quia malum non inopinatum debet patientius accipi: *et si is, qui oderat* aperte, *super me magna locutus fuisset*, id est superbe mihi insultasset, *abscondissem me forsitan ab eo* dans locum verbis insanis, ut non in contentionem erumperem, quæ magna est patientia. Vel *abscondissem*, id est putarem me ab eo, qui foris est, posse abscondi inter eos, qui intus sunt, ubi quoque, quoniam turbor, patet, quoniam non sine causa petivi solitudinem cupiens omnino evadere intestinam quoque falsorum fratrum infestationem.

Esto patienter sufferam, ut etiam a falsis fratribus pericula sustineam, qui nullo certo experimento noverunt vitam meam, et putant fortasse me iniquum secundum falsa testimonia inimicorum meorum. *Tu vero unanimis*, qui mihi sæpe in bonis consiliis a me

(128) S. Greg. M., lib. II in Ezech., tom. VI.

Digitized by Google

inventis unanimiter consensisti, *dux meus*, qui aliquando prior me facienda prævidisti, mihique tuo consilio ducatum præbuisti, *et notus meus*, qui mihi diu cohabitasti simul in una Ecclesia, ubi neque mihi tua, neque tibi mea vita erat ignota, sive illa, de qua pœnitentia vel a me, vel a te agebatur, sive illa, quæ deinceps agenda proponebatur : *Tu qui simul mecum dulces capiebas cibos* vel corporales, qui soli dulciter sapiunt malis, vel spiritales, in quibus gustatur, quoniam suavis est Dominus. In quo admiranda ostenditur malitia, quæ neque corporali neque spiritali convivio potuit molliri, ut mitesceret, cum soleant inter convivia hilariter exhibita leniri etiam dura corda, præcipue dum ultroneis beneficiis carbones ignis congeruntur super caput odientis. Hoc inter me ac te frequenter actum constat mihi, qui tui sæpe in convivio Dominicæ mensæ habui memoriam quasi bonam et benedictam buccellam tibi porrigens : quando *in domo Dei ambulavimus cum consensu*, a qua domo tu te ipsum eliminas mihi struendo insidias; *tu*, inquam, talis *homo unanimis dux meus, et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu*, subauditur, non potes ulterius portari. Nam deficit hoc loco animi commoti elocutio, dum quanta sit pœna dignus hic talis, nulle potest exprimi eloquio, quæ figura eclipsis [ellipsis] dicitur apud grammaticos, plusque interdum significat verbum necessarium subtrahendo, quam significaret eo posito. Ergo velut quodam silentio habito, quo significata est animi commotio, tandem profertur sententia condigna non in solum illum hominem falso unanimem, vere discordem, falso ducem, vere supplantatorem, sed in omnes quoque illi consimiles, illiusque imitatores, contra quos dicitur : *Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes, quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum*, ut supra est expositum.

Super hunc locum beatus Gregorius dicit in Job : (129) Ad majoris culpæ cumulum hostes suos sancta Ecclesia perhibet et scire, quod sequi debeant, et sequi nolle, quod sciunt. De his ergo per Psalmistam dicitur : *Descendant in infernum viventes.* « Vivi sunt, qui sentiunt, quæ erga illos fiunt; mortui enim nesciunt omnino, nec sentiunt. Mortui itaque, qui non sentiunt, pro nescientibus, viventes vero, qui sentiunt, pro scientibus poni solent. Viventes vero in infernum descendere est scientes sentientesque peccare. » Dum enim vivi, quæ circa illos aguntur sciunt et sentiunt, mortui autem sentire nil possunt, mortui in infernum descenderent, si mala nesciendo perpetrarent. Cum vero sciunt mala, et tamen faciunt, ad iniquitatis infernum viventes miseri sentientesque descendunt. Ut ergo agnoscant, in quanto malo sint, *veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes*, id est, pœna mortifera veniat super illos, quæ illos ad pœnitentiam flectat, vel si prorsus inflexibiles inveniuntur, frangat, ne in augmentum peccati et pœnæ vita illis longa et sospes maneat. Et *descendant in infernum viventes*, id est, adhuc in carne viventes, quandiu locus est emendationis, *descendant in infernum*, id est, in infernale tormentum, quo vel ipsi corrigantur, vel si corrigi non possunt, eorum exemplo cæteri maligni terreantur. Sic legimus accidisse Antiocho Machabæorum persecutori, et Herodi puerorum occisori, quibus infernale tormentum in tortura viscerum, etsi non profuit ad sui emendationem, profuit tamen ad fidelium consolationem et infidelium terrorem.

Quare autem sub nomine mortis et inferni tam gravia tormenta illis imprecari voluerim, ne quis miretur, cum nemo pius in talium talibus tormentis delectetur, en reddo causam, quæ adeo fortem requirit vindictam seu emendatoriam, seu damnatoriam. Neque enim virulenta eorum viscera lenem sentiunt medicinam, *quoniam nequitiæ in habitaculis eorum et in medio eorum*, velut medullis insertæ, non nisi fortissima sectione vel ustione curari vel extrahi poterunt de habitaculis eorum de medio eorum. Si essent *nequitiæ in habitaculis eorum* tantum, et non etiam *in medio*, id est in corde sive medulla *eorum*, poterant curari aliquo leni medicamento. Nunc vero, *quoniam nequitiæ in habitaculis eorum* dominantes etiam corda possident fortissime tangendi sunt : ita ut *veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes.*

Ego autem levi et brevi tactus ægritudine *ad Deum clamavi, et Dominus salvavit me.* Ego velut alter Job in facultate et in carne tentatori expositus, et ab eo percussus *ad Dominum clamavi*, non contra Dominum murmuravi, *et Dominus salvavit me*

Hoc ipsum inter cætera mirabilia ejus ad laudem et gloriam ipsius in gratiarum actione, ad aliorum ædificationem *vespere et mane et meridie*, id est, omni tempore *narrabo et annuntiabo. Narrabo et annuntiabo* quoque istud grande beneficium Dei non hominibus tantum loquendo in doctrina et exhortatione, sed etiam Deo in gratiarum actione de præteritis, adjuncta sæpius oratione de futuris, quod frequenter agam in carminibus et hymnis juxta psalmi hujus titulum ad hoc apte compositis, et hoc ipsum efflagitantibus, ut Dominus, qui salvavit me, non cesset adhuc salvare, salvationemque semel cœptam perficere *in finem*, titulo psalmi prænotatum. Sic me in carminibus et hymnis *in finem* orante ipse Dominus *exaudiet vocem meam*. Frequenter accidit ut me narrantem et annuntiantem non audiant homines aures audiendi non habentes, quia soli, qui aures audiendi habent, audiunt, quid Spiritus dicat Ecclesiis. Attamen quidquid homines agant, ipse *Dominus exaudiet vocem meam* frequenter oris et jugiter cordis clamore intensam.

In hoc autem sciam quod exaudierit vocem meæ

(129) Lib. XVIII Moral., cap. 12.

Digitized by Google

non tantum pro me, sed etiam pro inimicis meis, quoniam et *me salvabit, et illos humiliabit.* Me salvabit in eo, quod *redimet in pace animam meam ab his, qui appropinquant mihi*, ut supra est expositum. Me videlicet Ecclesiam, vel ecclesiasticam personam carminibus et hymnis intentam *redimet in pace ab his, qui appropinquant mihi, quoniam in multis erunt mecum*, ut supra est expositum. Nec dico simpliciter : *Me redimet*, sed ; *redimet animam meam in pace* collocando eam, ut eam non possint occidere, qui corpus occidunt interdum actu, interdum solo malignitatis affectu, quo qui odit fratrem suum, homicida est. In tantum vero me occidunt, in quantum vitales bene agendi palmites a me abscindunt, quibus abscindendis ideo valde *appropinquant*, quoniam *in multis*, vel *inter multos* erant mecum. Sicut enim zizania multa sui multitudine triticum præfocant, et quasi mortificant, cum in uno agro unam pluviam simul bibant, simul crescant, simul maturescant, licet non ad unum horreum simul perveniant : ita isti veritatis hostes, quoniam *in multis erant mecum*, sui multitudine occupantes in agro Dominico uberrima loca, et non solum pluvia litteralis et naturalis scientiæ, sed etiam facultatibus ecclesiasticis sunt impinguati, incrassati, dilatati, me sanctam Ecclesiam, vel sanctam ecclesiasticam personam sic præfocaverunt ut vix in me remanserit animæ vitalis aliquantula scintilla sub ara Dei custodita. Ibi, quoniam *redimet in pace animam meam* redemptor mundi per sacrificium sui corporis et sanguinis, audietur absque dubio vox ejusdem pretiosi sanguinis melius clamantis quam sanguis Abel. Nam ille vindictam quæsivit, iste veniam exigit etiam ipsis inimicis, ita tamen, si veraci pœnitentia humilientur, et non cum fratricida Cain desperent clementiam. Alioquin si nolunt humiliare animas suas in vera pœnitentia, velint, nolint, humiliabuntur ultione debita, quoniam vocem sanguinis, quem vel actu vel affectu effuderunt, *exaudiet Dominus, et humiliabit illos, qui est ante sæcula.* Vel, sicut in Hebræo legitur : *Qui est Judex ab initio.* Qui non dico fuit, quasi de ipsius esse aliquid præteritum sit, « sed est ante sæcula (*Eccli.* XLII, 21), » Sic alias dicit : « Ante Abraham ego sum (*Joan.* VIII, 14) : » Item : « Ego sum, qui sum, » et : « sic dicetis filiis Israel, » ait : « Qui est, misit me ad vos (*Exod.* III, 14). » Qui ergo non fuit sicut dies hesterna, quæ præteriit, sed est hodie, dum dicitur hodie, id est, æternaliter et semper, quique *Judex est ab initio*, ipse *humiliabit illos*, qui se nimis extollunt præsumentes nescio de quo principe vel rege transitorio : verbi gratia, cum dicunt : « Non habemus regem nisi Cæsarem (*Joan.* XIX, 15) » Vel, sicut Eliæ dictum est a primo et secundo quinquagenario : « Rex præcepit, ut descendas (*IV Reg.* I, 9). » *Rex*, inquiunt, *præcipit* non attendentes, quod idem rex ægrotans de lecto ægritudinis non erat surrecturus, ut prædixit Elias. Vana est ergo præsumptio gloriantium in tali domino vel rege suo contra illum regem et judicem, *qui est ante sæcula*, quique loquens in Elia vel qualibet spiritali persona solum illum quinquagenarium salvat cum suis quinquaginta, qui se humiliat ad pœnitentiam. Non enim dixit quemadmodum ille primus, sedenti in vertice montis dixit Eliæ : « Homo Dei, rex præcepit, ut descendas; » aut quemadmodum ille alius : « Hæc dicit rex, festina, descende (*IV, Reg.* I, 11). » Dicere namque homini Dei : *Rex præcipit, ut descendas*, aut : *festina, descende*, hoc est hominem perfectum et in culmine justitiæ sublimatum, cujus conversatio in cœlis est, velle humiliare sub dominium sæcularis potentiæ omnimodis infirmæ ac penitus ægrotæ. Hoc intendit quinquagenarius prior et secundus, diabolus videlicet et Antichristus cum satellitibus, quos habent, dæmonibus et malignis hominibus, quos omnes pariter involvet ignis gehennæ, illo rege cum suis in judicio extremo apparente, *qui est ante sæcula.*

Potest etiam per quinquagenarium primum satis (commode) intelligi Nero, primus Ecclesiæ Dei universalem persecutionem indicens, cultor Dei Accaron Beelzebuth, quod interpretatur *vir muscarum*, quo nomine princeps dæmoniorum notatur in Evangelio. Hujus, ut diximus, cultor spurcissimus et crudelissimus Nero primus in imperio Romano sanctos Dei Eliæ similes necavit, et aut ab ipsis Christum negari, aut ipsos corporaliter necari publicis et imperialibus edictis constituit. Hujus in impietate complices viri sanguinum repræsentant primi quinquagenarii cuneum, ex eorum numero collectum, quorum « veloces pedes ad effundendum sanguinem (*Psal.* XIII, 3). » Quia vero de Antichristo scriptum est, quod « dolus dirigetur in manu ejus, » ipse alter quinquagenarius cum omnibus dolosis non tam corporum, quam animarum interfectoribus intelligi potest. Ad tertium vero quinquagenarium pertinent, qui per pietatis et pœnitentiæ veritatem et sinceritatem se a viris sanguinum et dolosis curant secernere, studentque sanctos Dei Eliæ similes honorare, quibus etiam sanctis judicantibus, et pro hujusmodi orantibus parcetur in judicio divino, quando judicabitur sæculum per ignem.

Qui nimirum judicialis ignis duos illos quinquagenarios cum suis complicibus involvet, quibus *non est commutatio* a malitia contra Christum verum Eliam, et sanctos ejus concepta. In cujus rei typum dixit. Elias primo et secundo quinquagenario : « Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, et devoret te et quinquaginta tuos (*IV Reg.* I, 10, 12). » Simile est huic illud in Apocalypsi de duobus testibus in conspectu Domini stantibus dictum : « Si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore ipsorum, et devorabit inimicos eorum (*Apoc.* XI, 5). » Ignis est ignitum eloquium servorum Dei, quod illis prædicantibus et orantibus devorabit inimicos eorum, vel ut desinant esse inimici et fiant amici, vel certe ut ipsi diabolo, præcipuo dæmonum quinquagenario seu Antichristo, præcipuo malorum hominum quinquagenario, socientur in pœna penitus incommuta-

Digitized by Google

bili. Si autem Nero, vir sanguinum præcipuus, intelligitur primus quinquagenarius, justo judicio viri sanguinum, sequaces illius, cum ipso alligabuntur in uno fasciculo ab comburendum ; quia pertinax est malitia et sævitia ipsorum, sicut est obstinata dolositas Antichristi, alterius quinquagenarii et suorum complicum falsorum Christianorum. *Non enim est illis commutatio* malitiæ per veram pœnitentiam in hoc sæculo, ideo nec erit commutatio infernalis pœnæ in futuro sæculo. Et hoc inde est, quia, *non timuerunt Deum* sicut ille tertius quinquagenarius, qui curvans genua sua coram Elia precando locutus est : « Homo Dei, noli despicere animam meam, et animam servorum tuorum, qui mecum sunt, etc. (*IV Reg.* I, 13). » Pepercit ergo huic Elias utpote humiliato, et accepta persecutione ipsius commutato. Reliquis duobus non pepercit, et merito. *Non enim* erat *illis commutatio, et non timuerunt Deum.* Similiter verus Elias, quod interpretatur *Deus Dominus*, cui proprium est misereri semper et parcere, solis parcet humilibus et pœnitentibus hominibus ; in sua vero nequitia pertinacibus non parcet, et hoc justo judicio. *Non enim est illis commutatio.* Quod exinde provenit, quia placent sibimetipsis in peccato suo, et *non timuerunt Deum*, non habent saltem servilem timorem, qui est initium sapientiæ, propter quod statim in præsenti essent velociter præcipitandi ab alto elationis in foveam sempiternæ perditionis, ut superius oratum est, ubi diximus in carminibus : *Præcipita, Domine, divide linguas eorum.* Sed iste judex, qui est ante sæcula,

Vers. 21. *Extendit manum suam in retribuendo*, id est, quasi patiens redditor longanimiter exspectat, ut diu exspectatos, et a malitia sua non mutatos gravius feriat. *Extendit manum suam* in altum elevando securim judicii diuque librando ut validius percutiat. *Extendit manum suam* fortissime tendens arcum suum, qui quanto longius tenditur, tanto acrius feriet eos, præcipue qui *contaminaverunt testamentum Dei :* non enim satis fuit illis non timere judicium illius, qui est ante sæcula, vel qui judex est ab initio, sed insuper *contaminaverunt testamentum ejus*, quod est in promissionibus factis Abraham et semini ejus, vel in præceptis et pollicitationibus Evangelicis. Hoc *testamentum*, quantum in ipsis erat, *contaminaverunt* contradicendo, vel contrariis actibus polluendo, suasque traditiones pluris habendo quam divinas. Unde talibus dicit ipsa Veritas : « Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram (*Matth.* XV, 6). » Ideo

Vers. 22. *Divisi sunt ab ira vultus ejus. Divisi sunt Judæi* per orbem terræ dispersi et a terra et regno illis dato seclusi. *Divisi sunt* etiam hæretici ac schismatici suis doctrinis falsis atque sectis perversis invicem sibimetipsis contrarii, atque ob hoc a sancta Ecclesia separati *divisi sunt* etiam falsi Christiani bono illius unitatis et jucunditate illius unanimitatis privati, de quo canitur : « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum (*Psal.* CXXXII, 1). » *Sic divisi sunt* isti nunc in præsenti, amplius in futuro dividendi a societate bonorum, qui divisi non sunt, quoniam sapiunt in idipsum studio unanimi semper intendentes in Dei vultum, ut sperant, propitium et inimicis iratum, juxta illud : « Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum : Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum (*Psal.* XXXIII, 17). » Quod ergo *divisi sunt*, ut jam diximus, *ab ira vultus ejus* evenit, cujus testamentum contaminaverunt, cujusque vultum semper et ubique præsentem reveriti non sunt, ut ille, qui dicit ; « Quo ibo a Spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? (*Psal.* CXXXVIII, 7) » Faciem istam, seu vultum nunc minime timent, sed posthac « videbunt, in quem transfixerunt (*Joan.* XIX. 37), » videbunt iratum, quem nunc sperant placidum, neque ullatenus abscondi poterunt *ab ira vultus ejus*, cum venerit dies iræ, dies calamitatis et miseriæ, dies magna et amara valde, dies turbinis et tempestatis, a granis paleas omnino separantis, quia tunc maxime dividet eos, cum in ultima ventilatione manifeste apparens aliis dicet in serenitate vultus propitii : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, etc. (*Matth.* XXV, 34). » Sed alius in ira vultus commoti dicet : « Ite, maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*ibid.*, 41). »

Interim sane consulendum est illis, ne omnino secuti maneant, quasi de longe venientis iram non timeant. Veniet, veniet, et non tardabit, et cum tardare putatur, *appropinquabit cor illius.* « Dies » enim « ultionis in corde meo, » ait Dominus in alio propheta, et ideo cum dies ille appropinquat, « cor ejus appropinquat (*Isa.* LXIII, 4). Juxta est dies perditionis, et adesse festinant tempora (*Deut.* XXXII, 35), » et cum temporibus adesse festinantibus, festinanter *appropinquabit cor illius*, qui est ante sæcula judicaturus omnia sæcula.

Aliter : Hostes ejus, qui est ante sæcula, *divisi sunt ab ira vultus ejus*, sed, dum illi per divisionem elongantur a Deo, illis impugnantibus Ecclesiam Dei clarescet veritas : *et appropinquabit cor illius*, dum secreta prius voluntas ejus fiet manifesta. Vel *appropinquabit cor illius*, amici videlicet, qui quasi cor secretorum ejus conscii sunt. Dum enim perversi ultimo examine divisi fuerint ab ira vultus ejus judicis, quem non amant : *cor illius*, id est amici appropinquantes ei cum ipso judicabunt nationes, et dominabuntur populis, eos durissime judicantes, quibus durus videtur sermo veritatis, quique suavissima sanctitatis documenta, in hymnis et carminibus exposita, detestantur, et fugiunt quasi toxicata jacula.

Nam revera per amicos Dei planissimis expositionibus *molliti sunt sermones ejus super oleum*, plus videlicet, quam oleum penetrantes interiora cordis et venarum usque ad ossa vel medullas, medicinali

Digitized by Google

virtute sanando exterius et interius humanum corpus et animum. *Et ipsi sunt jacula*, vel quia duris duri videntur sermones Dei, cum sint suaves, vel certe, quia, licet *molliti*, non amittunt virtutem sui acuminis, de quo alibi dicitur : « Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent (*Psal.* XLIV, 6). » Item : « Sagittæ potentis acutæ (*Psal.* CXIX, 4). » Unde his ipsis Dei sermonibus quantumlibet suavibus et mollitis armantur Dei milites. Proinde si tibi parvulo, qui adhuc lacte nutriendus es, videtur durus esse sermo, quem aut non intelligis propter sui obscuritatem vel tui sensus tarditatem, aut horrescis lasciviæ tuæ adversantem in via, dum non audes concordare cum eo propter sui rigoris austeritatem et tuæ infantiæ fragilitatem,ne irascaris uberibus, quæ meliora sunt vino, neque repellas Verbum Dei, sed

Vers. 23. *Jacta in Dominum curam tuam, et ipse te enutriet. Jacta curam tuam in Dominum*, non in alium. *Jacta* cogitatum tuum *in Dominum* trinum et unum, qui cum sit omnipotens, omnisapiens, omnibonus, potenter, sapienter et libenter subveniet tibi fluctuanti. *Jacta* navim tuæ mentis *in Dominum* tanquam in tutissimum salutis portum. Nam si forte jactaveris in alium, senties illum tibi saxum naufragosum. *Jacta in Dominum curam tuam*, quam ipse libenter excipiet, et *te* in ipsa cura tua curabit, *et enutriet*, quoniam talis cura ei placet, cura vero sæculi consumit. Unde Salomon : « Sicut vermis ligno et tinea vestimento; ita viri tristitia nocet corde (*Prov.* XXV, 20). » Quia ergo tua cura in hoc sollicita est, quomodo placeas Deo, non huic mundo; *jacta* eam in Deum, qui tibi mollire poterit super oleum, quo condiri solet cibus fortium, sermonem suum adhuc tibi durum, sed mox tibi in lac vertendum, si modo *in Dominum* jactabis curam tuam. Noli dicere, quod illi dixerunt, qui audito verbo Christi de comedenda carne ac bibendo sanguine ipsius abierunt retrorsum dicentes : « Durus est hic sermo, quis poterit eum audire? » (*Joan.* VI, 61.) Imitare tu Petrum pro se, suisque condiscipulis dicentem : « Domine verba vitæ æternæ habes, et nos a te quo ibimus? » (*ibid.*, 69.) sic dixit; sic se in Dominum jactavit, cum verba veritatis necdum intellexit. Unde per verba lactantis gratiæ nutritus est eo usque, ut ipsum delectaret cibus Dominicæ carnis ac potus vivifici sanguinis ejus, in quibus est perfectorum solidus panis et calix inebrians, quam præclarus. Hujusmodi convivio Petrus non sacramento tenus tantum communicavit, sed in illud corpus transeundo, quod comedit, membrum ejusdem corporis effectus, et jam vir perfectus lacte non eguit. Similiter *et te* Dominus *enutriet*, si exemplo Petri adhærebis illi.

Aliter : *Divisi sunt*, id est absque dubio dividentur *ab ira vultus ejus* inimici Dei, qui *contaminaverunt testamentum ejus*. Et hoc fiet, quando *appropinquabit cor illius*, id est quando appropinquabit ei sanctorum cœtus, qui secundum cor ejus cum ipso erit judicaturus. Attamen in hoc sæculo non erit plena divisio vel segregatio inter justum et injustum, inter veracem et mendacem, quoniam ipse mendax, qui testamentum Dei contaminat, artificio tanto componit verba sua, ut *molliti* sint *sermones ejus super oleum* per argumentosæ adulationis fucum; sed tamen ab eis cavendum est, quia venenum latet sub oleo in sermonibus hujusmodi, *et ipsi sunt jacula*. Quibus omnino spretis, o tu, qui veritatem libenter accipis, et acceptam diligenter erogas in sermonibus tuis veridicis, nullo adulationis oleo conditis, *jacta in Dominum curam tuam*, ne confidas in tua virtute contra inimicos dolosos et impios te stare posse, sed quidquid virium, quidquid scientiæ in te fuerit, Christo ascribe, quodque defuerit, ab ipso pete instanter, *et ipse te enutriet* pane vitæ et intellectus, ita ut hostes veritatis non possint resistere Sapientiæ et Spiritui, qui loquitur in te, sed avertantur retrorsum omnes, qui oderunt te, sentientes Dominum pugnare pro te. Unde et dicere compellentur : « Fugiamus Israelem; Dominus enim pugnat pro eo (*Exod.* XIV, 25), » qui *non dabit in æternum fluctuationem justo*. Etsi hic fluctuare interdum sinat justum secundum verba fluctuationis jam superius exposita, ubi dicitur ex persona justi : *Timor et tremor venit super me, et contexerunt me tenebræ :* tamen hanc *fluctuationem justo non dabit in æternum*, quoniam de fluctibus undosi maris in ligno crucis perducet eum ad littus æternæ stabilitatis, ubi non timebit incidere in puteum abyssi super solidam promissionis terram stabilitus.

Vers. 24. *Tu vero, Deus, deduces eos in puteum interitus*, qui contaminaverunt testamentum tuum, puteum aquarum viventium, corrumpendo veritatis doctrinam per verba falsa, opera prava. Ideo, *Deus, deduces eos in puteum interitus*, qui alias dicitur puteus abyssi, quia fundo caret sicut abyssus, et erit in eo sempiterna fluctuatio, quam studens cavere justus orat ad te, Domine, clamans : « Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum (*Psal.* LXVIII, 16). » *In* hunc *puteum, Deus, deduces eos*, qui nunc testamentum tuum, puteum aquarum viventium, veneno falsitatis contaminant, neque ab hoc militiæ suæ studio desistunt. Non enim est illis commutatio, et non timuerunt Deum.

Etiam in hac vita *deduces eos in puteum interitus* tradendo eos in reprobum sensum, et in desideria cordis sui pravi, et in multa pravitate nimis profundi ad similitudinem abyssi. Hic pravitatis abyssus abyssum damnationis invocat, ut qui profunde peccaverunt in mundo, profunde luant in inferno.

Hoc autem non diu differetur. Etenim *viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos. Viri sanguinum*, qui corpora sanctorum occidunt, ut Nero, *et dolosi*, qui animas interimunt corrumpendo mores bonos confabulationibus pessimis ut Antichristus, *non dimidiabunt* dies suos, id est non profi-

Digitized by Google

ciunt in pejus quantum volunt, et quandiu putant. Vel dimidiarent dies suos in vita sua, si quos in malum disponunt, dividerent pœnitendo.

Super hunc locum beatus Gregorius (130) dicit : « Dies dimidiare est tempus vitæ malæ in voluptatibus ductum ad pœnitentiæ lamenta dividere, atque ad bonum usum partiendo reparare. Sed iniqui dies nequaquam dimidiant, quia perversam mentem nec in extremo tempore immutant. Quo contra bene Paulus admonet dicens : « Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt (*Ephes.* v, 16). » Tempus quippe redimimus, quando anteactam vitam, quam lasciviendo perdidimus, flendo reparamus. » Sic Saulus adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Domini, cum esset vir sanguinum, *dimidiavit dies suos* divinitus correptus, cum persecutorem sanctorum se fuisse pœnituit in diebus præteritis, talemque se deinceps exhibuit, qui persecutionem pro Christo maluisset cum sanctis ferre quam sanctis inferre. Nimirum devoravit hunc inimicum suum ignis exiens de ore Stephani pro suis lapidatoribus orantis, quorum Saulus erat præcipuus, quia testes beatum protomartyrem lapidantes, ut essent exserti, posuerunt vestimenta sua « secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus (*Act.* VII, 57). » Verumtamen quia dies suos dimidiavit, nec minora tormenta pro Christo sustinuit, quam ipse christianis intulerat, non est præcipitatus in puteum interitus, imo et ante mortem raptus est usque ad tertium cœlum, tandemque morte victoriosa coronatus, quod concupierat, obtinuit. Vis scire, quid concupierit? « Cupio, » inquit, « dissolvi, et esse cum Christo (*Philipp.* I, 23). »

Unde autem huic viro sanguinum talis dimidiatio dierum suorum? Inde scilicet, quia licet fuerit vir sanguinum, tamen non fuit dolosus, qualiter fuit Judas mercator pessimus, qui per osculum adimplevit homicidium, et per pacem didicit facere bellum, sciens utique sanguinem justum esse, quem tradidit, sicut ipse postmodum sera et infructuosa pœnitentia ductus confitebatur dicens : « Peccavi tradens sanguinem justum (*Matth.* VII, 4). » Raro, vel potius nunquam sic dolosi veraciter convertuntur. *Non enim est illis commutatio*, peccantibus industrioso et doloso nimiumque obstinato malæ voluntatis arbitrio, non per ignorantiam sicut Saulus, sed per malitiam pertinacem sicut diabolus. Acquiescendum est ergo divino judicio, ut hujusmodi *viri sanguinum et dolosi* deducantur in puteum interitus, de quo puteo nullus ultra patebit illis exitus.

Et quidem in hac die sua, quæ ad pacem sibi, vel in his diebus suis, hoc est recognoscendum quod sui dies dicuntur malis ad pacem affectati, quia non divina constitutio, sed propria hominis maligni perversitas facit hos dies malos, et hanc malitiam diei, de qua dicitur : « Sufficit diei malitia sua (*Matth.* VI, 34). » Pereat hic dies, in qua nati sumus, dies illa vertatur in tenebras, et alius dies sanctificatus illucescet nobis. Jam superius dixi, quia *timor et tremor venit super me, et contexerunt me tenebræ*, quia, Deo gratias, dies mei proprii cœperunt mihi tenebrescere ac displicere. Quos etiam dimidiare curavi et curo, quia doleo de præteritis peccatis meis, et libenter caveo mihi a futuris a Deo Patre misericordiarum quærens misericordiam et indulgentiam, quam dolosi non sperant : quin potius desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ cæterisque facinoribus.

Ego autem sperabo in te, Domine. Illi per desperationem *deducentur in puteum interitus*. *Ego autem sperabo in te, Domine*, ut de puteo aquarum viventium et in vitam æternam salientium potatus et ego deducar in vitam æternam per aquam salientem in vitam æternam. Sicut enim ad fontem suum revertuntur omnia flumina, sic ista salutaris aqua saliens de vita æterna non cessat saliendo currere, donec eo redeat, unde venit. Ideo saliens de vita æterna in vitam æternam non revertetur illuc vacua. « Verbum meum, » ait Dominus, « quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, et prosperabitur in his ad quæ misi illud (*Isa.* LV, 11). » Ergo aqua saliens de vita æterna in vitam æternam, et verbum de ore Domini egrediens et eo rediens trahit secum sibi adhærentes animas fideles. Libet hic in gratiarum actione recordari cujusdam visionis aquam de vita æterna salientem repræsentantis. Frater quidam simplicis et innocentis vitæ diu castigatus in sancta conversatione, visus est videre sibi cœlum apertum. Et ecce globus igneus miræ magnitudinis auro candenti et liquescenti similis apparuit in cœlo, et in circuitu ejus multitudo sanctorum claritate admirabili fulgentium. Et subito quasi unum de paradisi fluminibus ex ipso globo in terram cœpit fluere tantæ puritatis, ut auro liquido videretur consimilis. Hoc est, ut arbitror, quod præ manibus habemus quia, juxta sanctuarium sancti Michaelis, ubi scribere, atque in psalmis meditando sedere solemus, descendere visus est idem fluvius. Et qui fluminis impetus lætificat civitatem Dei, fateor annuente Deo me aliquoties lætificatum per hujus fluminis impetum compellentem me ascribendum. Unde jam post magnum diuturnæ *intercapedinis* spatium, quo in urbe Roma commoratus, et in eundo ac redeundo multum fatigatus et aliis ecclesiasticis atque claustralibus occupationibus præceditus diu a scribendo vacavi, nunc apostolica *fretus* benedictione reversus, iterum resumo calamum divinam rogans clementiam, ut voluntaria oris mei beneplacita faciat sibi, eademque sic me concedat scribere, quatenus in eis aqua illa solummodo sapiat, quæ de vita æterna in vitam æternam sabens lectores benivolos eo, quo currit una secum per-

(130) Lib. v Mor., c. 39.

Digitized by Google

trahat, ne aliquis illorum cadat in puteum interitus, qui paratus est diabolo et angelis ejus, atque Anti-Christo et sequacibus ejus.

Gloria Patri Deo, ad quem dirigitur hujus psalmi oratio et deprecatio, cum dicitur : *Exaudi, Deus, orationem meam*, etc. *Gloria Filio*, qui ad Patrem pro nobis orans contristatus est in passione, dicens : « Tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth.* xxvi, 38). » *Gloria Spiritui sancto*, qui est illa columba, cujus pennas optat fidelis Psalmista, dicens : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ?* Gloria uni ac trino Deo, qui *non dabit in æternum fluctuationem justo*, sed subvenit illi potenter, sapienter et clementer. Ipsi laus et honor et victoria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LV.

Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo, etc. Psalmi hujus titulus est :

(Vers. 1.) IN FINEM PRO POPULO, QUI A SANCTIS LONGE FACTUS EST IN TITULI INSCRIPTIONE IPSI DAVID CUM TENUERUNT EUM ALLOPHYLI IN GETH.

Tituli hujus prima pars est de Evangelio sumpta, altera de Veteri Testamento, quod Pilatus crucifixo Domino titulum supra posuit, cui populus Judæorum, qui noluit habere regem Christum, contradixit, et ideo *a sanctis longe factus est; tituli* autem *inscriptio* non deleta, quia prophetatum erat in alio psalmo : *Ne corrumpas tituli inscriptionem.*

Legimus autem in primo libro Regum David, cum quæreretur a Saule, venisse ad Achis regem Geth, quæ erat civitas Allophylorum, sed eum ibi retentum esse non legimus. Ergo David melius intelligitur Christus integer, quem *Allophyli*, id est alienigenæ, *qui a sanctis longe facti sunt, tenuerunt in Geth*, quod dicitur *torcular*. Nam et olim ipsum Christum Judæi, et nunc corpus ejus cæteri mali, qui adhuc contradicunt titulo, tenent in torculari, id est in pressura, quæ infructuosa non est, cum ibi manat uva, quæ ante torcular integra sterilis est. Non autem incongrue dicitur Christus teneri in membris, in quibus ipse clamat : « Saule, Saule, quid me persequeris? » (*Act.* ix, 4.) Sed et corpus in capite suo dicit : « Conresuscitavit nos, et consedere in cœlestibus fecit (*Ephes.* ii, 6). » Nos ibi jam sedemus per spem, ille vero hic est nobiscum per charitatem; et hæc compago facit tanquam unius hominis duo in carne una, sponsum et sponsam.

Ergo *pro populo* salvando, vel *pro populo*, id est contra populum, *qui est longe a sanctis*, Ecclesia, dum Allophylis premitur, orat, et primo tangit tribulationes, in quibus per spem dicit se securam esse. Secundo latius eas enumerat ibi : *Tota die impugnans;* et interposita conversione inimicorum in hac quoque parte se per spem non timere concludit. Tertio de malis sæculi liberam dicit se laudem in futura beatitudine canturam ibi : *In me sunt, Deus, vota tua.* Exemplo vero patientiæ suæ simpliciores monet ad constantiam. Sunt autem tentationes utiles valde, quibus dum homo interrogatur, infirmitatem suam cogitur cognoscere, et de se deinceps non præsumens, dum tenetur in Geth, id est in torculari inter spem positus atque metum sui capitis exemplo admonetur clamare, dicens :

Vers. 2. *Miserere mei, Deus.* Iste namque clamor principaliter illius est, qui in tituli inscriptione *Rex Judæorum*, id est confitentium nominatus est, ac deinde, unusquisque illi confitentium calcatus in torculari pressurarum, exemplo sui capitis clamare habet id ipsum. Dicat ergo primo Christus : *Miserere mei, Deus* Pater, qui ex eo, quod homo sum propter homines factus, *Deus meus es.* Et quia non tantum homo, sed miser homo factus sum in Geth, id est in torculari passionis, tu *miserere mei, Deus* et Pater meus, *quoniam conculcavit me homo* servus meus, imo et amicus meus putatus discipulus meus Judas, falso apostolus et vere diabolus. Qui et ipse cum sit « inimicus homo (*Matth.* xiii, 28), » qui superseminavit zizanium in medio tritici, quod ego seminavi, dum inter seminandum *conculcavit* triticum meum, *conculcavit* et *me* in membris meis. Propterea, *Deus, miserere mei* et meorum, quoniam *conculcavit me* ac meos inimicus *homo* non solum in agro meo mala semina mittendo, sed etiam in torculari passionis me ac meos premendo. *Conculcavit* me quasi uvam positam in torculari per se invisibiliter, per homines visibiliter. Unde sicut uvæ calcatæ vinum exprimitur, sic mihi tribulato exprimitur pia oratio. Spina calcata pedem calcantis pungit, quia malus homo tribulatus in quantum libet et facultas est, pro malis mala retribuit. Non sic ego botrus Cypri, non sic discipuli mei, et ipsi botri adhærentes mihi veræ viti : non pungimus calcantem sicut spina, sed vinum sub pede calcantis emittimus, quia cum maledicimur, non remaledicimus : cum blasphemamur, obsecramus, et pro ipsis, qui nos calcant, oramus.

Orat etiam quisque meorum pro seipso mei exemplo, dicens : *Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo.* Talis oratio nonne vinum est optimum, quo interdum et ipse, qui calcat uvam, sic inebriatur, ut in uvam convertatur, et talia pro veritate, qualia intulit, patiatur, sicut Saulus per orationem Stephani factus Paulus. Igitur in hujusmodi torculari sonet semper oratio Christi per os Christiani : *Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo.* Miserere mei Christi, ut liberatum de tor-

Digitized by Google

culari exaltes in solio regni sempiterni, sicut Patrem meum David conculcatum diu a Saule tandem super solium regni sedere fecisti : *Miserere mei* Christiani, ut et me liberatum do torculari, in quo *conculcavit me homo*, facias illic esse, ubi est caput meum Christus, qui dixit : « Volo, ut ubi sum ego, illic sit et minister meus (*Joan.* XII, 26). »

Vultis audire, benevoli auditores, qualiter *conculcavit me homo?* Dico vobis, in eo scilicet, quod *totà die impugnans tribulavit me.* Non ei suffecit ad horam tribulare vel impugnare me, sed *tota die*, id est omni tempore. Semper enim omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patiuntur in hoc mundo, qui est magnum torcular, in quo alii calcantur, alii calcant. Soli tamen, qui propter justitiam calcantur, pro uvis reputantur. Et licet ego singulariter dixerim, *quoniam conculcavit me homo*, ut sciatis esse multos calcantes me, populumque hunc numerosum esse, *qui a sanctis longe factus* est, effectus videlicet sanctis *longe*, id est valde contrarius et dissimilis, pluraliter dico :

VERS. 3. *Conculcaverunt me inimici mei tota die*, non quia meruerim erga eos malum, sed quia ob hoc erant *inimici*, quod ego nolui cum ipsis elongari a sanctis. Et bene dico pluraliter : *conculcaverunt*, quoniam *multi bellantes adversum me* steterunt, et tota die me conculcare timuerunt. Ego autem.

VERS. 4. *Ab altitudine diei timebo.* Altus enim sol in cancro altos et longos dies facit, quorum altitudo et longitudo in fervore persecutionis timenda est, quia nisi breviati fuerint dies mali, non fiet salva omnis caro, quæ cum sit fragile figmentum, ferre non potest hanc longitudinem seu altitudinem dierum sine magno periculo.

Ego vero in te sperabo, Deus meus, quod tu abbrevies longitudinem pessimi hujus *diei*, cujus *ab altitudine timebo*, donec humiliatum illum videbo. Humiliabitur enim quandoque altitudo diei hujus, ut se amplius aut nolit aut non possit elevare : nolit in his, qui a malitia diei hujus convertuntur, quibusque sufficit malitia præterita, imo videtur nimia, et ob hoc eam sequetur pœnitentia et melioris diei lux perpetua : non possit vero in illis, quos cum permaneant mali, superna tamen divini regiminis ordinatio non sinit, quantum vel quandiu volunt, exaltari. Hoc *ego sperabo* certator medius inter metum positus et spem, spe tamen prævalente ac metum pellente in hoc acerrimo certamine, quo spiritus promptus est, caro autem infirma, et tamen hæc sibi invicem adversantur pugna fortissima, in qua diei mali altitudo seu longitudo est periculosa. *Ego vero*, qui non in virtute humana, id est divina confido, *in te*, Deum adjutorem *sperabo*, et ideo neque carni neque homini malo cedam in hoc bello, in quo victoriam de divina virtute spero.

Aliter : *Altitudo*, id est hujus mundi superbia timida non potest esse diuturna, sed vix est unius diei spatio commensuranda, quia brevis est et momentanea sicut feni pulchritudo, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur. Nunquid ego *timebo ab altitudine diei?* Nunquid unius diei persecutio plus timenda est æterno gehennæ incendio? *Dico*, non ita est hæc altitudo, et ideo spernenda. Timeant hujusmodi supplicia brevissima, qui non credunt æterna bonis et malis præmia reposita, quibusque de adjutorio divino fides est ambigua : *Ego vero in te sperabo*, quem et in præsenti prælio adjutorem, et finito bello adepta victoria remuneratorem credo.

Aliter : *Ab altitudine diei*, id est a potestate, quæ desuper datur impugnantibus me, *timebo*, quia supernæ ordinationi, a qua est omnis potestas, resistere non debeo. Ideo ego Christus ante præsidem Romani imperii cum magna disciplina stans in judicio, hanc altitudinem, qua ille super me dominabatur, non homini, sed tibi, Deus, attribui dicens : « Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi esset datum desuper (*Joan.* XIX, 11). » Similiter ego humilis Christianus ideo subjicior omni humanæ creaturæ propter Deum, quoniam altitudo potestatis humanæ pendet ex divina ordinatione. Et quidem *ab altitudine diei timebo* timore ordinato, ut, in quibus debeo, illi subjaceam, et hanc multi nimis timent, quia in quibus non debent, subjacent. *Ego vero in te sperabo* sciens, quod hac altitudine diei tu altior es, et eam reprimere poteris cum volueris.

Aliter : Dies Christus est, cujus horæ duodecim apostoli sicut ipse ait : « Nonne duodecim sunt horæ diei (*Joan*, XI, 9). » Hujus diei altitudinem attingere non potuit populus longe a sanctis factus in tituli inscriptione. Displicuit enim illi inscriptor tituli continens altitudinem hujus diei. Nam quod scribitur « Jesus Nazarenus Rex Judæorum (*ibid.* XIX, 19), » Deus altissimus recte intelligitur per id quod proprie Jesus, id est Salvator, nominatur hac de causa, quam angelus exponens : « Ipse, » inquit, « salvum faciet populum suum a peccatis eorum (*Matth.* I, 21). » Et nomen quidem istud æquivocum est ad multos, qui non proprie, sed nuncupative *salvatores* nominati sunt. Iste autem solus, qui salvum fecit populum suum a peccatis eorum, recte ac proprie habet hanc tituli inscriptionem : « Jesus Nazarenus Rex Judæorum. » Est enim proprie et adoptive Deus auctor salutis hujus populi, qui non recedit a sanctis, vel etiamsi longe est a sanctis, iterum appropinquare studuerit sanctis. Nam qui nolunt appropinquare sanctis, ut fiant sub Jesu salvatore salvi, sub Nazareno sancto sancti, sub Rege Judæorum confitentium confessores beati, ipsi altitudinem hujus diei non videbunt, quia tenebræ, quæ moriente ipso in cruce factæ sunt, obcæcaverunt oculos eorum, ut non valeant intelligere illius altam nam celsitudinem, cujus humanam cernunt in eo passionem et mortem. Unde nec timent eum, nec sperant in eum nunc in præsenti, sed postea videbunt, in quem transfixerunt (*Joan.* XIX, 37).

Digitized by Google

Videbunt illius tunc altitudinem, cujus nunc irrident humilitatem, et tunc timebunt ablata illis tunc omni spe salutis.

Etiam ego, quem populus iste a sanctis longe factus modo conculcat quasi uvam in torculari, « ab altitudine diei timebo: » quia « horrendum est incidere in manus Dei (*Hebr.* x, 31), » et hujus diei altissimi suo splendore omnia penetrantis, et suo calore omnia tangentis; « nec » enim « est, qui se abscondat a calore ejus (*Psal.* xviii, 7), » quoniam « ignis ante ipsum præcedet et inflammabit in circuitu inimicos ejus (*Psal.* xcvi, 3), » in quibus non erit ulla spes misericordiæ ipsius. *Ego vero in te sperabo*, Jesu Nazarene rex Judæorum, quia sum de numero confidentium, et hac spe transeunte in rem carebo ex tunc omni timore, non sicut stupidus, qui nihil sentit per nimiam ægritudinem (quia magnitudo stuporis excludit sensum doloris et timoris, quo statu melius habet æger dolens in ægritudine), sed sicut omnino impassibilis et incorruptibilis post resurrectionem et judicium, carebo dolore pariter ac timore: quod non in mea virtute, sed *in te sperabo*, cujus inscriptionem tituli verissimam et incorruptibilem recognosco corde credens ad justitiam et ore confitens ad salutem, quod Jesus Nazarenus Rex Judæorum « salvum faciet populum suum (*Matth.* i, 21), » non illum quem novissima dies invenit longe a sanctis, sed illum, qui appropinquat sanctis, quibus lux perpetua lucebit altissimæ hujus diei, Christi videlicet, cujus non solum Divinitas ultra omnem creaturam est alta, sed humanitas quoque in ipsius divinitatis celsitudinem exaltata. Hujus fidei sanam doctrinam non solum apud me in secreto latenter observo, sed etiam quia regem Judæorum colo, confessione manifesti sermonis annuntio. Et si vituperatur hic sermo a populo illo, qui a sanctis longe factus est, ab his videlicet qui tota die verba mea exsecrabantur, ideo quod adversum me omnes cogitationes eorum in malum : ego econtra sanctorum consono adjutus testimonio, non longe a sanctis recedo in sermone meo, imo idipsum, quod sancti prædicaverunt, prædico. Unde

Vers. 5. *In Deo laudabo sermonem.* Si loquerer excogitatum per me mendacium, loquerer ex propriis, ut Veritas de patre mendacii testatur dicens : « Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est et pater ejus (*Joan.* viii, 44). » Hoc ipsum convenit hæresiarchis, qui ab alio doctore non acceperunt mendacia quæ docuerunt, sed ipsi de corde mendaci mendacia sua pepererunt. Ego autem, quia non alia doceo, nisi quæ a veritate in veritate per doctores orthodoxos accepta teneo, recte *in Deo*, id est in veritate *laudabo sermonem*, veritate subnixum, veritatis undique testimoniis communitum. Quod si nunc ipsum quantumlibet verum sermonem, quasi non acceperim, vane gloriando arrogo mihi, non *in Deo*, id est in veritate, sed in mendacio glorior, quia nihil boni habeo, quod non acceperim. Accepi autem, Deo gratias, verum sermonem a Domino, id est a veritate, atque ideo recte *in Domino*, in veritate scilicet, *laudabo sermonem* Domini, quoniam a Domino datus est, et *meum*, quia mihi datus est. *In Deo itaque laudabo sermones meos* tanquam rivos de ipso Deo veritatis fonte manantes per multa canalia mundissima, sanctorum videlicet corda et ora usque ad me, qui etiam sum qualecunque veritatis vas, in quantum sermones ipsius veritatis excipio, et canale, in quantum eos ad alios loquendo seu scribendo transfundo. *In Deo* itaque, id est in veritate *laudabo sermones* veros, in hoc *meos*, quod recognosco mihi datos.

Vel in hoc *laudabo*, id est laudabiles faciam *sermones meos*, quod opere impleo, quæ verbis doceo juxta illud : « Cœpit Jesus facere, et docere (*Act.* i, 1). » Quia enim « qui fecerit et docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum (*Matth.* v, 19). » Ego faciens, quæ doceo, *sermones meos laudabo*, id est, laudabiles facio.

Et quia dantur sermones boni aliquando ad malum non bene utenti, *ego*, quod melius est, *in Deo speravi*, ut videlicet sint mihi Deo favente sermones mei ad utilitatem, secundum quod unicuique fidelium datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Licet ergo ab altitudine diei timeam, sciens quod, qui judicat me, Dominus est, unde nec meipsum judico, tamen quia nullius doli vel mendacii in sermonibus meis mihi conscius sum, *non timebo quid faciat mihi caro*, id est carnalis populus, longe a sanctis factus, qui etsi calcat me quasi uvam in torculari, vel quasi fructus olivæ, non deperit vel doctrinæ vinum vel orationis oleum sic mihi expressum; cogunt enim calcatores isti aliquoties me loqui, et orare plus quam facerem, si pacem haberem.

Calcant nihilominus illi non tam pedibus quam linguis, quia

Vers. 6. *Tota die verba mea exsecrabantur*, non quia veritati sint contraria, sed quia illis inveniuntur adversantia. Unde et illi sunt *adversum me*, præcipue in hoc delectati, si aliquid agere vel dicere possint, quod sit *adversum me*. Quando autem nec agere, nec dicere possunt contra me, *omnes cogitationes eorum in malum* sunt, ut mala, quæ facere mihi non prævalent, saltem nequiter cogitent. Mira nequitia, ubi sic *omnes cogitationes in malum* tendunt, ut ne saltem una cogitatio fiat in bonum : inter quæ omnia licet manibus homicidalibus non tangant personam meam, tamen detractionis dente sic lacerant, et in quantum valent, apud suos auditores viam meam tam crudeliter annihilant, ut parum vel nihil differant ab homicidis, imo revera sint homicidæ odientes me, quoniam « qui odit fratrem suum, homicida est (*I Joan.* iii, 15). » Hoc aperti faciunt, quia tam longe facti sunt a sanctis, ut sine verecundia manifeste insaniant. Quidam vero ex eodem populo, qui a sanctis longe factus est, cum dolo societatem nostram ingressi.

Vers. 7. *Inhabitabunt et abscondent : ipsi calca-*

Digitized by Google

neum meum observabunt. Alia translatio habet : *Incolent et abscondent.* Incolæ dicuntur, qui habitant in patria non sua. Ex quo colligitur, quod isti ficti amici sic ad tempus commanent nobis, ut tamen non sint ex nobis : unde et a nobis tandem exibunt. Sed tamen aliquandiu *inhabitabunt et abscondent* in corde suo dolum conceptum, quoadusque tempus inveniant loquendi, vel agendi, quod malitiose cogitant. Sic Judas, cum esset diabolus, cum apostolis mansit a Christo electus, qui eum noverat et socia-verat apostolis, non ad fructum vel opus bonum, sicut cæteros apostolos, quibus dicit : « Ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis et fructus vester maneat (*Joan.* xv, 16), » sed ad exemplum pernecessarium, ut tu, qui nescis quos caveas admittere societati vel commanentiæ tuæ, patienter ipsius exemplo sufferas ita dolosos fratres, donec aut intus convertantur, aut foras cum Juda exeant, suo exitu nulli nocituri qui in populo sancto permanet, et populum, qui a sanctis longe factus est, imitari cavet.

Interim tamen, dum intus sunt hujusmodi pseudofratres, *ipsi calcaneum meum observabunt*, ut si non in principio vel medio, saltem in fine cujuscunque actionis meæ tale quid inveniant, quod reprehendant vel male actum vel male dictum. Propter quod non solum facta observant, sed verborum aucupes et syllabarum pene dinumeratores, etiam sermones vel scripta mea trutinant, non ad aliud, nisi ut reprehendant, et nomen meum faciant aliis odiosum et onerosum, ita ut me pauci diligant, vix aliqui sustineant, *sicut sustinuerunt animam meam*, id est vitam meam falsi fratres isti, quibus gravis eram etiam ad videndum. Cum dico, quod *animam meam sustinuerunt*, satis indico, quod eam non dilexerunt, sed quasi grave pondus vix portaverunt. Ad hoc igitur calcaneum meum observabunt, ut me aliis facerent, odiosum et onerosum, sicut et ipsi *sustinuerunt animam meam* sibi onerosam, quandiu graviter sustinuerunt, non dilexerunt. Vel ita *calcaneum meum observabunt* latenter insidiando, *sicut sustinuerunt animam meam* tanquam grave pondus, amorem tamen erga me simulando falsi fratres et veri latrones.

Hic distinguenda est littera tanquam finita querela contra populum, qui a sanctis longe est. Nam quæ sequuntur pro eodem populo, sensum potius orationis quam conquestionis exprimunt. Quia enim in populo non sancto multi per ignorantiam peccant, ut Saulus, recte in populo sancto multi pro talibus orant, et exaudiuntur ut Stephanus, quorum vox est :

Vers. 8. *Pro nihilo salvos facies illos.* O Jesu Nazarene rex Judæorum, cui soli proprie convenit hæc inscriptio tituli secundum nomen tuum, quo Jesus, id est Salvator diceris. Tu *salvos facies illos*, qui in populo, in ejusdem tituli inscriptione a sanctis longe facto, peccant per ignorantiam, secundum quod tu in cruce sub eodem titulo postulasti, A dicens : « Pater, ignosce illis, nesciunt enim quid faciunt (*Luc.* xxiii, 34). » Similiter et protomartyr Stephanus oravit dicens : « Domine Jesu, ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quod faciunt (*Act.* vii, 59). » Hujusmodi ergo peccatores tu, Domine Jesu, *salvos facies ;* quod ego David ab eodem conculcatus prophetans oro, et orans propheto, dicens : *Pro nihilo salvos facies illos.* Operaris enim opus tui nominis, qui salvator nominaris in tituli inscriptione, salvando multos ignoranter peccantes in populo, qui a sanctis longe est, et hanc salutem *pro nihilo*, id est absque præcedenti merito in eis operaris, quos aliquandiu te in teipso vel in tuis membris conculcantes pateris. Vel *pro nihilo*, id est facile tibi est eos salvare, quia nihilo omnino laborans in tali opere. Laborasti quidem sustinendo eos, ut ipse in propheta fateris dicens : « Laboravi sustinens (*Isa.* i, 14), » attamen in salvando illos non laboras, quia solo verbo vel tacito voluntatis tuæ operaris opus virtutis et salutis.

Aliter : *Pro nihilo salvos facies illos*, non quæ eas ab eis mercedem tibi necessariam, sed hoc tantum, ut bene sit eis. Unde in lege dicit Moyses : « Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas eum, et bene sit tibi omni tempore ? » (*Deut.* x, 12.)

Alia translatio habet : *Sicut sustinuit anima mea, pro nihilo salva illos.* Quod est dicere : Sicut illos foris latrones intus insidiatores anima mea patienter sustinuit, sic et tu patienter sustine, *ac salva illos ;* et hoc *pro nihilo*, id est gravis vel facile.

Hebraica veritas : *Tota die sermonibus me affligebant, contra omnes cogitationes eorum in malum. Congregabantur abscondite, plantas meas observabant exspectantes animam meam, quia nullus salvus est in eis. In furore populos detrahet Deus.* Hoc est dicere : quia *tota die sermonibus me affligebant*, quia omnes *cogitationes eorum in malum*, quia *nullus salvus est in eis*, dum omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, justo judicio *in furore populos*, a sanctis longe factos *detrahet Deus* aut in humilitatis valles, ut salventur, aut in perditionis profundum, qua crucientur. « Voluntarie enim peccantibus jam non relinquitur pro peccatis hostia, sed ignis zemulus, quæ consumptura est adversarios (*Hebr.* x, 26, 27), » ait Apostolus. Adversarios vocat non per ignorantiam seu fragilitatem peccantes, sed in ipsis peccati amore vel defensione pertinaciter veritati se arguenti resistentes et acquiescere nolentes. Quod nimirum teste Samuele, ac beato Gregorio exponente scelus est idololatriæ. Aliud est non acquiescere, quod interdum fit per ignorantiam seu fragilitatem ; aliud nolle acquiescere, quod non fit nisi per obstinati cordis malignitatem. Ideo *pro nihilo salvos facies illos*, quia pro nullo sacrificio convertes eos, utpote inconvertibiles. Nec enim est illis commutatio sicut in præcedenti psalmo dictum est. *Pro nihilo* ergo *salvos facies illos*, quos cognoscis taliter obstinatos. Vel *salvos facies illos* tempo-

Digitized by Google

rali salute corporaliter, et hoc *pro nihilo*, quia nulla condigna gratiarum actione aut servitute respondent beneficio tuo tam magno, ut interdum bysso et purpura ornati et splendide convivati ac saturati spernant egenos et pauperes Lazaro consimiles. Ideo cum satis fuerint exspectati, et noluerunt humiliari sub potenti manu tua, *confringes eos* tandem, sicut ille dives confractus est, qui sepultus est in infernum, postquam receperat bona in vita sua.

Aliter. Cum dico : *Ipsi calcaneum meum observabunt*, non loquor incognita vel inexperta, sed *sicut sustinuit anima mea* periculis talium falsorum fratrum sæpe gravata, quos videlicet vel conversos gratis *pro nihilo salvos facies*, vel obstinatos *in ira confringes*, quoniam *in ira populos* longe a sanctis factos *confringes*.

Aliter : *Sicut sustinuerunt animam meam*, gratis videlicet ac pro nihilo me odientes, et vitam meam onerosam graviter ferentes : ita et tu gratis ac *pro nihilo salvos facies illos*, ut ubi abundavit peccatum, superabundet gratia tua. Et tamen quamtumlibet sit magna gratia tua, non ideo cares justa ira *in* qua *ira populos confringes*, per aliqua scilicet flagella domando sicut alibi dicitur : « In camo et freno maxillas eorum confringe (*Psal.* XXXI, 9). » Sicut enim dextera tua non semel confregit inimicum, et confregit in die iræ suæ reges, ita etiam adhuc *populos in ira confringes*, alios medicinaliter, alios pœnaliter.

Pro eo, quod nos habemus *confringes*, alia translatio habet *deduces*, quod idem est : quia quos tu Deus *confringes* a superbia sua, hos jam humiles factos *deduces* ad te. Hoc duobus modis facis *in ira* tua, vel iram tuam per flagella inferendo, ut saltem vexatio intellectum det auditui, vel iram ipsam solummodo præostendendo, ut prævisa caveatur, et sic peccator iram timens corrigatur. *Tunc convertentur inimici mei retrorsum.* *Tunc* videlicet, quando *populos in ira confringes*, ipsi confracti, et ex inimicis amici facti sequentur, qui præire vel contraire solebant, quando calcaneum meum observabant.

VERS. 9. Quod ut fieret, O *Deus, vitam meam annuntiavi tibi.* Tribus modis intelligitur *vita* hominis, vel naturæ, qua spirat homo, vel gratiæ, qua vivit Deo is, cui vivere Christus est et mori lucrum, vel vitii, qua vivit peccato is qui mortuus est Deo. Et ego verus David *vitam meam annuntiavi tibi*, et illam quæ est naturæ, et illam quæ est gratiæ. Dixi enim, o Deus Pater, quod a me ipso non veni, sed tu me misisti, hoc est, cum essem invisibilis, visibilem fecisti. Item dixi : « Sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit et filio vitam habere in semetipso (*Joan.* v, 26). » Sic *vitam* naturæ simulque gratiæ Deus Pater *annuntiavi tibi*, hoc est, ad honorem tui. *Vitam* peccati ego in meipso non habui, tamen pro peccatoribus oravi, et etiam lacrymatus sum : verbi gratia, in morte Lazari, in qua mortem peccatorum pessimam, id est, animæ significatam cognovi et deflevi. Item videns civitatem peccatricem flevi super illam, vel certe in monte Oliveti, ubi orans de corpore meo sanguineum sudorem recurrentem in terram emisi, lacrymas, quas in minoribus causis non continui, uberiores tunc profudi, ubi non pro uno mortuo suscitando, sed pro toto corpore totius Ecclesiæ sanctificando supplicavi. De his lacrymis in monte Oliveti fusis etsi tacent evangelistæ, non tacet Apostolus loquens ad Hebræos de hoc sacerdote magno, « qui, » inquit, « in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui posset illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia (*Hebr.* v, 7). » De his lacrymis nunc dicit hic verus Jacob, qui flevit et rogavit luctans fortissime in sua humanitate cum sua divina justitia, ut extorqueret benedictionem, potius nobis quam sibi necessariam. Quid ergo de his lacrymis in hoc psalmo dicitur ?

Posuisti, inquit, *lacrymas meas in conspectu tuo*, Deus Pater, ut in me vero Jacob, in me flente ac rogante, fletuque ipso ac precibus luctante, in me vero semine Abrahæ benedictionem dares ita plene, *Sicut et in promissione tua* continetur, ubi dicis Abrahæ : « In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ (*Gen.* XXII, 18). » Itaque cum sic benedictionis gratiam super omnes tribus terræ fuderis, et ex omni tribu aliquos elegeris, *tunc convertentur inimici mei retrorsum*, ut supra est expositum.

Aliter : Ego David peccator et pœnitens *vitam meam*, o Deus, *annuntiavi tibi*, gratias tibi agendo pro vita naturali, quod videlicet anima mea naturaliter vivit et corpus vivificandi habet potestatem sibi a te summa vita donatam. Per amplius autem, et perfectius *annuntiavi tibi*, hoc est, ad honorem tui *vitam meam* spiritalem, qua mihi vivere Christus est et mori lucrum. Non enim possem vivere in hac spiritali vita, nisi mihi mundus crucifixus esset ac mortuus, et ego mundo, nisi per tituli tui inscriptionem signatus essem, nisi a populo, qui a sanctis longe factus est, ego longe factus in populo sancto tibi concultatus, id est, una tecum in uno torculari calcatus essem. Præterea *vitam quoque meam* veterem, qua peccatis inveteravi inter omnes inimicos meos, confitendo *annuntiavi tibi* omnia scienti, et tamen hoc volenti, ut tibi annuntiet malam vitam suam, qui a te desiderat habere bonam. Sicut Paulus apostolus, qui, inquit, « fui blasphemus et persecutor, sed misericordiam consecutus sum (*I Tim.* I, 13). » Brevi hac enuntiatione vitam veterem, et novam tibi Deus annuntiavit, non solum ut se tali confessione amplius purificaret, sed ut aliquos quoque sui exemplo ad idem provocaret. Hujus igitur exemplo ego pœnitens *vitam meam* veterem simul et novam *annuntiavi tibi*, Deus, in altero habens irriguum inferius plorans coram te, Domine, in confessione peccatorum, in altero habens irriguum superius plorans pro æternorum bonorum longa dilatione. Sic mihi flenti « factæ sunt lacrymæ meæ panes die ac nocte (*Psal.* XLI, 4), » die, quantum ad irriguum superius, nocte, quantum ad

Digitized by Google

irriguum inferius. Et quia (ut supra conquestus sum) *conculcavit me homo* quasi uvam in torculari, talis conculcatio interdum quasi vinum lacrymas mihi expressit, et cum pane doloris pro vino bibendas exhibuit. Unde « et potum meum cum fletu temperavi (*Psal.* ci, 10) » assidue, non cessante populo, qui a sanctis longe factus est, a mei conculcatione.

Tu ergo, qui omnia vides, *posuisti lacrymas meas in conspectu tuo*, qui non despexisti, sed benigne respexisti, non solum quia flevi, sed ut flerem et flere possem, simulque ipsum flere dulce haberem. Si ego Petrus in tituli inscriptione a populo nor sancto conculcatus, et usque ad abnegationem trinam sub pedibus calcantium prostratus flere non potui, donec tu Jesu Nazarene Rex Judæorum, sic me respexisti, ut lacrymas dares, quas pro satisfactione peccatorum meorum susciperes. Has utique *lacrymas posuisti in conspectu tuo*, quoniam erant de respectu tuo. Similiter ego qualiscunque pœnitens pro peccatis meis compunctus aliquoties habui *lacrymas* purificatorias nonnisi de respectu tuo, quas et tu *posuisti in conspectu tuo*. Non enim despicis lacrymas, quas tu donas, quæ quoniam de te fonte vitæ manant, vitam sine dubio apportant. *Sicut et in promissione tua* continetur, qua non dico flenti, sed quod minus est, gementi peccatori salus et vita promittitur. Dicis enim : « Quacunque hora peccator conversus ingemuerit, salvus erit. » Et quia remissio peccatorum a quolibet recte pœnitente corde creditur ad justitiam, ore autem confessio peccatorum fit ad salutem, sine dubio per veram concessionem salus obtinetur, *Sicut et in promissione tua* scriptum est: verbi gratia, ubi dicis : « Qui abscondit scelera sua, non dirigetur ; qui autem confessus fuerit et dereliquerit ea misericordiam consequetur (*Prov.* xxviii, 13). » Item in Evangelio dicis : « Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo (*Matth.* x, 32). » Qui enim cum sit peccator, se peccatorem confitetur, veritatem sine dubio confitetur. In quantum ergo veritatem confitetur, te qui veritas es, confitetur, atque ideo si odit peccata quæ confitetur et diligit te Veritatem, qua illustrante agnoscit quæ confitetur, hanc beatissimæ confessionis tuæ vicissitudinem promeretur, ut et tu illum confitearis coram Patre tuo et sanctis angelis, maxime si non erubescit confiteri et emendare coram hominibus mala quæ fecit coram hominibus. Nam secreta peccata licet mortalia, secreta quoque satisfactione purgari posse non negamus, dummodo condignus pœnitentiæ fructus consequatur, in quantum fragilitas humana permittit. « Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ (*Rom.* vi, 19), » ait Apostolus. Vis audire illud humanum, quod nec propter ullam carnis infirmitatem ulli pœnitenti est relaxandum ? « Sicut, » inquit, « exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem (*ibid.*). » Nonne hoc satis est humanum, et humanæ condescensionis atque compassionis plenum, et tu, qui, cum Zachæo ad perfectam justificationem consequendam reddere debuisti quadruplum, quod fraudasti peccando in proximum vel in ipsum Deum, solummodo exigaris reddere simplum, non minori videlicet studio exhibens membra tua servire justitiæ in sanctificationem quam prius eadem exhibuisti servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem ?

Porro si remanere volueris per tuam desidiam infra hoc humanum necessariæ satisfactionis pensum, statera justitiæ ac misericordiæ trutinatum, *in* nulla Dei *promissione*, potes tibi salutem sperare. Unde si desunt tibi vires tantum laborandi in servitio Dei, quantum laborasti in servitio diaboli, confuge ad lacrymas, quibus debitas tibi pœnarum flammas exstinguere valeas. Et tu Jesu Nazarene Rex Judæorum, id est, confitentium tibi, humiliter confitenti, et dulce habenti nunc flere, dabis in futuro sæculo ridere, *sicut in promissione tua* scriptum est, ubi dicis : « Beati qui nunc fletis, quia ridebitis (*Luc.* vi, 21). »

Vers. 10. *Tunc convertentur inimici mei retrorsum, sicut et in promissione tua* scriptum est, ubi dicitur : « Cum placuerint Domino viæ hominis, etiam inimicos ejus convertet ad pacem (*Prov.* xvi, 7). » Etiam tali modo *convertentur inimici mei retrorsum*, tunc videlicet, quando constiterit te posuisse *lacrymas meas in conspectu tuo*, ut tam dæmones quam perversi homines conculcantes me dicant cum Ægyptiis : « Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos (*Exod.* xiv, 25). » Tantæ namque virtutis est unda lacrymarum salubrium, ut quasi Rubrum mare valeat eos præfocare vel involvere, qui nos cum invisibili Pharaone seu visibiliter seu invisibiliter persequuntur, si modo ipsæ lacrymæ in conspectu tuo, Deus, ponuntur, nec despiciuntur. *Tunc* ergo cum dederis beatas hujusmodi lacrymas, *convertentur inimici mei retrorsum, sicut et in promissione tua* fuit præfiguratum. Nam beneficiorum antiquorum præcessio novorum et futurorum præparatio et promissio cognoscitur, dum hæc omnia in figura contingebant antiqua, quæ scripta sunt ad correctionem nostram, in quos fines scelerum devenerunt. Sicut ergo tunc in præfiguratione ac promissione futurorum bonorum conversi sunt inimici populi Dei retrorsum, quando per aquas Rubri maris præpediti sunt persequi eumdem populum : ita ex quo tu Deus *posuisti lacrymas meas in conspectu tuo*, per earumdem lacrymarum salubres aquas, passionis Dominicæ memoria et fide rubricatas, *convertuntur inimici mei retrorsum. Convertuntur* dico, vel conversione salutifera, ut nolint me persequi, vel certe judiciaria, ut judicio divino conclusi non valeant, etsi velint, nocere me orantem et exorantem assidue tam pro illorum, quam pro mea conversione, verbi gratia,

Digitized by Google

dum frequenter dico : « Converte nos, Deus salutaris noster, et averte iram tuam a nobis (*Psal.* XXXIV, 5). » Item : « Domine Deus virtutum, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus (*Psal.* LXXIX, 8). » Item cum Jeremia dico : « Converte nos, Domine, ad te, et convertemur, innova dies nostros sicut a principio (*Thren.* v, 21). »

Hujusmodi precibus : *In quacunque die*, pueritia, sive in media ætate, sive in fine vitæ *invocavero te*, nihil aliud quærens nisi te, nisi tibi soli placere. Nam si aliud quærerem, non te, sed illud invocarem. Quoties ergo *te invocavero, ecce cognovi quoniam Deus meus es.* Non dico tantum : *quoniam Deus*, sed addo : *quoniam meus es.* Nam etsi omnium Deus generaliter, *meus* tamen es proprie ac specialiter, cui subvenis, quem colo, quem amo, quemque solum invoco, *in quacunque die* vota vel preces offero, in quibus ita evidenter exaudiri me a te vel per fidem vel per experientiam cognosco, ut possim in gratiarum actione dicere : *Ecce cognovi, quoniam Deus meus es*, quod utique pro magnis divitiis computans alias dico : « Pars mea Dominus (*Thren.* III, 24). » Et tu, Domine, hoc dictum veraciter approbans dicis : « Ego Dominus ero hæreditas eorum (*Ezech.* XLIV, 28); » quorum, nisi illorum, qui non longe a sanctis manendo et ipsi hæreditas Domini sunt ? *Filiis*, inquit, *Levi non dabis hæreditatem ; ego Dominus ero hæreditas eorum.* Isti sunt, qui non longe a sanctis excubant, imo inter vestibulum et altare commorantes et plorantes juxta et inter sancta, et Sancta sanctorum tales fundunt lacrymas, de quibus recte dicat tibi Deus quilibet illorum : *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.* Beatum dixerunt aliqui populum illum longe a sanctis factum, cui hæc sunt prodivitiis, quæ Deus creavit, verbi gratia : promptuaria plena eructantia ex hoc in illud ; oves fetosæ, boves crassi, cæteraque talia. Sed ego David, ego Psalmista dico, quod beatus est iste populus non longe a sanctis factus, imo per obedientiæ vincula intra et juxta Sancta sanctorum sic religatus, ut ei non vacet a sanctis longe recedere ac misceri populo non sancto sicut illi, qui « commisti sunt inter gentes et didicerunt opera eorum (*Psal.* CV, 35). » Nemo ergo militans Deo intra Sancta sanctorum, implicet se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit, cui se probabiliter intra Sancta sanctorum dedicavit ministraturum, accepturus pro ministerio suo grande præmium, scilicet ipsum Deum, ita ut vere dicere possit : *Ecce cognovi quoniam Deus meus es.* Vera est ergo illa sententia, qua dicitur : « Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus (*Psal.* CLXIII, 15), » quoniam promptuaria quantumlibet plena, quandoque deficient, et oves quantumlibet fetosæ, bovesque crassi quandoque interibunt : sed Dominus Deus populi sui hæreditas factus nunquam deficiet, qui *in quacunque die* invocabitur, pium et exaudibilem se suis ostendet.

VERS. 11. *In* hoc *Deo laudabo verbum, in* hoc *Domino laudabo sermonem*, ut supra est expositum.

Vel : *In Deo* Patre *laudabo verbum*, id est Filium. Nam quidquid de Deo Patre secundum substantiam dicitur, verbi gratia, omnipotens, æternus, immensus, etc., in hunc modum etiam de Verbo seu Filio ejus prædicatur, ita ut ipse una cum Patre, cui consubstantialis est, unus omnipotens, unus æternus, unus immensus non dubitetur esse Deus verus et una cum Patre totius creaturæ gubernator et Dominus. *In* hoc *Domino*, in hoc Verbo, quod caro factum visibile simul et audibile fieri voluit, *laudabo sermonem*, id est conversationem, qua « cœpit facere et docere usque in diem, qua præcipiens per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est (*Act.* I, 1, 2), » qui etiam Spiritus in linguis apparens, et eumdem sermonem prius obscurum clarificans non dubitatur esse Deus omnipotens æque ut Pater et Verbum ejus, quia « hi tres unum sunt (*I Joan.* V, 7). »

Aliter : *In Deo* Patre *laudabo verbum*, quod in principio erat apud ipsum, sibi soli notum : *et in Domino*, id est in Spiritu sancto, *laudabo sermonem*, videlicet ejusdem Verbi manifestationem per assumptam carnem de Spiritu sancto conceptam et natam, septemque digitis ejus pulchre formatam, ac septem columnis, quæ septem dona ipsius sancti Spiritus intelliguntur, ita subnixam, ut recte *in Domino*, id est in Spiritu sancto *laudetur* hujus domus fabricatio, « in quo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter (*Coloss.* II, 9), » et hic *sermo* Incarnationis ab æterno Verbo non discrepans, imo idem Verbum carnem factum quasi panem solidum in lac versum parvulis administrans. Etenim sicut verbum vel consilium cordis humani ante sermonem oris est occultum, quod sermone ipso sit manifestum ; sic æternum Dei Patris Verbum vel consilium penes ipsum fuit secretum, donec, sicut Apostolus ait, « manifestatum est in carne, prædicatum est mundo, assumptum est in gloria (*I Tim.* III, 16). » Ex tunc vero Spiritu sancto in linguis igneis per apostolos aliosque doctores agente verbum prius obscurum claruit in sermone manifesto, quod ipse futurum prænuntiavit, qui de se Verbo ac Spiritu sancto loquens dixit : « Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis (*Joan.* XVI, 14). » Recte itaque *in Deo laudabo verbum*, quoniam Deus Pater Verbum bonum et laudabile de corde suo eructavit, *et in Domino laudabo sermonem*, quoniam idem Verbum sacramento incarnationis in sermonem versum Spiritus ille clarificavit, qui ejusdem sacratissimæ incarnationis operator et manifestator exstitit.

Sive autem *verbum* in Deo, sive *sermonem in Domino* laudari audias, non aliud, nisi unum eumdemque Dei Filium intelligas, qui et in sinu Patris erat Verbum ante sæcula, et in utero matris

Digitized by Google

homo factus in fine sæculorum, cum esset verbum cordis, factus est sermo oris; cum Deus esset invisibilis, factus est homo visibilis, non desinens esse quod erat, sed incipiens esse quod non erat, homo scilicet, conferens et homini esse, quod non erat, Deus scilicet. Nulla est hic intelligenda vel commistio, vel divisio, quia sicut *sermonem* sapientiæ non potes dividere a *Verbo* sapientiæ, sic hominem a Deo assumptum non potes dividere ab assumente vero intellectu, quo intelligas hominem nondum esse Dei Filium, neque Verbum Dei potes vere intelligere non hominem, ex quo nasci caro factum dignatum est ex homine. Rursum hæc duo : significatum videlicet Dei et hominis non ita commista sunt in quoddam tertium, quod nec Deus, nec homo sit intelligendum, sicut ex farina et aqua fit quoddam tertium, quod nec aqua nec farina est nominandum. Deus ergo, ut canimus, homo factus est *non commistionem passus, neque divisionem*, quoniam duæ naturæ, Divinitatis scilicet et humanitatis ita convenerunt in unam personam, ut salva utriusque naturali et substantiali differentia, Deus Homo et Homo Deus proprie dicatur tanquam si verbum enuntiatum dicas esse *sermonem* et sermonem *verbi* enuntiatorium dicas esse *verbum*. Unde et in prophetis pro eodem accipitur, ut et verbum *sermo* et sermo *verbum* esse intelligatur, verbi gratia, cum dicitur : Factum est *Verbum Domini*, sive factus est *sermo Domini* ad illum vel illum prophetam. Et si eos, ad quos *Verbum* Domini factum vel *sermo* Dei factus est, ex communicatione *Verbi* sive *sermonis* Domini, dixit deos, ita loquens ad eos ipse Deus : « Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes (*Psal.* LXXXI, 6) ; » quanto magis homo, qui *Verbum* Dei sive *sermo* Dei factus est, vere nominatur Deus, non adoptivus ut illi, ad quos *sermo* Dei factus est, sed naturalis utpote, qui ex Deo natus est, et *Verbum* Dei sive *sermo* Dei factus est.

Multi hæreticorum detraxerunt huic Deo, huic *Verbo*, huic *sermoni*, ut Arius asserens Filium Patre minorem, et Nestorius a Deo dividens hominem tanquam *a verbo sermonem*. Et adhuc populus longe a sanctis factus, totus irreligiosus, in suis disputationibus detrahit homini assumpto in Deum, negans illum proprie nominari Deum, sed quasi Dei habitaculum, improprie Dei nomine honoratum dicit illum, sicut alius quilibet sanctorum, in quo Deus habitat, nomini *Dei* utcunque communicat, verbi gratia, cum dicitur : « Ego dixi, dii estis. » Et ad Moysen Deus dicit : « Ecce, constitui te deum Pharaonis (*Exod.* VII, 1). » Inter hujusmodi homines deos adoptivos hominem Deum computant, qui est super omnia Deus benedictus, Deus non a Deo adoptatus, sed Deo in Deum natus. Sic *populus longe a sanctis factus* imminuit laudes Dei incarnati, et divina *tituli inscriptione* per nomen, quod est Jesus, honorati. Ego autem cum populo sancto in Deo *laudabo Verbum*, *in Domino laudabo sermonem*. *Laudabo* Dei humanitatem et hominis divinitatem. *Laudabo* Deum hominem Dei et hominum mediatorem. Vis contra *populum longe a sanctis factum* sanctum illum audire, quem constat intra Sancta sanctorum divinitus instructum sanctum dico Augustinum, malleum hæreticorum, longe factorum a sanctis? Audi, quid dicat, quomodo *Verbum* in Deo, et *sermonem in Domino laudans* mediatoris Dei et hominum divinam humanitatem et humanam divinitatem commendat : « Si, inquit, Filius Dei descendendo se non exinaniisset, mediator Dei et hominum non esset. Sed Filius Dei mediator factus est, quia majestatem suam usque ad humana deposuit, et humanitatem usque ad divina provexit, ut mediator esset inter Deum et hominem, homo per Deum ultra homines. In quo demonstratur homini, quam longe a Deo recesserat, cum per Deum incarnatum revocatur, et per Deum Hominem exemplum obedientiæ homini contumaci præbetur, et Deo suscipiente formam servi, quæ nihil ante meruerat, fons gratiæ panditur, et carnis redemptio in Christo promissa monstratur, et per eamdem naturam, qua vicerat diabolus, vincitur. » Item idem : « Inde mediator Dei et hominum Jesus Christus, quia Deus cum Patre, et homo cum hominibus : Ecce mediator, et non mediator homo præter Deitatem ; non mediator Deus præter humanitatem. Divinitas sine humanitate non est mediatrix, nec humanitas sine Divinitate, sed inter Divinitatem solam et humanitatem solam mediatrix est humana Divinitas, et divina humanitas Christi. » Item alius sanctus, non longe a sanctis factus, imo inter sanctos præcipuus Leo papa in sermone de passione Domini dicit : « Unigenitus Patris summi tale iniit cum humana humilitate consortium, ut susceptæ nostræ carnis animæque substantia, unus atque idem Dei Filius permaneret nostra augendo, non propria, quia infirmitas erat provehenda, non virtus, ut cum suo creatori creatura esset unita, nihil assumpto divinum, nihil assumenti deesset humanum. » Hæc et similia contra populum longe a sanctis factum sanctis viris loquentibus ego David, ego pœnitens et psallens cum David, licet non sanctus, tamen non longe a sanctis factus, quia licet non sanctitate, tamen fide illis consociatus, *in Deo laudabo Verbum* incarnatum, *laudabo* divinam humanitatem et humanam divinitatem, *laudabo* divinitatem *humanatam* sine sui mutabilitate; *laudabo* humanitatem divinatam seu deificatam, non naturæ versibilitate, sed qualitatum commutatione, quæ significata est in tituli inscriptione, dum hic « cum iniquis reputatus Jesus Nazarenus Rex Judæorum est nominatus. *In Domino itaque laudabo sermonem* tituli hujus fortiter inscripti, ut nullatenus valeat corrumpi a populo, qui a sanctis longe factus est non credendo, quod sancti credunt, qui nomen Jesu, quod est super omne nomen, in eo

Digitized by Google

cordibus non ita corrumpi sinent, ut ullatenus dubitent in nomine Jesu omne genu flectendum et ab omni lingua confitendum, quod homo unam Trinitatis personam divina conceptione, in totam totius Trinitatis gloriam divina post mortem glorificatione assumptus in gloria Dei Patris est adorandus. Hæc mutatio dexteræ Excelsi, ut in excelso throno paternæ majestatis homo sedeat juste judicans omnia cum Patre, qui apud iniquos judices judicatus est injuste. Hic est Jesus Nazarenus Rex Judæorum, id est confitentium Jesum Christum, et venerantium, quod homini crucifixo æque ut Patri Deo impassibile congruit hujus tituli significatum. Nam et Pater et *Verbum* et Spiritus sanctus, tota videlicet sancta Trinitas, est unus salvator, sanctus, regens omnia, et tota hujus regni potentia in tituli inscriptione significata homini assumpto data est occulte in sui conceptione, sed manifeste in resurrectionis et ascensionis glorificatione, quia tunc intravit in gloriam suam humanitatem, de qua nunquam exierat secundum suam Divinitatem. Ex. tunc homo assumptus in cœlum, id est, in paternæ gloriæ secretum, licet minor Deo Patre sit in natura humana, quæ nec minuitur miseria, nec augetur gloria in sui conditione : tamen eidem Patri omnino æqualis est in ejusdem naturæ humanæ glorificatione. Alioquin tituli super caput Jesu inscriptio corrumperetur, si homini assumpto et crucifixo aliquid divinæ gloriæ detraheretur, sicut ei detrahit *populus longe a sanctis factus*, contra quem sanctus Leo papa sic intonat in sermone ad populum de Natali Domini : « Recedant procul atque in tenebras suas recidant hæreticorum monstra opinionum et insanarum sacrilegia falsitatum. Nos exsultans in laudem Dei cœlestium multitudo et instructi ab angelis docuere pastores, ut cognitis naturæ utriusque documentis et Verbum in Christo homine, et Christum hominem adoremus in Verbo. Nam si sicut Apostolus ait, *qui adhæret Deo, unus Spiritus est* (*I Cor.* VI, 17), quanto magis Verbum caro factum unus est Christus, ubi nihil est alterius naturæ, quod non sit utriusque, quia, et si unum manet ab æternitate, aliud cœpit a tempore, quæ tamen in unitate convenerunt, nec separationem possunt habere, nec finem, dum exaltans et exaltatus glorificans et glorificatus ita sibimet inhærent, ut sive in omnipotentia, sive in contumelia nec divina in Christo careant humanis, nec humana divinis. »

Audiat hæc populus non sanctus, longe a sanctis factus, et desinat homini assumpto in Deum Dei alienare vel immensitatem vel æternitatem, quia utraque habet per sibi datam immensam et æternam divinitatem, quia *in Deo* divinitas, æternitas et immensitas unum est et idem ac proin homo Deus factus quomodo habet divinitatem, sic habet immensitatem et æternitatem, quod animalis homo non percipit, qui a sanctis longe factus a Dei essentia sic distinguit ejus æternitatem, sicut ab hominis essentia ejus ætatem. Similiter imaginando immensitatem fingit eam in Deo talem, qualem eam fingunt Manichæi, distentam videlicet per longum latum, altum et profundum, quantitativum, immensum, quod est apud illos grande simulacrum per beatum Augustinum in libro Confessionum rationabiliter improbatum. Quo etiam docente didicimus, quæ sit latitudo charitatis non minor homini assumpto data, quam Verbo innata, quia non ad mensuram accepit Spiritum, qui est ipsa charitas Patris et Filii. Patris dico diligentis ab æterno, quos prædestinavit ab æterno in Filio æterno, et hæc dilectionis æternitas illa est longitudo, quæ innata est Verbo et data est homini assumpto; qua denique si careret, falso in tituli inscriptione Jesus nominatus esset, quod qui non credunt, titulum, quantum in se, corrumpunt. Similiter sublimitas potentiæ, profundumque sapientiæ divinæ agnoscitur in tituli inscriptione ex regis nomine, cui datum est omnia potenter et sapienter gubernandi virtute immensa.

Unde et ego *laudabo Verbum* Dei, pelli humanitatis totum inscriptum : *laudabo* et hominem tali incriptione honorificatum, et proprie Salvatorem Deum nominatum non solum a Pilato in tituli inscriptione, sed etiam ab angelo in ipsius Dominicæ incarnationis annuntiatione : « Ecce, » inquit, « concipies, et paries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum (*Luc.* I, 31). » Et ad Joseph : « Noli, » inquit, « timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est : pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum (*Matth.* I, 20, 21). » Homo ergo, qui salvum facit populum suum a peccatis eorum, quod solius Dei opus est, ipse utique verus Deus est.

In hoc *Deo speravi* a peccatis meis liberari et salvari, dum insisto laudibus ejus non longe a sanctis factus, imo inter sancta per bonam actionem, et Sancta sanctorum per sanctam contemplationem positus. Et ideo *non timebo quid faciat mihi homo*, ille videlicet *homo*, de quo in principio psalmi dixi, *quoniam conculcavit me homo*. Quid enim potest mihi facere talis *homo* nisi in exterioribus, quibus tanquam acinis exutus ego in torculari hoc, in quo calcor, ero purior, et assimilabor illi de quo scriptum est : « Pulchriores oculi ejus vino (*Cant.* VII, 9), » vel potius ero illud vinum dignum dilecto ad potandum, et dentibus illius ruminandum, quod laudatur in Canticis canticorum; ideo *non timebo quid faciat mihi homo*. Hoc superius dicendo conclusi partem primam, nunc repetendo concludo partem secundam. Ibi contra multos bellantes dixi : *In Deo speravi, non timebo quid faciat mihi caro*, habens Deum pro tutissimo refugio, in quo speravi et sperabo : hic pro eisdem bellantibus convertendis orando, et pro eorumdem conversione gratias agendo item dico : *In Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo*. Pro cujus acceleranda conversione tanto

Digitized by Google

attentius oro, quanto vehementius impugnantem sustineo. Quo etiam converso, vel humiliato gratiarum actionis vota libenter persolvo tanto devotius, quanto ipse *homo* conculcans me, seu bellans contra me fuit periculosior inimicus, et nunc est fructuosior amicus, qui forte de Saulo factus est Paulus. Pro hujusmodi vel convertendis, ut prosint, vel avertendis, ne obsint, vota gratiarum actionis et laudationis multoties promisi, et nunc devote vota hæc persolvo, quia homo conculcans me, seu bellans contra me, licet potuerit auferre quædam exteriora, tamen ad interiora cellaria raptrices manus eis non pervenerunt, ad cellam vinariam scilicet, in qua potens est depositum meum servare Deus, in quem spero. Cui etiam de hac ipsa cella intrinseca persolvere studeo vota mea, propter quod dico:

Vers. 12. *In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi. In me*, id est in anima mea, in conscientia pura reposita *sunt vota*, quæ tibi offeram, sacrificium videlicet fidei et spei, quæ charitas in ara cordis accendit ad laudem nominis tui. In futuro autem cessante fide ac spe sola charitas, quæ manet ac nunquam excidet, *laudationes* tibi et vota persolvet. Vel vota *laudationis tua*, id est tibi facta, vel *tua*, id est a te inspirata, *reddam tibi*: quid enim boni habeo, vel quid laudabiliter vovere tibi potui ac potero, nisi quod a te mihi est? *Reddam* ergo *tibi* de tuis datis hostiam jubilationis, et *vota laudationis*, quoniam quod vivo, tuum est, qui et vitam primo dedisti, et perditam reddidisti auctor et reparator vitæ meæ, quoniam dedisti mihi animam, quæ corporis vita est, et gratiam tuam quæ animæ vita est. Sed anima mea perdendo gratiam tuam per peccatum vita sua caruit et mortem incidit. Hanc animæ mortem tu, Jesu Nazarene, moriendo destruxisti in inscriptione tituli, super caput tuum in cruce positi, et vitam corporis resurgendo reparasti. Et ideo, quoniam sic tua morte eripuisti animam meam de morte, in me sunt, Deus, *vota* tua, A *vota laudationis, quæ reddam tibi* (*Eccli.* xvii, 26). Quia enim *a mortuo perit confessio*, et in inferno nullus confitebitur tibi, nec ego te laudarem, si in morte vel in inferno remansissem. Nunc autem *in me* per gratiam tuam vivente *sunt vota* laudis, *quæ reddam tibi.*

Vers. 13. *Quoniam eripuisti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu*, quæ, tamen ereptio in hoc sæculo cœpta non consummabitur, nisi in regno tuo, Rex Judæorum, cujus regnum permanet in æternum. Ad quod regnum non vocabis *populum longe a sanctis factum*, sed populum, tuum tua passione in tituli inscriptione sanctificatum, sicut orasti, dicens: « Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sancti in veritate (*Joan.* xvii, 19). » Dabis B ergo sanctis tuis locum nominatum in regno Patris tui et tuo, ubi nec anima peccando moritur, nec oculi sua mala deflebunt, nec *pedes*, id est affectiones labentur, quia non erit ibi lubricum tentationis aut ullum periculum mortis, quo tu me nunc in spe perduxisti, et adhuc perduces in re, *ut placeam coram Deo* Patre tuo, cum tradideris ei regnum. Placeam, dico, soli *Deo*, non populo, qui a sanctis longe est, quia si talibus hominibus placerem, Christi servus non essem, et « qui » talibus « hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos (*Psal.* lii, 6). » Ego autem « placebo Domino in regione vivorum (*Psal.* cxiv, 9), » *in lumine* C *viventium*; in hoc *lumine* est, qui gratis Deum colit et amat, quod lumen nemo scit, nisi solus Deus et is, qui hoc a Deo accipit. Pro minimo itaque mihi est, si populo a sanctis longe facto displiceam, qui populus est in tenebris occultis et interioribus nunc, post hac mittendus in tenebras exteriores, id est manifestas, dummodo *placeam coram Deo* in *lumine viventium.*

Gloria Patri Deo, in quo laudabo Verbum, *Gloria Filio* ipsi *Verbo. Gloria Spiritui sancto* Domino, in quo *sermonem laudabo.*

PSALMUS LVI.

Miserere mei, Deus, miserere mei, etc. Titulus: (Vers. 1.) IN FINEM, NE DISPERDAS, VEL NE CORRUMPAS DAVID IN TITULI INSCRIPTIONE, CUM FUGERET A FACIE SAUL IN SPELUNCAM.

Legitur in libro Regum, quod David, cum quæreretur a Saule, fugit ad loca tutissima Engaddi, ubi absconditus latuit in spelunca (*II Reg.* xxii, 1; xxiv, 4). Significat autem Christum, qui et tectus carne, et positus in sepulcro latuit, ne a Judæis videretur Deus. Nullus autem titulus est inscriptus David, quem vellet Saul corrumpere. Sed Christo, qui est post David titulus inscriptus est a Pilato, quem populus Judæorum corrumpere voluit, quibus per Spiritum Propheta loquitur, dicens: o Pilate, D vel tu quicunque, *ne corrumpas* aliquid *in inscriptione tituli*, facta ipsi *David*, id est Christo, *cum fugeret a facie Saulis*, id est a cognitione diaboli et Judæorum, *in speluncam* carnis sive sepulcri. Corrumperet autem si quis ex eo, quod incarnatus est et passus, Regem negaret. Quam prophetiam Pilatus implendam significans, ait: «Quod scripsi, scripsi (*Joan.* xix, 22). »

Hic igitur psalmus de passione et resurrectione Christi quintus breviter agens hoc intendit, ne quis titulo Christi, qui nostræ consummationis finis est, contradicat. Loquitur autem in hoc psalmo totus Christus, et primo quasi latens in spelunca orat pro sua liberatione, inimicorum opprobria breviter tan-

Digitized by Google

gens. Secundo exponit, qualiter sit liberatus, quæ et a qualibus sit passus, de Resurrectione competenter interserens ibi : *Misit Deus misericordiam suam et veritatem suam.* Tertio post resurrectionem suam se laudaturum Deum promittit ibi : *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.*

Sed antequam ingrediamur continuam psalmi expositionem, certator ille mihi alloquendus videtur, quem inter spem et metum docent agonizari psalmi isti quinquageni, ut jam supra diximus. O tu ergo quicunque fugis a facie Saul, a facie videlicet diaboli vel mortis, *ne corrumpas* hunc titulum : Jesus Nazarenus Rex Judæorum, imo *ne corrumpas* teipsum destruendo in te quod dicitur, Rex Judæorum. Quid est enim rex Judæorum, nisi rex confessorum? Confitere igitur peccata tua, ut sis regis hujus regnum, et dic secundum ejus exemplum sperans in Jesum Nazarenum, id est salvatorem sanctum regem tuum : *Miserere mei, Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea, et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.* Quod est dicere juxta Apostolum : Tandiu pugnabo contra legem, quæ est in membris meis, donec veniat quæ liberet de corpore mortis hujus, gratia Dei, quæ cum venerit, dicam : *Misit Deus misericordiam suam et veritatem suam, et eripuit animam meam de medio catulorum leonum*, subauditur ; quomodo eripuit caput meum, regem meum de medio filiorum hominum, *quorum dentes arma* fuerunt *et sagittæ.* His ad prædictum certatorem succincte præmissis ad exordium psalmi redeamus.

Vers. 2. *Miserere mei, Deus.* Ego Jesus Nazarenus incorruptibilis tituli inscriptione triumphali *Rex Judæorum* declaratus, persequente me ac meos impio Saule, id est mortis præposito diabolo miseria duplici sum gravatus, et tam in spelunca minuti corpusculi, quam angusti sepulcri coarctatus, atque in membris meis consimiles angustias a primo justo, et a sanguine Abel justi usque ad ultimum electum toleravi, et tolero. Unde pro me ac pro ipsis oro dicens : *Miserere mei, Deus* Pater, dando victoriam in tentatione, constantiam in passione mihi et meis : ac denuo *miserere mei*, Deus Pater, dando gloriam resurrectionis mihi et meis. Mihi, ut resurgam in corpore atque cum virtute magna egrediar de angusta spelunca sepulcri in amplam gloriam regni mei cœlestis, quia sic oportuit me pati, et ita intrare in gloriam meam. Porro meis da gloriam resurrectionis, primo in anima per peccatum mortua, dein in carne post mortem resuscitanda. Pro qua gemina resurrectione bis dico : *Miserere mei, miserere mei*, id est miserere mei et meorum, vel meorum duplici morte, Saule, id est diabolo persequente oppressorum.

Misericordiam quæro non sine justitiæ merito, *quoniam in te confidit anima mea*, quæ licet sit tristis usque ad mortem voluntaria tristitia propter membra mea, necessario tristitiæ subjacentia, tamen *confidit in te*, quod non derelinquas eam in inferno, nec des corpus ejus videre corruptionem cito accelerans resurrectionem. Et interim dum regnat iniquitas et oppressa est æquitas, præsidente iniquo judice Pilato, et me justo judice inique judicato, vel etiam quolibet iniquo dominante ac sub ejus dominatione justo aliquo periclitante, *in umbra alarum tuarum sperabo*, et meos item sperare faciam, *donec transeat iniquitas* et perversitas ista, succedatque talis æquitas, qua juste justi dominentur emissi de spelunca suæ angustiæ : injusti vero per justa judicia justorum coarctentur intra metas justitiæ tanquam bestiæ feroces, fortissimis legum repagulis, intra malitiæ suæ caveas reclusæ. Sunt enim catuli leonum suppares dæmonum, rugientes, ut rapiant, maxime, cum est hora et potestas tenebrarum, neque apparet sol justitiæ, quo tandem orto congregabuntur et in cubilibus suis collocabuntur, vel potius in angustis cordium suorum carceribus et caveis arctabuntur, ne liberum sit eis exire per manifestum nequitiæ opus, neque occulta radix nequitiæ in fructus malos erumpere valeat, sed intus inclusa marcescat. Quod modo quidem particulariter agitur, in quantum falsitati veritas, iniquitati æquitas dominatur : sed omnino omnis iniquitas in ultimo examine transibit, et ad nihilum deveniet tanquam aqua decurrens, et velociter transiens. *Donec* ergo sic *transeat iniquitas*, ego David, ego Christus, vel ego Christianus *in umbra alarum tuarum sperabo*, quoniam tuæ pietatis munimine, sicut avis nidum vel pullos protegis Ecclesiam, et in ea parvulos tuos in æstu persecutionis vel tentationis umbraculo tuæ protectionis indigentes. *Donec transeat iniquitas*, quæ, dum nunc in aliis moritur, in aliis nascitur, ex toto non *transit*, donec omnis justus de spelunca suæ angustiæ liberatus, et omnis injustus pertinaciæ suæ vinculis alligatus et in carcere pœnali fuerit coarctatus. Hoc ut velociter fiat, ego non tantum corde *sperabo*, sed etiam aliis actibus quotidianisque gemitibus.

Vers. 3. *Clamabo ad Deum altissimum* per essentiæ suæ sublimitatem vel gloriæ celsitudinem, sed tamen proximum suis per misericordiæ suæ pietatem, quod ego in meipso expertus sum in ejus bonitate, *qui benefecit mihi.* Vultis audire, benevoli auditores, in quo beneficio benefecerit mihi?

Vers. 4. *Misit de cœlo, et liberavit me*, de spelunca totius angustiæ in gloriosa carnis resurrectione partim impleta, in me videlicet primogenito mortuorum, et his, qui mecum surrexerunt de speluncis monumentorum suorum, partim adhuc implenda in resurrectione omnium hominum ad judicium, sanctorum vero ad conregnandum, qui in spelunca temporalis angustiæ complantati mihi sunt ad commoriendum. Quæ meorum totalis et universalis ab omni angustia liberatio ita certissime futura est, ut eam quasi præteritam veraciter enuntiem, dicendo : *Liberavit me.* Nam revera jam *liberavit* me Christum, et nihilominus adhuc liberabit corpus meum totum.

Digitized by Google

Insuper *dedit in opprobrium conculcantes me*, Judæos videlicet primos conculcatores mei et meorum, qui pro sua malitia dispersi sunt inter gentes, quibus adorantibus me, quem crucifixerunt, *opprobrium* grande illis imminet, quos intus mala conscientia et foris insultatio dura et ignominiosa torquet. Nam sicut ipsi mihi crucifixo et mortuo insultaverunt, quando titulum triumphalem a Pilato inscriptum corrumpere voluerunt, ita nunc ubique terrarum dispersis insultatur, dum crucis meæ triumphale vexillum illis videntibus et invidentibus exaltatur, atque inscriptio tituli mei, quo Deus verus et rex magnus ego significor, incorruptibilis comprobatur. Ego enim sum pontifex magnus, cujus in fronte aurea lamina præfulget, cui ineffabile nomen Dei cognoscitur inscriptum in eo quod sum Jesus Nazarenus Rex Judæorum, salvans nimirum ac regens populum meum, populum Judæorum, id est vere confitentium verum esse hunc titulum, clementiæ simul ac potentiæ meæ significativum ; clementiæ in eo quod sum Jesus, id est Salvator omnium hominum et maxime fidelium : potentiæ in eo quod sum *Rex Judæorum*, potenter tenens regnum meum dominando in medio inimicorum meorum, de cujus manu nemo rapere potest, sicut nec de manu Patris mei omnipotentis Dei.

Congrua similitudo titulus positus in cruce super caput Jesu seipsum sacrificantis, « corona aurea expressa signo sanctitatis (*Eccle.* XLV, 14), » cui erat impressum nomen Deitatis, in capite Aaron sacrificantis. Deficit vero in hoc similitudo, quod lamina, vel corona aurea capiti Aaron detrahi potuit, verbi gratia, quando peccavit apud aquam contradictionis non sanctificando ibi Deum. Sed menti hominis in Deum assumpti, quæ mens ultra omnes spiritus creatos pura erat et subtilis, ita est imposita Divinitatis plus quam aurea corona seu lamina, ut mens ipsa, licet humana, fulgeat tamen in omnimoda gloria Divinitatis et divinæ claritatis, quam quicunque ab illa mente subtilizando, atque assumentem naturam ab assumpta nimis distinguendo nititur dividere, ipse quantum in se est, inscriptionem tituli ac nominis divini corrumpit, quam non manus Pilati, sed digitus Dei sic fortiter inscripsit, ut nemo hanc inscriptionem corrumpere possit. Quia si homini crucifixo vere ac non figurative seu nuncupative, sed omnino substantive congruit nomen Jesu, id est salvatoris a peccato salvantis populum suum, quod est opus divinum : similiter vere, ac substantive congruit ei nomen Dei, nomen ineffabile, nomen æternæ sapientiæ profunde inscriptum rationabili intellectui mentis humanæ. Nam aurea lamina in sacerdotis fronte intellectus rationalis est in humana Christi mente, qui videlicet intellectus rationalis quia capax factus est incomprehensibilis Divinitatis, ut omnia sciat quæ Divinitas scit, quæque potest, possit, quasi profunde insculpta est inscriptio nominis divini in intellectum animi humani Deo cum carne sua non solum personaliter uniti, sed etiam naturaliter conserti, quia videlicet sicut aurum purum naturaliter capax est illius inscriptionis, quæ arte sculptoria fit, nec illam requirit vel tenet quæ arte pictoria per colores deforis adhærentes fieri consuevit : sic mens rationalis in Christo similis auro purissimo intrinsecus, non forinsecus accepit inscriptionem Divinitatis digito Dei factam in ipsa conceptione Spiritu sancto, amore videlicet divino, non amore humano hanc operante. Si enim digito Dei tabulis lapideis lex divina ita fortiter inscripta fuit, ut nonnisi illis confractis hæc inscriptio deleri potuerit : quanto magis æterna Dei sapientia per ineffabile nomen Jesu fronti nostri pontificis et regis inscripta talem tituli triumphalis repræsentat inscriptionem, quæ inter se, atque illam naturæ humanæ laminam, cui est inscripta, nullam vel actualem vel saltem intellectualem admittat separationem, sicut actualiter interdum separamus a cera inscriptionem deplanando, vel intellectualiter separamus nigredinem a corvo. Non ita potest a Christi humanitate separari ejus Divinitas, quia et humanitas ejus divinata, et Divinitas humanata est, factumque est unum electrum de duabus et in duabus naturis existens, unius tamen fulgoris aurei, quia humanitas assumpta conglorificata et conclarificata est assumenti se clarissimæ Divinitati.

Hanc sane claritatem carni suæ Verbum postulavit, dicens : « Clarifica me, Pater, apud temetipsum claritate quam habui priusquam mundus fieret (*Joan.* XVII, 5), » sed quia de quæstione hac in primo quinquagenario satis, ut arbitror, est actum, sufficit nunc venerari omni veneratione divina dignum hominem, Dei et virginis filium Jesum Nazarenum Regem Judæorum, tam vere Deum quam vere Dei Filium, tam vere quoque hominem quam vere hominis filium ; tam vere Deum, quam vere Salvatorem nominandum ; tam vere quoque regem angelorum, quam vere regem Judæorum, id est confitentium, quoniam et angeli de numero sunt nomen Deitatis ejus confitentium, et ipsi etiam, cum parvulus esset quasi Deo et Domino suo pro ipsius velle servientium

Clamabo ergo *ad* hunc Jesum *Deum altissimum*, semper in Divinitate sua cum Patre suo *Altissimo* æqualiter *Altissimum*, sed in humana substantia, quæ ad tempus erat in *spelunca* virginalis uteri vel etiam sepulcri coarctata, nunc ad summum sic exaltatum ; quomodo « a summo cœlo, » id est a Patre fuit « egressio ejus (*Psal.* XVIII, 7). » O quanta mihi est fiducia et spes clamanti *ad* hunc *Deum altissimum* de *spelunca* imminentis angustiæ, qui de spelunca, in qua propter me fuit, nunc liberatus ad dexteram Dei sedet super omnia exaltatus : « Ego, » inquit, « si exaltatus fuero a terra, omnia trahum ad meipsum (*Joan.* XII, 32). » *Clamabo* ad ipsum *Deum altissimum*, ut secundum promissionem suam fidelem trahat me ad seipsum de spelunca imminentium tentationum ac tribulationum. Item :

Digitized by Google

« Nisi, » inquit, « abiero, Paracletus non veniet ad vos; cum autem assumptus fuero, mittam eum ad vos (*Joan.* XVI, 7). » Hæc locutus est ad discipulos suos adhuc in spelunca mortalis carnis positos, ipse jam iturus ad Patrem, de spelunca videlicet humanæ angustiæ in divinæ celsitudinis amplitudinem, atque sicut promisit, Paracletum illis misit, primitivam scilicet Ecclesiam, imo in apostolis totam consolando universalem Ecclesiam, propter quod mihi cuilibet membro Ecclesiæ congruit in gratiarum actione psallere, ac dicere :

Misit Deus misericordiam suam et veritatem suam. Diapsalma hic apte interponitur, quia oratio transit in gratiarum actionem, cum dico ego Ecclesia vel ecclesiastica persona : *Misit Deus misericordiam suam et veritatem suam*, id est ut promisit, sic misit Spiritum veritatis qui est ipsius et Patris misericordia, qui etiam cum sit Spiritus veritatis docens omnem veritatem, semper secum habet, o Christe, te summam veritatem, de summo Patre venientem. Hinc est, quod supra dixi : *Misit de cœlo et liberavit me*, non determinans quid miserit. Nunc autem dico manifeste, quia *misit Deus misericordiam suam et veritatem suam. Misit Deus* Pater *veritatem suam*, id est Filium. *Misit Deus* Pater et Filius *misericordiam suam*, id est Spiritum sanctum et per Filii passionem ac Spiritus sancti operationem.

VERS. 5. *Eripuit*, et absque dubio eripiet *animam meam de medio catulorum leonum. Misit de cœlo*, id est de occulta essentia Verbum, et de secreta cognitione angelorum *veritatem suam* incarnandam atque misericordiam suam clara pletatis operatione manifestandam. Non enim vel Filius a Deo Patre, vel Spiritus sanctus ab utroque missus venit de cœlo ad terram locali motione, sed cum esset uterque invisibilis, ubique manens, in hoc dicitur venisse, quod se dignatus est manifestare, alter in humana forma, quam assumpsit, alter in columbæ specie super Christum, vel in igne super apostolos exhibendo se visibilem. Quod quia Deus Pater ita fieri disposuit, recte in gratiarum actione illi dicitur : « Misit Deus misericordiam suam et veritatem suam (*Psal.* LXXXIV, 12). » Spiritum videlicet sanctum, cujus operatione *veritas de terra orta est*, quia Filius Dei ex virgine genitus est.

Hæc veritas ad confirmandas promissiones Patrum opus bonum operata est in me hominem assumptum sibique unitum in eo quod *eripuit animam meam de medio catulorum leonum*, id est, de medio populi a principibus seducti, et erat utique mihi homini opportuna ereptio, quia *dormivi conturbatus*, id est mortem subivi præcedente illa conturbatione, de qua dixi : « Nunc anima mea conturbata est (*Psal.* XLI, 7). » Item : « Tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth.* XXVI, 38). » Sic ego non necessitate, sed voluntate mea *dormivi conturbatus*, et somnum cœpi, majori scilicet facilitate suscitandus et surrecturus a morte, quam tu quivis homo dormitione somni vel teipsum excutias vel amicum tuum suscitare valeas. In tali conturbatione ac dormitione circumdederunt me catuli leonum una cum leonibus, id est populares cum principibus in una ferocitate sibi consonantibus. Sed *misericordia et veritas* Divinitatis meæ *animam meam* humanam *eripuit de medio catulorum leonum*, quia neque in morte detenta est per malos homines leonina ferocitate in me frementes, neque in inferno derelicta est inter dæmones majores et minores, leonibus et leonum catulis bestiali ferocitate consimiles.

Legitur quidem David in speluncam intrasse, non tamen ibi dormivisse. *Unde* clarum est, hoc de Christo magis accipiendum, qui bene ac proprie ait : *dormivi conturbatus*, id est ipsa conturbatione quietem cordis non amisi. Non enim vapulante secumque rixante conscientia mortem subivi tanquam unus de malefactoribus, sed corde quieto ac tacito, mens bene conscia conservabat patientiam in morte voluntaria, qua sponte animam meam posui, cum volui et iterum sumpsi eam, cum volui. Et quia leones catulosque leonum nominavi, ne forte quis arbitretur me de bestiis, non de hominibus loqui, dico apertius :

Filii hominum, id est Judæi, filii rationabilium patrum, laqueum paraverunt pedibus meis, et incurvaverunt animam meam, non quod me suis manibus crucifigerent, cum dicerent : « Nobis non licet interficere quemquam (*Joan.* XVIII, 31); » sed tamen *dentes eorum*, quibus frenduerunt super me, *arma et sagittæ* fuerunt : *arma* in consiliis, et *sagittæ* in verbis. Vel *dentes*, id est corrosiones, quibus me meosque detrahendo mordebant, fuerunt *arma et sagittæ. Arma*, in quantum se defendebant; *sagittæ*, in quantum me sauciabant. Nam per arma intelligitur clypeus et galea et lorica et omnis armatura fortium, quibus muniuntur contra ictus adversariorum. *Sagittæ* vero cæteraque tela non defendunt pugnantem, sed lædunt hostem. Proin quia isti et se tuendo et me lædendo frenduerunt super me dentibus suis, bene dico : *Dentes eorum arma et sagittæ*, quibus a longe ac forte absentem feriebant, et lingua eorum gladius acutus, quo me cominus feriendo citam necem sunt operati, dicendo . « Reus est mortis (*Matth.* XXVI, 66). » Item : « Crucifige, crucifige eum (*Joan.* XIX, 6). » Item : « Nos habemus legem, et secundum legem nostram debet mori, quia Filium Dei se fecit (*Joan.* XIX, 7). »

Talia dicendo non destiterunt quoadusque a facie Saulis, id est mortis ego verus David humiliatus sum usque in speluncam sepulcri, quod etiam fecerunt muniri et custodiri, ne unquam de spelunca surgerem et regnarem, quod erat iniquitas magna, de qua supra dixi me in umbra alarum tuarum sperare, *donec transeat iniquitas;* quæ licet ex parte sit credenda transiisse me de spelunca ista surgente atque in regno meo dominante victo Saule, id est mortua morte, cujus ego mors ero, tamen ex parte manet iniquitas eadem prolongata. Sicut enim fuit longa concertatio inter domum David, et

Digitized by Google

'domum Saul, etiam Saule mortuo, sic filii Saulis, filii mortis prolongaverunt hanc iniquitatem sibi, ut velint justis injuste dominari. Propterea filiis pestilentibus in cathedra pestilentiæ sedentibus, et multas cathedras in Ecclesia tenentibus, justi ab eisdem oppressi errant in montibus et speluncis et in cavernis terræ, verbi gratia, vel in silvis et solitudinibus latitando, vel pauperrima cœnobia speluncis consimilia inhabitando, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus in maligno positus, ut ei præsiderent sancti in regimine sæculari vel spiritali, sed potius dignus erat, est et hic mundus rectoribus Herodi et Pilato atque Caiphæ similibus. Quandoque tamen ex toto iniquitas hæc transitura non dubitatur, ut videlicet retrusis in speluncas debitæ ultionis omnibus iniquis regnum et omnis honor in manu sit Christi veri David et amicorum ejus. Atque ideo certus ego David sine dubio transituram iniquitatem istam, donec transeat, *clamabo ad Deum altissimum.* Quid clamabo? Hoc scilicet :

Vers. 6. *Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua. Exaltare* surgens de spelunca. *Exaltare super* « solium » tuum « excelsum et elevatum (*Isa.* VI, 1), » et plena erit omnis terra gloria tua, *et super omnem terram gloria tua.* Solium tuum excelsum est angelorum electa portio, quæ reliquis in profundum cadentibus manet in excelsis. Porro solium tuum elevatum genus est humanum de profundis ad te clamans, et cum prius in imo jaceret, nunc in alta sublevatum.

Aliter : *Solium* tuum *excelsum* est in his omnibus, qui non graviter ceciderunt ut Joannes dilectus tuus, clarus munditia et innocentia : *solium elevatum* in hominibus, qui graviter lapsi per condignam pœnitentiam sunt elevati, ut Petrus apostolus post negationem trinam in cathedra senior laudabiliter in Ecclesia plebis exaltatus est.

Aliter : *Solium excelsum* spiritus et animæ justorum sunt, in quibus cum sit angelica puritas et subtilitas, in illis tanquam in cœlestibus thronis tu sedes, o æterna veritas et sapientia. Cum vero etiam per eorum corpora operaris mirabilia magna, etiam in illis resides tanquam in *solio elevato* et suæ animæ consanctificato. Duo hæc solia nomine *cælorum* significo, cum ad te, Deus, clamans dico : *Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua.* Cur lates in spelunca, Rex meus et Deus meus ? Nam quia tu absconditus es, inde est quod dicitur mihi quotidie : ubi est Deus tuus ? Gavisi sunt discipuli viso te Domino, postquam in corpore tuo surrexisti de sepulcro, in quo, dum latuisti, tristes erant apostoli de nece sui Domini. Sic usque in finem sæculi quandocunque tu sapientia per insipientes, tu justitia per injustos, tu Veritas per mendaces oppressa jaces velut in spelunca, tui discipuli contristantur, et quasi te sepulto lamentantur. Ut ergo tandem finita hujusmodi lamentatione ploratus et ululatus multi propter oppressionem tui, Rex Judæorum, exsultet jam angelica turba cœlorum, exsultent divina mysteria, tu *exaltare super cœlos*, id est *super solium excelsum et elevatum*, videlicet super angelos et homines electos, ut dum laudabili et miro ordine angelorum ministeria hominumque dispensas, tibi tam in terris quam in cœlis regnanti omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia tu, Domine Jesu Christe, de spelunca egressus et super cœlos exaltatus in gloria es Dei Patris non minori potentia perficiens opus inscriptionis tituli, quo Salvator esse comprobaris, quam Pater tuus perfecit opus creationis, qui omnium rerum creator esse non dubitatur.

Aliter : *Exaltare super cœlos*, id est super homines vel innocentes vel pœnitentes, ad cœleste regnum prædestinatos, et propter confessionem laudis tuæ vel peccatorum suorum tibi, Christe, Regi Judæorum attitulatos in tituli inscriptione, quem in seipsis non corrumpunt, dum pure confitendo se veros Judæos, quorum digne tu rex dicaris, ostendunt, et illis multiplicatis ac de speluncis angustiarum suarum exaltatis, in omni terra et *super omnem terram gloria tua* manifestetur, dum tui hostes coguntur intrare latibula speluncarum tanquam bestiæ non audentes in lucem exire ; tui vero amici excant ad opus suum et ad operationem suam usque ad vesperam, id est usque ad finem vitæ suæ, vel hujus temporis, in quo tu sol vetus usque ad consummationem sæculi cum tuis amicis te mansurum promisisti.

Aliter : *Exaltare super cœlos*, id est super animas et corpora sanctorum, solio excelso et elevato, ut supra dictum est, assimilata, ut et in animabus per te solem justitiæ illustratis coram te luceat pax et lux bonæ voluntatis, et in corporibus per te inhabitantem salvatis luceat lux bonæ operationis coram hominibus, ut videntes opera eorum bona glorificent te Deum, qui in hujusmodi *cælis es*. Glorificent, inquam, te ac Patrem tuum una cum Spiritu sancto ita magnifice, ut *super omnem terram gloria tua* clarescat, et velut splendor meridianus et æstivus adeo calescat, ut neminem lateat, nec sit qui se abscondat a calore ejus. Sicut enim sole isto visibili exaltato in zodiaco suo super omnem terram nobis habitabilem sentitur splendor et calor ejus in diebus æstivalibus, ita nimirum te sole justitiæ post occasum tuum, quo in spelunca latuisti, nunc super cœlos exaltato *super omnem terram* nobis habitabilem, sentietur *gloria tua* in Ecclesia toto terrarum orbe dilatata. Hæc est enim zodiacus tuus, quem tu sol justitiæ perambulas, et in quo diem victoriosum tuis et hostibus damnosum tu, Jesu Nazarene, tanto magis prolongas, quanto differentius præ illo Jesu sive Josue hoc nomen hæreditas, cujus præcepto sol stans ad Gabaon diem prolongavit, nec finiri ante permisit, quam ultio fieret de hostibus, fœderatos ipsius Josue infestantibus (*Jos.* x, 13)

Digitized by Google

In qua victoria hoc notandum, quod quinque reges hostilis exercitus præ timore Israelis, duce Josue sive Jesu præliantis, ingressi sunt speluncam, sic latitando volentes prolongare vitam suam. Sed illis ibi deprehensis et comprehensis grandi saxo speluncæ os obclusum est usque ad finem belli, qui finis erat victoria, quæ in titulo psalmi hujus est notata. Nam pro eo quod nos habemus, *in finem ne corrumpas David*, etc., in Hebræo legitur : *pro victoria, ut non disperdas David.* Peracto itaque prælio usque in finem seu victoriam dux Israel ille Jesus nuncupative sic nominatus de spelunca eductis ad judicium regibus adversariis fecit a principibus Israel calcari eorum colla, et exin suspendi eos in patibulis ad gloriam sui victoriosi nominis, quod ille umbratice habuit, quoniam etiam tunc in umbra alarum tuarum spes reposita fuit. Tu autem, Jesu Nazarene Rex Judæorum, solus dignus hac tituli inscriptione, qua non in umbra, sed in veritate Jesus, hoc est Salvator, prædicaris, cujusque omnibus præliis non alius erit vel erat unquam finis nisi victoria, nunc *exaltare*, nunc de spelunca egressus magnificare per longitudinem diei tuæ victoriosæ; sicut ille Jesu filius Nave, imo tanto amplius illo, quanto differentius præ illo hæreditasti hoc nomen, quod est Jesus. Ille præcepit soli, et ad ejus imperium sol stetit in medio cœli spatio unius diei ad auxilium præliantis populi Dei, usque ad consummatam victoriam. Tu, præcipe ac manda, Deus, virtuti tuæ confirmare in nobis opus, quod operatus es in diebus antiquis, quando manus tua gentes disperdidit. Tunc Michael archangelus princeps virtutum cœlestium cum illo Jesu fuit, sicut ei armatus in campo Jericho apparuit. Nunc idem sit nobiscum, non ut tunc armatus videbatur, quando tempus belli erat, sed ut in Apocalypsi conspicitur, « habens thuribulum aureum in manu sua, cui data sunt incensa multa, per quæ (*Apoc.* VIII, 3) » pax hominibus bonæ voluntatis est impetrata et impetranda. Quid est enim thuribulum aureum, nisi corpus tuum, Jesu Nazarene, de sancta Virgine assumptum et igne sancti Spiritus conflatum et fabricatum? Hoc itaque thuribulum sacerdotum manibus oblatum comministrante illis Michaele nunc pacem et victoriam in Israel operetur, cogatque principes hostium fugere in speluncam, qui te verum David volunt in spelunca detineri, ne rex appareas in throno regni tui.

Fugerunt illi tunc in speluncam Maceda, quod interpretatur *exustio* vel *orientalis*. Exsurgat nunc Deus, qui ut homo latuit in spelunca sepulcri, et illo exsurgente dissipentur inimici ejus, et fugiant, qui oderunt eum a facie ejus. Fugiant in speluncam Maceda, ut in timore Jesu coarctati sint in spelunca exustionis exurente illos igne, quem tu Jesu misisti in terram, volens ut vehementer accendatur, et sic eadem spelunca exustionis fiat illis etiam spelunca orientalis, dum excocti a peccatis fruantur luce orientalis : vel certe si nolunt converti, non emittantur de spelunca illos arctante sub disciplina justitiæ, donec mittantur in ignem æternum illic exurendi cum diabolo, qui se fingit orientalem falso jactando se similem Altissimo, cum tamen in spelunca suæ damnationis arctatus et rudentibus inferni ligatus jam nec par sit infimo, redemptus quia vivit homo. Similiter omnia principalia vitia, quæ militant adversum nos in nobis a facie Jesu præliantis in nobis pro nobis cogantur fugere in speluncam Maceda, quod, ut prædictum est, interpretatur *exustio* vel *orientalis*, ut videlicet in ergastulo pœnitentiæ per ignem sancti Spiritus exurantur usque ad illam puritatem naturæ rationalis, quæ dicitur et est orientalis, illi videlicet consimilis, qui cum sit oriens ex alto, eos facit orientales, in quibus reformat sui similitudinem secundum primæ creationis dispositionem, qua dixit Deus : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (*Gen.* I, 26). » Hoc totum bonum optatur, cum dicitur tibi, o Jesu : *Exaltare super cœlos Deus, et super omnem terram gloria tua.* Hoc enim tibi, David regi dicitur tanquam in spelunca latenti, neque per evidentiam tui regiminis apparenti, atque malis principibus, impio Sauli similibus, inique dominantibus, et bonos in anxietatum speluncis coangustantibus, cum potius id conveniat, ut te David regnante transeat hæc iniquitas, et te, Jesu, principante ac præliante inimici tui fugiant in speluncas Maceda, unde non sinantur exire, antequam trahantur ad judicium calcandi sub pedibus justorum juste illis dominantium et juste illos judicantium, vel judicio præsenti ad tuam gloriam dilatandam et clarificandam *super omnem terram*, vel judicio futuro item ad tuam gloriam, qua pleni sunt cœli et terra, manifestandam.

Cave tu, quicunque nunc in spelunca latitas, vel Christum latitare gemis, grassante impia tyrannide Saulis, ne disperdas hanc tituli inscriptionem, qua Jesus Nazarenus Rex Judæorum prædicatur. Si enim desperas eum de hujusmodi spelunca egredi et super solium suum exaltari posse, neque confiteris eum regem Judæorum, omnipotentem esse, tunc etiam, cum non ostendit se regnare, disperdis David, quantum in te est, et corrumpis inscriptionem tituli nunquam corrumpendi, quem neque Pilatus corrumpere voluit, sed corrumpere volentibus respondit : « Quod scripsi, scripsi. Noli, » inquiunt, « scribere, Rex Judæorum, sed quia ipse dixit : Rex sum Judæorum (*Joan.* XIX, 21 et 22). » Nimirum sic volebant scribi : « Jesus Nazarenus, » qui dixit : « Rex sum Judæorum, » quasi non rex ipse fuerit, sed regem se falso dixerit. Sic interrumpere atque corrumpere hunc titulum triumphalem voluerunt, nec potuerunt. At eorum sequaces falsi Christiani aut verbis, aut opere dicentes : « Nolumus hunc regnare super nos (*Luc.* XIX, 14), » in semetipsis corrumpunt hanc tituli inscriptionem veris Judæis incorruptibilem, quoniam

Digitized by Google

super illos regnat, et illos de spelunca secum exaltat. Si enim consepulti sumus cum illo, simul etiam resurgemus cum illo. Si compatimur, et conregnabimus. Neque vero id nos terreat, quod munitur spelunca sepulcri Dominici per lapidem signatum cum custodibus, quia et lapis licet magnus valde angelicis manibus facile revolvetur, et custodes iniqui terrebuntur, et erunt stupidi velut mortui. Non sic impii, non sic: jacebunt in spelunca Maceda sub tam fragili custodia, quia præcipiente Jesu saxa grandia speluncæ illi sunt admota, quæ non possunt removeri, nisi item jubente ipso eosdem inclusos judicaturo vel nunc, judicio medicinali, quod amamus et optamus, vel post, judicio pœnali, quod cum timore laudamus atque in utroque judicio illius gloriam desideramus, et prædicamus, cui psallimus: *Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua.* Remaneant in terra et in terrena spelunca hostes tui; tu vero esto *super cœlos* judex vivorum et mortuorum. *Exaltare*, ut in majestate regnans cognoscaris, non quod tu, cum semper in divinitate tua fueris et nunc post ascensionem tuam in humanitate quoque tua sis altissimus, teipso altior efficiaris, sed ut in gloria, quam habes in cœlo, manifesteris in omni terra, ita ut *super omnem terram* nota et conspicua sit *gloria tua.*

Aliter: O Deus Pater! in me Jesu Filio tuo *exaltare* per meam resurrectionem et ascensionem, « Clarifica Filium tuum, ut et Filius tuus clarificet te, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam (*Joan.* XVII, 1, et 2), » non in Judæa tantum, sed in omni tribu per omnem terram, ut *super omnem terram gloria tua* manifestetur, quæ paucis nota, et multis ignota est me latente in spelunca sepulcri, vel parvitatis humanæ sub custodia inimicorum, qui

VERS. 7. *Laqueum paraverunt pedibus meis.* Pedes mei fuerunt increpationes et promissiones. His enim quasi duobus pedibus incedebam, cum malos increpabam, verbi gratia dicendo: « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, qui estis similes sepulcris dealbatis, etc. (*Matth.* XXIII, 27), » in hunc modum, et bonis præmia promittebam, verbi gratia: « Beati pauperes spiritu, quia vestrum est regnum Dei (*Luc.* VI, 20). » His ergo pedibus *laqueum paraverunt*, quando ex verbis meis dolos composuerunt, sicut cum adduxerunt ad me adulteram, hac me ligaturi complexione, ut vel contrarium legis teneret, si dicerem dimittendam, quam lex præcepit, lapidare: vel deriderent mendacem et inconstantem, qui mansuetudinem prædicans eam occidi permitterem (*Joan.* VIII, 3 et seqq.). Tam doloso laqueo ad id me trahere moliebantur, ut aut legem destruerem, quam veneram adimplere, aut famam clementiæ perderem, quam veneram docere. Talibus laqueis non destiterunt me persequi, donec *incurvaverunt animam meam* inferendo mortem, qua tamen ipsi non tulerunt a me animam meam, sed ego posui eam, et *iterum sumpsi* eam, pro illorum opinione incurvatam, qui posuerunt me arbitratu suo in inferno inferiori, sed pro mea potestate inter mortuos liberam, et non solum suo statu erectam, sed etiam alias animas revera incurvatas erecturam. Ipsi quidem *laqueum paraverunt*, sed frustra. Nam « si frustra jacitur rete ante oculos pennatorum (*Prov.* I, 17), » quanto magis frustra mihi omnia videnti et scienti ac Divinitatis pennas habenti struebantur insidiæ, quæ me non poterant latere? Nam

Ante faciem meam foderunt foveam, id est, me præsente clamaverunt mortis sententiam, quæ tamen mihi non nocuit, sed ipsi potius *inciderunt in eam*, qui propter hoc traditi sunt in manus gladii Romanorum, quæ fuit illis mors corporum, et partes vulpium erunt cum dæmonibus computati, et foveis infernalibus una cum illis deputati, quæ illis est mors animarum. Sic ipsi in confossa conscientia cæci *foderunt foveam* passionis et mortis, ad quam sustinendam non invitus ego, sed sponte veni, quia

VERS. 8. *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum* fuit semper ad opus talis obedientiæ, de quo dicebam: « Desiderio desideravi hoc pascha manducare (*Luc.* XXII, 15) » pro intimi affectus expressione verba geminando, et iterando, cum quo et hic dico: *Paratum cor meum Deus*, et iterum, *paratum cor meum, Deus*, et in cœna ultima desiderio desideravi hoc pascha. Vel ideo bis dico: *Paratum cor meum*, quia in ipsa passione ad duo sum paratus et devotus, verbis scilicet laudare, atque operibus id ipsum consonare. Unde et subjungo: *Cantabo, et psalmum dicam*, id est verbis et operibus gratias agam. Et quia novi psalmum, qui in fracto psalterio non resonat, nolo diu esse fractum psalterium et citharam carnis meæ conquassatam in sepulcro, sicut inimici desiderant, qui hoc carnis meæ psalterium divinis laudibus sonorum, et hanc citharam patientiæ chordis inter adversa canoram fregerunt, quoniam ad cantus meos ipsi saltare noluerunt, imo saltare alios doluerunt.

VERS. 9. *Exsurge itaque, psalterium et cithara*, id est caro mea divina operans et humana patiens, quæ quasi *psalterium* desuper sonans hoc desursum habuisti, quod divina opera fecisti, et quasi *cithara* de inferiori sonans hoc de humana mortalitate habuisti, quod passionem ac mortem sustinuisti. Et nunc ecce jaces in spelunca sepulcri nihil sonans, quod non diu fieri convenit, quia post tempus tacendi tempus loquendi sequitur, quod ecce jam jam imminet vespera Sabbati lucescente in prima Sabbati. *Exsurge* itaque *gloria mea*, id est, caro, per quam ego Divinitas glorificata sum, et adhuc amplius glorificabor. *Exsurge, psalterium et cithara*, id est, caro per immortalitatis gloriam sic redintegrata, ut ulterius frangi non valeas, et hoc verum esse ostendas, quod nostri citharistæ atque psalmistæ canere jucundum habent. « Christus resurgens »

Digitized by Google

mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI, 9). »

Exsurgam diluculo ego ad tempus mortua caro. Nam ante diluculum tertiæ diei, quod a medietate noctis propinquat, non expedit resurrectionem sic accelerari, ut falsificentur Scripturæ veritatis, quæ hanc tertiæ diei ascribunt, ut illud in propheta : « Post duos dies vivificabit nos, et in die tertia suscitabit nos (*Ose.* VI, 3). » Et in lege dictum est : « Sanctificamini filii Israel, et estote parati usque in diem tertium (*Exod.* XIX, 14, 15). » Sufferendum est ergo ut in sepulcro jaceam usque in diem tertium, sed media nocte appropinquante die tertia diluculum erit. Si enim vespera Sabbati lucescit in prima Sabbati, multo magis quasi diluculum reputabitur noctis medium in quo ego verus Samson, quod interpretatur *sol eorum* vel *solis fortitudo*, Gazæ portas auferam, id est, portas mortis destruam, et in montis verticem ascendam. Et ex tunc ego caro crucifixa et mortua post mortem destructam rediviva ero *psalterium* jucundum cum *cithara*, cujus audietur sonus in omni terra, quoniam.

VERS. 10. *Confitebor tibi in populis, Domine, et psallam tibi in gentibus*, (131) id est, ero causa efficiens tuæ laudis et confessionis in omnibus populis. Equidem in omnem terram exibit sonus eorum, qui me carnem vivam et vivificatricem comedent, et per me vivent, atque ob hoc te laudabunt, quoniam misericordia tua usque ad cœlos, et veritas tua usque ad nubes magnificata est, secundum quod superius optavi ego David, et adhuc opto dicens : *Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua.*

Aliter : Agonizante in passione Domino Jesu, et orante, ut Pater illum clarificaret, vox Patris audita est, dicens : « Et clarificavi, et iterum clarificabo (*Joan.* XII, 28). » Similiter hic in psalmo, agonizante Christo, suisque amicis dolentibus et gementibus, quod in spelunca sepultus a facie Saulis, id est, mortis humiliatus et oppressus non dat vocem suam vocem virtutis, qua cæteros mortuos vocare ac suscitare solitus fuit, verbi gratia dicens cuidam mortuo : « Adolescens, tibi dico : Surge (*Luc.* VII, 14), » et alteri : « Lazare, veni foras (*Joan.* XI, 43), » non se potuit ultra paterna pietas cohibere, sed clamat ipse Pater in spelunca vocans inde psalterium et citharam, id est naturam humanam Verbo suo unitam et ex ipso atque in ipso valde sonoram. Dic ergo : « Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara (*Psal.* CVII, 3). » Si enim *gloria* patris filius sapiens, multo magis tu *gloria* mea, Fili mi, qui es mea sapientia, mea musica, meum *psalterium et cithara*. Nam sicut sapientia vel musica primo in arte viget, dein in psalterio, seu alio instrumento sapienter composito et sensibiliter videtur et auditur, sic tu in principio eras Verbum totius artis plenum, nulli penitus intelligibile, nisi mihi, qui te genui de corde meo, et illi Spiritui sive amori, quo ego te dilexi diligentem in eodem Spiritu, qui est amor noster æternus, et ideo intelligit ipse tertius, quidquid nos duo intelligimus. Intellectus iste fuit in occulto necdum creato mundo per te, Verbum meum, quo etiam eructato in creatione mundi, tu Verbum meum, tu ars vel musica mea fuisti adhuc multis multum secreta. Sed ubi tu idem genitus es in carne, cum prius fuisses invisibilis, factus es visibilis et audibilis per chordas assumptæ carnis ; factus es *psalterium* et *cithara*, qui prius eras invisibilis musica in arte mihi soli cognita : sed ecce quasi ruptis chordis carnis tuæ in spelunca jaces, et quasi præpedito plectro linguæ taces, qui bene ac dulciter sonuisti quasi *psalterium* promittendo cœlestia, et quasi *cithara* pacificando et infirmando terrestria. Ne itaque diu sic taceas et jaceas ; *Exsurge* de spelunca tu, *psalterium et cithara*, ut ad sonum vocis tuæ surgant mortui, quoniam venit hora, et nunc est, quando mortui per omnem terram audient vocem tuam, citharizantibus et psallentibus in te apostolis tuis ; et qui audierint, vivent in animalibus, scilicet prius mortuis per inobedientiam, sed resuscitandis per vocis tuæ audientiam et obedientiam. Quod non est mirum comparatione plus mirabilium, quoniam post hæc veniet hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem tuam, et procedent in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant semper. Cum ergo per tuam vocem sint omnes homines de speluncis monumentorum suorum evocandi ; homines, dico, trium temporum : ante legem, sub lege, sub gratia defunctorum, sufficit usque in diem tertium te in spelunca monumenti esse clausum. Proin adventante jam die tertia, *Exsurge, psalterium cum cithara.*

Ad hæc Patris monita ego Filius in spelunca positus respondeo : *Exsurgam diluculo.* Prædixi quidem, quod post triduum templum corporis mei solutum excitaturus essem, et sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita dixi me Filium hominis in corde terræ futurum tribus diebus et tribus noctibus (*Matth.* XII, 40). Verum quia dies mali sunt breviandi, salva tamen veritate, oportet utcunque adimpleri hoc triduum, sed ita breviari, ut ultima pars parasceve, ac prima pars primi Sabbati pro integris diebus accipiantur, et ab hora nona, qua in cruce Spiritum emisit, usque ad diluculum diei tertiæ intelligatur totum triduum completum esse per figuram, quæ apud grammaticos dicitur synecdoche [*cod.* synodoche], in qua pars pro toto accipitur. Abbreviato igitur hoc triduo, et tamen adimpleto, *exsurgam diluculo*, ut ex hac abbreviatione dierum tristium sit spes famulis meis, etiam reliquos dies malos breviandos, de quibus dixi : « Nisi breviarentur dies isti, non fieret

(131) Vulgata : *Psalmum dicam tibi in gentibus.*

Digitized by Google

salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur (*Matth.* XXIV, 22), » et tunc Scripturæ implebuntur de Antichristi triennio, sicut de meæ sepulturæ triduo. Regnabit enim per tempus et tempora et dimidium temporis, id est per tres annos et dimidium, quia sic in Eliæ temporibus est præfiguratum, quando non pluit annos tres et menses sex. Longi certe visi sunt isti dies mali malis, quos tetigit hæc plaga nimiæ siccitatis : attamen Eliæ, ipsumque pascenti viduæ Sareptanæ fuerant breviati per incrementum farinæ simul et olei, ut eis non viderentur longi. Similiter in diebus Antichristi, quando pariter omnis justus, Eliæ in zelo justitiæ assimilatus, persecutionem patietur, et inde clauso cœlo subtracta doctrinæ salutaris pluvia voluntaria tabescet omnis terra, justis non deficiet farina, unde panis ad salutem corporis et animæ necessarius conficiatur, et oleum quo exhilarentur facies eorum, ne dies mali videantur illis nimium longi. Nam sicut nunc *exsurgam diluculo* triduo sepulturæ meæ vix adimpleto et multum abbreviato, sic tunc surgam ad judicium breviando tempus malorum, qui cum dixerint, pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus in illo diluculo, appropinquante videlicet magno die resurrectionis universalis, quem diem præcedet quasi diluculum clara illustratio adventus mei, qua destruetur potestas tenebrarum confortata per Antichristum quem ego interficiam spiritu oris mei, et destruam hac ipsa illustratione adventus mei, ut sciat se non semper dominaturum, neque me ac meos in speluncis oppressurum clarescente *diluculo* justitiæ per me solem justitiæ tunc surgentem ad judicandum vivos et mortuos, justos et injustos, quomodo sol iste visibilis in ascensu suo dijudicat sanos et lippos oculos. Nam certe tunc illi torquebuntur videndo et invidendo, quibus est impietatis lippitudo, quando lex justitiæ clarescere incipiet in illo *diluculo* tenebras injustitiæ fugaturo per prædicationem tuorum testium, qui quasi duo candelabra lucentia præcedent meum adventum.

Aliter : *Exsurgam diluculo* in quolibet corde mihi commortuo, per timorem, de fide sana venientem mihi consepulto per quietem, de spe robusta venientem, mihique conresuscitato per charitatem quasi tertiam diem, duos dies fidei videlicet ac spei subsequentem. In hujus tertiæ diei *diluculo* ego *exsurgam* non moriturus amplius, quia, dum charitas nunquam excidit, etiam lux ejus in æternum manet reliquis diebus prætereuntibus cum fide ac spe, quæ non erit adveniente re quæ credebatur ac sperabatur. Nam « sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur, sive prophetiæ evacuabuntur : Nunc autem manent fides, spes, charitas tria hæc (*I Cor.* XIII, 8, 13) » veluti lux trium dierum. Sed sola dies charitatis non excidet, quia sol ejus Christus non occidet, qui post diem fidei, qua pependit in cruce, ostendens veterem hominem virtute fidei mortificandum, postquam diem spei, qua requievit in sepulcro demonstrans in spe novitatis gaudentibus esse pausandum in die charitatis resurrexit, ipsamque charitatem, quæ Spiritus ejus est, suis discipulis insufflavit dicens : « Accipite Spiritum sanctum (*Joan.* XX, 22). » Quo accepto gratulantes dicunt : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* V, 5). » Ergo sicut nunc exsurgo ego Christus in diei tertiæ *diluculo*, sic semper *exsurgam* in charitatis *diluculo* tenebras odiorum pellens.

Unde tu, qui vis, ut tibi non dormiam, sed quasi excitatus precibus tuis in adjutorium tuum *exsurgam*, scito quia si odis fratrem tuum, in tenebris es, et necesse habes ire ac reconciliari fratri tuo, et tunc veniens in charitatis claro *diluculo*, et offerens munus tuum ad altare meum, senties me tibi excitatum, quia tuis precibus invocatus *exsurgam diluculo*. Ut ergo sit clarum charitatis *diluculum*, et tenebræ in eo non sint ullæ, cum stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis adversus aliquem, ut et Pater vester cœlestis dimittat vobis peccata vestra. O quoties per totam noctem laborantes nihil cepimus, quia rete orationis, vel prædicationis ante lucem dilectionis expandimus, et experimento probavimus quod vanum est nobis ante lucem surgere, sine qua nihil boni ad salutem nobis capere possumus ! O oriens splendor lucis æternæ et sol justitiæ, veni, et illumina sedentes in tenebris et umbra mortis ! Da nobis primo diluculum, deinde splendorem meridianum ; da incipere, da perficere mandatum tuum novum, ut diligamus invicem, et sic in magno gaudio nos amici sponsi audiemus te sponsum loquentem Patri tuo : *Exsurgam diluculo* ego *psalterium et cithara*, et audiatur dulcia cantica dramatis, de me ac per me resonantia in populis.

Nam *confitebor tibi in populis, Domine ; psalmum dicam tibi in gentibus*, id est, faciam in populis et gentibus resonare confessiones peccatorum, seu laudationum et psalmos bonorum operum. In quibus confitentibus ego tibi *confitebor*, et in psallentibus ego *psalmum dicam tibi*, quia sine me nihil possunt facere, sed ego in eis operor, et tu in me manens ipse facis opera, et propterea tibi per me de bonis modi operibus debetur omnis gloria, ut videlicet videntes opera talia in se vel aliis hominibus glorificent te Patrem, qui in cœlis es. Nam et ego tibi gloriam tui refero quod facio. Unde et dico : *Confitebor tibi*, id est, ad laudem tui *in populis, Domine*, quos facio tibi confiteri, *et psalmum dicam tibi*, ad honorem tui, *in gentibus*, in populis Judæorum, et *in gentibus* omnium nationum faciam hoc opus bonum psalmodiæ ac laudis, cujus hæc præcipua est materia :

VERS. 11. *Quoniam magnificata est usque ad cœlos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua.* Unde nos gentes ac populi confitendo et psallendo gratias agimus tibi Deo Patri, *quoniam magnificata es usque ad cœlos misericordia tua, et veritas usque*

Digitized by Google

ad nubes. Misericordia tua, id est Spiritus sanctus, cum sit immensus, et in se magnificari non valeat, tamen in operatione sua magnificatus est *usque ad cœlos* fabricandos, quoniam « videbo cœlos et opera digitorum tuorum (*Psal.* VIII, 4), » id est apostolos per Spiritum sanctum, in omni sanctitatis claritate consummatos et exaltatos ac *cœlis*, id est angelis assimilatos : attamen prius *magnificata est veritas tua*, id est Filius tuus in opere suo per carnem visibilem *usque ad nubes* faciendas, id est eosdem apostolos condendos. Christo enim in carne docente per multas parabolas et miracula, paucis intelligibilia, nec ipsis apostolis intelligentibus, quid significaretur in talibus, ipsi tales auditores formati sunt in *nubes*, nubilosa videlicet cognitione in se continentes mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis id contegentes, ut verbi gratia, cum diceretur eis : « Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis (*Marc.* IV, 11). » Item : « Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat (*Matth.* XVII, 9). » Sic, o Deus Pater, *magnificata est veritas tua usque ad nubes* condendas, de quibus nubibus postea per misericordiam tuam facti sunt cœli.

Unde nos populi et gentes, nos minores per hujusmodi nubes compluti, et per eosdem cœlos illuminati; compluti per historialem seu parabolicam rerum divinarum notitiam, illuminati per earumdem rerum mysticam, seu moralem scientiam : nos, inquam, populi per tales nubes in unam fidem coadunati, nos gentes per tales cœlos Deum cognoscentes te factorem nostrum, jure confitebimur tibi, et psalmum dicimus nomini tuo, id est Filio tuo, qui ponit ascensum suum in hujusmodi nubibus per præcepta et minas tonantibus, per miracula coruscantibus, per dulces orationes et promissiones pluviis terram irrigantibus. Non solum vero apostoli sunt hujusmodi nubes, et cœli, sed eorum quoque sequaces complurimi nubium et cœlorum nomine digni post apostolos ex eorum imitatione venerandi. Cum ergo tot habeas cœlos, Deus, quot electos ad gloriam cœlestem prædestinatos,

VERS. 12. *Exaltare super* eosdem *cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua.* Multi ex hujusmodi cœlis tanquam in inferiori hemisphærio latent, quia vel nondum nati vel in speluncis latentes tibi soli noti sunt. *Exaltare* itaque super illos exaltando illos, ut omnibus cœlis exaltatis, vel potius te Deus exaltato in eis pleni sint cœli et terra gloria tua, *et super omnem terram gloria tua*, dum nullus hujusmodi cœlorum latet in spelunca, vel hemisphærio subterraneo, sed exaltati gloriabuntur te in illis ac super illos exaltato.

Gloria Patri, qui Filio dicit : *Exsurge, gloria mea. Gloria Filio*, qui est Patris *gloria et veritas usque ad nubes magnificata. Gloria Spiritui sancto*, qui est *misericordia magnificata* usque *ad cœlos*. Amen.

PSALMUS LVII.

Si vere utique justitiam loquimini, recta judicate, filii hominum, etc. Psalmi hujus titulus patet, qui sic se habet :

(VERS. 1.) IN FINEM, NE DISPERDAS VEL NE CORRUMPAS DAVID IN TITULI INSCRIPTIONE (132),

Quod est dicere : Psalmus iste respiciens *in finem*, id est in Christum, admonet te, quicunque sis, *ne disperdas David in tituli inscriptione*, id est ne sicuti Judæi dicentes Pilato : « Noli scribere Rex Judæorum (*Joan.* XIX, 21), » tu quoque auferas Christo regnum ejus, quantum in te est, scilicet te ipsum ei subtrahendo, quod regnum in tituli inscriptione fuit notatum.

Ait autem Propheta in hoc psalmo de justitia primo Judæis non recte judicantibus exprobrando, in eo nos admonens ne similia faciamus. Secundo, quæ illis sit retributio narrat ibi : *Deus conteret dentes eorum*. Tertio dicit impiorum ultione corrigi pios et justos ibi : *Lætabitur justus, cum viderit vindictam*. Sed quia in istis quinquaginta psalmis instruitur certator ille, qui inter spem et metum positus non solum contra carnem, sed etiam quasi alter Jacob luctatur cum Deo, tu quicunque talis es, mihi primo admonendus es *ne disperdas* in te titulum Regis Judæorum, id est confitentium, vel non confitendo quod sis peccator, vel non recte judicando unde sis peccator. Nam si recte offeras, et non recte dividas peccata quidem confitendo, sed non tuæ culpæ ascribendo, peccasti. Quid ergo expedit fieri, o filii hominum? Dico vobis :

VERS. 2. *Si vere utique justitiam loquimini*, ait, *recta judicate, filii hominum.* Non dicatis : justi sumus.

VERS. 3. *Etenim in corde iniquitates operamini, in terra injustitias manus vestræ concinnant.* Nisi dicatis : peccatores sumus et justificari non possumus nisi per hominem Jesum Christum, disperdidistis hunc titulum, nec attinet ad vos quod dicitur : Rex Judæorum. Item si dicatis : peccatores quidem sumus, sed fata hoc fecerunt, stellæ hoc fecerunt, nequaquam *justitiam loquimini*, nequaquam *recta judicatis, filii hominum.*

VERS. 4. Ejusmodi peccatores *abalienati sunt a vulva, erraverunt ab utero, loculi sunt falsa*, videli-

(132) Vulgata : *Ne disperdas David in tituli inscriptionem.*

Digitized by Google

cet dum Deum accusant seque defendunt. Idcirco *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum.* Proinde *si vere justitiam loquimini*, vos, qui peccata confitemini, absit a vobis hæc translatio sive remotio criminis, qua peccata vestra imputetis non vobismetipsis in culpam vestram, sed aliis! Et quia translationis et remotionis in crimine facta est mentio, quæ partes rhetoricæ defensionis multum valent in humano judicio, dum reus peccati alicujus artificiose loquendo culpam seu causam peccati a se transfert aut removet in alium, ne forte similiter putentur valere in divino judicio, videtur hic latius exponendum quomodo in quolibet genere causarum sit recte loquendum, non solum in humano, sed etiam in divino judicio.

Sunt enim tam apud spiritales, quam apud sæculares tria causarum genera suis temporibus et finibus distincta, scilicet demonstrativum, deliberativum, judiciale. Demonstrativum de præsenti agens, atque ad finem honestatis tendens cavendo inhonestatem, quo genere jam supra ostendimus quosdam psalmos conscriptos. Deliberativum de futuro agens, atque in finem utilitatis tendens, cavendo et dissuadendo inutile in ipsa deliberatione, quo item genere utuntur psalmistæ interdum, verbi gratia dicendo : « Quandiu ponam consilia in anima mea? » (*Psal.* XII, 2.) Item : « Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? » etc. (*Psal.* XXIX, 10.) Porro judiciale de præterito agens atque ad finem justitiæ tendens, cavendo et dissuadendo iniquum, præsenti psalmo versamus, ubi ad justitiam loquendam, et recte judicandum caute admonemur, cum nobis dicitur : *Si vere utique justitiam loquimini, recte judicate, filii hominum.*

Quibus causarum generibus, cum sæculares rhetorici ante humanos judices utantur, nostri quoque oratores non tam rhetorice quam catholice loqui studentes in ecclesiastico seu divino judicio præsidente Deo vel etiam homine in vice Dei, tribus jam dictis causarum generibus congrue utuntur, et ad certos fines judicis et auditorum benevolentiam et attentionem flectere nituntur. Neque enim parumper agunt de alicujus, imo quam plurium certarum personarum laude vel vituperatione, quæ partes demonstrativi generis sunt, verbi gratia, quando laudatur Deus, vel vituperatur diabolus. Item non parum aut raro resonant suasionem vel dissuasionem, quæ partes deliberativi generis sunt, videlicet suadendo bonum et utile, dissuadendo malum et inutile. Item persæpe accusationem tractant atque defensionem, quæ partes judicialis generis sunt, accusando videlicet injustum, defendendo justum ut, exempli gratia ; in Apostolo, cum accusatur injustitia unius hominis, per quam peccatores constituti sunt multi, et defenditur justitia unius hominis, per quam justi constituuntur multi.

Eas quoque, quas dicunt, constitutiones conjecturalem, legitimam et juridicialem nullus unquam sæcularium sic juste, sic sapienter egit aut agere potuit, quomodo in sanctis, de quibus loquimur, Scripturis agitur. Nam conjecturalis est, cum de facto controversia est hoc modo : Commendavit aliquis proximo suo asinum, bovem, ovem, et omne jumentum ad custodiam, et forte mortuum est aut debilitatum vel captum ab hostibus, sed nullus hoc vidit. Quid ergo fiet? « Jusjurandum, inquit, erit in medio, quod non extenderit manum ad rem proximi sui, suscepitque Dominus juramentum, et ille reddere non cogetur (*Exod.* XXII, 11), » et multa similia. Legitima vero est, cum a scripto, aut e scriptis aliquid controversiæ nascitur, et de intellectu ac voluntate seu intentione scriptoris dubitatur hoc modo : Putabant Judæi sese fideliter adimplere divinam Scripturam sanctæ legis offerendo incensum et manducando carnes sacrificii; sed quid? « Holocaustomata vestra addite victimis vestris, et comedite carnes, ait Dominus, quia non sum locutus cum patribus vestris, et non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocaustomatum, et victimarum, sed hoc verbum præcepi eis dicens : Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus, etc. (*Jer.* VII, 21-23). » Verum multo maxime Apostolus ad Hebræos scribens in hac constitutione consistit, voluntatem scriptoris, imo Dei, cum scripto sive littera cui soli Judæus innititur, conferens aut litteræ præferens, satisque intelligibiliter atque probabiliter voluntatem prædicti scriptoris exponens. Juridicialis est, cum factum convenit, id est factum esse non negatur, sed jure, an injuria factum sit, quæritur.

Hujus autem duæ partes sunt, quarum una absoluta, altera assumptiva nominatur. Absoluta in judiciis Domini omnino damnatur. Dicitur enim absoluta, cum id ipsum, quod factum est, recte factum esse dicitur, ita ut nihil aliud foris assumatur. Porro a Domino nihil quod recte factum sit, quasi non recte factum quæritur. Damnabilis ergo est apud ipsum hæc pars, veniamque non meretur, et ea est hujusmodi : « Quæ est, » inquit Samuel, « hæc vox gregum, quæ resonat in auribus meis et armentorum, quam ego audio? » ac deinceps : « Quare ergo non audisti vocem Domini, sed versus ad prædam es, et fecisti malum in oculis Domini? » Et ait Saul : « Imo audivi vocem Domini, et ambulavimus in via per quam misit me Dominus, et adduxi Agag regem Amalec, et Amalec interfeci, etc. (*I Reg.* XV, 14, 19, 20). » Altera pars assumptiva apud Deum in judiciis ejus partim suscipitur, partim damnatur. Sunt enim partes ejus quatuor : Concessio, remotio criminis, translatio criminis, comparatio. Concessio criminis apud illum non solum suscipitur, verum pene omnes apud illum sumus rei, et hæc omnis pacis nostræ via est, et maxime justus est qui maxime concedit, et maxime sibi postulat ignosci juxta illud : « Justus in principio accusator est sui (*Prov.* XVIII, 17). » Sunt autem hujus, id est concessionis partes duæ : altera deprecatio, altera purgatio. De-

Digitized by Google

precatio est, cum se et consulto fecisse et peccasse reus confitetur, et tamen postulat sibi miserendum, ut, exempli gratia, David : « Tibi soli, inquiens, peccavi, et malum coram te feci. » Purgatio est, cum consulto negat se reus fecisse per malam intentionem, sed per aliam occasionem, id est aut per imprudentiam, aut per fortunam, quam nos rectius eventum dicimus, aut per necessitatem. Per imprudentiam hoc modo : Venit Deus Abimelech per somnium nocte, et ait illi : « En morieris propter mulierem quam tulisti, habet enim virum. » Abimelech vero non tetigit eam, et ait : « Domine, num gentem ignorantem et justam interficies? » etc. (*Gen.* xx, 3, 4.) Per casum vero sive eventum, quod illi per fortunam dicunt, hoc modo : « Iratusque Moyses contra filios qui remanserant, ait : Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto, quæ sancta sanctorum est? » Respondit Aaron : « Oblata est hodie victima pro peccato, et holocaustum coram Domino. Mihi autem accidit quod vides. Quomodo potui comedere eam, aut placere Domino in cæremoniis mente lugubri? » (*Lev.* x, 16, 17, 19.) Per necessitatem hoc modo : Cur, Jephte, scidisti vestimenta tua? « Heu filia mea, inquit, decepisti me, et decepta es. Aperui enim os meum ad Dominum, et aliud facere non potero (*Judic.* xi, 35). » Nam per necessitatem voti, quia os suum aperuit dicens : « Quicunque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino (*Judic.* xi, 31). » Per necessitatem, inquam, voti purgatur et excusatur, qui filiam offerendo occidit, et in catalogo sanctorum, qui « per fidem vicerunt regna (*Hebr.* xi, 33), » meretur computari. Item David sanctificatum panem dante Abimelech sacerdote suscepit et comedit; et quia propter necessitatem hoc fecit, purgatur et excusatur, cum Dominus dicit : « Non legistis, quid fecerit David, quando esuriit, et qui cum eo erant, quomodo intravit in domum Dei, et panes propositionis comedit, quos non licebat ei comedere, neque his qui cum eo erant nisi solis sacerdotibus? » Et subinde : « Si autem sciretis, quid est : misericordiam volo, et non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes (*Matth.* xii, 3, 4). » Itaque concessio partesque concessionis, deprecatio et purgatio suscipiuntur in judiciis Dei.

Comparatio quoque criminis hoc modo : Tu Paule, qui dixisti : « Si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest (*Gal.* v, 2), » cur Timotheum circumcidisti, itemque assumptis viris purificatus cum illis intrasti in templum annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio? Propter vitandum, inquit, periculum majoris criminis, videlicet, quia audierant de me quod discessionem docerem a Moyse, quod falsum erat, quia cum Moyse sum in spiritu et veritate. Sed hoc quia demonstrari non poterat ratione, demonstravi non sine aliqua criminis similitudine.

Translatio vel remotio criminis, quæ duæ sunt ex quatuor partibus assumptivæ, quæ pars erat altera juridicialis constitutionis, sapientibus ubique vitanda est in judicio Dei, quia videlicet ex ipsis est origo vel incrementum peccati. Dixit enim Deus ad Adam : « Quis indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti. » Et ille : « Mulier, » inquit, « quam dedisti sociam mihi, dedit mihi de ligno, et comedi (*Gen.* iii, 11, 12). » Hæc ille dicens crimen a se transferre voluit. Translatio namque criminis est, cum fecisse nos non negamus, sed aliorum peccatis coactos fecisse dicimus. Item « dixit Dominus ad mulierem : Quare hoc fecisti? Quæ respondit : Serpens decepit me, et comedi » (*ibid.*, 13). Hæc dicens nimirum non crimen a se amovere, sed culpam ipsam, id est, criminis causam voluit. Remotio namque criminis dicitur, cum a nobis non crimen, sed causam amovemus, et vel in hominem transferimus, vel in rem quampiam conferimus. Sed qualem in personam mulier criminis culpam transtulit, si tamen persona meretur dici? In serpentem sive spiritalem, id est, diabolum, sive terrestrem, id est, colubrum. Qualem in rem? In serpentis deceptionem. Verum hæc translatio non purgat, sed contaminat; non absolvit, sed involvit. Qualis enim fuit decipientis pollicitatio serpentis? « Nequaquam, » inquit, « morte moriemini. Scit enim Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii (*Gen.* iii, 4, 5). » Dicat mulier serpentem non modo suasisse, sed et talem quoque rationem ostendisse, cur deberet comedere. Nonne crimen auget tali criminis remotione? Recte igitur dixerimus translationem sive remotionem criminis nequaquam de sancta Scriptura quæri vel inter nos et Deum debere constitui, sed et comparationem vix, concessionem autem semper, et maxime deprecationem, quæ una et melior est ex partibus duabus concessionis. Nam cum duæ sint partes concessionis, ut jam dictum est, altera deprecatio, altera purgatio, rarissime vel nunquam in psalmis evangelico sensu intellectis, invenitur purgatio vel excusatio peccati; quia nec imprudentia excusare potest quemquam post legis et Evangelii manifestatam doctrinam, neque casus vel eventus peccantem excusat, qui in regno Christi, quod in titulo psalmi notatur, non casualiter fluitante sed ordinabiliter stante peccat, ac peccando regni hujus ordinatissimi ordinem perturbat, quantum in se est, corrumpendo inscriptionem tuli de regno Christi.

Similiter nullum peccantem excusat necessitas, postquam data est à necessitatibus liberans misericordia et veritas, de quibus psalmo præmisso dicitur : « Misit Deus misericordiam suam et veritatem suam, et eripuit animam meam de medio catulorum leonum (*Ps.* lvi, 4, 5). » Quod cum ita sit, sive necessitate sive casu vel imprudentia eveniat peccatum, potius ipsa necessitas aut casus aut imprudentia coram Deo plangi quam excusari debet,

Digitized by Google

et quod plangendum est, ad excusandas excusationes in peccatis minime valet. Valet tamen, etsi non ad excusationem vel expurgationem, saltem ad aliquam culpæ minorationem seu pœnæ diminutionem. Non enim lex divina vel humana æqualiter punit homicidium sponte commissum et casu factum : verbi gratia, in lege mandatur, ut homicidium omnimodis caveatur, ubi dicitur : « Non occides (*Num.* xxxv, 28). » Et tamen si homicidium evenerit per casum, in civitate refugii salvatur homicida non sine pœna, licet modica, quia usque ad mortem summi pontificis ibidem jubetur exsulare ipse homicida. Qui autem per odium vel industriam fecerit homicidium, etiam ab altari præcipitur avelli et occidi. Paulus quoque apostolus per imprudentiam non quidem expurgatum vel excusatum sed misericordiam se dicit consecutum, quia ignorans fecit, quod lex fieri prohibuit, quam ipse necdum intellexit, quando persecutus est Ecclesiam Dei, habens æmulationem Dei, sed non secundum scientiam (*I Tim.* I, 13). Similiter et necessitas culpam culpæque pœnam debitam diminuit, non tamen penitus excusat, sicut in præmonstratis exemplis apparet. Cum enim Dominus excusasset regem David panes propositionis contra licitum comedentem, et ejus exemplo discipulos necessitate famis coactos in Sabbato spicas vellicantes contra legis prohibitionem, consequenter in fine adjunxit ad Pharisæos loquens : « Si autem sciretis quid est, misericordiam volo, et non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes (*Matth.* XII, 7). » Hæc dicens evidenter innuit aliquantulam culpæ miseriam præcessisse, cui misericordia indulgentiæ fuerit necessaria. Et hæc utique misericordia præcedente quantulacunque culpa non excusatione quasi ex debito requirenda, sed deprecatione humiliter est petenda.

Sola ergo, Deo justo judice nos accusante, necessaria est in concessione deprecatio, qua concedentes et confitentes nos omnino culpabiles, et neque per imprudentiam neque per eventum seu per necessitatem excusabiles judicem flectamus, et movere satagamus ad miserendum, sic dicente unoquoque nostrum : « Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam (*Psal.* L, 1). » Item : « Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo (*Ps.* LV, 2). » Item : « Miserere mei quoniam in te confidit anima mea (*Psal.* LVI, 2). » Et omnes pene psalmi hoc resonant, ut judicem paratum ad ulciscendum, provocent ad miserendum deprecando et devotando ipsius ultionem rogandoque miserationem. Quæ tamen Dei miseratio solis vere confitentibus et regis Judæorum titulum non corrumpentibus impetrabitur. Nam cæteris ultio illa parata est, quæ in psalmo verbis istis exprimitur : *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum; molas leonum confringet Dominus;* maxime si exemplo Saulis peccatum suum sic excusant, ut juste se fecisse contendant in his, quæ incantatores illi accusant, qui vitia odientes et homines diligentes ibi sapienter et efficaciter incantant, ubi auditores dociles, benevolos et attentos inveniunt, qui non sicut aspis obturant aures suas. Quo contra dicitur : « Qui obturat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis (*Prov.* XXVIII, 9). »

Igitur si boni causidici vultis esse in oratorio sive auditorio judicis justissimi, et *si vere utique justitiam loquimini*, vos Judæi, qui estis *filii hominum*, id est, patriarcharum et prophetarum, *recte judicate*, neque in conspectu judicis iniquitates vestras argentis vos excusate, vel per imprudentiam, vel per necessitatem. Nam per imprudentiam non potestis excusari, cum sitis mali coloni, qui hæredem cognoscentes ob hoc interfecistis, ut vineam ejus possideretis. Item per necessitatem non potestis excusari, quasi necessitate cogente illum occideritis, per quem, si viveret, locum et gentem perdere timeretis. Quoties enim talis coarctat necessitas, ut e duobus malis alterum necessario sit admittendum, levius utique, non gravius est eligendum, quod vos non fecistis, qui pro loco servando crimen criminibus omnibus antecellens admisistis, frustra tamen, quia postquam Dominum loci occidistis, etiam locum et gentem perdidistis. Saltem ergo adhuc resipiscite, neque per criminis translationem vel remotionem sic excusate, ut dicatis quod ante Pilatum dixistis clamando : « Nobis non licet interficere quemquam (*Joan.* XVIII, 13). » Item : « Nos legem habemus, et secundum legem nostram debet mori, quia Filium Dei se fecit (*Joan.* XIX, 7.) » Talia dicendo *justitiam* quidem *loquimini*, sicut putatis vel alios putare facitis : attamen quia crimen homicidii crudeliter intenditis, frustra illud in Pilatum vel in Dei legem transfertis vel removetis a vobis, quia « Deus non irridetur (*Gal.* VI, 7) » vel decipietur vestris fraudulentiis, qui novit et decipientem et eum qui decipitur, videlicet illum cœtum Pharisæorum et Scribarum qui decipit populum, et ipsum populum deceptum.

Neque enim, sicut affirmatis, in Dei legem peccatis, qui cum Dei Filius esset, Filium Dei se nominavit, sicut vos peccatis filios Abrahæ vos nominando, opera Abrahæ non faciendo. Si non facit opera Patris sui Dei omnipotentis, nolite credere illi dicenti quod Deus vel Dei Filius ipse sit. Si autem omnia quæcunque Pater facit, hæc et Filius similiter facit, credite, si non verbis, at saltem operibus manifeste contestantibus quod homo ille Deus est, qui non solum verba Dei loquitur, sed etiam opera Dei operatur. « Qui est ex Deo, verba Dei loquitur (*Joan.* III, 34), » talia scilicet, qualia nemo vere loqui potest, nisi Deus, verbi gratia : « Ante Abraham ego sum (*Joan.* VIII, 58). » Item : « Ego principium, qui et loquor vobis (*Joan.* VIII, 25). » Item : « Omnia quæ habet Pater mea sunt (*Joan.* XVI, 15). » In his et cæteris hujusmodi verbis Dei, Deo videlicet soli congruis testem veritatem habetis, cui soli credere possetis. Verum quia in lege vestra scriptum est, quod « in ore vel trium testium stet omne verbum (*Matth.* XVIII, 16), » testimonio verborum

Digitized by Google

concordat testimonium operum, dum sua potestate, utpote Deus, mortuos facit vivere, surdos audire, mutos loqui, et alia facit mirabilia nullis hominibus, aut angelis imitabilia. Etenim cum per angelos, vel homines fiunt mirabilia opera, non ipsi hæc operantur virtute sua, sibique innata, sed virtute superna, vel gratis concessa, vel per preces impetrata. Iste autem sic imperavit ventis et mari, sic fecit mortuos vivere, surdos audire et mutos loqui propria virtute, ut nulla indiguerit aliena ope, quam invocare opus haberet sua prece. Nam etsi ante suscitationem Lazari orasse legatur, non suæ hoc fuit causa necessitatis sed nostræ institutionis. Unde ibidem contestatur se aperte semper audiri, sed propter populum circumstantem ante opus illud mirabile orasse, ut scias populo, non ipsi fuisse necessarium, quod Patrem orando aliis præbuit exemplum. Neque enim vel in humanitate sua indigebat aliena ope, cui semel et simul datum est omnia nosse ac posse in assumpta humanitate, quæ novit ac potest in assumente Divinitate, ita ut utriusque naturæ una sit sapientia, una potentia. Proinde *si vere justitiam loquimini* dicendo : Filii Abrahæ sumus, *recte* quoque de illo *judicate*, cujus Abraham diem exsultando concupivit ut videret, et vidit et gavisus est. Hunc autem peccata vestra redarguentem vos quæritis interficere : hoc Abraham non fecit. Quæritis, inquam, interficere hominem, qui vera locutus est vobis, et suam Divinitatem et nostram iniquitatem contestando, vel potius multas iniquitates et injustitias vestras una sua justitia improbando.

Etenim in corde iniquitates operamini in terra, injustitias manus vestræ concinnant, dum peccata, quæ corde cogitando intenditis, manibus operando perficitis. Et hoc totum facitis *in terra*, videlicet in iracundia terræ loquentes dolos, et dicentes : « Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent nostrum et locum et gentem (*Joan.* XI, 48). » Sic *in terra* peccatis, dum timorem prætenditis quasi terram, et gentem vestram sitis amissuri, si parcitis nomini se Deum Christum regem Judæorum verbis, et operibus ostendenti.

Aliter : *Iniquitates operamini in terra*, quia « terra data est in manus impii (*Joan.* IX, 24), » dum caro Christi per vos data est in manus Pilati, cujus tamen Divinitatem impassibilem vos tangere non potuistis, quia illa fide caruistis, qua eum tetigit mulier fidelis, de qua ipse dicit : « Tetigit me aliquis : ego enim novi de me virtutem exisse (*Luc.* VIII, 46). »

Aliter : *Iniquitates operamini in terra* non solum vos Judæi, sed etiam vos Ecclesiarum prælati, qui terrenam in decimis et oblationibus facultatem vobis commissam in opus justitiæ ac pietatis vertitis in opus injustitiæ et impietatis Nam et vos Judæi de substantia templi emendo a traditore Christum ad mortem vel a militibus mendacium ad negandum resurrectionem, *iniquitates* operati estis *in terra*, nequiter abutendo commissa vobis terrena substantia; et vos, mali, de opibus Ecclesiæ vobis commissis in opus pietatis opera impietatis agitis, et crudeliter in pauperes debacchando et in cubilibus atque impudicitiis luxuriando. An nescitis, miseri, quod terra sanctorum est quam possidetis, et sanctis data est vel ad usum Deo in sanctimonia militantium, vel ad necessitatem egenorum? Sed vos inde luxuriamini et tyrannizatis, vel certe luxuriantibus et tyrannizantibus plus inde ministratis in auxilium suæ impietatis quam bonis et sanctis in consolationem suæ paupertatis. Dicitis fortasse vos tempus redimere, quoniam dies mali sunt, et ideo perversi aliquando muneribus placandi sunt, ut Jacob sibi offensum placavit muneribus Esau fratrem suum. Sed ille sibi et duabus uxoribus earumque filiis nec non ancillis earumque filiis placabat illum, quem timebat iratum, ne forte veniens percuteret matrem cum filiis. Vos autem longe aliter agitis. *Etenim in corde iniquitates operamini in terra* toto studio cordis iniqui, per mala exempla interficiendo uxores vestras Rachelem et Liam cum earum filiis, contemplativam scilicet vitam et activam cum earum fructibus necando ; nequiores Esau fratre terreno et piloso, qui talibus pepercit, postquam munera sibi præparata cognovit, quæ vix fratre compellente suscepit. Si ergo bonis aliquando per munera et obsequia pacem comparatis a malis exemplo Jacob diligendo bonos contemplativos et activos tanquam Rachelis et Liæ filios, et sustinendo malos utriusque vitæ inimicos utcunque potestis excusari, quod in terra sanctorum nullas iniquitates operemini *in corde*, scilicet approbando quod nostis iniquum, licet patienter sufferatis tale quid usque ad tempus opportunum. Verum si vos ita *in corde iniquitates operamini in terra*, ut corde approbando, quæ sunt iniqua, de terrenæ facultatis opulentia eadem perficiatis in opere manibus concinnando, id est, coaptando injustitias corde conceptas, ut pariter ex cogitationibus et operibus iniquis tanquam de multis restibus nectantur funes peccatorum, jure flagello de hujusmodi funibus facto estis et hic de templo ejiciendi et in futuro talibus funibus ligandi, et in ignem mittendi primo vos, Judæi, deinde vos, Judæorum sectatores perversi propter terram sanctorum, in qua injustitias concinnabatis, dum pariter affectu et effectu peccastis. Nam et affectus peccandi aliquoties absque opere in peccatum reputatur, Veritate dicente : « Qui videt mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo (*Matth.* V, 28). » Item Joannes : « Qui odit fratrem suum, homicida est (*I Joan.* III, 15). » Quanto magis exsecranda est iniquitas aperta non solum in corde affectata, sed etiam *in terra* sanctorum perpetrata? De tali peccatore in Isaia dicitur : « In terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Dei (*Isa.* XXVI, 10). » Tolletur enim impius, ne videat gloriam Dei, qui peccavit in terra sanctorum, ut jam dictum est. Vel sic iniquitates operatus est in terra, ut in terra pecuniam Domini sui absconderet, nec eam prout debuit erogaret.

Digitized by Google

Ergo ne in talia mala incidatis, « diligite justitiam, qui judicatis terram (*Sap.* I, 1). » Justitia est, quod tibi non vis fieri, alii ne feceris. Hanc Veritas scripsit in corde, et ibi cum eam homines non legerent, eadem veritas eamdem iteravit in tabulis, ut forinsecus admota redirent prævaricatores ad cor. Hanc omnes facile loquuntur, ut si quis interrogatus quid sit melius, aurum an fides, locutus justitiam auro fidem præponit, quod forte tamen commodatum teste remoto negare cogitat, et dum veritatem cupiditas excludit, potius aurum eligit. Itaque non est *vere* locutus justitiam. Aliud enim dicit ore, aliud in corde eligit. Similiter Judæi dicentes : « Scimus quia verax es (*Matth.* XXII, 16), » licte locuti sunt justitiam, quod patet experimento judicii, quo dixerunt : « Crucifige, crucifige (*Joan.* XIX, 6). » Christus tamen non minus est rex, sicut ait titulus crucis. Ego eos moneo corde simul et opere justitiam loqui et sectari, sed illi neutrum faciunt iniqui existentes corde simul et opere; atque ideo dum verbis loquuntur justitiam, non recte judicando factis negant eam primitus Judæi ac deinde omnes falsi Christiani animales de vulva matris Ecclesiæ se ipsos segregantes. Nec mirum, quoniam

Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero : locuti sunt falsa. Sicut enim Esau adhuc in vulva manens reprobatus est, Deo dicente : « Jacob dilexi, Esau autem odio habui (*Maluch.* I, 2, 3), » sic et isti adhuc hominibus occulti, Deo manifesti secreto ipsius judicio alieni reputantur a vulva, id est ab origine sua, quoniam filii sunt non illius benedictionis, qua dictum est primis parentibus : « Crescite, et multiplicamini et replete terram (*Gen.* I, 18), » sed illius maledictionis, qua post peccatum dictum est Evæ : « Multiplicabo ærumnas et conceptus tuos (*Gen.* III, 16), » id est, mater eris non solum filiorum benedictorum, sed multiplicatis conceptibus tuis super numerum eorum paries maledictos filios et filias, quibus tanquam spinis ac tribulis de terra, id est, de carne tua germinantibus gravabitur legitimorum et electorum filiorum benedictus fructus de hac ipsa terra nasciturus. Sic *alienati a vulva* per occultum judicium Dei *erraverunt ab utero*, nati videlicet ab utero in hunc mundum, in quo manifestata jam eorum iniquitate noluerunt in via veritatis ambulare, illum reprobantes qui dicit : « Ego sum via et veritas et vita (*Joan.* XIV, 6). »

Etiam in illius agnitione quidam eorum, Judæi scilicet et hæretici, *erraverunt ab utero* non credentes illum verum Deum Dei Patris Filium, pro eo, quod femineo matris *utero* sciverunt illum natum, unde et dicunt : « De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, et quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum (*Joan.* X, 33). » Sic *erraverunt ab utero* etiam hæretici negantes hominem Deum, quem femina Maria peperit, non attendentes quod eadem femina virgo permanens in utero impolluto concepit non de viro, sed de Spiritu sancto qui, cum sit amor divinus non humanus, recte quod natum est ex ea sanctum vocabitur Filius Dei. Nec mirum. Si enim filius Abrahæ dicitur totum quod Sara per illius amorem concepit, quomodo non dicatur vere Filius Dei Patris totum quod virgo per illius amorem, sanctum videlicet Spiritum concepit? Nam Spiritu sancto mirabiliter operante Verbum Dei virgineæ carni sic est consertum, ut ipse virgineus partus tam proprie Dei Patris quam virginis matris Filius recte credatur et dicatur, non per adoptionem, sed per nativitatem ; quia tam in humana quam in divina natura nascendo accepit, ut sit Filius Altissimi, quoniam virtus Altissimi obumbravit matri concipienti, ut absque libidinis carnali æstu Deum hominem factum conciperet, et mater Filii Dei fieret.

Frustra igitur *erraverunt ab utero*, quibus propter virginalis uteri hospitium visum est hunc hominem Deum Dei Filium non esse. Qui enim corpori suo virginis præparavit uterum, ipse in eodem corpore suo se verum probat Deum, dum non solum Divinitas ejus, sed et caro ejus vere est cibus. Alioquin ad salutem animarum caro ejus non prodesset quidquam, si non ut ipsa Divinitas haberet vivificandi efficaciam, neque hoc faceret in toto totius Ecclesiæ corpore, quod facit spiritus cujusque hominis in suo corpore, videlicet vivificationem ; si non, ut ipsa Divinitas, habet vitam in se manentem. « Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso (*Joan.* V, 26). » Et sicut Filius vitam habet in semetipso, sic dedit et carni suæ vitam habere in semetipsa. In semetipsa dico, non a semetipsa, quia nec ipse Filius habet vitam a semetipso, quia habet in semetipso, nec ideo minus habet vitam, quod a semetipso non habet eam. Sic et caro ejus non ideo minus habet vitam, quod a semetipsa non habet eam, quoniam sic habet vitam in semetipsa, ut non solum ipsa vivat æternaliter et immortaliter, sed etiam se digne participantibus conferat in se vivere, immortaliter et æternaliter. Hinc est, quod in fide catholica vitam æternam credere nos confitemur, qui ejus corpori communicamus et sanguini; quia tanta est virtus illius vivifici sacramenti, ut caro deificata vivificet ac deificet se digne participantes homines, quomodo Verbum se participantes vivificat ac deificat angelicas virtutes. Ut enim panem angelorum manducaret homo, creator angelorum factus est homo, « et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Et vidimus gloriam ejus, ait Joannes, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratia et veritate (*Joan.* I, 14). » Vidimus, inquiunt, gloriam ejus gloriam quasi Unigeniti, quia licet naturaliter substantia in Christo humana discreta sit a divina, tamen una indiscreta est utriusque naturæ gloria ; una, inquam, quasi Unigeniti a Patre, cum quo illi est unitas indifferentis gloriæ non solum in sua semper gloriosa Divinitate, sed etiam in sua divinitusglorificata humanitate.

Cæci ergo fuerunt, qui *erraverunt ab utero*, Nestorius videlicet, illique consimiles hæretici arbitra-

Digitized by Google

tes de virginali utero non Deum sed hominem tantummodo genitum, non attendentes, hominem divinitus conceptum et genitum esse Deum. Non autem suffecit eis errare in invio et non in via, quin insuper ut alios in errorem mitterent, *locuti sunt falsa.* Necesse est enim ut falsa loquantur, qui *alienati a vulva* matris Ecclesiæ, simulque ab utero ejus errantes non sustinent, ut veritas Christus formetur in illis, et fiant perfecti. Fierent autem perfecti, si matris Ecclesiæ uterum non scinderent, sique in sinu ejus lactis nutrimento crescerent usque ad solidi panis perceptionem. Sed in hoc minime acquiescunt, quia neque blanditias maternas neque admonitiones paternas audire volunt : unde omnino inexcusabiles sunt. Non enim quia non possunt, sed quia nolunt, ad lucem veritatis non veniunt. Propterea dico :

Vers. 5. *Furor illis secundum similitudinem serpentis : sicut aspidis surdæ, et obdurantis* (133) *aures suas.*

Vers. 6. *Quæ non exaudiet vocem incantantium, et veneficii incantantis sapienter.* Sicut enim serpens, id est, diabolus voluntate propria, non necessitate aliena furit, ex quo in serpente hominem decepit, sic homines imitatores ejus propria voluntate, non fatali necessitate insaniunt, et ab insania sua revocari nolunt. Item sicut aspis non est naturaliter surda, ut audire non possit, sed ne audiat vocem incantantis, artificiose et studiose agit obdurando aures suas, ita genimina viperarum filii perditionis cum veritatem obedienter audire possent, si vellent (quia liberum arbitrium sicut cæteri homines habent), studiose laborant, ne verbum Dei obedienter audiant. Quomodo ? Videlicet sicut aspis cauda et terra suas aures obdurat, ne vocem incantantis audiat, quantumlibet sapienter pro artificio suo incantet, sic isti faciunt, quia de malitiæ suæ cavernis ad lucem exire, ac venenum suum amittere nolunt.

Sciendum quod non undecunque datur similitudo, res ipsa laudatur. Non enim laudavit Dominus iniquum judicem, qui viduam audire nolebat, nec laudavit pigrum, qui tres panes dedit petenti tædio victus, et tamen in similitudinem traxit. Ita et hic similitudo data est de Marsis, qui aspidem incantant, de caverna ad lucem volentes educere eam : illa vero exire nolens allidit unam aurem terræ et de cauda obdurat alteram, atque ita voces illas evitans non exit in lucem ad incantantem. Huic ergo similes dicuntur, qui vel de præterita vita gloriantur, vel in præsentibus delectantur. Si enim quæ retro sunt non obliviscantur, scilicet præterita, obdurant aurem cauda. Si vero respiciunt ea, quæ videntur, scilicet præsentia, terræ allidunt aurem, et sic non solum non faciunt, sed nec audiunt verba prædicantium, per quæ deducantur de tenebris in lucem.

Alia littera est : *Quæ non exaudiet vocem incantantium et medicamenti medicati a sapiente.* Sensus non mutatur : sed cujusmodi sit ista vox incantantium, ostendit. Etenim medicamentum confectum præcepta legis et prophetarum erant, sed medicamentum quod nemo ferre poterat, nec eo curari. Nunc autem medicatum est adventu Domini, qui legem et prophetas implevit. Hoc medicamento medicatus Stephanus incantabat, contra quem Judæi aures clauserunt, et incantatorem suum lapidaverunt. Tales quoque nunc patimur, et tamen veritas in Ecclesia prædicatur, et demonstrata est civitas super montem posita, lucerna super candelabrum. Ubi enim latet Ecclesia Christi et veritas Christi.

In Hebræo habetur : *Furor eorum sicut similitudo serpentis : sicut regulî surdi obdurantis aures suas : ut non audiat vocem murmurantium nec incantatoris incantationes callidas.* Sensus idem est, excepto, quod magis proprie ad litteram in arte incantatoris nominatur calliditas quam sapientia, cum sit ars mala, sed tamen bene ad bonum in similitudinem acommodata. Et verum quidem est, quod hujusmodi homines aspidi vel regulo consimiles non recipiunt callidas vel sapientes incantationes ; ut in illis apparet qui, protomartyre Stephano sapienter eos incantante, cum non possent resistere sapientiæ et Spiritui qui loquebatur, « continuerunt aures suas (*Act.* VII, 56), » ne audirent incantationes callidas. Attamen inter tales inveniuntur quidam Saulo consimiles, quorum

Vers. 7. *Deus conteret dentes in ore ipsorum.* Etiamsi quasi leones avide sitiunt sanguinem ut ille, qui adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Domini pergebat Damascum, quod interpretatur *bibens sanguinem :* tamen *molas* hujusmodi *leonum confringet Dominus*, et facit Paulos de Saulis, agnos de lupis, humiles de superbis. Hoc in translatione nostra prophetatur, sed in Hebræo postulatur, ubi sic legitur : *Deus, excute dentes eorum ex ore ipsorum, molas leonum confringe, Domine.* Utinam, Deus noster, excutias nobis et nostris omnibus tam amicis quam inimicis, dentes detractionis, et confractis molis voracitatis facias nos habere dentes, quales in Canticis canticorum laudas, dicens ad sponsam tuam : « Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fetibus, et sterilis non est inter eas (*Cant.* IV, 2). » Laudatur his verbis in sponsa, excepto altioris intelligentiæ sacramento edendi et loquendi modestia valde amica pusillo gregi, sive tonsis gregibus, id est apostolicæ perfectionis amatoribus et sectatoribus in eo quod, unanimiter vivendo et humiliter sentiendo, gregis nomine digni sunt, atque velleribus rerum suarum depositis assimilantur ovibus tonsis de lavacro ascendentibus et gemellos fetus habentibus ; quia videlicet baptismo sive lacrymis purificati, et geminæ charitatis

(133) Ita constanter Codex.

Digitized by Google

fructu fecundati, sordibus carent et sterilitatem cavent.

Heu! quam multi sunt, qui tales dentes habere nolunt, et quod pejus est, prout valent, confringunt etiam dentes hujusmodi, ut fecerunt lapidatores beati Stephani. Sed ex numero talium segregatis, et salubriter contritis aliquibus per ignorantiam peccantibus, ut Saulus, *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum*, quia verba mordacitatis in dolo prolata et dentibus assimilata, cassabit veritas non utcunque, sed *in ore ipsorum*, id est propriis ipsorum verbis capiens eos: verbi gratia, volebant Judæi tanquam aspides mordere Christum incantatorem sum e bonum verbis insidiosis dicendo: « Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces; licet censum dare Cæsari, an non? » (*Matth.* XXII, 16, 17.) Ecce dentes non quidem per apertam nequitiam velut aprini ex ore prominentes, attamen *in ore ipsorum* latenter sese invicem acuentes ad morsum inter osculum simulatum. Quid ad hæc Veritas? Utique dentes eorum contrivit in ore ipsorum, dum coegit eos contra se proferre sententiam. Quærenti enim cujus imago et superscriptio esset in denario, responderunt: « Cæsaris. » Et sic contritis calumniæ dentibus intulit: « Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo (*ibid.*). » Ita nimirum *in ore ipsorum Deus conteret dentes eorum*, subdolas videlicet deceptiones et læsiones, quas moliuntur ut aspides veneno abundantes, non habendo tamen vires huic veneno pares. At vero eum virulentiæ magnæ vires maguæ suppetunt, jam non ut aspides ac serpentes emittunt sibilum, sed ut leones amplificant rugitum, verbi gratia dicentes: « Reus est mortis. » Item: « Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris: omnis enim qui se regem facit contradicit Cæsari (*Joan.* XIX, 12). » Talia dicendo, et sic Cæsari favendo coram subjudice ipsius Pilato, cum rabie leonina dentes putidos exercebant. Sed *molas leonum confregit Dominus*, dum resurrexit a mortuis, quem clamaverunt esse reum mortis. Sicut tunc, ita et nunc frangit, et semper usque in finem seu victoriam, titulo prænotatam *conteret dentes* aspidum et *molas leonum confringet*. Atque ipso eos confringente vel contemnente.

VERS. 8. *Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens*, dum aut salubriter contriti et confracti habebunt cor contritum ut Saulus divino terrore confractus, quo etiam terrore ad nihilum redactus est persecutor Saulus, et cœpit vivere Paulus. Aut certe pœnaliter contriti et confracti *ad nihilum devenient*, non ut nusquam sint, sed ut nusquam obsint, vel obesse possint in regno regis Judæorum, cujus in se non recipiunt titulum; vel si recipiunt, non ejus retinent inscriptionem, sicut nec aqua retinet aliquam inscriptionem propter sui mollitiem. Ideo *ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens*. Cui recte assimilantur sonantes ad saxa superbiæ, atque in modum torrentis de alto monte præcipitanter currentis, et quæque mobilia in se trahentis; ipsi quoque præcipites ab alto elationis in profundum perditionis currunt, et quos possunt, una secum trahunt. Sed contemnendi et aliquoties declinandi sunt usque dum transeant, quia non diu durant, imo quasi torrentes de aquis nivalibus et hiemalibus intumescentes cito æstate propinquante deficient, et *ad nihilum devenient*. Velociter enim hiems transiet et recedet, floresque apparebunt et vineæ florentes odorem dabunt. O quam mali esse insinuantur qui tot malis comparantur, dum serpenti et aspidi ac leoninæ ferocitati, simulque torrenti ad nihilum devenienti assimilantur! Et o quam boni econtra notantur, qui per tales et tot serpentes, aspides, leones et torrentes purificantur!

Propter quos etiam purificandos et exercendos aliquandiu sustinet eos Dominus, qui eos non cito fecit, sed exspectans eorum conversionem, et aliorum per ipsos agens purificationem cum aliquanta mora *intendit arcum suum*, videlicet comminando et terrendo eos, *donec infirmentur*, ut infirmatus est ille phreneticus in sua phrenesi fortissimus, qui tandem sanitate accedente dixit: « Domine, quid me vis facere (*Act.* IX, 6). » Ecce quasi amissis, imo vere amissis propriis viribus clamat ægrotus ad medicum cupiens eruditi, quid sibi faciendum, quidve sit vitandum. Libenter igitur gloriabatur in infirmitatibus suis, cui virtus in infirmitate perficiebatur, quem si Dominus in lapidatione Stephani et cædibus aliorum discipulorum sævientem percussisset, non de Saulo Paulum fecisset. Quem ut faceret, non cito percussit, sed cum mora *tetendit arcum suum*, donec infirmaretur, et in ipsa infirmitate virtus perficeretur. Id ipsum facit in aliis eidem Paulo similibus, per ignorantiam peccantibus, nec tamen peccata sua per ignorantiam excusantibus, imo cum eodem Paulo vehementer se accusantibus et Dei gratiam, qua justificantur, laudantibus. Qui vero cum sint fortes in malo, nolunt salubriter infirmari, tandem coram isto Rege Judæorum, cujus negant titulum,

VERS. 9. *Sicut cera quæ fluit, auferentur*, ipso judicante sæculum per ignem. Justo namque judicio *supercecidit ignis, et non viderunt solem*, id est absque dubio, quod quasi præteritum annuntio, erit futurum, ut cadat super eos ignis pœnalis, et non videant solem, quibus in præsenti vita *supercecidit ignis* concupiscentiæ, superbiæ, iræ, invidiæ aliorumque vitiorum, et inter hæc cæcati spontanea cæcitate ac nolentes intelligere ut bene agerent, magisque diligentes tenebras quam lucem *non viderunt solem*, illum videlicet *solem justitiæ*, de quo dicturi sunt in pœnis: « Erravimus de via veritatis, et sol justitiæ non luxit nobis (*Sap.* V, 6). » Super hunc locum beatus Gregorius dicit in Job (134): « Ignis super impios cadit sed sol ipse

(134) S. Greg. M., lib. IX Moral., cap. 65.

Digitized by Google

radente non cernitur, quia quo illos gehennæ flamma devorat, a visione veri luminis cæcat, ut et foris eos dolor combustionis cruciet, et intus pœna cæcitatis obscuret, quatenus qui auctori suo corpore et corde deliquerunt, simul corpore et corde puniantur, et utrobique pœnas sentiant, qui dum hic viverent, pravis suis delectationibus ex utroque serviebant. »

Fortasse putatis vos aspides et leones, quod, antequam superveniat ignis ille ultimi examinis, interim securi et velut in pace maneatis. Conceditur quidem vobis, ut dicatis : pax et securitas; cum tamen vere vobis non sit pax et securitas, quoniam

Vers. 10. *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum* vos, qui noluistis regnare super vos ficum, seu vitem, seu olivam, sed rhamnum, sentietis ignem de rhamno egredientem vosque devorantem. Vos enim estis ligna silvestria, quæ secundum parabolam in libro Judicum dictam, et a nobis jam supra expositam, super vos elegistis *rhamnum* regem, id est Antichristum; ut imperet vobis repudiato regno Patris et Filii et Spiritus sancti, quod per fructus ficus et vitis et olivæ parabolice significatur. Vultis quidem sub umbra illius *rhamni* requiescere; dum non intelligunt spinæ vestræ, id est concupiscentiarum aculei, quantæ sunt in rhamno spinæ pœnarum nunc absconditæ, dum rhamnus adhuc herba est in suæ viriditatis mollitie. Sed posthac erumpent istæ spinæ asperrimæ in extrema ultione, quando ultima vexatio dabit intellectum auditui vestro, ut intelligant spinæ vestræ, id est intelligere vos faciant per suum fructum nimis amarum, qualem regem vobis elegeritis in rhamno, id est in Antichristo; repudiato regno, vel potius repudiati a regno Dei, in quo dulcedine fructuum ficus, et vitis, et olivæ utuntur dii et homines, id est contemplativi et activi, de quibus fructibus non est modo dicendum per singula, quia superius parabola hæc in psalmo tricesimo secundo sufficienter est exposita, quæ sic se habet : « Ierunt ligna, ut ungerent super se regem, dixeruntque olivæ : Impera nobis. Quæ respondit eis : Nunquid possum deserere pinguedinem meam, qua dii utuntur et homines, et venire, ut inter ligna commovear (135)? Dixerunt ligna ad arborem ficum : Veni, et super nos accipe regnum. Quæ respondit eis : Nunquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suavissimos, et ire ut inter cætera ligna commovear (135)? Locuta sunt quoque ligna ad vitem : Veni et impera nobis. Quæ respondit : Nunquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum et homines, et inter ligna cætera commoveri (135)? Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum : Veni, et impera super nos. Quæ respondit eis : Si vere regem me vobis constitutis, venite et sub umbra mea requiescite. Si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno et devoret cedros Libani (*Jud.* IX, 8, 15). » Hæc parabola, ut dictum est, in prænemorato psalmo invenitur exposita.

Addendum tamen videtur in hoc loco de rhamni consideratione, quod, cum primo appareat quasi herba mollis, postmodum cernitur arbuscula plena spinis acutissimis. Et ideo illi videntur sub umbra ejus requiescere, qui in hac vita eligunt molliter vivere servientes voluptati propriæ sub alicujus prælati umbra et nomine, cujus fructus nulli sunt nisi spinæ post herbas molles voluptatum in fine tandem intelligendæ, atque per amaras tormentorum punctiones intellectum daturæ. Sed vos, qui sub talibus libenter quiescitis, utique spinas illius vestras facitis, dum peccatis illius consentitis vel amando vel non, ut debetis, improbando illa, ut requiescatis in umbra ejus, pariterque cum illo spinas germinetis, quas etsi modo non sentitis, in fine tandem sentietis et amare pungentes, et ignem pœnalem vobis augentes.

Sed et modo cum dicitis : Pax et securitas, quia neque sub ficu legalis, neque sub oliva prophetalis, neque sub vite protecti estis evangelicæ doctrinæ, *sicut viventes*, *sicut* [Vulg. *sic*] *in ira absorbet* vos ille judex justus, qui de rhamno, quem vobis protectorem elegistis, ignem exire faciet, quo vos involvet et *absorbet*. Conversatio enim vestra neque per legem ordinata Deum Patrem honorat, neque per prophetas informata Spiritum sanctum in eis loquentem glorificat, neque per Evangelium instituta Filium Dei honorificat. Pater enim ficum legis plantavit, de qua fructum per vos Judæos faciendum exspectans non invenit, vel etiam vos ipsi ab eo in agro legis plantati estis, ficus illa sterilis habens folia tantum non fructum, ac proinde sic maledicti per Filium, ut arescatis a radicibus, nec jam de vobis ullus exspectetur fructus talis, qualis fuit in vestræ gentis radicibus, id est primis et præcipuis Patribus, quos plantavit Pater Deus, ut alias dicitur : « Ejecisti gentes et plantasti eos (*Psal.* LXXIX, 9). » Porro Spiritus sanctus prophetas oleo lætitiæ perungens illuminavit, quos occidendo et persequendo semper Spiritui sancto restitistis, ut protomartyr Stephanus vobis improperat. Ipse Dei Filius, vera vitis, ore proprio annuntians vobis Evangelium, talem apud vos fructum invenit, ut, ipso reprobato, Cæsarem eligeretis dicendo : « Non habemus regem nisi Cæsarem (*Joan.* XIX, 15). » Sub Cæsaris protectione veluti sub rhamni umbra voluistis requiescere ac lascivire. Sed ignis iræ Dei de tali rhamno egressus ita vos absorbuit, ut et civitatem vestram succenderet, et vos ipsos interficeret juxta illud : « Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima, devorabitque terram cum germine suo, et montium fundamenta comburet (*Deut.* XXXII, 22). » Cæsarem elegistis, per Cæsarem vastati et dispersi estis, etiam

(135) Vulgata : *Promovear.*

Digitized by Google

priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum, id est priusquam vexatio ultima intellectum daret auditui vestro. Similiter vos, falsi Christiani, adversantes Christo et faventes Antichristo, jam mysterium iniquitatis operanti, priusquam intelligant, id est, intelligere vos faciant *spinæ vestræ*, id est, pœnæ vobis thesaurizatæ, ipsum Antichristum non vitem esse, sed rhamnum ; prius, inquam, *sicut viventes sic in ira absorbet* vos ignis iræ cœlestis de rhamno egressus. Bene dico vos non viventes, sed *sicut viventes*, quia non vere vivitis, videmini tamen vivere arbitratu vestro, cum sitis vivendo mortui. Si enim, « vidua in deliciis vivens mortua est (*I Tim.* v, 6), » utique et vos in deliciis viventes mortui estis. Item bene dico de judice justo, quod non in ira, sed *sicut in ira absorbet* vos ; quoniam ille absque ira tranquillus judicat, sed ira videtur ejus justa ultio, quæ tamen non est ira dicenda vel pro divinæ tranquillitatis imperturbabili suavitate, vel pro majoris iræ consideratione, quæ apparebit in die iræ et revelationis justi judicii Dei, quando etiam intelligent spinæ vestræ rhamnum, id est quando pœnæ vestræ intelligere vos facient Antichristum.

In Hebræo sic legitur : *Antequam crescant spinæ vestræ in rhamnum, quasi viventes, quasi in ira tempestatis rapiet eos*, quod est dicere : Antequam culpæ vestræ suæ malitiæ incremento repræsentent in vobis caput vestrum Antichristum, quasi viventes, quasi in ira tempestatis rapiet vos. Sic ad vos ipsos loqui deberem si patulas aures apud vos invenirem. Sed quia furor est vobis secundum similitudinem serpentis, et sicut aspidis surdæ et obdurantis aures suas, in medio sermone fit mutatio personarum. Nam cum ad vos dico : *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum* repente a vobis tanquam surdis audire nec volentibus, nec valentibus aversus ad cordatos auditores loquor de vobis ita dicens : *Sicut viventes, sicut in ira absorbet eos*. Ac si dicam : Nolite vos, qui aures audiendi habetis, imitari aspides istas, quibus diuturna prosperitas non erit, quia divina ultio, *sicut viventes, sicut in ira absorbet eos*, et ante ultimum judicium, prius videlicet quam intelligant spinæ ipsorum rhamnum, et ita manifesta erit, etiam in hac vita super eos divina correptio, ut inde proveniat aliquorum correctio. Nam

Vers. 11. *Lætabitur justus, cum viderit vindictam ; manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* Super hunc locum beatus Gregorius dicit in Job : (136) « Plerique dum alienum peccatum conspiciunt, revocantur ad cor, ut recogitent suum. Unde alius ad tormenta ducitur, a tormento alius inde liberatur. Conspicit namque in aliena pœna quod timeat, et dum delinquentem sic percussum respicit, dissoluta sua opera justitiæ vigore constringit. Sicque fit ut, quia iniquus vivens multos ad culpam traxerat delectatione peccati, quosdam moriens a culpa revocet terrore tormenti, manusque suas lavabit justus in sanguine peccatoris. In peccatorum morientium sanguine justi lavantur manus, quia, dum eorum pœna conspicitur, conspicientis vita mundatur. »

Aliter : Rhamnus est herba prius mollis, quæ post vertitur in spinas. Significat autem peccata, quæ in hac vita delectant, postea pungunt. Dum vero delectant, si quis futuram non cogitat punctionem, non intelligit rhamnum. Id enim est intelligere rhamnum, attendere, quod hæc delectationis mollities post in tormenta durescat. Spinæ vero rhamnum intelligent, cum experimento pœnarum impii docebuntur, quod nunc eos præsens fallit mollities. Interim vero, id est, *priusquam intelligant spinæ vestræ rhamnum*, vel sicut alia translatio habet : *Priusquam producat spinas vestras rhamnus*, quod idem est, id est priusquam voluptatum tormenta procedant, hic quoque pœna non carent. Nam ignis vitiorum, qui supercecidit, absorbet eos, *id est* eorum vitam malam occultat, ut rhamnum non videant, id est, ut futuras spinas non credant ; eos, dico, non viventes, sed *sicut viventes*, qui scilicet vere non vivunt, sed vivere sibi videntur. *Absorbet eos* quoque non *in ira*, sed *sicut in ira*, quia scilicet non est ira comparatione futuræ iræ, vel quia tranquillus judicat. *Lætabitur justus.* Pars tertia, in qua correctio justorum de ultione iniquorum, quia *ignis absorbet eos*. Hoc autem non sine fructu justi, nam justus (quod utique ex eo est, quod credit), etsi sit in eo aliquid lavandum, *lætabitur* ut justus de bono suo, etiamsi ad tempus molestiis pressus tristatur : sine dubio *lætabitur, cum viderit*, id est, intellexerit *vindictam* hanc utique præsentem. Nam *lavabit manus suas in sanguine peccatoris*, id est, attendet impium pereuntem, et opera sua a peccatis purgabit, sicut Salomon ait : « Stulto pereunte sapiens astutior fit (*Prov.* XIX, 25.) »

Vers. 12. *Et dicet homo : Si utique est fructus justo, utique est Deus judicans eos in terra.* Considerata videlicet impiorum vindicta *dicet homo*, cui est rationalis intellectus, nec assimilatur equo et mulo, quibus non est intellectus, talis *homo dicet* apud se tractando sapienter, quod non casu fiunt in impiis ista judicia, sed *utique est Deus judicans eos in terra* ista, ubi florere videntur. Quod a contrario probatur in eo, quod etiam justo qui videns vindictam *manus suas lavit in sanguine peccatorum*, judex in terra ista ubi premitur, utique non deest, imo ipse Deus judex *fructus* ipsius justi est, nunc illum justificando, ut qui justus est justificetur adhuc, et qui sanctus est sanctificetur adhuc, et in futuro se ipsum servando ei in præmium ac totius justificationem immarcescibilem fructum.

In Hebræo legitur : *Et dicet homo : Vere est fructus justo, vere est Deus judicans in terra.* Quod est dicere : Vere non fortuito casu tempora vel temporalia fluunt super terram, sed est Deus judicans et

(136) Lib. XVIII Moral. cap. 24.

Digitized by Google

ulciscens mala et remunerans bona, unde hic fructus justo est, ut justificetur amplius, dum omnem palmitem, qui in vera vite fert fructum, purgat agricola, ut fructum plus afferat, et rhamno ad tempus parcens tandem securi sua eam decidet et in ignem æternum projiciet. A *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto* in regne suo, regno rhamni contrito. Sit regnum Trinitatis gloriosum et justis fructuosum et regnum Antichristi sicut est, appareat ignominiosum et impiis damnosum. Amen.

PSALMUS LVIII.

Eripe me de inimicis meis. Titulus psalmi hujus est :

(VERS. 1) IN FINEM NE DISPERDAS, VEL NE CORRUMPAS DAVID IN TITULI INSCRIPTIONE, QUANDO MISIT SAUL, ET CUSTODIVIT EJUS DOMUM, UT INTERFICERET EUM. B

Legitur in primo libro Regum, quod Saul misit satellites suos in domum David, ut custodirent et interficerent eum mane. Quod uxor ejus Michol sensit, et nocte deposuit per fenestram et sic evasit (*I Reg.* XIX, 11). Mystice *David* Christus, *domus David* sepulcrum Christi, *Saul* regnum Judæorum, qui miserunt ad custodiendum sepulcrum. Sed non convenit ut ad interficiendum Christum ejus custodiretur sepulcrum. Unde magis ad corpus ejus, quod est Ecclesia, referendum est quod dicitur : *ut interficerent eum.* Christum autem interficere erat per mendacium custodum nomen et fidem resurrectionis ejus exstinguere, quod tamen non effecerunt Judæi. Vivit enim rex super Judæos et gentes, quod et Pilatus significans dixit : *Quod scripsi, scripsi*, et Propheta prædixit : *Ne corrumpas*, etc. Quod nunc Prophetæ quoque monet intentio. Frustra vero tentat aliquis disperdere, quod auctoritas divina toties prohibet. C

Loquitur hic integer Christus, et primo pro sua liberatione ac salute gentium orat. Secundo visitatio et conversio gentium affirmatur et oratur ibi : *Convertentur ad vesperam.* Tertio salus Judæorum affirmatur, et de utroque pariete collectis grates aguntur ibi : *Convertentur ad vesperam.* Igitur tanquam ab inimicis obsessus ad Deum homo clamat dicens : *Eripe me.* Ut ergo primo alloquar te certatorem, quæ et supra commonuimus, diligenter cave tibi in periculis hujus certaminis, quo contra vitia luctaris. Itaque quotiescunque immiserit diabolus et obsederit tot satellitibus, quot vitiis corporis vel carnis tuæ domum ut interficiat te, qui immisit Judæos, ut interficerent Christum, ne desperando corrumpas titulum sæpe dictum, sed dic secundum ipsius exemplum : *Eripe me de inimicis meis, Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me. Eripe me de operantibus iniquitatem, et de viris sanguinum salva me, quia ecce ceperunt animam meam, et irruerunt in me fortes*, etc. Qui enim caput ipsum resuscitando eripuit ab illis, qui irruerunt in eum, fortibus, imo phreneticis, qui insaniendo sibi videbantur fortes, cum essent infirmi, et percutiebant medicum, ipse et te eripiet a fortitudine vitiorum impugnantium sive malignorum spirituum et hominum, ita ut dicas juxta hunc psalmum : *Ego autem cantabo fortitudinem tuam, et exaltabo mane misericordiam tuam, quia factus es susceptor meus*, etc. Nunc verba psalmi latius exponenda incipiamus ab exordio tam ipsi Christo, quam ejus membris coaptando sensum ejus, prout ille donare dignabitur, in cujus manu sumus nos et sermones nostri. D

VERS. 2, 3. *Eripe me* Christum in carne mortali, vel etiam in corpore meo, quod est Ecclesia, coangustatum et a satellitibus mortis obsessum. Qui videlicet satellites quadriformiter inter se discrepantes unanimiter tamen infestant me : alii voluntatem nocendi habentes neque tamen hoc aperte ostendentes, de quibus dico : *eripe me de inimicis meis ;* alii cordis malitiam contra me conceptam gestu aut verbis promentes, de quibus dico : *Et ab insurgentibus in me libera me ;* alii obdurata mente, opere quoque scelus intentatum complere studentes, de quibus dico : *Eripe me de operantibus iniquitatem.* Quartum genus est homicidarum bestiali crudelitate sanguinem sitientium, et cum sint lupi, ovibus non parcentium, contra quos oro dicens : *Et de viris sanguinum salva me.* Primi pertinent ad illud agmen Antichristi, quod dicitur *Gog*, id est tectum, secundi vero et tertii et quarti ad *Magog*, id est *detectum.* Primi nequam, secundi nequiores, tertii nequissimi, quarti plusquam nequissimi. Primi prodesse nolunt et obesse volunt, quod tamen impietatis venenum tenent apud se occultum. Secundi obesse volentes, quod volunt, ostendunt, neque tamen ad operis mali perveniunt effectum, prout intus habent nocendi affectum. Tertii licet aperte noceant, sanguinem tamen innocentium ipsi nocentes non desiderant, quem quarti sitientes bestiali crudelitate sæviunt. A quibus primo ego Christus rogo salvari in me ipso, deinde in toto corpore meo, quod est Ecclesia.

VERS. 4. *Quia ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes. Ecce* in evidenti *animam meam*, id est, vitam temporalem persequendo *ceperunt* et usque ad mortem deduxerunt. Unde alias conqueror dicens : « Deduxerunt in lacum mortis vitam meam, et posuerunt lapidem super me (*Thren.* III,

Digitized by Google

53), » volentes scilicet resurrectionem corporis mei præpedire. Captabant in animam meam, atque ut caperent eam in sermone, cum sæpe insidiati fuissent ac frustrati, ad ultimum *irruerunt in me fortes*, non jam dolo, sed violentia nitentes me capere captumque tenere. *Fortes* enim sibi visi sunt, qui non posuerunt Deum adjutorem suum, sed sperantes in multitudine divitiarum suarum prævaluerunt in vanitate sua. Vel quia de justitia tanquam sua præsumunt, qui mihi insultant convivanti cum publicanis et peccatoribus, quibus ego respondi: « Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus (*Matth.* IX, 12). » Isti magis inveniuntur nocivi, quia cum pharisaica superstitione videantur *fortes* et justi, omnem pene turbam falsæ justitiæ simulata fortitudine trahunt post vestigia gregum suorum, quos pascunt juxta tabernacula pastorum; pascunt, inquam, non ut boni pastores, qui lana et lacte ovium contenti sinunt eas vivere, sed cum sint viri sanguinum, detonsas oves mactant et perdunt, mactant corpora sibi non consentientium, perdunt animas malitiæ suæ faventium. Unde quia non potuerunt animam meam sibi facere consentaneam, ut perderent eam, ad mactandum corpus meum *irruerunt in me* isti *fortes* in conspectu præsidis clamantes: « Reus est mortis (*Matth.* XXVI, 66): » Item: « Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris (*Joan.* XIX, 12). »

Sic isti phrenetici, falso *fortes* et vere infirmi, nescientes nec scire volentes me venisse medicum ad sanandum ægritudines ipsorum, fuderunt sanguinem meum, de quo tamen sanguine perfici ego medicus medicamentum etiam ad salutem plurium de numero ipsorum, qui eumdem sanguinem non credentes et male *fortes* fuderunt, ac postea credentes, ægritudinemque suam confitentes biberunt, inde plurimum dolentes et pœnitentes, quod me occiderunt hominem innocentem, et nullam causam mortis habentem, sed recte incedentem, et per vias justitiæ currentem, sicut tu scis, qui hujus rei testis et conscius in excelsis es, quod

Vers. 5. *Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine*, fuit in causa, ut sic irruerent, sicut *irruerunt in me fortes isti. Neque iniquitas* malivolentiæ, *neque peccatum* in operis pravitate inveniebatur in me, quoniam *sine iniquitate cucurri et direxi. Cucurri* ego et *direxi* alios. *Cucurri* per vias rectas, et *direxi* alios ad eas et per eas, quos inveneram distortos, errantes in invio et non in via.

Alia translatio habet: *Cucurri, et dirigebar*, quod est dicere: *cucurri* laborans in humanitate mea, cujus erat currere ac moveri tempore mortalitatis, *et dirigebar* a Divinitate mea, cujus est et erat semper stare in arce summæ celsitudinis, quo et direxit cursum unitæ sibi mortalis carnis, ut me sic exaltato traham ad me ipsum totum corpus meum cum omni compage membrorum meorum. Igitur

Vers. 6. *Exsurge in occursum meum, et vide.* O Deus Pater, qui videris dormire, nec videre miserias et contumelias, mihi ac meis imminentes. *Exsurge in occursum meum;* ut sicut a summo cœlo egressio mea, sic ad summum ejus occursus meus perficiatur, et perfectus cognoscatur. Quod opto dicens: *Exsurge in occursum meum et vide*, id est *occursum meum* per gloriam resurrectionis et ascensionis perfice, atque hoc ipsum *vide* faciendo videre cæcos, qui necdum vident, quique mihi occursum coæqualitatis negant usque ad summum. Vel *vide*, id est videre te ostende, quod putaris non videre, videlicet quot et quanti fortes irruerunt in me satellites mortis dæmones et homines. Et quidem pro dæmonibus ego non oro, quia nusquam angelos apprehendi, sed quia semen Abrahæ apprehendi credentis in me semine suo benedicendas fore omnes gentes. *Tu, Domine Deus virtutum, Deus Israel*, quem laudant virtutes cœlestes, et quem colit Israel, populus videlicet sectator fidei Abrahæ, qui diem meum vidit, quique pater multarum gentium dici meruit me interpellante.

Intende ad visitandas omnes gentes, ut benedictis in me semine Abrahæ omnibus tribubus terræ omnes gentes, quascunque fecisti, veniant et adorent me coram te. Nam ipsæ gentes cum sint ægritudine peccatorum nimis invalidæ, non valent aliquomodo venire ad te, nisi primo sanentur te visitante. Visitasti unam gentem Judæorum per meam in carne præsentiam, et paucissimis electis inde collectis repudiasti eam. Scis autem quod ego Verbum tuum, sive sermo tuus omnipotens a regalibus sedibus veni, ut vacuæ illæ sedes in cœlo reposita accipiant sessores homines, quoniam inde ceciderunt dæmones. Cum ergo per homines in cœlo sint replendæ regales illæ sedes, quæ vel cadentibus inde angelis vacuatæ, vel hominibus illuc ascensuris præparatæ sunt, et femur Jacob sic emarcuit, ut filios gignere non possit, tu *intende ad visitandas omnes gentes* pridem steriles, visita eas per apostolos et apostolorum sectatores viros catholicos, nec non etiam per angelos medicinæ ac salutis operarios, uti quondam visitasti Saram filiam Raguelis per angelum Raphaelem et Tobiam virum justum et pium; ita miro ordine angelorum ministeria hominumque dispensando gentilitatem curare dignare, ut, fugato penitus omni dæmonio saluti humanæ contrario, et viris ecclesiastica dignitate indignis a dignitatibus, quas indigne tenent, semotis legitimi in toto mundo fiant conjugia tam inter eas personas, quarum ministerio fit hominum generatio, quam inter eas, per quas eorum fit regeneratio. Illi relaxent carnalem concupiscentiam solummodo ad generationem prolis amanter suscipiendæ, disciplinabiliter nutriendæ: Isti per continentiam penitus restringant carnis concupiscentiam, neque ullatenus occupentur ministerio generandi in carne, sed regenerandi in spiritu, quia excepto necessitatis articulo, quo imminente laicis viris et etiam feminis nec non paganis baptizare permittitur, indecenter ab una eademque persona generandi et regenerandi

Digitized by Google

officium administratur, et ideo carnale conjugium laicis et etiam clericis extra sacros ordines, et vótum continentiæ positis conceditur, quod altaris ministris, et cæteris votum continentiæ habentibus omnino interdicitur, ne generationis et regenerationis ministeria longe inter se distincta confundantur in una persona, et fiat populus sicut sacerdos. Inde est, quod primi regeneratricis gratiæ ministri, omnibus relictis quæ pertinuerunt ad officium generandi, solis dediti fuerunt spiritalibus exercitiis in officio regenerandi.

Caveant ergo illi, qui filios generant, fieri sicut equus et mulus quibus non est intellectus ; caveant isti, qui carnaliter genitos regeneratrici gratiæ spirituali ministerio coaptant, ne in honore positi non intelligant, atque ita comparentur jumentis insipientibus et similes fiant illis. Generent illi filios et filias in benedictione seminis Abrahæ, vel etiam in illa prima benedictione, qua dictum est protoplastis : « Crescite et multiplicamini, et replete terram (*Gen.* I, 28), » semota penitus maledictione, qua dictum est Evæ : « Multiplicabo ærumnas et conceptus tuos (*Gen.* III, 16). » Regenerent isti per baptismum tam multos filios et filias in Christo, ut regalium sedium adhuc in regno Dei vacuarum cito fiat adimpletio multiplicatis regibus et regnis pro multitudine sedium regalium in cœlo.

Etiam in sancta Ecclesia peregrinante adhuc in terris tot sedes regales inveniuntur, quot ecclesiasticæ dignitates in ea distinguuntur. Ut ergo etiam illæ sedes regales possideantur a personis regalibus, regimini videlicet justo juste competentibus, et valde cito impleatur electorum numerus ad regales sedes prædestinatus ex omnibus gentibus, tu, Deus, *intende ad visitandas omnes gentes*, et respice in faciem Ecclesiæ de gentibus collectæ, ac multiplica in ea regenerationis fecunditatem, ut sint multi filii magis desertæ, quam ejus, quæ habet virum, et impleantur nuptiæ discumbentium ; congregatoque in horreum tritico universo, propter quod nunc parcis lolio, jam ultra non parcas, et *non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem*. Sic merito et numero augmentare digneris grana electa, ut non opus habeas dicere servis tuis : « Sinite utraque crescere (*Matth.* XIII, 30). » Sed servato tritico *non miserearis omnibus* zizaniis, *non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem*. Universaliter dico : *Intende ad visitandas omnes gentes*, et item universaliter subjungo : *non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem*, quia « in omni gente, qui timet Deum, et operatur justitiam acceptus est illi (*Act.* X, 35), » et in omnibus gentibus « omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur (*Matth.* III, 10). Ut ergo acceleretur utriusque universitatis consummatio, quantum ad electos et prædestinatos, omnes gentes rogo visitari, et quantum ad reprobos *omnibus operantibus iniquitatem* rogo misericordiam denegari, quod duobus modis potest intelligi, sive quia Deus nulla peccata relinquit impunita, quoniam et ipsa pœnitentia dicitur quasi *punitentia*, qua Deus punit electorum peccata, cooperante humana industria, et aut homo pœnitendo satisfacit, aut Deus ulciscendo : sive quod est quædam iniquitas, quam qui facit, non potest fieri, ut misereatur ei Deus, quia non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro, blasphemia scilicet in Spiritum sanctum, quæ tunc evidens est, cum quis peccatum suum, quod odit Deus, pertinaciter diligit et defendit.

Aliter : *Non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem*, illa scilicet miseratione, quæ non liberat ab iniquitate, sicut in Isaia dicitur : « Misereamur impio, et non discet facere justitiam (*Isa.* XXVI, 10). » Est ergo nociva miseratio quæ sic obcæcat, vel obdurat impium in sua injustitia, ut non discat facere justitiam. De hac in Osee dicitur impiis : « Misericordia vestra quasi nubes matutina et quasi ros mane pertransiens (*Ose.* VI, 5). » Temporalis namque prosperitas, quæ impiis et stultis videtur misericordia divina, quasi nubes aut nebula tenebrosa justitiæ solem talibus abscondit, et ipsa quasi ros cito pertransiens ad æternas pœnas mittit. Tali ergo miseratione Deus virtutum, Deus Israel *non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem*. Etsi miserearis aliquibus, ut qui in sordibus sunt, sordescant adhuc, et qui nocent, noceant adhuc : attamen *non* ita *miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem* ; sed ex multitudine ipsorum distingue tuos electos non brevi misericordia fallendos, sed secundum magnam misericordiam tuam et secundum multitudinem miserationum tuarum castigandos et salvandos. Ergo miserere omnium, quos tuos fide et opere futuros esse prænoscis, non secundum parvam temporalis et fallentis prosperitatis misericordiam, quæ impios mittit ad æternam miseriam, nunc illis parcendo, sed secundum magnam misericordiam tuam et secundum multitudinem miserationum tuarum delendo iniquitates eorum fortissima et cautissima deplanatione, qua et nullum peccatum indeletum relinquas, et tamen tabulas cordium gentilium non frangas, ut fregisti lapideas tabulas duræ cervicis populo missas, in signum videlicet Judaicæ duritiæ pœnaliter confringendo. Non sic eveniat gentibus, pro quibus oro non confringendis, sed convertendis.

Diapsalma. Et quia frustrari non potest oratio mea,

VERS. 7. *Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes.*

Nunc aversi a luce veritatis quasi lippi aut cæci *convertentur* ad eam videndam, etsi non mane ut videant, quomodo in principio erat Verbum, vita et lux hominum, etsi non meridie ut videant me solem justitiæ in summa mea celsitudine vel claritate, quæ visio reposita est paucis electissimis cum sponsa me requirentibus, ubi pascam, ubi cubem in meridie : attamen *ad vesperam convertentur*, quia imminente jam fine mundi ex intuitu judicii

Digitized by Google

tremendi ad pœnitentiam commovebuntur, vel etiam suæ vitæ instante jam termino emendabuntur, *et famem patientur ut canes*. Non enim contenti erunt sua singuli salute, ad famem convertendi alios patientur *ut canes*, latrando videlicet contra fures et hostes et custodiendo res familiares.

Vigilabunt ergo, *et circuibunt civitatem* contra hæreticorum impugnationes muniendo ecclesiam per doctrinam veritatis, vel si non prædicando idonei sunt latrare, orando mutientes et murmurantes *circuibunt civitatem*, verbi gratia, precibus assiduis aures Dei pulsando, primo pro omni gradu Ecclesiæ, deinde pro pastore suo, pro grege, pro fratribus et sororibus, pro benefactoribus, pro iter agentibus, pro adversantibus et calumniantibus, pro afflictis et captivis ac cæteris Ecclesiæ membris, quæ dum sedula devotione perambulant, quasi canes ulcerosum corpus Lazari curant, non dente mordacis detractionis ulcera sauciando, sed per verbum consolationis, eruditionis, admonitionis atque orationis quasi linctionibus blandis fovendo et sanando.

Etiam in hoc assimilabuntur canibus famem patientibus, quod præ nimietate famis colligunt micas cadentes de mensa dominorum suorum. Nam in magna domo sua Dominus dominorum dominos quosdam constituit super familiam suam, ut dent illis in tempore tritici mensuram, quibus et dixit: « Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, et bibatis super mensam meam in regno meo, et sedeatis super thronos duodecim judicantes duodecim tribus Israel (*Luc.* XXII, 29). » Qui ergo ejusmodi sunt, isti non sub mensa micas colligunt, sed pleno fruuntur convivio inter amicos Dei, quibus dicitur: « Comedite, amici, et bibite et inebriamini, charissimi (*Cant.* V, 1). » Verum nos et nostri similes, quasi canes famem patientes micas de mensa talium dominorum cadentes colligere dulce habemus, qui dicta, vel scripta nostra dictis et scriptis ipsorum non æquamus, nec magnis auditoribus aut lectoribus laboramus, sed pusilli pusillis, famem patientes patientibus apponimus micas, dominis magnis minime necessarias. Non enim saturati sumus, ut ille, qui suas epulas ructando, dixit: «Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri, etc. (*Luc.* XVIII, 11), » sed esurimus et sitimus, aliisque simili fame ac siti laborantibus laboramus in hoc opere, qualium unus, ut apparet famelicus ad me scribentem hanc direxit epistolam suæ famis indicativam:

« Domino et Patri suo G. quorum unum est subjectionis, alterum vero dilectionis, frater F. semetipsum non per partes, neque per divisum, sed per omnia in omnibus integre totum. »

« Nuper devenit in manus meas liber, quem ad convivas, Dominum scilicet venerabilem archiepiscopum E. (137) et dominum G. (138) sacerdotem inculento sermone digessistis, quem tanto amore amplexatus sum, ut Crœsi opes me invenisse crederem. Legi itaque tanto avidius, quanto mihi auctor amabilior. Denique cum devenissem in illum locum, ubi Ulyssis astutia confertur cum Christi stultitia, fateor, erumpebant lacrymæ, et dum me non possem continere, paginam fœde infeci. Erant enim mihi eloquia vestra desiderabiliora super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum. Nec immerito. Eloquia vestra eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum. Facile inceditis et pure. Facilitas ipsa mista est prudentiæ. Beatæ aures, quæ vos audiunt, et beati pueri, qui vobis assistunt. O si mihi liceret vestro frui colloquio, mallem sub mensa vestra manibus repere, et cadentes de ore vestro micas lambere. Hactenus de his. Jam in fine cedulæ, si meum non displicet consilium, placeret utique, ut ipsam explanationem domino Walthero episcopo Colosensi dirigeretis. Hic enim frequenter vestri memoriam erga me familiariter habuit. »

Hanc epistolam propterea hic interposuimus, ut evidenter clareat fames canum, seu desiderium pauperum, cui satisfacere intendimus, quantum adjuvare dignatur Pater misericordiarum, qui non solum producit panem cordis humani confortativum de terra, et vinum lætificans cor hominis, oleumque faciem ejus exhilarans, verum etiam pascit volatilia, quæ non seminant neque metunt, neque congregant in horrea. Nempe homines in sudore vultus sui panem quærentes, et pondus diei et æstus in vinea portantes hi sunt, qui multo labore jejuniorum vigiliarum, lectionum et meditationum, aliarumque hujusmodi exercitationum perveniunt ad medullam Scripturarum, et non opus est illis, ut quis eis quasi catellis micas projiciat, quibus de rore cœli et de pinguedine terræ sua industria cooperante Dominus dedit abundantiam frumenti, vini et olei. Sed inveniuntur quidam famelici fodere non valentes, mendicare erubescentes, id est nec per se valentes investigare, nec ab aliis præsumentes interrogare quæ ignorant, vixque intelligentes quæ plane ac plene in expositione digeruntur, et tamen fame cognoscendi sensum psalmorum, quos quotidie ruminant, adeo laborant, ut quandiu saturi non fuerint, murmurare non desinant. Recte de talibus in hoc psalmo dicitur in sequentibus: *Ipsi dispergentur ad manducandum, etsi non fuerint saturati, et murmurabunt*. Hujusmodi ergo murmuratoribus, qui præ nimietate famis etiam amara pro dulcibus acceptant, quique hoc ipsum, quod, stylo agresti licet, scribimus, affectuose postulant, nos devote ministrare decrevimus illius adjutorio confisi, cujus in manu sumus et nos et sermones nostri, quique debit verbum evangelizantibus virtutem multam sive

(137) Eberhardum.

(138) Gotschalcum ep. Frising.

Digitized by Google

de Judaismo conversis *ad vesperam*, id est post occasum veri Solis, qui cognovit occasum suum, et postea resurgens ascendit super occasum trahendo ad se reliquias Israel et plenitudinem gentium, sive de ipsa gentilitate conversis *ad vesperam*, sicut supra est expositum. De utroque populo, Judæorum scilicet et gentium, quidam conversi *famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem*, quæ alibi dicitur *circumstantiæ*, id est mundum, qui circumstat undique Judæam, ubi hæc dicebantur, et ubi Dominus operatus est salutem in medio terræ, ubi et Spiritus sanctus venit super discipulos in ignеis linquis, quibus

VERS. 8. *Ecce loquentur in ore suo, et gladius in labiis eorum. Ecce loquentur* non soli primi discipuli Christi, sed etiam discipulorum discipuli successuri aliis decedentibus usque in finem sæculi. *Ecce*, in manifesto utrique, scilicet sive Judæi sive gentiles conversi *loquentur in ore suo* dicentes : *Quis audivit?* sero videlicet conversi *ad vesperam famem patientur, ut canes*, et tædio affecti de non credentibus adversus pigritiam eorum stomachantur dicentes : *Quis audivit?* id est quis credidit auditui nostro ? Sic *loquentur in ore suo* requirentes fidelem audientiam, et ubi hanc non invenerint, ibi *gladius in labiis eorum* in promptu habentium ulcisci omnem inobedientiam. « Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque, et medullarum, et discretor cogitationum, et intentionum cordis (*Hebr.* IV, 12). » Iste gladius vendita tunica est emendus, gladius limatus, gladius bis acutus, gladius spiritus, quod est Verbum Dei, utriusque Testamenti acumine feriens hostes, et mactans reptilia, de quibus dictum est Petro : « Macta, macta, et manduca (*Act.* II, 7). »

Aliter : *Ecce loquentur in ore suo* : non in corde et corde, ori alieno, id est cordi suo minime consono : *loquentur in ore suo*, sermone videlicet suæ professioni congruo. Nam cum vel bonus mala, vel malus bona dicit, uterque ore alieno loquitur. Sed cum sanctæ intentionis, piæque professionis homo bona dicit, *ore suo* loquitur, sicut *ecce loquentur in ore suo* boni bona dicendo, et malos ad bonum provocando. Sed quia non omnes obediunt Evangelio, *gladius in labiis eorum* ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Et merito, *quoniam quis audivit?* Quis inter multos auditores aures audiendi habuit ? Fere nulli, et vere pauci, atque ob hoc illi, qui non audierunt, gladio spiritus feriendi sunt.

Aliter : *Ecce loquentur in ore suo* gratioso verbum plenum gratiæ, itemque verbum plenum veritatis, ut, quia idem verbum plenum gratia et veritate cognoscitur, quisquis gratiam salvantem non recipit, veritate ultrice feriatur quasi gladio bis acuto ineffugibilis judicis, qui postquam occiderit, potest et animam et corpus perdere in gehennam. Hac pœna digni erunt, qui verbum Dei obedienter audire noluerunt, sed repulerunt illud indignos se judicantes æternæ vitæ, ac proinde spernentes optima verba, optime dicta : *Quoniam quis audivit talia?* Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo, qui est Deus et homo, quique suis discipulis hoc dedit, ut omnibus linguis loqui potuerint. *Quis audivit* unquam sic loquentes homines linguis, quas nunquam didicerunt ?

Aliter : *Ecce loquentur in ore suo, et gladius in labiis eorum*, id est habebunt verba non solum suavia et blanda, sed etiam gravia et acuta, *quoniam quis audivit*, aut audire poterit ea præ nimia duritia, quæ sunt quasi gladius acuta ? « Durus est, » inquiunt, « hic sermo, quis poterit eum audire ? » (*Joan.* VI, 61.) Sic loquentur quidam abeuntes retrorsum propter duritiam, sicut aiunt, sermonum, quos portari vel etiam audiri posse negant.

VERS. 9. *Et tu, Domine, deridebis eos*, id est ostendes dignos derisione sic loquentes, quoniam plures credent, quam ipsi credant, plures audient, quam ipsi æstiment. In hoc *deridebis* incredulos, vel faciendo eos credulos, vel annihilando eos. Nam *ad nihilum deduces omnes gentes* vel convertendo nunc, ut non sint *gentes* gentiliter viventes, vel in extremo judicio eos damnando, ut sint quasi non sint. Quoniam etsi habeant esse, cum in pœnis ex toto non deficient, attamen quia beatum esse non habebunt, quasi nihil erunt, quamvis modo quasi feries irruant in me medicum, nolentes recipere medicamentum sibi necessarium. Tota hæc eorum fortitudo ad nihilum redigetur, quando, ligatis manibus et pedibus, mittentur in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium, dominante nunc igne, nunc frigore in membris eorum, cum sicut in Job scriptum est : « Ab aquis nivium transeunt ad calorem nimium (*Job* XXIV, 19), » transeunt videlicet non suo arbitrio habendo potestatem pœnas commutandi, sed non habendo ullam fortitudinem tunc resistendi pœnis, qui noluerunt prius resistere peccatis. In eo enim fortitudinem suam custodire noluerunt, quod a te, qui vera fortitudo es, peccando recesserunt. Ego autem Christus

VERS. 10. *Fortitudinem meam ad te*, Pater, *custodiam*, qui missus a te non recedo a te, sed cum exaltatus fuero a terra de medio satellitum Saulis, id est mortis, ad excelsum thronum gloriæ tuæ, omnia traham ad meipsum, et me mediante ad te Deum meum et Patrem meum, *quia tu es Deus susceptor meus*, quantum ad humanitatem, secundum quam es *Deus meus*. *Tu es* enim *Deus meus* in quantum me fecisti, et Pater meus in quantum me genuisti, et ego factura tua, simulque proles tua sum non in Divinitate factus, ut ore blasphemo Arius latravit, neque in humanitate adoptatus, ut Bonosus hæresiarcha mentiens docuit, et adhuc perversi quidam dogmatizant, qui mihi homini satellitibus mortis obsesso naturalem Dei filiationem, quantum in se est, negant, et me Filium hominis quasi unum ex prophetis honorificandum putant. Hos ergo

Digitized by Google

in sua cæcitate relictis ad vos me converto, benevoli auditores, qui creditis Deum meum eumdem et Patrem meum, dicentes cum Petro : « Tu es Christus Filius Dei vivi (*Matth.* XVI, 16). » Et ego dico vobis quod vera est vestra confessio, qua me dicitis Filium Dei. Nam misericordia ejus prævenit me semel in propria persona singulari præventione conferens mihi homini, hominis Filio, Filium Dei esse non adoptivum, sed proprium, et eadem misericordia in membris meis præveniet me semper. « Quis » enim « prior dedit illi, et retribuetur ei ? » (*Rom.* XI, 35.) Certe nec ipsa natura humana in me Dei Filium assumpta gloriam, quam habet, promeruit, priusquam assumeretur, sed misericordia Dei præventa gratiam, qua major esse non potest, accepit, et eadem

VERS. 11, 12. *Misericordia ejus præveniet me* in membris meis nascituris ex Adam, et renascituris per me secundum Adam, nullo aliquid boni promerente ante gratiam acceptam, sicut Pelagius hæreticus asseruit, quia cuncta bona merita veniunt ex præveniente misericordia, quæ, quanta sit in me, *Deus ostendit mihi super inimicos meos*, id est ex comparatione inimicorum meorum, quos ex eadem massa fecerat vasa iræ in contumeliam. Hæc enim vasa iræ sustinuit in multa patientia, ut ostenderet divitias suas in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.

Aliter : *Et tu, Domine, deridebis eos*, Judæos scilicet incredulos, *et ad nihilum deduces omnes gentes* carentes charitate, sine qua nihil sunt reliqua bona, ut ait Apostolus : « Si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, charitatem autem non habuero, nihil sum (*I Cor.* XIII, 2). » Quam vere igitur nihil sint gentes charitatem non habentes, tunc ostendes, quando etiam fatuas virgines oleum charitatis in vasis suis non habentes ab introitu nuptiarum repelles, et amicum veste nuptiali charitatis carentem foras expelles, cui et dices : « Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem ? » *Matth.* XXII, 12.)

Cur ergo, Domine rex omnipotens, modo sustines tales in Ecclesia tua? quia *fortitudinem meam*, qua jam eos possem perdere, servando intus *custodiam*, non exerens eam quasi romphæam in vagina repositam, *ad te, Deus* Pater, id est, ad beneplacitum tuum, de cujus dispositione cum accepero tempus, ego justitias judicabo, et evaginabo gladium meum, ut interficiam omnes peccatores terræ. Sed nunc ante tempus judicii *Deus ostendit mihi super inimicos meos*, ut non occidam, vel occidi sinam eos, imo pro eis orem dicens ad ipsum Deum Patrem meum : *Ne occidas eos*, id est, ne penitus interimas gentem Judæorum, propterea scilicet, *ne quando populi* ad fidem convertendi vel conversi *obliviscantur mei*, id est, in oblivionem tradant me Christum a Judæis natum et passum, ac priusquam nascerer, aut paterer, in libris eorum prophetatum et prænuntiatum.

Quos libros testimoniis mei nascituri, morituri et resurrecturi, atque in cœlos ascensuri, tandemque in fine mundi mundum judicaturi plenos, ut non in uno Judaicæ terræ angulo contineant, sed in orbe terrarum circumferant, *disperge illos in virtute tua*, ut in omnes gentes ducantur captivi, non in virtute Romanorum eos captivantium, sed *in virtute tua* disponente omnia, et hoc inter omnia, ut sicut Cain fratricida vagus et profugus ac maledictus super terram signum accepit, ut non occideretur, sic et isti cum signo circumcisionis reserventur, nec penitus occidantur. Sunt enim quasi capsarii, ad hoc necessarii, ut codices fidei Christianæ testimonium perhibentes ubique circumportent, nequando dicant gentes a Christianis testimonia conficta, quæ in libris adversariorum prius inveniuntur conscripta, quam revelata fuisset fides Christiana. Fortissimo namque veritatis fundamento innititur prædicatio de me Christo ex Virgine nato, et post mortem ac resurrectionem super omnes cœlos exaltato, cum etiam pars adversaria, velit nolit, in suis libris adhibebit mirabilium istorum certissima testimonia.

Propter hoc, o Pater, non solum *disperge illos in virtute tua* inter gentes nationum præscitas ad fidem, sed etiam *depone eos*, ut non habeant aliquam dignitatem vel sacerdotalem vel regalem, sed sicut in Osee scriptum est : « Sedeant sine rege, sine sacerdote, sine altari, sine theraphim (*Ose.* III, 4), » sedeant non in solio regni, vel in cathedra pontificali, sed sicut in Isaia legitur : « Sedeat in terra illa filia Chaldæorum (*Isa.* XLVII, 1), » id est, imitatrix nequitiæ Chaldæorum, gens Judaica, ne forte si habeat alicubi templum, vel sacrificium, vel regnum, vel sacerdotium secundum legem gloriose ordinatum, præpediatur quadriga currentis Evangelii annuntiantis novum templum in triduo reædificatum, novum sacrificium tali templo congruum, novum regnum, cujus non erit finis, novumque sacerdotium non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech. Insuper et in arescentibus ramis præcisis cognoscetur misericordia exhibita ramis insertis, non ut contra præcisos inserti glorientur, sed ex eorum consideratione amplius humilientur. « Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec illis parcat (*Rom.* XI, 21). » Cujus rei consideratio superbiam reprimit, humilitatem generat, ne quis altum sapiat, sed timeat, ac timore humiliatus gratiam acceptam non amittat, sed majori gratia dignus existat, quoniam sicut Deus superbis Judæis restitit, sic humilibus gentibus dat gratiam. Cum ergo de vita eorum tot bona sint profutura, *ne occidas eos*, obsecro, sed occide.

VERS. 13. *Delictum oris eorum*, quo me in carne occiderunt, et *sermonem labiorum ipsorum* similiter occide, id est inexpletum ostende falsificando, quod me nominaverunt seductorem, insanum et habentem dæmonium, dixerunt in Beelzebub ejicere dæmonia. Hujusmodi *sermonem labiorum ipsorum*

Digitized by Google

quasi occidens ac delens aufer de labiis *ipsorum*, ut discant non blasphemare, sed saltem in reliquiis suis, cum plenitudo gentium intraverit, convertendis me benedicant, et benedictum Filium Dei recognoscant, quem cæcati non cognoverunt, ex quo dixi eis : « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis : Non me videbitis amodo, donec dicatis : Benedictus, qui venit in nomine Domini (*Matth.* XXIII, 38, 39). » Cum ergo sic dixerint, cum benedictum in nomine Domini me venisse confessi fuerint, ex tunc *sermonem labiorum ipsorum* blasphemantium quasi omnino abolitum non recordabor amplius.

Fiat igitur quod oro, et sermone blasphemo succedentibus laudibus oblitterato, ipsi *comprehendantur in superbia sua*, id est intelligant se per odibilem superbiam potius, quam per invincibilem ignorantiam peccasse, atque ideo justo judicio in imminentes calamitates devenisse. Et sic humiliati *De exsecratione, et mendacio annuntiabuntur.*

VERS. 14. *In consummatione, in ira consummationis, et non erunt* : vel sicut alia translatio habet : *De maledicto et mendacio annuntiabunt consummationes in ira consummationis, et non erunt.* Idem sensus est. *Maledictum* namque idem est quod *exsecratio*, in qua Judæi sunt inter gentes facti ob nequitiam suam exsecrabiles, vel qua exsecrabantur Christum, et pervertendo Scripturas maledictum putabant secundum legem, qui pendebat in ligno, cui maledicto mendacium addiderunt pecuniam dando custodibus ut mentirentur. Est autem ordo verborum : *Comprehendantur in superbia sua*, et hoc utile est eis. Illis enim sic humiliatis *de maledicto et mendacio, annuntiabuntur in consummatione* prædicantibus apostolis, quod ubi abundavit delictum exsecrationis et mendacii, superabundet gratia de malis liberans et in bonis consummans.

Item sequaces eorum plurimi, licet sub nomine Christiano viventes, in hoc tamen exsecrabiles et mendaces, quod male vivunt, et bene se victuros promiserunt, quando baptismum suscipientes diabolo et operibus ejus abrenuntiaverunt, *de exsecratione et mendacio annuntiabuntur in consummatione*, si et ipsi *comprehendantur in superbia sua*, et delictum oris eorum deleatur, ita ut relicta exsecrabili et turpi conversatione, sobrie, juste ac pie vivant, sanctæque conversationis propositum vel in baptismo vel postea promissum veraciter persolvant. Tunc, sicut dictum est, *de exsecratione et mendacio* liberati *annuntiabuntur in consummatione*, sicut Paulus in superbia sua comprehensus, postea salubriter est infirmatus ac sua infirmitate medicatus et in bono consummatus. Ita enim contra tumorem superbiæ Dominus apponit malagma infirmitatis, ut Apostolo datus est angelus Satanæ colaphizans, ne magnitudo revelationum extolleret eum.

Duas attendo in Paulo superbias mira Dei arte medicatas : unam, qua in malefactis ante conversionem superbivit adhuc spirans ac flatum superbiæ intus continere non valens ; altera quæ de magnitudine revelationum saluti ejus insidiabatur. Et priorem quidem pius medicus curavit per semetipsum de cœlo alloquens rhinocerotem superbum, ut ad præsepe suum alligaret illum non solum sub se, sed etiam sub Ananiam discipulum salubriter humiliatum. Secundam vero per angelum Satanæ colaphizantem curavit, ne accideret ut intelligas eam superbiam periculosiorem, quæ de bene factis, vel bene dictis, aut etiam de virtutibus et revelationibus infestat hominem. Et quia bifariam distinguitur ars medicorum, videlicet in morbis depellendis ubi acciderint, aut præcavendis ne accidant, utroque modo invenimus medicatum Apostolum in prima superbia sua comprehensum, atque a secunda, quæ nequior erat, custoditum. Necessaria est omnibus hæc bipartita medicina contra geminam superbiam valde nocivam. Nam prior impedit bonæ vitæ inchoationem, dum non sinit superbum flecti sub alterius hominis magisterium, sicut legimus Paulum sub Anania humiliatum ; posterior præpedit inchoati boni consummationem, quæ nunquam provenit nisi per sinceram humilitatem, qua homo pius, quanto magnus est, humiliat se in omnibus. At hæc humilitas omnium bonorum consummatrix et conservatrix rarissime habetur, nisi *in ira consummationis* animus humanus ad superbiendum pronus capistretur ac disciplinetur.

Notandum quod omnis vindicta Dei dicitur *ira*. Sed est, quando damnat in malo, ut cum dicet : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV, 41) : » et est, quando consummat in bono, ut cum flagellat omnem filium, quem recipit. Prior ita consumptionis, secunda *consummationis* dicitur ; quia per illam deficient peccatores a terra, ut non sint : per istam proficient humiles, ut bene ac vere sint. Vel in uno eodemque homine aliud operatur ira consumptionis, aliud ira consummationis, dum per quædam flagella Dei a peccatis purgatur, ut consumptis ultione peccatis homo purus inveniatur, per quædam vero in virtutibus consummatur, ut in Deo jam Deus recte nominetur juxta illud : « Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi, » ubi cum subjungitur : « Vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis (*Psal.* LXXXI, 7), » manifeste indicatur quod etiam tallbus diis et filiis Excelsi per superbiam mors et casus intentatur, nisi disciplinam ferant *in ira consummationis* usque ad finem omnis consummationis, de quo dicitur : « Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis (*Psal.* CXVIII, 96). » Qui ergo profecit usque ad perfectionem latissimæ charitatis, quæ non excidet, hic jam flagello minus indiget, quia charitate, quæ non inflatur, ab omni superbia custoditur. Unde apostolum Paulum tandem in charitate consummatum, credimus ab angelo Satanæ illum collaphizante omnino liberatum, et inter angelos bonos deputatum, atque illorum jugi custodiæ commissum, ita ut cum Eliseo dicere posset :

Digitized by Google

« Plures nobiscum sunt quam contra nos (*IV Reg.* vi, 16). » Hoc idem in cæteris ex Judæorum populo conversis agnoscere in promptu est, qui *de exsecratione et mendacio annuntiati sunt in consummatione in ira consummationis*. Et ideo *non erunt* : subaudis, quod fuerant prius, juxta quod scriptum est : « Verte impios, et non erunt (*Prov.* xii, 7). »

Et scient quia Deus dominabitur Jacob et finium terræ. Antea cum justitiæ Dei non subjecti, sed suam statuentes extollerentur contra gentiles, quos arbitrabantur immundos quasi canes, putaverunt non esse Deo curam nisi de solis Judæis per justitiam legis, ut arbitrantur justificatis. Nunc *in ira consummationis* emendati, et per gratiam illuminati *scient* quod sicut omnes peccaverunt, Judæi et gentiles, ita omnes egent gloria et gratia Dei, quia sicut *dominatur Jacob*, salvando ex progenie Jacob quos vult, sic etiam *dominatur finium terræ* salvando quos vult, non solum in omni Judæa et Samaria, sed etiam usque ad ultimum terræ, audiens et exaudiens voces a finibus terræ ad se clamantium, sive Judæorum sive gentilium, de quibus omnibus una perficitur Ecclesia, illa videlicet regina, quæ venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Unde jam dictum est : Evidenter *scient* Judæi ad Deum conversi, *quia Deus dominabitur Jacob, et finium terræ*. Vel *Deus Jacob* ipse *dominabitur finium terræ*, omnium habens curam, quos in omni gente præscivit, et prædestinavit ad vitam beatam.

Nam quicunque talium non convertuntur mane vel meridie ut apostoli ante occasum Solis justitiæ ad ipsum conversi, vel etiam gentiles illi, qui dixerunt Philippo : « Volumus Jesum videre (*Joan.* xii, 21), » atque illa Chananæa de fide magna collaudata, seu ille centurio, cujus fidem Dominus admiratus dixit, non se invenisse tantam fidem in Israel (*Matth.* viii, 10), illi saltem

Vers. 15. *Convertentur ad vesperam*, id est, sero, post mortem Domini, qua ipse Sol verus occubuit, qui etiam super occasum ascendit : vel sero, vel in fine sæculi, quando ingressa jam plenitudine gentium convertentur etiam reliquiæ Judæorum.

Aliter : *Convertentur ad vesperam*, id est qui mane, id est in adolescentia, cum perversis perversi erant, ipsi post multiplicatas infirmitates suas magis ad Deum converti accelerant inclinata jam die, hoc est, obscurata in eis luce justitiæ. Tales enim Christo dicunt : « Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit (*Luc.* xiv, 29), » ac si dicant : Mane nobiscum, tu auctor et largitor gratuitæ justitiæ tuæ, quæ nunquam tenebrescit, quoniam omnes justitiæ nostræ a te pro nihilo cognoscuntur habendæ, si a te judicentur absque indulgentiæ miseratione.

Qui taliter convertentur ad vesperam, ipsi *famem patientur*, sive ut in Hebræo legitur, *latrabunt ut canes*, reputando videlicet se immundos *ut canes*, vel etiam de cætero fidelitatem servando, *ut canes*, qui solent esse dominis fideles, vel *ut canes* in convivio dominorum nec micas negligentes. Tamen dico : *Patientur*, quod sanitatis est signum, sicut e contra ægritudinis est indicium fastidire cibum. Nemo enim insanabilior est eo qui sibi sanus videtur, et cibum fastidit, quo salus acquiritur et servatur. Sed isti, qui convertuntur *ad vesperam*, quia suam conversionem reputant nimis tardam et quasi vespertinam vel serotinam, etiamsi pœri convertantur post expertam nequitiam, pro recuperatione amissæ innocentiæ *famem patientur ut canes*, jam beati ex eo quod esuriunt et sitiunt justitiam non solum in se, sed etiam in aliis perficiendam. Ideo

Vers. 16. *Ipsi dispergentur ad manducandum.* Ipsi ad hoc ipsum idonei *dispergentur ad manducandum*, id est ad alios lucrandos, et in corpus suum trajiciendos. *Si vero non fuerint saturati* fide populorum, dolebunt *et murmurabunt* homines increpando, Deum obsecrando vel suis culpis imputando, quod sermo ipsorum non capit in auditoribus, quodque non sentiunt optatos effectus in doctrina obeditionis, in precibus exauditionis. Tales murmurationes in Jeremiæ Lamentationibus requirit spiritus prophetícus. « Quid, » inquit, « murmuravit homo vir pro peccato suo? (*Thren.* iii, 39.) » Virum, sive hominem, id est virtuosum et rationalem recte hunc murmuratorem nominat, qui non contra Deum ad peccatum suo murmure augmentandum, sed pro peccato suo abolendo murmurare dulce habet in precibus et confessionibus ad Deum, non contra Deum, sicut illi, de quibus dicit Apostolus : « Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et a serpentibus perierunt (*I Cor.* x, 10) » Et Moyses : « Non, » inquit, « contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum (*Exod.* xvi, 8). » Murmuraverat enim populus indisciplinatus contra Moysen et Aaron propter defectum aquæ in deserto, quam cum nulla humana industria illi potuerint habere, non contra se fuit murmur illud, sed contra Dominum. Sane ubi prælatorum industria emendare potest et debet, hujusmodi penuriam vel incuriam, de qua murmurare habent subjecti, revera contra ipsos prælatos est murmur subjectorum, si pro posse suo non satisfaciunt necessitatibus eorum. Unde in Actibus apostolorum, cum factum esset murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod non bene procurarentur in ministerio quotidiano viduæ eorum, convocantes apostoli multitudinem reddiderunt pro semetipsis primo rationem, quod non esset officium eorum derelicto ministerio verbi ministrare mensis, ac dein consilio multitudinis ordinaverunt septem diaconos in hoc opus electos, quorum præcipuus protomartyr Stephanus legitur plenus fide et Spiritu sancto, et unus ex illis postea reprobatus est. (*Act.* vi, 1 et seqq.) Quibus gestis manifeste datur intelligi, quod sicut inordinatæ murmurationes, quæ contra Deum fiunt, reprimendæ vel etiam contemnendæ sunt auctoritate

Digitized by Google

magisteriali seu legali, sicut patet in dictis Moysi redarguentis impios murmuratores : ita etiam disciplinatæ murmurationes consopiri debent a magistris partim rationem congruam reddentibus, partim subjuncta sibi ministeria consulte disponentibus, ut claret in Actibus apostolorum sic facientium, sic murmur compescentium. Et ne parum fortasse movearis exemplis hominum sub potestate Dei constitutorum et habentium sub se homines, ipse omnium Dominus, qui super omnes est, ad idem te informat, qui et populo indisciplinate murmuranti contra se ac suos famulos plagas ignitorum serpentium et aliarum mortium terribiliter immisit, et Paulo apostolo in precibus murmuranti propter stimulum carnis, angelum Satanæ, auferendum a se, pie satisfecit partim reddendo rationem, cur eum tertio rogantem non exaudierit, partim quoque augmentando virtutis gratiam, quam in infirmitate hujusmodi asseruit illi perficiendam. Unus iste fuit ex illis bonis murmuratoribus, de qual bus hic in psalmo dicitur : *Ipsi dispergentur ad manducandum, si vero non fuerint saturati, et murmurabunt.* Annon vox murmurantis est, quod verbis Isaiæ, item boni murmuratoris, ipse Apostolus dicit : « Domine,quis credidit auditui nostro,et brachium Domini cui revelatum est? (*Rom.* x, 16.) » Ita murmurant boni famelici esurientes et sitientes justitiam, esurientes et sitientes, ut decet, adimpleri omnem justitiam Judæo, primum et Græco, circumcisioni simul et præputio ad hoc propositam, ut ex duobus parietibus per unum angularem lapidem junctis una perficiatur Ecclesia, una domus nunquam ruitura ; quæ quandiu non est completa, murmurat sanctorum fides famelica, tunc ad plenum satianda, quando cuncta recte credita invenerit completa : murmurat quisque fidelium, quandiu, quod credit, non videt completum.

Vers. 17. *Ego autem cantabo.* Ego tota sancta Ecclesia tandem completis omnibus ædificiis meis consummata : vel ego quodcunque membrum consummatæ jam Ecclesiæ *cantabo fortitudinem tuam, et exaltabo mane misericordiam tuam*, Deus meus. Quare? *Qui factus es susceptor meus.* Tu idem, qui Deus meus es, quia creasti me, cum non essem, *susceptor* quoque *meus es*, quia natura mea in te susceptа salvasti me, cum in perditione fuissem. Ideo non meam jactabo fortitudinem, quæ nulla est, sed *cantabo fortitudinem tuam :* quæ invincibilis est, et *exaltabo misericordiam tuam*, quæ ineffabilis est. Fortitudo Saulis, et satellitum ejus, de quibus jam supra dixi, quod *irruerunt in me fortes*, magna quidem fuit contra me David, sed *fortitudo* eripientis in immensum fortior exstitit, ita ut superari non potuerit. Propterea, Deus meus ereptor meus ab inimicis insurgentibus, liberator de operantibus iniquitatem, et de viris sanguinum Salvator, tua fortitudine mirabiliter ereptus, liberatus et salvatus, *cantabo* ipsam *fortitudinem tuam.* Et quia gratuita misericordia fortitudini tuæ circa me semper fuit A socia et comes individua, ut et inimicos fortiter premeres, et me misericorditer foveres tu fortiter et suaviter disponens omnia, ego non solum *cantabo fortitudinem* contrarias virtutes prementem, sed etiam *exaltabo misericordiam* suaviter disponentem cuncta mihi prospera, cuncta salubria, juxta quod quidam ex nostris ait : « Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti (*Rom.* VIII, 28). »

Non dico præsentialiter : Canto *fortitudinem*, exalto *misericordiam*, quoniam adhuc tempus flendi est et non ridendi, quandiu hi, qui convertuntur *ad vesperam, famem* patiuntur *ut canes*, ac proinde murmurare potius quam cantare illis convenit, non B tamen contra Dominum, sed ad Dominum, præcipue *ad vesperam*, quoniam « ad vesperam demorabitur fletus (*Psal.* XXIX, 6), » in qua verus David sepultus, atque a satellitibus mortis obsessus fuit plangentibus amicis et exsultantibus inimicis, verum subsequente « mane, ad matutinum lætitia (*ibid.*) » fuit amicis, et e converso tristitia inimicis, præcipue his, qui custodiebant sepulcrum, vel qui, coemerunt mendacium, quo vulgato quasi discipuli furati essent, Christum corpore tunc occisum volebant quoque in spiritu interficere, ut videlicet nemo crederet eum vivere, atque ita nemo salvaretur in fide ipsius. Hoc nimirum præpositus mortis diabolus intendebat, *quando*, ut in titulo psalmi hujus C notatur, *misit, et custodivit domum ejus, ut interficeret eum*, ne quis crederet in eum quasi abolito illo triumphali titulo, quo Jesus Nazarenus rex Judæorum clarificatur, quia hæc inscriptio non corrumpetur, quæ licet imminente vespera, in qua demoratur fletus, minime sit quibusdam conspicua, tamen clarescente *mane* diluculo resurrectionis Christi, vel etiam corporis ejus totius in fine, ad quem tendit psalmus iste, omnibus tam inimicis quam amicis manifestabitur veritas incorruptibilis hujus inscriptionis ad gloriam Jesu Nazareni regis Judæorum. Tunc ego Judæus, nunc vere confitens et meam miseriam et ipsius misericordiam, tunc, inquam, *cantabo fortitudinem* ejus *et exaltabo misericordiam* prout modo votum voveo dicens : *Ego autem cantabo fortiD tudinem tuam, et exaltabo mane misericordiam tuam.*

Vel *mane*, finita nocte cujusque tribulationis aut tentationis, non me jactabo quasi liberatum propria virtute aut pietate, sed *exaltabo* et quasi de imo in altum laudibus attollere non cessabo *misericordiam tuam, quia* et tu me in altum sublevando suscepisti, et *factus es susceptor meus.* Tu factor factus es. Quid factus es? Utique *susceptor meus* ad bonum per incarnationis tuæ mysterium, et *refugium meum* a malo *in die tribulationis* per sacramentum passionis tuæ ; *in die*, inquam, *tribulationis*, quando *refugium* ac solatium solet esse gravissimum, tu *factus es* mihi *refugium*, et quasi asylum tutissimum, in quo non solum securus ab insurgentibus manerem, sed et inde viriliter pugnarem in luce sagittarum

Digitized by Google

tuarum et in splendore fulgurantis hastæ tuæ orando vel etiam disputando, seu alio quolibet modo luctando contra inimicos, in quibus debellandis tu *factus es adjutor meus*. Unde inter hujusmodi prælia crebro dixi : « Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo (*Psal.* CXVII, 6). » Item : « Dominus mihi adjutor, et ego despiciam inimicos meos (*Psal.* CXVII, 7). » Unde non solum *cantabo* laudibus in æternum, sed etiam nunc, dum tempus est operandi,

VERS. 18. *Psallam tibi* operibus bonis, et merito, *quia* tu *es Deus susceptor meus, Deus meus misericordia mea*. Iterato jam dico tibi : *Susceptor meus*, quia et suscepisti me de regione longinqua revertentem, et ad ultimum suscipies post omnes labores in requiem tuam. Cunctis diebus, quibus nunc milito, in tabernacula tua susceptus te susceptorem glorificare propositum habeo legitime in tabernaculis tuis militando. Finita vero hac militia susceptus in aula tua misericordias in æternum cantabo, te mihi misericordem fuisse memor ero in sempiternum. Parum dixi appellans te misericordem : plus dico et verius, quod verum est, enuntio, quia tu es *misericordia mea*. Tu es ipsa inexhausta misericordia, cujus participes sunt omnes misericordes : in te autem non participatio, sed plenitudo est misericordiæ, vel potius tu es ipsa plenitudo misericordiæ, vel ipsa plene summa misericordia, qua plena est terra, sancta videlicet Ecclesia, quæ tibi clamat assidue, *Deus meus misericordia mea*. Multa dicuntur, et multa dici possunt de bonitate tua, sed hoc uno comprehenduntur omnia, cum tu nominaris non tam misericors quam ipsa misericordia. Quidquid enim sumus sive natura ut homines, sive instituto ut fideles, totum est ex dono tuo, Deus. Unde laudator tuus in gratiarum actione A rectius te appellat *misericordiam* suam, quam misericordem sibi, quoniam et impius confitebitur tibi, cum benefeceris ei, quod sibi sis misericors. Prior autem considerans miserationes tuas super omnia opera tua, de omnibus te laudat, quod sis misericordia sua, quia sibi reputat fieri ad solatium, quod tu æterna misericordia misereris omnium, et inde trahit materiam laudis, quod ad sui consolationem, et ipso quoque orante, inimicis etiam sibi non miserentibus tu æterna misericordia misereris.

Super hunc locum beatus Gregorius dicit in hom. 18 (139) : *Perpendens Propheta in quibus laboribus humana vita sit constituta, Deum appellavit adjutorem, et quia a tribulatione præsenti in requiem* B *æterna nos suscipit, appellat etiam susceptorem. Sed considerans quod mala nostra aspicit et portat, nostras culpas tolerat, et tamen nos per pœnitentiam ad præmia reservat, noluit Deum misericordem dicere, sed hanc ipsam misericordiam vocavit dicens* : Deus meus misericordia mea. *Revocemus igitur ante oculos nostros mala, quæ fecimus, pensemus quanta Dei benignitate toleramur. Consideremus quæ sunt pietatis ejus viscera, ut non solum culpas indulgeat, sed et cœleste regnum pœnitentibus etiam post culpas promittat, atque ex omnibus medullis cordis dicamus singuli, dicamus omnes :* Deus meus misericordia mea.

Gloria Patri forti et misericordi, cujus *cantabo fortitudinem et misericordiam. Gloria Filio,* qui est C fortitudo Patris, quam cantabo. *Gloria Spiritui sancto*, qui est misericordia Patris et Filii, quam mihi cantandam proposui dicens in psalmo isto :

Ego autem cantabo fortitudinem tuam, et exaltabo mane misericordiam tuam.

(139) In Evang.

PSALMUS LIX.

Deus, repulisti nos, et destruxisti nos, etc. Titulus psalmi hujus est : D

(VERS. 1, 2) IN FINEM : PRO HIS, QUI COMMUTABUNTUR IN TITULI INSCRIPTIONE IPSI DAVID IN DOCTRINAM CUM SUCCENDIT MESOPOTAMIAM SYRIÆ, ET SYRIAM SOBAL, ET CONVERTIT JOAB, ET PERCUSSIT EDOM IN VALLE SALINARUM, DUODECIM MILLIA.

Legitur in Paralipomenon, quod, mortuo Naas rege Ammonitarum, misit David nuntios ad consolandum Hanon filium ejus. Cui cum suggessissent principes sui quod, magis causa explorandi, quam honorandi nuntios misisset David, decalvavit Hanon pueros David, et rasit, et præcidit tunicas a natibus usque ad pedes, et dimisit eos. Deinde ipse Hanon, et populus ejus, videntes quod injuriam fecissent David, missis mille talentis, conduxerunt sibi currus et equites de Mesopotamia et Syria et aliis locis. Quo audito David misit Joab cum exercitu contra eos ad prælium, et fugavit eos (*I Paral.* XIX, 1 et seqq.).

Legitur quoque in secundo libro Regum quod mortuo Saule, cum David prospere regnaret, percussit cum multis aliis Adarezer regem Soba, quod est pars Syriæ, factaque est Syria serviens David sub tributo. Capta autem Syria et cæsis de Edom duodecim millibus, cum reverteretur, posuit in Idumæa custodes, et facta est universa Idumæa serviens David (*II Reg.* VIII, 1-10). Qualiter autem converterit Joab non legimus, nisi, quod cum mortuo Saulo rex constitutus cepisset arcem Sion,

Digitized by Google

dixit : « Qui in primis percusserit Jebusæum, erit princeps. Et ascendit primus Joab, et factus est princeps (*I Paral.* XI, 6). » Vel quod, cum venissent de Juda ad David, timuit eos David. « Spiritus autem induit Abisai fratrem Joab et dixit : Tui sumus, o David; pax tibi (*ibid.* XII, 18) : » Attendendum est etiam quod in supradicta strage Syriorum nihil eum legimus succendisse. Unde sicut in aliis locis ita hic quoque pro significatione ab historia recedit dicens : *succendit*, et psalmus iste mittit *in finem* Christum agens pro his, id est ad honorem horum, *qui commutabuntur* de veteri vita in novam, *in tituli inscriptione* facta *ipsi David*, id est suscepta fide regni Christi, de quo Pilatus titulum superposuit cruci ; vel est ordo : *commutabuntur* non sibi, sed *ipsi David*, ut ei vivant eundo *in doctrinam*, qua dixit : « Regnum meum non est de hoc mundo (*Joan.* XVIII, 36). »

Facta est autem hæc immutatio, cum succendit *Mesopotamiam Syriæ* etc. Mesopotamia interpretatur *elevata vocatio;* Suria *sublimis;* Sobal *vana vetustas;* Joab *inimicus ;* Edom *terrenus.* Ilis omnibus significantur elati ab altitudine vanitatis, quos Christus igne charitatis, quem in terram venit mittere, succendit, ut noventur : et sic convertit inimicum, vel in fugam diabolum, vel ad fidem Christianum. *Percussit Edom*, id est *terrenum* occidit, ut viveret factus cœlestis. *Percussit autem de Edom duodecim millia*, qui est perfectus numerus, cui deputatur numerus apostolorum, qui de quatuor mundi partibus vocavit homines ad Trinitatis fidem. Unde per hunc numerum significatur totus mundus percussus. *In valle Salinarum.* Vallis *humilitas* Salinæ *sapientiæ sapor.* Ergo percussi sunt in valle Salinarum, qui non vane passi sunt, ut multi pro terrenis hæretici, sed pro Domino sapienter humiliati.

De his ita commutatis agit Propheta, et primo refert percussiones factas pro vitandis pœnis æternis. Secundo liberationem precatur, et confirmat ad tolerandas persecutiones intercessione confortans ibi : *Ut liberentur dilecti tui.* Hac igitur strage igne charitatis, et gladio Verbi Dei peracta, ipsi commutati in melius dicent : *Deus, repulisti nos.* Finita prima periocha secundi quinquagenarii, qui ad spem, sicut supra diximus, ædificat, psalmo isto reditur ad spei summum, cum dicitur : *Deus, repulisti nos, iratus es, et misertus es nobis.* Hoc enim dicimus secundum prospicientes adventum Christi, quo sumus in immortalitatem atque impassibilitatem commutandi, juxta hunc modum tituli : *In finem pro his, qui commutabuntur in tituli inscriptione ipsi David : pro his*, inquit, qui sunt commutandi *in finem*, id est in immortalitatem atque in impassibilitatem propter susceptam inscriptionem tituli sæpe dicti, quæ inscriptio facta fuit *ipsi David.*

Sequitur adhuc : *In doctrinam, cum succendit Mesopotamiam Syriæ, et Syriam Sobal, et convertit Joab, et percussit Edom in valle Salinarum duodecim millia.* Propter hoc ait : *commutabuntur*, quia susceperunt doctrinam ejus, quia bene vivendo et bene loquendo effecti sunt imitatores ejus. Et hoc non a se, sed a Deo, qui *succendit* eos sancti Spiritus igne faciendo eos *Mesopotamiam Syriæ*, id est vocando et elevando in sublime. Mesopotamia quippe *elevata vocatio*, Syria *sublimitas* interpretatur. Hoc fecit eis, cum prius fuerint *Syria Sobal*, id est sublimitas vanæ vetustatis. *Et convertit*, inquit, *Joab.* Joab interpretatur *inimicus*, quod videa licet nos omnes fuimus : sed conversi sumus in amicos, quia per Christum reconciliati sumus. *Et percussit*, ait, *Edom in valle Salinarum duodecim millia.* Edom quoque, id est terreni et sanguinolenti nos fuimus ; sed *percussit* nos *in valle Salinarum* mortificando nos vitiis per ancipitem verbi sui gladium in humilitate et condimento virtutum, sumusque quasi numero *duodecim millia*, qui numerus per partes septenarii, id est tria et quatuor impletur. Ter enim quatuor, vel quater tria sunt duodecim. Dona quippe septiformis Spiritus habentes per quatuor mundi partes fidem sanctæ Trinitatis confitemur et prædicamus. Et primo quidem adventu credentes succendit igne pœnitentiali ; secundo autem cum venerit, succendet incredulos igne pœnali : pro meliori parte in hoc psalmo dicimus : *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus, ut liberentur dilecti tui*, etc.

His de sensu totius psalmi succincte prælibatis, eumdem favente Deo plenius perspecturi ab exordio incipiamus.

VERS. 3. *Deus, repulisti nos.* « Justus es, Domine, et rectum judicium tuum et omnes viæ tuæ misericordia et veritas (*Psal.* XXIV, 10 ; CXVIII, 137.). » Nam justo judicio tuo *repulisti* nos ab illa interna requie paradisi, quam in primo parente habuimus, et in ipso perdidimus exigente peccato ipsius. *Et destruxisti nos* inferendo mortis sententiam, qua dixisti : « Terra es, et in terram ibis (*Gen.* III, 19). » Item : « In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Cum operatus fueris terram, non dabit fructus suos, sed spinas et tribulos germinabit tibi (*ibid.*, 18). » Quibus in verbis *iratus es, et misertus es nobis ; iratus es* propter peccatum, sed *misertus es* propter temetipsum. *Iratus es* propter nostram impietatem, sed *misertus es* propter tuam bonitatem. Sicut irascitur simul et miseretur medicus ægroto, secando et sanando vulnera ejus, et sicut irascitur et miseretur pater filio, verberando et disciplinando ipsum : sic tu Deus *iratus, et misertus es nobis.* Etenim si post peccatum non fuissemus prohibiti a ligno vitæ fructuque illius gustato, viveremus in æternum sicut angeli, esset nobis æque ut angelis peccantibus æternitas misera et miseria æterna. Nunc autem quia juste irascendo et pie miserendo *repulisti nos* a ligno vitæ, ne inde sumendo viveremus in æternum post admissum peccatum, sicut vivit prævaricator angelus qui, licet habet plagam gladii, tamen vivit,

Digitized by Google

quia mori non potest : gratias tibi agimus, Deus, pro eo quod *repulisti nos* a ligno vitæ, atque ad curandam in nobis mortem animarum *destruxisti nos* per mortalitatem et mortem corporum, in quo judicio tuo *iratus* pariterque *misertus es nobis*, dum per sententiam mortis

Vers. 4. *Commovisti terram, et conturbasti eam. Commovisti*, repellens a requie paradisi : *conturbasti*, maledicens ipsam terram in opere peccatoris. Et quoniam propterea mortem corporis intulisti homini, ut ex ipsa morte faceres medicamentum, *sana contritiones ejus*, cura languores terræ, naturæ videlicet humanæ, provocatus ad miserendum per hoc ipsum, *quia mota est*, mobilis et instabilis effecta, quæ ad immobilem stabilitatem æternitatis creata est, in eo quod ad imaginem et similitudinem Dei facta est. Ipsa vero a Dei similitudine in regione dissimilitudinis exsulando sic *mota est*, ut non possit stare « homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletus multis miseriis, qui quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet (*Job* xiv, 1, 2). » In omnibus hujusmodi miseriis

Vers. 5. *Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis.* Et per hæc ipsa *dura*

Vers. 6. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus*, intenti ad feriendum per extremum judicium eos, qui non emendantur per ostensa dura præsentium miseriarum, quique *vino compunctionis* minime compunguntur, etiam quando miseriis punguntur.

Aliter : *Deus, repulisti nos*, qui eramus *Syria Sobal*, id est *sublimitas vanæ vetustatis* per ambitionem seu gloriam inanem, qui eramus *Edom*, id est *terrenus* per concupiscentiam carnis, qui eramus *Joab*, id est inimicus per concupiscentiam oculorum, quoniam « omne, quod in mundo est, » ait, Joannes, « est concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi (*I Joan.* II, 6); » *nos*, inquam, tales justo judicio a te *repulisti*, atque repulsa dignos *ostendisti*, et ne tales permanendo semper essemus repulsi, *destruxisti nos*, ut qui eramus *Syria Sobal*, id est sublimes, vani et vetusti, ab hac sublimitate, vanitate ac vetustate destructi, simus humiles, in veritate stantes, in novitate vitæ ambulantes : qui eramus *Edom*, id est *terrenus*, efficiamur spiritales : qui eramus *Joab*, id est *inimicus*, efficiamur amici Dei, quibus tu, Deus, qui *destruxisti nos*, dicas : « Jam non dicam vos servos, sed amicos meos (*Joan.* xv, 15). »

Prius autem quam sic destrueremur, *iratus es nobis* elatis propter peccata. Sed postquam *destruxisti nos*, *misertus es nobis* humiliatis. Vel *iratus es nobis* in primo Adam : *misertus es* in secundo. Vel *iratus es* inferendo justam vindictam : *misertus es* faciens hanc ipsam vindictam non esse peremptoriam, sed emendatoriam. *Iratus es* infundendo vulneribus nostris vinum; *misertus* es addendo pietatis oleum. *Iratus es* culpis, quas nos fecimus; *misertus es* nobis quos tu fecisti. *Iratus es* operi nostro; *misertus es* operi tuo. Ex hac ira simul et misericordia tu commotus *commovisti terram* commotione salubri ad pœnitentiam, *et conturbasti* eam conturbatione tam valida, ut sit contrita et confracta sub malleo tribulationis undique imminentis. Et quia cor contritum et humiliatum non despicis, tu, qui terram carnis humanæ conteris, ut spiritus salvus fiat, jam *sana contritiones ejus* auferendo mortalitatis et mortis miserias multimodas. Non pro mundo rogamus, qui in maligno positus est, nec est illi commutatio, sed pro his quos tuos fide et opere præscivisti, et de mundo elegisti, pro his scilicet, *qui commutabuntur*, nunc tituli inscriptione confitendo Jesum Nazarenum Regem Judæorum, et commutabuntur *in doctrinam* servando videlicet sanam doctrinam, quæ docet nunc vitam in melius commutandam per bonitatem, et in fine item *in melius* commutandam per impassibilitatem. Pro his, qui taliter commutabuntur, et commutandi præsciuntur, ut, quod futurum est, fiat celerius, nos oramus, et *contritiones* terræ, id est, carnis eorum sanari optamus dicendo : *Sana contritiones ejus, quia mota est.* Aliter enim indigna est sanari, nisi *commota*, nec meretur sanari per impassibilitatem ad æternam beatitudinem, nisi prius *commota* sit per pœnitentiam ad pietatem. *Sana in finem* titulo prænotatum, ut sit ei sanitas consummata *in finem*, id est, in Christum. Finis enim legis Christus ad justitiam his qui commutabuntur nunc in doctrinam, et omnis consummationis finis idem Christus est his, qui commutabuntur in gloriam. Nam « omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur (*I Cor.* xv, 51) » tunc in gloriam, qui nunc non omnes immutamur *in doctrinam* servando videlicet sanam doctrinam, quam servare non potest caro infirma commota et conturbata, nisi per gratiam fuerit sanata. Propterea rogo : *sana contritiones ejus, quia commota est.*

Et non mirum quod commota est, quia tu *ostendisti populo tuo dura*. Populo tuo festinanti ad dulcia et suavia tu *ostendisti dura*. Filiis Zebedæi petentibus ut unus ad dexteram et alter ad sinistram sederet in regno tuo, tu dixisti : « Nescitis quid petatis; » et addidisti : « Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? (*Matth.* xx, 22.) » Hæc dicens *ostendisti populo tuo dura* prius ferenda quam suavia percipienda, prius militandum quam regnandum, prius bibendum calicem passionis repletum de torrente in via, quam sedendum super mensam in regno; propterea dicis : « Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis (*Luc.* xxii, 28), » id est, qui *dura* sustinuistis, et *vino compunctionis* potati calicem meum bibistis, et usque ad mortem bibetis. Et propterea « ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, et bibatis super mensam meam in regno meo (*ibid.*, 30). » Sic ante suavia *ostendisti populo tuo dura* sufferenda.

Digitized by Google

Unde est et illud : « Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, et præpara animam tuam ad tentationem (*Eccli.* II, 1). » Pro his, qui commutabuntur, hæc dicta sunt. Nam qui non commutabuntur, *dura* fugiunt, quæ vident, sed postea cadent in duriora, quæ non vident. Etiam illa *dura* invisibilia *ostendisti populo tuo* vitanda per dura visibilia, quæ nonnisi duris *dura* videntur, etiam ad audiendum, nedum ad sufferendum. Unde et dicunt : « Durus est hic sermo (*Joan.* VI, 61). » Illis autem, qui commutabuntur et convertuntur per ista dura, cito mollescit hæc ipsa duritia ; propter quod dicunt : *Potasti nos vino compunctionis*, id est, fecisti nos tales, ut si aliquando ingruerent propter justitiam gravia et dura tormenta, pungentia corpus et compungentia cor, potius delectarent quam contristarent, vel ita potarent, id est inebriarent, ut parvi penderemus ea.

Aliter : *Potasti nos vino compunctionis*, non vino in quo est luxuria, non vino quod cor subvertit, sed quod lætificat cor hominis, quo etiam purgatur patiens ut vulnus vino, dum Samaritanus vulnerato et semivivo curam adhibet infundens oleum et vinum (*Luc.* X, 33). Vino isto vulneratus curatur, curatus potatur, et dum ante commutationem qua mutatur ad justitiam, tribulatur, et postea propter justitiam nihilominus tribulatur. Prius vinum quasi myrrhatum seu felle mistum breviter est gustandum, posterius quasi vinum optimum dignum dilecto ad potandum, labiisque et dentibus illius diu est ruminandum, quoniam tribulationi ad justitiam præparanti velociter est acquiescendum, et in tribulatione justitiam probante longaminiter est persistendum. Sic etiam Saulus de cœlo vocatus et in terram prostratus quasi vino myrrhato seu felle misto potatus cito est immutatus, ut diceret : « Domine, quid me vis facere? » (*Act.* IX, 6.) Sed postea propter justitiam tribulatus quasi optimo vino potatus hoc ipsum vinum diu ruminavit, quia persecutiones diuturnas longanimiter sustinuit, in quibus et gloriabatur dicens : « Gloriamur in tribulationibus scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit (*Rom.* V, 3-5). » Item : « Quis nos separabit a charitate Dei? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? sicut scriptum est, quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis (*Rom.* VIII, 35, 36). » An non vinum bonum ruminat, qui suas tribulationes gaudendo, et in eisdem gloriando enumerat, suorumque discipulorum similiter enarrans tribulationes, « quas sustinetis, » inquit, « in exemplum justi judicii Dei? » (*II Thess.* I, 4-5.) Vino cum felle misto volebant Judæi potare Christum, dum quasi malefactorem judicabant ipsum interficiendum ; sed cum ipse gustasset, noluit bibere, quia omnino alienus fuit a felle malitiæ. Porro latro ille dexter hujusmodi vino cum felle misto potatus, ac per hoc mutatus recte intelligitur quia passus non propter justitiam, sed propter malitiam cito commutatus est ad justitiam confitendo malitiam. Unde quasi potatus *vino compunctionis*, in corpore punctus, in corde compunctus ex latrone factus est confessor, et ex injusto tantus justitiæ amator et æmulator, ut et socium blasphemantem constanter increparet, et fide, quæ justificat impium, repletus ad Christum clamans diceret : « Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum (*Luc.* XXIII, 42). »

Sic per vinum dilectis et electis tuis propinatum *dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus*, hoc scientes quod judicium Dei a sanctuario cœptum quandoque feriet quasi *arcus* diu intensus in ipsos, qui nunc sanctos tribulant, nisi et ipsi a facie arcus fugiendo tales fiant, ut qualia sanctis irrogant, talia cum sanctis et pro sanctis pati non refugiant, sicut Saulus lapidator Stephani, et ipse postea lapidatus est, et ter virgis cæsus multisque periculis fluminum, periculis latronum, cæterisque periculis vexatus expiavit culpam persequendo sanctos contractam. *Dedisti* ergo *significationem te metuentibus*, dum non parcis te diligentibus, quia dum flagellas omnem filium, quem recipis, eum, quem repellis, impunitum non dimittis ; dum, quos amas, arguis et castigas, inimicos tuos acrius castigandos insinuas. *Fugiant* igitur *a facie arcus* extenti ; *fugiant* ab ira futuri judicii manifestata in eo judicio, quo nunc sanctos judicat Deus, quodque a sanctis incipit, quos in suo judicio judicaturos disponit.

Arcus iste in nubibus cœli est conspicuus tanquam cæruleo et igneo fulgore coruscans, quia et per aquas baptismi et lacrymarum purificati et igne charitatis inflammati fulgent electi, mundum quandoque judicaturi, sicut legitur : « Judicabunt nationes, et dominabuntur populis, et regnabit Dominus illorum in perpetuum (*Sap.* III, 8). » Bene itaque arcus judicium præsignans in nubibus demonstratur, quoniam potestas judiciaria sanctis reservatur, qui per nubes notantur. Unde Isaias : « Qui sunt hi, qui ut nubes volant? » (*Isa.* LX, 8.) In hujusmodi nubilus recte Christus creditur judex manifestandus, juxta illud : « Ecce in nubibus cœli Dominus veniet cum potestate magna (*Luc.* XXI, 27). » Nubes istæ nunc emittunt pluvias orationum, tunc emittent fulmina judiciorum. In nubilus istis conspicitur arcus fulgidus, quia in ipsis et per ipsos judicabitur mundus. Unde Isaias : « Et ecce festinus velociter veniet, ungulæ equorum ejus ut silex, et omnes arcus ejus extenti (*Isa.* V, 26-28). » Equi sunt iidem, qui nubes, in quibus conspicietur Dominus, ut scriptum est : « Ecce apparebit Dominus super nubem candidam, et cum eo sanctorum millia (*Apoc.* XIV, 14), » qui quoniam cum Domino judicaturi sunt, recte dicitur : « Omnes arcus ejus extenti. » Arcus judicii divini extensus est, nondum ferit, futurum est, ut feriat, eo fortius quo trahitur morosius. Nam sicut in arcu, quanto plus retro extenditur nervus, tanto in anteriora sa-

Digitized by Google

gitta fertur impetuosius; ita judicium, quanto tardius, tanto gravius futurum est. Hujus rei datur significatio vel in eo quod arcus ponitur in nubibus cœli, dum judicantur nunc sancti, postmodum judicaturi : vel in vexillo crucis, in qua Judex vivorum et mortuorum tradebat judicanti se injuste postmodum judicaturus juste. Quod signum, qui conspiciunt, *fugiant a facie arcus* imitando Christi passionem, quia, si socii passionum sumus, simul et resurrectionis erimus. « Si compatimur, et conregnabimus (*Rom.* VIII, 17). »

Aliud est pati, aliud est Christo compati, quia non omnes qui patiuntur Christo compatiuntur; non omnes qui moriuntur Christo commoriuntur. Similiter aliud est regnare, aliud Christo conregnare. Passus est latro blasphemus, non tamen Christo est compassus : mortuus est, non tamen Christo commortuus. Regnabat Nero, sed non conregnabat Christo. Porro pœnitens et confitens latro in eo est Christo compassus et commortuus, quod pœnitendo et confitendo inter pœnas est justificatus. Multo vero melius fuisset, si ante pœnas justificatus propter justitiam tractus fuisset ad pœnam, sicut Petrus, qui propter justitiam cinctus ab alio et ductus ad crucem sua morte non culpas expiavit, sed Deum glorificavit, ut prædixerat ei Christus, ante significans qua morte clarificaturus esset Deum. Nimirum, dum Petro significatur qua morte clarificaturus esset Deum, tu, Christe, in uno Petro *dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus*, eo modo quo fugit Petrus. Nam quia, cum esset junior, se accinxerat et ambulaverat ubi volebat; justa vicissitudo justitiæ requirebat ut ab alio cingeretur et duceretur quo nollet, pro gloria Dei clarificanda.

Propemodum simile est huic, dum quis recognocens delicta juventutis, in quibus ambulabat ubi volebat, spontaneo voto jugum Domini leve super se tollit, atque regularis vitæ vinculo per obedientiam cingitur, et ducitur quo non vult. Nam revera multum est pretiosa illa obedientia, in qua frangitur voluntas propria, magistro sapiente sapienter præcipiente quod expedit ad gloriam Dei, et discipulo humiliter obediente pro gloria Dei : cujus est gloria propter ipsum obedire super cathedram Moysi sedentibus, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis, dummodo non talia præcipiant quibus cathedram justam subvertant, pluris habendo suas traditiones pravas quam Dei sanctas. Itaque sub talibus irretractabiliter cingi ac duci ad aliquem laborem, quo Deus glorificetur, fuga est a facie arcus usque adeo, ut sic cinctus in humano judicio non solum non timeat feriri se arcu judicii, sed et ipse non vana spe in Christi promissione confidat, si perseveraverit usque in finem, quod sit judicaturus cum Domino, et habiturus in judicio arcum suis adversariis timendum. Nec mirum, cum et in hac vita ita sint arcuati electi, ut in luce sagittarum Dei etiam nunc hostes invisibiles atque visibiles terreant, et interdum vel orationum vel judiciorum sagittis acutis prosternant. Unde in laude regis sui dicunt ipsi milites assidue : *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corde inimicorum regis.* In corde utique, non in corpore cadent, qui humiliantur, et cum prius essent inimici regis, fiunt amici, aut certe si nolunt fieri amici, ac perseverant esse inimici, non effugient a facie arcus in die judicii, tunc in corpore simul et in corde feriendi, atque in carcerem gehennæ ignis detrudendi. Verum, quia misericordia et veritas præcedent faciem tuam, Judex tremende, in Scripturis veritatis propter misericordiam tuam *dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus.*

Diapsalma hic interponitur, quo a dictis dicenda secernuntur; quia David, qui psallens jam visus est assumpsisse personam judicantis et arcu extento minantis, repentina commutatione assumit personam oratoris et intercessoris dicens Deo : *Ut liberentur dilecti tui :*

VERS. 7. *Salvum fac dextera tua, et exaudi me.*

Ordo verborum est : *exaudi me, et salvum fac dextera tua, ut liberentur dilecti tui.* Quia futurum est judicium, quo per ineffugibilem tunc arcum sunt feriendi, qui nunc *fugere* volunt a *facie arcus*, dum *fugiendi* tempus est : ego David pro his oro, qui commutabuntur in tituli inscriptione, ut mutato in eis nomine *Joab*, quod interpretatur *inimicus*, fiant amici et *dilecti*, et sic *liberentur dilecti tui*, pro quibus orans dico : *Salvum fac dextera tua, et exaudi me.* Non dico, *exaudi* illos, quia vel non orant, vel non sufficienter orant, nec exaudiri digni sunt, quandiu in tituli inscriptione mutati non sunt; sed dico, *exaudi me* pro his orantem, quos in dilecto Filio tuo futuros dilectos tuos prædestinasti. *Exaudi me* pro his, ut quod jam sunt in oculis tuis, cui futura sunt præsentia, sint etiam in oculis hominum, *dilecti* videlicet manifeste ab odiosis distincti sicut Jacob, de quo dicit : « Jacob dilexi, Esau autem odio habui (*Malach.* I, 2, 3). » *Exaudi me, ut liberentur dilecti tui* ab odiosis, quomodo Jacob tibi dilectus liberatus est ab Esau fratre suo tibi odioso illum persequente, vel sicut liberatus est *dilectus* idem a Laban avunculo suo illum persequente, atque pro idolis apud illum inveniendis omnia sua scrutante nec inveniente quod quærebat; sic *liberentur dilecti tui*, ut princeps mundi hujus per Laban significatus nihil suum apud eos inveniat. Vel sicut liberatus est idem dilectus ab intestina discordia filiorum, quando venit ad Joseph filium suum dominantem in tota terra Ægypti, sic *liberentur dilecti tui* ab intestina clade subditorum discordantium seu cogitationum invicem accusantium, aut etiam defendentium in die qua judicabit Dominus occulta cordium. Sicut enim Joseph fratres accusabat apud patrem crimine pessimo, ac proinde patri quidem dilectus fuit, sed fratres oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui (*Gen.* XXXVII, 4), sic usque hodie *dilecti tui* ob hoc sunt fratribus

Digitized by Google

criminosis valde odiosi, quia crimina eorum accusant ac detestantur. Et ideo necessarium est *ut liberentur dilecti tui* a se odientibus, sicut liberatus est Joseph a suis fratribus, vel potius, ut liberatus est verus Joseph ille tuus dilectus, cui dicis : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui (*Matth.* III, 17). » Et ipse namque accusando fratres suos Judæos, maxime Scribas et Pharisæos, odio est habitus ab eis, ac venundatus non ad servitutem, sed ad mortem, de qua morte liberatus nunc dominatur in tota terra Ægypti, imo in cœlo et in terra, sicut ipse post resurrectionem suam dixit : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII, 18). »

Liberatio igitur ab omnibus malis, quæ præcessit in capite, subsequatur in membris, *ut liberentur dilecti tui*, quorum quandiu vel unus liberatus non est, ego cum infirmis infirmus nec liberatum nec salvatum reputo me. Propter quod singulorum infirmitates per compassionis viscera in memetipso sentiens, et cum Apostolo dicens : « Quis infirmatur, et ego non infirmor (*II Cor.* XI, 29)? » pro singulis et omnibus oro dicens assidue : *Salvum fac dextera tua, et exaudi me; salvum fac* me tanta salvatione, qua *liberentur* omnes *dilecti* et electi *tui*. *Salvum* me *fac* non sinistra, in qua divitiæ sunt et gloria, sed *dextera tua*, in qua est longitudo dierum, ad quam constituentur oves et agni *a facie arcus* liberandi. De sinistræ tuæ gloria et divitiis non rogo ditari, aut salvari, sciens quod « qui volunt » in talibus « divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli (*I Tim.* VI, 9), » a quo laqueo liberandi sunt electi, et *dilecti tui*. Largire itaque mihi de sinistra, si vis, parum; si vis, multum; si vis, nihil omnino, prout expedire nosti vel mihi vel eis, quibus de talibus ministrare debeo. Sed liberalissime aperi manum tuam dexteram, et imple omne animal benedictione, qua benedicti electi, et dilecti tui statuantur ad dexteram tuam in judicio, et audiant : « Venite, benedicti Patris mei, et percipite regnum, etc. (*Matth.* XXV, 34). »

Aliter. *Salvum fac dextera tua*, vel sicut in Hebræo legitur : *Salva dextera tua, et leva me*, ut læva tua sit sub capite meo, et dextera tua me amplexetur, ne ab æterna salute vel ego vel aliquis dilectorum tuorum elongetur, stringente nos in unum dextera tua, singulos et omnes amplectente per dilectionem, qua simus *dilecti tui* tua liberatione digni. Sic orantem non tantum audi secreto affectu, sed etiam *exaudi* extrinseco effectu.

Et ne quis miretur, cur potius in *dextera* quam in sinistra spem salutis meæ constituam, sciat me *in valle Salinarum* accepisse hunc saporem, quo magis æterna quam temporalia sapiam. Res mira! Quæ sursum sunt sapere non possunt, nisi qui in valle sunt; quia Deus « humilia respicit » quasi de vicino, et « alta a longe cognoscit (*Psal.* CXXXVII, 6). » Unde cum Apostolus dixisset, « quæ sursum sunt sapite, » ostendens auditores ad superna vocatos esse in valle, et valle Salinarum, subjunxit : « Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo (*Coloss.* III, 2). » Vallis est et vallis utique Salinarum Christi morientis imitari humilitatem, qui humiliavit se ipsum factus obediens usque ad mortem. Qui humiliatur ab alio invitus et subjacet aliis, indevotus est quidem in valle, sed non in *valle Salinarum*, quia non sapit illi talis humiliatio, ut illi sapit, qui dicere potest ex corde :

« Bonum mihi, Domine, quod humiliasti me, ut discam justificationes tuas (*Psal.* CXVIII, 71). » Vide quia humilitas justificat nos. Humilitas dixi, non humiliatio. Quanti humiliantur, qui humiles non sunt, quique in valle Salinarum proinde non esse probantur, quia non bene vel quasi bonum sapit eis, quod humiliantur. Nam alii cum rancore humiliantur, alii patienter, alii et libenter. Primi rei sunt, sequentes innoxii, ultimi justi. Primi tanquam in valle gehennæ perdunt animas suas; secundi tanquam in valle lacrymarum in patientia sua possident animas suas; tertii vero *in valle Salinarum* sapiendo quæ sursum sunt, exaltant animas suas. Bona exaltatio animarum, quæ fit in valle Salinarum, in qua qui se humiliat, exaltabitur. Bona patientia, quæ conservat animas in valle lacrymarum. Nam et ipsa patientia portio est justitiæ ac sapientiæ, sed consummatio est apud humilem. Humilis vero est qui dicere potest : « Bonum mihi, quia humiliasti me. » Non potest dicere qui invitus portat, minus qui murmurat. Neutri horum promittimus gratiam, quod humiliatur, etsi sane hi duo longe a se differant, et alter quidem in patientia sua possidendo animam suam tanquam in valle lacrymarum proficiat; alter in suo murmure deficiat penitusque nisi pœnituerit, in valle gehennæ pereat. Sed enim etsi unus iram, neuter tamen gratiam promeretur, quoniam non humiliatis, sed humilibus dat Deus gratiam.

Est autem qui de valle lacrymarum seu etiam de valle gehennæ transit in vallem Salinarum, dum sui humiliationem vertit in humilitatem, et de humiliato humilis factus de his gloriatur in valle Salinarum, in quibus prius anxiabatur vel patienter in valle lacrymarum vel impatienter in valle tenebrarum; et ipse est qui dicit Deo : « Bonum mihi quod humiliasti me. » Nemini prorsus, quod patienter fert, bonum est, sed molestum. Scimus autem quia « hilarem datorem diligit Deus (*II Cor.* IX, 7). » Unde cum jejunamus, ac jejunando humiliamus animas nostras, jubemur caput nostrum ungere, et faciem lavare, ut nostrum scilicet opus bonum spiritali quodam lætitiæ sapore tanquam in valle Salinarum condiatur, et holocaustum nostrum non solum pingue fiat ex oleo lætitiæ, sed et mundum lota mentis facie. Etenim sola gratiam, quam præfert, meretur læta et absoluta humilitas. Quæ enim coacta fuerit vel extorta, qualis utique est in viro patiente illo, qui possidet animam suam, hæc, in-

Digitized by Google

quam, humilitas, etsi vitam obtinet propter patientiam, propter tristitiam tamen gratiam non habebit. Non enim congruit ei, qui ejusmodi est, illud Scripturæ : « Glorietur humilis in exaltatione sua (*Jac.* I, 9), » quoniam non sponte humiliatur, neque libenter portat crucem suam, sed in angaria, nec sequitur Christum voluntarie humiliatum, qui oblatus est, quia ipse voluit, et cum in forma Dei esset, formam servi accipiens humiliavit se ipsum propria voluntate ac voluntaria obedientia usque ad mortem, usque ad hanc tituli triumphalis inscriptionem, qua in valle Salinarum percussit duodecim millia conformando sibi apostolos, virosque apostolicos.

Vis audire unum de duodecim millibus in valle Salinarum percussis, virum perfectum, perfecte humiliatum, qui a Christo de cœlo vocatus et in terra prostratus duodecim millibus in culmine apostolico mirabiliter est associatus? Paulum dico apostolum : Vere Paulum, id est humilem, in sua humiliatione recte gloriantem et vere dignum gloria? « Libenter, » inquit, « gloriabor in infirmitatibus meis, ut in me habitet virtus Christi (*II Cor.* XII, 9). » Non dicit patienter se ferre infirmitates suas, sed gloriari et *libenter* gloriari in illis, probans etiam sibi bonum esse quod humiliatur, nec sufficere omnino ut possideat animam suam tanquam in valle lacrymarum patienter humiliatus, nisi et in valle Salinarum non alta sapiendo, sed humilibus consentiendo tanquam sale sapientiæ conditus gratiam accipiat, cujus virtus in infirmitate perficitur, dum voluntarie infirmitas ipsa portatur. Generalem vero hinc audi regulam : « Omnis qui se humiliat, exaltabitur (*Luc.* XIV, 11). » Significat profecto non omnem exaltandam esse humilitatem, sed eam tantum quæ de voluntate venit, non ex tristitia, nec ex necessitate. Nec enim per contrarium, omnis qui exaltatur humiliandus erit, sed tantum, « qui se exaltat humiliabitur (*Ibid.*), » nimirum ob voluntariam vanitatem. Ita ergo non qui humiliatur, sed qui sponte se humiliat, exaltabitur utique ob meritum voluntatis. Esto enim quod humilitatis materia per alium ministratur, verbi gratia probra, damna, supplicia, non tamen idcirco recte ab alio quam a semetipso humiliatus ille dicitur, qui illa omnia tacita et læta conscientia mavult portare, quam a cœpto justitiæ tramite ob talia vitanda declinare. Nam parum est cum per ipsum humiliat nos Deus, si tunc libenter accipimus, nisi quando et per alium hoc facit, sapiamus id ipsum in valle Salinarum, in qua non una salina, sed multæ inveniuntur salinæ, dum is qui provehendus est, multimoda tribulatione humiliatur modo per infestationes diabolicas ut beatus Job, modo per adversitates hominum sicut sanctus David, modo per tentationes divinas, ut pater Abraham, modo per propriæ carnis infirmitatem sicut Lazarus, vel stimulum, sicut Paulus. Multæ tribulationes justorum sunt præter illas, quas memoravimus, quibus omnibus tanquam salinis mul- A tis in valle Salinarum, superna sapientia ordinante dispositis, necesse est humiliari modo exaltandos in futuro.

Tu ergo, cum in tentationes varias incideris, cum tribulationibus te humiliari videris, habeto id signum in bonum omnino argumentum gratiæ propinquantis. Nam sicut « ante ruinam exaltatur cor (*Prov.* XVI, 18) » : ita ante exaltationem humiliatur. Sane utrumque legis, Deum scilicet superbis resistere, et humilibus gratiam dare. Nonne denique servum suum Job, cum post insignem triumphum tantam et tam probatam ipsius patientiam larga remunerandam benedictione censeret, prius in multis et districtis percunctationibus humiliare curavit, et B sic parare viam benedictioni? At parum est, ut jam dixi, cum per se ipsum humiliat nos Deus, si tunc libenter accipimus, nisi quando et per alium hoc facit, sapiamus similiter. Quamobrem accipe hujus rei mirabile documentum in sancto David. Aliquando maledictum est illi et a servo. At ille nec cumulatam injuriam sensit, quia præsensit gratiam. « Quid mihi et vobis, » ait, « filii Sarviæ? » (II *Reg.* XVI, 10.) O vere hominem secundum cor Dei, qui maledicenti potius quam exprobranti succensendum putavit! Unde et secura conscientia loquebatur: « Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis (*Psal.* VII, 5). » Vetuit ergo prohiberi maledicum conviciantem, quæstum æstimans maledicta. Et addidit : « Dominus misit C millu ad maledicendum David (*II Reg*, XVI, 10). » Prorsus secundum cor Dei, qui de corde Dei ferebat sententiam. Sæviebat lingua maledica, et ille intendebat, quod in occulto ageret Deus. Vox maledicentis in auribus, et animus inclinabat se ad benedictionem. Nunquid in ore blasphemi Deus? Absit! sed eo usus est ad humiliandum David. Nec latuit Prophetam, quippe cui incerta et occulta sapientiæ suæ manifestaverat Deus, quemque in valle Salinarum collocaverat. Et ideo dicit : « Bonum mihi, quod humiliasti me, ut discam justificationes tuas. » In valle quippe Salinarum sapientiæ sale salitus, et in occulta sapientiæ introductus etiam hoc didicit, quid inter hujusmodi salinas maxime sit petendum, hoc scilicet : *Ut liberentur dilecti tui*, Deus, adjuD vante ac salvante simulque liberante illos *dextera tua*.

Propterea et ego Ecclesia vel ecclesiastica persona in spiritu et mente David psalleus oro, *ut liberentur dilecti tui*, Deus, *dextera tua* salvante, *tua dextera* in eis et per eos operante virtutes et opera bona de quibus dicetur eis, qui a dextris tuis in judicio tuo erunt : « Esurivi, et dedistis mihi manducare. Sitivi, et dedistis mihi bibere. Hospes eram, et collegistis me. Nudus, et cooperuistis me. Infirmus, et in carcere, et visitastis me (*Matth.* XXV, 35, 36). » Quibus in dictis et senaria virtus minimorum famem, sitim, peregrinationem, nuditatem, infirmitatem et carcerem pro Christo et *in Christo* tolerantium, et senaria operatio Christo in talibus mi-

Digitized by Google

nistrantium tam lucide commendatur in his, qui a dextris ejus erunt, ut in valle Salinarum humiliatis nihil saniat suavius, quam ut salvante illos *dextera tua*, Deus, polleant hujusmodi virtutibus et operibus, quibus ab hædis in sinistra locandis omnino secernantur, atque inter oves pascuæ tuæ ad dexteram tuam te judicante inveniantur. Quod nimirum valde optantes, qui sapienter psallunt in valle Salinarum, pro se atque aliis Deo dilectis dicunt : *Ut liberentur dilecti tui, salvum fac dextera tua, et exaudi me.*

Aliter : In benedictionibus, quibus benedixit Moyses filiis Israel, dictum est inter cætera : « Apparuit Dominus de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia. In dextera ejus ignea lex. Dilexit populos (*Deut.* xxxiii, 2, 3). » Horum nunc meminisse videri posset superfluum, nisi quod non alia sunt *sanctorum millia* cum Domino apparentium, de quibus loquitur Moyses, quam illa « duodecim millia interfectorum in valle Salinarum (*II Reg.* viii, 13), » de quibus agitur in psalmo : et *dextera* ejus, in qua est ignea lex, ipsa est, qua salvari petit Psalmista dicens : *Ut liberentur dilecti tui, salvum fac dextera tua, et exaudi me.* Neque alii dilecti Dei recte intelliguntur in psalmo, nisi de quibus Moyses cum præmisisset : « In dextera ejus ignea lex, » consequenter adjecit : « Dilexit populos, » ut patenter intelligas igneam legem in dextera Dei ardentissimam charitatem in fortissimis et optimis operibus ejus, qua « dilexit populos ; » populos, inquam pluraliter, non populum singulariter, quia non unum populum Judaicum, sed omnes populos ad beatitudinem præordinatos. Deinque in similitudinem illius temporis, quo apparuit Moysi in flamma ignis de medio rubi, et liberavit populum unum, populum sibi peculiarem de manu Pharaonis et Ægyptiorum in manu potenti et brachio excelso, etiam nunc in ignea lege dexteræ suæ, videlicet cum ardentissima charitate omnipotentiæ suæ apparuit nobis, ut liberaret nos de manu spiritalis Pharaonis et exercituum ejus, qui sunt maligni spiritus cum omni multitudine vitiorum et vitiosorum, in manu forti, qua ipsum diabolum vicit, atrium ejusdem fortis fortior ipse debellavit, et cepit auferens illi arma et spolia multa, non unum videlicet populum, sed multos populos, non quia ipsi populi eum dilexerunt, sed quia ipse prior dilexit eos. « Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui » dilecti, « ut sit ipse primogenitus in multis fratribus (*Rom.* viii, 29) » inter dilectos, et super omnes dilectos dilectissimus.

Multi *dilecti* per hunc unum dilectum jam liberati sunt in spiritu, et in corpore adhuc liberandi ultima resurrectione, multi neque in spiritu neque in carne sunt liberati, sed adhuc in utroque liberandi, vel etiam necdum nati aut noti coram hominibus, et tamen illi noti, qui « dilexit populos » ab æterno, quos præscivit suos ab æterno. Pro quibus omnibus plene liberandis, et ad populum suum in regno cœlorum congregandis postulat Spiritus sanctus gemitibus inenarrabilibus in quovis dilecto psallente ac dicente : *Ut liberentur dilecti tui, salvum fac dextera tua, et exaudi me. Salvum fac me dextera tua*, in qua est ignea lex, ardentissima videlicet charitas, qua dilexisti populos. Ut ergo *liberentur* omnes populi a te *dilecti*, et sit plenus conventus omnium tribuum ascendentium ad confitendum nomini tuo, ex omni populo et natione, quæ sub cœlo est collectis in unum, quos dilexisti ante constitutionem mundi, operetur nunc dextera tua salutem in medio terræ per ignem charitatis ita magnifice, ut non sit qui se abscondat a calore ejus. Hoc est quod oramus quotidie dicentes :

Flammescat igne charitas,
Accendat ardor proximos.

Et ne quis miretur qua fiducia res tanta petatur, dico quia Deus ita præordinavit et prælocutus est « multifariam multisque modis olim per prophetas, novissime autem diebus istis locutus est nobis in Filio suo, per quem fecit et sæcula (*Hebr.* i, 1). » — « Sicut locutus est ad patres nostros Abraham et semini ejus in sæcula (*Luc.* i, 55), » et « sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt prophetarum ejus (*ibid.* 70) » de salute dilectorum suorum : sic et multo efficacius

Vers. 8. *Locutus est in sancto suo*, id est in Filio suo, tanto differentius quando differentius præ illis nomen hæreditavit. Qui post inscriptionem tituli nunquam corrumpendi, tituli triumphalis, resurgens ex mortuis victor mortis, auctor salutis, cum apparuisset discipulis, inter cætera dixit : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* xxviii, 18). » Et adjecit : « Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ : qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ; qui vero non crediderit condemnabitur (*Marc.* xvi, 15, 16). » Quia ergo *Deus* ita *locutus est in sancto suo*, ego catholica et apostolica Ecclesia duodenario numero apostolorum quasi duodecim millibus in valle Salinarum communita, faciam sicut mihi *Deus locutus est in sancto suo*, qui nimirum sanctus æque ut Pater ejus Deus et ipse Deus est, ita ut sicut Deus Pater, Deus Filius non duo dii, sed unus est Deus : similiter sanctus Pater, sanctus Filius non duo sancti sunt, sed unus sanctus. Atque ideo, quia *in* hoc *sancto suo locutus est*, qui nihilominus quam ipse loquens Pater, Deus est (quia Verbum Dei Deus est, et hoc Verbum *caro* factum est), irritum fieri non potest hujusmodi eloquium, quod enuntiatur per mundum universum Deo in sancto suo loquente ac dicente : « Euntes in mundum universum, » etc. Ite in mundum universum, quia meus est mundus universus, data mihi omni potestate in cœlo et in terra. Et ne quis dubitet quod meus est mundus universus jure duplici, utpote per me conditus, cum non esset, et per me redemptus, cum perditus esset, probo a partibus, quod data mihi omni potestate in cœlo et in terra meus est mundus totus. Nam

Digitized by Google

VERS. 9, 10. *Meus est Galaad, et meus est Manasses, et Ephraim susceptio capitis mei. Juda rex meus. Moab olla spei meæ. In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ subditi sunt.* Quod est dicere : Mei sunt omnes populi tam ex gentibus, quam ex Judæis ad hoc præordinati, ut quidam ex eis sint *Galaad*, quidam vero *Manasses*, aut *Ephraim* sive *Judas*, etc. Unde quasi victor ejecto foras mundi principe, sicut exsultant victores capta præda, quando dividunt spolia, sic *lætabor et partibor Sichimam, et convallem tabernaculorum dimetiar*, quosdam liberando, quosdam reprobando.

Aliter : Ego Ecclesia loquente Deo in sancto lætificata, et de salute omnis creaturæ certificata *lætabor* in ejus eloquio, et secundum quod ab illo erudior, *partibor Sichimam, et convallem tabernaculorum dimetiar. Sichima* est locus ubi Jacob rediens a Laban fecit tabernacula, propter oves et armenta vocabit *Sochot*, id est tabernacula, ubi infodit idola, quæ habebat de Syria (*Gen.* 33, 17), quia non omnium fides est. Secundum interpretationem vero *Sichima* interpretatur *humeri*, qui dividuntur, ut alios peccata gravent, alii jugum Christi ferant. *Et convallem tabernaculorum dimetiar.* Convalles tabernaculorum propter oves Jacob Judæos significant, qui etiam dividuntur, quia alii crediderunt, alii non, id est, de Judæis habeo non paucos humiliter militantes.

Meus est Galaad. Galaad mons est, ubi Laban comprehendit Jacob fugientem cum omnibus quæ acquisierat in Mesopotamia, ubi post jurgia inierunt fœdus simul, et congregantes lapides fecerunt tumulum, et comederunt super eum, quem vocavit Laban Tumulum testis, et Jacob Acervum testimonii, et dixit Laban ad Jacob : « Tumulus iste testis erit inter me, et te hodie : si aut ego transiero illum pergens ad te, aut tu præterieris malum cogitans adversum me. Idcirco appellatum est nomen ejus Galaad, id est tumulus testis, vel acervus testimonii (*Gen.* XXXI, 48, 52), » per quem intelliguntur martyres. Hic acervus in magna tribulatione factus est, cum hoc opprobrium objectabatur Ecclesiæ, quod ipsa erat Christi. *Et meus est Manasses.* Manasses fuit primogenitus Joseph, quo nomine eum vocavit dicens : « Oblivisci me fecit Deus laborum meorum, et domus patris mei (*Gen.* XLI, 51). » Unde interpretatur *oblitus*, et significat illam sterilem, ad quam cum clamaret Isaias : « Lætare, sterilis, quæ non paris, » etc., « adjecit : « Confusionis adolescentiæ tuæ, et opprobrii viduitatis tuæ non recordaberis (*Isa.* LIV, 1-4). » Vel ideo dicuntur Manasses, quoniam ea, quæ retro sunt, id est priorem vitam obliviscentur. Et *meus est Ephraim*, qui est *fortitudo capitis mei.* Ephraim alter filius fuit Joseph, quo nomine vocavit eum dicens : « Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ (*Gen.* XLI, 52). » Unde interpretatur *fructificatio* sive ubertas. Significat autem granum, quod passione cadens in terram resurrectione multiplicatur, et copiosum fructum contulit Ecclesiæ. Hæc fructificatio, dicit Ecclesia, est *fortitudo capitis mei*, id est Christi, de quo Apostolus : « Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus (*I Cor.* I, 25). »

Juda est *rex meus.* Judas filius Jacob significat Christum, in cujus figura Jacob Judæ benedicens ait : « Juda, te laudabunt fratres tui, etc. (*Gen.* XLIX, 8). » Iste rex ait : « Nolite timere eos qui corpus occidunt (*Matth.* X, 28). » *Moab olla spei meæ. Moab* gens quædam est dicta a Moab, quam genuit filia Lot abutens ebrio patre. Sic et male utentes lege generant mala opera, per quæ tribulationum *olla* in Ecclesia bullit. De hac Jeremias ait : « Ollam succensam video, et facies ejus a facie aquilonis (*Jer.* I, 13). » Diabolus enim est aquilo, qui dixit : « Ponam sedem meam ad aquilonem, » de quo Dominus in eodem Jeremia : « Ab aquilone pandetur omne malum (*Jer.* I, 14). » Sic ergo *Moab* est olla, quoniam a male utentibus lege tribulationes adversus Ecclesiam oriuntur. Sed est hæc *olla spei meæ*, quia « *tribulatio* patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem (*Rom.* V, 3, 4). » Ex hoc, quod *Juda* est *rex meus*, contra iniquitatis ollam majoris charitatis flamma succenditur. Vel *Moab* est *olla*, id est gentes, quæ sunt refectio *spei meæ*, dum in eis per tribulationum vel tentationum crebras victorias decoquitur cruditas vitæ carnalis, et efficitur spiritalis.

In Idumæam extendam calceamentum meum, etsi mundus bulliat scandalis, tamen *in Idumæam*, id est, usque ad homines terrenæ vitæ *extendam calceamentum meum*, id est Evangelium, quo gradientium in mundo vita munitur. Prædicabitur etiam humanitas, in qua divinitas latuit, prædicabitur passio, quæ per calceamentum, quod de mortuo animali fit, significatur, et sic *alieni* genere, id est allophyli *mihi subditi sunt.* Multi enim adorant Christum, qui non sunt regnaturi cum illo, scilicet falsi Christiani. Vel quia fuerunt *alieni*, modo vero *subditi sunt.* Unde « vocabo non plebem meam, plebem meam (*Rom.* IX, 25). »

Aliter : Ego Christus, cujus inscriptione tituli tristis erat anima usque ad mortem, de morte resuscitatus *lætabor* inter discipulos gavisos viso me Domino, *et partibor Sichimam, et convallem tabernaculorum dimetiar*, distinguens a non credentibus credentes ita dicendo : « Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit ; qui vero non crediderit condemnabitur (*Marc.* XVI, 16). » Et quia non credentes persequentur credentes, præcipue veritatis ideneos testes pro ipsius veritatis testimonio mori paratos, *meus est Galaad*, id est acervus testimonii, candidatus videlicet exercitus martyrum, *et meus est Manasses et Ephraim*, qui *Ephraim fortitudo capitis mei* est, quoniam sicut Ephraim, cum esset junior, benedicente patre Jacob ante Manassen positus, et quasi primogenitus reputatus est : ita gentilis populus Judaico populo est prælatus judicante Divinitate Patris et mea, quæ mihi Christo est caput. Unde Apostolus meus ait : « Caput mulieris

Digitized by Google

vir, caput viri Christus, caput Christi Deus (*I Cor.* XI, 3). » Et ego Christus in humanitatis quidem passibili affectu flevi super civitatem et gentem meam, eo quod esset abjicienda, sed *fortitudo capitis mei*, censura videlicet fortissimæ Divinitatis meæ, prævaluit in reprobatione Judæorum et electione gentium. Prius tamen de ipsis Judæis Ecclesia primitiva est collecta, quæ audivit me vocantem, et dicentem sibi : « Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui (*Psal.* XLIV, 21), » ac proinde recte censetur nomine *Manasse*, quod interpretatur *oblivio*, quoniam apostoli repellente Judæa verbum Dei obliviscentes populum suum et domum patris sui Abrahæ ad gentes migraverunt, suscitare alios filios Abrahæ de lapidibus, meliores illis carnalibus. Nam de lapideis ac duris gentibus lapidum cultoribus *Ephraim fortitudo capitis mei* suscitatus est. Ephraim istum, qui interpretatur *fructificatio*, volebat præco Joannes in Judæa suscitasse, prædicans baptismum pœnitentiæ ac docens dignos fructus pœnitentiæ. Sed quia fructus dignos ibi non invenit prout dignum et justum fuit : « Jam, » inquit, « securis ad radicem arboris posita est. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur (*Matth.* III, 10). » Sic excisus est ramus olivæ, atque insertus est oleaster, ut dignos fructus faciens Ephraim nomine dignus existat. Sic ablatum est regnum Judæis infructuosis, et datum est genti facienti fructus ejus. Propter hujusmodi fructus *Ephraim fortitudo capitis mei*, vel sicut jam dictum est, *fortitudo mei capitis*, id est *mei*, qui sum caput hujuscemodi *Ephraim*, totius videlicet Ecclesiæ in bonis operibus fructuosæ.

Juda rex meus, quia de ordine confessorum rectores ordinabo corporis mei, quod est Ecclesia. Et illis Ecclesiam recte regentibus *Moab olla spei meæ*, quia excoquentur boni per malos. Vel ipse *Moab*, qui est *olla* excoquens electos meos, ipse est in hoc *spei meæ*, quod spero, meosque sperare simul et orare facio pro tali *Moab*, ut convertatur, et igne tribulationis, quo alios coxit, ipse nihilominus coquatur, et mundus cibus efficiatur. Vel *Moab olla* prius ardens igne terrenæ cupiditatis ardeat magis igne charitatis, quæ omnia credit, omnia sperat, et sic *olla spei meæ* bono igne bulliat, quæ prius malo igne bulliebat. Non mihi sufficit ex Judæa tales colligere, qui cum sint martyres, digni sunt nomine *Galaad*, cum sint obliviscentes quæ retro sunt in anteriora extenti, nomine Manasse, cumque sint pœnitentes ac dignos pœnitentiæ fructus facientes, nomine censentur Ephraim, vel etiam sunt *olla* cibis mihi sapidis plena, sed *in Idumæam extendam calceamentum meum*. (140) « Quid per Idumæam, nisi gentilitas, et quid per calceamentum, nisi assumpta mortalitas designatur? In Idumæam ergo Dominus calceamentum suum se extendere asserit, quia A dum per carnem gentibus innotuit, quasi calceata ad nos Divinitas venit. » Quis namque nesciat quod calceamenta ex mortuis animalibus fiunt? Incarnatus ergo Dominus quasi calceatus apparuit, qui in Divinitate sua morticina nostræ corruptionis assumpsit. Prævenientis gratiæ indicium est, quod ipse Deus nostræ mortalitatis pelle calceatus *in Idumæam* se dicit extensurum *calceamentum* suum, quia nimirum prædicatores suos prævenit ipse ac præparat filios pacis in Idumæa, quæ *terrena*, sive *sanguinea* interpretatur, quo nomine, ut dictum est, gentilitas intelligitur, ut speciosi pedes evangelizantium pacem in Idumæam gratia divina præparante illic filios pacis inveniant, super quos requiescat pax sua : sin autem ad ipsos revertatur, quia B « nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam. » — « Vanum est vobis » o pedes evangelizantium pacem, « ante lucem surgere (*Psal.* CXXVI, 2); » vanum est vos pacem in Idumæam evangelizare, nisi luce, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, vos præveniente, ac filios pacis præparante. Quod et vestrum quisque sapienter animadvertit, qui pacem in Idumæa nuntiaturus hujusmodi orationem præmittit :

VERS. 11. *Quis deducet me usque in Idumæam? Nonne tu, Deus, qui repulisti nos? Quis deducet me in civitatem munitam? — Quis deducet me* in castellum, quod contra nos est? *Quis deducet me* in atrium C fortis armati sua in pace possidentis, in Idumæa necdum penitus expugnata, vel exspoliata? Ubi enim pax adhuc mala est, quam non venisti mittere, Jesu Nazarene Rex Judæorum, qui tituli hujus inscriptione jamjam imminente præcepisti vendi tunicam et emi gladium, paci valde contrarium; ubi, inquam, pax adhuc talis est, *quis deducet me* illuc *in civitatem munitam*, sive ut alii codices habent : *In civitatem circumstantiæ? Civitatem circumstantiæ* dicit gentes mediæ Judææ circumfusas, quæ dicitur rota ibi : « Vox tonitrui tui in rota (*Psal.* LXXVI, 19), » quæ est orbis terrarum. Vel civitatem munitam vocat futuram Jerusalem. *Quis deducet me usque in Idumæam*, ut scilicet regnem etiam in terrenis, qui de me non sunt, et de me proficere D volunt? Desiderat quisque spiritualium sibi terrenos conjungi, ut numero completo prædestinatorum simul ad æternitatem veniant. *Nonne tu, Deus? Quis deducet?*

VERS. 12. *Nonne tu, Deus, qui repulisti nos?* Id est sinis tribulari? Ecce idem quod dixi in principio psalmi. Sequitur : *Et non egredieris, Deus, in virtutibus nostris?* Id est non apparebis contra eos, qui dicunt nobis : Ubi est Deus tuus, ut olim Moysi, Josue, et cæteris tuam potentiam ostendisti, in quorum exercitibus evidenter existi, ut in columna nubis per diem, et ignis per noctem, et in agro Jericho per angelum armatum? Non ita nunc exire

(140) S. Gregorius M., in Evang. lib. I, hom. 7.

Digitized by Google

soles *in virtutibus*, vel sicut in Hebræo legitur : *In exercitibus nostris* ? Intus operaberis, et sic melius *deduces in Idumæam*, quia sic videtur mirabilius fieri et pugnari non pro temporali vita, sed pro futura. Ergo quia duces,

VERS. 13. *Da nobis auxilium de tribulatione*, id est, inde subveni unde putaris desercre. Et *vana salus hominis*. Non quæro ut des temporalem salutem, quia temporalis salus hominis est vana vetustas.

VERS. 14. *In Deo* solo intus, non in gladio extra *faciemus virtutem*, vincendo diabolum, *et ipse*, qui est exercitus et victoria nostra, etsi nullius momenti sumus, *tribulantes nos deducet ad nihilum*, ut (subaudis) pro nihilo eos habeamus. Vel *ad nihilum deducet* delendo eos de libro vitæ, ubi sibi videntur scripti, et pro magno haberi, cum Dei et proximi charitatem non habendo nihil sint. Unde Apostolus : « Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, charitatem autem non habuero, nihil sum (*I Cor.* XIII, 2). » Cum ergo charitate carendo nihil sint, non est aliud eos ad nihilum deduci, nisi ipsos ad sui cognitionem adduci, ut se agnoscendo et ipsi *fugiant a facie arcus*. Super hunc versiculum beatus Gregorius dicit (141) : « Quid hoc loco per arcum, nisi dies extremi judicii signatur ? In arcu enim, quanto longe trahitur chorda, tanto districtior erit sagitta. Sic nimirum sic extremi judicii dies, quanto longe differtur ut veniat, tanto dum venerit, de illo districtior sententia procedet. Idcirco autem nunc diversis cladibus percutimur, ut his correcti paratiores tunc inveniri valeamus. Unde illic præmissum est : *Ostendisti populo tuo dura*, flagella scilicet sæculi, quæ secuturum gravius diem judicii præcurrunt. *Potasti nos vino compunctionis*, ut terrena gaudia in lacrymas verterentur. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus*, ac si diceret : Hoc tempus misericordiæ est, illud tempus erit judicii. Per ista ergo hujus temporis flagella significas quomodo tunc percussurus es, quando non parcens judicas, qui sic districte modo percutis, quando parcis. »

Gloria Patri suos dilectos liberanti, et *dextera* sua salvanti secundum quod in psalmo ei dicitur : *Ut liberentur dilecti tui, salvum fac dextera tua, et exaudi me. Gloria Filio*, qui est ejus *dextera*, qua salvat electos et dilectos suos. *Gloria Spiritui sancto*, qui est ipsa dilectio, qua Pater diligit electos suos in Filio, quos et elegit et dilexit in ipso ante constitutionem mundi. Gloria hæc de omnibus sanctis ejus erat uni ac trino Deo *in principio*, quando æterna Sapientia ludens in orbe terrarum sibi delicias præparabat et prædestinabat cum filiis hominum. *Sicut* ergo *erat in principio* illi gloria, ita sit in effectu *et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.*

(141) Lib. XIX Moral. cap. 30.

PSALMUS LX

Exaudi, Deus, deprecationem meam, intende orationi meæ, etc. Manifeste hæc oratio spem suggerit jam supradicto pugnatori, cujus anxiatur cor, dum videt aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ et captivum se ducentem in lege peccati : *Deduxisti me*, inquit, *quia factus es spes mea, turris fortitudinis a facie inimici*, videlicet, quod vitia vitare et virtutes possim consequi. Quid si nunc anxiatur cor meum ? Quid mirer in fervore tentationis, quæ ad tempus accidit ? Quandoque *inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula, protegar in velamento alarum tuarum*. Et reliqua. Inscribitur autem psalmus iste sic :

(VERS. 1) IN FINEM IN HYMNIS PSALMUS DAVID.

Bene *In finem* : exspectat enim in hac pugna gratiæ Dei liberationem finalem, et hoc *in hymnis*, dum videlicet quod pugnat, quod vincere contendit, non suis viribus, sed Dei laudibus adscribit.

Aliter : *In finem in hymnis David*, id est, in laudibus exhibitis ipsi David est psalmus iste mittens *in finem*, id est Christum, per quem ad Deum patrem suspirat Ecclesia pressa undique, et laberans in terra, quæ primo ad ipsum Deum orat, et per eumdem indicat se perseveraturam ad eum. Deinde jam exaudita datam sibi futuram hæreditatem confirmat, et laudes promittit, ad quas intentione totius psalmi auditores invitat a finibus terræ clamans, et dicens :

VERS. 2. *Exaudi, Deus, leprecationem meam* liberans a malis, *intende orationi meæ* perficiens me in bonis. Nam deprecatio mea est, ut carear peccatis et peccatorum pœnis : oratio vero, ut sobrie, juste ac pie vivens habeam nunc fructum in sanctificatione ; finem vero vitam æternam. Vel quia in libro Domini tria sunt scripta, scilicet « lamentatio et carmen et væ (*Ezech.* II, 9) : » deprecatio mea est, ut per lamenta pœnitentiæ fructuose omnino liberer ab æterno væ damnationis perpetuæ, ac fruar sempiterna jucunditate carminis *in hymnis*, tituli psalmi hujus prænotati.

Exaudi deprecationem meam sic, ut appareat ef-

Digitized by Google

tra hominibus, quod tu me audis intus in cubiculo deprecantem liberari a malo. *Intende orationi meæ*, secreta tua intentione recondens in me thesaurum absconditum, cui simile est regnum cœlorum. *Exaudi deprecationem meam*, ut extra sint ornatæ lampades lumine claro, nec exstinguantur aliquando. *Intende orationi*, ut abundet oleum in vasis celatum usque ad sponsi adventum. *Exaudi me* totam Ecclesiam, ut sim civitas supra montem posita, nec possim abscondi lucente luce operum meorum coram hominibus. *Intende orationi meæ*, ut ex his bonis operibus glorificetur auctor bonorum omnium Deus Pater, qui in cœlis est, quem cœli cœlorum celant in se, nec produnt proditione jactantiæ.

Aliter : *Exaudi deprecationem meam*, ut foris quærendo sponsum meum, Filium tuum non incipiam vagari post (142) greges sodalium suorum. *Intende orationi meæ*, ut illo invento teneam illum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ synagogæ, et in cubiculum genitricis meæ. *Exaudi deprecationem meam* ne vacem otio extra vineam. *Intende orationi meæ*, ut in vinea laborans denarium accipere dignus existam. Exaudiendam spero hanc deprecationis et orationis intentionem, tum quia numerosa est ex multarum faciebus personarum a finibus terræ clamantium, tum quia est non aliud consequendum, nisi te Deum, quoniam

Vers. 3. *A finibus terræ* veniens ego Ecclesia, ego regina sapientiam veri Salomonis audire, *ad te*, Deus Pater, *clamavi a finibus terræ*. Vel ad litteram, quia ex omnibus mundi partibus, ex omnibus terræ *finibus* auditur clamor meus *in hymnis* et canticis spiritualibus. Vel *a finibus terræ*, dum finis ponitur vitiis cupiditatibusque terrenis *ad te*, Deus, *clamavi*. Quando? *Dum anxiaretur cor meum*, data mihi significatione in præcedenti psalmo, ut fugiam a facie arcus. Et videns, quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus patet fugiendi locus, anxiatus est in me spiritus meus, et in hac anxietate clamans a finibus terræ *ad te*, Deus, exauditus sum. Anxiatur enim cor sensatum in tentationibus, per quas tamen fit noster profectus, cum in tentationibus provocati certamus, in certamine vincimus, de victoria coronabimur, et *in petra*, quæ Christus est, *exaltabimur*. Exaltationis autem futuræ, quia nunc est initium, dico ego Ecclesia vel quælibet ecclesiastica persona quod, cum anxiaretur cor meum nolens cedere vitiis impugnantibus, et eisdem reluctaret assiduis precibus, tu, Deus Pater, *in petra exaltasti me*, de qua dictum est Petro : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam (*Matth.* XVI, 18). » *In* hac *petra exaltasti me*, ut non in lubrico nutarem, sed in solido firmiter starem. Et quia eadem petra via est, ad se ac te patriam, *deduxisti me* per eam. Undespero me venturum per ipsam ad ipsam, per ipsam viam ad ipsam patriam. « Ego, » inquit, « sum via et veritas et vita (*Joan.* XIV, 6). » Via in peregrinatione, veritas et vita in æterna mansione. In qua via, dum tu, Pater, venis ad me,

Vers. 4. *Factus es spes mea*, quod eadem via deducar ad te, quia in ea deduxisti me usque ad hanc securitatem, qua tu, Deus fortis, mihi es *turris fortitudinis*, ad quam fugiam *a facie inimici*, hominis maligni, vel ipsius diaboli, qui circuit quærens quem devoret. « Turris fortissima nomen Domini, » ait Salomon, « ad ipsam currit justus (*Prov.* XVIII, 10), » invocando videlicet nomen Domini, dum anxiatur cor ejus. In turre hac non solum tela inimici vitamus, sed in illum de ipsa securi mittimus tela precum vel operum, quibus conteratur. Cum adhuc in sola Judæa notum esset nomen tuum, Deus, mihi Ecclesiæ de gentibus non fuit accessus ad hanc turrim fortissimi nominis tui. Sed postquam sicut oleum effusum longe lateque usque in fines terræ dilatatum est nomen tuum per incarnati Verbi tui mysterium, jam *a finibus terræ ad te clamatur*, nomenque tuum fideliter invocatur, quoties oratio Dominica vel alterius precis nomen tuum continentis enuntiatio recitatur, vel sola tacita cogitatione ruminatur. Hæc *turris* fortissima defendit non solum ab incursu *inimici*, ne ad nos accedat, sed etiam *a facie inimici*, ne nos in hac absconditos videat. Nam tu Deus « abscondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum, proteges eos in abscondito tabernaculi tui a facie inimici (*Psal.* XXX, 21), » ut et si videantur ab eo ad tentandum, non tamen videantur ad lædendum.

Aliter : Turris ædificata in plano, quia creditur expugnabilis ab inimico, ea spe aliquoties obsidetur, quia vel infra suffossione, vel supra transcensione destruendus putatur murus ejus, ut dictum est, in plano positus, et ideo facies inimici obsidentis intendit in eam vel tela sursum jaciendo, vel machinas infra construendo, aut etiam subterranea fossione contra eam laborando. Hinc, ut Isaias [Jeremias] ait : « Murus Babylonis altissimus suffossione suffodietur (*Jer.* LI, 58), » utpote in plano situs in terra « Sennar, » in campo « Dura (*Dan.* III, 1), » cujus prima turris confusione linguarum destructa est. Turris ergo talis, in plano videlicet sita et situata est aliquoties tuta ab incursu inimici, non tamen tuta est *a facie inimici* contra eam intendentis, eo quod sit impugnabilis et fortassis expugnabilis a negotio perambulante in tenebris, a sagitta volante per diem, vel ab alio timore nocturno seu diurno. Qui vero habitat in adjutorio Altissimi, qui eidem Altissimo dicere potest, cum *anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me, deduxisti me, quia factus es spes mea, turris fortitudinis*, hic adjungere potest : *a facie inimici*, quoniam turris hæc

(142) Cod. *per greges*.

Digitized by Google

in alto supra petram stans omnino secura est, non solum ab incursu inimici, sed etiam *a facie inimici* usque adeo, ut etiam fugiat inimicus a facie turris hujus, tale quid dicens : « Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos (*Exod.* XIV, 25). » Neque enim suffossione lædi potest fundamentum ejus in petra excisum, nec transcendi potest ædificium adjutorio Altissimi altissime sublevatum, et nimis exaltatum, ita ut sit turris tam immensæ altitudinis, quam immensæ fortitudinis, quippe cujus fortitudo et altitudo est ipse Deus. Merito ergo diligam te, Domine, fortitudo mea, firmamentum meum, refugium meum, *turris* mea, *turris fortitudinis* undique tuta non solum ab assultu, sed etiam *a facie inimici*. Quando in hac turre altissima quisque fidelis habitat, hic sibi dictum credat : « Non timebis a timore nocturno, a sagitta volante per diem, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et dæmonio meridiano (*Psal.* XC, 5, 6). » Hic etiam in laudem sui protectoris decantare potest : *Cum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me. Deduxisti me, quia factus es spes mea, turris fortitudinis a facie inimici*, quoniam facies inimici formidat faciem hujus turris Libani, quæ respicit contra Damascum, suoque respectu fugat inimicum juxta illud : « Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant, qui oderunt eum a facie ejus (*Psal.* LXVII, 2). »

In Hebræo legitur : *Fuisti spes mea, turris munitissima a facie inimici*. Vere *turris* est *munitissima*, quæ ædificata est cum propugnaculis per mysterium Dominicæ incarnationis, ædificante sibi domum sive turrim sapientia æterna, in qua multa sunt propugnacula, et mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium ipsi sapientiæ militantium, et in tabernaculo ejus inhabitantium, quorum castris et ego sociari cupiens

VERS. 5. *Inhabitabo in tabernaculo tuo*, Deus, vel, sicut alia translatio habet : *Inquilinus ero in tabernaculo tuo in sæcula*. Non est ergo unus homo, qui clamat a finibus, quia unus non potest esse *inquilinus in sæcula*, sed una est Ecclesia, quæ aliis decedentibus, aliisque succedentibus usque in finem sæculi cunctis diebus, quibus nunc militant, in tabernaculo habitat, et a finibus terræ ad Deum clamat, dicens : *Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula*. Non eradicabor per adversa. Non enim natos meos colligerem, nisi usque in finem sæculi habitarem in tabernaculo tuo. In quo tamen viribus meis non militabo, sed *protegar* ab æstu sæculi, a fervore tentationum, et tribulationum *in velamento alarum tuarum*. Divina defensio alis avium pullos teneros aut ova sua foventium recte comparatur, quia non onerant et omnem læsionem avertunt. Hac similitudine in Evangelio Christus utitur dicens : « Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos, qui ad te missi sunt : quoties volui congregare filios tuos sub alas, et noluisti (*Matth.* XXIII, 37). » Noluit illa terrena Jerusalem sub alis divinæ protectionis defendi aut foveri, atque ideo exposita est miseriis omnibus, et tam dæmonum quam Romanorum lacerata est unguibus et comminuta dentibus, sicut ei per Moysen Dominus fuerat comminatus dicens : « Dentes bestiarum immittam in eos cum furore trahentium super terram atque serpentium. Foris vastabit eos gladius, et intus pavor (*Deut.* XXXII, 24, 25). » At ego Ecclesia de gentibus *in velamento alarum tuarum protegar*, non solum ut nihil damni patiar, sed et multum lucri accedat mihi ex occasione tentationum et tribulationum sub alas tuas fugere atque ibi latitare precibusque assiduis more pullorum clamare compellentium. Ibi « sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba (*Isa.* XXXVIII, 14) » gemituosa.

Diapsalma hic interponitur, pro quo in Hebræo legitur *semper*, quia qui semel gustaverit, quam sit bonum et suave protegi sub velamento alarum Dei, *semper* desiderat hujusmodi velamentum inter æstus tribulationum. Sub quo velamento preces et laudes assiduare, vel continuare dulce habet non falso edoctus experimento, quod sic ad Deum protectorem suum clamanti patulæ sunt aures divinæ. Quod in multis experta ego Ecclesia vel ego ecclesiastica persona te Deum protectorem et exauditorem meum glorificabo.

VERS. 6. *Quoniam exaudisti orationem meam*. Quod in effectu patet, quia *dedisti hæreditatem*, non quibuscunque, sed *timentibus nomen tuum*, pro quibus oravi et oro. *Dedisti*, dico, præterito tempore, vel quia cœpta est in quibusdam donatio hujus hæreditatis, vel quia certissime futura et perficienda est hoc ordine, ut primum virtutibus, et bonis moribus illustrentur timentes te, ac deinde a claritate meritorum veniant ad claritatem præmiorum tanquam a tuo Spiritu, quoniam tu

VERS. 7. *Dies super dies regis adjicies, annos ejus usque in diem generationis et generationis. Dies regis* Christi, solis justitiæ, recte illi dicuntur, qui de splendore ipsius formabuntur. Nam et in præsenti mortalitatis tempore *dies regis* formantur, quibus luce veritatis homines informantur, et in futuro sæculo « dies formabuntur, et nemo in eis (*Psal.* CXXXVIII, 16) » informabitur. « Ego, » inquit, « sum lux mundi (*Joan.* VIII, 12). » Item : « Quandiu in mundo sum, lux sum mundi (*Joan.* IX, 5). » Et his, qui se luce illuminantur : « Ecce, » ait, « ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20). » Sic formantur *dies regis* ac solis justitiæ, in quibus ambulandum est ad dies et annos æternæ vitæ. Unde et dicit : « Ambulate dum lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehendant (*Joan.* XII, 35). » Si ergo in hac ambulamus dierum regis, quos ipse rex et sol justitiæ nube mortalitatis obtectus doctrina et exemplis claros fecit, *adjiciet* nobis *dies* clariores, quos idem sol et rex justitiæ amota mortalitatis nube format in summa Divinitatis claritate serenissima,

Digitized by Google

in qua « Lux lunæ sicut lux solis (*Isa.* XXX, 26) » fulget, quia humanitas assumpta in Dei Filio claret ea claritate, quam ipse sol justitiæ habuit in sua Divinitate, priusquam mundus fieret. In hac die virtutis suæ simulque in splendoribus sanctorum, die hac illustratorum, clarum erit; quod dicimus, quia videlicet dies diebus adjicientur a Deo Patre, cui psallens ego Ecclesia dico : *Dies super dies regis adjicies.*

Nesciunt filii noctis et tenebrarum dies istos, quia omnis, qui male agit, odit lucem, quæ lux venit in mundum ; sed dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Ideo non eis dies beatitudinis adjicientur, sed propter tenebras interiores vitiorum projicientur in tenebras exteriores tormentorum. Porro tu Deus Pater luminum, *dies super dies regis adjicies*, quia nunc in splendore justitiæ ad doctrinam Christi ambulantibus, atque si peccatum eis acciderit, libenter ad lucem venientibus, ut arguantur opera eorum, post istos dies laboriosos dabis dies festivos, ut qui laboraverunt in diebus regis militantis, ipsi quoque sabbatizent in diebus regis ab omni opere vacantis. Qui enim ingressus fuerit in requiem Domini, vacabit ab operibus suis, sicut et a suis Deus. « Amodo enim jam dicit Spiritus : ut requiescant a laboribus suis. Opera enim illorum sequuntur illos (*Apoc.*, XIV, 13). » Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei, reprobatis reprobis, quibus juravit Dominus in ira sua dicendo : « Si introibunt in requiem meam (*Psal.* XCIV, 11). » Festinemus ingredi in illam requiem dierum solemnium qui et *anni* dicuntur propter suæ diuturnitatis æternitatem, et *dies* unus propter ejusdem æternitatis invariabilem identitatem. Unde alibi dicitur : « Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient (*Psal.* CI, 11). » Item : « Melior est dies una in atriis tuis super millia (*Psal.* LXXXIII, 11). » Hæc dies

VERS. 8. *Permanet in æternum in conspectu Dei.* Vel ipse rex et sol justitiæ, qui dies perigrinationis format gyrando per meridiem innocentium et in suo amore ferventium flecturque ad aquilonem diebus æstivis pro peccatoribus per pœnitentiam colligendis et illuminandis post ortum suæ nativitatis et occasum suæ mortis denuo ascendendo super occasum illuc, ubi erat prius, jam *permanet in æternum in conspectu Dei*, quia « resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur : quod enim vivit, vivit Deo (*Rom.* VI, 9). » Unde homo unitus Deo *permanet* impassibilis et invariabilis *in conspectu Dei*, gloria et honore coronatus in diebus regalibus, intra quorum claritatem quotidie recipiendo se sequentes, *dies* diebus, ut dictum est *adjiciet*, neque ab hoc opere suo cessabit, sed sicut « Pater » suus « usque modo operatur, et ego operor (*Joan.* V, 17), » ait, quia hæc operatio protenditur usque *in diem generationis et generationis*, id est ultimæ regenerationis, cum sederit idem rex in sede majestatis suæ beatificans illos, in quibus dies et claritas apparebit *generationis et generationis*, id est regenerationis. Generatio prava et perversa una unius tantum regenerationis die contenta est, quæ nata est in hunc mundum, et hunc agit festivum sicut Herodes et ante illum Pharao epulando in die natali suo; de altera vero generatione, qua in vitam renati æternam sicut modo geniti infantes lac concupiscunt beatæ soboles generationis quærentium Deum, quærentium faciem Dei Jacob, nulla est illis cura. Unde non erit illorum resurrectio dicenda regeneratio, quorum neque animæ hic ad fidem regenerantur, neque corpora tunc regnabunt ad impassibilitatem. Solis ergo tunc electis erit *dies generationis et generationis*, vel quia tam in corpore quam in anima erunt regenerati et immutati et Christo soli æterno configurati ; vel quia non solum generatione carnali cœperunt esse, sed etiam generatione spiritali acceperunt feliciter esse, ut de terrenis fierent cœlestes, juxta quod in die scrutiniorum sancta Ecclesia pro catechumenis orare solet, dicens : « Omnipotens sempiterne Deus, Ecclesiam spiritali fecunditate multiplica, ut qui sunt generatione terreni, fiant regeneratione cœlestes. » Omnibus ergo sic regeneratis in unum congregatis, quando Dominus veniet et omnes sancti ejus cum eo, fulgebunt justi sicut sol, *et erit in die illa lux magna*, quæ dies permanebit *in æternum in conspectu* Dei per misericordiam et veritatem ipsius Dei.

Atque utinam plures vel omnes homines hanc misericordiam et veritatem sic requirant, ut in diem sempiternæ claritatis proficiant! Sed quis credit auditui nostro de misericordiæ atque veritatis Dei testimonio? Deus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens ejus *misericordiam et veritatem ;* sed quis requiret eam? *Misericordiam et veritatem ejus quis requiret?* Misericordia est, qua non meritis nostris sed bonitate sua peccata dimittit et vitam promittit ; veritas, qua non fallitur, sed reddit, quod promisit. Item misericordia est, qua peccantibus in nos dimittimus; veritas, qua nosmetipsos a peccatis custodimus, in quantum possumus.

Alia translatio habet : *Misericordiam et veritatem ejus quis requiret ei?* Non frustra additum est *ei.* Quidam enim *misericordiam et veritatem* Dei quærunt in Scripturis, et cum didicerint, sibi vivunt, non illi.

Aliter : *Permanet in æternum in conspectu Dei*, rex videlicet, cujus dies adjicientur. Sic et illi permanebunt quibus adjiciet dies, et hæc erit illis beatitudo plena, et sufficientissima ulterius nulla indigens adjectione dierum per aliquod *misericordiæ*, seu *veritatis* donum. *Quis* enim *requiret misericordiam* illic, ubi nullus miser? Et quis *veritatem*, ubi omnes videbunt Deum « et erunt omnes docibiles Dei? » (*Joan.* VI, 45.) In « illa, » inquit, « die non rogabitis quidquam (*Joan.* XVI. 23). »

Aliter : *Dies super dies regis adjicies*, cum quis

Digitized by Google

exemplo regis Ezechiæ lamentatur, eo quod in dimidio dierum timet rapi, et duci ad portas inferi. Sicut enim tunc regi lacrymanti super dies suos adjecti sunt quindecim anni, Deo projiciente post tergum suum omnia peccata ejus ; ita et nunc sincere de peccato suo dolentibus adjicientur dies annorum quindecim, quibus cantando canticum graduum quisque talium perveniat illuc, ubi permanebit in æternum in conspectu Dei. Tali misericordiæ ac veritatis Dei præconia prædicare dulce mihi esset, si quis ea requireret : sed *misericordiam, et veritatem ejus quis requiret ?* Plures etiam, quod pejus est, ultro sibi oblatam repellunt misericordiam et veritatem. Nam « sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur (*II Tim.* IV, 3, 4). » Nunquid ergo surdis et indevotis auditoribus misericordiam, et veritatem prædicans incassum laborabo? Potius obediam Scripturæ dicenti : « Ne effundas sermonem ubi non est auditus (*Eccli.* XXXII, 6). » Item : « In tempore illo prudens tacebit (*Amos* V, 13). » Sed nunquid hominibus hujusmodi pessimis tacens et in salicibus istis Babylonicis organa suspendens etiam tibi, Deus meus, tacebo ? Minime. Nam etsi tacebo a docendo, non tacebo a psallendo et orando, sed

VERS. 9. *Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi, ut reddam vota mea de die in diem. Sic psalmum dicam* bene operans *nomini tuo*, id est ad honorem nominis tui, *in sæculum sæculi*, id est semper, *ut reddam vota mea*, quæ in baptismo seu arctiori proposito feci. *Reddam*, dico, *de die in diem; de die*, quem sol justitiæ nube mortalitatis tectus illustravit ; reddens *vota mea* tendam *in diem* sempiternæ claritatis. Vel *de die in diem*, id est de virtute in virtutem scandendo a claritate in claritatem, posteriora obliviscens in anteriora extendar.

Aliter : *Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum* subsecutivum *sæculi* hujus, *ut reddam vota mea*, ne sine redditione votorum meorum sit inanis psalmodia. Ut ergo placeat psalmodia mea, vovebo quæcunque sancta, quæcunque pudica, quæcunque vera, quæcunque amabilia, quæcunque Deo accepta, et *reddam vota mea de die* simplicis intentionis *in diem* lucidæ consummationis. Vel *de die in diem* bene agendo, diesque diebus continuando in operibus lucis, nequaquam in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi, sed residuum annorum meorum quærens, et dies diebus adjectos obtinens ego velut alter Ezechias psalmos meos cantabo cunctis diebus vitæ meæ in domo Domini, reddens *vota mea de die in diem. De die* temporalitatis *in diem* æternitatis.

Gloria Patri me in petra exaltanti. *Gloria Filio* ipsi Petræ. *Gloria Spiritui sancto* illi misericordiæ, de qua in psalmo dicitur : *Misericordiam et veritatem ejus quis requiret ?*

Aliter : *Gloria Patri* misericordiarum, cujus est misericordia et veritas, in quibus intelligitur *Spiritus sanctus et Filius.* Nam Filius est veritas una que prædicanda, et *Spiritus sanctus* est misericordia in æternum cantanda.

PSALMUS LXI.

Nonne Deo subjecta erit anima mea. Titulus est : VERS. 1. IN FINEM PRO IDITHUN PSALMUS DAVID.

Idithun interpretatur *transiliens eos.* Hic est fidelis, qui reprobos et terrenis deditos transilit, qui tendens *in finem* psallit ipsi *David*, id est Christo. Et primo dicens illi se subditum esse, qui altior est eo, exprobrat persecutoribus suis. Secundo iterum dicens se Deo subditum esse, monet cæteros sperare in ipso ibi : *Verumtamen Deo subjecta esto, anima mea.* Tertio monet errantes in Deo, non in caducis confidere ibi : *Verumtamen vani filii hominum.*

Congruit apertissime hic *psalmus* certatori legitimo, qui inter spem et metum agonizat in isto quinquagenario, ut supra dictum est. Hic enim sancta spe semetipsum corroborans : *Nonne*, inquit, *Deo subjecta erit anima mea ?* O tu lex peccati, lex mortis legis mentis meæ, legi vitæ repugnans quid me devocare contendis a spe vel expectatione auxilii Dei? Nempe in vanum : *Ab ipso enim salutare meum.* Ac deinceps : *In Deo salutare meum, et gloria mea, Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est. Sperate in eo, omnis congregatio* populi. etc. Sic psallendo *in finem pro Idithun*, fit etiam *ipse Idithun*, id est *transiliens.* Transilit enim eos, quibus loquitur dicendo : *Quousque irruitis.*

His de sensu totius psalmi succincte dictis, ad tractandum hunc ex ordine veniamus, et ex persona transilientis ita juvante Deo psallamus, ut etiam quisque psallentium sit Idithun, vana omnia transiliendo. Sed quanto salierit altius, tanto magis Deo inveniatur subditus, et in ejus amore subjectus omni humanæ creaturæ propter ipsum. Staus vero in tam excelsa humilitatis arce, si quando per dæmonum vel hominum vel etiam propriarum cogitationum suggestiones provocatur ad superbiendum spiritu et mente psallens dicat :

VERS. 2. *Nonne Deo subjecta erit anima mea ?* Quid est, quod mihi suggeritis transilienti vana omnia? Suggeritis mihi, ut ex hujusmodi saltibus contra illum superbiam, a quo mihi virtus est et nomen transiliendi. Sed nunquid ita memini, supra

Digitized by Google

quod sum, ut oblitus sim sub quo sum? *Nonne Deo*, qui est super omnia, *subjecta erit anima mea*, quantacunque transiliam? Nonne imitabor illum centurionem, qui vanitatem gentilitatis et Judaismi transiliens venit ad veritatem comitem sibi habens individuam sanctæ humilitatis virtutem? « Nam et ego, » inquit, « homo sum sub potestate constitutus habens sub me milites (*Matth.* VIII, 9). » Ordo bonus! Primum cognovit quod erat; secundo sub quo erat; ac deinde super quos erat. Exemplum dedit mihi, ut et ego ita faciam caute saliendo, primo ad cognitionem mei, de qua per saltus congruos veniam ad cognitionem Dei. « Nam ego homo sum natus de muliere brevi vivens tempore (*Job.* XIV, 1), » homo sum de humo factus, et in humum reversurus juxta veritatem dicentem: « Terra es, et in terram ibis (*Gen.* III, 19). » In veritate dicere possem: « Exi a me, Domine, quia homo peccator sum (*Luc.* V, 8), » nisi quod jam didici, non sic mihi dicendum potestate illa, sub qua constitutus sum, contradicente ac dicente: imo si te peccatorem consideras, oportet ut a te Dominum non repellas. Dico tamen in veritate, quia « homo peccator sum, » sed non adjunge: « Exi a me, Domine, » quia etiam in hoc *Deo subjecta erit anima mea*, ut acquiescens potestati sub qua constitutus sum, juxta doctrinam sanam non a Domino sed ad ipsum fugiam, sanctisque ipsius constitutionibus in Ecclesia sancta humiliter subjaceam admissa mala deflendo, et flenda ulterius cavendo; quod si ex viribus meis minime valeam, Deo tamen, cui *subjecta erit anima mea*, juvante ac donante potero. *Ab ipso enim salutare meum. Ab ipso* Deo Patre Filius est, qui est per assumptam carnem meam *salutare meum*, est quidem *salutare meum* Filius Deus ab ipso Deo altissimo et immenso.

VERS. 3. *Nam et ipse Deus* est æque altissimus, æque immensus ut Pater ejus Deus. Vel ideo Filium nomine *salutare meum*, quoniam sufficit ad dandam salutem sicut Pater ejus Deus. *Nam et ipse Deus meus* æque ut Pater. *Deus* omnium per naturam: *meus* quadam proprietate per gratiam, quæ nimirum gratia in eo patenter agnoscitur, quod ipse, qui est *Deus meus* per potentiam creationis, est etiam *salutaris meus* per gratiam reparationis, *et susceptor meus*, cum ad ipsum transiliens vanitates mundi quasi post tergum relinquo. Unde cum tantus mihi sit salvator et *susceptor*, quo non est aliquis fortior, ego ad illum transiliens ab eo susceptus *non movebor amplius*. Manus enim peccatoris, quæ movit me in vetere Adam, non poterit movere me susceptum nunc a secundo Adam; et pes ille superbiæ, qui venit mihi, cum adhuc Deo subjecta non erat anima mea, non ultra mihi veniet, quia semper *Deo subjecta erit anima mea*. Itaque jam antea vel pede superbiæ vel manu peccatoris motus *non movebor amplius*, utpote in Salvatoris mei humilitate fundatus, et ab ipso in æternum protegendus.

VERS. 4. Quod cum ita sit, frustra *irruitis in hominem*, vos dæmones vel maligni homines, vel etiam, vos mundanæ cogitationes. Certe neque venti per spiritus malignos, neque flumina persecutionum per impios homines, neque pluvia per cogitationes malas aut sordidas poterit movere domum meam; fundata est enim supra petram, de qua in præcedenti psalmo dixi: « Cum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me. Deduxisti me, quia factus es spes mea, turris fortitudinis a facie inimici (*Psal.* LXXX, 3, 4). » *Quousque* igitur vos inimici salutis meæ turbatis et infestatis me? *Quousque in hominem*, scilicet exteriorem? Quia enim interior homo a vobis lædi non potest, velut insani et furentes *irruitis in hominem* exteriorem non habentes potestatem lædendi animam, quam non potestis occidere trahendo in consensum nequitiæ vestræ, sed corpora *interficitis universi vos* aut voluntate per odium, quoniam « qui odit fratrem suum, homicida est (*I Joan.* III, 15), » aut actu per manifestum homicidium, « ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ (*Matth.* XXIII, 35), » id est a sanguine martyrum in campo mundi hujus interfectorum, quorum primus fuit Abel, usque ad sanguinem sacerdotum inter templum et altare docentium, inter quos præcipuus fuit Zacharias, quorum cum vos neutrum personaliter interfeceritis, tamen vos ad corpus Cain fratricidæ vel Judæorum, prophetas et prophetarum Dominum occidentium, pertinere per hoc ostenditis, quod *interficitis universi vos* pro vestro posse universos, qui conformitatem vestram transiliendo vel in campo mundanis ostendunt exempla pietatis recte offerendo recteque dividendo, vel inter templum et altare docentes, aut inter vestibulum et altare plorantes, religiosis eremiticæ vel cœnobitalis vitæ observantiis dediti sunt, facientes et docentes recta quæ possunt. Universos istos odientes *interficitis universi vos*, ut veniat super vos omnis sanguis justus.

Vel certe *interficitis universi vos* metipsos odiendo illos universos, quibus pro velle vestro dejiciendis irruitis *tanquam parieti inclinato*, arbitratu vestro etiam per se casuro nemine impellente, vel sicut *maceriæ depulsæ*. *Maceria* cum sit lapidum congeries absque ligatura cœmenti, contra impellentem vel destruentem stare non potest: quanto magis, cum depulsa, et a statu rectitudinis curvata fuerit, stare non poterit, etiamsi nemo ei machinas impingit? Quia ergo talem tam facile destructibilem reputatis hominem cui destruendo *irruitis*, nescitis, quod frustra laboratis. Attamen deficientibus machinis vestris immobilem cognoscetis hominem vere dicentem: *Non movebor amplius*. « Qui » enim « confidunt in Domino sicut mons Sion, non commovebitur in æternum (*Psal.* CXXIV, 1). » Etiam si illisum fuerit flumen domui hominis hujus, non poterit eam movere; fundata est enim supra firmam petram. Unde vos potius comparandi estis *parieti*

Digitized by Google

inclinato et maceriæ depulsæ, quibus ecce jam loquor *tanquam parieti inclinato et maceriæ depulsæ* dicens : *Usquequo irruitis in hominem* rectum *vos*, qui estis paries dealbatus, et a statu rectitudinis inclinatus ? *Usquequo irruitis in hominem* glutine seu cœmento charitatis fundamento suo fortissimo fortissime cohærentem *vos*, qui estis maceria depulsa non in unum conglutinata et ruinæ proxima ? *Usquequo* tales tam destructibiles *irruitis in hominem* constantem et minime destructibilem, cujus etsi corpus occideritis, animam tamen occidere non potestis ?

Hunc sensum videtur innuere veritas Hebraica, qua sic legitur : *Usquequo insidiamini contra virum, interficitis omnes sicut murus inclinus*, (143) *et maceria corruens ?* Talis quippe murus vel maceria corruens quando ruit, illos tantum obruit, quos vicinos et sibi postpositos invenit, ut illi viri impii, qui ruinæ suæ jam proximi apud se non recte dixerunt : « Opprimamus virum justum injuste, quoniam contrarius est operibus nostris (*Sap.* II, 12). » Hoc apud se non recte cogitantes intra semetipsos in cogitationibus rei facti dixerunt : sed dictum perficere non potuerunt, quoniam illi quidem ruerunt gladiis Romanorum traditi, et partes vulpium, id est malignorum spirituum facti. Sed homo quem volebant esse oppressum, cujusque ne resurgeret signaverunt sepulcrum, non est morte quam intulerant ei oppressus, imo propter hoc ipsum, quia humiliavit se ipsum dicens : *Nonne Deo subjecta erit anima mea*, sive ut evangelicis verbis eumdem sensum pandamus, quia dixit Patri subjectus : « Pater, non mea voluntas, sed tua fiat (*Luc.* XXII, 42). » Item : « non quod ego volo, sed quod tu vis (*Marc.* XIV, 36). » Item : « Non veni facere voluntatem meam, sed ejus, qui misit me, Patris (*Joan.* VI, 38) : » Propter hoc, inquam, quia ita Deo subjecta fuit anima ejus per omnia obediens Patris et suæ ac sancti Spiritus Divinitati, ecce, « Deus illum exaltavit et donavit ei nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris (*Philipp.* II, 9, 11). » Sic exaltatus homo assumptus in gloriam Dei Verbi assumentis, quæ est *gloria Dei Patris*, hoc suis membris contulit, hoc suis reliquit sectatoribus, animas suas Deo subjicientibus, ut etsi paries dealbatus et inclinatus, vel maceria depulsa contra eos ruat, non tamen obruat quemquam illorum, quoniam tota civitate Jericho ruente stabit hospitalis domus Raab, defendentibus eam nuntiis Jesu quos recepit, quorum verbis credens domui suæ bene providit (*Jos.* VI, 25). Stabit, inquam, sancta Ecclesia de gentibus electa et collecta, quia recepta est in ea fides catholica et apostolica per nuntios Jesu Christi prædicata. Stabit etiam quælibet fidelis anima Deo subjecta et apostolica fide suffulta. Quod cum ita sit, *quousque irruitis in hominem*, cujus anima Deo subjecta est, nec obrui potest, quia Deus protector et susceptor ejus est? Nihil contra illum proficitis, imo deficitis, et *interficitis universi vos* metipsos, et *tanquam parieti inclinato et maceriæ depulsæ* assimilati, vos etiam nemine in vos irruente ruetis, neque ullatenus hominem Deo protectori suo subditum poteritis obruere, quantumlibet studeatis in eum irruere.

Alia littera sic habet : *Quousque super hominem opponitis interficere omnes.* Cum ait : *omnes interficere hominem*, patet quod non de uno homine dicit; unus enim non est tanti spatii, ut ab omnibus impiis possit interfici. Unus ergo homo, una Ecclesia, caput et membra ab Abel usque ad ultimum justum. Super hunc impii tanquam onera passiones *opponunt*, ut a principio scilicet usque in finem impleat quisque in corpore suo, quod deest passionum Christi. Quod temporis spatium iste significans ait : *Quousque apponitis* iniquitatem super iniquitatem? Et dein tanquam insultans apponit : *Interficite* [Col. *interficere*] *omnes* illum hominem, et tanquam parieti inclinato et maceriæ depulsæ eidem incumbite, et sic videamus, si de terra poteritis delere nomen ejus qui dixit : Deus *susceptor meus, non movebor amplius.* Hoc ipsum persentiunt inimici, quod amplius non moveri fixum et in Deo firmatum propositum habeo, et ex hoc procul et de ultimis finibus pretium ejusdem propositi exspecto, mortemque pretiosam in conspectu Domini exopto. Vel quia pretio magno me redemptum considero, pretiosum Deo servitium et sacrificium persolvere desidero, ut, etsi vilis in conspectu impiorum vita et mors mea videatur, attamen in conspectu Domini mors mea sit pretiosa præcedente illam vita nihilominus pretiosa, non solum in conspectu Domini, corda et renes probantis, verum etiam in conspectu hominum videntium nec invidentium, videntium bona opera mea, et glorificantium Deum, nec invidentium saluti et pretio meo, quod videlicet pretium cogitaverunt inimici repellere, ut amitterem Christum, qui est pretium meum, si in tuto repositum, ut nolenti mihi auferri non possit.

VERS. 5. *Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere* inimici. Sæpe me vituperiis et detractionibus dehonestare studuerunt, ut repellerent *pretium meum*, quod facere non potuerunt. *Verumtamen cogitaverunt* et sola cogitatione rei facti sunt. Vel ita : Me ipsum Deo subditum firmiter stare persenserunt, quodque amplius movendus non esset, probaverunt, atque ideo cum essent rationabiles, ab impugnatione mea cessare debuerunt. *Verumtamen* non ita sapuerunt, sed *pretium meum cogitaverunt repellere* ad aliquam suæ utilitatis quasi condescensionem provocantes me, unde vita mea bonis fieret etsi non odiosa, saltem minus pretiosa. Ita *cogitaverunt* vilificare meam, si non possent conscientiam,

(143) Ita Cod.

Digitized by Google

saltem famam, ut, etsi non redirem retrorsum deturpando conscientiam, saltem tardius anteriora petendo et quasi pigris aut etiam retrogradis viatoribus condescendendo amitterem famam. Sed ego thesaurum pretiosum tam famæ quam conscientiæ in hoc servavi, quod illis tardantibus, aut etiam retrorsum abeuntibus *cucurri in siti*. *Cucurri* oblitus ea, quæ retro sunt, in anteriora extentus: *in siti*, quia cæteros tam inimicos, quam amicos in cursu meo socios habere vel etiam præcursores videre *siti* et esurie justitiæ quæsivi, et hoc ipsum precibus assiduis expetivi cupiens eos mihi in Christo concorporare conversione facili, sicut potus facilius sumitur a sitiente, quam cibus ab esuriente; plus enim laboratur manducando quam bibendo. Propterea sicut Christus in cruce dixit: *Sitio*, volens bibere gentes facile convertibiles, incorporando sibi eas ita et ego *cucurri in siti*, quia sine difficultate voluissem perversos converti.

Sed econtra illi *ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant*. Cum non poterant per aspera subvertere, tentabant per blanda *ore suo* benedicendo et *corde suo* maledicendo, velut alter Balaam cujus cum in ore sonuerit benedictio, in corde fuit maledictio, Deo vertente affectum maledicendi in effectum benedicendi. Sic in corde et corde locuti sunt, sic distinxerunt in labiis suis, ut aliud prætenderent, et aliud intenderent. Nam bona loquendo facies humanas prætenderunt, intrinsecus autem lupi rapaces fuerunt.

Diapsalma hic interponitur, pro quo in Hebræo legitur: *Semper*, eo quod sempiterna retributio debetur utrisque, id est malis corde suo maledicentibus, et bonis easdem maledictiones pro veritate patienter sustinentibus, et Deo suas animas humiliter subdentibus. Unde ait Petrus apostolus: « Qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendant animas suas in benefactis (*I Petr.* IV, 19). » Igitur ego *Idithun*, qui supra subjeci animam meam Deo in tanto, id ipsum facio dicens:

VERS. 6, 7. *Verumtamen Deo subjecta esto anima mea* portans jugum ejus non solum patienter, sed etiam libenter: patienter, *quoniam ab ipso patientia mea*, in qua possideo te, anima mea, ne pereas inter tot scandala; libenter, *quia ipse est Deus meus*, qui creavit me de nihilo, *et Salvator meus*, qui me justificat, ut sobrie, juste ac pie vivam. *Adjutor meus*, qui me in ipsa justitia confirmat, ne inter scandala deficiam: ideo *non emigrabo*, id est non ero transfuga.

Aliter. *Ipse Deus* vocans ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, *Deus meus* est, qui et vocavit me. Et quia quos vocavit, illos et justificavit, me quoque justificando *Salvator meus* est. Item: quia quos justificavit, illos et magnificavit, me quoque magnificando *adjutor meus* est. Nam cum duo sint sancti Spiritus data, unum in remissionem peccatorum, alterum in distributione charismatum et virtutum: per alterum salvatus, per alterum confortatus et adjutus *non emigrabo* amplius a via rectitudinis: vel per hæc duo data munitus in via, ne deficiam in via, illuc perveniam, ubi felici statione potius *non emigrabo* inde sicut emigravit protoplastus de paradiso et lucifer de cœlo.

VERS. 8. Quoniam *in Deo salutare meum, et gloria mea*. Non imitabo diabolum vel Adam suæ gloriæ nimis avidos, et ita gloriari volentes, tanquam salus eorum fuerit ipsis ex propria virtute; sed *in Deo salutare meum* est, per quod salvabor a peccatis, *et gloria mea*, per quam glorificabor in virtutibus et virtutum præmiis æternis. Et ad hoc non propriis viribus confido me promovendum, sed divino auxilio, quoniam *Deus auxilii mei* est in certamine ac studio sancto, *et spes mea in Deo est*, quoadusque spe consummata res veniat. Nunc enim manent fides, spes, charitas tria hæc, major autem his est charitas. Fides est certitudo invisibilium ex auditu verbi Dei concepta, supra opinionem, infra scientiam constituta. Qua quis fide imbutus, et in ea sic fundatus, ut non possit non timere invisibilia mala quæ in Scripturis prædicuntur, hoc timore se refrenat ab his vitiis quibus illa mala rependenda non dubitat. Et continuo fidei spes accedit, quæ cum sit fiducia bona ex Dei bonitate ac meritis humanis proveniens, usque adeo in comparatione divinæ bonitatis humana merita vel exigua vel nulla sunt, ut ego licet per gratiam Dei conscius mihi meritorum bonorum in anima Deo subjecta thesaurizatorum, tamen in solo Deo glorians dicam: *Spes mea in Deo est*. Præmisso namque, quod *Deus auxilii mei* est auctor propter gratiam suam, fidei meæ cooperantem, et merita de quibus nascitur spes fabricantem: tamen quia nulla sunt illa merita, si districte fuerint judicata, remota pietate Dei, recte *in* solo *Deo spes mea est*; quoniam spero ab ipso cœptam, per ipsum quoque consummandam salutem meam propter ipsius bonitatem, qua vult salvos fieri omnes homines, et propter ipsius potentiam, qua omnia, quæcunque voluit, fecit. Meo igitur exemplo,

VERS. 9. *Sperate in eo, omnis congregatio populi*. Sitis populus, non turba. Populus unitate collectus, non turba turbata per discordiam. Sitis non solum populus per unanimitatem popularem seu civilem, sed sitis etiam *congregatio populi* habendo cor unum et animam unam in Deo, et sic *sperate in eo*. Ut autem perficiatur in vobis et perfecta conservetur talis unitas cordium in Deo, quæ spem salutis firmat in eo: *Effundite coram illo corda vestra* confitendo primitus ex toto corde peccata vestra, et postea virtutibus acceptis iterum *effundite coram illo corda vestra*, illi attribuendo, quidquid boni facitis, et vobismetipsis imputando, quod malum est, in vobis vel in defectu virtutum vel in reliquiis vitiorum. Sicut enim, populo Israel terram promissionis ingresso, expugnatis Chananæis, tamen remanserant quædam reliquiæ ad eruditionem et exercitium exercitus Israelitici, ne desuesceret præliari:

Digitized by Google

sic et in vobis quantumlibet justificatis in hac vita remanebunt quædam reliquiæ vitiorum ad exercitium vestræ industriæ. Neque inter hujusmodi vobis in Deo sperantibus timendum, quoniam si effunditis coram illo corda vestra orando, plorando, confitendo, laudando, non peribit quod effunditis, et vos tuti eritis, quoniam *Deus adjutor noster* est, non ad horam, sed *in æternum*.

Diapsalma vel *semper* hic aperte interponitur, quia qui *adjutor* est *in æternum*, sempiternum adjutorium nunquam subtrahit, sed *semper* suis assistit.

Vers. 10. *Verumtamen vani filii hominum*, quanquam *Deus adjutor* sit *in æternum*. *Æternitas et vanitas* omnino sunt opposita : et ideo æternitate Dei adjutoris demonstrata, ipsius adjutorio vanitas esset relinquenda. *Verumtamen vani filii hominum* non de vanitate ad æternitatem, sed *de vanitate in idipsum*, id est de vanitate in vanitatem tendunt. Et hoc faciunt per mendacia, et deceptiones sibi hæreditarias, quia ipsi *filii hominum* mendacium et dolosorum nihilominus *mendaces* et dolosi sunt et astuti, ut *decipiant in stateris* vel ad litteram per diversa pondera in lege Dei prohibita, mentium simplicitatem fallendo, vel in expositione Scripturarum veritati mendacium interserendo. Et hoc faciunt eo efficacius, quanto dolosius *in statera* justitiæ simulant se omnia dicta et judicia sua trutinare, *ut decipiant ipsi*, qui, etsi in erroribus, et dolis multiformes et varii sint, *ipsi* tamen *de vanitate in idipsum* sic se concordes exhibent, ut *de vanitate decipiant ipsi*, qui in statera justitiæ justi et recti creduntur. Ego autem quia, ut jam dixi, *cucurri in siti*, sitiendo justitiam et justam per omnia stateram, quod in siti mea loquor, vos benevoli auditores animadvertite, atque mecum, quod sitio sitite, quod clamo clamate. Quid clamabo?

Vers. 11. *Nolite*, inquam, *sperare in iniquitate*, id est in divitiis, quæ ob hoc censentur nomine iniquitatis, et dicuntur mammona iniquitatis, quia omnis dives aut est iniquus aut hæres iniqui. « Præcipe, » ait Apostolus, « divitibus sæculi non superbe sapere, nec sperare in incerto divitiarum (*I Tim.* vi, 17). » Et ego Idithun sentiens idipsum dico divitibus : *Nolite sperare in iniquitate*. Nolite servi esse iniqui mammonæ. Dico et pauperibus : His modicis rebus, quas Deo donante habetis, contenti estote, *et rapinas nolite concupiscere*. Ferenda potius est inopia, quam velut ex necessitate rapina committenda seu etiam concupiscenda, quod minus est. Crimen rapinæ indigentia non excusat. « Væ qui prædaris, » ait propheta, « nonne et ipse prædaberis? » (*Isai.* xxxiii, 1.) id est dum prædo effectus aliena rapis, vel quod minus est, illicite concupiscis, prædanti diabolo præda efficeris, dum rapis raperis, dum tenes teneris. Attende, qui rapis inimicum, qui circuit quærens quem devoret. Præda quam rapere vis, in muscipula est, capis et caperis, vel etiam dum non capis et capere conaris, quasi lupus rapax falce adunca sauciaris, et nihil adeptus nisi vulnus morte morieris, nisi medicamento pœnitentiæ saneris, et pauper spiritu efficiaris usque adeo, ut etiam si divitiæ affluant, quas etiam defluere necesse est, cor tuum non trahant, sed sursum cor habeas, et illuc thesaurizando mittas divitias tuas, ubi non fures effodiunt, nec tinea demolitur eas, custodiente illas Deo.

Divitiæ si affluant, nolite cor apponere tali affluentiæ, quæ mobilitatis lege qua affluit, nimis cito defluit, quoniam « sicut flos feni, » ait apostolus Jacobus, « ita et dives marcescit in itineribus suis. Exaruit fenum, et cecidit flos; verbum autem Domini manet in æternum (*Jac.* i, 10-11). » Vos igitur quibus jam supra dixi : *effundite coram illo corda vestra*, etiam isto modo *effundite coram Deo corda vestra*, ut apud ipsum reponendo thesaurum divitiarum vestrarum sive corporalium sive spiritualium, pariter quoque ibi reponatis cor vestrum, quoniam « ubi est thesaurus vester, ibi est et cor vestrum (*Luc.* xii, 34). » Non bene vel caute cor suum effudit, qui divitias suas enumerans dixit : « Deus, gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic publicanus (*Luc.* xviii, 11). » Gratiarum actio quasi canale fuit, quæ (144) divitias hujus Pharisæi poterat in cœlum portasse una cum ipsius corde, si non fuisset rimosum rima superbiæ, qua despectis cæteris ita gloriabatur, ut plus gauderet de aliorum defectu quam de suo profectu. Quæ nimirum superbiendi lepra ita est alba, ut videatur mundissima, nisi fuerit judicio sacerdotis diligenter examinata, et per id deprehensa, quod dissimilis est carni reliquæ. Unde in lege dicitur : « Homo, in cujus carne, et cute ortus fuerit diversus color, aut quasi lucens quippiam, id est plaga lepræ, adducetur ad Aaron sacerdotem, vel ad unumquemlibet filiorum ejus. Qui cum viderit lepram in cute et pilos in album mutatos colorem, ipsamque speciem lepræ humiliorem cute et carne reliqua, plaga lepræ est, et ad arbitrium ejus separabitur. Sin autem lucens candor fuerit in cute, nec humilior carne reliqua, et pili coloris pristini, recludet eum septem diebus. Et considerabit die septimo : et si quidem lepra ultra non creverit, nec transierit in cute priores terminos, rursum recludet eum septem diebus aliis. Et die septimo contemplabitur. Si obscurior fuerit lepra, et non creverit in cute, mundabit eum (*Lev.* iii, 1 et seqq.). » Nonne quasi *lucens quippiam* se ostendit in cute hominis, cum per exercitia sanctitatis apparet vita ejus notabilis? In qua notabilitate ne forte sit lepra superbiæ, adducendus est homo hujusmodi ad Aaron sacerdotem, id est ad Christum vel ad quemlibet filiorum ejus, id est imitatorum sacerdotio fungentium; quia Christus, qui est veritas, aut per se in Scripturis consulendus est, aut per sacerdotes legitimos;

(144) Sic diserte Cod.

Digitized by Google

utrumnam sibi placeat, quod oculis humanis placet. Qui videns, id est nos videre faciens, utrum species lepræ sit humilior cute et carne reliqua nec ne, atque utrum pili sint coloris pristini an non, vel immundum judicabit, quem species lepræ lucentis et a carne reliqua differentis atque pilorum albedo addicet ; vel mundum, si lucens candor non erit carne reliqua humilior, et pili coloris pristini : per quæ nimirum signa poterit homo a lepra excusari superbiæ Pharisaicæ, si,cum lucens quippiam in eo apparet per speciem religionis, non gaudet vel sibi applaudit, eo quod sit vita ejus notabilis et dissimilis hominibus cæteris. Unde non se ostendit humiliorem carne reliqua humilitate Pharisaica, semper affectante cæteris dissimilia et ad laudem demonstrabilia, sed se coæquat hominibus cæteris, utique suis conservis, inter quos ipse ignorat, quis cui sit præferendus illo judicio veri et summi sacerdotis, in quo erunt primi novissimi, et novissimi primi. Adducetur ergo ad hunc sacerdotem, quisquis ejus judicium cogitans ad illud se præparat, ut illic ab omni specie lepræ mundus inveniatur. Sed pili coloris pristini ad idem cooperantur, si verba et cogitationes post declaratam speciem sanctitatis manent in statu pristinæ humilitatis, ut videlicet post acceptam gratiam non superbiat, qui ante non superbierat. Alioquin quid prodest rebus aut virtutibus divitem fieri, cum anima misera superbior inde fit, unde humilior, atque ad serviendum conservis promptior fieri debuit?

Sive ergo corporales, sive spiritales *divitiæ affluant, nolite cor apponere*, ut inde superbiatis, et cæteris hominibus gloriosiores appareatis, cum exinde humiliores atque, ut dictum est, ad serviendum promptiores esse debeatis, maxime si divinum judicium formidatis, in quo semel loquetur Deus et secundo id ipsum non repetet, nec retractabit verbum de ore suo tunc emissum, quod licet nobis futurum, suis tamen oculis est quasi præteritum et omnino fixum.

Unde prænuntians idem judicium, quo reddetur unicuique secundum opera sua, non dico : *semel loquetur*, sed

Vers. 12, 13. *Semel locutus est Deus* locutione irretractabili, in qua locutione *duo hæc audivi, quia potestas Dei est*, qua dicetur impiis : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* xxv, 41). » *Et tibi, Domine, misericordia*, qua dices bonis : « Venite, benedicti Patris mei, etc. (*Matth.* xxv, 34). » De utroque tu judex juste, laudandus es, *quia tu reddes unicuique juxta opera sua.*

Aliter : Duo superius dixi, videlicet non sperandum esse in iniquitate, sperandnm vero esse in Deo. De utroque causam reddens dico : non sperandum in iniquitate, *quia potestas Dei* insuperabilis ad damnationem iniquorum et iniquitatis. In Deo vero sperandum, quia *tibi, Domine, misericordia.* Et vere *potestas, et misericordia* tibi est, *quia tu reddes unicuique juxta opera sua.* Nullus miretur quod ego Idithun quasi transiliendo cæteros auditores, quibus hactenus loquebar de testimoniis Dei, nunc in fine psalmi psallens *in finem* conversus ad ipsum, qui est finis omnium, dico quia *tibi, Domine, misericordia, quia tu reddes unicuique juxta opera sua,* bonis quidem ex *misericordia* præmium, malis vero ex *potestate* supplicium. De corde meo non confinxi, quæ dico; sed quod *audivi*, hoc testor. Audivi autem non ex incerto rumore, sed ex divina locutione. Nam *semel locutus est Deus* unum de corde suo gignendo Verbum, ad quod ego Idithun cætera transiliendo raptus in uno eloquio *duo hæc audivi, quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia.*

Contrarium videtur, quod ait : « Semel locutus Deus est, cum multifariam multisque modis (*Hebr.* 1, 1), » multis etiam et multoties sit *Deus locutus.* Item cum *semel locutus* sit, contrarium videtur *duo* esse audita. Ad quod dici potest quod Idithun transiliens super omnia, etiam super angelos eo pervenit, ubi unus Pater unum Verbum genuit, quod gignendo omnia disposuit, quæ post suis digessit ordinibus, vel ita apud se *semel*, inter homines vero multis est modis *locutus.* Vel quod ait *semel*, non ad numerum, sed ad sententiæ firmitatem referendum est, quia gignendo Verbum *locutus est semel*, id est, omnia disposuit immutabiliter, et æternaliter. Idithun vero ad illam raptus disponentem, inter multa, quæ audivit, quæ non opus est hic dici, *duo hæc* de *potestate* et *misericordia audivit*, quæ pertinent ad hunc locum. Vel cum *semel* omnia disposuerit, et post diviserit suis ordinibus, *duo hæc* tantum dicitur audisse, quia duobus his prope cætera continentur. Nam propter hæc duo patriarchæ, prophetæ, lex, Christus, apostoli, annuntiatio et omnis ecclesiasticæ religionis celebratio. *Potestas* ergo timeatur, quia Dei est; nulla enim, nisi ab ipso, et omnis æqua, et si te lateat æquitas. *Misericordia* vero ametur : non pro *misericordia* contemnatur *potestas*, nec pro *potestate* de *misericordia* desperetur.

Gloria Patri Deo, cui subjecta erit anima mea, et a quo salutare meum est. *Gloria Filio*, ipsi videlicet salutari meo. *Gloria Spiritui sancto*, qui est *misericordia potestati* socia individua, qua reddetur unicuique juxta opera sua. Gloria trino et uni Deo adjutori meo, a quo non emigrabo conservante me ipsius adjutorio. Amen.

Digitized by Google

PSALMUS LXII.

Deus, Deus meus, etc. Titulus est :

VERS. 1. PSALMUS DAVID, CUM ESSET IN DESERTO IDUMÆÆ.

Ibi abscondit se David, cum fugeret a facie Saul (*I Reg.* XXII, 5), significans ecclesiam quæ in hujus sæculi ariditate laborat, et sitit, ubi cum clamare non desinit, docens est in medio pravæ nationis bene conversari. Loquitur in hoc psalmo Christus in persona capitis et membrorum. Nostra enim vox est ipsius, sicuti et ipsius est nostra.

Primo desiderium suum exponit dicens : *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.* Secundo securitatem hic et in futuro pereuntibus inimicis et bonis regnantibus et exultantibus cum rege suo ibi : *Rex vero lætabitur in Deo.* Sciens autem, quoniam qui justitiam sitiunt hic, in futuro saturabuntur, dum hujus vitæ necessitatibus æstuat, clamat : *Deus meus.*

In psalmo isto caput ipsum introducitur orans, ut ostendat quid plurimum prodesse possit illi, qui adhuc in lucta et periculo est pugnando cum vitiis : *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo.* Multum quippe corporales quoque vigiliæ contra vitia prosunt, et meditatio sancta, de qua dicit postmodum : *Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus, et in velamento alarum tuarum exsultabo*, etc. Hoc ipsum caput loquitur, sicut innuit ipse titulus : *Psalmus David, cum esset in deserto Idumææ*, cujus videlicet tituli sensus hic est. Hæc verba sunt attribuenda vero David Christo secundum eum statum, quo ipse conversatus est in Judaico populo, qui erat *desertum*, præcepta Dei propter suas traditiones deserendo, et *Idumæa*, id est, *terrena* vel *sanguinolenta* terram amando, sanguinem sitiendo.

Intendit autem in hoc psalmo Dominus noster ostendere se pervigilem, id est, sollicitum et diligentem fuisse in voluntatibus Dei ademplendis, etiam cum inter inimicos conservaretur, qui eum semper devocare nitebantur. Et hoc totum facit ad instructionem fidelium, ne et ipsi sint in torpore noctis et ad infidelitatis et pravæ operationis, sed illum imitantes in tribulationibus non dormitent, sed in omnibus bene operantes tandem in eo laudabiles existant, sic dicens :

VERS. 2. *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. Deus* omnium generaliter secundum creationem : *Deus meus* vero secundum præcipuam dilectionem. *Ad te*, id est, ad tuam voluntatem per omnia exsequendam *vigilo*, et intendo corde vigilantissimo ego Christus Filius tuus *in deserto Idumææ* fatigatus tam in memetipso, quam in membris meis terrenitatis periculo gravatis. Et quidem jam ego de *deserto Idumææ*, de Judaico et terreno populo a gratia Dei *deserto* liberatus sum *de luce vigilans*, id est, mane diluculo excitatus a somno mortis : attamen quandiu vel unus ex minimis meis in tali deserto fatigatur, ego me arbitror fatigari, quoniam in hujusmodi minimis meis esurio, sitio, sum hospes et nudus, infirmus et in carcere, *in deserto Idumææ* inter terrenos et sanguinolentos a Dei gratia desertos. Nam per immunditiam terreni, per homicidalem nequitiam sanguinolenti persequuntur mundos immundi, pios impii. Sed ad hoc proficit ipsa persecutio, ut sim vigilantior et attentior *ad te, Deus meus*, invocandum *de luce*, id est, mane ; ad litteram, quando imminente resurrectionis hora enixius est orandum, quia tunc legimus patriarcham Jacob exauditum, ut benedictionem acciperet. Similiter et apostoli nocturna piscatione frustra fatigati mane jam facto stante Jesu in littore ad ejus jussum rete mittentes in dexteram navigii, pisces magnos et multos ceperunt centum quinquaginta tres, qui cum tanti essent, non est scissum rete (*Joan.* XXI, 11). Hujusmodi edoctus exemplis, quia mane exaudies vocem de luce vigilantis, et ego *de luce vigilo* vel ad litteram, ut dictum est, vel etiam *de luce* intentionis bonæ, oculo meo existente simplice, ita ut totum corpus orationis et vigiliarum fiat lucidum non habens aliquam partem tenebrarum per oculum nequam. Sic *de luce vigilo*, quia non vigilarem, nisi oriente mihi sole justitiæ per illius radios excitaret a somno desidiæ, qui facie obrepit *in deserto Idumææ*, sicut nobis apostolis accidit, quando Idumæis, id est, Judæis terrenis Christum verum David persequentibus, una hora vigilare non potuimus. Erant enim oculi nostri gravati, cum esset hora et potestas tenebrarum circa solis occasum. Sed valde mane una Sabbati orto jam sole, qui ascenderat super occasum ad orientem, de luce ipsius vigilare cœpimus, et alios ad vigilandum provocavimus dicente aliquo nostrum . « Vigilate, state in fide, viriliter agite, omnia vestra cum charitate fiant. Igitur non dormiamus sicut cæteri, sed vigilemus, et sobrii simus (*I Cor.* XVI, 13, 14). » Item : « Sobrii estote, et vigilate, quia adversarius vester diabolus circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide (*I Pet.* V, 8, 9). » Quando in ipsa hora et potestate tenebrarum dictum est nobis : « Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem (*Matth.* XXVI, 41), » spiritus quidem promptus fuit, caro autem infirma, ad vigilandum pigra. Sed nunc

Digitized by Google

mane facto, et orto jam sole, *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo.*

Sentit denique sæpe dictus certator inter spem pugnans et metum, quod hæc transmutatio et vicissitudinis obumbratio nunc dormitandi, nunc vigilandi assidue alternat ipsum, quandiu in *deserto* est *Idumææ* certamen sustinens a carne propria vel aliena. Quod et ego ipse in me persentiens tædio carnis afficior, et tædet animam meam vitæ meæ. Propter quod *sitivit anima mea* non ditari auro vel argento seu alio terreno lucro, sed *in te*, ubi est verum esse, ubi est vera refectio et omnium bonorum plenitudo, quæ non invenitur *in deserto Idumææ*, in quo refectionem suam non inveniens *anima mea sitivit* in te fontem vitæ. Nec tantum anima, sed et *caro mea quam multipliciter* sitibunda propter multiplices defectus, quos patitur in deserto Idumææ.

In Hebræo legitur : *Deus fortitudo mea tu es, de luce consurgam ad te. Sitivit te anima mea, desideravit te caro mea.* Quia ergo tu es fortitudo mea, te desiderat caro mea multiplici varietati et infirmitati subjecta, dum mutat ætates, dum facillime lassatur adeo, quod et ipsa diuturna refectio defectio est, et levamen cujuslibet lassitudinis lassitudo, ut si diu stamus fatigamur, et ideo sedemus et iterum diu sedentes lassamur. Sic et in aliis, dum suæ lassitudinis recreationem caro quærit, semper lassitudinem invenit, et ideo quam multipliciter sitit. Quanto magis anima deficit in se, tanto magis anhelat *in te*, id est, in illam incommutabilitatem veram, quæ est in te, nec *reperitur in deserto Idumææ.*

Item quanto multiplicius caro fragilis atteritur, tanto ardentiori desiderio sitit tibi videlicet inhærere, qui es fons vitæ, nec inveniris

Vers. 3. *In terra deserta, invia et inaquosa, in deserto* videlicet *Idumææ*, cujus *terra deserta* est, ex quo dictum est Idumæis, id est Judæis : « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta (*Matth.* XXIII, 38). » Et est *invia*, videlicet Christum non habens, qui dicit : « Ego sum via et veritas et vita (*Joan.* XIV, 6), » qua veritate ac vita carens est *inaquosa*, non habens præcones veritatis ac vitæ, quia mandatum est nubibus, ne pluant super eam imbrem. Similiter in omni synagoga Satanæ *terra deserta, invia et inaquosa* conspicitur, nec in ea sitis animæ reficitur, nisi de hac *terra deserta, invia et inaquosa* interno desiderio segregata *ad te, Deus meus, de luce* vigilet teque sitiat, ita ut vigilando, et sitiendo sancta fiat in desiderio casto et sancto.

Sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam. Sic apparui tibi, id est visus primo sum a te, *ut* postea *viderem te.* Nemo enim videt te, nisi primo visus a te. Vidisti ergo apparentem tibi *in sancto*, id est in sanctitate, vel in sancto desiderio, in sancta siti, *ut* et ego *viderem virtutem tuam.* Sicut enim sol sua luce nos facit videre virtutem et gloriam claritatis suæ, sic tu sol justitiæ luce tua me prævenisti, *ut* per te illuminatus *viderem virtutem tuam et gloriam tuam*, in homine scilicet assumpto Divinitatem, quæ invictæ virtutis est in prælio, et immensæ gloriæ in triumpho. Non enim homo potens in prælio vel Dominus virtutum seu rex gloriæ veraciter prædicari posset, nisi et Deus esset, qui, licet infirmitates nostras portaverit, *virtutem* tamen *et gloriam suam* non amisit, imo in gloriam et virtutem Divinitatis humanitatem suam resurrectionis et ascensionis gratia sublimavit, ita ut quidquid virtutis et gloriæ habet Divinitas per naturam, habeat humanitas in ipso per gratiam. Inde est, quod caro ejus *in deserto Idumææ, in terra deserta et invia quam multipliciter* afflicta, *multiplieiter* est glorificata et deificata usque adeo ut et ipsa se participantes deificare valeat homines, sicut ipsa Divinitas deificat angelos beatos. « Caro enim mea, » inquit, « vere est cibus (*Joan.* VI, 56). » Quomodo ergo panis angelorum, Dei Verbum, cibus est angelorum : sic idem Verbum caro factum panis est omnium beatorum tam angelorum quam hominum. Caro igitur illa vere est cibus, quæ confert satietatem perfectam *in terra deserta et invia et inaquosa* esurientibus et sitientibus atque psallendo dicentibus : *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea*, dum et anima tua animæ conformari, et caro mea tuæ carni configurari affectat *in terra deserta, invia et inaquosa*, qualis est caro mea necdum spiritali exercitio satis exculta, necdum sanctorum vestigiis insignita, necdum rore vel pluvia cœlesti compluta. *In* tali *terra* tam *inaquosa* vigilando *ad te* ac sitiendo *in te sic in sancto* desiderio *apparui tibi, ut viderem virtutem tuam et gloriam*, id est : cognitus sum, ut cognoscerem, visus sum, *ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam*, ne *virtutem* boni meriti vel *gloriam* beati præmii cuiquam assignem, nisi tibi, sine quo nihil virtuosum facere, nihil gloriosum recipere idonei sumus, absque cujus misericordia nihil est quantumlibet sancta vita nostra.

Vers. 4. *Quoniam melior est misericordia tua super vitas* (145). *Ad abluendam namque culpam, seu justitiam decenter exsequendam virtus humanæ actionis infirma vel nulla est, nisi hanc misericordia parcentis foveat, et non justitia recte judicantis premat. Unde bene dicitur : Melior est misericordia tua super vitas, quia quamlibet videatur innocens, apud districtum tamen judicem nostra nos vita non liberat, si ei reatus sui debitum misericordiæ benignitas non relaxat.*

Aliter : *Sic in sancto apparui tibi* sitiens et vigilans, ut ex hoc idoneus fierem videre virtutem tuam et gloriam tuam, quia nisi primum sitiat quis in isto malo, quod *in terra deserta et invia et inaquosa* est,

(145) S. Greg. M., lib. VIII Moral. c. 31.

Digitized by Google

non est dignus *videre virtutem et gloriam*, quæ in Deo est, et quæ Deus est.

Aliter : *In terra deserta, invia et inaquosa*, id est in cohabitatione malorum, in conventu malignantium, in medio nationis pravæ ac perversæ, *sic in sancto apparui tibi*, ut sanctitatis luce illuminatus viderem et alios videre facerem *virtutem tuam et gloriam tuam*. Vel *apparui tibi*, Deus Pater, *in sancto*, id est in Filio tuo, qui antonomastice dicitur sanctus, et est Sanctus sanctorum membrum factus, in ipso *apparui tibi* sic pure, ut puro intuitu, quantum per speculum et ænigma fieri potuit, *viderem virtutem tuam*, qua me de *terra deserta, invia et inaquosa* liberasti, et vel spiritualiter vel etiam localiter segregasti, *et gloriam tuam*, qua me in terra sancta virtutibus glorificasti et illustrasti non exigente hoc merito vitæ propriæ vel parentum meorum, sed ita præordinante voluntario proposito misericordiæ tuæ, *quoniam melior est misericordia tua super vitas* quantumlibet laudabiles. Vel *melior est misericordia tua super vitas*, id est plus est efficax ad salvandum tua *misericordia*, quam sit efficax ad perdendum vita humana, illos utique, quos *in sancto tuo*, in Filio tuo, præordinatos ita vides, ut et ipsi *videant virtutem tuam et gloriam tuam*.

Aliter, *Melior est misericordia tua super vitas*, id est illa vita, quæ *in sancto* data est per misericordiam, non propter merita præcedentia, melior est *super vitas* omnes humanas, quæ multæ sunt, ut vita philosophantis et militantis, aut alio quolibet modo humana statuta sectantis. Vel *melior est vita tua* in præmio *super omnes vitas* quantumlibet bonas, quæ computantur in merito. Vel *melior est misericordia tua*, id est *vita* misericordium, quibus tua debetur misericordia, juxta illud : « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur (*Matth.* v, 7), » *super vitas* immisericordium, qualis fuit vita divitis epulantis quotidie splendide. Melius est quod das correptis in misericordia, quam quod sibi exquirunt perversi ad explenda libidinum suarum desideria. Melius fuit Lazaro ulceroso quam diviti luxurioso.

Propter hoc *labia mea laudabunt te*, id est laudabilem te aliis prædicabo labiis vel per innocentiam puris, vel calculo candente per pœnitentiam purificatis. Nam quia *in terra deserta, invia et inaquosa, in deserto* videlicet *Idumææ*, in medio populi polluta labia habentis habitando nimis tacui, exclamare mihi congruit : « Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito (*Isa.* vi, 5). » Hoc propheta Isaias non dixit, priusquam Dominum exercituum super solium excelsum et elevatum vidit. Nec ego, priusquam *viderem virtutem tuam et gloriam tuam* et *misericordiam super vitas meliorem* solitus eram *labia mea* tuæ laudi mancipare : nunc autem *labia mea laudabunt te*. Nondum laudant præsentialiter, quia polluta sunt et adhuc purificanda sunt.

Vers. 5. Ut purificentur *sic, benedicam te* in vita *mea* bonis moribus ornata, *et in nomine tuo* glorificando *levabo manus meas* operando videlicet, quod bonum est intuitu supernæ mercedis, prout exigit congruentia laudis, quæ depromenda est labiis : et tunc *labia mea laudabunt te*. Nondum laudant, nec laudare idonea sunt, sed tunc *laudabunt*. *Sic* in hac intentione te laudandi, et non laudes meas affectandi *benedicam te in vita mea, et in nomine tuo levabo manus meas*, ut expositum est.

Vel *sic benedicam te in vita mea*, sicut te laudant labia mea, scilicet non meæ virtuti, sed tuæ misericordiæ adscribendo quidquid est laudabile in vita mea : *et in nomine tuo levabo manus meas* vel opera bona faciens, ut dictum est, ad gloriam nominis tui, vel tensis manibus in modum crucis orans, exemplo Moysi orantis in monte contra Amalecitas, et exemplo Christi, qui expansis in cruce manibus cum clamore valido est exauditus pro sua reverentia.

Vers. 6. Sic elevatis manibus hoc oro, ut sicut *adipe et pinguedine repleatur anima mea*. *Adeps* est arvina intestinis adhærens, *pinguedo* vero est illa crassitudo, quæ cibis abundantibus nutrita cernitur per totum corpus diffusa. Pro hac similitudine hoc oro, ut *sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea*, quæ tam intus quam extra fuit arida et macra *in terra deserta et invia et inaquosa*. Intus fuit macra coram oculis divinis non habens copiam bonæ intentionis. Foris fuit macra etiam coram oculis humanis non habens copiam bonæ operationis. Nunc autem rogo, *ut sicut adipe repleatur* copia bonæ voluntatis et nitidæ intentionis *anima mea*, simul etiam ut proximi ad hoc ipsum provocentur : *sicut pinguedine repleatur* copia bonæ operationis per totum corpus apparentis et sua crassitudine ostendentis, quod ego filius prodigus in regione longinqua, *in terra deserta et invia et inaquosa* nimia fame tabefactus nunc de vitulo saginato saginatus exsulto in symphonia et choro. Nam in testimonium cordis, præ intrinseca pinguedine gaudentis et exsultantis, etiam *labiis exsultationis laudabit os meum* exterius gestu exsultativo depromens gaudium, quod habet interius; verbi gratia canendo : « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II, 14), » quæ nimirum bona voluntas adeps interior est, et dilatatur ab intestinis occultis usque ad manifesta labia exsultationis. Rauca enim vel nulla est labiorum exsultatio corde adhuc arido, et fame tabido, vel quod pejus est, siliquis, porcorum cibis adhuc farto et necdum per confessionis remedia exinanito. « Non est speciosa vel » pretiosa « laus in ore peccatoris (*Eccli.* xv, 9), » talis, nisi ad patrem veniens ab eo prius recipiatur, et mutatoriis albis induatur, atque ad convivium saginati vituli, ad communionem videlicet corporis et sanguinis Dominici admittatur, et inde accipiat *adipem et pinguedinem*, quæ in victimis Deo sacrificatur, quando pinguis immolatur hostia,

Digitized by Google

seu per vitam contemplativam, quæ tota in Dei amore flagrans holocausto assimilatur.

Aliter : *Adeps* est in his charismatibus, quæ propter nostram salutem accipimus, et sine quibus omnino salvari non possumus, ut est amor Dei et proximi, fides, spes, castitas, humilitas et sapientia vel scientia, et cætera talia, quibus anima intrinsecus copiose impinguata salvari potest in vita privata. Sed alia sunt, quæ propter alios accipimus, ut, verbi gratia, sermo sapientiæ, sermo scientiæ, gratia sanitatum, genera linguarum, interpretatio sermonum, operatio virtutum, et cætera talia, quæ Apostolus vocat manifestationem Spiritus. « Unicuique, » inquit, « datur manifestatio Spiritus ad utilitatem (*I Cor.* XII, 7), » subaudis : *proximorum*, ut intelligas aliud esse intrinsecam sancti Spiritus virtutem, aliud ejusdem Spiritus manifestationem. De virtute intrinseca dictum est beatæ Mariæ : « Virtus Altissimi obumbrabit tibi (*Luc.* I, 35). » De manifestatione forinseca dicit sponsa sponso in Canticis amatoriis : « oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te (*Cant.* I, 2). » Oleum quippe infusum per dona intrinseca in vasis custodienda non allicit amorem adolescentularum, sed *oleum effusum* in lampadibus, quia lucet exterius in medio juvencularum tympanistriarum per sermonem sapientiæ vel scientiæ vel alterius manifestationem gratiæ ad utilitatem aliorum effusæ adolescentulas in fide adhuc parvulas ad amorem sponsi trahit, quatenus illi appropinquent accepturæ ab eo primitus oleum infusum secreto in vasis custodiendum, deinde oleum effusum præferendum in lampadibus. In oleo infuso intellige *adipem* vitalibus inhærentem, nec foris apparentem. In oleo effuso intellige pinguedinem foris apparentem, seque videntes ad convivium sapientiæ invitantem. Pro utroque ora, et dic : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea*, ita ut repleta vasa conscientiarum de oleo infuso sufficienter abundent, et repletæ lampades operum de oleo effuso redundent. *Sicut adipe repleatur anima mea*, ut sobrie, juste ac pie vivam servando et magis ac magis de die in diem thesaurizando mihi testimonium bonæ conscientiæ ; ut vere dicere possim : « Nihil mihi conscius sum (*I Cor.* IV, 4). » Sed quia ministrum Dei oportet habere testimonium bonum et ab his qui foris sunt, usque adeo *repleatur anima pinguedine*, ut sim unus ex illis, qui vere ac non ficte dicunt : « Sic nos existimet homo ut ministros Christi (*I Cor.* IV, 1). » Item : « In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros, ut non vituperetur ministerium nostrum (*II Cor.* VI, 3, 4). » Non enim sufficit Christi ministris habere conscientiam bonam, fama neglecta. Sed nec fama exterius captata laudabilem facit, neglecta conscientia. Utraque mihi Dei ministro scio necessaria, ut ex *adipe* conscientiæ bonæ salus mea confirmetur, et ex *pinguedine* bonæ famæ salus proximorum permaxime mihi commissorum informetur. Nam et qui conscientiæ thesaurum absconditum in agro cordis non habet, miser est : et « qui famam suam negligit, crudelis est, » quæ sicut non est captanda ob inanem gloriam, sic negligenda non est, ut non vituperetur ministerium nostrum per aliquod scandalum ex negligentia nostra oblatum. Super hunc locum beatus papa Gregorius dicit (146) : « Adeps pinguedinis animam replet, cum hanc contra præsentium desideriorum æstum supernæ spei infusio refovet. » Igitur adeps intrinsecæ pinguedinis exprimit affectum cordis boni bona spe repleti, quomodo e diverso affectus mali cordis exprimitur nomine *adipis*, ubi dicitur : « Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis (*Psal.* LXXII, 7). » Et alibi : « Adipem, » inquit, « suum concluserunt (*Psal.* XVI, 10), » quia videlicet affectum cordis mali noluerunt prodere per confessionem, sed studuerunt concludere per defensionem, dum « os eorum locutum est superbiam (*ibid.*) » per jactantiam prodeuntem ex tali adipe.

Procul sit a me hujusmodi *adipis pinguedo*, qua « incrassatus, impinguatus, dilatatus » arguitur ille populus insipiens, et stultus, qui « dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo (*Deut.* XXXII, 15). » Sic arguitur et in Job ille impius, qui adversus Deum currit « pingui cervice (*Job* XV, 26), » cujusque de lateribus arvina dependet. Aod quoque ambidexter Eglon regem crassum nimis gladio ancipite occidit. Et Samuel Agag pinguissimum in frusta concidit. Quibus in dictis et gestis monemur cavere *adipem* sive *pinguedinem*, de qua prodit iniquitas : eam vero appetere, de qua sapienter psallens David ait : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea* : ut *adipe* in bono affectu pii cordis, et *pinguedine* in bono affectu sancti operis abundante *labiis exsultationis laudet os meum* largitorem talis adipis talisque pinguedinis, quam, dum peto dicens : *Sicut adipe, et pinguedine repleatur anima mea*, simul et votum facio subnectendo : *Et labiis exsultationis laudet os meum.*

Aliter : Ego verus David Christus *in terra deserta et invia et inaquosa*, *in terra* videlicet Judaica sitiens hominum salutem ; *Deus Deus meus*, *ad te de luce vigilans* oro pro toto corpore meo, quod est Ecclesia, ne et ipsa quasi *terra deserta*, *invia et inaquosa* fiat sicca et arida nullo germini vel bono fructui apta, sed potius pinguis et opulenta existat, cui superius irriguum sit pro *adipe*, inferius vero pro *pinguedine*. Intelligunt, quid dicam, qui de Axa filia Caleb antiquam norunt historiam, quæ cum a patre suo terram accepisset aridam, viro suo monente postulavit et irriguam : « Et dedit ei Pater suus irriguum superius et inferius (*Judic.* I, 15), » vel holocaustum pingue totum incenditur per vitam activam, quæ victrix libidinum victimæ comparatur.

(146) S. Greg. M., lib. VIII Moral. cap. 10.

Digitized by Google

Et ego igitur Christus, qui quasi terram aridam primo a Patre accepi synagogam, peto et irriguam, sanctam videlicet tam ex paucitate Judæorum, quam multitudine gentium constantem Ecclesiam, cujus arvum superius irriguum sit per vitam superna contemplantium, et inferius quoque sit irriguum per vitam bene in terrenis operantium. Vel sit irriguum superius per lacrymas de amore cœlestium venientes, et irriguum inferius per lacrymas ex reconfessione peccatorum et timore pœnarum venientes. Et quia in corpore meo magno, quod est Ecclesia, quidam sunt mihi pro carne *quam multipliciter* fragili tam multipliciter fovendi, quidam vero pro anima vegetante ac regente hujusmodi carnem, propter ipsius carnis firmandam salutem rogo pro anima, ut *sicut adipe et pinguedine repleatur* ex animæ pinguedine ipsa quoque caro pinguescat juxta illud : « Vos qui spiritales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis (*Gal.* VI, 1). » Quod idem est ac si dicatur : Vos qui quasi anima et spiritu idonei estis regere carnales et fragiles, ex *adipe* benigni affectus instruite hujusmodi in spiritu lenitatis procul semoto spiritu furoris, qui non instruit sed destruit. Spiritus iste furoris regnare habet in animabus macris et præ invidia vel odio tabescentibus et senescentibus, ut ille senior filius magis cupiens hædum quam vitulum saginatum, potius eligens cum amicis epulari quam cum patre ac invento fratre, malens in invidia sua tabescere quam in charitate fraterna pinguescere. Ut ergo macies invidiæ procul sit a membris meis, ego Christus, vel ego Ecclesia rogo, ut *sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea*, per quam regenda sunt carnalia membra mea, quibus impinguatis holocaustum pingue fiat plenumque convivium, fratre videlicet, qui perierat, invento per plenitudinem gentium et pœnitentium introductam, fratreque seniore placato et pacato in reliquiis Judæorum conversis vel etiam in reliquis mandata patris tenentibus, et in vinea bene laborantibus, attamen inde murmurantibus, et oculo nequam lippientibus, quod bonus est Dominus prodigos filios recipiendo, et de novissimis primos faciendo. Omnibus ergo istis in unum pacatis macies invidiæ procul absit, et *sicut adipe et pinguedine* charitatis Dei et proximi *repleatur anima mea*, ut ex *adipe* dilectionis Dei diligat ipsum Deum ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota fortitudine sua, et ex *pinguedine* dilectionis fraternæ diligat quisque proximum suum sicut seipsum. Qua pinguedine consummata exsultabit cor meum in Domino interius, *et labiis exsultationis laudabit os meum* exterius. Populus, qui te labiis honorat, sed cor ejus longe est a te, non habet *labia exsultationis*, quæ puræ conscientiæ comes est. At ego *David* sive in persona Christi sive in persona Ecclesiæ vel cujusque fidelis *labia exsultationis* in laudibus tuis, *Deus Deus meus*, ad quem *de luce vigilo*, aperire desidero et sitio ea siti, qua *sitit in te anima mea*, præcedit enim sitis habitura finem, succedet laudationis exsultatio non habitura finem, quo deficiat sed omnis consummationis finem, Christum, in quo nunc proficiat et in æternum non deficiat. Proin recte supra dixi præterito tempore : *Sitivit in te anima mea*, quia sitis hæc *in terra deserta, invia et inaquosa* nunc manens erit quandoque præterita, et futuri temporis verbo laudationis vota offero dicens : et *labiis exsultationis laudabit os meum*, quia « beati, qui habitant in domo tua, in sæculum sæculi laudabunt te (*Psal.* LXXXIII, 5). »

Alia littera sic habet : *Et labia exsultationis laudabunt nomen tuum*. Futurum, de quo loquimur holocaustum laudationis *in labiis exsultationis*, tunc erit consummatum, et velut revera juge sacrificium non auferendum in æternum, quando sic in sancto apparebo tibi, ut plene illuminatus videam virtutem tuam et gloriam tuam non per speculum et in ænigmate, sicut *in deserto Idumææ*, sed facie ad faciem, simul etiam cognoscendo non ex parte ut nunc, sed sicut et cognitus sum, *quoniam melior est misericordia tua super vitas*. Tunc, inquam, cessante siti cessabit oratio pernecessaria nunc in hoc deserto, invio et inaquoso. « In illa die, ait Veritas, non rogabitis quidquam (*Joan.* XVI, 23). » Desinet ergo tunc oratio, sed permanebit laudatio, in qua misericordias tuas, Domine, in æternum cantabo.

Nunc autem bene res agitur, si *labiis exsultationis*, adhuc multimoda tristitia quasi oppilatis, corde saltem vigili

VERS. 7. *Meditabor in te*, quod et promitto dicens : *Meditabor in te*, credendo in te, sitiendo in te. *Meditabor*, inquam, non contra te ut rebellis, sed *in te* utpote obediens et humilis. *Meditabor in te*, quando? *In matutinis* vel ad litteram de luce vigilans ad te, vel *in matutinis*, id est lucidis operationibus, quæ recte intelliguntur per mane, quo quisque operarius incipere solet opus, maxime is, qui primo mane fuerit conductus. Moraliter quoque *in matutino* operatur, qui Christo tanquam luce monstrante bona operatur : sed econtra in nocte qui mala. Nam « omnis qui male agit, odit lucem (*Joan.* III, 20). » Abjiciens ergo opera tenebrarum *in matutinis*, id est in lucidis operibus *meditabor in te ; si* tamen præveniente gratia tua prius *memor fui tui super stratum meum*. Nam si oculus intentionis *memor tui super stratum*, in requie scilicet vel otio fuerit simplex non desiderando quidquam præter te, consequenter totum corpus operationis erit lucidum seu matutinum. Et ideo veraciter affirmo quod *si memor fui tui super stratum*, etiam *in matutinis meditabor in te*, gratias videlicet agendo, tibique opus lucidum ascribendo.

VERS. 8. *Quia fuisti adjutor meus*, ut quod in stratu meo te seminante cogitavi ante lucem operum, procederet in effectum lucidum et matutinum te operante non solum velle sed et perficere, velle in strato, perficere in matutino ; velle in intentione,

Digitized by Google

perficere in actione ; quod omnino mihi esset impossibile *in deserto Idumææ*, nisi *quia fuisti adjutor meus* tu, qui potens es non solum ad adjuvandum in bonis, sed etiam ad protegendum a malis.

Unde et confidens in tua defensione *in velamento alarum tuarum exsultabo*. Pullus sum, et si me non protegis tegmine alarum tuarum, persequente Saule me David, persequente morte me Christum, persequente peccato vel diabolo me christianum, quasi milvus rapiet Saul, mors, diabolus, contra cujus rapaces ungues *in velamento alarum tuarum* securus *exsultabo*. Nondum plene præsentialiter exsulto, quandiu inter pericula *Idumææ* laboro, sed in futuro *exsultabo* plenarie, nunc tamen aliquantisper initiata exsultatione mea per hanc certitudinem, qua certus sum eos, qui corpus occidunt, animam non posse occidere, cujus tu, *Deus meus*, ad quem *de luce vigilo*, vita es. Etenim sicut corpus adhærens animæ habet inde vivere, sic

Vers. 9. *Adhæsit anima mea post te*, ut habeat ex te vivere. *Adhæsit*, dico, propter gluten charitatis ; *post te*, dico, propter ordinem sanctæ humilitatis, ut intelligatur charitas ordinata creaturæ ad Creatorem, dum sane inferior natura superiori et adhæret per charitatem, et subesse vel postesse insinuatur per humilitatem. *Adhæsit anima mea post te*, ita ut præ se diligat te, atque imitando sequatur te. Non præsumet anima mea te præcedere dando tibi consilium sicut Petrus, qui dissuasit tibi contumelias passionis dicens : « Vide ne fiat tibi istud (*Matth.* xvi, 22). » Propter quod increpatus a te didicit postea sequi te, juxta quod dixisti ei : « Vade post me, Satanas. » Et alibi : « sequere me ; » item : « tu me sequere (*Joan.* xxi, 19, 22). » His documentis informatus ego christianus jam te Christum nolo præire suggerendo tibi aliquod consilium novum tuo antiquo consilio contrarium, sed explorato beneplacito tuo, quod expressum est in Scripturis veritatis, adhærere tibi bonum est mihi, *post te* ire tuæque voluntati acquiescere per charitatem et humilitatem dignum et justum est, quia per has duas virtutes *me suscepit dextera tua. Me*, id est naturam meam *suscepit dextera tua*, id est Filius tuus in unitatem personæ. Vel *me*, id est personam meam *suscepit dextera tua* Filius tuus in unitatem corporis sui, quod est Ecclesia. Jure itaque *anima mea*, id est vita mea sic *adhæret post te*, ut diligat et sequatur te semper frangendo propriam voluntatem per tui charitatem, semper sequendo tuam voluntatem per humilitatem.

Aliter : *Adhæsit anima mea post te.* Anima mea, quam ponendi et iterum sumendi potestatem habeo ego verus David, quanquam *in deserto Idumææ* tristis esset usque ad mortem, velletque pro humanæ carnis fragilitate vitare calicem passionis dicendo : « Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste : » tamen, adhæsit post te subdendo : « Verumtamen non sicut ego, sed sicut tu vis (*Matth.* xxvi, 39) » Hoc plane fuit *animam meam adhærere post te*, voluntatem suam frangere, tuæque voluntati obedienter acquiescere. Quo facto exemplum dedi sectatoribus meis, ut et ipsi faciant similiter, simili videlicet obedientia, non tamen simili vel æquali potentia, quia nullus eorum potestatem habet ponendi animam suam, et iterum sumendi eam, sicut ego, cujus *anima adhæsit* sic *post te*, Deus Pater, in me Verbo tuo, ut possit omnia, quæcunque voluerit, in tua potentia, quæ illi non particulariter, sed totaliter est insita. Verumtamen licet exaltata in summam tuæ ac meæ Divinitatis potentiam, suæ conditionis non amittit essentiam. Si enim aquæ modica gutta multo vino infusa non amittit sui humoris essentiam vino conformata, multo magis ex quo adhæsit anima mea post te Deus immenso quasi pelago Divinitatis tuæ absorpta, non ut non sit, sed ut optime sit se assumenti Divinitati conformata, maxime absorpta morte corporis ejus in resurrectionis gloria, suam retinet essentiam, secundum quam *post te* sistitur in ordine conditionis, licet in throno majestatis tuæ tibi consedeat et conregnet in omnipotentia collatæ sibi glorificationis, in qua *me suscepit dextera tua*, collocata et exaltata jam *in dextera tua* humanitatis meæ tota natura carne simul cum anima. Talis tam potens est anima mea dominando etiam in medio inimicorum suorum.

Vers. 10, 11. *Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam.* Ipsi, nominetenus Judæi, sed revera Idumæi *quæsierunt animam meam*, nescientes quod nemo eam tollere posset a me invito ; sed ego voluntarie posui eam, et iterum sumpsi eam. *Quæsierunt* tamen tollere animam meam, sed *in vanum*, quia conatus eorum non habuit effectum, qualem voluerunt, sed qualem noluerunt. Nam cum voluisset custodito sepulchro in inferioribus terræ, atque sub terra me detineri, non ita evenit, quia nec anima mea in inferno detineri potuit, quæ solutis doloribus inferni cum spoliis multis inde rediit, neque corpus meum in sepulcro teneri potuit, quod cum potentia magna terræ motu facto surrexit, et de inferioribus terræ super omnes cœlos usque ad altissimum thronum paternæ celsitudinis ascendit. *Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ* tam secundum animas in infernum trahendas, quam secundum corpora in terram itura, et lege communis conditionis, qua dictum est homini : « Terra es, et in terram ibis (*Gen.* iii, 19), » et privilegio singularis damnationis, qua *tradentur in manus gladii* Romanorum, et *partes vulpium erunt*. Nam et qui gladio supererunt, *partes vulpium erunt* in prædam cedendo Romanis principibus dolosis, ut fuit Herodes tetrarcha, de quo Dominus dicit : « Ite, dicite vulpi illi (*Luc.* xiii, 32). » Et qui gladio, fame ac peste morientur in sua perfidia, *partes erunt vulpium*, id est, malignorum spirituum, qui rapient eorum animas *in inferiora terræ*, id est, in infernum trahendas, ibique in æternum puniendas, atque ut duplici contritione conterantur, suis corporibus universali resurrectione

Digitized by Google

induendas, et cum diabolo et angelis ejus in die judicii perdendas.

Aliter, populus Dei peculiaris, quem constituit Dominus super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo, quia dereliquit Deum factorem suum et recessit a Deo salutari suo eligendo sibi Barrabbam seditiosum, justo judicio seditionibus dissipabitur, et de excelsa terra func captivitatis trahente *introibit in inferiora terræ*, ut per omnem terram, quæ aperuit os suum et suscepit sanguinem Christi de manu ejus, ita sit maledictus juxta imprecationem legis, ne habeat terram excelsam, quæ tales evomere solet, sed *introeat in inferiora terræ* vix obtinendo inter gentes quasdam viculorum seu platearum contemptibiles extremitates, et sit semper *subtus*, et non *super*, utpote non habendo regem nisi Cæsarem, non habendo suæ gentis principem, sed alieno, et quod amplius eos torquet, christiano imperio subjaceant ipsi, qui, sicut *in vanum quæsierunt animam* regis invictissimi, qui venit in nomine Patris sui Dei omnipotentis : ita *in vanum* exspectant alium in nomine suo venturum, et, sicut somniant, suam sibi excelsam terram restituturum. Non ita erit. Nam cum venerit, oportet illum breve tempus manere, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui, et ipse pariter cum reliquis impiis *introibit in inferiora terræ* mittendus in stagnum ignis ardentis pice ac sulphure. Affectabit quidem sibi Dominus super excelsam terram, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus, imo non contentus hac rapina, qui se arbitratur æqualem Deo, extolletur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, factus adeo præsumptuosus et arrogans, ut nullum timeat. Sed velit nolit, ab excelsa terra tales evomente seclusus *introibit in inferiora terræ*, *tradeturque in manus gladii*, ut habens plagam *gladii*, plagam anathematis velit nolit *introeat in inferiora terræ* vel regno simul et vita privatus in his, qui pereunt, ut apostata Julianus et Constantius arianus, vel certe ad pœnitentiam humiliatus in his, qui convertuntur et male affectato dominatu privati in inferiora terræ cogentur introire, ut discant non superbire, discant a regibus gentium rectores Ecclesiarum longe distare debere, atque uni Regi regum subjacere, cujus regno et imperio quicunque audent recalcitrare, velint nolint *introibunt in inferiora terræ*. Etiam Romanæ urbis quosdam pseudopontifices ita vidimus *in inferiora terræ* diebus nostris *introeuntes*, ut videlicet traditi Satanæ *in manu gladii* cito desinerent principari, quorum novissimus et præcipuus erat Petrus Leonis Innocentio papæ II superpositus et in templo Dei ostentatus, tanquam si esset Deus, tanquam si esset sacerdos legitimus, quoniam et sacerdotes dii vocantur, et omnes ad quos factus est sermo Dei. Verum pseudochristi et pseudoprophetæ falso glorientur in sacerdotio vel in prophetiæ Deitatis nomine, A cum sint ipsi vulpeculæ, ac *partes vulpium*, quæ rectius in inferioribus terræ foveas habent quam culmen regiminis ecclesiastici fraudulenter seu violenter occupent.

Vers. 12. *Rex vero lætabitur in Deo, et laudabuntur omnes, qui jurant in eo.* Rex ille, cujus regnum licet non sit de hoc mundo, est tamen in hoc mundo, sicut et in cœlo, rex Christus, rex Judæorum, qui habet in vestimento et in femore suo scriptum : *Rex regum, et Dominus dominantium* (*I Tim.* VI, 15), qui regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis ; rex, inquam, diademate spineo coronatus, et usque ad mortem tristis *in deserto Idumææ* factus, nunc a morte resuscitatus *lætabitur in Deo* : quod enim vivit, vivit Deo, et est B ipse Deus in Deo, sicut ait : « Ego in Patre, et Pater in me est (*Joan.* XIV, 10, 11). » Quod, cum ante passionem suam vere dixerit homo, qui ab initio suæ conceptionis Deus in Deo Patre mansit, non tamen plena super hoc lætandi ratio causa fuit, quandiu Deus in hominem potius exinanitus, quam homo in Deum glorificatus apparuit. At nunc mortali ad tempus homine in immortalem Deum clarificato ea claritate, quam habuit ipse Dei Filius, priusquam mundus fieret, recte homo in Divinitatis gloriam provectus *lætabitur in Deo*, accepta jam potestate regnandi ubique sicut ait : « Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra (*Matth.* XXVIII, 18). » Potestatem hanc in divinitate sua semper habuit, sed in humanitate sua rex iste accepit a Deo, C et ideo recte, *lætabitur in Deo*.

Et *laudabuntur omnes, qui jurant in eo.* Non dico laudandos, *qui jurant per eum*, vel aliud *quodcunque* juramentum, quod ipso rege testante a malo est, et non tam laudabile quam tolerabile est, etiam quando verum est, quando non malum, sed a malo est : vituperale vero, quando falsum, et non solum a malo, sed et malum est ; non, inquam, sic jurantes laudo, seu laudandos prædico, quia juramentum, etsi utcunque permittitur, non tamen laudatur a rege ipso, sed *omnes qui jurant in eo*, jure laudandos prædico, quia non est aliud *jurare in eo*, quam irretractabiliter perseverare in bono promisso illi facto sive in baptismo sive in arctiori sanctitatis D proposito. Qui enim fideliter persolvunt, quod ei pie voverunt, velut juramento quodam fœderati amici ejus agnoscuntur, et ideo *laudabuntur* : sicut e contrario, qui eum dictis et factis, aut etiam solis factis negant, minime sunt laudabiles neque audiendi sunt in curia regis hujus vel malorum laudatores vel bonorum vituperatores.

Quia obstructum est os loquentium iniqua, non solum Judæorum regem hunc negantium, sed etiam quorumlibet perversorum dicentium vel bonum malum vel malum bonum, ponentium tenebras lucem, et lucem tenebras, dicentium dulce amarum, et amarum dulce, condemnantium justos, et justificantium impios. Talium *os obstructum est* modo ex parte, ut quasi de humo eloquium eorum mus-

Digitized by Google

sitet, et quasi Pythonis vox eorum sic contemptibilis, nec auditores benivolos inveniat in medio Ecclesiæ, quanquam in angulis occulte susurret. Verum peracto extremo judicio, in quo *laudabuntur* ab ipso Rege *omnes qui jurant in eo*, dicente ipso : « Venite, benedicti Patris mei, etc. (*Matth.* xxv, 34). » Sic *obstructum* erit *os loquentium iniqua*, ut ultra in æternum sit eis impositum silentium profundum. Nam extunc « impii in tenebris conticescent (*I Reg.* II, 9), » et ore maledico penitus obcluso in tormentis suis contabescent. In ipso quidem judicio habebunt aliqua dicere, verbi gratia, quando « mirabuntur in subitatione insperatæ salutis dicentes intra se, pœnitentiam habentes, et præ angustia spiritus gementes : hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est (*Sap.* v, 2 et seqq.). » Item : « Quando te vidimus esurientem, et sitientem, et non ministravimus tibi? (*Matth.* xxv, 44.) » Item servus malus, et piger abscondens pecuniam Domini sui ad excusandas excusationes in peccatis aliqua loquetur in judicio, quando *laudabuntur omnes*, qui bene sunt negotiati, et de pecunia sibi credita laudabiliter lucrati.

Sed peracto, ut dictum est, judicio penitus *obstructum* erit *os loquentium iniqua*, et impii in tenebris conticescent. Tunc enim Rex iste imperator universalis imperabit ventis et mari, vel sicut in Marco legitur, ventis comminando increpabit mare, dicens : « Tace, obmutesce (*Marc.* IV, 39) ; » fietque ab hinc tranquillitas magna nullo unquam sonitu maris et fluctuum perturbanda. Contingit et rege isto miserante, ut sic obstruatur *os loquentium iniqua*, sicut obstructum est os blasphemi Sauli, et apertum est os Pauli : « Qui prius, » inquit, « fui blasphemus et persecutor, nunc autem misericordiam consecutus sum (*I Tim.* I, 13). » Prædicante quoque Petro apostolo sic obstructum est os loquentium iniqua, Judæorum videlicet sanguine Christi cruentatorum, ut ex eis una die tria millia, et alia die quinque millia converterentur, et regem Christum, quem ore iniquo negaverant, palam confiterentur, ut omnia sua pedibus apostolorum apponerent, et non sibi, sed regi suo Christo viverent habentes cor unum et animam unam in Deo. Unde merito inter illos *laudabuntur*, *qui jurant in eo*, *quia* laudabiliter *obstructum est os loquentium iniqua*, dum cœperunt, nec ultra cessaverunt loqui Deo placita et proximis utilia.

Gloria Patri Deo, ad quem de luce vigilatur ; *gloria Filio*, qui in se ac suis membris vigilat, suisque vigiliis misericordias super vitas meliorem suis membris impetrat. *Gloria Spiritui sancto*, qui est hæc ipsa misericordia in judicio exaltanda super omnes vitas, quibus Deus distinxit creaturas, aliis dando, ut vivant et non sentiant, aliis ut vivant et sentiant, aliis ut vivant, sentiant et discernant. Quibus differentiis inter se discernuntur arbores, pecudes et homines, qui soli omnes vitas in se colligunt, quia cum arboribus vivunt, cum pecudibus vivunt et sentiunt, cum angelis vivunt et discernunt. Sit igitur gloriosa Dei misericordia super vitas istas benigna, ut salvetur in omnibus ad vitam æternam prædestinatis natura humana vitas omnes complexa. Sit gloria immensa Deo trino æternaliter viventi, et vitas hominum sua gratia temporaliter disponenti. Amen.

PSALMUS LXIII.

Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor, etc.

Titulus :

(Vers. 1.) IN FINEM PSALMUS DAVID ;

Patet. Psalmus iste breviter de passione et resurrectione Christi commemorat. Primo Christus orat enumerans quasi jam facta mala quæ pertulit. Secundo irridet sævitiam Judæorum commemorans quod nuntiata resurrectione magis turbati sunt, ibi : *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum.* Intentione docet nos in Deo sperare, cum patimur. Non solum autem ex solo capite, sed etiam ex corpore loquitur Christus et ait : *Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor, a timore inimici eripe animam meam.* Cujus exemplo et ille certator commonetur orare, qui inter spem pugnans et metum nescit, utrum tela tentationum veluti *sagittæ parvulorum* sint ab eo per loricam justitiæ repellendæ usque *in finem* titulo prænotatum nec ne. Si enim ipse, qui præscius erat futuri, orare voluit, quanto magis illi, qui incerti sunt, sedulo dare debent operam orationi, ut eripiantur *a timore inimici* visibilis seu invisibilis, ne cedant in persecutione inimici, ne cadant vel desperent in tentatione diaboli. Idcirco tali hanc orationem conclusit fine : *Lætabitur justus in Domino et sperabit in eo, et laudabuntur omnes recti corde.* Sed ante hunc lætum finem psalmi hujus percurramus textum gemitosum.

Vers. 2. *Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor.* Quid inter orationem et deprecationem intersit, patet, quamvis alterum pro altero soleat poni. Orans igitur pro bonis obtinendis, et deprecans pro malis amovendis voce propria et voce martyrum ego Christus peto exaudiri *orationem meam, cum deprecor*, sive ut alia translatio habet : *cum tribulor.* Dico ergo : *Exaudi, Deus*, Pater, *orationem meam* dans bona, *cum tribulor* inter mala, sive *cum*

Digitized by Google

deprecor petens auferri mala ipsa. Tu superabundanter quam peto, *exaudi* largiendo bona malis, quibus tribulor, contraria. Et quia inter mala tribulantia nihil nocentius, quam timor mundanus divino timori contrarius, tu, Deus, exauditor justæ orationis, *a timore inimici eripe animam meam.*

In Hebræo legitur : *A timore inimici serva vitam meam.* Scio enim quod sicut qui amat animam seu vitam suam plus quam te, non est te dignus : ita et qui timet aliquid plus quam te, non est te dignus. Ab hujusmodi ergo *timore animam*, seu *vitam meam* serva, ne incidat in ejus laqueum, vel si forte inciderit, *eripe illam*, ne teneatur. *Eripe* non tam ab *inimico* quam a *timore inimici*, non ut non habeam inimicum, sed ut non timeam inimicum ; non ut non occidar, sed ut te timens non timeam eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. Non rogo ut caream inimico, sed ne absorbear ab inimico. Qui enim timens inimicum sciens te offendit propter ipsius timorem, vivens et vigilans absorptus est : quod si nescienti acciderit, mortuus vel dormiens absorptus est. Alii vivi, alii mortui absorpti sunt in tempestate persecutionis. Nam qui scientes veritatem fidei catholicæ, tamen timore vel dolore tormentorum victi negaverunt, vivi absorpti sunt. Qui autem nescientes veritatem negaverunt, mortui absorpti sunt. Qui plus Deum quam hominem timuerunt, potius cavendo iram ejus qui potest animam et corpus mittere in gehennam ignis, quam iram hominis, in solum corpus occidendi potestatem habentis, absorberi non potuerunt, vel si ad horam sunt absorpti, ut Petrus negans vel Jonas inobediens, cito eos bestia viventes coacta est revomere, quos obstante remedio pœnitentiæ sibi non potuit incorporare. Nam quia et Jonas in ventre ceti oravit, et Petrus in periculo negationis flevit amare, utrumque bestia crudelis revomuit, alterum visibiliter pro exemplo manifestæ pœnitentiæ, alterum invisibiliter pro exemplo secretæ pœnitentiæ. Etenim quia Jonas a nautis increpatus culpam suam recognovit, eorum præostendit formam, qui manifesta sorte sententiæ judicialis deprehensi agunt pœnitentiam, redeuntque ad intermissam obedientiam libenter ferendo indictam sibi pœnitentiam, quomodo ille suomet judicio traditus periculo maris, ac destitutus auxilio navis in interitum carnis egit pœnitentiam, tandemque liberatus a timore vano, quo Niniven subvertendam et Judæam deserendam nimis timens exorbitaverat, rediit ad pœnitentiam portans legationem duram. « Adhuc, » inquit, « quadraginta dies, et Ninive subvertetur (*Jon.* III, 4). » Non sic locutus fuisset, nisi timorem vanum timor sanus expulisset. Nempe sanus timor fuit, quo plus timuit offensam Dei incidere tacendo quam hominum loquendo.

Porro apostolus Petrus, non homine increpante, sed Christo ipsum respiciente compunctus, eorum pertulit formam, qui secreta compunctione divinitus attacti agunt pœnitentiam flendo amare, quod victi humano timore vel suæ vitæ allecti nimis amore diverterunt a rectitudine, ad quam redire omnino est impossibile, nisi *a timore inimici* animus pœnitens evacuetur, et timore Domini repleatur. Si enim de unigenito Filio Dei forma servi humiliato scriptum est, quod « replevit eum Spiritus timoris Domini (*Isa.* XI, 3), » quomodo nos miseri de servitio peccati sanguine illius redempti, et adhuc ab ipso judicandi aliquomodo securi erimus vel esse poterimus, ita ut non repleamur Spiritu timoris Domini? Sed revera hunc Spiritum timoris accipere, illoque repleri non possumus, nisi *a timore inimici* liberemur, quomodo liberatus est Petrus ita perfecte, ut jam non timeret mundi dominam Romam, qui sacerdotis expaverat ancillam. Repletus etenim timore Domini mori non timuit pro veritatis confessione, quam ad tempus negando intermisit, et quia inimicum cœtum Pharisaicum nimis timuit, et quia se nimis amavit. In nimirum quisquis occupatur inordinato et nimio *timore inimici*, simul occupatur et inordinato ac nimio amore sui. E diverso autem, quisquis caret inordinato inimici timore, caret simul et inordinato sui amore. Timendus ergo est iste timor quo plus inimicus quam Deus timetur, quia simul plus mundus quam Deus amatur, et sic omnis, qui voluerit esse amicus sæculi, inimicus Dei constituitur. Sic e converso mundus odit, quos Christus diligit, suique timoris et amoris infusione a mundo secernit. « Si de mundo, » inquit, « fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret. Nunc vero, quia de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus (*Joan.* XV, 19). » Vide nunc et pensa quantorum malorum fomes est inordinatus timor, qui te mundi faciens amicum Dei constituit inimicum, sicut e converso timor ordinatus Dei facit amicum. Proinde ut ordinato repletus timore creas inordinato, nec timens non timenda sis timidus, sed timens timenda timoratus ut ille Simeon « justus et timoratus (*Luc.* II, 25), » ex totis precordiis ad Deum clama, dicens : *A timore inimici eripe animam meam.* « Confige timore tuo carnes meas (*Psal.* CXVIII, 120), » ut sub timore tuo servus, et *a timore inimici* liber plenus ordinato timore consequenter adimplear ordinato quoque amore, quoniam sicut acus aut seta filum, sic timor ordinatus ordinatam introducit charitatem, de qua sponsa in amoris cantico dixit : « Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem (*Cant.* II, 4). » Sola est charitas ordinata, quæ inordinatum foras mittere timorem sit idonea. Et ideo cum dico tibi Deus meus : *A timore inimici eripe animam meam*, postulo a te charitatem ordinatam, quæ foras mittat timorem. Charitas enim cum sit fervida, non ædificat, nisi fuerit ordinata. Importabilis siquidem zelus est charitatis absque virtute discretionis a virtutibus vitia distinguentis, et ipsas virtutes in ordine suo disponentis. Ubi

Digitized by Google

ergo vehemens est charitatis æmulatio, ibi maxime discretio necessaria, quæ est ordinatio charitatis. Semper quidem zelus minus absque scientia efficax, minusque utilis invenitur, plerumque autem et perniciosius valde sentitur. Quo igitur ferventior ac vehementior spiritus, profusiorque charitas, eo vigilantiori opus scientia est, quæ zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem. Proinde *a timore inimici* orans ego Christus liberari *animam meam*, peto mihi et membris meis dari charitatem ordinatam vitia expugnantem, et virtutes pro causarum qualitatibus apte ordinantem, quas minime ordinaret, nisi ordinata primitus ipsa foret foras pulso *timore inimici*, qui tunc acrius infestat, quando non unus malignus, vel pauci mali, seu etiam plures ab invicem dissidentes, sed multi malignantes, et in hoc unanimes impugnant, sicut astiterunt reges terræ et principes convenerunt in unum adversus te Dominum, et adversus me Christum tuum. Sed quid profecerunt suæ malignitatis conatu? Nihil omnino. Quod viribus meis humanis ego Christus, vel ego Christianus non tribuo, sed muneri divino, quoniam tu Deus

A

B

Vers. 3. *Protexisti me* hominem *a conventu malignantium*, id est consilia mala machinantium, *et a multitudine operantium iniquitatem. Protexisti me a conventu*, qui non erat in paucitate, sed in multitudine, non solummodo in corde *malignantium*, sed etiam in actu *operantium iniquitatem*. Quæ major iniquitas, quam ex invidia persequi et occidere hominem nihil mali, et multa bona facientem? Multi martyres talia passi sunt. Sed in ipso capite martyrum melius elucet, quod isti experti sunt, quos Domino parum fuit hortari verbo, nisi firmaret exemplo tam passionis quam orationis. Passus est ipse *a conventu malignantium, et a multitudine operantium iniquitatem* se affligi, docens in hoc te similiter pati, oravit, atque orans obtinuit se adeo protegi. Ora et tu a similibus, et similiter protegi, atque cum te protectum senseris, age gratias Deo, dicens : *Protexisti me a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem*. Et ne forte quis putet absque causa dictos operantes iniquitatem, qui me Christum suis manibus non crucifixerunt, ostendo qualiter operati sunt iniquitatem non manu, sed lingua :

C

D

Vers. 4. *Quia exacuerunt linguas suas ut gladium*, quando aperte clamaverunt : « Nos legem habemus, et secundum legem nostram debet mori, quia Filium Dei se fecit (*Joan.* xix, 7). » Item : « Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris (*ibid.*, 12). » Item : « Reus est mortis (*Matth.* xxvi, 66). » Item : « Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum (*Joan.* xviii, 30). » Talia dicentes *exacuerunt linguas suas ut gladium*, perficiendo videlicet homicidium lingua venenosa, quod milites perfecerunt manu cruenta. Illi hora tertia crucifixerunt linguis, quem sexta hora crucifixerunt milites ligno et clavis. Unde in evangelica narratione alias hora tertia, et alias sexta hora legitur crucifixus, ut tam lingua quam ligno crucifigentium notetur unum et idem sacrilegium in occisione summi pontificis omni macula carentis, et pro ipsis etiam inimicis orantis. At illi pro bonis mala reddendo *intenderunt arcum*, non contenti videlicet gladio linguæ aperte, nisi et arcu dolositatis insidiose ferirent, *intenderunt* suis consiliis *arcum rem amaram* quantalibet verborum dulcedine fucatam. *Res amara* dulcedine verborum celabatur, cum dicerent : « Magister, scimus quia verax es, etc. (*Matth.* xxii, 16). » Paraverunt enim sagittas suas in pharetra, ut quidquid diceret, sagittaretur, et quasi reus teneretur vel adversus Cæsarem, si tributa dari prohiberet, vel adversus populum, si concederet. Mulierem quoque in adulterio deprehensam sic obtulerunt, ut quidquid de illa judicaret, judicaretur ab illis iniquum vel adversus legis justitiam, vel adversus eam, quam ipse docebat, misericordiam. Sed si frustra jacitur rete ante oculos pennatorum, quanto magis ante oculos Herodii ducis eorum? Nam quod illi omnia videnti struunt insidias, tale est ac si laqueos innectant radiis alti et meridiani solis, ut eum de cœlo in terram trahant, vel quasi flatu suo iguem solis ardentis et ardore suo terram calefacientis exstinguere moliantur. Nesciunt miseri se incassum niti. Et ideo sicut suis consiliis *intenderunt arcum rem amaram*, ita etiam

Vers. 6. *Subito sagittabunt eum, et non timebunt. Subito* velut ex improviso, cum ille omnia videat, *sagittabunt* scelus machinantium perducendo ad effectum *et non timebunt. Sagittabunt* hominem, *et non timebunt* Deum, *sagittabunt* hominem tradentem judicanti se injuste, *et non timebunt* eumdem Deum judicaturum justos et injustos juste in magna majestate, sicut ipse protestatus est ante judicem Pilatum judicantem se injuste. « Verumtamen, » ait, « amodo videbitis Filium hominis venientem cum potestate magna, et majestate (*Matth.* xxvi, 64). » Talia dicentem *sagittabant eum, et non timebant*, quoniam ex hoc ipso veritatis testimonio quasi testem falsum vel blasphemum condemnantes, *firmaverunt sibi sermonem nequam*. Repetitio confirmatio fuit, qua dicentes, « crucifige, crucifige (*Luc.* xxiii, 21) » *firmaverunt sibi sermonem nequam. Firmaverunt* non veritatis assertione, sed malignitatis obstinatione. Vel *firmaverunt sibi sermonem nequam* dicendo : « Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Matth.* xxvii, 25). » Hunc *sermonem nequam*, sive malignum *firmaverunt sibi*, id est ad damnum suum sibi suisque posteris nociturum tanta sententiæ firmitate, ut cum illo sanguine veniat super eos omnis sanguis justus, qui effusus est a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ. Dixi, quod *intenderunt arcum rem amaram*. Nunc dico, qualiter intenderunt, hoc modo scilicet: *Narraverunt ut absconderent laqueos*. Collegerunt enim concilium et dicebant : « Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? etc. (*Joan.* xi, 47.) » In

Digitized by Google

illo concilio malignantium laquei fuerunt absconditi per illud, quod dicebant : « Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent nostrum et locum et gentem (*Joan.* XI, 48). » Quia ergo pro fidelitate Cæsaris pro defensione loci excellentis et electæ gentis illum interficiendum simulato timore finxerunt, in hoc *laqueos absconderunt*, ut vix aliquis intelligeret, quod ex invidia illum interficerent. Ideo *dixerunt : Quis videbit eos, laqueos* scilicet sic absconditos? Non tradatur, inquiunt, per nos, sed per discipulum. Non occidatur a nobis, sed a judice ac militibus ejus, omnia hæc ita per alios faciamus, ut nihil fecisse videamur. Ita *laqueos* abscondamus dicendo : « Nobis non licet interficere quemquam (*Joan.* XVIII, 31), » ut, cum fuerit captus et ligatus laqueis nostris, nemo agnoscat quod ad nos culpa mortis ejus pertineat, vel quod nos laqueos posuerimus, quibus detentus fuerit. Nam *quis videbit eos?* Quis poterit cavere, si sic faciemus? Sic

VERS. 7. *Scrutati sunt iniquitates*, id est quomodo justum perderent, ne mundus post eum abiret, cum quasi per æquitatem rationabilis judicii cum iniquis reputatus, et inter latrones quasi malefactor suspensus ita periret : ut etiam nomen perderet. « Quando, » inquiunt, « morietur, et peribit nomen ejus? (*Psal.* XL, 6.) » Non erant contenti eum interficere, nisi et nomen quoque ipsius possent abolere. Ideo excogitata est mors ignominiosa, ut morte turpissima condemnatus, et inter iniquos reputatus nullum deinceps bonæ memoriæ nomen haberet, nec aliquis crederet venisse illum benedictum in nomine Domini (quod illi acclamaverant pueri) cum videretur pendens in ligno, quia lex dicit maledictum, qui pendet in ligno. Sic simulabant se famulari præcepto legis maledicendo et seductorem nominando eum, qui pependit in ligno, tanquam simulata æquitas non sit iniquitas, cum simulata æquitas sit duplex iniquitas, quia, dum simulatio æquitatis jungitur iniquitati, non iniquitas annihilatur, sed duplicatur, cum et ipsa simulatio magna sit iniquitas, maxime, quando per eam defenditur et roboratur altera iniquitas.

Omnia ista machinamenta callide scrutando nihil profecerunt, sed potius *defecerunt scrutantes scrutinio*, id est excogitantes acerba consilia, quæ non potuerunt stabilire. Hujusmodi enim quanto acutius cogitant, tanto a veritate et æquitate deficiunt mersi in tenebris, ubi non vident Deum, et putant se non videri a Deo : videntur tamen a Deo, qui ab eis reputatur homo, et non Deus, cum sit ipse Homo Deus ex divino suo consilio ad suæ humanitatis passionem spontaneus. Unde :

VERS. 8. *Accedet homo ad cor altum*, id est humana in ipso voluntas jungetur et subdetur divinæ voluntati, sicut dicit : « Pater, non sicut ego volo, sed sicut tu vis (*Matth.* XXVI, 39). » Ergo *accedet homo ad cor altum*, quia humana voluntas jungitur ad divinum consilium, ut velle humanum atque divinum fiat omnino unum in una eademque persona Dei et hominis Jesu Christi absorpta humanæ voluntatis mutabilitate in divinæ voluntatis æternam stabilitatem, in qua semper ruit *cor* Dei *altum*, priusquam accederet cor hominis humillimi ad ipsum, quo accessu voluntariæ obedientiæ ac subjectionis meruit exaltari tota natura hominis juxta illud : « Propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen (*Philipp.* II, 9). » Igitur *accedet homo ad cor altum*, quo dicto notatur obedientiæ meritum.

Et exaltabitur Deus, quo dicto notatur summæ celsitudinis præmium. Si enim justo judicio Dei : « Omnis, qui se humiliat, exaltabitur (*Luc.* III, 5), » non mirum quod is, qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit, formam servi humiliavit, præ cæteris forma servi humiliavit, præ cæteris est in eadem forma servi exaltatus, et confessione omnis linguæ glorificandus et exaltandus, atque in summa gloria Dei Patris venerandus etiam *in illa* natura, quæ *ad cor altum* accedendo fuit humiliata. Videretur fortasse rectius dici : *Exaltabitur homo* in prophetia, quam *exaltabitur Deus*, qui cum sit naturaliter altissimus Altissimi Filius, non potest *exaltari* altius. Mortalis autem homo in Deum immortalem nunc exaltatus recte per Prophetam poterat prædicari exaltandus. Verum quia futuri erant hæretici, qui divinitatem sic assignarent Verbo assumenti hominem, ut eadem spoliarent assumptum hominem, sicut Nestorius et Bonosus, quorum alter nulla ratione, alter adoptione sola dumtaxat hominem Deum prædicari concessit, prævenicas eosdem et similes eorum Spiritus veritatis, non tam Verbo semper altissimo, quam homini post obedientiam exaltato nomen Dei, quod est super omne nomen, attribuit dicens : *Accedet homo, et exaltabitur Deus.* Etenim hæc est hominis vera et ineffabilis exaltatio, ut honorificetur summi Dei summo nomine, quod est super omne nomen. Cæteri homines electi, qui nominantur dii sive filii Dei per adoptionis gratiam, pro magno divini muneris beneficio habeant se hoc nomen accepisse ad mensuram distribuente Spiritu sancto singulis prout vult. Cui autem non ad mensuram datus est idem Spiritus quique de Spiritu sancto est conceptus, unde et summi Patris, cujus idem Spiritus amor est, recte Filius dicitur per generationem, non per adoptionem, quanto differentius præ cæteris nomen Filii Dei hæreditavit, tanto excellentius nomen Dei habuit homo, ex quo in virgine conceptus fuit. Sed quoniam accedendo *ad cor altum* sic humiliavit se ipsum, ut nomen Dei videretur in eo exinanitum, quando, qui Deus erat, habitu inventus est ut homo infirmus, non ut Deus fortissimus : recte sicut in accessu ejus *ad cor altum* veneramur in cruce hominem humiliatum, et Deum exinanitum, sic a throno gloriæ Paternæ Deum exaltatum, et hominem prædicamus absorptum, non quod homo jam homo non sit, sed quod manente hominis natura sit in summa Divinitatis gloria. Unde sicut in pas-

Digitized by Google

sione sua Deus impassibilis exinanitus fuit et quasi disparuit, sic in glorificatione sua homo jam divina impassibilitate impassibilis, divina immortalitate immortalis, quasi exinanita humanitate recte nominatur Deus exaltatus. Unde Hilarius libro nono (*Num* 6) De Trinitate : « Cum, » inquit, « aliud sit ante hominem Deus, aliud sit homo et Deus, aliud sit post hominem et Deum totus homo, totus Deus, non confundas temporibus et generibus dispensationis sacramentum, cum pro qualitate generum ac naturarum alium in sacramento hominis necesse sit sermonem fuisse non nato, alium adhuc morituro, alium jam æterno : » Et post aliqua (*Num.* 38) : « Id enim homini acquirebatur, ut Deus esset. Sed manere in Dei unitate assumptus homo nullo modo poterat, nisi per unitatem Dei in unitatem Dei naturalis evaderet, ut per hoc, quia in natura erat Deus Verbum, Verbum quoque caro factum rursum in natura Dei inesset, atque ita homo Jesus Christus manet in gloria Dei Patris, si in gloria Verbi caro esset unita, rediretque tunc in naturæ Paternæ etiam secundum hominem unitatem Verbum caro factum, cum gloriam Verbi caro assumpta tenuisset. Reddenda igitur apud se ipsum Patri erat unitas sua, ut nativitas naturæ suæ in se rursum glorificanda resideret, quia dispensationis novitas offensionem unitatis intulerat, et unitas ut perfecta antea fuerat, nulla esse nunc poterat, nisi glorificata apud se fuisset carnis assumptio. » Idem in eodem (*Num.* 40) : « Gloria enim omnis non Verbo, sed carni acquirebatur, id est non nativitati Dei, sed nati hominis dispensationi. » Item post aliqua (*Num.* 41) : « At vero, cum glorificato Filio hominis, glorificans Deum Deus glorificat in sese, invenio naturam glorificati in gloriam naturæ naturam glorificantis assumi. Non enim se Deus glorificat, sed glorificat eum in homine Deum glorificans in sese. »

Ambrosius in Lucam : « Omnia dedit Pater Filio. Si omnia dedit, æternitatem, quam habet, majestatemque transfudit. »

Augustinus : « Homo transivit in Deum non naturæ versibilitate, sed Dei dignatione. Transitus iste de hoc mundo ad Patrem, de servili forma in Dei Patris gloriam, de temporalitate ad æternitatem Pascha nominatur, quo transivit homo, et exaltatus est Deus impleta prophetia, quæ dicit : *Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus*, quia qui Deo in passionibus exinanito inventus est habitu mortalis homo, ipse in resurrectionis et ascensionis gloria homine glorificato inventus est immortalis Deus. »

Aliter : *Accedet homo, et* (ita Cod.) *cor altum*, subaudis : *accedet*, quia et humanitus obediens, et divinitus altissimo consilio disponens omnia, quæ passurus erat, accessit ad passionem, et ideo, qui ante mortem Deus erat, sed latebat, postea exaltatus est, gloria et honore coronatus et nomine Dei, quod super omne nomen est, a Patre donatus, ac publica rectificatione manifestatus.

Aliter : Illi, qui *scrutati sunt iniquitates* defecerunt *scrutantes scrutinio*. Sed requirentes Dominum non deficient ; quoniam *accedet homo* sensatus *ad cor altum*, id est ad alti cordis intellectum, ut scilicet de divinis inquirat, et inter inquisitiones hujusmodi quanto magis homo illuminatur, tanto magis eis Deus exaltatur. Non enim deficit quis in cogitando divina, sed proficit et crescit. Deus vero, qui non crescit in se, in inquirente se corde grandescit, et sic exaltatur, ut majestas ejus magis ac magis incomprehensibilis inveniatur. Irridendi ergo sunt ejus inimici, qui et in scrutationibus suis *defecerunt*, et ipsum, quem occidere volebant, nec in veste sua læserunt, quoniam *sagittæ parvulorum factæ plagæ eorum*, plagas quidem carni ejus adhuc mortali nequiter intulerunt, sed hæ *plagæ* nihil nocuerunt. Quomodo *sagittæ parvulorum* de cannis factæ non vulnerant quos feriunt, sed levi tegmine repulsæ cadunt ita nimirum *plagæ* vel *sagittæ* Judæorum pellem quidem tetigerunt assumptæ mortalitatis, hominem vero unitum Deo lædere non potuerunt, sed illum sagittando sibimetipsis plagas insanabiles conquisierunt. Unde in Hebræo legitur : *Sagittabit ergo eos Deus jaculo repentino, inferentur plagæ eorum, et corruent in semetipsos linguis suis.* Igitur *sagittæ*, quæ contra Dominum sunt inefficaces retortæ in adversarios ab eo ita sunt efficaces, ut inferantur ab eis *plagæ* profundæ quibus corruent vulnerati et interfecti, propriisque linguis condemnati. Denique solum *sagittæ* ipsorum contra se validæ, contra Dominum invalidæ fuerunt, sed

Vers. 9. *Et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum*, quibus dixerunt custodibus sepulcri : « Dicite, quod vobis dormientibus discipuli furati sunt eum (*Matth.* xxviii, 13). » Revera infirmum risuque dignum testimonium, quod struitur a stipulatione testium dormientium. Cum enim legitima causatione testes non recipiantur, nisi de visis et auditis, isti si dormierunt, nihil viderunt. Si nihil viderunt, quomodo testes esse potuerunt ? Itane fatui estis, o Judæi, ut putetis homines rationales posse infatuari hujuscemodi testimonio ? nempe vos ipsi nimium dormitastis, cum de testibus dormientibus testimonium fabricastis, quo mendacium roborare cogitastis. Unde quia mentita est iniquitas sibi, recte *infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum* non solum in hoc testimonio, sed et in omnibus, quæ locuti sunt contra veritatem.

Superius dictum est, quia *firmaverunt sibi sermonem nequam* : nunc dicitur, quia *infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum*. Firmitas ergo et infirmitas loquelæ ipsorum cessit eis in contrarium. Nam dicendo : « Sanguis ejus super nos, et super filios nostros (*Matth.* xxvii, 25), » firmaverunt sibi sermonem malignum, quia firmitas est in verbis ipsorum semetipsos damnantium : et ubi præcludere voluerunt ora discipulorum, ne dicerent plebi : « Surrexit a mortuis (*Jer.* xxxii), » *infirmitatæ sunt contra eos linguæ eorum*, prædicantibus apostolis et dicentibus plebi, quod surrexit a mortuis Christus ultra non mori-

Digitized by Google

turus, sed in æternum victurus, et sua membra sibi conresuscitaturus. Similiter in concilio suo, cum dicerent Pharisæi et Scribæ : « Videtis, quia nihil proficimus? Ecce mundus totus post eum abiit (*Joan.* XII, 19). » Item : « Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo (*Joan.* XVIII, 14), » firmitas et infirmitas invenitur in verbis eorum sibimetipsis in malum. Non dicendo : « *Nihil proficimus*, » verum firmumque sermonem protulerunt, quia nec ipsi nec alii veritatis adversarii tendunt ad profectum, sed quasi palea ignem premens ad sui defectum, vere nihil profecerunt, quemadmodum dixerunt : « Nihil proficimus, » et sermo eorum in hoc erat et erit firmus. At in hoc *infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum*, quod sibi expedire judicaverunt mori unum hominem pro populo, quia per hoc non expediti, sed compediti, et func captivitatis ligati sunt, atque in carcerem inferni detrusi. Ecce sic maledicitur homo, qui loquitur contra Deum, ut et firmitas et infirmitas verborum ejus vertatur illi in contrarium, dicaturque illi : « De ore tuo judico te, serve nequam (*Luc.* XIX, 22). » Sic perierunt mali coloni dicentes : « Hic est hæres ; venite, occidamus eum et habebimus hæreditatem ejus (*Matth.* XXI, 38). » — « Hic est, inquiunt, hæres. » Nihil verius aut firmius dici potest de homine, quem constituit Deus hæredem universorum. Sed quod addunt : « Habebimus hæreditatem ejus, » ita falsum est, ut plane constet in hoc verbo infirmatas esse linguas eorum. Hoc opus eorum, qui detrahunt Christo vel christiano apud Dominum, et loquuntur mala adversus animam ejus, ut partim firmitas partim infirmitas in hujuscemodi locutione vertatur illis in malum, juxta illud : « Et oratio ejus fiat in peccatum (*Psal.* CVIII, 7). »

Quia ergo sic *infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum, qui firmaverunt sibi sermonem* malignum, ut sive vera et firma, sive falsa et infirma proponerent, contrarietatem et verecundiam sibi ex eis invenirent, cum hæc eadem cooperarentur bonis in bonum, justa consideratione permoti *conturbati sunt omnes, qui videbant eos* ore proprio condemnatos. Erant quidam de numero ipsorum qui apostolis prædicantibus viderunt sei psos reatu sanguinis justi obligatos, conturbatique sunt ad pœnitentiam dicentes ad Petrum et reliquos apostolos : « Quid faciemus, viri fratres? » Petrus autem ad illos : « Pœnitentiam, » inquit, « agite, et baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum (*Act.* II, 37, 38). » Qui hoc verbum receperunt, salubriter conturbati fuerunt. Porro damnose *conturbati* perierunt, qui sicut Christo reprobato Cæsarem suum regem clamaverunt, sic apostolis repulsis in manus Romanorum corporaliter et in manus dæmonum spiritaliter traditi nimis horrenda vastatione perierunt. Quod videntes et prudenter animadvertentes *conturbati sunt.*

VERS. 10. *Et timuit omnis homo.* Nam qui non timuit, *homo* non fuit, sed velut equus et mulus, quibus non est intellectus. Quis enim rationabili sensu perpendens quod Deus naturalibus ramis non pepercit, securus a timore Dei poterit esse, quantumvis liber a timore inimici, a quo se petiit eripi dicens : *A timore inimici eripe animam meam?* Homo itaque timet non hominem inimicum, sed Deum quantumvis propitium. Sic timuerunt apostoli non hominem inimicum, sed Deum sibi propitium, quando cæsis denuntiabatur, ne loquerentur in nomine *Jesu*, et illi tamen licet flagellati, licet prohibiti *annuntiaverunt opera Dei*, liberi quidem a timore inimici, solliciti vero sub timore Domini. Sic post illos *timuit omnis homo* dignus martyrio temporibus tyrannorum persequentium, dignusque confessione temporibus hæreticorum fallentium. Sic usque in finem sæculi *timebit omnis homo* humana utens ratione, cavens potius offendere Deum quam hominem, et malens homine offenso mori in tormentis, quam offenso Deo vivere in deliciis exemplo apostolorum, martyrum et confessorum, qui spreto timore hominis inimici *annuntiaverunt opera Dei*, videlicet resurrectionem et ascensionem cæteraque talia.

Et facta ejus intellexerunt, quia prædicando et annuntiando magis ac magis illuminati *facta ejus intellexerunt*, cur scilicet natus ex virgine, passus in cruce fuerit, volens ut mors, quæ intravit in mundum per feminam, fugaretur per feminam, et qui in ligno vicerat, in ligno quoque vinceretur. Similiter in cæteris mirabilibus *facta ejus intellexerunt*, non humana, sed divina providentia fuisse ordinata, ut, verbi gratia, quod insultantibus inimicis tacuit, nec de cruce, ut suadebant, descendit, quia quod plus erat facere, disposuit, post mortem scilicet resurgere de sepulcro cunctis mortuis et morituris aditu patefacto ad resurgendum, sive ad vitam sive ad judicium. Ut hæc et cætera facta ejus discipuli intelligerent, « aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV, 45) » in die resurrectionis insufflando eis et dicens : « Accipite Spiritum sanctum (*Joan.* XX, 20). » Peramplius autem et perfectius acceperunt munus intelligentiæ, quando Spiritus sanctus in igneis linguis venit super eos, et intellectu adimplevit corda eorum. Extunc majori constantia et instantia opera Christi *annuntiaverunt* et capaciore sensu rationis et fidei *facta ejus intellexerunt*. Similiter usque in finem sæculi sincere annuntiantibus opera Dei omnibus pusillis et majoribus augetur sanus intellectus, ut intelligant Dei, non hominis esse quæcunque bona et laudabilia facta, nec hominis per quem, vel in quo hæc fiunt, virtutem in his prædicendam, sed solius Dei, a quo bona cuncta procedunt, et ad cujus laudem laudabilia omnia facta juste referuntur, sive quæ ab illo solo, sive quæ per creaturas aguntur. Unde :

VERS. 11. *Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo*, non in se ipso, quando *laudabuntur omnes recti corde* pro hac ipsa rectitudine, quia et *justus lætabitur* sperans *in Domino*, non in semetipso,

Digitized by Google

et *omnes recti corde*, quando *laudabuntur* non sua, sed Dei laude pascuntur. Alioquin cor non rectum sed tortum atque, a rectitudine alienum haberent, si de operibus Dei Deo debitam gloriam sibi captarent, vel quod pejus est, raptarent, aut ultro sibi oblatam non repellerent. Hinc Petrus et Joannes præcipui eorum, qui *annuntiaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt*, cum sanato per eos claudo repleti essent quidam stupore et exstasi in eo quod contigerat illi, et factum Dei tacite assignarent humanæ pietati seu virtuti : « Quid, » inquiunt, « nos intuemini, quasi nostra virtute, aut pietate fecerimus hunc ambulare ? Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum, et fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem in conspectu omnium nostrum (*Act.* III, 12 et seqq.). » Isti ergo *recti corde* tanto magis *laudabuntur in Domino*, quanto constantior eis fuit cordis rectitudo, quia viriliter a se repulerunt laudem soli Deo debitam, laudantes, aliosque laudare docentes in Dei facto solam pietatem et virtutem divinam. Cujus in laudibus et nos in fine psalmi, seu cujusque operis boni dicamus :

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. Patri, cujus est cor altum ; Filio, qui homo factus accessit ad cor altum ; Spiritui sancto, qui est lætitia, quia lætabitur justus in Domino.

INDEX ANALYTICUS IN GARNERII GREGORIANUM

Revocatur Lector ad numeros crassiori charactere textui insertos.

A

Aaron, mons fortitudinis, 260. Aaron et Hur graves Moysi manus sustinentium expositio, 260.

Abel Christi passionem significans agnum obtulit, 31. Abel primus sanctus Ecclesiæ, 204. Abel planta pedis, 204. Abel membrum Christi, 209. Ab Abel cœpit passio Ecclesiæ, 571.

Abietis nomine designati hi qui intra sanctam Ecclesiam adhuc in terrenis corporibus positi jam cœlestia contemplantur, 465. Abietis significatione contemplatio expressa, 465. Et cœlestes virtutes demonstratæ, 465.

Abnegare semetipsum, quid, 304.

Abstinentes per Nazaræos significati, 58.

Abundantia rerum, quid, 283. Ex abundantia rerum nascitur superbia, 164. Abundantia rerum terrenarum pinguedo dicta, 283. Abundantia terrenarum mentium oculos premit, 284.

Abyssi nomine infernus in sacro eloquio designatus, 388. Abyssi vocabulo mentem desperatam posse intelligi, 389. Abyssi significatione incomprehensibilitas divinorum judiciorum expressa, 389. Abyssi acceptione profunditas astutiæ diaboli significata, 390. Abyssi superficiem constringi, quid, 390. Abyssi nomine corda pravorum demonstrata, 390. Abyssi vocabulo rationis humanæ judicium expressum, 391. Abyssum invocare abyssum, quid, 391.

Actio quælibet per corpus designata, 202.

Actiones nostræ viæ appellatæ, 357. Actiones humanas novit Deus, etsi dissimulet, 362. Actionis finem nequius obsidet diabolus, si in exordio non deceperit, 207. Actionum torpor per aquam expressus, 385.

Accipitris nomine sanctus quilibet intelligendus, 83. Accipitrem in austro plumescere, seu ad austrum alas expandere, quid, 89

Adam sermone Latino terra rubra, 493.

Adamantis nomine æternitas designata, 496.

Adipe et pinguedine animam repleri, quid, 273. Adipis nomine superbia designata, 283.

Adolescentia Timotheo in moribus, non in annis, 109.

Adulatores canibus comparati, 119. Adulatorum linguæ per locustas figuratæ, 593.

Ægyptus tenet mundi speciem, 91. Ægyptum muscis percuti, quid, 90.

Aere ex candente scintillas prodire, quid, 435. Aeris nomine sæcularium mentium mobilitas designata, 36. Aeris nomine mentes sæcularium designatæ, 39, 40. Aeris nomine mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus intelligendus, 433. Aeris appellatione constantia longanimitatis significata, 434. Aeris significatione sonora prædicantium vox demonstrata, 434. Aeris vocabulo vera fortitudo designata, 434. Aeris nomine obscura Patrum Veteris Testamenti prædicatio figurata, 435. Aeris vocabulo durum et insensibile cor pravorum designatum, 436. Aeris appellatione is qui in flagello murmurat significatus, 437.

Æstatis nomine regnum cœlorum designatum, 545. Æstatis vocabulo dies judicii extremi figuratus, 545.

Ætas Ecclesiæ describitur, 557. Ætates sex sæculi per sex viros signatæ, 176. Ætatis humanæ distincta spatia allegorice exposita, 518.

Æternitas non habet fuisse, vel futurum esse, 190. Æternitatis longitudo diei comparata, 524.

Æthiopiæ nomine præsens mundus, vel specialiter gentilitas infidelitatis prius nigra peccatis, designata, 494.

Ager in quo thesaurus absconditur, quid, 424. Agri nomine gentilitas designata, 348. Agri vocabulo præsens sæculum figuratum, 348. Agri appellatione corpus nostrum demonstratum, 348. Agri significatione Scriptura sacra expressa, 348. Agri nomine universa Ecclesia quam pravi prædicatores demetunt, designata, 349. Post agri exercitium ad ædificium domus redire, quid, 242. Agrum non suum demetere, quid, 348.

Aggerem comportari a prædicatore, quid, 370, 371. Aggeris nomine moles tentationum designatæ, 368.

Agnæ nomine activa vita designata, 124.

Agricolæ hujus terræ, qui, 424. Agricolam non affligere, quid, 425.

Altare Dei, cor nostrum, 458.

Altilia quid et unde sic appellata, 115. Per Altilia patres Novi Testamenti figurati, 116.

Amaritudine involvi antiquum hostem, quid, 535. Amaritudine diem involvi, quid, 535. Amaritudines sibi ponere, quid, 194.

Amor Dei et sæculi, duo pedes, 311. Amor sui, filia luxuriæ, 196. Amore Dei solidatus cedro comparatur, 462.

Amphoræ nomine avaritia designata, 651. Amphoram inter cœlum et terram levare, quid, 179.

Amygdali nomine primitiva Ecclesia designata, 466. Amygdalus ostendit florem arboribus, 466.

Angeli quando nomina a ministeriis trahunt, 3. Angeli qui vocantur, 3. Angeli vocati omnes qui sacerdotii nomine censentur, 10. Angeli virorum nomine aliquando compellati, 173. Angeli hominibus præsunt, 190. Angeli superiorum angelorum potestatibus dispensantur, 190. Angeli quare consules vocati, 190. Angeli per aquas figurati 14, per cœlos 17, per montes 246, per aurum obrysum, 421. Angeli in sacro eloquio nonnunquam prædicatores vocati, 200. Angeli in omni certamine nos protegunt, 346. Angeli cur peccarunt irremissibiliter, 377. Angeli boni cur nequeant amplius peccare, 495. Angeli cum Jacob luctantis interpretatio, 311. In angelo primo eo natura est subtilior, quo Dei imago expressior, 2. Angelo datum ut afficeret homines æstu et igni, quomodo est intelligendum, 21. Angelorum novem ordines, 2. Angelorum vocabulum nomen officii, non naturæ, 3. In angelorum numerum quinam homines currere dicuntur, 5. Angelorum vocabulo in Scriptura sacra, aliquando ipse Dominus Jesus Christus designatur, 7. Angelorum nomine sancti prædicatores exprimuntur, 9. Angelorum nomine Ecclesiarum prælati designantur, 10. Per angelum Joannes Baptista præcursor Domini spiritualiter designatur, 9. Angelus primus cur novem lapidibus pretiosis opertus et ornatus exstitit, 2. Angelus nuncupatus quilibet proximum exhortans ad bonum, 10. Angelicæ naturæ stabilitas per crystallum significata, 495. Angelici spiritus æterna

Digitized by Google

luce fruentes, dies appellati, 522.
Anima viduæ comparata, 182. Anima pro eo quod charius amatur, posita, 201. Anima Christi, electorum vita, 201. Anima justi, altare Dei, 374. Templum Dei, 560. Terra, 327. Anima humana, ligno figurata, 458. Anima quomodo suspendium eligit, ut ossa moriantur, 202. Animæ nomine nonnunquam intentio mentis intelligenda, 202. Animæ justæ opera, tot ante Deum sacrificia, 374. Anima Deum valde amans thalamo comparata, 582. Animæ sanctorum per ventorum velocitatem expressæ, 47. Animæ sanctorum auro figuratæ, 53. Volucribus, 65. Aquilis, 69. Jumentis, 91. Animæ bonorum ante Redemptoris adventum non erant in locis pœnalibus, 388. Animæ bonum inchoantes, flores nuncupatæ, 484. Animam in manibus portare, quid, 234. Animam sanctam amore languidam floribus malisque fulciri, quid, 484.
Animalium nomine sancti Evangelistæ designati, 105. Animalium appellatione justi figurati, 105. Animalium nomine simplices in sancta Ecclesia, expressi, 105. Animalium nomine cogitationes aliquantulum a terra suspensæ, sed adhuc terrenæ mercedis præmia requirentes designatæ, 106. Animalium nomine irrationabiles animæ motus aliquando intelligendi, 106.
Animorum conspirationes valde inter se diversæ, 216.
Anni nomine vel prædicatio supernæ gratiæ, vel multitudo redemptionum designata, 543. Annum placabilem Domini prædicare, quid, 522.
Antemuralis nomine prophetæ designati, 534.
Antichristi dubietas insidiosis miraculis generabitur in cordibus fidelium, 360. Antichristi consiliarii palpebræ diluculi nuncupati, 217. Antichristi prædicatores bestiæ dicti, 125. Antichristi prædicatores sub agni specie exercebunt draconis operationem, 126. Antichristi superba celsitudo per brachium signata, 254. Antichristi species, Antiochus, 121. Antichristi nequiores et valentiores servi per ossa figurati, 587. Antichristus de tribu Dan venturus, 96. Antichristus mentietur se esse Deum, 96. Antichristus habebit potestatem contra juge sacrificium propter peccata, 96. Antichristus in sua sublimi elevatione deficiet per adventum veri judicis, 96. Antichristus, draco dictus, 152. Coluber, 154. Regulus, 156. Leo insidians, 129.
Antri nomine cor pravum intelligendum, 534. Antrorum, vel specuum vocabulo cogitationes seu corda bonorum designata, 375.
Aperiendo nobis quædam, atque claudendo, Deus nos interrogat, 221.
Apostoli argenteis columnis in sacra Scriptura expressi, 476. Apostoli cœli nuncupati, 17. Nubes, 58 et 384. Stellæ, 26. Dentes, 235. Pedes, 314. Montes, 345. Filii, 520. Fundamenta, 563. Tabulæ, 581. Stellæ pluviæ, 414. Apostoli verbis pluebant, miraculis coruscabant, 384.
Aqua hydrias impleri cur jubet Christus, 384. Aqua nobis in vinum quando vertatur, 384. Aquæ nivis, lamenta humilitatis, 238. Aquæ nomine sancti Spiritus infusio designata, 381. Aquæ vocabulo cruciatus infernalis inopiæ expressus, 382. Aquæ nomine sacræ Scripturæ historia figurata, 383. Aquæ vocabulo scientia intelligenda, 384. Aquæ significatione fluxa locutio accipienda, 385. Aquæ quasi in utre statutæ, quid, 385. Aquæ appellatione sancti Spiritus irrigatio nonnunquam designari solita, 476. Aquam usque ad talos venire, quid, 520. Aquam usque ad genu pervenire, quid, 310. Aquam usque ad renes venire, quid, 320. Aquam in manibus ligari, quid, 384. Aquarum nomine sanctissimi angelorum designantur chori, 14. Aquarum nomine prædicatorum mentes signatæ, 60. Aquarum significatione nonnunquam tribulationes accipiendæ, 382. Aquarum appellatione populi significati, 382. Aquarum nomine non solum fluxus currentium populorum, sed etiam bonorum mentes fidei prædicamenta sequentium, demonstratæ, 382. Aquarum vocabulo sanctissimi angelorum chori figurati, 382. Aquarum significatione dudum mollia corda Judæorum designata, 383. Aquarum acceptione lubrica pravorum desideria significata, 385. Aquarum appellatione vel infidelitas, vel frigora torpentium actionum figurata, 385. Aquarum nomine mœroris undæ designatæ, 386. Et lamenta humilitatis, vel compunctio cœlestis expressa, 386. Aquis nivis se lavare quid, 378.
Aquila Nabuchodonosor rex Babyloniæ designatus, 67. Aquilæ vocabulo potestas terrena quomodo figuretur, 67. Aquilæ nomine Joannes evangelista designatus, 68. Aquilæ nomine subtilis sanctorum intelligentia quomodo designetur, 69. Aquilæ comparatus vir terrena despiciens, 488. Per aquilam cur incarnatus Dominus exprimatur, 68. Per aquilam dignitas humanæ conditionis significata, 68. Aquilam ad præceptum Dei elevari quid, 99. Aquilarum nomine cur maligni spiritus exprimantur, 67. Aquilarum nomine cur electorum animæ figurentur, 69.
Aquilo. Ab aquilone ventum turbinis venire quid, 53. Ab aquilone aurum venire quid, 53. Aquilonis nomine peccatorum frigiditas designata, 46. Aquilonis nomine frigore constricta gentilitas signata, 48, 52, 55. Aquilonis nomine torpor maligni spiritus aliquando designatus, 52. In aquilonis lateribus cur diabolus sedere dicatur, 34. Aquilonis nomine diabolus in Scriptura appellatus, 335.
Araneæ telas texere, quid, 156.
Arboris nomine Christus designatus, 60. Arboris vocabulo universum genus humanum figuratum, 460. Arborum appellatione sacri codices significati, 460. Arborum comparatione hi qui sublimia appetunt expressi, 461.
Arcæ vocabulo Redemptor noster designatus, 643. Arca nomine præsens Ecclesia figurata, 644.
Archangeli qui sunt, 3. Inter archangelorum numerum quinam ex hominibus deputantur, 5.
Arcturi nomine tota simul Ecclesia in divino eloquio designata, 34. Arcturi cursus et situs, 34. Arcturi proprietates Ecclesiæ convenientes, 34, 35. Arcturi nomine veterem legem posse intelligi, 35. Per arcturi septem stellas cur Testamentum Vetus expressum, 36.
Arcu (in) cœli cur color aquæ et ignis simul ostendatur, 448. Arcus nomine dies extremi judicii designatus, 447. Arcus vocabulo supernum judicium figuratum, 447. Per arcus significationem pravorum insidiæ appellatæ, 447. Per arcus appellationem Scriptura sacra significata, 448. Arcus comparatione Spiritus sanctus expressus, 448. Arcus quare in nube in die pluviæ, 449.
Argenti vocabulo divini eloquii scriptores demonstrati, 467. Argenti nomine Scriptura designata, 472. Argentum in commutatione sapientiæ non appendi, quid, 472.
Aries. Per arietes hæreticorum principes figurati, 116. Arietes in gyro a prædicatore poni, quid, 371. Arietum filios Domino afferre, quid, 120. Arietum nomine primos intra Ecclesiam ordo sacerdotum designatus, 120. Arietum nomine rationabiles spiritus designati, 121. Arietum appellatione ducatus sequentium populorum expressus, 122.
Aristarum nomine reprobi divites intelligendi, 615.
Armorum nomine sanctorum miracula designata, 439. Armorum vocabulo humana patrocinia significata, 439. Armorum appellatione fraudes diaboli innumeræ demonstratæ, 440. Armorum comparatione necessitates vitæ præsentis expressæ, 441. Armorum significatione membra corporis nostri accipienda, 441.
Aromata in tenuem pulverem conterere, quid, 339.
Arvinæ nomine potentia terrena designata, 284. Arvinam de iniquorum lateribus dependere, quid, 284.
Arundineto vita sæcularium figurata, 502.
Arundinis nomine carnalis animus designatus, 605. Arundinis vocabulo nitor gloriæ temporalis expressus, 605.
Ascendere ex adverso, quid, 139. Per ascensorem equi, quis intelligendus, 96.
Asinæ nomine caro nostra designata, 102. Asinarum appellatione quilibet simpliciter viventes, et alienis operibus portandis dediti accipiendi, 101. Asinarum nomine motus cordis lascivientes designati, 101. Et simplices cordis cogitationes, 101. Asinarum juxta boves in sacro eloquio pascentium expositio, 184.
Asini nomine, is qui aliorum necessitates sustentat, designatus, 99. Asini nomine mala vita designata, 99. Asini appellatione caro nostra figurata, 99. Asini appellatione luxuria figurata, 147. Asinorum nomine stultorum pigritia in divino eloquio figurata, 98. Asinorum appellatione immoderata petulantium luxuria expressa, 98. Asinorum nomine simplicitas gentilium designata, 98. Asinum pupillorum abegisse qui dicantur, 99. Asinum sedendo Jerusalem venire, quid, 98. Per asinum quælibet fidelis anima, vel sancta universalis Ecclesia intelligenda, 99.
Aspectus mediatoris Dei et hominum speciei aris cur comparatus, 433.
Aspidis nomine diabolus designatus, 159. Aspidis vocabulo significatus his qui audire verbum Dei dedignabur. 159. Aspidum appellatione latentes et blandæ suggestiones, vel fortes et subitæ immundorum spirituum tentationes expressæ, 160. Aspidum ova rumpere, quid, 156.
Atramentarium ad renes Christi, quid, 173.
Atrii nomine latitudo regni cœlestis designata, 584. Atrii vocabulo latitudo vitæ præsentis expressa, 587. Atrii acceptione latitudo charitatis significata, 588. Atrii significatione contemplatio signata, 589. Atriorum nomine latitudo æternæ vitæ signata, 591.
Auri nomine fideles animæ expressæ, 53. Auri nomine ipsa intima divinitatis claritas designata, 418. Auri vocabulo splendor supernæ civitatis expressus. 418. Auri significatione charitas figurata, 419. Auri nomine nitor gloriæ temporalis expressus, 419. Auri vocabulo splendor sanctitatis accipiendus, 419. Auri appellatione pretiati intellectus ingenium significatum. 420. Auri acceptione sensus bene operantis expressus, 420. Auri comparatione

Digitized by Google

anima fidelis figurata, 421. Aurum obryzum qui recte nuncupari possint, 421.

Auroræ nomine sancta Ecclesia designata. 512.

Austri nomine Spiritus sanctus in sacra Scriptura aliquando intelligendus, 48. Austri nomine Judæa aliquando expressa, 48. Austri nomine vita remissa designata, 49. Austri nomine quilibet fervens spiritu designatus, 51.

Avaritia, os amphoræ, 177. Venter, 304. In Avaritia semper tenetur impietas, 178. Avaritiæ peccatum, plumbum, 458. Avaritiæ fructus, 195.

Avis nomine Redemptor noster designatus, 65. Avis nomine diabolus etiam expressus, 64. Avis nomine mens humana quando accipienda, 64. Avium nomine cur cogitationes perversæ designentur, 66.

B

Babylon, quare calix aureus nuncupata, 419. Babyloniæ filii, qui, 133, 134. In Babylonis domibus urticas et spinas pullulare quid, 471.

Baculi nomine disciplina legis designata, 478. Baculi comparatione consolationis sustentatio figurata, 478. Baculi vocabulo cura pastoralis significata, 479.

Barbæ nomine decor virtutis in sacra Scriptura designatus, 248. Barbæ vocabulo fiducia propriæ virtutis aliquando intelligenda, 248. Barbam radere in sacra Scriptura, quid, 248.

Basium nomine sanctæ Ecclesiæ doctores designati, 580. Basium vocabulo Prophetæ expressi, 580. Basium comparatione, intentiones animæ moraliter demonstratæ, 581.

Behemoth nomine antiquus hostis designatus, 149. Behemoth cum Job factum, quomodo intelligendum, 150. Behemoth, diabolus, 601.

Bellum procul odorari, quid, 195.

Benefaciendi impedimentum, murus, 552.

Bestiæ nomine antiquus hostis in sacra Scriptura accipiendus, 125. Bestiæ appellatione turba prædicatorum Antichristi designata, 125. Bestiæ nomine mens irrationabilis figurata, 126. Bestiam montes tangere, quid, 126. Bestiam latibulum suum ingredi, et in antro suo morari, quid, 125. Bestiarum nomine dæmones signati, 126. Bestiarum nomine motus carnis aliquando accipiendi, 127. Bestias in herbis ludere, quid, 126. Bestias agri Dominum glorificare, quid, 154.

Binario numero, duo præcepta charitatis; dilectio videlicet Dei et proximi designata, 620. Binario numero intellectus operatio figurata, 621. Binario numero perfecti in charitate expressi, 621. Binario numero duo compunctionis genera demonstrata, 622. Binario numero duo testamenta significata, 622.

Bona temporalia similia nubibus, 40. Bona nostra tribus modis antiquus hostis insequitur, 206. Bonorum mentes fidei prædicamenta sequentium aquis comparatæ, 382. Qui sibi tribuit quod bonus est, solida basis non est, 581. Bonum nec facere, nec amare, ex studio peccare est, 359.

Bovis nomine Judaicus populus designatus, 107. Bovis appellatione per comparationem luxuriosorum dementia accipienda, 107. Bovis nomine labor prædicationis expressus, 107. Bovis appellatione sapiens quilibet intelligendus, 107. Bovis nomine doctorum mansuetudo figurata 107. Bovis appellatione diabolus expressus, 108. Bovis nomine bona operatio signata 108.

Brachii appellatione Antichristus expressus, 254. Brachii nomine unigenitus Dei Filius designatus, 253. Brachiorum vocabulo opera significata, 254. Brachium habere Deum, quid, 253.

Bruchi nomine edendi ingluvies demonstrata, 167.

Butyro pedes lavari, quid, 316, 317.

Buxi nomine is, qui ex ætatis infirmitate, bona opera non valet ferre, sed tamen parentum fidelium fidem tenet, expressus, 468.

C

Calami nomine Verbi æternitas designata, 600. Calami vocabulo doctorum peritia significata, 600. Calami comparatione nitor gloriæ temporalis expressus, 601. Calami acceptione scriptores sacri eloquii intelligendi, 602.

Calcanei nomine finis actionis nostræ designata, 321. Calcaneum observare, quid, 207.

Calceamentum in Scriptura sacra, munimen prædicationis accipiendum, 431.

Calicis nomine dolor passionis intelligendus, 645.

Caliginis nomine erroris confusio designata, 534. Caliginis vocabulo, mentis confusio ex pœnitentia veniens figurata, 535.

Cameli nomine Dominus designatus, 103. Cameli nomine gentilitas expressa, 103. Cameli dorso Rebeccam ad Isaac venientem deduci, quid, 103. Per camelos qui commune sunt animal Samaritanorum vita aliquando intelligenda, 103, 104. Per camelos qui ungulam nequaquam findunt, sed tamen ruminant, terrenarum rerum bonæ dispensationes accipiendæ, 104. Per camelos, tortuosum videlicet animal, distortæ et tumidæ cogitationes figuratæ, 104. Camelos possidere, quid, 104. Per camelos gentilium populi significati, 125. Per camelos distortæ cogitationes designatæ, 125.

Campi nomine gentilitas designata, 349.

Canaanis nomine libri divini designati, 415.

Canes vulnera Lazari lingentes, qui, 118. Canum nomine sancti prædicatores designati, 118. Canum linctione lata adulantium lingua signata, Canum appellatione haretici designati, 119. Canum nomine Judæi Dominum persequentes aliquando intelligendi, 119. Et gentiles, 119.

Capilli pro cogitationibus animi in sacro eloquio positi, 211. Capillorum nomine superabundans terrena substantia designata, 211. Capillos a capite rasisse Jesum Christum, quid, 204. Capillis pedes Domini tergere, quid, 212.

Capitis vocabulo principalis pars hominis, id est mens significata, 205. Capitis nomine summa sacerdotii Judaici expressa, 204. Capitis appellatione rei cujuslibet vitium expressum, 205. Caput agni vorare, quid, 305

Capreæ hinnulis electi comparati, 295.

Carbonum nomine specialiter occulti sancti designati, 503. Carbonum et lampadum distinctio, 504. Carbonum vocabulo quilibet sancti figurati, 505. Carbonum comparatione mentes in peccatis frigidæ demonstratæ, 505.

Carnem tremore concuti, quid, 278. Carnem deficere, quid, 277. Carnes diaboli, quæ, 279. Carnes ad vescendum conferre, quid, 280. Carnes supra petram ponere, quid, 500. Carnis nomine natura humana designata, 274. Carnis appellatione cordis sensibilitas significata, 275, Carnis significatione vita carnalis demonstrata, 275. Carnis vocabulo delectatio carnalis expressa, 276. Carnem tabescere, et ossa nudari, quid, 276. Carnis nomine carnalitas designata, 277. Carnis appellatione infirmitas operis expressa, 278. Carnium nomine reprobi figurati, 279. Carnium vocabulo discipuli Domini figurati, 279. Carnium appellatione pœnæ carnis vel vitia demonstrata, 279. Carnium significatione motus carnis expressus, 280. Caro sterili mulieri comparata, 181, 182. Caro juxta naturam dicta, 278. Caro secundum culpam posita, 278.

Cartilaginis nomine inferiores in corpore Antichristi, qui quales non sunt, videri appetunt, designati, 289, 290. Cartilaginis vocabulo simulatio expressa, 290. Cartilago Antichristi quare ferro similis in sacro eloquio dicatur, 290.

Catuli leonum rugientes, qui, 131.

Caudæ draconis nomine ipsius persuasio intelligenda, 132.

Cavernæ nomine cor pravum accipiendum, 374.

Cedri nomine celsitudo gloriæ cœlestis expressa, 462. Cedri appellatione spes designata, 462. Cedri vocabulo Judææ regnum significatum, 462. Cedri significatione is qui in amore Dei solidatus corrumpi non potest, demonstratus, 462. Cedri comparatione superba pravorum potentia figurata, 463. Cedrorum nomine cœlestium virtutum celsitudo designata, 463.

Ceparum nomine difficultas vitæ præsentis expressa 599.

Cerastes. Per cerasten, quod est colubri genus, Antichristi adventus signatus, 96.

Cervicis appellatione superbia demonstrata, 209. Cervix pro libertatis erectione posita, 208.

Charitas, perfectionis vinculum, 416. Charitas, calor accendens mentem, 383, aurum, 419, ignis, 458. Charitas Dei et proximi per coccum bis tinctum demonstrata, 621. In charitate perfecti per binarium signati, 621. Per charitatem collecti glebæ nuncupati, 325. Charitatis zelus ignis vocatus, 497.

Cherubin quare sublimiora agmina vocata sunt, 4. Inter cherubim numeros quinam ex hominibus meritorum suorum sortem perceperunt, 6. Cherubim qui jure nominentur, 6. Duo cherubim oraculi ex auro mundissimo, 622.

Chorda. Per chordas citharæ cur auditorum mentes signentur, 75.

Christi corpus aquæ et crystallo comparatum, 20. Christi humanitas, paries, 564. Terra, 332. Christi caro, terra, 331. Nubes, 57. Domus, 555. Christum jumento sedentem ire Jerusalem quid, 92. Christum se in forma servi orando subdidisse Patri nihil mirum, cum etiam a peccatoribus mortem tolerarit, 205. Christum jacuisse in sepulcro uno die et duabus noctibus, quid, 552. Quare Christum ad nos lineis vestitum advenire prævidit Propheta, 175. Christus quare fenum factus, et in præsepio positus, 144. Christus, fundamentum nostrum, 582. Christus patrisfa-

Digitized by Google

milias similitudinem tenet, 317. Christus candelabri comparatione figuratus, 594. Christus, finis legis ad justitiam omni credenti, 619. Christus, agnus, leo, serpens, onager, 142. Mulier, 176. Os, 227. Manus dextera, brachium, verbum, 255. Mons, 342. Æs, 455. Arbor, 460. Via, 251. Lucifer, 29. Columba, 72. Passer, 89. Vultur, 89. Camelus, 103. Vitulus, 117. Avis, 65. Tonitruum, 57. Sol, 20. Christus, Leo, Vitulus, Homo, Aquila, 117. Porta, 566. Oriens, 545. Murus noster, 551. Antemurale, 551. Templum, 561. Christus quando venit incarnandus, 554. Christus in carne sumenda ex virginis utero Gedeoni comparatus, 312. Christus moriens granum, resurgens arbor, 65. Christus pro nobis quidem passus, sed a nobis per passionem non separatus, 72. Christus quare non angelus, sed homo factus, 522. Christus fuit intra uterum virginis per infirmitatis potentiam, extra mundum per omnipotentiam majestatis, 312.

Cincinni nomine, collectio cogitationum designata, 212.

Cinis. In cinerem reverti, quid, 278. Cineris nomine cura sæcularis designata, 506. Cineris vocabulo pœnitentia expressa, 506.

Civitas domini a turre Hannaneel usque ad portam anguli cur ædificari perhibeatur, 548. Civitas illa superna cur ex angelis et hominibus constare dicitur, 5. Civitates a convenientibus populis appellatæ, 549. Civitatis nomine cœlestis patria signata, 547. Civitatis vocabulo sancta Ecclesia figurata, 548. Civitatis appellatione anima humana significata, 548. Civitatum comparatione Ecclesiæ fideles demonstratæ, 549. Civitatum significatione congregationes pravorum expressæ, 550.

Clamor iræ filia, 195.

Clypei nomine, diaboli repugnatio designata, 443. Clypeorum vocabulo virtutum munitio demonstrata, 443. Inter clypeos et propugnacula quid distet, 250.

Cœli nomine anima justi accipitur, 15. Cœli nomine cœleste judicium intelligitur, 13. Cœli ordinem nosse quid, 13. Cœli rationem in terra ponere, quid, 13. Cœli nomine divinum eloquium designatur, 14. Cœli superiora Dominum aquis tegere, quid, 14, 267. Cœli nomine sublimitas supernarum potestatum in sacra Scriptura intelligitur, 11. Cœli nomine Ecclesia designatur, 12. Cœli nomine sublimis sanctorum vita intelligitur, 15. Cœli nomine cœlestis vita designatur, 16. Cœli nomine Judaici populi sacerdotes, vel Pharisæi; seu legis doctores exprimuntur, 13. Cœli quomodo intelliguntur inclinari, ut Dominus descendat, 18. Cœli quomodo solidissimi quasi ære fusi intelliguntur, 19. De cœlo Dominum gelu genuisse quid, 15. In cœlo unusquisque erit conspicabilis alteri, ut nunc sibi, 419. Cœlorum nomine angeli designantur, 17. Cœlorum quoque nomine sancti specialiter apostoli significantur, 7. Cœlorum ornamenta postquam acceperunt apostoli, timidi esse desierunt, 17, 18. Cœlorum nomine quilibet sancti doctores intelliguntur, 18. Cœlorum nomine perfectorum mentes designantur, 19. Cœlos sursum advocari a Domino, quid, 553. Cœlum sicut pellem extendi, quid, 267. Cœlum pro aere frequenter usurpatum, 186.

Cogitatio carnalis uxor male suadens, 178. Cogitatio hoc unicuique hominum, quod radix arbori, 477. Cogitationes duræ lapidum significatione intelligendæ, 489. Cogitationes perversæ, avibus comparatæ, 66. Cogitationes perversæ in orationis sacrificio sæpe se ingerunt, 66. Cogitationes terrenæ reptilibus assimilatæ, 160. Cogitationes simplices asinæ, 101. Cogitationes distortæ et tumidæ, cameli, 102. Cogitationes defluentes capilli, 211. Cogitationes internæ, spiritus, 201. Cogitationes pravæ, domus desertæ, 550. Cogitationes ne tenuissimæ quidem erunt indiscussæ in Dei judicio, 557. Cogitationum victoriam nemo sibi tribuere debet, 396. Cogitationum prurigines, urticæ, 471.

Cognitionis divinæ initium ostio comparatum, 573.

Cognoscere Dominum, quid, 245.

Colli nomine sacrum eloquium designatum, 249. Collium nomine, cum comparatione vallis ponuntur, superbi designati, 347.

Collum. In collo sanctæ Ecclesiæ cur mille clypei dependere memorati, 249. In collo Leviathan cur ejus fortitudo demorari perhibita, 251. Per collum elationis ostensio figurata, 251.

Colorem optimum commutari, quid, 353.

Colubri nomine Antichristus frequenter in sacro eloquio signatus, 154, 155. Colubrum tortuosum de propriis cavernis obstetricante manu Domini expelli, quid, 154, 155.

Columbæ proprietates Christo Domino convenientes, 70. Columbæ nomine Christus totus, id est caput cum corpore suo, quod est Ecclesia, aliquando designatus, 71. Columbæ nomine, mansuetudo Domini aliquando intelligenda, 70. Columbæ nomine Spiritus sanctus aliquando designatus, 72. Per columbam sancta Ecclesia, sive quælibet electa anima designata, 73.

Columna nubis quæ in eremo populum nocte præibat, cur non in die, sed nocte tantum radiabat, 201. Columnæ nomine quilibet contra diaboli tentamenta fortis designatus, 579. Columnarum vocabulo virtutes, vel summi Ecclesiæ prædicatores figurati, 579. Columnarum appellatione evangelistæ expressi, 580.

Compunctionis genera duo, 100.

Confusio mentis ex pœnitentia, caligo nuncupata, 334.

Conscientia, domus, 552, 555.

Consilia sanctorum acuta, sudes, 224.

Constuprari usque ad verticem, quid, 210.

Consulum nomine angelici spiritus, vel sancti prædicatores designati, 193.

Contemplatio mons, 345 et 346. Abies, 465. Contemplationis intimæ sapor per salivam notatus, 257. Contemplationis culmen non attingimus si ab exterioribus non cessamus, 368.

Contemplativa vita major merito quam activa, 256. Contemplativa vita paucorum, activa multorum, 125.

Contemplator abieti comparatus, 465. Fenestris, 578.

Contentio, inanis gloriæ filia, 195.

Contritio duplex, una adversarii, altera Dei, 479. Contritio Dei in virga ferrea, 479. Contritio Dei figuli vasi comparata, 480.

Convallis. Ad convalles raptim transire, quid, 551. Convallium nomine humilia dicta Patrum designata, 320. Convallium vocabulo terrena ista infima demonstrata, 550. Convallium nomine ima pœnarum loca significata, 551.

Conversans. Bene conversantibus primum tribuitur solitudo mentis, 368.

Conversationes hominum distinctæ singulis angelorum ordinibus congredientes, 5.

Cor, curvum cum ima appetit, rectum cum superna, 201. Cor humanum mari comparatum, 395. Cor pravorum durum et insensibile, æs, 456. Cor sæcularibus desideriis fervens, olla succensa, 456. Cor pessimum ex malitia tabescit, 498. Cor lapideum quomodo tollat Dominus, ut cor carneum tribuat, 275. Cor ad Dominum dirigere, quid, 201. Corda sanctorum mensæ Dei ad holocaustum, 492. Ex quadris lapidibus constructæ, 493. Corda Dei ferventia, thalami, 578. Cordis os, cogitatio, 225. Cordium profunda putei, 412.

Coronæ anni benedicere, quid, 525.

Corporis nomine quælibet nostra actio designata, 202. Corporis nostri membra, arma, 441. Corporum fragilitas Gedeonis lagenis assimilata, 262. Corpus nostrum ager, 348. Corpus Unigeniti, domus Dei, 555. Corpus Christi quomodo crystalli more ex aqua duruisset est intelligendum, 20.

Corticis nomine historiæ sensus intelligendus, 482. Corticis vocabulo tegmen humilitatis accipiendum, 485. Corticum comparatione exteriora Patrum eloquia, vel litteræ superficies, vel exteriora bene inchoantium opera nuncupata, 483.

Corvi subsannantis oculum effodere quid, 82. Corvi nomine nigra per infidelitatis meritum plebs Judaica expressa, 79. Corvi proprietates docto cuique prædicatori communes, 80, 81. Corvi pullis editis non præbent escam, donec plumescendo nigrescant, 80. Corvo escam primus pullis clamantibus, et post modum vagantibus præparat, quid, 79. Corvorum nomine sancti prædicatores designati, 821. Corvorum pullis escam dari quid, 78. Corvorum pullis vagantibus qui prædicatores possint comparari, 78.

Costarum nomine animi sensus designati, 500.

Crassitudine faciem operiri, quid, 284.

Creator nobis invisibilis sumpsit a nobis unde a nobis videretur, 475.

Credere. Quod creditur salubriter, plerumque deperditur vitæ nequitia, 210.

Criminis et peccati distinctio, 499.

Crura revelare, quid, 403.

Crystallo angelicæ fortitudo naturæ designata, 495.

Cubicula ingredi, quid, 576.

Cubiti nomine operatio demonstrata, 255.

Culmi nomine hypocrita figuratus, 616.

Culpæ omnes pari accessu cor non occupant, 195. Culpa eo insensibilior, quo apud ejus patratores habetur laudabilior, 273. Culpæ aperta perpetratio per dentes designata, 256. Culpa citius remittitur quæ malitiæ studio non perpetratur, 455.

Cura pastoralis baculus, 479. Curæ nimiæ rerum carnalium, muscæ 90. Vermes, 165. Curis exterioribus servientes in Ecclesia per cutem designati, 273. Per pelles, 278. Qui curas sæculi libenter tolerat congestum cinerem superius portat, 506.

Curiosi latentes in magnis rerum inquisitionibus pes-

Digitized by Google

bus maris comparati, 94. Cutem adhærere ossibus, quid, 272. Super cutem saccum consuere, et cinere carnem operire, quid, 273. Cutis pulchritudo pro gloria temporali posita, 251. Cutis nomine mollities infirmitatis designata, 272. Cutis vocabulo, is qui in sanctæ Ecclesiæ corpore exteriori curæ deservit, expressus, 273. Cutis nomine peccatum carnis designatum, 273.

D

Delectatio carnalis, caro est, 276. Ad delectationem homo non rapitur, nisi per voluntarias mentis tenebras infirmetur, 320.

Denario numero angelorum et hominum natura designata, 637.

Dentes antiqui hostis Ecclesiæ, qui, 233. Dentes pro pravis suggestionibus positi, 256. Dentibus pravi prædicatores comparati, 256. Dentibus Antichristi, errorum magistri figurati, 236. Dentibus aperta jam culpæ perpetratio designata, 236. De dentibus diaboli prædam tollere, quid, 237. Dentibus suis carnes proprias lacerare quid, 234, 235. Dentium nomine aperti bonorum persecutores figurati, 235. Dentium vocabulo generaliter sancti prædicatores intelligendi, 233. Dentium appellatione sensus interni significati, 234. Dentium nomine sancti apostoli designati, 233.

Deserti nomine Judæa intelligenda, 365. Deserti vocabulo gentilitas accipienda, 365. Deserti nomine cœlum intelligendum, 365, 366. Deserti vocabulo vel cor fidelium, vel multitudo immundorum spirituum designata, 366. Deserti appellatione derelicta immundorum spirituum multitudo non inconvenienter accipienda, 367. Desertorum nomine hæreticorum dogmata vel vitæ temporalis commoda intelligenda, 367.

Desideria lubrica pravorum aquis similia, 385. Desideria concupiscentiæ carnalis ostia nuncupata, 575.

Desidia vesperæ comparata, 523.

Detractio invidiæ filia, 195. Qui detractione alienæ vitæ pascuntur, alienis saturantur carnibus, 280. Detractionis verba in confabulatione conferre, symbolum dare est, 280.

Deus in sacra Scriptura aliquando nuncupative, aliquando essentialiter dictus, 1. Dei nuncupativum nomen ab essentiali quomodo discernatur, 1. In Deo manus, brachium, dextera vel vox consubstantialem ei Filium demonstrant, 253. Deus ignis consumens, 498. Deus persecutor bonus, 279. Deus tribus modis nos interrogare consuetus, 221. Deus Pater homo nuncupatus, 169. Rex, 187. Ignis, 498. Deus Pater quandonam fecit nuptias Filio suo, 253. Deus cur dicatur habere oculos et manus, 302. Deum habere brachium, quid, 253. In Deo non potest dici aliquid vel parum, 345. Quidquid de Deo nunc videtur non est ipse, sed sub ipso est, 561. Deus auctor naturæ, non culpæ, 15. Deum spiritum hominis, et flatum ad se trahere, quid, 201. Deum dici aliquando et hominem posse, 254. Deum coli purum hominem non posse, 254. Deum cuncta simul condidisse, quomodo accipiendum, 150.

Dexteræ nomine vita perpetua designata, 260. Dexteræ vocabulo electi figurati, 261. Dexteræ significatione, id quod pro magno habetur demonstratum, 261. In dexteram navigii quare mitti rete ad piscandum jubet Redemptor, 261. A dextris Satan Domino stetisse, quid, 262.

Diaboli portæ doctores iniqui, 168. Diaboli membra omnes iniqui, 235. Diaboli dentes, bonorum persecutores, 235. Diaboli insidiæ occultæ per molas expressæ, 237. E diaboli naribus fumum procedere, quid, 223. Diabolus homo nuncupatus, 171. Mors, 539. Principium, 358. Ventus, 39. Avis, 64. Tigris, 137. Lupus mentes lanians, 139. Behemoth, 149. Leviathan, 151. Bestia, 125. Leo, 129. Milvus, 88. Regulus, 155. Aquilo, 325. Diabolus possidet corda divino amore vacua, 52. Diabolus non rapit nec agitat quæ videt secum jacere, 108. Diabolus homini falso promittens impossibilia, vere possibilia sustulit, 151. Diabolus promittere bona videtur, sed ad perditum finem trahit, 229. Diabolus magna promittens etiam minora subtrahit, 249. Diabolus nequit dormire in cordibus sanctorum, 537. Diabolus toties pungitur ut recedat a cordibus sanctorum, quoties in cœlum suspirant, 537. Diabolus corde expellendus gravius affligit, quam cum habitaret, 369. Diabolus et iniqui unum corpus, 171. Diabolus quare serpens et vectis simul appellatus, 151. Diabolus in frigidis mentibus securus dormit, 601.

Diei nomine claritas futuræ vitæ designata, 519. Diei vocabulo peccati delectatio expressa, 519. Diei comparatione claritas intellectus demonstrata, 520. Diei appellatione spiritalis doctor figuratus, 521. Diei significatione claritas conversationis Redemptoris nostri in carne accipienda, 521. Dierum nomine singulæ electorum animæ designatæ, 522. Dierum vocabulo expressi ii, qui in æterna luce permanent angelici spiritus, 522. Dierum anni appellatione singulæ virtutes intelligendæ, 523. Dierum comparatione æternitatis longitudo demonstrata, 524. Dierum nomine intelligentia signata, 524. Dies Domini, ipsa æternitas, 524. Dies dimidiare quid, 516. Digiti appellatione discretio quare significata, 265.

Digiti nomine Spiritus sancti in Evangelio designatus, 264. Digitorum vocabulo dona sancti Spiritus expressa, 264. Quid, quod digitos suos redemptor in aures surdi et muti misit cum eum sanare voluisset, 265. Digitum ori supponere, quid, 265, 266.

Diluculi nomine præsens electorum Ecclesia designata, 514. Diluculi vocabulo cognitio veritatis figurata, 514. Diluculo nos a Domino visitari, quid, 514.

Disciplinæ magisterium est culpis discrete parcere et pie resecare, 131. Disciplinæ munitio, murus, 552. Maceria, 552.

Discipuli Christi per carnem significati, 269. Discipulos Domini singulos ex persecutione Judæorum timor invasit, cum ad crucis horam ventum est, 269.

Discordia inanis gloriæ filia, 195.

Dissolutio spiritus ad ingluviem rapit mentem, 371.

Divitiarum nomine consiliorum acumina designata, 425. Divitiarum vocabulo divina eloquia figurata, 426. Divitiis sollicitudines et voluptates a Domino junctæ, 472.

Dominari quid, 4.

Dominationes quinam spiritus dicuntur, 4. Inter dominationum numeros quinam homines currunt, 6.

Domus nomine cœlestis Ecclesia designata, 555. Domus vocabulo corpus Christi figuratum, 555. Domus appellatione conscientia significata, 555. Domus significatione cœli habitaculum expressum, 556. Domus comparatione virtutum fabrica demonstrata, 556.

Dormientem hominem silere, et somno suo requiescere, quid, 189. Dormire, in peccatis jacere, 526.

Dorsi nomine subjecti designati, 266. Dorsum doctorum pravorum incurvari quid, 266.

Drachma humanam naturam designat, 177.

Draco. A dracone vel struthione Dominum glorificari, quid, 154. Per draconem malitia figurata, 85. Draconis caudam stellas in terram dejicere quid, 28. Draconis nomine Antichristus designatus, 152. Draconis vocabulo malitia demonstrata, 152. Draconis appellatione antiquus hostis significatus, 153. Draconum significatione nequissimi Judæorum principes expressi, 153. Draconum nomine dæmones figurati, 153. Draconum appellatione aperte mali, vel gentiles intelligendi, 153.

Ducum nomine errorum auctores designati, 193. Duces vocem suam cohibere, quid, 193. Ducum nomine principalia vita significata, 193.

E

Ebrii in sacra Scriptura, qui, 168.

Ebur quid, 58, 59. Ebore antiquo rubicundiores qui dicantur, 59.

Ecclesia cœlum vocata in sacro eloquio, 12. Arcturus, 54. Luna, 24. Turtur, 89. Jumentum, 92. Leæna, 132. Regnum cœlorum, 268. Vidua, 182. Mons, 343. Ager, 349. Ferculum Regis pacifici, 459. Thalamus, 582. Terra, 325. Aurora, 512. Vinea, 517. Civitas, 548. Ecclesia malos cum bonis, superbos cum humilibus capit, 261, 268. Ecclesia auroræ comparata, 512. Ecclesia quomodo lanceis ab hoste suo circumdari intelligatur, 309. Ecclesia quare sapphiris fundata in sacro eloquio describatur, 451. Ecclesia lanceis ab hoste suo circumdari quando dicatur, 452. Ecclesia sagenæ in mare missæ comparata, 268. Ecclesia cur decem virginibus similis denuntiatur, 642. Ecclesia luna perfecta in æternum, 24. Ecclesia quomodo oculus sit cæco, et pes claudo, 216. Ecclesia sancta, pacifici Regis nostri ferculum, 459. Ecclesia superni sui capitis corpus, 315. Ecclesiæ sanctæ nec in lingua iniquitas, nec in faucibus stultitia resonat, 231. Ecclesiæ viscera, quæ, 306. Ecclesiæ vertex, Christus, 209. Ecclesiæ genæ, Patres spirituales, 240. Ecclesiæ collum sacra eloquia, 249. Ad Ecclesiam desponsandam Domino famulatur prophetia, 185.

Egens homo Christus in sacra Scriptura nuncupatus, 314.

Egestas in sacro eloquio, duplex, alia electorum, alia reprobrorum, 245, 246. Egestas electorum, quæ, 246. Egestas reprobrorum, quæ, 246.

Elatio. Per elationis vitium quotidie capimur, 135. Elationis vitio deserviunt plerique sub occasione defendendæ rectitudinis, 208.

Electi quique frumenta Dei nuncupati, 38. Electi per accipitrem et herodium designati, 87. Electi pupillis similes, 99. Electorum mens, humus, 354. Electorum animæ, dies, 522. Electorum Ecclesia cur in monte fundata dicatur, 255. Electorum egestas alia quam reprobrorum, 246. Electorum vita palmæ comparata, 461.

Digitized by Google

Electri nomine Redemptor noster designatus, 428.
Eleemosynæ Cornelii centurionis ante baptismum laudatæ, 586.
Eliseum super puerum oscitasse septies quid, 478.
Eloquia Domini, argentum igne examinatum, 427. Eloquii divini quot præcepta, tot pectoris nostri munimina, 230. Cum eloquiis sacris intendimus, diaboli insidias gravius toleramus, 412. Eloquium divinum mari comparatum, 594.
Ensis super femur, quid, 310, 311.
Ephpheta quid, et quare surdo a Domino dictum, 265.
Equi nomine aliquando lubrica pravorum vita figurata, 95. Equi nomine dignitas temporalis aliquando intelligenda, 95. Equi nomine hoc ipsum præsens sæculum designatum, 95. Equi nomine præparatio rectæ intentionis aliquando accipienda, 97. Equi nomine sanctus etiam quilibet prædicator figuratus, 97. Equorum nomine electorum corpora designata, 97.
Errorum auctores duces nuncupati, 195. Errorum magistri, dentes Antichristi, 236.
Erucæ nomine luxuria designata, 167.
Evangelistæ columnis comparati, 580. Evangelistæ quatuor animalium faciebus expressi, 128, 243. Evangelistarum facies ad humanitatem, pennæ ad divinitatem pertinent, 243. Evangelistarum libri per rivos signati, 404.
Evangelizare Græca lingua denuntiare dicitur, 7.
Exempla patrum, ligna, 458. Exempla bonorum, scintillæ, 502.
Explanationes doctorum ecclesiasticorum, rivi, 405.
Exsultatio in adversis proximi, filia invidiæ, 195.
Ezechiel quare filius hominis a Deo nuncupatus, 368.

F

Faciei nomine mentis intentio designata, 242. Faciei vocabulo sanctus quilibet Ecclesiæ prælatus significatus, 243, Faciei appellatione notitia demonstrata, 243. Faciei significatione rei præsentia demonstrata, 247. Faciei nomine animadversionis ultio designata, 247. Faciei significatione cognitio Dei intelligenda, 244. Faciei nomine cognitio diaboli expressa, 245. In facie prima corporis et honorabilior pars, 242, 243. Faciem crassitudine operiri, quid, 243. Faciem Dei videre in Jubilo, quid, 245. Faciem ad Dominum sine macula levare, quid, 242. In faciem cadere, quid, 96. Facies in sacra Scriptura pro mente posita, 241. Facies Ecclesiæ sanctæ, hi qui in locis regiminum positi apparent primi, 243. Facies quatuor quare uni evangelistarum esse dicantur, 244. Facies evangelistarum ad humanitatem Domini pertinentes, 241.
Famulos suos Deus tunc attentius respicit, cum eos injustus affligit, 192.
Femore voluptas carnis figurata, 277. Femoris vocabulo propagatio carnis significata, 311. Femoris nomine delectatio carnis designata, 310. Femur percutere, quid, 277.
Fenestrarum nomine prælati sanctæ Ecclesiæ designati, 577. Fenestrarum vocabulo sensus corporis figurati, 577. Fenestrarum comparatione mentes contemplativæ demonstratæ, 578.
Ferramentorum nomine minora Domini flagella figurata, 453.
Ferri nomine prædicationis jaculum figuratum, 431. Ferri vocabulo, is qui nocendi malitiam non deserit, significatus, 432. Ferri nomine conversorum soliditas designata, 429. Ferri vocabulo fortitudo significata, 430. Ferrum in manubrio, quid, 454.
Fici nomine mens humana designata, 473. Fici vocabulo humana natura figurata, 473.
Ficulnea. Circa ficulneam fodere, quid, 379, 380.
Fideles negligenter viventes fluvio comparati, 398. Fideles sine amaritudine in hoc mundo non sunt, licet prosperentur, 259. Fideles magna operantes, sed terrenam quærentes gloriam centum cubitis non mensurantur, 596. Fidelis populus templo assimilatus, 562.
Fides. Sine fide impossibile placere Deo, 586. Fidei unitas malis punicis comparata, 483. Fidei soliditas, petra nuncupata, 487. Fidem medullitus tenent nonnulli, sed vivere fideliter nullatenus curant, 210. Fidei opera servare contemnentes, fidem quoque perdunt, quam tenere videbantur, 210. Fides turbata quasi defectura fatigatur, dum immensis quæstionibus animus tenditur, 44. Fides Christiana porta ad Orientem, 51. Fides, per verticem designata, 209. Per funem, 232. Per ostium, 572. Per vestibulum, 585.
Filii mali malorum parentum, genimina viperarum, 158.
Firmamenti nomine in sacra Scriptura Redemptor noster designatus, 19. Firmamentum facta natura humana, postquam assumpta est a Creatore omnium, 19. Firmamentum, cur quasi aspectus crystalli in sacra Scriptura dicatur, 493
Flagello quando nos Conditor interrogat, 221.
Flammæ nomine æstus carnalium desideriorum designatus, 501. Flammam ramos iniqui arefacere, quid, 501, 502.
Floris nomine mediator Dei et hominum Christus Jesus expressus, 483. Floris vocabulo præsentis vitæ gloria designata, 483. Floris appellatione favor humanæ laudis significatus, 483. Florum comparatione animæ bonum inchoantes demonstratæ, 484.
Fluctuum nomine tumultus tentationum designati, 413. Fluctuum vocabulo semitæ pravorum significatæ, 417.
Fluminis nomine Spiritus sanctus designatus, 402. Fluminis rivuli, dona sancti Spiritus, 402. Fluminum vocabulo sancti prædicatores expressi, 403. Fluminum comparatione actiones hujus sæculi demonstratæ, 405. Fluminum acceptione dona sancti Spiritus significata, 403.
Fluvii nomine ignis extremi judicii designatus, 97. Fluvii vocabulo decursio humani generis figurata, 397. Fluvii appellatione signati illi, qui fidem quidem veritatis agnoverunt, sed vivere fideliter negligunt, 398. Fluviorum nomine dicta antiquorum patrum designata, 399. Fluviorum vocabulo maligni spiritus doctrina demonstrata, 400. Fluviorum acceptione cursus mutabilitatis accipiendus, 400. Fluviorum et maris comparatione præsentis vitæ decursus expressus, 401, 402.
Folii nomine mentis levitas in sacra Scriptura intelligenda, 483.
Fontis nomine Redemptor noster designatus, 409. Fontium vocabulo dona gratiæ spiritalis figurata, 410. Fontium significatione fluenta veritatis demonstrata, 410.
Fortitudinis duritia ossium nomine designata, 288. Ferri, 430. Æris, 434. Fortitudinem mutare, quid, 434.
Fortium culpa est aliquando virtutis occasio, 178. Fortium mentes lapidibus comparatæ, 491.
Fossa cur in altari fieri solita, 570. Fossæ vocabulo patientia figurata, 573. Fossæ nomine humilitas expressa, 273.
Foveæ nomine, vel terrenarum rerum abjectio, vel barathrum inferni designatur, 372. In foveam facies mergere, quid, 372. Foveæ vocabulo latebræ defensionis significatæ, 373.
Fraus avaritiæ filia, 193.
Frondis nomine cœlestium spirituum legiones designatæ, 482. Frondium vocabulo Judææ reges figurati, 482.
Frontes portarum, verba atque opera prædicatorum, 575.
Fructus terræ absque pecunia comedere, quid, 425.
Frugum nomine conversi, vel Judæi, vel gentiles intelligendi, 612.
Frumenti nomine quælibet electa anima designata, 607. Frumenti vocabulo sacræ doctrinæ eloquium figuratum, 607. Frumenti significatione profectio justitiæ intelligenda, 608. Frumenti comparatione viriditas æternæ retributionis demonstrata, vel opus quod mentem reficit, 608. Frumenti acceptione interna sacri eloquii intelligentia expressa, 609. Frumentorum appellatione virtutes demonstratæ, 609. Frumentorum nomine prædicationis verba signata, 609. Frumentum virga cædere, quid, 509.
Fulgura vadentia et revertentia quæ, 55. Fulguris nomine excitatio divini terroris quando intelligenda, 51. Fulgurum nomine miracula sanctorum prædicatorum designata, 55.
Fulminum nomine tremendæ extremi judicii sententiæ expressæ, 56.
Fumi nomine compunctio designata, 503. Fumi comparatione caliginosa dubietas demonstrata, 505.
Fundamenti nomine ipse Dominus designatus, 563. Fundamenti vocabulo fides expressa, 563. Fundamentorum appellatione sancti apostoli significati, 563.
Fune fides expressa, 232. Fune peccatum demonstratum, 231. Fune lingua Leviathan quomodo a Domino ligata, 232. Funes in præclaris cadere, quid. 251

G

Gabriel archangelus cur missus ad Mariam virginem, 3. Gabriel *fortitudo Dei*, 3. Quando mitti dicitur, 3. Gallinæ nomine sapientia Dei designata, 77. Gallo desuper intelligentia cur tribui dicatur, 74. Gallorum cum prædicatoribus communes proprietates, 74, 75, 76. Galli nomine cur prædicator sanctus in sacra Scriptura designatus, 75.
Gaudium inane, lucerna, 511.
Gazophylacia, corda doctorum, 575, 583. Gazophylacia, corda doctorum sapientiæ atque scientiæ divitiis plena, 584. Gazophylacium spiritalis ædificii, qui prudenter prædicat, 584. Gazophylacium, in quo divitiæ servantur, 587.
Gedeon ad prælium veniens, Redemptoris nostri figura, 512. Gedeon *circuiens in utero* interpretatus, 512.

Digitized by Google

Gedeonis milites tubas in dextera, et in sinistra lagenas tenentes, quid designent, 262.

Genarum nomine spirituales Patres designati, 240. Genæ sanctæ Ecclesiæ quando sicut cortex mali punici rubere dicantur, 240.

Genibus flexis aquas haurientes cur a bellorum conflictu remoti, 512, 515.

Gentilis populus Lazaro comparatus, 170. Gentilis populus onagri vocabulo figuratus, 145. Gentilis populus, terra, 208. Nihilum, 526. Campus, 549. Desertum, 565. Invium, 564. Solitudo, 569 Gentilium duritia per lapidem signata, 385. Per mare, 393. Per petras, 405. Per silicem, 458. Per Æthiopiam, 494. Ex gentilibus multi exspectarunt Redemptoris adventum, 144.

Genuum vocabulo sensus spiritus, vel peccandi consuetudines expressæ, 315. Genuum nomine opera designata, 512.

Gladii nomine verbum Dei designatum, 445. Gladii vocabulo futuri judicii sententia demonstrata, 445. Gladii comparatione damnationis æternæ pœna significata, 445. Gladii significatione vicina percussio figurata, 446. Gladii acceptione tribulatio temporalis expressa, 446. Gladii nomine ira, vel persuasio maligni hostis intelligenda, 446. Gladii vocabulo blanda iniquorum persuasio signata, 446. Gladium circa femur quomodo potentissimus sumpsisse intelligendus, 307.

Glebarum nomine collectiones singulorum ordinum in Judæa designatæ, 355. Glebarum vocabulo per charitatem uniti demonstrati, 335. Glebarum appellatione, si in Ecclesia diversitas attendatur meritorum, distincti ordines fidelium significati, 536.

Gloria temporalis cutis pulchritudini assimilata, 254. Sinistræ, 264. Auro, 419. Gloriæ inanis milites, 195. Gloriæ cœlestis altitudo cedrus, 462.

Granum sinapis Christus, 65.

Grandinis nomine sanctorum increpatio quando intelligenda, 62. Grandinis quoque nomine dura et frigida corda pravorum designata, 62.

Gratia. Per gratiæ infusionem etiam peccantem Deus prævenit, 270. Gratiæ divinæ secretus sinus, uterus, 501 Gratiæ spiritalis dona, fontes, 410.

Gressuum nomine operationes, vel cogitationum motus designati, 362.

Gurgitum nomine multiplex expositorum sanctæ Ecclesiæ prædicatio designata, 414

H

Hæresis, tinea, 166. Hæresi maculati, viduæ nuncupati, 185.

Hæretici, canes appellati, 119. Hæretici lamiæ humana quidem facie, sed belluinis cordibus, 299. Hæretici debent prius errorem suum sentire, ut auditæ veritati non contradicant, 251. Hæretici quasi de sanctitate securi sunt, 134. Hæretici de sanctitatis præsumptione superbiunt, 137. Hæretici, quia Ecclesiam docere cupiunt, quasi consolantes ad eam veniunt, 338. Hæretici quia Scripturam intelligere moliuntur sua virtute, non intelligunt, 368. Hæretici opprimunt Scripturæ conditorem, quia ejus sensum inflectunt, 474. Hæretici sententias ex Scriptura pro sua intentione colligunt, 474. Hæretici dum verba molliunt, virus infundunt, 525. Hæretici suis sibi vicissim allegationibus contradicunt, 199. Hæretici divites alios donis alliciunt ad hæresim, 287. Hæretici recte onagris comparati, 145. Et tineæ domum suam ædificanti, 166.

Hannaneel, gratia Dei, 548.

Hastæ nomine aperte sæviens pravorum persecutio designata, 451. Hastæ significatione prædicationis jaculum appellatum, 452.

Herbæ nomine viror gloriæ temporalis accipiendus, 592. Herbæ vocabulo sustentatio prædicatorum signata, 592. Herbæ comparatione bona operatio demonstrata, 593. Herbæ acceptione scientiæ atque doctrinæ æternæ viriditas significata, 593. Herbarum significatione dicta Scripturæ planiora designata, 593. Herbarum appellatione verba loquentium figurata, 593. Herbarum vocabulo carnales expressi, 593. Herbas mandere, quid, 461.

Herodiadis filiæ saltatus quam iniqua apud regem temulentum obtineat, 220.

Herodius. In Herodio et accipitre electorum persona signata, 83, 87. Per Herodium et accipitrem antiqui patres expressi, 84.

Hiemis nomine vita præsens designata, 545.

Hierusalem civitas in latere descripta, 569.

Hominem tanquam pulverem ante faciem venti elevari, quid, 180. Hominis vocabulo diabolus præsignatus, 171. Hominis appellatione caro expressa, 171, 172. Hominis appellatione quomodo Verbum incarnatum demonstretur, 170. Hominis vocabulo Judaicus populus designatus, 170. Hominis nomine sensus rationis aliquando intelligendus, 172. Hominis nomine aliquando Deus Pater in sacro eloquio accipiendus, 169. Homines malitiosi dracones, 46. Hominum distinctæ conversationes quadrant in angelorum distinctiones, 5. Hominum nomine spirituales viri expressi, 171. Hominum vocabulo carnalia sapientes designati, 172. Primus homo fuit homo, non filius hominis, 163. Primus homo, si Deo semper obedisset, in cœlum sine carnis morte transisset, 188. Primus homo sic fuit conditus ut mori posset, et mori non posset, 188. Primus homo si non peccasset, etiam non redemptus in cœlum ascenderet, 191. Homo se crederet magnarum esse virium, si nullum earum sentiret defectum, 45. Homo lege naturæ tenetur scire quid sit pravum rectumve, 591. Homo potentiæ Dei signaculum, 376. Homo cur ex luto conditus, 376. Homo noster exterior luto comparatus, 578. Homo quamlibet perfectus, de otioso tamen sermone peccat, 226. Homo quare post culpam veniam meruit, 577. Homo per naturam positus, 172. Homo per infirmitatem dictus, 172. Homo folium arboris, 617. Homo stipula, 617. Homo arbor, 617. Homo putredo, et filius hominis vermis, 162, 163. Homo omnis qui ex anima et carne consistit, quasi ex robore et infirmitate compositus, 300. Homo ad quid in paradiso positus, 188. Quomodo immortalis conditus, 188. Homo more floris procedit ex occulto, et subito apparet in publico, 538.

Hora tertia, adolescentia, 518. Hora sexta, juventus, 518. Hora nona, senectus, 518. Hora undecima, ea ætas quæ decrepita vel veterana dicitur, 518.

Hordeo littera Veteris Testamenti designata, 610. Hordei vocabulo terrenarum rerum dispensatio intelligenda, 610.

Hostia vivens Domino, corpus afflictum, 562.

Hostis antiquus, draco, 152. Nox, 504. Hostis antiqui incomprehensibilis astutia, abyssus, 390. Hostis antiqui persuasio, vel ira gladius, 446. Hostis antiquus aliud nunc patitur, aliud in fine sæculi patietur, 534.

Humeri vocabulo operatio significata, 252. Humeri nomine socialis vitæ conjunctio designata, 251. Humerus quibus a junctura cadere dicatur, 252. Humerum discooperire, quid, 405.

Humi nomine electorum mens designata, 334.

Humilitas auditorum per pavimentum demonstrata, 591. Humilitas cur aquis nivis comparata, 386, 387. Humilitas tropologice fossa nuncupata, 373. Humilitas lamenta aquæ nivis, 386.

Hypocrisis inanis gloriæ filia, 195. Similis struthioni, 85.

Hypocrita, tigris, 136. Sterquilinium, 16. Hypocrita nec Deum, nec proximum diligit, 402. Hypocrita in cunctis operibus sperat honoris reverentiam, 403. Hypocritæ mens nunquam vacat a malitiæ cogitatione, 302. Hypocritæ bonorum vitam simulantes habent imitationem sanctæ conversationis, non veritatem, 85. Hypocritæ superbia in cœlum ascendere quando dicitur, 16. Hypocritæ et simulatores tigridi comparati, 136, 137. Hypocritarum laus, cur præda dicatur, 137.

Hyssopi nomine fides designata, 597.

I

Ignis. In igne quare Spiritus sanctus apparuit, 232. Per ignem Spiritus sanctus figuratus, 260. Ignem in monte ardere, quid, 308. Ignis lunaris exurit quidem, sed exurendo humidum reddit, 25. Ignis nomine zelus charitatis designatus, 497. Ignis vocabulo charitas figurata, 498. Ignis comparatione Spiritus sanctus demonstratus, 498. Ignis significatione malitiæ aliquando expressa, 498. Ignis appellatione Deus accipiendus, 498. Ignis nomine ardor passionis designatus, 499. Ignis vocabulo ardor luxuriæ significatus, 499. Ignis significatione flamma invidiæ expressa, 500. Ignis comparatione compunctionis calor demonstratus, 500. Ignis nomine ardor gehennæ descriptus, 501. Ignis nomine sanctus Spiritus signari solitus, 51. Ignis gehennæ et ignis domestici discrimen, 501. Ignis gehennæ a mundi origine creatus, 501.

Imber vehementissimus in sacro eloquio quid, 57, 27. Imbri vehementissimo viam dare Dominum, quid, 171.

Immunditia per asinum expressa, 99.

Incarnatio Christi radix, 475. Umbra, 556. Incarnationis Dominicæ intentio, semita, 560 In incarnatione Domini sperare est altare de terra Domini facere, 551.

Incarnata Sapientia, lignum, 456.

Increpatio ss., grando, 62. Securis, 455. Cum increpatio in se trahit asperitatem, securis de manu fugit, 455.

Inedia costas hominis invadens, quid, 500.

Infantis nomine Dominus appellatus, 185. Infantis vocabulo quilibet regeneratus, vel noviter conversus demonstratus, 185.

Infernus, abyssus, 388. Lacus, 413. In infernum cum armis descendere, quid, 441.

Digitized by Google

Ingenium, aurum, 420.
Ingluvies per bruchum signata, 167. Ingluviei ad cor devictum exhortatio, 197. Ingluviei stercora, 196.
Iniqui omnes membra diaboli, 255. Iniqui, umbræ, 539. Iniqui in omni peccato scutum superbæ defensionis opponunt, 443. Iniquus nemo potest verius dici, quam diabolus, 256. Iniquitas gravis, quando qui perversus est alios molitur perversos ostendere, 385. Iniquitatem in vinculis vanitatis trahi, quid, 251.
Innocentia per ovem designata, 99.
Inobedientia, inanis gloriæ filia, 195.
Inopiam metuens ob res distributas, egenus æternæ refectionis abundantiam sibi abscindit, 61.
Inquietudo spiritus aliquando existimatur vigilans sollicitudo, 291.
Insanum hominem a subjugali muto corripi quid, 102.
Insensibilibus discimus quid sentiamus de insensibilibus, 189.
Institores qui, et unde sic nuncupati, 132. Per institorum filios in sacra Scriptura, qui intelligendi, 132.
Intellectus, ostium, 575.
Intelligentia dies, 524. Intelligentia terrena, pulvis, 358.
Intentio nostra ex natura bene condita, sed ex conversatione sæpe nequiter assueta, 506. Intentio nostra per cuncta opera pensanda, 581. In intentione virtutes subsistunt, 581. Intentio mentis per faciem designata, 285. Per medullas, 292. Per superliminare, 572. Per bases, 581. Intentionis rectæ præparatio per equum expressa, 97. Per oculum, 503. Intentionem non prævalens diabolus in exordio vitiare, in ipso actionis itinere laqueos ponit, 205. Intentiones nostræ in Christo roboratæ sunt bases in fundamento, 582.
Intestinorum nomine occulta et mystica Dei mandata designata, 305.
Invia cur dicta gentilitas, 364. Invia quælibet fidelium mens, 364.
Invidiæ germina, 195.
Ira ventura, animadversio extremæ ultionis, 138. Ira per rubiginem signata, 167. Cum ira dulcedinem tranquillitatis amisit, nihil hanc nisi mœror subsequens pascit, 196. Iram nobis vincere conantibus nimia succedit levitas, 371. Iræ fetus, 195.
Isaias astrum pluviæ quomodo factus, 17.
Israel vir videns Dominum dictus, 204.

J

Jacob *supplantator* dictus, 204. Jacob luctans cum angelo, quid, 311.
Jactantia, inanis gloriæ filia, 195.
Jaspidis nomine viror interni desiderii designatus, 494.
Jeremias et cæteri prophetæ quomodo velut in cœlo positi astra pluviæ fuisse perhibentur, 17.
Jesum quasi Regem sedere circumstante exercitu, quid, 187. Jesus, licet ab omni peccato alienus, venit tamen in similitudine carnis peccati, 262. Jesu desiderio ardebat Jacob moriens, 38. Jesus quare sordidis vestibus indutus dicatur, 262. Jesus, id est salutare, 308. Christus in curanda natura humana medicinæ morem secutus, 7.
Joannes evangelista per aquilam signatus, 68.
Joseph indutus talari tunica quid, 320.
Jubilatio. Per jubilationem sentitur quod ultra sensum est, 244. Jubilum, quid, 244.
Judæa per austrum designata, 48. Per corvum, 79. Per lutum, 85. Per bovem, 98. Judæa pro Christo exspectat Antichristum, 97. Judæi canes Christum persequentes, 119. Judæi fideles, oves, 123. Judæi infideles et persecutores, onagri, 146. Judæi timuerunt perdere locum suum non occiso Christo, quem perdiderunt occiso, 146. Judæi tenebant legem in ore, sed legis auctorem persequebantur, 326. Judæi onagris et draconibus comparati, 146.
Judaica plebs bovi comparata, 144. Judaicus populus epuloni diviti comparatus, 170. Judaicus populus oriens jure dictus, 590. Judicii divini terror per ventum turbinis expressus, 53. Judicii divini excitatio per fulgur designata, 54. Judicii extremi sententiæ fulmina, 56. Gladius, 445. Judicii extremi animadversio, nix, 61. Judicii extremi dies, æstas, 545. In judicio quinam vocabuntur a Christo ad consedendum, 333. Judicii dies quo plus differtur, eo districtius in eo judicabitur, 447. In judicio extremo Deus apparebit justis tranquillus, injustis iratus, 70. Judicia Dei occulta, tenebræ, 531. Judiciorum divinorum incomprehensibilitas abyssus, 389. Judicium extremum non futurum diabolus reprobis suadet, 390.
Judicis cœlestis adventus, mane dictus, 516.
Jugum asperum et gravis servitutis sæcularium cervicibus impositum, 141.
Jumenta terræ qui ex hominibus appellentur, 65. Jumenti nomine sancta Ecclesia, vel fidelis anima designata, 92. Jumentorum nomine carnales homines designati, 95. Jumentorum nomine mentes dudum brutæ figuratæ, 95. Jumentorum nomine sæculi implicamenta designata, 64. Jumentorum nomine sensu tardiores aliquando intelligendi, 94. Per jumentum quilibet sub disciplina positus intelligendus, 95.
Juncus sacri eloquii auditores signati, 153. Juramentum proferre, quid, 124. Justitia vera, quæ, 256. Justitia, lux, 508. Justitiam per timorem impleri non posse, 247.
Justus quomodo ut lucifer oriri intelligendus, cum se consumptum putaverit, 301. Justorum via absque offendiculo, 141. Justorum in hac vita duo genera, 27. Justus, lignum, 457. Limpidissima petra, 282. Justus quilibet exemplum justitiæ prærogans potest dici Deus, 1. Justus, quis certo existimandus, 256. Justi vita, Lucifer, 31. Justi anima cœlum, 13. Justi securitas leoni comparata, 129. Justi in dictis et verbis omnibus suum et proximi quærunt profectum, 24. Justi, dum peccatoribus miscentur, eos succendunt exemplorum igne. 502. Justi quare bona sua opera aliquando ostendunt, 239. Justi possunt esse in hac vita aurum, sed non obryzum, 421. Justi veteris legis post obitum passi sunt inferni claustra, non mortem, 191. Justorum vita palmæ assimilata, 464.

L

Labia sponsæ quare sicut vitta coccinea esse Scripturæ testimonio perhibentur, 211.
Labiorum tantummodo circa dentes Christi *relictorum* familiaris expositio, 233.
Laci nomine peccatum designatum, 413. Laci vocabulo infirmus expressus, 413.
Lacrymis pedes Domini rigare, quid, 212.
Lactucarum agrestium nomine amaritudo pœnitentiæ designata, 605.
Lætitia inepta, ingluviei filia, 196.
Læva sub capite sponsi, quid, 263. Lævæ nomine reprobi designati, 263. Lævæ vocabulo vitæ præsentis prosperitas demonstrata, 263.
Lagenarum nomine corpora nostra designata, 652.
Lamiæ mammas nudantes, qui, 299.
Lampadis nomine mediator Dei et hominum homo Christus Jesus designatus, 646. Lampadum vocabulo sancti illi figurati, qui et sibi per fervorem spiritus ardent, et aliis per boni exempli flammam lucent, 647. Lampadum comparatione opera nostra demonstrata, 648.
Lancearum nomine tentationum jacula designata, 452.
Lapis. In lapide gentilium duritia designata, 385. Lapidem calore solutum in æs verti quid, 434. Lapidis nomine cordis duritia designata, 480. Lapidis vocabulo dura cogitatio figurata, 489. Lapidis significatione sancta Ecclesia intelligenda, 490. Lapidis comparatione dura consuetudo peccati demonstrata, 490. Lapidum appellatione virtutes angelicæ significatæ, 470. Lapidum nomine mentes fortium expressæ, 491. Lapidum vocabulo dura corda gentilium descripta, 492. Lapidum acceptione verba sacræ Scripturæ signata, 492. Lapides sanctuarii, qui, 555.
Latro moriens in fonte misericordiæ lotus a culpa, 410.
Laus humana bono operi dum obviat, etiam non quæsita mentem immutat et delectat, 209. Laude rapta qui extollitur, quasi præda satiatur, 137. Laudibus suis auditis se extollens, aurum reprobum, 420. Laudibus falsæ nostræ si incendimur, a virtute vacuamur.
Leænæ nomine pro eo quod contra adversa audax est, Ecclesia designata, 132. Leænæ vocabulo hujus mundi civitas expressa, 133. Leænæ appellatione mens humana figurata, 134. Leænæ capiendæ stratagema, 134.
Leoni quilibet raptor comparatus, 150. Leonis nomine Marcus Evangelista designatus, 128. Leonis nomine diabolus aliquando intelligendus, 129. Leonis appellatione justi viri securitas designata, 129. Leonis nomine Antichristus expressus, 129. Leonis nomine doctorum severitas accipienda, 130. Leonis nomine Christus expressus, 120, 128. Leonum nomine eminentioris potestatis dæmones signati, 131.
Leviathan quare additamentum hominum, 131. Leviathan litteraliter et mystice interpretatus, 151.
Levitis quare injunctum ut pilos raderent, 215.
Libertatis erectio per cervicem designata, 208. Libertatis latitudo, via, 356. Libertas vera quando erit in nobis, 257.
Libidinis voluptas in renibus, 310.
Libri sacræ Scripturæ putei, 412. Librorum sacrorum fluenta, torrentes, 408.
Ligni nomine incarnata Dei sapientia designata, 456. Ligni vocabulo crux Domini figurata, 457. Ligni comparatione mentis insensibilitas significata, 457. Ligni significatione cor elatum appellatum, 457. Ligni appellatione

Digitized by Google

justus accipiendus, 457. Ligni acceptione vir injustus etiam intelligendus, 457. Ligni nomine anima humana indefinite signata, 458. Lignum secus decursus aquarum, quid, 456. Lignorum vocabulo exempla Patrum, seu sententiæ sacræ Scripturæ figuratæ, 458. Lignorum comparatione fortes Patrum mentes intelligendæ, 459. Lignorum appellatione opera demonstrata, 459.

Lilii nomine candor æternæ patriæ designatus, 594. Liliorum vocabulo bene redolens ss. vita figurata, 595.

Liminis nomine Patres Testamenti Novi designati.

Linguæ nomine aperta locutio designata, 230. Linguæ vocabulo falsitatis doctrina demonstrata, 251. Linguæ appellatione Spiritus sanctus significatus, 232. Linguam non refrenans concordiam dissipat, 385. In linguis ignis quare sanctus Spiritus monstratus, 232.

Locustæ nomine inanis gloria expressa, 167.

Locutio fluxa per aquam significata, 386.

Longanimitatis constantia ferrum, 430.

Longum non est quod cursu sui temporis tendit ut non sit, 51.

Loqui vel interpellare Christi quid, 8.

Loquentem multa non mentiri difficile, 371.

Lucernæ nomine Christus designatus, 510. Lucernæ vocabulo claritas prædicationis expressa, 510. Lucernæ comparatione claritas bonorum operum demonstrata, 510. Lucernæ appellatione Scripturæ sacræ lumen significatum, 510. Lucernæ nomine gaudium in carne signatum, 511. Lucernam super caput Ecclesiæ splendere, quid, 511. Lucernam impii, quæ super eum est, exstingui, quid, 512.

Luciferi nomine Unigenitus Dei in sacra Scriptura designatus, 29. Luciferi nomine sermonem divinum posse designari, 29. Luciferi claritatem quinam sibi in vesperi tenebras vertant, 29. Luciferi nomine justi vitam posse intelligi, 30. Luciferum se quando et quomodo Dominus innotuit, 29.

Lucis significatione cognitio legis nuncupata, 508. Lucis appellatione gaudium inane significatum, 508. Lucis acceptione justitia designata, 508. Lucis nomine claritas prædicationis etiam accipienda, 509. Lucis nomine Christus designatus, 507. Lucis vocabulo claritas æternæ patriæ figurata, 507. Lucis comparatione gloria vel prosperitas vitæ præsentis demonstrata, 508.

Lumborum significatione laudis appetitus demonstratus, 309. Lumborum vocabulo luxuria figurata, 309. Lumborum nomine propago mortalitatis designata, 307. Lumbos ab hoste antiquo convulnerari, quid, 309. Lumbos accingere, et lucernas ardentes manibus tenere quid, 174.

Lunæ nomine sancta Ecclesia in sacra Scriptura expressa, 24. Lunæ proprietates opinioni bonæ operationis convenientes, 25. Lunæ nomine stultorum inconstantia designata, 26. Lunæ nomine mutabilitas temporalitatis aliquando accipienda, 26. Lunæ nomine, fama boni operis aliquando designata, 24. Lunam non splendere in conspectu Domini quid, 162. Lunam non splendere in conspectu Domini quomodo accipiendum, 28.

Lupi nomine raptor quilibet designatus, 138. Lupi nomine malignus spiritus non corpora, sed mentes dilanians, figuratus, 139. Lupum rapere et dispergere oves, quid, 139. Lupum cum agno habitare, quid, 178. Lupum super oves venire, quid, 179.

Luti nomine Judæa demonstrata, 375. Luti vocabulo infirmitas conditionis nostræ signata, 376. Luti nomine terrenarum rerum multiplicitas figurata, 377. Luti vocabulo doctrina sordidum sapiens designata, 378. Luti nomine desiderii carnalis illecebra significata, 378. Luti vocabulo mens superfusa spiritus divini gratia intelligenda, 378. Luto denso se aggravare, quid, 378.

Luxuriæ malum dupliciter perpetrari, 294. Luxuriæ deformes liberi, 196. Luxuriæ cogitatio per pectus significata, 294. Luxuria immoderata per asinos expressa, 98. Per erucam, 167. Per lumbos, 306. Luxuria, cor quod tenet ita polluit, ut in superioris munditiæ amorem surgere nequeat, 167. A luxuriæ effectu si expellatur diabolus secreta cogitationis polluere mollitur, 294.

Luxuriosi bobus comparati, 107. Onocentauris, 146.

M

Maceriæ nomine munitio disciplinæ designata, 552. Maceriæ vocabulo difficultas perfectionis figurata, 553.

Mala tolerans assidua in hac vita est positus velut signum ferientis diaboli, 208. Mala hominum pœnitendo delentur ab oculis Dei, 531. Mali concupiscunt sæpe melioribus dominari, 385. Malos Deus tolerat, et servat ad justorum probationem, 59. Per malos diabolus nos cruciat, nesciens purgat, 59. Malos aperte Deus ex intima cogitatione aliquando ad se convertit, 154. Malum quod in ore hypocritæ est, quare sub lingua ejus abscondi dicatur, 223. Malorum punicorum nomine fidei unitas designata, 485.

Malitia per frigus expressa, 59. Per dracones, 85, 152. Per ignem involventem, 498. Malitiam non depœnens in tribulatione, ferrum est in fornace, 432. Mammarum nomine erroris prædicatio designata, 299.

Mandatis cœlestibus inservientes, pueri sunt, 184. Mandata Dei tacitus cogitans habet Deum in tabernaculo, 557.

Mane nomine adventus Dominicæ incarnationis designatus, 515. Mane vocabulo adventus Judicis expressus, 516. Mane comparatione vitæ nostræ exordium demonstratum, 516. Mane significatione vitæ præsentis prosperitas appellata, 517. Mane appellatione mundi exordium in Evangelio significatum, 517. A mane ad vesperam succidi peccatorem, quid, 516. Mane comedere, quid, 517.

Manna, esca gratiæ desuper data, 599.

Manum in sancta Ecclesia super os ponere, quid, 226. Manus vocabulo fortitudo expressa, 258. Manus plagæ, fortitudo percussionis, 259. Manus nomine potestas figurata, 257. Manus nomine operatio demonstrata, 257. Manum super os ponere, quid, 257. Manus nomine unigenitus Dei Filius designatus, 255. Manus vocabulo activa vita significata, 256. Manuum nomine severa legis districtio designata, 259.

Mansuetudo Dei per columbam designata, 70.

Mansueto sacerdotum per bovem expressa, 107.

Marcus evangelista per leonem expressus, 128.

Mare Deus intrat, quando cor sæculare humiliat, 389. Per mare more divini eloquii sæculum præsens intelligendum, 388, 392. Mare mens humana, 399. Maris profundum a Deo penetrari, quid, 389. Maris nomine gentilitas designata, 393. Maris vocabulo sæcularium hominum amara inquietudo intelligenda, 394. Maris significatione divinum eloquium accipiendum, 394. Maris acceptione cor nostrum significatum, 395. Maria virgo exiit de lumbis Abrahæ, 307.

Martyres in albis sedentes cur Joannes viderit, 97. Martyres ad prælium venerunt armati tubis, lagenis, lampadibus, 262. Martyres hostium gladios non gladiis, sed patientia superarunt, 262.

Martyrii duo genera, 645.

Masculum natum patri denuntiare quid, 75. Mater nostra et soror quo sensu a B. Job vermes nuncupatæ, 163.

Matthæus evangelista per hominem signatus, 128.

Maxillam Ecclesiæ ferire, quid, 240. Maxillarum nomine prædicatores sancti designati, 259.

Medicinæ mos ut aliquando similia similibus, aliquando contraria contrariis curet, 7.

Medullæ ossa iniquorum irrigantes quid significent, 164. Medullæ in ossibus pravorum divitum, quæ, 289. Medullæ nomine nobilitas regia designata, 292. Medullæ vocabulo subtilitas ingenii non inconvenienter expressa, 192. Medullarum appellatione divitiæ figuratæ, 292. Medullarum significatione intentiones cordis, 292.

Membra carnium, quæ, 279. Membrum corporis quid, 279. Membrum membri quid, 279. Membris corporeis Deum constare quomodo intelligendum, 302. Membrorum nomine teneritudo infirmorum figurata, 210.

Mendacium sæpe perjurio tegitur, 71.

Mens uterus, 302. Venter, 303. Mens humana leænæ comparata, 134, 135. Avi, 64. Ventri, 237. Tabernaculo, 241. Mentis cogitationes ira tumescentes fluctus maris, 401. Mens quatuor virtutum cardinalium ope ab omni æstu carnali frigescit, 42. Mens humana desperata; mare, 389. Mens irrationabilis bestia, 126. Mens quælibet divino clausa verbo invia nuncupata, 364. Mens sancta, mons, 344. Mens cum a pravitate sua flecti se non patitur, ex recti defensione gloriatur, 291. Mentes stupidæ per tabernaculi pelles signatæ, 270. Mentes terrena ardentes concupiscentia, prunæ, 505. Mentes in peccatis frigidæ, carbones, 505. Mentis humanæ prima deceptio, 135. Mentis internæ recta intentio, viscera ventris, 303. Mentis motus, gressus, 337. Mentis peccatricis torpor, umbra, 537. Mentium soliditas per nubes expressa, 39. Per caput 206.

Mensis nomine perfectio designata, 540. Mensium vocabulo actiones nostræ figuratæ, 540. Mensium comparatione, vel multiplicatæ fidelium Ecclesiæ, quæ unam Catholicam faciunt, vel cœlestium spirituum ordines et dignitates demonstratæ, 542. Mensium appellatione collectiones animarum significatæ, 542.

Menstruata pollutio, quid, 409.

Mentum dextera tenere quid, 226.

Mercenarius pastor quis, 138.

Meridiei nomine fervor charitatis designatus, 544. Meridiei vocabulo fervor carnalium expressus, 544.

Messis nomine littera Scripturæ sacræ signata, 611.

Digitized by Google

Messis vocabulo donum rectæ intelligentiæ figuratum, 611.
Michael, quis ut Deus, 3. Quando mitti perhibetur, 3.
Millenarius numerus in sacro eloquio perfectus, 629.
Milvi nomine diabolus designatus, 88.
Miracula sanctorum, arma, 439. Miraculorum claritas lampadum nomine expressa, 262.
Misericordiæ fructus, quasi olivæ liquor ante omnipotentis Dei oculos lucens, 468. Misericordiam Domini in die mandari, et in nocte declarari quid, 606.
Mobiles nubibus in Scriptura comparati, 39.
Molas diaboli conterere, quid, 237.
Monocerotes sive unicornes quomodo a venatoribus capiantur, 149.
Montis vocabulo sancta Ecclesia figurata, 343. Montis nomine Testamentum Dei expressum, 343. Montis appellatione Apostata Angelus significatus, 343. Montis vocabulo hæreticus quilibet expressus, 344. Montis nomine Judaicus populus designatus, 344. Montis significatione altitudo bonæ vitæ demonstrata, 344. Montis appellatione mens sancta significata, 344. Super montem caliginosum signum elevare, quid, 343, 344. Montem cadentem defluere, quid, 345. Montis nomine altiludo contemplationis designata, 345. Montium vocabulo sancti apostoli figurati, 345. Montes in cor maris quomodo translati intelliguntur, 345. Montium nomine sæcularium potestatum timor expressus, 346. Montium appellatione altæ contemplationes signatæ, 346. Montes pascuæ pro sublimibus virtutibus angelorum positi, 346. Montium nomine altæ sententiæ sacræ Scripturæ significatæ, 347. Montium vocabulo antiqui Patres designati, 347.
Mors Christi in quo distat a nostra, 8. Mortis portæ, actiones pravæ, 569. Mortem per fenestras ascendere, quid, 577.
Motus lascivientes qui restinguit asinas possidet, 101.
Moyses astrum pluviæ in cœlo excitasse quomodo intelligendus, 7.
Mulier pro sexu posita, 178. Mulier pro infirmitate usurpata, 178. Mulieres dictæ mentes carnalium, 178. Mulieris nomine Sapientia Dei demonstrata, 176. Mulieris drachmam quærentis expositio, 177. Mulieres in passione Christi non solum non tenuisse, sed etiam usque ad sepulcrum ejus stetisse memoratæ, 269. Mulierum nomine vitia nonnunquam designata, 179.
Munditiæ inter homines quinam vocantur, 6.
Mundus præsens, Æthiopia, 464. Equus, 96. Mundi exordium, mane, 517. Mundi stultitia, sycomorus, 469. Mundi hujus civitas per leænam adumbrata, 133. Mundi amore confusi non sentiunt mala quæ patiuntur, 168. Mundi fructus, ruina, 345.
Muri nomine incarnatus Dominus designatus, 551. Muri vocabulo fidei Christianæ munimen figuratum, 551. Muri comparatione disciplinæ munitio demonstrata, 552. Muri appellatione impedimentum bene faciendi significatum, 552. Murum pro domo Israel in die Domini opponere, quid, 139. Murus forinsecus in circuitu domus undique, quid, 551.
Muscarum nomine insolentes curæ desideriorum carnalium signatæ, 90. Muscas morientes perdere suavitatem unguenti, quid, 90. Muscis percuti Ægyptum quid sit, 91.
Myrrhæ nomine virtutum suavitas intelligenda, 597.
Myrti nomine tranquillæ mentis temperies designata, 595. Myrti vocabulo ii expressi qui compatiendo proximorum tribulationes temperant, 596.

N

Nardo bene redolens electorum vita signata, 598.
Narium nomine exhalantes insidiæ, atque instigatio antiqui hostis accipienda, 223. De naribus diaboli quare fumus, Scripturæ testimonio, procedere dictus, 223. Narium flatu caliginem emittere diabolum, quid, 224. Narium appellatione præscientia demonstrata, 224.
Nasi nomine discretio designata, 221. Nasus Ecclesiæ cur turri in Libano comparatus, 194.
Nativitas Christi in quo distat a nostra, 8
Natura humana per carnem notata, 274. Per ficum, 473. Natura a Christo suscepta facta firmamentum, 19.
Nazaræorum nomine qui in Scriptura designentur, 58.
Negotium terrenum, pulvis, 339.
Nervi nomine, sententia fortis destructionis designata, 294. In nervo pes hominis a Deo positus, 294.
Nive et lacte candidiores qui dicantur, 58. Nivis nomine frigida pravorum corda designata, 59. Nivis nomine sublimia corda sanctorum expressa, 59. Nivis nomine animadversio superni judicii expressa, 61. Nivis nomine candor vitæ cœlestis designatus, 58.
Nubis nomine cur humanitas Christi in sacra Scriptura accipiatur, 37. Nubis nomine caligo ignorantiæ designata, 37. Nubium nomine peccatores nuncupati, 39. Nubium nomine soliditas mentium designata, 39. Nubium nomine quilibet justi designati, 39. Nubium nomine mobiles quique expressi, 39. Nubium nomine sancti prophetæ designati, 38. Nubium nomine sancti apostoli nuncupati, 38. Nubium nomine prædicatores sancti appellati, 38. Nubium nomine temporalia bona designata, 40. Nubium nomine corda superborum expressa, 40

O

Oblivio, quædam umbra mortis, 530, 538.
Obryzi nomine angelica natura accipienda, 421. Obryzi vocabulo mentis pulchritudo designata, 422.
Obsequiis divinis initiatis debet coram Deo mundus a carnis cogitationibus apparere, 213.
Obsidionem ordinari a prædicatoribus, quid, 570.
Octonario numero dies æterni judicii, et carnis resurrectio designata, 635.
Oculi hostis antiqui Ecclesiæ, qui, 235. Oculi dextri nos scandalizantis docta et brevis expositio, 217. Oculi nomine, is qui docendo illuminat; designatus, 216. Oculi dextri vocabulo contemplativa vita, sinistri vero activa demonstrata, 216. Oculis obscuratis dorsum prædicatoribus inflecti, quid, 218. Oculorum vocabulo operationes sancti Spiritus designatæ, 220. Oculorum nomine pravi Antichristi consiliarii demonstrati, 217. Oculorum appellatione spes significata, 218. Oculorum significatione pravi prælati demonstrati, 218. Oculorum nomine, hi qui in sancta Ecclesia, lumen veritatis habent, demonstrati, 219. Oculorum vocabulo elatio superbiæ figurata, 219. Oculos inclinare, quid, 219. Oculum ad indignationem caligare, quid, 219. Oculus pro cordis intentione in divino eloquio positus, 215. Oculus Dei perfecta ejus cognitio intelligenda, 217. Oculus, lucerna corporis, 203.
Olei rivum de petra fundi, quid, 405. Oleum in capite, quid, 205. Oleum, nitor gloriæ in sacra Scriptura, 642.
Olivæ nomine misericordes intelligendi, 467.
Ollæ nomine Synagoga specialiter designata, 650. Ollæ vocabulo generaliter quodlibet cor carnale intelligendum, 650. Ollarum comparatione carnalia opera significata, 650.
Onagri nomine hæreticus quilibet designatus, 145. Onagri nomine solitarius quilibet designatus, 146. Onagri nomine incarnatus Dominus quomodo figuratus, 142. Onagri nomine signati hi, qui in campo fidei positi nullis officii loris ligantur, 145. Onagrorum nomine Judæi designati, 146. Per onagrum gentilis populus figuratus, 143. Per onagrum is, qui cuncta, quæ desiderat, agit, expressus, 145. Onagrum liberum dimittere, et vincula ejus solvere, quid, 142.
Onocentauris dæmonia occurrere, quid, 147. Onocentaurorum nomine lubrici et elati expressi, 146.
Operatio bona per bonem expressa, 108. Operatio non sacri eloquii in manu, locutio in ore intelligi consuevit, 218
Opera prava qui a se resecat exterius, oportet eum ut solertius intueri, 241. Opere præparato agrum diligenter exterius exercere, quid, 242. Opus bonum alias fulgeti sole, alias ardente lucerna in sacra Scriptura designatum, 21, 22. Opus quod soli mirantur mali lucerna in nocte: quod boni, sol in die, 421.
Orationem veram quis exhibeat Deo, 211.
Orientis nomine Redemptor noster designatus, 543. Ad orientis dexteram calamitates surgere quid, 544.
Oris nomine locutio designata, 226. Oris vocabulo prædicator sanctus significatus, 227. Oris significatione Unigenitus Dei expressus, 227. Oris appellatione prædicatores Antichristi demonstrati, 229. Oris nomine doctorum scientia designata, 219. Oris vocabulo suggestiones antiqui hostis expressæ, 219. Os pro cordis cogitatione in Scriptura sacra positum, 225.
Ossibus et nervis interiorem hominem compingi, quid, 270. Ossis nomine Christus designatus, 285. Ossis vocabulo fortis quilibet in sanctæ Ecclesiæ corpore, qui infirmos portat expressus, 283. Ossium appellatione virtutes designatæ, 286. Ossium nomine nequiores Antichristi, et callidiores servi, designati, 287. Ossium vocabulo, duritia fortitudinis designata, 288. Ossium significatione carnis fortitudo demonstrata, 288. Ossium nomine fortitudo sæcularium dignitatum designata, 289.
Ostia, claudere, quid, 576. Ostii significatione intellectus demonstratus, 575. Ostii nomine Christus designatus, 573. Ostii vocabulo fides, seu visio Dei expressa, 575. Ostii comparatione initium cognitionis divinæ demonstratum, 573. Ostii appellatione exitus significatus, 573. Ostiorum nomine desideria carnalis concupiscentiæ figurata, 575. Ostiorum comparatione claustra divini timoris expressa, 576. Ostiorum appellatione virtutes expressæ,

Digitized by Google

576. Ostiorum vocabulo sancti prædicatores designati, 576.
Ovis. Per oves moraliter cogitationum innocentia designata, 123. In ovibus innocentes accipi soliti, 16. Ovium nomine fideles ex Judæis in sacra Scriptura designati, 123. Ovium nomine simplices quique, et innocentes figurati, 124.

P

Palearum nomine iniqui intelligendi, 624.
Paliuri nomine quilibet in malitia præpotens, et alios in malo defendens, intelligendus, 605.
Pallium vultui superducere, quid, 574.
Palmæ nomine justus quilibet in sacra Scriptura designatus, 464. Palmæ comparatione sancta Ecclesia figurata, 464.
Palpebræ appellati, qui ad providenda pedum itinera vigilant, 220. Palpebris diluculi quam recte sæculi malitiæ Antichristi perversis consiliis inhærentes, comparentur, 218. Palpebris apertis et clausis interrogatus Paulus, 222. Palpebras sanctæ Ecclesiæ caligare, quid, 220, 221. Palpebrarum vocabulo prudentes sæculi perversis Antichristi consiliis inhærentes designati, 221. Palpebrarum appellatione divina judicia expressa, 221. Palpebrarum nomine prælati Ecclesiæ in sacra Scriptura significati, 220.
Panes sine fermento comedere, quid, 605.
Pardi nomine quilibet peccatorum maculis varius accipiendus, 138.
Parietem ædificare, quid, 565. Parietis nomine humanitatis natura designata, 564. Parietis vocabulo peccati duritia figurata, 565.
Partes mundi quatuor pro principalibus virtutibus in sacra Scriptura positæ, 256.
Passer. Per passerem Christus figuratus, 89. Passerem invenisse sibi domum, quid, 89.
Patientia vera quæ, 589.
Paupertas quid, 283.
Pavimenti nomine humilitas auditorum designata, 591.
Peccare, ex infirmitate, quid, 358. Ex ignorantia, 358. Ex industria, 358.
Peccati tria genera, locutionis, operationis, cogitationis, 625. Peccatum omne tribus modis committitur, 241, 558. Inter peccatum et crimen, quale discrimen, 499. Peccatum quatuor modis in corde perpetrari, quatuor consummari in opere, 296, 297.
Pectoris vocabulo cor significatum, 295. Pectoris nomine cogitatio luxuriæ designata, 294.
Pecuniæ nomine doctrinæ sanctæ ministerium designatum, 423. Pecuniam nummulariis committere, quid, 423.
Pedes agni vorare, quid, 305. Pedes cur apostolis a Domino loti, 317. Cur post prædicationem loti, 319. Pedes butyro lavari quid, 316, 317. Pedis nomine, is qui opitulando sustentat, designatus, 314. Pedis vocabulo sancti apostoli figurati, 314. Pedis appellatione, is qui ad injuncta currit, expressus, 315. Pedum significatione vel sancti prædicatores, vel inferiorum operum ministri demonstrati, 316. Pedum appellatione gressus actuum significati, 317. Pedum vocabulo vestigia Christi demonstrata, 318. Pedum nomine duo amores, Dei scilicet amor et sæculi figurati, 318. Pedum significatione cogitationes expressæ, 319. Pedum nomine extrema sanctæ Ecclesiæ membra designata, 316.
Pelle et carnibus interiorem hominem vestiri quid, 269. Pellis acceptione carnis motus expressus, 269. Pellis nomine sacra Scriptura designata, 267. Pellis nomine, sanctæ illæ feminæ, quæ Domino adhærentes exterioribus ministeriis ad subsidia corporis serviebant, significatæ, 268, 269. Pellis vocabulo stulti quilibet, vel mali subditi demonstrati, 268. Pellium significatione grossæ hominum mentes accipiendæ, 270.
Pennæ evangelistarum ad divinitatem Christi pertinentes, 244.
Petræ nomine Christus designatus, 487. Petræ vocabulo soliditas fidei expressa, 487. Petræ comparatione duritia corporis demonstrata, 488. Per petrarum significationem sublimes cœli potestates appellatæ, 488. Per petrarum appellationem dura corda gentilium significata, 488. Petram ingredi, quid, 373.
Pharetræ nomine occultum Dei justumque consilium designatum, 449. Pharetræ vocabulo pravorum machinatio figurata, 449. Phraretram contra equum sonitum reddere quid, 443.
Phialæ vocabulo persecutionis supplicium signatum, 649. Phialam in solem effundere, quid, 649. Phialarum nomine larga prædicatio intelligenda, 648.
Pili quare levitis præcepti sunt radi et convelli, 214. Pili pro superfluis humanæ corruptionis, vel vitæ veteris cogitationibus positi, 213.
Pinguedinis nomine terrenarum rerum abundantia designata, 283.
Pingui cervice se contra Dominum erigere, quid, 283.
Piscatio apostolorum duplex, ante passionem et post resurrectionem Domini, 241.
Planta pedis prædicatorum, quare sicut planta pedis vitali, 322. Plantæ nomine primus justus Abel designatus, 321. Plantæ vocabulo actio vitæ significata, 322. Plantæ appellatione vitæ finis expressus, 322.
Platanorum nomine virtutes cœlestes designatæ, 467.
Plateæ, unde sic vocatæ, 353. Plateæ nomine auctoritatis latitudo nonnunquam intelligenda, 352. Plateæ vocabulo libertas propriæ voluntatis aliquando accipienda, 352. Platearum acceptione latitudo vitæ præsentis designata, 33.
Pleiades stellæ quomodo de Redemptoris humanitate sibi concinant, 31, 32. Pleiades stellæ quomodo in ostendenda unitate Trinitatis concorditer luceant, 32. Pleiadum nomine Testamenti Novi gratiam posse designari, 33. Pleiades junxisse Redemptorem nostrum in carne venientem quomodo intelligendum, 33. Pleiades stellæ unde sic dictæ, 31. Pleiades stellæ septem, 31. Vicinitate sibi conjunctæ, 31. Pleiadum proprietates sanctis convenientes, 31. Pleiadum nomine sancti designati, 31.
Plumbum. Per plumbi laminam Judæa more divini eloquii expressa, 457, 458. Per plumbi significationem, cujus natura gravis est ponderis, peccatum avaritiæ designatum, 458. Per plumbi comparationem quilibet peccatorum pondere pressus, demonstratus, 458.
Pomorum vocabulo terrenæ dulcedines intelligendæ, 599. Pomorum nomine primordia nostrorum operum designata, 485. Pomorum vocabulo odoriferus Dei adventus figuratus, 485.
Populus fidelis hosti suo in signum positus, 208.
Pororum nomine difficultas vitæ præsentis designata, 599.
Porta ad orientem fides, 51. Quando patens, 51. Porta ad Aquilonem spes, 51. Quando patens, 51. Porta ad meridiem charitas, 51. Quando patens, 51. Portæ nomine Christus designatus, 566. Portæ vocabulo unusquisque prædicator figuratus, 567. Portæ appellatione Scriptura sacra non inconvenienter intelligenda, 567. Portæ significatione fides expressa, 567. Portæ comparatione dies judicii demonstratus, 567. Portæ nomine bona actio designata, 567. Portæ vocabulo exitus ab hac vita figuratus, 567. Portarum appellatione sancti doctores accipiendi, 68. Portarum acceptione doctores iniqui significati, 568. Portarum comparatione actiones bonæ seu pravæ demonstratæ, 569. Portarum significatione adversæ potestates expressæ, 567. Portarum nomine cognitiones pravæ designatæ, 569. Portis tribus tantum cur ad interius atrium in divino eloquio tendi dicatur, 52.
Potentes et iniqui fallacibus divitiis occupati, veras Dei opes negligunt, 243.
Potestates quinam appellantur, 4. Inter potestatum cœlestium numerum quinam meritum suum sortiuntur, 5.
Potibus vacare, quid, 280.
Præcipiendo dura nos aliquando Dominus interrogat, 221.
Prædicatores quomodo quasi stellæ in cœlum ad proferendas pluvias produci accipiuntur, 27. Prædicatores sancti quomodo velut stellæ in tenebris lucere intelliguntur, 22, 23. Quomodo in die ut sol coruscare percipiuntur, 22, 23. Prædicatores quare terræ consules in sacro eloquio nuncupati, 191. Prædicatores cur lumbos restringere, et lucernas tenere voce veritatis jussi, 540.
Præputia liguorum auferre, quid, 459. Præputia cordis concidere, quid, 174.
Principari quid, 4.
Principatus qui vocantur, 4. Inter principatuum numerum quinam ex hominibus sortem suam acceperunt, 5.
Principum nomine, hi, qui magno consilii judicio, suis cogitationibus principantur, designati, 198. Principum vocabulo hæreticæ pravitatis auctores demonstrati, 199.
Profundi nomine profunditas cogitationum designata, 414. Profundi vocabulo infernus significatus, 414. Profundum mare quasi ollam fervescere quid, 414.
Prunarum nomine mentes terrena concupiscentia ardentes designatæ, 503.
Puer. In pueris infirmi communiter accipi soliti, 16. Puerorum nomine hi, qui cœlestibus mandatis inserviunt, designati, 184. Puerorum appellatione teneritudo adhuc inchoantium significata, 184. Puerorum nomine innocentes quique, sed adhuc infirmi, designati, 185. Puerorum vocabulo circumspectiones mentis figuratæ, 185.
Pulvis in terra fundatus, quid, 340. Pulveris nomine caligo terrenæ cogitationis expressa, 340. Pulveris vocabulo infirmitas humanæ conditionis significata, 341. In pulverem reverti, quid, 301. Pulveris nomine terra intelligentia designata, 538. Pulveris vocabulo terrenum negotium vel desiderium figuratum, 359. Pulveris nomine subtilis operum nostrorum retractatio demonstrata, 559. Pulveris vocabulo peccatoris inconstantia signata, 559. Pulverem super caput in cœlum spargere, quid, 538.

Digitized by Google

Sub pulvere cur vita pravorum abscondi dicatur, 339.
Pupillus. Per pupillos electi Dei accipiendi, 99.
Putei nomine peccati profunditas designata, 411. Putei vocabulo vitæ præsentis profunditas demonstrata, 411. Puteorum nomine Scripturæ libri designati, 412. Puteorum vocabulo profunda cordium nostrorum demonstrata, 412. Puteos fodere, quid, 412.

Q

Quaternarii nomine quatuor Evangelistæ designati, 627. Quaternarii vocabulo quatuor Evangelistarum scripta significata, 627. Quaternario numero quatuor principales virtutes figuratæ, 629. Quaternario numero quatuor Evangelia demonstrata, 627. Quaternario numero quatuor mundi partes expressæ, 628.
Quatuor animalium pedes cur Christi esse in sacro eloquio describuntur, 317.

R

Rata in Hebræo eloquio, vox interjectionis, 337.
Radicis nomine Incarnatio Dominica designata, 475. Radicis acceptione sancta prædicatio expressa, 475. Radicis vocabulo ipsa natura humanitatis aliquando accipienda, 476. Radicis comparatione occulta cogitatio figurata, 477.
Ramorum nomine sancti prædicatores expressi, 481. Ramorum comparatione opera demonstrata, 481. Ramorum vocabulo verba, vel scientiæ Patrum designatæ, 481.
Raphael medicina Dei, 3. Quando mittitur, 4.
Rationale judicii quare in Aaron pectore vittis ligantibus imprimi jussum, 295.
Redemptor generis humani, caput Ecclesiæ, 71.
Regione deserti quid in divino eloquio exprimatur, 42.
Regis nomine Deus Pater in Evangelio intelligendus, 187. Regis appellatione mediator Dei et hominum homo Christus Jesus designatus. 187. Regis vocabulo hostis antiquus demonstratus, 187. Regum vocabulo quilibet sancti viri accipiendi, 191. Regum nomine non inconvenienter apostoli et quilibet sancti prædicatores intelligendi, 190. Rex filio suo nuptias in divina Scriptura faciens qui, 169. Regum nomine angelici spiritus designati, 188.
Regnum cœlorum decem virginibus cur comparatum, 942. Regnum cœlorum præsentis temporis Ecclesia, 642.
Reguli nomine diabolus figuratus, 135. Reguli vocabulo Antichristus designatus, 135. Regulorum appellatione dæmones significati, 136.
Renum nomine voluptas carnis designata, 310.
Reprobi omnes in anima pariter et carne cruciandi, 501.
Reptilium nomine cogitationes terrenæ designatæ, 160.
Resurrectio Christi in quo distat a nostra, 8.
Rete. In rete ambulare quinam dicantur, 49, 50. Retis nomine actionis obligatio demonstrata, 49.
Rhinocerotis significatione potentes hujus sæculi demonstrati, 147. Rhinoceros indomitæ naturæ, 147. Unde sic appellatus, 147. Rhinocerotis nomine superbus Judaicus populus significatus, 148. Rhinoceros et monoceros animalia diversa, 149.
Rivorum nomine sancti prædicatores expressi, 404. Rivorum vocabulo libri Evangelistarum designati, 404. Rivorum appellatione, expositorum sanctæ Ecclesiæ explanationes significatæ, 405. Rivorum comparatione fluenta prædicationis demonstrata, 405.
Rubiginis vocabulo ira præfigurata, 167.

S

Sagena. Per sagenam missam in mare, et ex omni genere piscium congregantem, Ecclesia fidelis figurata, 268.
Sagittarum nomine sacri eloquii sententiæ designatæ, 450. Sagittarum comparatione prædicationis verba significata, 450. Sagittarum significatione animadversionis percussio appellata, 450. Sagittarum vocabulo doli pravorum expressi, 451. Sagittas in pharethra parare, quid, 450. Sagittas Domini spiritum hominis ebibere, quid, 451.
Salices per constantiam suæ viriditatis electorum vitam exprimunt, 466. Salices per sterilitatem suam peccantium vitam signant, 467. Salicum comparatione vitæ mortalis amatores expressi, 467.
Saliunca. Pro saliunca ascendere abietem, quid, 465.
Saliva ex ore Redemptoris, sapientia in eloquio divino accipienda, 265. Salivam quare luto miscuit Redemptor, ut cæci nati oculos repararet, 238. Salivam glutere, quid, 238, 239. Salivæ vocabulo Sapientia figurata, 239. Salivæ nomine intimæ contemplationis sapor designatus, 237.
Salvatorem nostrum asello sedentem Hierusalem tendere quid, 481.
Sanctuarii lapides in capita omnium platearum dispergi quid, 353.
Sanguinem super limpidissimam petram effundi, quid, 282. Sanguinem lambere, quid, 281. Sanguinis vocabulo carnalis intellectus figuratus, 281. Sanguinis nomine peccatum significari solitum; 282. Sanguinis acceptione malitia cruentæ mentis signata, 282. Sanguinis nomine passio Christi designata, 281.
Sapientiæ pretium nescire, quid, 329, 330. Sapientia cur in terra suaviter viventium inveniri non valeat, 330.
Sapphiri vocabulo quilibet sancti cœlestia appetentes figurati, 493.
Sardonici lapidis comparatione Adam intelligendus, 495.
Sartago ferrea et murus ferreus inter Prophetam et civitatem positus, quid, 431.
Scarabæus. Per scarabæum et vermem Christus figuratus, 142.
Scientia perfecta, quæ, 362.
Scintillæ in arundineto discurrentes, quæ, 362. Scintillarum nomine exempla bonorum designata, 502. Scintillarum vocabulo prædicatorum verba flammantia designata, 502.
Scire Dei, quid, 221.
Scirpi nomine hypocrita quilibet designatus, 603. Scirpus in flore, hypocrita in laude, 604.
Scriptura sacra cur mari similis dicatur, 395.
Scuti nomine protectio divina designata, 44... Scuti vocabulo humana repugnatio expressa, 442.
Securis nomine Redemptor noster designatus, 454. Securis ad radicem arboris posita, quid, 454. Securis comparatione donum intellectus expressum, 454. Securis vocabulo districtæ animadversionis sententia demonstrata, 454. Securis significatione increpatio appellata, 455.
Seminaria coitus viris in lumbis, feminis in umbilico, 306.
Semitæ adversariorum Ecclesiæ fluctibus comparatæ, 316. Semitæ nomine humilitas seu intentio Dominicæ incarnationis intelligenda, 360. Semitæ vocabulo, operatio accipienda, 360. Semitæ nomine angustia vitæ regularis intelligenda, 361. Semitam post Antichristum lucere, quid, 360. Semitarum acceptione arctiora præcepta Domini significata, 361. Semitarum appellatione cogitationes significatæ, 362. Semitarum significatione subtiles sanctorum doctorum prædicationes expressæ, 361.
Senario numero perfectio boni operis designata, 309. Senario numero perfectio rei de qua agitur, intelligenda, 629. Senario numero activæ vitæ perfectio signata, 629. Senario numero sex sæculi hujus ætates expressæ, 632.
Septenario numero perfectionis summa designata, 633. Septenario numero secutura requies æternitatis figurata, 634. Septenario numero hæc universitas temporalitatis expressa, 634. Septenario numero sanctæ Ecclesiæ universitas significata, 634. Septenario numero, plenitudo operationis Spiritus septiformis intelligenda, 935. Septenario numero septem virtutes quæ in cordibus fidelium operante Spiritu sancto oriuntur, designatæ, 635. Septenario numero universitatis summa exprimi solita, 324, 325.
Seraphin. Inter Seraphin numerum quinam fortem suæ vocationis acceperunt, 6. Seraphin quænam sanctorum spirituum agmina dicuntur, 5.
Sermo Dei discretor cogitationum et intentionum cordis, 293.
Serpens quomodo primis hominibus in Paradiso loquens eorum oculos aperuisse est intelligendus, 218. Serpentem ventre et pectore repere, quid, 264, 295. Serpentis ore quare diabolus loqui permissus, 151. Serpentis nomine diabolus figuratus, 151.
Servitus sæcularium negotiorum magna, 140.
Servus Hebræus emptus, sex tantum annis servire cur præcipitur, 629, 630. Servus Hebræus emptus, septimo anno liber exibat gratis, 630.
Silentium cordis, quid et quam necessarium nobis ut culmen contemplationis attingamus, 368.
Sinapis nomine Christus designatus, 606. Sinapis comparatione fidelis viri fortitudo demonstrata, 606.
Sinistræ nomine gloria vitæ præsentis designata, 264.
Sion speculum, 343.
Sol quare niger, ut saccus cilicinus in extremo tempore ostendendus, 22. Solis nomine tentationis ardor aliquando designatus, 23. Solis nomine claritas boni operis designata, 21. Solis nomine lumen veritatis aliquando accipiendum, 22. Solis rursum nomine prædicatorum claritas designata, 22. Solis nomine Dominus in sacra Scriptura significatus, 20. Solis nomine persecutio aliquando intelligenda, 21. Solis nomine manifestæ visionis ostensio designata, 21. In sole tabernaculum suum posuisse Dominum quomodo intelligendum, 21. Solis nomine sapientium intellectus expressus, 21.
Solitudinis nomine secreta quies mentis intelligenda, 367. Solitudinis vocabulo separatio ab Ecclesia accipienda, 368. Solitudines ædificare, quid, 367. Solitudines nomine gentilitas designata, 367.
Somni appellatione culpa signata, 336.
Somnium nocturnum in sacra Scriptura quid, 25. Somnio nocturno pollutus cur extra castra egredi præcipiebatur, 25.

Digitized by Google

Sonus. Per sonum de ore Domini procedentem Spiritus sanctus accipiendus, 228.
Speculam sibi statuere, quid, 194.
Speculator populi quis, 344.
Spicæ vocabulo profectus boni operis expressus, 613.
Spicarum nomine Patrum sententiæ designatæ, 614.
Spinæ nomine peccatum designatum, 470. Spinæ significatione punctio ultionis appellata, 471. Spinæ vocabulo doctrinæ spiritualis vir expressus, 471. Spinarum comparatione vitiorum punctiones demonstratæ, 471. Spinas exortum semen opprimere, quid, 49.
Spiritu transeunte pertimescere, quid, 214. Spiritum postulare pro nobis, quid, 205. Spiritus vocabulo superbia expressa, 201. Spiritus appellatione inferna cogitatio significata, 201. Spiritus nomine anima designata, 200. Spiritus Redemptoris cur ejus naribus inesse dicatur, 225. Spiritus reconciliator cur in columba super Dominum apparuit, 72.
Stanno simulator sanctitatis designatus, 438.
Stare Dei quid, 535.
Stellæ nomine Christus in Scriptura sacra designatus, 26. Stellæ pluviarum quomodo in extremo tempore prohiberi intelligendæ sunt, 22. Stellarum claritate fulgens prædicantium vita figurata, 22. Stellarum nomine quorumlibet bene viventium animæ designatæ, 28. Stellarum nomine hypocritarum fictio designata, 28. Stellarum nomine vel prophetæ, vel apostoli designati, 26. Stellas non esse mundas in conspectu Domini, quid, 162. Stellas sub signaculo Dominum claudere, quid, 23. Stellas non esse mundas in conspectu Domini quomodo intelligendum, 28. Stellæ pluviæ abscondisse, et ad instar gurgitum imbres fudisse Dominum quomodo accipiendum, 27. Stellas de cœlo in terram cadere, quid, 12.
Stercus. De stercore boum quis in sacra Scriptura lapidari intelligatur, 16. Stercoris nomine res transitoria designata, 579. Stercoris vocabulo fetor luxuriæ demonstratus, 379. Stercoris nomine peccatum quodlibet in Evangelio intelligendum, 379.
Stillicidiorum nomine verba prædicantium designata, 415.
Stipulæ vocabulo humana abjectio designata, 616.
Struthionis nomine quomodo Synagoga possit designari, 84. Struthionis nomine hypocrita designatus, 82. Struthionis nomine gentilitas designata, 84. Struthionum nomine ipsa hypocrisis designata, 85.
Stultos mundi elegit Deus, ut confunderet sapientes, 268.
Sublime omne videre, quid, 187.
Sudes pro acutis sanctorum consiliis positæ, 224.
Sulcorum nomine, vomere linguæ bene exculti designati, 336.
Superbiam per oculos quasi per fenestras se ostendere, 188. Superbia omnis peccati initium, 188. Superbia adipi comparata, 283. Superbiæ prima extensio in oculis, 219.
Superliminaris nomine mentis intentio quæ præeminet actioni, designata, 572.
Sycomori nomine mundi stultitia designata, 469. Sycomorum ascendere, quid, 469.
Symbolum dare, quid, 280.
Synagoga. In Synagoga tres regentium ordines, 367.

T

Tabernaculi Veteris vela quare ex bysso, cocco, atque hyacintho texta, 270, 271. Tabernaculi nomine habitaculum mentis designatum, 557. Tabernaculi vocabulo corporea habitatio figurata, 557. In tabernaculi foribus stare, et adorare, quid, 558. Tabernaculorum appellatione cogitationes significatæ, 559. Tabernaculorum significatione ædificatio terrenæ felicitatis expressa, 559.
Talentorum nomine dona gratiæ designata, 422. Talentum plumbi in sacra Scriptura, quid, 178.
Tali nomine vitæ terminus expressus, 320. Talorum nomine prima boni operis vestigia designata, 319.
Tauri vocabulo cervix superbiæ demonstrata, 147. Taurorum nomine Patres Veteris Testamenti designati, 115. Taurorum nomine cervix superbiæ designata, 116.
Tegere peccata quomodo dicamur, 227.
Templi nomine anima justi designata, 560, Templi vocabulo corpus Christi figuratum, 561. Templi comparatione fidelis populus demonstratus, 562.
Tempus redimere, quid, 516.
Tenebrarum nomine caligo ignorantiæ designata, 530. Tenebrarum vocabulo lamenta pœnitentiæ expressa, 531. Tenebrarum comparatione occulta Dei judicia demonstrata, 531. Tenebrarum appellatione adversitates significatæ, 532. Tenebrarum significatione supplicia æternæ damnationis descripta, 533. Tenebrarum exteriorum et interiorum distinctio, 533. In tenebras diem vertere, quid, 531. Tenebris peccatores designati, 534. Tenebris vita præsens figurata, 534. Tenebris iniquitas significata, 534.
Tentare Dei, quid, 221.
Tentatione irruente, quasi repentino hoste mentem turbari, 529. Tentationis diversitas in reprobis et electis, 181.
Ternarii nomine tres speciales virtutes designatæ, 624. Ternarii vocabulo fides sanctæ Trinitatis expressa, 624. Ternarii comparatione tria peccati genera descripta, 625. Ternarii significatione tria vitæ præsentis tempora demonstrata, 626.
Terra data in manus impii, quid 332. Terra super nihilum appensa, quid, 325. De terra ascendere, quid, 126. In terra consedere, quid, 525. Terræ vocabulo peccator quilibet designatus, 330. Terræ nomine anima justi signata, 327. Terræ vocabulo anima peccatrix expressa, 528. Terræ appellatione caro significata, 529. Terræ significatione cogitatio terrena demonstrata, 529. Terræ nomine anima humana figurata, 529. Terræ nomine subjecta plebs et familia demonstrata, 531. Terræ vocabulo humanitas Christi expressa, 531. Terræ nomine infernus intelligendus, 531. Terræ vocabulo Redemptoris nostri caro significata, 532. Terræ vocabulo terrena actio intelligenda, 534. Terræ nomine Synagoga intelligenda, 326. Terra de qua oriebatur panis, cur igni subversa dicatur, 526. Terræ vocabulo gentilitas accipienda, 326. Terræ nomine soliditas patriæ cœlestis accipienda, 324. Terræ vocabulo sancta Ecclesia figurata, 325. Terræ nomine, hi qui terrenis actibus occupati, eleemosynarum et lacrymarum ope ad æternam vitam perveniunt, designati, 333. Terram sursum vocari, quid, 333. Super terram in deserto pluere, quid, 327.
Testæ virtus Dei comparata, 177.
Testamenta duo per duos cherubin oraculi figurata, 622.
Thalami nomine vel sancta Ecclesia, vel quælibet Deum valde amans anima designata, 283. Thalami vocabulo uterus Virginis Mariæ figuratus, 583.
Tharsis naves a spiritu vehementi conteri, quid, 529.
Throni quænam agmina spirituum sint vocata, 4.
Thuris nomine amoris hostia designata, 596. Thuris vocabulo virtus orationis expressa, 266. Thus et munera in domo Domini offerre, quid, 248.
Thymiama ex aromatibus compositum facere, quid, 339.
Tigridis appellatione diabolus designatus, 137. Tigridis nomine hypocrita quilibet in sacro eloquio intelligendus, 136.
Tinea. A tinea hominem tanquam vestimentum consumi, quid, 169. Tineæ vocabulo hæretica pravitas figurata, 166 Tineæ nomine carnis tentatio designata, 165.
Tintinnabula vestimentis sacerdotis inhærentia, quid, 485.
Tonitrui nomine incarnatus Dominus designatus, 57. Tonitrui nomine prædicatio superni terroris expressa, 57.
Torrentis nomine ignis extremi judicii designatus, 406. Torrentis vocabulo mortalis vitæ cursus expressus, 406. Torrentis appellatione sancti Spiritus inundatio demonstrata, 407. Torrentis significatione hi qui transitoria diligunt, accipiendi, 408. Torrentis acceptione fluenta sacrorum librorum significata, 408. Torrentium nomine inventores perversorum dogmatum expressi, 408. Torrentium comparatione prædicatores sancti figurati, 408.
Tribuli nomine punctio doloris designata, 599.
Tristitiæ filii, 195.
Tubæ clangorem sonare, quid, 330.
Turbine tenebroso noctem possideri, quid, 528.
Turris nostra quare cum propugnaculis dicitur ædificata, in qua mille clypei dependent, 251. Turris nomine circumspectio designata, 534. Turris vocabulo altitudo gratiæ figurata, 534.
Turturis caput post sectionem suo corpori inhærere, quid, 71

U

Ubera fortiter premere, quid, 281. Ubera duo sponsæ, quid, 295. Uberum nomine Judæi et Gentiles designati, 295. Uberum nomine sancti prædicatores significati, 299. Uberum vocabulo verba sacri eloquii figurata, 296. Uberum appellatione argumenta cassæ spei, vel fiduciæ, sive miseræ fomenta desperationis demonstrata, 296.
Ulmi nomine sæcularis mens expressa, 468.
Umbilici nomine luxuria designata, 506. Umbilicum in die ortus præcidere, quid, 506.
Umbra mortis, mors carnis, 532. Umbræ nomine mentis refrigerium ex superna protectione designatum, 536. Umbræ vel obumbrationis vocabulo Incarnatio Domini figuraliter expressa, 536. Umbræ significatione torpor frigidæ mentis recedente charitate descriptus, 537. Umbræ comparatione obscuritas allegoriæ demonstrata, 537. Umbræ appellatione instabilitas vitæ præsentis significata, 537. Umbræ nomine oblivio signata, quando cum adjunctione mortis ponitur, 538. Umbræ significatione quietis æternæ refrigerium descriptum, 539. Umbræ mortis vocabulo, imitatio diaboli expressa, 539. Umbræ mortis comparatione

Digitized by Google

spiritualiter perfidus Judæorum populus demonstratus, 539. Umbrarum appellatione iniqui omnes significati, 539. Umbram servo desiderare, quid, 540

Unguis nomine finis rei cujuslibet designatus, 522.

Ungulæ vocabulo virtutum perfectio figurata, 523. Ungula terram fodere, quid, 523, 440.

Unius nomine bene vivendi initium designatum, 618. Unius vocabulo Redemptor noster figuratus, 619.

Urtica. Pro urtica myrthum crescere, quid, 463. Urticæ nomine ardor vitiorum designatus, 598. Urticarum vocabulo prurientia desideria terrena expressa, 598. Urticarum comparatione cogitationum prurigines demonstratæ, 548.

Uteri nomine secretus gratiæ Dei sinus designatus, 301. Uteri nomine, Dei consilium intelligendum, 301. Uteri nomine mens figurata, 302.

Utris nomine carnalis cordis cogitatio designata, 631.

Utrum vocabulo electorum corda figurata, 632.

Uva acerba in sacra Scriptura, quid, 234.

Uxoris nomine bona operatio designata, 180. Uxoris nomine carnalis cogitatio demonstrata, 180.

V

Vaccæ nomine infirmitas incarnationis Dominicæ designata, 110. Vaccam rufam quæ nec portaverit jugum ad immolandum tradi sacerdoti, quid, 110. In vaccæ sanguine digitum intingere, quid, 111. Vaccæ sanguinem contra fores tabernaculi aspergere, quid, 111. Per vaccæ carnem et pellem, sanguinem et fenum quid in divino eloquio figuretur, 111, 112. Vaccæ appellatione caro nostra aliquando designata, 112. Vacca in sacrificio mactata, cum hyssopo, lignoque cedrino, ac cocco bis tincto, cur præcipiatur offerri, 112. Vaccarum nomine mentes fidelium designatæ, 113. Vaccas fetas super impositam Domini arcam portare, quid, 113.

Vallium nomine, cum collibus comparantur, humiles designati, 350.

Vasis nomine prædicator sanctus expressus, 638. Vasis vocabulo disciplinatus quilibet signatus, 638. Vasis nomine capacitas intelligentiæ nostræ designata, 639. Vasorum vocabulo corpora nostra signata, 642. Vasorum nomine sancti Patres designati, 640. Vasorum vocabulo fidelium populorum animæ figuratæ, 640. Vasorum comparatione conscientiæ nostræ demonstratæ, 641.

Venire sapientiæ, quid, 356.

Venti urentis adustione quomodo mentes electorum temperentur, 41. Venti nomine tentatio malignorum spirituum designata, 42. Venti nomine malignus spiritus designatus, 39, 41. Venti nomine prosperitas transitoria ostensa, 45. Venti nomine superbiæ timor expressus, 46. Venti nomine quælibet res transitura designata, 46. Venti nomine concussio extremi judicii aliquando intelligenda, 46. Ventorum velocitate ac sublimitate sanctorum animæ signari solitæ, 47. Ventis pondus facere, quid, 47. Ventus urens cur perversum quemlibet tollere dicatur, 41. Ventus turbinis quid in sacro eloquio, 37. Ventus vehemens quomodo quatuor angulos in sacra Scriptura concutere intelligendus, 42.

Ventri mens nostra comparata, 237. Ventris vocabulo mens signata, 303. Ventris viscera, quid, 303. Ventris nomine avaritia figurata, 304. Ventris appellatione opus luxuriæ demonstratum, 305. Ventris significatione infirmitas nostra figurata, 305.

Verbum a Domino missum in Jacob, quomodo cecidisse in Israel intelligatur, 204, 205. Verbum Dei vel Spiritus in Scriptura sacra cur cadere dicatur, 201.

Vermis nomine Christus designatus, 165. Vermis vocabulo luxuriosus quilibet et carnis voluptatibus deditus expressus, 161 Vermis appellatione hominis progenies demonstrata, 161. Vermium appellatione curæ carnales demonstratæ, 164. Vermium nomine cogitationes inquietæ designatæ, 163.

Verticis nomine Christus, caput videlicet sanctæ Ecclesiæ designatus, 209. Verticis vocabulo fidei sublimitas expressa, 210. Usque ad verticem constuprari, quid, 110.

Vesperæ nomine terminus vitæ designatus, 525. Vesperæ vocabulo otii torpor expressus, 525. Vesperæ comparatione adversitas demonstrata, 526. Vespere significatione peccati tentatio descripta, 527.

Vestes scindere in sacro eloquio, quid, 248.

Vestibuli nomine humilitas designata, 584. Vestibuli vocabulo fides expressa, 585.

Vestigia pedum hominis Deum considerare, quid, 234.

Vestimentis sacerdotis ad quid tintinnabula inhærebant, 485. Vestimentum Domini, quid, 311.

Via Christi non inconvenienter accipienda, hoc ipsum quod venit ad cor, seseque nobis intrinsecus infundit, 335. Viæ nomine Christus intelligendus, 334. Viæ vocabulo transitus humanitatis Christi accipiendus, 334. Viæ nomine iter rectitudinis intelligendum, 316. Viæ vocabulo latitudo propriæ libertatis accipienda, 356. Viæ acceptione sancta conversatio intelligenda, 356. Viarum nomine actiones nostræ designatæ, 357. Viarum Dei nomine actiones ejus figuratæ, 358. Viarum Dei vocabulo, vivendi ordines expressi, 358.

Viduæ nomine anima nonnunquam demonstrata, 181. Viduæ appellatione sancta Ecclesia significata, 182. Viduarum vocabulo plebes hæretica pravitate nonnunquam intelligendæ, 183.

Vineæ nomine sacræ Scripturæ latitudo designata, 474. Vineæ comparatione anima bonis operibus fecunda, significata, 474. Vineæ significatione vita cujuslibet negligentis appellata, 474. Vineæ appellatione universa simul Ecclesia demonstrata, 475.

Viperæ nomine violenta vel lenis et diuturna tentatio diaboli designata, 157. Vipera unde nomen suum sortita, 157. Per viperæ linguam violenta diaboli tentatio expressa, 157. Viperarum nomine pravi homines significati, 158. Viperarum genimina, malæ soboles, malorum parentum actiones imitantes, 158.

Virga directionis Dei, quid, 246. Virgæ nomine rectitudo more divini eloquii signata, 479. Virgæ significatione percussio demonstrata, 480. Virgæ vocabulo disciplinæ rigor significatus, 480. Virga et manna quare simul in arca tabernaculi, 480. Virgas virides amygdalinas, et ex platanis ante oculos gregum ponere, quid, 121.

Viri sancti quare Scripturæ sacræ testimonio reges vocati, 192. Viri nomine Christus mediator Dei et hominum intelligendus, 173. Viri vocabulo antiquus hostis demonstratus, 174. Virorum appellatione perfecti viri expressi, 175. Virorum nomine ætates sex sæculi designatæ, 176. In virtutum supernarum sortem et numerum quinam homines currunt, 5. Virtutes quinam spiritus vocantur, 4.

Viscera iniqui quare dicantur adipe plena, 264. Viscera in terram fundere, quid, 306. Viscerum nomine hi, qui spiritualibus sacramentis in Ecclesia deserviunt, designati, 306.

Vitæ duæ, activa scilicet et contemplativa, quasi duo oculi in facie, 217. Vita activa major merito quam contemplativa, 257. Vitæ sanctorum prædicatorum duæ, 256. Vitæ præsentis tria tempora, ante legem, sub lege, sub gratia, 626.

Vitia quædam per quamdam quasi cogitationem sibi propinqua, 371. Vitia rectitudinis speciem in se ostendentia, quæ ex pravitatis prodeunt infirmitate, 290, 291. Per vitia tentantia quid discamus et quantum in virtutibus proficimus, 276. Vitiorum ad animam singulæ exhortationes, 197.

Vitulæ nomine mens carnalis designata, 114. Vitula docta diligere triturам, quid, 114.

Vituli nomine Christus vel Lucas evangelista designatus, 117. Vituli nomine sanctus prædicator expressus, 118.

Voce Deum tonare, quid, 253.

Volucres cœli quinam inter homines nuncupentur, 61. Volucrum nomine cur aeriæ potestates bonorum studiis adversæ designentur, 46. Volucrum nomine, mentes spiritualium in sacra Scriptura designatæ, 65. Volucrum nomine superborum mentes expressæ, 65.

Vulturis nomine Redemptor noster intelligendus, 89. Vulturis oculos non aspexisse Christum, quid, 40.

Vulva pro occulta et malitiosa carnalium cogitatione posita, 576.

Z

Zonam auream circa mammillas habere, quid, 419.

ORDO RERUM QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

GARNERIUS CANONICUS S. VICTORIS.

GREGORIANUM.

Epistola nuncupatoria. 9

Candido Lectori. 11

Elogium de hujus operis præstantia et utilitate. 13

Præfatio F. Joannis Picardi. 13

LIBER PRIMUS.

Cap. I. — De Deo. 25

Cap. II. — De angelis. 23

Cap. III. — De cœlo. 30

Cap. IV. — De firmamento. 36

Cap. V. — De sole. 57

Cap. VI. — De luna. 59

Cap. VII. — De stellis. 61

Cap. VIII. — De Lucifero. 63

Cap. IX. — De pleiadibus. 64

Cap. X. — De arcturo. 67

Cap. XI. — De aere. 69

Digitized by Google

Cap. XII. — De nubibus. 49
Cap. XIII. — De ventis. 51
Cap. XIV. — De austro. 56
Cap. XV. — De aquilone. 59
Cap. XVI. — De fulgure. 60
Cap. XVII. — De tonitruo. 62
Cap. XVIII. — De nive. 63
Cap. XIX. — De grandine. 66
LIBER SECUNDUS.
Cap. I. — De avibus. 65
Cap. II. — De aquila. 69
Cap. III. — De columba. 71
Cap. IV. — De turture. 71
Cap. V. — De gallo. 73
Cap. VI. — De gallina. 75
Cap. VII. — De corvo. 76
Cap. VIII. — De struthione. 79
Cap. IX. — De accipitre. 81
Cap. X. — De herodio. 82
Cap. XI. — De milvo. 82
Cap. XII. — De passere. 83
Cap. XIII. — De vulture. 85
Cap. XIV. — De musca. 84
LIBER TERTIUS.
Cap I. — De jumentis. 85
Cap. II. — De equo. 87
Cap. III. — De asino. 88
Cap. IV. — De asina. 90
Cap. V. — De camelo. 92
Cap. VI. — De animalibus. 95
Cap. VII. — De bove. 94
Cap. VIII. — De vacca. 96
Cap. IX. — De vitula. 99
Cap. X. — De tauro. 100
Cap. XI. — De vitulo. 101
Cap. XII. — De canibus. 102
Cap. XIII. — De arietibus. 105
Cap. XIV. — De ovibus. 105
Cap. XV. — De agna. 106
Cap. XVI. — De bestiis. 106
Cap. XVII. — De leone. 108
Cap. XVIII. — De lœna. 110
Cap. XIX. — De tigride. 113
Cap. XX. — De pardo 114
Cap. XXI. — De lupo. 115
Cap. XXII. — De onagro. 116
Cap. XXIII. — De onocentauro. 121
Cap. XXIV. — De rhinocerote 121
Cap. XXV. — De behemoth. 123
Cap. XXVI. — De serpente. 124
Cap. XXVII. — De dracone. 124
Cap. XXVIII. — De colubro. 126
Cap. XXIX. — De regulo. 127
Cap. XXX. — De vipera. 128
Cap. XXXI. — De aspide. 129
Cap. XXXII. — De reptilibus. 130
Cap. XXXIII. — De vermibus. 130
Cap. XXXIV. — De tinea. 133
Cap. XXXV. — De eruca. 134
LIBER QUARTUS.
Cap. I. — De homine. 135
Cap. II. — De viro. 137
Cap. III. — De muliere. 140
Cap. IV. — De uxore. 142
Cap. V. — De vidua. 143
Cap. VI. — De infante. 145
Cap. VII. — De pueris. 145
Cap. VIII. — De rege. 146
Cap. IX. — De consulibus. 151
Cap. X. — De ducibus. 151
Cap. XI. — De principibus. 155
LIBER QUINTUS.
Cap. I. — De spiritu. 155
Cap. II. — De anima. 157
Cap. III. — De corpore 157
Cap. IV. — De capite. 158
Cap. V. — De cervice. 161
Cap. VI. — De vertice. 162
Cap. VII. — De capillis. 163
Cap. VIII. — De cincinno. 164
Cap. IX. — De pilis. 164
Cap. X. — De oculo. 166
Cap. XI. — De palpebris. 170
Cap. XII. — De naso. 171
Cap. XIII. — De naribus. 171
Cap. XIV. — De ore. 173
Cap. XV. — De lingua. 176
Cap. XVI. — De dentibus. 178
Cap. XVII. — De saliva. 181
Cap. XVIII. — De maxillis. 183
Cap. XIX. — De genis. 183
Cap. XX. — De facie. 184
Cap. XXI. — De barba. 189
Cap. XXII. — De collo. 190
Cap. XXIII. — De humero. 191
Cap. XXIV. — De brachio. 192
Cap. XXV. — De cubito. 194
Cap. XXVI. — De manibus. 194
Cap. XXVII. — De dextera. 198
Cap. XXVIII. — De læva, 199
Cap. XXIX. — De sinistra. 200
Cap. XXX. — De digitis. 200
Cap. XXXI. — De dorso. 201
Cap. XXXII. — De pelle. 202
Cap. XXXIII. — De cute. 205
Cap. XXXIV. — De carne. 207
Cap. XXXV. — De sanguine. 212
Cap. XXXVI. — De adipe. 213
Cap. XXXVII. — De pinguedine. 213
Cap. XXXVIII. — De arvina. 214
Cap. XXXIX. — De ossibus. 214
Cap. XL. — De cartilagine. 217
Cap. XLI. — De medullis. 219
Cap. XLII. — De nervis. 220
Cap. XLIII. — De pectore. 220
Cap. XLIV. — De uberibus. 221
Cap. XLV. — De mammis. 223
Cap. XLVI. — De costis. 224
Cap. XLVII. — De utero. 224
Cap. XLVIII. — De ventre. 226
Cap. XLIX. — De intestinis. 228
Cap. L. — De visceribus. 228
Cap. LI. — De umbilico. 228
Cap. LII. — De lumbis. 229
Cap. LIII. — De renibus. 231
Cap. LIV. — De femore. 231
Cap. LV. — De genibus. 232
Cap. LVI. — De pedibus. 235
Cap. LVII. — De talo. 237
Cap. LVIII. — De calcaneo. 238
Cap. LIX. — De planta. 238
Cap. LX. — De ungue. 240
Cap. LXI. — De ungula. 240
LIBER SEXTUS.
Cap. I. — De terra. 239
Cap. II. — De humo. 248
Cap. III. — De glebis. 248
Cap. IV. — De sulcis. 249
Cap. V. — De pulvere. 250
Cap. VI. — De monte. 252
Cap. VII. — De collibus. 256
Cap. VIII. — De agro. 256
Cap. IX. — De campo. 257
Cap. X. — De vallibus. 258
Cap. XI. — De platea. 259
Cap. XII. — De via. 260
Cap. XIII. — De semita. 264
Cap. XIV. — De invio. 267
Cap. XV. — De deserto. 268
Cap. XVI. — De solitudine. 269
Cap. XVII. — De aggere. 271
Cap. XVIII. — De fovea. 274
Cap. XIX. — De fossa. 275
Cap. XX. — De caverna. 275
Cap. XXI. — De antro. 276
Cap. XXII. — De luto. 276
Cap. XXIII. — De stercore. 278
LIBER SEPTIMUS.
Cap. I. — De aqua. 279
Cap. II. — De abysso. 284
Cap. III. — De mari. 287
Cap. IV. — De fluvio. 291
Cap. V. — De flumine. 295
Cap. VI. — De rivis. 296
Cap. VII. — De torrente. 297
Cap. VIII. — De fonte. 299
Cap. IX. — De puteo. 300
Cap. X. — De lacu. 302
Cap. XI. — De profundo. 302
Cap. XII. — De gurgitibus. 303
Cap. XIII. — De stillicidiis. 303
Cap. XIV. — De canalibus. 303
Cap. XV. — De fluctibus. 305
LIBER OCTAVUS.
Cap. I. — De auro. 305
Cap. II. — De obryzo 306
Cap. III. — De talentis. 307
Cap. IV. — De pecunia. 308
Cap. V. — De thesauro. 309
Cap. VI. — De divitiis. 309
Cap. VII. — De argento. 311
Cap. VIII. — De electro. 312
Cap. IX. — De ferro. 312
Cap. X. — De ære. 315
Cap. XI. — De plumbo. 318
Cap. XII. — De stanno. 318
Cap. XIII. — De armis. 318
Cap. XIV. — De jaculo. 320
Cap. XV. — De scuto. 321
Cap. XVI. — De clypeo. 321
Cap. XVII. — De gladio. 322
Cap. XVIII. — De arcu. 324
Cap. XIX. — De pharetra. 325
Cap. XX. — De sagittis. 326
Cap. XXI. — De hasta. 327
Cap. XXII. — De lancea. 328
Cap. XXIII. — De thorace. 328
Cap. XXIV. — De ferramentis. 328
Cap. XXV. — De securi. 328
LIBER NONUS.
Cap. I. — De lignis. 329
Cap. II. — De arbore. 333
Cap. III. — De cedro. 334
Cap. IV. — De palma. 335
Cap. V. — De abiete. 336
Cap. VI. — De amygdalo. 336
Cap. VII. — De salicibus. 336
Cap. VIII. — De platanis. 337
Cap. IX. — De oliva. 337
Cap. X. — De ulmo. 337
Cap. XI. — De buxo. 338
Cap. XII. — De sycomoro. 338
Cap. XIII. — De spina. 339
Cap. XIV. — De ficu. 341
Cap. XV. — De vinea. 341
Cap. XVI. — De radice. 342
Cap. XVII. — De baculo. 344
Cap. XVIII. — De virga. 345
Cap. XIX. — De ramis. 346
Cap. XX. — De frondibus. 347
Cap. XXI. — De cortice. 347
Cap. XXII. — De folio. 347
Cap. XXIII. — De floribus. 347
Cap. XXIV. — De pomis. 348
Cap. XXV. — De malis. 349
LIBER DECIMUS.
Cap. I. — De petra. 349
Cap. II. — De lapide. 350
Cap. III. — De sapphiro. 353
Cap. IV. — De jaspide. 354
Cap. V. — De topazio. 354
Cap. VI. — De crystallo. 354
Cap. VII. — De adamante. 356
LIBER UNDECIMUS.
Cap. I. — De igne. 355
Cap. II. — De flamma. 358
Cap. III. — De scintilla. 359
Cap. IV. — De fumo. 359
Cap. V. — De carbonibus. 359
Cap. VI. — De prunis. 361
Cap. VII. — De cinere. 362
LIBER DUODECIMUS.
Cap. I. — De luce. 361
Cap. II. — De lucerna. 364
Cap. III. — De aurora 365
Cap. IV. — De diluculo. 366
Cap. V. — De mane. 368
Cap. VI. — De hora tertia, sexta, nona et undecima. 370
Cap. VII. — De die. 370
Cap. VIII. — De vespera. 374
Cap. IX. — De nocte. 376
Cap. X. — De tenebris. 378
Cap. XI. — De caligine. 381
Cap. XII — De umbra. 382
Cap. XIII. — De mense. 385
Cap. XIV. — De anno. 387
Cap. XV. — De oriente. 387
Cap. XVI. — De meridie. 388
Cap. XVII. — De æstate. 388
Cap. XVIII. — De hieme. 389
LIBER DECIMUS TERTIUS.
Cap. I. — De civitate. 389
Cap. II. — De muro. 392

Digitized by Google

Cap. III. — De maceria. 393
Cap. IV. — De antemurali. 394
Cap. V. — De turre. 394
Cap. VI. — De domo. 395
Cap. VII. — De tabernaculo. 396
Cap. VIII. — De templo. 398
Cap. IX. — De fundamento. 400
Cap. X. — De pariete. 401
Cap. XI. — De porta. 402
Cap. XII. — De limine. 404
Cap. XIII. — De superlimine. 406
Cap. XIV. — De ostio. 406
Cap. XV. — De fenestris. 409
Cap. XVI. — De columnis. 410
Cap. XVII. — De basibus. 411
Cap. XVIII. — De thalamo. 413
Cap. XIX. — De gazophylaciis. 414
Cap. XX. — De vestibulo. 415
Cap. XXI. — De atrio. 416
Cap. XXII. — De pavimento. 420
LIBER DECIMUS QUARTUS.
Cap. I. — De herbis. 419
Cap. II. — De lilio. 421
Cap. III. — De myrto. 422
Cap. IV. — De thure. 423
Cap. V. — De myrrha. 423
Cap. VI. — De hyssopo. 424
Cap. VII. — De nardo. 424
Cap. VIII. — De urtica. 424
Cap. IX. — De porris vel cæpis. 424
Cap. X. — De calamo. 425
Cap. XI. — De arundine. 427
Cap. XII. — De scirpo. 428
Cap. XIII. — De paliuro. 429
Cap. XIV. — De lactucis. 429
Cap. XV. — De sinapi. 429
Cap. XVI. — De frumento. 430
Cap. XVII. — De hordeo. 432
Cap. XVIII. — De messe. 432
Cap. XIX. — De frugibus. 434
Cap. XX. — De spica. 434
Cap. XXI. — De paleis. 435
Cap. XXII. — De aristis. 436
Cap. XXIII. — De culmo. 436
Cap. XXIV. — De stipula 437
LIBER DECIMUS QUINTUS.
Cap. I. — De unitate. 437
Cap. II. — De binario. 439
Cap. III. — De ternario. 442
Cap. IV. — De quaternario. 444
Cap. V. — De senario. 445
Cap. VI. — De septenario. 448
Cap. VII. — De octonario. 450
Cap. VIII. — De novenario. 450
Cap. IX. — De denario. 452
LIBER DECIMUS SEXTUS.
Cap. I. — De vasis. 451
Cap. II. — De arca. 455
Cap. III. — De calice. 457
Cap. IV. — De lampade. 457
Cap. V. — De phialis. 459
Cap. VI. — De ollis. 459
Cap. VII. — De amphora. 460
Cap. VIII. — De utre. 460
Cap. IX. — De lagena. 462

VEN. GERHOHUS PRÆPOSITUS REICHERSPERGENSIS.

Prolegomena.
Dissertatio prævia de vita et scriptis Gerhohi. 461
Notitia ex Fabricio. 479
Vita Gerhohi. 481
EPISTOLÆ GERHOHI.
Epist. I. — Ad magistrum A. — Scribit sibi haud videri opuscula sua *de glorificatione naturæ humanæ in Christo* apostolicæ sedis judicio iterum subjicienda esse, a qua olim jam approbata fuerint. Mittit et commendat ei opus suum contra Græcorum errores. 489
Epist. II. — Ad Henricum S. R. E. cardinalem. — Offert ei et commendat suam expositionem psalmi sexagesimi quarti. 490
Epist. III. — Ad Othonem episcopum Frisingensem. — Ejus censuræ primam partem expositionis suæ in psalmos submittit, quidque de illa aliis visum fuerit, exponit. 490
Epist. IV. — Ad. G. sororem. — Se abbatissam Bragensem non supplantasse, sed canonice ejus ob contumaciam depositioni consensum recte præbuisse, se tamen ad eam juvandam paratum esse, si modesta fuerit. 492
Epist. V. — A. Egensis abbatis ad Gerhohum. — Narrat quid præposito de Triph Babenbergæ evenerit, laudatque, rejecta hujus doctrina, catholica scripta Gerhohi. 494
Epist. VI. — Eberhardi episc. Babenb. ad præpositos Salzburg. et Kimiss. — Dolorem suum de obitu Eberhardi Salzb. archiep. declarat, eisque sua adversus Gerhohum scripta examinanda transmittit. 495
Epist. VII. — Gerhohi ad Adamum abbatem Eboracensem. — Adversus errores Folmari præpositi Trieffensteinensis. 496
Epist. VIII. — Eberhardi episc. Babenberg. ad Eberhardum archiep. Salzb. — Contra Gerhohum, divinitatem in sacramento altaris a sumentibus vorari, ac Christum hominem Patri æqualem esse asserentem. 500
Epist. IX. — Eberhardi episc. Babenb. ad N. — In qua ulterius sententia Gerhohi de gloria et honore Filii hominis, Christi, impugnatur, et ostenditur concilium Ephesinum eidem haud patrocinari. 514
Epist. X. — Gerhohi ad abbatem Windbergensem. — Nuntiat ei quid in collatione cum Eberhardo super sententia sua instituta, a se actum et dictum fuerit. 521
Epist. XI. — Eberhardi ad Gerhohum. — Graviter in eum invehitur, quod sua dicta (*forte* malam) in partem acceperit et vulgaverit; ampliusque ostendit hominem in Christo minorem ac inæqualem esse Patri. 524
Epist. XII. — Gerhohi ad Eberhardum. — Respondet breviter ad priorem ejus epistolam, nuntiatque se plenum opus de controversa quæstione præscripsisse. 529
Epist. XIII. — Ejusdem ad eumdem. — Falsum esse a se eum in curia imperatoris fuisse diffamatum. Reditur ad controversam quæstionem, in qua magno sibi præsidio concilium Ephesinum esse arbitratur. 530
Epist. XIV. — Eberhardi ad Gerhohum. — Explicatur doctrina concilii Ephesini, aliorumque tum doctorum tum sacræ Scripturæ verba, quæ Gerhohus pro opinione sua stabilienda adduxit. 532
Epist. XV. — Gerhohi ad Eberhardum. — Respondet præcedenti, et prolixe explicat quomodo homo in Christo jam servus non sit conditione, licet talis sit genere naturæ. 542
Epist. XVI. — Eberhardi ad Gerhohum. — Respondet ad antecedentem, et probat Christum hominem creaturam et servum esse etiam post ascensionem in cœlum. 552
Epist. XVII. — Gerhohi ad Alexandrum III papam. — Nuncupat ei expositionem suam psalmi CXXII, denuntiat Petrum Lombardum, et reformationem Ecclesiæ commendat. 564
Epist. XVIII. — Ejusdem ad Henricum S. R. E. cardinalem. — Ei expositionem psalmi LXIV misisse se scribit. Cur in Franciam non potuerit proficisci. — De adversariorum suorum multitudine et insidiis. 570
Epist XIX. — Ejusdem ad Hyacinthum S. R. E. cardinalem. — Ut cardinales ad controversiam, de gloria et honore Filii hominis notam, attentos faciat. 573
Epist. XX. — Ejusdem ad Alexandrum III papam. — Rogat ut quid in controversia de gloria et honore Filii hominis sentiat, rescribat. De quibusdam opusculis suis ad curiam Romanam missis. 574
Epist. XXI. — Ejusdem ad collegium S. R. E. cardinalium. — De variis, quibus nunquam non jactatus est procellis, et in quibus semper sibi apostolicam sedem fuisse præsidio gloriatur. 575
Epist. XXII. — C. cardinalis ad Gerhohum. — Laudat ejus doctrinam, monetque ut de subtilioris argumenti rebus coram rudibus ne disputet. 585
Epist. XXIII. — Hyacinthi cardinalis ad *Gerhohum*. — Scribit papam controversiæ de gloria et honore Filii hominis, ut optaverat, intentum esse, simulque docet Alexandrum ab universa Ecclesia paucis exceptis, legitimum pontificem haberi. 586
Epist. XXIV. — Gerhohi ad Ottonem episc. Frisingensem. — Tuetur Hilarium adversus quemdam non nominatum auctorem qui volebat ab illo traditum fuisse corpus Christi non esse glorificatum ultra cæterorum sanctorum corpora, nec humanam in Christo naturam in accepta gratia excedere excellentiam cujuslibet angeli. 596
Epist. XXV. — Ejusdem ad Henricum ducem Saxoniæ et Bavariæ. — Ad defendendam Ecclesiam Dei, proposito sanctorum et regum et ducum exemplo, hortatur. 604
Epist. XXVI. — Ejusdem ad Arbonem seu Erbonem abbatem Prunfingensem. — Hortatur ad mitigandum episcopi Ratisbonensis, qui cives suos universim ob quorumdam crimen excommunicaverat, animum. 606
Epist. XXVII. — Ejusdem ad sanctimoniales Admontenses. — Illis illud psalmi L: *Ut justificeris in sermonibus tuis*, exponit. 607
Epist. XXVIII. — Ejusdem ad N. suam in Christo filiam. — Ejusdem psalmi verba: *Ut vincas, cum judicaris*, ei enarrat. 611
Epist. XXIX. — Ejusdem ad quasdam sanctimoniales, forte Admontenses. — De fidei robore ac puritate exemplo centurionis evangelici. 614
COMMENTARIUS AUREUS IN PSALMOS ET CANTICA FERIALIA. 619
Pars prima. 967
Pars secunda. 1513
Pars tertia. 1571
Pars quarta. 1583
Pars quinta. 1609
Pars sexta.

FINIS TOMI CENTESIMI NONAGESIMI TERTII.

Ex typis L. MIGNE, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google